



DESIDERII ERASMI OPERVM OMNIVM

TOMVS PRIMVS.


UNIVERSIDAD CENTRAL
BIBLIOTECA
FILOSOFIA


DESIDERII ERASMI
ROTERODAMI

OPERA OMNIA

EMENDATIORA ET AVCTIORA,
AD OPTIMAS EDITIONES PRAECIPVE QVAS IPSE ERASMVS
POSTREMO CVRAVIT SVMMA FIDE EXACTA,
DOCTORVMQVE VIRORVM NOTIS ILLVSTRATA.

TOMVS PRIMVS,
QVI CONTINET
QVAE AD INSTITVTIONEM LITERARVM SPECTANT,
VT VERSA PAGINA DOCEBIT.





LVGDVNI BATAVORVM,
Curâ & impensis PETRI VANDER AA, MDCCIII.

Cum speciali Privilegio Illustr. ac Praepotent. Ordd. Holl. & West-Frisiae.

IN HOC PRIMO TOMO CONTENTA.

DESI-


D.HERM.VAN SUYLEN
VAN NYEVELT.
J. van Vianen Sculp.

PRAEFATIO
IN NOVAM
DESIDERII ERASMI
OPERUM EDITIONEM.



CVM novam summi viri DESID. ERASMI Operum editionem moliretur *Petrus vander Aa*, Lugdunensis Bibliopola, Antiquitatibus Græcis & Romanis, aliisque Veterum & Recentiorum monumentis editis non incelebris, consiliúmque suum mecum communicaret; seriò gavisus sum aliquando tandem rariores, & in paucis Bibliothecis delitescentes, maximi illius ingenii fœtus, in publicam lucem revocari. Sæpe audiveram viros eruditos graviter querentes præstantissimorum hominum, qui proximè præteritis sæculis floruerunt, eximia opera ex manibus studiosorum Litterarum excuti, vel solâ raritate, cùm nonnisi ægrè & ingenti pretio comparari possent; dum jejuna Recentiorum volumina, magnâ copiâ, in lucem quotidie protruduntur, & sola emenda prostant. Nec poteram eorum querelas prorsus improbare; quamquam in illorum numero non sum, quibus omnia nova sordent, nec quidquam probatur, nisi quod, ut ille ait, *Libitina sacravit*. Noram, scilicet, ex lectione operum summi illius Hollandiæ suæ ornamenti, eorúmque collatione cum Scriptis Recentiorum, quæ in manus meas incidêre, quæcumque tandem sint, ea in illis inveniri, quibus potiora in aliis nulla occurrunt; sive eruditionem Philologicam, sive sublimiorem rerum divinarum cognitionem, sive vitiorum sæculi, quo vixit, descriptionem neque fucatam, neque scribentis vitio exaggeratam, sive denique singularem amœnitatem ac libertatem ingenii; cum insigni probitate morum conjunctam, spectes. Passim videre licet Philologos, qui quamvis ceteros homines, more ludi magistrorum sollemni, despiciant, nihil præter verba & consuetudines priscas Græcorum & Romanorum norunt, atque in ceteris ferè desipiunt; nec umquam Grammaticorum claustris egredi conantur, quin cordatioribus omnibus ludibrium debeant. Nec desunt Theologi, qui, solis Scholæ tricis innutriti, suis distinctiunculis & syntagmatibus omnia metiuntur, nec Sacrarum Litterarum volumina aut antiquiorum Christianorum lucubrationes ex ipsis archetypis Linguis, ut par est, interpretari possunt. Paucissimi humaniorum & sanctiorum Litterarum felicissimum illud ac fœcundissimum elegantissimorum partuum conjugium intra pectus suum celebrarunt. At plures profectò non sunt, inter eos qui nomen suum Litterarum studiis dederunt, qui ausint sæculi sui vitiis manum medicam afferre, nisi quatenus prodest; laudare ceteroquin, aut certè dissimulare turpissima quæque parati, si modò ex adulatione ac dissimulatione sua lucellum aliquod ad se redire posse sperent. Nihil in eorum Scriptis invenias, quod quidem ad ipsorum tempora pertineat, quod aut parasitica ingenia, potius quàm faceta, aut malignam quamdam tetricitatem, carpendique meliores, sed minùs potentes, insanam libidinem non redoleat. Ibi demum suam παῤῥησίαν ostentant, cùm atram bilem in infirmiores effundunt, aut invidiosè viros bonos traducunt; & pro in-

genuo risu Sardoniam rictûs diductionem, ac malè dissimulatam invidentiam produnt. Quibus omnibus vitiis contrarias virtutes in *Erasmi* nostri Scriptis elucere, si paucis ostendero; nemo erit, qui ea multò digniora esse, quæ iterum recuderentur, quàm innumerabilia alia, quibus fervent hodie præla, non fateatur.

Si quis varia *Erasmi* Opera ad Philologiam spectantia, qualia multa primo volumine continentur, & præsertim quidem Adagiorum immensam collectionem, quæ secundum conflat, paullò studiosiùs legerit, profectò mirabitur multijugem omnium Scriptorum, cùm sacrorum ac ecclesiasticorum, tum etiam profanorum lectionem. Proverbia enim sua vir maximus non ex aliorum lacunis, aut ex paucis quibusdam voluminibus corrasit; sed omnes, qui eo ævo exstabant, Scriptores, ejus collectonis causâ, pervolvit. Quod quanti fuerit laboris, ii demum intelligent, qui illius ævi, quo primùm Typographia florere cœpit, editiones vitiosissimas aliquando consuluerint, animadverterintque multa ex MSS. Codicibus ab *Erasmo* fuisse depromta; & sciverint eâ tempestate Litterarum studiosos, magnis illis subsidiis, quibus nunc cincti sumus, prorsus caruisse; neque enim ulla erant Lexica, nisi inepta ac jejuna, vitiisque scatentia; aut editiones ullæ antiquorum librorum accuratioribus indicibus instructæ; aut interpretes Critici Veterum, perpaucis exceptis, nisi prorsus barbari aut inepti. Attamen in tanta bonarum Editionum penuria, ne jam domesticas angustias memorem, quid non evolvit *Erasmus?* Ex quibus Scriptoribus quæ ad rem suam faciebant non excerpsit, &, quod caput est rei, quid non feliciter, aut certè ingeniosè interpretatus est, ut etiam errantem mirari possis? Sed & per universa ejus Scripta, maximam totius Antiquitatis Græcæ & Romanæ scientiam, & quâ majorem nullus eo tempore consequutus est, effulgere, nemo negaverit, nisi qui ea non legerit.

Neque hîc quisquam nobis objiciat virum summum non tantùm ab *Henrico Stephano*, & *Paulo Leopardo*, hominibus longè doctissimis, & Græcæ præsertim Linguæ peritissimis, sed & à nobis tantò inferioribus, aliisque, in errore aliquoties deprehensum; quod nec in notulis dissimulavimus, præsertim in Adagiorum opus, inque nonnullas è Græcis Scriptoribus translationes. Nam quamvis vadis navim illidentem, in amplissimo omnigenarum Litterarum Oceano, tantum virum ad feliciorem cursum interdum revocaverimus; non ideò ingenio ac eruditioni ejus ullâ ratione detractum volumus. Sæpe erravit, pravis malarum Editionum lectionibus deceptus; interdum etiam dormitavit, quod fas esse in tam multiplici scriptione nemo inficias iverit, præter homines pigros, qui cùm ipsi nihil præstent, leves eruditiorum nævos malignè observant, ut inde sibi gloriolam apud sui similes quærant. A quo vitio semper longissimè nos abfuisse, cùm nobis conscii simus, non dubitavimus de delictis *Erasmi* Lectores monere, ne minùs eruditi, tanti viri auctoritate, transversi abducerentur; alioqui ceteris tantorum laborum partibus meritam laudem qui libentiùs tribuat, quàm nos, neminem vivere putamus. Eos demum patiemur de Philologica *Erasmi* eruditione tenuiter sentire, qui pluribus ac majoribus ingenii, doctrinæque monumentis sæculum suum illustrarint; quod interea dum fecerint, taceant oportet, nisi velint apud omnes eruditos bonósque viros malè audire.

Non sum nescius multos, cùm felicissimam inventionem, delectúmque rerum, ac pondus rationum se ei detrahere non posse viderent, in ejus Latinitatem esse invectos; quam ad instar styli, qui Augusti ævo obtinebat, formatam negarunt. Sed nec ille umquam professus est se illius sæculi sermonem per omnia imitari; nec sanè potuisset, nisi voluisset de innumeris magni momenti rebus tacere, quæ Ciceroniano stylo commodè exprimi nequeant; quod ipse testatur Ep. xv. Lib. xx. Verùm ut unicuique suum est ingenium, sic & suus stylus sit neces-

necesse est, quem fingere ad alienam mentem, id demum est, nullâ ratione staturæ habita, alienâ veste velle uti, quod stultissimum esset. Coacta illa imitatio non exiguo est impedimento res dignas dictu, potiùs quàm verba Latina, quærenti; paritque etiam frigidum, languentémque & laciniosum stylum; cùm suum ingenium sequenti & rerum studioso, neque desit argumentum utile, neque commoda oratio, quâ id vestiat, quæ & multò gratior, ac virilior est. Quod experiaris licet, si *Erasmi* nostri scripta cum *Longolii*, *Bembi*, aut *Sadoleti* lucubrationibus contendas. Mihi certè somnus obrepit, dum has lego, iis verò mirum in modum excitor atque afficior. Sed de his legendus nostri festivissimus dialogus, quem *Ciceronianum* inscripsit.

Potuit ergo *Erasmus* inter primarios sæculi sui Philologos honoratum locum obtinere, si eorum tantùm disciplinas attigisset; sed sublimius ejus erat atque erectius ingenium, quàm ut in inferioribus illis artibus consenesceret. Itaque se se ad Theologiam contulit, ad cujus tamen cognitionem sibi comparandam Linguarum, humaniorúmque Litterarum peritia felicissimè usus est. Ejus ætate princeps illa Disciplinarum, omni ferè aliarum ornatu exuta, colebatur, & cum styli barbarie conjuncta præterea in ea erat ineptia atque inscitia ratiocinationum acutioribus prorsus intolerabilis. Cùm eam universam niti oporteat aut Sacrarum Litterarum auctoritate, aut antiquiorum Christianorum testimoniis; nec Græci, nec Latini Patres, imò ne utriusque quidem Testamenti tabulæ, ex Latina vulgata Interpretatione, intelligebantur. Ad eam ergo barbariem profligandam, discutiendásque tenebras, Cimmeriis obscuriores, cùm alii viri docti, tum etiam *Erasmus* noster, elegantiorum Litterarum studia, maximo successu, adhibuerunt; nec quidquam profectò ei deerat, ad Scripturam Sacram accuratè intelligendam; præter Linguæ Hebraïcæ notitiam, quam dumtaxat delibaverat. Ceterùm Scholasticorum superiorum proximè ætatum Interpretum ac Theologorum pertæsus, & ipsos fontes adiit, & rivos antiquiorum sæculorum, propiùs à fontibus derivatos, propemodum exhausit. Quem enim Scriptorem Ecclesiasticum, qui eo quidem tempore exstaret, non excussit? Quem, datâ occasione, non laudavit? Imò verò cùm nullæ quorumdam essent editiones, quæ ferri possent, novas incredibili labore in suum & aliorum usum adornare aggressus est; & præsertim quidem *Hieronymi* & *Augustini* lucubrationes immensâ mendorum copiâ expurgavit, spurias à genuinis Critico acumine discriminavit, & nonnullas etiam à capite ad calcem interpretatus est. Ad hæc, quasi colophon, translatio Novi Testamenti, atque Adnotationes in omnes ejus libros accessere. De hisce & multis aliis omnis generis Scriptoribus, accuratiùs ab eo editis, consulendus vigesimus octavus Epistolarum ejus liber, ex quo quantis vigiliis ac sudoribus hæc omnia ei constiterint liquebit. Vix credet, qui eum evolvet, viri unius vitam atque industriam potuisse tot ac tantis laboribus sufficere.

Dum autem *Erasmus* ex ipsis fontibus, aut limpidioribus, ut existimabat, rivis, Theologiam Christianam hauriret, eos minimè imitatus est, qui id quod cupiunt in iis quærunt, eáque quæ ipsorum indoli consentanea sunt ex iis referunt. Alii naturâ contemplationum arduarum, rixarúmque, quæ ex iis nasci solent, amantes, iis lectis de solis mysteriis loquuntur; quæ non tantùm defendere acerrimè parati sunt, sed & subtiliùs interpretantur, interpretationésque suas minùs probantes vehementissimè insectantur; unde jurgia oriuntur, quæ postea calamitates innumeras pariunt. Alii non tam Religionis ipsius, quàm vestis, quâ indui solet, studiosi, in antiquis monumentis nihil præter rituum ac cærimoniarum vestigia indagant, atque in sua illa investigatione nihil inveniunt præter ea quæ ad externam Religionis speciem pertinent, & quorum necessitatem præter modum urgent, ejúsque non ita observantes faciliùs quàm par est proscribunt. Utrique autem, & hi & illi, sanctimoniæ Christianæ, quæ in timore

re Dei & probitate morum sita est, negligentiores sunt, vitiisque haud illibenter ignoscunt; dum internecino bello hallucinationes ingenii humani, rituúmque neglectum, in hominibus ceteroqui bonis, persequuntur. *Erasmus* verò noster, minimè neglectis mysteriis, ritibúsque, quibus aut decentior fit Religio, aut humana imbecillitas adjuvatur, reverentiam Numinis, sanctissimorúmque ejus præceptorum observationem, ex recta mysteriorum, cærimoniarúmque interpretatione necessariò nascentes, neque à Deo ulli usquam remissas, potissimùm exigebat; quod ex quinto Operum ejus volumine, sequentibúsque intelligere est. Hanc Religionis Christianæ partem, ejus ævo, fermè conculcatam & Scripturæ Sacræ & Veterum testimoniis ita illustravit, ac confirmavit, ut inter potissimos ejus instauratores meritò habeatur. Id certè ejus fuit acumen, eaque animi probitas, ut feliciter ubique secernat eas opiniones, eáque instituta, quæ à malis æquè ac bonis defendi, atque observari possunt, ab ea fide iisque moribus, qui in solis bonis inveniuntur; quippe qui norat eam demum esse veram Religionem, quâ homines non acutiores, aut externâ specie spectabiliores, sed Dei & proximi amantiores fiunt; nec eum bonum haberi posse, qui nihil facit quod ab improbi animi hominibus æquè fieri nequeat. Qui Theologica ejus Opera paullò studiosiùs evolvent, nihil homini à nobis tribui, quod non ex merito sit tribuendum intelligent.

Hanc cùm veræ Theologiæ imaginem animo concepisset, erudito ac bono nemini improbandam, tantum thesaurum, ut solus eo frueretur, nequaquam infodit; sed omnibus, qui eo uti vellent, communem esse oportere existimavit. Itaque Scriptis eum spargere, per universam Europam, conatus est; qua de causa, quidquid fuit bonorum virorum summas ei gratias habuerunt, ut operum ejus celerrima venditio & frequens ubique lectio satis ostenderunt. Verùm cùm non tam bene cum rebus humanis agatur, ut probi atque eruditi ullo modo æquent improborum ac imperitorum numerum, in se vir summus & veræ virtutis studiosissimus innumeros malos atque indoctos concitavit. Quamobrem vitia sæculi sui describere necesse habuit, & cùm hominibus pepercerit, nisi editis voluminibus ab iis lacessitus improbè fuisset, Ecclesiasticorum quorumdam, quos potissimùm infestos habuit, nævos ac deliria ita pinxit; ut etiamnum hodie sine indignatione aut risu eorum tabulas, in ejus Scriptis, spectare nequeamus. Dum autem omnis sortis homines, in Theologicis Operibus, officium ex Sacris Litteris docet, ostendit satis apertè eâ tempestate malos mores, unà cum maxima bonarum rerum imperitia, usque adeò grassatos fuisse, ut nescias indoctioréśne essent Christiani, an improbiores. In *Colloquiis* verò, in quibus Juventutem ad virtutem & Litterarum amorem accendere conatur, quàm graphicè passim pingit suæ ætatis vitia? Quàm apertè nos docet nihil esse cur de hoc nostro tempore multùm queramur, si id cum temporibus quibus vixit conferamus? Non exscribam quæ præstat in ejus Operibus legi, quàm in hac brevi Præfatione, ne fortè similia huic nostræ ætati nimiùm irritabili exprobrare velle videar; sed dicam quod nemo negabit, qui rem paullò penitiùs introspexerit, multùm toti Europæ profuisse summi viri castigationes, & majorem fructum edituras fuisse, si omnes Eruditi eum essent ubique imitati. Tandem puduisset eos quorum vitia carpit, nec tot æmulos reliquissent; si per universam Europam, ab ea tempestate, non desiissent ii, qui stylo talia confodere poterant, suo ingenio suáque eruditione uti, ad omnes Christianos ad saniorem mentem revocandos. At multi ab illis temporibus, exuto omni Veritatis ac Virtutis amore, non tam hominibus, quod ipsum turpissimum fuisset, quàm vitiis, quod extremæ est nequitiæ, adulati sunt; ut honores ac præmia, ejusmodi flagitio proposita, consequerentur. Nisi *Erasmi* & aliorum aliquot ad nos pervenissent fidæ eorum temporum descriptiones, eos for-

fortè laudaremus, quorum memoriam pii omnes sibi nunc jure putant exsecrandam. Plura hanc in rem non addo, ne odiis oleum affundere videar, hominesque iis, quos *Erasmus* olim castigavit, minimè meliores in ejus Scripta incendam. Jam satis est, imò verò plus satis rixarum & concertationum, quas si silentio minuere nequeamus, certè intempestivis querelis non exacerbabimus.

At prætermittere non possum mihi semper, ut & omnibus elegantioribus hominibus, admirationi fuisse amœnitatem summam ingenii, & facetissima dicta, quæ subinde in *Erasmi* lucubrationibus emicant, & Lectorum animos innocuâ voluptate demulcent. Non possum tacere, mirabilem mitissimæ indolis παῤῥησίαν, quâ vitia & privatorum, & summarum potestatum, cùm in Ecclesiastica, tum in Civili Republica, sine mordaci acerbitate, exagitavit. Agnoscas ubique optimi utriusque illius Reipublicæ civis ingenium pacatum; qui, sine seditione ac discidio, quod in utraque vituperari poterat comiter atque humanè emendare conatus est. Nimii labores, & multijugis lectio in plerisque ita omnem hilaritatem animi exstinguunt; ut ex Litterarum studiis eruditionem quidem, sed eam tetricam ac morosam, sibi comparent, ostendántque se ringere, quàm ridere, multò esse paratiores; quod & ipsos & Litteras, quas profitentur, apud homines liberaliores infamat. Accurata cognitio vitiorum & delictorum humani generis minùs malos sæpè reddit inhumanos & clamosos; nequiores verò ita afficit, ut nolint inter insanos sapientes videri, malintque plures cum suo emolumento imitari, quàm Christianâ castigandi libertate offendere. At *Erasmus* noster ita ridet, ingenuisque facetiis sic abundat, quasi nihil aliud habuisset quod ageret. Medicinam interea prolapsis moribus tam liberè facit, quàm si ei libertati eadem tributa fuisset merces, quam adulatores ab iis, quorum vitiis blandiuntur, ferre videmus; tantáque humanitate omnia dicta sua condit, ut non iratum, sed emendandi dumtaxat studiosum fuisse facilè intelligas. Quæ cùm reputo, hîc exclamare libet:

—— huic Pudor & Justitiæ soror
Incorrupta Fides, nudáque Veritas
Quando ullum invenient parem!

Quod cùm vix sperari possit, pro altero *Erasmo*, quem superiores, atque hæc nostra ætas adhuc nobis debent, Roterodamensem illum in Bibliothecis instructioribus fermè sepultum, in lucem revocandum censuimus, ut ridendo verum dicentem, & jam supra invidiam positum frequentiùs audiat sæculum fastidiosum; à quo *Erasmi* imitator fortasse non audiretur, licèt vel magistrum ingenio, candore & eruditione, quod fieri nequit, superaret.

Non dissimulandum tamen nobis est, *Erasmum* candore, urbanitate & libertate, licèt intra modestiæ limites coërcitis, duo hominum genera vehementer offendisse. Alii quidem volebant omnia dissimulari, & vitia placitáque nonnullorum, quæ defendi non poterant, silentio involvi; quasi ne digitulo quidem attingi possent homines malè sibi conscii, & pessimè de omnibus meriti, sine summo Reipublicæ Christianæ periculo. Alii verò, quibus nihil nisi extremum placebat, optassent ab *Erasmo* cum iis, quos emendare frustra conatus erat, omnia pacis & Societatis Ecclesiasticæ vincula prorsus abrumpi. Voluit ille inter utrosque medium se gerere, nec bella plusquàm civilia, quibus res Christiana scindebatur, probare aut alere poterat; quamvis vehementer optaret ea quæ meritò carpebantur ab iis, qui summæ rerum præerant, emendari. Cupiebat placidis consiliis & sine tumul-

multu, potiuſquàm violentâ omnium rerum, etiam rectè, ut ipſi videbatur, poſitarum convulſione, diſcordias componi. Propterea, neque enim quod verum eſt diffitebor, acerrimorum utriuſque partis hominum iram in ſe movit.

Ab utriſque aſperrimis dictis ac ſcriptis laceratus eſt, & quaſi nullo Religionis ſtudio duceretur, quaſi dicacitatis nimiæ, atque intolerandæ audaciæ homo traductus. Ex ejus Apologiis nono Tomo comprehenſis, innumeriſque litteris res manifeſta eſt; nec ſunt illa ulcera à nobis refricanda. Satis norunt perſpicaciores rem illi fuiſſe cum hominibus, qui nec flebiliter monentem, nec ridentem audituri erant; ſed ex quavis ratione ſcribendi, occaſionem ejus traducendi avidè captaturi.

Non dicam *Eraſmum* mihi ſemper videri de omnibus rectè judicaſſe; hominem enim eum puto fuiſſe, non Deum. Non aggrediar etiam defendere quidquid fecit, nec ſi ejus ætate vixiſſem, atque is fuiſſem, qui nunc ſum, conſilia ejus per omnia ſequutus eſſem. Sunt & mihi graves rationes, quas Lectoris ſcire nihil intereſt, ob quas multa prætermitto ſingularia, quæ non ſpecioſè dumtaxat, ſed & verè dici poſſent. Verùm contendam æquorum hominum eſſe perpendere in quàm difficilia vir ſummus incidiſſet tempora. Iis enim non rationibus tantùm & argumentis, ſed affectibus etiam maximis, imperioſis edictis, ſævis proſcriptionibus, minis ac vi res gerebatur; ita ut hoſtis loco haberetur à multitudine concitata quiſquis non his aut illis partibus, ſed communi omnium utilitati ſtudebat. Mirum ergo eſſe nemini poteſt, ſi poſtquàm omnia dixiſſet, quæ dici poſſe putabat, de iis, quæ emendatione egebant, tandem tacuerit; & cùm laceraretur à nonnullis, qui ei omnia everſuri videbantur, iis infenſior ſub vitæ finem fuerit. Dignus profectò erat, propter maxima in Rempublicam Litterariam, Chriſtianámque merita, qui, ſi non audiretur; at certè ſuis ipſius conſiliis permitteretur, nec invitus in partes traheretur, in quibus multa ei diſplicebant. Honorarium otium fuiſſet ei in ſenectute ab omnibus, quaſi jam emerito, ac rude donando, concedendum; cùm præſertim præmia iis, qui tumultuum duces erant, propoſita numquam ambiverit; nec ullum lucrum ex rixis umquam ſit conſequutus. Sanè & dum vixit & poſtquàm vitam hanc mortalem meliore mutavit, cùm jam diſſidentium Chriſtianorum partes ſua ſibi jura ac dogmata ſeorſim conſtituiſſent, ab æquiſſimis quibuſque, in cœlum laudibus certatim ſublatus eſt; quamvis nemo fortaſſe eorum omnia placita ejus ac conſilia probaret. Ampliſſimus præſertim Magiſtratus *Roterodamenſis*, qui civi ſuo ſtatuam æneam, in celeberrimo Vrbis ſuæ foro, poſuit, numquam ſatis laudari poteſt, quòd meritis tanti viri quidquid in eo minùs probabat condonarit. Eam Statuam ære expreſſam & ad vivum delineatam Lectoris curioſi oculis, ut eodem loco conſpicitur, hîc ſubjicimus, ſimul cum Inſcriptionibus, quæ in *Eraſmi* honorem conſcriptæ fuerunt, & hic unà additæ viſuntur; nec non Effigiem ejus manu dexterrimi Holbenii delineatam, & accuratiſſimè ſculptam paginâ primâ hujus Præfationis exhibemus. Verſiculi, qui ante ædes, in quibus ille natus eſt, tales fuerunt & ſunt:

EN ESTA CASA ES NASCIDO ERASMO THEOLOGO CELEBRADO
POR DOTTRINA SE'NALADO PURA FEE NOS A REVELADO.


In dit Huys is geboorem ERASMUS *vermaart,*
Die Gods Woord uitverkooren, ons wel heeft verklaart.

ÆDIBUS HIS ORTUS MUNDUM DECORAVIT ERASMUS,
ARTIBUS INGENUIS, RELIGIONE, FIDE.

ERASMUS, *die het ligt eerſt zag in dit gebouw,*
Beſtraalt al 's werelds rond met Godſdienſt, Konſt en Trouw.

Inſcriptiones, quas pagina ſequenti habes, ſunt illæ quæ in baſi ſtatuæ reperiuntur.

In



terius Hollandiæ ocelli. *Hugonem Grotium* à me designari satis omnes intelligunt, cui postquàm posita erit statua, non deerit qui Reipublicæ Litterariæ nomine gratias civibus ejus agat. Verùm hæc nihil ad *Erasmum*, in cujus Operibus

ERASMUS, [illegible]

Bestraalt al 's werelds rond met Godsdienst, Konst en Trouw.

Inscriptiones, quas pagina sequenti habes, sunt illæ quæ in basi statuæ reperiuntur.

In

In anteriore parte basis.

DESIDERIO. ERASMO
MAGNO. SCIENTIARVM. ATQVE. LITTERATVRAE
POLITIORIS. VINDICI. ET. INSTAVRATORI
VIRO. SAECVLI. SVI. PRIMARIO
CIVI. OMNIVM. PRAESTANTISSIMO
AC. NOMINIS. IMMORTALITATEM. SCRIPTIS
AEVITERNIS. IVRE. CONSECVTO

S. P. Q. ROTERODAMVS

NE. QVOD. TANTIS. APVD. SE. SVOSQVE. POSTEROS
VIRTVTIBVS. PRAEMIVM. DEESSET
STATVAM. HANC. EX. AERE. PVBLICO
ERIGENDAM. CVRAVERVNT.

In dextro latere.

BARBARIAE. TALEM. SE. DEBELLATOR. ERASMVS
MAXIMA. LAVS. BATAVI. NOMINIS. ORE. TVLIT
REDDIDIT. EN. FATIS. ARS. OBLVCTATA. SINISTRIS
DE. TANTO. SPOLIVM. NACTA. QVOD. VRNA. VIRO. EST
INGENII. COELESTE. IVBAR. MAIVSQVE. CADVCO
TEMPORE. QVI. REDDAT. SOLVS. ERASMVS. ERIT.

In sinistro.

HIER REES DIE GROOTE SON, EN GING TE BASEL ONDER:
DE RIIKS-STAD EER' EN VIER' DIEN HEILIG IN SIIN GRAF:
DIT TWEEDE LEVEN GEEFT DIE 'T EERSTE LEVEN GAF:
MAAR 'T LICHT DER TALEN, 'T SOVT DER ZEDEN, 'T HEERLIK WONDER;
WAAR MET DE LIEFDE, EN VREDE EN GOD-GELEERTHEID PRAALT,
WORT MET GEEN GRAF GEËERT NOCH MET GEEN BEELT BETAALT:
DIES MOET HIER 'T LVGHT GEWELF ERASMVS OVER-DEKKEN;
NADIEN GEEN MIND'RE PLAATS ZIIN TEMPEL KAN VERSTREKKEN.

In posteriore parte.

DESIDERIVS ERASMVS
GEBOREN TOT ROTTERDAM DEN 28 OCTOB: 1467.
GESTORVEN TOT BAZEL DEN 12 IVLII 1536.
MET EEN HOUTEN PRONK-BEELD VEREERT 1549.
IN EEN BLAAUW ARDUIIN STEENEN VERWISSELT, 1557.
'T SELVE VAN DE SPANIAARDEN TER NEDER GEWORPEN 1572.
SEDERT WEDEROM IN STAND GEBRAGHT:
EINDELIIK VAN KOPER AFGEGOTEN EN OPGEREGT 1622.
OM HET BOUW-VALLIG BRUG GEWELF
EN BREUKE DER VOET-STUT AFGENOMEN 1674.
IS ALDVS HERSTELT 1677.
ALS BORGEMEESTEREN WAREN
BALTHASAR VERBEECQ,
DOMINICUS ROOSMALEN,
IACOB DE BRAUW,
PIETER DE MEY:
FABRIICQMEESTEREN
LEON: VAN NAARSSEN, BARTH: VAN DEN VELDE.

A: V:
Scr:

Novi qui similia dudum exspectent à vicinæ urbis Magistratu, in honorem alterius Hollandiæ ocelli. *Hugonem Grotium* à me designari satis omnes intelligunt, cui postquàm posita erit statua, non deerit qui Reipublicæ Litterariæ nomine gratias civibus ejus agat. Verùm hæc nihil ad *Erasmum*, in cujus Operibus

ribus recudendis quid ſit à nobis præſtitum, ſummatim & paucis hîc indicabimus. Sequuti igitur ſumus Editionem Frobenianam anni M. D. XL. neque quidquam detraximus, aut in voluminum ordine novavimus, quem obſervandum cenſuerat ipſe *Eraſmus*. Cùm difficile eſſet nanciſci exemplar non mutilum aut partim deletum, qualia in pleriſque Bibliothecis conſpiciuntur, operam dedimus ut integrum inveniremus, idque fideliter exprimeremus. Sed primùm exemplar recenſuimus, multáque menda Typothetarum, inter legendum ſuſtulimus, & pravam quamdam ſcribendi rationem, quæ eâ tempeſtate obtinebat, emendavimus, ut cùm *Vergilius* pro *Virgilius* ſcribebant, *ædere* pro *edere*, & talia. Non dicam innumera, quæ per compendiarias litterarum notas exprimi ſolebant, plenis vocibus ubique fuiſſe excuſa; ſed monebo diſcrimen characterum, ut loca citata diſtinguantur à verbis *Eraſmi*, à nobis fuiſſe ubique adhibitum, ut ratio hodierna artis Typographicæ exigebat. Per totum præterea Opus notulas infimæ oræ adjecimus, quæ fortè injucundæ Lectoribus non erunt. In haſce ſi quid vitii irrepſerit, nobis abſentibus, id emendatum iri, ſine malignitate, ab æquis hominibus ſperamus.

Sciat etiam Lector oportet, nos in illis Notis minimè aggreſſos eſſe *Eraſmum* interpretari, qui interpretatione non indiget; ſed tantùm quædam monere, quæ non ingrata, nec inutilia legentibus fore putabamus. Illuſtramus interdum *Eraſmum*, citatis accuratiùs locis, ad quæ reſpicit, aut aliis additis; interdum quod habet confirmamus, aut Lectorem amandamus ad eos, qui rem accuratiùs aut feliciùs tractarunt; interdum denique oſtendimus eum eſſe hallucinatum, ſed ſine ulla acerbitate; quæ nulla in nobis, qui ſummum virum ſummopere miramur, eſſe potuit. Maximos enim viros errare poſſe arbitramur, ita tamen ut ſat multa ſuperſint, quæ jure in iis ſuſpiciamus.

Statueramus hîc admonere Lectorem de iis, quæ in ſingulis voluminibus eſſent etiam à nobis præſtita: ſed quia nondum omnia edita ſunt, eáque nanciſci poſſemus, inter excudendum, quæ nunc nobis ſunt ignota, rem ad frontem uniuſcujuſque voluminis diſtulimus; quam adire Lectores poterunt, ſi iis videatur.

In primo volumine, præter Vitam *Eraſmi* à *Beato Rhenano* conſcriptam, addidimus eam, quam ediderat *Petrus Scriverius*, ante Epiſtolas ineditas, deinde præfixam Epiſtolarum Operi in Editione Londinenſi. Sed prætermittenda non cenſuimus judicia ſelectiora virorum doctorum de *Eraſmo*, quæ huic Epiſtolæ ſubjecta videbis. Quin etiam Epitaphia multò plurium addidimus, ſeorſim dumtaxat antea edita, & rariora facta. Præter Notulas noſtras Libris ipſius *Eraſmi* ſubjectas, potuiſſemus multa adnotare ad Libros è priſcis Scriptoribus converſos, ut exiguo ſpecimine ad *Libanii* Declamatiunculas oſtendimus, pag. 549. T. 1. & ſeqq. Sed nihil opus erat, cùm pleræque illæ *Eraſmi* verſiones ſint cum ipſius Archetypis editæ, interpolatæ, aut caſtigatæ in virorum Doctorum Notis, quod vel ex *Luciani* Editione Amſtelodamenſi ſatis notum eſt. Præterea id non agebamus, ut oſtenderemus tanti viri verſionum nævos, cui potiùs gratias agere nos par eſt, quàm litem, propter levia delicta, intendere. Ad *Colloquia* quod attinet, multò uberiores iis additæ ſunt Notæ, rejectis tamen atque inductis inſulſis, falſis, puerilibus aut inutilibus multis adſumentis, quibus à neſcio quo conſarcinatore dehoneſtatus erat *Eraſmus*. Libro de *Pronunciatione* præfiximus monitum neceſſarium ex *Ger. Joanne Voſſio*. De ceteris Notis, nihil eſt quod moneamus, præter ea quæ antea dicta ſunt. Plura igitur non addemus, poſtquàm Lectori, prout *Eraſmianis* noſtriſque laboribus æquum ſe præbuerit, omnia ſecunda à Deo Optimo Maximo fuerimus precati.

J V-

JVDICIA HONORIFICA
PRINCIPVM ET DOCTORVM VIRORVM
DE
E R A S M O.

EX EPISTOLA LEONIS X. PAPAE, AD ERASMVM.



ITAE morumque tuorum honestas, eruditio rara, ac eximia virtutum tuarum merita, quæ non solum studiorum tuorum monumentis ubique celebratis testatissima sunt, verum etiam eruditissimorum hominum suffragio, denique duorum illustrissimorum Principum, Regis Angliæ, & Regis Catholici, literis nobis commendata, faciunt ut te præcipuo ac singulari quodam favore prosequamur. Unde postulationi tuæ libenter annuimus, uberius etiam nostram in te pietatem declaraturi, cum occasionem vel ipse ministrabis, vel casus objiciet, æquum esse judicantes sanctam tuam industriam, publicæ utilitati assidue desudantem, dignis præmiis ad majora conandum excitari.

EX EJUSDEM EPISTOLA AD HENRICVM VIII. *Angliæ Regem.*

DILIGIMUS admodum in Domino dilectum filium *Erasmum* Roterodamum, quem inter primos hujus scientiæ atque artis esse judicamus: notum quidem nobis ex domestico congressu antea cum in minoribus essemus, sed deinde longe magis ex eis ingenii monumentis, quæ literis mandavit, non notum solum, verum etiam maxime probatum.

EX EPISTOLA ADRIANI VI. PAPAE, ad eundem.

INEST tibi magna ingenii vis, varia eruditio, scribendi promptitudo, quanta nostra memoria paucissimis aliis, ne dicamus nullis.

EX EPISTOLA PAVLI III. PAPAE, *ad eundem.*

GRATISSIMAE nobis fuerunt literæ tuæ: cum enim nos delectare vel ob id tantum potuissent, quod à te erant, cujus nomen celebre semper amavimus, & doctrinam magni fecimus, eo etiam erant ornatu verborum, ac gravitate sententiarum, ut ob elegantiam gratiores, eam quoque pietatem præferentes, ut gratissimæ nobis evenerint.

EX EPISTOLA CAROLI V. IMPER. ad eundem.

PER te Respublica Christiana id assequuta est, quod per Cæsares, Pontifices, Principes, Academias, atque per tot viros eruditissimos, hactenus obtinere non valuit: unde tibi, & apud homines immortalem laudem, & apud Superos perpetuam gloriam nequaquam defuturam quàm libentissime videmus; & hanc tibi felicitatem contigisse ex animo gratulamur.

EX EPISTOLA FERDINANDI, ARCHIDVCIS AVSTRIAE, &c. *ad eundem.*

ACCEPIMUS literas tuas, quibus, quæ ad nos de laudabili Opere *Paraphrasis in Joannem* à te composito scripsisti, intelleximus, eaque nobis gratissima, & summæ jucunditati fuere. Et cupimus, & affectuose te hortamur, in ejusmodi dignis & maximis laudibus, & præconiis extollendis, laboribus & vigiliis perseveres, & persistas, illamque *Paraphrasim* impressioni, ad communem doctorum & proborum utilitatem & commodum, quamprimum per otium licuerit, exhibere cures.

EX EPISTOLA HENRICI VIII. ANGLIAE REGIS, ad eundem.

SED quid ego tuam laudare paro facundiam, cujus per totum terrarum orbem est nobilitata scientia? Nihil queo equidem in tuam laudem effingere, quod tam consummata istac eruditione satis dignum fit. Quare tuas laudes omitto, de quibus silere satius puto, quam nimis parce dicere.

Ex alia ejusdem Epistola ad eundem.

NUNC autem, postquam in summum quidem crevit pertinax ille & indefessus animi tui tenor, quem in propaganda & illustranda Christiana fide non æstimandis laboribus tuis, sed ingenti sane cum Christiani orbis fructu, commodoque, strenue præstas: eo vicissim magnitudinis evasit amor in te noster, ut nihil quidem illi accedere posse videatur. Quin incredibili quoque alacritate gestimus, cum solus propemodum provinciam hanc sustineas, tam piis sanctisque conatibus tuis pro virili succurrere, & præsidio esse.

EX EPISTOLA SIGISMVNDI, REGIS POLONIAE, ad eundem.

EX tuis literis, Erasme doctissime, facile perspeximus, te vere eum esse, qui diceris, hoc est, virum, præter summam eruditionem ac prudentiam, tum integerrimum, tum publicæ tranquillitatis, concordiæque Christianæ studiosissimum; quod etsi nobis dubium nunquam fuit, vehementer tamen apud nos confirmavit eam de te opinionem epistola hæc tua, in qua plane agnoscimus animum istum tuum vere Christianum, nec dubitamus, quin ubique sis tui similis, seu ludicra tractes, seu seria.

EX EPISTOLA PETRI BEMBI, CARDIN. *ad eundem.*

EGO vehementer lætor, doctrinam singularem tuam, & probitatem, & continentes ac perpetuos tot annorum labores, quibus te plane confecisti, ut nostros homines scriptis erudires & locupletares tuis, apud Paulum III. Pont. max. omnium hominum principem, eo loci esse, quo merentur. Itaque modo recte valeas, neque te imbecillitas impediat tua, mihi spes est, te ab eo omnia summa honoris & dignitatis insignia brevi consequuturum.

EX EPISTOLA
RAPHAELIS, CARDIN. S. GEORGII,
ad eundem.

TVIS in literis exosculati sumus priscam quandam, planeque Romani candoris facundiam, sed eam nobis jam pridem cognitam perspectamque abunde quidem ex tuis eruditissimis Colloquiis, sed multo uberius ex praeclaris ingenii tui monumentis, quae abs te, & Graeca Latinaque literatura, & prosa pariter atque carmine, perpolita in lucem prodierunt: quae ut nomen tuum seculorum aeternae memoriae consecrabunt, ita Britanniae, multis rebus per se clarae, non parum splendoris adjunget alumnus Erasmus.

EX EPISTOLA
ALPHONSI FONSECAE, ARCHIEP. TOLETANI,
ad eundem.

NEMINI non persuasum est, *Erasmum* non modo esse, sed unicum ex omnibus esse huic tanto negotio parem, non eloquentiae modo doctrinaeque praesidiis, quibus alioqui novit orbis quantum valeat, sed fidei apud omnes, & auctoritatis.

EX EPISTOLA
PETRI, EPISCOPI CRACOVIENS.
ad eundem.

NAM tu rei publicae Christianae pro virili tua prodesse studes, dum de nomine tuo immortalitati consecrando anxius es & sollicitus, neque scribendi, neque legendi finem facis ullum. . . . . Delectat te scribendo rei publicae Christianae rationibus prodesse, & celebre nomen tuum ad posteros transmittere: da operam, ut quemadmodum te juvat scribere, ita diu scribere, diu Reipublicae prodesse queas.

EX EPISTOLA
JOANNIS TVRZONIS, EPISCOPI VRATISLAV.
ad eundem.

AT tu quomodo tibi non injurius videri possis, qui laudes, quibus te universus propemodum orbis verissime prosequitur, nimia (ni fallor) hac in parte hujus modestia, tantum abest ut admittas, ut contra maxime averseris, declinesque. Debentur profecto tibi longe majora, praesertim cum tui unius patrocinio omnium honestissimarum disciplinarum nitor, multo jam barbariei situ & squalore obtenebratus, resplendescat: tum sincerae quoque illius Theologiae puritas, & sanctissima studia prope ad interitum redacta, te parente, te duce, veluti renata, toto orbe reflorescant.

EX EPISTOLA
JAC. SADOLETI, EPISCOPI CARPENTORACTENSIS,
ad eundem.

TIBI magnopere gratulor, quod ingenio tuo praestanti & singulari otium suppeditatum est, quo facile posses tuae doctrinae praeclara monumenta in posteritatem propagare, ex quibus tuum nomen perpetuum futurum sit. Quemadmodum quod te solus jam Deus beare possit, ut tu scribis, hic jam deficientem: agnosco pietatem tuam, & summopere laudo; illud non accipio, te ut deficientem debeas appellare, cujus virtus memoria omnium seculorum celebrabitur sempiterna.

Ex alia ejusdem Epist. ad eundem.

EGO de tua in Psalmum LXXXV. interpretatione, ac de caeteris, quae in hoc genere plura praeclaraque edidisti, & quotidie edis, cum ingenium, & copiam, & facilitatem tuam mirari soleo, tum animi virtutem atque constantiam, quod plurimis aemulis, tuae laudi obtrectantibus, ab instituto labore minime deterreris, studesque quotidie magis, ut bonis, & literis, & moribus per te consulatur: in quo tua scientia & egregia voluntas maximis mihi videtur laudibus ad coelum extollenda.

EX EPISTOLA
STANISLAI TVRZONIS, EPISC. OLMVCENSIS,
ad eundem.

NAM quid mihi charius obvenire potuit, quam ut me ille magnus seculo nostro Erasmus, *ille adeo* Erasmus *omnium disciplinarum linguae utriusque sine ulla exceptione facile princeps, in amorem suum volens ac lubens admiserit. . . . . . . Jam dudum certe ego* Erasmum, *quasi numen quoddam, caelitus nobis missum, colo, observo, admiror: & quoquo proficiscor, comitem semper ad latus habeo, ut cujus doctissimis pariter & sanctissimis lucubrationibus non doctior solum, sed etiam quotidie melior fio.*

Ex Iconibus & Elogiis
PAVLI JOVII,
EPISCOPI NVCERINI.

ERASMVS Roterodamus, ex Insula Batavorum, perpetuis eruditae laudis honoribus extollendus videtur, postquam aetatis nostrae Scriptorum prope omnium decus, ingenii fertilitate, superavit. Is ab adolescentia, pio religiosi animi decreto, ad cucullatos Sacerdotes se contulit, tamquam humana despiceret. Sed non multo post pertaesus intempestivae servitutis, votique temere suscepti, ea sacrati Ordinis septa transiliit; ut ad excolendum ingenium plane liber per omnia Europae Gymnasia vagaretur. Contendebat enim curâ ingenti ad summae gloriae fastigium, ad quod litterarum omnium cognitione perveniri posse intelligebat. Quum jam ad arcana cujusque doctrinae infinitâ lectione, inusitataque memoria penetrasset, edidit *Moriam*, atque inde primam nominis famam longissime protulit, imitatione Luciani Satyrae, pungentes aculeos passim relinquens; omnium scilicet sectarum actionibus ad insaniam revocatis. Opus quidem salsa adspergine perjucundum, vel gravibus & occupatis; sed sacrato viro prorsus indecorum, quum divinis quoque rebus illusisse videretur. Sed mature demum, quod ejus intemperantiae male audiendo poenas daret, sanctiores litteras complexus est, tanta robustissimi ingenii contentione, ut vertendo Graeca & Commentarios excudendo, plura, quam quisquam alius, volumina publicaret. Verum se ipso haud dubie cunctis admirabilior futurus, si Latinae Linguae conditores graviter imitari, quam fervido properantique ingenio indulgere maluisset. Quaerebat enim peculiarem laudem ex eloquutionis atque structurae novitate, quae nulla certe veterum aemulatione pararetur, ut in *Ciceroniano* non occulti livoris plenus ostendit. Tanta enim erat naturae foecunditas, ut plena semper, ac ideo superfoetante alvo, varia & festinata luxuriantis ingenii prole delectatus novum aliquid, quod statim ederetur, Chalcographis, tanquam intentis obstetricibus, parturiret. Obiit apud Helvetios Basileae, septuagesimum excedens aetatis annum, cum Carolus Caesar in Provinciam irrumpens, ad Aquas Sextias, Francisco Galliae Regi grave bellum intulisset.

Ex eodem.

VARRO sui seculi & Cicero Germaniae.

HORVM JVDICIA JVXTA CVJVSQVE DIGNITATEM,
SEQVENTIVM VERO JVXTA AETATEM
DISPOSITA SVNT.

EX EPISTOLA
FRANC. DELOINI,
Praesidis Senatus Parisini,
ad eundem.

ECQVIS tam duro, tamque ingrato animo esse potest, quin tibi libens gratuletur, tot tamque praeclara in omnium disciplinarum genere, ingenii atque industriae tuae monumenta contrectans? quibus tu plane cum ipsa antiquitate certare, & omnibus nostrae aetatis Scriptoribus palmam praeripere videris, doctorum omnium opinione, non nostra tantum: dum è mediis igne-

ignorantiæ tenebris ingenuas artes, atque adeo sacras Literas, vindicas, & longo veluti postliminio redeuntes in suum quodammodo regnum, dignitatemque restituis.

EX EPISTOLA
GVLIELMI BVDAEI
ad eundem.

ENIMVERO demiror, deosculor, amplector, suspicio tuum istud tam acre, tam exactum, tam celere, tam præsens, tam sibi constans judicium....... Quo maxime nomine fidem meam & auctoritatem tueor inter eos homines, qui te Varronem esse memoriæ nostræ autumant, nisi quod plus eloquentiam amplecteris.

EX ALIA EJVSDEM EPISTOLA
ad eundem.

EGO *nec dicere, nec eloqui, ac ne proloqui quidem possim, quantopere & tuæ faveam gloriæ, & eruditionem admirer.* O *noster* Erasme, *major enim esse mihi videre, quam ut meum te appellem, cum omnibus nostris, unus satis esse possis. Quin & usque adeo publicus scriptis tuis factus es, ut nemo sibi privatim vindicare te possit.*

Ibidem
DELOINVS BVDAEVM
alloquitur hoc modo.

SOLEBAS optare, ut treis aut quatuor *Erasmos* in Gallia haberemus, (si tamen tot simul *Erasmi* similes una ætas efferre posset) ut tibi animo tuo aliquando obsequi liceret, ingeniique tui mediocritati liberius vela pandere.

EX ALIA EJVSDEM EPISTOLA
AD
CVTBERTVM TONSTALLVM.

N*AM mihi videtur* Erasmus *non Milo, sed pentathlus quidam esse nobilis, cujus gloria quam latissime pateat: qui terrarum peragrator nullibi non documentum ingenii sui dederit, ac periodon prope vicerit, in sacris, in profanis, atque in omni parte orbicularis disciplinæ certaverit, quam* Encyclopædiam *vocant, & nusquam non probatus sit......... Quis est enim, cui* Erasmum *æstimare in mentem venerit, nec esse famigeratum illum* Erasmum *suspicatus sit, qui arbitretur cum Mercurium in ore, Genium in præcordiis, Palladem in capite, ut Jovem quondam illum, habere?*

EX EPISTOLA
THOMAE MORI
ad eundem.

DI te vero, nisi me mea spes tam sæpe frustraretur, etiam multo majora sperarem, quanquam nunc quoque bene sperare quid vetat. Neque enim quia parum processit hactenus, ideo futuri quoque spes adempta est, imo nunc maxime confido. Neque eadem perpetuo cuiquam est fortuna, neque diutius potest esse maligna tibi, cui Pontifex, Reges, Episcopi, omnes prope mortales, quaquaversus orbis patet Christianus, impendio favent, ac demirantur.

Ex Dialogo II. de Poetis ejus ævi, p. 406.
CONSCRIPTO A
LILIO GREGORIO GYRALDO.

V*IR hic fuit ubique magnus.*

Ex Antipappo Secundo
JOANNIS STVRMII, p. 127.

ERASMVS Roterodamus, qui copiam Linguæ Latinæ auxit, vir ad omne genus scribendi, naturâ idoneus, exercitatione etiam perfectus, si, odio Longoliani instituti, delectum verborum, & curam stylo non recusasset adhibere; in Religionis autem tractatione, nescio quomodo, cum omnium litteratorum hominum gratia, & favore, plusquam Lutherus, urbanitate, Pontificiorum & Monachorum auctoritati obfuit.

Idem in Præfatione Antipappi Tertii, p. 220.

ERASMVS Roterodamus, in quem Deus variarum genus litterarum & prudentiæ & linguæ ita contulit, ut insigne ornamentum exstiterit illius, quo vixit, seculi; sive doctrinam & facultatem orationis, sive judicium & providentiam rerum futurarum spectemus.

EX EPISTOLA
MART. LVTHERI
ad eundem.

TOTIES *ego tecum fabulor, & tu mecum*, Erasme, *decus nostrum, & spes nostra, nec dum mutuo nos cognoscimus. Nonne monstri hoc simillimum? imo non monstrum, sed plane quotidianum opus. Quis enim est, cujus penetralia non penitus occupat* Erasmus, *quem non doceat* Erasmus, *in quo non regnet* Erasmus? *de iis loquor, qui literas recte amant.*

EX EPISTOLA
BARTHOL. LATOMI
ad eundem.

VIVES enim tu, & gaudebis fructu laborum tuorum in futura etiam vita, tantumque abest ut totus unquam interiturus sis hoc mortali caducoque corpusculo, ut etiam fama ingenii tui, impressa literatis monumentis, Regum pyramides superatura sit, clarissimorumque Imperatorum victoriis illustrior futura. Jam vigesimus annus est, opinor, & amplius, ex quo primum mihi cognitus fuisti, cum interim nullum prætermisisti spatium, in quo non aliquam partem ingenii ac lucubrationum tuarum orbi terrarum communicaveris. Tantam igitur tu laudem tibi putas aliquando interituram esse? aut ullam futuram tam ingratam posteritatem, quæ de tot tantisque laboribus tuis levius censura sit, quam hodie te vivo judicant non solum doctorum hominum ingenia, sed etiam ipse terrarum orbis? Confirmasti immortalitatem nominis tui gloriæ magnitudine, tantumque decus ingenii ac summæ eruditionis de te unus hoc seculo extulisti, ut etiam invidiæ dentibus frænos in omnem partem injeceris.

EX EPISTOLA
ANDREAE ALCIATI
ad eundem.

T*RIVMPHAS tu quotidie de hostibus tuis, qui tot insignia volumina edideris....... quid amplius parta tanta gloria in arenam descendis? jam diu rude donatus es omnium Eruditorum consensu......... Falleris*, Erasme, *si tam male de nominis tui majestate, deque studiosorum in te observantia, judicas, ut arbitreris malevolorum obtrectationibus de arce te eruditionis & probitatis, quam tam diu insedisti, deturbari posse.*

E LVDOVICI VIVIS
lib. III. *de Tradendis Disciplin.*

ERASMUS admirabilem habet facilitatem ac lucem.

E CAMERARIO
in Novum Fœdus.

N*OSTRA autem ætate*, Desiderius Erasmus *patriâ Roterodamus, cum & ingenio esset præditus excellente, & studii industriâ non facile alteri cuiquam cederet, copiâ artium & literarum instructus, neglectos jamdudum & in pulvere jacentes libros & monumenta doctrinæ Christianæ in lucem reduxit, & ad hos in manus sumendos hominum cupiditatem excitavit. Cum autem hoc pulcherrimo facto quamplurimorum odia erga se commovisset & irritasset animos, distractæ cogitationes illius & impedita opera nonnunquam fuit, necessitate quadam defensionis, dum a se quasi vim & injuriam insectationum propulsare cogitur. Sed nimirum verum id est, quod Senarius Latinus memorat*, Nimis altercando veritas amittitur. *Nam & semel ille quasi impulsus, ruere deinde cœpit, responsionumque & assertionum frequentiâ, cum longius interdum ab instituto*

 vide-

videtur recessisse, tum certe his occupationibus commoda, quæ interea conciliari studiosis piarum literarum potuissent, fuerunt interversa. Neque ego video, quæ gratia ab ullo digna meritis ipsius haberi possit. Cujus diligentia, labore, assiduitate, & Constantiâ *illis temporibus periculosâ, perfectum est ut libros Scriptorum Apostolicorum & Euangelicæ Historiæ integros purosque habeamus. Neque meâ quidem sententiâ, ullius operæ, quæ corrigendo ultra* Erasmicas *notationes progrediatur, locus est relictus.*

Ex Lib. XII. Historiarum
JOANNIS SLEIDANI.

INTER alias complures lucubrationes, quibus litterarum studiâ mirifice promovit *Erasmus*, Libellum quoque Juventuti confecit ex Dialogis, eumque subinde locupletavit, cum avidissime legeretur; &, ut erat ingenii præstantissimi summæque vir eloquentiæ, variis in eo lusit argumentis, ex media rerum natura desumtis, hominumque vita, & mirabili quadam dexteritate, suavissimoque dicendi genere, morum ac pietatis præcepta tradit, & simul errores inveteratos atque vitia, per occasionem, demonstrat. Hinc illa de ipso querimonia &c. *quam paullo ante protulit Sleidanus.*

Ex Cap. XVI. Bataviæ
ADRIANI JUNII.

IN *his, sine exemplo, maximum eluxit* Desiderii Erasmi *Roterodami ingenium, qui multitudine Operum Didymum Chalkenterum, ab invicta scribendi patientia sic nuncupatum, ferme æquasse putandus est; cujus scriptorum numerus tria libellorum millia transcendisse, si Hesychio Milesio credimus, memoratur. Certe, universi prope Orbis testimonio, doctrinæ omnigenæ, ac præsertim sacræ, lauream meruit; non sine invidia assidua eminentium comite, & quæ altissimis ingeniis adhærere, durante vitâ, solet, à fato verò quiescere dicta: cujus tamen scintilla rediviva, tanto post funus annorum intervallo, necdum sopita nuper se prodere cœpit. Ille fulgore suæ claritatis cæteris propemodum tenebras obduxit: ex eo, quemadmodum ex Oceano, amnes sui cursus auspicium accipiunt, minores quique in Eruditorum numero libenter nomen suum referunt, sumsere suæ institutionis seminaria ceu deposito isthic tyrocinii sui rudimento.*

Ex CONRADI GESNERI
BIBLIOTHECA.

DESIDERIUS ERASMUS, Germaniæ Phœnix, scripsit infinita volumina.

Ex Iconibus
THEODORI BEZAE.

DESIDERIUM ERASMUM Roterodamum quum inexhausta ingenii ubertas, pari dicendi facultate, ad summæ gloriæ fastigium nostra memoria evexerit, & illi tantum bonæ litteræ renascentes, quantum alii ætatis illius nemini debeant, age, locus etiam illi, in hujus sacrarii Vestibulo, & quidem hoc addito Elogio, tribuatur.

In Erasmum *cingulo tenus depictum.*

Ingens ingentem, quem personat orbis, Erasmum
Hæc tibi dimidium picta tabella refert.
At cur non totum? Mirari desine, Lector,
Integra nam totum terra nec ipsa capit.

In eumdem ejusdem argumenti.

Ἥμισυ τοῦ παντὸς πλέον εἶν' Ἀσκραῖος ἔειπεν·
Ἥμισυ δ', ὡς οἶμαι, τοῦτο λογιωτέρμβος:

Obiit Basileæ IV. Idus Julii, anno Domini CIↃ IↃ XXXVI. annum agens septuagesimum.

Ex Iconibus
JAN. JACOBI BOISSARDI
VESUNTINI.

DESIDERIUS ERASMUS *natus Roterodami urbe Batavorum non ignobili, anno Christianæ salutis* CIↃ CCCC LXV. *prima studiorum rudimenta posuit Daventriæ, præceptore Alexandro Hegio, viro litteratissimo, & Juventutis moderatore celeberrimo. Sub cujus disciplina cum satis profecisset, Lovanium Brabantiæ Academiam petivit; ibique in omni bonarum disciplinarum exercitio animum instruens magnam de se omnibus exspectationem concitavit; unde Cantabrigiam & Bononiam se conferens, illic quoque in studiis diligentem navavit operam. Tandem ad S. Theologiam animum applicans, Doctoratûs gradum Taurini suscepit. Quum autem adhuc esset juvenis habitum Monachalem sumserat, ut litteris posset in Cœnobii recessibus liberius vacare. In ea autem professione non diu perseveravit, quæ ad institutum vitæ, quam sibi proponebat, non admodum facere videretur; quum statuisset omnes Italiæ, Galliæ ac Germaniæ Academias perlustrare. Factum igitur brevi est, ut ob inæstimabilem in omni liberalium artium eruditionem, & admirabilem vim ingenii facundiæque ubertatem, & morum suavitatem, ejus fama per omnes Christiani Orbis regiones celebris vagaretur, propositisque uberibus & honorificis stipendiis, undique vocaretur ad docendum à præcipuis Academiis Europæ, à Pontificibus, à Regibus, & à Principibus. Sed sui juris esse maluit & privatis studiis incumbere, vacans scriptioni, quæ posset posteritati utilis ac fructuosa haberi. Ferunt illi à Pontifice oblatam Cardinalitii status dignitatem, quam cùm recusasset, cum miraculo à ceteris Patribus Ecclesiasticis excerptum fuisse hunc contemtum, vocatumque* Erasmum *sapientem bestiam; qui tantam dignitatem, tamque speciosos & fructuosos titulos imprudenter respueret, quos alii summis votis & laboribus ambirent, & quovis pretio sibi compararent. Quamque multis in locis majorem vitæ partem carus omnibus exegisset, urgente jam senio, Basileam Rauracorum in urbem se recepit, ad Rhenum sitam, loci amœnitate captus, & sodalitio multorum doctissimorum hominum, quibus ea Civitas semper ornata est, Academiæ illius Rector factus, quum Scholasticorum inordinatam licentiam & petulantiam refrenare tentaret, ab iis male exceptum ferunt. His irritatum contumeliis, fama est, discerpsisse & cremasse Privilegiorum partem illius Academiæ (quæ cum Moguntina totius Germaniæ creditur antiquissima) ut, his deperditis, studiosæ Juventutis protervia retunderetur. Quod aliquando me audivisse recordor à piæ memoriæ præceptore meo* Hugone Babelo, *qui tunc temporis Basileæ Erasmo vivebat & amicus & familiaris. Ejus opera fere infinita servantur multis in locis impressa: sed maxime in Frobeniana Typographia Basileæ, quæ omnia novem Tomis complexus est, &c. Longum esset enumerasse minora opuscula & emendationes castigationesque Auctorum, tam Græcorum, quàm Latinorum, quos* Erasmus *à barbarie & mendis scriptorum repurgavit. De quibus omnibus exacte tractavit* Gesnerus *in sua Bibliotheca.*

E SCALIGERANIS PRIMIS
P. 79.

ERASMUS *perspicacissimo vir ingenio, seipso haud dubie futurus major (quod scribit* Paulus Jovius) *si* Latinæ Linguæ *conditores imitari, quam petulanti linguæ indulgere maluisset.* Erasmi Chiliades *excellentissimum opus. Nimius tamen fuit, & quandoque sapit* Germanum, *videtur enim magnum numerum affectasse, eadem quater repetens.*

E SCALIGERANIS SECUNDIS
Gall.

POTISSIMA ejus opera sunt ejusdem *Chiliades*, ejus *Epistolæ*, ejusque *Novum Testamentum*, quod bonum est: non paucis erroribus laborant quoad Latinitatem ejus Colloquia: Nimio habet in pretio *Latinitatem* Hieronymi, qui malè loquebatur. Erasmus meliùs quam ille loquebatur ---- Nullus unquam sive *Papista*, sive *Lutheranus*, sive *Calvinista* præstantiorem elucubravit librum nec elegantiorem ejus in *Novum Testamentum* Paraphrasi. Quamvis Parens meus adversus Erasmum calamum strinxerit, magni tamen Erasmum facio, magnus fuit vir. O quam præclara Epistola in ejus Epistolarum fronte scripta est. *Erasmus magnus Vir divinam edidit Paraphrasin.* Erasmi *Præfatio in* Senecam *est præstantissima: optimè de eo judicavit, melius adhuc quam* Lipsius..... Pœnituit Patrem adversus illum scripsisse. Culpam suam agnovit, *sed fuerat irritatus cum vocaretur ab* Erasmo Miles, quasi per contemptum, *ut Amphitheatrum vocat Dominos* Plessæum & Lanovium, Milites per contemptum. In Italia *Adagia* typis mandari curarunt, ac expunxerunt *Erasmi* verba & 500. inseruerunt *Adagia*, quæ talia non sunt. Muretus *illos ridet. Erasmi Annotationes in Novum Testamentum multa habent doctissima, & ipsius* Paraphrasis *est instar optimi Commentarii, quamvis in quibusdam erret* ---- Oportet Magnos Viros in vita semel errare; *& ille in* Dialogo Ciceroniano *nugaciter lapsus.*

E GASPARE SCIOPPIO
De Arte Critic. p. 6.

NOTUM enim divinum *Erasmi Roterodami* ingenium: nota incredibilis illius viri & multiplex eruditio; cum pari industria & dexteritate conjuncta.

E DO-

E DOMINICI BAUDII
Epist. Centur. 2. Epist. 27.

SALIBUS, & iis interdum aculeatis, abundant nonnulla ejus Opera, in quibus crassos errores, & aniles quasdam superstitiones Orationis libertate perstringit, unde orta est Opinio contemptarum Religionum: Sed Norma Christianæ Charitatis *suadere debuit humaniorem interpretationem. Videtur autem* Erasmus *magis habuisse quid fugeret, quam quid sequeretur. Unus omnia pervidere non potuit, & rem haud exiguam præstitit, quòd in tantis ignorantiæ tenebris oculos attollere potuerit ad investigandam lucem veritatis. Meticulosior fuit & timens offensionum, atque hoc unice in vita studuit, ut omnium ordinum & generum benevolentiam colligeret. Id forsan impedimento fuit quo minus cornicum oculos configere ausus fuerit & omnia iniquitatis mysteria velo levato patefacere. Multum tamen, imò infinitum ei debet posteritas, & forte non haberent reprehensores ejus unde famam consequi potuissent, nisi ipsis dedisset quod reprehenderent.*

Ex SWEERTII ATHENIS BELGICIS.

SPIRITUM & vitam Erasmo *debent renascentes literæ. Gratus & acceptus summis Pontificibus, Imperatoribus, & Regibus. Propensior naturâ fuit ad jocos quàm deceret, quam nonnunquam expediat, ut de se ipse fatetur ad* Barbirium. *Multa vir tantus scripsit, quæ in 9. Tomos distributa, hodiè cum summo omnium stupore leguntur. Inter alia plura non postremum locum obtinent* Epistolæ: *In iis enim tota elucet ejus vita, in iis ejusdem patet* genius, *ingenium, mores, eruditio, animique dotes.*

EX EPISTOLA JOANNIS MALDONATI
ad eundem.

FELIX igitur sis, Erasme, propitiique tibi adspirent cœlites, qui tantum boni nostro seculo invexeris, qui tam bene de Christiana Rep. fueris meritus, ut quicunque fint ubivis gentium vere sapientes, te scopum unicum contemplentur, te principem agnoscant, te longe quantumvis dissiti coram audire, majorem in modum gestiant atque percipiant. Nusquam profecto reperiatur jam Theologus, (ut de Grammaticis ac Rhetoribus taceam) si sit idem Latinus, si summatibus ex illis, quibus potissimum Ecclesia nititur, documenta perceperit, si commodus magis quam ostentator velit haberi, qui non habeat *Erasmum* in ore, qui frequenter *Erasmum* non citet, qui Ducem Theologorum & Antesignanum *Erasmum* non prædicet ac profiteatur.

Ex AUBERTO MIRAEO.

VIR erat peregrinationis amans, plerasque *Christiani* Orbis *Academias*, magna celebritate famæ, quà docendo, quà scribendo, obivit; major & apud posteros futurus, si minor esse voluisset. Nam si intra professionis literariæ terminos substitisset, seque totum hisce studiis, quibus in primis videbatur, dedisset, paria fecisse cum primis illis *Latini* Sermonis auctoribus facere potuisset. At verò postquam Theologum agere voluit, ingenio fisus nimium sibi arrogavit, & in tractandis *Sacris Literis* veterumque Patrum monumentis rigidum nimis censorem se præbuit.

Ex Opere de Origine & Progressu Idololatriæ,
GER. JOH. VOSSII,
Lib. IV. *c.* XIII.
DE
J. C. SCALIGERO.

QUIS ferat quod *Erasmum*, seu jure, seu injuriâ, reprehendere non contentus mox subdat: *Sed facilius potuit spernere Philosophiam, quam nesciebat, quam imitari, quos formidabat.* Nempe, non potuit summus vir ab animo suo impetrare, ut occasionem ullam negligeret maledicendi *Erasmo*, viro tam præclare merito de Orbe litterario. Atqui non spretam esse ab *Erasmo* Philosophiam naturalem, vel Colloquiorum arguat liber. In his dialogus, qui *Puerpera* inscribitur, ubi multa de animæ facultatibus, item ille, cui titulus *Problema*, ubi de levium ac gravium motu; & quid omnia congeram? Nec satis erat, si in Philosophiæ studio sic traduceret. Quid pæne ei laudis reliquit? Satis res aperta ex oratione adversus Ciceronianum Erasmi. Quid ea virulentius? Sed contineamus nos in illis, quæ postea exaravit. Operis de re Poëtica Lib. IV. qui *Parasceve* inscribitur cap. I. cum Petrum Aponensem culpasset, quod orationi Latinæ misceret particulas Græcas ὅτι, πάλιν, subjicit deinde: *Contextus, cujusmodi videas quotidie prodire ex claustris Monachorum; neque ex his solum, sed illis quoque, penes quos summa rei litterariæ diu stetit judicio imperitorum Pædagogorum, inter quos* Erasmus; *cujus mirificam animadvertas Latinitatem, vel cum dicit, se calculum suum recantare.* Non vacat cætera id genus adscribere; nec opus, quando ipsum, credo, Scaligerum subiit tandem hujus maledicentiæ pœnitudo. Hoc enim colligi videtur ex Carmine isto, libro, quem *Heroës* inscripsit, *Tune etiam moreris*, &c. Quid dicere potuit magnificentius? Inde igitur potiùs æstimemus magnitudinem Erasmi, quàm aliis ejusdem à nigræ succo loliginis derivatis. Nec sanè *Erasmus Scaligero*, viro licèt in non unâ studiorum parte incomparabili, minus de Orbe ac studiis meritus esse censendus, modò totum cogitemus *Erasmum*. Quod nemo negaverit, nisi qui operam ejus sacris Litteris & tot Græcis, Latinisque Patribus impensam suo nesciat pretio æstimare.

Ex Dissertatione de Cœna administratione, ubi Pastores non sunt, conscripta ab
HUGONE GROTIO,
De ritu quodam Ecclesiastico.

VIDIT eum, *inquit*, qui nihil prope non vidit *Erasmus*, Epistolarum lib. XXVI.

EX EPISTOLA DEDICATORIA,
Erasmi Colloquiis præfixa, Edit. Trajecti ad Rhenum, apud Gisb. à Zyll, an. 1662.

QUUM Magnus Hugo Grotius nihil ignorasse, & non minus ad amœnitatem, quam ad omnium cognitionem natum, vir Clariss. Daniel Heinsius dixert.

EX RESPONSIONE
SIMONIS EPISCOPII,
Ad specimen Professorum Leidensium,
p. 64.

HISCE cur non adjungamus *Erasmum* nostrum, portentum certe sæculi sui & Hollandiæ nostræ lumen? Etsi enim, ut de eo Sturmius ait, *quod in Pontificatu vidit, non ita, ut potuit, voluit detegere*; eam tamen animi moderationem, in dijudicandis ac discernendis necessariis à non necessariis dogmatibus utique servavit, contra Theologorum Pontificiorum, aliorumque præcipitem ac præfractam in condemnandis quibuslibet pene errantibus αὐθάδειαν, ac licentiam, ut miraculum prudentiæ ac perspicacitatis, in isto caliginoso ævo hodieque videri possit, adeoque non viam tantum monstrasse Veritatis simul ac Pacis studiosis, sed perfectum & omnibus numeris absolutum exemplar, si in hoc ævum nostrum incidisset, præbiturus fuisset. Non citabimus loca, unde id manifesto liquet. Scripta ejus ad unum omnia, Apologiæ, Epistolæ, Præfationes in Patres, ab ima ad summam usque chordam, aliud pæne nihil sonant, quam pacis, tolerantiæ, moderationis consilia, non minus erudita, quam salutaria.

E GEORG. CALIXTI
Adparatu Theolog. p. 154.

VIR magno ingenio & eruditione, neque minore judicio & prudentiâ: qui tamen noster profectò non fuit, neque esse vel audire unquam voluit.

Ex HUETIO
De Clar. Interpret.

QUIDAM intra *Novi* foliis *Testamenti* cancellos suam in interpretando industriam explicuerunt, quorum facilè, meo judicio, princeps est *Desiderius Erasmus*: is ea felicitate hanc ornavit *Spartam*, ut & verba verbis, & senten-

tias sententiis, & saporem sapore exæquaverit; & perspicuitatem tamen cum dictionis castitate, & nativo illo colore obtinuerit, quæ ad integram *Interpretis* laudem unice requirebamus. Quinetiam ubi propter *Latinæ Linguæ* indolem, quod uno *Græci*, idem pluribus exponere verbis necesse habuit, adscititia verba vario & insigni charactere depingi curavit, quo fidei suæ integritas palam extaret.

E ROLANDI MARESII
Epist. l. 2. Epist. I.

AT *Erasmi* quanquam fere extemporaliter, & ab occupatissimo scriptæ *Epistolæ* mihi supra modum placent. Præter eruditionem enim, eloquentiam, & tam in literis, quàm in quibusvis aliis rebus prudentiam, quam continent, *Lutheranæ* etiam sectæ initia, aliasque res tradunt: quas nescio cur Auctor secundùm temporis ordinem, qui in literis edendis omninò necessarius est, non digesserit: sed ejus rei caussas se habuisse dicit.

Ex eodem, *ibid. Epist.* 26.

INTER *recentes, qui multa egregie scripserunt nemo meâ sententiâ* Erasmum *præcessit, sive judicium, sive eruditionem, sive eloquentiam spectes, quem non verear cum quovis antiquorum conferre: qui si totâ vitâ cum Theologis quibusdam &* Monachis *conflictatus non fuisset, meliora etiam quàm edidit,* Orbi *communicare potuisset; & si tam mordax, aut in quibusdam tuendis tam pertinax non fuisset, nihil in eo viro illa ætas quod desideraret, habuisset.*

E DANIELIS GEORG. MORHOFII
Polyhist. pag. 282, 283.

ERASMI Epistolis nihil est suavius & acutius. Latinitas in illis non mala, non quidem talis, quam ad imitandum aliquis proponere sibi debeat (hic enim antiqui Scriptores *omne ferunt punctum*) sed nativi, extemporalis, & interdum aliquem ex rebus colorem trahens, quod accidit interdum Scriptoribus doctissimis, *Grotio*, *Salmasio* ac aliis. Illi enim autores prout res sunt, quas tractant, prout in Autores scribunt, à quorum lectione recentiores discedunt, stylum suum formare solent ---- Vastum hoc opus est variarum ejus *Epistolarum*, non quidem omnium; nam multæ etiamnum ineditæ sunt, & earum multæ Manuscriptæ in Bibliothecâ *Gudianâ* asservantur. Ipse *Erasmus lib.* 27. *epist.* 42. non diffitetur, multas sibi esse Epistolas ex tempore scriptas & dictatas, quarum nullum ille exemplum servaverat; doletque multas ex illis in vulgus emanasse. *Cornucopiæ* merite dixeris variarum rerum. Continentur in illo libro arcana status, Civilis, Ecclesiastici, Literarii illorum temporum, faceta nonnunquam & jocosa, ut ipse fuit ingenio mire festivo, e. g. cùm morem osculandi in *Britanniâ* describit, *lib.* 5. *epist.* 10. & jurgium ancillæ cum heri, *lib.* 5. *epist.* 6. Editio Epistolarum illarum *Frobeniana* editione *Londinensi* & cæteris longè melior est & correctior: multis enim mendis hæc postrema scatet, quanquam aliqua parte locupletior. Index huic operi subjectus utilissimus est. Lites in Theologorum palæstris tum ventilatas, & quicquid in illarum historiam pertinet, illic deprehendes. Quanquam *Erasmus* se medium semper gesserit, studium tamen partium non rarò deprehendes. Magna fuit ejus viri veneratio, & merito quidem, ingenium excellens, vastum, diffusum, fœcundum, acre, promptum, ad omnia paratum, in decus & miraculum Seculi natum. Triumphare duobus his civibus *Batavia* potest, *Erasmo* & *Grotio*, quibus pares postera secula non facile datura sunt.

Ex eodem, *ibid. p.* 252.

ERASMUS Roterodamus *primus fuit inter* Adagiorum *Collectores, quod opus ipsi suo tempore profectò fuit difficillimum: Nam credo illum plus laboris operæque huic Scripto impendisse, quam multis aliis. Liticulam illi aliquando movit* Cœlius Rhodiginus, *quasi surripuerit sibi aliqua circa Adagia meditata; sed non habet, quo jactet se* Rhodiginus, *quod guttulâ unâ vel alterâ hunc fontem auxerit: paucula enim sunt quæ in opere ipsius* Antiquarum Lectionum *habentur de quibusdam adagiis. Etiam* Verdierius *nugacissimus ille veterum & recentiorum censor, pag.* 158. *ungues suos in hoc opere figit, cui similem ille ne paginam quidem scribere poterat. Multæ sunt operis ejus editiones.* Frobeniana *est emendatissima. Edidit &* Henricus Stephani *è typographeo suo. Nova editio omnium est corruptissima, licet cæteris locupletior: nam adjecti sunt* Erasmi *Chiliadibus* Cognati, Junii, *& aliorum auctorum Adagia. Liber est, quo nemo carere potest Latinæ Linguæ paululum studiosior. Sufficere tamen tyroni Epitome ejus potest, & in* Germania *&* Amstelodami *nitidior edita. In quâ præterea laudandum est, quòd* Adagia *suis sub titulis ponantur, quod non fit in magno opere, ubi Index supplet locorum communium titulos.*

JOH. JAC. HOFMANNUS,
Tom. II. Lexici, p. 45. a. b.

DESIDERIUS ERASMUS, ROTERODAMUS, à solo natali: *Varro sui seculi & Cicero Germaniæ*, Jovio: *Alterum orbis jubar, maximumque rei literariæ decus*, Gifanio: *Ingeniosus veterum scriptorum censor*, Lud. Viv. *Vir ubique magnus* aliis dicitur. Contrà *inter Latinos aliquando Germanus*, Giraldo de Poet. sui temporis, videtur. *Hales. verò notis in Chrys. ad Hebr.* acumen & certitudinem ejus censuræ, quam in Latinis præstitit, in Græcis desiderat. In religionis negotio his *Desiderium*, illis *Erasmum* esse voluisse, queritur Jac. Verheid. Imo Eduard. Leigh, *Res & verba*, inquit, *Philippus*, *Res sine verbis Lutherus*, *verba sine re Erasmus*: In quo judiciorum æstu, quid de Viro, omnium suffragiis maximo, sentiendum, ut ipse nôris, adi ipsiusmet Desiderii hujus scripta.

ENCOMIA IN LAUDEM ERASMI, AB VARIIS EFFUSA.

D. ERASMI ROTERODAMI, Literarum omnium antistitis, ENCOMIUM, Per GUILIELMUM PISCEM ATREBATEM.



Non alius quivis, sed solus Erasmus Erasmum
Dixerit, hoc nomen sit temerare nefas.
Hæc ubi detonuit Phœbi cortina canori,
Articuli dextræ contremuere manus.
Sed tamen & mica gaudent cœlestia parva,
Et supplent salsæ thurea dona molæ.
Cesserit è vivis in terram terra recedens,
Ignea nobilior spiritus astra tenet.
Hunc tamen ipse sibi post fata paravit odorem
Nominis, ut præ se balsama surda probet.
Nec dubito qua sint capienda exordia nobis,
Materia numeros suppeditante sibi.
Sed modus in dubio est, ita Musa pollet in omni,
Ut cum dixerimus plurima, plura vacent.
Per partes aliis Musæ favere canoræ
Pierides debent huic sua plectra novem.
Nil fuit ignotum (dictu mirabile) Erasmo,
Quatenus ingenium vel penetrare potest,
Seu lyricos dulci modulatur carmine nervos,
Seu sua Cadmeo verba sapore polit.
Sive Hecubam nobis tragice Cysseida transfert
Iphianassai seu renovatur himen.
Conjuraverunt pariter natura Deusque,
Cordaque præcipuis instituere bonis:
Hic contempsit opes animo, servavit ad usum,
Plures capturus, si voluisset, erat.
O quoties & quot miserunt munera reges?
Et quot honoratum constituere schedis?
Terrenum quoties numen sua pignora præsul
Maximus appellat, scriptaque sancta probat.
Grandis in eloquio semper sublimis Erasmus,
Fulminis in morem, fluminis inque modum,
Aut velut aëriis prolabens montibus amnis,
Rupit inexhaustos cum cataracta sinus.
Aut velut orba suis tigris cum Parthica natis
In prædatores currit acerba suos.
Tersus erat Batavus, calamo felicior omni,
Pace tua, Tulli, Quintiliane, tua.
Struxerit Amphion Bœotia mœnia cantu,
Fecerit & lapides huc properare rudes.
Armenta & sylvas & flumina duxerit Orpheus,
Eumenidum & madidas fecerit esse genas.
Et Mitylenæus delphina equitarit Arion,
Quo duce damnatas exuperarit aquas.
Parvi (quanquam etiam sint hæc mendacia) pendo
Omnia, plus illis omnibus unus agit,
Græcia mendacis testes sortita Camœnæ
Vincitur à veris, & ratione rei.
Felices qui te Batavis fovere parentes,
Terraque vagitu facta beata tuo.
Credibile est tibi Dædaleas stillasse volucres
Ceras, éque suis dulcia mella favis.
Mella alimenta quidem, sed divina orgia ceræ
Significant, sat enim tu quoque utrisque facis,
Eloquio informas homines, nutrisque, fovesque,
Tum prætergressus sacra Deumque doces.
Tu trahis affectus ipsos, retrahisque vicissim,
Vimque Pericleo grandior ore facis.
Lacte modo currit sententia dulcior ipso,
Dilatatque suas cum spaciatur opes.
Nunc instans strictim ruit in compendia verbis,
Spartana nusquam vel brevitate minor.
Quodque cupit facit, & calcar spectantibus addit,
Sive legunt oculis, seu magis aure bibunt.
Sed siluisse magis præstat quam pauca referre.
Prurit ad intentum sed mihi prona manus:
Quid faciam? stimulor, magno & deterreor ausu,
Hinc mihi pugnat amor, sed tamen inde pudor.
Vincat amor, cedatque pudor, rediturus abunde,
Dum mea nescio quis carmina carpet edax.
Interea campo parvi luctemur in amplo,
Paucaque de multis sint memoranda mihi.
Amplior est illis cursus qui lege soluta
Narrabunt laudes dulcis Erasme tuas.
Namque velut rapto quondam Cicerone poetæ
Flebant, & laxo turba vagata pede.
Sic tibi plus patriæ patri dabit utraque mistim
Gloria, seu laurus, seu mage lingua placet.
Non, modo cui prosis, tibi te dimittere durum est,
Pelignam frangis sic mihi dente nucem.
Suppositum breviter nec dedignare Catonem,
Atque obscura prius disticha clara facis.
Civibus esse pares pueros, orare docesque,
Instauras veterum tot monimenta virum.
Barbariem crassa siccas uligine plenam,
Et latius per te nunc juvenescit ager.
Copia verborum rebus conjuncta superbit,
Mox libertatis ludis in arbitrio.
Tu Phœnix studiorum ingens, quot millia vives
Annorum, exuperans tempore Gangis aves?
Nam monumenta tui nunquam delenda dedisti,
Nec nisi supremis interitura rogis.
Tot speciosa equidem nobis viridaria plantas,
Nostra tuo sit ut his parta labore quies.
Lucius à Græco per te sermone recessit,
Exhilarans salibus Romula sensa suis.
En subrepentis memoras austera senectæ
Jura, in quæ medicæ nil potuere manus.
Et merito extollis divisos orbe Britannos.
Et gracili dominis concinis ore casam.
Dein sic colloqueris pugnantia verba vicissim,
Nulla sit ut summa pagina fruge carens.
Scribis ea ad formas puerorum, at turba diserta
In manibus semper nocte dieque terit.
Chiliadum sparsos missus sic cogis in unum,
Ut desint nulli ad prandia lauta cibi,
Et similem simili confers, contraria jungis,
Quodque olim dictum pro brevitate placet.
Tu puerum ex urso formas teneroque leone,
Et scis ad vivum de Cicerone loqui.
Non hic judicium Paridis, sententia vera est,
Etsi summates indoluere viri.

Rejicis à dono, qui se occidisse tyrannum
Jactitat, & munus demeruisse negas.
Tu mire nobis facis arridere Silenum,
Atque tabernaculum pura decere doces.
Confessosque doces animorum extinguere morbos,
Et sacra vitalis das alimenta cibi.
A nostris Turcas animis prius ipse repellis,
Dulcia inexpertis Martia bella vocas.
Tu viduæ in Christo donas solatia vera,
Atque ad virtutem principis orsa moves.
Lubrica nequicquam rediturum in guttura peccet,
Tu linguam clauso quum licet ore tenes.
Tuque iter ad mortem primam, vitamque secundam
Construis, ô miles non retroverse Dei.
Nulla tibi summo vacua est epistola melle,
Vel sale, sed mistim mel tibi salque fluunt.
Nunc urges, nunc ipse doces, nunc corrigis, instas,
Arguis, exultas, deprimis atque levas,
Objicis, emendas, laudas, propellis, honoras,
Derivas, versas, consulis, obloqueris.
Gratulor invidulis, qui tunc fortasse quietum
Ad calamum stimulis te pupugere suis.
Hinc equidem factum est, ut nos quoque plura legamus,
Et fuerint studiis ocia nulla tuis.
Quæsivere sibi nomen, reperere, sed illi
Non alia noti conditione forent.
Omnia sic tractas, ne quid non hæreat apte,
Condiat & mirus gemmea dicta lepos.
Ad majora vocor, quo me meus impetus urget
Sed quid polluta mystica voce loquar?
Dixerit è turba quivis, Quid Piscis inepte
Sacra canes sacri nescius eloquii?
Aurea si quondam de stellis scripsit Aratus
Carmina, quanquam idem non erat Astrologus.
Quis me forte vetet brevia in compendia Erasmi
Ponere, quæ fusim lacteus ipse parit.
Quæ precor invidia est numeris brevioribus uti?
Sæpius in tabula totus & orbis habet.
Non sub censuram veniunt hæc omnia nostra,
Fallit enim cæcos proprietate color.
Mantica sic vobis sit plena, & sancta cuculla,
Ut septis nolim prosiluisse meis.
Mittite me paulum, rursusque ad nostra revertar,
Auspicibus vobis ni mihi porta patet.
Ille paraphrastes ceu commentaria ponit,
Explicat obscuros hac ratione locos.
Matthæum, Marcumque sonat, Lucamque, Joannemque,
O opus excellens commoditate pari.
Sanctaque missorum illustrans dehinc Acta virorum
Ambiguum patitur prævius esse nihil.
Et vas electum Domini scrutatur ab imo,
Dum vocat ad veram Romula corda fidem.
Sive Corinthiaco vox est pollentior ære,
Quum duplici gentem pulsat epistolio.
Castigat tardos Galatas, Ephesoque Dianam
Pellit, & idolis non finit esse locum.
Ex Macedum terris animos solatus honorat,
Inque Antichristum fortia corda parat.
Seu te permistum varia de gente Timotheu
Instruit, excusans vincla tenere pedes.
Seu te habitum gnati in morem Tite chare salutat,
Accersitque ad se, non tamen ante diem.
Sive Phrygem miti tractare Philemona charta
Aggreditur, quamvis carcere tentus erat.
Arguit Hebræos, & raptim umbracula Mosis,
Completa à Christi sole oriente canit.
Clavigerum noster Petrum mox dicit Erasmus,
Dum scribit primo, aut posteriore loco.
Atque pari sanctum declarat stemmate Judam,
Explanat formis teque Jacobe tuis.
Tuque Aquilæ gestator Io divine Joannes,
Expressa in chartis sensa duabus habes.
En per te cuivis mediocri est orbita trita,
Non jam caligo fallat ut ulla virum:
Quin & defendis sic per te emissa potenter,
Nusquam ut sopitum te tua scripta probent.
Spicula sic hebetas in te vibrata malorum,
Ceu tibi thoraces ex adamante forent.
Ut nisi qui se male sentiat, audeat in te
Nemo, adeo recta prælia fronte subis.
Quin quid stultitia dicent sapientius ipsa,
Quæ probat ingenue cuncta subesse sibi?
Quid festivius est? quidnam est ornatius? atque
Dulcius? aut quidnam tinnit amabilius?
Sola hæc una tibi nomen vel reddere clarum
Sufficit, hac una summa aditurus eras.
Et ne quid sacras desit tractantibus artes,
Instruitur libris concio sancta tuis.
Cur igitur, qui sic prodes, sic ipse fereris?
Excipis & clypeo tela tot arta tuo?
An ne quod invidiam patiuntur summa supremam?
An ne mali quod vix sustinuere bonos?
An ne quod ægrotos oculos offendit Apollo?
An ne quod ad signum quæque sagitta volat?
An ne quod improbitas solita est odisse modestos?
Et sunt nequitiæ signa placere malis?
Ah quoties pro se memorant dixisse Catonem,
Invidia toties exagitante reum.
Absolvit toties gravior censura petitum.
Atque in virtutem nil potuere doli.
Et Maro Aristarchos toties perpessus amaros,
Vivit, & æternum ac nobile nomen habet.
Qui sacrum impeteret non defuit unus Homerum,
Cui dederit meritam pinea sylva crucem.
Ecce tibi rumpunt vitalia stamina Parcæ,
O immortali tempore digne pater.
Tempore namque tuo, non nostro tempore, nam te
Calculus & ventris sublluvies tulerunt.
Concilio dum sublimis sperraris adesse,
Et finiturus plurima marte tuo,
Lurida te nobis subduxit Erynnis Erasme,
Dum studet obliquas continuare vias:
Dum dubitat ne sit tandem discordia concors,
Dum timet excussis cuncta quieta sagis.
Falleris Alecto, functi reverentia crescet.
Sunt quoque qui parteis immorientis agent.
Tam sanctus nobis Romana in sede refulget,
Tam sanctus Cæsar Romula lora tenet.
Ut tibi fas non sit sanctum turbare senatum,
Tu licet indignans excutiere loco.
Proderit adversos nil commisisse monarchas,
Ibitur in fœdus bestia dira ratum.
Ad te sed rursus divine revertor Erasme,
Quem nequeo dictum præteriisse semel.
Non quicquam adversi pateris, nos damna subimus,
Non tibi, sed nobis illachrymare decet.
Idem te perdit, patriam qui perdidit olim
Julius, en similis gestit adesse sui.
Postridie mortis se matutinus Orion
Ostendit totum nuncius ipse necis.
Te cessisse sibi jactans, dum cursor ab alto
Ventus in æquoreos flatque reflatque sinus.
Quinto Idus vadis misera à tellure beatus,
O vir colloquio non reprobande poli.
Ille dies mihi post decimum venerabilis usque
Semper erit, semper festus honore suo.
Nil opus est vastis ad Erasmica busta colossis,
Nil opus est obelo, nil quoque pyramide.
Ipse sibi vivus monimenta affixit Erasmus,
Ullo quæ non sunt interitura die.
Temperet à lachrymis voluit bene quisquis Erasmo,
Ne violet fletu numina sancta suo.
Mentibus in nostris bustum sibi firmat Erasmus,
Cujus habet quævis bibliotheca decus.

Deu-

Deucalioneas merito contempserit undas,
Non volucres vetitos, non Phaëthonta timens,
Tempora nullius paveat cariosa senectæ,
Chaloea quem nullo vita sopore novat.
Mirentur Virbi reducem post fulmina vitam,
Martia Cadmea & femina missa manu.
Virbius haud primum retinet redivivus honorem,
Sed latitat lucis dia Diana tuis.
Et fata Agenorides vidit pereuntia pallens
Mutua civili fata dedisse manu.
At nostri celebris celeberrima fama volabit,
Circumscribetur nec tamen ille locis.
Horrebit dentes nullius & ipse draconis,
Horrebit dentes nullius invidiæ.
Quodque fuit rarum invidiam virtute domabit,
Figet inassueto festa trophæa tholo.
Hæc tibi nos superum canimus conviva beate,
Testati in primis quæque minora sequi.
Serpit humi mea musa timens, nec surgit in altum,
Non ausa in vastos mittere vela sinus.
Parce nec increpita, namque est sincera voluntas,
Audet enim affectus, sed mihi plectra labant.
Tuque tui desiderium sine fine relinquis,
Solamur libris tempora mœsta tuis.
Salve Musarum sublimis gloria, apexque,
Atque in perpetuum dulcis Erasme vale.

INCERTI.

Sim licet Hollandus, quis clarior exit Erasmo?
Barbariem oppressit quis meliore stilo?

GILBERTI COGNATI.

Magnus Roterodamus ille noster,
Hæc quo secula neminem tulerunt
Majorem, neque prisca clariorem
Norunt tempora, nec cui futura
Parem posteritas habebit: ecce
Sub hoc marmore mortuus quiescit.

In Barbaros nequicquam sibi ob ERASMI *mortem gratulantes*

NICOLAI CHARELLI

Emerentii

Carmen Iambicum trimetrum.

Amusa turba fœda, inepta, putida,
Stribliginosa turba, turba garrula,
Insulsa turba, ridicula, stulta, absona,
Quid gratularis? utraque quid plaudis manu?
Io triumphe castra quid resonant tua?
Quanvis Erasmum tetra subduxit dies,
Mersitque acerbo funere, & silentio
Linguam disertam, mundioris eloqui
Tum vindicem, tum interpretem pressit gravi,
Invictus & nunc ille si stilus jacet
Antiquitatis erutor, sapientiæ
Promusque, condusque, & jocos & seria
Miscere doctus, annuente Pallade,
Quanvis jacet calamus Erasmi, inscitiæ
Fatale telum sordidæ, & præsens lues,
Ne gratulare turba confusanea,
Neu morsibus dentes para, bellum velut
Motura larvis, atque pugnam umbraticam,
Decessit ille sed catus, sed providus,
Non ante quam ter mille Erasmos linqueret
Musisque literisque præsidio sacris,
Qui se referrent ore, corde, pectore:
Hi rem profecto perbrevi confecerint
Tecum, negotii quando non multum super
Est, jam coacta barbarie in angustias,
Nam prorsus istam, fato ineluctabili,
(Rumpare quanquam, & dissecere pertinax)
Ludis, forisque & omnibus pomœriis
Pulsam, jubebunt jam semel tandem emori
I gratulare, plaude utraque nunc manu
Amusa turba, fœda, inepta, putida.

ANGELI ANDREAE RESENDI,

Lusitani, in ERASMOMASTIGAS

Iambi.

Quid ô morosi, fabulis anilibus,
Merisque nugis, obstrepescitis mihi.
Furace pica & graculis loquacius?
Erasmus ille, Erasmus orbis totius
Decusque, honorque, criminum objurgator est,
Non destitutor ordinis, nec hæresum
Fautor, quod illi impingitis, falso tamen,
Quis impudentium & ora perfricantium
Ferat grave supercilium, iniquis & feris
Plenum minis? Quis dii deæque cœlites
Rerum exitus jam nos manet? nec hiscere,
Mutire nec dabitur in hosce perditos
Mores? At olim Eupolidis in cotyttia
Baptis licebat improba excandescere,
Dicax Bion nigris salibus admissus est,
Et prisca Aristophaneos, & Lucilii
Comœdia, anticis solebat lusibus
Sannaque præsenti, rea in præcordia.
Mucronem acuere linguæ, & induta reum
Prodibat in theatra, nobis non licet
Milonium, Pantolabum, & addo Fusium,
Et id genus, turbam balatronum gravem,
Natalium, repotiorumque aucupem:
Et barbarorum odia, politioris in
Musæ studia, summotenus perstringere
Levi nota, jocisque liberalibus?
Nascuntur hinc cunctæ hæreses, Lutherus hinc
Conclamitant, quum potius impostoribus
His debeatur omnis hæc tragœdia
Malorum, ob hujus seculi tyrannidem,
Venum sacrata (ignoscite loquendum est ita)
Quis non vel indignis dari videt? scelus,
Quid præsulum aulis nequius, vel mollius?
Hic purpura omnis, omneque hic patagium,
Venatio hic, effœminatius nihil
Aut delicatius, libris non his opus,
Aut rara avis, simileque mulæ fœtæ erit
Monstrum, ast ubique plena morionibus
Aula est, Sacerdotum quis impiam ferat
Vitam? Hic ego ausim ferream vocem mihi
Optare, cuncta ut expediam, ubi neminem
Fere sacerdotem, impleat qui munus, &
Vivat sacerdotem dabis: jam qui modis,
Extorsionibusque, nummulis sciant
Rete involucraque jacere, hi late patent,
Iidemque suffeni sibi nimium placent,
Suisque, quod soli columen & lumen hi
Vocantur; interim minus quum nullibi
Sit frugis: insanire jam cogor nimis,
Et splene aperto non ad hæc Democritum
Qui rideat noctes, dies qui rideat
Accire, dum magnum sophos juri suo
Devindicant, buccis nimis turgentibus
Subire ferulam nos magistelli jubent,
Quin & minerval solvere ad quinquatria,
Jam si quod illis contigit, non discere
Tentabimus, terrent minis feroculi
Suadentque rebus afferentem incommoda
Desinere, Græculorum inanium sequi, &
Rhetorculorum ineptulam facundiam,

Vides Erasmum, & hosce literatulos,
Ajunt, triobolares? in hoc dogma impium
Lutheri, adegit sola Græcitas, fidem
Quæ labefactat Triados, atque Spiritum
Negat, vin' & tu stolidus hæreseon sequi
Schedas? & oppedere magistrorum ordini
Nostrorum? at ipse nil magis perhorreo,
Verum hæresim Hieronymus si ullam sapit
Phrasin trium linguarum ab incunabulis
Edoctus apprime, velit quis non magis
Errare cum tanto antesignano, & duce,
Et primipilo Ecclesiæ, quam barbaris
Cum singulis, cumque omnibus verum loqui?
Vis clarius, simplicius hæc me dicere?
Nugas Erasmi, dum manebit integer,
Ut modo, mille præferam subtilibus
Scotis. Eant nunc, nosque Erasmicos vocent.

PETRVS NANNIVS
de vividis ERASMI *scriptis.*

Cum numero umbrarum tandem sensisset Erasmum,
Non esse redditum Æacus.
Mercurio mandat, quacumque in sede repertum
Ut ad inferos ducat virum.
Obvia quærenti fit Fama, ac talia reddit.
Ubique adest quem quæritas.
Ille refert, non me fallit dea, quod sit ubique,
Sed dic ubi est potissimum?
Nomen ubique viri est, animam sed quæro fugacem,
Quæ vitat inferos lacus.
In libris habitat, respondet garrula Fama,
Animatque codices suos.
Hæret Atlantiades, nec divam vera referre,
Ut sæpius vanam putat,
Ad libros properat, videt hic spirantia verba,
Vitamque habere volumina.
Evocat hinc animam, non vult discedere, firmis
Inhæret usque his sedibus.
Hinc tantum ingenii, vitæque, & mentis, Erasmi
Monumenta clara continent.

Idem de eodem Argumento.

Corporeis vinclis cum liber abiret Erasmus,
Tam celeri gressu quam fuit ingenio.
In bivio dubius fixit vestigia, namque
Hac iter ad manes, hac iter ad superos.
Ecquid ago? secum loquitur, via tendit utroque,
Et placet Elysium, nec minus astra placent.
Sunt in utroque loco multi firmique sodales,
Est hic, est illic, gratia magna mei.
Hic tot Theologi, maculis & vulnere pleni,
Quondam, quos studio vindice restitui.
Illic Euripides, illic tanta agmina vatum,
Plutarchusque meus, Lucianusque meus.
Quosque alios docui voces resonare Latinas,
Romæ ut se genitos, Romulidasque putent.
Sed vereor ne sit calumnia sedibus istis
Momus habet cœlum, Zoilus Elysium.
Insideam libris, ea sunt habitacula tuta,
Ante his victor eram, nunc quoque victor ero.
Cum videas igitur, lector, tam vivida scripta,
Hic Desiderii sis memor esse animam.

ALIVD PER OLAHVM PAN.

Iussu Pontificis Pauli cum doctus Erasmus
Concilio patrum gestit adesse sacro.
Tunc Deus omnipotens superas transvexit ad auras,
Cœtibus ut divum redderet æthereis.
Concilio Pauli poterunt tua scripta probari,
Vivere te mecum malo, ait ipse Deus.

ALIVD PER EVNDEM.

Non desiderium, sed mors subduxit Erasmum,
Et tamen amborum nomine nunc gemimus.

PETRVS NANNIVS
De Amore omnium eruditorum in ERASMVM.

Si partes vitæ transire in munera possent,
Atque aliorum aliis tempora cessa dari,
Mortalis nunquam doctissime Erasme fuisses,
Tantum ævi de se turba deserta daret.

ALIVD EJVSDEM.

Teutoniam ingeniis quo posset vincere terra
Itala Germanis raptus Erasmus, obit.

ALIVD EJVSDEM AD VIATOREM
Hendecasyllabon.

Si quæras recubet quis hic sepultus?
Qualem non iterum mori videbit
Tellus Teutoniæ parens Erasmi.
Tali sub tumulo hoc latet viator.

ALIVD EJVSDEM.

Marginem Rheni coluere Musæ,
Pegasi fontem nihil æstimantes,
Teutonum donec fluvio propinquus
Vixit Erasmus.
Nunc ubi fato periit, Camœnæ
Illius bustis habitacla jungunt,
Hæc placet sedes, nequeunt Erasmo
Numina abesse.

ALIVD EJVSDEM AD VIATOREM.

Quid plorent omnes, habuit quid mundus, & ultra,
Non speret rogitas? ista sepulchra vide.

DE MORO ET ERASMO,
Ejusdem Jambicum.

Vivebat in pectusculo Mori sui
Erasmus ille seculi nostri decus.
Vivebat in præcordiis Erasmicis
Morus, Britanniæ unicum lumen suæ.
Vitamque mutuabat alter alteri,
Aliena uterque non sua vixit anima.
Mirum nihil si mortuo Moro, mori
Voluit Erasmus, nequiit ultra vivere.

EJVSDEM DE FECVNDITATE INGENII ERASMI, ET CALCVLOSIS RENIBVS.

Cælebs Erasmus, nuptiis ab omnibus,
Et fœminarum purus à consortio,
Tamen frequenter extitit felix pater.
Nam si libros recenseas quos edidit,
Prolemque mentis entheæ pulcherrimam;
Dic obsecro cuinam data hæc fœcunditas?
Si calculis numerare vis, quot calculos
Enixus est, quæ sæpius puerpera?

EJVSDEM IN DOCTOS ERASMI LIBROS.

Nata Jovis cerebro Pallas, sed sola, libellos
Quot scribis, toties, Pallida Erasme paris.

EJVS-

EJVSDEM DE AMORE MVSARVM IN ERASMUM.

Quæ Veneris flamma est, age dic? Cinareia proles?
Quæ Phrygiæ Cybeles? non bene fanus Atys?
Quas aurora fovet curas, quibus ignibus ardet?
De Cephali flamma lutea Diva rubet.
Cui luna addixit firmos dea candida amores?
Endymionæa pallida diva face est.
Delia cur sylvas celebrat venatibus aptas?
Venatur sylvis impiger Hippolytus.
Quid Cereri gratum est? animis cui nixa recumbit?
Triptolemus, segetis cui sua dona dedit.
Sed quodnam ex superis numen dilexit Erasmum,
Extincti cujus mœsta sepulchra vides?
Perfida non Cypris, nec anus delira Cybellæ;
Non luna inconstans, non furiosa Ceres.
Non aurora suos vultu quæ damnat amores,
Ni pigeat, non sic tincta rubore foret;
Non vaga per sylvas mortique intenta ferarum
Delia, quæ nugis tempus inane terit.
Sed studiis operata sacris pia turba Camœnæ;
Quæ nunc immenso victa dolore gemit.

GILBERTVS COGNATVS IN PETRVM GRAPPVM PRO ERASMO.

Rides quod magnus mihi sæpe feratur Erasmus;
Quodque is sit parvo corpore, Grappe, mones.
In quem pæne ruens Ecclesia nutat Atlantem,
Hunc ego non magnum dixero jure virum?

THEODORVS BEZA IN PHILÆNVM.

Erasmus ille, quo fatentur plurimi
Nihil fuisse vel futurum doctius
Tibi, Philæne, stupidus est & plumbeus;
Et quidquid uspiam ab omnibus fingi potest
Calumniarum, stulte in illum congeris.
Latra, Philæne, quamdiu & quantum voles,
Hunc scire constat plura, quam tu nescias.

EVRICII CORDI.

Seu sit hic Ebræus, seu Græcus, sive Latinus;
Tot linguas uno (quis putet?) ore sonat.

EJVSDEM.

Quando novas docto laudes conarer Erasmo,
Ridens auriculam traxit Apollo mihi:
Ecquid, ait, tentas? tua plectra, misselle, reconde,
Aoniam supra vir volat ille chelyn.
Nulla isti scintilla potest dare lumina Soli;
Omnia qui radiis lustrat opaca suis.
Arduus, adjecta mica, non surgit Olympus;
Parvula tam pandum nec mare gutta juvat.
Hunc sua jampridem vexit super æthera Virtus
Livida seu nolit, seu velit Invidia.

GILBERTI DVCHERI.

Debent multa tibi Lingua Græca, atque Latina,
Illustres opera conspicuæque tua:
Debent multa tibi sacri simul, atque profani
Auctores, vitæ redditi ab interitu:
Vt numero dicam, longa quod dicere possem
Iliade, hinc debent omnia multa tibi:
Sancta Redemptoris quod, Erasme, ad dogmata Christi
Verum iter humanis omnibus esse studes.

HIERONYMI TREVTLERI.

Græcia cum Latio Batavis concedite palmam:
Nec quis erat vobis, qualis Erasmus erat:
Quem quantum pleno quisquam laudaverit ore,
Hoc unum potuit dicere, Erasmus erat:

JANI VITALIS.

Lubrica si tibi mens fuit, & spinosior æquo,
Ingenium certe nobile, Erasme, fuit:
Fœlix, si mistas labruscas dulcibus uvis
Prodiga desisset vinea ferre tua:
Barbarie è media præclarum sidus haberent,
Et te Varronem tempora nostra suum.
Hanc tamen inscriptam his titulis posuere columnam:
Jactura hic laudum publica facta fuit.

JOANNIS LATOMI.

Qui paucos habeas pares, Erasme;
Multorum invidiam feras necesse est:
Istos quod logodædalos ab urbe
Vnos præ reliquis in immerentis
Manes sic videam styli cruentam
Stringentes aciem, perinde, tanquam
Stuprasses Charitum novem sorores:
Indignum patria eruditione, &
Asserto titulo elegantiarum:
Caussam scire velim, quid urat illos,
Et quid tantopere hi tumultuentur.
Sed quid dissimulo? sat æstus illam
Prodit fervidus, & malignus: ille est,
Ille, inquam, est Ciceronianus; ille,
Vno, qui Cicerone stare, recte
Latinam negat elocutionem:
Et damnat stolidi laboris omneis,
Qui superstitione non ferenda
Vno non nisi Tullio loquuntur.
Hæc illa est Helene, vire elegantes.
Armis quæ Latium per universum
Vindicanda videtur in Batavum:
Vmbram scilicet, atque inane nomen:
Tanquam quo genito Allemannis ora, est
Vano ridicule soluta partu.
At si tam modicas ob has labruscas
Perit vinea tota, ô urbs Quirini,
Scribemus titulo hoc tibi columnam:
Quæ quondam meritos suo fovebas;
Ornabasque viros honore, laudum
Jactura & modo facta publicatum.

EJVSDEM.

Teutona terra suum cum miraretur Erasmum,
Hoc majus potuit dicere, Nil genui.
Quippe Deos inter, cælo ridente, relatum
Ipse suum dixit Jupiter esse genus.

JOANNIS STIGELII.

Ingenium fueras tantum fortitus, Erasme,
Vt tibi vix tulerint secula multa parem:
Multa reliquisti, sacra dignissima cedro,
Plura tamen poteras, & meliora dare.
Da veniam juveni, si quid post funera sentis,
O quantum est uti munere posse Dei!

C. VR-

G. VRSINI VELII,

Slesii Germani.

Incipiant omnes certatim, & nomen Erasmi
Laude vehant; illis quantumvis divite vena
Pectus abundarit, duplicisque opulentia linguæ
Manet inexhausto sermonis flumine docti;
Inferiora sua dixisse cupidine cernes,
Cum majora suis cantarint viribus omnes.
Plurima sunt dicenda viri monimenta; benigni
Tum mores; niveæ tum candor & aurea vitæ
Norma, decor, Charites, mens dædala, mellea Peitho:
Dein fortunati vere, nimiumque Batavi
Nomine seu tanto, potius seu numine Divûm:
Postremo sibi Rotrodami præsignis alumno
Quum bene præsentis Germania jusserit ævi
Cedere Romanos Scriptores, cedere Grajos.
Ista canant, centumque alias per carmina laudes,
Quorum Pierius Smyrnæ calor æquat alumnum
Pegaseum manant qui nectar, & Attica mella.
Ipse autem artificem post illa tacebo sequutus:
Atridæ mœstos nequiit quum pingere vultus
Naviter, inducto texit qui cetera velo.

EJUSDEM
GENETHLIACON
ERASMI.

Natalis rediit dies Erasmi,
Partus conscia lux beata magni,
Fausto sidere, sole gratulante,
Et diis auspicibus favente cœlo
Adsensu genii beatioris
Exultantibus Aonos puellis,
Phœbo dulcius accinente carmen.
Ad communia sacra jam frequentes,
Et natalitias adeste pompas:
Quorum frons hedera viret sequaci.
Et Parnasia luculenta Daphne
Lambit tempora: quosque semidivos
Virtus nobilitat, manusque bello
Non instrenua, quosque semidivos
Vatum carmina naviter bearunt.
Hac nil candidius die Batavis
Illuxit, populisque, quos inundant
Ister maximus, auriferque Rhenus,
Qua lætus puer extulit sub auras
Tam sanctum caput: affuit beatæ
Dextra Juno facillima parenti.
Ter Lucina vocata, ter repressit
Vltro parturientis hæc dolorem.
Extemplo positum est onus suave,
Et felix utero recessit infans,
Vitæ ad munera, luminis sub oras.
Natum prima vocat recens Erasmum,
Divorum monitu beata mater,
Rebus nomen & omen auspicatum,
Vt quo nil meliusque gratiusque
Largiri potuere fata nobis,
Nil concedere dii queunt benigni,
Majus nec dederunt prius, dabuntque.
Nati lanificæ manum sorores
Admorunt niveis repente filis,
Et lætos glomerant dies benignæ.
Porro limen ad extimum comatus
Magnæ Cynthius adstitit parentis,
Vitæ cum cecinit Deus, futurum
Divino Pataræus ore cursum,
Et sanctam pueri indolem retexit
Fœtusque ingenii laboriosos.
Cum Phœbo cecinere tum puellæ
Hippocrenides: audiit sub imis
Rhenus fluctibus, extulitque canum
Rauco fonte caput, simul lacertos
Muscoso levat uvidus ab antro.
Insuetæ stupet evocatus amnis
Blanda ad murmura vocis, & novarum
Miratus faciem nimis dearum,
Intonsique dei fides canoras,
Mox cursum requievit incitatum,
Cum Latonius interim Phanetes
Et carmen cecinere tale Musæ,
Sed divinius ore grandiori,
Terris orte puer modo Batavis
Accessure meæ novum cohorti
Et primum decus ævitatis hujus
Summis macte bonis. Tibi ecce fontes
Pandit Cyrrha suos, & ampliori
Vena Pierii fluunt liquores:
Atque arces reserat suas Citheron,
Et sacrum penetralius recludit
Imis ex adytis. Puer Latinæ
Junges Pallada Cecropis Minervæ
Admirantibus omnibus vicissim
Romanis simul, & simul Pelasgis.
Quin sub tempus idem, probe rotundo
Ore, atque eloquio disertiore
Insectabere barbaros magistros,
Incultamque redargues loquelam,
Insanas & ineptias refelles
Sana mente, severitate justa.
Post idem reducem suis Philippum
Regnis usque ab Ibericis profectum
Verbis excipies: & universi
Consensu populique patriæque
Dices nomine gratulationem:
Casus difficiles, iterque durum,
Attactumque Britanniæ minaci
Tempestate solum: proinde gestas
Tot res egregie domi forisque
Ingenti simul explicabis ore,
Regis quo nihil orbis ante majus
Vidisset, propria hæc tibi fuissent
Si Germania dona, Cæsarique
Aequa mente Diespiter faveret.
Verum heu vocibus usque luctuosis
Immaturum obitum, necemque acerbam
Deflebis juvenis, manumque duram
Et fati violentiam maligni
Incusabis, & usque & usque amaras
Nequicquam querimonias profundes.
Exin majus opus reconditumque
Nulli consimili modo priorum
Tentatum aggrediere, quodque abunde
Diversa scatet eruditione.
Non calle ingredieris ante trito,
Nec vestigia nota consecutus,
Aut pressa alterius solo meabis.
Et jam Græca Parœmia & Latina
Tersa fronte aperitur explicata.
Dii quantum est operis? quid hoc librorum?
Pleno est copia florulenta cornu.
Tum Graii generosus Euripidis
Assumens tragicam severitatem,
Ad proscenia Romuli vocabis:
Cum vates opera tua Pelasgus
Fortunas Agamemnonis cadentes
Et fletus Hecubes amarulentos
Orchestram bene ductus in Latinam
Romano gravis intonabit ore.
Plutarchi tetricas subinde chartas,
Necnon scommata salsa Luciani,
Queis mores hominum suave carpit,
Illuditque Deis, nihil verendo,

Do-

Donabis nivea Latinitate.
Dein mentes hominum libidinosas,
Necnon pectora caeca pravitate,
Et vitae tenebras periculosas
Scite nomine Moriae notabis.
Scribes milite digna Christiano
Et quae vir sapiens bonusque vitet
Trades, quaeque sequatur examussim.
Tum vero sua principes docebis
Quae sint officia: & quibus reguntur
Gentes artibus, & tenentur urbes.
Purgabis veteres Sophon libellos
Mendis: interiturique vindicabis
Scripturas Senecae catas severi.
Et sanctos Hieronymi labores
Antiquum revocabis ad nitorem.
Legum denique sacra tu novarum
Cunctis Biblia rectius legenda
Et Grais dabis & dabis Latinis.
Tu quicquid rigida phrasi per orbem
Ætas prisca rudisque publicavit
Pauli dogmata, & irreprensa Christi
Edicta, ac monitus benigniores
Trades omnia puriore lingua
Divinae bonitate fretus aurae.
Ostendes duce coelitum favore
Quanta numinis incitata flamma
Summi buccina patris inter aegros
Tum degens homines, salutis autor
Et vitae melioris excitator
Princeps luminis, ore quo profari,
Christus vel potuit, vel est locutus.
Mystes sacrificus Dei subinde
Placabis prece coelites, & aras
Collustrabis odoribus Sabaeis,
Semper rite litabis adprecatus.
Tu decreta Dei atque jura coeli
Perscrutabere funditus, perennem
Callebis sapientiam Deorum
Supremis animum artibus colendo,
Quae posthac pius omnibus repandens
Magnis digna Diis loqueris unus.
Sed cum livor edax, & invidendi
Infelix rabies, sibique tantum
Importuna lues, & atra pestis,
Summis immineat subinde rebus:
Nil acti cruciabili furore
Vecordes tibi Zoili, tot uni
Vasta intemperie sua nocebunt,
Non impune tibi graves futuri.
Latratus facies pili improborum,
Pelles insidias furentum inanes,
Vim rupturus & impetum malorum,
Et linguas cohibebis impudentes.
Quin plures veluti manu retusi
Convicti rationibus disertis
Entello tibi concident Daretes.
Cui poenas tibi sunt daturi easdem,
Quas victus mihi Marsias pependit
Detracta cute, nudus & cruentus.
At longum fuerit nimisque longum
Complecti numero tuos labores,
Et producere cuncta nominatim,
Ex te, sicut Hymetiis ab alveis
Favis Attica mella cum Latinis
Vndabunt locupletius per orbem.
Primas quicquid agas feres, rotundi
In leges bene carminis ligabis
Sermonem, & facies repente versus
Affines Lyricis Horatianis.
Scribes verba modis celer solutis
Magno cum Cicerone fulminabis.
Promes Socraticis frequens ab arcis
Praesentes animae omnibus medelas.
Et sanctae dabis instituta vitae
Ingens sobrietate vel Platonis.
Scripturas quoque temperabis omnes
Festivo sale, Comico lepore.
Haec tum feceris antequam senecta
Tanges undecimum gravante lustrum,
Et terras simul exteras adibis.
Primum Lutetiae Parisiorum
Sectatus sapientiae magistros
Intrabis penitus larem Sophiae.
Mox Romae tereti & potente lingua
Facunda Ciceronis in palaestra
Desudabis: & impiger disertis
Libris, Felsinea vacabis urbe.
Vises caeruleos item Britannos
Et versabere regiis in aulis
Inter nomina magna, & optimates,
Heroas, proceresque purpuratos,
Et dignaberis omnium favore,
Vita mirifice decorus omni.
Puta mente, suavitate morum
Et dulci eloquio, ac Deae suasu
Pithus, omnibus unus adlubesces.
Imprimis hominum eruditiorum
Ingens praesidium decusque rarum
Praeclaris Guilielmus à Vuaramis,
Nullis non animique corporisque,
Fortunae quoque dotibus beatus,
Te magni faciet: nec ille solum
Primas inter erit viros Britannos
Sed virtute sua, sibi hoc vel ipsum
Toto nomen in orbe vendicabit.
Amplexabere candidos politi
Mores ingeniumque dulce Mori,
Mori, cui fluet undequaque versus
Conditus sale, melle, felle, risu.
Tunc pro materia rei notatae
Hic comis popularitate vitae
Prudens, ingenuusque, perspicaxque
Omnes ante alios placebit unus.
Cui tu credere cogitationes,
Quin & seria libere, jocosque
Audebis, tibi dedito sodali
Mutam praecipue fidem colenti.
Illinc deinde reversus adjacentes
Rheno belligeras adibis urbes
Duri ex Helvetii jugis profectus.
Hic te CAPNION innocens videbit
Pullati rabie gregis tot annos,
Rictu & mordicus appetitus atro.
Oblectaberis hospitalitate
RHENANI & studiis simul BEATI.
Doctorum tibi quicquid est ubique
Applaudet reduci, tibi & Latinae
Assurget bona pars sodalitatis.
Nostri & nominis universus ordo
Inclinet caput omnibus theatris.
Illis culte locis Erasme canus
Post quinquennia jam decem peracta
Nocturnas vigilabis ad lucernas,
Hebraeae salebrosa verba linguae
Exemplum studiosus ad Catonis
Edisces. Sitis impotens honesti
Et famae precium, nihil jubebit
Non tentare boni: proinde nunquam
Magnorum obsaturaberis laborum.
Porro caetera quae sequetur aetas
Divinis inhiabit apta rebus,
Humanis moderatius vacabit.
Quanquam consiliis senatuique
Regum addictus eris, fideliorque
Et non ultima pars patrum fereris.
Te vitae tenor innocens, & usus
Commendabit honestior: tibi usque

Cor-

Cordi simplicitas, bonum, piumque,
Et recti studium, inque taminatus
Vitæ candor erit beatioris:
Et victus sine sorde mundiores.
Hæc tum Phœbus Apollo vera nobis
Olim præcinuit: Deo canenti
Fatorum stabilis statim potestas
Subscripsit: subito ô Erasme prodis
In lucem, nova lux tibi tuisque
Non solum genitus, sed universo
Orbi nasceris, optimum Deorum
Munus: quale nec antea dederunt,
Nec sunt, ut reor, amplius daturi.
Debebunt alii penatibus Diis
Communi & patriæ, parentibusque:
Vni patria debitrix Erasmo est.
Huic Germanicus orbis & Latinus
Necnon Græcia restituta debent,
Tot propter varios viri labores,
Dotesque ingenii affluentiores.
Hunc quantum est hominum modo bonorum,
Quantum vivit in orbe candidorum,
Hunc & fœmina, virque, & hunc puellæ,
Imberbes pueri, senesque cani
Exornate diem, dies Erasmi
Hic natalicius meretur esse
Toto festus in orbe: vos Erasmum
Et donis, & honoribus Deorum
Omnes accumulate. Nunc & omnes
Ante aras bona dicitote verba,
Et linguis animisque confavete.
Illi nunc bona comprecemur omnes,
Soles ariolemur & beatos.
Quot vixit numeret tot ille posthac
Natales celebres & auspicatos.
Hæc illi rata vota Dii benigni
Possunt reddere: vota Dii vel ista
Vt justi fuerint, rata exequentur.

HERMANNI BVSCHII PASIPHILI
IN ERASMVM,
Coloniam recens ingressum.

Dic puer, Erasmum cupido quis nunciat illum
Advenisse mihi, quisnam hæc mihi gaudia portat?
O festum lætumque diem, si vera locutus,
Si non hæc vano mendax confinxerit ore.
Quisquis is est tandem, credam ne, ut venerit ille?
Ille, inquam, Erasmus, cui Roterodamica tellus
Tam debet, docto sua quam Verona Catullo:
Quam tribus Hispanis urbs inclyta debet alumnis,
Ausonio fundata duci, quam Bilbilis alta,
Cornipedum gregibus fœcunda, & fortibus armis
Ingenio debet culti celeberrima civis,
Quam cantata suo debet Mevania vati,
Parthenopeque suo, fontes qui carmine Thebas
Eruit, & sylvas plectro modulatus eburno,
Magnanimum in Troas & in Hectora movit Achillem:
Quam Sulmo tibi Naso tener, quem barbarus Ister
Braccatique Getæ, cygnea voce canentem
Tristia, fleverunt: quam Mantua prisca Maroni,
Quo duce Musarum meruit domus ipsa vocari,
Et fama pulsare polos, & sydera laude,
Omneque venturæ spacium superare senectæ.
Est ne ille Erasmus, modo quem venisse loquuntur,
Ipsis qui solus possit certare Latinis?
Quem probat, extollitque virum clarissimus ordo,
Pontificis Romæ qui limina scandit in ostro,
Quemque per Italiam passim lectissima turba,
Cordaque suspiciunt doctissima Grajugenarum,
Qui sibi quæsivit nomen, per Gallica regna,
Hispanumque Tagum, per Hibernica litora, perque
Orcadas, & nostro semotos orbe Britannos:
Terrarum reges, quem fulvo munere jungunt;
Conciliantque sibi, quo fante, ignobile ducunt
Eloquium Pyliæ quod fluxit ab ore senectæ:
Quo citharam tendente, & Apollinei peragente
Officium vatis, stupet ipse ad carmina Phœbus,
Calliopeque sui gemitu reminiscitur Orphei.
Venit, certa fides, vidi, vidi ipse cupitum
Optatumque mihi toties, occurrere vultum
Hospitis egregii, dextramque amplexus inhæsi.
O blandi mores, ô fandi exacta facultas,
Quanta vetustatis, linguæque scientia docto
Quanta utriusque viro, quantum discessit ab illo
Barbaries, ruditas, ignava superbia, livor
Degener, imo alios multos secum attulit ipse
Diversos comites, gravitas sine nube renidens,
Ingenuusque lepos, Pitho, Charitesque sorores,
Pegasidesque omnes, gressus comitantur euntis,
Florenteisque rosas gestans, posita ægide Pallas.

AD EVNDEM.

Hæc legit Erasmus si carmina fronte serena,
Tum longe accepi plus, minus ipse dedi.

HENRICI GLAREANI,

Helvetii, Poetæ Laureati,

AD ERASMVM

Hecatostichon.

Somnus iners homines, mutumque invaserat orbem,
Presserat & terram nocte silente quies.
Ipse soporifero ponens mea membra grabato
Occubui, & tenebris pene sepultus eram.
Ecce sub obscuro visa est tua Musa nigrore
Ante oculos volitans protinus esse meos.
Non secus ac nebulis latitet si Phœbus opacis,
Aut sub nube nigra, candida luna micet,
Tum pepulit radiis quodcunque obstabat amœnis,
Cessit & omne, illa discutiente, chaos.
Subticui, caput haud tenuem erecturus ad auram,
Expecto sitiens quid velit illa loqui.
Diva verecundo dum me videt ore tacentem,
Auriculam prendens vellicat atque premit.
Cur meme dixit, cur compellare vereris?
Cur nostros surda negligis aure sonos?
En venio, quia doctiloquus sic jussit Erasmus,
Ne prituba, votis præsto erit ille tuis,
Illius ambrosio quanquam frons nectare fusa est,
Atque Helicon sacro laverit amne comam:
Nec tamen exiguum parvo de flumine rivum
Nec tremulæ spernet stamina rauca lyræ.
I celer, optatum invenies, & habebis amicum,
Quem dare non alium secula posse putes.
Dixerat & sonitus blanda cum voce recessit,
Inque levem volitans aera præpes abit.
Excutior somno, video cecidisse figuram,
Cui responderem nemo nisi aura fuit.
Ergo ô præsidium, & spes jucundissima vitæ,
Dux & iter veræ dulcis Erasme viæ,
Ausculta, tua Musa meis discessit ocellis,
Illi debueram paucula verba loqui:
At quia discessit, nec sit cui singula dicam,
Hæc jussi Musam verba referre meam.
Scilicet ut dignas tibi vir doctissime grates
Offerat, id quanquam non bene posse reor.
Nanque ego cui moduli, cui nec sit culta Minerva,
Qui possim dignum ludere quæso melos?
Nec tibi pro meritis, quas dicam nosco camœnas,
Da veniam modulis, ingenioque meo.
Sunt mihi raucisono stridentia carmina plectro,
Et tenuis surdo murmure vena data est.

Clau-

Clauserunt placidæ Dirceia flumina Musæ,
Et mihi Parnasi blanda fluenta negant.
Arida vix mihi Clitorio sitis amne levatur.
Vix mihi Salmacidos mollia damna patent.
Si tibi raucidula stridentem voce cothurnum
Percutiam, dices heus miser ito foras.
Si rursus citharam plectro crepitante fatigem,
Nænia inest dices carmine barda tuo.
Quid pie Erasme canam? nisi garrulus inter olores
Argutos strepitem, corvus & anser iners.
O utinam Andini mihi sit facundia vatis,
Et sint Pelignæ carmina docta lyræ.
Te canerem longo vir præstantissime libro,
Nullaque pars vacuo margine abiret iners.
At longe tua me probitas, tua vivida virtus
Vincit, & est versu non bene picta meo.
Quæ natura sagax imis tenet abdita valvis,
Tota intra ingenium scis posuisse tuum.
Tuque oculis certus cœlestia regna subintras,
Tu penetras summi limina celsa poli.
Quot sint, quæ rerum species, quæque orbis origo,
Vtque locum capiant quæque elementa suum,
Splendida quo rapido volvantur sidera lapsu,
Vnde tuum lateat candide Phœbe caput.
Quidque subobscuram cogat decrescere lunam,
Vnde pluat rosea discolor iris aqua.
Quæ solidas quatiat violenta potentia terras,
Cur volitent dubio fulmina sæva polo.
Cur scindant piceas horrenda tonitrua nubes,
Vnde ruit gelidis stridula grando globis.
Cur quod non cecidit sidus cecidisse putetur.
Et quæ sint refluì semina cæca maris.
Quæ subsint casu, quænam fortuna volutet,
Perfida ventosis non bene recta rotis.
Cur sol Æthiopes urat, cur denigret Indos,
Cur minuat radios trux Arimaspe tibi.
Omnia pernoscis, majore es dignus honore,
Quam tenui versu commemorare queam.
Roma velut digne magno Cicerone superbit,
Et Demostheneis Attica turba sonis.
Septem urbes certant docto quæ patria Homero,
Treis genuit magnos Corduba clara viros,
Vnum te solem, quamvis & sidera multa
Protulerint oris Belgica regna suis.
O lætum festumque diem, qui numine dextro
Te dedit in nostros mitis Erasme lares.
Qua scindit liquidus Basileia mœnia Rhenus,
Qua sunt Helvetiis fœdera prisca viris.
Est in te gravitas matura, modestia prudens,
Socratici mores, Cæsareusque decor.
Ingenium felix, quo non præstantius ullum
Dotibus hisce tuis Attica terra tulit.
Sed te præcocibus jam parcere versibus opto.
O decus, ô Batavi gloria prima soli.
Tu dabis omnigenam matura in carmina venam:
Tu dabis ad Musam calcar & arma meam.
Hactenus hæc, Batavæ sidus venerabile gentis,
Lux Alemannorum, candide Erasme, vale.

JOANNIS SIXTINI
Ad eundem
EPIGRAMMA.

Forsitan incomptos quod sum tibi mittere versus
Atque rudes ausus magne Poeta meos,
Ridebis, tacito tecum sic murmure dicens,
Egregii spernunt horrida scripta viri.
Forsan ais nolo gelidissima pallia Cosmus
Purpuream mittas sed mihi posco togam.
Pestanæ violæ non sunt Sixtine colono
Mittendæ, aut primo vilia dona duci.
Sed tamen ô nostri vatum celeberrime secli,
Est aliqua & parvæ gratia Calliopes.
Quæ mea si tersis placeat nunc auribus, ipse
Posthac invisam limina læta. Vale.

ANDREAE AMMONII.

Vis tanta Erasme carminis fuit tui,
Ἄμυζον ut me prorsus, & lapidem merum
Certare tecum jambicis adegerit:
Sed vellit aurem Apollo continuo mihi,
Et rana bubus audet, aut oloribus
Certare corvus? inquit, extemplo manu
Delapsa nostra perculit solum lyra:
Refrixit ille mentis & brevis furor,
Ac paucula hæc ægre potui ad te scribere:
Addam, sed hæc Apolline invito tamen,
Erasme nostri seculi decus, vale.

O. M. S.

Eximii famam celebrem quis nescit Erasmi?
Teutona quo tellus cive superba fuit.
Cui vivo triplicis manabant flumina linguæ:
Cum docto poterat qui Cicerone loqui:
Illius est studio studiis sua reddita rursus
Gloria, quæ cœno mersa fuere diu.
Plurima de rebus magnis monimenta reliquit;
In toto Aonius quæ legit orbe chorus.
Illius hæc vultus monstrat tibi charta; sed ipsos
De docta melius consule mente libros.

ANONYMI.

Roterodama mihi tellus natalis origo,
Non postremi inter Batavas hinc nominis urbes:
Me celebrant clarum famæ præconia magnæ,
Barbaries per me cessit quod finibus exul:
Divinis dederim quod lucem rebus amœnam,
Et Latii imbuerim linguas sermonis honore.

MAGNO ERASMO ET MERVLÆ EJVS VINDICI SACRVM.

Auris Batavæ quisquis Hollandis notam
Inuris, hospes, Celtiberiæ memor
Dicacitatis; fige, nam sat est, modum,
Opprobriique desine; ac lubens vide
Hoc æviternum sæculi miraculum:
Erasmon, inquam, quem Dei benignitas
Desideratum nubilo indulsit diem.
Qui conditores barbaræ stribliginis
Abigeret hinc in maximam malam crucem.
Qui vindicaret qua profanas, qua sacras,
A sorde & omni squalitate literas.
Hinc ille felix (sed Vacerrarum choro
Spissum gemente) per Tryphonum limina
Tot aureorum luce Scriptorum micat.
Qua promicondus Sol dierum deficit,
Quaque ardifœtam rursus instaurat facem.
Hic ille fortis, ille mire pervicax
Phreneticorum despicator hostium.
Qui Termini instar risit iratum Jovem,
Fretusque sancto conscientiæ bono
Hispanienses Italasque nænias
Fringultientum præterivit alitum.
Qui gracculorum, qui cachinnonum jocos
Ciconiasque pectore invicto tulit.
Nempe ille noster, Hybridarum plurium
Sæpe impetitus mentis ægræ somniis,
Illustris heros major omni injuria
Stat expeditus, & procul molestiis
Cælo receptus splendet Indiges novus,
Favente Christo, cui fatigatum probe
Nil tergiversans tradidit corpusculum.

Bea-

Beatus ô cui sic abire contigit!
Beatus! inquam: namque nil moros moror.
Ille ille Semo, sæculi miraculum,
Hollandus audit, natus Hollando patre.
Nec ille solus, annuentibus Deis,
Apud Batavos natus: Accedunt bona
Ingenia multa, quæ recenserem libens,
Nisi illa nota Musinantium gregi
Fore arbitrarer. Esse quem credam super,
Qui basiantem Juliam suam procum,
Qui Juniani dædalas stili notas,
Dousasque nostros, Grotiosque nesciat?
Namque hic latere Paullus haud umquam potest,
Ingratus Orbis esse ni prius velit:
Quod non futurum. Merula Orbe clarus est,
Orbisque clarus Merula. Ergo, hospes, fave:
Veroque victus suspice ingentem virum.
Aures Batavas non habent ejusmodi
Hæ nationes quæ Batavis invident.

PETRUS SCRIVERIUS.

IN DESIDERII ERASMI VITAM,

ab ipso Erasmo olim commentatam, scriptamque, Jambi puri.

ERASME, germen Aetheris Bataviæque Nymphæ,
Videsne, GUERCEMANNA te ut manus reducat orco,
OTHONIS optimi manus, medullulæque Pithûs?
Enim reducit illa, quæ facit diu sepulta
Tua illa VITA vivat, & virûm volet per ora.
Nec hæcce sola luminis venit benigne in auram:
Et ille Gratiarum amor, Novensilum & sacerdos,
Decusque MERULA addidit, latere quæ præoptent
Theo atque Momus. At quid hic, ERASME, fert tumultus?
An acta Erinnyos minis polita scripta differt
Novella turba pipulis? an aurei mage auro
Tui usquequaque nominis Theo fluenta turbat?
Sacrum nec arguet foras Eleusis extulisse;
Nec involasse fascinum Deæ manu tagaci;
An inficetias graves quod haut sit usque visum.
Inaniasque Sorbonæ probare, magne censor,
Id incolas, id accolas coquit Perennis Urbis?
Ita est: at, ô beate rex Apollinaris orbis,
Maligna spiculis cohors DEI lacessit arces,
Graveisque ab improba manu reposcet ille pœnas:
Tibi æviterna cælitum caput corona cingit,
Honosque in orbis orbita manet perenni clarus.

GER. JOH. VOSSIUS,
Heidelbergensis.

ALIUD IN EANDEM.

Ille decus Batavûm patriæ ingens gloria Erasmus,
AEternæ morti præda futura fuit:
Et quo docta manu vitæ monumenta reliquit
Ipse sua indigne supprimeretur opus:
Provida sed fato Werckmanni dextra benigno
Immersum cæcis eripuit tenebris:
Atque diu multis frustra poscentibus auris
Ut daret, & merito lucis honore frui,
Constituit Merulæ intextum producere chartis,
Et docta doctum concelebrare chely.
Macte Otto: duplicem peperisti hoc munere laudem:
Hac tibi cum Merula, ast altera tota tua est.
Totum illud, Werkmanne, tuum est quod spirat, & hoc quod
Docta virûm, Merula dante, per ora volat.
Eripuisse aliquem tenebris, non ultima laus est;
Plus tamen est, luci restituisse novæ.
Sed dare vitam aliis, vitam ut tibi fama perennet,
Non minus accipere est, quam dare vitam aliis.

GEDEON JUNIUS,
Dordracenus JC.

GILBERTUS COGNATUS NOZERENUS
in effigiem
D. ERASMI ROTERODAMI.

Corporis effigiem si quis non vidit Erasmi;
Hanc scite ad vivum picta tabella dabit.
Si pariter vocem manus ingeniosa dedisset,
Vidisses simul & pectoris effigiem.
Sed quod docta manus præstare nequibat, Erasmus
Plenius ac melius præstitit ipse sibi.
Ecce quot in libris tibi mentis imago relucet,
Vivaque nec fallax, clarius ac speculo.
Atque hæc forma viri spectatu dignior, illa
Quam finxit pictor, theca modo est animi.
Ergo puta toties te pictum cernere Erasmum,
Illius ingenii quot monumenta legis.

IN ERASMI IMAGINEM.

Quod simulachrum istuc? ter magni illius Erasmi;
Sub pedibus quænam fœmina? Barbaries,
Unde ea sub pedibus? scribendo sedulus illam
Prostravit, vicit, perdidit, enecuit.

IN EFFIGIEM ERASMI,

Per Franciscum Craneveldium, Juris utriusque doctorem, Consiliarium Cæsareum, Carmen.

Quisquis es annosi effigiem qui cernis Erasmi,
Non hominem, ast hominis videris exuvium.

NICOLAI REUSNERI.


Quid Batavos rides? Batavus sum magnus ERASMUS,
Magnus & Ingenio, Magnus & Eloquio.

JOANNIS SCHOSSERI
CARMEN
IN TERMINUM
DES. ERASMI
ROTERODAMI.

Termine Divorum, quo non constantius alter
In Capitolina restitit arce Jovi:
Quid facis, ut clypeo modo contineaeris ERASMI,
Quum tua jam pridem templa fatiget humus?
Quæque locum summo non concessere Tonanti
Membra, ruinoso pondere terra premat!
Scilicet ut nulli superûm tua cessit imago,
Ignea nec manibus qui jacit arma Jovi:
Sic decus, & clari laus immortalis ERASMI,
Non aliquem, cui non cedere possit, habet.
Hujus enim cunctas excedit gloria metas:
Fulget & indocto non superanda choro.
Hunc velut ætherium coluit Germania numen:
Quam DESIDERII nomina jure tenet.

Termini Effigiem ex Annulo ERASMI *signatorio expressam habes pagina proxime sequenti, ut & nummos in ejus honorem cusos, quorum copiam nobis fecerunt Viri Docti.*

Pag. (24)


IMAGO·AD·VIVĀ·EFFIGIE·EXPRESSA·I·5·31·
ER RO·
MORS·VLTIMA·LINEA·RERVM·
CON CEDO
NV LLI.
TERM
INVS
CEDO NVLLI.
TERMI
NVS.

INVICTISSIMO IMPERATORI


CAESARI CAROLO

HUJUS NOMINIS QUINTO,

PIO, FELICI, AUGUSTO, &c.

BEATUS RHENANUS SELESTADIENSIS

S. D.



UANTÆ semper laudi fuerit apud veteres, Invictissime CAROLE Auguste, cives habuisse viros insignes, ad posteros traditum inclytum illud septem Græciæ civitatum certamen satis indicat: quarum qualibet natum apud se præclarissimum vatem Homerum contendit. Nec injuria. Quod enim majus ornamentum ulli, vel urbi, vel provinciæ potest accidere, quam si talem progenuerit, per quem apud omnem posteritatem illustrem sit laudem consequutura? quæ ex nulla re solidior obveniat atque ex litteris, quibus ad æternitatem ipsam nihil magis durat. Hinc igitur moti Smyrnæi, Rhodienses, Colophonii, Salaminii, Ienses, Argivi, & Athenienses, certatim Homerum sibi vendicant, ut de Ægyptiis nihil dicam, qui illum suæ gentis videri volebant. Quod si magni fecit Homeri natales ingeniosa Græcia, ceu omnis doctrinæ parentis & fontis perennis, cur tua Majestas non merito gloriari queat, DESIDERIUM ERASMUM illum ROTERODAMUM in tua ditione certo natum & educatum, cujus industria velut postliminio revixere plenius litteræ, non tantum in istis proximis Germaniarum Galliarumque regionibus, in quibus mira barbaries ante regnabat, verum etiam in ipsa nobilissima terrarum Italia, quum instructius, tum felicius hujus ope florere cœperunt; ut, si fortassis ambitiosum sit, eum alterum Parentem litterarum vocare, tamen instaurator ac primarius illustrator dici & possit, & debeat. Quis enim à mille annis exstitit, qui plura scripserit, quum in sacris, tum profanis, tanta humanioris litteraturæ peritia perpolitus? cujus libri in longinquas provincias frequentius exportati sint, & avidius lecti? Denique quem omnium nationum eruditi magis coluerint observarintque? Nihil hic fingo, sed rem omnibus notam narro. Valebat namque stylo arguto, extemporali, amœno, terso, feliciterque fluente, quem assidua juvenis adhuc exercitatione sibi paraverat: nec minus judicio valebat, quod habebat longe acerrimum. Hoc docti in eo præcipue sunt admirati, venerati que. Miraculo autem simile videatur, exactum adeo judicium seculo tam rudi. Felicitati raræ perspicacissimi ingenii ferendum acceptum, magis quam ullis præceptoribus, si mutos illos magistros excipias. Natus enim est ab avi tui Friderici III. Augusti primis imperii annis ad quintum Calend. Novembres, Roterodami in Hollandia tuæ inferioris Germaniæ Provinciæ, quam olim Batavi possederunt: nunc magis notam studiosis omnibus, ob unius indigenæ ERASMI incunabula, quam veterum incolarum memoria, quamlibet bellico robore præstantium. Hoc alumno Roterodamum oppidum se semper jactabit, & doctis erit commendatum. Proximum sibi laudem vendicat Daventria, quæ puellum adhuc ex æde sacra Trajectensi cantorculum deductum, ubi præcentiunculas obire solitus phonascis etiam, tenuissimæ vocis gratia, pro more templorum cathedralium inservierat, instituendum suscepit. Præerat illic ludo litterario tum Alexander Hegius Westphalus, homo bonarum litterarum minime expers, & Græcarum nonnihil peritus, Rudolpho Agricola communicante, cujus amicitia familiariter utebatur nuper ex Italia reversi, ubi Guarinum Veronensem Ferrariæ profitentem, & alios aliquot eruditione celebres audiverat. Ingenium ERASMI mox eluxit, quum statim, quæ docebatur, perciperet, & fideliter retineret, æquales suos omnes superans. Erat tum inter eos, quos illic fratres vocant, non quidem Monachos, sed contubernii ratione & vestitus simplicioris & uniformis convenientia Monachos similes, Joannes Sintheimius vir probe litteratus, ut illa ferebant tempora, (testantur id Commentarii Grammatici, quos edidit) magnum ea tempestate nomen in scholis Germaniarum consequutus. Is delectatus ERASMI profectu, nam Cœnobitæ isti palliati quibusdam Scholasticorum classibus præsunt & publice docent, complexus aliquando puerum: Macte ingenio, ERASME, inquit, tu ad summum eruditionis fastigium olim pervenies: simulque osculum dedit, & dimisit. Non fefellit hoc augurium, quod omnibus constat. Orbatus autem utroque parente paulo post, ut tutor omne procurationis onus discuteret, ejus improbitate in Cœnobium Canonicorum, quos addita Latina interpretatione Regulares appellant, ex Daventriensi schola, Monachorum omne genus fertilissimo seminario, detrusus est. In eo loco Gulielmum Hermannum Gaudensem litteris deditissimum juvenem aliquot annis studiorum sodalem habuit, cujus exstat Odarum Sylva. Hoc socio adjutus & accensus nullum Latinorum auctorum volumen non excussit. Diu noctuque erant in litteris. Tempus, quod æquales alii jocis, somno, commessationibus ignaviter absumebant, hi duo libris evolvendis & exercendo stylo impendebant. Audita ERASMI fama, Cameracensis Antistes Henricus ex Bergensium Regulorum familia prognatus, juvenem jam sacris initiatum ad se vocat, adornans iter in Italiam Romamque petiturus. Videbat enim ERASMUM valere litteris, valere eloquentia, moribus ingenuis præditum, Epistolis eleganter scriptis id docentibus: unde quum usui, tum ornamento comitatui suo esse posset, si cum Pontifice Romano, si cum Cardinalibus agendum foret. Verum quid intervenerit, quo minus ea profectio sit ab Episcopo suscepta, mihi non liquet. Certe Gulielmus ipse valde doluit ereptum sibi ERASMUM, sic enim in Oda quadam canit:

At nunc sors nos divellit, tibi quod bene vertat;
Sors peracerba mihi,
Me sine solus abis, tu Rheni frigora & Alpeis
Me sine solus abis.
Italiam Italiam lætus penetrabis amœnam. Et reliqua.

Quanquam vero de Roma adeunda consilium mutavit Cameracensis Præsul, tamen ERASMUM in aula sua retinuit ingenii suavitate & præstantia ac candore juvenis delectatus. Hicque ille in multorum amicitiam sese insinuavit verè Ἐράσμιος, in primis Antonii Abbatis apud Divum Bertinum, qui ex eadem Bergensium gente ducebat originem, & Jacobi Batti, qui senatus oppidi Bergensis fuit à secretis, ad quem tot ejus exstant Epistolæ, qui postea apud Annam Bersolam Adolphi Principis Veriensis matrem diu vixit in summo honore. At Cameracensis felicissimum ERASMI alumni sui ingenium contemplatus, haud gravatim eum sumtibus instruxit, ut Lutetiam proficisceretur, & illic Theologiæ, quam scholasticam vocant, daret operam. Ergo Scotista factus est, in collegio Montis Acuti agens: nam inter Theologos disputatores Joannes ille Dunsius Scotus, ab acumine ingenii maxime prædicatur. Quumque vitam collegiaticam duriorem experiretur, non invitus emigravit ad Anglum quendam generosum, adulescentes duos generosos secum habentem, Montjojum alterum ex

illis fuisse conjicio. Videbant enim Angli inter Professores bonarum litterarum in tota Academia Parisiensi nullum exsistere, qui vel eruditius posset, vel fidelius docere consuesset. Nam Faustus Andrelinus, *alioqui carminibus magna cura pangendis intentus, defunctorie profitebatur, jocis quibusdam magis festivis, quam doctis plausum rudium auditorum captans.* Gaguinus *obeundis legationibus ad exteros Principes occupatus erat, in istis studiis non ita prorsum absolutus: nec docebat publice. Atque hinc cœpit ERASMVS in Anglia innotescere. In quam insulam paulo post ipse concessit à discipulis illis suis domum regressis invitatus. Ubi quum aliquamdiu mansisset, in reditu apud Dovariense littus à telone fortunis propemodum omnibus exutus est, ac nondum navem ingressus, naufragium fecit, quod complusculos aureolos ultra præscriptum numerum & sine regio diplomate (nihil periculi, nisi in Britannica moneta à* Montjojo *&* Moro *persuasus, imprudens legum Anglicarum) efferre tentasset. Quæ injuria utcunque mussitanda fuit: nec enim erat ullum remedium, obstante lege. Nec tamen hoc damnum vel alienavit animum ERASMI, vel deterruit, quo minus in Angliam sæpius postea redierit. Abundare tum cœperat ea provincia viris doctissimis,* Guilielmo Grocino, Thoma Linacro, Guilielmo Latimero, *qui in Italia litteris operam dederant, utriusque linguæ peritia celebres: item* Joanne Coleto, Thoma Moro, Richardo Pacæo, *&* Guberto Tonstallo, *à quibus omnibus certatim amabatur: ut de Episcopis nihil dicam, quorum ut quisque erat litterarum callentior, ita pluris ERASMVM faciebat, & benignius tractabat. In Academia Cantabrigiensi docuit aliquamdiu: idem & Lovanii fecit, quum apud* Joannem Paludanum *ejus scholæ Rhetorem diversaretur. Demum persuasus ab amicis, quo tandem Italiam videret, cujus miro desiderio semper tenebatur (nec immerito, quando totus hic orbis ea regione nihil modis omnibus cultius habet) cum filiis* Baptistæ Boerii *Genuensis, Regii in Britannia medici,* Joanne *&* Bernardo *Bononiam profectus est: non ut pædagogus, nam morum curam exceperat, nec ut præceptor, sed ut inspector futurus ac studiorum viam commonstraturus, teste Epistola ad* Botzhemium, *ubi inter Professores* Paulum Bombasium *amicum habuit hominem nivei pectoris, & eruditum, qui vicissim ingenio ac doctrina ERASMI mirifice delectatus est. Jam enim obierat* Beroaldus *Professorum sui temporis* Achilles, *&* Baptista Pius, *antiquitatem infeliciter æmulatus, Oscos & Volscos somniabat. In itinere cum socio Anglo Taurini in Alpibus Cotiis Theologiæ doctor factus est. Itaque dignitatem & eruditionem in Italiam importavit, quam cæteri inde reportare consueverunt. Dum Bononiæ volumen Adagiorum pridem cœptum absolvit, nam breve & rude specimen operis futuri Lutetiæ ante multos annos ediderat, cultum Canonicorum cœnobiticum, quo hactenus usus fuerat, hujusmodi de causa mutare coactus est. Mos est ejus urbis haudquaquam reprehendendus, ut, si suspicio sit de quoquam infecto peste, chirurgus ad hoc constitutus statim arcessatur. Is, ut commodius ab obviantibus & prætereuntibus devitari possit propter contagium exitiabile, solet albam mappulam ab altero humero transversim pendentem gestare, & virgam in manu. Forte fortuna die quodam nescio quid acturus ERASMVS per plateam oppidi infrequentiorem solus incedebat in cultu suo canonicali, quemadmodum consueverat. Ibi duo tresve juvenes imperiti obviam veniunt, & omophorio candido conspecto, pestis exploratorem illum rati, quum in via pergeret, ERASMVS nihil hujusmodi suspicans, correptis saxis vim minati sunt, & conviciis impetiverunt, intra verba tamen grassati. Causam indignationis demirans inquirit. Ajunt de ædibus prospicientes, qui rixantes audierant, scapularem illam vestem eos provocasse nodo substrictam ad latus, deceptos ob cultus similitudinem, qui putarint eum ab infecto aliquo redire, nec de via decedere velle. Proinde ne simile periculum deinceps incurreret, ERASMVS ad* Julium *secundum Pontificem Max. misit supplicem libellum, quo sibi religiosi cultus utendi, aut non utendi gratiam faceret. Id promerentibus suis singularibus virtutibus haud gravatim concessum, modo veste sacerdotali uteretur: quod* Leo *decimus, dein accedentibus aliis etiam justis causis, non tam ad vitæ institutum, quam ad illustrandam ERASMI existimationem pertinentibus, in plenissima (quod ajunt) forma corroboravit: omnibus & singulis specialiter & expresse derogans, quæ (ut verbo dicam) quomodocunque obstarent: tenores obstantium quorumcunque pro sufficienter expressis enumeratisque habens. Ecquis autem dubitat Pontifices Max. in hujusmodi humanis constitutionibus plurimum posse, quum Juris interpretes iisdem in ea, quæ vel Juris Divini sunt, vel Gentium, interpretanda moderandaque non parum concedant: imo in omnibus, exceptis fidei articulis, liberam ex causa disponendi dispensandique, ut ipsorum verbo utar, potestatem esse tradant? Ad umbilicum perducto opere Proverbiorum, scripsit* Aldo Manutio, *an librum excudendum formis suscipere vellet: is respondit id se lubenter facturum. Venetias delatus, quum in officinam venisset, diu coactus est exspectare, donec ad colloquium admitteretur, cum quia* Aldus *recognoscendis archetypis operarum laboribus formulas stanneas tumultuarie concinnantium occupatus erat, tum quia putabat eum esse ex vulgaribus salutatoribus unum; qui, magis curiositatis studio, quam auxilii vel consilii prabendi causa assidue ventitando, homini aliis rebus intento nunquam non molesti erant. Ubi cognovit ERASMVM esse, veniam precatus suavissime eum complexus est, & in ædibus* Andreæ Asulani *famigerati illius mancipis soceri sui secum tenuit, ubi contubernalem habuit* Hieronymum Aleandrum *Mottensem eruditione trilingui nobilem, nunc Cardinalem, inter alios etiam amicitia* Pauli Canalis *patritii,* Ambrosii Nolani *medici præstantis,* Baptistæque Egnatii *familiariter usus: nec adeo brevi tempore: nam & Euripidis Tragœdias duas, Hecubam & Iphigeniam in Aulide recognitas hic denuo edidit, & Terentii Plautique Comœdias habita carminis ratione castigavit. Sub id tempus* Alexander, Jacobi *Scotorum Regis filius, Patavii litteris operam dabat,* Raphaelis Regii *auditor, & jam Ecclesiæ divi Andreæ in Scotia Archiepiscopus: is ERASMVM sibi in rhetoricis præceptorem adsciscit, cum quo postea Senas commigravit.* Boerios *enim discipulos post unicum cohabitationis annum, dudum dimiserat, ob patris morositatem. Patavii doctissimorum virorum* Marci Musuri *Cretensis, &* Scipionis Carteromachi *Pistoriensis usus est commercio; quorum humanitatem sæpe me audiente deprædicare solet, expertus candorem non semel, dum incorruptis Græcorum auctorum exemplaribus manu descriptis, quorum magnam partem Aldina Bibliotheca suppeditabat, videlicet Pausania, Eustathio, Lycophronis interprete, Euripidis, Pindari, Sophoclis, Theocriti, similiumque commentariis, horum exquirit judicium. Nihil erat tam reconditum, quod non aperiret, nec tam involutum, quod non expediret* Musurus, *vere Musarum custos & antistes. Omnia legerat, excusserat omnia. Schemata loquutionum, fabulas, historias, ritus veteres ad unguem callebat. Hanc tam consummatam eruditionem etiam insignis pietas commendabat, dum patrem Græculum jam grandævum amanter seduloque fovet.* Scipionem *multiplicis doctrinæ & ingenuitatis dotes exornabant. Uterque Romæ periit, sed* Musurus *à* Leone *Pontifice Monovasiensem Archiepiscopen jam nactus. Dum agit Senis ERASMVS, in ædibus Præsulis divi Andreæ, quem instituebat, cujus indolem sæpe laudavit, & illum vera dixisse magis appareret, nisi cum patre Rege latus ejus claudens in prælio, quo excitus* Henrici *Britanniæ Regis, cujus soror huic conjunx erat, tum in Belgica agentis & Tornacum instigante* Julio *secundo Pontifice Max. obsidentis, cum Scotis irruentibus, qui Galliarum partes fovebant, concurrit, clarissimus juvenis paulo post cæsus esset: dum illic, inquam, in Etruria agit ERASMVS, commeatum impetravit vicinam Romam invisendi. Ibi dici non potest, quanto plausu quantoque gaudio literatorum hominum sit exceptus, non mediocrium tantum, sed & eorum, qui Cardinalitia dignitate præfulgebant: in quibus præcipuus* Joannes Medices, *qui in* Julii II. *demortui locum suffectus* Leonis *decimi nomen obtinuit, &* Dominicus Grimanus *Venetus, atque* Ægidius *Viterbiensis trium linguarum peritissimus, tres quidem egregii Heroes fovendis studiis nati ac dediti, in quibus adeo non vulgariter excellebant. Vidit, ut audire memini, &* Thomam *illum Phædram facundia extemporali incomparabiliter eloquentem, qui Ludis & Comœdiis recensendis priscam antiquitatem repræsentabat. Vidit & alios professores. Oblata est Pœnitentiarii dignitas, si Romæ manere vellet, via futura ad altiora conscendendi: nam emolumentum non contemnendum inde esse poterat. Sed redeundum fuit ad Archiepiscopum, cum quo postea denuo Romam adiit, quam nobilissimus adulescens videre cupiebat, prius quam in Scotiam suam rediret: nec Roma sola, quanquam dissimulato Archiepiscopi fastigio, ne cuiquam molestus esset: sed ulterior illa pars Italiæ Cumas usque perlustrata, ac antrum Sibyllæ subintratum, quod illis ab accolis etiamnum ostenditur.*

AD CAROLVM CÆSAREM EPISTOLA.

Post discessum antistitis Ecclesiæ Divi Andreæ, veterum amicorum memoria, quos in Britannia reliquerat, in causa fuit
ERASMO, cur reditum in patriam & ipse maturandum duceret. Itaque per Alpes Rhæticas Curiam primum, deinde
Constantiam ad lacum Brigantinum profectus, transito Lentiensium tractu, qui sunt ad Martianæ sylvæ initium, quod
priscis Orcynium fuit, per Brisigavos Argentoratum venit, unde secundo Rheno in Hollandiam vectus est. Mox amicis
suis Antverpiæ & Lovanii salutatis, Angliam adit. Tenebatur desiderio Joannis Coleti Theologi, qui Londini decanus
erat apud Divum Paulum, Grocini, Latimeri, Linacri, quorum ante meminimus, & præcipue Thomæ Mori.
Vetus Mæcenas erat Guilielmus Waramus Cantuariensis Archiepiscopus, totius Angliæ primus, & ejus regni Cancella-
rius, h.e. judex summus, qui omnes Episcopos ejus insulæ sua liberalitate vicit. Hic & pecuniam dedit, & præterea sacerdo-
tium Ecclesiæ Aldingtonensis in agro Cantuariensi: quod quum religione ERASMVS obstringeretur, quo minus statim ac-
ciperet, emolumentis integris potius ad pastorem pertinentibus, qui præsens diu noctuque subjectam plebem institueret, id
quod nullus inficiari potest, ad cunctabundum Cantuariensis, Quis, inquit, te æquius ex Ecclesiastico proventu vi-
vat, qui scriptis tuis utilissimis ipsos Ecclesiarum præfectos Presbyteros instruis, doces, adjuvas, unus omnes:
nec illos tantum, sed & cunctas ubique terrarum Ecclesias, quibus illi singulis singuli duntaxat præsint &
prosint. Sane plus semel ERASMVM dicere memini, Principum esse debere officium, ut propria liberalitate studiosos
juvent: sed illos suis impensis parsuros ad sacerdotiorum collationem confugere, ad quæ accipienda sectatores disciplinarum
cogi, ut ocium litterarium tueri queant. Cæterum ut Montjoium inscriptione Proverbiorum honestavit, & Joannem
Coletum novæ scholæ Londini institutorem, libris Copiæ duplicis, verborum & rerum, ad quem ludens aliquando
dixit, se pauperem plane factum emissa utraque copia, ita præstantissimum Mæcenatem suum Guilielmum Waramum re-
cognitione Hieronymianarum præcipue lucubrationum immortalitati consecrare statuit. Opus Adagiorum Aldum æmulatus
flagitantibus studiosis Joannes Frobenius typis suis non infeliciter excuderat: qua arridente editione, simul officinæ dili-
gentioris celebritate motus ERASMVS, quum alterum Proverbiorum exemplar cum accessione pridem Badio promissum
& destinatum, adjunctis aliquot Plutarchi libellis recenter versis Francisci Pircmanni consilio Basileam aberrasse cogno-
visset, & illic omnes Divi Hieronymi lucubrationes sub Frobenianis prælis esse, ipse quoque eodem se contulit, simulans
iter ad Urbem voti solvendi gratia. Nec fuerat vanus rumor. Pridem enim Joannes Amerbachius, absolutis Am-
brosii Augustinique libris, totum se comparaverat ad castigationem voluminum Hieronymi, undique conquisitis vetustis
exemplaribus, & doctis viris conductis, qui Græcas dictiones passim restituerent: de quorum numero fuit Joannes
Reuchlinus Jureconsultus, qui è Lexicis vacuas lacunas replere conabatur, cui successit felicior castigator Joannes Co-
no Norimbergensis, instituti Dominicani, qui meliorem viam sequutus, è vestigiis antiquorum codicum ea, quæ vel
deerant vel erant depravata, diligenter reponebat. Idque poterat homo propemodum Græce quam Latine doctior, versa-
tus nimirum in optimis auctoribus, aliquot annis excellentissimorum in Italia Professorum Musuri & Scipionis, quorum
ante meminimus, atque Joannis Cretensis minime pœnitendus auditor. Etiam defuncto patre, Bruno & Basilius filii,
una cum Joanne Frobenio, Hieronymi informationem adgressi erant, & in Prophetis aliquo usque progressi. ERAS-
MO novo hospiti statim in ædes Frobenianas recepto placuit editionis nitor, sed in primis incredibilis Fratrum Amerba-
chiorum in castigando sedulaque diligentia. Ipse ergo, si quando consulebatur, ubi judicio opus erat propter exemplarium
variationem, nusquam deerat. Verum Epistolarum volumina sibi peculiariter vendicabat, partim absolvendis scholiis,
quæ jam pridem cœperat, partim novis addendis & argumentis adscribendis occupatus. Hic labor non erat exiguus.
Accessit longe major. Desiderabant studiosi Galliarum & Germaniarum seorsim edi Novum Testamentum Græce, quod
cum Veteri Venetiis conjunxerant. In id olim scripserat Adnotationes, Laurentium Vallam imitatus. Eas, quum re-
perisset inter schedas suas, tumultuarie recognovit & auxit inter prælorum strepitus. Nec deerant, qui ipsum Novum
Testamentum elimandum putarent, vulgo Christianorum, ut videtur, scriptum vel potius versum. Et hac monentibus
pro sua facilitate paruit. Hunc vero laborem Leoni x. Pont. Max. inscripsit, & quidem merito, primarium nostræ
Religionis instrumentum summo ejusdem præsidi. At Hieronymianorum operum recognitionem Cantuariensi Archiepiscopo
Waramo consecravit, æternum observantiæ singularis monumentum. Rediit tum in inferiorem Germaniam propter nego-
cia, ac non ita diu post ad nos reversus, commodum illuc recurrerat, quum Majestas tua Romani Imperii fascibus, cu-
jus nobis ab ipsis Gothis, Theodoricho illo Veronensi & cæteris antiquitas apud Aquas Grani inauguraretur. Mox
Coloniæ Ubiorum adfuit sub conventum Wormaciensem, in ordine eorum, qui Tibi sunt à consiliis spectabilis: nam in ho-
rum cœtum jampridem à te prudentissime erat adscitus, adhuc vivente Joanne Sylvagio summique Cancellarii munus
obeunte. Solutis comitiis Vangionum & urbe Tornacensi recepta, quum in Hispanias ex Brabantia Majestas tua esset re-
gressa, Basileam repetiit ERASMVS iterum editurus Adagiorum Chiliadas & Paraphrases Paulinas atque Euangelicas
absoluturus, quas dubium est majorene studiosorum applausu orbis exceperit, an majori alacritate ipse scripserit. Hic
sum, inquit, in meo campo. Et sic erat. Inspiciebat veteres maxime interpretes, ex nostris Ambrosium, Hierony-
mum, Augustinum, Hilarium, ex Græcis Chrysostomum & hujus imitatorem Theophylactum, ipse stylum accommoda-
bat tantum. Ex iis unam Majestati tuæ inscripsit, nempe primam, quæ est in Euangelium Matthæi, & postremam
Germano tuo, Cæsari FERDINANDO; nam qui te juvenem summopere veneratus est tot regnorum hæredem, qui minus
suspiceret ad fastigium Romani Imperii, concordibus Principum suffragiis, evectum, aulæ tuæ dicatus honestissimoque
officio obstrictus? Juveni adhuc Institutionem Principis Christiani paravit, sanctis cæterum brevibus aphorismis compre-
hensam, libellum, ita me Deus amet! in quo velut in speculo destinatus summarum rerum administrationi, vel ipse fun-
ctiones Christiano dignas addiscat, vel huic additus præceptor intueatur qualibus doctrinæ elementis puerilis regum ani-
mus, dum etiamnum tener est, imbui debeat. Siquidem hoc ERASMVS semper studio habuit, nobilissimam Austria-
nam familiam tot Cæsarum parentem, cujus imperium vix Alpibus Juliis Rhæticisque & Oceano Septentrionali termina-
tur, omni obsequiorum genere, quæ litterarum sectatori convenirent, colere. Docet hoc Panegyricus patri tuo Philippo
ex Hispaniis reduci exhibitus, & ab eodem perquam amanter susceptus: quod ille officium singulari munificentia censuit
prosequendum, tanquam omine quodam felici primus ostendens, quantam olim æstimationem essent habitura hujus viri
scripta, ac tantum non exemplum statuens, quod cæteri magnates æmularentur. Nec aliter accidit. Etenim similem
multorum Regum & Pontificum Max. benignitatem expertus est ERASMVS, ut tuam in primis, Imperator Auguste,
ut FERDINANDI nunc Cæsaris Germani tui, ut Henrici Britanniæ Regis ejus nominis octavi, à quo vivente etiamnum
parente Henrico Septimo litteris ipsius manu scriptis salutatus est, ut Clementis VII. Pontificis Max. Nec alia mente Ha-
drianus Pontifex fuit, si sacerdotium oblatum, vel munus honorarium ERASMVS accipere voluisset. Quid porro
ERASMO à Francisco Valesio Galliarum Rege non exspectandum fuit, si animum spectemus, & quid in eum confer-
re voluerit? Unis certe litteris, longe gratissimum ejus adventum fore, sua ipsius manu subscribere non est dedignatus.
Paulum vero Pontificem Max. ejus nominis tertium, quam virtuti & eruditioni ERASMICÆ judicio & animo tam etiam
effectu ad quamlibet opportunitatem favere fuisse paratum inde apparet, quod præterquam de ERASMO in collegium
Cardinalium cooptando actum fuerat, ipse eidem Præposituram Daventriensem Trajectensis Diœcesis, quæ sexcentorum
aureorum reditum tribuere dicitur, ultro obtulerit. Obtulerit autem? imo contulerit, litteras non solum Apostolicas super
ea ne expeditionis tædio atque impensa beneficium comminueretur promittens, sed & illustrissimam Ungariæ Reginam Ma-
riam sororem tuam, Flandriæ tuo assensu præsidentem, ut pro sua erga Romanam sedem filiali observantia, & Regia in vi-
ros benemeritos benignitate, dictæ Præposituræ (ut appellant) possessionem vacuam ab intrusis pro ERASMO conservari

 curaret,

curaret, litteris bene amantibus interpellans: quas tamen ERASMVS αὐταρκὴς, quod sacerdotium recusare instituisset, penes se
reservavit, satis viatici sibi paulo post morituro superesse dicens. Principum sane & Episcoporum in ERASMVM munificorum
catalogum texere perlongum sit. Nec solum à Principibus honoratus est ERASMVS, sed etiam à civitatibus Germania: si
qua transiret, & magistratus rescissent vino donatus, qui honor magnatibus & civitatum legatis more gentis impenditur. Id,
me præsente, contigit Basilea, Constantia ad lacum Brigantinum Bartolomæo Blaurero Jureconsulto & Consule ad convivium
sua sponte venire dignato, Schefhusia ab Abbate & magistratu, Friburgi Brisigavorum, in Monte Brisiaco, Selestadii, Ar-
gentorati, & aliis item locis. Nam notum erat non paucis eum tua Majestati esse à Consiliis. Equidem ob excellentiam doctrina,
quam editis indies libris testatiorem cunctis faciebat: dignus alioqui censebatur, quem omnes missis muneribus nihil tale ambien-
tem certatim ornare, & quovis honoris genere reverenter cuperent afficere. Quod si vulgo videmus eos nullis non militaris gloria
titulis insigniri, qui, si quando opus fuerit, & incidat necessitas, defendere patriam vita sua periculo sunt parati, quanto justius
honoratur, qui non breve aliquod tempus, sed omnem ætatem in litteris pro publica utilitate ultro absumsit exercens ingenium, ge-
nium suum defraudans? Potuisset esse magnus & indies fieri major apud tuam Majestatem. An non ad summum auctoritatis Eccle-
siastica fastigium praceptor olim ille tuus Adrianus Trajectensis evectus est? Potuisset in splendore vivere apud quosvis Reges, quis
enim summorum Principum eum non ambiit? potuisset in ocio, in voluptatibus versari; sed pratulit communem studiorum utili-
tatem universis honoribus & hujus vita crassis deliciis. Verisimile est prater alias causas felicem quoque succrescentium studiorum
successum hominem haud parum inflammasse ad quidvis perferendum. In Germania Galliaque mire frigebant littera, vix unus &
alter Latine sciebat, Grace nullus. Et ecce statim, ut edita sunt Adagiorum Chiliades, & libri De utraque copia, velut in nebu-
lis coorto sole, emergere linguarum peritia cœpit. Prodibant alii atque alii libelli ad hanc rem conducibiles, Theodori Grammatica
Institutiones Latine versa, multorumque auctorum in utraque lingua monumenta Græce citra praceptoris operam discere volentibus
admodum accommoda. Nam hac ratione etiam Hermolaus Barbarus, immortale decus Venetiarum, olim profecisse fertur pri-
vato studio collatis doctissimi Gazæ versionibus. Jamque quasi signo dato, litterarum causam in iis Provinciis optimus quisque pro-
movebat. Sed omnium maximum subsidium attulit Trilingue collegium illud in Academia Lovaniensi institutum, suadente ERAS-
MO. Magnas opes moriens reliquerat Ariensis Prapositus Hieronymus Buslidius, Francisci Vesontini quondam Archiepi-
scopi in Hispania peregre exstincti frater; quas quum ille studiosorum usibus destinasset, ERASMVS testamentariis auctor
fuit, ut Atheneum Lovanii constituerent, in quo stipendiis ordinatis tres lingua publice docerentur; è quo tanquam ex equo Tro-
jano innumeri cognitione linguarum instructi prodiere hactenus, & faventibus Superis deinceps sunt prodituri: quo universa ditio
tua, CAESAR invictissime, nihil habet praclarius. Ea res Franciscum quoque Galliarum Regem movit, ut ad similis collegii Lu-
tetia Parisiorum institutionem animum adjiceret, ERASMVM per litteras evocando, cujus consilio omnia disponerentur. Et jam
regium diploma acceperat ad itineris securitatem, sed intervenere causa, qua profectionem impedirent. Instituti tamen & illic
Professores. Itaque in confesso est, litterarum in his Provinciis incrementa potissimum ERASMO deberi. Quem enim ille lapidem
non movit (quod ajunt) ut studia procederent? Quanto candore tradidit omnia, ab omnibus intelligi volens: quum multi res
obscuras multo obscurius explicent. Editurus Proverbiorum opus à quibusdam doctis audire coactus est, ERASME, tu evulgas
mysteria nostra. Sed cupiebat is omnibus ea aperta esse, quo perfectam eruditionem consequerentur. Hoc candore destituebatur
ille, qui Venetiis olim Aldo Manutio commentarios Gracos in Euripidem & Sophoclem edere paranti, dixit, Cave, cave hoc
facias, ne Barbari istis adjuti, domi maneant, & pauciores in Italiam ventitent. Jam nihil tam humile fuit, quo tan-
tus vir studiosorum gratia se non demitteret. Etiam ipsum Catonis carmen, juxta titulum, emendare & interpretari dignatus est,
ut nec in magnis, nec in minutis ejus opera desideraretur. Adeo vix proferri queat, qui unus studiis communibus plus profuerit.
Habet quidem Gallia Budæum Principem litterarum, quem libenter opponat, qui quum abstrusissimam rei nummaria, qua
apud veteres fuit, materiam primus doctissime copiosissimeque explicuit, tum priscas loquendi formulas Jureconsultorum elegantis-
sime edisserit, maxima (quod negari non potest) nationis sua gloria editis in Pandectas Annotationibus: denique Commentarios
lingua Graca conscripsit, quibus nihil utilius Gracitatis studioso contingere potest. Sed noster in Theologicis plus opera posuit. Quam
studiorum partem paulo liberius tractavit, quod videret (ut ipsius utar verbis, ad amicum quendam scribentis) plus satis tribui
Theologia argutatrici, veterem prorsus aboleri: sicque Theologos argutiis Scoticis incumbere, ut non attingant fontes divina sa-
pientia. Ad hac disciplinam Ecclesiasticam longe prolapsam esse à sinceritate Euangelica: populum Christianum multis modis gra-
vatum esse: conscientias hominum variis tricis illaqueatas. Atque hanc ob rem alicubi quorundam arrogantiam, ambitionem,
avaritiam, superstitionemque liberiori stylo subtaxat, nemini hic adulatus quamlibet potenti, quod tamen hodie nimium multi
faciunt. Nec alia res plus officit Principibus maxime Ecclesiasticis, dum laudamus, quod faciunt, non quid facere debeant com-
monstrantes. In hac ille parte nusquam cessat. Quanquam eum sape dictitare memini, dum viveret, si prascisset tale seculum exo-
riturum, quale hoc nostrum est, se multa non fuisse scripturum, aut isto modo non scripturum. Sed Deo gratia, videmus istarum
admonitionum aliquem fructum. Theologorum manus pro Halesio, pro Holcoto, Cyprianum, Augustinum, Ambrosium &
Hieronymum suis horis versant. Studium Theologicum diffusum Petrus Langobardus in methodum redigere conatus est, colle-
ctis Sententiarum libris: sic enim appellant. Sed in commentariis recentiorum modus desideratur. Similem rem apud Gracos ten-
tavit Damascenus. Ex veteribus licet cognoscere nascentis Ecclesia exordia simplicissima, qua paulatim ad hanc Majestatem incre-
verunt. Absque quorum lectione citra judicium de rebus disseret, qui in neotericis tantum versatus est, amussis, juxta prover-
bium, alba ad sacrorum expensionem. Quare veterum cognitio scriptorum futuro Theologo perquam necessaria, ad quam tanto-
pere studiosos cohortatus est ERASMVS, emendatis illorum lucubrationibus, & ad exemplaria vetusta collatis. Exstant libri,
nec est opus nominatim recensere. Addidit plerisque locis censuras, quas ceu singularem dotem ac evidens argumentum prasentissi-
mi perspicacissimique ingenii magis admiror quam quidvis aliud. Nullum enim arbitror fuisse multis jam seculis, qui judicio plus
valuerit, id quod consummata eruditioni postremo omnium contingere solet. Quibusdam visus est non satis esse Ciceronianus, ad
structuram & verba Tulliana dictionis omnia severe exigentibus. Sed ipse stylum apertum, extemporalem, purum, facilem, &
argutum semper amavit. Vocabulis quibusdam uti coactus est Christiana religionis, materia, quam tractabat, servientibus. Ne-
que enim probabat eorum superstitionem, qui verius inanes modulos quosdam antiquitatis referunt, quam sententias densas &
prastantes. Sane fatemur seculum Ciceronis fuisse purissimum & imitatione dignum, ac proinde magnam felicitatem, si quis sin-
ceram illius temporis, quo lingua Latina maxime floruit, phrasin assequatur. Et quibusdam rem belle procedere cernimus, nec in-
videmus. At proferant nobis in medium tot tamque utilia scripta, tam sancta, tam cordata, quot ab ERASMO Christianus
orbis accepit, & cum illis sentiemus, ac Ciceronianos etiam à pietate sanctimoniaque pradicabimus. Horum librorum magnam
partem Basilea, in adibus Frobenianis in monte Divi Petri sitis, partem etiam Friburgi Brisigavorum elucubravit, ad hoc enim
oppidum in ditione fratris tui Regis Ferdinandi positum, monitu Bernardi à Gles Cardinalis Tridentini cum sarcinulis suis mi-
grare coactus est, verentis, ne quid illi accideret Basilea mutato sacrorum cultu; qua tamen res longe placidius transacta est, ma-
gistratuum prudentia, quam multi divinabant, nemine ex universo numero sacerdotum per contumeliam attacto. Friburgi pri-
mum in adibus illis magnificis habitavit, quas avus tuus Divus Maximilianus pro senectutis sua nido per Jacobum Villinge-
rum sua Majestatis à thesauris parari quondam sibi jusserat. Deinde propriam domum emit. At quum ab illustrissima
sorore tua Maria Hungaria Regina, quam tu ab obitu amita tua Margaretæ provinciis inferioris Germania gubernan-
dis prafecisti, in Brabantiam revocaretur, & Ecclesiasten suum prius esset editurus, ut prasens adesset, dum excudi-
tur in officina, ac operi colophonem (quod ajunt) adderet: nam nescio, quid ad calcem restabat adtexendum, simul
ut cœli mutatione reliquias morbi pertinaciores discuteret, vendita domo Basileam cum universa supellectile sua, qua libris
maximam partem constabat, post septimum annum reversus est, ad Hieronymum Frobenium amicum veterem hospes gratissi-
mus

mus divertens; hoc consilio, ut, recuperata bona valetudine, & absolutis iis, quæ habebat in manibus, navigio per Rhenum, in inferiorem Germaniam descenderet. Interim articularis morbus, qui aliquamdiu conquieverat, rursus hominem corripit & miseris modis vexat, ut se loco movere nequiret, frustra cœlo mutato. Hic remittentibus cruciatibus ex bipede primum quadrupes, deinde tripes factus est scipionum auxilio se sustentans & sensim prorepens. Quumque schedas Epistolarum, quas annis superioribus à diversis amicis acceperat, singillatim evolveret, novæ nescio cujus editionis gratia, ac plurimæ eorum, qui à rebus humanis excesserant, in manus venirent, subinde ajebat, Et hic mortuus est. *Ac tandem,* Nec ego diutius vivere cupio, si CHRISTO Domino placeat. *Sic languentem & viribus destitutum dysenteria, malum exitiale, ferme mensem integrum vexavit, ac paulatim exhaustum in summa æquanimitate & tolerantia tandem exstinxit,* CHRISTI *misericordiam extremis sæpe repetitis vocibus implorantem. Qui* CHRISTI *doctrinam vivens tam sincere tractavit, mortuus indubie mercedem ab illo summo Agonotheta amplam accepit. Testamentum Majestatis etiam tuæ fretus auctoritate condiderat, quo pauperum inopiæ relictis à morte facultatibus suis trifariam consultum voluit, invalidis senioque confectis, virginibus elocandis, quibus dos deesset mariti conciliatrix, & studiosis fovendis. Id* Bonifacius Amerbachius *Juris Professor, hæres nuncupatus, redemptis annuis stipendiis reditibusve, bona fide cum sociis juxta testatoris mentem exsequutus est, &, quæ fieri ille voluit, cuncta adamussim accuravit. Is ipse memoriam in æde sacra cathedrali Basiliensi patrono optimo in columnari structura, cui saxum tumulum operiens Termino sculptili insigne adjacet, affigendam locavit in marmore Rhetico. Statura novit Majestas tua fuisse eum, ut ipse de* Moro *quadam Epistola scribit, infra proceritatem, supra tamen prorsus notabilem humilitatem. Corpusculo satis compacto & eleganti, sed quod esset tenerrimæ complexionis, & minimarum etiam rerum mutatione, puta vini, cibi, cœlive facile offenderetur, in senio crebris quoque calculi doloribus obnoxium: ut de pituita nihil dicam, alioqui perpetuo communique studiosorum omnium malo. Cute corporis & faciei candida, capillitio in juventa subflavo, oculis cæsiis, vultu festivo, voce exili, lingua pulcre explicita, cultu honesto & gravi, qui Cæsareum Consiliarium, Theologum & Sacerdotem deceret. Fuit in retinenda amicitia constantissimus, nullis unquam inscriptionibus quacunque de causa mutatis. Memoria felicissima: nam puer totum Terentium & Horatium memoriter complexus est. In egenos liberalis, quos, ut alibi, sic à sacro domum rediens per famulum nunquam non munerari solebat: maxime vero in bonæ spei & indolis adolescentes studiosos, si qui ad se viatico destituti venissent, largus, benignus, & munificus. In convictu comis & suavis citra omne supercilium: ubique certe* Ἐράσμιος, *h. e.* amabilis: *quod ille nomen a se dolebat non usurpatum, quum primum scribere cœpisset, & editis libellis innotescere:* Quis enim, *inquit,* quemquam mortalium Amorem audivit appellari, id quod Græcis significat Ἐρασμός? *De libris porro suis, quos in omni vita conscripsit innumeros, quà sacros, quà prophanos, conjunctim & universim edundis, vir modestissimus, nihil moriens statuit, opinatus futurum, ut cultioribus quotidie emergentibus ista sua scripta facile negligerentur. Ceterum, quum* Hieronymus Frobenius & Nicolaus Episcopius *Typographi sensissent ea à studiosis in eo ordine simul collecta desiderari, quem ipse, quum viveret, ad* Joannem Botzhemium *& postremo ad* Hectorem Bœotium *suarum lucubrationum catalogum recensens, indicavit, videlicet iis primum conjunctis, quæ vel ad institutionem litterarum vel ad pietatem pertinent, tum Moralibus, deinde Apologiis, & ultimo loco recognitis auctoribus suas partes implentibus, obsequendum studiosis rati, rem ausi sunt cum magnificam, tum omnium favore dignam, nulla nec sumtuum nec laborum magnitudine deterriti, quicunque tandem sequeretur eventus, modo ut voluminum ERASMI Tomos conficerent, auctoris Catalogum ad* Hectorem Bœotium, *tanquam recentiorem, potissimum sequuti: adjectis etiam ab* Amerbachio *suo quibusque loco iis, quæ postea idem ille ERASMUS elucubravit: omisso tamen Decimo Tomo, non nisi alios auctores ab ipso recognitos complectente: in quibus seorsum successu temporum excudendis, etiam suam operam studiosis iidem chalcographi pollicentur, si modo æquum experti fuerint lectorem. Quæ editio quum ob alia magni facienda est, tum ob hoc, quod tanti litterarum antistitis existimationi consulit, ne quis aut animo nocendi, aut quæstus studio, gratiam videlicet ERASMICI genii captans, deinceps aliquid illi tribuat, quod ipse non scripsit: id quod vivente eo, factum scimus: aut tanquam suum non agnovit, aut etiam agnitum, minime editione dignum existimavit. Quare, Clementissime* CAESAR, *veterum Imperatorum ac Regum exemplum imitatus, qui rem litterariam & honestas disciplinas tueri magnificum censebant, istum ERASMICORUM librorum Thesaurum, quo nihil universa res litteraria vel ornatius habet, vel utilius, vel pium magis, inter monumenta recentiorum, sartum tectum conservandum suscipe, hominis tot modis tui, sive patriam Hollandiam respicias, quæ te dominum agnoscit, sive Consiliarii dignitatem, quam tibi fideliter obivit, sive probi pectoris devotionem, quo nobilissimæ isti familiæ Austriacæ sive Burgundiacæ semper deditus fuit. Vere enim Regia res est, tueri litteras, quibus exstinctis miserabili caligine cuncta consundentur, nec homines à brutis animantibus different. M. Vitruvium haud puduit De Architectura scribere ad Octavium Augustum, qui in ordine vestro Romanorum Imperatorum secundus fuit, Julii ut hæres, ita successor: Dictionarium suum Pollux Græcus auctor Commodo Cæsari dedicat: Oppianus τὰ Ἁλιευτικὰ Antonino L. Sept. Severi F. inscribit: non quod Architectus esset Octavius, à quo struendarum ædium consilia peterentur: aut Commodus, Grammaticus: aut Physiologus, Antoninus: sed ut liberalium artium patronos agere meminissent tanti monarchæ. Et disciplinis quidem illi delectabantur ut docti, & à teneris recte instituti, non favebant tantum. Quin florebat ipsum Romanum Imperium ab hominibus virtute & eruditione excultis per diversa officia administratum. Sume ergo tibi lucubrationes ERASMICAS defendendas, vere τὸ τῆς ἀμαλθείας κέρας, partim quod in iis quædam tuæ Majestati privatim dicata sunt, velut Institutio Principis Christiani, & in Matthæi Euangelium Paraphrasis: partim quod ut tu summus es orbis Monarcha, sic etiam omnium commodis prospicere debes. Proderit autem orbi talem Thesaurum esse conservatum, nec sycophantis quibusdam & studiorum osoribus vel hujus intercipiendi vel concerpendi fieri potestatem, non quod ERASMO magnopere timendum sit, quem amare exstinctum incipiunt, qui vivum oderant:*

Pascitur *enim, ut Ovidius ait,* in vivis livor, post fata quiescit:

sed ut malevolis omnis vel calumniandi vel sinistri conatus ansa penitus amputetur. Id fiet, si tuæ Majestati quasi Ajacis clypeum opponas, & reipsa ostendas, non solum imminutæ Majestatis reos esse, qui in te Principem Romanum, sed & qui in Consiliarios tuos conspirant: id quod Honorius & Arcadius AA. *censuerunt. Quis enim rabularum non obmutescet, si protegentem* CAROLUM *viderit? quis illorum adspectu tui territus non terga dabit? quem Afri congredientem expaverunt, quum depulsum ditione sua Tunetensem Regem, ultramarina expeditione suscepta, rem maximam atque difficillimam ausus, feliciter & celeriter restitueres. Qui Italiæ pacem dedisti, inque ea jam diu nobilissimam regionem conservas. Qui proximis diebus Gandavensem tumultum in gravem totius Flandriæ perniciem erupturum, dicto citius compescuisti. Quem spes est Germaniæ nostræ pristinam concordiam resarturum lite partium utrimque audita, ac per tuam prudentiam, quà vales, auctoritatemque æquabiliter diremta. Atque utinam immortalitate dignus ERASMUS tantisper superfuisset, dum ista à te fortiter & præclare gesta suavissimo stylo suo memoriæ æternæ consecrasset. In nulla re ille, certo scio, libentius fuisset occupatus. Denique addam hoc unum, prius quam finem faciam: Glorientur cæteri Imperatores, hujus vel illius quamlibet magnæ persæpe etiam atrocis rei casu suum principatum factum insignem,* CAROLI CAESARIS *tempora candidissimi scriptoris ERASMI monumentis illustrata nunquam ignorabuntur; nam solet eruditissimi cujusque laus etiam in Principem redundare, sub quo vixerit, ut non dicam in cujus clientela fuerit numeratus. Bene valeat Majestas tua,* CAESAR *Invictissime, & ERASMI sui lucubrationes sibi commendatas perpetuo tueatur. Seletstadii, Calendis Juniis, Anno à* CHRISTO *nato* M. D. XL.

V I T A
DESIDERII ERASMI
R O T E R O D A M I,

Partim ab ipsomet Erasmo, partim ab amicis æqualibus exacte descripta.

D E S I D E R I I   E R A S M I
R O T E R O D A M I
E P I S T O L A
S E C R E T I S S I M A
A D
M. C O N R A D V M   G O C L E N I V M,

Latinæ Linguæ Lovanii Professorem, cum ipsi Vitæ suæ Compendium (quod subnexuimus) mitteret, ex ipsius manu fideliter repræsentata.

M. C O N R A D O   G O C L E N I O   S. D.

Ἀναγίνωσκε μόνος, καὶ λάθρα.



ESTAT extremus actus hujus fabulæ, ad quem peragendum opus est *Pylade*, h. e. tui simili. Nam hanc fiduciam concepi in te, neque quicquam addubito, quin sis eum animum præstiturus, quem hactenus præ te tulisti. Sed hic inprimis opus est profundo silentio, adeo ut nullum habeas tam intimum tibi, cui hoc credas arcani. Venissem ipse, sed & longa est via, & parum tuta, & arbitror hunc nuncium satis fidum. *Henricus Epphendorpius*, quem nosti, nebulo natus est ad omnem fucum ac malitiam, excitat nobis hic miras tragœdias, antehac admissus in intimam familiaritatem, quam fatetur sibi fuisse frugiferam. Certe, ut scribit *Petrus Mosellanus*, primum ex commendatione mea Dux *Georgius* dedit illi centum florenos, ut perficeret studia sua. Is per multa vagatus, tandem venit *Friburgum*. Ibi scortis, vino, & alea decoxit fortiter, & tantum æris alieni contraxit, ut nondum eo redire liceat. Commigravit *Basileam*, ac nobis se ingessit, versans interim in publico diversorio. Nemo hospes me hic invisebat, quin ille sese ingereret. Quum peterem *Constantiam*, ultro se ingessit comitem itineris. Fingebat meram familiaritatem, quum tamen aliquid moliretur tragœdiæ. Etenim jam tum apud *Joannem Botzemium*, apud quem tum mea causa humanissime complures dies tractabatur, clam effudit aliquid sui veneni. Et hic ab amicis submonebar, quam aliquando parum amice de me loqueretur. Interim venit *Huttenus*. Hunc multi quidem *Lutherani* instigaverunt, ut scriberet contra me, sed *Epphendorpius* instruxit aliquot sycophantiis, & subito *Hutteno* mei reverentiam excussit. Nam semper *Huttenus* me fuerat reveritus. Argumenta partim sumserat ex familiaritate nostra, partim istic hauserat è tragœdia *Alardica* & *Paschasiana*, quæ tibi notissima. Hinc sunt illi tituli *Presbytero Theologo*, *Presbytero* & *Scriba*, & crimen illud, quod minitatur *Otho Epphendorpium* mihi posse adspergere. Tam vero stultus est, ut, quum hic nemo non sentiat illum esse auctorem hujus fabulæ, tamen demiraretur se cuiquam esse suspectum, quum nemo viveret amantior *Erasmi*. Nec interim desinebat apud multos voces quasdam effundere, quibus prodebat animum suum. Et volebat uni mihi ignotum esse, quod nemo nesciebat. Tandem hic sparsa est quædam Epistola ridicula in me scripta, quæ tamen ad me non pervenit. Ubi *Huttenus* abisset hinc *Milthusium*, quo eum *Epphendorpius* deduxerat, reversus nunciavit *Huttenum* nescio quid scribere, fingens se magnopere dolere. Et hoc agebat, ut ab amicis extorqueretur pecunia, ne libellus ille prodiret. Mirum autem quibus technis hoc agebat apud me, apud *Frobenium*, apud *Bentium*. *Botzemum* etiam hac gratia evocarat *Constantia*. Interim *Huttenus* miserat exemplar Epistolæ, sed jam in aliquot exemplaria propagatæ. Ego cogitans, ne, quod res erat, extorta pecunia, tamen post edendum libellum etiam virulentiorem, monui amicos, ne quid darent. Egebant autem uterque misere, sicut hoc hominum genus solet. Debebat uterque animam. *Huttenus* hinc jussus est discedere. *Milthusi* tam erat invisus omnibus, ut, ni abisset, cives minarentur se perrupturos Monasterium *Augustinensium*, in quo latitabat, favore Secretarii. Media nocte dimissus, clanculum aufugit *Thuregium* (quæ civitas addictissima est doctrinæ *Zuinglianæ*, quam *Lutherus* nunc damnat; incipiens sero meminisse à me toties commendatæ modestiæ:) & illic paucis diebus latitabat; post aliquot dicbus versatus est extra civitatem apud sacerdotem quendam. Ubique vero amicos mulctabat pecunia. Tandem demigravit in insulam lacus *Tigurini*, ubi mortuus est. Sed ante mortem Epistola *Huttenica* etiam procul mittebatur ad *Germanos*, quod non possent invenire typographum. Nec invenissent, nisi scelerosus *Epphendorpius*, quum hic ob æs alienum ac suspiciones hominum non posset diutius vivere, sub prætextu, quasi peteret *Thermas Badenses*, commigraret *Argentoratum*. Ibi vix ægre persuasit typographo, nihil esse amarulentiæ. Et *Scotus* ille misere invidebat *Frobenio*, quemadmodum ferme omnes. Unde amicitia *Frobenii* mihi conflavit magnam invidiam. Tandem prodiit expostulatio sycophantæ, plena mendaciis, ut quisque in confabulatione suggesserat *Lutheranus*. Ego mox paraveram responsionem, sed adeo clam, ut nec *Frobenius*, nec *Beatus* sciret. Et propemodum decreveram premere. Sed instigantibus his emisi. Quum interea frequenter inter nos scriberemus *Huttenus* & Ego, venit una Epistola, quæ palam prodebat *Epphendorpii* perfidiam. Itaque cum gravaretur suspicione *Epphendorpii*, impetravit Epistolam ab *Hutteno*, qui tum erat *Thuregii*, quæ testaretur *Epphendorpium* semper dissuasisse, ne quid scriberet in *Erasmum*. Sed hoc adeo frigide scribebat, ut magis gravaret eum, quem purgabat. Atque interim *Epphendorpius* subornabat, qui mihi fictis nominibus red-

derent

derent fucatas Epiſtolas, ex quibus ſciebat, me ſuſpicaturum, quid ſibi vellet, nec tamen haberem * cum illo
expoſtulandi. Ego diſſimulatis his omnibus in *Spongia* illum civiliter tractavi, quando mentionem illius fieri ne-
ceſſum erat. Affinem ſcripſi *Hutteno*. Sic enim mihi perſuaſerat. At *Petrus Moſellanus* lecta *Spongia* reſcripſit: qui
affinis? quum conſtet illum eſſe plebejum. Attamen *Corebo Thraſonem* noſtrum offendebat, quod dictus eſſet *A-*
chates. Et edita *Spongia* expoſtulavit per litteras, ſimulans mirum affectum, quum interim ageret ſceleratam fabu-
lam. Et, ut perſpicias inſignem hominis malitiam, ex commendatione mea accepit *Baſilea* quinquaginta aureos.
Dicebatur Dux ad me miſiſſe munus regale, quod tamen non perlatum eſt. Suſpicatus ſum *Epphendorpium* in-
tercepiſſe. Nam fingebat ſuum famulum periſſe in itinere. Hoc præſtruebat, ſi forte reſciſſem ad me miſſam
pecuniam. Nondum, quid ſit certum, potui cognoſcere. Hoc unum ſcio, nihil illo eſſe ſceleratius. Habet ubi-
que ſuos exploratores juratos, ne quid agat, quod illum fugiat. Judicia *Melanchthonis* de *Hutteno* & *Epphendor-*
pio miſi *Nicolao Buſcoducenſi*. Vide, ut te ſerves integrum ab hac factione. Metuo cruentum exitum. Si noviſſem
ingenia ac perfidias *Germanorum*, citius migraſſem ad *Turcas* quam huc. De *Capitone* vehementer ſuſpicor, quod
deceptus fumis *Epphendorpii* communicarit illi noſtra arcana. Nam ſic purgat ſeſe, ut auxerit ſuſpicionem. Hoc
erat conſilium *Lutheranorum*, ut me minis abſterrerent, ne quid ſcriberem in *Lutherum*. Nam hoc ſparſerat *Joannes*
Faber. At nunc *Lutherus* ſcribit in ſeipſum, videns rem alio vergere, quam putarat, & exoriri populum non Euan-
gelicum, ſed diabolicum, cum interitu omnium bonorum ſtudiorum. Verum hiſce de rebus jam plus ſatis. Cer-
tum eſt hinc aliquo demigrare. In *Galliam* invitor, mirifico ſtudio, magniſque promiſſis: ſed terret hoc ver, quod
vereor, ne pariat cruentam ſtragem *Gallis*. Adeo eſt implacabilis Cæſaris animus, cui penitus infixum eſt, τὸ *Plus*
ultra. Pontifex favet, & qui apud Pontificem valent plurimum. Sed vito gladiatoriam arenam. Et non video quid
mihi tutum eſſe poſſit, ubi regnat *Aleander*, quantumvis diſſimulat. Cuperem hyemem agere *Patavii* ac *Venetiæ*.
Sed illinc avocarer *Romam*. Hærebimus hic ad octo dies, deinde ſtatuemus. Interea apparebit, quo ſe res inclinent.

Quum autem ſubinde pericliter de vita, ſupereſt, ut tibi amicorum ſinceriſſimo commendem id, quod ha-
beo cariſſimum, memoriam mei, quam ſuſpicor multis calumniis fore obnoxiam. Ita totius vitæ meæ compen-
dium tibi mitto, h. e. Ἰλιάδα κακῶν. Nihil enim unquam me natum eſt infelicius. Sed fortaſſe futuri ſunt,
qui multa affingent: Τοῦτο καλῶς ἔστω. Tamen ſi quid mihi contingat humanitus, volo, ut quadringenti Floreni au-
rei ſint tui: Trecenti Renenſes cedant *Jacobo Ceratino*: Philippici centum triginta *Melchiori Viandulo*: Quinqua-
ginta Floreni aurei & quadraginta ſex Renenſes cum dimidiato *Cornelio Grapheo*, quem ſuſpicor egere, virum di-
gnum meliore fortuna. De reliquis, h. e. de vaſis & annulis nondum ſtatui, ſed ſcribam brevi. Hæc opor-
tet te clam habere, adeo ut nulli mortalium committas, ne is, cui tu credideris, habeat alterum, cui tantum
credat, quantum ipſi creditum eſt, & ita res permaneat ad plures. Id fieret duplici incommodo: Primum inva-
derent pecuniam veteres mei ſodales, & ſunt illorum mores avidi. Deinde ſi mihi opus fuerit iſta pecunia ante
mortem, (ut fortaſſis erit, nam video miras rerum vices,) tum contriſtarentur hi, quos ſua ſpes eſſet fruſtrata.
Nunc & tutius erit, & beneficium erit gratius, quod præter ſpem obtigerit. Et tamen adverſus Harpyjas, ſi
forte olfecerint prædam, muniam te ſyngrapha, quam proferas poſt mortem meam, ſi res poſtulet. Et ta-
men ea nihil valebit, niſi me mortuo. Vide quam tibi fidam. Poſſes enim me fallere, ſed nihil tale metuo. Roga-
bis, quid officii à vobis poſtulem. Non onerabo pſalteriis & anniverſariis, ſed obnixe rogo, ut inter vos par-
titi operas, omnes lucubrationes meas evolvatis, & in ordinem digeſtas, & emendatas, committatis *Frobenio* ex-
cudendas. Hoc ſciebam te tua ſponte facturum, pro tua erga me pietate. Ducatos omnes velim committas *Levino*
noſtro, ſi modo videbitur huc tuto perventurus; in zona inſuat, quemadmodum *Hilarius*. Quod ſi quid accidat
tibi me vivo, quod omen avertant Superi, concerpes ſyngrapham, & pecuniam trades *Dorpio*, aut *Ægidio Bus-*
lidio, aut D. *Martino* hoſpiti meo, aut ſi quem habes amicum magis fidum. Non hortabor te, mi *Gocleni*, ut
huic affectui vere paterno in te reſpondeas, qui jam filii pietatem ubique præſtiteris. De his, quæ relinquam ali-
bi, cognoſces ex aliis, quid ſtatuerim. Nam & in his tui meminero, certus, me quicquid eſt hoc beneficii, pe-
nes hominem memorem & gratum collocaturum.

Juſſi ut de mea pecunia numeres *Ceratino* florenos aureos xxv. Id ſi factum eſt, *Graphei* ſummam ſarciam ex ea
pecunia, quæ eſt *Antverpiæ*. Scribam *Petro Ægidio*, ut tibi numeret illos xxv. ſi tu jam *Ceratino* numeraſti; ſi non
numeraſti, numeret ille, aut tu de pecuna *Petri Ægidii*.

Vellem te committere juveni cuipiam, ut relegat *Adagia* poſtremæ editionis cum collatione penultimæ. Nam
Michael Bentius multa depravavit ſua diligentia. Ex οἴῳ *ſoli*, ſemper fecit οἴῳ. Et contulit quædam loca à me ci-
tata ex *Græco Homero* ab *Aldo* excuſo, item ex *Cicerone Aldino*, quum *Aldina* ſint depravatiſſima. Loca, quæ notarit
juvenis, velim expendi per te, quum erit ocium.

De ſtatu meo, ſcias eum eſſe ſatis perplexum. Hic mihi res eſt cum deploratis, ac plane furiis, poſteaquam
Huttenus ſemel fregit glaciem, inſaniens in me. Damnat *Lutherus* factum, ſed *Melanchthon* mire odit *Huttenum*.
Et iſti ſtolidi jactant quaſi bellum facinus. *Buſchius* neſcio quid cudebat in me; ſed à *Melanchthone* cohibitus eſt. Si
peto *Italiam*, ſequentur me ſexcentis libellis furioſi Euangelici, clamitantes me præda corruptum defeciſſe ab
Euangelio, quum iſtud Euangelium nunquam ſim profeſſus. Si peto *Galliam*, quæ miro affectu eſt in me, calum-
niabuntur me confugiſſe ad hoſtem Cæſaris; & ſubodoror regiam Aulam ἀπολλωνίζειν. In *Brabantia* ſcis, quibus
monſtris datus ſit gladius. Brevi ſcies, quid ſtatuerim. Rex per litteras credentiales ſignificavit ſibi eſſe in animo
inſtituere novum collegium trilingue *Lutetiæ*. Eam præfecturam mihi obtulit, cum ingenti ſalario. Si recipio me
in *Galliam*, & datur occaſio commendandi tui, ſignificabo tibi. Et tu interim ſcribes per *Levinum*, quid habeas
animi erga *Galliam*. Et interea dum *Levinus* abeſt in *Anglia*, ſcribes per alium tribus verbis, an ille bona fide red-
diderit litteras.

In litteris ſcribendis eris cautiſſimus. Nam intercipiuntur omnia. Et *Epphendorpius* nuſquam non habet ſuos co-
rycæos. Celabis tamen, quod de illo ſcripſi, nec effuties niſi apud amicos eximios. *Dorpius*, ut videtur, muſſat.
Eſt aliquid monſtri, quod alitur apud Theologos, & ille natura timidus eſt. Scripſi D. *Decano*, & *Ægidio Bus-*
lidio in commendationem tui. *Carolus Harſtus* apud me vivit famuli loco. Nam videtur fidus amicus. Nec video,
quo modo ſeſe explicet è labyrintho τοῦ γάμου, ut cauſam video. *Hilarius* mihi gratiſſimus eſt. *Hovius* agit *Romæ*,
nunc demum amans mei. Hic me ſuis moribus intractabilibus pene adegerat ad inſaniam. Nec illo multo commo-
dior fuit *Levinus*. Uterque tamen magno ſuo bono fuit apud me. *Hovium* ſolum *Eraſmi* nomen alit *Romæ*. *Levinus*
pulchre profecit in litteris potius, quam in moribus. Cui tamen benefaciam, quanquam nolim illum quicquam
harum rerum ſcire *Levinum*, nec omnino ullum mortalium præter nos duos. De fide nihil dubito, tamen ob caſus
inexſpectatos expedierit, ut per *Levinum* mittas ſyngrapham, qua teſteris ſyngrapham illam de pecuniis deſtri-
buendis nihil valere me vivo, ſed ob certas cauſas id eſſe confictum.

Quum hæc ſcripſiſſem, reddidit *Frobenius* binas abs te litteras. Riſi noſtrum *Egmondanum*: Plane morionem
agit. Nondum ex te ſcire potui, an receperis litteras, quas miſi per *Antonium Minoritam*. Nam is cœpit mihi
eſſe ſuſpectus, poſteaquam ajebat ſe velle inviſere *Paſchaſium*. Ne temere ſcribas per quemlibet. Nam *Epphendor-*
phius eſt *Argentorati*, & per ſuos corycæos omnes litteras intercipit, homo ad omne ſcelus natus. Bene vale. *Baſi-*
leæ, Sabbato poſt Paſcha.

COM-

COMPENDIVM VITÆ DESIDERII ERASMI ROTERODAMI,

Cujus ipse in EPISTOLA præcedente facit mentionem.

Æternum illud Naturæ miraculum, DESIDERIVS ERASMVS.

NATVS est *Roterodami* in vigilia *Simonis* & *Judæ* Apostolorum. Mater ejus dicta est *Margareta*, filia medici cujusdam *Petri*. Ea erat è *Septimontio*, vulgo *Zevenberge*. Fratres illius duos vidit *Dordraci* pene nonagenarios. Pater dictus est *Gerardus*. Is clam habuit rem cum dicta *Margareta*, spe conjugii. Et sunt, qui dicant intercessisse verba. Eam rem indigne tulerunt & parentes *Gerardi*, & fratres. Pater erat *Helias*, mater *Catharina*: uterque pervenit ad extremam senectutem, *Catharina* pene ad nonagesimum quintum annum. Fratres erant decem, nulla soror; ex eodem patre & matre, omnes conjugati. *Gerardus* erat natu minimus, uno excepto. Visum est omnibus, ut ex tanto numero unus Deo consecraretur. Nosti affectus senum. Et fratres nolebant minui rem, sed esse apud quem ipsi convivarentur. *Gerardus* videns se modis omnibus excludi à matrimonio magno consensu omnium fecit, quod solent desperati, clam aufugit, & ex itinere misit parentibus & fratribus Epistolam cum manu manum complexa; addito elogio, *Valete, nunquam vos videbo.* Interim relicta est sperata conjunx gravida. Puer alitus est apud aviam. *Gerardus Romam* se contulit. Illic scribendo (nam tum nondum erat ars Typographorum) rem affatim paravit. Erat autem manu felicissima. Et vixit juveniliter. Mox applicuit animum ad honesta studia. *Græce* & *Latine* pulcre calluit. Quin & in Juris peritia non vulgariter profecerat. Nam *Roma* tunc doctis viris mire floruit. Audivit *Guarinum*. Omnes auctores sua manu descripserat. Parentes ubi rescifcunt eum esse *Romæ*, scripserunt illi, puellam, cujus matrimonium ambierat, esse vita defunctam. Id ille credens, præ mœrore, factus est Presbyter, totumque animum ad religionem applicuit. Reversus domum comperit fraudem. Nec illa tamen unquam post voluit nubere, nec ille unquam tetigit eam. Puerum autem curavit liberaliter educandum, & vix quatuor annos egressum misit in ludum litterarium. Ac primis annis minimum proficiebat in litteris illis inamœnis, quibus natus non erat. Ubi nonum ageret annum, misit *Daventriam*: mater sequuta est, custos & curatrix teneræ ætatis. Ea schola tunc adhuc erat barbara. Prælegebatur *Pater meus*: exigebantur tempora: prælegebatur *Ebrardus*, & *Joannes* de *Garlandia*; nisi quod *Alexander Hegius* & *Zinthius* cœperant aliquid melioris litteraturæ invehere. Tandem ex pueris collusoribus, qui grandiores natu audiebant *Zinthium*, primum cepit odorem melioris doctrinæ: post aliquoties audivit *Hegium*, sed non nisi diebus festis, quibus legebat omnibus. Hic pervenit ad classem tertiam: tum pestis vehementer ibi sæviens sustulit matrem, relicto filio, jam annum decimum tertium agente. Quum pestis indies magis ac magis incrudesceret, tota domo, in qua agebat, desolata, reversus est in patriam. *Gerardus*, accepto tristi nuncio, cœpit ægrotare, ac paulo post mortuus est. Uterque decessit non multo supra annum quadragesimum. Tres tutores instituit, quos habebat fidissimos. Horum præcipuus erat *Petrus Winckel*, tum ludi litterarii magister *Gaudæ*. Legavit rem mediocrem; si tutores bona fide administrassent. Itaque ablegatus est in *Buscumducis*, quum jam satis maturus esset Academiæ. Verum illi Academiam metuebant, quod statuerant puerum Religioni alere. Illic vixit, h. e. perdidit annos ferme tres, in ædibus Fratrum, ut vocant: in quibus tum docebat *Romboldus*. Quod genus hominum jam late se spargit per orbem, quum sit pernicies bonorum ingeniorum, & seminaria Monachorum. *Romboldus*, qui mire adamabat ingenium pueri, cœpit eum sollicitare, ut suo gregi accederet. Puer excusabat inscitiam ætatis. Hic exorta peste, quum diu laborasset febri quartana, reversus est ad tutores, jam stylo quoque satis prompto, ex aliquot auctoribus bonis parato. Unus tutor perierat peste: cæteri duo, re non admodum bene gesta, cœperunt agere de Monasterio. Adolescens languens febri, quæ supra annum illum tenuerat, non abhorrebat à pietate: cæterum à Monasterio abhorrebat. Itaque sinunt diem ad cogitandum. Interim tutor subornat, qui pelliceant, qui minitentur, qui perpellant animum imbecillem. Atque interea repererat locum in Monasterio Canonicorum, qui vulgo vocantur *Regulares*, in collegio, quod est juxta *Delft*, dicto *Sion*: quæ domus est principalis ejus Capituli. Ubi dies venisset respondendi, respondit prudenter adolescens: se nondum scire, neque quid esset mundus, neque quid esset Monasterium, neque quid esset ipse: proinde videri consultius, ut adhuc annos aliquot agat in scholis, donec sibi notior esset. Hæc cum videret constanter dici ab adolescente, statim infremuit *Petrus*: *Ergo*, inquit, *frustra laboravi, qui talem locum tibi magnis precibus pararim: tu es nebulo; non habes spiritum bonum: abdico tutelam tuam. Vide, unde alaris.* Adolescens respondit, se accipere abdicationem, & ea esse ætate, ut non opus sit tutoribus. Ubi vidit se minis nihil proficere, subornat fratrem, qui & ipse tutor erat, negotiatorem. Is blanditiis agit. Accedunt instigatores undique. Habebat sodalem, qui prodidit amicum. Et urgebat febris: nec tamen arridebat Monasterium, donec forte fortuna viseret monasterium ejusdem ordinis in *Emaus* sive *Steyne*, juxta *Gaudam*. Ibi reperit *Cornelium*, quem *Daventriæ* habuerat sodalem in eodem cubiculo. Is nondum acceperat sacrum illum cultum: viderat *Italiam*, sed redierat parum doctus. Hic suum agens negocium, cœpit mira loquentia depingere vitæ genus sanctissimum, copiam librorum, otium, tranquillitatem, sodalitatem Angelicam. Quid non? Trahebat affectus ille puerilis ad veterem sodalem. Alii alliciebant, alii propellebant. Onerabat febris. Hunc locum delegit, altero fastidito; lactabatur interim, donec haberet sacram vestem. Interea, tametsi adolescens, sensit quam non esset illic vera pietas. Et tamen totum illum gregem excitavit ad studium. Parantem abire ante professionem partim pudor humanus, partim minæ, partim necessitas coercuit. Tandem per occasionem innotuit Episcopo *Cameracensi*, *Henrico à Bergis*. Is sperabat Cardinalitium galerum; & habuisset, nisi defuissent præsentes nummi. Ad hoc iter optabat hominem Latine doctum. Itaque per hunc evocatus est, cum auctoritate Episcopi *Trajectensis*, quæ sola sufficiebat. Et tamen ille adjunxit auctoritatem Prioris & Generalis. Concessit in familiam Episcopi, servato tamen habitu. Quum Episcopus esset destitutus spe galeri, sentiretque illum in amore parum constantem erga omnes, egit, ut iret *Lutetiam* studii gratia. Promissum est stipendium annuum: nihil missum est. Sic solent Principes. Illic in collegio *Montis Acuti* ex putribus ovis & cubiculo infecto concepit morbum, h. e. malam corporis, antea purissimi, affectionem. Itaque rediit ad Episcopum. Acceptus est honorifice. Recreatus est à morbo *Bergis*, revisit *Hollandiam*, hoc animo, ut maneret apud suos. Sed ipsis ultro hortantibus, rediit *Lutetiam*. Ibi, destitutus auxilio *Mæcenatis*, vixit verius, quam studuit: & ob pestilentiam ibi multis annis perpetuam, singulos annos redeundum erat in patriam. A studio Theologiæ abhorrebat, quod sentiret animum non propensum, ut omnia illorum fundamenta subverteret; deinde futurum, ut hæretici nomen inureretur. Tandem,

dem, ubi totum annum sæviret pestis, coactus est *Lovanium* commigrare: Ante inviserat *Angliam* in gratiam *Montjoii*, tum discipuli, nunc *Mæcenatis*; sed amici verius, quam benigni. Id temporis omnium bonorum apud *Anglos* benevolentiam sibi conciliavit, ob id præsertim, quod spoliatus in littore *Dovariensi*, non solum non ultus sit injuriam; sed mox emiserit libellum in laudem Regis, & totius *Angliæ*. Tandem è *Gallia* magnis promissis revocatus est in *Angliam*: quo tempore nactus est amicitiam Archiepiscopi *Cantuariensis*. Ubi promissa non apparerent, petiit *Italiam*: cujus adeundæ desiderio semper arserat. Egit paulo plus quam annum *Bononiæ*, jam vergente ætate, h. e. ferme quadragenarius. Inde contulit se *Venetias*, & edidit *Adagia*: inde *Patavium*, ubi hibernavit: mox *Romam*, quo jam fama celebris ac plausibilis præcesserat. *Raphaeli*, Card. S. *Georgii*, præcipue carus fuit. Non defuisset ampla fortuna, nisi mortuo Rege *Henrico* VII. & successore VIII. amicorum litteris amplissima pollicentibus revocatus esset in *Angliam*. Illic decreverat reliquum ætatis peragere: verum ubi nec tum quidem præstarentur promissa, subduxit se in *Brabantiam*, invitatus in aulam *Caroli* nunc Cæsaris, cui consiliarius factus est opera *Joannis Sylvagii*, Cancellarii magni. Cætera sunt tibi nota. Mutati cultus rationem reddidit in libello primo, quo respondet *Leicis* sycophantiis. Formam ipsi describetis. Valetudo semper fuit tenera; unde crebro tentabatur febribus, præsertim in Quadragesima ob piscium esum, quorum solo odore solebat offendi. Ingenium erat simplex; adeo abhorrens à mendacio, ut puellus etiam odisset pueros mentientes, & senex ad illorum adspectum etiam corpore commoveretur. Linguæ inter amicos liberioris, nonnunquam plus quam sat esset: & sæpe falsus, non poterat tamen amicis diffidere. Putidulus erat, neque quidquam unquam scripsit, quod ipsi placeret: ac ne facie quidem propria delectabatur: vixque extortum est amicorum precibus, ut se pingi pateretur. Dignitatum ac divitiarum perpetuus contemptor fuit: neque quidquam habuit prius otio, ac libertate. Candidus æstimator alienæ doctrinæ, & fautor ingeniorum unicus, si fortuna suppetisset. In provehendis bonis litteris nemo magis profecit, gravemque ob hanc rem invidiam sustinuit à barbaris & Monachis. Usque ad annum L. nec impetiverat quenquam, nec impetitus est à quoquam stylo. Idque habebat sibi propositum omnino stylum incruentum servare. A *Fabro* primum est impetitus: nam *Dorpiana* orsa suppressa sunt. In respondendo semper erat * civilitate. *Lutherana* tragœdia oneraverat illum intolerabili invidia, discerptus, ab utraque parte, dum utrique studet consulere. Augebo catalogum operum meorum: ex hoc quoque multa colligentur. Scripsit ad me *Gerardus Noviomagus* quosdam meditari vitam *Erasmi*, partim carmine, partim oratione. Ipse cupiebat instrui secreto: sed non ausus sum mittere. Si contingat cum illo colloqui, poteris illi communicare. Nec tamen expedit aliquid tentare de vita, nisi res ipsa urgeat. Sed his de rebus fortassis alias, aut etiam coram.

Hæc ubi scripsissem, venit *Berckman* onustus mendaciis. Scio quam sit difficile, continere arcanum; tamen uni tibi credo omnia. Celebravi *Viandulum* nostrum: *Livinus* exhibebit libellum hortare *Ceratinum*, ut, si quando relegat auctorem, adnotet aliqua. Favendum est *Frobenio*: ego non possum illi semper adesse. Et ejus causa gravor magna invidia. Nosti, quam sint figuli. Rursum vale.

Cum supra annotatum sit obiter, Erasmum *à Monachismo Monasteriove abhorruisse; nolim te lateat, elaboratam hujus Compendii Paraphrasin, & præclaram diffusionem esse Epistolam* V. *satis prolixam, quæ legitur Libro* XXIV. *ad* Lambertum Grunnium, *Scribam Apostolicum; ubi, sub nomine* Florentii *(omine haud falso) se describit* Erasmus. *Notat etiam, inter alia, sequens hæc Epistola, quam ob causam Monasterio, cui se invitus satis manciparat, fuerit egressus; imo cujus auctoritate evocatus. Quum enim lapsu temporis eo nomine multorum calumniis vir pius objiceretur, & Servatius etiam, qui Patris dignitate cœnobio huic præerat, litteris eum revocaret, nervosam ad eum scripsit Epistolam, qua se vitæ Monasticæ calamitates ferre non posse testabatur, rationibus additis, quibus motus, vestibus se exuerat Monasticis. Eam ideo à clarissimo viro* Petro Scriverio, Erasmi *nostri studiosissimo acceptam, hoc loco adponere operæ precium duxi; cum quod in* Epistolarum *volumine nusquam compareat, tum quod universæ vitæ rationem, uti scribens ipse inibi loquitur, exponat.*

REVERENDO

PATRI SERVATIO ERASMUS

S. P. D.

HUMANISSIME Pater, Litteræ tuæ per plurimorum jactatæ manus, tandem ad me quoque pervenerunt jam *Angliam* ingressum, quæ mihi sane voluptatem incredibilem attulerunt, quæ veterem illum tuum in me animum adhuc spirant. Paucis autem respondeo, utpote ex itinere jam scribens, & ad ea potissimum, quæ tu scribis, & ad rem maxime pertinent. Tam varia est hominum sententia, & suus cuique est avium cantus, ut omnibus satisfieri non possit. Ego certe hoc sum animo, ut, quod sit factu optimum, sequi velim, testis est mihi Deus, nam si quid olim juveniliter sensi, id partim ætas, partim rerum correxit usus. Nunquam fuit consilium vel vitæ genus, vel cultum mutare, non quod probarem, sed ne cui scandalo essem. Scis enim me ad id vitæ genus tutorum pertinacia, & aliorum improbis hortatibus adactum magis quam inductum. Tunc *Cornelii Werdeni* conviciis, & pudore quodam fuisse retentum, quum intelligerem, mihi hoc vitæ genus haudquaquam aptum esse. Nam non omnibus congruunt omnia. Jejuniorum impatiens semper fui, idque peculiari quadam corporis ratione. Semel excitatus à somno, nunquam potui redormiscere, nisi post horas aliquot. Ad litteras tantum rapiebatur animus, quarum isthic nullus usus. Adeo ut non dubitem, quin si in liberum aliquod vitæ genus incidissem, non solum inter felices, verum etiam inter bonos potuissem numerari. Itaque cum intelligerem me nequaquam esse idoneum isti generi vitæ, & coactum non sponte suscepisse, tamen quia receptum est (publica nostri seculi opinione) piaculum esse, à semel suscepto vitæ genere discedere, decreveram & hanc infelicitatis meæ partem perpeti. Scis enim me multis in rebus infortunatum esse, at unum hoc cæteris omnibus gravius esse duxi, quod in hujusmodi vitæ genus detrusus essem, à quo tum animo tum corpore essem alienissimus: Animo, quod à cærimoniis abhorrerem, & libertatis amans essem: Corpore, quod etiamsi maxime placuisset vitæ institutum, corporis natura non ferebat istiusmodi labores. At objiciet mihi aliquis annum probationis (ut vocant) & ætatem maturam. Ridiculum, quasi quis postulet, ut puer anno decimo septimo, maxime in litteris educatus, norit seipsum, quod magnum est, etiam in sene: An anno uno id discere potuerit, quod multi cani nondum intelligunt? Quanquam ipse nunquam probavi, & gustatum jam multo minus, sed iis, quas dixi, rationibus sum irretitus. Tametsi fateor eum, qui vere sit bonus, in quovis vitæ genere bene victurum. Nec diffitcor me ad magna vitia fuisse propensum, non tamen usque adeo corrupta natura, quin si commodus accessisset gubernator, & vere *Christianus*, non *Judaice* superstitiosus, potueram ad bonam duci frugem. Hoc igitur interim spectavi, in quo vitæ genere minime malus essem, atque id sane me assecutum puto. Vixi interim inter sobrios, vixi in studiis litterarum,

quæ me à multis vitiis avocaverunt. Licuit consuetudinem habere cum viris vere *Christum* sapientibus, quorum colloquiis factus sum melior. Nihil jam jacto de libris meis, quos fortassis vos contemnitis: at multi fatentur redditos eorum lectione non solum eruditiores, verum etiam meliores. Pecuniæ studium nunquam me attigit. Famæ gloria nec tantillum tangor. Voluptatibus, etsi quondam fui inquinatus, nunquam servivi. Crapulam, ebrietatem semper horrui fugique. Quoties cogitabam de repetendo contubernio vestro, succurrebat invidia multorum, contemtus omnium, colloquia quam frigida, quam inepta, quam non sapientia *Christum;* convivia quam laica, denique tota vitæ ratio, cui ἣν ἀφαιρῇς τὰς, ὡς καλοῦσι, καιρεμονίας, οὐκ οἶδα τί ἂν ὑπολείποις ἐξαίρετον. Postremo succurrebat corporis imbecillitas, quæ jam ætate & morbis, ac laboribus aucta est, quæ facit, ut nec vobis satisfacturus essem, & meipsum occiderem. Jam annis aliquot obnoxius sum calculo, gravi sane morbo & capitali. Jam annis aliquot nihil bibo, nisi vinum, neque quodvis vinum, idque cogente morbo. Non fero quemvis cibum, nec cœlum quidem quodlibet. Nam morbus hic facile recurrens, maximam postulat vitæ moderationem: & novi cœlum *Hollandicum*, novi victus vestri rationem, ut de moribus nihil dicam. Itaque si rediissem, nihil aliud fuissem assecutus, nisi quod vobis molestiam attulissem, mihi mortem. Sed tu fortassis bonam felicitatis partem existimas inter confratres emori. At fallit & imponit ista persuasio, non solum tibi, verum etiam propemodum universis. In loco, in cultu, in victu, in cærimoniolis quibusdam *Christum* & pietatem collocamus. Actum putamus de illo, qui vestem albam commutavit in nigram, aut qui cucullam pileo, qui locum subinde mutet. Ausim illud dicere μέγιστον τῆς Χριστιανῆς εὐσεβείας ὄλεθρον, ἐκ τούτων, ἃς καλοῦσι, ῥελιγιώνων ἐκπεπηδῆσθαι· tametsi pio fortassis studio primum inductæ sint. Deinde paulatim creverunt, & in sex millia sese discriminum sparserunt. Accessit summorum Pontificum auctoritas nimium ad multa facilis & indulgens. Quid enim laxis istis religionibus, ἢ μιαρώτερον, ἢ ἀσεβέστερον; Jam ad laudatas si te conferas, imo laudatissimas, εἰ μὴ ψυχράς τινας καὶ Ἰουδαϊκὰς θρησκείας, haud scio quam *Christi* reperias imaginem. Ex his sibi placent, ex his alios judicant & contemnunt. Quanto majus est è *Christi* sententia totum orbem *Christianum* unam domum & velut unum habere Monasterium, omnes concanonicos & confratres putare? Baptismi sacramentum summam religionem ducere, nec spectare ubi vivas, sed quam bene vivas. Vis me sedem stabilem figere, quod etiam ipsa suadet senectus. At laudatur *Solonis*, *Pythagoræ*, *Platonisque* peregrinatio. Vagabantur & Apostoli, præcipue *Paulus*. *D. Hieronymus* etiam monachus, nunc *Romæ* est, nunc in *Syria*, nunc in *Africa*, nunc alibi atque alibi: & canus etiam sacras prosequitur litteras. At non sum cum hoc conferendus, fateor; sed tamen nunquam mutavi locum, nisi vel peste cogente, vel studii causa, vel valetudinis, & ubicunque vixi (dicam enim de me fortassis arrogantius, sed tamen vere) probatus sum à probatissimis, laudatus sum à laudatissimis. Nec ulla est regio, nec *Hispania*, nec *Italia*, nec *Anglia*, nec *Scotia*, quæ me ad suum non invitet hospitium. Etsi non probor ab omnibus, (quod nec studeo) certe primis placeo. *Romæ* nullus erat Cardinalis, qui me non tanquam fratrem acciperet, cum ipse nihil tale ambirem: præcipue vero Cardinalis *S. Georgii*, Cardinalis *Bononiensis*, Cardinalis *Grimanus*, Cardinalis *Navetensis*, & hic ipse, qui nunc Pontifex Maximus est, ut ne dicam de Episcopis, Archidiaconis, & viris eruditis. Atque hic honos non tribuebatur opibus, quas etiam nunc non habeo, nec desidero; non ambitioni, à qua semper fui alienissimus; sed litteris duntaxat, quas nostrates rident, *Itali* adorant. In *Anglia* nullus est Episcopus, qui non gaudeat à me salutari, qui non cupiat me convivam, qui nolit domesticum. Rex ipse paulo ante patris obitum, cum essem in *Italia*, scripsit ad me suapte manu litteras amantissimas, nunc quoque sæpe sic de me loquitur, ut nemo honorificentius, nemo amantius; & quoties cum saluto, blandissime amplectitur, & oculis amantissime obtuetur, ut intelligas eum, non minus bene de me sentire, quam loqui. Regina conata est me sibi præceptorem adsciscere. Nemo est, qui nesciat, quin si vel paucos menses velim in aula Regis vivere, quantum libeat sacerdotiorum mihi accumulaturum; sed ego huic otio meo, & studio, & laboribus omnia posthabeo. *Cantuariensis* Archiepiscopus totius *Angliæ* primas & regni hujus Cancellarius, vir doctus & probus, me sic amplectitur, ut si pater essem, aut frater, non posset amantius. Et ut intelligas hoc cum ex animo facere, dedit mihi sacerdotium centum fere nobilium, quod postea, volente me, in pensionem centum coronatorum mutavit, ex mea resignatione; ad hæc dedit dono supra CCCC. nobiles. His pauculis annis, idque nihil unquam petenti, dedit uno die nobiles CL. ab aliis. Episcopis supra C. nobiles accepi gratuita liberalitate oblatos. D. *Montjojus* hujus regni Baro, quondam meus discipulus, dat annue mihi pensionem C. coronatorum. Rex & Episcopus *Lincolniensis*, qui nunc per Regem omnia potest, magnifice multa promittit. Sunt hic duæ Universitates, *Oxonia* & *Cantelbergia*, quarum utraque ambit habere me: nam *Cantelbergiæ*, menses complures docui *Græcas* & sacras litteras, sed gratis, & ita facere semper decretum est. Sunt hic Collegia, in quibus tantum est religionis, tanta vitæ modestia, ut nullam religionem non sis contemturus, si videas. Est *Londini* D. *Joannes Coletus* D. *Pauli* Decanus, vir, qui summam doctrinam cum admirabili pietate copulavit, magnæ apud omnes auctoritatis. Is me sic amat, id quod sciunt omnes, ut cum nemine vivat libentius quam mecum: ut omittam alios innumeros, ne sim vobis molestus, & jactantia & loquacitate. Jam ut de operibus dicam aliqua: *Enchiridion* opinor te legisse, quo non pauci fatentur se ad pietatis studium inflammatos; nihil mihi arrogo, sed gratulor *Christo*, si quid per me boni contigit illius dono. *Adagiorum* opus ab *Aldo* impressum an videris nescio: Est quidem profanum, sed ad omnem doctrinam utilissimum, mihi certe inæstimabilibus constitit vigiliis. Edidi opus *De Rerum Verborumque copia*, quod inscripsi *Coleto* meo, opus utilissimum concionaturis; at ista contemnunt ii, qui omnes bonas contemnunt litteras. His duobus annis, præter alia multa, castigavi *Hieronymi Epistolas;* adulterina & subdititia obelis jugulavi, obscura scholiis illustravi. Ex *Græcorum* & antiquorum codicum collatione castigavi *Novum* totum *Testamentum*, & supra mille loca annotavi non sine fructu Theologorum. Commentarios in *Epistolas Pauli* cœpi, quos absolvam, ubi hæc edidero. Nam mihi decretum est in sacris immori litteris. In hisce rebus colloco otium & negocium meum. In iis magni viri dicunt me valere, quod alii non valent. In vestro vitæ genere nihil valiturus sum. Cum tam multis doctis & gravibus viris habui consuetudinem & hic, & in *Italia*, & in *Gallia:* neminem adhuc reperi, qui mihi consuleret, ut ad vos me reciperem, aut qui hoc judicaverit melius. Quin & ipse felicis memoriæ D. *Nicolaus Wercerus*, qui te præcessit, semper mihi hoc solitus erat dissuadere, suadens ut alicui Episcopo potius me adjungerem, addens se nosse & animum meum, & fraterculorum suorum mores: nam iis utebatur verbis lingua vernacula. Et in hoc vitæ genere, in quo sum, video, quæ fugiam; sed, quid potius sequar, non video. Nunc restat, ut de ornatu quoque tibi satisfaciam. Semper antehac usus sum cultu Canonicorum, & ab Episcopo *Trajectino*, cum essem *Lovanii*, impetravi, ut sine scrupulo uterer scapulari lineo, pro veste linea integra, & capitio nigro, pro pallio nigro, juxta morem *Lutetiorum*. Cum autem adirem *Italiam* viderемque toto itinere Canonicos magna veste cum scapulari, ne quid offenderem novitate cultus, veste nigra illic uti cœpi cum scapulari. Postea pestis orta est *Bononiæ*, & illic, qui curant, peste laborantes, linteum album ex humeris pendens, ex more gestant; hi congressus hominum fugitant. Itaque cum die quodam doctum amicum viserem, quidam nebulones eductis gladiis parabant me invadere: fecissentque, ni matrona quædam admonuisset Ecclesiasticum me esse. Altero item die cum Thesaurarii filios adirem, utrimque cum fustibus in me concurrerunt, & pessimis clamoribus. Itaque à bonis viris admonitus, occultavi scapulare, & impetravi

veniam

veniam à *Julio II.* ut ornatu religionis uterer, aut non uterer, ut mihi visum esset, modo vestem haberem sa-
cerdotalem. Et si quid ante peccatum esset ea in re, litteris id totum condonavit. In *Italia* ergo perseveravi,
veste sacerdotali, ne mutatio esset alicui scandalo. Postquam autem in *Angliam* redii, decrevi meo solito uti
ornatu, & domum arcessito amico quodam primæ laudis, & in vita, & in doctrina ostendi cultum, quo uti
statuissem. Rogavi an in *Anglia* conveniret? probavit, atque ita in publicum prodii. Statim admonitus sum
ab aliis amicis, eum cultum in *Anglia* ferri non posse, ut celarem, celavi: & quoniam non potest celari, quin
aliquando deprehensus scandalum pariat, reposui scrinio, & veteri Pontificis auctoritate sum usus usque adhuc.
Excommunicant Pontificiæ leges eum, qui religionis habitum abjecerit, quo liberius inter seculares versetur.
Ego coactus deposui in *Italia*, ne occiderer quidem, deinde coactus deposui in *Anglia*, quia tolerari non poterat,
cum ipso multo maluerim uti. At nunc denuo recipere plus gigneret scandali, quam mutatio ipsa gignebat. Ha-
bes universam vitæ meæ rationem, habes meum consilium. Cupio & hoc vitæ genus mutare, si quod videro me-
lius. Sed in *Hollandia* quid agam, non video. Scio non conventurum cum cœlo, neque cum victu, omnium
oculos in me excitabo. Redibo senex & canus, qui juvenis exivi. Redibo valetudinarius. Exponar contem-
ptui etiam infimorum, solitus & à maximis honorari. Studia mea compotationibus permutabo. Nam quod
polliceris officium tuum in quærenda sede, ubi cum maximo, ut scribis, vivam emolumento; quid sit, non pos-
sum cogitare, nisi forte collocabis me apud monachas aliquas, & serviam mulieribus, qui Archiepiscopis, nec
Regibus servire volui. Emolumentum nihil moror, neque enim studeo ditescere, modo tantum sit fortu-
næ, ut valetudini, & otio litterarum suppetat, & vivam nulli gravis. Atque utinam liceat hisce de rebus coram
commentari: nam litteris nec satis commode nec tuto licet. Tuæ enim quanquam per certissimos missæ tunc sic
aberrarant, ut nisi ipse casu in arcem hanc me contulissem, nunquam fuerim visurus, & accepi jam à pluribus
inspectas. Quare ne quid scripseris arcani, ni certo cognoveris ubi sim, & nuncium nactus sis fidelissimum. Pe-
to nunc *Germaniam*, i. e. *Basileam*, editurus lucubrationes meas. Hac hyeme fortassis futurus *Romæ*. In re-
ditu dabo operam, ut pariter colloquamur alicubi. Sed nunc æstas ferme præteriit, & longum est iter. De
morte *Guilhelmi*, *Francisci*, & *Andreæ*, sciebam ex *Rasbondo*, & ejus uxore. Dominum *Henricum* resaluta dili-
genter, reliquosque, qui tecum vivunt, omnes, in quos habeo eum animum, quem debeo. Nam pristinas tragœ-
dias imputo erratis, aut (si ita vis) meis fatis. Litteras tuas tertio à Pascha die scriptas accepi Nonis Juliis. Ro-
go ut salutem meam tuis piis votis *Christo* commendare non negligas. Cui si certo scirem rectius fore consultum, si
ad vestrum rediero contubernium, hac die ad iter accingerer. Bene vale quondam sodalis suavissime, nunc pater
observande. Ex arce *Hammensi* juxta *Calecium*, postridie Nonas Julias.

DESIDERII ERASMI VITA,

PER

BEATUM RHENANUM:

Ex EPISTOLA *dedicatoria in fronte Operum* ORIGENIS, *ab* ERASMO *recognitorum*, *Anno* CIƆ IƆ XXXVI.

REDIERAT *(Erasmus) Friburgo Brisigavorum Basileam* anno superiori, quum ut *Ecclesiastæ* sive operi *De ratione Concionandi* typis *Frobenianis* edundo præsens adesset, ac partem restantem illic absolveret (nam deerat ad finem aliquid) tum ut valetudinem adversam, qua *Friburgi* laborare cœperat, cœli mutatione discuteret. Neque enim discessit quasi non rediturus, quum illic, ut in ditione invictissimi *Romanorum*, *Hungariæ*, *Bohemiæ*que Regis *Ferdinandi*, qui virum ejus Reipublicæ primoribus per litteras accurate commendaverat, quum primum illuc se conferret, lubentissime vixerit, toto septennio non solum optimo cuique ejus Academiæ carus, verumetiam Magistratibus, civibusque haud vulgariter amatus atque reverentissime cultus. Sed quum ab illustrissima *Hungariæ* Regina *Maria* ac aula *Brabantica* iterum ac iterum vocaretur, misso pridem viatico, cogitans ille de fide sua liberanda, qua reditum in inferiorem *Germaniam* certo foret non semel pollicitus, supellectilem suam omnem *Friburgo Basileam* curavit avehendam, ut illinc in *Brabantiam*, quum visum esset, secundo *Rheno* navigaret. Hoc molientem & æstatis tempore satis commode habentem articularis morbus, quo *Friburgi* conflictatus ante fuerat, sic hominem lecto sub autumnum rursus affixit, ut hunc raro sit egressus, cubiculum semel tantum. Et tamen in tantis membrorum cruciatibus, si quando vel minimum conquievissent, nunquam scribere destitit. Testis est *Commentariolus De puritate Ecclesiæ*, & hæc *Origenis recognitio*. Tandem viribus paulatim deficientibus, mensem enim ferme integrum dysenteria laboravit, quum sentiret jam instare vitæ finem, exstantibus, ut semper, claris *Christianæ* patientiæ, & animi religiosi documentis, quibus in *Christum* se spem omnem figere testabatur, assidue clamans, *O Jesu Misericordia*, *Domine libera me*, *Domine fac finem, Domine miserere mei*, & *Germanica* lingua **Lieber Got** /h. e. *Care Deus*, quinto Idus Julias sub mediam noctem vita functus est. Nec alias emisit voces, ratione usus integra usque ad supremum vitæ exitum. Impatientiam autem in solvendo naturæ debito ostendere, esse debet à *Christiano* prorsus alienum, quum mors piorum nihil sit nisi transitus ad vitam meliorem, & qui moriuntur non moriantur, sed præcedant nos eodem pervenire cupientes, ut est apud *Septimium Tertullianum*. Paucis ante diebus, quam vita defungeretur, quum *Bonifacius Amerbachius*, *Hieronymus Frobenius*, & *Nicolaus Episcopius* amici selectiores, illum officii gratia simul inviserent, cubiculum ingressos trium amicorum ad consolandum *Job* venientium admonuit, ubinam scissæ vestes essent, ac cineres capitibus inspergendi quærens. Hoc autem anno se moriturum ante multos menses vaticinari solebat, & triduo primum, deinde biduo mortem prædixit. Quam publicum sui desiderium reliquerit, testis fuit frequens ad supremo visendum defuncti corpus concursus. Elatus est humeris studiosorum ad ædem Cathedralem, atque ibi juxta gradus, quibus ad chorum (ut vocant) adscenditur, in sinistro templi latere, ubi sacellum fuit D. Virgini sacrum, honorifice sepultus. Nam in pompa funebri non Consul modo, sed etiam è Senatoribus plerique visebantur; Academiæ professorum ac studiosorum aberat nemo. Fuit in vita cum in studiosos inopia pressos, tum in cæteros subsidio dignos, quoties occurrissent, admodum liberalis. Nec dissentit à consueta benignitate suprema hominis voluntas. Testamentum enim condidit *Romani* Pontificis *Clementis*, Imp. Cæs. *Caroli* Aug. ac magistratus *Basiliensis* diplomatibus munitus, in quo clarissimum virum *Bonifacium Amerbachium* Jurecons. nominatum hæredem fidei commisso de bonis suis in pauperes ætate valetudineve infirmos; in puellas

nupturas, ut harum pudicitiæ succurratur; in bonæ spei studiosos adolescentes, ac in quosvis hujusmodi dignos auxilio distribuendis collocandisque oneravit, adjunctis eidem duobus exsecutoribus *Hieronymo Frobenio*, *Nicolao*-que *Episcopio*. Quid hoc testamento sanctius esse potest, aut magis *Christianum?* Alii construendis ornandisve Basilicis sua dicant, *Erasmus* maluit in viva Dei templa superantes à morte facultates conferre. Legata porro aliquot amicis conjunctioribus reliquit, ad hæredem ipsum certis quibusdam rebus τὸ ἐκ πηγασιανοῦ δόγματος τέταρτον, quam *Trebellianicam* Jureconsulti hodie appellant, non æquantibus jussit esse contentum, cui sane voluntas tanti viri præceptoris & amici, omni jure est antiquior. Vixit ad septuagesimum annum, quem communem humanæ vitæ terminum regius Propheta *David* statuit, aut certe non multum est supergressus: nam de anno, quo natus est apud *Batavos* nobis non constat, de die constat, qui fuit ad quintum Calend. Novembreis, Apostolis *Simoni* & *Judæ* sacer. Apud *Daventriam* primum posuit in litteris tyrocinium, utriusque linguæ rudimentis imbibitis sub *Alexandro Hegio Westphalo*, qui cum *Rudolpho Agricola* recens ex *Italia* reverso amicitiam contraxerat, &ab eodem *Græce* docebatur: nam hujus litteraturæ peritiam ille primus in *Germaniam* importavit. *Terentii Comœdias* puer non secus tenebat ac digitos suos, memoria namque fuit tenacissima, ingenio perspicacissimo. Exceptis rudimentis plane dici potest in litteris αὐτοδίδακτος, nam quod in *Italiam* jam natu grandior profectus est post regii apud *Anglos* medici filios, Archiepiscopi quoque *S. Andreæ* in *Scotia*, qui tum *Senis* degebat, aliquamdiu præceptor, nobilissimæ regionis visendæ causa fecit, non ut professoribus operam illic daret. Neque enim *Bononiæ* quemquam publice prælegentium audivit, sed *Pauli Bombasii*, qui sub *Leone* postea *Romæ* periit, amicitia contentus, domi studiis suis invigilabat. *Adagiorum* opus tum colligens, quod paulo post *Aldo Manutio* dedit excudendum; quæ res fecit, ut *Venetias* adiret, ubi *Marco Musuro* atque *Scipione Carteromacho* viris doctissimis familiariter usus est, quos ambos non semel consuluit, si quis nodus incidisset, horum eruditionem ac candorem apud amicos commendare solitus. *Hieronymo Alexandro Mottensi* trium linguarum peritissimo, qui hodie *Brundusinæ* Ecclesiæ Archiepiscopus præsidet, longe familiarius conjunctus fuit, ut puta contubernali in ædibus *Aldinis*, qui scit me vera prodere. Præter hos & *Ambrosium Nolanum* medicum, ac *Baptistam Egnatium* ibidem amicos habuit. *Romæ* postea Cardinalibus *Raphaeli Reario* atque *Joanni Medicæ*, qui mox *Julio* II. P. M. successit, *Leonis* Decimi vocabulum nactus, gratissimus fuit. Docuit *Lovanii*, *Cantabrigiæ* in *Anglia*, *Lutetiæ* etiam privatim, ubi Theologiæ dedit juvenis operam. Pileum deinde Doctoralem quum in *Italiam* iret in *Taurinensi* Academia accepit. Patronos ac *Mecœnates* habuit *Henricum* à *Bergis* Episcopum *Cameracensem*, *Guilielmum Montjojum*, atque omnium liberalissimum *Guilielmum Waramum* Archiepiscopum *Cantuariensem*, *Angliæ* primatem, cujus in libris suis sæpe mentionem facit. Amicos, in *Britannia Joan. Coletum*, *Grocinum*, *Latimerum*, *Linacrum*, *Thomam Morum*; *Antverpiæ Petrum Ægidium*, *Conradum Gocklenium Lovanii*. Corpusculo fuit satis compacto, sed quod esset tenerrimæ complexionis, & minimarum etiam rerum mutatione (puta vini, cibi, cœlive) facile offenderetur. In litteris assidue versabatur infatigabili studio. Testantur hoc tot ab illo conscripti libri, quorum nomina recensere non est opus, quum ipse suarum lucubrationum catalogum ediderit annis superioribus ad *Joan. Botzhemium*, *Basileæ* vixit apud *Joan. Frobenium* aliquamdiu, deinde in alteris ejusdem ædibus seorsum habitavit; tandem *Friburgo* reversus apud *Hieronymum Joan.* filium vita functus est, &c. Ex *Selato*, vulgo *Sletstad*, anno à partu Virginis matris M. D. XXXVI.

TESTAMENTUM EXTREMUM
ERASMI ROTERODAMI.

IN NOMINA SANCTÆ TRINITATIS.

DESIDERIUS ERASMUS Roterodamus *fretus diplomatibus Cæsaris, Summi Pontificis, ac Magnifici Magistratus inclytæ civitatis* Basiliensis, *hoc meo chirographo renovo supremam voluntatem meam, quam quocumque titulo firmam ac ratam haberi volo: irritum vero, si quid aliud testatus sum. Principio, certus me nullum habere legitimum heredem, præstantissimum virum D.* Bonifacium Amerbachium *omnium facultatum mearum heredem instituo: Exsequutores vero* Hieronymum Frobenium *&* Nicolaum Episcopium. *Bibliothecam meam jam quidem vendidi D.* Joanni à Lasco Polono, *juxta syngrapham super hoc contractu inter nos confectam: non tradentur tamen libri, nisi heredi numeraverit ducentos florenos. Quod si ille pactum remiserit, aut me prior è vita excesserit, liberum esto heredi, de libris statuere, quod velit. D.* Lodovico Bero *lego Horologium aureum.* Beato Rhenano *cochleare aureum cum furcinula aurea. M.* Petro Vetereo *centum quinquaginta coronatos aureos: tantundem* Philippo Montano. Lamberto *famulo, si mihi morienti adfuerit, ducentos florenos aureos, nisi ego vivus hanc summam ei numeravero. D.* Johanni Brischio *Lagenam argenteam. D.* Paulo Volsio *florenos aureos centum.* Sigismundo Telenio *ducatos centum & quinquaginta.* Joanni Erasmio Frobenio *duos annulos, quorum alter non habet gemmam, alter habet gemmam subviridem,* Gallis *dictam* Turquoys. Hieronymo Frobenio *lego omnes vestes meas, omnemque supellectilem meam, laneam, lineam, & ligneam: praterea poculum, quod habet insignia Cardinalis* Moguntini. *Uxori ejus annulum, qui habet imaginem mulieris in tergum respicientis.* Nicolao Episcopio *poculum cum operculo, quod in pede habet versiculos insculptos.* Justinæ *uxori ejus duos annulos, quorum alter habet Adamantem, alter* Turquoys *minorem. M.* Everardo Goclenio *poculum argenteum, quod in summo habet imaginem* Fortunæ. *Si quis legatariorum interciderit, quod legatum erat, in heredis arbitrio esto. Heres, præter ea, quæ per syngrapham designavi, sibi accipiet, quicquid superfuerit poculorum, aut annulorum, aut rerum similium; adhæc numismata, insignia, &* Lusitanos *cruciatos; Regis* Poloniæ *&* Severini Boneri *faciem exprimentia, aliaque his similia. Præterea ducatos omnes duplices & quadruplices. Pecuniam apud* Everardum Goclenium *depositam, illi in* Brabantia *dispensandam relinquet, quemadmodum ei mandavi. Si quid apud* Erasmum Schetium *erit reliquum, ab eo repetet, eamque pecuniam, ac reliquam omnem, quæ superfuerit, suo arbitrio & ex consilio Exsequutorum distribuet in usus pauperum ætate ac valetudine infirmorum, item in puellas nupturas, in adolescentes bonæ spei: breviter, quoscunque subsidio dignos judicaverit. Hanc extremam voluntatem meam, quo plenior sit fides, propria manu descripsi, ac peculiare annuli mei sigillum, Terminum, adfixi* Basileæ *in ædibus* Hieronymi Frobenii, *duodecima die Februarii, Anno à Natali Domini* M. D. XXXVI.

EPI-

EPITAPHIUM DES. ERASMI BASILEÆ.



CHRISTO SERVATORI S.

DESIDERIO ERASMO ROTERODAMO,
VIRO OMNIBVS MODIS MAXIMO,
CVIVS INCOMPARABILEM IN OMNI DISCIPLI-
NARVM GENERE ERVDITIONEM, PARI CON-
IVNCTAM PRVDENTIA, POSTERI ET ADMIRABVNTVR
ET PRÆDICABVNT.

BONIFACIVS AMERBACHIVS, HIERONYMVS FROBENIVS,
NICOLAVS EPISCOPIVS HÆREDES ET NVNCVPATI SVPREMÆ
SVÆ VOLVNTATIS VINDICES, PATRONO OPTIMO,
NON MEMORIÆ, QVAM IMMORTALEM SIBI
EDITIS LVCVBRATIONIBVS COMPARAVIT,
IIS TANTISPER DVM ORBIS TERRARVM STABIT
SVPERFVTVRO, AC ERVDITIS VBIQVE GENTIVM
COLLOQVVTVRO, SED CORPORIS MORTALIS, QVO
RECONDITVM SIT ERGO, HOC SAXVM POSVERE.

MORTVVS EST IV. EIDVS IVL.
IAM SEPTVAGENARIVS,
ANNO A CHRISTO NATO,
M.D.XXXVI.

NOBILI ET AMPLISSIMO

DOMINO

JOANNI PAUNGARTNERO

A PAUNGARTEN

BONIFACIUS AMERBACHIUS

S. D.



N mandatis mihi dederas, Nobilis & amplissime vir, ut universas D. Eras. Roterod. lucubrationes tibi compararem, quas haud dubie à viri post hominum memoriam in literis verè magni morte, tanquam rarum aliquem thesaurum reconderè instituisti. Ego vero, ut promerentibus hoc praclaris tuis virtutibus, ac pro ea observantia, qua tibi omnium studiorum Patrono studiosi pro se quique nihil non debent, libenter morem gessi: ita mandati me fines pro animi sententia explicare non potuisse doleo, quando excussis hic omnium Bibliopolarum tabernis, non paucos desidero. Praclarè tu quidem, posteaquam tantus vir in humanis esse desiit, lucubrationibus superstitibus eum tibi ob oculos statuere, atque adeò rectè familiarem facere instituisti, quarum beneficio nobis non solum colloquetur, sed & ab eodem in omnibus bonis disciplinis, pracipuè Theologicis, posteritas instituetur. Siquidem in his melior viri portio relicta est tanto conspectu illo corporeo praestantior, quanto animum nobiliorem esse nemo sana mentis unquam negavit. Loquere dicebat Philosophus ille ad juvenem, ut te videre possim, non ex imagine aut vultu, sed ex sermone hominem dijudicandum docens. Quantam verò cladem bona studia, quantum religionis Christiana causa vulnus, ex illius obitu acceperint, promptius sit animo concipere, quàm pro justo verbis explicare: quandoquidem iis juvandis ac de postliminio in integrum restituendis natus videbatur. Quod non disciplina genus suis vigiliis adjuvit? cui atati laboribus suis non prospectum voluit, dum in puerorum gratiam repuerascit, dum media atatis hominibus, dum senibus succurrere studet, ad omnium captum & atatem miro artificio sese attemperans? Quod si ab antiquis mortales tunc maxime deos imitari creditum est cum benefici fuissent, an non eos Erasmus imitatus dicetur, cujus tot & tanta in omnes beneficia extant? Mirum certè tam perpetuo in demerendis omnibus tenore eum sui similem esse potuisse, aliis ob ingravescentis atatis marcorem nonnihil de ingenio decedit ac memoria beneficium perit: alii morbis ad labores pracipuè animi sustinendos prorsus inhabiles redduntur: hic tametsi jam adfecta esset atate & infirmissima valetudine (calculo enim morbo peculiari articularis tandem accesserat) nihilominus in studiorum bonorum ac pietatis negotio adjuvando ita refractarius perstitit, ut senex juvenes, agrotans sanos vinceret, & ingenio vividus, & memoria prastans, & tollerantissimus laborum. Tametsi autem optimo viro nullum aliud quàm publicè prodesse studium extitisset, emissarios tamen & obtrectatores effugere non potuit, id quod minus mirandum, quòd praclaros conatus invidia à multis retro seculis sugillare consueverit, secura humilium semper alta petens quodque hoc cum prastantissimis quibusque omnium seculorum viris commune habuerit, ecquis enim unquam extra communem ingeniorum aleam positus suum alastorem non est expertus? ecquis ex veteribus quorum lucubrationes nunc summa cum admiratione leguntur, non idem sustinuit? Natura, inquit Vellejus, audita visis laudamus libentius: & prasentia invidia, praterita veneratione prosequimur: & his nos obrui, illis instrui credimus. Interea non defuerunt qui tam raris viri dotibus plurimum deferendum censuerunt, iique non plebeji ordinis homines, sed orbis monarcha, non vulgariter eruditi, sed rei literaria nostra atate principes, quippe Invictiss. Carolo Aug. à consiliis fuit, sereniss. Casa. Ferdinandus favoris sui in hunc documenta quamplurima dedit. Quam magnificis vero honorariis à Christianiss. Galliarum Rege Francisco in Gallias, quàm amanter ab Illustriss. Rege Henrico, libera, ubinam eò loci vivere vellet, data optione, in Angliam est revocatus? De summis Pontificibus Leone & Clemente nihil attinet dicere, horum certè favore adversus quorundam calumniatorum machinationes substitit. Et nuper Paulum ejus nominis tertium admodum sensisset beneficum, nisi sibi ac studiis privatus vivere, atque Pontificis animum opimis sacerdotiis, magnisque dignitatibus praferre maluisset. Ecquid faceret aliud non avaritia in pauperes ac studiosos liberalis, non honoribus minimè ambitiosus, non rei αὐτάρκης familiari studens intentus. Jam verò quantum ei doctissimi quique nostro seculo tribuerint, ex epistolis ultrò citróque missis clarius est quàm ut dissimulari possit. Satis sit laudatum esse, si non ab omnibus, certè à magnis: si non à quibuslibet, certè à probatis & laudatis. Utinam concilio Oecumenico quod indictum novimus, adesse potuisset, non parum is ingenii sui dexteritate, judicio indicibili, ac perpetua illa in evolvendis veterum Theologorum commentariis lectione exercitatissimus ad incendium illud dissensionum extinguendum adjumenti attulisset. Verum aliter Christo servatori visum est. Proinde quando de morte ejus certior fieri cupis, non est cur plura à me desideres, post elegantem illam & disertam clariss. eruditissimique viri D. Beati Rhenani in Origenem prafationem, omnia bona fide persequentis. Ne tamen tibi non videar morigerari velle sic paucis habe, cum toties ab illustriss. Heroina Maria regina sorore Caroli Augu. & aula Brabantica revocatus fuisset, in inferiorem Germaniam cogitare cœpit, non tam ob honorificam, ut arbitror, interpellationem, quam patria amorem: quandoquidem & πολύτροπον illum Homericum suam Ithacam saxis velut nidulum, ut Cicero inquit, adharentem quibuscumque regnis pratulisse constat. Eo consilio res suas Friburgo Brisgogea huc avehendas curavit, ut ad primam occasionem Ecclesiasta libris, quorum causa potissimum Basileam redierat, absolutis secundo Rheni flumine in Brabantiam deferrentur. Verùm proficiscendi institutum articularis morbus intercepit: quo sub autumnum ita correptus est, ut ab eo tempore nunquam, aut raro lectum sit egressus. Vidisses in summis cruciatibus tollerantiam mirabilem & mansvetudinem vix credendam, qui ne illud ipsum tempus doloribus innumeris impendendum sine linea quod ajunt trasmitteretur, libellum de puritate tabernaculi adfixus lecto scripsit, adhoc Origenem recognitum scholiis illustravit, Apologiam adversus tanti viri calumniatores adjecturus, nisi dysenteria corpusculum jam penitus exhaustum de medio tulisset. Nihil sane impraemeditatum ei vel inexpectatum accidit, jamdudum suum se pensum ab-

absolvisse, nec quicquam instare quam mortem præsentem crebro dictitanti. Quàm præclare autem se in extrema illa vitæ humanæ epitasi animam exhalaturus gessit: quàm insignia Christianæ mansvetudinis exempla edidit, ita adfectibus in Christum compositis, ut nihil in ore nisi dulce Jesu nomen haberet, subinde ejus misericordiam, subinde ut sui misereretur, subinde ut finem faceret implorans. Iis tam sanctis vocibus V. Id. Jul. sub mediam noctem servatori toties ex imis præcordiis invocato animam reddidit, cum dysenteria viginti & amplius dies laborasset. Deprehendi tum verum esse quod vulgo ferunt, mortem anteactæ vitæ typum præ se ferre, qualis vita viri omnium integerrimi fuit, talem mortem vidimus. Sanctissime vixit, sanctissime mortuus est. Nec minus præclarum cùm vitæ, tum mortis, præter lucubrationes omnium piissimas, monimentum testamento suo post se reliquit: quod ante menses mortis quatuor scripserat, Clementis VII. P. M. Imperatoris Caroli Augusti, ac Magistratus Basiliensis diplomatibus instructus. Nam in eo exceptis aliquot legatis me nuncupatum hæredem de universis bonis in usus pauperum ætate aut valetudine infirmorum, in puellas, quarum pudicitiæ offectura paupertas videretur, in studiosos & quoscunque subsidio dignos distribuendis fidei commisso gravavit, tam piæ voluntatis exequendæ mihi socios executorum titulo adjungens Hieronymum Frobenium, ac Nicolaum Episcopium, spectatæ fidei homines. Equidem pro boni hæredis officio nihil antiquius in votis habeo, quàm in suprema optimi viri voluntate exequenda etiam tempus à legibus Romanis præfinitum antevertere. tantum certe abest ut ex S. C. Pegasiani sive Trebelliani beneficiò quitquam adfectare in animum induxerim, ut etiam de mihi nominatim relictis quotam portionem in usus tam pios collocandam remiserim, bono hæredi testatoris voluntatem intellexisse pro jure atque adeò quo si in piis causis latius porrigat nonnihil de sibi relictis contulisse pium esse ratus. Itaque nunc τὸ σπουδαιοτροφεῖον ubi bonæ spei adolescentes aliquot in studiis ali possint instituo, convenit opinor ut bonorum relictorum portio ex studiis proveniens in eorundem causam provehendam redeat, salva interim eleemosyna pauperibus quotannis viritim distribuenda, his omnibus adornandis præsto sunt executores, pollicetur operam suam ordo hic amplissimus, cujus benignitatem tacere non debeo, sicut nec eruditiss. Academiæ nostræ professorum præstita officia, una cum studiosis quorum humeris elatus est in ducendo funere, in peragendis justis & aliis, nihil, quo suam erga literarum columen observantiam attestarentur, obmittentium. Nunc ad libros tibi comparandos redeo, ex quibus quotquot venales inveni, Argentoratum, uti in mandatis acceperam, misi: reliquos in his duobus Elenchis adnotatos invenies, quorum non alia fuit denuo edendi ratio, quàm ut tu, ac sub tui nominis titulo optimi quique de lucubrationibus Erasmi γνησίοις admonerentur. Semper regnavit calumnia, præstantissimisque viris etiam apud veteres negotium fecit: nescio tamen, si quod aliud seculum fuerit, in quo major ejus exercendæ impunitas, aut si cui post homines natos plus quàm Erasmo sit insidiata. In obscuro non est quàm sæpe, etiamnum vivens, eam libellis à se editis propulsare fuerit coactus; nunc in mortuum nihilo futuram benigniorem libellorum proximis nundinis Francfordianis editorum proœmia indicant. Si lege Cornelia falsi nominis vel cognominis adseveratio falsi pœna cohercetur, quid in eum statuere par est, qui non solum falso titulo lectori fucum facit, sed & probati viri nomen alieno scripto traducit, provinciæque alicui invidiosum reddit. Severiore dignum animadversione facinus, cum mortui nomen præfigitur, odium excitatum restingvere non valentis. Olim apud Ethnicos vitio dabatur, & nihil viro ingenuo habebatur indignius, quàm mortuos maledictis insectari, ut quibuscum non nisi larvæ, quemadmodum proverbium inquit, luctarentur. Nunc apud Christianos charitatem professos pro ludo habetur mortuorum etiam memoriam libellis fictis dilacerandam proposuisse. O seculum, O mores. quæ, malum, magistratus tandem Christiani tollerantia est, ad promiscuam illam librorum extrudendorum licentiam conniventis. Nihilo meliores sunt quotquot in lucubrationibus alienis aliqua sine delectu venantur, quibus impotentes suos affectus magni alicujus viri prærogativa cæteris adprobare adoriuntur. Ut non nisi tota lege perspecta respondere aut judicare incivile Celsus Jurisconsultus putavit: ita parum civilis aut probi hominis sit alicujus in rebus fidei sententiam nudis aliquot versibus ex medio rationis structu excerptis vulgo indocto proponere, quos alibi & explicatos fusius & declaratos non ignoret. Si sic à candore, quem Christianum Christiano præstare addecet recedatur, quid etiam in veterum Theologorum commentariis salvi supererit, nihil tam circumspecte, nihil tam sancte, adde & pie dici potest, quod non cavillationibus calumniisque futurum sit obnoxium. Ecquid enim non malevolentia obtrectandique libido vel conantur vel efficiunt? Quare vir clariss. sub tui nominis titulo pios ac candidos ubique gentium admonitos volo, universas Erasmi lucubrationes, quotquot vir de literis & pietate bene meritus post se reliquit, in his duobus catalogis, à se dum etiamnum in humanis ageret editis, inveniri: quibus rerum ipsius, quæ fuit in me singulari benevolentia, pulchre gnarus, reliquas postea elucubratas adjeci. Si quid præterea sub hujus titulo edatur notum & spurium esse sciant omnes, imo puram putam calumniatorum imposturam, id quod conceptis verbis contestatum volo, ne calumniatorum malitiâ vel apud pios male audire pergat de pietate optime meritus, vel aliud vivens aliud moriens docuisse videatur, à quo fuit alienißimus. Nec vero me latet rumorem vanum nescio à quibus sparsum, eo mortuo quædam proditura, quibus suam de rebus fidei sententiam libere sit propositurus. Quasi vero hanc non libere, hoc est ea, qua decet, & modestia & reverentia lucubrationibus jamdudum editis proposuerit, orbique testatam reliquerit in ea ipsa sententia, ita me deus bene amet, usque supremæ vitæ exitum perstitit: nec ullus morienti superfuit ingenii fœtus posthumus, quàm Origenis recognitio, cui immortuus est, præteritis nundinis Frobenii typis evulgata & in publicium emissa. Quid multa? non est cur quisquam alias incomparabilis viri lucubrationes expectet, quàm in hos catalogos relatas, vere magnis, eruditis, & piis nostri seculi, ut verbo dicam, gratas, atque etiam posteritati futuras gratissimas, quibus tu Paungartnere humanissime, omniumque virtutum laudibus cumulatissime feliciter fruere. Bene vale. Basileæ Cal. Febr. An. M. D. XXXVII.

CATA-

CATALOGI DVO OPERVM

DESIDERII ERASMI

ROTERODAMI,

AB IPSO CONSCRIPTI ET DIGESTI.

DESIDERIVS ERASMVS ROTERODAMVS

ORNATISSIMO VIRO

D. JOANNI BOTZHEMO ABSTEMIO,

Juris utriusque doctori, Canonico Constantiensi,

S. D.



ON pateris, *Abstemi* vir clarissime, quicquam mearum lucubrationum deesse tuæ Bibliothecæ, sed quereris idem opus tibi subinde commercandum, vel retextum, vel locupletatum, vel recognitum. Proinde rogas, ut tibi catalogum omnium nugarum mearum verius, quam librorum describam, & cui postremam manum addiderim indicem; ne vel fugiat aliquid, quod non habeas, vel emas aliquid, quod mox denuo cogaris emere. Morem geram voluntati tuæ, per te quam plurimis etiam aliis (ni fallor) eadem opera gratificaturus. Ornare gaudes (ut ais) tuam Bibliothecam *Erasmi* monumentis: ego vero meos libros arbitror ornari tua Bibliotheca, qua vix quicquam videre contigit ornatius, dicas Musarum esse domicilium. Itaque mihi magis placeo, quæ meas lucubrationes dignaris hospitio tuæ Bibliothecæ, quam si cedrinis capsulis in Apollinis templo reponerentur. Non arbitror victuras, tantum abest, ut immortalitatem illis ausim sperare: tamen si continget aliquot annos superesse parenti, tuæ, nimirum, Bibliothecæ debebunt. Existimabuntur enim aliquid esse, quas *Abstemius* ille tam sobrius judex suo Museo dignatus sit. Quamquam ipse interim non aliter affectus sum erga meas vigilias, quam parentes solent erga liberos, quibus fuit parum felix fœcunditas, vel quæ deformes ac valetudinarios genuerint, vel quæ alioqui tales, ut probrum & exitium attulerint suis progenitoribus. Qua quidem in re hoc magis ipse mihi displiceo, quæ liberorum mala non semper imputari possunt parentibus: librorum autem vitia non aliis quam auctoribus accepta feruntur: nisi forte causari velim temporum ac regionis infelicitatem: nam me puero repullulascere quidem cœperant apud Italos bonæ litteræ, sed ob typographorum artem aut nondum repertam; aut paucissimis cognitam, nihil ad nos librorum perferebatur, & altissima quiete regnabant ubique, qui litteras docebant illitteratissimas. *Rodolphus Agricola* primus omnium aurulam quandam melioris litteraturæ nobis invexit ex Italia, quem mihi puero ferme duodecim annos nato, Daventriæ videre contigit, nec aliud contigit. Tum autem magni refert, quo seculo, qua regione, & ad quorum judicium scribas, quibuscum certes: acuit enim ingenii vim & antagonistes insignis, quin & honos alit artes. His omnibus destitutus, tamen velut occulta naturæ vi rapiebar ad bonas litteras, ac interminantibus etiam magistris, furtim è libris, si quos forte nactus fuissem, hausi, quod potui, calamum exercui, provocatis sodalibus, quibuscum decertarem, nihil minus cogitans, quam ut hujusmodi neniæ typographorum opera mundo proderentur. Hæc culpam si non diluere poterant, certe poterant elevare. Sed sunt, in quibus nec possim, nec velim ipse mihi patrocinari. Siquidem illud præcipuum est, ut, qui scriptis sibi nomen honestum parare velit, argumentum deligat, ad quod natura sit compositus, & in quo plurimum valeat. Nec enim omnia congruunt omnibus. Id à me nunquam est factum, sed vel temere incidi in materiam, vel amicorum affectibus potius quam meo judicio obsequens, suscepi. Proximum est, ut, quod delegeris, tractes accurate, diu premas, ac frequenter sub limam revoces, prius quam in lucem exeat. Ego quod semel aggressus sum, fere perpetuo cursu absolvo, nec castigandi tædium unquam devorare potui. Itaque mihi fere usu venit, quod scripsit Plato: *Ut plus satis properans in initio, serius perveniam ad finem.* Nam editione præcipitata res ipsa me cogit nonnunquam totum opus à capite usque ad calcem retexere. Proinde miror ipse esse, præsertim hoc tam erudito seculo, qui nostra legant: & tamen esse, vel illud arguit, quod typographi lucubrationes nostras toties excudunt. Sed tu jamdudum Catalogum exspectas, non Apologiam. Age fiet, ac primum recensebo, quæ carmine scripserim, ad quod studium puer eram propensior, adeo ut ægre me converterim ad meditationem orationis solutæ. Nec hic parum diu luctatus sum, priusquam succederet, si quid tamen successit. Nullum autem carminis genus non tentavi. Quæ feliciter interciderunt aut latent, ea finemus quiescere, ne, quod Græci vocant, τὸ καλῶς κείμενον κακὸν κινήσωμεν. Lutetiæ primum cœpit nostra temeritas prodi mundo. Nam illic editum est ab amicis carmen heroicum, admixto ejusdem generis tetrametro, ad *Faustum Andrelinum*, qui cum mihi tum recens coierat sodalitas. Rursus aliud hendecasyllabum ad *Robertum Gaguinum*, cujus tum apud Parisios non mediocris erat auctoritas. Rursus aliud ad eundem, alterne mixtis Glyconico & Asclepiadeo. Præterea carmen de casa natalitia pueri *Jesu*: nec satis memini, si quid præterea. Rursus alias edidimus expostulationem *Jesu* ad hominem suapte culpa pereuntem. Sed multis ante annis scripseram Sapphicum carmen de Michaele Archangelo, non sponte, sed compulsus precibus cujusdam magni viri, qui templo præerat, cui præsidebat Michael: in quo cum ita temperarim stylum, ut possit oratio prosa videri: tamen ille non ausus est affigere, quod esset tam Poeticum, ut Græce, quemadmodum ajebat, scriptum videri posset. Ea erat illorum temporum infelicitas. Quumque tantum laboris exhausissem, reddito carmine, homo liberalis obtulit pecuniam, qua sextarium emerem vini, munus ipso Poemate dignum. Egi gratias pro tanta liberalitate, atque hoc lemmate recusavi munus, quod dicerem majus, quam ut conveniret exiguitati meæ. Nullo in genere me minus exercui, quam in Epigrammatis, & tamen interdum inter ambulandum, aut etiam in compotationibus lusimus aliquot, diversis temporibus, quorum nonnulla ab amicis nimium mei nominis studiosis collecta sunt, & edita Basileæ: quoque magis riderentur, adjunxerunt *Thomæ Mori* Epigrammatis, in hoc genere felicissimi. Carmen ad *Guilhelmum Copum*, de senectute, scriptum est nobis in Alpibus, cum primum adirem Italiam. Inciderat

derat odiosa contentio inter caduceatorem Regis Angliæ, qui nos, quo tutius iremus, comitatus est Bononiam
usque, & inter curatorem adolescentum, quos tum pacto velut nassæ implicitus, ducebam in Italiam, non
quidem ut pædagogus, nam morum curam exceperam; nec ut præceptor, sed ut inspector futurus, ac studio-
rum viam commonstraturus, ne quid calamitatis deesset fatis meis. Nullum enim annum vixi insuavius. Inter
hos igitur duos adeo incaluerat rixa, ut post furiosa convicia ventum sit ad gladios: ac tum quidem alteri dun-
taxat irascebar. Verum ubi post tantam tempestatem vidissem illos ultro factos amicos epoto vini cyatho, utrum-
que ex æquo oderam. Etenim ut pro insanis habeo, qui sic debacchantur, nisi gravissime lacessiti: ita nulli
fidos esse duco, qui tam subito fiunt amici, post iras capitales. Itaque quo tædium inter equitandum fallerem,
abstinens à colloquio partium, carmen hoc absolvi, notans interim in charta super sellam, ne quid excideret,
dum, ut fit, nova cogitatio veterem propellit. E notulis describebam, quod erat natum, ubi ventum est in
diversorium. Habes carmen equestre, vel potius Alpestre, quod tamen docti negant prorsus infelix, utcunque
natum est. Scripsi diversis temporibus Epitaphia non pauca, rogatus ab amicis, quæ non refert numerasse. Sed
annis aliquot antequam adirem Italiam, exercendæ Græcitatis causa, quando non erat præceptorum copia, ver-
teram Hecubam Euripidis, tum agens Lovanii. Ad id audendum provocarat *F. Philelphus*, qui primam ejus fa-
bulæ scenam vertit in oratione quadam funebri, parum, ut tum mihi visum est, feliciter. Porro quum stimu-
los adderet tum hospes meus *Joannes Paludanus*, ejus Academiæ Rhetor, vir siquis alius, exacto judicio, per-
rexi, quo cœperam. Deinde ubi litteris ac montibus, quod ajunt, aureis amicorum pellectus redissem in An-
gliam, addidi præfationem & carmen Jambicum plusquam extemporarium, quum forte vacaret membrana, at-
que auctoribus eruditis amicis sed præcipue *Guilhelmo Grocino*, qui tum inter multos Britanniæ doctos primam
laudem tenebat, obtuli libellum dicatum R. P. *Guilhelmo*, Archiepiscopo Cantuariensi, totius Angliæ Primati,
& ejus regni Cancellario, h. e. judici summo. Hoc erat tum notitiæ nostræ felix auspicium. Is quum me paucis
salutasset ante prandium, hominem minime multiloquum aut ambitiosum, rursus à prandio paucis confabula-
tus, ut est & ipse moribus minime molestis, dimisit cum honorario munere, quod suo more solus soli dedit,
ne vel pudore vel invidia gravaret accipientem: id actum est Lambethæ. Dum ab hoc redimus cymba vecti,
quemadmodum illic mos est, inter navigandum rogat me *Grocinus*, quantum accepissem muneris, dico summam
immensam, ludens. Quum ille rideret: quæro causam risus, & an non crederet præsulis animum esse talem,
qui tantum dare vellet: aut fortunam esse talem, ut tantam benignitatem ferre non posset: aut opus non esse di-
gnum aliquo magnifico munere. Tandem edito muneris modo, quum ludens rogarem, quur tantillum dedis-
set, urgenti respondit, nihil horum esse, sed obstitisse suspicionem, ne forte idem operis alibi dedicassem alteri.
Eam vocem admiratus, quum rogarem, unde nam ea suspicio venisset homini in mentem, ridens, sed τὸ Σαρ-
δόνιον γέλωτα, *Quia sic*, inquit, *soletis vos*: significans id solere fieri à nostræ farinæ hominibus. Hic aculeus
quum hæreret animo meo rudi talium dicteriorum, simulatque me Lutetiam recepissem, inde petiturus Ita-
liam, librum *Badio* tradidi formulis excudendum, adjecta Iphigenia Aulidensi, quam fusius ac liberius verte-
ram agens in Anglia: & quum unam duntaxat obtulissem præsuli, utramque dicavi eidem. Sic ultus sum *Gro-
cini* dictum, quum interim non haberem in animo revisere Britanniam, nec de repetendo Archiepiscopo cogita-
rem: tanta tum erat in tam tenui fortuna superbia. Hoc opus semel atque iterum recognitum, postremum hoc
anno recognovi. Adolescens nondum annos natus octodecim Elegiaco carmine, quoniam in eo minus valebam,
declamare cœperam adversus vitia, libidinem, ambitionem. Has ineptias amici me procul agente prodiderunt
formulis, non sine famæ meæ jactura, plura prodituri, ni redissem. Nam Carmen prorsus extemporale, quo
gratulatus sum *Philippo* primum ex Hispania reduci, ipse curavi edendum ante annos, ni fallor, viginti tres.
Sed multo prius edideram Carmen heroico hexametro & jambico trimetro mixtum, de laudibus Regis *Henrici*
septimi, & illius liberorum, necnon ipsius Britanniæ. Is erat labor tridui, & tamen labor, quod jam annos
aliquot nec legeram, nec scripseram ullum carmen. Id partim pudor à nobis extorsit, partim dolor. Pertraxe-
rat me *Thomas Morus*, qui tum me in prædio *Montjoji* agentem inviserat, ut animi causa in proximum vicum
exspatiaremur. Nam illic educabantur omnes liberi regii, uno *Arcturo* excepto, qui tum erat natu maximus.
Ubi ventum est in aulam, convenit tota pompa, non solum domus illius, verum etiam Montjojicæ. Stabat in
medio *Henricus* annos natus novem, jam tum indolem quandam regiam præ se ferens, h. e. animi celsitudinem
cum singulari quadam humanitate conjunctam. A dextris erat *Margareta*, undecim ferme annos nata, quæ post
nupsit *Jacobo* Scotorum Regi. A sinistris, *Maria* lusitans, annos nata quatuor. Nam *Edmondus* adhuc infans,
in ulnis gestabatur. *Morus* cum *Arnoldo* sodali salutato puero *Henrico*, quo rege nunc floret Britannia, nescio quid
scriptorum obtulit. Ego, quoniam hujusmodi nihil exspectabam, nihil habens, quod exhiberem, pollicitus
sum aliquo pacto meum erga ipsum studium aliquando declaraturum. Interim subirascebar *Moro*, quod non præ-
monuisset: & eo magis, quod puer Epistolio inter prandendum ad me misso, meum calamum provocaret. Abii
domum, ac vel invitis Musis, cum quibus jam longum fuerat divortium, Carmen intra triduum absolvi. Sic
& ultus sum dolorem meum, & pudorem sarsi. Editum est & carmen, rudimenta complectens hominis Chri-
stiani. Id scriptum est stylo simplicissimo. Sic enim jussit *Joannes Coletus*, qui tum magnis impendiis novum ludum
litterarium instituerat, in quo non minus in pietate quam in doctrina volebat institui formarique pueritiam: vir
enim singulari prudentia præditus, videns seculum suum deploratissimum, teneram ætatem delegit, ut novum
Christi vinum novis utribus committeret. Vertere cœperam Podagram Luciani priorem, opus mire festivum,
sed destiti, potissimum deterritus epithetis, quibus abundant chori, in quibus non erat spes in Latinis assequi
compositionis felicitatem, quam videmus in Græcis dictionibus. Quod si dictiones singulas pluribus explicuissem,
peribat gratia totius carminis. Nam hymni sacri fere constant hujusmodi Deorum cognomentis, religiose com-
positis, præsertim apud Græcos. Quod genus sunt illa apud Homerum:

Ἄρες ὑπερμενέτα, βρισάρματε, χρυσεοπήληξ,
Ὀμβριμόθυμε, φέρασπι, πελιοσός, χαλκοθωρηξ.

Itidem, & Lucianus: Ἐπιδεσμοχαρὲς, κατακλινοβατὲς, κωλυσιδρόμα, βασανισεγχάλα, σφυροπρησιπυρὲς, μογοσαψεδά-
φα, δοιδυκοφόβα, γονοκλαυσαχύπνα, ἀθλιοσυνδυλεπωροφίλα, γονοκαμψιπίκυρε. Hæc atque id genus, quum apud
Græcos plurimum habeant gratiæ ob facetissimam imitationem, Latinus sermo nec umbram horum possit red-
dere. Ad Græcas litteras utcunque puero degustatas jam grandior redii, h. e. annos natus plus minus triginta,
sed tum quum apud nos nulla Græcorum codicum esset copia, neque minor penuria doctorum, Lutetiæ tantum
unus *Georgius Hermonymus* Græce balbutiebat, sed talis, ut neque potuisset docere, si voluisset: neque voluisset,
si potuisset. Itaque coactus ipse mihi præceptor esse, verti multos Luciani libellos, vel in hunc usum, ut atten-
tius Græca legerem, *Saturnalia*, *Cronosolonem*, *Epistolas Saturnales*, *De luctu*, *Declamationem de abdicato*, *Icaro-
menippum*, *Toxaridem*, *Pseudomantem*, *Gallum*, *Timonem*, *Declamationem pro tyrannicida*, *De his, qui mercede vi-
vunt in aulis Principum*. Ad hæc ex minutioribus dialogis delectos octodecim, præterea *Herculem Gallicum*, *Eu-
nuchum*, *De sacrificiis*, *Convivium*, *De astrologia*. Hujusmodi ceu strenulis diversis temporibus salutabamus ami-
cos, qui mos est apud Anglos. Verteramus & *Longævos*, dictantes tantum, sed notarius suffuratus libellum

Mont-

Montjojo dicatum pro suo edidit Lutetiæ. Rapiebantur hæ nugæ primum magno studiosorum applausu, sed ubi Græcæ linguæ peritia cœpit esse vulgo communis, id quod miro successu factum est apud nos, cœpere negligi: quod ego sane ut futurum sciebam, ita factum gaudeo. Ausi sumus idem in Plutarchi Moralibus, cujus & phrasis aliquanto difficilior est, & res habent plus obscuritatis, ob reconditam hominis eruditionem. Ex hoc vertimus libellum, cui titulus, *Quomodo sit dignoscendus adulator ab amico.* Eum dicavimus *Henrico* Britanniæ Regi, ejus nominis octavo: præterea cui titulus est: *Quo pacto fieri possit, ut utilitatem capias ex inimico:* hunc dicavimus ei, qui nunc est Cardinalis & Archiepiscopus Eboracensis, tum Eleemosynis regiis erat præfectus, sed tamen jam tum rebus maximis destinatus, adeo ut, prius quam daretur opportunitas offerendi, ter mihi mutanda fuerit Præfatio. Quin & prius quam excudi poterat, jam accesserat ei Cardinalitiæ dignitatis fastigium. Ante hos verteram, *De tuenda valetudine: Quod in Principe requiratur eruditio: Quod cum Principibus maxime versari debeat Philosophus: Utrum graviores sint animi morbi, an corporis. Num recte dictum sit,* λάθε βιώσας: *De cupiditate divitiarum.* In his eo libentius exercebar, quod præter linguæ peritiam vehementer conducerent & ad mores instituendos. Nihil enim legi, secundum Litteras Divinas, hoc auctore sanctius. Hoc unum erat incommodi, quod *Aldus* hoc opus excudit, sequutus exemplar multis locis depravatum, nec apud nos vetustorum exemplarium erat copia. Vertimus unam Libanii declamationem, nomine Menelai repetentis uxorem apud Trojanos, atque hinc primum jecimus transferendi aleam. Vertimus & alias aliquot declamatiunculas incerto auctore. Nonnulla scripsimus, quæ facerent ad institutionem studiorum, inter quæ sunt libri *De copia verborum ac rerum* duo, olim per lusum designati verius quam cœpti in gratiam *Joannis Coleti*, qui multis precibus hoc extorsit potius quam impetravit, ut novum opus novæ scholæ dedicarem. Ad ejusdem preces castigavi libellum *Lilii*, quem suo ludo præfecerat, de syntaxi, sed mutatis tam multis, ut nec *Lilius* vellet opus agnoscere, nec ego possem. In gratiam *Petri Viterii* non vulgaris amici, licet humilioris, scripsi libellum *De ratione studiorum & instituendi pueros*, quod is ingenuos aliquot, bonæque spei adulescentulos erudiendos haberet. Fortassis ad hunc ordinem pertinent duo primi libri Grammatices *Theodori Gazæ*, quos ideo Latine vertimus, ut plures alliceremus ad studium Græcanici sermonis, vel ipsa facilitate, velut esca quadam. Et adeo successit id, quicquid erat laboris, ut jam videatur inutilis. Adnotaram quædam Anglo cuidam, *De ratione scribendarum Epistolarum*, sed non in hoc, ut ederentur. Eo defuncto, quum viderem opus, ut erat, mutilum ac mendosum, editum in Anglia, coactus sum paucos dies in ejusmodi nugis perdere, quas plane cupiebam abolitas, si qua fieri potuisset. Prodierat & *Colloquiorum* libellus, partim è confabulationibus domesticis, partim è schedis meis consarcinatus, sed admixtis neniis quibusdam, non tantum ineptis, verum etiam male Latinis, planeque solœcis, & hoc nugamentum miro applausu exceptum est, ut in his quoque rebus ludit fortuna. Coactus sum igitur & hisce neniis admoliri manum. Tandem adhibita paulo majore cura, non pauca adjecimus, ut esset justa libelli magnitudo, jamque vel hoc honore dignus videri posset, ut *Joanni Erasmio Joannis Frobenii* filio, puero tum sex annos nato, sed indole incredibili dicaretur. Id factum est Anno M. D. XXII. Quanquam hujus operis natura est, ut quoties visum fuerit, recipiat accessionem. Itaque in gratiam studiosorum & *Joannis Frobenii* frequenter jam auctarium adjecimus, sed ita temperatis argumentis, ut præter lectionis voluptatem, ac sermonis expoliendi fructum, inesset, quod ad mores quoque formandos conduceret. Porro donec præter meras ineptias nihil haberet ille libellus, miro omnium favore legebatur. Ubi accessit uberior utilitas, non potuit effugere τῶν συκοφάντων δήγματα. Theologus quidam Lovaniensis mire lippiens oculis, sed multo magis ingenio, vidit illic quatuor locos hæreticos. Accidit & aliud quiddam huic operi memorabile. Excusum est nuper Lutetiæ correctis, h. e. depravatis aliquot locis, quæ videbantur attingere Monachos, vota, peregrinationes, indulgentias, aliaque hujus generis, quæ si plurimum valerent apud populum, uberior esset istis quæstus. Verum hoc ipsum fecit adeo stulte, adeoque indocte, ut scurram quempiam è trivio fecisse jures, quum auctor tam insulsæ fabulæ feratur Theologus quidam ordinis Dominicani, natione Saxo. Quorsum attinet addere nomen & cognomen, quod nec ipse cupit supprimi? nescit tale portentum pudescere, citius laudem etiam petat ex scelere. Addidit impostor novam Præfationem meo nomine, in qua facit tres viros in uno puero instituendo sudantes: *Capitonem*, qui tradiderit litteras Hebraicas: *Beatum*, qui Græcas: me, qui Latinas. Horum utroque facit me tum litteratura, tum pietate inferiorem, significans in Colloquiis inspersa quædam, quæ *Lutheri* resipiant dogmata. Atque hic scio quosdam sublaturos cachinnum, quum legent *Capitonem* ab isto, qui sic odit *Lutherum*, optimi doctissimique viri elogio prædicatum. Hæc atque hujusmodi multa me loquentem facit, hujus audaciæ exemplo sumto ex Epistolis Hieronymi, qui queritur æmulos suos ipsius nomine confictam Epistolam sparsisse apud Afros in conventu Episcoporum, in qua fateretur se deceptum à Judæis quibusdam falso vertisse Vetus Testamentum ex Hebræis. Et omnino persuasissent eam Epistolam esse Hieronymi, si stylum Hieronymi aliqua ex parte potuissent assequi. Hoc facinus quum Hieronymus referat velut extremæ deploratæque malitiæ, tamen unum hoc arrisit isti Phormioni, quod est quovis libello famoso sceleratius, sed defuit malitiosæ voluntati facultas perficiendi quod destinarat, stylum *Erasmi* quamvis incultum assequi non potuit, sic enim claudit flosculentam suam Præfationem. *Ita monuit ætas, ita jussit pietas, ut dum vivere datur prægravi senecta scripta mea repurgem, ne functos manes tristibus transscribant sequaces inferiis.* Quum talis sit totus hominis sermo, tamen non veritus est suos flosculos nostris coronis intertexere, aut insanissime sibi placens, aut pessime sentiens de judiciis Theologorum, nam his ista cudit, quos omnes tam stupidos esse putet, ut non statim deprehensuri sint infeliciter assutos hujus pannos. Tam abjecte ubique adulatur Galliæ, Lutetiæ, Theologis, Sorbonæ, collegiis, ut nemo mendicus possit abjectius. Itaque si quid parum magnifice dictum videtur in Gallos, transfert in Britannos, si quid in Lutetiam, vertit in Londinum. Addit quædam odiosa, velut à me dicta, quo mihi conflet invidiam apud eos, quibus dolet me esse carum. Quid multis? Passim suo commodo resecat, addit, mutat, veluti sus oblita cœno volutans sese in horto alieno, nihilque non conspurcans, perturbans, evellens, nec interim sentit perire captatam à nobis argutiam. Etenim quum illic cuidam dicenti, *ex Hollando versus es in Gallum*, respondetur: *Quid? an capus eram: quum hinc abirem?* ille mutavit, *Ex Hollando versus es in Britannum. Quid? an Saxo eram, quum hinc abirem?* Rursum quum quidam dixisset, *Vestis indicat te mutatum ex Batavo in Gallum.* Ille, ex *Gallo* facit *Britannum.* Quumque ille respondisset, *Hanc metamorphosin malim quam in Gallinam:* alludens ad Gallum. Ille mutavit *Gallinam* in *Bohemum*. Mox quum quidam jocatur se Latinum quoque sermonem sonare *Gallice:* ille pro *Gallice*, vertit *Britannice:* & tamen reliquit, quod sequitur, *Nunquam igitur bona carmina facies, quia periit tibi syllabarum quantitas:* quod in Britannos non congruit. Item quum illic aliquis dicit, *Quid accidit Gallis, ut bellum suscipiant cum Aquila:* ille sic corrumpit jocum, *Quid accidit pardis, ut bellum suscipiant cum Liliis:* quasi *Lilia* soleant prodire in bellum. Interdum non sentit ea, quæ sequuntur cum his, quæ mutavit, non cohærere, velut hoc ipso in loco. Ego scripseram; *Estne Lutetia immunis à pestilentia?* Ille mutat, *Estne Londinum immunis à pestilentia?* Rursus alio loco, quod à quodam dicitur, *Quid trepidamus hunc Gallum lacerare?* Ille, *Gallum* vertit in *leporem:* nec tamen mutavit, quod sequitur, *utrum mavis de ala, an de poplitibus?* Porro quum Dominicalibus adeo tenere faveat, ut voluerit apud illos sedere commissarios, tamen

Scotum atrociter attactum æquo fert animo. Nec enim mutavit, quod illic dicit quidam, *Citius patiar perire totum Scotum, quam libros unius Ciceronis.* Verum ut hæc stultitiæ plena sunt, ita insunt permulta, quæ parem habent stultitiæ junctam malitiam. Quidam illic irridet sodalem, qui, quum esset perditæ vitæ, tamen fideret bullis indulgentiariis: hic corrector facit illum fatentem se cum *Luthero* suo sentire, indulgentias Pontificis nihil valere. Ac mox fingit eundem resipiscentem, profiteri erroris sui pœnitentiam. Atque hæc videri vult, velut à me correcta. O miros fidei nutantis Atlantes! Hoc perinde est, ac si quis offis sanguine imbutis vulnus mentiatur in humano corpore, ac mox idem sublatis, quæ admoverat, vulneri medeatur. Dicit illic puer quispiam, confessionem, quæ fit Deo, præcipuam esse. Ille correxit, asseverans confessionem, quæ fit sacerdoti, præcipuam esse. Ita prospexit periclitanti confessioni. Unum hoc exempli causa retuli, quum in hujus generis sycophantiis creber sit. Atque hæc scilicet respondent palinodiæ, quam ille sub meo nomine pollicetur in falsaria præfatione, quasi cujusquam sit canere palinodiam erroris alieni, aut quasi, quicquid illic sub quacunque persona dicitur, meum sit dogma. Nihil enim me movet, quod hominem nondum sexagenarium facit prægravi senecta. Olim capitale erat edere quicquam alieno nomine, nunc tales sycophantias in vulgus spargere ficto ipsius nomine, qui traducitur, ludus est Theologorum. Nam vult Theologus videri, quum res illum clamitet ne pilum quidem tenere rei Theologicæ. Nec dubito, quin furcifer ille mendaciis suis imposuerit famelico typographo: non enim arbitror quenquam esse tam insanum, qui sciens tam indoctas nenias velit excudere. Deploratam hominis audaciam mirari desii, postea quam intellexi illum esse pullum è nido Bernensi quondam elapsum, plane ἐκ κακοῦ κόρακος κακὸν ὠόν. Illud demiror, si verum est, quod adfertur, apud Parisios esse Theologos, qui sibi plaudant, quod tandem nacti sunt hominem, qui eloquentiæ suæ fulmine disjiciat universam *Lutheri* factionem, & Ecclesiam pristinæ restituat tranquillitati. Nam scripsit & adversus *Lutherum*, ut audio. Et postea Theologi queruntur se à nobis traduci, qui studia ipsorum tantis vigiliis adjuvamus, quum ipsi volentes amplectantur talia monstra, quæ plus dedecoris adferunt ordini Theologorum, atque etiam Monachorum, quam quivis quamlibet maledicus hostis posset. Qui tale facinus audet, idem non dubitabit incendium, aut veneficium committere. Atque hæc excuduntur Lutetiæ, ubi nefas est vel Euangelium excudi, nisi Theologorum censura comprobatum. Hoc Colloquiorum opus postremum exiit auctum coronide, anno M. D. XXIV. mense Septembri. Cæterum quoniam videbam multos scriptores vel negligi prorsus, vel minore cum fructu legi, quod undique scaterent mendis, tum autem quosdam etiam commentariis insulsissimis esse contaminatos verius quam expositos, studuimus & in hac parte consulere studiis juventutis, nec juxta Græcorum proverbium, in dolio τὴν κεραμικὴν sumus adgressi, sed in libello puerili, cui titulus *Cato*. Adjecimus *Mimos Publianos* sane quam festivos, qui inter Senecæ lucubrationes falso titulo latebant, sed depravatissimi: tum admixtu multarum sententiarum, qui Mimi non erant, contaminati. His omnibus Scholia adjecimus. Adjunximus & alia quædam à nobis recognita, minutiora, quam ut sit operæ pretium referre, quod quidem ad operam à nobis insumtam attinet. In hanc classem referenda videtur *Nux Ovidii*, quam emendatam Commentariolo explanavimus, in gratiam optimæ spei adolescentis *Joannis Mori*, cui adjunximus duos Hymnos Prudentianos, alterum γενεθλιακὸν, alterum ἐπιφανειακὸν pueri JESV. Quos itidem emaculatos Commentariolis enarravimus in gratiam clarissimæ puellæ *Margaretæ Roperæ*: id factum est anno M. D. XXIV. Moliti sumus simile quiddam apud *Aldum* post edita Proverbia, in Comœdias Terentii & Plauti omnes, sed hic nihil aliud professi, quam versuum confusorum digestionem, ubi licuisset, tum in Tragœdias Senecæ, in quibus non pauca feliciter mihi visus sum restituisse, at non sine præsidio veterum codicum. Exemplaria reliquimus *Aldo*, permittentes illius arbitrio, quid de his statuere vellet: nisi quod Senecæ Tragœdias, post in Anglia denuo recognitas, *Badio* transmisimus, qui visus est nostra cum alienis miscuisse. Porro Cantabrigiæ nacti veteres aliquot codices, adgressi sumus Senecam Oratorem, magnis quidem laboribus nostris, sed quorum editio parum feliciter cesserit. Etenim quum meæ res me revocarent in patriam, dederam hoc negocii doctis amicis, ut ex his, quæ notaram in margine, deligerent, quibus videretur utendum, atque illi sane quam magnifice receperunt. Sed illic primum didici, & apud eos, qui putantur in promissis adamantini, nonnullos esse, qui parum probæ sint fidei, frustraque pœnituit non obtemperasse *Cassitæ* consilio, *Ne quid exspectes amicos facere, quod per te queas.* Quin & ea pars exemplaris, quæ plurimas habebat annotationes, periit. Nonnulli suspicabantur, & erat verisimile, eum, qui negocium magnificis promissis susceptum haud scio pejorene fide an judicio gesserat, clam sustulisse, ne deprehenderetur. In nonnullos libros non succurrebat aliquid vetustiorum codicum, velut in *Naturales Quæstiones*, in *Controversias*. His locis non ita multis addideramus conjecturam nostram non mutata scriptura. In alios, ubi licuit veterum librorum uti præsidiis, totas margines expleveramus annotationibus, sed quæ requirerent expensorem. Huic operi excudendo si præsens adfuissem, fateretur candidus lector, hoc, quicquid est operæ, non sine fructu fuisse susceptum: Nunc infelicitatem meam & ipse deploro, perfidiam nemo potest objicere. Audio quosdam apud Italos moliri novam hujus auctoris editionem, ex fide vetustissimorum codicum. Horum industriæ favebimus utroque pollice, & adeo non putabimus illorum felicitatem ad nostram ignominiam pertinere, ut hinc aliquid etiam laudis simus decerpturi, nimirum quod nostro qualicunque conatu præbuerimus illis ansam, stimulumque subjecerimus ad honestissimam provinciam suscipiendam. Ab his progymnasmatis adgressus sum Novum Testamentum, in quo decreveram adeo verborum parcus esse, ut statuerim singula loca tribus verbis adnotare, præsertim quum *Laurentii* castigationem jam edidissem, quæ mihi verbosior quam pro re videbatur. Cæterum ubi jam accinctus esset *Frobenius* ad excudendum, perpulerunt amici docti, quibus aliquoties obsequentior sum, quam expedit, ut mutarem etiam editionem vulgatam, & in Adnotationibus essem aliquanto copiosior. Is labor noster ut plurimos excitavit vel ad Græcas litteras, vel ad studium sincerioris Theologiæ, ita mihi gloriam peperit, multa invidia fermentatam. Dedimus & hic mox pœnas non leves vel temeritatis, vel nimiæ facilitatis, in obsequendo amicorum voluntati potius quam judicio. Non credendis laboribus totum opus retexuimus, ac rursus officinæ tradidimus. Rursum tertio manum admovimus, magnaque cura locupletavimus anno millesimo quingentesimo vicesimo secundo, quæ quidem hactenus fuit nobis operis editio novissima. Quartam habemus paratam, quod, dum Paraphrases scriberemus, multa deprehenderimus, quæ prius fefellerant. Quin & Hieronymianas Epistolas, quod hæ ut plurimum habent eruditionis & eloquentiæ, ita habebantur mendosissimæ, castigavimus, ac scholiis explicuimus, nota semovimus adjectis censuris. Quod opus rursum recognovimus anno millesimo quingentesimo vicesimo secundo, non paucis locis vel correctis vel additis, quæ nos in priore editione fefellerant Hoc rursus excusum est Anno M. D. XXIV. In hoc labore sic versati sumus, ut attentus lector facile deprehensurus sit, me non frustra recognitionem hanc suscepisse. Non defuerunt hic veterum codicum præsidia, sed quæ non præstarent, quin aliquot locis fuerit divinandum. Verum eam divinationem in scholiis ita temperavimus, ut ne qui facile falli possit, sed tantum excitetur ad investigandum lectoris studium. Et speramus fore, ut aliquis adjutus emendatioribus exemplaribus restituat & illa, quæ nos fugerunt: quibus ut libenter tribuemus meritam industriæ laudem, ita non habebunt, quod nostros conatus insectentur, qui quum multa feliciter restituerimus, in quibusdam coacti sumus vetus sequi prover-

proverbium οὐχ ὡς θέλομεν, ἀλλ' ὡς δυνάμεθα. Sunt enim quidam eo ingenio, ut si quid possint superiorum conatibus adjicere, totam laudem sibi vindicent, magnis conviciis exagitant, sicubi dormitatum est, aut sicubi non præstitit alter, quod conabatur. Quorum equidem haud scio utrum magis detestandam arbitrer inhumanitatem, an ingratitudinem. Nullus illis præclusit viam, si velint dare absolutiora. Negant quicquam edendum, nisi quod sit absolutum. Hoc qui præscribunt, dicunt nihil omnino edendum, neque tale quicquam à quoquam adhuc editum. Dabamus illa Batavis, dabamus Monachis ac Theologis magna ex parte ἀμούσοις. Nondum enim hucusque promoverant bonæ litteræ. Hæc si quis reputet, intelliget me nec ignavam, nec infrugiferam obisse provinciam. An Itali Critici non dabunt hanc veniam Barbaris, quam ipsi velint nolint dare coguntur suis, *Philelpho*, *Hermolao*, Valis: breviter, quotquot intra annos sexaginta, vel vertendis Græcis, vel enarrandis corrigendisve Latinis industria sua juverunt publica studia? Qui nihil edunt, sic vitant culpam, ut nihil laudis promereantur: imo dum stulte vitant culpam humanam, in gravissimam culpam incidunt: nisi forte minus culpandus est, qui ex lautiore penu nihil depromit famelicis amicis, quam qui gratis & candide profert, quicquid habet, libenter daturus lautiora, si haberet. Quis insectatur Annotationes *Hermolai* in Plinium, quod destitutus emendatorum codicum auxilio plurima non potuerit assequi, in multis etiam parum feliciter divinarit? Ego me plurimum debere profiteor *Beato Rhenano*, qui nobis dederit Tertullianum, multis in locis emendatum, quanquam nec totum dedit, & innumeris adhuc mendis obsitum. Non fraudatur sua laude, qui pro tempore, quod potuit, præstitit, ac viam aperuit cæteris elimatiora moliendi. Nec ullos patimur judices iniquiores, quam istos, qui nihil omnino edunt, ac ne docent quidem, velut invidentes utilitati publicæ, perinde quasi ipsis pereat, quicquid compererint esse multis commune. Et sicubi lapsum humanum deprehenderint, qui cachinni, quæ convicia, quæ tragœdiæ? Omnium felicissimus in vertendo fuit *Theodorus Gaza*. Et tamen in hujus libris deprehendit aliquot errores *Trapezuntius*, quos ille monitus correxit. *Hermolaus* vir tantus, nonne statim in Præfatione Themistii in libros Aristotelis De Anima, pueriliter lapsus est, in ipso (quod ajunt) portu impingens? Quid hic memorem de *Philippo Beroaldo*, de *Baptista Pio*, denique similibus, ad quorum errores connivent Itali? Quid de omnibus fere, qui intra octoginta annos verterunt Græca, Diodorum Siculum, Herodotum, Thucydidem, Vitas Plutarchi, atque etiam libellos Morales? Si his ignoscimus, quod in tanta doctorum hominum, ac vetustissimorum librorum copia labuntur aliquoties insigniter, cœlum terræ miscent, si in Batavo præsidiis omnibus destituto reperiant, quod sit emendandum? Quanquam nos ipsi in nostras lucubrationes censores agimus, multaque in his, quæ vertimus, ex Græcis emendavimus: idem facturi, donec vixerimus. Sed video, mi *Botzeme*, jamdudum ad Catalogum revocas. Ergo Suetonium Tranquillum cum miræ vetustatis codice contulimus, ac loca nonnulla satis feliciter restituimus, à nemine antea animadversa. Idem fecimus in operibus Cypriani. Recognovimus & Arnobii Commentarios in sacros Psalmos, quem laborem inscripsimus *Adriano* Pontifici Romano ejus nominis sexto, tum recens electo. Idem fecimus in Hilario, qui miris modis nos torsit. Hoc laboris dedicavimus *Joanni Carondileto* Archiepiscopo Panormitano, *Caroli* Cæsaris in Brabantia Cancellario summo. Cæterum, ubi perpenderemus quantum ad elegantiam & copiam dictionis adferant momenti sententiæ argutæ, metaphoræ aptæ, proverbia, similiaque schemata, decreveramus ex omni scriptorum probatorum genere, quam maximam harum rerum vim congerere, & in suam quæque classem digerere, quo magis essent in promtu his, qui stylum exercere vellent ad parandam orationis facultatem & copiam. Hujus rei periculum fecimus ante annos (ni fallor) viginti septem. Occasio fuit hæc. In littore Dovariensi prius quam ingrederer mare, naufragium fecit tota mea pecunia, quæ tum erat exigua, sed tamen mihi maxima, quum nihil superesset. Id factum est à præfecto (pene dixeram, à prædone) littoris, Regio nomine, quum mihi *Morus* ac *Montjojus* persuasissent nihil esse periculi, nisi monetam Britannicam efferrem. At ego nec Britannicam habebam, nec in Anglia partam aut acceptam. Verum in littore didici, non esse fas ullam efferre pecuniam, ne ferream quidem, ultra precium sex Angelatorum. Tanti mihi constitit unicam legem Britannicam didicisse. Ubi nudus redissem Lutetiam, non dubitabam, quin multi exspectarent futurum, ut (quod solent litterati) fortunam hanc ulciscerer calamo, scribens aliquid in odium Regis, aut Angliæ: simulque verebar, ne *Guilhielmus Montjojus*, quoniam dederat occasionem perdendæ pecuniæ, subvereretur, ne verterem animum erga se meum. Ut igitur & illorum exspectationem fallerem, imo potius declararem me non esse tam iniquum, ut privatum casum imputarem regioni, aut tam incogitantem, ut ob jacturam tantulam vel in me vel in amicos, quos in Anglia reliqueram, provocarem tanti Principis iram, simulque *Montjojo* meo testatum facerem, me nihilo secius affectum esse in amicitia, quam antea fueram affectus, visum est protinus aliquid edere. Quum nihil esset ad manum, tumultuarie paucorum dierum lectione congessi sylvam aliquam Adagiorum, divinans hoc libelli, qualis qualis esset, vel ob utilitatem versaturum in manibus studiosorum. Hoc argumento declaravi, quam non refrixissem in amicitia. Tum adjecto carmine, cujus ante memini, testificatus sum, quam non essem infensus vel Regi vel regioni, ob pecuniam ereptam, nec male cessit hoc meum consilium. Ea moderatio candorque mihi tum plurimos amicos conciliavit apud Britannos, viros eruditos, probos ac potentes. Id opusculum paucis post annis excudit *Badius* noster, adjectis à me pauculis, & recognitis Græcis potissimum. Mox *Matthias Schurerius* Argentorati, quum ego interim copiosiorem sylvam collegissem in Venetam editionem, quæ prodiit ex officina Aldina. Porro quoniam videbam hoc opus sic esse gratiosum apud studiosos ut victurum appareret & à multis typographis certatim ederetur: iterum atque iterum locupletavi, ut se dabat vel ocium vel major librorum copia. Postrema manus edita est apud *Joannem Frobenium*, anno à natali Servatoris M. D. XXIII. Porro dum locupletandis Adagiis nonnullos auctores relego, obiter collationes aliquot adnotavi, magis indicans ac præbens aliis exemplum futuri operis quam librum justa cura absolvens. Est autem liber unus de Parabolis sive similibus ad *Petrum Ægidium* Jureconsultum & civem Antverpiensem quondam mihi studiorum sodalem. Fortasse non abs re fuerit huic generi subnectere opus Epistolarum, quanquam non est aliud omnium, cui minus faveam. Indultum est hic plus satis amicorum affectibus, præsertim quum hi sæpenumero pro tempore mutentur in diversos, qua de re satis testati sumus, in prima postremæ editionis Epistola, quæ prodiit ex officina *Frobeniana* anno M. D. XXI. Et quod tum divinabam, post nimium veris experimentis comperi. Res enim ipsa docet quosdam ex juratissimis amicis, quos Pylades poteram dicere, factos hostes acerrimos, summam ingratitudinem cum summa perfidia copulantes, non ob aliud; nisi quod nollem palam dare nomen periculoso negocio, quod semper hariolatus sum in perniciosam seditionem exiturum. Atqui ego nemini renunciavi amicitiam, vel quod in *Lutherum* esset propensior, vel quod à *Luthero* alienior. Tali sum ingenio, ut vel Judæum amare possim, modo sit alioqui commodus convictor & amicus, nec me coram blasphemias evomat in CHRISTUM. Atque hanc civilitatem arbitror utiliorem ad finiendum dissidium. Ac leviter sane me commovet, quod, quibus ante scribebar, *Sidus Germaniæ*, *Princeps veræ Theologiæ*, *Antistes bonarum litterarum*, nunc sim alga vilior. Siquidem gloriosos illos titulos, qui mihi nunquam non fuere molesti, lubens illis resigno, amicitiæ fœdus nulli volens remitto. Tentavimus & declamationem, ad quam magis eramus natura compositi; quam ad illa collectanea, in quæ tamen maxime nos impulit

pulit nescio quis genius. Itaque lusimus olim laudem ac vituperationem matrimonii, quæ nunc pars est libelli, De Ratione conscribendi Epistolas. Id fecimus in gratiam clarissimi juvenis *Guilhelmi Montjoji*, quem tum in rhetoricis instituebamus. Hunc quum rogassem, *ecquid placeret, quod scripseram:* ille festiviter, *adeo placet, ut mihi plane persuaseris esse ducendam uxorem.* Tum ego, *suspende sententiam, donec legeris diversam partem. Istam*, inquit, *tibi habe, mihi prior placet.* Is jam post tertiam uxorem cœlebs est, fortasse ducturus quartam, adeo facile est perculisse plaustrum, quo sua sponte inclinatur. Sed admodum juvenes vix annos nati viginti, scripsimus in eodem genere laudem vitæ monasticæ, h. e. solitariæ, in gratiam amici cujusdam, qui nepotem quendam venabatur proselytum, quem in nassam pelliceret. Item ante annos viginti tres, Encomium artis medicæ, rogatu cujusdam amici, qui nuper *Caroli* Cæsaris Medicus fuit. Repperi inter schedas Episcopi responsionem ad populum sibi gratulantem, nec satis memini, quanam occasione ea mihi scripta fuerit. Nam consolationem de morte filii præmature prærepti, scripsi Senæ, quum *Alexandrum* Archiepiscopum Ecclesiæ Divi Andreæ, *Jacobi* Scotorum Regis filium instituerem. Sed multo ante apud Anglos descripseram Declamationem Lucianicæ respondentem contra tyrannicidam, huc provocante *Thoma Moro*, tum studiorum sodali, qui nunc Anglorum Regi est à Thesauris. Querimoniam pacis scripsimus ante annos ferme septem, tum primum in aulam Principis acciti. Agebatur magnis studiis, ut Cameraci synodus esset summorum orbis Principum, Cæsaris, Regis Galliarum, Regis Angliæ, Caroli nostri, atque ibi pax coiret inter illos, adamantinis, ut ajunt, vinculis. Hæc res potissimum agebatur per clarissimum virum *Guilhelmum à Ciervia*, & Reipublicæ juvandæ natum *Joannem Sylvagium*, cancellarium summum. Obstabant huic consilio quidam, quibus inutilis est rerum tranquillitas, quibusque juxta Philoxeni sententiam, qui dixit suavissimas esse carnes, quæ carnes non essent: suavissimos pisces, qui pisces non essent, maxime placebat pax, quæ pax non esset, & bellum, quod bellum non esset: Itaque jussu *Joannis Sylvagii* scripsi Pacis querelam. Nunc res eo profecerunt, ut parandum sit paci Epitaphium, quandoquidem nulla spes est eam revicturam, sed in his sunt, *quæ seria ducunt*, ut ait Flaccus. *Moriam* lusimus apud *Thomam Morum*, tum ex Italia reversi, quod opus quum mihi sic esset contemtum, ut nec editione dignarer (nam aderam Lutetiæ, quum per nescio quos pessimis formulis depravatissime excuderetur) tamen vix aliud majore plausu exceptum est, præsertim apud magnates: paucos tantum Monachos, eosque deterrimos, ac Theologos nonnullos morosiores offendit libertas: sed plures offensi sunt, ubi *Lystrius* adjecit commentarios, quod antea profuerat non intelligi. Conceperamus id temporis animo tres simul declamationes: *Encomium Moriæ, Naturæ, & Gratiæ*, sed quorundam morositas fecit, ut verterem consilium. Admodum adolescens adgressus sum *Antibarbaros:* nam & hoc opus arbitror ad declamatorium genus pertinere. Quanquam autem & in his, quæ recensui, pleraque sunt, quæ pertinent ad institutionem vitæ, tamen hæc, quæ nunc commemorabo, serio nobis scripta sunt ad vitæ rationem ac pietatem. In his est *Panegyricus*, quem *Philippo* Principi porreximus, primum ex Hispania reverso: quem sic laudavimus, ut eadem opera submoneremus, quid esset bono Principi spectandum, quod satis testati sumus in Epistola ad *Joannem Paludanum*, quam tum operi adjecimus. Præterea libellus *De Principe Christiano*, quem *Carolo* nunc Cæsari porreximus, recens in aulæ principalis famulitium acciti, ut essemus inter Principis Consiliarios. Atque hoc pacto primum fidelis Consiliarii partes sumus auspicati Hoc enim epitheton solenniter addi solet Consiliariis, quum plerique Principes nihil minus ament, quam vere fidos Consiliarios, & plerique Consiliarii nihil minus præstent, quam cognomentum suum. Et tamen hujus libelli libertate nemo magnatum offensus est. Ferunt boni Principes liberam admonitionem, seditiosam licentiam non ferunt. Enchiridion militis Christiani cœpimus ante annos ferme triginta, tum agentes in arce Tornahensi, quo nos pestis, quæ tum Lutetiæ desæviebat, propulerat. Res est casu nata. Erat in ea arce quidam amicus mihi Battoque communis. Huic erat uxor singulari pietate prædita, ipse nulli pejor quam sibi: homo profusus scortationibus & adulteriis opertus: alioqui comis ad omnem convictum. Theologos omnes fortiter contemnebat, uno me excepto. Uxor mire satagebat de salute viri. Hæc per Battum mecum agit ut aliqua notarem scripto, quæ religionem incuterent homini: sic tamen, ne sentiret hæc uxoris impulsu geri. Nam erat & in hanc sævus usque ad plagas, more videlicet militari. Obsequutus sum, adnotavi quædam ei tempori congrua. Ea quum placerent etiam eruditis, præsertim *Joanni Vitrario* Franciscano, cujus erat in illis regionibus auctoritas summa: posteaquam rursus è Lutetia pestis undique sæviens, Lovanium nos profligasset, per ocium absolvimus. Libellus erat aliquamdiu neglectus. Mox mire cœpit esse vendibilis, idque potissimum commendatione quorundam Dominicalium, quorum aliquammultos nuper alienavit addita Præfatio ad *Paulum Volzium* Abbatem, virum moribus, ut si quis alius, pure Christianis. Huic adjeceramus Epistolam Paræneticam ad *Adolphum* Principem Veriensem, tum admodum puerum. Præterea duas Precationes, ad Virginem matrem, in gratiam matris illius, h. e. Annæ, dominæ Verianæ, stylo juvenili, & ad illius affectum accommodato, potius quam ad meum judicium. Post, unam addidi Ad JESUM, magis ex animo meo. Accessit pars temporariæ disputationis olim habitæ cum *Joanne Coleto De tædio* JESU, si tamen hæc pertinent ad morum institutionem. Hoc anno, h. e. M. D. XXIV. emisimus *Exomologesim*, sive *De ratione confitendi commissa sacerdoti.* Quin his majora sum ausus, explicui Paraphrasi Epistolam Pauli ad Romanos. Mox ubi successus audaciæ & amicorum hortatus me subinde longius provocarent, absolvimus Paraphrases in omnes Epistolas Apostolorum. Hoc opus quoniam non perpetuo labore, sed ex intervallis absolutum est, sic ut post unamquamque portionem absolutam statueremus ab hoc genere temperare: factum est, ut præter morem meum operis summa non sit uni dedicata. Post, hortatu *Matthæi* Cardinalis Sedunensis, idem nuper ausi sumus in *Matthæum.* Hoc lucubrationis dedicavimus *Carolo* Cæsari, cui scimus industriam nostram fuisse gratissimam. Jam desieram cogitare περὶ τοῦ παραφράζειν, & ecce multis in hoc stadium revocantibus, absolvi Paraphrasim in Joannem, quod is præ cæteris multis difficultatibus remoratur lectorem. Nec hic licuit quiescere: cœpit efflagitari Lucas, quod apud hunc multa sint cum nullo Euangelistarum communia, adeo nunquam deerat efflagitandi lemma. Hic labor dicatus est Anglorum Regi *Henrico*, ejus nominis octavo. Marcum denique quidam insignis amicus suasit addendum, ne lacuna in medio vacans invitaret aliquem, qui, suis admixtis, operis integritatem interrumperet. Hoc opus dicatum est Galliarum Regi *Francisco*, ejus nominis primo. Restabant Apostolorum acta, pars Euangelii secundum Lucam. Ea dicavimus *Clementi*, summo Pontifici, hujus nominis septimo. Apocalypsis nullo modo recipit paraphrasten. Hic itaque tandem Paraphraseôn finis satis felix. Nec enim alius labor mihi minus invidiæ conflavit quam Paraphraseôn. Scripsimus & in Psalmos duos commentarium, quibusdam magnis flagitationibus ad hunc laborem vocantibus. Verum hic non solum deterret operis tum magnitudo, tum difficultas, verumetiam turba commentariorum, ut periculum sit, ne Prophetiam obruant citius quam explanent. Attamen tertium Psalmum Paraphrasi explicuimus, in gratiam eruditi amici *Melchioris Viandali.* Scripsimus & in precationem dominicam Paraphrasim, rogatu *Jodoci* sive *Justi* Wissenburgensis, Secretarii Regis Poloniæ. Nuper absolvimus Concionem De misericordia Domini ad preces sanctissimi præsulis *D. Christophori* Episcopi Basiliensis, qui huic titulo sacellum quoddam dedicarat. Et eodem tempore *Comparationem virginitatis & martyrii*, ad preces integerrimi viri *Heliæ Maccabaitici* apud Agrippinam collegii moderatoris. Nam concionem de pucro JESU pridem scripseram rogatu *Joannis Coleti.* Methodum ve-

ræ

ræ Theologiæ jam sæpius editam recognovimus ac locupletavimus anno M. D. XXII. ac rursus anno proximo. Equi-
dem gloriari consueveram, quod quum tam multa joco serioque scripsissem, nullum adhuc mortalium meo stylo no-
minatim lacerassem, sed hanc gloriam invidit mihi nescio quis malus genius. Quanquam hactenus defendi lau-
dem innoxii styli, quod in neminem strinxi ferrum, nisi provocatus odiose: neque cuiquam respondi, nisi mo-
destia vicerim adversarium inferior virulentia. Nam arbitror hoc ita liquere è scriptis meis, ut mihi tantum
laudis liceat citra jactantiæ notam arrogare. Primum illud erat in votis, ut nec impetitus à quoquam, nec im-
petens quenquam, incruento calamo luderem perpetuo. Sed hic bis infelix fui: primum quod à multis sum
odiosissime libris editis impetitus: atque etiam ab his, de quibus nihil unquam fueram male meritus: deinde
ab his, quos mihi nec pulcrum erat vincere, nec concertatores habuisse magnificum, ac ne frugiferum qui-
dem. Itaque quoties huc necessitatis adactus sum, λακωνίζω, rem quam possum verbis paucissimis perstringens.
Nec ulli mortalium hujusmodi lucubrationum mearum quicquam dicavi, sive quod eas victuras esse nec spera-
rem, nec optarem: sive quod nollem quenquam invidia degravare, quod ego per omnem vitam pro viribus
cavi, ne quid ex me molestiæ rediret ad amicos.

Martinus Dorpius, instigantibus quibusdam, primus omnium cœpit in me velitari, cui respondimus ut amico amice, unica Epistola patrocinantes Moriæ & Novo Testamento. Nec ob hanc velitationem discissa est nostra necessitudo, quod scirem illum non odio mei huc venisse, sed juvenem tum ac natura facilem, aliorum impulsu protrudi.

Successit huic *Jacobus Faber* Stapulensis, vir integer & eruditus, mihique vetere junctus amicitia. Cui sic respondimus, ut eam necessitatem fatis imputare maluerimus quam homini: nec ob eum casum tametsi gravem, illi nostram amicitiam renunciaverimus? Nam & hodie manet incolumis inter nos benevolentia mutua. Hic mihi periit opera dierum duodecim.

Nec ita multo post prosiliit *Eduardus Leus*, ex amico subito factus hostis, qui sic adgressus est, ut plane nollet ζωγρεῖν, sed internecione conficere totum *Erasmum*: cui respondimus tribus libellis, tametsi secunda editione primum omisimus, quod is tantum ad virulentias illius & plusquam muliebres rixas responderet, ex quibus ad lectorem nulla redire posset vel utilitas, vel voluptas. Hic mihi perierunt dies, simul scribendo & edendo (nam omnes paginas ipse correxi) quinquaginta. Id possum docere testibus.

Prorepsit deinde *Jacobus Latomus*, tum laureæ Theologicæ candidatus, quæ nescio quo pacto jam annis aliquot Lovanii vix ulli contigit, nisi prius edito specimine συκοφαντίας. Hujus libello, quoniam obliquis strophis hominis ingenium referebat, plusquam λακωνικῶς respondimus, interim & ab affectibus temperantes: quoniam spes tum erat hominem aliquando sumturum mores aliquanto candidiores. Hic mihi periit triduum, excepto tempore, quo legi libellos illius, dum curru vehor.

Subornarant & *Atensem*, ejus Academiæ tum Vicecancellarium, probum virum, & in re Theologica nullo illic non superiorem, denique nec inhumanum, & mihi satis amicum, sed ingenio irritabili. Et aderant artifices, qui quamvis placidum ingenium possent in rabiem agere, certe illum impulerunt in mortem. Nec enim erat illius ætas ac valetudo par hujusmodi tragœdiis sustinendis. Hunc, inquam, subornarant, ut in publica schola, in actu solenni, miris strophis ac dicteriis obliquis perstringeret me, etiam hæreseôs notam impingens, quod plus satis laudassem matrimonium. Hic mihi jam satis fecerat, primum missis ad me hujus rei gratia *Martino Dorpio*, & *Ægidio Delpho*, deinde colloquio familiari.

Mox igitur edito libello respondi, non *Atensi*, sed hominum suspicionibus, magis illius causam agens quam meam. Et quoniam hæc ex composito gerebantur, tumultus tumultum excipiebat. Sic enim putabant fore, ut me profligato ex Academia, simul omnes linguæ cum bonis litteris demigrarent in rem malam. Eodem ferme tempore clamatum est à Monachis Londini in Anglia, Lutetiæ in Gallia, Bruxellæ in Brabantia, idque in frequentissimis concionibus in me, quod vertissem: *In principio erat sermo*, pro eo, quod erat, *In principio erat verbum.* Et hunc tumultum libello compescuimus, declarantes eos, qui sic clamassent, prorsus insanire. Quanquam id eruditis abeunde perspicuum erat etiam ante, quam nos verbum ullum faceremus.

Primus omnium scripserat adversus Novum Testamentum obscurus quidam, cui satis habuimus Epistola respondere, suppresso nomine.

Jamque finis videbatur futurus hujus mali, quum ecce de repente nobis ex Hispania prosilit *Jacobus Lopis Stunica*, homo (quod illius scripta declarant) gloriosus, effrons, excors, sibi mire pulcer, sermonis amari, dicas natum hujusmodi tragœdiis. Præcesserat rumor atrox, & liber ipse miros habebat fumos. Huic paucis respondimus, nec æque pœnituit ulli respondisse. Is ubi se Romam contulit, illic triumphum acturus de tam bello libello, rursus emisit in me librum, cui titulum fecit, *Blasphemia & impietates Erasmi*, quo nihil unquam prodiit insanius. Itaque Cardinalium ordo vetuerat excudi: excusum tamen clam per Monachos quosdam, apud quos sacrosancta est Pontificis auctoritas, quoties ipsis est commodum, rursum vetuerunt distrahi. Vix huic responderam paucis & contemtim, ut merebatur, dum alius provolat libellus, præcursor illorum trium, in quibus velut optimus histrio declaravit, quantum valeat maledicendo. Itaque de eodem (quod ajunt) oleo responsum est huic quoque.

Aderat frater viro, *Sanctius Caranza*, Theologus Complutensis, qui *Stunicam* defenderet in tribus duntaxat locis, quos delegerat: & dum me conatur hæreticum facere, sese declarat impudentem sycophantam, & hujus libello respondimus. Et invenit Roma, qui tales nenias legant. Arguit enim esse, qui legant, quod sint, qui emant, quum vix usquam illic invenias venales libros sanctorum patrum, qui faciunt ad pietatem. Imo non desunt, qui credant talibus præsidiis recte defendi statum Ecclesiæ: cujus negocii quum illud sit caput, ut apud omnes pondus habeant Romani Pontificis constitutiones: iste re ipsa docet quantum illis sit tribuendum apud alias nationes, quum ipse Romæ toties impune rideat Pontificum & Cardinalium edicta. Respondent non aliter *Stunicam* tolerari Romæ, quam *Pasquillum*. Verum *Pasquillus* & levius insanit, & semel duntaxat in anno. Iste posthabitis rebus omnibus, nihil aliud agit: & hanc putat mirificam quandam felicitatem. De *Caranza* nihil audio, sed *Stunica* totus etiamnum in negocio est: obambulat, ambit, satagit apud Pontificem, ut liceat tres illos admirandos libellos edere cum auctoritate. Equidem demiror quorumdam hominum perditam impudentiam, qui quum ultro tanta virulentia incessant alios benemereri studentes, toties deprehensi in manifestis erroribus, tamen quasi re bene gesta rursus prodeant in arenam, ultro provocantes ad certamen. Nec se purgant interim, sed pergunt in alios lutum jacere. Ego certe, si quid mihi simile accidisset, abderem memet in solitudinem, & puderet rursum in eruditorum hominum prodire theatrum. Veniam exorat, qui studens promereri, labitur. Quis autem ignoscat his, qui sic impetentes alium, ipsi turpissime labuntur: *Stunica* primitias suæ maledicentiæ ediderat Compluti. Verum quum essent pauci, qui talem librum vellent emtum, velut ἔμπορος Romam merces suas deportavit. Quumque reliquas sycophantias per *Leonem* Pontificem non liceret edere, post hujus obitum interregni tempore, vulgavit (ut dixi) quædam, editurus plura, ni Cardinalium edicto semel atque iterum fuisset cohibitus. Nam *Adrianus* complures menses hæsit in Hispania prius quam se Ro-

mam conferret. Quumque apud hunc quoque frustra molitus esset, ut liceret, quod scripserat emittere, mox ab hujus obitu rediit ad ingenium: dumque Cardinales inclusi de novo Pontifice creando decertant, emisit conclusiones aliquot ex omnibus meis lucubrationibus decerptas, adornans interim & reliqua in vulgus dare. Et fecisset, ni *Clementis* VII. auctoritas hominem palam furentem compescuisset. Et huic igitur libello paucis respondimus, quanquam & ante jam responderamus.

Est Lovanii Theologus quidam Carmelita, qui se gloriari solet habere linguam pro calamo, & omnino linguam habet, sed dignam usu, quem indicavit Catullus. Huic ludus est *Erasmum*, in compotationibus, in prælectionibus Theologicis ac publicis etiam concionibus, hæreticum vocare, ac tantum proficit, ut apud omnes, qui sani sunt, insanus habeatur. Et hujus exemplum imitantur complures, qui vel hoc solo nomine putant se videri magnos Theologos; si, quos libuerit, appellent hæreticos aut schismaticos aut falsarios, quasi idem non possit aurigæ. Is igitur publicitus in ordinaria lectione, mihi duo levia crimina impegit, hæreseos, & falsatæ Scripturæ Sacræ: quod in Epistola ad Corinthios priore, verterim id, quod solum reperi apud Græcos: *Non omnes quidem dormiemus, sed omnes immutabimur.* Hanc calumniam insigniter impudentem libello brevi refellimus, sed absque convicio, suppresso etiam hominis nomine, & tamen indignatur. Age, si ipse putat æquum fore, ut aliquis ipsi indignetur abstergenti lutum, quod quispiam injecisset in candidum ipsius pallium, quod solum habet candidum: fatebor æquum, ut mihi indignetur, quod tam impudentem calumniam refello etiam ipsius interim nomini parcens. Et quum hisce moribus omnibus bonis displiceat, uni sibi displicere non potest. Clamat in libellos famosos. Non sunt libelli famosi, qui tuentur innocentiam adversus furiosam calumniam: sed lingua famosa est, quæ manifesto mendacio tam atrox crimen impingit immerenti, vel potius benemerenti. Idem nuper in libello *Colloquiorum*, quatuor hæreses deprehenderat, atque hoc nomine nusquam non triumphabat, in compotationibus, in concionibus, in colloquiis, in prælectionibus, præter hæreses nihil habens in ore. Et huic calumniæ paucis respondimus. Hujus intemperiis *Adrianus* Pontifex imposuerat silentium, misso diplomate, quo diligenter præcipiebat, ne quid blateraret in *Erasmum*. Siluit ad tempus, licet ægre. Mox à morte Pontificis rediit ad pristinos clamores, quasi quod recte præcipit Pontifex, non oporteat esse perpetuum. Itaque reversus ad ingenium, pristini silentii jacturam diligentia maledicendi sarcit. Prælegebat Euangelium Matthæi, nec raro jaciebat aliquod saxum in caput meum è cathedra Theologica, sed tam impudenter, ut nullus scurra possit impudentius: tam ridicule, ut bona pars non ob aliud veniat in illius auditorium, quam ut rideat: nec desunt, qui interpretentur hominem studio sic ineptire, ut inveniat auditores. Emiseram Apologiam de loco in Epistola ad Corinthios: *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.* Ea quum tam manifestis argumentis diluissem hominis calumniam, ut digitis (quod ajunt) res sentiri possit, tamen perinde quasi nihil esset responsum, non puduit hæc dicere publicitus: *Hic*, inquit, *multi sunt, qui favent* Erasmo, *ego tamen non tacebo verum. Quicquid tenet Ecclesia, hujus contradictorium est falsum & hæreticum:* Erasmicæ *lectionis contradictorium tenet Ecclesia, ergo* Erasmi *lectio est falsa & hæretica.* Capite Matthæi III. quo pro eo, quod erat, *pœnitentiam agite*, verteram, *resipiscite*. Hic ille: *ERASMUS*, inquit, *negat pœnitentiam*, quasi *pœnitentiam agere* sit Latinis idem quod *explere satisfactionem pro commissis indictam:* aut quasi pœnitentiæ vox dicta sit à pœna, ac non potius à pone tenendo, h. e à posterius intelligendo, quemadmodum Græcis μετάνοια: aut quasi ideo sublata sit satisfactio, si peccator jubeatur resipiscere. Capite sexto plane florebat illi Theologia. Negabat quicquam absurdius potuisse fieri, quam quod pro *Dimitte*, & *dimittimus*, novassem *Remitte*, & *remittimus. Remittere*, inquit, *declarat iterum ad aliquem mittere. Quis nunc orat, ut iterum ad se mittat Deus peccata per confessionem abolita?* Demiror cur non eadem opera rideat in symbolo fidei, atque in ipsis adeo Euangeliis *remissionem peccatorum* toties iteratam: cur hic non jubet scribi, *dimissionem?* Quin iisdem dicteriis exagitat caput Lucæ VII. ubi bis ponitur, *remittendi* verbum: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Et mox: *Remittuntur tibi peccata.* Non vidit ille Coroebus, quicquid hic blateravit in meam versionem, cadere in lectionem Ecclesiasticam. Secundo Matthæi capite, pro, *Omnis Hierosolyma*, verteram, *Tota Hierosolymorum urbs:* non damnans, quod erat versum, sed explanatius eloquens quod sensit interpres. Hic è suppositionibus Sophistarum demonstravit non posse eundem esse sensum in verbis meis, qui est in verbis interpretis, propterea quod in meis non possit esse *suppositio, pro singulis generum, aut pro generibus singulorum.* Hujusmodi nenias quotidie deblaterat homo senex, Theologorum Lovaniensium Corypheus: & mirantur Pontificis negocium parum succedere, quum per tales hisce modis administretur. O dignos homines, quos ociosos alat mundus! ô Theologum gravem ac dignum, cui cordati cives credant suos liberos! Nam hanc provinciam suscipit, quo plus arceat à bonis litteris. Nulla res magis commendavit *Lutherum* orbi, quam hominum hujusmodi mores. Quin & Novo Testamento prodituro, unam atque alteram apologiam adjecimus, divinantes non defuturos, qui calumniarentur. Sunt & Epistolæ cæteris admixtæ, aut separatim excusæ, quæ videri possint Apologiæ, qualis est illa ad *Marcum Laurinum*, ad *Jacobum Hogestratum.*

Sed à rixarum commemoratione libenter discedo, & jam rixandi videbatur finis, nisi subito ac præter omnem spem exortus fuisset *Ulricus Huttenus*, ex amico repente versus in hostem, tantum valet apud leves homines mala lingua: hoc nemo scripsit in *Erasmum* hostilius. Et tamen non eramus responsuri, nisi graves amici judicassent, hoc ad meam existimationem interesse. Exiit itaque Spongia ipso titulo styli moderationem pollicens, quam tamen videor nonnullis nequaquam præstitisse; quum ego, teste conscientia, summo studio sim adnixus, ne quem omnino per occasionem attingeret mea defensio: ipsi etiam *Hutteno* parcere studens, quantum res ipsa pateretur. Qui *Hutteni* famam apud omnes sartam tectam volunt, illis indignentur, qui hominem suis mendaciis huc perpulerunt, magis etiam istis, aut iisdem potius, qui hoc summis viribus agunt, ut in mortuum etiam stringam calamum. Quod tamen à me nunquam extorquebunt. Nec enim libet furere. Et video rem prorsus exisse in rabiem.

Proinde posthac non est animus cum istiusmodi gladiatoriis libellis congredi. Primum adnitar, ut hanc conscientiam approbem CHRISTO, speroque futurum, ut consilii mei rationem optimus quisque suo calculo comprobet. Istis vero rabulis, qui prorsus nescire videntur, quid intersit inter scribere & furere, equidem malefacere malim, quam maledicere, si Christianum esset omnino cuiquam male velle. Ab iis vero, qui Spongiam atrocem ac procacem videri volunt, tantum illud petam, cogitent, quam non vulgariter dilexerim *Hutteni* ingenium, quanto candore, quot editis scriptis illum nondum admodum celebrem orbi commendarim: quot Epistolis illum prædicarim apud amicos, præsertim apud reverendissimum Cardinalem Moguntinum. In quadam Epistola confero illum cum *Thoma Moro*, quo viro multis jam seculis nihil sol vidit integrius, candidius, amicius, cordatius. Hujus se vehementer dissimilem probavit *Huttenus*, meque vanum præconem fecit. In opere Novi Testamenti jam tertium edito, quam non vulgari affectu laudes illius persono? Jam & illud cogitent, quam illi nulla à me præbita est occasio recedendi ab amicitia, quam non oportuit absque gravissimis causis rescindere. Deinde quam ille non solum violarit amicitiæ jura, verum etiam velut ex insidiis plus quam hostiliter impetierit & famam & vitam amici. Nam omnino res ipsa loquitur, *Huttenum* non alio consilio scripsisse sic in me, quam ut calamo jugularet, quem gladio non poterat. Et, ut sibi videbatur vir fortis, sic cogitabat: Seniculus est, valetudi-

letudinarius est, meticulosus & imbecillis est, mox efflabit animam, ubi legerit hæc tam atrocia. Hoc illum cogitasse, voces etiam, quas jactabat, arguebant. Nunc appellabo conscientiam illorum, qui *Huttenum* domestice noverant, quanquam & hi, quibus cum illo nulla erat familiaritas, norunt, quam fuerit omnis illius vita militaris, ne verbo utar acerbiore: & tamen in tota Spongia nusquam objicio luxum, quem illum nec miserabilis ille morbus dedocere potuit, nusquam aleam aut scorta, nusquam profusione decoctam pecuniam, conflatum æs alienum, ac frustratos creditores. Jam illa facinora, quæ designavit extorta à Cartusiensibus pecunia, truncatis aliquot Monachis, impetitis in via publica tribus Abbatibus, ob quod facinus unum è famulis deprehensum decollavit Comes Palatinus. Hæc, inquam, atque hujus generis permulta etiam populus ubique novit, ego tamen nihil horum in Spongia refrico, nec in hostem regero vera notaque crimina, quum ille in amicum atque etiam benemeritum tantam falsissimorum criminum Lernam impudentissime congesserit. At in tota Spongia nullum prædonis, raptoris, aut latronis, aut decoctoris convicium. Nam quod illic in genere dicitur, ad nullius contumeliam, sed ad omnium utilitatem pertinet. Et sunt, quibus videor atrox in Spongia. Quas nugas ille expostulator, quam atrocibus verbis exaggerat? Ego in tam multis & vulgo notis, an non potuissem esse disertus, nisi meum ingenium vehementer abhorreret à maledicentia? De vulgata ad Cardinalem *Moguntinum* Epistola sic refero, ut ipse solus fuerit intellecturus. Alterum facinus hoc etiam perfidiosius, nec attingo, quod utrumque condonaram amicitiæ nostræ: & ille putabat æquum, ut ob excusatum colloquium sic debaccharetur in amicum, idque in gratiam unius aut alterius, quibuscum contraxerat novam amicitiam, ipsi non magno futuram usui. Si falsa crimina falsis retaliassem, par pari relatum erat, nisi quod plausibilior est ejus causa, qui lacessitus prodit in pugnam. Nunc acerbus videor, qui sic lacessitus tot sycophantiis, ne veris quidem ac populo notis criminibus abutor ad mei defensionem. Jam in invidiam mei vulgarunt *Martini Lutheri* Epistolam, privatim ad amicum scriptam, de Spongia. Quantum sit huic *Lutheri* judicio tribuendum, in præsentia non disputo: me certe nihil movet, illud requiro, quur, qui hanc Epistolam ediderunt, non eadem opera vulgarunt Epistolas *Philippi Melanchthonis*, quibus hunc *Hutteni* conatum detestatur ut pestiferum Euangelico negocio, & non semel insaniam vocat. Sunt apud me tres illius Epistolæ ad diversos amicos scriptæ, in quibus exsecratur rabiosos libellos, quos nobis subinde mittit novum hoc Euangelium. Quamquam plura scripsit aliis. Ea premunt homines callidi, interim furiosis & anonymis aut pseudepigraphis libellis debacchantur, & post hæc jactant, se pro Euangelio decies mori paratos. Quur igitur non docent Romæ? Magna est vivæ vocis energia. Quur non debacchantur in Cæsarem æque atque Pontificem? quia minus tutum est. Ubi igitur votum martyrii? Certe docere debuerant, si nolunt provocare. Non me fugit, hoc fuisse consilium quorundam, qui se falso jactant Euangelii nomine, ut me libellis rabiosis obruerent, ne quid molirer in *Lutherum*. Fingant lapidatum *Erasmum*, an ilico res illis bene sit habitura? Nec perpendunt, si mihi tanta esset ulciscendi libido, quanta illis lædendi, quantopere & potuerim & possim istorum causam affligere. Quis non agnoscat hic spiritum Euangelicum, quo mille jam annis caruit mundus? Esto, sit Euangelicum libere debacchari conviciis in noxios, verum manifestis mendaciis impetere caput immerentium, an & isthuc exemplum Euangelicum est? Vinum infundit vulneribus Medicus Euangelicus, sed idem addit oleum: & vinum infundit, non acetum. Isti quidam venenum infundunt pro vino. Neminem occidunt gladio, sed sceleratius linguis & calamo. Et tamen non habent, quod objiciant mihi, nisi quod nolim mei capitis periculo profiteri, quæ vel non assequor, vel pro dubiis habeo, vel non probo, vel nullo fructu professurus sim. Alioqui quis plura scripsit adversus fiduciam cæremoniarum, adversus superstitionem ciborum, cultus & votorum, adversus eos, qui plus tribuunt hominum commentis, quam Litteris Divinis: qui pluris faciunt humanas constitutiones, quam præcepta Dei: qui plus præsidii collocant in Divis, quam in ipso CHRISTO: adversus Theologiam scholasticam Philosophicis & Sophisticis argutiis corruptam, adversus temeritatem quidvis definiendi, adversus præpostera vulgi judicia? Quam vero non blandiar summis etiam Principibus, libri mei satis declarant.

Hæc aliaque permulta, quæ pro modulo gratiæ mihi datæ docui, constanter docui, non obstrepens cuiquam, qui doceret meliora. Et *Erasmus* nihil docuit nisi eloquentiam. Utinam istud persuadeant amicis meis ματιολόγοις, qui constanter jactant, quicquid docuit *Lutherus*, hausisse è scriptis meis. Tametsi non invideo laudem istam *Luthero*, habeat in solidum, modo glorificetur Euangelium. Summa criminum meorum est, quod sum moderatior, & hoc nomine male audio utrimque, quod utramque partem horter ad tranquilliora consilia: libertatem non improbo caritate conditam. Ex rabiosa maledicentia quid nasci potest, nisi cruenta seditio? Si nos Romanam Ecclesiam infamemus, & illa vicissim nostra prodat mala, nonne præclarum spectaculum edetur hostibus nostræ Religionis? *Clemens* offert sese paratum ad corrigendam Ecclesiæ corruptelam; misit Legatum, quo nullus optari potuit vel æquior vel humanior. Et isti tantum maledicunt, quasi nihil sit illis dulcius rerum omnium confusione. His imputent, si Principes tandem efferati sævire promiscue cœperint in fortunas & in capita plurimorum. Id si fiat, vereor, ne quidam sero probaturi sint meam moderationem. Quis enim ferat istos quosdam, qui prætextu Euangelii nec Principes audiant, nec Pontifices, nec ipsi auscultent *Luthero*, nisi quum est ipsis commodum? Alioqui & *Lutherus* illis homo est, & humano spiritu ducitur, aut non scripsit ex animo suo. Magnum vero crimen, si, quod nunc seditiose fit, cupio citra seditionem fieri, Principum assensu, qui si non facturi sunt, quod optimum est, quid sceleris admissum est, quod illos admoneo? Nec revoco volentes incendium restinguere, sed eos damno, qui oleum addunt camino, & morbum, qui jam annis plus mille inveteravit, violentis pharmacis subito volunt tollere, maximo totius corporis periculo. Quam moderationem Apostoli præbuerunt Judæis, qui à saliva legis insolitæ non poterant abduci: eamdem opinor recte præstarent his, qui plurimis jam seculis, tot Conciliorum, tot Pontificum, tot insignium doctorum auctoritatem sequuti, gravatim hujus recentis doctrinæ mustum recipiunt. Et interim pono illos errasse, hos omnia vera docere. Agat utraque pars Christianis rationibus Christi negocium, & videbit, quid sim pro mea qualicunque portione in medium allaturus. Sed longius efferor, ad *Huttenum* redeo.

Utinam, qui tragœdiam hanc excitarunt primum, & nunc renovant, paterentur *Hutteni* manes quiescere, neque nos huc perpellerent, ut (quod dici solet) cum larvis luctemur? Quamquam cum larvis pugnat, non qui maledico libro, quem aliquis velut injecto jaculo venenis tincto relinquens fugit è vita, respondet, sed qui mortuum non responsurum ultro criminatur. Ego *Hutteni* manibus, ubi mihi mors hominis est nunciata, animo Christiano precatus sum Dei misericordiam: & audio hominem sub mortem deplorasse, quod deceptus quorumdam versutia, lacessisset amicum.

Video me longius digressum ab eo, quod institueram, sed tamen non possum mihi temperare, quin in amici sinum effundam, quod hisce diebus comperi, quo plane intelligas quam non Euangelico spiritu quidam dissidiorum materias captent ac gignant, qui se vehementer Euangelii nomine jactitant. Rem narrabo. Auctorem ipse facile divinabis, de quo quum mihi frequenter relatum esset, quod parum amice de me loqueretur, neglexi, adeo ut nec expostularim in colloquio. Tandem ubi renunciatum esset, quod me satis odiose dixisset *Prophetam Balaam*, quasi mercede conductus essem ad maledicendum populo Dei, non arbitratus sum tam atrocem con-

contumeliam dissimulandam. Itaque casu nactus hominem, seduco, rogo num verum esset, quod ad me delatum erat. Ille tergiversatur, nec inficians, nec confitens. Tandem urgenti respondet, id dictum fuisse à mercatore quodam Gallo, qui tum hinc abierat. Et fieri potest, ut hoc mercator dixerit, sed ab hoc doctus. Quum instarem, ut redderet causas, quur illi viderer dignus eo convicio, respondit, se audisse, quod jactassem me habere consilium, quo prorsus exstingui posset hoc incendium Lutheranum, h. e. Euangelium. Nam hanc interpretationem ille adjecit. Ego nondum intelligens, unde natum est hoc mali, respondi me Principibus pollicitum esse consilium, quo posset componi dissidium hoc quam minimo tumultu, citraque dispendium libertatis Euangelicæ, modo id vellent fieri clam ac tuto. Verum hoc consilium esse tale, ut verear ne Principes non sint admissuri. Post aliquot dies, originem hujus mali forte fortuna didici ex oratione *Pellicani* nostri. Narrabat enim clarissimum Poloniæ Baronem *Hieroslaum*, Palatinum Siradiensem, quum hic ageret, nescio quid minitatum in Lutheranos, ubi redisset in patriam. Eum quoniam senserant amantissimum mei, crebroque nos invisere, suspicati sunt quidam meis verbis exasperatum, meoque armatum consilio. Nunc rem, ut habet, accipe, mi *Botzeme*, & intelliges quod frequenter

Maxima de nihilo nascitur historia.

Quum induxissem *Hieroslaum* in Bibliothecam, ille injecit mentionem de *Luthero*: rogavit, num doctus esset? Probavi doctrinam. Quid sentirem de dogmatibus ejus? Ajo rem esse supra meam cognitionem: tametsi negari non posset illum multa præclare docuisse, multa recte monuisse, & ulcera quædam fortiter exagitasse. Rogat, quos illius libros potissimum probarem. Nomino Commentarios in viginti Psalmos, & opus De quatuordecim spectris; addo eos libros etiam illis probari, qui reliquos damnarent: quanquam & in his, inquam, admisceet quædam sua. Ille repetens pronomen *Sua*, risit. Hoc fuit nobis primum colloquium de *Luthero*, ex quo nec ille satis percepit, quid mihi esset animi in *Lutherum*, nec ego, quid illi. Rursum quum iterum inviseret me, forte jacebat in mensa inter multas chartas Epistola, quam *Lutherus* recens ad me scripserat. Ex hac ille nescio quo pacto verba quædam oculis rapuerat, quibus *Lutherus* videbatur parum magnifice de me sentire. Mox inter confabulandum visus est velle suffurari litteras. Id ego dissimulans receptas è manibus illius reposui. Post hæc ingressi sumus μυσεῖον nostrum, & aliquamdiu confabulati sumus de rebus, quæ nihil ad *Lutherum* attinebant. Interim animadverto illum rursus eandem Epistolam tenere clanculum. Ibi ridens, *ut video*, inquam, *moliris hic furtum aliquod.* Arrisit ille, & fassus est. Rogo, in quem usum vellet eam tollere, *dicam*, inquit, *multi conati sunt nostro quoque Regi persuadere tibi cum* Luthero *fœdus esse arctissimum: eos coarguent hæ litteræ. Ad hoc*, inquam, *reddam te instructiorem, & hanc dabo αὐτόγραφον, simulatque fuerit descripta, & addam duas alteras, in quibus odiosius etiam de me prædicat, quarum alteram excuderant Argentorati, alteram nuper ediderunt nescio qui. His*, inquam, *potes & apud Cæsarem* (nam eo proficiscebatur legatus) *docere, mihi non tam arctam esse necessitudinem cum* Luthero, *quam multi prædicant.* Rursus alio colloquio, roganti numquid scriberem contra *Lutherum*, ajo me tot laboribus necessariis distrahi, ut ad alia nullum esset ocium. Tum aperit mihi quantopere Poloniæ Rex infensus esset *Luthero*, narrans cujusdam prædivitis fortunas omnes addictas fisco regio, ob unicum *Lutheri* libellum, in illius ædibus repertum. Ibi satis præ me tuli, mihi non probari vel sævitiam vel exemplum, per occasionem invadendi domos civium. Denique conscensurus equos redit ad me, ac deposito in mensam vasculo argenteo; *Rogo*, inquit, *ut hoc animi mei pignus sinas esse apud te.* Quum ego recusarem, causans me nihil unquam de illo promeritum, nec esse in quo possem illi gratificari: *Nihil*, inquit, *aliud abs te peto, quam ut ames hunc hominem.* Tandem tradit & regium edictum formulis excusum. Hæc est tota nostra de *Luthero* confabulatio. Sic ille discessit à me instructus & exasperatus in *Lutherum*. Hunc igitur, ut nunc intelligo, interpretati sunt esse Balac, qui me vasculo conduxerit, ut maledicerem Euangelico populo. Atqui hanc amicitam non conflavit inter nos *Lutherus*, ante tres annos coierat inter nos notitia: primum Bruxellæ, mox Coloniæ, quum id temporis Regis sui nomine apud Cæsarem legatione fungeretur. Comperi juvenem quum non vulgariter eruditum, tum erga meliores litteras favore singulari ac religiosa quadam veneratione affectum. In hac legatione secum ducebat duos fratres suos, *Joannem* aliquanto natu minorem, & *Stanislaum*, utrumque pulcre litteratum, nec aliter affectum erga bonas litteras, quam erat ipse: in quibus quoniam omnes sibi persuaserant me esse aliquid, ipsis oculis ac fronte, totoque, quod dicitur, corpore miram quandam in me spirabant benevolentiam. Talium hominum favorem ut non illibenter amplexus sum, ita gratulor bonis litteris, quod incipiant à summatibus etiam viris coli. Jam si iniquior erat *Luthero*, eum animum secum huc attulerat, non hic hauserat. Per me citius mitior factus est quam irritatior. An mihi submovendus erat à colloquio, quod non probaret *Lutherum?* At eodem tempore non submovi qui venerant Wittenberga, *Luthero* addictissimi, cupidissime visurus ipsum etiam *Philippum Melanchthonem*, si huc se contulisset. Ego nulli unquam renunciavi amicitiam, vel quod in *Lutherum* sit propensior, vel quod à *Luthero* alienior; modo mihi fidum & comem præstet amicum. Sed istos quosdam ingratos, perfidos, leves, furiosos, seditiosos, maledicos, vanos, perniciosissimos hostes & Euangelii, & bonarum litterarum & publicæ tranquillitatis odi, in utracunque parte fuerint. An *Hieroslai* munusculum, quod ille sui μνημόσυνον apud me residere voluit, ideo rusticana incivilitate rejicere debui, quod ille male sentiret de *Luthero?* Certe nullus Principum hactenus mihi quicquam potuit obtrudere hoc nomine, ut scriberem in *Lutherum*, quod tamen Euangelici quidam contra suam ipsorum conscientiam impudentissime mentiuntur. Habes totam comœdiam.

Jam scio dicturus es, τί ταῦτα πρὸς τὸν Διόνυσον; Recte mones, itaque recurro ad Catalogum. Ad Apologiarum genus referri potest & Epistola, quam nuper scripsimus ad omnibus Episcopalibus dotibus ornatissimum dominum *Christophorum*, præsulem Basiliensem, *De esu carnium:* quam tamen non in hoc scripseramus, ut ederetur. Verum ubi sparsam sensissemus, & omnino futurum, ut alius ederet, ipse recognitam edere malui: præsertim submonitus, ut id facerem, à quibusdam hujus Academiæ proceribus. Nunc indicabimus, quæ prodierint mutila, quæque adhuc sint in manibus nondum absoluta. Opusculo *de Copia*, deest exemplum argumenti summa brevitate perstricti, ac rursus fusissime tractati. Thema delectum erat: *Pueros statim litteris instituendos.* Est adhuc apud me, sed duæ paginæ mediæ minutissimis litteris descriptæ perierunt Romæ, culpa eorum, qui librum descripserant. *Antibarbarorum* libros duos recognoveramus ac locupletaveramus Bononiæ: in reliquos sylvam jam olim congestam habebamus. Hæc cum nonnullis aliis perierunt: non quidem perfidia *Richardi Pacai* sincerissimi amici, apud quem Ferrariæ deposueram, Romam abiturus: sed alterius cujusdam, qui dum sibi nimium esset amicus, nulli poterat esse fidus amicus: quamquam post forte nactus sum ex Anglia secundi libri principium, & Brugis finem, multis paginis in medio desideratis. Si secundus contingeret, cæteros facile absolverem: nec dubito, quin lateat apud aliquam Lavernam, quum ego geminum exemplar deposuerim. Sunt adhuc apud me nonnulla, jam olim cœpta, quorum de numero sunt, *Commentarii in Epistolam Pauli ad Romanos:* cujus operis absolveramus libros quatuor, ante annos (ni fallor) viginti duos. In opus *De ratione concionandi*, tantum adnotaveramus quædam rerum capita. Et tamen si CHRISTVS dabit vitam ac tranquillitatem, est animus *opus Concionandi* in publicam utilitatem absolvere, præsertim huc adhortantibus magnis auctoribus. Tribus Dialogis pridem adgressi sumus collationem verius, quam disputationem de negocio *Martini Lutheri*, sed mutatis nominibus.

Nam

Nam *Thraſymachus* Lutheri partes aget, *Eubulus* diverſas, *Philalethes* aget arbitrum. Primus dialogus inquirit, an expedierit hac via rem tractari, etiamſi *Lutherus* omnia vera ſcripſiſſet. Secundus excutiet aliquot illius dogmata. Tertius oſtendet viam, qua tumultus hic ita poſſit ſopiri, ut in poſterum non facile repullulaſcat. Res peragetur inter duos abſque conviciis, nulla contentione, nullo fuco, tantum nude ſimplex & ruſticana veritas proponetur, tanta æquitate, tantaque moderatione, ut majus periculum videatur, ne mihi ſucceſeat pars diverſa, videlicet lenitatem meam interpretans colluſionem, quam *Lutherus* ipſe, ſi modo micam ullam habet ejus mentis, quam multi de illo prædicant: & ego certe gratulor, ſi habet: opto, ſi non habet. Video multis magis placere ſævitiam, ac per me quidem licebit, ut ſuum cuique judicium blandiatur. Sævire facilius eſt, ſed hoc mihi viſum eſt conducibilius. Si corporis affectio in uno quopiam membro verſetur, fortaſſe profuerit cauterium aut ſectio: cæterum ubi malum per omne corpus fuſum eſt, ubi per intimas venas ac fibras ſparſum eſt, fortaſſis aliquo Mercurio ſit opus, qui quemadmodum lethalem ſoporem eximit ex omnibus membris pſyches, ita paulatim ex intimis educat id, quod eſt noxium. Suſcepimus autem hoc opus complurium hortatu. Primum, ne commemorem omnes, R. P. *Marini Caracciolæ*, Nuncii apud Cæſarem Apoſtolici: præterea clariſſimi viri *Hieronymi Aleandri*, trilinguis eruditionis hoc ævo ſine controverſia Principis, qui & ipſe tum apud *Carolum* Cæſarem nomine Pontificis Nuncium agebat. Ad hæc R. P. *Joannis Glapionis*, qui Cæſari erat à concionibus. Nam is ex Cæſaris voluntate frequenter hac de re ad me ſcripſit, non minus diligenter quam amanter. Hortatus eſt eodem pridem *Gulielmus Montjoius*: nuper etiam illuſtriſſimus dux *Georgius* Miſnæ Princeps. Multa tamen intercurrerunt, quæ me non patiebantur longius in opere cœpto progredi, quam ad unam aut alteram pagellam, ut opus conceptum ſit magis quam cœptum: quanquam & alias ab hoc ſcripti genere natura ſatis abhorreo. Odi cruenta diſſidia, luſibus innoxiis magis capior, velut huc natus. Tum mihi probe conſcius ſum, quantum Herculem hæc res poſtulet, & quantulus ego ſim pygmæus. Ac prorſus nondum mihi ſatis decretum eſt, an velim, quod inſtitutum eſt, abſolvere. Quicquid fiet, non fiet temere: nec exibit omnino, niſi privatim lectum ac probatum ab his, quos maxime decet favere gloriæ Chriſti: nam in hoc certe cudetur, ſi tamen cudetur unquam. Siquidem video partem utramque ſic eſſe accenſam, ut aut tota velit vincere, aut tota perire. Porro altera devicta magnam Euangelicæ veritatis ac libertatis ruinam ſecum trahet: altera non opprimetur, niſi pernicioſiſſimo orbis tumultu, qui multos etiam innoxios involvet. Ego malim rem ita componi, ut utraque pars victoriam concederet veritati & gloriæ Chriſti. Hac de re obtuli ſecretum conſilium meum Monarchis, ſi jubeant exhiberi. Nolim igitur interim, ut quiſquam ex hoc promiſſo præſumat ſententiam vel in hanc partem, vel in illam. Abſit præjudicium, ſed ex edito libro fiet judicium.

Quod hactenus de hoc opere recenſui, vulgatum erat in prima Catalogi editione. Ea res quum neminem æqui judicii commovere debuerit, tamen Euangelicos quoſdam, ut vocari gaudent, præter Euangelii doctrinam pene adegit in rabiem, quaſi piaculum eſſet lapidatione publica dignum cum *Luthero* vel diſcendi gratia diſputare. Nunc amicis, ejus conſilii myſterium aperiam, & tibi nominatim, mi *Botzeme*, qui me tetrico vultu, minimeque tuo caſtigabas, quod in re ſeria viderer ludere: ego vix ulli conceſſerim, ut magis faveat Euangelio quam faveo. Cæterum hoc negocium ea moderatione tractari cupiebam, ut abſque ſeditione fieret omnium commune. Proinde ſcripto publico ſpem feci hujus argumenti, captans id, quod optabam, ut utraque pars amore concordiæ hortaretur me ad promiſſi voluminis editionem. Et hac de re nonnihil actum eſt apud Cæſarem. Sed ut animadverti neutram partem de ſe præbere ſpem componendi diſſidii, nolui fruſtra ſumere operam, utrimque malam gratiam initurus mea ſedulitate. Hæc erat illa techna mea, non aliunde profecta, quam ab animo diſſidiorum oſore, pacis avido. Nunc precor, ut Dominus JESUS, qui ſolus poteſt, has rerum undas & hanc Eccleſiæ tempeſtatem juſſu ſuo tranquillet. Aggreſſi ſumus & omnia divi Aurelii Auguſtini opera è vetuſtis exemplaribus emendata, ſcholiis adjectis edere, notatis ac ſemotis, quæ illi falſo inſcribuntur: ſumma librorum omnium in ſeptem partes ſeu tomos diſtributa. Primus deſignatus erat progymnaſmatis, h. e. quæ ſcripſit catechumenus, aut circiter id temporis. Secundus Epiſtolis, quarum aliquot ſcripſit juvenis. Tertius deſtinatus erat τοῖς θεωρητικοῖς, i. e. *contemplativis*: cujus ordinis ſunt libri Confeſſionum & Soliloquiorum, hiſque conſimiles: quibus adjungere erat animus, libellos, qui faciunt ad inſtitutionem vitæ. Quartus decretus erat τοῖς διδακτικοῖς, h. e. in quibus docet rem Theologicam. Hujus claſſis ſunt libri De doctrina Chriſtiana, & libri De Trinitate. Quintus habuiſſet τὰ πολεμικά, in quibus belligeratur adverſus varias hæreſiarcharum peſtes: quo quidem in genere ſcripſit plurima: in quibus ſunt, libri De Civitate Dei. Sextus exhibuiſſet τὰ ἐξηγηματικὰ, quibus enarrat Divinæ Scripturæ libros. Septimus habuiſſet τὰ νόθα καὶ ἀμφίβολα, h. e. vel falſo illi inſcripta, vel ejus generis, ut merito de auctore dubites. Idem indicaturus erat, quæ temporum injuria interciderunt. Deterrebat negocii magnitudo, ſed invitabat auctoris erudita pietas, invitabat publica utilitas. Proinde provinciam immenſam in doctos aliquot partiti ſumus, ſic ut ſua cuique laudis portio maneat incolumis.

Tantum laborum quum gratis ſuſcipiamus, juvandis publicis ſtudiis, tamen fortiter oblatrant quidam, qui mallent me ſcribere de indulgentiis, ac de colligendis caſeis. Epiſtolarum tantum ſcripſimus & hodie ſcribimus, ut oneri ferendo duo vix plauſtra ſint futura paria, Ipſe multas caſu nactus exuſſi, nam ſenſi ſervari à compluribus. Bononiæ ſcripſeram declamatiunculam in genere ſuaſorio, dehortans à vita Monachorum, & rurſus adhortans ad hoc vitæ genus, meo judicio non indignam, quæ vulgaretur, ſi quid tamen meum hoc honore dignum eſt, ſed perierunt utrimque extremæ paginæ, reliquum adhuc eſt in chartis meis. Romæ quum agerem, in gratiam Reverendiſſimi Domini *Raphaelis* Cardinalis tituli Sancti Georgii, diſſuaſi bellum ſuſcipiendum adverſus Venetos, qui hoc à me flagitabat *Julii* nomine: nam id tum agebatur in ſenatu Cardinalitio. Rurſum ſuaſi bellum in Venetos. Poſterior oratio vicit, tametſi ego priorem majore ſtudiò magiſque ex animo tractaveram: periit perfidia cujuſdam archetypum. Cœperam ex memoria rurſus notare quædam argumenti capita, & arbitror alicubi latitare inter ſchedas meas. Intercidere permulta, quæ nolim ſupereſſe: cupiam autem exſtare Orationes aliquot concionatorias, quas olim habui Lutetiæ, quum agerem in collegio Montis Acuti.

Habes, ornatiſſime *Botzeme*, nugarum mearum elenchum, quo magis irritem tuam emacitatem. Porro quod quereris exhauriri loculos, quod eundem librum cogaris identidem emere, ita velim apud te rationem ineas. Finge nunc primum prodiſſe Proverbiorum opus, ac me protinus ab opere vulgato mortem oppetiſſe: num futurum eſſet, ut te pœniteret impendii? Non opinor. Jam & illud mihi finge, me poſt annos aliquot reviviſcere, ſimulque opus idem mecum renaſci melius, ac locupletius, utrum deplorares diſpendium, an ſimul & amico & amici monumento gratulareris? Jam ſcio quid dicas, redivivo quidem gratularer, at quod fingis non eſt. Utrum igitur tu judicas eſſe felicius, à morte reviviſcere, an non mori? Si gratulareris redivivo, multo magis gratulare ſuperſtiti. Poſtremo, ſi poſtrema editio nihil habet novo pretio dignum, liberum eſt non emere: ſi habet, lucrum eſt, non diſpendium. Si prior editio fructum attulit tantilla pecunia

dignum, & si posterior idem facit, nimirum auctus es gemino lucro, non mulctatus es damno. Poteras, inquies, prima statim editione librum absolutum dare. Imo quemadmodum ipsi semper hoc agimus, dum vivimus, ut nobis ipsis reddamur meliores: ita non prius desinemus, nostras lucubrationes climatiores ac locupletiores reddere, quam desierimus vivere. Quemadmodum nemo tam bonus est, quin possit fieri melior: ita nullus liber tam est elaboratus, quin reddi possit absolutior. Quanquam ipse jamdudum ingenue fassus sum, me hic indiligentiorem esse, quam par est: sed interim alii, mea sententia, gravius peccant; qui quum sint longe doctiores, superstitione quadam aut nihil edunt, aut sero. Proinde ne quid speres per me quidem liberum te fore hac molestia, prius quam exiens è proscenio, semel dicam vobis omnibus, Valete & plaudite. Id, mihi crede, brevi futurum erat, nisi vinum Burgundiacum, velut ἀπὸ μηχανῆς Θεὸς succurrisset. Tu delira, utrum malis hoc optare, an subinde mercari librum auctum aut recognitum. Porro, si recolas quantam pecuniæ vim in quas nugas olim collocaris, minus (opinor) te pigebit hujus impendii. Jam audio quosdam amicos subinde mussantes de lucubrationibus meis omnibus in tomos digerendis. An sit quicquam meorum scriptorum quod posteritatem mereatur, aliorum esto judicium, certe si ad posteros pervenient, optarim mihi Tironem quempiam fidum ac doctum, qui hoc mihi vita defuncto præstet, quod ille suo Ciceroni. Et tamen si cui visum erit hoc conari, age, viam indicabimus, quo id fiat commodius.

IN PRIMVM TOMVM conferri poterunt, quæ spectant ad institutionem litterarum, quod genus sunt:

De Copia, libri duo.
Ratio conscribendi epistolas.
Ratio studiorum, ad PETRVM VITERIVM.
Theodorica Grammatices libri duo versi.
Syntaxis.
Omnia versa ex Luciano, quorum tituli sunt:
Saturnalia.
Cronosolon, i. e. Leges Saturnaliciæ.
Epistolæ Saturnales aliquot.
De Luctu.
Icaromenippus.
Toxaris.
Pseudomantis.
Somnium, sive Gallus.
Timon.
Abdicatus.
Tyrannicida.
De mercede conductis in aulis potentum,
Dialogi varii.
Cnemonis & Damippi.
Zenophantæ & Callidemi.
Menippi & Tantali.
Menippi & Mercurii.
Menippi & Amphilochi & Trophonii.
Charontis & Menippi.
Cratetis ac Diogenis.
Nirei ac Thersitæ.
Diogenis ac Mausoli.
Simyli ac Polystrati.
Veneris & Cupidinis.
Martis ac Mercurii.
Mercurii & Majæ.
Veneris & Cupidinis.
Doridis & Galateæ.
Diogenis & Alexandri.
Menippi & Chironis.
Menippi & Cerberi.
Hercules Gallicus.
Eunuchus.
De Sacrificiis.
Lapithæ.
De Astrologia.

Nolim hic omitti Præfationes, quæ declarant, quid cuique dicatum sit.

Declamatiuncula versa è Græco Libanio, cum thematiis aliquot versis.
Declamatio contra Tyrannicidam Lucianicæ respondens.
Laus Medicinæ.
Similium liber unus.
Colloquiorum liber unus.
Euripidis Hecuba & Iphigenia versæ.
Carmina diversi generis, præter ea, quæ faciunt ad pietatem, nam hæc sua classi servavimus.
Commentarius in Nucem Ovidii.

SECVNDVS TOMVS dedicetur *Adagiis*, quæ sola justum volumen conficiunt, & argumentum non abhorret à titulo superioris Tomi.

TERTIVS assignetur *Epistolis*, quod in his quoque complura sunt, quæ faciunt ad exercitamenta studiorum: nam plerasque lusimus adolescentes, aut certe juvenes: his repurgatis addemus nonnullas, aliquot fortasse submovebimus. In hunc ordinem addi velim Præfationes aliquot dedicatorias, quas typographi suo arbitratu solent vel omittere vel mutare. Talis est Præfatio in opera divi Hilarii & Cypriani, in Lexicon Græcum, Epistola ad *Joannem Paludanum* addita Panegyrico ad *Philippum*, Præfatio addita libello De Principe ad *Ferdinandum Caroli* fratrem, aut si quæ videbuntur indignæ, quæ pereant.

QVARTVS detur his, quæ faciunt ad morum institutionem. Ad hoc genus pertinent & Luciani pleraque, quanquam ea in Primum Tomum assignavimus.

Omnia quæ vertimus è Plutarcho, quorum tituli sunt hi:
De discrimine Adulatoris & Amici.
Quo pacto possit utilitas capi ex inimico.
De tuenda bona valetudine.
Principi maxime philosophandum.
An graviores sint animi morbi, quam corporis.
De Cupiditate divitiarum.
Num recte dictum ab Epicuro, Λάθε βιώσας.

Morias Encomium, qui libellus sic nugatur, ut seria doceat, ne mireris admixtum huic ordini.
Panegyricus gratulans Philippo Caroli *Cæsaris patri, ex Hispaniis redeunti.*
Institutio Principis Christiani ad Carolum *Cæsarem.*
Isocrates De Regno, ad eundem.
Consolatio De morte filii.
Querimonia pacis.
Dialogus Charontis & Alastoris.
Carmen de Senectute ad Copum *Medicum.*
Parænesis ad Adolphum *tum puerum, Principem Veriensem.*
De morte subita, ad Jodocum Gaverium.

Huc pertinent *officia Ciceronis à nobis recognita, argumentis & scholiis illustrata.*

Quid autem *Catunculum, Mimos Publianos*, reliquaque hujus generis, vetat huc adjungere?

QVINTVS attribuatur his, quæ instituunt ad pietatem. Inter hæc est:

Enchiridion militis Christiani.
Epistola ad Paulum Volzium *abbatem Hugonis curiæ.*
Methodus veræ theologiæ, ex editione anni millesimi quingentesimi vigesimi tertii apud *Michaelem Hillenium.*
Paraclesis.
Exomologesis.
Commentarii in Psalmos, primum & secundum.
Paraphrasis in Psalmum tertium, ad Viandalum.
Commentarius in Epistolam ad Romanos.
Paraphrasis in Precationem dominicam.
Commentarius in Duos hymnos Prudentii.
Concio De puero JESV.
Concio De misericordia Domini.
Comparatio Virginitatis & Martyrii, ad virgines Colonienses.
Expostulatio JESV, *carmine.*
Casa natalitia.
Michaelis Encomium.
Liturgia Virginis Lauretanæ.
Tres precationes, duæ ad Virginem matrem, tertia ad JESVM.

SEXTVS designetur *Novo Testamento*, à nobis verso, & nostris in idem Annotationibus, quod opus jam quintum recognovimus & locupletavimus. Id dividi pote-

rit

rit in duo volumina, si cui non placet codicum magnitudo.

SEPTIMVS assignetur *Paraphrasibus* in totum Testamentum Novum, excepta Apocalypsi. Quæ & ipsæ poterunt in duo dividi volumina, si cui videbitur.

OCTAVVM occupent *Apologiæ*. Me miserum. Et hæ justum volumen efficient. Harum tituli sunt hi, quibus utinam nihil accedat:

Ad Jacobum Fabrum *Stapulensem, liber unus.*

Ad Eduardum Leum, *libri duo.*

Ad Jacobum Latomum, *de linguis.*

Adversus Nicolaum Ecmondanum, *de loco Pauli ad Corinthios*: Omnes quidem resurgemus.

Adversus quorundam clamores, de hoc, quod verteram, In principio erat sermo.

Ad Joannem Briardum *Atensem, pro Encomio matrimonii.*

Ad taxationes Stunicæ *in Novum Testamentum.*

Adversus libellum Impietatum & blasphemiarum ejusdem: cujus initium est, Vix mihi delitigata.

Appendix adversus ejusdem libellum, cui titulum fecit πρόδρομος: *initium*, Dum hæc excuderentur.

Adversus conclusiones ejusdem: initium, Reddidit mihi tuus.

Adversus Sanctium Caranzam *Theologum, de tribus locis ab illo notatis.* Initium, Post longas & inutiles rixas. *Hic tantum excudantur mea, omissis his, quæ ex* Stunica *&* Sanctio *admixta fuerant in prima editione.*

Epistola ad reverendissimum patrem Christophorum *Episcopum Basiliensem, de delectu ciborum, ac cæteris.*

Epistola ad Marcum Laurinum, *contra rumorem: cujus initium*, Næ tu plurimum debes.

Epistola ad Martinum Dorpium, *de Novo Testamento, quæ hactenus fuit addita Moriæ.*

Apologia, quæ præferuntur Novo Testamento.

Spongia adversus Ulricum Huttenum.

Liber Antibarbarorum.

De libero arbitrio διατριβή.

NONVS dicetur *Epistolis Hieronymi*, in quibus tantum laboris à nobis exhaustum est, ut non impudenter possim hoc opus meorum Catalogo attexere: quanquam & in Hilario non parum erat negocii, nonnihil in Cypriano, de Q. Curtio nihil dicam, de Seneca nihil mihi possum vindicare, nisi quod illic dum nimium fido promissis amicorum, multum laboris perdidi. Si CHRISTVS suppeditabit vitam ac vires, ut absolvam Commentarios in Epistolam ad Romanos, occupabunt Volumen decimum.

SCIO tibi jamdudum molestam esse tam prolixam supputationem, verum hoc est Catalogum scribere: atque adeo si cui placebit, in hoc genere omnes diligentiæ numeros absolvere, addat singulis operibus initia: quod à nobis in perpaucis factum est obscurioribus, ne fallerent. Video, cupis dimitti: id faciam, ubi paucis respondero istis, qui jactant, me ex lucubrationum mearum dedicationibus amplas prædas referre, propterea quod permulta dicarim Principibus. Hinc me calumniantur quidam vel famam venari vel pecuniam, aut fortassis utrumque. De fama responsum est aliàs, me hic studiis ambitiosum fuisse potius quam mihi. His provehendis captavimus illorum favorem, neque defuit successus nostro proposito. Quibusdam bene de me meritis hoc officio volui non quidem referre gratiam, sed animum accepti beneficii memorem testari. De proventu nunc accipe rationem. Apud amicos mediocres scis ipse quam non sim φιλόδωρος, qui tentatis omnibus nihil mihi potueris obtrudere. Nam hic sincerus animus mihi quovis dono preciosior est. Porro quum artis sit, munus vel accipere dextre, vel recusare comiter, sciunt amici, me longe disertiorem esse in recusando, quam in accipiendo. Quod si quando quid ab his sic offertur, ut non liceat recusare, soleo pro viribus paria facere, aut etiam vincere, si queam. Ex his igitur, quæ non pauca dicavimus amicis mediocribus, amplissimum fructum capio, quod illis gratificatus sum, quod illorum memoriam cum mea conjunxi, fortassis & apud posteros victuram. De Principibus illud mihi præfandum est, me quibusdam non minus debere, qui nihil dederunt, quam qui dederunt: & his, qui dederunt, hoc amplius debere, quod ultro dederunt. *Guilielmus Montjoius* clarissimus Angliæ Baro, cui Proverbiorum opus & totum & toties jam locupletatum dedicavi, scit me sibi multo plus debere benevolentiæ, quam munificentiæ nomine. Reverendissimus dominus *Guilielmus* Archiepiscopus Cantuariensis promptissima in me benignitate est usus, sed & hic mihi testis erit, quam sæpe delatam munificentiam recusarim, affirmans mihi plus satis esse pecuniarum. Eas quum scirem mihi amicitiæ jure cum illo communes, tutius arbitratus sum apud illum custodiri. A *Leone* decimo, cui dedicavi Novum Testamentum, ducatum unum nec exspectavi, nec accepi. Tantundem ab *Adriano* sexto, cui misi libellum: cujus apparatus mihi constitit quatuor florenis, additus est unus eunti nuncio, rursus reduci nonnihil. Ille codicem læta fronte accepit, & bajulo numeravit ducatos sex: mihi detulit sacerdotium satis honorificum, quod simpliciter recusavi. Misi *Clementi* septimo suam Paraphrasim, ne verbo quidem vel per me vel per amicos significans, me quicquam muneris ab eo exspectare: & adeo non exspectavi, ut *Adriano* paranti munus honorarium mittere scripserim, ne quid mitteret: misit tamen *Clemens* florenos ducentos, non alio nomine, quam ob inscriptam *Paraphrasim Actorum*: plane recusaturo, si missum fuisset alio titulo. Id ipso diplomate docere possum. Et tamen non defuit rabula, qui Sacras Litteras non didicit, nisi ad maledicendum, qui me ex *Erasmo* faceret *Balaam*. Cardinalis *Grimanus*, cui dicavi *Paraphrasim in Epistolam ad Romanos*, teruncium non misit, nec ego exspectavi. Quod ambiebam, præstitit, favorem ac benevolentiam, non mihi, sed studiis & *Reuchlino*. Cardinalis *Campegius* ante complures annos annulum misit ex Anglia, amicitiæ pignus, cui postea dicavi *Paraphrasim*, non captans, sed rependere studens beneficium. Cardinalis Sedunensis obtulit permulta, si Romam venissem. Cæterum is per me non est teruncio factus pauperior. Neque me vel una drachma ditiorem fecit Cardinalis Sanctorum quatuor, cui dicavi Cyprianum emendatum. Reverendissimi Patris *Joannis Carondileti* Archiepiscopi Panormitani scriniis non decessit obolus ob Hilarium, quum ego illi per proprium famulum misissem volumen. Præstitit ille totum, quod venabar, nempe favorem ac benevolentiam. *Philippus à Burgundia* Episcopus Trajectensis, ad cujus Diœcesin ego pertineo, post dicatam *Pacis querimoniam*, quum præbendam oblatam recusassem, donavit annulum incluso sapphiro, quem olim gestarat *David* ipsius germanus, quondam ejusdem Ecclesiæ præsul. Atque hoc munus misit nec ambienti, nec exspectanti. Nihilo magis vel expetitum vel exspectatum est poculum amoris, quod misit Cardinalis Moguntinus. Cardinali Eboracensi, cui dedicavimus libellum Plutarchi, puto me nihil non debere ob singularem favorem, quo me jam olim prosequitur, & tamen hactenus ex illius munificentia non sum pilo factus ditior. Episcopo Leodiensi nunc Cardinali, cui inscripsimus Epistolas ad Corinthios, cui libellum inauratum misimus, cui donavimus duo volumina Novi Testamenti in membranis non ineleganter adornata, neque precii mediocris, ut libenter debemus pro splendidis promissis, quæ non semel obtulit: ita non est, quod illi pro donato teruncio gratias agamus. Tantum donavit, quantum si incidat in oculum quamvis tenerum, nihil tormenti sit allaturum: id ipse non inficiabitur. *Carolus*, Princeps meus, me jam adsciverat in ordinem Consiliariorum, jam sacerdotio donarat, antequam illi libellum *De Principe* vel inscriberem vel exhiberem, ut hic non captatam prædam, sed relatam gratiam intelligas. Eidem *Paraphrasim* è Basilea Bruxellam per proprium famulum meo sumtu misi. Dati sunt redituro duo floreni, & tamen animus Principis alacriter accipientis munus meum, non minus gratus fuit, quam si numerasset aureos mille. Ante

complures annos Plutarchi librum *De discrimine adulatoris & amici* consecraram Regi Britanniæ *Henrico* octavo. Huic me puto tantum debere, quantum obtulit, si voluissem accipere: obtulit autem fortunam meis meritis longe majorem. Cæterum multo post jam oblito dedicationis illius misit Angelatos sexaginta, impulsu vel admonitu potius *Joannis Coleti*. Eidem post dedicavi *Paraphrasim in Lucam*, *Ferdinandus Caroli* Cæsaris germanus, ut est animi generosissimi, *Paraphrasim in Joannem* summa cum alacritate accepit, misitque cum litteris suis honorarium munus florenos centum, quum ego nihil minus exspectarem. Si spectem animum Regis Galliarum in me, si reputem, quid in me conferre voluerit, vix ulli Principi plus debeo: verum *Hilario* meo, qui codicem reddidit, numerati sunt coronati triginta, viatici nomine. Ad me præter benevolentiam nihil pervenit, nec enim aliud ambiebam. Breviter, ex universis Paraphrasibus obolus ad me non rediit, præterquam à *Ferdinando* & *Clemente* Pontifice. Sed pene fugerat me *Philippus Ferdinandi* pater: is olim pro Panegyrico exhibito numeravit Philippicos quinquaginta. A cæteris aut nihil est datum, aut exilius erat, quam ut sit memorandum: loquor de his duntaxat, quibus inscripsi lucubrationes meas. Jam si quis nominum ac titulorum pompam spectet, meque talem esse credat, quales sunt plerique mortalium, nonne suspicabitur ex dedicationibus meis Midæ opes collegisse? Non hæc commemoro, quod me pœniteat benignitatis Principum. Meis scriniis accrevisse credo, quicquid accessit honestis studiis, in horum profectum captavi Principum favorem. Porro quod hic non sordide captarim illorum munificentiam vel illud arguit, quod toties mihi laborandum fuit, ut illorum in me munificentiam possem citra illorum offensam recusare.

Annui-reditus stati sunt paulo plus quam quadringenti floreni aurei. Atque hic census impar est (fateor) sumtibus, quos exigit hæc ætas ac valetudo, famulorum & scribarum necessaria studiis meis opera, tum ἱπποτροφία, crebra migratio, atque etiam hic animus (ne quid aliud dicam) abhorrens à sordibus, nec ferens appellantem creditorem, aut non pensatum officium, aut neglectam amiculi inopiam. Itaque sunt amici, qui, quod censui deest, supplent sua munificentia, sed obtrudentes potius quam dantes. Quod largiuntur, negant se dare *Erasmo*, sed publicis studiis impendere. Sunt autem ea fortuna, ut opes illorum hanc jacturam non sentiant, tum eo animo, ut nec prædicari postulent suam benignitatem, nec agi sibi gratias patiantur, atque hoc quidem indigniores, quorum bonitatem ignoret posteritas. Habes thesaurum ex ambitiosis meis inscriptionibus conflatum.

Locus hic admonet ut placemus & figulos quosdam, qui mihi conflant invidiam apud ignaros, quasi messem opimam demetam ex benignitate *Joannis Frobenii*, cui non alio nomine magis faveo, quam quod vix alius Typographorum majore studio propagat honesta studia, idque facit majore fama quam lucro. Et certe non parum emolumenti ex eo cepissem, si quicquid ille detulit (est enim perbenignus) accepissem. Nunc ipse mihi testis erit, quam hoc sit exiguum, quod mihi obtrudi passus sum, nec hoc erat à me impetraturus, nisi docuisset eam pecuniam ex societate dari, ut portione, quæ ipsum contingeret, minimum gravaretur. Et tamen si nihil aliud quam famulorum meorum operam pensare voluisset, plus erat dandum quam accepi. Nec mensam apud illum mihi gratuitam esse passus sum. Nam decem fere menses in illius ædibus vixi, sed pro his compulsus est à me accipere florenos aureos centum & quinquaginta, magnopere quidem reluctans, maluerat enim tantum addere, sed tamen compulsus est. Et ne quis me credat ex *Frobenii* benignitate pendere, testis erit idem *Frobenius*, qui bonam partem suis manibus Francfordiæ meo nomine recepit, summam pecuniæ, quam partim huc mecum attuli ante biennium, partim ex Brabantia missam recepi, excedere mille nongentos florenos aureos. Cujus summæ nunc non ita multum superest. Et tamen interim differtur Cæsaris pensio, sed ita differtur, ut parata sit ilico redeunti. Id enim suis ad me litteris pollicetur illustrissima domina *Margareta Caroli* Cæsaris amita. Cui nuper scripsit ex Hispaniis ipse Cæsar, ut mihi extra ordinem pensio numeraretur. Nam cæteris officiis, ob bellorum onera, suspensæ sunt pensiones. Itaque qui *Frobenio* invidet, certet potius cum illo benefactis, & vincenti favebimus. Certe nulla causa est quur mihi illius amicitiam quisquam invideat. Sic per illum prosum studiis, ut nemini noceam, aut obstem εἰς ἄφθονον σπεῦδοντι: nec ullum mihi cum illo fœdus est, præter liberam ac mutuam benevolentiam, qua non patiar me à quoquam superari, si quis provocaverit.

Reddidi bona fide rationem, æquum est ut desinant obmurmurare. Hæc misera necessitas nos habet, qui libris editis populo fabulam agere cœpimus, ut omnes nobis placandi sint vel infimæ plebis homines. Scripsit mihi R. D. *Ennius* Episcopus Verulanus, isthic esse quendam, qui polliceatur certissima remedia calculi, tanta artis fiducia, ut nolit mercedem, nisi depulso morbo. Sed quem sponsorem dabit, non recursurum, ubi fuerit depulsus? Denique quis præstabit, ne morbum sic expellat, ut simul & vitam? Non arbitror tutum hoc corpusculum ignoto medico committere: nactus sum hic juvenem quendam *Joannem Antoninum* Cassoviensem, natione Hungarum, eleganter eruditum, moribus candidissimis & perquam amœnis, qui mihi præter alia remedia dedit leonem astrologicum, unde bibo. His quæ sapiunt magiam, an aliquid tribuendum sit nescio, certe dies jam complures mitius me tractat calculus, sive hoc vino mutato, sive aliis remediis, sive leoni debeo. Nec me fugit vetus proverbium, juvenem tonsorem, medicum senem arcessendum esse. Verum in *Antonino* meo nihil juvenile video præter faciem: mores & eruditio suam habent caniciem, quum ætate non sit major annis viginti quinque, Græce Latineque doctus, mei sic observans, ut si filius esset, non posset religiosius. Cura, ut quam bellissime valeas, ornatissime *Botzeme*, cum optima sodalitate, cum Gratiis ac Musis tuis, inter quas tibi contingat diu ac suaviter vivere. Salutem dices nominatim meis verbis viro citra supercilium erudito, *Michaeli Hymelbergio*, simulque *Joanni Vannio* concionatori, virtuti pietatique natis fratribus *Ambrosio Thomæque Blaureris*, cuique plurimum debeo *Joanni Meulishovero* Medico, homini, mea sententia, non minus humano quam erudito: ornatissimo Præsuli nec tu me desines commendare, nec ego desinam fausta lætaque omnia deprecari, & quicquid hominis eximia virtus promeretur. Basileæ tertio Kal. Febr. Anno à Christo nato. M. D. XXIV.

DESI-

DESIDERIVS ERASMVS ROTERODAMVS

ERVDITISSIMO

HECTORI BOEOTIO DEIDONANO

S. D.

LITTERAS *tuas*, Bœoti *ornatissime, datas Aberdonæ septimo calendas Junias, anno salutis millesimo quingentesimo vigesimo octavo, accepi Friburgi, quæ civitas est Brisgojæ sub ditione Regis* Ferdinandi, *non incelebrem habens Academiam: accepi autem circiter Idus Februarias, anno à natali* CHRISTI *millesimo quingentesimo trigesimo: ne forte mecum expostules, quod serius respondeam. Ea res fuit in causa, ut has litteras tibi per typographos excusas mittere maluerim, quam per amanuensem descriptas. Sic enim arbitror celerius ad te perventuras. Ergo ad tuas paucis accipe. Quam mihi tua consuetudo jucunda fuit*, Hector *eruditissime, quum ante annos triginta duo Lutetiæ in litterarum stadio pariter curreremus, licet te pro ingenii tui singulari felicitate multis passibus præcurrente: tam mihi gratum fuit eam voluptatem ex tanto intervallo mihi tuis litteris refricari. Ad laudes autem, quas tuus candor mihi tribuit affatim, plenaque (quod ajunt) manu, nihil aliud audies, quam te de* Erasmo *non minus diserte quam amanter, non dicam mentiri, quod à tuis moribus semper fuit alienissimum, sed multum à vero aberrare. Faveo tamen interim tuis de me præconiis, vehementer optans ex meis lucubrationibus aliquid utilitatis, ad disciplinarum ac veræ pietatis candidatos pervenire. Earum Catalogum, uti petis, huic subtexam Epistolæ. Nec mihi mediocrem attulit voluptatem, quod intelligo Scotiæ regnum ut aliis pluribus ornamentis, ita liberalium artium studiis indies magis ac magis expoliri. Hoc nomine semper amavi* Jacobum *Regem, quod ditionem suam non tam proferre studuerit quam exornare, inter felicissimos Monarchas numerandus, si præclaris virtutibus hominis fortuna respondisset. Nec dubito quin filius illius ut in paternum regnum successit, ita paternis vestigiis ingrediatur. Quum* Jacobi *Regis filium* Alexandrum *Archiepiscopum divi* Andreæ Senæ *instituerem, aderat illi frater vix decimum agens annum, incredibili puer indole, ac jam tum nescio quid eximium de se pollicens. Aveo scire, quid illi acciderit, utrum paterni fraternique fati comes fuerit, an adhuc superstit. Pro istius Academiæ non ignobilis, in me favore studioque gratiam habeo plurimam, cujus commodis & ornamentis utinam mea opera possit aliquid accedere. Certe, quod unum possum, precor ut Dominus per te tuique similes viros, eam omni genere disciplinarum, veræque pietatis dotibus bene fortunet ac locupletet. Datum ex inclyta Academia Friburgensi, idibus Martiis.*

INDEX OMNIUM DES. ERASMI ROTERODAMI LUCUBRATIONUM, JUXTA ORDINEM TOMORUM, COMPLECTENS SIMUL ET OPUS ET CUJUSQUE OPERIS INITIUM.

PRIMO TOMO HAEC HABENTUR.

SECUNDO TOMO,

TERTIO TOMO,

QUARTO TOMO,

Ad

Ad eundem carmen gratulatorium.
Institutio Principis Christiani.
Isocrates De regno administrando.
De Morte Declamatio.
Declamatiuncula gratulatoria.
Pacis querimonia.
Lingua.
Xenophontis tyrannus.
De senectute carmen.

O, semper memoranda dies
Ubi receptum est suffragiis
Cæteri quidem Nicocles
Quam acerbum vulnus
Hunc ego profecto diem
Si me licet immerentem
Dicturus non de asini
Simonides poeta die
Unica nobilium medicorum.

QUINTO TOMO.

Enchiridion militis Christiani.
Oratio De virtute amplectenda.
Ratio veræ Theologiæ.
Paraclesis.
Modus confitendi.
Enarratio Psalmi, *Beatus vir.*
Enarratio Psalmi, *Quare fremuerunt Gentes.*
Paraphrasis in Psalmum, *Domine quid multiplicati.*
Concio in Psalmum, *Quum invocarem.*
De puritate Ecclesiæ CHRISTI.
Enarratio in Psalmum, *Dominus regit me.*
De bello Turcis inferendo Consultatio.
Enarratio in Psalmum, *Benedicam domino in omni temp.*
Enarratio in Psalmum, *Dixi custodiam vias meas.*
De amabili Ecclesiæ concordia.
Concio in Psalmum LXXXV.
De misericordia Domini Concio.
Virginis & martyris Comparatio.
Concio De puero JESU.
Epistola consolatoria ad virgines sacras.
Christiani matrimonii Institutio.
Vidua Christiana.
Ecclesiastes, sive De ratione concionandi.
Modus orandi Deum.
Symbolum, sive Catechismus.
Precationes.
Pæan Virgini matri dicendus.
Oratio ad Mariam in rebus adversis.
De contemptu mundi.
De tædio & pavore CHRISTI disputatio.
De præparatione ad mortem.
Ode De casa natalicia JESU.
Expostulatio JESU cum homine pereunte.
Hymni varii.
Liturgia Virginis Lauretanæ.
Carmen votivum Genovefæ.
Commentarius in duos Hymnos Prudentii, de natali & epiphania pueri JESU.
Christiani hominis institutum, carmine.
Epitaphia in Odiliam.

Efflagitasti
Pressius intuenti
Quum primum novum
Lactantius ille
Præter innumerabiles
Quemadmodum divina
Prius quam aggrediar
Commodum absolveram
Quo plus habet
Domine quis habitabit
Adfero Psalmum
Quoniam cum tuis literis
Multum discriminis est
Titulus in ipso statim.
Psalmum octogesimum.
Philosophus quidam
Quoniam hodie
Jam iterum atque iterum
Puer apud pueros
Bene nos hortatur
Quum nulla vita
Inter innumeros calam.
Ecclesia Græcis est
Sic reciprocis vicibus
Jamdudum mihi gestit
Indulgentissime pater
Unicum cœli decus
Vides virgo parens
Olim quidem Iodoce
Heri quum in pomerid.
Omnium terribilium
Ecquid adhuc
Quum mihi sint uni
Non invenusto
Ineptio jam toties
Diva pii

Carmen jambicum

SEXTO TOMO,

Novum Testamentum, cum Annotationibus.

SEPTIMO TOMO,

Paraphrases;
- In Matthæum.
- In Marcum.
- In Lucam.
- In Joannem.
- In Acta.
- In Epistolas Pauli
  - Ad Romanos.
  - Ad Corinthios I.
  - Ad Corinthios II.
  - Ad Galatas.
  - Ad Ephesios.
  - Ad Philippenses.
  - Ad Colossenses.
  - Ad Thessalonicenses I.
  - Ad Thessalonicenses II.
  - Ad Timotheum I.
  - Ad Timotheum II.
  - Ad Philemonem.
- In Epistolam Petri I.
- In Epistolam Petri II.

Si mortales tam ardenti
Cunctis mortalibus insi.
In humanis historiis qu.
Natura divina quoniam
Promissi mei partem
Paulus ego ille è Saulo
Paulus non pseudapost.
Paulus legatione fungens
Paulus apostolus & ap.
Paulus legatus non Mosi
Paulus ac Timotheus in
Paulus legatus Jesu Chr.
Paulus & Sylvanus ac
Paulus & Sylvanus ac
Paulus apostolus ac leg.
Paulus legatus Jesu Chr.
Paulus antehac apostol.
Petrus ille quondam
Simeon Petrus quondam

In

In Epistolam Judæ.	*Judas Thaddeus Jesu*
In Epistolam Jacobi.	*Jacobus quondam Mo.*
In Epistolam Joannis I.	*Neque de rebus medioc.*
In Epistolam Joannis II.	*Senior Joannes scribo*
In Epistolam Joannis III.	*Senior Cajo viro multum*
In Epistolam ad Hebræos.	*Quum olim deus hum.*

OCTAVO TOMO,

Ex Chrysostomo versa.

Adversus Judæos, Homiliæ V.	*Rursus infelices illi*
De Lazaro & Divite, Homiliæ IV.	*Hesternum diem quum*
De Visione, Homiliæ V.	*Conspicio nos multo*
De Philogonio martyre, Homilia I.	*Ego quidem & hodie*
De orando Deum, libri II.	*Duplici nomine par est*
De David & Saule, libri III.	*Quoties diutina quadam*
Quum presbyter esset designatus, Homilia I.	*Num sunt quæ nobis*
In Psalmum, Cantate Domino.	*Egregium vereque mirandum*
Quum Sarioninus & Aurelianus acti essent in exilium, Hom. I.	*Multo tempore silui*
De fide Annæ, Homiliæ II.	*Nulla profecto res est*
Commentariorum in Acta Apostolorum, Homiliæ IV.	*Complures sunt quibus*
Commentariorum in secundam ad Corinthios, Hom. VII.	*Opera precium est qu.*
In Epistolam ad Galatas.	*Paulus Apostolus non*
In Epistolam ad Philippenses, Homiliæ II.	*Philippenses dicti sunt*

Ex Athanasio,

De SANCTO SPIRITU, Epistolæ II.	*Admirabere forsitan, qui*
Contra Eusebium de Nicæna synodo, Epistolæ II.	*Recte fecisti mihi signi.*
Apolegitici duo adversus eos, qui calumniabantur, quod in persequutione fugisset.	*Audio Leontium qui nunc*
De passione Domini, Homilia I.	*Et egressi in locum*
De hoc, quod scriptum est, *Euntes in vicum, qui contra vos est.*	*Qui ea quæ super terram*
De Virginitate.	*Primus sermo salutis*
De peccato in Spiritum.	*Quod literis tuis mihi*
De Spiritu Sancto.	*In eremo reddita mihi*

De Origene.

De vita, phrasi, & operibus Origenis.	*Origenes binominis*
Fragmentum in Euangelium Matthæi.	*Tunc dimissis turbis*

Ex Basilio,

Principium Esaiæ.	*Optate ne fiat fuga no.*
De Spiritu sancto, Liber.	*Equidem collaudo in me.*
De Laudibus jejunii, Homiliæ II.	*Clangite inquit in*

NONO TOMO,

Epistola Apologetica ad *Dorpium.*	*Non fuit reddita nobis*
Ad *Jacobum Fabrum* Stapulensem.	*Quum essedum consc.*
Ad *Jacobum Latomum.*	*Quo minus mihi superest*
Ad *Atensem* pro Declamatione matrimonii.	*Quandoquidem & res*
Apologia de, *In principio erat sermo.*	*Quum nuper ex comp.*
Apologiæ tres ad Notationes *Eduardi Lei.*	*Quum subito prodisset*
Ad Jacobum Lopim Stunicam.	*Quis leget hæc?*
Adversus *Sanctium Caranzam.*	*Post longas & inutiles*
De loco, Omnes quidem resurgemus.	*Hoc loco variabant olim*
In Natalem Beddam.	*Quum in hisce turbul.*
Adversus *Petrum Sutorem* Cartusianum.	*Quasi parum hactenus*
Appendix de scriptis Clithovei.	*Iodoci Clithovei libros*
Declarationes adversus Theologos Parisienses.	*Equidem sperabam tandem*
Ad Phimosthomum de Divortio.	*Legi disputationem de divortio*
Ad juvenem Gerontodidascalum.	*Qui factus est ei*
Ad monachos quosdam Hispanos.	*Est Pylus ante pylum*
Ad *Albertum Pium* Carporum Principem.	*Utinam fortuna mihi Alberte*
De Esu carnium.	*Vix oratione consequi queam*
De libero Arbitrio Collatio.	*Inter difficultates quæ non*
Hyperaspistæ diatribes, Libri II.	*Quod felix faustumque sit*
Purgatio adversus Epistolam Lutheri.	*En recanduit in me*
Detectio præstigiarum libelli cujusdam.	*Jam vetustissimum est*
Adversus pseudoeuangelicos Epistola.	*Bibliopola quidam reddidit*
Ad Eleutherium Epistola.	*Quid ais Eleutheri*
Ad Grunnium.	*Quid ais sapientissime Grunni*
Ad fratres Germaniæ inferioris.	*Prodiit hic liber quidam*
Spongia adversus aspergines *Hutteni.*	*Quoniam isthuc primum hinc*
Pantalabus, sive adversus febricitantem.	*Res salva est, prosiliit*
Adversus mendacium & obtrectationem.	*Quod scripsit Maro*
Antibarbarorum liber.	*Quum adolescens pestilentia*
Ad quosdam gracculos Epistola.	*Video quid agatis fratres*
Responsio ad *Petri Curtii* defensionem.	*Mea quidem sententia*
De Termino, Epistola.	*Quod mihi pro tuo ingenio.*

CATALOGORVM OPERVM DES. ERASMI ROT. FINIS.

DESI-

DESIDERII ERASMI
MORS,
EPITAPHIIS
VIRORVM DOCTORVM
DEFLETA.

EPITAPHIORVM AC TVMVLORVM LIBELLVS,

QVIBVS

DESIDERII ERASMI ROTERODAMI MORS,

VBIQVE TERRARVM, PER VIROS DOCTISSIMOS DEFLETVR,

Ordine alphabetico digestus.

GERMANVS BRIXIVS

CLARISSIMO VIRO

D. GVILIELMO BELLAIO LANGAEO

S. D.



EC me hercule jamdiu ipse tanto sum tempore in rerum ignoratione tuarum versatus (nam neque quid egeris tu, aut ubi terrarum fueris, jam menses hos quatuor scire certo potui, nullis videlicet nec abs te, nec de te literis acceptis) & in hoc Belgici belli nimbo, seu verius dicam tempestate, ipsam etiam Lutetiam totam percellente, atque adeo quatefaciente, minus fui ad scribendum compositus, musis, studiisque nostris interquiescentibus. Nunc quum tempestatis ejusdem sedatio suam tandem civitati serenitatem, visa tanquam Halcyone, restituerit, sic ut nos jam ipsos colligere, atque ut gravati pluvia flores, & tantum non decidui, ad solis exorientis radios, caput exertare incipiamus. In quo quidem, vere ut scribam, admiranda semper erit Joannis Cardinalis fratris tui germani industria, prudentia, diligentia, providentia: qui quum à Francisco rege, & ipso in Provincia Gallia contra Cæsarem in fines nostros cum copiis irruentem armato, huc ad nos Legatus, & tamquam Urbanus dictator missus fuisset, & quidem ut in summa rerum perturbatione, ita magna civitatis trepidatione, ac prope dixerim seditione, hostibus videlicet finitimas urbes, oppida, vicos, agros late populantibus, vastantibus, sua unius providentia paucis diebus rem eo deduxit, ut neque hostes suis satis viribus confisi, pedem porro promoverint, sed sese statim ad suos receperint, & nos ipsi trepidatione omni excussa, animos sic recuperaverimus, ut hostibus iisdem timori jam simus, ac formidini: statuere ut possis, feliciorem nobis multo, atque auspicatiorem fuisse virum unum togatum modo, ac galeratum, quam esse potuissent sexcenti, sagati iidem & galeati. Sed quum Cardinalis ejusdem beneficio bellicus omnis, quem dixi, nimbus procul cesserit, sitque jam nobis concessus ad studia nostra receptus, faciundum putavi, ut te literis meis provocarem potius quam tuas expectarem: quod satis suspicarer, ubicumque gentium esses, tibi à Germanicis tuis legationibus (quibus toties à te renovatis fatale esse video, ut tu ad extremum, quod Deus tamen averruncet, immoriare) non deesse negotiorum undas, fluctus, turbines, quibus tanquam obrutus vix absentium amicorum meminisse, nedum ad illos aliquid dare posses. Ego porro tecum ut quasi loquerer (quod ipsum dum facio, ne vivam, nisi in tuis tanquam in prudentissimi, fidelissimi, amicissimi hominis sermonibus acquiescam) sed tecum ut quasi loquerer, has ego ad te scribendas duxi: quas quidem ipsimet Cardinali dedi in suarum ad te literarum fasciculum ab illo conjiciendas, certum nobis esse ut possit & exploratum, alteras sine alteris tibi redditum non iri. Quod equidem eo consilio feci, ut tu ad Cardinalem rescribens, si minus ad me, at de me certe aliquid in tuis ad illum literis scriberes, & vel, quod dicitur, duos de una fidelia parietes dealbares, nolim enim te à publicis istis negotiis abductum ad privata nostra separatim negotia traducere. Abunde porro nobis à te satis erit factum, si significaveris modo quousque tandem in tui desiderio (cujus igniculum vix jam fero) versari hic nos velis. Illo enim rejiciemus omnem rerum inter nos communium actionem: si quidem, quod optamus, non ita multo longinquum tuum ad nos reditum pollicebere. Et quidem verbis exprimere vix possim, quanto aveam opere, in Dojano nostro dies aliquot tecum ponere, antequam hyems, durum anni tempus, jamjam appetens nos opprimat: quanquam ne tum quidem per te nobis deerit, ubi commode philosophemur, qui Glatignianum à Dojano non ita multum remotum habeas, haud paulo plus hyeme optabile, quam est Dojanum æstate amabile, densissimo, altissimoque nemore undique illud cingente: quod nobis luculentum focum præbeat à ventorum injuria perbelle defensis. Dices: Quin tu vero Brixi eo fine me? Audi igitur me hoc sine fuco ac fallaciis more amicorum dicentem: Emoriar, Langæe mi suavissime, si mihi non modo Dojanum, ubi

bi certe propter Langæani tui proximitatem sum libenter, sed ne ipsum quidem Bertocurianum. Tusculanorum omnium meorum delitiæ, cujus me etiam sola recordatio delectat, tanti est, ut vel in eo jam sine te esse cupiam. Quare da operam, amabo te, quantam maximam poteris, reditum ad nos tuum ut matures, nec te in eo, puto, Respublica impedire amplius potest, confecto jam in Provincia bello, omnibusque ad Regis voluntatem cedentibus, & te tam diu absentem privata res desiderans revocare debet: & præterea scire te velim, quiddam esse ad te magnopere pertinens, quod tibi ipse coram aperire aveo, litteris committere non audeo. Sed jam ad alia. Audivisse te puto Erasmum Roterodamum nostrum, hoc est nostri amborum, ut si quis alius è studiosorum grege, amantissimum, è vivis decessisse, annos natum plus minus septuaginta, sed tamen non modo longiore vita, sed prope dixerim immortalitate dignum: quanquam si recte omnia expendantur, quis illum dicere mortuum audeat, cujus mortalitas magis quam vita finita est? vivit enim, æternumque vivet Erasmi nomen, laus, decus, gloria, quantoque illius scripta senescent magis (illa quidem certe in queis seriam auctor operam impendit) tanto majori in admiratione, clamore, applausu apud lectorem futura, iisdem quibus Romana lingua spaciis pervagabuntur. De quo medius fidius elogium id pronunciare vere possis, Illum sua quidem ætate, (qua nullam bonarum artium feraciorem abhinc annos mille, & eo amplius, sol, quod omnibus in confesso est, vidit) sed de Erasmo dicere illud vere possis, suo illum seculo, doctrina fortasse non neminem, dicendi copia certe parem habuisse nullum: tum vero eundem (fatendum est enim) temporibus quidem nostris è Latio in Germaniam, sic Romanam transtulisse eloquentiam, ut olim Apollonius, Tullium Rhodi Græce orantem quum audivisset, exclamavit attonitus, ab illo Athenas Romam fuisse translatas. Nam quid tandem Romæ nunc (audacter dicam, vere tamen) Erasmo simile? Quo sane nomine quemadmodum Erasmo eidem etiamnum vivo Magni cognomentum Germania eadem, tellus hodie ingeniorum fœtura bonorum nulli alii cedens, uno ore detulit: ita nunc mortuo (sicuti olim Roma Gratidiano) statuas omnibus vicis, jure optimo erigere, & ad eas thus & cereos incendere debet. Debet enim illa magis Erasmi unius ocio, studiis, linguæ, quam Cæsarum omnium armis, laureis victoriisque suorum. Neque vero pluris est, ac ne tanti quidem imperium, quam eloquentiam Roma in Germaniam fuisse translatam. Nam illud Martis ac Bellonæ facinus, Hoc Apollinis ac Minervæ opus, hoc est, Illud fors fortuna potuit, Hoc ingenii ac doctrinæ vires efficere. Ex hujus ergo tanti viri obitu, ecquis negare audeat, tale quidem vulnus literas accepisse, quale à nullius alterius interitu accipere potuissent? De quo quidem nos amico mortuo (præterea quæ de vivo, quæ ipsa extant) tumulos aliquot lusimus, quos hisce adscripsimus: (vid. inferius suo loco sub lit. B.) quod tu à nobis factum existimabis, non quo apud te, eximium artis poeticæ inter nostros Palemona, ingenium in eo scripti genere vel venditem, vel approbem meum, (cui enim notius illud est, quam uni tibi?) sed ut te musæ ejusdem æmulum, & tanquam commilitonem ad mecum in ea contendendum, concertandumque palæstra instigarem: in qua quidem haud invitus tibi sum posthac munus daturus herbamque porrecturus, miles jam ad hoc certaminis genus tanquam emeritus. In quo quanquam sciebam te stimulis haud quaquam indigere, (quis enim omnium te uno amicos vel vivos diligentius colere, vel mortuos melius laudare novit?) tamen sicuti tu me olim soles, te vel currentem instigare placuit: quod mihi persuasi, nihil te de Erasmo principi eloquentia viro (quo tu illum nomine apud me semper es admiratus) non perpolitum, non excultum, non omnibus artis numeris constans, & quidem Minerva, quod dicitur, non invita ab istius ingenii officina deprompturum, atque ita deprompturum, ut non solum me (quod facile & patiar ipse, & poteris tu) cæterosque omneis in eo genere artifices, sed vel temetipsum, (nihil hic majus dicere possum) exsuperes: siquidem omnem ingenii tui vim unam hanc in meditationem intendes, quod ut facias etiam atque etiam vehementissime abs te contendo. Quod reliquum est, curabis nobis equum Germanicum promissum. Nam bellus ille magis quam bonus, quo me haud ita pridem donaras, equisonis mei incuria interiit, dum me proxime è Bertocuriano huc ad se Renatus Cenomanorum Episcopus, frater & ipse tuus, de re ad Cardinalem magnopere pertinente, sic evocasset, ut nihil quicquam nec acrius, nec incitatius fieri posset: & ego ad eam etiam incitationem, quicquid potuissem celeritatis addidissem. Noscis enim me, nec ignoras quam sim in meis erga amicos officiis, studiisque natura (permittis hoc me interim de me hic dicere) paratus atque expromptus: qui etiam soleam meas ipsius rationes illorum rationibus posteriores habere. Illustrissimum Cardinalem à Lotharingia sicubi in oculos tuos incurret, meis verbis etiam atque etiam salutabis ac bene valebis. Lutetiæ tertio Calendas Octobreis M. D. XXXVI.

PAVLVS VOLZIVS
D. BEATO RHENANO SVO
S. D.

Nisi divina & inrefragabili lege, ob avitam prævaricationem omnibus semel moriendum esset, intolerabilis plane mœror & dolor hic cunctos pia eruditionis studiosos enecasset, quando D. Erasmus Roterodamus communis noster amicus, ingenti studiorum jactura, via carnis universæ nuper hinc abiit. Hoc tamen uno se consolantur omnes, leniuntque dolorem, quod carne quidem mortuus, cæterum spiritu vivens, perpetuo docturus sit libris, tanquam liberis suis relictis. Atque ita mortuus ceu non mortuus habetur, juxta illud Sapientis: Mortuus est pater, & quasi non est mortuus, similem enim reliquit sibi post se. Quid autem Erasmi similius, ac ejus libri, vitæ doctrineque suæ testes fidelissimi? Hos, dum viveret, subinde ac diligentissime quidem omni munditia & cultu exornavit, moriturus quoque proximis suis amicis sanctissime commendavit. Hi velut grati in parentem liberi, omnem pietatem & eruditionem docebunt quoslibet, ubivis gentium versantes, & in suum consortium eos suscipientes. Tantus enim fuit eorum parens Erasmus, cum eloquentia & doctrina, tum innocentia vitæ pietateque, ut sua eruditione omnes scholas, omnia pulpita erudierit & illustrarit. Ideoque debent ei merito omnes quotquot Latina lingua utuntur. Quis enim ignorat in quantis ignorantia ac infantia tenebris tota fere sita fuerit Germania,

priuſquam D. Eraſmi infatigabili ſtudio & exoptatiſſima præſentia docta, exculta & illuſtrata exſtitit? Tam vero profecit Eraſmi Germani apud ſuos Germanos eruditio, ut jam non, ut antea Barbari, ſed Latini à Latinis jure & vocentur & agnoſcantur. Stulte igitur & arroganter Rhemnius Palæmon jactitare ſolebat, ſecum & natas & morituras literas; quaſi non & ante & poſt ipſum fuiſſent & futuri eſſent viri in omni diſciplinarum genere literatiſſimi, qualis abſque controverſia & Eraſmus noſter noſtro ſeculo Græcis ac Latinis literis ita excelluit, ut ei parem ægre dare poſſis. Sed quid verbis opus? Res ipſa, libri inquam ejus quæ dico propalam teſtantur vera eſſe. Non ſolum autem eruditione, ſed largitione item illuſtris & beneficus fuit. Nam præter eam beneficentiam, qua in vita plurimos conſilio & auxilio juvit, etiam moriturus omnem ſubſtantiam ſuam in amicos, in pauperes puellos puellaſque, ac in quoslibet egenos cujuſvis ætatis aut ſexus diſpartiendam Teſtamento conſtituit. Et ne mihi quoque ſi ſileam, peſſimum ingratitudinis vitium improperetur, præter literaria munera quibus me ſubinde ornavit, etiam haud ita diu ante mortem ſuam poculo me donavit argenteo, ſed ita undique inaurato ac mire fabrèque facto, ut ſi videas, nunquam ſatis videas. Inſuper teſtamenti nomine legavit mihi centum aureos, quos integerrimi viri D.D. Bonifacius Amerbachius hæres, Hieronymus Frobenius & Nicolaus Epiſcopius executores mihi numerarunt, & Argentoratum uſque præſentarunt. Demiſſo antea poculo Sapidus noſter elegantiſſimum ſcripſit carmen, quod non minus quam ipſum poculum delectabile eſt, illud viſu, hoc auditu. Id venerabilis noſter Eraſmus adhuc vivens & legit & laudavit, miſſis ad me literis extremis, quæ aliena manu ſcriptas ipſe tantum ſubſcripſit ægra manu. Neque vero diu ſupervixit. Et quantum equidem ex Epiſtola quadam ad Capitonem, quæ ſcripta eſt ad finem Febr. anni M. D. XVI. *conjicere poſſum, vixit annis* LXX. *menſib.* VIII. *dieb.* XV. *ita ſupputatis à* XXVIII. *die Octob. anni* LXV. *ſupra milleſimum quadringenteſimum Chriſti natalis, uſque ad* XI. *diem Quintilis An.* M. D. XXXVI. *in quo die mortuus eſt in Domino. Initium cujus Epiſtola eſt:* Non ſum equidem admodum vitæ avidus eruditiſſ. Vir, ſive quod animo meo jam propemodum vixi ſatis, videlicet annum ingreſſus primum & quinquageſimum, *&c. De ejus morte Sapidus noſter quandam non paucorum verſuum ſylvam compoſuit, (quos etiam habes infra ſub lit. S.) ubi mira venuſtate & gratia quadam lectu jucundiſſima ſcribit, quo modo videlicet carne ſolutus à cœlitibus exceptus ſit Eraſmus. Hanc ille, ut eſt gloria própria negligens, ſitu perire ſiviſſet, ni ſublegiſſem ego: opera precium ratus ſi tua opera porro è Seleſtadio Baſileam mitteretur ad officinam Frobenianam. Dignus profecto Eraſmus, ut quicquid ad laudis & gloriæ ſuæ cumulum augendum pertinere dignoſcitur, à gratis ſtudioſis ubique divulgetur. Cæterum det Deus opt. max. ut juxta Sapidi luſum D. Eraſmi anima ſit in cœleſtia plauſibiliter ſuſcepta, noſtræque divino tandem nutu ſuſcipiantur. Amen. Vale mi Beate chariſ. Argent. Cal. Decemb. An.* 1536.

GVILIELMI BIGOTII,
Lavalenſis.

Aſpiciens meritis haud reſpondere favorem
Sint ubi pro meritis præmia Eraſmus abit.
Si petis, hic locus eſt ubi degere tutus ab hujus
Temporis ingrati garrulitate queat.

NICOLAI BORBONII.

Lis oritur: meus eſt, Germania dicit, Eraſmus:
Gallia reclamans adſerit eſſe ſuum.
Hanc interveniens litem mala Parca diremit:
Neutrius hic veſtrum, ſed meus (inquit) erit.

JOANNIS BRESSANI,
Bergomenſis.

Hoc tegitur tumulo doctiſſimus undique Eraſmus,
Qui triplicem linguam calluit egregie,
Scilicet Hebræam, Grajam, pariterque Latinam;
Vt genuinam illi quamlibet eſſe putes.
Hic tantum ſtudiis ſtudioſus contulit orbi,
Quantum fert Clarii fax radioſa Dei.
Quid tegitur dixi, quem quælibet ora tuetur,
Quique oculis hominum notus ubique patet?
At tegitur corpus, ſed nomen, gloria, honorque
Clara micant, nullo deficientque die.

GERMANI BRIXII,
Antiſſiodorenſis.

Defunctum vita magnum qui credit Eraſmum,
Fallitur: ex ipſo eſt vita novata rogo.
Vivit, & illius vivent monimenta: lepores
Donec erunt Graji, donec erunt Latii.

EJVSDEM.

Extinctum laudat vatum chorus omnis Eraſmum,
Aſſequitur laudes nemo tamen meritas.
Deſine mirari: vivens advexerat orbi,
Abſtulit idem orbi mortuus eloquium.

EJVSDEM.

Magnus Eraſmus in hoc tumulo eſt: qui cætera neſcit,
Cæcior & talpa eſt, ſurdior & ſilice.

FRANCISCI A BVRGVNDIA
in diem obitus
ERASMI ROTERODAMI
Elegia.

Scilicet una dies crudelibus inſita fatis
Abſtulit emeritum morte nefanda ſenem.
Egregiam vero laudem ſcelerata tuliſti,
Dum tenues artus, laſſaque membra necas.
Nunc ego te juſtum merito exceſſiſſe pudorem
Conqueror, effœtum vincere nonne pudet?
Huic ſaltem poterat illa effrenata voluptas
Parcere, non deſunt corpora digna mori.
Excidit ingenium doctis quod certet Athenis,
Nec metuat Latii roſtra diſerta fori.
Excidit ingenium mediis quod ſedit in Aſtris
Dogmata dum divis auribus apta refert.
Et quamvis ſolitos corpus nunc deſerat uſus,
Ingenii remanent ſed monumenta ſui.
Et partæ ſupereſt ſublimis gratia famæ,
Hic tua præſtabunt rura proterva nihil.
Lucem ſollicitam rapuiſti, ævumque ſenile,
Mortis opem ſenſit pars oneroſa malis.
Quid ſenibus dulce eſt? cum ſit mœſtiſſima vita,
Cur grave ſit mœſtos anticipaſſe dies?
Belgica lugubri nunc tota dolore fatiſcit,
Condere dum neſcit, quem peperiſſe juvat.
Orba ſuos luget partus, & flebile pignus,
Quot bona nunc habuit, tot modo damna refert.
Tum etiam lachrymis odioſas ſcribere leges
Tentas? & juſtis planctibus eſſe modum?
Cum ſis illa dies, quæ magni conſcia damni,
Linguarum decus hæc dum ſiluiſſe jubes,
Canitiemque feris ſacram, pectuſque miniſtrum
Sancti operis, tumulo ſuppoſuiſſe juvat.
Sed quæ militiæ nomen, tituloſque ferebat,
Doctrinæ laudem terra Batava gerit.

Ad

Ad quam, primitias mortis dum cernit Erasmus,
Talia supremo creditur ore loqui.
Si quid adhuc memor es genitrix Hollandia nostri,
Et nati absentis leniter adflat amor;
Rumpe supervacuos luctus, nam pigra senectus
Destituit miserum, fessaque membra labant,
Me gravia oppugnant effœtæ incommoda vitæ,
Calculus à sævo funere tentat opus.
Corpus naturæ vitio compage solutum est,
Et totus cecidit, qui fuit ante, decor.
Mens confusa diu, merito stupet, ipsaque totis
Sensibus obriguit nunc hebetata suis.
Quid? quod multa gravant animum spectacula rerum.
Quis mala tot vitæ dissimulasse potest?
Sic mihi nunc requies petitur somnusque piorum,
Vivere desinimus, tu pia terra vale.
Quis mihi nunc demens homini persuaserit unquam,
Vt cupiat voto longior esse suo?
Hunc mors grandævo vitæ spoliavit honore,
Quo tamen intendit, claudere nescit iter.
Nam pius æternas divûm penetravit ad arces,
Sic propriis mors est ludificata dolis.
Nam meritis cœlos divinus adivit Erasmus,
Hanc laudem in terris Roterodamus habet.

GEORGII CASSANDRI,
in mortem Doctissimi, & Sanctissimi viri,
ERASMI ROTERODAMI.

Quid tam superbum contuere crudelis,
Quid mors quid alti pectoris minas spiras?
Ignota non es, non tuæ latent vires,
Non sæva blandæ tua tyrannis ignota est
Adversa vitæ, jusque ferreum fati.
Eone tanto quæso nunc tumes fastu?
Eo metentem cuncta concutis falcem?
Ferox quod immortalitate donandum
Virum triumphas, vecta funebri curru
Horrentibus quem flammei jubis raptant
Equi, flagrantis pasti ad impias ripas
Phlegethontis, herbas ubi cicuta præcellit
Illos gubernat noctis improbæ proles
Furens Erinnys, undique obstrepens sævum
Insana turba militum nefandorum
Heu triste eheu spectaculum ducem cingit,
Pallore tetro squalidi ruunt morbi
Sævi dolores, haud amabilis cœtus.
Paralyses, & Pleuritides, Phthises, Febres,
At calculum atra cypressus ornat insignem,
Luctusque gemitusque intonans polus reddit.
At tu revinctas ferreis manus nodis
Impellis umbras, quas volens recensere,
Numeret arenas littoris, maris guttas
Has inter acri vix prehenditur visu
Recens Erasmi mœsta convolans umbra,
Hanc tu superbo sæva murmure ostentas,
Victos ut olim Julios, Titos, Nervas,
Marcos, Catones, Publiosque, Flaccosque,
Hieronymos, Chrysostomos, Petros, Paulos,
Sed ô superni numinis potestatem
Lenem, Tyrannis cui tua haud libens cedit,
Ten' scilicet te Erasmum habere credemus
Nostrum, Deorum nectare affatim potum?
Terram & fretum nunc ille despicit lætus.
Sublimis & te nunc & inferos ridet,
Tibi in triumphum inanis umbra concessa est.

EJUSDEM DACTYLI ALCMAN.

Sparge decora puella comas,
Indue luctiferos habitus,
Abjice florida serta procul
Stantia syderio capite
Fulva monilia deme precor,
Quæ redimunt tibi marmoreum
Collum, uti gemma metalla solet
Aurea projice texta procul
Oris & illa Venus rosei
Et facies mage sole nitens
Pallidulo variata situ
Tristiciem notet, & faciat.
Luminis ille decor gemini
Sordidet imbre tepente genas.
Sparge decora Thalia comas,
Indue luctiferos habitus,
En tuus unicus hinc abiit
Cultor Erasmus, & alta super
Sydera, regna beata tenet
A patre pollicitata bonis,
Deseruit tamen heu miseros,
Ac animi illa sacrata domus
Vermibus esca parata jacet,
Mors inimica bonis studiis
Falce metens caput, hunc rapuit,
Forte ubi Teutonicum ægra solum
Illa vigere dolet nimium.
Proh dolor hanc fera gemmam adimit:
Sed nihil ô hera flere juvat
Ferrea quæ statuere semel
Fata, adamante notata manent,
Nec superis violare licet,
Collige pulchra Thalia comam,
Exue luctiferos habitus.

EJUSDEM.

Hic mortem deflet, laudes hic cantat Erasmi,
Officioque suo fecit uterque satis.
At diversa mihi nunc est sententia cordi,
Par studium dicas omnibus esse tamen.
Accipe Christe preces summi sapientia patris
Linguarumque sator, spiritus alme fave:
E quo cuncta fluit veluti sapientia fonte,
Qui das divino vatibus ore loqui.
Fac sapiat quisquis sapientem spernit Erasmum,
Linguacis linguam fac inimicus amet.

VLPII CISSEI,
Franikerensis.

Nosti qui requiescit hic ad aram
Summam, marmore tectus, ô viator?
Dicam, Roterodamus est Erasmus,
Illum mors rapuit severa nuper,
Musarum è gremio, hei dolore & alto
Musis vulnere cordis hinc relicto.
Harum nam pater & patronus ille
Vindex, tutor erat, decus, columna.
Summo barbarie labore pulsa,
Musas restituit suo nitori.
Sed quæ præmia tandem habet laborum?
Hæc, dulcem requiem supernus illi
Dat cum pace pater, suos & inter
Electos numerat, vale viator.

STEPHANI COMITIS.

Hoc latitat saxo lux orbis & alter Apollo,
Hoc Euangelii est tecta lucerna specu,
Hic alter Cicero: & numerosus Horatius alter,
Hic saxi & stricti est gloria vera stili.
Concilio ante diem cecidit. Sed mente ferendum
Est æqua cœli quicquid ab Arce venit.

VITI COPPI,

Selestadii bonas literas publice profitentem,

TVMVLI XVII.

Hei mihi quod precibus fatales flectere divas
Nemo potest, & quod mors sua quemque manet.
Si vitæ possent Grajæ Latiæque Camœnæ
Tempora Nestoreos ducere ad usque dies,
Vnus, qui Pylii superaret secula pensi,
Hic Desiderius dignus Erasmus erat.
Seu mores, vitamque viri, linguamque disertam,
Seu spectes docti pondera judicii.
Abstulit hunc terris pleno jam stamine Parca,
Viveret ut posthac liber ab invidia.

II.

Non cineres orno, quamvis sim splendidus arte,
Sed me plus multo condecorant cineres.
Ævi me tandem consumet longa vetustas,
Illos non poterit rodere tempus edax.
Hoc vir commeruit studio, cui postera secla
Vix sunt eloquio progenitura parem.
Tum Desiderii cessabit nomen Erasmi,
Quum Rhenus nullas siccus habebit aquas.

III.

Hoc Desiderio marmor decoratur Erasmo
Hinc noto celsi sidera ad usque poli.
Rupturæ nunquam fatalia stamina Parcæ
Illi, ni superis sic placuisset, erant.
Eloquio similem non huic Germania vidit,
Nec forsan posthac est habitura parem.

IV.

Falleris extinctum vita qui credis Erasmum,
Jam rursus mœstis vivit ab exequiis.
Nec mirum summo si Phœnici studiorum
Ipse potest vitæ reddere dona cinis.

V.

Sic vita Desiderius decessit Erasmus,
Oppetere est vita si meliore frui.

VI.

En Desiderii mœstum post funus Erasmi
Molliter hoc recubant ossa quieta solo,
Fama tamen, nomenque viri durabit ubique,
Græcia donec erit, donec erit Latium.

VII.

Hoc Desiderii saxo tumulatur Erasmi
Corpus, sed volitat fama per ora virûm:
Qua Scythicus Boreas, qua nubifer intonat Auster,
Et qua tellurem cernit uterque polus.

VIII.

Hîc Desiderii cineres conduntur Erasmi,
Qui junxit Latiis Attica mella favis.
Martia Roma suo quantum debet Ciceroni;
Huic tantum debet Teutona terra viro.

IX.

Hoc Desiderii tumulo conduntur Erasmi
Ossa, viri nomen replet utrunque polum.
Hic meruit tanta Germanis laude referri
Orator, quanta Tullius Ausoniis.

X.

Hoc marmor condit defuncti corpus Erasmi,
Qui clarus summo floruit eloquio.
Huic quæsitus honos studiis, & fama manebit,
Gramina dum tellus, dum geret astra polus.

XI.

Clauditur hoc tumulo defuncti corpus Erasmi,
Quem sinet haud unquam posthuma fama mori.
Ingenio quæsitus honos sine fine manebit,
Dum fuerint Graji, dum fuerint Latii.

XII.

O fati leges, ô ferrea jura Sororum,
Quam nulli fas est perpetuare dies.
Vrna quiescentis cineres hæc condit Erasmi,
Fama locum nusquam, quo capiatur, habet.

XIII.

Post cineres phœnix vivit, post funus Erasmus
Floret, & à tristi major in orbe rogo est.
Hunc celebrant Grajus, Latius, Germanus, Iberus,
Et Gallus, vita est hac ratione mori.

XIV.

In dubio est, vivatne, an sit defunctus Erasmus;
Clauditur hoc ejus pars minor in tumulo:
Pars melior cœlum lustrat, terrasque pererrat,
Pars melior vivit, pars minor interiit.

XV.

Te, lachrymarum siste rivulos, rogo
Viator, & dulcem quietem floribus
Orna, tumulum Sabæo thure consovens.
Vixi satis; fati peregi tempora,
Non ocio, sed duris me laboribus
Vnus, quo plurimis prodessem, subdidi.
Sic docta primum bella gessi Palladis,
Vt me ducem mirata sit Germania,
Suum me sæpius Ciceronem dictitans.
Tandem sacris sum Literis immortuus.
Hac fata lege subire, an non est vivere?
Donarier rude nisi forsan mori putas.

XVI.

Post cineres vivo doctis ego nomine Grajis,
Hispanis, Gallis, notus & Ausoniis.
Eloquio per me pugnax Germania culta est,
Meque à barbarie vindice tuta manet.

XVII.

Vita me functum qui credis forte, viator,
Erras, perpetuo nomine vivo, vale.

FRANCISCI CRANEVELDII,

Juris utriusque Doctoris, Consiliarii Cæsarei.

Abstulit una dies, qualem vix tempore prisco
Mortalem erudiit Calliopea virum.
Occidit eximiis rebus decoratus Erasmus,
Quo nihil in terris doctius invenias.
Lugeat extinctum Musis operata juventus,
Nec cesset justas fundere lachrymulas.
Quisque amas solido sophiam cognoscere cultu,
Quisque scripta animo volvere sacra cupis.
Vnus erit pro mille tibi, rectissima pandet,
Quæ via in æthereum fert super astra polum.
Ipse fatigatus studiorum mole perenni
Horruit ad Mori non pia fata sui.
Jamque simul summo residet sublimis Olympo,
Liber ab incertæ conditione vitæ.
Cæsar ut in Gallos magno tulit arma fragore
Carolus, hinc tuta se statione locat.
Ne videat diris fratres concurrere telis,
Qui docuit semper pace nihil melius.
Vive, vale Lector magnum veneratus Erasmum,
Cujus honos nullo sistitur Oceano.

EJUSDEM.

Nunc elegos tristes dictent, pia turba, poetæ,
Et velut in patrio funere dent lachrymas.
Linguarum sophiæque decus, suadela, nitorque,
Et sapidi in terris jam periere sales.
Occidit incertum quo morbo ereptus Erasmus,
Sed nimis heu damno certum obiisse meo,
Hic escas avido solitus condire palato,
Quanta dedit studii pigniora clara sui?
Invida mors corvis parcit, cervoque fugaci,
Sed claris gaudet sordida funeribus.
Gaudeat & sævum ducat male sana triumphum,
Dum sciat illustris vivere scripta viri.

Vive-

Vivere non ullis jam pridem obnoxia fatis,
Dum Tibris rapidas in mare volvet aquas.

EJUSDEM.

Vix orbis capiet libros, vix nomina tellus:
Cujus habet cineres nunc brevis urna, vale.

EJUSDEM

Versus Monocolos Asclepiadeus Acatalecticus

IN MORTEM

DESIDERII ERASMI

ROTERODAMI,

omnibus & virtutis, & literarum studiosis deplorandam.

Mors Desiderium siccine tu quoque
O Desiderium, siccine subripis:
Mortales retinent quo nihil amplius?
Sic Desiderium, sic decus eripis?
Ah Desiderium mors itane improba,
Ah teterrima mors; pejor & Atreo.
Hoc Desiderio, hoc nil magis expetit,
Nil ploratque viro tota volubilis
Nostri orbis facies. Cum mare fœmina
Hunc desiderat. Hunc luget inanis &
Peritus sophian. Hunc pueri, hunc senes
Deflent. Sed lachrymas illachrymabilis
Ducis pro nihilo. Pessima pessimis
Multis digna modis; quid potius rogem
Crudelissima mors? quidve tibi imprecer?
Quid durissima? quid devoveam tibi?
Irrides etiam: ac delicias facis,
Nosque angi volupe est, & jocus est tibi
Atrox, impia mors, dira scelestaque.
Sed nil convitiis movero tetricam.
Ergo quid facio? flebo suavius?
Irridet lachrymas: luctibus utroque
Et gaudet gemitu, fletibus innatent
Nobis forte genæ, discutitur fera
Risu. Differimur quando doloribus
Ridendo quatitur protinus invida.
Nec res digna satis fletibus edita est,
Si vero ratio conditur ordine.
Ergo quid facimus? Consilii quid est?
Vin' dicam tibi tu pessima quid lucri
Extinguendo virum feceris? Et virum
Quo nil candidius, nilque suavius:
Quicum me hercle mices sub tenebris lubens.
Quo nil doctius unquam, aut studiosius;
Seu linguam Latii, seu mage Cecropis
Spectes: Sive etiam sacra prophanaque:
Seu tu prisca magis, seu nova postulas:
Divûm sive hominum notitiam malis?
Seu vis grammaticen, sive mathemata:
Seu demum cupias parvaque magnaque,
Pædias solidum denique circulum:
Non adversa viro hoc, non Erymanthidos
Arcti majus habent, nilque celebrius.
Dicam vin' igitur jam tibi mortuo
Hoc Desiderio quid referes boni?
Hoc Desiderio dico hominum & deûm?
Subducendo virum quid lucrifeceris,
Quo nil vel melius, nilve pium magis?
Et gratum superis, & superis parem?
En paucis operæ nunc pretium cape.
Ausa es tu facinus scilicet arduum:
Nimirum facinus centimanis grave.
Amplis & gravibus ergo ne laudibus,
Amplis & gravibus dignaque præmiis?
Audi tu tibi tu pessima quid boni
Extinguendo virum feceris. Accipe
Quid nobis parias strenua vel mali.
Quid rei illi attuleris quem canimus viro.
Felicissimus est: vivit Athletice:
Jam demum fruitur quas cupit ædibus:
Nemo concipiat quæ sit amœnitas:
Nemo delicias, nemoque gaudia.
Vitis innumeris jam fruitur: malis
Ereptus totidem: vivit & anxiis
Excussus totidem mortibus: & feris
Monstris edomitis, queis agitatus est,
Ut Tyrinthie non sis gravioribus.
Est, istuc subigi morte, renascier,
Haud sane morier, si morimur bene.
Porro fingito cum corporibus simul
Extingui jam animas, spirituum nihil
Post mortem superesse, & pecudum institus
Nobis fac species, aut Samii senis
Umbris somnia contingere, nec peti
Unquam aut Elysiam, aut astrigeram domum.
Late & fama procul regnat Erasmia,
Imbellesque pyras atque humiles rogos,
Et parvum tumulum temnit, & urnulam.
Ac vastum celebris pervolat aera:
Pennis ora ferit præpetibus virum,
Qua Nereus patet, aut lampada Cynthius
Quaqua versum agitat: pervigil integra,
Vivit, spirat, agit, crescit & alitur;
Daphnis Phœbe tua ut perpetuo viret;
Æternumque virent Bacche hederæ tuæ.
Vt libros taceam jam quibus illius
Laus est floridior: nunc quibus illius
Vita est integrior: queis viget acrius:
In queis inspicias illud Erasmium,
Hoc est ingenium mite, placabile,
Humanum, nitidum, melle suavius
Et perfectius & verius: ipsius
Quam qui corpoream cernat imaginem;
Tanto & certius id, quanto animus magis
Quam cœnosa caro nos homines facit.
Quid quod tantum animos conspicimus libris?
Fronti nulla fides. Solum animo fides.
Mentes corpus habent ceu tegiticulam,
Aut tanquam potius sarcophagum rudem.
Brutis corpus adest. Nos ratio creat.
Brutum corpus: Homo sydereus viget.
Hic sermone quidem cernitur, ac libris
Multo est vividior: consulit, admonet;
Currenti stimulos subdit, & excitat
Cessantes, recreat, jurgat, & allicit,
Blanditur, revocat, dedocet ac docet:
Tum tristis, tum hilaris, cuncta potentius
Quam si luminibus lumina cerneres,
Quam si corporibus corpora jungeres.
Atque ætate eadem hæc proficient magis:
Olim splendidus & clarus erit magis,
Atque olim uberior laudis honos erit.
Sublatum ex oculis quærimus invidi,
Præsens si quod adest non ferimus bonum.
Nam nunc an ne Ovidii est? an ne Terentii?
Non Demosthenea gloria lætior?
Quæso nunc Cicero nonne disertior?
Argutusque viget non Plato amœnius?
Non Paulum magis flammea charitas
Urit? Christe salus non tua notior?
Est ævi veteris filia, Veritas.
Quæ nunc nos nimium rodimus invidi,
Nostra hæc suspiciet posteritas nimis.
Sic Desiderii (magna quidem satis
Sic nunc illa licet) summa nepotibus
Laus quondam fuerit, longe & amantior.
Mors quid præstiteris nunc mihi desere:
Num mors quæso vide quam temeraria

Au-

Audes, quam ſtupida, & ſtultula, dum ferox
Oſtentas rabiem, dum ingenium tuum.
Eſt vero egregium parque Milonio
Robur, ſi tenerum corpus ademeris
Punctu muſca necet quale proboſculis
  Aſt lugetis (ais) quantula ſunt tamen
Et buccas lachrymis mergetis interim.
  Imo luximus ut ſi ferus Africus
Straviſſet caſulam dulcis amiculi:
Statim triſtitiam qui melioribus
(Utpote exiguam) diſcutimus bonis:
Ridentes etiam quod prius anxerat.
  Quare mors agito, tu retine tibi
Hæc corpuſcula, habe hæc dum ſatiabere;
Nos Deſiderium ſi modo habebimus.
Iſthic mors validis utere viribus,
Totis unguiculis hæc retine tibi,
Iſthic prome tuum robur & hoſticum,
Hic conaminibus nitere Thuriis.
Enectum jugula, corripe, diſſipa:
Victrix hinc precium, hunc poſce coronulas,
Decernatur honos, palmaque præcipe.
Corpus cedemus, hem. Cede ſed ocyus
Huc tu redde unum: Redde ſed ocyus
Huc Deſiderium, quem prohibet mori
Unquam, Muſa potens: quem tibi jus ſacrum
Extorquet manibus, quemque labor comes
Virtutum aſſiduus vendicat aureus.
Tu larvam inſequitor. Sed ſine corpora.
Aut corpus potius tu quoque habe tibi.
Aſt huc cede hominem. Sed quid ago? velis
Nolis noſter erit: cedere cogeris.
Is præſentius ac verius (etſi abeſt)
Vivit, ſpirat, agit, (diximus ut prius)
Miſces pectoribus dum modo pectora,
Dum vel doctiloquis colloquemur libris, mellifluis
Quam quaſi corporeus ſpiret homunciolus.
Nos ergo interea vivimus ad fatum.
I nunc obſtiteris reſpice quantulum,
Hoc victoque tibi quid lucrifeceris:
Nempe hoc, aſſidue mortiferis uti
Proſcindare ſtylis: ut nec acerbius
Confoſſus fuerit, diſcipuli ſtylis
Quem occidere ſui. Dum vocitabere
Paſſim ſæva, ferox, invida, peſſima,
Immanis, fera, trux, impia, brutaque,
Atrox, ferrea mors, mors adamantina:
Paſſimque opprobriis dum lacerabere,
Fama nil melius, nomine nil bono.
Quanquam hæc pro nihilo duxeris improba.

CHRISTINI FVRNENSIS.

Καὶ μέγας ἐν θνητῶν Θεὸς ἦν τῷ σώματ' Ἔρασμος,
  Καὶ μετὰ τὸ θάνατον νῦν μέγας ἐστὶ Θεός.

Idem verſum.

Et Deus ipſe fuit mortali in corpore Eraſmus,
  Mortuus & magni numinis inſtar erit.

EJVSDEM.

Barbariem primus fœdam jugulavit Eraſmus,
Eloquio dulci regum compeſcuit iras,
Armatos tenuit populos, gladioſque furentes,
Ora viri ſtupuit poſito certamine mundus.
Invidit fera Parca, jacet ſacrum caput, aurea
Lingua tacet, mœſtæ Charites, ſunt omnia ſurda.
Mars furit, & miſero redeunt certamina mundo.
In rebus dubiis quis nunc erit alter Eraſmus?

EJVSDEM.

Naturam effœtam pariendo diximus olim,
  Quod nil boni produceret.
Indignata dea eſt, ſubitoque redarguit omnes,
  Ingens dedit miraculum.
Edidit exemplar ſummæ virtutis Eraſmum,
  Heroibus priſcis parem.
Hunc eadem rapuit, ne ſæcli tot mala noſtri
  Videret, in tuto locans.

JACOBI DANI,
Arusienſis.

Occidit immenſum columen præclarus Eraſmus,
  Muſarum vindex, gloria, ſummus honos.
Idem promotor ſtudiorum maximus, idem
  Auctor doctrinæ ſedulus occubuit.
Quæque ſui florens Academia noverit acrem
  Hunc provectorem, perpetuumque decus,
Barbariem longe prius extirpavit inertem,
  Innatamque ſuis undique mille modis.
Nec tamen hoc ſatis eſſe ratus, vigil inſtitit uſque
  Artibus omnigenis, addere mundiciem.
Suſtulit è medio librorum plurima menda,
  Errorum veterum ſuſtulit omne genus.
In vice ſubſtituit quorum meliora repoſta
  Cuncta nothis pulſis candidiora dedit.
Extitit interpres, nulli candore ſecundus,
  Græcorum quicquid vertere contigerat.
Moribus integris juvenum turbam inſtituebat,
  Omnem etiam ingenuis artibus erudiit.
Hujus provecti juvenum plerique Minerva,
  Quos exornavit muſa diſerta modo.
Auctor hic impulſorque trilinguis Buſlidiani
  Gymnaſii extructi Lovanienſis erat.
Ex quo linguarum mox evaſere periti,
  Inque brevi docti tempore rite trium.
Ut Trojanus equus proceres, ſic plurima nobis
  Clarum hoc Gymnaſium nomina docta dedit.
Quid multis per opus longa (cum facta recludant)
  Verterit, aut quænam ſcripſerit ille die.
Omni nemo fuit doctrina mille per annos
  Præditus in tantum, vixque futurus erit.
Aſt inſtar ſcoriæ ſumus auro præ radianti
  Hujus reſpectu, quotquot in orbe ſumus.
Nunc adeo quiſnam temerarius eſſe putetur,
  Aut ſibi Suffenus, ridiculuſve Thraſo?
Laudis Eraſmiacæ famam qui captitet altam,
  Ambitioſus homo ni ſit & Ardelio.
Ergo laudemus, ſi non aſcendere detur
  Ejus ad ingenium, perpetuumque decus.
Floreat idcirco divinum nomen Eraſmi,
  Sydera dum lucent, vel fluit unda maris.

STEPHANI DOLETI
ODE DICOLOS DISTROPHOS
in obitum
ERASMI ROTERODAMI.

Quondam bella ferocia
  Cum inter ſe atque duces Romulidæ, atque Afri
Ducebant animoſius:
  Tum, donec validus, vivus, & integer,
Frendenſque, atque minans erat
  Hoſtis, cui, gladio cominus aggredi,
Et telo appetere undique,
  Non laudabile, non egregium fuit?
Ergo, dum fuit integer,
  Et pugnæ cupidus, ſpicula ſenſerit

No-

Nostra hostis Ciceronis, &
  Galli (quæ rabies?) nominis insolens.
Jam jam parcere mortuo
  Mens est, nec tacitam carpere postea
Larvam vulnifico stylo.
  Defunctum meritis sic modo laudibus
O Musæ meritum senem
  Ornemus. Rapuit mors nimium rapax
Germanæ patriæ decus,
  Doctorumque decus: quoslibet Itala
Tellus, Gallaque proferat
  (Te Budæe tamen, te quoque Longoli?)
Germanæ patriæ decus,
  Doctorumque decus mors rapuit rapax.

HELII EOBANI HESSI.

Eximium fato functum lugemus Erasmum:
  Hoc duce qui Musis addita turba sumus.

NICOLAI EPISCOPII.

Delitiæ Christi fugitat super æthera Erasmus,
  Terricolûm infensus fraudibus ac sceleri.
Credere pollutis decus hoc mortalibus ultra
  Noluit; Omnipotens esse suum voluit,
Divorum inque choro divûm versarier usque,
  Rellicto terris nomine perpetuo.

EJUSDEM.

Arteis omnigenas tentat quum Phœbus in unum
  Cogere, & exemplar perficere eloquii.
Musarumque suum quæque addit munus acervo,
  Quo parte ex omni sit decor atque nitor:
Dotibus en nobis tot cultus prodit Erasmus,
  Sæcula cui similem nulla tulere virum.
At gemmam eximiam vilescere Rector Olympi
  Non passus terris, fulgida in astra tulit.

ELIGII EVCHARII.

Ecce in pulvere dormiens Erasmus
Non dormit, tacet, ore sed diserto
Eructat varium & pium axioma:
Vivit mortuus: audit, aurium expers,
Cernit, non oculis, quibus solebat
Mundum cernere sordibus repletum.
Tangit, non manibus pice inquinandis.
Miraris (scio) Lector antilexin,
Miraris paradoxa. Desine, oro,
Mirari, facile omnem Erasmus istum
Nodum solvet, In aureis suorum
Thesauris operum, in quibus tonantem
Omnis posteritas tubam ejus audit.
Est ægris odiosa lux ocellis,
Fastidit stomachus cibo gravatus
Mensæ fercula lautioris: inter
Cygnos stridulus anser obticescit:
Nec dulces citharæ excitant asellum
Auro stramina præferentem: in atris
Prædam noctua quæritat tenebris:
Porco deliciæ lutum est, quid istis
Lector docte Parœmiis velim, audi:
Doctas, doctus Erasmus ut moratur
Indoctas, ita non moratur aures.
Despectum esse viro improbo probandum,
Et laudarier à probo, æqua laus est.
In scriptis igitur tuis perennem
Vitam vive Deo, te Erasme Christus
Cœli luce beet, benigna cujus
Egit gratia, in organo suo te,
Esses ut fide tinnula & sonora
In sancta Ecclesia canis fidelis.
Ut posses rapidos grege à pusillo
Christi arcere Lupos tuo latratu.
Isthæc meta fuit tuorum, Erasme,
Dum mortem moreris bonam, laborum.

GEORGII FABRICII.

Viventem quem vix immensus ceperat orbis,
  Clauditur exigua Roterodamus humo.
Non armis tantum peperit Germania laudis,
  Quantum tu calamo, maxime Erasme, tuo.

LEONARDI FALESII,
Leodiensis.

Abstineat lachrymis nullus, licet impius instet
Zoilus, ac fusco tingantur membra colore:
Si caussam poscas, clarum abstulit invida Erasmum
Mors, sacra qui ingenio Scripturæ limina pandit:
Non igitur doctum laceres, nec dente canino
Rodere quæso velis, quo non præclarus Apollo
Facundum mage conspexit, verum simul alto
Sermone extollas (omnis quem luget) Erasmum.

DITII FERNANDI FRIATIS HISPANI
in mortem Erasmi
LAMENTATIO.

Flete decus, quæso, Grajæ Pallanta Camœnæ,
  In quarum arbitrio spesque fidesque mihi.
Ni vultis tanto feriam mea pectora planctu,
  Mœstaque continuis fletibus ora rigem.
Vos alacres mecum supera convexa meate,
  Atque ore effuso talia verba date.
Heu ubi palladium divini nomen Erasmi?
  Heu ubi nunc Pallas, Roterodamus ubi?
Heu ubi nunc latitat, potuit qui scribere tanta?
  Heu ubi nunc vivit Musa colenda tua?
Quam relevat virtus multo sudata labore,
  Seu dederis vacuo languida membra toro.
Quem velut oraculum cuncti commune premebant;
  O Desiderii maxima cura mei.
Quem Deus ingenua voluit præstare Minerva,
  Morte virum hunc doctum deperiisse, queror.
Proh dolor? heu? charo velut à genitore relicti.
  Ah quanta ingeniis facta ruina bonis?
Græcia docta tulit quem, quem & tulit inclyta Roma;
  Ingenio huic nunquam fama perire potest.
Qui scit Aristotelem, qui basiat ora Platonis,
  Ingenii huic nunquam fama perire potest.
Cui Cicero Graji resonant Demosthenis ora,
  Non immatura laus sua morte cadet.
Qui sic doctiloquo, sic protinus ore sonabat,
  Ver huic perpetuum est, perpetuusque dies.
Cujus fama manet nullo violabilis ævo,
  Dicetur nomen tempus in omne suum.

EJUSDEM
NOMINE LVDOVICI VIVIS
in mortem Erasmi
LAMENTATIO.

Invida cur me sic ô nex disjungis amantem;
  Quem bene colludens conciliavit amor.
Me dolor & lachrymæ vexant sine fine labantem,
  Hei mihi, quod tantis subdita vita malis.

EJUSDEM
AD LUDOVICUM VIVEM
graviter Erasmi morte perturbatum
CONSOLATIO.

Inclyta quem genuit tam fonte Valentia divo,
 Orator, toto clarus in orbe mane.
Tu quoque jam lumen simul immortale Latinis,
 Gloriaque Hispanæ gentis, & orbis honos.
Audi, tam armatus cur morti obstaret Erasmus?
 Si moriens phœnix unicus orbis erat?
Vive, tua in longos abeant suspiria risus,
 Mortis enim hæc nemo tela cavere potest.
An perit ex toto, quem languida membra remittunt?
 Vivit? an in cœlum, venerat unde, redit?
Mens æterna manet, manet immortale sepulchrum,
 Per quæ præclarum plus micat ingenium.
Numina, quod superest, tibi dent hinc sancta precamur,
 Hoc lachrymas casu si cohibere queas.
Ad quater undenos qui nondum veneris annos,
 Quem omnes suspiciant, atque sequantur, eris.

EJUSDEM
AD QUENDAM PETULANTEM,
qui valvis templi D. Petri adscripsit,
Animam Erasmi diris manibus cruciari,
RESPONSUM.

Non est μωροσόφων qui temperet Annibal iram?
 Ἑλλάδι, Ῥωμαϊκῇ, Ἑβραϊκῇ λαλίᾳ,
Postquam doctiloquus fato cessavit Erasmus,
 Qui fregit tauros hos bene quosque truces.
Ingeniosa videns mordacis carmina vatis,
 Tam (inquam) alius faciles non dedit ore modos.
Sed miser angusta nimium præclusus in aula,
 Sprevit Pieridum, Thespiadumque domos.
Namque ego dum miror numerosque pedesque modorum,
 Dii meritis (inquam) dent tibi digna tuis.
En quo stultitiæ? aut quæ tandem in secula ventum est?
 Si licet, ut tam audax manet ab ore furor.
Saxum Acherontæum premit, an præcordia Erasmi,
 Cujus ab eventu est vita probata suo?
Quin potius tua jam Titii præcordia fiunt,
 Ardentem unde fugax non levat unda sitim,
Quæ vivum Stygias vexit te cymba per undas?
 Talia cum doctus verba poeta dabas?
Vidisti triplici latrantem Cerberon ore?
 Servantem nigri limina tetra ducis?
Ferrequè Erasmum celso saxum in vertice montis
 Sisyphi? ut expositum rursus ad ima ruat.
Sed mitto, est asinum, pulchrum, conferre leoni,
 Vel quia tu talis, vel quia pauca potes.
Huc scelerate venis? Sed dic precor optime vates?
 Dic (inquam) vates ὄλβιε Πιερίδων.
Ecquis tartareum te jam furor egit ad amnem?
 Dic (inquam) vates, cinctus honore comas?
Te neque Romanum cepit dementia vatem?
 Ut tabem sævo saucius ore vomas?
Ὦ φίλε χαῖρε, & Erasmum jam nunc perfer ad astra,
 Crudeles pœnas dum tua lingua luit.
Quanquam Castalio demerseris ora liquori,
 Crudeles pœnas at tua lingua luet.
Dum laudes tecum, famamque, decusque reportes,
 Et titulum, & sacri nomina vatis emas.
Dic, age, ni grave sit tibi, nostri dedecus ævi?
 Non tua conveniens lumina vitra premit?
Funde preces igitur cœlo jungaris in ipso,
 Nectar Erasmus cum pascit & ambrosiam.
Nam virides hederas, laurosque tenebis in ore,
 Si sic non pergas ad Phlegethontis aquas.

HIERONYMI FROBENII.

Marmoreo jacet in tumulo modo mutus Erasmus,
 Orbis enim linguam sustulit inde sibi.

CORNELII GRAPHAEI.

Cuja hæc ossa, atque hi cineres? illius Erasmi,
 Spurcam barbariem qui expulit orbe procul,
Ecquæ plorantum mulierum hæc turba, profusis
 Quæ lachrymis mœstæ marmora dura rigant?
Hæ dulces sunt Musæ, hæc est Germania mater
 Illius, insignem hic flentque dolentque Virum.
Qui pueri hi? falsique sales, lepidique lepores,
 Una cum magno hoc qui periere Viro,
Qui vero hi juvenes haud læti? sectatores
 Illius, ablato qui duce triste gemunt.
Quæ geminæ hæ læto ridentes ore puellæ?
 Hæc fama, hæc summo est gloria digna Viro.
Cur rident? quod cum dudum mortalis is esset,
 Nunc immortalis factus obire nequit.
Quid sibi vult turpe hoc stratum tellure cadaver?
 Est, quam ille extinxit, Gotthica barbaries.
Quid stilus? quid charta ad bustum? his strenuus armis
 Vandalicas acies ille triumphat ovans.

EJUSDEM.

Pugnando fessus tandem hic requiescit Erasmus,
 Dum cum barbarie bella cruenta gerit,
Edomuit Gotthos, prostravit Vandala victor
 Castra, per hunc Musis ocia paxque manent.
Ne quæso, ne illi somnum interrumpe, viator,
 Jam vigilent alii, sat vigil ille fuit.

EJUSDEM.

Somno adeo optato dulce hic jam dormit Erasmus,
 At vero haud dormit mens generosa viri,
Scripta volant totum late jam sparsa per orbem,
 Et celebri applausu nomina magna sonant.
Mens ea in his veluti spirat, loquiturque, moveturque,
 Atque hominum obversans ambulat ante oculos.

EJUSDEM.

Corpore parvus eras, parva hac qui conderis urna,
 Utrique hic illic notus Erasme polo.
Verum quam excelso fueris, quam pectore magno,
 Divini ingenii id vel monimenta docent.

EJUSDEM.

E t parva ista quidem videtur urna,
R ari & sunt cineres repositi eadem,
A t supra tamen omnem opinionem
S upra, & quam queat exprimi loquendo
M agnus ille fuit, superque cunctos
V iventes celebri sonante fama
S ublimis, tumulo hoc qui agit quietem,
R em jam jam litterariam tenebris
O h ferme horrificis sepultam, amico
T utatam auxilio, in suum nitorem
E ho restituit polita mundo
R educens studia, expulitque toto
O rbe spurcitiem, graveisque sordes
D iræ barbariei, & undique omnem
A bstulit ruditatem, agens triumphos
M irandos. At enim Viri hujus heus tu
V is perdiscere nomen: heus age horum
S ume principia, hæc legens, metrorum.

SIMO-

IN LAUDEM ERASMI.

SIMONIS GRYNAEI.

Si ſacris fas eſt urnis inſcribere verum,
 Abſtinet & ſolis manibus invidia:
Vix mihi vix dederis, ſua quem ſunt non mala ſecla
 Mirata, & vivum quem coluere magis.

JOANNIS HELIARIS,
Angli.

Nominis Alcidæ non tantum clava paravit,
 Monſtroſas fertur qua domuiſſe feras,
Exiguus ſolidæ quantum peperit tibi laudis,
 Articulis calamus ductus Eraſme tuis.
Ille feris vaſtum portentis liberat orbem,
 Et peragit valida bella cruenta manu.
At tua barbariem facundia clara triumphat,
 Et vitium ex animis optima ſcripta fugant.
Augiacum magno ſtabulum ſudore repurgat,
 Invictaque fimum dimovet ille manu.
At tua monſtriferis ſacros ſimul atque profanos
 Auctores mendis ſedula cura levat.
Hic clava horribilem nodoſa contudit hydram,
 Quæ cœpit propriis ditior eſſe malis.
Tu trucis invidiæ vibrantis undique linguas,
 Et cohibes penna ſibila dira tua.
Ille ferox ſævi peragit dum juſſa tyranni,
 Immenſis ſpaciis diſſita monſtra petit.
In te certatim κυρζύχενα monſtra feruntur,
 Inque tuum jaciunt livida tela caput.
Sed tamen ut victis portentis dicitur ille,
 Ad proprios ſemper victor abiſſe lares:
Sic tua, certamen læſus quodcumque capeſſis,
 Gloria devicto clarior hoſte nitet.
Illius aſſidua exercent diſcrimina corpus,
 Perpetuuſque negat ocia cuncta labor.
Utraque Eraſme tui ſtudiis pars ſudat honeſtis,
 Et legit, aut condit irrequieta libros.
Hic vanos titulos & nomen inane reliquit,
 E queîs poſteritas commoda nulla capit.
At tu digna lini cedro monumenta relinquis,
 Poſtera quæ inſigni tempora fruge juvent.
Jam portentorum domitorem tetra libido
 Perdomat, & crepidis mollis amica ferit.
At tu perpetuo macerata carne labore,
 Fœda voluptatum ſub pede regna teris.
Fingitur hic patrio demum donatus olympo,
 Qui tamen æterno toſtus in igne jacet.
Te vero ad ſummi divina palatia Chriſti
 Evexit ſancta cum pietate fides.

ΤΟΥ ΑΥΤΟΥ
ΙΩΑΝΝΟΥ ΗΛΙΑΡΟΥΣ, ΑΓΓΛΟΥ,
εἰς τὸν μέγαν Ἔρασμον.

Στοιχείων πῦρ λαμπρότατον, χρυσὸς δὲ μετάλλων,
 Φωσφόρος ἀστέρων ἐστὶ φαεινότατος.
Παιδείας δ' αὐγαῖς οὕτω σελάγησεν Ἔρασμος,
 Πῦρ, χρυσὸν, κ' αὐτὸν φωσφόρον ὥστε νικᾶν.
Φοῖβος ἔην ἕτερος, καὶ φαιδραῖς νοῦ τε, λόγων τε,
 Λαμπάσι κἀκτίσιν φώτισε κόσμον ὅλον.

ΤΟΥ ΑΥΤΟΥ ΑΛΛΟ.

Κ' ἂν μίαν οἱ πολλοὶ κοσμεῖν πόλιν ἀδυνατοῦσιν,
 Εἷς δὲ μέγας κόσμου κόσμος Ἔρασμον ὅλον.

ΑΛΛΟ ΤΟΥ ΑΥΤΟΥ.

Ἐν χοϊκῷ τούτῳ τὸ Ἐράσμου σήματι σῶμα
 Κεῖτ', εἰς χοῦν φυσικῶς χοῦς ἐπανερχόμενος.
Ζῇ δὲ ψυχὴ μακάρων μετ' ἀγήραος ἀθάνατός τε,
 Πρὸς Θεὸν ἱπταμένη, ὃν πεπόθηκεν ἀεί.
Ζῇ δ' ἀνδρὸς κλειτὴ φήμη, καὶ ζήσει ἕως γ' ἂν,
 Αὖθις ἐγερθεῖσαν σάρκα τὸ πνεῦμα λάβῃ.
Σαρκὸς ζημία μικρὰ, μέρος δὲ τὸ κρεῖττον Ἐράσμου
 Ζῇ, πάλιν ἐν πυλάτῳ ἤματι ζήσεθ' ὅλος.

JOANNIS HUSSERI.

Hic magnus parvo ſub ſaxo dormit Eraſmus,
 Orbem qui ſtudiis ſuſcitat uſque bonis.

F. ANDREAE HYPERII.

Te tuus ecce trahit qui nulli cedit Eraſme
 Terminus, ut cedas imperat ipſe tibi:
Tu tamen haud cedis, ſed contra audentior obſtas,
 Non animæ aut famæ terminus ullus erit.
Nam licet hoc tenerum credatur corpus habere
 Terminus, haud vincet nomen Eraſme tuum.

EJUSDEM.

Munere qui divûm toti nunc præſidet orbi
 Paulus, cui cingit terna corona caput.
Quem cenſent cuncti terræ dominumque, deumque,
 Hic te conciliis juſſit adeſſe ſacris.
Sed Deus ille unus cœlique ſolique monarcha,
 Qui regit arbitrio cuncta creata ſuo,
Ille Deus magnum nobis ſubduxit Eraſmum
 Protinus, ac ſuperûm juſſit adire domos,
Heu, ait altitonans, mox præmia juſta laborum
 Accipiet, vobis profuit ipſe ſatis,
Ambroſia paſcam, veſcetur nectare divûm,
 Cælicolis vinctus Roterodamus erit:
Indignus tanto eſt infelix lumine mundus,
 Digna viro non ſunt ferrea ſecla bono.
Hæc Deus. Heu quiſnam qui talia præcipit, heus quis
 Temperet à lachrymis, ô ſtudioſa cohors?
Deſine mordaci defunctum rodere dente
 Zoile, ni ceſſes te metanoia coquet.
Quod ſupereſt, quicunque venis hac forte viator,
 Dixeris hoc ſaltem, ſit tibi terra levis.

EJUSDEM.

Qui docuit verbis ad mortem qua ſit eundum,
 Nunc remonſtravit flebile mortis iter.
Dum rogat exemplo vatis, quis monte quieſcet
 Sancto, vel quiſnam tecta beata colet?
Tum Deus, hunc cernens ſine crimine, dixit, Eraſme,
 Tu montem ſanctum, tu mea tecta coles.
Et merito, quis enim ſcriptis vel moribus uſquam
 Sanctior, hunc igitur præmia tanta decent.

JOANNIS LACTEI,
Gandavenſis.

Cur Deſiderium deſiderat orbis Eraſmum
 Uſque adeo ereptum? ſic bona cuncta ſolet;
Diverſa ratione tamen deſiderat illum,
 Virtutem abſentem ac invida turba ſolet;
Præſentem illam odit, ſublatam ſtulta requirit,
 Utrinque ingenio judicioque carens.
Hunc vivum ut ſtupuit Phœbus ſurgenſque, cadenſque,
 Sic raptum nollet, fert tamen & tolerat.
Et quæ viva ſuper linguæ monimenta utriuſque,
 Iis deſiderium ſarcit alitque ſuum.
Sic vivit vita functus quoque magnus Eraſmus,
 Vivit ut in natis patris imago ſuis.

*** *** ** 2 THO

THOMAE LINEI.

En brevis urna capit perparvum corpus Erasmi,
Orbis at immensus non capit ingenium.

EJUSDEM.

Fata sui Mori mœstus dum luget Erasmus,
Moro ne careat, non fugit ipse mori.
Terra pares animis spatio divisit iniquo,
Nunc junctos pascit nectar & ambrosia.

EJUSDEM.

Φαίδιμος, δόκιμος, πολύφημος, Ἔρασμε, βιώσας,
Ἀντίθεος μοῖραν ζῇς μέτ' ἄρ' ἀθάνατος.

Idem Latine per eundem.

Vixisti clarus, celebris, mirandus, Erasme,
Diis similis vivis nunc quoque post obitum.

ADRIANI MARII,
Joannis Secundi fratris.

Hic Desiderius requiescit Erasmus, amarum
Qui desiderium liquit in orbe sui.
Mens habitat cœlo, nomen vix clauditur orbe,
Scripta viri & mundum conteret una dies.

ANDREAE MASII,
LINIACENSIS,
Ad eos, qui acerbe nimis ERASMI mortem ferunt.

Vivit, qui vixit, quid vos lugetis? Erasmus
Vivit apud superos, qui modo vixit homo.

LUDOVICI MASII.

Siccine crudeles Parcæ necuistis Erasmum,
Semideumque virum, Semivirumque Deum?

EJUSDEM.

Invida disrumpens Lachesis sæva stamina Erasmi,
Heu quantum nobis abstulit illa boni?

EJUSDEM.

Fatalis series nobis invidit Erasmum,
Sed Desiderium tollere non potuit.

JACOBI MEYERI,
BALLIOLANI,
DE OBITU ERASMI
Epaenos Trochaicus Tetrameter Archilochius Catalecticus.

O Erasme summe vates, ô sacerdos inclyte,
Digne qui vocere lumen, sydus atque claritas,
Digne quem laudet suavi mundus omnis carmine.
Nunciatur ex caduco te migrasse corpore,
Terreum liquisse falcem carnis & gravamina,
Luget orbis ceu parentem dira mors oppresserit.
Te tamen magis beate nunc fatemur vivere,
Nam mori viros recusat musa dignos laudibus,
Quos per ora cuncta spargit prædicatque gentium.
Luce bissena beatus scandis astra Julii,
Quando sex novemque Christus plena condit secula,
Et quater novem decembres corpus ex quo sumpserat,
Hic dies nomen diserto traxit à Cyllenio,
Qui Deus tuos honores auxit à cunabulis,
Clarus artium magister, Præses eloquentiæ.
Qui dies inter sacratos Præsules venit duos,
Alter à Grajis, & alter à Latinis est satus,
Quos Anacletum, Piumque Roma recte nominat.
Aptior tibi nequisset ulla lux contingere,
Qui pius, Grajus, Latinus, orbe toto fulgeas,
Talium dignus favore, dignus & consortio.
Quis satis referre possit quanta cœlo gaudia
Acta sunt choros per omnes, quanta gratulatio
Cive de novo catervas inter omnes cœlitum?
Hic tubæ, nervi, modique, barbiti, testudines,
Ora, pecten, pes, arundo, plectra, pæan, nablia,
Tibiæ, chordæ, Camœnæ, vox Erasmo percrepant.
Te facit suum sodalem divus hic Hieronymus:
Gaudet Augustinus altis te locatum sedibus:
Cyprianus te videre gestit & Chrysostomus.
Teque Matthæus salutat. Marcus ora cernere
Possit & Lucas Erasmi, datque Joannes tibi
Dexteram, tibique Paulus osculum vult figere.
Hic Erasme clare vates (Paulus inquit) largiter
Sunt tibi dapes paratæ, nectarisque copia,
Hic eris cibi perennis poculique particeps.
Atque nobiscum beatus sempiternis seculis,
Gloria cœli frueris ac beatitudine,
Aure quantam nullus haurit, mente nemo concipit.
Hæc enim jucunda pacis hæc quietis civitas,
Aureæ cujus plateæ, murus omnis aureus,
Estque perpes hic voluptas, nulla sunt hic tædia.
In libro tuum repostum nomen est viventium,
Esque dignus qui supernis gaudeas cum civibus,
Omne vitæ qui per ævum laude tanta fulseris.
Non fodis terræ talentum, nec sacram pecuniam
Stultus ut minister ulla dissipas inertia,
Sed bonus negociator reddis amplo fœnore.
Est tibi vitæ peractus cursus omnis gnaviter,
Nomen ingens comparasti, nam tuo nec nos latet
Redditam terris labore literarum gloriam.
Utilis civis fuisti semper in republica,
Eruditione clarus, moribusque fulgidus,
Vult Deus donare tantis præmium virtutibus,
Rhetor, Oratorque magnus, & Poeta nobilis,
Magnus interpres, sacrorum doctor & voluminum,
Et paraphrastes, & almæ prima lux Ecclesiæ.
Jure cultor & Minervæ Mercuriique diceris,
Nemo namque fulsit unquam Christiani sanguinis
Tam venustus, tam disertus, tamque dives literis,
Unicus phœnix Erasmus, artifexque floridus
Luculentæ scriptionis, disciplinæ candidæ,
Mundioris dictionis, castioris paginæ.
Et patronus atque vindex literarum strenuus,
Fortis assertor politioris elegantiæ,
Alter ut Camillus, arcem qui Latinam liberat.
Vandalos armis decoris vincit & fugat procul,
Prælio feliciore submovet Getas feros,
Castra docta ne premantur servitute barbara.
Ut sacris inaugurati Pallados mysteriis
Dediti piæ palæstræ candidati milites
Hauriant sacros liquores purioris fluminis.
Unde Phœbææ cohortes signa sectantur tua,
Te vocat ducem patremque cœtus omnis Palladis,
Et tuo ductu petessit militare jugiter.
Te senes omnes verendi te canunt juvenculi
Et cothurnatum choragum, classicorum principem,
Ac suum decus perenne gloriamque nominant.
Te scholæ plorant Latinæ, lachrymant Græcanicæ,
Non secus quam virgo destituta sponso nubilis,
Aut ubi amisere fortem milites boni ducem.
Non tamen tam flent Erasmum quam suorum temporum

In-

Ingemunt malignitatem, qua suus nec literis
Est honor, viris nec ulla digna doctis præmia.
Nanque tu jam plenus annis demigras feliciter,
Inclytum mundo relinquis nomen & famam tui;
Alta scandis astra solis ante tempus asseclis.
Non nocet livor, sed extra fulgis invidentiæ
Aleam, ridesque vana, despicisque spicula
Hostium, sed te dolenter candidi desiderant.
Mœret alta Roma, tantum morte sublatum virum
Graja plorat, & Latina, natioque Gallica,
Maxime, sed Belga luget, maxime Germania,
Luget Hispanus, Britannus, Scotus, & Danus ferox,
Rhenus, Ister, & Mosella, Lysa, Scaldis, Sequana,
Clitis, Obris, & Visurgis, Humbrus, Albis, Matrona.
Omne regnum civitasque Christiani nominis,
Portus, ora, cardo, tractus, limes & toparchia,
Sed magis natale cunctis Roterodamum solum.
Omnis ætas, sexus, ordo, cœtus imprimis sacer,
Papa, reges, & monarchæ, cum poetarum choro,
Et sacras quicunque Musas corde fido diligunt,
Diligunt omnes amantque liberales literas,
Sana queîs mens atque pectus, recta queîs sententia,
Qui nec unquam veritati præferunt mendacium.
Funerant tristes Erasmum, qui tamen semper sui
Hoc habent pii doloris optimum solatium,
Mille detur perfruisci quod libris Erasmicis.
Haud secus quam quæ maritum fida conjunx extulit,
Atque Bæticata luget, prole sed pulcherrima
Funebrem lenit dolorem, mœsta corda recreat,
In libris sales, leporque, mens, imago, spiritus,
Schema, nervi, lima, filum, lux, Erasmi cernitur,
Cernitur cor, lingua, pectus, vita, vultus, sanctitas.
Vivit ergo, vivit omni seculorum tempore
Nobilis virtus Erasmi, vivit eruditio,
Orbe toto sparsa, cunctis Christianis utilis.
Paulus hæc: ô Christe nobis qui faves benignius,
Suscita plures Erasmos, mitte tales spiritus,
Qui canant Erasmiana plura nobis carmina.
Christe fata post suprema, post peracta stamina,
Pande cœli templa nobis, celsa pande limina,
Atque læta da perennis gloriæ consortia.

EJUSDEM

De obitu Erasmi

MONODIA.

Luge Calliope decora virgo,
Et tristes cane næenias Thalia,
Dic cantus elegosque luctuosos,
Defunctus tuus alter est Apollo:
Eheu nobilis est sepultus Orpheus:
Vates inclytus & pius sacerdos.
Luge Ecclesia quæ cupis redire
Ad primordia pristini decoris:
Omnes Pallados expoliti alumni
In pullo lachryment nigroque amictu,
Et plorent velut orphani relicti:
Quem nunc invenient ducem Camœnæ?
Ecquod præsidium tibi fidele?
Eheu occubuit chori magister,
Jam nostri Cicero migravit ævi,
Nec possum sine lachrymis referre:
Quæ chartam maculant suis lituris,
Quem nunc invenient sacri poetæ
Patronum? cecidit choragus artis.
Quis nunc Mercurialibus favebit?
Quæ solatia, quæve spes? Erasmus
Æternum decus occidit Minervæ:
Quis terget mihi lachrymas acerbas?
Heu quis tristia recreabit ora?
Extinxit Libitina lumen orbis,
Quis nunc sol tenebras fugabit atras?
Extinxit Libitina sydus orbis,
O mors sæva nimis viris disertis.
O Parcæ nimis invidæ poetis.
Quis tantum mihi leniet dolorem?
Quis lamenta mihi gravesque planctus?
Quis sistet gemitus, levetque fletus?
Quæ nunc musica, quæ fides, lyræve?
Postquam Pieridum novem Sororum
Immortale decus jacet sepultum:
Extinctum est Latiæ decus Palæstræ,
Quis certamine fortiore pellet
Victor barbaricas pugil catervas?
Postquam conticuit novus Camillus,
Linguarum coryphæus emigravit,
Mellitus citharœdus ille Erasmus,
Omnis criticus elocutionis.
Noster Mæonides, sacerque Flaccus,
Consolatio, gaudium, voluptas,
Dulcis gratia, mellis & medulla,
Fandi formula, flos amœnitatis,
Rerum copia, fons vocabulorum,
Vatum gloria, Rhetorumque splendor,
Cœlestis sapientiæ lucerna,
Legis Christi dos unicus Lyristes
Et princeps studii elegantioris,
Instaurator honosque literarum,
Vitæ semita, pulchritudo morum,
Virtutum schola, laus & omnis ævi,
Thesaurus probitatis ac decoris,
Præsignis quoque gemma castitatis,
Lex & norma piæ eruditionis,
Suavis regula paginæ sacratæ,
Lux quæ promicat omnibus diebus,
Cunctarum sator artium bonarum.
Quis tantum mihi leniet dolorem?
Mecum melliflui fleant amici,
Decantentque Monodiam sodales,
Quos tutelæ fovet sacræ Minervæ:
Ploret Pourtius, Hantsamusque charus,
Laurinus vetus hospes alti Erasmi
Insignis Comes, atque papa Hypranus,
Edingus, Spetebrodius, Megangus,
Vates Lacteus, Insulensis urbis,
Bergani Curius Chori magister,
Et Schonovius integer sacerdos,
Lybbus candidus Hantsami sodalis,
Cornusenus in urbe Cassilana,
Levinus Crucius, Revelliusque,
Alopecius in Stevertiaco,
Fratres Eucharii jugum venustum,
Et portu Leoperdus in novello,
Et Laurentius atque Meninorum
Papa, & Becius in Viroviaco,
Nec non Zoutero quem colit Popringa,
Et Basconius arva qui benigni
Gaudet pulchra mei videre patris,
Cum multis aliis sciis probisque,
Quos longum foret hac citare charta,
Nobiscum eximium fleant Erasmum.
Sed tu Meyere, quem creavit illud
Pulchrum Balliolum, modum dolori
Funesto statue, & tuis querelis,
Atram pone chelym, & precare Christum
Jungat cœlicolûm choris Erasmum,
Cujus chare Deus suprema vox est.

JOANNIS MORELLI,

Ebrudunensis.

Ingenio quisquam si vivit, vivis, Erasme;
Scripta manent ulla non peritura die.
Nam tua vel primæ relegent qui sola juventæ,
Dicere cogentur, Magnus Erasmus erat.

Gloria sit quamvis multorum tacta sagittis,
Non tamen à quoquam gloria læsa tua.
Promptius hanc fuerit linguis lacerare malignis,
Æquo virtutes quam superare pede.
Jam tua convellant dictis, laudentve, quid inde?
Stant merita, & virtus, gratia, lausque tamen.

EJUSDEM.

Corpus humo, superis animam, dat nomen in ævum
Lex, pietas, virtus, Roterodame, tua.

FRIDERICI NAUSEAE,

Invictissimi Ferdinandi Cæsaris, &c. à Conciliis,
in Magnum
ERASMUM ROTERODAMUM,
nuper vita functum,
MONODIA.

Quod ingeniosus quondam Poeta tam ex protrito quam ex veridico vulgi verbo graviter hoc disticho monuit, inquiens,

Immodicis brevis est ætas, & rara senectus,
Quicquid amas, cupias non complacuisse nimis.

Hoc nos ipsum jam demum, Lectores & Auditores, qui Christo nomina dedistis, universi, non absque summo animi nostri mœrore in magno illo laudatæ felicisque memoriæ Desiderio Erasmo Roterodamo, splendidissimo Ecclesiæ Catholicæ Ornamento, plusquam verum esse comperimus. Etsi enim illum ipsum magnum Erasmum Roterodamum, rectorem præceptoremque nostrum longe desideratissimum, propter incomparabiles ipsius virtutes, & dotes omnino divinas & usque ad miraculum suspiciendas, non modo religiose propemodum ab ineunte quidem ætate dilexerimus, sed & supra quam dici potest ardenter amaverimus & coluerimus, novissimis tamen & iisce quidem diebus paulo superioribus eundem non impatienter solum, verum etiam misere deperire nobis ipsis visi sumus: ut qui absentes & longo nimirum locorum intervallo divisi, sic universis in ipsum absentem viribus præ veræ charitatis impotentia rapiebamur, ut sine eo & absque de ipso cogitatu memoratuque nec meditabamur, nec dictitabamus, nec scribebamus, nec lucubrabamus, nec manducabamus, nec bibebamus, nec vigilabamus, nec dormiebamus, nec ita denique sine illo quicquam faciebamus, ut præsto semper esset Erasmus quicquid ageremus, ludebat ante oculos nostros imago Erasmi, ibat, redibatque frequenter. Quinimo simulachrum atque ipsius umbra Erasmi visa nobis

Ante oculos, & nota major imago
Atqui nos toties lachrymantes, dira valentes
Dicere, deseruit, tenueisque recessit in auras.
Ter conabamur collo dare brachia circum,
Ter frustra comprensa manus effugit imago,
Par levibus ventis, volucrique simillima somno.

Quid multa? totus animus in unius Erasmi contemplatione defigebatur, Erasmum cogitabamus, Erasmum videbamus, Erasmum jam vanis imaginibus, recentibus tamen, audiebamus, adloquebamur & tenebamus. Nec interim præ nimio in illum amore cessabamus, undecunque veniebant, plerosque omnes in hæc verba rogare, de Erasmo & de ejus statu, Vivit adhuc Erasmus? Valet ne Erasmus? Quid agit Erasmus? Nunquid ex sua nobis Africa novi quid afferet ille propediem? & in hunc sane modum perquam plurima passim sciscitabamur.

Sed quid istuc? Certe non aliud quam præsagium mortis ipsius haud multo post futuræ certissimum, utpote quod citra dubium præsagiebat, illum ipsum magnum & unicum nostrum Erasmum, quem satis immodice diligebamus, imo deperibamus, quibus etiam (proh dolor) nimis placebat, paucis post diebus à nobis alio demigraturum, valeque ultimum huic seculo dicturum, foreque ætatem illi adhuc omnino brevem & senectam prorsus raram, nosque certo in parietem caducum inclinaturos, quod ætas ipsius & adversa valetudo non videretur tantis laboribus & rerum motibus suffectura. Cœpit autem (heu dolor) hoc nostrum de magno Erasmo nostro præsagium non secus atque de natura gratiaque patre charissimo tam verum fieri, quam fuit olim cœptum fieri verum Israelis de Josepho filio præsagium. Tradunt quidem sacrosanctæ Litteræ, quod quum esset ille jam senio confectus, & plurium filiorum pater, de nullius tamen æque fuisse sollicitum, atque de Josephi vita & incolumitate, quippe quem unum illum intueri, unum penes se habere, nec expleri mentem tuendo, nec temere procul ablegare solitus fuerit: indubitato nimirum mentis præsagio, futurum ut is omnium unus aliquando maximo foret patri desiderio, qui præsens patrium explere non posset affectum. Nec usque adeo defuit eventus præsagio, ut quum filius ipse Joseph, quem pater plane deperibat, aliquot post annos à fratribus ex invidia venundatus esset, ac in Ægyptum ductus, illum pater, hujusce rei nescius, credens aut amissum, aut mortuum, multis annis acerbissime luxerit, inter cætera, quum videret illius vestem sanguinolentam à fratribus commonstratam, ejulando dicens, *Fera pessima devoravit filium meum Joseph: Descendam ad filium meum lugens in infernum*, &c. nec prius diuturnum luctum absterserit, quam ex-insperato repertus est.

Atque utinam nostrum tam mite nobis potuisset esse de Erasmo præsagium, ut videlicet ipsum desideratissimum (diis superis benevolentibus) pro desiderio nostro vivum reperire in terra possemus, ituri non solum post eum in Ægyptum, vel quamlibet longe distantem, sed & ultra Sauromatas & glacialem Oceanum, aut si quid est hoc remotius: verum (ah dolor) multo durius cessit de ipso præsagium, quandoquidem desierit ille, non sine totius Christiani orbis jactura, in humanis esse, fatis & naturæ cedens, scilicet hoc ipsum nuper etiamnum Solis Eclipsi dubio procul portendente, quia propediem moriturus esset, qui sine controversia suis divinis virtutibus & doctrinis non aliter hactenus, atque Sol suis splendidissimis radiis, universum mundum illustrasset, & ad Solem justitiæ reduxisset.

Id quod an verum sit, idemque magnus olim noster ERASMUS præstiterit, paucis subinde docebimus, initio flagitantes, ut attenti sitis, animisque vestris verba nostra diligenter excipiatis.

JAM vero non est, ut justam à nobis longamque orationem exspectetis in vere illum desideratissimum Desiderium memoriæ felicis ERASMUM ROTERODAMUM, qui modis omnibus & ad omnia talis ac tantus, dum viveret, fuit, ut Orationem ipso dignam, nisi qui fuerit ipsius similis (similem autem vel ex parte saltem quis inveniet?) habere non possit, aut si quis alius pro eo dicturus est, haud secus sit commissurus, atque si quis olim alius Alexandrum quam Apelles depinxisset, alius quam Lysippus ex ære duxisset, alius quam Pyrgoteles sculpsisset.

Lactantius ille Firmianus, sic secundum aliquos eloquentia Ciceroni disertissimo prope accedens ut à multis Cicero Christianus appellari soleat, quum Christianæ religioni pratrocinaturus esset adversus Ethnicos, cum primis optabat sibi dari eloquentiam Tullianæ proximam, nempe quo posset abunde dicendo præstare, quod acturus erat. Ipse magnus Erasmus noster, adhortaturus olim (in *Paraclesi*) ad sanctissimum Christianæ philosophiæ studium, vehementer sibi optabat eloquentiam,

nescimus cujus vel Mercurii, vel Amphionis, vel Socratis, vel Periclis, vel alterius cujuspiam efficaciter eloquentis dicendi virtutem, quo præstaturus ex voto esset, quod ex animo satageret. Nos sane nullius sigillatim, quippe nec Firmiani, nec Ciceronis, nec Mercurii, nec Periclis, sed ejus unius magni duntaxat Erasmi disertam eloquentiam cuperemus, de ipsius admirandis virtutibus & earum meritissimis laudibus pro dignitate verba habituri. Siquidem non dubitaverimus in illo magno quondam Erasmo Roterodamo fuisse, quicquid unquam vel in Pericle facundæ vehementiæ, vel in Tullio disertæ facultatis eloquentiæ fuit, quantumvis ille fando fulgurare & tonitrua ciere dictus fuerit, hujus vero nomen pro eloquentia in ora hominum abierit. Quo fit, ut vix existimemus esse, qui digne posset magni illius Erasmi Roterodami virtutes, dotes & laudes incomparabiles enarrare, præter ipsum unicum Erasmum, vel qui foret illi facultate dicendi proximus. Erasmus enim ille solus nostra, patrumque memoria non falso creditus est habere Mercurium in ore, Genium in præcordiis, Palladem in capite, velut Jovem quondam illum habuisse perhibent.

Quales quia usque adeo non sumus, ut ne minimam nos partem doctrinæ & eloquentiæ Erasmicæ consequutos ingenue fateamur, haud sane est, ut pro ipso nuper vita functo etiam ex vetustissimo eodemque solenni more in præsentia dicturi sumus, quanquam multis alioqui nominibus hanc illi provinciam præ cæteris omnino debere videamur, quum quod nobis illius sit vita vivendique ratio, hoc quam cæteris notior, quo secretior utrisque, dum viveret is adhuc, eademque mutua fuerit consuetudo: nempe qui cum aliquantisper propius convixerimus, quum anno superiore post Christum natum M. D. XXV. non inhonorifica fungeremur apud eum pro sacrosancta fide, religoneque nostra Christiana, legatione. Cujus penes nos testimonii nulla exceptione minoris loco pignus est & μνημόσυνον, usque adeo nobis haud contemnendum, ut idipsum cum universis Attali gazis minime simus ex affectione commutaturi. Quod sane pignus haud obscure testatum facit, quid, quantumque nos Erasmo debeamus: tum quoque & hanc illi provinciam dicendi debere præ cæteris videamur ob prorsus singularem ipsius in nos, dum in humanis adhuc viveret, dilectionem & charitatem minime vulgarem, quam præter alias satis evidenter in suis ad nos literis arguit, in quibus nos titulis charitatem summam præ se ferentibus adpellare solitus erat, charissimum, amantissimum, optimum suum Nauseam. Quibus utique in scriptionibus quid posset esse vel amicius, vel amantius, & quidem in nos longe verius, quam si nos aut doctissimos, aut excellentissimos compellasset. Quam sane erga nos dilectionem videmur hoc solo eodemque extremo pietatis officio non secus atque gratitudine quadam, aliqua ex parte saltem, nos compensare posse, quum nequeamus aliud præsertim quod possit à nobis in præsentia majore cum fide, minoreque apud obtrectatores Amusos suspitione fieri.

Est enim (quod nuper in funebri pro Serenissima Maria, gloriosæ memoriæ Regina Angliæ, Oratione diximus) humanæ gentes multos honores multis, maxime vita functis, diversas ob caussas tribuere soleant, nihil tamen est à gratia, à formidine, ab adsentatione, & ab id genus sinistra suspitione alienius, nec ad colendam defuncti memoriam vel efficacius, vel aptius, quam humanæ mentis adfectus, qui vel solus liber est, nec ab ullo cogendus, maxime, quia quod defuncto datur mera sit pietas, merus amor & anteactæ vitæ testimonium, quod nesciamus an possit ab ullo quam à nobis ferri certius & verius, quum, uti diximus, vix ulli sua notior sit domus, quam nobis Erasmi vivendi ratio. Nec tamen est ut in præsentia solenni Oratione quadam de ipsius laudatissimis, & incomparabilibus moribus, virtutibus, & dotibus sigillatim dicere quoquo modo tentemus, quod tam fieri nequit, quam si quis ex Marone,

Scire velit, Libyci velit æquoris idem
Discere quam multæ zephyro turbentur arenæ:
Aut ubi navigiis violentior incidit Eurus
Nosse quot Ionii veniant ad littora fluctus.

Quæ enim (obsecramus) tanta possit existere ubertas ingenii? quæ tanta dicendi vis & copia, quod tam divinum atque incredibile genus orationis? quo quispiam possit, non dicimus orando complecti, sed percensere numerando virtutes, dotes, & disciplinas, quibus ipse ille magnus noster Erasmus etiam eos, qui maximi habentur, non solum æquavit, sed & (sine tamen illorum nominis obscuratione) plurimum superavit, ut quæ tam sunt numero multæ, tamque magnitudine stupendæ, ut de iis multo sit etiam satius in præsentia silere, quam pauca dicere, nempe quæ magis historiæ perpetuitatem, quam orationis compendium exigant, in quibus recensendis omnes Oratores, & Historici tam cogitando quam scribendo defatigarentur. Nobis certe non tantum est ingenii, non mentis, non spiritus, non virium, qui quanto magis in divini hujus viri laudes concelebrandas animum intendimus, eo nobis res ipsa sese sublimiorem difficilioremque offert; neque vero cuiquam possibile putamus, etiam omnes id molirentur, omnes attingere laudes ejus, qui non nostra solum ætate, sed omnium temporum posteritate memorabilis est; quippe quo nulla ætas nec facile tulit, nec feret majorem, nec omnino facile parem, utpote in cujus vita usque adeo omnia fuerint amplissima, excellentissima & eminentissima, ut nihil putemus ita de magno nostro ERASMO ROTERODAMO dici, quod æque de alio dici posse videatur. In cujus denique virtutibus ea abundarunt exempla, quæ sequi cupiat ventura posteritas, &, si ipsa rerum natura pateretur, adscribi voluisset sibi veneranda antiquitas. Nec est, ut nobis hac de re solis obstringatur à quopiam fides, qui fidem facere testimoniis & argumentis omni exceptione majoribus haud quaquam gravabimur.

In primis vero quum juxta Rhetorum placita Oratorumque decreta non parum in demonstrativo dicendi genere laudis ei nascatur, qui prognatus est à laudatis parentibus, adeoque à laudata patria procreatus, haud aberit fortassis hac parte paucis, & quidem velut per transennam, meminisse patriæ progenitorumque Erasmi Roterodami, quanvis ipse vivens adhuc, verus Theologus & homo dei verus, nihil sibi laudis ad id genus laudibus alienis ambire solitus fuerit ob rationem, quam paulo post edemus.

Tametsi autem propter & amabiles & prorsus eximias Erasmi virtutes, & ob ipsius incomparabiles animi dotes, Germani & Galli, duæ præter alias toto terrarum orbe gentes facile laudatissimæ, ita jam pridem non secus decertaverunt utrius esset Erasmus, atque septem Græciæ quondam urbes de patria Homeri, nec aliter ob divum Martinum Hungari, Galli & Itali, cujatis ille esset, depugnaverint, ut cœperit à multis adpellari cum Germano Gallus, tum Gallo Germanus, nos tamen seposita sub judice lite non dubitamus ipsum magnum nostrum Erasmum sine controversia patriam habere Germaniam, omnium longe nobilissimam, & ejus quidem illum in ea fuisse nationis & provinciæ & civitatis, (cui Roterodamiæ nomen) quæ cæteris Germaniæ provinciis & insulis haud dubie non uno solum, sed multiplici nomine, & ita quidem longe præstat, ut quod de Roma quondam Virgilius dixit, vere possit etiamnum dici de Erasmi patria, sub his sane carminibus,

Verum hæc tantum alias inter caput extulit urbes,
Quantum lenta solent inter viburna cupressi.

Et

Et quæ est Erasmo patria? Nimirum Hollandia, quam Bataviam Veteres appellavere. Cujus olim gens non bello tantum valida fuit & celebris, sed & pace & morum simplicitate & sinceritate sic commendata, ut ejus nomen apud Epigrammatarium in adagion abierit, quo Auris Batava pro aure agresti, ineleganti, severa, tetricaque usurpari consuevit: apud optimos quosque non obscure significans, ipsos Batavos, seu mavis Hollandos, plurimum habuisse cum integris illis Lacedæmoniis, cum priscis illis Sabinis, & cum laudatissimis illis Catonibus adfinitatis. Atque sane si vel in hodiernam diem mores Hollandorum domesticos spectemus, vix aliam gentem inveniemus ad humanitatem, ad benignitatemque, propensiorem, nec erudita pietate & pia eruditione spectatiorem, nec serpentina prudentia providentiorem, nec columbina simplicitate laudatiorem, nec ab insidiis & fucis alieniorem, remotioremque. Cujus utique de illa rarissimæ laudis unus in seipso poterat esse testis, & archetypus infallibilis, Erasmus noster Roterodamus, qui tam erat (experti loquimur) cum singulari prudentia simplex ac sincerus, ut etiam si quid voluisset inter amicos simulare, vel dissimulare, serio non potuisset, repugnante videlicet natura, tam promptus & alacer ad bene de omnibus merendum, ut etiam aliquoties indignis suam opem non negaret, liberalis in omnes, & maxime in bonarum literarum probe studiosos, & in eos domesticos, quibus erat domi res angusta & curta supellex. Fide vero tam candida fuit & incorrupta, ut in neminem poterat magis congruere illud, Dignus quîcum in tenebris mices, atque ut ipse fraudem nemini machinabatur, ita de nullo tale quicquam suspicari poterat, etsi non raro delusus, quemadmodum ipse quoque in suis passim epistolis tam vere quam pie conqueritur. Quid multis? Tam profecto candidus omni ex parte, tamque sincerus erat Erasmus noster, ut poeta * longe rectius de ipso quam de Deciano scripsisse videri queat,

Si quis erit raros inter numerandus amicos,
Quales prisca fides, famaque novit avos:
Si quis Cecropia madidus, Latiaque Minerva
Artibus, & vera simplicitate bonus:
Si quis erit recti custos, imitator honesti,
Et nihil arcano qui roget ore deos:
Si quis erit magna subnixus robore mentis,
Dispeream, si non hic vel Erasmus erit.

De præstantia vero parentum progenitorumque magni Erasmi Roterodami, quid attinet plura dicere? quos satis abunde constat ita fuisse generosos, quia tam generosam nobis ediderunt prolem, ut cum maximo vate † ad ipsum Erasmum merito cogamur exclamare,

—— ô qua te tam læta tulerunt
Secula? qui tanti talem genuere parentes?

Non possumus etenim non illius genitores fuisse probatissimos & præstantissimos judicare, quod tam probum, tam sanctum, tamque undecunque præstantem filium genuerint & educaverint, quum veritas ipsa ejusmodi judicium tam manifesto comprobaverit, adserens arborem ex fructu cognoscendam, & eam esse arborem oportere bonam, quæ fructum gignit bonum. Quæ & propterea vocem mulieris, Spiritu Sancto actæ, & de turba proclamantis, *Beatus venter, qui te portavit, & ubera, quæ suxisti*, non renuit, sed ejus prædicationem perfecit, inquiens, *Quinimo*. Atque nimirum tales hic tanti filii fuerunt Erasmi parentes, ut si ipsi per se minime clari extitissent, ipsi tamen tanti filii præstantia cæteros antecellere meritis longe potuissent. In quorum laudibus vel proinde non immoremur, ne peccare videamur in ipsum Erasmum, qui non ex Majoribus, sed ex sese ac propria virtute nobilitatem (quæ vera nobilitas est) sumendam duxit, quippe turpissimum censens, ut suum homo decus & ornatum extrinsecus ab aliis quæreret ac mutuaretur, quum bruta etiam animalia non aliunde quam ex seipsis probari soleant. Quid enim ad nos majorum virtutes ac bona, si nos ignavi fuerimus ac socordes? Id quod inter cætera, quæ suo loco requirenda sunt, ipse Satyricus * in eum, qui gloriatur in majorum suorum nobilitate, quam ipse, quia vitiosus, sit ignobilis, invehens, satis aperte versibus subsequentibus arguit,

Stemmata quid faciunt? quid prodest, Pontice, longo
Sanguine censeri? pictosque ostendere vultus
Majorum? & stantes in curribus Æmilianos?
Si coram Lepidis male vivitur, &c.
Tota licet veteres exornent undique ceræ
Atria, nobilitas sola est atque unica virtus.
Prima mihi debes animi bona: sanctus haberi,
Justitiaque tenax factis, dictisque mereris.
Plance, tumes alto Drusorum sanguine, tanquam
Feceris ipse aliquid, propter quod nobilis esses.
Dic mihi, Teucrorum proles, animalia muta
Quis generosa putet nisi fortia? &c.
Malo pater tibi sit Thersites, dummodo tu sis
Æacidæ similis, Vulcaniaque arma capessas,
Quam te Thersitæ similem producat Achilles.
Et tamen ut longe repetas, longeque revolvas
Nomen, ab infami gentem deducis asylo.
Majorum primus quisquis fuit ille tuorum,
Aut pastor fuit, aut illud, quod dicere nolo.

Nonne igitur summa nostri Erasmi laus est & gloria suorum parentum maxima, quod ipse summa cum laude suis majoribus ita virtute præluxerit, ut hac etiamnum caussa videri possit haud minor vel Tullio Hostilio, vel Tarquinio Prisco, vel Tullio Servio, vel Varrone, vel Demosthene, vel Cicerone, vel id genus, utcunque regibus, qui perobscuro nati loco, clarissimi suis aliquando virtutibus evaserunt, atque ob id vulgo novi homines adpellati. Quid? quum rem paulo diligentius nobiscum disputabimus, certo cognoscemus ipsum Erasmum Roterodamum usque adeo nihil à suis progenitoribus degenerasse, ut etiam quamlibet præstantes non modo suis virtutibus superaverit, sed & earum eximio splendore non aliter propemodum (sine tamen illorum dedecore) obfuscaverit, atque summus ille quondam sacerdos & rex Salem Melchisedech, qui pene non ex dissimili conjectura dictus est neque patrem, neque matrem, neque genealogiam habere. An (obsecramus) vulgaris hæc illa sit Erasmi laus & gloria? Minime, sed omnium facile rarissima, nimirum sole clarius arguens Erasmum sic virtute laudatum, adeoque fuisse illum inculpatæ vitæ, ut is juxta proverbium, etiam cum veritate potuisset τῷ μώμῳ ἀρέσκειν, qui tamen in Venere, quod reprehenderet, invenit. Ad cujus summæ testimonium laudis accedit & hoc argumentum æque validum, quod Erasmus ipse noster ad ineffabilem suam eruditionem, mirabilem morum attulerit innocentiam, divinamque sapientiam cum pari eademque stupenda eloquentia conjunxerit, ut qui non modo vitam ab omni dedecore longe lateque conservaverit, verum etiam famam, quæ dudum de ipso nusquam non terrarum celeberrima percrebuerat, nulla unquam sinistri rumoris labecula adsperserit, cum in illud alioqui genus viri omnino rari extiterint, quorum virtutes & disciplinæ non aliquo vitiorum confinio læsæ fuissent. Fuit olim Socrates Apollinis judicio sapientissimus omnium, sed idem de iracundia & libidine nefanda non immunis. Plato tam à nostris etiam commendatus, ut divinus ab eis nuncupari soleat, sed idem de simili libidine, de gula, deque adulatione plurimum notatus est. Aristoteles (quod satis constat) ab omnibus est philosophorum princeps habitus, sed qui pariformiter de libidine, de adulatione, deque avaritia taxatus à non parum multis. Sileo interim Speusippum, Zenonem, Ana-

* Martialis *lib.* I. *epigr.* XL. † Virgilius *lib.* I. *Æneid.* ℣. 610. * Juvenalis *sat.* VIII. ab initio.

Anaxagoram, Aristippum, Demosthenem, Ciceronem, Virgilium, idque genus alios, qui non tam probi quam docti fuere: sed quorum virtutes & scientiæ vitiorum adfinitate pessum prorsus iverunt. De quorum numero conditioneque tam fuit alienus noster Erasmus, quam fuerit ipsius religio ab istorum superstitione remota: nimirum cui tanta omnium virtutum concordia, tantus omnium laudum concentus omnisque gloriæ contigerit, ut nihil severitati ejus hilaritate, nihil gravitati simplicitate, nihil majestati humanitate, detractum fuerit unquam. Cujus etiam Deus Maximus naturæ conditor adeoque per ipsum natura non obscurum in ipsius etiam corporis Erasmi lineamentis typum reliquerat, utpote cui natura eam dederat staturæ mediocritatem, ut hoc de ipso Erasmo Statii non immerito dici poterat,

Major in exiguo regnabat corpore virtus.

Eam præterea dederat virilem venustatem, ut de eodem dici poterat hoc Maronis,

Gratior est pulchro veniens è corpore virtus.

Ea enim justa illi sine aliquo vitio statura erat, is in corpore habitus, is honor capitis & dignitas oris cum mira quadam majestate conjuncta, ut putasses non de Ænea, sed de Erasmo scripsisse Virgilium, sic canentem,

Os, humerosque Deo similis: namque ipsa decoram
Cæsariem nato genitrix, lumenque juventæ
Purpureum, & lætos oculis adflarat honores:
Quale manus addunt ebori decus, aut ubi flavo
Argentum, Pariusve lapis circundatur auro.

Id verum esse testari potest quicunque propius illi cum judicio loquutus est. Nec enim hactenus audivimus, quem cum Erasmo loquentem, non illico prima frontis ipsius, & oculorum, & cujusdam Herois majestas non aliquo modo conterruisset. Quæ præterea sic singulari quodam modo Erasmum temperaverat artifex optima philosophia, ut ejus esset moribus neque gravius, neque integrius, neque suavius. Nec arbitramur potuisse quemquam tam esse ab omni sensu communi alienum, quem non illius humanitas admirabilis & gravitas, cum comitate pulcherrima condita, demiratione quadam cepisset, quique non magis ac magis Erasmum videre & exosculari cum jactura etiam aliqua desiderasset. Quod & ipsius non potuit non esse virtutis & laudis argumentum minime contemnendum. Si enim divus ille, atque idem verebarbatus, Hieronymus, vel hac una ratione Titum Livium non illaudatum, nec ei fuisse virtutis testimonium minimum censeat, quod ad eum, de ultimis Hispaniæ Galliarumque finibus, Romam nonnulli nobiles venerint, ut coram viderent, quem ex libris, quos conscripserat ille, noverant: & quos ad contemplationem sui Roma non traxerit, unius hominis forma perduxerit. Quam Erasmum nostrum Roterodamum majus censemus & laudis amplioris quam T. Livium, quantumvis lacteo eloquentiæ fonte manantem, testimonium habuisse, quod ad ipsum non solum ex Hispaniis & Galliis, sed & ab ultimis totius orbis terræ finibus & Basileam, & Friburgum, & ad reliqua loca, ubi is pro tempore morari contigit, nec aliquot solum nobiles venerint, verum etiam summi totius orbis Monarchæ, nimirum Pontifices, Imperatores, Reges, Cardinales, Episcopi, Archiepiscopi, Duces, Reguli, Barones, & innumeri propemodum id genus Principes, Proceres, Magnates & Satrapæ variæ professionis, qui plærique omnes, aut per seipsos coram, si quoquo modo commode potuerunt, aut per excellentes Oratores ad eum non modo venerunt, sed & ipsum religiose propemodum salutaverunt, nec solum salutarunt, sed & uti regem quempiam maximum ita sane muneribus amplissimis venerati sunt, ut illum isti sine controversia in omni virtutum disciplinarumque genere doctissimis quibusque longe prætulerint, nempe rati ætatem, quam agerent, vitam, quam spirarent, se lucrifecisse, quod illum Erasmum, illud illud numen vidissent, quo doctiorem nulla ætas habuisset, nec qui ipsum divinis humanisque doctrinis, & admirabili eloquentia, præiisset, imo quem non secus haberent atque semideum de cœlo lapsum, non in terra natum. Cujus insuper illi doctrinarum studiis plus exhibuerunt honoris & decoris quam vel à Syracusanis Euripidi poetæ, vel à Dionysio tyranno Platoni, vel ab Alexandro Pindaro, vel à Cn. Pompejo Magno liberalium artium Rhodi Professoribus, vel à Ptolomæo septuaginta Senibus Bibliacæ historiæ scientissimis, vel ab illo unquam mortalium ulli mortalium est exhibitum.

Nec immerito quidem, quoniam illi ipsum suo de eo judicio minime falsi tantum noverant ex ejus libris plus quam piis & eruditis, quantum noverant alium plane neminem. In cujus sane scriptis non est ejus minimam laudis, virtutis, vitæque partem nosse, quum non possit ex abundantia cordis lingua non loqui. Si enim spectemus illius librorum multitudinem, non falso dixerimus ipsum multo præstare, non tantum Varroni, qui tamen, Fabio teste, omnia pene tradidisse fertur, sed & magno illi Theologo Origeni, cujus tamen sena millia librorum legisse se D. Hieronymus scribit, vir vel majore fide dignus. Nec enim dubitaverimus Erasmum plura scripsisse quam quispiam ex aliquot eruditioribus unquam legerit, qui vel unus ingenii felicitate Bibliothecam unam, quamvis ingentem, potuit implere, quum aliorum studia Bibliothecas ac per partes compleverint. Hujus rei testis esse poterit multo locupletissimus illius librorum Catalogus, pridem editus, cui tamen interea non parum multi alii libri accesserunt. Siquidem Erasmus ille noster tam habuerit extremam ætatem parem susceptis laboribus, viribus, judicio, memoriæ, ut illi numerus annorum non solum nihil abstulerit, sed etiam auctoritatem multo majorem pepererit: unde factum, ut non minus operose septuagenarius vel ætate multo etiam provectior exercuerit literarum, inprimisque divinarum, studia, quam juvenis media ætate fecit: nihil hoc quidem casu cedens nec Isocrati, quantumvis ipse quarto & nonagesimo anno vitæ librum ediderit, quem Panathenaicum inscripsit, nec Gorgiæ Leontino, quamvis & ipse centum & septem annis proximus ab opere studioque nihil ne cessaverit.

Si deinde varietatem rerum, de quibus Erasmus ipse plus quam copiose & digne scripsit, consideraverimus, indubie nullus ad eum fuerit Cornel. Celsus, etsi ipse non solum de omnibus ferme artibus scripsisse, verum etiam sic amplius rei militaris, & rusticæ quoque & medicinæ præcepta reliquisse tradatur, ut eum illa scisse omnia voluerint. Quæ enim Philosophiæ pars est, aut cujus rei facultas, in qua non ita versatus sit, & de qua non ita feliciter & absolute scripserit Erasmus, ut in ea sola versatus esse & scripsisse videri queat, & ita quidem videri, ut omnes in eodem quoque scribendi argumento multum longo post se intervallo reliquerit: quippe, volens nolens aliorum scripta nobis obfuscans, insipidaque reddens.

Postremo si rectitudinem, sique veritatem eorum, quæ scripsit & edidit, spectemus, non minorem oportet illum fateamur Basilio, quem tam vita quam doctrina sancta cognomine magni præinsignivit, etsi ille tantæ, apud Græcos præsertim, auctoritatis extiterit, ut ejus scriptis nullus unquam, vel quamlibet sciolus arrogans, in aliquo contradicere ausus fuerit, ut qui inibi, Nazianzeno teste, in nullo nec verbo, nec sensu erraverit unquam. Quia enim Erasmus ille magnus olim scripturus ex animo procul dubio juxta Solomonem precatus est, *Det mihi Deus ex animi sententia loqui, & quæ dico digne cogitare:* solus pene

ne omnium nostra, patrumque memoria tantam suis est adeptus scriptis auctoritatem & fidem, ut ejus monumenta literaria tam sint vel hodie toto terrarum orbe clara & celebria, ut nemo sit ex intelligentibus, qui vel sapere, vel de rebus divinis aliquid intelligere cupiat, quin ea sic in manibus habeat, ut manu juxta verset nocturna atque diurna. Nec mirum quidem, quando quisque adfatim illic quasi in quodam cornucopiæ & promptuario materiam ad ea, quæ cupit, adsumit, sive ad exercitationem Encomia faciat, sive ad consulendum, sive ad deliberandum, sive ad Hæreticis respondendum veniat. Quid ni? Quem enim existimemus esse omnino librum, seu veterum, seu recentiorum, quem ille non evolverit, non introspexerit, non imbiberit? Quinimo cui & arcana illa, quæ vere pium & sanctum reddunt hominem, non fuisse vulgariter observata videmus. Dignus propterea Erasmus, ut ejus opera, nulli satis unquam mortalium laudata, vel Max. Pontifex ipse Bibliothecis omnibus haud aliter consecret, atque Tiberius olim Princeps, Parthenii, Ariani, & Euphorionis, trium videlicet insignium Poetarum carmina & imagines inter vetustia & illustria vatum nomina Bibliothecis universis religiose propemodum dicavit.

Nec id quidem quandoque futurum dubitamus apud eum, qui sua dudum sacrosancta auctoritate doctrinam Erasmi, sic modis omnibus approbavit, ut ipse merito quasi Plato quispiam esse possit ac debeat Erasmo, ceu cuidam Antimacho, instar omnium contra nonnullos, & maxime quidem, qui se titulo Ecclesiastico venditant, quum nihil minus sint quam Ecclesiastici, nimirum, non aliud quam porci, quorum Deus venter est, & plane numerus & fruges consumere, & vina perdere nati, peccata hominum in peccato comedentes, nihil nec legentes, nec intelligentes, in patina, non in pagina, diu noctuque versantes. In summa, totius publicæ honestatis, omnis virtutis & doctrinæ hostes impudentissimi & perniciosissimi, qui vel defunctum magnum illum & incomparabilem virum Erasmum, quo nunquam digni fuerunt, imo quem nec noverunt, nec vel scripta illius legerunt, vel nec intellexerunt, vel nec viderunt, Hæreticum & (nescimus quem) Lutheranum spurcido ore deblaterant & oggamiunt, eum scilicet Lutheranum magno cum Lutheri laudis æternæ præconio: intelligentes eum, qui, Deo jubente, detestatur & corripit ex officio ipsorum inscitiam, crapulam, bibitionem, scortationem, avaritiam, superbiam, & id genus istorum vitia ac scelera tam nefanda quam multa, quibus ipsi universum ferme orbem sic impune scandalizant, ut & inter eos, si qui sunt, boni propterea male audire cogantur.

Sed non est, ut ab istorum maliciosa obtrectatione magnum illum Erasmum nostrum quoquo modo vindicare connitamur, cum ille ipse doctissimis suis scriptis, & divinis suis virtutibus & dotibus nunquam satis admirandis, contra istos Analphabetarios, ita se potenter omni momento vindicet, ut nulla nobis videtur contra eos indigere defensatione. Siquidem longe major noster sit Erasmus in omni virtutum genere, quam ut possit alicujus vituperatione minor reddi, quem inter alia complura pietatis, eruditionis & virtutis irrefragabilia testimonia, tot hominum incorruptissima judicia ab omni contemptu vindicant, quorum alios vitæ sanctimonia, alios insignis eruditio, alios fortunæ splendor, alios Ecclesiastici muneris dignitas, quosdam hæc omnia sic commendant, ut vel nos ipsi mallemus ab illis cum censura humanitatis contemni, quam ab istis blateronibus laudari, quorum laudatio, quum certe sit peccatorum, usque adeo nobis esse nequit speciosa, ut nihil turpius censeamus quam ab hujuscemodi malis, nulliusque bonæ frugis hominibus laudari, quippe quorum laudatio est vituperatio, vicissimque vituperatio non est aliud apud optimos quosque, quam laus & gloria. Idque in primis in Erasmum ipsum vere magnum Heroem competere minus ambigimus; quem doctissimi, optimi & in suo genere maximi, quique ita laudatum testati sunt, & posthac procul dubio testaturi, ut ejus habeatur laus ac vita superior omni laude & commendatione, cujus etiam virtutibus oratio sit omnibus inferior.

Ad cujus supremam denique laudem & gloriam sine controversia plurimum facit iniqua quorundam lividorum malevolentia, & livida ipsorum obtrectatio, propter quam noster nunquam satis laudatus Erasmus duas profecto res admiratione dignas, & à seipsis ex diametro distantes, plane divinitus est in terris adhuc vivens adeptus, quas vix ulli mortalium, eo quidem modo, præterquam uni invictissimo Cæsari Augusto, contigisse credimus. In primis enim expertus est ille invidiam (quæ continua virtutis est æmula, & comes veræ felicitatis, solidæque laudis individua) nisi morte non posse domari. Id quod ipse cum optimis & laudatissimis quibusque commune habuit, & in primis cum quinque maximis Heroibus, Romulo scil. Libero, Castore, Polluce & Hercule, de quibus ita scribit Poeta:

Romulus, & Liber pater, & cum Castore Pollux,
Post ingentia facta, deorum in templa recepti,
Dum terras, hominumque colunt genus, aspera bella
Componunt, agros assignant, oppida condunt:
Ploravere suis non respondere favorem
Speratum meritis: dirum qui contudit Hydram,
Notaque fatali portenta labore subegit,
Comperit invidiam supremo fine domari.
Urit enim fulgore suo, qui prægravat artes
Infra se positas, extinctus amabitur idem.

Deinde quod & ipse noster Erasmus eos adhuc vivens obtinuerit honores, quos cæteri, quantumlibet excellentes, vix post mortem adipiscuntur, & ante eum solus, quod sciamus, Imper. Augustus, ad quem proinde idem Poeta sic scribit:

Præsenti tibi maturos largimur honores,
Jurandasque tuum per nomen ponimus aras.

Agite igitur, agite ô reges, ô principes, ô proceres, ô plebeji, & ô denique vos cæteri plerique omnes, qui Christiano nomine censemini, qui non sine summa, eademque sempiterna, laude vestra magnum illum ERASMVM vestrum, pridem in terris adhuc agentem, modis quibus oportuit omnibus honorastis & amastis, eundem quoque nunc in cœlis dubio procul viventem honorate & diligite: nec gravemini, nec dedignemini vos esse eos ostendere, qui quum laudari non ineptum putatis, ideo laudanda facere non desinitis. Jam vero quî possit vestra laus, vestra pietas, omnis denique virtus vestra laudabilius & gloriosius coram Deo & hominibus elucescere, magisque vere probari, quam in eo ipso honore, qui exhibetur à vobis in ipsum, cujus æque preciosa fuit mors, atque vita plane sancta, quum nequeat male mortuus esse, cujus bona præcessit vita, quocunque etiam ille vel modo, vel loco, vel tempore moriatur.

Absit autem, absit quoquo modo, simus ingrati ejus nomini, quod omnium seculorum memoria dignissimum est, etiam post mortem, quod fortasse perfidissimi quidam adsolent, obstrepentes, virumque in Domino vere defunctum maledictis insectantes. Id quod haud sit aliud quam cum larvis luctari, qua re vel una nihil esse possit hominibus Christianis aut indignius, aut detestabilius. Quod certe major esset & ingratitudo contra plus quam bene de nobis omnibus meritum Erasmum multo nefandior, quam fuit Atheniensium quondam in Socratem: cui illi, recepti beneficii immemores, pro Attica juventute sancte sapienterque instituta, venenum rependerunt. Nonne multo scelestior in ipsum esset Erasmum ingratitudo, si vel

vel post sanctissimum ipsius obitum pro tam nunquam aestimandis laboribus, sudoribus, vigiliisque, quas juvandi duntaxat animo suscepit, & quibus nullo unquam tempore par gratia referri possit, calumnias rependeremus, & contra divinam veritatem obtrectationes iniquissimas, & quidem nos Christiani, ad quos potissimum illius laborum rediit utilitas.

Etsi vero in omnes, à quibus quicquam manat beneficii, convenit esse gratos, in nullos tamen aeque par est gratos esse, atque in eos eruditos & pios homines, qui dispendio rei pecuniariae, cum jactura voluptatum, cum certissimo quoque valetudinis ac vitae suae detrimento, totis in hoc viribus tam legendo quam scribendo, tam dicendo quam disserendo, & hoc genus aliis modis incumbunt, ut ingenii sui monumentis literariis non uni urbi, sed toti orbi consulant. Qualis sine omni exceptione, non potest non fuisse unus ille magnus Erasmus Roterodamus, de nobis longe melius, quam Socrates olim de Atheniensibus, meritus, quando ille unius tantum civitatis Atheniensis juventutem prophanis artibus, hic vero totius orbis universam omnis sexus aetatem, non tam prophanis, quas & ipse supra quam dici potest egregie, & quidem absque exemplo praestitit, quam sanctis & iisce nimirum Euangelicis disciplinis, summa fide & diligentia, & ita quidem feliciter instituit, ut ejus non aliter atque veri cujusdam Apostoli (qualis certe fuit) summo cum fructu in omnem terram sonus exiverit, & cujus verba in fines orbis terrae penetraverint. Quis enim (obsecramus) hoc nostro prior Erasmo notat certo, vel Graece vel Latine nobiscum respondere, vel de sacris & Euangelicis, vel de prophanis literis, quas tamen propter virtutem, quam habent, & bonas, & humanas haud immerito nuncupamus.

Quis etiam est (ut uno denique verbo de singulis & omnibus quaeramus, & respondeamus) qui sub haec praesertim novissima tempora veritatem ipsam Euangelicam sacrosanctam ex Cimmeriis illis tenebris eruit felicius, & margaritam illam preciosissimam, in agro absconditam, prudentius ac laetius invenit, & eam deinde omnibus magis gratuito contulit? Nonne Erasmus? Quis praestitit, quod hoc tempore stivam tenens arator, aliquid ex Euangelio meditatur? Nonne Erasmus? Quis in caussa, quod textor assidens telae, nonnihil ex Euangelio modulans soletur laborem? Nonne Erasmus? Quis docuit nauclerum adfixum clavo, ex eodem aliquid cantillare? Nonne Erasmus? Quis dedit, ut nunc & iterum Apostoli variis linguis Euangelion, denuoque magnalia Dei toto quidem orbe loquuntur? Nonne Erasmus? Quod si perfricta fronte negare perrexerimus, certe nos mendacii convincet impudentissimi veracissima posteritas, quae superato malevolorum in Erasmum livore, qui semper virtutem & gloriam comitatur, vero verius protestabitur, nos ita plerosque omnes debere Erasmo omnia, ut pares à nobis illi nunquam sint relatae gratiae, ut qui nihil ei non per omnia debeamus. Si rex ille Macedoniae Philippus, vel hoc uno nomine, sibi suoque filio Alexandro tum nato gavisus est, diisque gratiam habuit, non perinde quia natus esset sibi filius, quam pro eo, quod eum nasci contigisset temporibus Aristotelis, quoniam fore speraret, ut abs illo sic educaretur & erudiretur, ut se suarumque rerum dignus existeret successione: quam putamus gaudere nobis debeamus, Deoque Maximo gratias agere, quod nobis nasci vivereque dederit temporibus Erasmi, cujus operibus ita doceri possumus in omni pietate, ut & ipsi Deo Maximo, & ejus unigenito Jesu Christo digni simus. Si praeterea rex ipse summus, Jesus Christus, suos ob id Discipulos esse beatos adfirmavit, quod ipsum viderent & audirent, quem tot, tamque praecellentes, & reges, & prophetae videre & audire desiderassent, nec sui tamen voti compotes facti essent, ô quam nos oporteat esse dicique ter quaterque beatos, qui nunc opera solius secundum Deum Erasmi Christum optimum aeque videmus & audimus atque illi, utpote quibus in sacris Literis, quas nobis Erasmus plurifariam provexit & illustriores reddidit, efficacius propemodum, quam quum inter homines versatus est, vivit, spirat & loquitur, modo oculos & aures adferamus, quibus ille cerni & audiri possit.

Jam vero (ut jam tandem portum, quo tendimus, attingamus) quoniam Discipuli Christo, & Discipulis una cum magistro optimo, majores illi nostri pro beneficiis acceptis usque adeo non fuerint ingrati, ut illis praeter alia gratitudinis signa, post obitum etiam aras, templa, imagines, oratoria, sacella, epitaphia, encomia, statuas, & hoc genus vera post mortem pietatis monumenta, & ante divinitus actae vitae testimonia, perpetuo honore decreverunt: cur ipsi tam ingrati nollemus magno illi Erasmo, qui per veram pietatem, & de nobis bene merendi voluntatem, non eminus illis, verum cominus accessit, non aliquam ipso, tanto scil. viro, dignam fovere memoriam, & gloriam illi defuncto piam deferre, quam viventi non negavimus? maxime, quod longe praestiterit, hominem post mortem laudare, quum nemo sit ante mortem vere beatus, qui nec possit ante obitum sine periculo laudari. Nec interim est, quod illi tanquam cuipiam, qui publico totius Ecclesiae decreto sit in coelitum numerum relatus, sitas positasque statuas velimus, sed eam duntaxat illi nobiscum haberi, quam meruit, memoriam peroptamus, quae nobis aeque sit atque illo digna apud posteros futura, apud quos propter tam infinita, quam memoratu plane digna, ipsius opera dubio procul vivet, & quidem latius in memoria hominum & sermone versabitur, postquam ab oculis recessit, nihil omnino pensi habens eorum campanas, quorum memoria, velut ait Propheta, cum sonitu transit, indigni nimirum, de quibus aliqua fiat apud homines cum laude mentio, qui nihil, dum vivunt, laude, memoriaque dignum faciunt, quos constat in oblivionem abiisse apud Deum, cujus & ipsi viventes adhuc non obliviscuntur modo, sed illum pessime vivendo & nesciunt, & negant, cum impio dicentes, *Non est Deus*, &c.

Ex quorum sane numero tam non fuit magnus ille noster Erasmus, ut nihil aeque fecerit unquam, atque quae digna sunt memoratu, quique totus fuerit in eis, quibus Deus ipse Max. indies magis ac magis in omnium pectoribus illucesceret, agnosceretur que. Quod igitur illi quandam velimus memoriam apud nos habendam, non tam propter illum, qui nullius fuit unquam sui caussa memoriae adpetens, (quanquam virtuti debeatur ipsius ulla) quam propter nos volumus, ut illius videlicet memoria nobis posterisque nostris suggerat, quod statuae illae quondam cereae solebant, instillare Romanis minoribus. Qui quum Majorum imagines (uti Sallustius scriptum reliquit) intuebantur, animi ipsorum vehementissime ad illorum virtutes & laudes incendebantur. Id quod ipsis certo non cera illa, neque figura praestabat, sed memoria rerum à majoribus praeclare gestarum tantam flammam suscitabat in cordibus eorum, quae prius sedari nequivit, quam virtus eorum famam atque gloriam adaequasset. Id ipsum profecto & quidem longe plus poterit nobis de magno Erasmo memoria praestare, in quo tot splendidissima totius virtutis exemplaria, tanquam clarissima in coeli firmamento sydera, videre volentibus effulgent, quae nobis vel sola praelucere possunt ad lumen illud inaccessibile, in quo nunc habitat lumen illud ad revelationem gentium, & gloriam plebis Israel à coelesti Patre datum, quod illuminat

omnem hominem venientem in hunc mundum, quo discessit haud dubie Erasmus noster, qui tantopere, dum viveret, illustrare studuit hoc ipsum splendoris æterni lumen, quo sedentibus in tenebris & in umbra mortis perpetuo luceret.

Hinc sane nobis quam acerba & immatura videtur mors magni Erasmi Roter. quod is semper aliquid immortale parare solitus fuerit, nulli voluptati deditus, nec in diem (ut solent multi) vivens, nec vivendi caussas unquam finiens, verum posteros cogitans, & memoriam sui & optimorum quorumque sic immortalibus operibus extendens, ut ei hæc mors non potuerit non repentina videri, quæ illi complura velut inchoata etiam abrupit. Cujus vel potissimum caussa nobis ex animo mœrendum, lugendum, flendumque censemus, quod amisimus, (heu dolor) amisimus unicum & longe maximum, non solum nostræ Germaniæ, sed totius orbis ornamentum & decus, & inauditum pene seculis omnibus miraculum, cujus obitu nihil potuisset hoc tempore vel calamitosius, vel incommodius, vel tristius universæ Ecclesiæ, quam brevi per universalem Synodum repræsentatum iri speramus, evenire. Lugeant igitur & lachrymentur omnis sexus & ætatis homines, quia morte nunquam satis lugenda & dolenda amiserunt virtutum omnium exemplar, quo vix ullum majus exortum, nec facile exoriturum majus est unquam. Lugeamus proinde & ploremus non illi, sed nobis: quandoquidem nihil ei morte sua, in conspectu Domini preciosa, mali contigerit, verum nobis & successoribus nostris ingentia videantur incommoda non sine summo luctu futura. Sunt itaque hæ omnes nostræ querelæ, de illo nihil plane dubitandum est, quippe qui miseras hasce terras, quæ fuerunt illo prorsus indignæ, cœlesti æternoque domicilio, quo semper adspiravit, summo lucro commutaverit. Cujus argumentum nobis facit longe certissimum Erasmi bene sancteque acta vita, tum quod omnia ea absolverit quæ Catholicum & Orthodoxum virum decent, qui mortem sibi imminentem multis admodum nominibus æque præscivit, atque constanter expectavit, & obivit, veluti fortasse non deerunt, qui posthac bona fide reddent, quæ nos hoc quidem tempore per occupationes & ægritudines, quibus ultra recentem ex ipsius Erasmi morte dolorem valde distinemur & angimur, digne præstare non potuimus; magnopere propterea efflagitantes, ut hanc nostram protrepticam & plane succisivis horis verius effusam quam dictam Monodiam boni consulatis, quicumque Christo Jesu nomina dedistis, quorum sane omnium nomine, ne simus ingrati, quicquid hujus est næniarum deploratum volumus pro magno illo Erasmo nostro Roterodamo, quem precemur & optemus bene beateque valere in Christo Jesu, in quo ipsum vita defunctum nequaquam dubitamus.

EJUSDEM.

Ille ego qui totum quondam virtutibus orbem
  In mea converti splendidus ora meis,
Quem stupuit fantem genitor Cyllenius heros,
  Quem metuit natum Pallas alumna suum,
Quem bene narrarunt passim juvenesque, senesque,
  Indigetem tanquam talibus esse virum,
Occido, cunctarum victrix Mors invida rerum
  Me quoque funereum fecit inire jugum.
Non tamen exitum sentit mihi nobile nomen,
  Nec venit in nostram jam simul illud humum:
Nescia concludit virtutis fama virentis
  Cum stabili durans sole coæva viget.
Nescia tot unquam meritorum gloria tolli
  Cum stabili durans permanet orbe mea.
Jam functum fovet ille Deus, quem viribus acris
  Ingenii totis vivus in orbe tuli.

GRATA POSTERITAS.

Ergo manes ævo nunquam violandus in ullo,
  Scimus virtutes, inclyte Erasme, tuas:
Non Pario mittis perituram marmore molem,
  Aut statuam Cyprio nobilis ære novam.
Sed moriens mittis decus ære perennius omni,
  Quod nullorum æquant ulla trophæa Ducum.
Livor edax fatis tandem saturata facessas,
  Et referat gratas mens bene culta vices.

N. OLAHI,

Pannonii Transylvani Thesaurarii Albensis Ferdinandi Sereniss. Rom. Regis, &c. ac Mariæ Reginæ à secretis & consiliis,

AD SEPULCHRUM ERASMI

ELEGIA.

Sollicita si mente cupis novisse viator,
  Frigidus hic cujus deprimat ossa lapis.
Siste gradum celerem, nostramque adverte querelam,
  Spe potiere tua, tu modo siste pedem.
Ut reor audisti divinum nomen Erasmi,
  Quo nihil hic noster notius orbis habet.
Is jacet hac tristi collapso corpore tumba,
  Spiritus at læta vescitur Ambrosia.
Ingenii specimen magnum puerilibus annis
  Præbuerat cunctis non sine laude viris.
Florida quum membris teneris adoleverat ætas,
  Tunc animi vires exeruere caput.
Hujus erat studiis crebris operosa juventus
  Dedita, dum volvit Biblia sacra manu.
Ut sapienti animo crevit, mentemque virilem
  Induit, hoc primum sydus in orbe fuit.
At pede cum tremulo subiit veneranda senectus,
  Perspicuum mundus vix capit ingenium.
Quæ vires minuit mentis provectior ætas,
  Omnia in hoc uno fertiliora dedit.
Cur animi referam claras ex ordine dotes?
  Nullius has certe lingua referre queat.
Sic virtute viros celsa præcelluit omnes,
  Sydera ceu cœli sol superare solet.
Omnia sic pure transegit tempora vitæ,
  Exemplum felix præstet ut ipse tibi.
Plurima sunt horum monimenta fidelia testes,
  Pectore quæ sancto scripsit & ingenio.
Hæc domini referunt vultus simulachraque viva,
  Ingenuos mores, egregiamque fidem.
Hæc rectum monstrant ad summa cacumina cursum,
  Astriferi cœli regna parata bonis.
Sed caussam quæris, quare mea lumina fletu,
  Et lachrymis rorent? Accipe pauca, precor.
Cæsar in occiduis ageret dum victor Iberis
  Carolus, hic mundi qui tenet imperium,
Magnanimisque soror Flandros, fortesque Brabantos,
  Imperio justo consilioque regit.
Tunc Basilea pio sedem servabat Erasmo,
  Nomine quæ regis sic vocitata fuit.
Jungebant animos nostros virtusque, fidesque,
  Suadebantque simul vivere, deinde mori.
Mutua de variis hinc venit Epistola rebus,
  Ad nostras ædes nunc reticenda mihi.
Magno etiam regina fuit devincta favore,
  Hujus præstanti scilicet ingenio.
Hæc ferventi animo, clarum cupiebat Erasmum
  Cernere, & usque simul verba referri sacra.
Tam gratum cunctis igitur mea littera quando
  Et monet, & charis sollicitat precibus.
Ecce suum reditum fuerat jam jamque futurum
  Pollicitus chartis pluribus ipse mihi.

At-

Atque etiam puri reticenda silentia cordis,
  Adscripsit digitis multa notata suis.
Jamque parabat iter socios invisere charos,
  Natalesque lares, & sibi dulce solum.
Invida sed Lachesis fatalia stamina rupit,
  Atropos & pressit fila resecta manu.
Quare non potuit conceptum absolvere votum,
  Sic volvente Dea, & sic statuente Deo.
Propterea gravibus teneor cruciatibus, & qui
  Solabar mœstos, nunc ego tristis ago.
Ergo erit ista dies atro signanda lapillo,
  Quæ tantum nostro dempsit ab orbe decus.
Heu mœstos fundant elegos, sacer ordo, poetæ,
  Flete simul Musæ, Pieridesque deæ:
Occidit ille senex, claris celebratus Erasmus
  Eloquiis patrum, decidit orbis honos.
O nimium felix essem, si fata dedissent,
  Cernere viventis lumina chara viri.
Quid juvat at lachrymis nostros augere dolores,
  Tundere & immiti pectora nostra manu.
Stamina cum filent tristes scindantque Sorores
  Obscuris pariter conspicuisque viris.
Nec datur immoti quenquam transcendere fati
  Limina, namque hominum stat sua cuique dies.
Quare age quisquis ad hunc tumulum vestigia tendis
  Lector, supremum hæc verba benigna refer.
Salve, perpetuumque vale, prælustris Erasme,
  Civibus æthereis adnumerate, Vale.

EJVSDEM.

Non fuit insigni præstantior alter Erasmo,
  Hoc Desiderio sole sub æthereo.
Sive quis ingenii rarum perpendat acumen,
  Numinis afflatu, quo decoratus erat.
Seu quis judicium cordato in pectore rectum,
  Justitiamque viri, & cum pietate fidem.
Omnibus is toto fulsit virtutibus orbe,
  Vivere dum parcæ sustinuere deæ.
Virtutis tantæ sunt docta volumina testes,
  Quæ scripsit summi non sine mente Dei.
Conditur hoc tumulo corpus, quod talia vivens
  Ediderat, mentem sed tenet ipse polus.

EJVSDEM.

Σήματι τῷ κεῖται τὸ νεκρὸν φρονέοντος Ἐράσμου.
  Αὐτὰρ ἔχει ψυχὴν οὐρανὸς ἀστερόεις.
Κλαίουσιν πάντες τούτου μόρον οἱ ἐνὶ κόσμῳ,
  Ἀλλά γε χαίρουσιν πνεύματ' ἐπουράνια.

IDEM VERSVM
per Craneveldium.

Conditur hoc tumulo corpus sapientis Erasmi,
  Atqui animam cœlum possidet æthereum.
Funus & hoc merito totus lachrymabitur orbis,
  At pia cœlestis gaudia cœtus habet.

PETRI NANNII
De Epitaphiis in Erasmum
ab Olaho conscriptis,
HENDECASYLLABON.

Ob doctos gemitus fideque plenos,
Et testes animi pii probique,
Quos tu flebilibus modis Olahe
Bustis eximii assonans Erasmi.
Affectu vario, sibique discors,
Lætatur pariter, doletque Erasmus.
Laudari volupe est tuis Camœnis,
Sed mœret lachrymis eas rigari,
Namque has Castalio liquore tantum,
Non fletu madidas tuo esse vellet.
Ut gratum ingenium est diserti amici,
Sic chari capitis dolor dolori est.

LIVINI PANAGATHI
ETEOSTICHON.

OrbIs gLorIa totIVs, deCVsqVe,
HoC qVIesCIt ErasMVs In SepVLChro.

STEPHANI PASCHASII.

Hic jacet Erasmus, qui quondam bonus erat mus,
  Rodere qui solitus, roditur à vermibus.

PAVLVS SCVTICAMASTIX.

Vidit ut in cœlis animam venientis Erasmi
  Franciscus dixit, cernis ut ille venit?
Ille ad nos venit, Thoma, percharus Erasmus,
  Hic certe est nostræ relligionis honos,
Iste reformator fuerat nostri Ordinis æquus,
  Sed quid profuerit nescio? quidve venit?
Hujus si scriptis monitus non vixerit Ordo
  Noster, mittemus, quem trepident, alium.

JOSEPHI A PINV
ETEOSTICHON.

LVstra peraCta VbI bIs septena reCenset ErasMVs,
  LVCIfera è terrIs CessIt In astra seneX.

DIDACI PYRRHI,
Lusitani.

Postquam importuno fato consumptus Erasmus
  Desiit humana conditione frui:
Romani periere sales, periere lepores,
  Et periere omnes delitiæ & Veneres.
Et periere novem decima cum Pallade Musæ,
  Et periit blandis gratia mista jocis.
Et sic unius perierunt omnia morte,
  O gravis, ô doctis mors lachrymanda viris.

EJVSDEM.

Si qua fuit lachrymis mors digna perennibus unquam,
  Si qua fuit doctis mors inimica viris.
Edite singultus, & pectore rumpite questus,
  Et multo indignas imbre rigate genas.
En jacet ille satis nunquam laudatus Erasmus,
  En jacet Hollandi gloria prima soli.
En jacet Eoo populo notissimus unus,
  En jacet occiduis notus & hesperiis.
En ille obmutescit olor, qui sæpe canoro,
  Sæpe sacro dulces fudit ab ore sonos.
En illa & Latiæ linguæ tacet unica Siren,
  En & Cecropiæ gloria prima tacet.
En tacet os Musis & Phœbo digna locutum
  Plurima, longæva non peritura die.
Et quod Castalio largos è fonte liquores
  Hauserat, en olidis vermibus esca datur.
Ingenium cujus vix unus ceperit orbis,
  Cujus in æternum fama superstes erit.
En dolor, en tacet, en parva requiescit in urna,
  En jacet Helvetiæ putre cadaver humo.
Si qua tamen multis lachrymis indignaque fletu
  Mors fuit, & doctis non inimica viris.
Hæc est illa quidem, nam quis dubitarit? Erasmi
  Hæc eadem siccis mors adeunda genis.
Ille patri charus, Christo charissimus, ille
  Divino afflatus numine Roterodamus.

Dum videt Europam belli fervere tumultu,
Dum nullum paci jam superesse locum.
Dum vocat audaces Gallos in prælia Cæsar,
Corpus humi linquens, ocyus astra petit.

EJVSDEM.

Ἀθάνατος σοφίαν, ζωὴν δὲ θνητὸς Ἔρασμος,
Ὧδ' ἐν τοῖς κόλποις κρύπτεται Ἐλβετίας.
Γαῖα μὲν οἰμώζει, μακρὸς συγχαίρει ὄλυμπος,
Αὐτὴ ὅτι στέρεται, αὐτὸς ὅτι μετέχει.

EJVSDEM.

Ἐνθάδε κεῖται ἀνὴρ θεῖος τελσέρασος Ἔρασμος,
Ψυχὰ δὲ τῶν μακάρων οἶκον ὄλυμπον ἔχει.

EJVSDEM.

Ecquis in hoc recubat tumulo? divinus Erasmus,
Ecqua super tumulo (fare age) Diva sedet?
Lingua Latina, graves quænam imo è pectore quæstus
Rumpit, scissa comas, & laniata genas?
Turba diserta virum, cedo hæc quænam altera turba est?
Ex Helicone novem cernis adesse Deas.
Phœbus ubi? lachrymis illic conturpat ocellos.
Proxima quæ Musis assidet? alma Venus.
Illa ne Lemniacis quondam deprensa catenis,
Dum jacet amplexu Martis anhela Venus?
Illa ne lascivos semper quæ curat amores?
Illa Cytheriaco de sale nata Venus?
An magis æthereo Venus hæc est orta tonanti,
Cui placet (ut fama est) non nisi castus amor?
Et quæ sola potest blandos donare lepores,
Innocuosque jocos, & sine felle sales?
Quam simplex comitatur amor, quam gratia nuda?
Hæc eadem est prorsus: quis puer ille, refer?
Hic? Desiderium, quemnam desiderat illum
Cui Desiderius nobile nomen erat.
Mitte pias lachrymas, quis enim, quis fructus in illis?
Excute singultus pectore, quæso, graves.
Stat sua cuique dies, gemitus nil profuit ulli,
Qui semel in campos venerit Elysios.
Imo age quæ tantas ciet hæc sine fine querelas?
Cur alata sedet? nec tamen inde volat?
Garrula fama comes vivo junctissima Erasmo,
Cur non defunctum deserit illa virum?
An quia mirifice vivum dilexit Erasmum,
Nunc quoque post obitum perstat in officio?
Imo quia paucos, aut nullos cernit Erasmos,
Nunc quoque post obitum hæc monumenta colit.
Sic est, fama tuum tumulum, doctrina libellos
Servat, ut æthereus te quoque Erasme locus.

EJVSDEM.

Quod bonus atque pius fueris, quod doctus, Erasme,
Τοῦτόγε τοῖς ἀγαθοῖς πᾶσι διὰ στόματος.
Quod non ipse tuos mores culpaverit unquam
Ζώϊλος, οὐκ αὐτὸς μῶμος Ἔρασμε neget.
Quod divorum auges numerum novus incola cœli
Δείκνυντο ἡ ἀρετὴ τοῦτο, τέος τε βίος.
Quod proferre parem valeant tibi secula nostra,
Μὴ νέμεσις ῥητοῖς, τοῦτο μὲν ἀδυνάτον.

EVSTATHII QVERCETANI.

Vt Musas, pulsa sub tartara doctus Erasmus
Barbarie, ingratis reddidit Ausoniis.
Ne se confectum Musarum nomine sævis
Morsibus aspiceret dilaniari, abiit.

JOANNIS SAPIDI,
Selestadiensis,

ERASMVS,

Sive

APOTHEOSIS ERASMI.

Si totidem linguas moveam, quot dicitur Argus
Luminibus quondam pastor Junonius usus,
Non illis tamen immensum memorare dolorem
Possem, quo mortem propter cruciabar Erasmi,
Ante mihi quam cœlesti medicamen ab arte,
Quod me momento totum reparavit, adesset.
Nam nisi sic mihi cavisset clementia divûm,
Aut mea membra sepulchrali jam sede locata
Putrerent, gratamque darent se vermibus escam,
Morte vel ex morbo nata, vel sponte petita:
Aut quod si neutra licuisset reddere vitam,
Et mihi perpetuo tristis ducenda fuisset,
Quis fons tam plenas scatebras eructat aquarum,
Quæ nostris sufficiissent ita largiter oclis
Materiam fletus, ut digne, rite, satisque
Hoc præmaturum, hoc & ineluctabile funus
Deflessem: præmaturum voco funus, an ille
Non æquo citius morti occubuisse videtur,
Aut magis atque infans mox ipso in limine vitæ,
Si quoque Nestoreum vixisset sæpius ævum,
Qui tot ob egregias dotes clarosque labores
Liber morborum debebat & esse senectæ:
Quin in quem penitus nil juris habere decebat
Omnia vastantes grassante tyrannide Parcas?
Ne quis forte putet, vitæ quod cursus Erasmi
Sat longus fuerit, ferri quia viderit ipse
Plus septem vicibus decies Hyperiona sursum
Ad testudinea octipedis curvamina Cancri.
Nunc, ope divina, quoniam me sentio rursum
Corporis & vires animi cepisse priores,
Et mea tam læto tentari pectora motu,
Quam non Icaris est Ithaco lætata reverso.
Nam citius dicto pelagi ceu rector, abactis
Ventis, composuit fluctus, solemque refecit,
Dum Phrygius Libyco rex jactabatur in alto:
Sic subito, mirum auditu, mirumque relatu,
Me quoque tempestas animi amandata reliquit.
Sic etenim procul omnis iniqua molestia pulsa est,
Vt paulo ante dolor fuerit non tantus, Erasmi
Excessus nunc est idem mihi quanta voluptas.
His igitur causis, & quod sum scribere jussus,
Et mihi visa soporato & commissa fideli
Exsequar officio. Vos qui miracula rara
Suspicitis rerum, nobis paulisper adeste,
Et simul attentas aures & jungite mentes.
Incipio, nec vos longo sermone morabor.
Ante diu mea mens & non insomnia vana,
Quam fierem certus, prædicere visa fuere,
Lux quod Apollinei longe clarissima cœtus
Juri naturæ jam concessisset Erasmus,
Luce sua orbatus, ceu solis lumine lumen
Dum crucifer vitam Servator morte redemit.
Ast ubi vera meas jam pervenisset ad aures
Fama, diem quæ supremum loqueretur Erasmo
Expletum, subito vehemens mea viscera terror
Invasit, seseque medullis miscuit imis.
Tantus erat luctus, quantus non torserat olim
Heliades, dum fraterna doluere ruina,
Et sua populeis mutarunt corpora truncis.
Aut Nioben, aut Halcyonem, quarum altera saxum
Induit, & placido nidum locat altera ponto.
Tres adeo noctes, & tot mea lumina luces
Munere Lethæi dulci caruere soporis,
Quemlibet aspernante cibum potumque palato.

Nox

Nox aderat cum concubio jam quarta silenti,
Cætera carpebant quo mollem animalia somnum,
Unus ego miser infando mœrore manebam
Pervigil, in solo prostratus membra cubili.
Tum mihi nescio num genius, natura vel ipsa
Invitos oculos somno sepelivit amico,
Demulcens grata mea corpora fessa quiete.
Ecce mihi simulachra trium sunt visa virorum
Ante torum, de se clarum diffundere lumen,
Suaveque divini pariter spiramen odoris
Reddere, & his plane totum complere cubile.
Quale jubar solis mundum jaculatur in omnem,
Mane ubi jam sese Nabathæis extulit oris.
Utque domum imbuerat quondam fragrantia nardi,
Quo tinxit mulier morituro tempora Christo.
Adstabant summi mihi majestate verendi,
Induti quorum nitidas duo membra lacernas
Arte fabrefactas, variantibus undique gemmis.
Horum alter medius, lævum medii latus alter
Claudebat dextra, roseumque ferebat amictum
Tertius, ornatum paribus pictumque lapillis.
Obstupui primo intuitu, licet omnia pacis
Signaque lætitiæ præ se certissima ferrent.
Tum senior, quem sanguineus vestitus obibat,
His male me trepidum verbis compellat amicis:
Ne timeas noster Sapide, hic (dextramque sinistro
Cum dictis humero medii est imponere visus)
Hic est ille tibi tantum defletus Erasmus,
Ob cujus te falsa tenet persuasio mortem,
Quum potius vera jam tandem luce fruatur:
Cui collata prior, quam te quoque vivere reris,
Nec non mortales vos creditis esse beatam,
Non tanti est, quanti, respectu corporis, umbra.
Quin etiam mortem, non vitam dixeris istam,
In qua tot miseros, & tanta pericula nullo
Fine premunt homines, non mille ego millia dico
Morborum genera infirmum vexantia corpus,
Non alia externis incommoda casibus orta:
Sed mala quæ fœdant pravis adfectibus intus
Captam corporeis tenebris & carcere mentem,
Fœdatam occidunt, occisam in tartara mittunt:
Vt sunt ira, odium, fastus, vindicta, libido,
Luxus, avaritia, impietas, & talia multo
Plurima, quæ non narrari præsentia poscit,
Et quæ sunt satis ex nostris tibi nota tabellis,
Quas passim ad varias olim transmisimus urbes.
Nam ne te jugis tua lamentatio totum
Viribus exhaustum frangat, solaminis ergo
Adsumus, affectuque ut te exoneremus acerbo
Pectoris, imprimis tamen ut quæ cernis & audis
Vulges, quo resciant terra & lætentur in omni
Quotquot Erasmiacorum aura vescuntur amicûm,
At tibi ne sit opus scitari, sponte fatebor
Ipse mea, quæ te non ignorare necesse est.
En ego sum Paullus multo sævissimus hostis
Illis, qui spreto ritu pietatis avitæ,
Legirupæ, ut rebar, dederant sua nomina Christo.
Sed prius is quam fulmineo me lumine cinctum
Horrentemque Damasceno prosterneret agro,
Atque aciem stimuli pungentem calce retuso
Ore suo grave sacrilegos culparet ob ausus,
Et divina Euangelicæ mysteria causæ
Divulganda mihi gentes mandaret in omnes,
Ex quo dicor earundem cognomine trito
Doctor: & hic (stantem extento simul indice monstrat
Ternum à se numero) sacrati nominis heres
Eusebio patre Dalmaticis prognatus in oris.
Huc ad te Rex syderea cœlestis ab aula,
Nos geminos testes pro divo misit Erasmo,
Hujus ut extremum possis differre per orbem
Indicio nostro præclaram numine sortem,
Quod sit ad Ambrosias epulas, Nectarque perenne
Admissus novus æterni conviva Tonantis;
Proximus accumbens gratissimus advena nobis
Inter & hunc & me medius, nos ordine quo jam
Coram stare vides, supera regione sedemus.
Hic, rursum digito ostendens Hieronymon, annis
Juxta me sedem tenuit plus mille, sed ultro
Nunc multum sibi dilecto concessit Erasmo.
Cur faciat, quid se moveat, respondeat ipse.
Ad quem sic docta tum Dalmata voce locutus:
Paulle docet nos res majoribus ipsa minores
Debere, & meritum deferre libenter honorem.
Esto locus fuerit, summi sapientia patris
Dum tulit, iste meus, sed postquam nomine major
Et meritis me surrexit, me cedere fas est
Illi, qui non nostra modo monumenta recepit
E tenebris, carie, mendis, squallore, situque:
Verum etiam multo jam lucidiora leguntur
Ejus ope insigni, quam quondam scripta reliqui.
Sed quid plura, fuit Christo crescente necesse
Hunc minui, qui velabat sua membra camelo.
His tacuit dictis: me rursum Paullus amœna
Fronte tuens inquit, Reliquum nunc accipe paucis,
Scis de sede satis cœlo, qua quisque locemur.
Nec lateat tamen hic horum te candida vestis
Quod sit certamen preciosi nobile præmi,
Quod de se victis per semet fortiter ipsos
Victores cum magnifico meruere triumpho.
Debellare alios, & dicere jura subactis,
Humano generi summæ est victoria laudis:
At qui se sibi subjecit, motusque rebelles
In se perdomuit, vir longe fortior ille est,
Quam si cuncta potens & inexpugnabilis idem,
Regna suo unius imperio submittat, ubique
Terrarum dominus, quas Oceanitidos undæ
Stagnantes campi sinuoso gurgite cingunt.
Hic nostris hunc in laribus sortitur honorem:
Quum vastatores hominum rerumque Tyranni,
Qui vincunt alios, at se vincuntur ab ipsis,
Sub Stygio pendant pœnas tortore perennes.
Sed quod ego sum purpureo velamine tectus,
Significat quos effudi pro nomine Christi
Sanguineos latices violenta morte peremptus,
Hinc hac veste tegor missum referente cruorem;
Quæ sors sola meis collegis absuit istis,
Dotibus in reliquis nullum discrimen habemus.
Porro quum pater omnipotens post multa laborum
Pondera sustentata piis pro rebus Erasmo,
Unde repurgato redierunt aurea mundo
Secula, jam rude donandum censeret, & ipsum
Cœlitibus socium cupientibus addere vellet,
Jussit lætitia totum se solvere cœlum,
Clarius & solito solem illucescere more.
Unde dies toto plus mense fuere sereni,
Hunc prius exueret quam pars obnoxia læto,
Et totidem simili micuere nitore sequentes,
Postquam stellantis rerum potiretur Olympi.
Nec mirum, quoniam eventus præsaga futuri
Signa animas plerunque solent præcedere magnas,
Membra relicturas poscenti debita fato,
Naturæque suæ subituras congrua regna.
Hæc mihi commemoranda, tibique scienda putavi,
Illius ut tempestatis non causa lateret,
Qua tantos vestro sensistis in orbe calores.
Finiit, atque loqui pariter mihi jussit Erasmum.
Is tali mox increpitans me voce profatur:
Quid sibi vult amens hæc comploratio nostri?
Quid te tot lachrymis, & tot malesane querelis
Conficis, & laxas crescenti frena dolori?
Aspice me, videor ne tibi sine munere lucis?
Aut magis è fœdo in vitam rediisse sepulchro,
Quum posui quod me corpus mortale tenebat?
Finge, quod ob capitale nefas me carcere vinctum
Eripiat quisquam, non tu gaudebis amicum
Carnificis fugisse manum, mortemque pudendam?
Cur

Cur non officium præstas jam plenius illud?
Cum de carceribus mille, & de mille cruentis
Carnificum manibus, mille & de mortibus hujus
Ereptus mundi, vitam nunc dego beatam,
Vitam delicias & cujus gaudia, nullo
Interitura die, linguarum quicquid ubique est,
Et fuit, est & venturum, non exprimet unquam,
Vitam nullius aut oculis aut auribus haustam,
Hoc quam more tuo, non me lugere videris,
Inque videre mihi sortem crudelis opimam.
Mortales si flere juvat vos lumine cassos,
Lumine vos ipsos vere deflete carentes,
Quorum miratur malus & complectitur error
Mortem pro vita, cæcas pro luce tenebras.
Pone igitur sævos luctus, mentemque resume,
Et gratare meis lætus successibus. Ista
Dicentis faciem miro fulgore coruscam
Rectis ac firmis oculis non ferre valebam.
Ut qui Phœbæo sua lumina dirigit astro,
Auricomis visum radiis diffusus hebescit.
Aut si quis manibus cuiquam situlave liquorem
Vel cinerem offundens oculare retundat acumen:
Sic aciem pupillarum nitor ille mearum
Cimmeria perstringebat caligine pressam.
Huic nihil, ut reliquis, respondeo; sum tamen una
Compellare viros his visus vocibus: O vos,
O vos, ô animæ felices, ducite me, me,
Ducite me comitem, laribusque adjungite vestris.
Gestio vobiscum positis decedere membris,
Atque frui minima vestrorum parte bonorum.
Paullus plura loqui prohibens me, protinus inquit,
Tempus erit, quo sydereos habitare penates
Continget tibi, sed nullis mortalibus istud
Scire datur, nisi selectis divinitus. Ergo
Tu fac unitriplex toto de pectore numen
Et quemvis hominem ceu te dilexeris ipsum:
Quæ duo totius nucleus sunt legis, ad astra
His itur ducibus, cœlique petuntur honores.
Dixit, & inter se collato murmure parvo
Nec mihi percepto, propius sunt cedere visi
Ad lectum, simul & manibus me tangere parcis,
Et sic sublatis oculis ad sydera fari.
Summe pater, qui cœlesti regione relicta,
Huc nos jussisti subito descendere lapsu,
Quæsumus, his nostris precibus clementer adesto,
Et famulo dignere tuo, languore fugato,
Quo misere amissum propter torquetur amicum,
Corporis atque animi subtractum reddere robur:
Utque pia te mente Deum colat, atque supremum
Post actum vitæ injuncto sibi munere functæ
Inter nos habitet pars non postrema tuorum.
Per Christum Dominum nostrum, qui tempus in omne
Cum sacro Deus est unus spiramine tecum.
Vix hæc orarant terraque poloque potentem,
Cum subito clare responsum est cœlitus, Amen.
His sic exactis, ter me super ore soluto
Vivificum misere halitum, totiesque figuram
Formarunt crucis, & fuit hæc vox ultima Paulli,
Jam reparate tibi, nostri jussique memento.
Meque valedicto, mox sese scindere visum
In geminas partes laquear, quo subter habebar,
Ut mare Erythræum quondam secessit in alta
Hinc illinc latera, & populo data regna petenti
Se siccum præbebat iter: sic grande per ampli
Os tecti tres sursum illos properare videbam.
Quos ego dum visu sequor, innumerabilis omnem
Alatus cœtus Geniorum personat auram,
Omnia demulcens hujus dulcedine cantus,
Gloria in excelsis tribuatur summa Tonanti.
Ecce beatorum quæ sit concordia fratrum,
Quam bona, quam jucunda, pio quam plena favore,
Qui terram juvat & cœlum cum talibus ornat,
Gloria in excelsis tribuatur summa Tonanti.

Hæc inter, mea magna quidem, sed nescio quænam,
Vox, celer & gestus & inenarrabilis illa
Admirandarum species & gratia rerum
Me somno excutiunt, oculis vigil omnia lustro,
Aureſque admoveo, visa atque audita requiro.
Et liceat nusquam superent, superare videntur,
Tam penitus infixa meis hærebat imago
Sensibus. Ast ubi jam tandem me colligo rursum
Extra se posito similem, & me, disputo mecum,
In me repperio nunquam dubitabilis ipso
Historiæ miracla fidem facientia certam.
Qualia Apostolicis Heroibus edita quondam,
Dum ferrent nova salvando mysteria mundo,
Primaque credendi jacerent fundamina Christi.
Nam quum perciperem turbantes pectora curas
Abstersas, rursusque suum persolvere corpus
Officium, & quo nil magis est optabile sanam
Plane cum sano conjunctam corpore mentem,
Tum memini Paulli quid verba novissima vellent,
Me mihi dicentis reparatum: scilicet ille
Adflatus, dictæque preces, & tactio nostri,
Me subito totum diro languore levarunt.
O mihi grata salus, niveoque notanda lapillo,
Quam non ulla potest hominum præstare medela:
Non minus ac si quis medica contenderet arte
Lazareos artus extinctæ reddere vitæ
Fœtentes, & bis gemina jam luce sepultos.
Proinde mihi jussis Paulli vellentibus aurem,
Lege & amicitiæ promptum faciente colendæ,
Qua mihi Erasmus, egoque fui conjunctus Erasmo,
Corripior mox è tepido mea corpora lecto,
Accipio calamum, tenebras extinguo lucerna,
Et mihi visa propagare & præcepta laboro.
Vos, age, qui passim spacioso vivitis orbe,
Quis fuit & nunc est venerabile nomen Erasmi,
Vera cano vobis, mihi credite vera canenti,
Ille hodie cœlo mortalia despicit alto.
Quem prius in terris igitur coluistis agentem,
Nunc cœli indigetem templo celebretis & aris.
Et vos qui misere charum mœretis Erasmum,,
Læta cano vobis, mihi credite læta canenti,
Regia sive illo magni lætatur olympi,
Et dulces vocum jaculatur in æthera cantus.
Tristia, & lachrymis inamœnam ponite frontem,
Et festos agitate dies, & dicite versus.
Versentur manibus nocturnis atque diurnis
Illius illa satis laudata volumina nunquam,
In quibus est, vivit, loquitur, facit omnia, præsens
Vobiscum, vos instituens alit atque saginat,
Omnis doctrinæ potuque ciboque salubri.
Præterea vecors livor quos fecit Erasmi
Eximias dotes & præstantissima facta,
Anguibus & pejus rabidis odisse molossis,
Mœsta cano vobis, mihi credite mœsta canenti,
Ille polo sedet, & multa mercede beatus
Concilio divûm placet & veneratur ab omni.
Ludit & irridet, studiis exemptus iniquis,
Inconsulta venenosæ convitia linguæ,
Scriptaque nil nisi Sicelides spirantia gerras.
Vos manet horribilis supremi judicis ira
Tam sacrosancto capiti adversarier ausos:
Quæ quo lenta magis vindictam prorogat ultrix,
Hoc commissa premet graviori crimina pœna.
Vel magis omni-creatorem dare semper aventem
Suppliciter veniam vestris orate piaclis,
Et saltem suprema viro post fata favete.
Quorum equidem (melius si rem perpendimus ipsam)
Munere tres vice nunc unius habentur Erasmi.
Vnum terra fovet, sedem dant astra secundo:
Tertius excellens, hic optima quæque, magister
Quid deceat, quid dedeceat, quid prosit & obsit,
Donec erit genus humanum discetque, docebit.
Ille idem (non summopere res digna relatu

Dicendi

Dicendi finem mihi prætereunda petenti est)
Tertius ingenio ne tantum consulat acri,
Quo tot scripta dedit Clariæ prælustria turbæ,
Sed simul ut miseris veniant mortalibus ex se
Commoda fortunæ, res quas obtruserat illi
Sæpius invito pia munificentia large,
Largius in varios dispensat & erogat usus.
Nam locat, à tædis quas res angusta moratur,
Maturas thalamo, satis ampla dote puellas,
Pauperies castum ne vendat egena pudorem.
Felicem, parili sumptu, juvat indole pubem,
Spe queat ut meliore sacris incumbere Musis,
Et tandem solida multarum indagine rerum,
Jam manibus lotis ad publica munia sumi.
Vivere quos stipe mendica gravis urget egestas,
Illis præbet opem victus, & vestibus ambit,
Jejunos ne forte fames vesana trucidet,
Et nudos hiemis frigus glacialis adurat.
Quapropter nos cœlestem veneremur Erasmum,
Et vitam nobis sic instituamus agendam,
Ut tandem recipi digni fiamus eodem.
Quemque fovet tellus gelidis complexa lacertis,
Perpetuo permittamus requiescere somno,
Dum postrema dies redivivos proferet artus.
Ipseque cum divis aliis vestigia Christi
Sectatis, duodena Israelitica judex
Agmina censebit solio sessurus in alto.
Quod tamen hic nobis hoc semper habebitur orbe,
Quo tam nos, quam posteritas ventura fruetur,
Donec erit Phaethontæi globus aureus astri,
Et constans inconstantis variantia Lunæ,
Diis superis merito sacros faciamus honores.

EJUSDEM
DE
POCULO
PAULI VOLSII,

Quod ab Erasmo Rot. dono accepit VIII. *Feb.*

EPIGRAMMA.

Est phiale tua tum fabro vigilata perito,
  Auro atque argento tum preciosa nimis.
Materia fateor spectabile munus & arte,
  Quodque daret Satrapes, acciperetque potens.
Sed quisnam neget esse nihil quæ magna videntur,
  Si largitori conferat illa tuo?
Ad cujus minimam rerum, quibus erudit orbem,
  Particulam nil sunt totius orbis opes,
Cujus item famam extinguet non ulla vetustas,
  Ut quam posteritas cuncta futura colet.
Magni non igitur facies ex dote datorem,
  Quin dos ex dante est magnificanda suo.
Attamen, ut reor, hæc arctum designat amorem,
  Quo tecum præsens semper Erasmus adest.
Ergo cum calici jungis tua labra, memento
  Hunc tibi sic junctum pectus habere suum.
Forte sibi nota est supremæ linea vitæ,
  Quam norunt soli quos Deus æquus amat.
Et post fata suis vult esse superstes amicis,
  Exempli monitus non sine more gravis.
Quid scyphus? An non absentis præsentia Christi est,
  Quem sacræ cœnæ mysticus haurit homo?
Forsan & hæc missi quoque significatio vasis,
  Quæ mihi nequaquam prætereunda fuit.
Ceu vas harmonia διὰ πασῶν reddit eadem,
  Cum pulsum plenum, pulsum & inane sonat.
Nempe soni sunt diversi, tenuisque, gravisque,
  Aures concentu vox tamen una ferit,
Sic duo vos unus, tu pauper egensque serena
  Ille tibi, potuit quod dare, fronte dedit.
Unit enim nil diversæ mage fortis amicos,
  Quam si potior det, quibus alter eget.
Hinc cyathus seu sit vacuus, seu vitæ redundans,
  Esse duos unum vos meminisse velis.
Quid quæris Volsi? Sua sunt mysteria Erasmo,
  Nam nisi cum magna nil ratione facit.

EJUSDEM
DE
MORTE ERASMI
ROTER.
AD
ANDREAM CRITIUM
Archiepiscopum Gnesnensem.

Tempore Sarmatici quo regis in urbe Sabinus,
  Quæ tenet à Graccho condita nomen, eram:
Est ubi jucundæ mihi consuetudinis usu
  Janua notitiæ præsul aperta tuæ,
Blanda mihi læto declarans gaudia vultu,
  Talia gratanti pectore verba dabas.
Cum nova ducetur Cupido tibi nupta marito,
  Quæ promissa toro dicitur esse tuo.
Et sacra, legitime quibus astringuntur amantes,
  Conjugio dulcis vincula nectet hymen,
Tunc ego, ne dubites, aliquo si carmine fiam
  Certior, ipse tibi Critius hospes ero.
Hæc & plura dabas animo promissa benigno,
  Quæ retinens memori condita mente gero.
At jam tempus adest, cum nata Melanchthone virgo
  Est thalami consors Anna futura mei.
Nanque ubi maturo curvantia pondere ramos
  Divitis autumni munera carpet hyems,
Percipienda feram concessi gaudia lecti,
  Sponsus & optato lætus amore fruar.
Ergo per hos elegos me certior indice factus
  Non potes huc quanquam carpere præsul iter;
(Regia namque procul nostris tua distat ab oris
  Nomen honorati principis unde geris)
Illic vota tamen pro sponsi concipe tædis,
  Lætaque conjugio fata precare meo.
Sic Deus incolumes vitæ tibi proroget annos,
  Sic crescente tuus tempore crescat honor.
At si carminibus licet addere tristia lætis,
  Accipe mœrori quæ tibi præsul erunt.
Sustulit indigna mors funere nuper Erasmum,
  Perdidit ô quantum Teutona terra decus.
Illius asseruit nobis facundia laudem,
  Roma prius vivo quam Cicerone tulit,
Barbariemque rudem nostro quibus expulit ævo,
  Invicto calamo scripta diserta dedit.

Illius ubertas, & divitis aurea linguæ
Instar inexhausti copia fontis erat.
Hei mihi, quanta novem fecerunt damna Sorores,
Publica res quali concidit orba viro.
Ille beatorum sed vivit sede receptus,
Et capit in Christi gaudia vera sinu.
Cujus magna sacri pandens oracula verbi
Reddidit eloquio lucidiora suo.
Tutus ab injustis est detractoribus illic,
A quibus infando multa dolore tulit,
Despicit invidiam, novitque, quod æquius olim
De se judicium posteritatis erit.
Tristibus hæc alio sed tempore fata quærelis
Prosequar, & faciam carmine justa meo.
Nunc tibi gratetur lætis mea litera verbis,
Amplior accessit quod tibi nuper honos.
Jamque suprema tenes sacræ vestigia sortis,
Inclyta Sarmatiæ Rex ubi sceptra gerit.
Evehit indignos, fortunaque tollit in altum
Sæpe, malis amplas cæcaque præbet opes.
Hæc tua sed meruit pietas, hæc præmia virtus,
Nemo magis tanto dignus honore fuit.
Nanque Lycaoniæ quæ subdita virginis Arcto
Terra Borysthenidis limite juncta jacet,
Te vehit insigni pietatis laude, fatetur
Se nihil ingenio majus habere tuo.
Comprecor his felix ut honoribus ergo fruaris,
Quæ mea ne careant pondere vota, Vale.

JULII CAESARIS SCALIGERI.

Tu-ne etiam moreris? ah, quid me linquis, Erasme,
Ante, meus quam sit conciliatus * amor?
Tu ne etiam? cui tam parvus fuit orbis, ut altæ
Expleres mentis fulmina torva tuæ.
Ergo sidereis postquam est subvecta quadrigis,
Atque Dei læto lingua recepta sinu:
Ille ego, qui insanæ ridebam vulnera mortis,
Conditaque Ætnæa tela trisulca manu:
Ad quodvis stupeo momentum, ac territus adsto,
Maxima cum videam numina posse mori.

* *Amor, quem dissuerant Orationes in Erasmi Ciceronianum, conglutinatus iterum fuisset, si vir magnus vel quadrimestre supervixisset: quod sanctissime mihi adfirmavit, qui ejus rei penitissimam habebat cognitionem.* Hanc notulam Merula margini adscripserat.

PETRI SCRIVERII,

in POEMATIBUS MSS.

In tumulum

DESIDERII ERASMI.

Hic Desiderii venerabilis umbra quiescit;
Hunc si quis cupiat noscere, scripta adeat.

JOANNIS SECUNDI.

Defunctus vita longique laboribus ævi,
Hac situs est tandem doctus Erasmus humo:
Quem licet in sera rapuerunt fata senecta,
Et vita saturum sopiit alta quies:
Nos tamen hunc velut immaturo funere raptum
Flemus, & effusis diffluimus lachrymis.
Ille igitur periit: & quondam illa illa diserta,
Et dulci manans nectare lingua tacet:
Ingeniumque sagax, & amans virtutis & æqui,
Omnia sub parvo condita sunt tumulo?
Illum igitur canos Virtus lacerata capillos,
Et Charites lugent, luget & ipsa fides?
Collectasque rosas Permessi ad flumina Nymphæ
Inspergunt sacro Pierides tumulo?

GODOFREDI RHODI STEGRII

De totius orbis literatissimi Viri

D. ERASMI ROTERODAMI

Felici in Christo obitu

ELEGIA;

In qua potissimum conqueritur de cujusdam inhumanitate, ne dicam impietate; qui præter candorem Christianum, omneis in Erasmi morte à lachrymis temperantes, æternis inferorum suppliciis devovere videtur.

Quid stupefacta mihi horrentes ad pectora sensus
Concurrunt? animi quid penetrale movent?
Vah, quid id est, mentem quod non sinit esse quietam,
Quæ solet immoto cardine adesse mihi?
Nunquid marmoreis periit mihi fulta columnis,
Assueta invicto pectori inesse fides?
Hæc exporrectam solita est mihi reddere frontem,
Triste licet supera fulmen ab arce ruat.
Nam nihil est, stabilem valeat quod pellere justum
A summo infusa numine lætitia,
Cur stupet attonitum tibi cor, bone lector honorum
Justitiæ titulum quem mihi sumo probæ?
Non modo sunt justi, justo qui fidere Christo
Norunt, aut sancti, hos sanctificante fide:
Quin etiam Regesque, sacerdotesque vocantur,
Quodque Deo fidant, Dii quoque nomen habent.
Quæ tam dira igitur percellit causa recessus
Mentis, ut insolito vix sinat esse loco?
An quia defuncti felix efficitur Erasmi
Funus humum, volitat mensque beata polum?
Hic nulla esse potest lugubris causa doloris,
Si modo sit valida mens solidata fide.
Quandoquidem æterno repletus numine Paulus
Tristari ob vitæ stamina rupta vetat.
Fausta quod in Domino morientibus esse probatur
Mors, & in aspectu sit preciosa Dei.
Sitque magis levis ipsa sopor, quo membra quiescunt,
Faustiter extremo vivificanda die.
Quæ mala vis igitur nostram turbare quietem
Tentat, & è solida pellere mente fidem?
Non mors, nempe beata, nec omnibus æquus amici
Casus, quem virtus non sinit esse malum.
Quoddam aliud gravius, quoddam sceleratius omne
Turbavit læso numine corda mihi.
Nulla freta fide vox, gutture fusa prophano
Vox, cui nulla sacri flammula amoris inest:

Vox,

Vox, quæ non flenteis magni felicia Erasmi
  Funera, tartareo devovet atra Jovi.
Atro (inquit) cadat Orco, tristia quisquis Erasmi
  Fata videns, charis temperat à lachrymis.
Quo ruis, ô cæcæ devotio mentis iniqua?
  Quo raperis, fidei luminis orba piæ?
Quod facinus tam grande, viri non flere beati
  Funera, ut in Domino perdere læta queat?
Vos, ô felices, appello, cœlica manes
  Dite quibus Christi munere regna patent:
Nonne laboriferum donec vegetastis Erasmum,
  Semper honorifica vivere laude datum est.
Quid memorem Herculea istius virtute labores
  Christo exantlantos, Christicolisque piis?
Quicquid opus senibus, quocunque eget ipsa juventus
  Ad linguæ cultum, pectoris atque decus:
Copiæ Erasmiacum fudit bene fertile cornu,
  Limpida ut è vivo fonte resultat aqua.
Impiger Isaaci fuit hic imitator, opertos
  Qui puteos fodit dextra Abrahamiacos.
Cura Philistæi quas vivas invida venas
  Livoris pravo clauserat ingenio:
Sedula sinceri solertia rursus Erasmi
  Fecit, ut æternis fluctibus ora rigent.
Fecit, ut in multis pietas comitata probatis
  Moribus, hortatu regnet honora pio.
Fecit, ut, occluso Gotthorum gutture, lingua
  Facunda toto Tullius orbe sonet.
Illotis tractata prius sapientia palmis
  Cœlica, tractatur castius hujus ope.
Hujus ope æterni venerabile nomen Jesu
  Majori colitur religione piis.
Hoc duce jam penetrat sensus humana profundos
  Mens studiosa sacræ legis olympiacæ.
Talibus ut saturum replevit fructibus orbem,
  Talia ut in lachrymis semina jecit humo:
Spiritus à magno jubet hunc cessare labore,
  Jucunda & segetem falce secare bonam.
Sic opera auctorem proprium sunt pone sequuta,
  E madidis omni tersa oculis lachryma.
Gaudeat hic igitur tellus, mare, sydera, summo
  Gaudeat in cœlo concio & Angelica.
Omnia felici læta gratentur Erasmo
  Fronte, canant hymnos cuncta creata sacros.
Inclyta supremo cantetur gloria Patri,
  Perpetua & Genito laude canatur honos.
Omni utriusque sacer celebretur Spiritus ore:
  Detur ita ut soli gloria cuncta Deo:
Maximus hac magnum magna qui fecit Erasmum
  Laude ad stelliferum faustiter ire polum.
Cujus & hos nobis tribuit clementia Versus,
  Nulla docens sanctis fata nocere viris.
Ut fidei in Christo fundatum robore pectus,
  Discat Christicolum fata carere malo.
Discat & optandam sitienti pectore mortem
  His, quibus in Domino pectora fixa manent.
Et sua constanter discat fata, atque suorum
  Ferre, sciens mortem prospera ferre piis.
Et meritis Christi summo conamine fisos
  Ad paradisiacos scandere morte lareis.

JOANNIS STIGELII.

Perdidit ereptum, Musarum munus, Erasmum,
  Perdidit, heu, quantum Teutona terra decus.
Quo moriente ferunt Clarios cessasse liquores:
  Et tremuisse altis totum Helicona jugis.
Nemo roget causam, quam vesper novit & ortus:
  Cujus erit testis nescia fama mori.

SIMONIS VALLAMBERTI.

Hoc quanquam tumulo mortale cadaver Erasmi
  Mors claudis, id ferme est nihil.
Non hujus virtus, spes, fama, scientia possunt
  Claudi: quid, ô Mors, hic habes?

AD NOBILISS. DOCTISSIMVMQVE HEROA,

JOANNEM NERVENIVM,

agri Dirixlandici Præsidem, totiusque Insulæ Suytuorniæ (quæ altera est Hollandia) ornamentum,

ne ob Magni D. Erasmi Roterodami mortem mœrore se conficiat,

GERARDI VORSELMANI MEGASONDRI,

Medicinæ Doctoris apud Antuerpienseis,

MONOSTICHON.

Non obIIt DIVVs, NerVenIe, VIVIt ErasMVs.

EJVSDEM AD EVNDEM

Jamb. Dim. Hyp.

DIVVs reVIXIt (sI obIIt) ErasMVs.

ANONYMI.

Hoc jacet in tumulo male fortunatus Erasmus,
  Qui solum vixit, non sibi, sed aliis.

ERVDITI CVJVSDAM.

Qui vespas, qui crabrones, & inertia fucos
  Animalia abstulit, repurgans alveos.
Obstreperas picas, & raucos gutture corvos,
  Et garrientes propulit qui gracculos,
Qui fœdos cuculos, & noctivagos bubones,
  Et ineleganteis longe abegit anseres.
Qui porcos, hebetesque asinos, olidos quoque & hircos
  Fugans, superba ademit tauris cornua.
Qui cæcos etiam talpas, ranasque loquaces
  Cum turpibus disperdidit bufonibus.
Lappis, & tribulis, urticis, sentibus, atris
  Et vepribus agros qui purgatos reddidit.
Hoc est, qui spurcam toto nunc orbe fugatam
  Barbariem, & omnem sordem explosit Gotthicam,
Et dulceis Musas, disciplinasque Deorum
  Dona, atque literas reduxit exules,
Corruptasque (nefas) multo jam tempore linguas,
  Et perditam restituit eloquentiam.

Hic ille, ille jacet, fama usque ad sydera notus
Erasmus, ingens ille honos Germaniæ.
Ille Europæi certe nova gloria mundi,
Lumen, decus, parens rei literariæ.
Nullius sane qui crescere laudibus unquam
Queat, vel ulla deminui invidentia.

Sed tu heus Barbaries, nimium ne in gaudia præceps
Feraris, hujus maximi ob necem Viri.
Spiritus illius vel adhuc jam vivit, in omne
Victurus ævum, semper hostis Barbaris.
Quin hominis sectatores ter mille surpersunt,
Qui vindicent illum, cavete Barbari.



DESI-



DESIDERIVS ERASMVS
ROTERODAMVS
JOANNI COLETO,
DECANO SANCTI PAULI APUD LONDINUM, S. D.



NON possum equidem non vehementer laudare, Colete, singularem istam, vereque Christianam animi tui pietatem, qui conatus tuos omneis, omnia vitæ studia semper huc destinaris, non ut tuis privatim commodis consuleres, sed uti patriæ, civibusque tuis quamplurimum prodesses. Neque minus admiror judicium, qui duas præcipue res delegeris, quibus id cumulatissime consequi posses. Videbas enim amplissimum charitatis fructum in eo situm esse, si quis assiduis concionibus, sacraque doctrina, Christum popularium suorum animis inserat. Quo tu quidem in negocio jam annos complureis versaris, non dicam quanta cum laude, quam tu adeo non spectas, ut nec admittas, sed certe magno cum fructu. Quo nomine Paulus * ille tuus alioqui modestissimus, subinde gloriatur ac sese sancta quadam insolentia jactat. Deinde quod proximum existimabas, ludum literarium longe pulcherrimum ac magnificentissimum instituisti, ubi, sub electissimis ac probatissimis præceptoribus, Britannica pubes rudibus statim annis, simul & Christum, & optimas imbiberet literas: nimirum, graviter intelligens, & in hac ætate velut herba, spem reip. positam esse, & quanti referat in omnem vitam, protinus ab incunabulis optimis imbui. Jam vero quis non adamet etiam generosam istam animi tui celsitudinem, ac sanctam (ut ita dixerim) superbiam, qui utrumque hoc in patriam officium ita gratuitum ac syncerum esse volueris, ut nec ex tot annorum laboriosissimis concionibus, vel teruncio factus sis ditior, cumque tua seminaris spiritualia, nullius unquam carnalia messueris, & scholæ sumptus, tam videlicet ingenteis, ut Satrapam quoque deterrere possint, solus omneis ferre volueris. Et cum vulgus hominum nulla in re libentius socium accersere soleat, tu patrimonium, tu censum universum, ad hæc domesticam etiam supellectilem profundere maluisti, quam ullum mortalem in istius gloriæ partem admittere. Quæso quid istud est aliud quam in universos tuorum liberos, in universos cives animum plus quam paternum gerere. Teipsum spolias, ut illos locupletes. Teipsum nudas, ut illos ornes. Teipsum laboribus conficis, quo tua soboles vegeta sit in Christo. Breviter totum te impendis, ut illos Christo lucrifacias. Nimium profecto sit invidus, qui talia conanti non impensissime faveat. Impius qui reclamet & obstrepat: Hostis Angliæ, qui non pro sua virili, adjumenti aliquid conferre studeat. Ego sane non ignarus, & quantum Angliæ debeam publice, & quantopere tibi privatim sim obnoxius, officii mei sum arbitratus, literarium aliquod munusculum in ornamentum scholæ tuæ conferre. Itaque duos hos novos de Copia Commentarios, novæ scholæ nuncupare visum est, opus videlicet cum aptum pueritiæ, tum non infrugiferum, ni fallor, futurum. Sed quantum habeat eruditionis, quantumve sit utilitatis allaturus hic labor meus, aliorum esto judicium. Illud vere mihi sumere possum, argumentum hoc, à me primum & excogitatum & proditum fuisse. Nam quod Julius Pollux Græcus & antiquus autor, singularum rerum vocabula per locos digessit, & synonyma quædam ac finitima velut in acervos congessit, quis non videt quam id sit à nostro instituto alienum? Neque enim † Isidoros, Marios, aut Philiscos libet commemorare, homines in tantum alienos à copia, ut ne semel quidem quæ sentiunt, Latine possint efferre. Jam vero libellus ille, qui Ciceroni inscribitur (ego magis ab aliquo Ciceronis studioso, ex illius scriptis collectum arbitror) quæso quid aliud habet quam tumultuariam paucarum vocum congeriem? Nos formulas quasdam copiæ, seu fontes ostendere sumus conati, sic ut à generalibus per gradus ad particulares deveniremus. Quanquam & fateor, & doleo huic operi justam curam defuisse. Siquidem olim rudem materiam in futurum opus temere congesseramus, ad quam expoliendam plurimis vigiliis, plurimorum auctorum lectione videbam opus fore. Itaque non admodum erat in animo edere. Verum cum intellexissem quosdam his Commentariis insidiari, parumque abfuisse, quin incastigatissimos etiam ediderint, coactus sum utcunque emendatos in lucem emittere. Nam id malum visum est levius. Bene vale, Colete optime. Londini, Anno MDXII. III. Calend. Majas.

* Respicit ad cathedralem Ecclesiam Londinensem, quæ S. Pauli dicitur, & cujus Coletus Decanus erat.

† Intelligere videtur *Isidorum* Hispalensem, qui multa habet Grammatica & Rhetorica in *Originibus* suis. Alter est *Marius Victorinus*, qui scripsit expositionem in libros Rhetoricos *Ciceronis*, quæ exstat in collectione Rhetorum Latinorum. Tertium non novi.

DESIDERII ERASMI
ROTERODAMI
DE
DUPLICI COPIA VERBORUM AC RERUM
COMMENTARIUS PRIMUS.

CAP. I.
Periculosam esse Copiæ affectationem.



Ut non est aliud vel admirabilius, vel magnificentius quam oratio, divite quadam sententiarum verborumque copia, aurei fluminis instar, exuberans: ita res est profecto, quæ non mediocri periculo affectetur, propterea quod juxta proverbium, *Non cuivis homini contingit adire Corinthum.* Unde non paucis mortalibus usu venire videmus, ut divinam hanc virtutem, sedulo quidem, sed parum feliciter æmulantes, in futilem quandam ac deformem incidant loquacitatem, dum inani, citraque delectum congesta vocum & sententiarum turba, pariter & rem obscurant, & miseras auditorum aures onerant. Adeo ut literatores aliquot hac ipsa de re, si Diis placet, etiam præcepta tradere conati, nihil aliud assecuti videantur, quam quod copiam professi, suam prodiderunt inopiam. Quæ quidem res nos commovit, ut partim è mediis artis rhetoricæ præceptis ad hoc institutum idonea deligentes, partim quæ diutino jam dicendi scribendique usu sumus consecuti, variaque plurimorum auctorum lectione observavimus accommodantes, utraque de Copia rationes aliquot, mox exempla, denique formulas complures proponeremus: non id quidem conantes, ut libro rem omnem absolute complectamur: sed edito veluti commentariolo, doctis & studiosis viam aperuisse contenti, quasique sylvam quandam operis futuri subministrasse: sive quod solo juvandi studio ad hoc laboris capessendum adducti, non invidemus si penes alium sit vel tota gloria, modo à nobis ad studiosam juventutem aliqua manarit utilitas: sive quod gravioribus studiis addicti sumus, quam ut in his, utilissimis quidem illis etiam ad maxima, sed tamen in speciem minutis, vacet permultum operæ collocare.

CAP. II.
A quibus inventa, & à quibus exercitata Copia.

Porro ne quis hoc inventum tanquam neotericum, ac nuper domi nostræ natum aspernandum existimet, sciat hanc orationis variandæ rationem, ab homine doctissimo pariter & diligentissimo Quintiliano locis aliquot leviter attingi, & nobiles aliquot Sophistas in compendium contrahendi sermonis, viam ostendisse. Quod facere nequaquam poterant, nisi pariter & explicandi ratione demonstrata. Quorum si libri extarent, aut si quod admonuit Fabius, ad plenum tradere voluisset, non admodum futurum erat opus iis meis præceptiunculis. Accedit ad hujus negocii commendationem, quod neutiquam piguit viros omnis doctrinæ principes diligenter in hoc genere exerceri. Siquidem extant etiamnum mirabiles aliquot Maronis experientiæ de speculo, de fluvio gelu concreto, de Iride, de Solis exortu, de quatuor anni partibus, de signis cœlestibus. Idem satis indicat Apologus ille Æsopicus de Vulpe & Corvo, quem Apulejus mira verborum parsimonia perstringit, & eundem plurimis verbis quam fusissime explicat, exercendi videlicet ostentandique ingenii gratia. Sed age quem tandem possit posthac hujus studii pœnitere, qui Ciceronem videat illum omnis eloquentiæ parentem, adeo huic exercitationi indulsisse, ut cum mimo Roscio familiari suo solitus sit contendere, utrum ille sæpius eandem sententiam variis gestibus effingeret, an ipse per eloquentiæ copiam sermone diverso pronunciaret.

CAP. III.
Auctores quemadmodum luserint ostentatione Copiæ.

Quid quod iidem autores non in palæstra solum, verum etiam in opere serio nonnunquam ostentanda copia luserunt, dum rem eandem nunc ita cohibent, ut adimere nihil queas, nunc ita locupletant dilatantque, ut nihil possis adjungere. Homerus, teste Fabio, utraque juxta re mirabilis est, tum copia, tum brevitate. Quanquam in præsenti animus non est exempla persequi, tamen unum atque alterum ex uno Vergilio proferemus. A quo quid brevius dici potuit, quam illud: *Et campos ubi Troia fuit?* Paucissimis verbis, ut ait Macrobius, civitatem hausit & absorpsit, ne ruina quidem relicta. Rursum hoc ipsum audi quam copiose?

Venit summa dies & ineluctabile fatum
Dardaniæ, fuimus Troes, fuit Ilium, & ingens
Gloria Teucrorum, ferus omnia Juppiter Argos
Transtulit, incensa Danai dominantur in urbe.
O patria, ô divum domus Ilium, & inclyta bello
Mœnia Dardanidum.
Quis cladem illius noctis, quis funera fando
Explicet, aut possit lachrymis æquare labores?

Quis fons, quis torrens, quod mare tot fluctibus, quot hic verbis inundavit? Verum hoc exemplum ad sententiarum copiam magis referendum alicui videatur. Lusit & verborum luxurie cum ait:

—— Superat ne, & vescitur aura
Ætherea, nec adhuc crudelibus occubat umbris?

Sed hoc Nasoni familiarius est, ita ut eo nomine taxatus sit, quod in copia modum non teneat. At taxatus à Seneca, cujus totam dictionem damnant, Fabius, Suetonius & Aulus Gellius.

CAP. IV.
Quibus vitio data immodica Copia.

Neque quicquam mea refert, si quibus vel immodica vel perperam affectata copia vitio data est. Nam

A Nam in Stesichoro Quintilianus notat nimis effusam, & redundantem copiam: sed ita notat, ut vitium esse fateatur non admodum refugiendum. Æschylo probro datur in vetere comœdia [1], quod bis idem dixerit, ἥκω κ̓ κατέρχομαι. Interdum Seneca vix fert Maronem eundem sensum bis aut ter accinentem. Et ne frustra longum catalogum recenseam, non defuerunt qui Marcum etiam Tullium, ut Asianum ac redundantem, nimiaque luxuriantem copia damnarent. Sed hæc, ut dixi, nihil ad me pertinent, qui quidem non quomodo scribendum aut dicendum sit præscribo, sed quid ad exercitationem faciat ostendo, ubi quis nescit omnia justo majora esse debere. Deinde adolescentiam instruo, in qua Fabio non displicet orationis
B luxuries, propterea quod facile, quæ supersunt, judicio resecentur, quædam etiam ætas ipsa deterat; cum interim tenuitati atque inopiæ, nulla ratione mederi queas.

CAP. V.

Ejusdem artificis esse breviter & copiose dicere.

JAM si qui sunt, quibus usque adeo placet Menelaus ille Homericus ὁ πολύμυθος, rursum displicet Ulysses fluminis instar hybernis aucti nivibus ruens, si quos impendio Laconismus ille & breviloquentia delectat, ne hi quidem nostro labori debent obstrepere, quippe quem nec ipsi sint infrugiferum experturi, propterea quod ab
C eadem ratione proficisci videatur, ut vel brevissime dicas, vel copiosissime. Siquidem quemadmodum argute Socrates apud Platonem colligit, ejusdem hominis esse scite seu mentiri, seu verum dicere: ita non alius artifex melius ad brevitatem arctabit orationem, quam qui calleat eandem quam maxime varia supellectile locupletare. Nam quantum ad verborum attinet brevitatem, quis constrictius dixerit, quam is cui promptum sit ex immenso verborum agmine, ex omni figurarum genere, statim deligere, quod sit ad brevitatem accommodatissimum? Rursum quantum ad sententiæ brevitatem, cui magis in manu fuerit rem quam paucissi-
D mis expedire verbis, quam qui cognitum ac meditatum habeat, quæ sint in causa præcipua, quasique columnæ, quæ proxima, quæ locupletandi negocii gratia sint ascita? Nemo certe citius certiusque videbit, quid citra incommodum possit omitti, quam is qui quid quibus modis addi possit, viderit.

CAP. VI.

De stulte affectantibus vel brevitatem, vel copiam.

QUOD si casu, vel huc, vel illuc ducimur, periculum est ne nobis usu veniat, quod quibusdam Laconismi κακοζήλοις videmus evenire. Qui cum pauca dixerint, tamen in ipsis paucis multa supersunt, ne di-
E cam omnia. Sicut è diverso imperitis Copiæ affectatoribus evenit, ut cum immodice loquaces sint, tamen parum dicant, multa nimirum dictu necessaria prætereuntes. Nostræ igitur præceptiones eo spectabunt, ut ita rei summam quam paucissimis complecti possis, ut nihil desit: ita Copia dilates, ut nihil redundet tamen: liberumque tibi sit cognita ratione, vel Laconismum æmulari si libeat, vel Asianam illam exuberantiam imitari, vel Rhodiensem mediocritatem exprimere.

CAP. VII.

Duplicem esse Copiam.

F PORRO duplicem esse Copiam non arbitror obscurum esse vel Fabio declarante, qui inter cæteras Pindari virtutes præcipue miratur beatissimam illam rerum verborumque copiam. Quarum altera consistit in Synonymia, in Heterosi, sive enallage vocum, in Metaphoris, in mutatione figuræ, in Isodynamiis, reliquisque id genus variandi rationibus. Altera in congerendis, dilatandis, amplificandis argumentis, exemplis, collationibus, similibus, dissimilibus, contrariis, atque aliis hoc genus modis, quos suo loco reddemus accuratius, sita est. Hæ quanquam alicubi sic conjunctæ videri possunt, ut haud facile dignoscas, ita alteri inservit altera, ut præceptis potius quam re atque usu discretæ videantur, nos tamen docendi gratia ita separabimus, ut neque superstitionis in secando, neque rursum negligentiæ merito damnari possimus.

CAP. VIII.

Quas ad res conferat hæc exercitatio.

NUNC quo studiosa juventus propensioribus animis in hoc studium incumbat, quas ad res conducat, paucis aperiemus. Principio quidem in totum ad phrasim illam non parum adferet momenti hæc variandæ orationis exercitatio. Peculiariter autem conferet ad vitandam ταυτολογίαν, vitium cum fœdum, tum odiosum. Ea est ejusdem verbi aut sermonis iteratio. Neque raro usu venit, ut idem nobis crebrius sit dicendum. Ubi si destituti copia, aut hæsitabimus, aut κόκκυγος in morem eadem identidem occinemus, neque poterimus sententiæ colores alios aliosque vultus dare; pariter & ipsi ridiculi erimus, nostram prodentes infantiam, & tædio miseros auditores enecabimus. Est ταυτολογία pejor ὁμοιολογία, quemadmodum Fabius ait, quæ nulla varietatis gratia levat tædium, estque tota coloris unius. Quis autem est auribus usque adeo patientibus, ut vel paulisper ferat orationem ubique sui similem? Tantam ubique vim habet varietas, ut nihil omnino tam nitidum sit, quod non squalere videatur, citra hujus commendationem. Gaudet ipsa natura vel in primis varietate, quæ in tam immensa rerum turba nihil usquam reliquit, quod non admirabili quodam varietatis artificio depinxerit. Et sicut oculi diversarum aspectu rerum magis detinentur, ita semper animus circunspectat, in quod se veluti novum intendat. Cui si cuncta sui similia occurrant undique, tædio protinus avertitur. Atque ita perit totus simul orationis fructus. Hoc igitur tantum malum facile vitabit, cui promptum erit sententiam eandem in plureis formas vertere, quam Proteus ipse se transformasse dicitur. Neque vero mediocriter contulerit hæc exercitatio ad extemporalem vel dicendi, vel scribendi facultatem, præstabitque, ne subinde vel hæsitemus attoniti, vel turpiter intersileamus. Neque difficile fuerit, vel temere cœptam orationem commode ad id quod volumus deflectere, tot formulis in procinctu paratis. Præterea in enarrandis autoribus, in vertendis ex aliena lingua libris, in scribendo carmine, non parum adjumenti nobis attulerit. Siquidem in iis, nisi erimus his instructi rationibus, sæpenumero reperiemur aut perplexi, aut duri, aut muti denique.

CAP. IX.

Quibus exercendi rationibus hæc facultas paretur.

DEINCEPS, quibus exercitationibus hæc paretur facultas, reliquum est ut paucis admoneamus. Præceptis diligenter memoriæ mandatis, sæpius ex industria sententias quasdam sumamus easque versemus quam numerosissime, quemadmodum monet Fabius. Velut eadem, inquiens, cera, aliæ atque aliæ formæ duci solent. Is porro labor uberiorem adferet frugem, si complusculi inter se conflictentur, vel voce vel scripto, proposito in medium themate. Tum enim mutuis inventis, adjuvabuntur singuli, & velut ansa præbita, plura quisque inveniet. Deinde totum aliquod argumentum pluribus tractabimus modis. Qua quidem in re conveniet Milonis illius Crotoniatæ solertiam imitari, ut principio bis, deinde ter, deinceps sæpius ac sæpius vertendo, ad eam facultatem proficiamus, ut jam sine negocio centies ac ducenties variare possimus. Ad hæc, vertendis Græcis auctoribus non mediocriter augebimus sermonis copiam, propterea quod hæc lingua rerum verborumque ditissima est. Fuerit autem utilius interdum

1. In Ranis Aristophanis.

dum paraphrasi quoque cum illis certare. Profuerit plurimum carmina poetarum oratione prosa retexere, rursum orationem solutam numeris adstringere, atque idem argumentum in aliud, atque aliud carminis genus transfundere. Magnopere juvabit & illud, si eum locum qui maxime videbitur scatere copia, ex auctore quopiam æmulemur, & eum nostro Marte vel æquare, vel etiam superare contendamus. Præcipuam autem utilitatem adferet, si bonos auctores nocturna diurnaque manu versabimus, potissimum hos, qui copia dicendi præcelluerunt: cujusmodi sunt Cicero, A. Gellius, Apulejus: atque in his vigilantibus oculis figuras omneis observemus, observatas memoria recondamus, reconditas imitemur, crebraque usurpatione consuescamus habere in promptu.

CAP. X.

Prima praeceptio de Copia.

HAEC quasi præfati, superest ut ad præceptionum traditionem accingamur; tametsi & ipsa quæ diximus, præcepta quædam videri queunt. Videmur autem non absurde facturi, si præceptiones hinc auspicemur, ut præmoneamus, Copiæ candidato in primis esse curandum, ut apta, ut Latina, ut elegans, ut pura sit oratio. Neque quicquam existimet ad copiam pertinere, quod abhorreat à linguæ Romanæ castimonia. Elegantia partim sita est in verbis receptis ab auctoribus idoneis, partim in accommodando, partim in compositione. Exemplum primi fuerit, ut si quis *piissimum* dicat. Quod verbum (teste Cicerone) Latinis auribus inauditum est. Quanquam & hoc reperitur apud auctores haud quaquam rejiciendos. In hujus igitur locum substituere licet quodvis verbum barbarum, aut solœcum. Veluti si quis dicat, *avisare* pro præmonere. Barbaries autem etiam vitiosa scriptura aut pronunciatione committitur. Ut si quis *dócere* sonet prima acuta, aut Christum dicat *Cristum*, aut, *percam*, parcam, aut *lēgo* priore producta. Secundi exemplum fuerit, si quis ita loquatur, *dedit mihi licentiam abeundi*, pro eo quod est, fecit mihi potestatem abeundi. Hic nulla est vox non Latina, sed in abusu vitium est. *Potestas* enim generale nomen est ad omnem facultatem: *Licentia* vergit in malum. Hic igitur peccatur in perperam accommodando vocem, veluti si quis dicat *compilare*, pro colligere. Latina vox est *compilare*, sed in alium sensum: significat enim furto spoliare. Horatius: *Servi fugientes compilant dominos.* Item, *Ne me Chrysippi scrinia lippi compilasse putes.* Tertium genus huic simillimum est, quum voces bonas male connectimus: veluti si quis eodem sensu dicat, *injuriam dedit*, quo damnum dedit. Nam dare damnum eleganter dicitur: Facere autem injuriam dicitur qui lædit, non *dare injuriam*. Dare malum Latine dicitur, *dare jacturam*, aut *dolorem* non recte dicitur. Facere jacturam emendate dicitur, qui damnum patitur; *facere infamiam*, qui infamia afficitur non recte. Facere injuriam qui lædit, Latine dicitur, *facere contumeliam* M. Tullius Latinis usitatum esse negat, quanquam hæc sermonis forma apud Plautum, Terentium, aliosque probatos auctores reperitur, & fieri potest, ut ætate Ciceronis abierit in desuetudinem. Accepit injuriam probe dicitur, qui affectus est injuria, *accepit contumeliam*, non ausim dicere. Facere æs alienum dicitur, qui contrahit debita, ut facere vorsuram, qui creditorem mutat. At non recte ad eum sensum diceretur *facere invidiam*, aut *simultatem*, qui eam conflat sibi. Ædes vitium fecerunt, quæ ex sese corruptæ sunt. *Rimas fecerunt*, non ausim dicere, quum rimas agere Latine dicatur. Sic facere stipendium recte dicitur, qui militat stipendio. *Facere salarium* non item. Fecit sui copiam, recte dicitur, *dedit sui copiam* non ausim dicere, quum tamen eleganter dixerit Vergilius: *Et coram data copia fandi.* At fecit spem ac dedit spem, utrunque Latine dicitur. Interdum vox non in loco posita vitiat oratio-

A nem. Quod genus: Quid sibi vult hic homo, recte dicitur. *Quid sibi vult hic mortalis*, inepte diceretur. Sed ad rem: quod est vestis nostro corpori, id est sententiis, elocutio. Neque enim aliter quam forma dignitasque corporis, cultu habituque, itidem & sententia verbis vel commendatur, vel deturpatur. Itaque plurimum errant, qui nihil arbitrantur interesse, quibus verbis quæ res efferatur, modo utcunque possit intelligi. Neque diversa est commutandæ vestis, & orationis variandæ ratio. Sic igitur prima curarum, ne vestis aut sordida sit, aut parum apta corpori, aut perperam composita. Nam indignum fuerit, si forma per se bona, vestis sordibus obfuscata displiceat. Et ridiculum sit, si vir muliebri amictu prodeat in publicum. Et fœdum, si quis
B veste præpostera atque inversa conspiciatur. Quare si quis Copiam affectare velit, priusquam linguæ Latinæ mundiciem sibi compararit, is meo quidem judicio non minus ridicule fecerit, quam si quis pauper, cui nec unica sit vestis quam sine magno pudore possit induere, subinde mutato vestitu, aliis atque aliis pannis obsitus, in forum prodeat, ambitiose mendicitatem suam ostentans pro opibus. Hic quo sæpius id fecerit, an non hoc videbitur insanior? Videbitur, opinor. Atqui nihilo minus absurde faciunt isti quidam affectatores Copiæ, qui cum ne semel quidem possint id quod sentiunt, mundis verbis efferre; tamen perinde quasi pudeat eos parum
C balbos videri, ita balbutiem suam aliis atque aliis modis reddunt balbiorem, quasique certamen ipsi secum sumpserint, ut quam possit barbarissime dici, dicant. Volo ego multijugam esse domus opulentæ supellectilem, sed totam elegantem esse volo, ne mihi salignis, ficulnis ac Samiis vasculis omnia sint referta. Volo in splendido convivio diversa ciborum genera proponi, sed quis ferat, si quis centum apponat eduliorum formas, quorum nullum sit quod non nauseam moveat? Hæc non temere pluribus verbis admonui, quod exploratam habeam plerorumque mortalium præcipitem audaciam, qui præteritis fundamentis, statim & illotis (quod ajunt) pedibus, ad summa malunt festinare. Neque mul-
D to levius peccant, qui sordida miscentes elegantibus, purpuram pannis deturpant, ac vitrea gemmis intertexunt, Atticisque bellariis jungunt alliata. Nunc variandi formulas proponemus, eas nimirum, quæ ad verborum pertinent Copiam.

CAP. XI.

Prima variandi ratio per Synonymiam.

PRIMA igitur ac simplicissima variandi ratio, in his verbis sita est, quæ diversa cum sint, eandem omnino rem declarant, ita ut ad significationem nihil referat, hoc an illo malis uti. Quæ quidem Synonyma
E Grammaticis dicuntur, contraria his quæ dicuntur Homonyma: illa quidam audent dicere æquivoca, hæc univoca: licet hæc cognomina juxta Dialecticos magis congruant rebus ipsis, quam vocabulis. nam voces diversas rem eandem significantes rectius dicemus ἰσοδυναμούσας, & his contrarias πολυσήμους. prioris generis sunt, ensis gladius, domus ædes, codex liber, forma decor pulchritudo. Horum itaque maxima vis undecunque è bonis auctoribus contrahenda, varia comparanda supellex, & (ut Fabius ait) *divitiæ quadam exstruendæ*, quibus ubicunque desideratum erit, possit nobis constare verborum copia. Neque sat erit hujusmodi vocum mundum copiosum ac penum divitem parasse; nisi non so-
F lum in promptu, verumetiam in conspectu habeas, ut protinus vel non quæsita sese ostendant oculis. Qua tamen in re illud in primis cavendum, ne, quod quidam faciunt, citra delectum velut ex acervo quicquid primum occurrerit, quolibet loco dicamus. Primum enim vix usquam duo verba reperies adeo ἰσοδυναμοῦντα, quin aliquo discrimine diffideant. Nam quid tam idem significat, quam homines & mortales. Et tamen qui passim omneis mortales, pro omneis homines dixit, Græco isto notatus est proverbio, τὸ ἐν φακῇ μύρον, id est,

est, *In lenticula unguentum.* Et alicubi literæ & epistola rem eandem significant, alicubi diversas. Tum ut demus in significatu nihil omnino discriminis esse, tamen sunt alia aliis honestiora, sublimiora, nitidiora, jucundiora, vehementiora, vocaliora, ad compositionem magis concinna: Proinde dicturo delectus adhibendus, ut ex omnibus optima sumat. In promendo judicium requiritur, in condendo sedulitas. Ut judices præstabit diligenter observata sermonis elegantia, proprietasque. Ut quam plurima recondas, omnis generis auctorum assidua lectio dabit. Siquidem aliis verbis multa eloquuntur poetæ, aliis oratores. Sunt & ætatibus ac seculis sua quædam peculiaria vocabula. Quin iidem etiam scriptores rem eandem sæpenumero diversis modis efferunt. Primum igitur ex omni scriptorum genere, verba quam optima seligenda. Deinde qualiacunque erunt, tamen in congeriem addentur; neque vox ulla rejicienda, quæ modo apud scriptorem non omnino pessimum reperiatur. Nullum enim verbum est, quod non alicubi sit optimum. Proinde quantumvis erit humile, inusitatum, poeticum, priscum, novum, obsoletum, durum, barbarum, ac peregrinum, tamen in suo veluti grege nidoque reponatur, ut si quando venerit usus, tum accersatur. Quod si verebimur ne verbi vetustas aut novitas aures offendat, rectum erit [1] Fabiano uti consilio, ut meminerimus προεπιπλήττειν. Id fiet iis ferme rationibus. Cato *librorum helluo*, si tamen eo verbo fas est uti in re tam præclara. *Ipsissimus*, ut Plauti more loquar. Cur enim non utar Ennianis verbis? Nam Horatiano verbo libenter utimur. Sic enim isti Neoterici loquuntur. Agnoscis castrense verbum, ut poetæ loquuntur. ut prisci loquebantur, ut dicam antique. Si sic loqui licet, si mihi permittis vulgato more loqui, dicam enim Græce quo dicam melius. Idem faciundum in his verbis quæ vocantur κακέμφατα, hoc est, quæ vergunt ad obscœnæ rei significationem.

SORDIDA.

Sordida igitur sunt quæ humiliora videbuntur, quam pro rei dignitate, veluti si quis amicum ac familiarem *congerronem* appellet, *Literarum avidum helluonem.* Nam *acetum*, *spongia*, *pulegium*, demiror [2] quur Senecæ verba sordida videantur. Mihi rectius sordida videntur, quibus ipse usus est in quadam epistola, *Pilicrepi*, *botularii & crustularii.* Hujusmodi fere sunt, quæ à sordidis artibus ac opificiis sumuntur, velut à balneis, à culinis, à coriariis, à popinis. Quibus tamen necessario utimur, si de talibus argumentis sit differendum. Siquidem chirurgi ac medici coguntur interdum uti verbis aptis potius quam splendidis. Et Plinius [3] jocatur in *verba Castrensia.* Et *Tuburcinandi* verbum latronum sodalitia nobis dederunt. Quædam autem per se sordida sunt. alia ad argumentum, ad personas, aut alias circumstantias relata. Veluti *stercus* & *stercorare* non est sordidum verbum, si apud agricolas de agricultura loquaris, secus si apud principem de Rep. habeatur oratio.

INUSITATA.

Olim plurimum jus erat consuetudini publicæ, quemadmodum testatur & Horatius: *Multa renascentur quæ nunc cecidere, cadentque, Quæ nunc sunt in honore vocabula, si volet usus.* Nunc quoniam loquendi ratio non à vulgo, sed ex eruditorum monumentis petitur, non est eadem consuetudinis auctoritas. Inusitata tamen videri possunt, quæ rarius occurrunt apud eos auctores qui frequentius teruntur ab eruditis. Et hodie danda est opera, ne moleste loquamur, longeque recedamus ab istorum studio, qui recte loqui putant inusitate loqui, quod in L. Sisenna viro alioqui docto notat M. Tullius: quique quod eleganter dictum est à Diomede, ita demum sibi videntur ingeniosi, si ad intelligendos ipsos opus sit ingenio: Denique qui malunt scribere quæ mirentur homines, magis quam intelligant. Nec uno tamen modo fit ut sermo sit inusitatus, quod ex his quæ sequuntur fiet perspicuum. Si quis exemplum requiret: Inusitate loquetur, qui *passos senes* dicat, pro rugosis, *interduatim* & *interatim*, pro interdum & interim. *Titillivitium* pro re nihili. *Vagorem*, pro vagitum.

POETICA.

Sunt & apud poetas, quibus parcius est utendum, præsertim in oratione libera. Cujusmodi sunt apud Horatium, *eliminare*, pro efferre foras arcanum: Quo tamen usus est M. Tullius pro ejicere. *Juvenari*, pro juveniliter lascivire, quæ vox ad Græcum efficta est, νεανίζειν & νεανιεύειν. *Furiare*, pro in furorem agere. *Clarare*, pro illustrare. *Æternare*, pro sempiternæ memoriæ tradere. *Inimicare*, pro inimicitias concitare. *Pauperare*, pro damno afficere. *Cinctutis*, pro cinctis. *Invideor*, pro mihi invidetur. Et apud Vergilium. *Agmen*, pro actu seu ductu: *Leni fluit agmine Tybris. Indomitum furit*, pro indomite: *Acerba tuens*, pro acerbe. *Sperare* pro timere sive expectare: *Hunc ego si tantum potui sperare dolorem, Et perferre soror potero.* Similiter Terentius: *Nam quod speras propulsabo facile.* A qua tamen sermonis forma non abhorruit M. Tullius in epist. famil. *Et mobili in me meosque esse animo non sperabam.* Græcis mira felicitas in componendis dictionibus, quam interdum imitantur poetæ, quum idem non perinde succedat oratoribus Latinis. Quod genus sunt, *Vulnificus*, *tristificus*, *tabificus*, *fatidicus*, *laurigeri*, *caprigenum pecus*, *velivolum mare*, *vitisator*, aliaque id genus innumera. *Vitilitigatores* ausus est Cato dicere. Alius *officiperdam.* Ad poeticam licentiam accedunt Historici.

PRISCA.

Prisca gratiam addunt, si modice & apte velut emblemata intertexantur. Quod genus sunt *expectorare*, pro eo quod est, expromere verbis quod est in animo. *Actutum*, pro quamprimum. *Amigerio*, pro valde. *Oppido*, pro eodem. *Creperum bellum*, pro dubio. *Hostire*, pro pensare. *Hostimentum*, pro pensatione. *Vitulantes*, pro gaudentes. *Jumentum*, pro vehiculo. *Perduellis* & *perduellio*, pro hoste patriæ. *Duellum*, pro bello. [4] *Cluere*, pro pugnare. *Temetum*, pro vino. *Æmathia*, pro Thessalia.

OBSOLETA.

Inusitata sunt, quorum rarus est usus. Prisca, quæ ex scriptis ob antiquitatem relictis à posterioribus decerpta sunt, velut è XII. Tabulis, ex Ennio & Lucilio, Nævio & Pacuvio. Obsoleta sunt, quæ prorsus in desuetudinem & oblivionem abierunt. Cujusmodi sunt *bovinari*, pro tergiversari. *Apludam* edit & *floces* bibit, pro furfure vescitur, & fecem bibit, quæ merito deridet Gellius. *Hostem* pro hospite ac peregrino dixit antiquitas. Nunc ridiculus sit, qui tentet ad eum loqui modum. Obsoletis non video quis sit locus, nisi per jocum & ironiam: Veluti si quis ineptum antiquitatis affectatorem ita notet. Hic profecto dignus est, qui *apludam* edat & *floces* bibat. Hic non solum habenda est ætatis ratio, verum etiam studii & affectationis. Est enim antiquitas jam exoleta, ac rudis, qualis videri potest ab ætate Livii Andronici, quæ paulatim enituit, usque ad M. Tullii tempora, quibus sic expolita est Romana eloquentia, ut quo cresceret non haberet, sed ut sunt res humanæ, paulatim ab illo summo candore degeneraret. necesse enim fuit, ut posteriores quum aliter dicere conarentur, pejus dicerent. Et tamen Sallustius quum eadem ætate scripserit qua Cicero, Catoni Censorio quam Ciceroni similior est. Ac Mœcenas quum idem ferme ætatis vixerit, tamen à seculi sui puritate longissime abest. Itidem Valerius Maximus quum Tiberii Cæsaris ætate fuerit, qua nondum de-

1. Respicit ad præcepta tradita à *Quintiliano* lib. VIII. c. 3. ubi *qua de re*, inquit, *Græcum illud erit elegantissimum* προεπιπλήττειν τῇ ὑπερβολῇ, hoc est, præmouere antequam hyperbole utaris.
2. Intelligit *M. Senecam*, qui eas voces damnat, in Præf. lib. III. Controvers. quem miscet cum *L. Senecæ*, ejus filio, qui Ep. LVI. utitur vocibus *pilicrepi* &c. Vide Interpretes ad ea loca.
3. In Præf. Historiæ, prolatâ voce *conterraneus*.
4. Lege *cernere*, non *cluere*. Vide *Nonium Marcellum*.

degenerarat Tulliani ſeculi candor, tamen ſuo potius quam ætatis ſuæ more ſcripſit. De Tacito, Suetonio, Pliniis, Ælio Lampridio, aliiſque poſterioribus nihil dicam. Cæterum quemadmodum jure laudatur illorum inſtitutum, qui ſeſe ad illius feliciſſimi ſeculi imitationem componunt, ita non probarim quoſdam qui ceu barbarum horrent, quod in his poſterioribus reperiunt: præſertim quum fieri poſſit, ut quod hic refugiunt, apud M. Tullium fuerit in libris, quos deſideramus. A

DURA.

Dura ſunt quæ parum commode transferuntur. Notatus eſt qui Rempub. dixit *caſtratam morte Camilli*, quum ſentiret civitatis robur illius morte concidiſſe. Et Flaccus tecte notat, Furium quendam qui ſcripſerit: *Juppiter hybernas cana nive conſpuit alpes*. His adſimile fuerit illud: *Campos pacis ſuſtulit, belli montes excitavit.* Mollius erat, ſi à mari tranquillo ac turbato duxiſſet metaphoram. B

PEREGRINA.

Habent ſuam & peregrina gratiam, in loco adhibita. Veluti quum *Gazas* dicimus pro divitiis, quæ vox Perſica eſt. Celebrata eſt autem ejus gentis opulentia, & opulentiæ comes luxus. *Acinaces* pro gladio, Medicum verbum eſt. *Eſſedum* pro rheda Britannicum. *Ungulum* Oſcorum lingua annulus dicitur. *Caſcus* pro vetulo Sabinorum eſt. *Uri* pro bubus feris Gallica vox eſt: quemadmodum & *merga*, pro medulla ſive adipe terræ, qui effoditur ad lætificandos agros: Et *geſſa* pro teli genere. *Paraſanga* pro ſpacio triginta ſtadiorum Perſicum verbum eſt. Quin & *Camurum* pro eo quod in ſe recurrit inter peregrinas voces cenſetur. Apud veteres Chriſtianos recepta ſunt *Nonnus* & *Nonna*, pro ſancto & ſancta, quæ vocabula ſunt Ægyptiorum, quod olim illic monachorum & monacharum examina ſanctimoniæ nomine commendarentur. Quod ſi quando neceſſitas cogit, ut barbaris utamur, non ſine honoris præfatione ſunt adhibenda, quemadmodum ait Plinius. Sunt aliæ permultæ voces, quæ à barbaris nationibus una cum ipſis rebus ad Græcos, à Græcis ad nos dimanarunt. Quod genus ſunt *Sinapi*, *Piper*, *Zinziber*, & cætera. C D

OBSCOENA.

Obſcœnas voces oportet ab omni Chriſtianorum ſermone procul abeſſe. Nec audiendi ſunt Cynici, qui nihil putant turpe dictu, quod turpe factu non ſit. Rurſus quod turpe non ſit in occulto facere, id nec in publico turpiter fieri, veluti reddere lotium, aut exonerare alvum. At è diverſo non ſtatim turpe dictu eſt, quod factu turpe eſt. Parricidium & inceſtus verecunde nominantur, quum utrunque factu ſit turpiſſimum. Verum ut ſunt quædam corporis membra, quæ quum per ſe inhoneſta non ſint, tamen pudore quodam humano velantur, ita ſunt actiones quædam mediæ, quæ verecundiæ gratia celantur. At non ſtatim quod indecorum eſt propalam facere, turpe eſt ſuo nominare vocabulo. E *Parere* verecunde dicitur, quod tamen turpe fieret in propatulo. *Meiere* non eſt verbum obſcœnum, tametſi reddere lotium verecundius eſt, palam tamen meiere inverecundum eſt. Contra *cacare* verbum eſt obſcœnum, quum actio ſit æque media. *Venter* pudice nominatur, impudice oſtenditur. *Vulva* verbum eſt honeſtum, quum *cunnus* ſit obſcœnum. Unde igitur ducitur obſcœnitatis ratio? Non aliunde quam ab uſu, non quorumlibet, ſed eorum quorum eſt caſta oratio. Nam poetæ præcipue Satyrici in his ſibi nimium permiſerunt. F Interdum metaphora ſimplici verbo eſt obſcœnior. Quale eſt illud Horatii: *Alienas permolere uxores*, & *patriciæ immeiere vulvæ*. Et apud Catullum: *Deſpuit patruum*, & *deglubere viros*. Quædam detorta ſunt in obſcœnum ſenſum, quum per ſe ſint honeſta. Ut *dare fidem* verecunde dicimus: Et tamen obcœnum eſt quod eſt in Priapejis: *Simplicius multo eſt da, Latine dicere*. Et Martialis: *Vis dare nec dare vis*. Ab his igitur quæ manifeſtam habent obſcœnitatem in totum eſt abſtinendum. Quæ media ſunt poſſunt ad verecundum ſenſum accommodari, veluti ſi quis dicat ſe *exoſculari aut diſſuaviari ingenium* alicujus quo valde delectetur, aut philologiæ procum appellet *eruditionis candidatum*.

NOVATA.

Novata trifariam accipi poſſunt, vel quæ finguntur nova, vel quæ in alium uſum deflectuntur, vel quæ compoſitione novantur. Primi generis exemplum fuerit, quod Nero *morari* dixit prima producta, pro fatuum eſſe, à Græca voce μωρός. Secundi quod Salluſtius *ductare exercitum* dixit, quum *ductare* apud Terentium alioſque veteres ſenſum habeat obſcœnum: *Ut meam ductes gratis*. Item *patrare bellum*, pro gerere bellum, quum *patrare* prius diceretur, qui daret operam creandis liberis. Tertii generis ſunt *vitilitigator* à vitio litigandi, quod ante retulimus. *Bubſequa* pro bubulco. Item illa Pacuvii. *Nerei repandiroſtrum*, *incurvicervicum pecus*, quorum meminit Fabius. Ad hanc claſſem pertinent quæ derivatione novantur: Ut, *vituperones*, *amorabundus*, *nupturire*, *verbigerari*, cujuſmodi vocibus præcipue gaudent Apulejus, Martianus Capella, Sidonius Apollinaris: & qui ad horum exemplum ſeſe compoſuerunt. Habent & hæc gratiam, ſi modo in loco modiceque velut adſpergantur. Nam ut eleganter eſt à Fabio dictum, *in cibis interim acor ipſe jucundus eſt*. Porro Græca Latinis in loco intermixta, non mediocrem addunt gratiam. In loco adhibentur, vel cum Græca vox eſt ſignificantior, ut λογομαχία pro contentione ſive rixa, vel cum eſt etiam brevior, ut φίλαυτος, pro eo qui ſibi placet, vel quum eſt vehementior, ut γυναικομανὴς pro mulieroſo, vel quum eſt venuſtior, ut ſi quis de rebus arduis ſed inutilibus diſſerentem dicat eum μετεωρολεσχεῖν, aut eum qui ſibi ſapiens videatur, quum ſit ſtultus, appellet μωρόσοφον. Nam Græcæ vocis gratiam nulla Latina poſſet aſſequi. vel quum ad locum aut dictum auctoris alicujus alludimus, veluti quum notantes aliquem inconſideratius loquutum dicimus, [1] ποῖον ἔπος, &c. quod eſt apud Homerum. aut indicantes aliquem non reſpondiſſe ad id quod proponebatur dicamus ἄμας ἀπήτων, quod ſi Latine dicas, *falces petebam*, perit ſermonis lepos. Alluſionem habet illud Horatianum: *Ter uncti trans Tyberim nanto, Irriguumque mero ſub noctem corpus habento*. Facit enim Trebatium loquentem Jureconſultum. Solent enim ii verbis duodecim Tabularum delectari. Quod & M. Tullius imitatur in libris *de Legibus*. Denique quum nolumus id quod dicimus à quibuslibet intelligi. Ac ne ſingula perſequar, quoties invitat aliqua commoditas, recte Græca Latinis intertexentur, præſertim quum ad eruditos ſcribimus. Cæterum quum nihil huc invitat, velut ex inſtituto ſermonem ſemi-Latinum & ſemi-Græcum texere, fortaſſis in adoleſcentibus ſemet ad utriuſque linguæ facultatem exercentibus veniam mereatur: In viris mea ſententia parum decora fuerit hæc oſtentatio, neque plus habeat gravitatis, quam ſi quis alternis & è proſa oratione & metris librum miſceat, quod tamen ab eruditis quibuſdam factum videmus, ab Arbitro Petronio, ſed non ſine ſpecie dementiæ, à Seneca in ludicro Encomio Claudii. Et quod magis admirandum, à Boetio in argumento ſerio, qui tamen in carminibus adeo ſui diſſimilis eſt, ut docti vix credant ipſius Marte fuiſſe conſcripta. Boetium imitatus eſt Joannes Gerſonenſis, ſcriptor haud contemnendus, ſi in hoc ſeculum incidiſſet. Jam ſit interdum, ut aut longo circuitu cogamur efferre quod ſentimus, aut à Græcis mutuo ſumere, ut in πολυπραγμοσύνη, φιλαυτία, ἀφιλοκαλία, πολυφιλία, δυσωπία, παραλογία, ταυτολογία, βαττολογία, atque id genus ſex millibus, de quibus fortaſſis alias nonnihil dicemus. Sunt non paucæ Græcorum voces, quas antiquitas Latinitate donavit. Iis perinde atque Latinis uti licebit: ut *rhetor*, & orator; *hypotheca*, & pignus; *helleborum*, & veratrum;

1. Integrum eſt *ποῖόν σε ἔπος φύγεν ἕρκος ὀδόντων; quale te verbum fugit è ſepto dentium*, Iliad. Δ. 350. & alibi.

A trum; fœniculum, & *marathrum*; *Sycophanta*, Calumniator; præbibo, quo usus est Apulejus, & *propino*; *mastigia*, verbero. Quædam ita recepta, ut desit verbum Latinum, sicuti *Philosophus*, *Theologus*, *Grammatica*, *Dialectica*, *Epigramma*. In quibus ipsis inerit nonnihil varietatis, si modo Græca, modo Latina forma inflectantur, ut *scorpius* & scorpio, elephantus & *elephas*, delphinus, *delphin*; *lampas*, lampada, dæ; grammatica, grammaticæ, *grammatice*, *grammatices*.

CAP. XII.

Ætatum propria vocabula.

B DILIGENTER itaque conveniet observare, quid in usurpandis vocibus ætas variarit. *Beatitudinem* & *beatitatem*, *mulierosum* & *mulierositatem*, Cicero primus ausus est dicere. *Declamare* pro exerceri ad eloquentiam illius ætate novum erat. Ætate Varronis *æditumus* pro æditimo novum erat. Sic enim ab æde dicebatur *æditimus*, quemadmodum à lege legitimus. *Interim* pro interdum, *Obiter* pro interea, & velut aliud agendo, *Subinde* pro identidem, Quintiliani seculo nata sunt. *Reatum* Messala primus dixit: *Munerarium* Augustus. *Favor* & *Urbanus* seculo Ciceronis voces erant novæ. *Obsequium* primus dixit Terentius, ut existimat Tullius. *Cervicem* numero singulari primus dixisse fertur Hortensius.
C *Piraticam*, *musicam*, *fabricam* pro artibus, vix dum à suis præceptoribus recepta fuisse testis est Fabius. Hujusmodi vocum idem pollentium congeries, quam Græci συναθροισμὸν vocant, conducet non tantum ad hoc, ut si quando res eadem crebrius erit repetenda, vitemus ὁμοιολογίαν, id est, similem ubique sermonis colorem, verum etiam ad δείνωσιν, id est, vehementiam faciet. Abiit, erupit, excessit, evasit. parentem necasti, patrem occidisti, progenitorem trucidasti. Quod genus Rhetores inter orationis decora referunt, vocantque interpretationem, ego magis arbitror ad exercitationem adhibendum esse quam ad orationem. Difficillimum enim variandi genus est, si manente sermo-
D nis habitu, sensum eundem sæpius aliis atque aliis verbis idem pollentibus efferre consuescas. Ut adire periculum, subire discrimen, suscipere periculum, aggredi discrimen. Ædificat domum, extruit ædes. Emit librum, mercatus est codicem. Ablegavit puerum, amandavit ministrum. Hic tibi ab illo habitus est honos, hæc tibi ab illo relata est gratia. Hoc præmii recepi, hoc fructus tuli. Condonavit culpam, remisit noxiam, ignovit admissum. Quoties ejus diei recolo, quoties recordor, quoties reminiscor. Nihil est humanis auribus fastidiosius, ac recte præcipit Horatius: *Ut currat sententia, neu se Impediat verbis lassas onerantibus aures.* Secus est, quum & affectui servit iteratio, & va-
E rietas aliqua levat repetitionis tædium. Quod genus est illud Maronis: *Superest ne, & vescitur aura Ætherea, nec adhuc crudelibus occubat umbris.* Huic similis est illa M. Tullii copia *pro Q. Ligario*: *O clementiam admirabilem atque omnium laude, prædicatione, literis, monumentisque decorandam*, &c. Similia dixit, non eadem. Laudatur etiam idque merito ex eadem oratione locus, rem eandem aliis atque aliis verbis inculcans. *Quid enim Tubero tuus ille districtus in acie Pharsalica gladius* [1] &c. Hæc eo diligentius admoneo, quod celebris alioqui nominis concionatores, præsertim apud Italos, senserim hoc ceu præclarum affectare, ut hujusmodi synonymis tempus eximant, veluti si quis interpretans illud Psalmi, *Cor
F mundum crea in me, Deus*, ita loquatur, crea in me cor mundum, cor purum, cor nitidum, cor immaculatum, cor expers sordium, cor nullis vitiis inquinatum, cor purgatum, cor lotum, cor niveum, atque idem faciat in cæteris verbis: Atqui hæc copia non multum abest à battologia.

CAP. XIII.

Ratio variandi per Enallagen, sive ἑτέρωσιν.

PROXIMA variandi ratio est, cum eadem voce modice deflexa, varietatis nonnihil conciliatur, ut *Edax edo*, *bibax bibulus*, *bibosus bibo*, *loquax loculutejus*, *nugator nugo*, *blaterator blatero*, *fallax falsus*, *voluptuosus voluptuarius*. Hujus generis est, cum substantivum nomen adjectivo commutatur, aut contra. Ut, juxta sententiam Homeri, juxta sententiam Homericam. Vir mire facundus, vir mira facundia. Insignite impudens, insignita impudentia. Cum verbum activum mutatur in passivum, aut contra. Plurimam habeo gratiam, plurima tibi à me habetur gratia. Magna me tenet admiratio, magna teneor admiratione. Non sic amat filium mater, non sic amatur à matre filius. Et ut rem infinite variam summatim dicam, duobus potissimum modis constat hæc mutatio. Vel cum pars ipsa mutatur, vel cum eadem orationis parte manente, qualitas novatur. Ea totidem rationibus commutari poterit, quot sunt res quæ voci cuipiam accidunt. Prioris exemplum erit. Non confido facturum me, non est fiducia. Non dubito quin possit, non est mihi dubium quin adsit illi facultas. Judicent alii, aliorum esto judicium. Quid huc redisti? quid huc reditio est? Desine nugari, desine nugas. Id mihi anus indicium fecit, pro indicavit. Est illi mira sitis auri, mire sitit aurum. Non est apud illum discrimen amici & inimici, id est, non discernit amicum ab inimico. *Nostrum istud vivere triste.* Infinitum verbum, pro nomine. *Virtus est vitium fugere*, id est, virtus est fuga vitiorum. In his orationibus verbum nomine permutatur. Amantem redama. Promerenti benefac. Redama eum qui te amat. Benefac ei qui promeretur. Tui desiderantissimus est, te maxime desiderat. Nemo tui videndi cupientior, nemo qui te magis videre cupiat. Hic verbum participio commutatur. Venisti ereptum, venit eripere, venit erepturus, venit ut eripiat. Hic verbum supino aut participio mutatur. Ad congerendas pecunias inhiat, ad congerendum pecunias inhiat. Hic gerundium, ut vocant, gerundio commutatum est. Hoc dictum oportuit, hoc dicere oportuit, *Si quid recte curatum velis*, si quid recte curari velis. Hic infinitum verbum participio commutatur. *Magnum dat ferre talentum*, ferre pro ferendum. *Sthelenus sciens pugnæ*, id est, sciens pugnandi. Cupidus litium, cupidus litigandi. Hic nomen positum pro gerundio. Libitum est, pro libuit. Misertum est, pro misertus sum. Pertæsum est, pro tæduit. Placitum est, pro placuit. Puduit, puditum est. Hic supinum pro verbo. Meliuscula est, meliuscule est. Plurimum est in foro, plurimus est in foro. Rarus est conviva, raro est conviva. Multus est apud mulierem, multum apud mulierem versatur. Frequens est in aula, assiduus in literis. Hic nomine commutatur adverbium frequenter & assidue. Verum alias fortassis ut commodius, ita & copiosius de his dicemus. Nunc de qualitatis variatione docendi causa pauca ponamus, quasi digito fontes ipsos indicantes.

NVMERVS.

Usurpatur numerus pro numero. Romanus prælio victor, pro Romani victores. *Haud secus ac patriis acer Romanus in armis.* *Uterumque armato milite complent*, armatis militibus. Omnem pecuniam absumpsit, omnes pecunias. Populo imposuimus, id est, imposui. *Et oratores visi sumus*, cum de uno loquatur Cicero. Vergilius: *Sed nos immensum spaciis confecimus æquor.* Hominis vultus, pro vultu, *datur ora tueri*, pro datur videre faciem. Animos pro animo. Nam in prima persona pro singulari plurativum numerum ponere frequentissimum est, aliquoties modestiæ causa. In secunda nunquam, nisi genus ipsum significamus, Quæ vestra libido est, id est, virorum. In tertia invidiæ causa mutavit Teren-

[1] Vide integrum locum, cap. III. Or. *pro Ligario.*

rentius. *Cum ad uxores ventum est, tum fiunt senes:* cum de uno Chremete diceretur. *Inexplicitosque Platonas* Martialis, cum de uno Platone dicat. In genere mollior ac frequentior est numeri mutatio, in nominibus quæ Grammatici collectiva vocant. Cujusmodi sunt, vulgus, populus, grex, ordo, *pars in frusta secant.* Item in his quæ non unum aliquod individuum, sed genus aut speciem declarant. Nihil enim refert, utrum dicas, elephantus decimo demum anno parit, aut elephanti decimo anno pariunt. A

PERSONA.

Variatur & persona pluribus modis, vel cum certa pro quavis ponitur. *Quid facias? ut homo est, ita morem geras. Videas & flumina sicca*, id est, videri poterant. Idem fit per primam personam itidem ut per secundam. B

Ne mihi tum molles sub divo carpere somnos,
Neu dorso nemoris libeat jacuisse per herbam.
Neve tibi ad solem vergant vineta cadentem.

Nonnunquam pro prima, aut etiam secunda persona, tertiam usurpamus. Ut, *ait Clodius, negat Cicero*, id est, tu ais, ego nego. Vergilius:

Nec me meminisse pigebit Elissæ,

id est, tui. Idem,

Et tandem Turnum experiatur in armis.

Turnum dixit pro me. Item,

Manibus hoc referes, telo cecidisse Camillæ.

id est, meo. C

Huc pertinet quæ vocatur Apostrophe, quum orationem ad aliquam personam, aut ad rem tanquam ad personam vertimus. ut,

Scipiadas duros bello, & te maxime Cæsar.
Polydorum obtruncat, & auro
Vi potitur. Quid non mortalia pectora cogis
Auri sacra fames?

Vergilius Parenthesim cum Apostrophe conjunxit in illo:

Haud procul inde citæ Metium in diversa quadrigæ
Distulerant (at tu dictis Albane maneres)
Raptabatque viri mendacis viscera Tullus.

Ad hanc formam pertinet, quoties verbum personale impersonali commutamus, ut non te hæc pudent? D Non te horum pudet? Apud Barbaros assidue bellatur, Barbari continenter bellant. Dicitur passim pontificem adventare. Plerique dicunt pontificem adventare. Dici non potest, quam te amem. Nemo dixerit facile, quam te amem.

GENVS.

Est nonnihil varietatis, & in generis commutatione: ut *Lachrymat* pro lachrymatur. *Luxuriat* pro luxuriatur. *Fluctuatur* pro fluctuat. *Prævertere* pro præverti. Præcipitat pro præcipitatur. *Avertit* pro avertitur. *Reverto* revertor, *Impertio* impertior, *Assentio* assentior. Solebat fieri, solitum est fieri. Non quivit compesci, non quita est compesci. Desiit haberi in pretio, desita est haberi in pretio. Causa cœpit agi, cœpta est agi. Assentior, & assentio tibi. Conspicor, & conspicio. In quorum postremo mutatur & συζυγία. Nam illa quæ refert Diomedes, frustro, patio, moro, demolio, auxilio, populo, digno, atque id genus alia, priscis arbitror relinquenda, nisi in carmine inciderint. Nam tum excusatius adhibebuntur. Consimiliter in nominibus. Pileum & pileus, hæc ficus, & hic ficus, hæc barbitus, hic barbitus, hoc barbiton, hic helleborus, hoc helleborum, hoc nasum dixit Plautus. E

CASVS.

Casus etiam mutatur. Ejus rei mihi venit in mentem, ea res. Non sum id nescius, non sum ejus rei nescius. F Quædam etiam citra Tropum duplicem habent constructionem. Utor hanc rem & hac re. Egeo tui, egeo te. Dives pecore, dives pecoris. Dono te libro, dono tibi librum. Impertior heram hoc malo, impertior heræ hoc malum.

SPECIES.

Species variatur cum deductitiis utimur pro primogeniis. Ut magnis negociis prohibitus, magnitudine negociorum prohibitus. Cum diminutivis loco simplicium, ut *loquaculus* pro loquax, *nasutulus* pro nasuto, *paucula* pro pauca, *pauxillum* pro paulum. Cum frequentativis verbis pro primitivis. *Dictito* pro dico, *volito* pro volo, *jactito* pro jacto. Cum substantivo pro adjectivo, ut si quis pro pestilente *pestem* appellet, pro scelerato *scelus* dicat. Cui finitimum est, quum *Italas artes* dicimus pro Italicis, *Batavas aures* pro Batavicas, *Hispanos mores* pro Hispanicis. Cum comparativum aut superlativum absoluti loco ponimus. Ut,

Tristior & lachrymis oculos suffusa nitentes.

Et facundissimus, pro vehementer facundo. De quibus suo loco dicemus. Cum patronymicum loco primogenii ponitur, ut Scipiadas pro Scipionibus. Verum hoc in carmine fortasse liceat, in oratione prosa nemo tulerit.

FIGVRA.

Figuræ mutatio copiam adjuvat, quoties simplici dictione pro composita utimur aut contra, sive id tropo fiat, sive citra tropum, ut *temnere* pro contemnere. *Ruere* pro eruere. *Ponere* pro deponere. *Mittere* pro omittere. Rursum *conscribere* pro scribere. *Comedere* pro edere. *Demirari* pro mirari. *Inaudire* pro audire. *Incognoscere* pro cognoscere. *Consipere* pro sapere. *Complacare* pro placare. *Dependere* pro pendere. *Deridiculus* pro ridiculus. *Quandoquidem* pro quando. Fit & hoc modo: Non potest pudescere, non potest pudefieri. Tempus est ut expergiscaris, ut expergefias. Calescere & calefieri. Ad hanc formam fortasse referendum est illud, quoties compositam dictionem simplicibus circumloquimur. Magnanimus vir, vir magno animo. Relege, denuo lege, Magnopere te rogabat, magno te rogabat opere. Non animadvertit, non advertit animum. Non satisfacit, non facit mihi satis. Interdum variatur compositionis ratio, ut exprobrare & opprobrare, persolvere, dissolvere, exsolvere, resolvere æs alienum.

TEMPVS.

Tempus quoque non raro commutatur. Memini legere & memini legisse. *Prædiceres* pro prædixisses, vel prædicere debuisses. *Laurus erat* pro laurus esset. *Vicimus* pro vincemus. *Salutabis* pro saluta. Imus, venimus, videmus, præsens pro præterito.

MODVS.

Huic finitima est modi variatio, ut *vicero* pro vincam. *Salutabis* pro salutato. *Ne crede*, ne credas. *Si voles*, si volueris. *Ubi voles*, ubi volueris. *Cum vacabit*, cum vacaverit. *Quia bene natus est*, quia bene natus sit. *Venari* pro venabatur.

DECLINATIO.

In nonnullis licebit & declinationem variare. Ut hilarus & hilaris, violens & violentus, imbecillus imbecillis, contagium contagio, juger & jugerum, capo & capus, pavo & pavus, scorpio scorpius, senectus senecta, juventus & juventa.

CONJVGATIO.

In aliquot conjugationem, ut *lavere* pro lavare, *fervere* & fervere, *accersere* & accersire. Variatur eadem dictio his quoque modis. Prosthesi, ut *tetuli* pro tuli, *gnatus* pro nato. Epenthesi. *Mavortis* pro Martis. Proparalepsi, ut *admittier*, *accingier*, *dicier*, pro admitti, accingi, dici. Paragoge, *potestur* pro potest. Aphæresi, *Ruit omnia late*, pro eruit. *Linquere castra*, pro relinquere. Syncope, *extinxti*, *dixti*, pro extinxisti, dixisti. Apocope, *Mage* pro magis, *vin'* pro visne. Quæ quidem species sunt Metaplasmi, propterea quod dictionem quasi transforment. Reliquas species prudens omitto, quod non admodum ad copiam facere videntur. Et nobis propositum est, ea duntaxat persequi, quæ proprie pertineant ad id quod instituimus.

CAP. XIV.

Variandi ratio per Antonomasiam.

PROXIMA variandi sermonis ratio constat Antonomasia, id est, nominis permutatione, ut si quis pro Achille *Peliden*, aut *Æaciden* dicat. Pro Romanis *Romu-*

mulidas. Pro Trojanis, *Priamidas* aut *Dardanidas*. Pro Hercule, *Tyrinthium*. Pro Venere, *Cytheream*, aut *Cypridem*. Pro Diana, *Cynthiam*. Pro Jove *Saturnium*. Pro Mercurio *Cyllenium*. Nonnunquam epitheton pro nomine ipso subjicere licebit. Virgilius, *Thalamo quæ fixa reliquit Impius*, impium pro Aenea dixit. Livius *Pœnum* pro Hannibale. In Terentio sæpe *senex* pro persona heri. Ejusdem generis est, si quis *Poetam* dicat, Homerum sentiens, *Philosophum*, Aristotelem significans. Quemadmodum Græci Persarum regem βασιλέα nominant. Neque ab hoc genere abhorret, si quis pro fure *Verrem* dicat, pro molli *Sardanapalum*, pro divite *Crœsum*, pro crudeli *Phalaridem*. Quæ suo loco referemus.

CAP. XV.

Variandi ratio per periphrasim.

ID, si pluribus verbis fiat, Periphrasis erit, quam quidam Circuitionem nominant, ut si quis *eversorem Carthaginis & Numantiæ* pro Scipione dicat, ut *Trojani belli scriptorem* dixit Horatius pro Homero. Item, si *Mantuanus vates* ponatur pro Virgilio. *Venusinus poeta*, pro Horatio. *Peripateticæ scholæ princeps*, pro Aristotele. *Stoicæ familiæ pater*, pro Zenone. *Voluptatis assertor*, pro Epicuro. Hæc autem ratio plurimis constat modis. Etymologia, notatione, finitione.

ETYMOLOGIA.

Etymologia cum nominis rationem explicamus, ut si quis *hæredipetam* dicat, qui hæreditates alienas appetat, captetque. Aut pro parasito, *hominem cibo ventrique deditum*. Aut pro philosopho, *hominem sapientiæ studiosum*. Pro grammatico, *qui literas doceat*. Pro assiduo, *qui det æra*. Pro locuplete, *qui plurima loca possideat*. Pro pecunioso, *qui magnam pecorum copiam possideat*.

NOTATIONE.

Notatione constabit, cum notis quibusdam accidentium rem quampiam describimus, ut si quis iram intelligens, *animi* aut *bilis effervescentiam dicat, quæ pallorem vultu, ardorem oculis, tremorem membris inducat*. Ejusdem generis est & illud: *Qui digito scalpunt uno caput*, quo molles & parum viri significantur. Aut si dicas: *Cubito se emungit*, salsamentarium indicans.

FINITIONE.

Finitione constabit, ut si quis *artem bene dicendi* pro rhetorica dicat. Peculatorem, *virum qui civitatis ærarium compilasset*. Hominem tyrannum, *qui vi leges ac civium libertatem oppressisset*.

CAP. XVI.

Variandi ratio per Metaphoram.

ALIA vero varietatis ratio ex Metaphora nascitur, quæ Latine Translatio dicitur. Propterea quod vocem à genuina ac propria significatione, ad non propriam transfert. Ea multis modis tractatur.

DEFLEXIO.

Primum deflexione, quoties vox e propinquo ad rem proximam deflectitur, ut *video* pro intelligo. *Audire* pro obtemperare, aut credere. *Sentire* pro intelligere. *Perspicere* pro cognitum habere. *Odorari*, *olfacere*, pro suspicari ac deprehendere. *Concoquere* pro ferre. *Devorare* pro vincere ac perferre. *Complecti*, *exosculari* pro amare. *Suspicere* pro admirari. *Despicere* pro contemnere. Ita *stupet* animus, *stupent* oculi, *stupent* dentes. Siquidem in his, quod est corporis, ad animum transfertur. Quo metaphoræ genere nihil usitatius. Huc fortassis pertinent & illa, quoties *cano* pro dico, *canto* pro scribo dicimus. *Præconium* pro laude. *Buccinari* pro celebrare.

Ab irrationali ad rationale.

Proxima species est, quoties a bruto animante ad animal ratione præditum fit translatio, aut contra: ut si hominem odiosæ atque insulsæ loquacitatis *rudere* dicas, aut *blaterare*, aut *grunnire*, aut *gannire*. Si *oblatrare* pro obtrectare, *allatrare* pro convitiari dicas. Contra, *si olorem* canorum, musicam *lusciniam*, perfidam *vulpem*, ambitiosum *leonem*, assentatorem *canem*, parcam *formicam*, operosam *apem* dicamus. Cujusmodi multa Virgilius tribuit apibus, dum quicquid agitur in hominum Republica, id traducit ad hoc animal.

Ab animali ad non animal, aut contra.

Longius erit petita Translatio, si ab animali ad inanimum traducatur, aut contra. Virgilius, *si tantum pectore robur concipis*, hic robur a ligno ad hominem transtulit. *At procul excelso miratus vertice montis*. Animale ad inanimatum transtulit, cum *verticem* pro cacumine dixit. Item: *Et nunc omnis ager, nunc omnis parturit arbos*. Et *ridet ager*. Contra, *ambo florentes ætatibus*. Et *viridis ætas*, & *vernat ætas*. *Iratum mare*, *indignatus Araxes*, *avidum mare*, *mirantur gargara*. Quod genus & plura sunt exempla, & frequentius obvia, quam ut hic debeant referri. Interdum translatio fit

Ab animali ad animal.

Ut si quis *corvum sui inequitantem* dicat, & *pascentes apes*.

Ab inanimato ad inanimatum

Sumetur Metaphora, si quis *silvam scatere* dicat, quod est fontium. Aut *odium suppullulascere*, quod est fruticum. Aut si quis *pilos fruticare* dicat, aut *barbam silvescere*, quod est arborum. Si quis *orationem fluere* dicat. Aut *fluctus*, *& undas negociorum*. Ejusdem generis est, si quis collem *verrucam* dicat, quemadmodum Cato.

CAP. XVII.

Metaphora reciproca.

QUÆDAM translationes reciprocæ sunt, sive communes, quas Græci vocant ἀκολύθας. Nam ut pro gubernatore *aurigam*, item pro auriga *gubernatorem* recte dixeris. Quædam unius duntaxat partis, quas ἀνακολύθας appellant. Siquidem ut *verticem* recte transfers ab homine ad montem, ita non recte *cacumen* ad hominem traduxeris. Facit autem Metaphora non solum ad copiam orationis, dum præstat, ut ait Fabius, *ne ulli rei nomen deesse videatur*, verum & ad ornatum, ad gravitatem, ad evidentiam, ad sublimitatem, ad festivitatem. Nonnunquam & necessaria est, quemadmodum rustici *gemmam* dicunt in vitibus, *gemmare vites*, *sitire agros*, *fructus laborare*, *luxuriare segetes*. Nos durum hominem, *asperum*; neque enim aliud habemus verbum. Sed quot modis adhibeatur translatio, & quatenus differat à finitimis tropis, non est hujus propositi scrupulosius persequi. Illud admonuisse profuerit, ut qui volet in dicendo copiosus esse, ex optimis auctoribus maximam insignium translationum vim adnotatam comparet, & ad eandem rem complures adhibeat similitudines. Sunt autem apud M. Tullium optimæ, apud Quintilianum plurimæ. Sed in his vix alius felicior, quam Plutarchus. Ex adagiis item non pauca colligi poterunt, propterea quod pleraque aut allegoriam habent, aut aliquam Metaphoræ speciem. In his colligendis nos elaboravimus, haud scio quam feliciter, magnis certe vigiliis. Nihil vero prohibet, quo minus ipsi vel ex lectis, vel ex animadversis rerum omnium naturis undecunque metaphoras fingamus, modo ne sit dura translatio, ne sordida, ne major quam oportet, ne dissimilis, ne nimium crebra, præsertim in eadem specie. Illud item non abs re fuerit admonere, metaphoram interdum in simplici nomine sitam esse. Ut si quis hominem ventri addictum, *pecudem* appellet. Nonnunquam in epitheto. Ut cum *saxeum* hominem, aut *ferreum* scriptorem dicimus, aut *vitreas* undas, *floridam* ætatem. Interdum in verbo simplici. Ut *avolat* ætas, *labuntur* anni. Interdum additur quiddam, quod Metaphoram explicet. *Inflammavit* hominem cupiditate gloriæ, *Incendit* ira.

CAP. XVIII.

Variandi ratio per Allegoriam.

IDEM efficit allegoria quod Metaphora. Neque enim aliud est allegoria, quam Metaphora perpetua. Ut, *pedem conferre*, pro eo quod est concertare argumentis. *Jugulum petere*, pro eo quod est caput causæ aggredi. Et *tragulam injicere*, pro eo quod est fallaciam intendere. Ut etiam, *navem perforet, in qua ipse naviget*, id est, civitatem evertat, qua subversa sibi quoque sit pereundum. Hujus usus frequentior est in sententiis proverbialibus ac proverbiis. Ut, *flamma fumo est proxima*, quo significatur tempestiviter cavendum esse periculum. Et *vino vendibili*

suspensa hedera nihil est opus, quum significamus rei per se laudabili nihil opus esse commendatione aliena. Et *cretizandum adversus Cretensem*, id est, mendaciis ac dolis agendum cum subdolo ac vano. In hujusmodi parœmiis, allegoria nonnunquam exit in ænigma. Neque id erit vitiosum, si doctis vel loquaris vel scribas. Imo ne tum quidem, si vulgo. Neque enim ita scribendum, ut omnes omnia intelligant, sed ut quædam etiam vestigare ac discere cogantur.

Cap. XIX.

Variandi ratio per Catachresim.

Eandem vim obtinet Catachresis, quam Latini dicunt abusionem, atque hac nota secernitur à translatione, quod abusio est ubi nomen omnino defuit. Translatio ubi aliud fuit. Veluti quum *parricidam* dicimus, qui fratrem occiderit, quia *fratricida* non dicitur. Et *piscinam* in qua lavamus, nec pisces insunt. Vires hominis *breves*, *longum* consilium, *minutum* animum, pro parvo. Illud orationis genus maxime probat Quintilianus, in quo trium permixta est gratia. Similitudinis, Allegoriæ, & Translationis. Ut apud Ciceronem: *Quod fretum, quem Euripum, tot motus, tantas, tam varias habere creditis agitationes, commutationes, fluctus, quantas perturbationes, & quantos æstus habet ratio comitiorum. Dies intermissus unus, aut nox interposita sæpe & perturbat omnia, & totam opinionem parva nonnunquam commutat aura rumoris.* Similitudo est explicata & ad rem accommodata metaphora, quam Cicero vocat collationem. *Totus excanduit ira*, metaphora est. *Non aliter quam ferrum igni incandescit, ita ille per iracundiam toto vultu inflammatus est*, collatio est. Itaque quod æstus Euripi comparat inconstantiæ comitiorum, similitudo est. Quod ait, quantos æstus habet, allegoria est, aura rumoris metaphora est. Quanquam hi tropi pertinent etiam ad copiam sententiarum, de qua 2. lib. nobis dicetur.

Cap. XX.

Variatio per Onomatopœiam.

Nonnihil accedit varietatis, & ex Onomatopœia, quæ fictio nominis dici potest. Quod genus sunt *taratantara*, pro cantu tubæ, *sibilus*, *murmur*, *mugitus*. Ad eandem formam pertinet Paragoge, id est, deductio ac derivatio novorum verborum, ex Analogia sumpta, quæ cur nobis etiam sit fugienda, non video, si quando sententia postulabit. *Syllaturire*, pro eo quod est Syllæ mores imitari velle. Et quemadmodum dicimus *cacaturire*, *micturire*, *esurire*, quid vetat, quo minus juxta Analogiam dicamus, *Dormiturire*, *Scripturire*, *Proscripturire*, *Dicturire*, *Bellaturire*, *Nupturire*? Et quemadmodum dicimus *Græcari*, cur non itidem dicamus *juvenari*, *poetari*, *cornicari*, *rhetoricari*, *philosophari*, *theologari*, *vulpinari* pro ἀλωπεκίζειν ausus est dicere Plautus. Ut *laureati*, *nummati*, *scutati*, cur non itidem *pileati*, *larvati*, *personati*, & si qua sunt similia? cur non *siccescere*, sicut *arescere*? Et in his quidem fictionibus Græci longe sunt Latinis feliciores. Quorum sunt illa, *Cretissare*, *Platonissare*, aliaque innumera. Nobis tamen nonnihil audendum censeo, præsertim in carmine, & in vertendis Græcis auctoribus. Certe quæ reperiuntur apud idoneos auctores, ea sunt audacter usurpanda. Neque enim ullum verbum nobis videri debet durum aut obsoletum, quod apud scriptorem probatum reperiatur. Qua quidem in re longe lateque dissentio ab his, qui vocem omnem ceu barbaram horrent, quam apud M. Ciceronem non legerint. Quin illud etiam observandum, ejusdem dictionis interdum variam esse Paragogen, quemadmodum superius attigimus. *Voluptuosus* & *voluptuarius*, *edax* & *edo*, *homunculus*, *homulus*, *homuntio*, *pauxillum* & *paucula*. Harum igitur omnium rerum observatio, copiam orationis non mediocriter adjuvabit, propterea quod in his [1] factitiis nominibus magna pars opum linguæ Latinæ sita est.

Cap. XXI.

Variandi ratio per Metalepsim.

Abusioni confinis est Metalepsis, quæ transsumptio Latinis dicitur. Ea erit, ubi gradatim itur ad id quod ostendimus, ut *speluncis abdidit atris*. Nam nigræ intelliguntur, ex nigris obscuræ, & per hoc demum in præceps profundæ. Sic Græci vocant Ὀξὺ *acutum*, quod velox intelligi volunt. Verum hujus figuræ usus magis incidet in carmine, quam in oratione soluta. Et Synecdoches species videri potest, quemadmodum & ea quæ sequitur.

Cap. XXII.

Variandi ratio per Metonymiam.

Neque mediocriter ad copiam orationis facit Tropus, qui vocatur Metonymia, quæ dicitur nominis transmutatio. Ea fit compluribus modis. Vel quum inventorem, pro re subjecta ponimus, ut apud Maronem, *Cererem corruptam undis*. Apud Terentium, *Sine Cerere & Baccho friget Venus*. Apud Horatium, *Receptus terra Neptunus. Classes aquilonibus arcet. Vulcano dicare. Vario Marte pugnare. Venus* confert oculis & voci. Hic inventor, aut qui præsidet, pro re subjecta ponitur. Quod si vertas, erit durius. Ut, *vinum* precemur, nam hic deus præsens adest: hic vinum pro *Baccho* positum est. Vel quum id quod continet, pro eo quod continetur, usurpatur, ut *epotos cados*, *cœlo gratissimus amnis*, id est, cœlitibus. *Seculum felix*. Aut contra, id quod durius & violentius fit, Virgilius: *Jam proximus ardet Ucalegon*, hominem, pro domo posuit: Terentius: *Eamus ad nos*, id est, ad ædes nostras: & cum dicimus *hominem devorari*, cujus patrimonium consumitur. *Hunc tibi comedendum propino*. Horatius: *De sene gustarit*, id est, de pecunia senis. Ubi dominus rei pro re ipsa ponitur. Vel cum ex efficiente, effectum significamus: *hic melior remis*, significat enim velocitatem, sed quæ per remos fit. Vel contra, ut *frigus pigrum*, *Mæstumque timorem mittite*, *Pallida mors*, *Audax juventa*, *Pallentesque habitant morbi*, *Tristisque senectus*, *Præceps ira*, *hilaris adolescentia*, *inconsultus amor*, *Inverecunda nox*, *Audax vinum*. Vel quum ducem ponimus pro his qui subsunt. Ut quum *ab Annibale* cæsa apud Cannas sexaginta millia dicimus. Aut quum auctorem pro opere ponimus. Ut quum dicimus, *Virgilium* vendi, *Plinium* semper in manibus habendum. Simile est huic, quum *sacrilegium deprehensum* dicimus, non sacrilegum. Et *armorum scientiam* habere, non artis. Ad hanc classem arbitror referenda, quæ pariter & ad personam & ad rem referuntur. Ut *facundus* homo, *facunda* oratio, *audax* homo, *audax* facinus. *Confutasti hominem*, confutasti hominis argumenta. Sed quoniam hæc passim obvia sunt, desino persequi.

Cap. XXIII.

Variandi ratio per Synecdochen.

Vehementer adjuvabit copiam & Synecdoche, quam quidam intellectionem vocant, quoniam aliud ex alio intelligimus, ut quum ex uno plures intelligimus. Ut quod supra retulimus, *Romanus prælio victor*. Et *Pœnus fugatus*, pro *Pœni*: ex parte totum, ut *mucronem*, pro gladio, *tectum*, pro domo. Retroque, *ut ingens à vertice pontus*. Et *fontemque ignemque ferebant*: *pontum* dixit pro fluctu, *fontem* pro parte aquæ. Ita Maro. Ex specie genus. Horatius: *Iracundior Adria*, pro quovis mari. *Acheloia pocula*, pro quovis fluvio, Maro. Quod non ita commode vertitur. Ex materia rem confectam, ut *ferrum* pro gladio, *abies* aut *pinus* pro navi. Ex præcedentibus sequentia, ut *virgineam solvit zonam*, id est, devirginavit. *Subdidit equo calcaria*, id est, cucurrit. Item quum *lautum* & *unctum* dicimus, quod nitidum ac splendidum volumus intelligi. Breviter, quum quocunque modo aliud ex alio intelligitur. *Vixerunt*, pro mortui sunt. *Nos quoque floruimus. Et fuimus Troes. Et jam summa procul villarum culmina fumant*, noctem imminentem intelligimus, quum longe aliud dictum. Porrò hic ex signo rem signatam colligimus.

Cap. XXIV.

Variandi ratio per æquipollentiam.

Præcipua variandi ratio sumitur per ἰσοδυναμίαν, id est, per æquipollentiam. Ea constat negationis additione, detractione, geminatione, & verbis contrariis. Ut primas obtinet, *non est in postremis*. *Vir egregie doctus*, *vir minime indoctus*. *Omnia fecit*, *nihil non fecit*: *non nihil fal-*

1. Hoc est, derivatis ex usu; nam pauca sunt vocabula, à scribentibus pro arbitrio ficta.

A *fallacia intendendum in hominem*, id est, aliquid fallaciæ. Assumpto autem verbo diverso, & apposita aut adempta negatione, statim novam orationis faciem constitueris. *Placet, non displicet. Accipio conditionem, non recuso conditionem.* Verum de his reliquisque æquipollentiis exactius suo loco tractabimus. Eorum vero, quæ inter se pugnant, varia est ratio. Quædam contraria sunt, ut, *amor*, *odium*; *iratus*, *propitius*; *formosus*, *deformis*. Quædam privative dissident, ut *cæcus* & *videns*, *mortuus* & *vivus*, *surdus* & *audiens*, *mutus* & *loquens*. In his quod removet, non prædicatur, nisi de his, quorum natura capax est oppositi. Neque enim lapis dicitur mortuus aut cæcus. Quædam contradictorie dissident, ut *nolo*, *volo*; *doctus*, *non doctus*; *probat*, *non probat*. B *Est puella deformis*, *Est minime formosa*: *Est minime deformis*, *Est egregie formosa*. Est homo minime surdus, *Est egregie auritus*: *Est parum auritus*, *Est surdaster*. Non possum non probare. De relativis mox dicemus. Ad hanc formam pertinent quæ actionem & passionem declarant. *Ab illo grave vulnus accepit*: *Inflixit illi grave vulnus*. *In Cicerone quædam desiderantur à doctis*: *In Cicerone docti quædam desiderant*. De his alibi dictum est.

CAP. XXV.

Variandi ratio per comparativa.

IN nonnullis comparativis dictionibus fit hæc commutatio citra negationem, translatis duntaxat partibus. Ut, *anteponit famam pecuniæ*: *Posthabet pecuniam famæ*. C *Minoris facit famam quam pecuniam*: *Pluris facit pecuniam quam famam*. *Prius habet lucrum quam honestum*: *Posterius habet honestum quam lucrum*. Atque hæc quidem copia nascitur ex contrariis. Cujusmodi sunt, *suspicit*, *despicit*, *curat*, *negligit*, *appetit*, *fastidit*; atque id genus innumera.

CAP. XXVI.

Variandi ratio per relativorum commutationem.

FACILIS est item variandi ratio per dictiones relativas, quæ & ipsa ad contrariorum genus pertinent. *Uxor illius esse non vult*: *non vult illum maritum*. *Recusat illius esse socer*: *Recusat illum generum*. *Pudet me hujus nurus*: *Pudet me hujus socrum videri*. D *Non alium mihi patrem optem*: *Nullius malim esse filius*. *O me tali felicem præceptore*: *Felicem me qui tuus sim discipulus*. *Cave isti locaveris agrum*: *Ne committas, ut hic agrum conducat tuum*. *Jam dudum exspectat, ut viro nubat*: *Exspectat ut se vir aliquis ducat*. *Nolim tibi debere*: *Nolim te mihi creditorem*. *Hoc me docuisti*: *Hoc ex te didici*. *Hoc mihi retulit Paulus*: *Hoc ex Paulo audivi*. *Cautes te genuit*: *E caute natus es*. *Plurimum ex ea re capies emolumenti*: *Ea res plurimum tibi adferet emolumenti*. *Literæ non parum ornamenti tibi conciliabunt*: *Ex literis non parum ornamenti tibi accedet*. *Pater filio reconciliatus est*: *Filius cum patre rediit in gratiam*.

CAP. XXVII.

Variandi ratio per amplificationem.

E EX Auxesi, hoc est amplificatione variatur oratio, cum amplificandæ rei gratia verbum atrocius subjicimus loco proprii, ut, cum *occisum* dicimus, qui sit *cæsus*. *Latronem*, qui sit improbus. *Occidisse*, cui res acerbior acciderit. *Exanimatum*, dolore affectum. *Enectum*, cruciatum. *Mutum*, qui nihil responderit. *Revixisse*, qui spem receperit. *Oblitum injuriæ*, qui ignovit. Huc pertinent & appellationes illæ exaggerantes, de quibus ante nonnihil memini, quum *carnificem* appellamus hominem immitem. *Sacrilegum*, sceleratum. *Veneficam*, malam. Præterea illæ. *Scelus*, *monstrum*, *pestis*, *labes*. Postremo & hæ. *Atreus*, F pro crudeli. *Sardanapalus*, pro effœminato. De quibus suo loco copiosius.

CAP. XXVIII.

Variandi ratio per Hyperbolen.

VARIAT & Hyperbole, quam quidam superlationem nominavit. *Hac mendacio*, ut inquit Seneca, *pervenimus ad verum*. Plus enim dicit Hyperbole quam res habet; attamen quod verum est, ex falso intelligitur. Ut, *hic vel saxa sua loquacitate possit rumpere*. *Cœlum digito attingere*. *Ocyor Euro*. *Et fulminis ocyor alis*. *Sublimi feriam vertice sidera*.

CAP. XXIX.

Variandi ratio per μείωσιν, id est, per diminutionem.

DIVERSUS variandi modus per μείωσιν, hoc est, per diminutionem. Veluti quoties *attigisse* dicimus eum, qui pulsavit, *læsisse*, qui vulneravit. Interdum diminutio sapit Hyperbolen, ut, *vix ossibus hærent*. *Brevior Pygmæo*. *Minus habet quam nihil*. Verum de his quoque nonnulla suo loco differemus.

CAP. XXX.

Variandi ratio per compositionem.

VARIATUR oratio nonnihil & ex compositione. Ea sita est in his ferme figuris, Asyndeto, Polysyndeto. *Veni, vidi, vici*. Maro. *Tectumque laremque, Armaque, Amyclæumque canem, cressamque pharetram*. Syzeugmeno. Id fit, quoties ad unum verbum plures sententiæ respondent. Fit autem trifariam, aut quum præponitur, aut quum sequitur, aut quum interponitur, ut *deflorescit forma*, *vel morbo*, *vel ætate*. Hic præponitur. *Vel morbo vel ætate forma deflorescit*. Hic subjicitur. *Aut ætate forma deflorescit aut morbo*. Hic in medio intercedit. Item M. Tullius, *Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia*. Contra. *Neque enim is es Catilina, ut te aut pudor unquam à turpitudine, aut metus à periculo, aut ratio à furore revocarit*. Nonnunquam & per iterationem repetitur non conjunctio, sed nomen aut verbum, quam Epanalepsim vocant. *Nihil ne te nocturnum præsidium palatii, nihil urbis vigiliæ, nihil timor populi, nihil concursus bonorum omnium, nihil hic* [1] *magnificentissimus senatus habendi locus, nihil horum ora vultusque moverunt?* Simile huic fuerit. *Vicit pudorem libido, vicit timorem audacia, vicit rationem amentia*. *Aut per συνωνυμίαν*. *Vicit timorem audacia, rationem supiravit amentia, libido pudorem expugnavit*. Experiamur igitur, quot rationibus eadem sententia possit per has figuras variari. Contemnit deos, contemnit homines: Deos contemnit, homines contemnit: contemnit & deos & homines: Et deos & homines contemnit: Deos contemnit atque homines. Ad hunc locum pertinent & illa. Inediæ, quam frigoris patientior. Lucri, quam gloriæ cupientior: Cupientior lucri, quam gloriæ: Lucri cupientior, quam gloriæ. Chariorem habeo neminem, & neminem habeo chariorem. Quanquam hæc non ita multum adferunt momenti, adjuvant tamen. Et, quibus de causis: Ob eam rem: Eam ob rem. Ob causam tam parvulam: Tam parvulam ob causam. Veniam ad te quando ita vult pater, quando ita vult pater veniam. Ejusdem rationis est, cum ex oratione simplici duplicem facimus, aut contra, ut, omnia tua mihi debes: Quicquid habes, id omne mihi debes.

CAP. XXXI.

Variandi ratio per σύνταξιν, id est, constructionem.

EX ordine sive constructione item nonnulla sermonis varietas existit, id quod superius attigimus. Nam pleræque dictiones sunt, quæ non respuunt diversam constructionem, ut multum pudorem, & multum pudoris. Scripsit mihi, & scripsit ad me. Diversum seu alienum huic, & diversum seu alienum ab hoc. Idem huic, & idem cum hoc. Jactat majores suos, Jactat se de suis majoribus. De te somniavi, te somniavi. De te ridet, te ridet. Tota nocte potavit, totam noctem potavit. Romanorum summus, summus inter Romanos. Servitus morte durior, servitus durior quam mors. Damnatus est de repetundis, damnatus est repetundarum. Natus gloriæ, natus ad gloriam. Tuæ partes sunt, tuarum est partium.

CAP. XXXII.

Variandi ratio per mutationem figuræ variis modis.

VARIATUR oratio, quoties alio atque alio affectu, ac velut habitu profertur, quam interim figuræ mutationem licebit appellare, ut non est miserum mori, & *usque adeo ne mori miserum est?* Nihil est te vanius, an quicquam te vanius? Hic per interrogationem variata est figura. Non magnam laudem assecutus es: Egregiam vero laudem es assecutus. Non ista curat populus: Id populus curat scilicet. Hic per ironiam commutata est sermonis facies.

1. Leg. *Munitissimus*.

facies. Vehementer amat pecuniam: Dii boni, quam amat pecuniam! per admirationem versus est orationis color. Tum deos contemnit, tum homines: Haud scio magis ne deos contemnat, an homines. Hic per dubitationem commutata est orationis forma. Nihil mihi carius aut antiquius fama: Dispeream, si quid mihi carius fama. Hic per adjurationem variatus est sermo. Ista nunquam cogitavi: Dii meliora quam ut ista cogitarim. Hic per abominationem commutatus est color. Est vir insigni vanitate: O singularem hominis vanitatem! Hic per exclamationem. Non modo virgines aliquot constupravit, verum etiam Vestalem incestu polluit: Virgines complures stupravit, ut interim de Vestali incestu polluta sileam. Hic per occupationem variatus est sermo. Quum & genere sis obscurissimo, & re nulla, nullis literis, nulla forma, nullo ingenio, quid est cur te adeo jactes? Quid habes, cur tam sis insolens? Natalium splendorem? Atqui genere es obscurissimo. Opes? at vel Iro ipso pauperior es. Eruditionem? sed bonas literas nec attigisti unquam. Formam? at ipso Thersite deformior es. Ingenium? at istud profecto nactus es stupidissimum. Quid igitur ista tua jactantia est, nisi mera insania? Hic per subjectionem variatus est orationis habitus. Neque vero solum per omnes figuras, verum etiam per locos prope omnes variari potest oratio. Ceterum quoniam hæc magis videntur ad rerum copiam pertinere, secundo commentario de his diligentius disseremus. Hactenus formas ferme omneis paucis indicavimus, quibus manente sententia commutatur oratio.

CAP. XXXIII.

Experientia.

NVNC quo res fiat dilucidior, experiundi gratia sententiam unam atque alteram proponamus, conemurque quoad fieri poterit eandem, veluti Proteum, in omnem speciem vertere. Non quod omnis variandi ratio in unam quampiam orationem possit incidere, sed quot incident, tot utemur. Sumaturque illud exempli loco:

Tuæ literæ me magnopere delectarunt.

Tuæ, non admittit Synonymiam. Tuæ amplitudinis, Tuæ celsitudinis, Tuæ majestatis, Periphrasis est. Si nomen proprium ponas, puta Fausti, Heterosis est & partis & personæ. Fausti literæ. Si Faustinæ literæ, Heterosis substantivi in epitheton.

LITERÆ.

Epistola, literæ, tabellæ, Synonymia est. Literulæ, epistolium, tabellulæ, Heterosis. Schedæ, scripta, Synecdoche. Quod ad me scripsisti, Periphrasis est.

ME.

Animum meum, pectus meum, meos oculos, vel Periphrasis, vel Synecdoche. Nos pro me, enallage numeri. Erasmum Heterosis est personæ.

MAGNOPERE.

Valde, vehementer, nimium, mire, mirifice, magnifice &c. Synonymia est. Magnopere, summopere, supra modum, præter modum, unice, αὔξησις est. Haud mediocriter, non parum, non vulgariter, per contraria & negationem. Dici non potest quantopere, incredibile dictu, verbis consequi nequeam; atque id genus alia Hyperbolen sapiunt.

DELECTARVNT.

Oblectarunt, recrearunt, exhilararunt. Synonymia est. Nisi quod in exhilararunt metaphora videtur esse. Voluptatem attulerunt, voluptati fuerunt, jucundæ fuerunt, & similia Periphrasim habent. Voluptate perfuderunt, mellitissimæ fuerunt, & consimilia Translatitia sunt. Non injucundæ fuerunt, non insuaves, a contrariorum permutatione. Reliqua citra contextum commode ostendi non possunt. Nunc igitur experiamur. Tuæ me literæ magnopere delectarunt. Delectarunt mirum in modum tuæ me literæ. Majorem in modum me tuæ delectarunt literæ. Hactenus præter compositionem nihil ferme mutatum est. Tuis literis sum magnopere delectatus. Delectatus sum majorem in modum tuis literis. Hic genus verbi duntaxat est commutatum. Epistola tua me vehementer exhilaravit. Tua quidem epistola sum vehementer exhilaratus. Tuæ literulæ non mediocriter animum meum refecerunt. Humanitatis tuæ scriptis sum non mediocriter animo refectus. Ex amantissimis literis tuis incredibilem cepi voluptatem. Hyperbole & relatio. Amantissimæ tuæ literæ incredibilem mihi voluptatem attulerunt. Novam quandam lætitiam tuæ schedæ mihi pepererunt. Tuis ex schedis mirificam lætitiam concepi. Summum gaudium tua scripta mihi apportarunt. Tuis e scriptis summum mihi gaudium allatum est. Ex excellentiæ tuæ literis magnam hausimus voluptatem. Et hic relatio est. Cetera sibi quisque facile adnotabit. Ex Fausti meis literis plurimum hausi voluptatis. Tuis e scriptis haud vulgaris mihi voluptas accessit. Epistola tua sum unice delectatus. Ex Faustinis literis mirificum quoddam oblectamentum percepi. Tuæ literæ sane quam delectarunt animum meum. Ineffabili gaudio tuæ me schedulæ perfuderunt. Hic Metaphora est. Tuis ex literis nova quadam delectatione sum perfusus. Incredibili lætitia tua me scripta delibutum reddiderunt. Et hic metaphora. Haud parum delectamenti tua mihi conciliavit epistola. Legendis tuis literis oppido quam sum delectatus. Lectio tuarum literarum singulari voluptate delinivit mentem meam. Admodum delectabilis mihi tua fuit epistola. Eximia quadam lætitia tuæ me literæ affecerunt. Tuis ex literis singulari sum affectus lætitia. Maximæ voluptati mihi tua fuit epistola. Summo oblectamento mihi tua scripta fuerunt. Incredibili gaudio mihi tua fuit epistola. Nimis quam jucunda nobis tua fuit epistola. Vix credas quantopere in tuis scriptis acquiescam. Ita M. Tullius frequenter utitur acquiescere pro oblectari. Summæ jucunditati nobis tua fuit epistola. Suavissimæ mihi tuæ fuerunt literæ. Tuis ex literis singularis mihi profecta est lætitia. Tuæ literæ fecerunt, ut prorsus exilirem gaudio. Tuis acceptis literis, lætitia gestiebam. Ubi mihi tuæ sunt redditæ literæ, lætitia sum expletus. Lectis tuis amantissimis literis, nova quadam lætitia correptus sum. Acceptis literis tuis, incredibilis voluptas cepit animum meum. Insolita lætitia me tua demulsit epistola. Quod ad me scripseris, id mihi tám jucundum fuit, quam quod jucundissimum. Quod ad me tuas dederis literas, id vehementer fuit gratum. Quod me tuis dignatus es literis, eo nihil mihi potuit accidere gratius. Tuæ me literulæ oppido gaudibundum effecerunt. Tuis literis oppido quam lætabundus sum effectus. Quod me tuis literis certiorem reddidisti, fuit id mihi non gratum modo, verum etiam jucundum. Cum tua ad me perferretur epistola, vidisses me gaudii magnitudine gestientem. Quod me saltem epistola salutaris, id profecto volupe fuit. Literis tuis nihil adferri potuit optatius. Epistola tua ad nos venit vehementer exspectata. Literis tuis nihil adferri potuit desideratius. In his tribus Metalepsis est, aut certe Synecdoche. Nam jucunda solent accidere, quæ magnopere desideramus. Non possunt non esse jucundissimæ Erasmo Faustinæ literæ. Non injucunda mihi tua fuit epistola. Neutiquam insuaves mihi tuæ venerunt literæ. Haud quaquam ingrata mihi tua scripta acciderunt. Tam mihi dulcis tua fuit epistola, quam ea, quæ sunt dulcissima. Literas tuas multa cum voluptate perlegi. Epistolam tuam non sine summa voluptate recepi. Qui mihi tuas reddidit literas, is mihi gaudiorum cumulum detulit. Dictu mirum, quam me tua ceperit epistola. Schedæ quas abs te missas accepi, nova quadam gaudiorum luce pectus meum serenarunt. Literæ tuæ quicquid in animo mœroris erat, id omne protinus excusserunt. Miram animo persensi voluptatem, cum tua nobis redderetur epistola. Tuis ex literis voluptas insolita animo incessit meo. Tuæ literæ fuerunt in causa ut affatim gauderem. Tuis literis effectum est, ut totus exultarim gaudio. Dici vix queat quantum mihi lætitiæ tuis ex literis obortum sit. Vix possim sermone consequi, quantum gaudiorum ex tua mihi natum sit epistola. Dictu mirum est, quantum voluptatum nobis ex tuis affulserit literis. Deum immortalem quam ingens gaudium nobis è tua provenit epistola? Papæ quantas lætitiæ causas nobis tuæ literæ suppeditarunt. Dii boni quantam vim gaudiorum tua mihi scripta subministrarunt? Majorem lætitiam tuæ mihi tabellæ attulerunt, quam ut explicare possim. Plurimum voluptatis nobis tuus tabellarius adportavit. Vix credas quantum acer-

acervum lætitiæ literæ tuæ in animum invexerint meum. Verbis eloqui nequeam quantis gaudiis me tua oneravit epistola. Cur autem sic verear loqui cum Terentius dixerit, multis commoditatibus oneratum diem? Tuæ me literæ gaudiis onustum reddidere. Tuis literis valde sum gavisus. Tuis literis unice sum lætatus. Tua scripta nobis uberrimam lætitiæ copiam offuderunt. Lætissima mihi tua fuit epistola. Tuis literis factum est, ut prorsus frontem exporrexerim. Visis tuis literis protinus animi mei frontem explicui. Inter legendum ea, quæ ad me scripsisti, mira quædam voluptas animo obrepsit meo. Simul atque tuas inspexissem literas, nova quædam gaudiorum vis mentem occupavit meam. Inspectis tuis literis, incredibilis quidam æstus lætitiæ pectus subiit meum. Acceptis humanissimis literis tuis, immensa quædam lætitia me totum obsedit. Emoriar si quicquam unquam accidit jucundius tuis literis. Dispeream si quid in vita suavius obtigit tuis literis. Ita me musæ bene ament, ut nihil antehac accidit tuis literis gratius. Cave credas rem ullam objici à fortuna posse jucundiorem quam tuæ sunt literæ. Quam ipse charus es animo meo, tam me juvant tuæ literæ. Papæ quantum gaudiorum tua mihi excitavit epistola? Quantum risus, quantum plausus, quantum tripudiorum tuæ nobis attulerunt literæ? Elegantissimas tuas literas legens, insolita quadam lætitia tangebar. Calamus tuus me gaudiis exsaturavit. Multam voluptatem mihi tua præbuit epistola. Totum me gaudiis imbuit tua tam elegans epistola. Omneis pectoris mei sinus voluptate refersit tua tam amabilis epistola. Rara quadam voluptate me tuæ resperserunt literæ. Tua quidem epistola novam quandam animo meo voluptatem aspersit. Tuis literis nulla res unquam accidit mihi festivior. Nihil unquam vidi tuis literis lubentius. Haud est quicquam quod gaudentiore acceperim animo, quam proximas Fausti mei literas. Quo me credis affluxisse gaudio, cum tuum animum tuis in literis agnoscerem? Cum tabellarius tuam mihi traderet epistolam, statim animus mihi lætitia ineffabili prurire cœpit. Quid ego tibi nunc referam, quæ voluptas acceptis tuis literis, animum Erasmi tui titillarit? Animus gaudio velut exundabat, cum tua mihi redderetur epistola. Ut lubens tuam accepi epistolam? Posteaquam epistolium tuum ad me delatum est, animus nimirum mihi gaudio efferbuit. Vix eram apud me præ gaudio, cum tuas acciperem literas. Literarum tuarum lepos, præcipua quadam voluptate remoratus est animum meum. Non possum non vehementer gaudere, quoties tua scripta ad nos advolant. Mel merum mihi tuæ fuerunt literæ. Quicquid literarum abs te proficiscitur, id mihi saccaro ac melle fluere videtur. Opiparis literarum tuarum epulis sum lautissime refectus. Tua scripta sunt mihi quavis Ambrosia suaviora. Schedulæ mei Fausti mihi fuere vel mensis Siculis lautiores. Nulla voluptas, nullæ sunt deliciæ, quas cum tuis literis conferre velim. Nausea sunt omnia præ tuis literis. Inter legendum amantissimas literas tuas Erasmi pectus gaudio subsultabat. Chartæ digitis tuis exaratæ, me quantus eram gaudiis explerunt. Meræ deliciæ cordi meo sunt, quicquid scriptorum abs te redditur. Nil nisi gaudium tua spirat epistola. Festum diem attulit is, qui tuas attulit literas. Triumphum adduxit, qui tuum adduxit epistolium. Nullum ego nectar tuis scriptis anteposuerim. An ego ullum mel Atticum cum tuis amantissimis literis contulerim? Saccarum non est saccarum, si cum literis tuis componatur. Nulli mortalium tam sapit lotus, quam mihi literæ tuæ sapiunt. Quod sitienti vinum, hoc mihi tuæ sunt literæ. Quod apibus Cytisum, quod salignæ frondes capellis, quod urso mel, hoc mihi tuæ sunt literæ. Epistola tuæ celsitudinis, mihi fuit quovis melle mellitior. Ubi recepissem tantopere exspectatas tuas literas, dixisses Erasmum plane gaudiis ebrium. Ut redditæ sunt abs te literæ, statim vidisses nos nimia quadam lætitia quasi temulentos. Quam unice te diligo, tam unice tuis epistolis delector. Nil nisi merum delitium tua mihi scripta videntur. Non tam palato blandiuntur ullæ cupediæ, quam animum meum tuæ literæ deliniunt. Nullæ lautitiæ suavius titillant palatum, quam tua scripta mentem titillant, ἀμάξας ἡδονῶν attulit, qui tuas reddidit literas. Voluptatum δάθον adportavit tabellio tuus, tuis ad me redditis literis. Gaudiorum ϑάλασσαν advexit is, qui schedas pertulit tuas. Mihi plane tuæ literæ fuerunt quod Persis διὸς ἐγκέφαλος, quemadmodum ajunt Græci. In his porro si qua videbuntur ejusmodi, ut in oratione soluta vix toleranda putentur, meminerit hanc exercitationem ad carminis quoque compositionem accommodari. Age jam ad eundem modum in altera quapiam sententia variandi facultatem experiamur. Eaque deligatur, natura non admodum fœcunda, neque ad varietatem idonea, quo magis appareat quan- A tum possit hæc commutandi ratio, si usu atque exercitatione confirmetur. Hanc igitur sententiam sumamus:

Semper dum vivam, tui meminero.

Principio adverbio semper nullum respondet idem pollens, neque in aliam vocem deflecti potest. Deinde vivam nullum item habet simile, & verbum est unicæ vocis, id est, neutralis, nec ullum ex se propagat nomen præter vitam. Deinde meminero non solum unicæ vocis est verbum, verum etiam mancum, & mutilum, peneque sterile, utpote à quo nulla soboles proficiscatur, præter memor & memoria. Porro duo verba quæ his opponuntur, B mori & oblivisci videlicet, & ipsa sunt tum manca, tum sterilia. Tamen aggrediemur. Cæterum variandi rationes ex superioribus per se lector agnoscet. 1 Semper dum vivam, tui meminero. Nunquam dum vivam, tui non meminero. Nunquam quoad victurus sum me tui capiet oblivio. Haud unquam dum vixero, tu animo excideris meo. Nunquam donec vivam, mihi venies in oblivionem. Nunquam quoad in vivis ero, tui nobis veniet oblivio. Non prius tui meminisse desinam, quam vivere. Non me ante tui memoria quam vita ipsa reliquerit. Usque dum spirabo, tui memor fuero. Donec hac luce fruar, tu ani- C mo hærebis meo. E vivorum contubernio citius emigraverim, quam tui memoria nostro è pectore demigrarit. Ipse prius è vivis excessero, quam Morus è nostra excesserit memoria. Lux hæc me prius deficiet, quam tui immemor esse cœpero. Vita me non serius destituet, quam tam chari capitis recordatio. Idem dies mihi tui memoriam eripiet, qui vitam. Eadem lux oblivia tui nobis est adductura quæ mortem. Idem nostræ tui memoriæ vitæque finis erit. Dum memor ipse mei fuero, tui meminisse neutiquam pigebit. Non alius nostræ tui memoriæ, quam lucis erit interitus. Is solus dies tui memoriam exstinxerit D qui vitam. Ante mei ipsius quam tui oblivisci incipiam. Nostro è pectore non prius elabetur Mori memoria, quam hæc anima. Præter unam mortem, nullus omnino te mihi casus expectorabit. Ego ne tam jucundi convictoris unquam vivus queam oblivisci? Tum demum Mori sui oblivisci poterit Erasmus, cum ipse sui desinet memor esse. Dum mihi sensus ullus mei reliquus erit, tu semper animo nostro obversaberis. Cordi meo charior es, quam ut vivo quidem, in oblivionem venire possis. Intime nostris in præcordiis repostus est Morus, sic ut præter unam mortem, nulla res illum illinc queat eruere. Orco tradar E ipse prius, quam te mandem oblivioni. Dum spiritus his oculis, his manibus imperabit, tu pectori insidebis meo. Dum spiritus hos reget artus, tui meminero. Quamdiu superrerit in nobis halitus, non quivero tui non meminisse. Dum in vivis agam, usque vivet in me tui memoria. Is mihi dies vitæ finis erit, qui tui oblivionis erit initium. Idem casus hanc animam, teque è meo revellet animo. Donec superstitem esse sinent superi, tui perpetuo recordabor. Dum quicquam vitalis caloris in hoc pectore palpitabit, tui memoria non evanescet. Non mihi diuturnior vita futura est, quam tuorum in me meritorum memoria. F Non mihi brevior fuerit tui memoria quam ipsa vita. Non minus durabilis erit tui capitis recordatio, quam hæc ipsa vita. Me mihi eripiet is dies, qui tui memoriam adimet. Ipse mihi subducar, priusquam te in memoria habere destitero. Haud longior erit mihi lucis hujus functio quam tuæ benignitatis memoria. Non mihi posterius suppetet vivere, quam tui meminisse. Extra me fuero citius quam Morus intra hoc pectus esse desinet. Vita hæc tuique memoria pari stadio ad metam decurrent. Prorsus non erit Erasmus, cum Mori immemor erit. Non exstabit hoc caput,

1. *Hoc exemplum ducenties variatur.*

A put, ubi tam ſingularis amici quivero obliviſci. Donec ſuper terram acturus ſum, non committam ut obſoleſcat apud me tuæ comitatis memoria. Donec communem hunc aerem hauriam, tu crebro animo occurſabis meo. Nunquam ſerius futurum eſt Eraſmo vitam, quam tui memoriam obtinere. Non ante de te cogitandi finem fecero, quam Atropos fatale filum ſecuerit. Si qua dies unquam tui paritura eſt obliviſcentiam, ea certe nunquam anteceſſerit ei, quæ me luce orbabit ipſa. Sol hic qui videt omnia, nunquam me videbit non memorem tui. Mors una tui recordationem his è præcordiis emovebit. Donec ulla vitæ portio his in artubus reſidebit, Morus ab Eraſmi cogitatione nunquam aberit. Quamdiu ſanguinis ulla pars hoc in

B corpuſculo calebit, nunquam apud me refrixerit Mori memoria. Mihi quidem dum vita aderit, tu à mente mea nunquam es abſuturus. Quouſque manebit hujus animæ corpuſculique copula, tu à mea memoria nullo tempore ſejungeris. Prius animus corpori quam tu animo meo præſens eſſe deſines. Spiritus ipſe citius ex hujus corpuſculi domicilio demigrabit, quam animo impreſſa meo imago tui deleatur. Aeque diuturna fuerit apud me tui memoria ac vitæ curſus. Eadem erit & vivendi, & de te cogitandi meta. Non arctioribus pomeriis tui recordatio claudetur quam ipſa vita. Quoad ulla vena mihi vitali tepore ſaliet, dulce fuerit uſque tui meminiſſe. Quantum mea Lacheſis

C fatale ſtamen extenderit, tantundem extendetur & mea tui memoria. Eadem mihi & vivendi, & de te cogitandi menſura fuerit. Quoad corporis molem flatus vivificus ſuſtinebit, animum maxime tui memorem geram. Dum lucis uſum cœlitum indulgentia concedet, te ſemper animo feram. Dum vitam permittent ſuperi, non committemus, ut tam fidi congerronis unquam nobis obrepat oblivio. Donec me non deficiet anima, animum hunc & memorem & gratum nunquam poſuero. Quoad uſque ſole volubili frui fas erit, hunc hominem habebis tui memorem. Vivum non videbit Eraſmum, qui videbit oblitum tui. Quanto tempore vita mihi duratura eſt, mens quidem hæc manebit tui recordantiſſima. Quandiu ſupero hoc Jove

D contingeт frui, non mihi contigerit obliviſci tui. Donec vita perſeverabit, tu cordis obtutibus ſemper es obverſaturus. Nominis ante mei quam tam rari amici mihi ventura eſt obliviſcentia. Ipſe mihi prius excidero, quam tui vultus imago. Viventi quidem Eraſmo haud unquam excidet Morus. Nulla diuturnitas ævi, tui apud me memoriam obliterabit. Non niſi mecum tui exſtinguetur memoria. Ante fatalem diem è noſtra memoria non eliminaberis. Ante obitum non deſiſtam tui meminiſſe. Ante ſuprema funera non ceſſabo tui memor eſſe. Non ante exacta vitæ ſtamina, tui queam obliviſci. Vivo quidem Eraſmo, Morica memoria haud unquam effluet. Tui apud me memo-

E riam nulla unquam ætas antiquabit. Ante ſummum diem non abrogabitur in me memoria tui. Nulla neque locorum neque temporum injuria efficiet, quo minus tui quam maxime meminerim in vita. Per omnem vitam tui meminero. Hæc vita quam longa continget, cum tui memoria ſemper erit conjuncta. Ad ipſum uſque rogum me tui memoria proſequetur. Mei ſenſu carebo, priuſquam conjunctiſſimi hominis cariturus ſim recordatione. A meis ipſe membris diſtrahar, antequam tu ab animo meo divellare. Mors mihi citius acciderit, quam oblivio tam dilecti capitis. Certum eſt mortem oppetere potius, quam tui memoriam non jugiter obtinere. Non niſi me ſepulto, tui

F recordatio ſepelietur in me. Tui quidem aut mecum, aut nunquam eſt interitura memoria. Donec exſpirem ipſe, ſpirabit in me Mori mei memoria. Donec apud ſuperos agitabimus, nunquam mihi inceſſet tui benignitatis oblivio. Ante obitum, nunquam animo meo tui incurret oblivio, ſic enim loquitur Seneca. Nihil tam arduum hæc vita mihi gignere queat, ut tui memoriam ex his præcordiis poſſit extundere. Nulla res tam atrox mihi poſſit in hac exoriri vita, quæ tui conciliet oblivionem. Vivo nihil poſſit exiſtere, quod mihi tuæ erga me humanitatis conflet obliviſcentiam. Sic in me radices egit memoria tui, ut nullis omnino caſibus, qui quidem vivis ſoleant accidere, ſit unquam ceſſura. His nimirum monumentis animo meo conſecratus es, ut ea nullum ævi ſpacium valeat

demoliri, ni forte mors, cui nihil rerum mortalium non cedit. Niſi ipſe mortalis eſſem, non dubitarem hanc de te memoriam immortalem fore polliceri. Si immortalis eſſet Eraſmus, immortalis itidem foret tui apud illum memoria. Ejuſmodi ſtatuam in animi mei penetralibus tua merita erexerunt, ut ea quoad me tellus ſuſtinebit nullo caſu ſit diruenda. His titulis Morus inſcriptus eſt cordi meo, ut eos nulla temporis injuria poſſit unquam exedere. Non niſi una cum ætate tui recordatio in me conſeneſcet. Ipſe mihi prius excutiar, quam Mori nomen ex adytis cordis exigatur. Id unum tibi & confirmo & præſtabo, donec in mortalium numero futurus ſum, tu è ſcrinio memoriæ noſtræ nunquam dimovebere. Ut omnia tempus poſſit, certe hoc unum illi non licebit unquam, ut vivo mihi tui pariat oblivionem. Semper hic animus tui cum primis meminerit, neque id me dies quamlibet longa dedocebit. Donec me tellus alet, unum illud nunquam quibo dediſcere, videlicet tam chari ſodalis meminiſſe. Donec futurus ſum ἐπιχθόνιος, ut Homerico dicam verbo, Mori memoriam continenter obtinebo. Quoad mihi continget inter σῖτον ἔδοντας, ut Homerice loquar, annumerari, nunquam hoc de pectore Mori vultus labetur. ὄφρ' ἂν ἔγωγε ζωοῖσι μετέω καί μοι φίλα γούνατα ὀρώρῃ, quemadmodum inquit Homerus, tu mihi nunquam es obliviſcendus. ἐμεῦ ζῶντος καὶ ἐπὶ χθονὶ δερκομένοιο, ut eſt apud Homerum, nunquam te auferet oblivio. Tui memoriam perpetuo pariter cum ipſo vitæ progreſſu producam. Superſtiti Eraſmo ſublimitatis tuæ memoriam nullus unquam dies expunxerit. Corpore quidem abs te diſtrahi potero, verum animo te ſemper intuebor, quoad vitam numina largientur. Donec aura vitalis hos artus moderabitur, tu à noſtris cogitationibus nullo momento es abſuturus. Uſque adeo penitus his præcordiis tui impreſſa eſt memoria, ut nullo unquam pacto videatur eradenda. Ut omnia tempore marceſcant, tui certe memoria ad occaſum uſque vitæ apud me vigebit. Arctius Morum meum animo complexus ſum, quam ut vivo poſſit elabi. Eadem me lux exanimem videbit, quæ tui conſpiciet immemorem. Adeo vivam quandam imaginem tui, pectori inſculpſiſti meo, ut vix etiam mors ipſa ſit abolitura. Non erit Eraſmus tui memoria vivacior. Tam vivax erit tui apud me memoria, ut ipſe non ſim futurus vivacior. Nunquam intercidet apud me Morica memoria, donec ipſe non intercidero. Semper hunc hominem experieris tui recordantem, donec vitæ particeps erit. Expers hujus vitæ fuero priuſquam à tui memoria alienus. Adeo vivax eſt in me tui memoria, ut ipſe non ſim illi futurus ſuperſtes. Altius meæ memoriæ inſediſti, quam ut ulla te res inde queat emoliri. Tenacius inhæres cordi meo, quam ut præter mortis caſum, quicquam aliud inde te queat ejicere. Penitius hoc in pectore conditus es, quam ut hinc ulla ratione ſis excludendus, donec mihi vitam fata non invidebunt. Interius inſitus es animo noſtro, quam ut inde incolumi quidem queas exſtirpari. Fixius impreſſum eſt cordi meo ſimulachrum tui, quam ut ſuperſtiti poſſit unquam detrahi. Sic effigies tui, cogitationi meæ penitus impreſſa eſt, ut eam nulla ſit ætas abrogatura. Dum vita ſuppeditabit, nihil exſtiterit quod fixam animo meo Mori ſtatuam valeat labefactare. Fieri nunquam poterit, ut vel vivam parum tui memor. Donec apud ſuperos commorabor, ne tota quidem lethes aqua tui memoriam poterit abolere. Donec aura veſcar ætherea, ſubinde tui reminiſcar. Vitam modo deus impertiat, ego tibi mentem perpetuo tui memorem polliceor. Si quis mihi vita functo ſenſus erit, tam dulcis amiculi recordabor, tantum abeſt ut vivus ſim obliturus. Omnia mihi citius acciderint in vita, quam oblivio tui. Tum ſurſum verſus recurrent amnes, ut Græcis eſt in proverbio, cum Eraſmus Mori ſui poterit non meminiſſe. Non alius me viſurus eſt oblitum tui, quam qui viſurus eſt arduis pronos relabi rivos montibus, & Tyberim reverti, ut ait Flaccus. Ante leves alto paſcentur in æthere cervi, quam vivum Eraſmum Mori capiat oblivio. His coloribus in tabula pectoris mei depicta eſt imago tui, ut eam nulla annorum ſeries poſſit eluere. Supremus vitæ dies me tui memorem deprehendet. Soſpite vita, non me fugiet memoria tui. Salva vita hac non demorietur apud me

me tui memoria. Quoad hæc mihi vita comes erit, comitabitur & tui recordatio. Hæc me vita tui memorem relinquet. Non avolabit à nobis tui memoria, nisi avolante vita. Ad supremum usque vivendi limitem, tui nobis memoria perseverabit. In obtinenda tui memoria non fuero mihi dissimilis, nisi vivus esse desiero. Donec hoc vitæ munus divina benignitas mihi salvum esse volet, non intermorietur apud me tuæ benignitatis memoria. Vita defungar prius quam tui recolere cessabo. Diem obiero citius quam te ventis & auræ mandem. Clavis adamantinis nostræ memoriæ infixus est Morus, quos non nisi una mors valeat abrumpere. Ad ipsos usque cineres pergam tui meminisse. Ad extremam usque senectam tui me comitatura est memoria. Per universum vitæ spacium Mori meminerit Erasmus. Ad extremum usque rogum tuorum erga me beneficiorum memoria prorogabitur. Fatalis ille dies denique me tui memorem est reperturus. Dabo operam, ut tuæ humanitatis recordatio ad libitinam usque proferatur. Nunquam mihi quicquam obtigerit in vita, neque tam lætum, neque tam acerbum, quod tui nominis recordationem è sinu pectoris mei queat expellere. Quoad hic animus in hoc corpusculo tenebitur alligatus, non exulabit mea memoria Morus. Citius futurum est, ut alterum in orbem tui memoriam mecum deferam, quam ut hic abjiciam. Animam egero prius quam te memoria tenere desiero. Si quando corpus umbram suam poterit effugere, hic animus tui quibit oblivisci. Non antequam diem vitæ novissimum clausero, desiturus sum tuam in me beneficentiam animo circumferre. Quam longa dabitur vita, tam erit longa tui memoria. Par nobis erit tui memoriæ vitæque modus. Tui meminero quoad auras carpsero vitales. Absit ut mihi brevior fuerit tui memoria quam vita. Quamdiu superabit Erasmus, tandiu tui meminisse non gravabitur. Vita orbabor antequam tui me relinquet memoria. Supero privabor lumine, ut priscorum more loquar, citius quam Morus ex animo deleatur meo. Ocyus hoc mihi corpusculum morte refrixerit, quam tui memoria frigescat apud me. Inexstinctam tui memoriam semper tenebo. Quantum temporis anima fruar, sic enim loquitur Sallustius, tantundem tui meminero. Perpetim tui recordatus fuero. Sine fine tui meminero. Nulla res mihi tui oblivionem invexerit, nisi quæ me ex hac luce evexerit. Orbem hunc verterim citius, quam animum hunc tui memorem vertero. Vita me exuerit is casus qui tui importabit oblivionem. Crudelibus umbris occubuero, quemadmodum loquuntur Poetæ, citius atque tui recolere desiturus sim. Efferar ipse citius, quam tui memoria è corde efferatur meo. Ad ipsum usque bustum me tui memoria prosequetur. Ne defunctus quidem tui possim oblivisci, nedum vivus. Viventi mihi nunquam obolescet hominis tam bene meriti recordatio. Quando futurum est, ut apud Erasmum evanescat Mori memoria? nempe dum vita destituetur. Usque eo tui memor ero, dum in vivis agam. Usque dum spirabo, te corde gestabo. Quamdiu dabitur anima frui, ut Sallustiano more loquar, non desinam tui memoria frui. Sed jam sit modus. Neque enim id agitur, ut ostentemus quousque nos in commutando progredi possimus, sed ut studiosis adolescentibus exemplo demonstremus, quantam orationis ubertatem paritura sit hæc exercitatio. Sententiam enim non admodum felicem, neque magnopere ad commutandum fœcundam ferme ducenties, ut opinor, commutavimus, neque tamen minutulas illas variandi rationes sumus anxie persequuti. Nunc quod reliquum esse videtur, varias quasdam orationum formulas proponemus, non id agentes ut omnes persequamur, nam hoc utilissimum quidem, verum prorsus infiniti fuerit operis, sed ut ostensis aliquot, velut exemplis, vel sibi quisque similia fingat, vel alius aliquis cui plus otii suppetet quam nobis, hujusmodi dicendi figuras ex omnibus auctoribus petitas, copiosius atque accuratius impertiat copiæ candidatis.

CAP. XXXIV.

Quibus modis tribuimus plura ex æquo.

EST vir tum eruditus, tum probus. Est juvenis & formosus, & bene ingeniatus. Atque repetitum Poetarum est. Virgilius. *Atque deos atque astra vocat crudelia mater.* Est vir doctus pariter ac probus. Est vir doctus simul & integer. Est vir tam doctus, quam bonus. Vir est doctus juxta ac
A bonus. Vir est non minus probus, quam literatus. Vir est non inferior literis quam moribus. Vir est ex æquo probus atque doctus. Vir est æque literatus atque incorruptus. Vir doctus æque ac probus. Vir perinde doctus ac probus. Exquisite doctus est, itidem & facundus. Vir est non minore morum probitate, quam doctrina præditus. Vir est quemadmodum doctus, ita & integer. Vir est doctusque bonusque, in carmine. Vir simul eruditus, simul integer. Vir est doctusque & integer, in carmine. Vir est haud secius eruditus ac probus. Vir est ut doctus, ita & probus. Vir est doctus, & idem probus. Vir est optimus, idemque doctissimus. Vir est pari vel doctrina vel probitate præditus. Vir
B est non tantum eruditus, sed & integer. Vir est non modo doctus verum etiam probus. Vir optimus quoque est, non modo doctissimus. *Non tantum ferunt, sed impellunt.* Hæc sermonis forma peculiaris est Senecæ, ut omittatur *etiam.* Vir est præter summam eruditionem etiam optimus. Vir præterquam quod doctus est, etiam optimus. Vir est de quo dubites, doctior ne sit an melior. Vir est in quo cum literis probitas morum ex æquo certet. Vir est qui literas æquarit cum vitæ sanctimonia. Vir est cujus eruditioni respondet morum integritas. Vir est qui parem vitæ castimoniam cum eruditione copularit. Vir summa quidem doctrina, verum morum integritate neutiquam inferior sese. Interdum idem pollet *vel:* Literis tuis majorem in modum
C sum delectatus, vel quod essent elegantissimæ, vel quod humanitatis plenæ. Vir est in literis egregius, neque sui dissimilis in moribus. Vir est clarus imaginibus, neque non illustris egregiis in Rempublicam meritis. Officium beneficio cumulasti. Corporis formam animi dotibus æquiparas. Cum diis ex pari vivit. Oratione tua graviter offensus est, partim quod esset incondita, partim quod arrogans. In hoc probitas æquat eruditionem: *in hoc fortuna cum probitate facit paria.* Ita Seneca. Vir est egregie doctus, atque item probus. Vir est similiter doctus ac facundus. Vir est haud dissimiliter eloquens ac doctus. Vir pari doctrina ac probitate. Vir est perinde facundus ut doctus, *Cives, hostes juxta metuit,* dixit Sallustius, pro eo quod est, cives æque
D atque hostes. Fortunæ corporis animique bonis juxta dives. Ita Sallustius, *Plebi patribusque juxta charus.* Idem: *Hyemem atque æstatem juxta pati.* Plinius: *Juxta diebus noctibusque tacitus labitur mundus.* Idem: *In Italia partibus quibusdam juxta hyeme & æstate fulgurat.* Ad hanc formam pertinent & illa. Plautus: *Juxta mecum rem tenes,* id est, æque atque ego. Idem in Persa: *Juxta tecum, si tu nescis, nescio.* Sallustius in Catilinario: *Quo in loco res sita sunt, juxta mecum omnes intelligitis.* Huc pertinent & illa minus quidem usitata, sed tamen apud probatissimos auctores reperta. Terentius. *Quo jure, quaque injuria me in pistrinum dabit,* id est, sive jure, sive injuria. Cicero ad Atticum: *Atque quam honesta, quam expedita tua consilia, quam evigilata tuis cogitationibus, qua
E itineris, qua navigationis, qua congressus sermonisque cum Cæsare.* Idem ad eundem: *Quum video te distentissimum esse, qua de Butrotiis, qua de Bruto. Qua* posuit pro *tum.*

CAP. XXXV.

Quæ commodius copulent contraria.

VIR est doctrina quidem egregia, verum moribus illaudatis. Est ille quidem vir bonus, verum parum eruditus. Vir est ut lingua blandissima, ita ingenii amarulenti. Vir est ut optimis prognatus majoribus, ita pessimis præditus moribus. Vir est tam deformis animo, quam corpore formosus. Petrus quemadmodum est tacitus conviva, ita est loquacissimus susurro. Hic salutator quidem est comis, sed virulentus obtrectator. Blandus est vultu, cæterum ani-
F mo truculento. Ferox est in timidos, at in feroces timidus. Aestate friget, contra hyeme calet. Plautus sic usurpavit, *item, Venit hoc mihi in mentem Megadore, te esse hominem divitem factiosum: Me item esse hominem pauperum pauperrimum. Item,* dixit pro *contra.* Inimicis supplex, in amicos contumeliosus. Hic nullum additur adverbium. Voluptas parit dolorem, contra dolor voluptatem.

CAP. XXXVI.

Quibus modis æqualiter removemus.

VIR est neque doctus, neque probus. Nec literis, nec moribus probatus. Vir est non indoctus modo, verum etiam

etiam improbus. Vir est ut indoctus, ita & improbus. Non minus improbus, quam illiteratus. Vir est tum indoctus, tum improbus. Aeque indoctus atque improbus. Quintilianus: *Nescias præstare velint minus, an possint*, id est, tam non possunt præstare, quam nolunt. Pariter & indoctus & improbus. Vir pessimus est, & nihilo doctior. Seneca: *Flamma deprimi non potest, non magis quam quiescere.* Vir cui nihil sit omnino bonarum literarum, bonorum quoque morum tantundem. Breviter iisdem ferme rationibus removemus, quibus tribuimus.

Cap. XXXVII.

Quibus modis tribuimus inæqualiter.

Vir est cum doctus, tum probus. Juvenis cum eleganti forma, tum vero moribus optimis. Non pecuniam modo, verum etiam vitam tibi paratus sum impendere. Vitam etiam tibi impenderim, non modo pecuniam. Verum hæc verba *non solum*, & similia, communia sunt tum ad æqualitatem, tum ad inæqualitatem. Non sat erat impulisse, nisi & prodesset. Non sufficiebat spoliasse, nisi & jugularet. Parum erat deformem esse, ni mores forma dignos addidisset. Nihil erat, deformi esse vultu, nisi moribus etiam esset teterrimis. In hac sermonis forma eleganter interdum altera pars subauditur, eaque fere potior. Ut, Chrysostomus non ore tantum aureus; Subauditur, verum etiam pectore. Et, Corneliæ Gracchorum matris epistolæ servatæ sunt, non tantum in sexus honorem; Subauditur, sed etiam ob admirationem eloquentiæ. Vidisti hominem non corpore tantum distortum; Subauditur, verum etiam animo.

Cap. XXXVIII.

Inæqualiter removemus his modis.

Non modo non intelligit, verum ne legit quidem. Non solum parum intelligit, sed nec legit. Non tantum nihil intelligit, imo nec legit. Ne legere quidem novit, ne dum intelligat. Non novit vel legere, tantum abest ut intelligat. Tantum abest ab intelligendo, ut ne legere quidem norit. Adeo non intelligit, ut nec legat. Usque adeo non intelligit, ut nesciat vel legere. Hic in Græcis literis nihil, quid dicam, intelligere, imo nec legere potest. Hic nihil in bonis literis non dicam intelligit, imo ne legit quidem. Ingenium quoque senectus deterit, nedum corporis vigor perpetuo duret. Horatius: *Nedum sermonis stet honos & gratia vivax.* Nedum nove posuit pro eo quod est, tantum abest ut. Ne pecuniam quidem impenderet amico, nedum vitam. Eam figuram Quintilianus novavit ad hunc modum. *Nec enim de omnibus causis dicere quisquam potest, saltem de præteritis, ut taceam de futuris*: id est, nec de præteritis, tantum abest ut de futuris.

Cap. XXXIX.

Quo pacto tribuamus aut removeamus ordine.

Ut quisque est gloria dignissimus, ita gloriæ est negligentissimus. Ut quisque gloria est maxime dignus, ita gloriæ minime est avidus. Optima quæque vitæ pars quam ocyssime prætervolat. Catullus. *Tanto pessimus omnium poeta, quanto tu optimus omnium patronus. Quam vos facillime agitis, tam vos maxime æquum est æqua facere.*

Cap. XL.

Per comparativum eadem effertur sententia.

Quo quisque dignior est qui laudetur, hoc minus laudari gaudet. Quanto quisque fama dignior, tanto minus affectat famam. Quo quisque magis promeretur honorem, eo minus honorem appetit.

Verti possunt:

Hoc minus ducitur laudis cupidine, quo quisque laude sit dignior. Tanto quisque minus optat pecuniam, quanto minus possidet pecuniæ.

Cap. XLI.

Formulæ augendi positivum.

Positiva augentur compositione harum dictionum, *per, perquam, præ*, perdifficile, perquamdifficile, prælongus, prævalidus, præpotens. Quod idem contingit in verbis, pervelim, perquamvelim, percupio. In quibus idem interdum efficit hæc præpositio *de*; deamo, demiror. Eandem vim videtur obtinere *ad*; adprobe, adfabre, adprime, adamo. Adjungunt Jureconsulti præpositionem *in*, tanquam idem pollentem. Sed errant, mea sententia. Quod enim illi legunt, *indifficile est*, pro valde difficile, legendum est, *in difficili est*, pro, difficile est: quemadmodum dicimus, *in proclivi est*, pro eo quod erat, proclive est: & *in promptu est*, pro, promptum est; *in tuto est*, *in causa est*, *in vitio est*. Augetur positivum & citra compositionem quam, sed figurate. Quam tenere amat filium, quam nihil pudet? *Ut* eandem vim obtinet. Ut gaudet? ut est severus? Immane quantum distat, papæ, quam is sibi placet, ad hanc rationem pertinent. Præterea his adverbiis intenditur, *oppido quam*, *sane quam*, *nimis quam*, *antigerio*, quod priscum est. Atque hæc, ut dixi, non repudiantur & a verbis, perquamvelim, percupio, sane quam cupit. Neque diversam vim habere videtur *næ*. Næ ego infelix homo sum: *Faciunt næ intelligendo, ut nihil intelligant.* Item adverbia illa omnia epitasim significantia: *Admodum, valde, egregie, insigniter, insignite, magnopere, maximopere, summopere. Inprimis, adprime, cumprimis, inpaucis*, pro egregie apud Q. Curtium, *tantopere* & *quantopere* figurate. *Adeo* pro valde. Fratrem adeo nobilem. *Majorem in modum, mirum in modum, supra modum, prater modum, singulariter, unice, eximie, impendio, impense, effuse, abunde, affatim*, atque alia innumerabilia. *Vel*, utrumque efficit, auget. Cicero: *ut vel perire maluerit*. Seneca: *Vel umbra satis est*. Amico non vel teruntium impertiat. Salustius: *Quibus rebus supra bonum & honestum perculsus*, id est, magis quam decuit. *Plusquam*, item magnam vim augendi obtinet. Homo plus quam insanus. Senex plus quam delirus. Plus æquo sævit. Cui finitimum est non tantum, non ut respondeat illi Græco, *μόνον οὐχὶ*, sed ut idem valeat quod plusquam, velut, homo non tantum vino temulentus. Vir non tantum imaginibus nobilis, de quo paulo ante meminimus. *Terque quaterque beati*: [1] Græcanicum est, Latinis tamen usurpatum, in carmine potissimum. Sunt & aliæ formæ longius petitæ. Incredibile dictu quam elegans. Salustius. *Immane dictu*. Dici non potest. Sermone consequi nequeam. Et rara quadam modestia. Præcipuum honorem. Primariam laudem. Incredibili sapientia, haud vulgari doctrina. Et deum immortalem, qua doctrina virum! id est, egregia. Plus satis animosus. Plus nimio tristis. Plus quam par est. Atque id genus alia, non absurde fortassis iis adjungantur. Nam vulgata est illa amplificandi ratio, quoties superlativus pro positivo ponitur. Plurima pro multis admodum. Maxima pro vehementer magnis. Dicere tibi promptissimum est, mihi facere facillimum.

De variando positivo.

Utimur vulgo comparativis pro absolutis, vel ipso Quintiliano auctore. Ut si quis dixerit infirmiorem, id est, meticulosum.

Cap. XLII.

Rationes minuendi positivum.

Minuitur e regione positivus adpositis præpositionibus. Subtristis, subrusticus, subobscurus, subasper, subinvidus, subinanis, subfuscus. Quod idem accidit in verbis, subputet, subirascitur, subolet, subridet, subodoratur, subtimet. Minuitur & adverbiis appositis. Non nimis molestum est. Utcunque jucundum fuit. Aliquantulum mordax. Quæ verbis etiam adjunguntur. Utcunque sapit, paululum delirat. Præterea deformatione in vocem diminutivam, quæ varia fingitur. Argutulus, acutulus, minutulus, rancidulus, putidulus, diutule, sæpicule, ebriolus, sciolus, tenellus, nigellus, integellus, philosophaster Tullius. Comparativus positivi loco diminuit, ut tristior, id est, subtristis. Sed ferme in vitium accipitur, addito adverbio paulo, & *κατ' ἔλλειψιν*. Vir integer quidem, sed severior, id est, paulo severior, quam convenit. Facundus homo, sed paulo loquacior. His igitur modis vitium fere significamus cum extenuatione. Diminuuntur & verba vocis deflexione, vellico, cantillo, cantito, volito, dormito, victito. Parum & non admodum, idem efficiunt. Ne parum multa scire viderentur. Vir non admodum senex. Non admodum adolescens. Non perinde sapiens

1. Quia dixit *Homerus*. *Τρὶς μάκαρες Δαναοὶ καὶ τετράκις, οἳ τότ' ὄλοντο*, quod imitatus *Virgilius*, Æneid. 1. v. 98.

piens ut dives, Non satis mihi liquet, Parum mihi liquet, Minus compertum habeo. Idem efficiunt Vix & Semis, Vix vivus, semivivus, vix bene Græca, parum bene Græca, cum semiviro comitatu, id est parum virili. Ad idem valent, saltem & at. Cato: *Si non eodem die, at postridie.* M. Tullius: *Si non propinquitatis, at ætatis suæ, si non hominis, at humanitatis rationem haberet.* Si non primus, certe non postremus.

Cap. XLIII.

Quibus rationibus augetur Comparativus.

COMPARATIVUS peculiariter his adverbiis amplificatur, Longe, multo, nimio. Tum his, multis partibus, in immensum, in infinitum, infinitis partibus. Longe venustior, Multo gravior, Nimio severior. Horatius: *Ne doleas plus nimio memor immitis Glyceræ;* Multis partibus præstantior. In infinitum utilior, infinitis partibus divina humanis sunt potiora. Tanto & quanto figurate idem efficiunt. Tanto corpore præstantior est animus, id est, multo. Idem efficit, quo & eo, quum subjiciuntur. Est prædives: quo magis admiror hominis sordes. Eo magis admiror. Pape quanto satius est amicis quam pecuniis abundare.

Quibus modis imminuitur Comparativus.

Minuitur adverbiis positivis. Paulo venustior est Gellius, quam Macrobius; aliquanto brevior est hic, quam ille. Nihilo ditior. Ne tantillo quidem melior eris si dives fueris. Minimo fuerit honoratior, si titulus accesserit. Quantulo figurate, pro quam paulo. Pape, quantulo hic homo sapientior est, id est, pene nihilo. Minuuntur & deflexione vocis. Grandiusculus, id est, paulo grandior. Meliusculus. Celeriuscule.

Cap. XLIV.

Quibus rationibus augemus Superlativum.

SUPERLATIVUS augetur eisdem adverbiis, quibus comparativus, *longe, multo.* Accedit autem *facile.* Cicero: *longe facundissimus, & idem vir multo omnium optimus,* ejus civitatis longe princeps, aut facile princeps, aut primus. Idem efficitur per tanto & quanto figurate posita, ut, Deum immortalem quanto Socrates Philosophorum omnium optimus? Quam in compositione nonnihil addit augmenti. Quamplurimos vidi: ut quamoptime res cadat, tibi nihil commodi fuerit. Per hyperbolen augetur hoc modo. Mulier plusquam pessima, & pessima pejor. Homo non loquacissimus, sed ipsa loquacitas. Et ipsa loquacitate loquacior. Ipsa Venere venustior. Nam in Sallustiano illo: *Quam quisque pessime fecit, tam maxime tutus est:* æqualitas est non augmentum. Superlativus non recipit diminutionem, nisi forte per quidem, aut similem conjunctionem. Est ille quidem doctissimus, verum moribus non perinde probatis.

Cap. XLV.

Periphrasis Comparativi.

COMPARATIVUM circuitione reddimus per adverbia comparandi *magis* & *minus.* Avidior voluptatum quam pecuniæ. Magis avidus voluptatum quam pecuniæ. Huic finitimum est potius. Voluptatum avidus potius, quam pecuniæ. Item, Non tam voluptatum appetens, quam pecuniæ. Minus avidus pecuniæ quam voluptatum. Non perinde literarum admirans, quam pecuniæ. Breviter modis illis omnibus quibus diximus inæqualitatem significari. Obtinent & verba quædam vim comparativi, præstat lucrum pudori, id est, potius est lucrum pudore. Cicero Platone facundior. Plato Cicerone doctior. Cicero Platonem superat eloquentia. Plato Ciceronem antecellit eruditione. Hieronymus Augustinum vincit rerum scientia. Augustinus Hieronymum anteit ingenii subtilitate. Plautus: *Pol mærores mihi anteverterunt gaudiis.* Terentius: *Quanto herum anteeo sapientia.* Plautus: *Præverti hoc certum est aliis rebus omnibus,* id est, præferre rebus omnibus. Livius: *Conati novi consules omnibus eam rem præverti.* Cicero: *Si vacas animo, neque habes aliquid quod huic sermoni prævertendum putes.* Plautus dixit *antevenire,* pro præcellere. Sallustius: *Homines qui per virtutem soliti erant nobilitatem antevenire.* Huc pertinent & illa: Anteponere, præferre, posthabere, præcellere. Nove dixit Sallustius: *Invidia atque superbia post fuere.* Idem, *Facundia Græcos, gloria belli Gallos ante Romanos fuisse,* id est, præcelluisse. Cedere, secundum esse, præripere laudem, & si qua sunt similia. Nam his ferme modis orationem comparativam variamus. Magis amat pecuniam, quam famam. Pecuniæ Socrates amans est magis quam famæ. Pecuniarum amantior est quam famæ. Famam pecuniæ posthabet. Famæ pecuniam anteponit. Minus famæ cupiditate ducitur quam pecuniæ. Impensius amat pecuniam quam famam. Huic potior est pecunia quam fama. Huic prius est lucrum quam honesta fama. Huic antiquius est laudari quam admoneri. Huic vilior est vita quam pecunia. Similem vim obtinet, præ. Cicero: *Omnium minas atque omnia pericula præ salute sua levia duxerunt.* Idem, *non tu quidem vacuus molestiis, sed præ nobis beatus,* id est, nobis beatior. Terentius: *Ludum jocumque alterum dices illum, præ ut hujus rabies quæ dabit.* Plautus: *Nihil Hercule hoc quidem, præ ut alia dicam.* Idem dixit, *præ quam,* pro, præ ut.

Cap. XLVI.

Quibus modis Superlativum variamus.

SUPERLATIVUS variatur primum adverbiis quæ apponuntur, vel verbis vel nominibus positivis. Amat te maxime. Amantissimus est tui. Effusissime te diligit. Vir indoctissimus, vir minime doctus. Minime multos, id est, quam paucissimos. Variatur & per comparativum, idque Affirmative, sed inusitatius, Negative frequentius. Cicero reliquis omnibus eloquentior. Cicero quo non alius eloquentior. Quo non præstantior alter, id est, omnium præstantissimus. Nihil minus amat, quam assentationem. Nulla re minus capitur quam gloria. Nihil hunc æque delectat atque Musica. Nihil prius habet, quam adesse conviviis. Nihil pulchrius ducit, quam divitem vocari. Nihil minus faciam, nihil minus sentiebam, quam quod tu suspicabare. Homo quidvis potius quam doctus. Efficiam, ut intelligas omnia mihi defuisse potius, quam fidem ac diligentiam. Omnia potius quam illud agnoscet. Quidvis potius quam vanitatem fatebitur. Nullo inferior, id est, summus. Nullo non inferior, id est, omnium infimus. Nemine non deformior, id est, omnium deformissimus. Per verba nonnunquam idem efficitur. Cicero superat omnes dicendi copia. Vincit omnes candore. Nemini cedit candore. In dicendo principatum obtinet. Primas tenet. Arcem tenet. Adde huc & illa. Vir præter cæteros spectatæ fidei. Præter omnes te diligit. Supra cunctos tuæ gloriæ favet. Ante omnia rei studendum. Unicus & solus, primus, & similia natura superlativam significationem habent: ut & singularis. Unice te amat. Solus est homo homini amicus, singulari benevolentia te prosequitur. Primam laudem obtinet. Tullius eloquentiæ princeps. *Penulatorum Alpha* dixit Martialis. Eodem pertinent. Tam facundus, ut cum hoc nemo sit conferendus. Tam eruditus, ut ei nemo sit æquandus. Tam prudens, ut parem non invenias. Horatius: *Sic ut mihi nunquam in vita fuerit melius.* Adeo placet, ut magis non possit. Item & illa. Quis hoc uno facundior? Quid invenias pecunia vilius? An quicquam est patria dulcius? Erras si credis mihi quicquam esse uno te charius. Sunt & illæ orationes annotandæ. Officium tuum tam mihi gratum fuit quam quæ gratissima. Tam te amo, quam qui maxime. Terentius: *Amabat ut quum maxime tum Pamphilus.* Cicero: *Domus celebratur ita ut quum maxime.* Rursum hæ quoque. Hoc crede mihi, si quid unquam es crediturus. Homo doctus, si quisquam est omnino doctus. Homo vorax, ut si quis alius. Homo quantum alius nemo doctus. Nullus æque pernovit hominis ingenium atque ego. Haud alium reperies, perinde tui studiosum. Neminem adæque timet atque te. Si alias unquam, nunc summa vigilantia utendum est, id est, nunc maxime. Si quando alias amicum præstitisti, nunc ostende quanti me facis. Quantum potest, quoad fieri potest, & consimilia, superlativi vim videntur obtinere. Tu quantum potes abi, id est, quam ocyssime. Enitar quoad potero, id est, quammaxime. Haud ab re fuerit huc annumerare denominationes, & comparationes illas per Hyperbolen sumptas. Ut si quis hominem crudelissimum, Atreum appellet. Eloquentissimum, alterum Ciceronem. Severissimum, tertium Catonem. Tum per comparationem. Hic est nive candidior, Scytha barbarior, Graculo loquacior, aut turture. Verum hujus generis aliquot exempla comme-

morare non inutile fuerit. Sumuntur autem variis modis. A
Vel à re quapiam eximia, ut nive candidior. Pice nigrior. Vel à nomine abstracto quod vocant, cæcitate cæcior. Vel ab animante insigni, ut talpa cæcior. Caprea oculatior. Vel à persona insigni, ut Phalaride crudelior. Tum adhibentur per simplicem denominationem. Ut si rem vehementer suavem, *mel* aut *nectar* appelles. Rem vehementer acerbam, *fel*. Hominem supra modum senem, *senium ipsum*. Vehementer scelestum, *scelus*. Odiosum, *Odium*. Ganeonem, cœnum. Lurconem, *barathrum*. Contaminatum, *labem*. Contemptum, *quisquilias*. Impurum, *sterquilinium*. Perniciosum, *pestem*. Tenebrionem, *tenebras*. Inquinatum, *lutum*. Infamem, *propudium*. Portentuosum, *portentum*. Dedecorosum, *dedecus*. Molestum, *ulcus*. Vitiosum, *sentinam*. B
Odiosum, *odium hominis*. Brutum, *pecudem*. Virulentum, *viperam*. Vehementer cæcum, *talpam*. Vehementer rapacem, *lupum*. Impendio deformem, *Thersitem*.

Eadem hæc nomina per comparationem efferri possunt.

Melle dulcior, Nive candidior, Oleo tranquillior, Auro purior, Stipite tardior, Silice durior, Littore surdior, Iracundior Adria, Arenis sitientior, Vitro fragilior, Cothurno instabilior, Cote durior, Buxo pallidior, Alga vilior, Glacie frigidior, Beta magis insipidus, Spina distortior. Pluma levior, Vento instabilior, Barathro capacior, Charybde voracior, Corcoro vilior, Subere levior, Floralibus licentiosior, Magnete illicibilior, Cornu siccior, Dolio pertuso incontinentior, Cribro infidelior, Fonte purior, Ocu- C
lis charior, Pice nigrior, Pluma mollior, Auricula infima mollior, Plumbo stupidior, Caudice stolidior, Cortice levior, Aequore surdior, Spongia bibacior, Aere Dodonæo loquacior, Pila volubilior, Alno procerior, Sole clarius, Sardois herbis amarior, Rusco horridior, Aetna æstuantior, Trutina justior, Ampulla inanior, Ramento levior, Morte odiosior, Rubo arido præfractior, Clemate Ægyptia nigrior, Crambe recocta molestior, Clavo purior, Pistillo retusius ingenium, Pumice aridior, Uvis passis aridior, Laterna magis pellucidus, Euripo inquietior aut inconstantior, Luce magis dilecta.

Item per hyperbolen, eadem voce iterata.

Ipsa cæcitate cæcior, Ipsa fame esurientior, Voracitate vo- D
racior, Ipsa morositate morosior, Deformitate deformior, Confidentia confidentior, Ipsa stultior stultitia, Ipsa nequitia nequior, Ipsa siti siticulosior, Quavis peste pestilentior, Ipsa loquacitate loquacior, Quovis monstro monstrosior, Senio senilior ipso, Calamitate calamitosior.

His finitima sunt illa.

Venere formosior, Mercurio facundior, Fortuna ipsa fortunatior, Vertumno inconstantior, Empusa magis varius, Ipso Momo mordacior, Minerva doctior, Pluto ditior. Furia furiosior, Marte bellacior seu pugnacior. Salute ipsa salubrior, Ipso infortunio infortunatior, Proteo mutabilior, Ipsis gratiis humanior, Priapo salacior, Euterpe concin- E
nior, Penia pauperior, Harpyïa rapacior.

His proxima sunt nomina personarum, quæ petuntur è Tragœdiis, aut Comœdiis, aut Fabulis aliis.

Gnathone adulantior, Phormione confidentior, Euclione tenacior, Demea asperior, Parasito edacior, Atreo crudelior, Ajace insanior, Thersite deformior, Orpheo vocalior, Cyclope immanior, Penelope castior, Tithono vivacior, Achille animosior, Niobe fœcundior, Tiresia cæcior, Sphinge involutior, Dædalo ingeniosior, Gigantibus elatior, Excetra pertinacior, Thrasone gloriosior, Geta versutior, Thaide blandior, Mitione lenior, Tantalo sitientior, Oreste insanior, Ulysse dolosior, Nestore viva- F
cior, Glauco stupidior, Iro pauperior, Nireo formosior, Diana intactior, Erisitone esurientior, Stentore clamosior, Busyride illaudatior, Labyrintho intricatior, Icaro audacior, Gryllo stultior, Nestore facundior.

His confinia sunt quæ sumuntur ex historiis, ut:

Phalaride crudelior, Polycrate fortunatior, Sardanapalo nequior, Phocione justior, Crœso ditior, Crasso locupletior, Aesopo luxuriosior, Fabio cunctantior, Milone fortior, Lynceo perspicacior, Demosthene facundior, Hannibale vafrior, Aristarcho doctior, Timotheo felicior, Timone inhumanior, Numa religiosior, Aristide incorruptior, Catone præfractior, Codro pauperior, Erostrato ambitiosior, Socrate sanctior, Chrysippo acutior, Thracalo vocalior, Curione obliviosior, Heraclito obscurior.

Huc pertinent & illa quæ sumuntur à gentibus.

Pœno perfidior, Scythotauris inhospitalior, Parthis fugacior, Thracibus bibacior, Care vilior, Sybarita fastuosior, Arabis ditior, Arcade stolidior, Asoto luxuriosior, Scytha asperior, Cretensi mendacior, Græco vanior seu levior, Thessalo perfidior, Leontinis luxuriosior, Milesiis effœminatior, Pygmæo brevior, Cretensi vanior.

Addantur his quæ sumuntur ab animantibus.

Muliere loquacior, Hirco libidinosior, Corvo vivacior, Graculo loquacior, Dipsade nocentior, Echino asperior, Lepore timidior, Delphino lascivior, Scropha fœcundior alba, Albo corvo rarior, Scorpio improbior, Testudine tardior, Glire somniculosior, Asello tardior, Dama timidior, Hirudine bibacior, Equo indomito ferocior, Tipula levior, Cane adulantior, Cervo demissis auribus surdior, Coccyce importunior, Passere salacior, Cervo vivacior, Cornice vivacior, Luscinia vocalior, Vulpe fraudulentior, Anguilla lubricus magis, Pisce sanior, Phœnice rarior, Nigro cygno rarior, Vulture edacior, Jaculis inexspectatior aut pestilentior, Cochlea contractior, Sue indoctior, Hydra immitior, Tauro robustior, Cane rixosior, Urso hispidior, Simia lascivior, Fele rapacior, Laro stultior, Scarabæo improbior.

Idem pollent quæ sumuntur ab officiis, ut:

Carnifice immanior, Cinædo effœminatior, Athleta robustior, Areopagita tristior, Hæredipetis adulantior, Fossore durior, Lenone perjurus magis, Milite gloriosior, Rege magnificentior, Monacho imperitior, Tyranno violentior.

Eandem vim obtinent voces denominativæ ab his deformatæ. Ut mellitum, pro vehementer jucundo. Nivei mores, pro vehementer puris. Aureum seculum, pro magnopere felici, laudatoque. Plumbeum, saxeum, pro duro. Ferreus scriptor. Bliteus, Betaceus, pro fatuo. Ficulnum, pro molli. Adamantinum, pro duro, ac laborum egregie toleranti. Vitreum pro fragili. Vultureus venter, Vulpinum ingenium, Leonina ferocia, Thrasonica jactantia, Demeana asperitas, Stentorea vox, Ciceroniana facundia. Cujus generis plura sunt, quam ut numerum eorum persequi laboremus. Illa porro longius quidem petita videntur, sed tamen huc ad locum pertinent. Quam curat numerum lupus, aut torrentia flumina ripas. Non pluris illius convitia facio, quam culicem elephantus Indicus. Pili non facio. Nauci non facio, Flocci non facio. Sed hæc alio loco.

Cap. XLVII.

Communis omnium graduum variatio.

Omnes gradus circuitione variamus. Vir magnopere doctus. Vir magna doctrina præditus. Magis doctus. Majore doctrina præditus. Doctissimus, maxima doctrina præditus. Et res cum magna, cum majore, cum summa turpitudine conjuncta est. Quæ vocantur ἰσοδυναμίαι signorum, id est, æquipollentiæ, non mediocriter ad orationis copiam faciunt. Quare primum vocum ipsarum inter ipsas discrimina paucis ostendemus. Totus ad partes refertur magis, quam ad formas. Si mors totum hominem absumeret, merito tantopere formidaretur. Totum hunc mensem, totam hanc noctem sine fruge transegi. Cunctus ad singula, quæ ratio nominis complectitur, collectim refertur, quasi dictum sit à conjunctis. Cunctos Romanos, cunctos mortales. Universi omnes simul collectos significat. Aut nullam, aut universam pecuniam vult, id est, omnem simul. Terentius: *Id illa nunc abripiet universum.* Singuli huic diversam habet rationem, nam omnes quidem ita significat, ut unusquisque singillatim per se intelligantur. In singulas naves singuli milites accensebantur. Omnis, quasi generale est ad omnia. Siquidem omne corpus pro toto dicimus. Et omnem populum pro toto populo. Et omnem diem pro singulo die. Horatius: *Omnem crede diem tibi diluxisse supremum.* Omnes pro cunctos, & omne pro universum. Terentius: *At ut omne reddat.* Tametsi hic pro toto positum videri possit. Quisque addit rei cujuspiam in singulas partes distributionem. Ut sua cuique sententia. Natura animantium sua cuique dedit arma. Suas cuique dotes largitus est Deus. Unusquisque nihil à quisque differre videtur, nisi quod & pro singulo ponitur. Unumquemque sua cupiditas ducit.

Nunc

Nunc unumquodque crimen cujusmodi sit excutiamus. Nihil autem prohibet & singuli per distributionem hujusmodi accipi. Singulis navibus singulos duces præfecit. Quisquis non absolvit orationem. Quicunque modo perficit, modo non perficit. Quisquis gravabitur sementem facere, is non metet. Quicunque recusabit laborem, non feret fructum. Aliquoties absolvit propemodum, cum significat ignorantiam. Ut quisquis fuit ille deorum. Quisquis es armatus qui nostra ad limina tendis. In obliquis nonnunquam unico verbo contentum est utrumque. Rem facias quocunque modo. Hominem quoquo modo absolvas, pro quovis modo. Quilibet & quivis citra discrimen unum quodlibet significant. Horatius: *Qualibet in quemvis opprobria dicere sævus.* Resolvuntur autem per conjunctionem, vel, cum omnis & reliqua ferme per copulativam exponantur. Quemvis arbitrum cedo, id est, vel hunc, vel illum mea nihil refert. *Qualibet hirsutas fronde tegente comas.* Quod Græci dicunt τυχὸν, quasi non delectum, sed fortuitum, & casu oblatum. Unusquilibet consimilem obtinet rationem. Significat enim unum aliquem è multis quicunque sit ille. Deligas tibi auctorem unumquemlibet. Et unusquivis ab hoc nihil differt. Hæc autem, *quilibet*, *quivis*, *unusquilibet*, *unusquivis* non nisi unicum verbum admittunt. Semper enim absolutam reddunt orationem. *Quantuscunque*, *qualiscunque*, *quantusquantus*, *qualisqualis*, eandem obtinent rationem cum quicunque & quisquis. Adverbia, item, *utut*, *utcunque*, *ubiubi*, *ubicunque*, *quoquo quocunque*. Breviter composita semper sequuntur naturam particulæ appositæ. *Undevis*, *undelibet*, *undecunque*. Quorum duo prima absolvunt orationem, postremum commune est. Quocunque, quoquo, communia sunt. Quolibet & quovis non sunt. Quoquoversum & quaquaversum communia sunt. Ubivis & ubilibet absolvunt orationem. Ubicunque commune est. Ubiubi non est, uti nec utut, non enim absolvunt constructionem. Uter quod ad duo pertinet, cum iisdem compositum, idem accipit discrimen. Utercunque anceps est, utervis absolvit, uterlibet itidem, utrocunque anceps, utrovis, utrolibet absolvunt. Uterque copulative significat, ut & illa, Utroque, utrinque, utroque versum. Aliquis indefinite significat unumquempiam. Quid si hoc aliquis voluit deus? Quis idem pollet, sed his ferme dictionibus præcedentibus, *Si*, *Ne*, *Num*, *Ec*, *Ubi*. Si quid exstiterit novi. Ne quid temere faxis. Num quem tuorum offendi? Ecquid tui tetigi? Ubi quis te læserit. Ubi pro alicubi. Unde pro alicunde usurpatur, duntaxat in compositione, ut Sicubi, necubi, nuncubi, sicunde, necunde. *Quidam* definite accipitur. Quendam volo visere. Nisi cum habet aut contemptum, aut translationem. Ut Isidorum quendam mihi citabat. Perinde quasi dicas, Isidorum nescio quem. Lachrymas emisit, quendam animi sanguinem, id est, veluti sanguinem. Seditio morbus est quidam civitatis. *Quispiam* anceps est ad usum quidam, & item ad usum aliquis, tametsi refragatur Valla. Sed complurium auctoritas Vallæ reclamat: mittito ad me tuorum quempiam. Est domi tuæ quispiam, cum quo jure debeam expostulare. *Quisquam* & *Ullus* inter se conveniunt. Siquidem præterquam quod habent plusculum vehementiæ, quam superiora, illud quoque peculiare obtinent, quod gaudent vel negatione, vel signo, si, vel ne, prohibentis, vel interrogatione, ut Haud ullus mortalium ista possit præstare. Haud possit mortalium quisquam ista præstare. Si quisquam est qui sapientiam cum eloquentia conjunxit, certe Tullius is est. Vide ne quisquam hinc aufugiat. Cave ne quoquam oculos tuos à meis dimoveas. An est quisquam qui suam amicam se præsente? Num quisquam est mortalium tam patiens? Similis est ratio adverbiorum, *Usquam* & *Uspiam*, quantum ad signa pertinent.

CAP. XLVIII.

De Propositione generali.

HIS jactis, ceu fundamentis, ad ἰσοδυναμίας, id est, æquipollentias progrediamur. Propositionem generalem, vel uti vocant universalem, variis modis efficimus: Primum propriis ac peculiaribus signis. Omnes amicos alienavit. Deinde per negationem. Neminem non alienavit. Deinde per interrogationem. Quem non amicum alienavit? Virgilius: *Quas gentes Italum, aut quas non oraveris urbes?* Nulli non maledicis. Duplex generale signum non liceat eodem modo vertere. Cicero: *Cum omnibus omnia minabatur.* Omnibus omnia invidet. Neque enim recte, nihil non invidet alicui. Omnibus maledicis. Quis est cui non maledicas? Omnia dixit. Quid non dixit? Ut autem interrogatio addita negatione, generaliter affirmat, ita citra negationem generaliter removet. Quid possit dici stultius? id est, nihil dici possit stultius. Deinde per signa infinita. Haud pepercit cuiquam. Non est ullum veritus. Haud ullum veritus. Haud ullum est facinus reliquum, quod non peregerit. Non excepit aliquem, neminem excepit. Idem efficitur per quantum & quicquid, & si quod aliud. Quantum est hominum venustiorum, id est, omnes venustiores. Quicquid erat copiarum, eo traduxit, id est, omnes copias. Et si quid erat copiarum amisit, id est, omnes copias. Si quid alias sibi bonæ famæ compararat, id nunc perdidit. Redditur generalitas ceu proverbiali figura, ut cum dicimus. Miscebis sacra profanis, id est omnia. Item, *Juvenesque*, *senesque*, id est omnes. Neque magnum, neque parvum, id est, nihil. Est & infinita propositio. Per fas, nefasque, id est, quocunque modo: quo jure, quave injuria. Idem efficit ad unum. Virgilius: *Si non exosus ad unum Trojanos*, id est, omnes Trojanos.

CAP. XLIX.

De Propositione non generali.

NONNIHIL est vel aspicere, id est, aliquid est. Nonnulli pluris faciunt pecuniam quam fidem. Non nemo pro aliquis. M. Tullius. *Non nemo etiam in illo sacrario Reipublicæ* in ipsa inquam curia non nemo hostis est. Idem: *Quum esset non nemo in senatu, qui diceret non oportere.* Inest & infantibus nonnihil ingenii. Non omnem pecuniam absumpsit, id est, est quam non absumpserit. Qui legat argentum factum, non omne legat argentum. Omittitur interdum signum, manente sententia. Sunt qui pecuniam anteponant famæ, id est, sunt aliqui. Horatius: *Est ubi peccet*, id est, alicubi peccat. Est qui plures agros occupet, id est, aliquis. Ubi nonnunquam subauditur quiddam. Est in quo mihi possis magnopere gratificari, id est, quiddam. Negatio iterata nonnunquam necessitatem significat, non affirmationem simplicem. Ut non possum non ridere. Non possum non mirari. Non potest non volvi cœlum. Non potest non stare terra. Non potest non verum dicere veritas. Id accidit duntaxat in hoc verbo possum.

CAP. L.

Elegantia signorum.

ILLUD igitur observandum, ne signorum differentias, in variandis propositionibus, confundamus, id quod fere faciunt hi, qui vulgo dialecticam profitentur. Non erit tibi res cum quoquam, id est, cum nemine tibi res erit. Non erit tibi res cum quolibet homine, id est, erit cum homine singulari ac præstanti. Altera est negativa, altera affirmativa, & longe diversam habent vim. *Non cuivis homini contingit adire Corinthum*, id est, non contingit nisi præcipuis. Non contingit ulli. Vides quanto aliud pollet. Non amat quempiam è ministris. Non amat aliquem, id est, neminem. Non satis amat quendam, unum significat quem oderit. Non satis tibi favet quidam. Hoc sensu quidam usurpant certos. Per certos homines hoc fœdus diremptum est. Jussus est ad certum diem adesse. Non tibi favet quisquam, tota ratione dissident. Non recuso quenquam, recte dicitur. Non recuso quemlibet, perperam, nisi in diversa sententia. Non exclusit omnes, id est, quosdam non exclusit. Non exclusit quoslibet, significat delectu quodam alios exclusos fuisse, alios admissos. Omnia folia huic arbori decident, vere dicitur. Universa decident, falso. Singulos salutavit. Non salutavit quemlibet. Lupæ unumquemlibet admittunt, id est, citra delectum quoscunque. Vide ne cui dicas, id est, nemini dixeris. Vide ne dicas cuiquam. Vide ne cuipiam dixeris. Vide ne dixeris alicui. Vide ne mortalium ulli dixeris. Hactenus idem pollent. Vide ne cuivis, aut ne cuilibet dixeris, id est, vide cui dicas, & vide ne temere apud hominem quemcunque effutias. Omnes sibi malunt esse recte, quam aliis. Sibi quisque vult esse recte potius quam aliis. Idem pollent. Nemo non malit sibi recte esse quam aliis. Singuli sibi malunt esse bene quam aliis. Hactenus idem pollent. Universi sibi malunt esse recte quam aliis, inepte diceretur, propterea quod universi peculiarem vim habeat.

Toti respondet aliquantum, quod aliquam partem significat. Semper respondet aliquamdiu, id est, aliquanto tempore. Ut superius admonuimus, omnis reddi per quantum, itidem totus redditur per quantum, & quam longus. Homo quantus erat, humi prostratus est, id est, totus. Virgilius: *Nunc hyemem inter se luxu, quam longa, fovere*, id est, totam hyemem.

UTERQVE NEVTER.

Uterque utrique est cordi, mutua est affirmatio. Uterque alteri est odio, mutua item, id est, mutuo sese amant, mutuo sese oderunt. Neuter alteri fidit, mutuam diffidentiam significat. Neuter neutri non perinde diceretur. Id genus orationem tot ferme modis variamus. Uterque alterum odit. Uterque utrumque odit. Alter alterum odit. Oderunt alter alterum. Mutuum oderunt. Oderunt se mutuo. Oderunt invicem. Oderunt inter sese. Mutuum inter ipsos est odium. Neuter alterum amat. Alter alterum vicissim odit.

SEMPER.

Semper generalitatem habet temporis. Cui contrarium Nunquam. Huic subjectum est aliquando. Semper litigas. Nunquam non litigas. Quando non litigas? Nunquando non litigas? An est quando non litigas?

SÆPE.

Sæpe respondet, aliquoties infinito. Multis aliquot. Magno aliquantus. Sæpe opponitur raro. Neque raro admonui, id est, admonui frequenter. Haud sæpe me visit. Plerumque, ferme, fere, nonnunquam & ipsa generalitatis quiddam obtinent. Ita ferme ingenium est hominum. Eo ingenio plerique sumus. Fere fit, ut divites habeantur in pretio, id est, fere fit apud omnes. Temere in oratione negativa similem vim habet. Haud temere pervenit ad frugem, id est, fere nunquam, aut vix unquam.

CAP. LI.

De varietate negationis.

INTERDUM unica negatio idem efficit quod duæ. Neminem audit, ne parentem quidem audit. Non audit vel parentem. Nemo parem referre gratiam parenti potest, ne malo quidem. Nec malo parenti quisquam parem referre gratiam potest. Non potest par gratia rependi patri, vel malo. Non reliquit ille nec ruinam. Ne ruinam quidem reliquit.

De tribus.

Tribus interdum negationibus nihilo plus efficitur, quam una aut duabus. Non veretur neque deos neque homines. Neque deos neque homines veretur. Non veretur aut deos aut homines. Non metuit hominesve deosve, in carmine. Conduplicare negationem asseverandi gratia, Latinis etiam receptum est, si modo non iteretur sola. Non faciam, non inquam. Græci solam iterant, interdum etiam citra asseverationem, οὐ μὴ πίνω ἔτι. Est autem Atticis familiare plures negationes pro una congerere. Manentibus iisdem signis, tamen interdum variatur propositio, & mutatis, manet eadem mutato verbo, ut, omnes admittit. Omnes rejicit. Neminem non rejicit. Neminem admittit. Omnibus displicet. Nemini placet. Nulli non displicet. Nulli placet. Hic animadvertendum quæ verba cum quibus pugnent.

Synonyma negandi.

His ferme vocibus removemus. Non, haud, nec, neque, haudquaquam, neutiquam, minime, minus, parum: absit, dii prohibeant, bona verba, quidvis potius, omnia citius, & similia. Inter quæ haud & haudquaquam plusculum habent vehementiæ, quam non. Neutiquam asseverationem habet peculiarem. Minime plus quiddam significat, quam negationem. Homo minime malus, id est, quidvis potius quam malus. Parum modestius removet. Parum eruditus, ne parum multa scire viderentur, id est, ne pauca, sive non satis. Minus diversam habet naturam. Interdum comparat duntaxat. Utrumque diligit, famam & pecuniam, sed illam minus quam hanc. Interdum negat duntaxat. Homo minus mihi notus, id est, parum notus. Nam cum ea voce minus convenit, id est, non convenit. Interdum pariter utrumque facit. Quintilianus cap. de Narratione. *Cum interim, quod tanquam facile contemnunt, nescias, præstare velint minus, an possint.* Terentius in Hecyra: *Non tibi illud factum minus placet quam mihi, Laches*; neque hic placet pro displicet positum, ut exponunt Grammatici. Quis enim sanus id faciat?

A Sed *minus* perinde valet ac si dicas. Non amat me Dionysius & *minus* te, id est, me magis odit quam te. Subaudiendum est enim factum utrique non placere. Atque ita minus simul negat & comparat.

CAP. LII.

Connectendi formulæ.

VERUM de his accuratius disquirere, magis ad Dialecticos pertinere videtur. Cæterum ad hujus operis rationem satis arbitramur utcunque paucis attigisse. Nunc ad reliquas formulas aliquot accingamur, ac primum connectendi. Videmus enim in mediocriter etiam eruditis eam virtutem desiderari, ut apte concinneque orationis membra, atque

B articulos, ceu nervis quibusdam committant. Sed quibus ansulis minutiores orationis particulæ sint committendæ, id prope fuerit infinitum explicare. Majores his ferme modis connectuntur. *Præterea*, *Deinde*, quod sæpius apud M. Tullium reperitur: pro deinde Seneca usurpat *subinde*, sed cum significatione celeritatis, hoc est, pro mox. Idem facit Suetonius. Præcipuum est stercus columbarum, proximum caprarum, ab hoc ovium, deinde boum. In nostro orbe proxime laudatur Syriacum, mox Gallicum: *mox* usurpat Plinius aliquot locis, pro deinde. *Item in quo principatum tenuit Bœotia, deinde Sicilia, mox Africa.* Primo loco, secundo aut tertio loco proximum ab hoc. Porro, por-

C ro autem. Quod novo jam quasique majoris sermonis initio convenit, annotatore Donato. Cæterum, quo licebit uti, quoties ad diversa digreditur oratio. Tum pro præterea. Ad hoc. Ad hæc, quod apud Græcos πρὸς τούτοις. Cum hoc, similem habet usum. Super hæc, pro eo quod est præter hæc, locis aliquot usurpavit Suetonius. Super ingenuorum pædagogia, & super innumeram turbam. Adde his, Accedit his. Accedit ad hæc. Huc accedit. Huc pertinet. Eodem pertinet. Huic confine est illud. His finitimum est. Ad hanc formam pertinet. Ad hunc ordinem referendum est. Huic proximum est. Illud haudquaquam prætereundum silentio. Sed operæ precium est illud audire. Jam aliquoties eandem vim habet, vox Quintiliano præcipue familiaris. Dein-

D de cum progressu incandescit oratio. Jam vero, Age vero. Quid quod, & consimilia. Jam vero quid referam? Age vero ad bellum in Africa gestum veniamus. Quid quod suos etiam incessit. Quin quinetiam, insuper, ad hoc pertinent genus. Interim & per occupationem connectemus, ut ne dicam interim, ut omittam domesticas hujus sordes. Nam illud quid attinet commemorare? Nam hæc alias. Sed illud suo loco dicetur. Interim per dubitationem, ut illud, Eloquar an sileam? Nunc idem valet: nunc ad id quod secundo loco dicturos nos sumus polliciti.

CAP. LIII.

Transitionum variæ formulæ.

E TRANSITIONIBUS varie connectitur oratio. Siquidem aliquando sumuntur ab æquali. Ut, Erant hæc jucundissima, neque minus voluptatis attulerunt illa. Interdum ab inæquali. Sed hæc utcunque ignoscenda, illud quis ferat? Audistis gravissima, sed audietis graviora. A simili, ut hæc perfidia designavit, cujus generis sunt & illa, quæ nuper Romæ patrasse dicitur. A contrario, ut, sed hæc privatim, nunc quæ publice. Hactenus quæ domi gessit, nunc quæ sub signis. Sed hæc juvenis peccavit, nunc senis virtutes audietis. A diverso. De moribus habes, nunc de doctrina reliquum est ut dicamus. Quasi per occupationem. Jam ad reliqua properabimus, sed si prius illud unum adjecerimus. Per reprehensionem. Verum de his plus satis. Quor-

F sum nos transversos abripuit dolor? Ad rem redeamus. Quid his immoror? Ad id quod est hujus causæ caput, festinet oratio. A consequentibus sive relativis. Habes quid in illum contulerim beneficiorum, nunc quam gratiam mihi retulerit audi. Quid pollicitus sit expositum est, nunc quid ille præstiterit paucis accipite.

CAP. LIV.

A re & persona.

GENERALIS variandi formula est à re, & à persona, ut, Nihil opus meis monitis. Nihil opus me monitore, Te suasore, tuo suasu. Te impulsore, tuo impulsu. Te instigante, tuo instinctu. Te hortatore, tuo hortatu. Te auspice,

auspice, tuis auspiciis. Te duce, tuo ductu. Te consule, in tuo consulatu. Te doctore profeci, tua doctrina profeci. Patrem consulem non desinit jactare, patris consulatum sine fine jactat. Gloriatur formosa uxore, de uxoris forma gloriatur. De te incolumi superis habeo gratiam. De tua incolumitate grator superis. Discruciat animum uxor impudica. Discruciat animum uxoris impudicitia.

Cap. LV.

Ex more.

Ex more, Tranquillus dixit, *de more*. Maro: *pro more:* Patrio more, citra præpositionem. More hominum facit. Non insolens istud facis, pro vetere consuetudine. Solens meo more fecero. Nihil præter solitum. *Hoc apud Scythas solenne est:* Ita Suetonius. Mos est, vel moris est. Usu publico receptum est.

Cap. LVI.

Subornandi.

Subornavit accusatorem. Submisit è consularibus viris, qui regio genere ortam pejerarent. Supponi puerum. Subdere ova in nidum alienum. Submissitii. Suppositii partus. Subdititii partus. Terentius: *Ne credas à me allegatum hunc senem*, pro subornatum. Cicero: *Allegarem ad te illos à quibus intelligo me præcipue diligi.* Quintilianus: *Et ad eos allegandum est*, id est, subornandi sunt, qui persuadeant: Ita servi allegant precatorem. Hinc allegationes dicuntur subornationes. * Translatum est hoc ad citantes auctorum testimonia, qui veluti subornantur, quum nobis diffiditur.

Cap. LVII.

Renovandi.

Vetus Atheniensium exemplum renovemus. Pristinum morem revocemus. Gratias egit, quod pristinum morem retulisset. Redeamus ad intermissa studia. Studium intermissum repetamus. Bellum redintegrarunt. Divum instauramus honores. Templum instar prioris quod conflagrarat excitavit. Libertatem amissam restituit. Odium vetus eo dicterio recruduit. Recanduit ira. Refricuit illi veteris injuriæ memoriam. Horatius: *Cras ingens iterabimus æquor.* Iteranti noxam non est ignoscendum.

Cap. LVIII.

Finales formulæ.

Tu vigilas uti ditescas. Ego laboro quo doctus evadam. Objurgo te quo reddam meliorem. Ut melior evadas, ob id objurgo te. In hoc reperta Musica, ut animos delectet. Ad id adhibendæ literæ, ut nos reddant melius moratos. Cui rei paras opes? Demulcendis animis excogitatus est usus vini. Huc repertæ sunt disciplinæ. Hunc literis genui, hunc negociationi destinavi filium. Quo mihi divitias? Quorsum opus est numis? Quo spectas? Quo tendis? Quem scopum tibi proponis? Huc pertinent orationes illæ omnes, quas de supino priore posuimus. Spectatum veniunt &c.

Cap. LIX.

Causales formulæ.

Non dico quo quemquam habeam chariorem. Non dico quod parum tua mihi placeant. Ob id te sæpius reprehendo, quod impensius amo. Quoniam impensius te diligo, ob id te sæpius admoneo. Ideo nulli places, quia tibi nimium places. Quando tu me negligis, tui quoque curam abjiciam. Age revocentur copiæ, quandoquidem ita tibi videtur. Horatius: *Jubeas miserum esse libenter*, quatenus id facit. Ad eundem modum locutus est Plinius in Epist. *Maneat puella postea quam sponso jucunda est.* Postea quam mihi non credis, alios in consilium adhibe. Virgilius: *Quando hæc te cura remordet.* Neminem ex animo amat, in caussa est pecuniæ studium. Pertinent & illa ad formulam αἰτιολογικήν. Amo Socratem, utpote virum integerrimum. Odi Dionysium, quippe Tyrannum. Amplector Petrum, ut optime de me meritum. Demiror te qui fidem habeas Afro. Erras qui credas alios tua diligentius curaturos quam teipsum. Stultus es qui id speres. Impudens qui id postules. Delector Augustino, viro nimirum festivissimo. Delector Augustino, ut qui vir sit moribus festivissimis. Amo Nicolaum tanquam hominem mei amantissimum. Contemne pecuniam, quid enim ad bonam mentem confert? Amandus est tibi Cicero, siquidem te diligit effusissime. Semper in manibus habendus Tullius, nam hoc uno auctore Latine disces. Unus Cicero vere Latinum potest reddere, proinde pueris hic semper in sinu gestandus. Optimus dicendi magister Terentius, quare semper est evolvendus. Quo mihi rectius esse videtur, & eo magis, & hoc lubentius id negocii suscepimus. Non habes quam ob rem mihi succenseas. Non est cur mihi succenseas. Horatius: *Non est quod multa loquamur.* Cicero: *In viam quod te des hoc tempore nihil est.* Succenset, eaque gratia nos non visit. Luget atque ob id vocatus ad cœnam excusavit. Potest nonnunquam omitti signum. Parentem amo, parricidam non amo, id est, quod parens est, hoc nomine amo, quod parricida, hac de caussa non amo. Pontifici debeo honorem, Alexandro non debeo.

* *Adlegare* proprie est *legare* seu mittere *ad*, seu palam id fiat, seu clam; cum *subornare* clancularíam molitionem sonet.

Cap. LX.

Quod εἰδικῶς.

Eἰδικῶς accipitur, quum speciem generi subjicit. Gaudeo genus est: Quod me amas species gaudii. Potest aliquis multis variisque de caussis gaudere, sperare, dolere. Genus autem & speciem dico Grammaticorum more non Dialecticorum. Quod meæ nugæ non omnino displicent doctis gaudeo. Gaudeo meas nugas non omnino displicere doctis. Quod res tibi feliciter evenerit, lætor. Lætor rem feliciter evenisse. Quod uxorem duxeras nondum audieram. Uxorem duxisse te nondum audieram. Quod puellam repudiaris, demiror. Demiror te repudiasse puellam. Quod literas reliqueris, doleo. Doleo te reliquisse literas. In hujusmodi orationibus quod εἰδικῶς accipitur, quod tamen apud Græcos est usitatius in ὅτι. Latini magis gaudent infinitis verbis, nisi species præmittatur. Ut, Quod pater revaluit, gaudeo.

Cap. LXI.

Ut, εἰδικῶς acceptum.

Eodem modo nonnunquam accipitur, ut, veluti, spero fore ut facto gaudeas. Confido futurum, ut te minime facti pœniteat. Non committam, ut usquam videar officio meo defuisse. Efficiam ut intelligas mihi quidvis potius quam fidem defuisse. Da operam, ut revalescas. Cura ut valeas. Fac uti nos ames. Fac uti sciam.

Dignus et Indignus.

Dignus qui quam diutissime vivat. Dignus ut quam diutissime vivat. Longissima vita dignus. Dignus quam diutissime vivere: in carmine. Martialis: *Dispeream si tu Pyladi præstare matellam Dignus es.* Horatius: *Digna sequi potius, quam tortum ducere funem.* Meritus est cui laurea imponatur. Promeritus est, ut tibi decernatur triumphus. Indignus tuo amore. Indignus quem ames. Indignus ut abs te diligatur. Indignus abs te amari, in carmine. Horatius: *Indigni fraternum rumpere fœdus.* Idoneus est qui bellum gerat. Idoneus bello gerendo. Idoneus bellum gerere. Horatius: *Fons etiam rivo dare nomen idoneus.* Idoneus ad gerendum bellum. Non me dignatur alloquio. Non me dignatur alloqui. Dignum patella operculum. Res digna cognitu. Res digna quæ cognoscatur. Res indigna tua cura. Indigna quam tu cures. Res est infra tuam dignitatem.

Decet.

Haud decet simiam purpura. Dedecet simiam purpura. Indecora est simiæ purpura. Parum decorum est loquacem esse virginem. Ornat mulierem silentium, dedecorat garrulitas. Haudquaquam decora est simiæ purpura. Haud decet Imperatorem una cum amica ire in via. Haud decet ut te loquente ego sileam. Quod solus ambulas, id parum te decet. Demitte pallium, nam sic indecore sedes. Hic gestus virgini indecorus est. Ista petulantia juveni dedecorosa est. Quod huic honestum est, tibi est inhonestum. Quod huic pulchrum est, tibi fœdum est. Non congruit, non convenit, non quadrat.

Necessitatis.

Exorandus est pater. Vigilandum ei qui velit ditescere. Vigilet oportet qui cupit ditescere. Vigilare necessum est eum, qui rem cupit facere. Vigilet necesse est, vel necessum est, qui velit dives evadere. Qui literas assequi cupiat, uti

uti sudet necessitas est. Nam sic Quintilianus subinde loquitur. Non potest non dolere qui læsus est. Fieri non potest quin doleat is, cui fit injuria. Abibis volens nolens. Vel velis nolis hinc abibis. Non mihi possum temperare quin lachrymem. Non me contineo, quin clamem. Cogor, compellor. Huc me adegit inopia. Huc redegit fortuna. Ad hæc traxit necessitas. Huc satis pertrahor. Huc obtorto collo trahor. Invitus dicam. Coactus dicam.

LIBERTATIS.

Utcunque voles facito. Ut lubet rideto. Quidlibet & dicas, & facias licebit. Tuo arbitratu facito. Tuo arbitrio rem gere. Utcunque visum erit agito. Animo tuo gerito morem. Obsequere animo tuo. Ex animi tui libidine facito. Pro animi tui sententia rem tractabis. Ut animo lubitum erit tuo, ita facies. Utcunque feret animus, ita facito. Liberum est seu velis à pacto discedere, seu manere conventis. Nunc integrum non est tibi, hac de re quod velis statuere. Mihi jus est creditum abs te reposcere. Jus tibi facio pro tuo arbitrio transigendi negocium. Tibi permitto quomodocunque velis vivere. Age tuo more. Sine me nunc meo more vivere. Tibi in manu est, utrum malis efficere. Penes illum est jus vitæ ac mortis. Summa rerum penes te est. M. Tullius: *Ut ad te familiariter & quasi pro meo jure scriberem.* Idem in Verrem: *Quem jure suo adire aut appellare posset.*

STATVENDI.

Decretum est. Deliberatum est. Certum est. Stat sententia. Visum erat. In animo habebam. Erat in animo. Non est animus. Non est sententiæ. Non est sententia. Non est consilium, sive consilii. *Non erat ratio*, apud Ciceronem. Placebat. Placitum est senatui. Decrevit senatus. In eam sententiam pedibus ibant omnes. Statueram in animo. Mecum statueram. Utrum utro melius nondum statui. Constitui hoc anno navigare. Est mihi in animo hoc vere navigare. Virgilius: *Si mihi non animo fixum immotumque sederet.* Mihi nihil æque propositum in vita, quam tibi per omnia gratificari. Si ita animum induxisti tuum. Destinaram in animo. Hic murus aheneus esto.

ASSENTIENDI.

Assentior tibi. Tecum sentio. Consentiebant universi. In tuam sententiam pedibus eo. In eam sententiam reliqui omnes pedibus discedebant. Cicero: *Frequentes ierunt in alia omnia.* Accedo tuæ sententiæ. Non his accedo, qui Pythagoræ sequuntur opinionem. Tuo judicio subscribo. Sententiæ tuæ meum addo calculum. Ea sententia plerisque probatur. Idem sentio quod tu. Sententiæ tuæ nemo non suffragabitur. Hæc mihi tecum conveniunt. Hactenus omnia mihi tecum constant. Hac de re summus est inter Philosophos consensus. Huic sententiæ frequenter acclamatum est: ὁμόψηφοι Græce ejusdem sententiæ, ejusdemque suffragii dicuntur: ὁμόδοξοι ejusdem opinionis, ejusdem sectæ vocantur. Idem uno omnes ore confirmabant. Omnibus eruditorum calculis sive punctis eloquentiæ princeps M. Tullius.

DISSENTIENDI.

Longe lateque abest. Dissentio. Ego longe diversa sentio. Multo aliter atque tu sentio. Ei sententiæ refragabuntur omnes. Isti sententiæ nemo non reclamabit. Mihi tua sententia neutiquam probatur. Magnopere nostra cum tua pugnat opinio. Variatum est sententiis. Id unum nobis est controversum. Id solum est in controversia, vel in controverso. Equidem ab opinione tua minimum absum. Multum à tua mea discrepat sententia. Longe secus atque tu sentio. Haud mediocriter à tua mea dissidet opinio. Nimium inter tuam atque meam interest opinionem. Plurimum à tua mea distat opinio. Mihi secus videtur. Diis aliter visum est. Huic sententiæ milites adversabantur.

PRECANDI.

Quod agis bene fortunent superi. Quod agis bene vertat. Feliciter cadat quod instituisti. Dii cœpta secundent. Optime cecidit. Bene vertat Reipublicæ. Sit felix, faustum, bonumque Reipublicæ. Feliciter cedat nobis omnibus. Hanc affinitatem precor ut Deus nobis omnibus lætam esse velit. Feliciter exeat quod cœpisti. Prospere succedat quod agis. Ex animi sententia procedat, quod aggressus es. Deum optimum maximumque precor, ut istud consilium quam est honestum, tam sit etiam auspicatum. Precor ut bonis avibus Italiam adeas, melioribus redeas. Precor ut hic annus tibi lætis auspiciis ineat, lætioribus procedat, lætissimis exeat, ac sæpius recurrat semper auspicatior feliciorque. Precor ut hic dies tibi candidus illuxerit. Incolumem reditum opto liberis tuis. Precor ut apud tuos omnia læta reversus offendas. Utinam prospere naviges, similique successu renaviges. Bonis auspiciis ancoram solvas. Precor ut tuis optatis omnia respondeant. Faxint superi, ut alba tibi contingant omnia. Velim ut ex voto res omnis succedat. O si res ita, ut volumus, nobis eveniat. Precor ut tibi secunda occurrant omnia. Precor ut diis secundis faventibusque negocium hoc conficias. Quæso ut hanc rem stultissime cœptam superi nobis bene vertant. Nihil malim quam ut his pulcherrimis cœptis, dextra aspirent numina. Quæso ut quod instituisti, superis bene fortunantibus absolvas. Precor ut hic contractus commodo sit utrisque. Precor ut hoc matrimonium voluptati sit omnibus nobis.

PRIMI SUPINI VARIATIO.

Venit repetitum depositum. Venit ad repetendum depositum. Venit ad repetendam pecuniam. Venit repetendi depositi causa. Venit ut depositum repetat. Venit repetiturus depositum. Venit repetere depositum. Græcanicum hoc postremum. Tametsi Poetæ Latini ab hac loquendi forma non abstinent, præsertim Horatius.

CAP. LXII.

Dividendi forma.

OMNIS eloquentia rebus constat & verbis. Rerum universitas decem generibus continetur. Officium Oratoris in quinque partes distribuitur. Oratio sex partes complectitur. Oratio sex partibus absolvitur. Primum genus sex continet species. Quidam in septem species secant. Reipublicæ tres sunt formæ. Respublica in tres dividitur formas. Enthymema non simpliciter accipitur. Syllogismus trifariam dividitur. Omnis argumentatio in formas octo diducitur. Id genus in partes septem derivatur. Huic generi species subjectæ sunt decem. Summa divisione in duo genera digeritur, quorum utrumque in species complures distrahitur. Præjudiciorum vis omnis tribus in generibus versatur.

CAP. LXIII.

Distribuendi.

BIS me tuæ delectarunt literæ, partim quod essent mirum in modum elegantes, partim quod eximiam quandam in me benevolentiam præ se ferrent. *Pars ingenium, alii corpus exercebant*, duriuscule dixit Sallustius, sed eleganter. Utrumque fratrem alienavit a sese, unum morum asperitate, alterum sordibus. Corpore atque animo constat homo, alterum cum pecudibus habet commune, alterum cum diis. Neminem non lacessit, hunc scriptis, illum conviciis, alium minis. Hunc negligit, hunc odit. Verum id magis in carmine quadraverit. Geminatio verborum interdum habet vim, leporem alias. Cicero. Alios assentatione delinit, alios muneribus corrumpit, alios promissis illectat. Modo ait, modo negat. *Interim objurgat, interim inepte blanditur.* Quod quidem Fabianum est. Nunc neminem admittit, nunc omnibus occurrit.

CAP. LXIV.

Prohibendi aut impediendi signa.

NEMO prohibet ire quemquam publica via. Tu me prohibes, ne publica ingrediar via. Quo minus assecutus sis, fortuna in culpa fuit, non ego. Impedimento fuit quo secius lex ferretur. Hactenus rescribere non licuit per valetudinem, etiamsi per occupationes licuisset. *Ego id agam qui ne detur*, apud Terentium legimus. Metuo ut ferre possis, id est, ne non possis. Etiamsi hic ut, pro quomodo positum videri possit. Id utile, ut ne quid nimis. *Uti ne, ut ne* pro ne, quemadmodum apud Græcos ἵνα μὴ. Non veto quin quæ velis facias. Suetonius in Tiberio: *Intercessit, quo minus in acta sua juraretur*, id est, obstitit, inhibuit, impedimento fuit. Per me non stetit, quo minus viceris. Exclusus tempore non venit, id est, temporis angustia obstitit quo minus veniret.

DUBITANDI.

Non dubito quin cupias redire. Non dubito te cupere redi-

reditum. Res in ambiguo est. Nondum satis constitui. Adhuc anceps animi sum. Adhuc hæreo, etiam dum ἐπέχω, quod est Academicorum. Nondum huc aut illuc inclinat sententia. Adhuc in æquilibrio vacillat animus, utroque nutans. Hactenus suspendo decretum animi. Nondum liquet. Ampliatum est judicium.

Sine et Citra.

Citra præceptoris operam doctus evasit. Sine præceptore doctus evasit. Nullo præceptore doctus evasit. Absque pecuniis nihil efficias. Extra jocum, pro sine joco, dixit Tullius.

Ostentandi.

Ostentat ingenium. Jactitat natales suos. Jactat se de natalium splendore. Vendicat sibi eloquentiam. Mire sibi placet de specie corporis. Ubique majorum imagines deprædicat. Sunt qui se vulgo sanctimoniæ specie venditant. Ipse sui præco est. Ipse suiipsius tibicen est. Ipse suarum virtutum apud omnes canit encomium. Mirum quam ipse sibi pulcher est. De majorum nobilitate gloriatur. Plurimum sibi tribuit. Suis ipsius suffragiis tantum non deus est. Sibi Suffenus est. De generis nobilitate dictu mirum quas tollat cristas: quæ erigat cornua.

Corrigendi Sanandique.

Huic incommodo paulo mederi possis. Huic malo illud erit remedio. Quod jactu cecidit, arte corrigas. Mendum litura tollitur. Animi morbos sanat Philosophia. Corporis vitia ingenii dotibus pensantur. Febre levatus est. Malis omnibus mors semel liberat. Oculorum vitia ruta emendat. Orationis vitia Grammatica castigat. Philosophia morbos animi pellit medicaturque. Dentium cruciatum vinum lenit. Uteri tormina levat malva. Capitis dolores mitigat somnus. Sedat tormina. Fugat pruritum. Sopit dolorem. Levat dolorem. Stomachum labascentem fulcit vinum vetus. Stomacho conducit pervigilium. Uxoris vitium aut mutandum est, aut ferendum. Morbis omnibus arte succurritur. Soli senectuti subveniri non potest. Adversus podagram efficax est apium. Contra carcinomata valet mel. Obsistit ebrietati cicuta. Adversus alvi tormina remedio est crepitus.

Blandiendi Sive Hortandi.

Dic age. Dic sodes. Dic obsecro. Dic quæso te. *Dic amabo.* Quod frequens est apud M. Tullium: Blanditur, Assentatur, palpatur. Horatius: *Palpum obtrudere.* Plautus: *Demulcere caput.* Ad gratiam loqui. Dare auribus. Trebonius Ciceroni: *Noli putare mi Cicero me hoc auribus tuis dare.* Cæsar: *Auribus Vari serviunt*, id est, blandiuntur. Fac virum te præbeas. Quid habes quod ad hæc respondeas? Cedo, Agedum, Eja age. Vide sis. Quin uno tu verbo rem expedis.

Tua Causa.

Nolim id esse verum, vel tua causa. Tibi metuo. Mihi gaudeo. Omnium nomine doleo. M. Tullius: *Nam ego eo nomine sum Dyrrachii hoc tempore, ut quam celerrime quid agas audiam.* Catullus: *Eone nomine Imperator unice fuisti in ultima occidentis insula?* Tua gratia munus hoc suscepi. Vicem tuam doleo. *Commoda illi respectu mei.* Qua loquendi forma usus est Quintilianus. Invenitur & contemplatione tui. Tui causa. In tuam gratiam hæc feci.

Utrum Nec Ne.

Vise utrum redierit, an non. Vise num jam redierit an nondum. Vise redierit ne domum. Vise an redierit an non. Vise redierit ne domum nec ne. Vise redierit an non. Cogita utrum famæ malis consulere, an pecuniæ. Cogita famæ ne malis consulere an pecuniæ. Cogita famæ malis consulere an pecuniæ. Cogita an famæ malis consulere an pecuniæ. Cogita num famæ malis consulere quam pecuniæ. Vide si potes esse possessor. Cicero in Oratore suo lib. 2. *si* pro *an* dixit, imitatus Græcos, apud quos εἰ bifariam significat.

Concedendi.

Finge hominem vivere. Fac ita esse. Fac potuisse. M. Tullius: *Facite hoc meum consilium legiones novas non improbare.* Ut donemus ita esse. Ut hoc interim tibi concedamus. Ut hoc interim tibi largiar. Cicero: *Ut non referat pedem, insistat tamen.* Cato: *Non est in nostra potestate, sed in natura, ut tamen multum sit in nobis.* Pone sic esse in tabulis. Esto sane. Sit ita sane. Ut maxime jusserim, non erat tuum id facere. Etiam si quid asperius dixisset, tuum erat obticescere. Sed imaginare me donasse, non potes tibi rem vindicare. Et si maxime donassem, non tibi jus est rei vindicandæ. Donarim sane non statim tibi jus est injiciendi manum.

Parum Abesse.

Pene scopum attigeras. Prope scopum attigeras. Propemodum attigeras scopum. Parum aberas a scopo. Parum absfuit ut scopum attigeris. Parum abest quin scopum attigeris. Res parum aberat a pugna. Parum aberat quin pugnarent. Minimum aberat ut homini manus injiceret. Minimo minus scopum attigeras. Plautus: Nihil fuit propius quam ut perirem. Vix hominem cohibui, quo minus manum injiceret. Tantum non conserebant manus. Tantum non adorabant, quod Græcis est familiarius, μόνον οὐχί. Suetonius de Tiberio Cæsare: *Civilem ad modum inter initia, ac paulo minus quam privatum egit.* Paulo minus dixit pro propemodum: ac paulo post: *Quod paulo minus utrumque evenit*, id est, parum absfuit quin utrumque evenerit. Idem de eodem: *Sed tantum non statim a funere ad negotiorum consuetudinem rediit*, id est, propemodum statim a funere. Pro tantum non, Terentius dixit *modo non*: *Is senem pellexit per epistolam, modo non montes auri pollicens.* Nihil longius absfuit, quam ut hosti me dederem. M. Tullius: *Nec mihi longius quicquam est, quam videre hominum vultus.*

Incertitudinis.

Annos natus est ferme viginti. Annos natus circiter octoginta. *Circa lustra decem* dixit Horatius. Annos natus est plus minus quadraginta. Ad dies viginti. Cicero: *Quum annos ad quinquaginta natus esset. Hora quasi decima*, apud Suetonium. Annos habet, haud scio an duo de viginti. Puerum annos natum fortasse decem. Sallustius: *Diu in incerto habuere.*

Cap. LXV.

Correctionis & occupationis formula.

In pietate præcipua felicitatis pars, vel tota potius felicitas hominis sita est. Sallustius: *Vulgi more magis quam judicio.* Doctrina nihil ad virtutem conducit, imo nonnihil officit. Tibi præcipue, atque adeo tibi uni calamitatem hanc acceptam ferre possumus. Ducem hostium intra mœnia, atque adeo in senatu videmus. Tuum opus vidi magis quam legi. Græcas literas degustavit verius quam didicit. Bonas literas sedulitate sua depravavit (vel ut verius dicam) evertit. Bonas literas non dico depravavit, sed funditus evertit. Suos omnes læsit, quid dixi læsit, imo subvertit. M. Tullius: *Sed in hoc ferendus meus error. Ferendus autem? Imo etiam adjuvandus.* Quem Historicum citius dixeris, quam Poetam. Lucanum relegi non tam Poetam, quam Historicum. Ni pater esses, dicerem te desipere. Hic exercitus ductor, pene dixeram seductor. Vertit Homerum, pene dixeram pervertit. Respondebo non orationi tuæ sed convitio. In summa correctio fit vel augendo, vel minuendo, vel commutando. Augendo: ut M. Tullius in Catilinam: *Qui de hujus urbis atque adeo orbis terrarum exitio cogitant.* Idem pro Planco: *Insector, posco, atque adeo flagito.* Hæc sermonis forma frequens est apud Ciceronem. Minuendo, ut: Sic hic vivimus, aut victitamus verius. Commutamus, aut in contrarium verbum, aut in aliud commodius ac significantius. Pro hospite hostem fovi domi meæ. Hic legationibus non immoratur sed immoritur. Hic patrimonium omne absumpsit, aut ut melius dicam abligurivit. Idem aliquoties facit *At.* Terentius: *Fucum factum mulieri: At quem deum?* M. Tullius: *Una mater oppugnat, at qua mater? qua* &c.

Cap. LXVI.

Auctores citandi formula.

Ut Ciceroni placet. Auctore Platone. Vel quia hoc sensit, vel quia suasit, vel quia narrat. Nam trifariam utuntur hac voce. Teste Varrone. Si Terentio credimus. Uti refertur apud Plinium. Ut ait Protagoras Platonicus. Ut apud Xenophontem Simonides dixit. Epicuro teste, felicitas in voluptate sita est. Aristoteles bonorum tres ordines fecit. Non spirare animal, cui non sit sanguis calidus, auctor est Theophrastus. Apud Plinium scriptum est, elephantos decimo demum anno parere. Pyrrho negat quicquam sciri posse. Id verum esse testis est Livius. Exstat in anna-

annalibus. Veterum literis proditum est. Ejus sententiæ complures citat auctores. Ad eam sententiam quampluri mos allegat testes. Eam sententiam multorum auctoritate tuetur. Huic opinioni Plinius adstipulatur. Huic sententiæ suffragatur Plato. Idem sentit Pythagoras. Aristoteli animal est etiam spongia. Plinio sentiunt & arbores.

A

CAP. LXVII.

Variatio imperativi modi.

VALE, valeas, fac valeas, valeto, valebis idem pollent, & in quibusdam futurum subjunctivi: Memineris pro memento, oderis pro odio habeto. In cæteris item si addideris prohibendi signum, ne dixeris, ne dicas, ne dic.

B

CAP. LXVIII.

Variatio futuri.

POENITEBIT olim te. Futurum est ut olim te poeniteat. Spero te gavisurum facto. Brevi opinor tædebit te hujus vitæ. Opinor fore ut brevi te hujus tædeat vitæ. Spero futurum ut facto gaudeas. *Dixeris egregie:* Horatius. *Alligaris filium:* Terentius. Abibit hinc propediem. Abiturus est hinc propediem. In ea vero periphrasi, futurum est ut repetat creditum, Latini videntur reddere Græcam figuram μέλλει λέγειν, id est, dicturus est. Est autem familiaris Ciceroni. Necessaria quoque quoties in verbum inciderimus quod futuro careat. Ut spero fore, ut artem brevi perdiscas. Nam perdisciturum non poteras dicere. Est futurum quoddam quasi mixtum cum significatione præteriti. Ut prius quam tu domum redeas, ego epistolam perscripsero. Antequam in portum pervenies, navis solverit. Si tales animos in pugna præstabitis, vicerimus sive vicimus, id quod finitimum esse videtur τῷ μετ' ὀλίγον μέλλοντι. Quanquam id alioqui Latini circumloquuntur per *jam, jamjam* & *mox.* Jam aderit. Similis jamjam morituro. Mox audies. Sunt in quibus necessitate abutimur futuro subjunctivi, ut meminero, odero, novero. Ad futuri significationem pertinent & illa. Confido commentarium hoc studiosis probatum iri. Et perspicio te perditum ire filium.

C

CAP. LXIX.

De periphrasi generali verborum.

COMMVNE fere est modis omnibus, ut per fio verbum, aut similia circumloquamur. Ita charus eris omnibus. Ita fiet, ut charus sis omnibus. Hoc modo effugit invidiam. Hoc modo factum est, ut effugerit invidiam. Utinam ex æquo me amares. Utinam fieret ut ex æquo me amares. In uxorem pessimam incidi. Mihi usu venit, ut in pessimam uxorem inciderim.

D

CAP. LXX.

De modo potentiali.

AD modum potentialem fere pertinent, quæ per potest aut debet, aut simile verbum exponi possunt. Quid agas cum eo, qui nihil intelligit. Est quod rideas, non est quod invideas. Videas & flumina sicca. Cerneres alios trepidare, alios circumspectare fugam. Vidisses omnes obmutescere. Equidem istud non affirmarim. Dixerit hic aliquis. Maturius venisses. Et apud Terentium: *Prædiceres pro prædicere debuisses.* Græci addunt syllabam ἂν, λέγοις ἄν.

E

CAP. LXXI.

Æstimandi verba.

PLVRIMI me facit. Parvi habet. Pro nihilo ducit. Nihili pendit. Pro minimo ducit. Ne hujus quidem facio δεικτικῶς ostenso pilo aut flocco. Maximo in precio est apud omnes. Plurimi fit apud omnes. Magni habetur apud suos. Pili non facio. Nauci non facio. Flocci non facio. Boni consulere. M. Tullius: *Tranquillissimus autem animus meus, qui totum istud æqui boni que facit.* Terentius: *Istud æqui bonique facio.* Sallustius: *Supra ea, veluti ficta pro falsis ducit:* Idem, *Fidem suam interposuit, quam non minoris quam publicam ducebat.* Idem, *Quæ prima mortales ducunt,* id est, quæ plurimi faciunt homines. *In gratiam habere,* pro eo quod est beneficii loco ducere dixit Sallustius: *Denique regi patefecit, quod pollicebatur, senatum & P. R. quoniam armis plus valuissent, non in gratiam habituros.* Nihil habere pensi, pro non curare dixit Sallustius: *Neque id quibus modis assequeretur, dum sibi regnum pararet, quicquam pensi habebat.* Idem, *Nihil pensi, nihil moderati.* Idem, *Vilia habere pro contemnere. Fidem, fortunas, pericula vilia habere. Unius æstimemus assis,* dixit Catullus, contra Grammaticorum leges. Cassa nuce non emam. *Filius eodem est apud me pondere, quo fuit ille,* Cicero.

F

CAP. LXXII.

Emendi formulæ & similia.

NIMIO emisti, non revendes tantidem. Nimio liceris. Minoris addicturus erat. Quanticunque indicaris, tanti mercabor. Vide ut quam maximo æstimes. Non refert quanti res ipsa sit, sed quantopere tibi sit opus ea. Tu tuum agrum pluris conducis, quam ego meum emerim. Paulo locas ædes tuas. Cupiam maximo, si queam. Eme quam potes minimo. Revende quam potes plurimo. Asse non emerim totam Ciceronis famam. Labore dii bona sua vendunt. Vili vendunt, minoris non possunt. Non emit qui nihilo emit. Care emit qui rogat. Extrude merces quanticunque potes, vel gratis alicui obtrudito, si secus non potes. Redimas te captum quanti potes, pro quam potes minimo. Si nequeas paulo, at quanti potes. Cui addictus est ager? Lodovico. Quanti? frumentum addictum est; sed nondum admensum. Quanti proscripsit ædes? ducatorum myriade. Quanti cœnasti? Percare. Magno hic vivitur. Amatur vilissime. *Bassus carius cacat, quam bibit.* Magna mercede canit. Maxima tacuit Demosthenes. Quanto metiris precio? Juvenalis. Quanti stipulatus es? Thais decem millibus drachmarum noctem venditabat. Nimio constat elegantia. Suetonius. Quorum uni mellita quadragies sestertium constiterunt. Hic enim subauditur auferendi casus quadragies centum millibus.

CAP. LXXIII.

Discriminis formulæ.

NIHIL interest, facias an dicas. Nihil refert per te facias, an per alium. Parvi mea refert quid nolis aut velis. At mea plurimum refert. Quid interest utrum facias, an instiges? Plurimum interest, maxime refert, quo tempore virum adeas. *Equidem haud magno in discrimine pono,* apud Titum Livium, & apud Valerium Maximum, respondit se vita malle excedere, quam metu violentæ mortis, amicos inimicosque juxta ponere. Sallustius: *Adero, me vosque omnibus in rebus juxta geram.* Virgilius: *Tros Tyriusque mihi nullo discrimine agetur.* Utrum probes an improbes manum non verterim. *Ad ista sum indifferens.* Ita Suetonius. *Quædam perquam tenui limite dividuntur,* apud Fabium. Vera ne sint hæc an ficta, nihil laboro. Utrum scripseris an dixeris, feceris nec ne, manum non verterim. Susque deque fero. Susque deque habeo. Instigasti, perinde est ac si feceris. Ex æquo in noxia es. Tantundem peccasti. Citra discrimen amat, ac laudat omnes. Citra delectum omnes in familiaritatem receptat. Omnes promiscue mordet. Passim hæc prædicat. Apud quoslibet hæc dicit. Amussis alba in albo lapide.

CAP. LXXIV.

Affirmandi.

PROMISIT se venturum? Promisit. maxime, etiam, pro quo Græci ναί. M. Tullius: Si non, quomodo tabulas conficis? Si etiam, quam ob rem, &c. Idem: Quasi aut etiam aut non, non modo verum esset, sed necessarium. Hunc locum ideo adduxi, quod sunt qui putent etiam, non esse confirmantis. Scilicet, admodum. Quam lubentissime, benigne. Sic habet. Sic erit. Ita est, factum est. Plane. Mirum ni. Haud dubie. Dubio procul. Liquet. Constat. Confessum est. In confesso est. Extra controversiam est. Certum est. Pro certo. Compertum. Liquido. Indubie. Indubitato. Certo certius. Vero verius est. Veriora his quæ apud Sagram gesta sunt.

CAP. LXXV.

Accusandi formulæ.

ACCVSATVS est sacrilegii. Hic se furti alligat. Postulatus est repetundarum. Delatus proditionis. Cæsar Comment. 7. *Principes civitatis insimulati proditionis ab Romanis.* Reum egit, vel peregit. In jus voca. Lege agito.

In jus ambula. In jus duxit hominem. In jus trahis. Litem intendit. Dicam scripsit. Filius cum patre litem agitat. Cum opulentissimo viro illi lis est. Cum Mida judicio decertat. Accersitus est capitis. Delatus est sacrilegii. Peculatus reum peregit. Plautus. Ad tres viros deferam tuum nomen. M. Tullius: *Nomen hominis amicissimi detuli.* Idem, *Delationem nominis postulavit.* Idem, *Roscii nomen deferendum curavit.* Diem illi dixit. T. Livius: *Cæsoni capitis diem dicit.* Idem, *Rei capitalis diem Posthumio dixerunt.* Eum talionis agentem exceptione repulit. Agit cum eo malæ tractationis. Damnatus est repetundarum, vel de repetundis. Absolutus injuriarum. An quisquis gratiam cum possit non refert, ingrati teneatur. An teneatur Reipublicæ læsæ, qui quod sibi licuit fecit. Læsæ religionis sit actio. *Nec audacem timoris absolvimus*, dixit Seneca. Ad hanc formam perinent illa quæ referuntur in titulo Laudandi ac Vituperandi. Cicero: *Qui jam de majestate postulavit.* Plautus: *Cras subscribam homini dicam.* Idem: *Quum istam causam subscriberent.* Unde *subscriptores* dicuntur, qui cum accusatore causam & crimen subscribunt, & actori adsunt. M. Tullius: *Accusabat M. Aquilium, subscriptore C. Rutilio Ruffo.* Inde & *subscriptio.* Incusat senis parsimoniam. Insimulat herum maliciæ. Causatur tutorum perfidiam.

CAP. LXXVI.

Formulæ utilitatis.

NIHIL æque conducit ad beate vivendum. Nihil ad parandas opes conducibilius. Nihil ad eam rem confert. Plurimum adferet adjumenti. Utilis ad parandos amicos assentatio. Plus adfert voluptatis, quam utilitatis. Plurimas ad res hic libellus usui futurus est. Ad id patruus in primis adjutare poterit. Quid faciunt ad virtutem nummi? Libet quidem, verum non expedit. M. Tullius: *Visum est mihi hoc ad multa quadrare.* Utinam hæc res tam frugifera tibi sit, quam futura est honesta. Utinam tantundem frugis adferat, quantum adfert gloriæ. Ad id sola doctrina fuerit adjumento. Ad hoc pecunia magno adminiculo futura est. Ad id haud mediocriter adminiculantur vires corporis. In id quoque prodest ornatus, Fabianum. Non parum ad id efficiendum momenti habet fama integra. Neque vero illud mediocriter profuerit. Adjuvat hoc quoque. Hac ratione nihil profecimus, reliquum est, ut diversam ingrediamur viam. Nihilo plus explicet, ac si insanire paret, id est, *nihilo plus proficiet:* Horatius: Eruditio ad pietatem plus adfert dispendii quam compendii, & non tam promovet quam moratur. Calida sunt amica stomacho, dulcia conducunt hepati. Quod stomacho confert, idem prodest cerebro. Quod ad stomachum facit, idem capiti salutare est. Quod stomacho bonum est, idem cerebro commodum est. Lactucæ alvo dejiciendæ efficaces, & ad somnum conciliandum idoneæ. Adciendos menses valet malva. Alvo sistendæ sunt utiles fabæ assæ. Stomachum acuunt, excitant, irritant appetentiam edendi. Hac in re solus hic tibi poterit commodare. Plurimum commoditatis adferet pecunia studioso. Utinam tam tibi commodo sit, quam mihi fuit grave. Magno meo malo tentavi. Et sine pronomine Livius, Loquendo quæ in rem non essent die consumpto. Idem. Si è republica censeret veniret. M. Tullius: *Facis ex tua dignitate & è republica.* Idem, *Scio qua studio dixerit, e republica dixisse.* Fecisti tuo commodo, nostro incommodo. Si judicabis in rem tuam esse. Si putabis ex usu tuo fore. Si putabis e re tua fore. Pro te facit quod dico. Ad Philosophiam Dialectica viam aperit, viam sternit, viam præstruit. Ad eam rem jam jacta sunt fundamenta. Aetites partus adjuvat. Inflationem stomachi discutit. Pectoris dolores levat. Bilem extrahit. Pituitam detrahit. Mensium abundantiæ auxiliatur. Adversus serpentes in vino datur. Deploratis auxilio est Chironia. Morbis omnibus medicatur panace. Elleboro phthiriasis emendatur. Datur ad serpentum ictus Chelidonia. Rododaphnes folia homini præsidio sunt adversus serpentes. Aviditatem cibi facit acetum, valet ad ciborum appetentiam irritandam. Absinthium fulcit stomachum labentem. εὐςόμαχα dicuntur Græcis quæ stomacho conducunt. Nullum operæ precium fuerit.

CAP. LXXVII.

Præsagii formulæ.

SOL purus oriens neque fervens, serenum diem nunciat. Concavus oriens pluvias prædicit. Si circa occidentem rubescunt nubes, serenitatem futuræ diei spondent. Sin spargentur, pluviam ventosque significabunt. Cum oriente radii non illustres eminebunt, pluviam portendent. Si in exortu rubescent nubes, maxima ostendetur tempestas. Si oriens cingetur orbe, ex qua parte is se aperit, exspectetur ventus. Si totus defluxerit, serenitatem dabit. *Luna cornu septentrionale acuminatum, inde præsagit ventum.* Sic enim frequenter usurpat hanc vocem Plinius, ut *præsagire* non sit præsentire, sed portendere. Si quartam orbis rutilus cinget, ventos & imbres præmonebit. Nascens obatro cornu, pluvias decrescens dabit. Rubicundam venti protinus sequuntur. Autumni serenitas ventosam hyemem facit. Volitantes stellæ ventos nunciant. Eædem in plures disjectæ partes, inconstantes ventos effundent. Quum ab aquilone nocte serena fulguraverit, ventum & imbrem demonstrabit. Nubes vehementius atræ ab oriente in noctem aquam minantur. Nube gravida candicante, grando imminebit. Nebulæ cœlo cadentes, serenitatem promittunt. Pallidi ignes tempestatum nuncii sunt. Mare in tranquillo portu intra se murmurans, ventum prædicit. Camporum fragor & cœli murmur, non dubiam habet tempestatis significationem. Echini affigentes sese, tempestatis signa sunt. His modis locutus est Plinius. Ipsa cœli facies futuram tempestatem loquitur. Exoriens notus venturam pluviam præmonet. Iris imbrium est nuncia. Halcyones nidulantes, futuræ tranquillitatis fidem non dubiam faciunt. Præcox pueritia vaticinium est vitæ brevis. Immodica felicitas signum est venturæ calamitatis. Crispantes undæ nautis cooorituros ventos demonstrant. Qui bene conjiciet, hunc vatem puta optimum. Stridor dentium in ægrotis, mortis indicium est. Dentium series brevis & continua, longævitatem arguit. Occursus puellæ nuper nuptæ, felix auspicium est. Occursus virginis, parum læti ominis est. Nec dubias significationes sæpe jecit, ne reliquis quidem se parsurum. Suetonius: *Evidens specimen dedit, qualis sit futurus Princeps.* Ex pueritia divina, qualis sit futurus senex. Hinc collige, hinc augurare, hinc ratiocinare.

CAP. LXXVIII.

Officiendi formulæ.

PIRORUM esus stomacho gravis. Dulcia stomachum lædunt. Acida concoctioni officiunt, Salsa noxia sunt hepati. Lac virilem stomachum offendit, adusta inimica biliosis. Non obsistam, Non fuero impedimento, Non obturbabo, Non reluctabor, Non obstrepam tuis conatibus. Non renitar, Non reclamo. *Non remorabor institutum tuum.* Fabius, *Aures minus feriunt*, pro offendunt, dixit.

CAP. LXXIX.

Functionis formulæ.

GESSIT consulatum. Ubi tum Proconsulem agebat. Prætoris officio fungebatur. Dictator erat. Bellum administrabat. *Siciliam obtinebat:* Ita Cicero frequenter, pro administrabat. Alioqui obtinet qui impetrat. Provinciæ præsidebat. Annonæ præfectus erat. Regia negocia procurabat. Munia tribunitia obibat. *Obire bella* dixit Livius: *Obire legationes*, Cicero. Censui præerat. Cum imperio esse, est habere magistratum. *Gerere potestatem* dixit Cicero in Verrem 4. Idem dixit *piraticam facere.* Hoc negocii tibi mandamus. Tibi provinciam hanc delegamus. Duram suscepisti provinciam, Duram sustines provinciam. Fac ut Imperatorem te præbeas. Vide ut præstes amicum. Scurræ, non amici functus es officio. Ego te absente, tuis fungar vicibus. Tuas agam partes. Tuarum partium est, sive tuæ partes sunt retundere petulantiam hominis. Defunctus consulatu. Defunctus vita. Defunctus malo, *Defuncte periclis:* Virgilius. Defendere vicem. Horatius: *Defendente vicem modo Rhetoris atque Poetæ.* Pontificis personam gerit, paulatim exercuit Principem. Suetonius: *pro eo quod erat, functus est munere Principis.* Tractare Rempublicam. Gubernare Rempublicam. Ducere bellum. Gerere, exercere bellum. Navare operam. Satagit rerum suarum. *Ductare exercitum, Patrare bellum.* Quæ duo verba Fabius notat à Sallustio novata in usum honestum, quum ante fuissent obscœna. In familia bene instituta omnes in officio sunt. Non deero officio meo. Nunquam cessabo in officio meo. Sallustius: *Curare* dixit absolute: *Nam is in ea parte curabat.*

CAP. LXXX.

Quibus modis tribuimus aliquid.

SUMMO ingenio puer. Summi ingenii puer. Summus ingenio puer. Summus ingenium. Poeticum est. Vir admiranda sapientia. Vir admirandæ sapientiæ. Vir admirandus sapientia. Vir admirandus sapientiam. In carmine. Vir incredibili præditus sapientia. Vir omnijugis corporis atque animi dotibus exornatus. Vir omnibus instructus dolis. Vir ex meris mendaciis conflatus atque compositus. Id omnibus natura insitum est. Id natura nobis indidit. Ita natura comparatum. Id cunctis attribuit natura. Multa vitia nobis recepta consuetudo conciliat, nonnulla natura ingenerat. Omnibus innatum est, ut vitam suam incolumem esse velint. Id vitii non tibi natura adjunctum est, sed accersitum ac receptum prava consuetudine. Inest in homine incredibilis quædam astutia. Inest homini.

CAP. LXXXI.

Titulorum.

EJUS rei meminit Plato in dialogo, qui inscribitur συμπόσιον. Testis Cicero in eo libro quem inscripsit Oratorem perfectum. Plinius in opere, cui titulus, historia mundi. Varro in Satyra, cui titulum fecit, *nescis quid serus vesper vehat*. Virgilius: in Alexide. Terentius, in Adelphis. Hesiodus in opere, cui titulum nuncupavit, Opera & Dies. In libello cui titulum indidit de Verborum copia. In commentariis, quibus titulum prætulit, de Nugis aulicorum. In Odarum libro, quem Sylvas nuncupavit. In Phormione Terentiana.

CAP. LXXXII.

Gratulandi.

GAUDEO te nobis optantibus incolumem esse redditum. *Gratulamur tibi victoriam.* Sic enim loquitur Suetonius & Seneca. Item M. Tullius: *Appellat hominem & ei voce maxima victoriam gratulatur.* Isto nomine tibi gratulor. Gratulamur de victoria. Gratulor vicisse te. Quod victor redieris vehementer gaudeo. Te nova prole auctum esse gaudeo. Salvum te advenire volupe est. Lætor tuo nomine, quod uxor feliciter peperit. Quod gener tibi tantopere probatur, magnopere tua causa gaudeo. Voluptati mihi est, quod tibi res ex sententia cesserit. Tua gratia gaudeo, quod res præter spem bene verterit. Tuam vicem lætor, qui prospere pugnaris. Macte. Macte istius animi. Terentius. *Abi virum te judico.* Item in Adelphis Syrus.

CAP. LXXXIII.

Gratias agendi.

QUOD tam officiose me commendaris Principi tuo, gratiam & habeo, & habiturus sum immortalem. Quod tanta fide mea negocia procuraris, pares gratias agere vix possum, referre nequaquam. Quod me passim amantissime prædicas, video quantum debeam tuo in me studio. Quod meis commodis tantopere studes, & habetur a me gratia, & semper habebitur. Quod argentum ad diem promissum reddidisti, amo te, & habeo gratiam. Terentius: *Ecquid nos amat de virgine?* M. Tullius: *Quod mihi polliceris valde te amo.* Idem, *Multum te amo quod spopondisti M. Octavio.* Factum bene quod epistolam obsignatam remiseris. Quod nos pro tua virili tueris, gratum est. *Grates persolvere dignas, non opis est nostræ:* Virgilius. Fateor me tibi magnopere devinctum esse. Hoc nomine plus tibi debeo, quam ut unquam solvendo esse possim. Hoc officio arctius me tibi adstrinxisti. Obligatiorem me tibi fecisti, devinctiorem reddidisti. Magis obnoxium effecisti, quam ut vel verbis agere gratias possim. Major est nostra necessitudo, quam ut vel tu mihi, vel ego tibi, pro ullo officio debeam gratias agere. Majus est hoc beneficium, quam ut orationem postulet.

CAP. LXXXIV.

Referendi beneficium.

GRATIAM referre. Reponere merita. Rependere officia. Pensare beneficium. Remunerare beneficium. Remetiri beneficium. Reddere beneficium. Persolvere beneficium. Respondere meritis. Par esse beneficiis acceptis. Efficiam, ut tuum in me officium ad te non sine fœnore redeat. Fœneratum hoc beneficium tibi pulchre dices. Dispeream, nisi beneficium istud tibi conduplicaverit. Statim regerere beneficium, est nolentis debere. Hoc non est referre beneficium, sed refutare. Certemus mutuis inter nos officiis. Beneficium ultro citroque commeare debet. Cum fœnore reponendum quod acceperis. Quisquis grate munus accepit, jam gratiam retulit. Retaliare injuriam. In malam partem. Respondere malefactis. Reponere injuriam, Pensare, Remetiri, Referre, ac ferme omnia, & in malam partem possunt accipi. Invenitur & *retaliare* apud Gellium, in bonam partem, neque natura vocis refragatur, id tamen est inusitatius.

CAP. LXXXV.

Originis verba.

HAud dubito, quin hæc ab amore quodam in me singulari proficiscantur. Universum hoc malorum agmen e bello nobis natum est. Hinc omnis illa simultas inter eos orta est. Tu malorum omnium auctor. Cupiditas pecuniæ vitiorum omnium parens. Invidia totius hujus odii seminarium fuit. Natura nobis parvulos igniculos dedit. Hinc omnis illa turba venit. Hinc fluxit. Hinc manat omne quo beati reddimur. Horatius. Græco fonte cadunt. Hinc scatet omnis illa vitiorum colluvies. His fontibus totus ille tumultus rerum exstitit. Hinc surgunt odia. Hinc lites proveniunt. Hinc veniunt jurgia. Ab his exordiis Romana nobilitas ducitur. *Omnium magnarum rerum a diis immortalibus principia ducuntur*, dixit M. Tullius in Vatinium. Regibus ortus. Roma oriundus. *Atavis edite regibus.* Maximis prognatus ducibus. *Sate sanguine divum.* Ex his Pullulant odia, Gliscunt invidiæ, Subnascitur simultas, Fruticantur dissidia. Sylvescunt factiones. Illa e Philosophorum fontibus haurienda. Reliqua e Poetis petenda.

CAP. LXXXVI.

Pensandi.

QUOD corporis viribus deest, id ingenii dolis exæquat. Quod corporis formæ detractum est, id animi dotibus natura pensavit. Tu opulentior, nos eruditiores, atque ita tecum paria fecimus. Absentiam nostram crebris literis sarciamus. Quod hactenus cessatum est, id oportet diligentia recuperare. Quod illius stultitia peccatum est, id tua sapientia restituas oportet. Quod illius inscitia admissum, id oportet, ut tua prudentia redimas. Supplendum diligentia quod ingenio deest. Quod corpori detractum, id ingenii dotibus accessit. Studio reponendum, quod negligentia præteritum est. Quod ademptum est fortunæ, id ingenii dotibus additum est. Quantum corporis viribus deest, tantum animi virtutibus superest. Natura quod alibi detrahit, alibi reddit. Quod suis eripit, hoc hospitibus accumulat. Ovidius. Ingenio formæ damna rependo meæ. Famæ dispendium, pecuniæ compendio resarcit. Famæ jacturam pecuniario lucro solatur.

CAP. LXXXVII.

Aptitudinis formulæ.

QUÆRE uxorem aptam tuis moribus, aptam ad tuos mores. Amicum delige tuis moribus appositum, accommodatum, Vel ad tuos mores. Amicum delige, qui tuis moribus, vel ad tuos mores conveniat. Non est natura compositus ad artem poeticam. *Ostentationi compositum*, dixit Fabius, pro eo quod est ad ostentationem paratum. Idem, *Juri magis an æquo sit appositus*, id est, propensior ad jus, an ad æquitatem. Rursus idem, *Constatque rebus ad faciendam fidem appositis.* Ad Mathematica videtur esse propensior. Vir maximis rebus vel ad maximas res natus. Vir factus ad hujus nequitiam. Ad hujus mores factus, fictus, sculptus esse videtur. Adeo ad hujus mores quadrat. Oratio non est naturæ consentanea. Facta non respondent orationi. Hæc non competunt in senem. Hæc non competunt viro gravi. Non hæret in Catonem hujuscemodi crimen. Non consentiunt tui mores cum hujus moribus. Non concinunt tua atque hujus studia. Non concordat hujus institutum cum tuo. Concinnus transitus, Concinna digressio. Ista non cohærent, non consistunt. Non cadit in sapientem animi perturbatio. Non recipit tua simplicitas adulationis suspicionem. Non congruunt literæ cum studio pecuniæ. *Non bene*

bene conveniunt, nec in una sede morantur Majestas & Amor.

A

Cap. LXXXVIII.

Ablegandi verba.

Hic mihi est ablegandus aliquo. Puerum hunc prius amanda quopiam. Hunc Argum aliquo, si potes amolire. Non possum hunc amovere quopiam. Ego hunc neque uti amittam a me, neque ut retineam scio. Non possum memet ex hoc grege nebulonum excutere. Hic utcunque est extrudendus aliquo.

Cap. LXXXIX.

Proficiscendi.

B

Rus hinc abeo. Rus hinc concedo. Discedo, abscedo, decedo. Galliam repeto, inde Britanniam aditurus. In Italiam iter instituit. Tum Neapolim cogitabam. Apparas iter, adornas profectionem, componis sarcinas. Ingressus est viam. Quo paras proficisci? Quo paras profectionem? Quo tendis? *Quo te Mœri pedes?* Quo tenetis iter? Quo nam iter est? Rus me confero. Domum me recipio. Domum revertor. Certum est in patriam revolare. Certum est veteres amicos revisere. Redde te patriæ. Fac recurras in patriam. Restitue te tuis. Fac te quam primum reducem videamus. Ad rem inutile est subinde movere castra. Haud temere ditescunt, qui crebro vertunt solum.

C

Cap. XC.

Conatus.

Da operam ut convalescas. Cura ut revalescas. Enitere ut cum parentibus in gratiam redeas. Adnitere totis nervis, ut in virum tuo genere dignum evadas. Illud totis viribus agito, ut parentum exspectationi facias satis. Pro virili conatus sum. Pro mea virili, pro viribus. Hoc unum stude, ut te in Regis benevolentiam insinues. Literis incumbas. In hæc studia incumbite. Ad id eluctare. Ad hoc invigila. Efficies, si modo advigilaris. Vigilandum est, qui sua negocia velit tempori conficere. Manibus pedibusque connitere. Id unum elaborat. Eo velis, equisque contendit. Huc velis remisque festinat. Horatius: *Hoc studium parvi properemus & ampli.* D Ut doctus evadas, dies noctibus continua. In ea re vehementer est sudatum. In id plurimum laboris exhaustum, exantlatum. Rem perdifficilem conamur. Rem arduam molimur. Summo nixu. Summa ope. Summa vi. Quantum potes adlabora. Pecuniæ caussa nihil non tum facit, tum patitur.

Cap. XCI.

Explicandi & implicandi.

Ubi his malis emersero. Ubi his turbis memet extricavero. Ubi ex his negociis me expedivero. Cum ex his negociorum exiero labyrinthis. Simul atque his me tumultibus exsolvero. Ubi his e nugis memet excussero. Si quando licebit memet ex his negociorum fluctibus emoliri. Si licebit ab his curis discedere. E Si continget liberari, levari. Si quando ab his negociis meipsum vindicavero, asseruero, absolvero. Ubi ex iis malis eluctatus fuero. Ubi ex his calamitatibus enataro. Implicitus malis. Involutus negociis. Districtus curis. Occupatus negociis. Distentus, Distendi, Distineri negociis. Distorqueri curis. Immersus, obrutus, opertus negociis. Intricatus, Impeditus, Illigatus, Obvinctus, Dispunctus, Obseptus, oneratus negociis, oppressus, oppletus. Tot me res circumvallant. Tot me pericula circumstant, circumsistunt, obsepiunt, cingunt, obsident, premunt, urgent.

Cap. XCII.

Verba finis, seu propositi.

F

Stoici in una virtute summum bonum constituunt. Epicurus felicitatem voluptate metitur. Peripatetici usu virtutis beatitudinem definiunt. Herillus in scientia summum bonum collocat. Quidam in indolentia boni finem posuerunt. Est qui in pecunia felicitatem sitam esse existimet. Maxima pars hominum spectat utilitatem. Pauci sibi proponunt honestum. Huc omnes conatus tui spectant, ut ditescas. Huc respicis, huc tendis. Omnes spes meas in te uno fixi. Quidam famæ serviunt. Alii lucri rationem habent. Hic voluptatem ubique sequitur. Ille captat gloriam. Hic ad privatam utilitatem omnia refert. Huc reliqua omnia sunt conferenda. Huc omnia illa pertinent, spectant. Horatius: *Quorsum hæc tam putida tendunt?* In hoc etiam popularem laudem petit. Admirationem Aristoteles maxime petendam putat. Illud genus ostentationi compositum, solam petit audientium voluptatem. Negociatorum unicus scopus est pecunia.

Cap. XCIII.

Quæ est impudentia.

Si crimen illi palam objicias sat scio qua est impudentia. Vel, cujus est impudentiæ. Vel, ea est hominis impudentia, inficias ibit. Vel sic. Sat scio, ut est impudens, inficias ibit. Vel sic. Sat scio, pro solita sua impudentia inficiabitur. Quanquam hoc postremum minus habere vehementiæ videtur. Adeo est impudens, ut mox sit inficiaturus. Ut nunc sunt mores, id est, pro hujus seculi moribus. Ut est barbarorum ingenium, id est, pro conditione barbarici ingenii.

Cap. XCIV.

Quam ut, quam qui.

Vir melior est quam qui velit mentiri. Simplicior quam qui possit. Superbior est, quam ut velit doceri. Stupidior quam ut possit discere. Adeo pauper est, ut nec obolum habeat. Adeo ignavus, ut malit inedia perire, quam artem discere. Sic de me meritus es, ut tibi succensere non debeam. Sic mihi charus, ut irasci ne si velim quidem possim. Melius de me meritus es, quam ut tibi possim succensere.

Cap. XCV.

Bene est.

Bene res habet. Bene se res habet. Bene habet. Bene est. Optime est. Bene tibi habent principia. Optimo in loco res est. Pejore in loco res esse non potest. Quonam in statu res sunt tuæ?

Cap. XCVI.

Mea sententia.

Mea quidem sententia. Pro mea quidem sententia. Ut ego quidem sentio. Ut mea fert opinio. Meo quidem animo, Plautinum. Meo judicio. Ut mihi quidem videtur. Ni fallor. Si quid judico. Meo quidem suffragio, M. Tullius vicit Demosthenem. Tuo calculo victus est.

Plus et Plusquam.

Audivi plus millies. Audivi plusquam millies. Calesces plus satis, plusquam satis. Hujusmodi orationes omnes bifariam proferuntur in adverbiis ac nominibus, in verbis non itidem. Sapit plus quam expedit. Mulier plus quam decet erudita. Plus quam necesse est facunda. Rursum vixit annos plures quam decem, vel plures decem. Plus quingentos colaphos infregit mihi. Plus quam quingentos, plures quingentis. *Amplius quadraginta* dixit Suetonius. Hoc igitur orationis genus quadrifariam effertur. Amplius & non amplius interdum præponitur, interdum subjicitur, interdum interseritur. M. Tullius: *Cum enim Syracusis amplius centum cives Romani cognoscerent*, id est, plures quam centum. Cæsar: *Amplius horas quatuor fortissime pugnaverunt.* Pompejus L. Domitio: *Non amplius quatuordecim cohortes Luceriam coegi.* Hic præponitur. Terentius: *Sexaginta annos natus es ut conjicio, & eo amplius.* M. Tullius: *Laodicæ viginti pondo, paulo amplius.* Hic subjicitur. Virgilius: *Treis pateat cœli spatium non amplius ulnas.* Hic interseritur. Eodem ferme modo usurpatur plus. Cicero pro P. Quintio: *Ac tecum plus anno vixit in Gallia.* Idem pro Planco: *Sed non plus duobus aut tribus mensibus.* Hic præponitur. Terentius: *Dies triginta aut plus eo, in navi fui.* Hic in medio ponitur. Centum desiderati sunt, aut plus eo. Hic postponitur. Hunc igitur sermonem ita varies licebit. Amplius ducenti desiderati sunt. Ducenti & eo amplius desiderati sunt. Ducenti desiderati sunt & eo amplius. Desiderati sunt plus quam ducenti. Desiderati sunt plures ducentis.

Ad Summum ut Minimum.

Semel hominem salutavi, aut ad summum bis. Ut multum. Ut plurimum. Non minus. Saltem. Ut minimum. Ut minimum dicam. *Non amplius, cum plurimum, quam septem horas dormiebat.* Ita Suetonius.

CAP. XCVII.

Morem gerendi.

Mos gerendus est patri. Morigerandum est patri. Obsequendum est patri. Patri obsecundandum. Patri concedendum. Inserviendum, Observiendum paternis moribus. Accommoda te paternis moribus. Præbe te illis ad tempus. Attempera te moribus omnium.

CAP. XCVIII.

Rogandi.

Majorem in modum te rogo. Etiam atque etiam oro. Obsecro te atque obtestor. Illud unum abs te magnopere peto, contendoque. Illud a me vehementer contendebat. Efflagitasti quotidianis conviciis. Imploravit opes hominis. Eblanditus est favorem. Exambiit reperitur apud quosdam. Extorsit potius quam exoravit. At istud poscere est non rogare. Flagitabant verius quam orabant.

CAP. XCIX.

Ignoscendi.

Remisere mulctam. Hanc unam ignosce culpam. Remisit offensam. Condonamus admissum. Terentius: *Condonamus argentum quod habes.* Sallustius: *Condonare creditum.* Da veniam juvenilibus erratis. *Jurisjurandi gratiam facere pupillus non potest.* Est in Pandectis. Item apud Sallustium: *Cæterum Boccho quoniam pœnitet, delicti gratiam facit.* Item Suetonius: *Conjurandi gratiam fecit.* Ad quædam vitia convenit connivere.

CAP. C.

Abrogandi.

Rescindere conventa. Abrogare legem. Abdicare legem. Antiquare, abolere legem. Obsolescere neutrum. Sustollere legem. Irritare pacta. In integrum restituere. Mutare pacta. Obliterare legem. Hæc lex abiit in desuetudinem. Exolescere metum dominorum, dixit Plinius in epistolis, pro exstingui atque intercidere. Nusquam tui beneficii memoria apud me intermorietur. Deposuit imperium. Abdicavit magistratum. *Abdicatus a magistratu* dixit Sallustius.

CAP. CI.

Ornandi.

Comere, expolire, perpolire, exornare, venustare, picturare, honestare. Pigmenta, flosculi, lecythi. Veneres, venustas, lepos, nitor, gratia, decus. Lenocinia, emblemata, compositio, colores, myrothecia, fuci, phaleræ, dignitas, cultus, polities.

CAP. CII.

Inter cœnam.

Inter *cœnam*, Suetonius & Seneca. Inter cœnandum. Super cœnam. Cœnantibus nobis. In cœna, idem efficiunt. Inter jocum, Suetonius. Inter jocandum. Sic *inter conventum*, pro in conventu dixit Suetonius. & inter pœnam, pro inter puniendum. Per jocum. Inter pocula. Inter potandum.

CAP. CIII.

Post cœnam.

Post cœnam. A cœna, sub cœnam. Nam sub significat & paulo ante, vel protinus post. Cicero: *Sub hac lecta sunt tua literæ*, id est, post hæc. A tuo reditu. Post tuum reditum.

CAP. CIV.

Similitudinis.

Est & diversarum rerum quædam inter se similitudo, affinitas, cognatio, vicinia. His finitima sunt illa. His confinia sunt illa. Simiæ figura multum ad hominis formam accedit. Puro tamen fonti quam flumini propior. Non multum a tuis moribus hæc abludit imago. Huc alludit illa Terentiana sententia. Virgilianam dictionem æmulatur, exprimit, refert. Haud multum abest, dissidet, discrepat a tuis moribus. Ab hac ratione non multum abhorret. Fabius. Ejusdem generis est & illud. Ejusdem farinæ proverbialiter. Ejusdem notæ. Ejusdem classis. Mei loci, atque ordinis hominem. *Ex aliquo circulo* dixit Cicero. *E sinu suo*, pro e suis familiaribus dixit Cicero & Plutarchus. Ex eo numero est. *Ex illo conventu quadruplatorum* dixit M. Tullius, in Verrem 4. *E suis gregalibus* dixit. Idem, *Sub hac facie latet adulatio.* Plerumque vitia virtutis personam induunt, ac virtutis simulachrum repræsentant. Sub virtutis specie, virtutis titulo, virtutis prætextu. Sub imagine pietatis. Sub umbra pietatis, Patrem ore refert. Parentem moribus exprimit. Patruum nomine reddit. Avum voce repræsentat. Patronum imitatur oculis. Amitam nulla re prorsus exhibet. Alter Cicero. Alter Hercules. Faciem mentita Lyciscæ. Formata in admirationem, id est, simulans se admirari. Suetonius: *Vultu ad hilaritatem composito.* Prætexere, præ se ferre. Ante se gerit. Effigie pietatis. Dissimilis huic & hujus. Non absimilis facie Tiberio. Apud eundem est *adsimilis* pro similis.

CAP. CV.

Mutui.

Mutuum dare, Mutuo dare, Mutuare. Commodato dare. Commodare. Utendum dare. Utendum accipere. Accepit usurariam, Plautus: *Opera commodatitia præstat operas mutuas.* Mutuum muli scabunt.

CAP. CVI.

Fallendi.

Imposuimus Reipublicæ. Fefellit nos. Decepit, circumvenit adolescentem. Circumscripsit, circumduxit apud Jureconsultos. Verba dare mihi difficile est. Si senseris eos fucum velle facere. Imposturam fecit, & passus est. Delusit, Elusit. Frustratus est nos sperato lucro. Non te fraudabo debita gloria. Technæ, doli, fuci, præstigiæ, vafricies, versutia, astus, astutia, fraus. Os mihi sublitum est. In fraudem illexit, pellexit. Arte me tractavit. Dolo mecum egit. In specie dixit M. Tullius, *præclara classis in specie, sed inops & infirma.* Quod sine mea fiat captione. Absit omnis captio. M. Tullius: *Cur igitur vos inducitis in eas captiones, quas nunquam explicetis.*

CAP. CVII.

Est amicus.

Utor patre familiariter. Est mihi cum illo arctissima necessitudo. Sum illi summa familiaritate conjunctus. Sum illi amicus. Summa mihi cum illo familiaritas intercedit. Multus mihi cum homine quondam usus fuit. Mutua quædam benevolentia, jam pridem inter nos est. Sallustius: *Imperator Jugurtham in amicis habebat*, id est, in amicorum numero.

CAP. CVIII.

Sperandi.

Spero fore. Nonnulla spes est fore. Venio in spem. Vocor in spem. Erectus in spem. Concipio spem de te optimam. Nonnulla me spes habet. Maxima teneor spe. Magna me spes tenet. Adducor in spem. Nonnulla me spes cepit. Spei nonnihil affulsit, arridet, blanditur. Omnia summa mihi de te promitto. Is est de quo tibi possis omnia polliceri boni viri officia. Nihil mediocre de te tui cives exspectant. Injicere spem, Solicitare spe, Ostendere spem, Ostendit futurum. Ducimur spe. Lactamur spe. Ad Comœdiæ gratiam Latini ne aspirarunt quidem. M. Tullius: *Ad eam laudem quam volumus aspirare non possunt.* Sallustius: *Ut omnia bona in spe haberet*, id est, nihil non speraret.

CAP. CIX.

Ad verbum.

Ad verbum edidicit. quem locum ad literam subjeci. Fabius, ejus verba subjeci. pro quo vulgo dicunt in forma. Ipsa hominis verba tibi reddam.

CAP. CX.

Εἰρωνείας.

Heus bone vir. *Scilicet is superis labor est.* Is nunc si diis placet, nos docebit, qui nihil unquam didicit ipse. O mirum amicum. Mira vero militi quæ placeant. Sane vero, Quasi vero.

CAP.

CAP. CXI.

Extrahere diem.

SIC ille dies extractus est. Hoc agebant, ut dies eximeretur. Ducere tempus. Terere tempus. Ducere bellum. Jam dies excesserat.

CAP. CXII.

Paratum ac facile.

PARATUM, Promptum, In promptu, In procinctu, Proclive, In proclivi. Obvium, expositum, expromptum. In numerato habere. In statione, Ad manum, Ex tempore, Extemporarium, Extemporaneum.

CAP. CXIII.

Depellendi.

DEPRECARI invidiam. Deprecari culpam. Depellere crimen. Aversari, abominari, rejicere, refellere, negare, inficiari, inficias ire, propulsare, profligare, amoliri. Virgilius. Dii meliora piis. Quod Deus avertat. Divi prohibeant.

CAP. CXIV.

Agnoscendi.

AGNOVIT hæreditatem. Agnoscit crimen. Accipio conditionem. Admitto testamentum. Adiit testamentum. Ut admirationem etiam plausu confiteretur. Amorem re testatus est. Odium & vultu præ se fert. *Morbum incessu vultuque fatetur.*

CAP. CXV.

Ab adolescentia.

JAM inde a puero. Ab adolescentia. A teneris unguiculis. Sic a pueris assueti sunt. Terentius. Usque a pueris curavi ambos. Idem, mihi magna cum eo jam inde usque a pueritia semper fuit familiaritas. Varro: *Jam inde a cunabulis.* Livius: *Inde ab incunabulis imbutus odio tribunorum.* A rudibus annis. A prima pueritia. Ab ipso vitæ exordio. Ab ipso vitæ limine. Ab incunabulis. Cum ipso nutricis lacte sugimus errorem. Ab ipsis crepundiis.

CAP. CXVI.

Accurate.

ACCURATE, exacte, elaborate, ad unguem, ad amussim, examussim, amussatim, examussatim, ad perpendiculum, summa cura. Exquisite, Conquisite, Circumspecte, attente. *Consideratus* pro attentus dixit Cicero. Idem dixit, *ad perpendiculum exigere. Sagaciter pervestigavit*, apud eundem. Item *divinitus dicta*, pro egregie. *Pressius agamus*, M. Tullius de Finib. 4. Idem, *Nunc cominus agamus.*

CAP. CXVII.

Perficiendi.

ABSOLVIT, perfecit. Exegi monumentum. Finem imposui. Finem dicendi faciam. Finiit. Summam manum imposuit. Ad umbilicum duxit. Fastigium imponere. Colophonem addere. Supremam addidit manum. Extremum actum addere. Fabulam vitæ peregit. Exacta ætate. Ad metam usque perduxit, peregit fabulam. Depuduit. *Desultavit canticum*, Suetonius. Depugnatum est, perdoluit, deferbuit. Vita defunctus est. Desiit artem.

CAP. CXVIII.

Committendi.

LEGES inter se colliduntur eventu. Ut non compositi melius cum Bytho Bacchius. Quis te cum isto commisit homine? Concertasti cum hero. Conferre pedem. Conferere manum. Congredi cum viro, Configere, colluctare, conflictari.

CAP. CXIX.

Amandi.

UNICE te diligit. Amat effusissime. Charissimum habet. Admiranda quadam charitate prosequitur. Fama nihil habet antiquius. Non amat modo, verumetiam observat. Singulari benevolentia prosequitur. Animo toto te complectitur. Oculis atque animo fert hominem. *Coridon*

A *ardebat Alexim.* Deperibat virginem. Deperibat in virginem. Perdite amat. Deperdita amore. Suetonius: Flagrat amore tui. Amantissimus est tui. Tui tuorumque est observantissimus. Studiosissimus est tui. Tui cupientissimus. Ex animo tibi bene vult, Bene cupit tibi. Hunc unum habet in delitiis, habet in oblectamentis. *Non perinde illi affectus erat*, dixit Suetonius, pro eo quod est, non perinde diligebat. Idem dixit, pronior Dolabellæ, pro eo quod erat, in illum propensior. Sic omnia tua exosculatur, id est, sic amat.

CAP. CXX.

Cupiendi.

B LAUDIS avidus. Laudis avarus. Avens gloriæ. Cupiens famæ, Tui sitientissimus, famelicus gloriæ. Sitit famam. Sitit aurum. Esurientissimus laudis. Mira gloriæ fames habet hominem. Ambit honores. Nullius rei quam laudis ambitiosior. Privati commodi studiosus. Alieni appetens. Appetens laudis. Eloquentiæ candidatus. Inhiat lucris. Imminet exitio vir conjugis, illa mariti. Gestio videre hominem. Prurit illi tergum.

CAP. CXXI.

Male precandi verba.

QUOTIES caput tuum diris devovit. Execratus est tum sese, tum suos omneis. Ut te dii perdant. Abi in malam rem, in maximum malum, in crucem. Dii te eradicent. Dii tibi factis dignum tuis supplicium dent. Dii
C mentem tibi dent tuam. βαλλ' ἐς κόρακας, Græcis est usitatissimum. Quæ res illi vertat male. In morbo consumat, proverbialiter. Plautus. Capiti vestro istud quidem. Virgilius: *Dii capiti ipsius generique reservent.* Cicero: *Quod illorum capiti sit.* Idem, *Dii sint irati hujusmodi Græco.*

CAP. CXXII.

Pollicendi.

NESCIO quid magni promittunt sidera. Magnifice pollicentur amantes. Promissis ductat hominem. Pollicitis dives quilibet esse potest. Cave fidas hujusmodi pollicitationibus. Spondeo futurum. Despondeo. Sponde,
D noxa præsto est. Ego tibi hujus nomine fidejubeo. Recipio tibi facturum hunc. Recipio ad me. Sallustius: *In se recipiunt.* Hoc tibi meo periculo promitto. Ita mihi stipulanti pactus est. *Littoribus nostris ancora pacta tua est.* Do fidem futurum. Confirmo futurum. Fidem suam interposuit. *Clodio Tiberius ea lege cœnam condixit*, id est, promisit se venire ad cœnam, apud Suetonium. M. Tullius: *Nam quum mihi condixisset, cœnavit apud me.* Prisci lingua nuncupatum dicebant, quod esset ore promissum, ac verbis expressis. M. Tullius in officiis. *Nam quum ex XII. tabulis satis esset ea præstare, quæ essent lingua nuncupata.* Vovemus quod Deo pollicemur. Catullus: *At non hæc quondam blando promissa dedisti.* Sallustius: *Quem illi casu oblatum promissis onerat.* Dare pro-
E missa. Quum hic esses longe alia promissa dedisti. Solicitat ingentibus promissis. Spes amplissimas ostendit. Veterum proverbiis χρησολόγοι ac dosones [1] dicti, qui multa pollicerentur.

CAP. CXXIII.

Principatus.

EST copiosum dicendi genus, in quo Cicero principatum obtinet; Breve, in quo Sallustius regnat; Subtile in quo dominatur Hortensius; Floridum, in quo primas tenet Plinius; Varium, in quo præcipuus est Hieronymus; Grave, in quo princeps est Seneca; Festivum, in quo singularis est Martialis; Simplex, in quo primus est Terentius;
F Acutum, in quo præcellit Quintilianus; Suave, in quo vincit Statius; Antiquum, in quo nulli secundus est Cato; Inaffectatum, in quo nulli cedit, nullo inferior est, nemine posterior est Cæsar. Hujus negocii velut antesignanus, dux, vexillifer, signifer extitisti. κορυφαῖος, Græci. Homerus omnes procul a se reliquit. Omnes a tergo reliquit. Longo intervallo præcellit, præcedit, præcurrit, præit, anteit, an-

1. Græcum est δώσοντες, *daturi.* *Plutarchus* in Coriolano: Ἐνίοις δὲ τῶν βασιλέων καὶ σκώμματα παρέσχεν ἐπικλήσεις, ὡς Ἀντιγόνῳ τὸν Δώσωνα, καὶ Πτολεμαίῳ τὸν Λάθυρον: *quibusdam Regibus dederunt cavilla appellationem, ut Antigono Dosonem, & Lathyrum Ptolemæo.*

tecellit. In literis Græcanicis palmam tenet. Eloquentiæ M. Tullius arcem tenet, primam laudem obtinet, primum locum obtinet. Præmia prima feres.

Cap. CXXIV.

Ludorum.

MVNERA gladiatoria populo exhibuit. Edidit Circenses. *Fecit ludos scenicos*, apud Suetonium in Caligula. Commisit & subitos apud eundem. *Præter consuetudinem musicum agona commisit*, in Nerone Claudio. Dedit populo centum gladiatorum paria. Centum camelos produxit.

Cap. CXXV.

Agere delectum.

HABVIT delectum. Agere delectum. Delectibus undique acerbissime actis. Cogere exercitum. Contrahere copias. Conscribere exercitum. Parare manum. Comparare vim militum. Collectis copiis.

Cap. CXXVI.

Adimendi honorem.

DEPOSVIT dictaturam. Amotus est consulatu. Abrogatum est illi imperium. Ademptum imperium. *Abdicavit se magistratu*, Suetonius. Privavit honore. Apud eundem. Redactus est in ordinem. Multos coegit in ordinem, hoc est, privatos reddidit. Missionem petiit. Rude donatus est. Dimisit cum ignominia. Exauctoravit totam legionem.

Cap. CXXVII.

Persuadendi.

FECIT mihi lachrymis pœnitentiæ fidem. Lachrymis mihi persuasit sese facti pœnitere. Lachrymæ mihi persuaserunt illum pœnitere facti. Lachrymis effecit, ut crediderim illum pœnitere. Adduxit, pertraxit, pellexit, perpulit me in suam sententiam. Coactus est verius quam persuasus.

Cap. CXXVIII.

Inferendi seu ratiocinandi.

QVOD animal est, idem corpus sit necesse est. Quod autem corpus est, non statim & animal. Is pauper est qui plurimum cupit. Porro quo quisque magis abundat opibus, hoc est opum appetentior. Igitur ditissimus quisque pauperrimus sit necesse est. Si Deus est animus, animi puritate, non victimis corporeis eum convenit colere. Cum animus sit corpore præstantior, virtutes autem animi sint possessiones, pecuniæ corporis, consentaneum est virtutes pecuniis anteponendas esse. In quem cadit misereri, in eundem cadit invidere. Non cadit autem invidere in sapientem. Ergo ne misereri quidem. Ipse sibi utilis esse nequit, & vobis erit usui? Felix non est, cui multa desunt. Atqui divitibus desunt plurima. Qui possunt igitur divites esse felices? Solum bonum virtus, nam id demum bonum est, quo nemo male potest uti, Virtute nemo male uti potest, Bonum est ergo virtus. Bonum est virtus, ut qua nemo male uti potest. An bonum pecunia, qua quisque potest male uti? *I nunc*, inferendi vim habet, sed velut cum exprobratione. I nunc, argentum, marmor vetus, &c. Quæ cum ita sint, quis audeat inficias ire? Hoc cum sic habeat, an non dedisti damnum? Utrum damnum dedisti, an non? & dubitamus adhuc?

Cap. CXXIX.

Nil nisi.

NIL nisi Poeta es. Nil aliud est nisi Poeta. Nil aliud quam Poeta es. Tantum Poeta es. Poeta es, præterea nihil. Nihil es præterquam Poeta. Nisi Poeta esses, nihil esses. *Nil aliud quam flebat*, pro tantum flebat, apud Fabium. Sed apud Suetonium frequentius, *nihil aliud quam vectabatur*. Idem, *Nihil amplius quam monuit*. Cui contrarium est, non tantum osculatus est.

Cap. CXXX.

Laudandi ac vituperandi.

NON omnes probabunt istud consilium, culpabunt plurimi. Animum insimulabunt nonnulli. Nemo mihi vitio verterit. Terentius: *Nunc quam rem vitio dent, quæso anim-* A *advertite*. *Dare crimini* dixit M. Tullius in Bruto. Istud vituperio dabunt omnes. Tu tibi laudi ducis. Gloriæ tibi tribuis, honori putas fore. At omnes dedecori dabunt, probro dabunt, criminabuntur, damnabunt, reprehendent, improbabunt, sugillabunt, taxabunt, notabunt. Atro calculo notabunt. Sallustius: *Quoniam adeo Syllam non pœnitet, ut & facta in gloria numeret*. Album addere calculum. Subscribere sententiæ. Suffragari, refragari, laudibus ferre. *Ad cœlum ferre*, Horatius: *In cœlum ferre*, Cicero: *Laudibus vexit*, apud Plinium in epistolis. *Scis vitio nigrum præfigere Thita. Avaritiæ singulos increpans*, Suetonius. Tibi malum imputabitur. Tibi feretur acceptum. Tu fueris in crimine. Tam est in vitio qui deserit amicum in periculo, quam qui B prodit. Sic M. Tullius: *In te residet facti suspicio*. In te redundabit. In te cudetur hæc faba, proverbialiter. Male audies apud omnes, qui hactenus audisti bene. Catullus: *Quisquis de meliore nota. Vir pessimæ notæ*, M. Tullius: Homo nullo numero. Nihil illo contemptius. Item, Vir primæ notæ, vir extremæ notæ. Homo quintæ classis, homo ultimæ sortis. Homo bonæ frugis, sive bonæ frugi. Aut absolute: homo frugi.

Cap. CXXXI.

Summæ.

AD *summam*, dixit Horatius. In summa. Ut summatim dicam. Denique, demum, postremo. Breviter, Ut se- C mel dicam, Ut semel finiam. Dicam in genere. Rem omnem verbo complectar. Quid quæris? pro denique. Ciceronianum est. Quid multa? quid multis moror? Dicam universim. In universum habeo quod respondeam. Dicam verbo. *Ad ultimum* pro denique dixit Q. Curtius, & eodem sensu Suetonius dixit *ultimo*, *ad extremum*, Cicero.

Cap. CXXXII.

Perdendæ operæ.

LVSIT operam. Luditur opera. Opera & impensa periit. Frustra ego hanc operam sumo. Nihil agis. Laterem lavas, Actum ago. Actam rem agis. In sylvam fers ligna. Reliquaque proverbia, quibus inanis opera significatur.

D

Cap. CXXXIII.

Fructus.

MAGNVM ex ea re fructum retulit. Cepit emolumentum. Lucrum reportavit. Sensit commodum. Commoditatem demessuit. Collegit utilitatem. Frugem accepit. Lucrum fecit. Compendium paravit. Ea res illi frugifera fuit, fuit emolumento, fuit commodo, fuit usui. Ex ea legatione messem opimam messuit.

Cap. CXXXIV.

Impudentiæ.

E NIHIL pudet. Depuduit, Depuditum est, Dedidicit pudorem. Oblitus est pudoris. Dedidicit pudescere. Nescit pudescere. Exuit pudorem. Perfricuit faciem. Perfricuit frontem. Nihil habet oris. Nihil frontis. Quo ore? Qua fronte?

Cap. CXXXV.

Affectandi.

AFFECTATA verba. Affectatus ornatus. Ascitus ornatus. Ascititius decor. Fabius: *Et gratiam rei nimia* 1 *cooptatione consumpsimus*. Cooptationem pro affectatione dixit. Captat laudem. Venatur gloriam. Aucupatur famam. Ac- F cersit sibi malum.

Cap. CXXXVI.

Ignorandi aut contra.

SCIO. Non ignoro, Non me fugit, Non me latet, Non me præterit, Non sum nescius. Non me clam est. Quis nescit? Nemini dubium, Intelligo, video, sentio. Compertum habeo. Exploratum habeo, Perspectum habeo, Cognitum habeo. Non est obscurum mihi. Non me fallit. Sallustius. Nec ea res me falsum habuit. Indoctus disci. Rudis horum malorum. Imperitus fallendi, *Ignarus joci*, Sallustianum.

Cap.

1. Meliores editiones habent *captatione*, nimirum, gratiæ. Locus exstat Inst. Orator. Lib. VIII. c. 6.

Cap. CXXXVII.

Turpe est, & similia.

Turpe est. Cum turpitudine conjunctum est. Laudabile est. Cum laude conjunctum est. Cum vitio conjunctum est. Vitio confine est. Non vacat vitio. Non caret vitio. Non abest a vitio. Periculosum, cum periculo conjunctum. In vitio est, In probro est.

Cap. CXXXVIII.

Quin, & ut non.

Rvere *illa non possunt, ut hæc non eodem labefacta motu concidant:* Cicero pro Pompejo. Quin hæc eodem labefacta motu concidant. Non potes studere opibus, ut animi tranquillitatem non perdas. Non potes quin perdas. Non potes, nisi perdas.

Cap. CXXXIX.

Id quod, quod, Ita ut, ut.

Id *quod* pro quod, & *ita ut*, pro ut, frequens est apud Ciceronem. Ita ut facis. Id quod facis. Quod quidem facis.

Cap. CXL.

Amplificandi.

Cedendum erat hospiti, præsertim seni, maxime seni. Pulsavit hominem, eumque senem, idque senem, atque hunc senem, atque adeo senem.

Cap. CXLI.

Reciproca constructio quorundam.

Erit humanitatis vestræ magnum civium numerum calamitate prohibere, Cicero. Prohibe infandos a navibus ignes, Virgilius: Defendit capellas ab æstu. Defendit æstum capellis. Spargere humum foliis. Spargere folia humi. Sternere pallio lectum. Insternere lecto pallium. Inscripsit poculum literis. Inscripsit poculo literas.

Cap. CXLII.

Non contentus.

Non contentus victoria. Non contentus vicisse. Non sat habebat vicisse. Non sat erat vicisse. Parum erat vicisse, ni in victos etiam sæviret. Non sufficiebat vicisse. Pœnitebat rapinæ, nisi parentem quoque spoliasset.

Cap. CXLIII.

Satisfaciendi.

Interdum non satisfacit Ciceroni Demosthenes. Non implet aures Ciceronis Demosthenes. Non respondet optatis meis. Non facit satis hominum de se exspectationi. Tullius in Demosthene nonnunquam desiderat aliquid. Non is es, quem exspectaram. Non talis est qualem vellem. Nonnihil in te requiro adhuc. Non facit ad hujus cupiditatem.

Cap. CXLIV.

Impunitatis aut contra.

Omnes plura habere cupimus, & tamen id nobis impune est. Haud impune feres. Haud impune feceris. Non fuit illi fraudi magistratum prohibuisse vi. Sine fraude esto. Se fraude dicebant prisci. non sic auferes. Livius: *Tulit, ne cui fraudi secessio esset*, id est, ut omnibus esset impunitas. Mirabar hoc si sic abiret. Militem impunitate donavit. Nullum facinus impunitum esse oportet. *Quo impunius dicax esset*, dixit M. Tullius pro Q. Quintio. Nullas pœnas dedit ejus facti. Pœnas pendit. *Tum pendere pœnas Cecropidæ jussi. Irrogare mulctam* dixit Cicero. Exemplum in illos editum. Persolvit, exsolvit, luit, dependit. Nullum de eo sumptum supplicium. Ei facto nulla irrogata pœna. De tanto flagitio non est animadversum. In omnes graviter animadversum. Exacta pœna. Opinor capite plectendum. Noxæ deditus est. *Animadversa flagitia*, pro punitis dixit Suetonius. *Nec in deditos gravius consultum*, Q. Curtius. In te cudetur hæc faba. Unus dependes pro omnibus. Tergo lues.

Cap. CXLV.

Suadendi aut consulendi.

Id ne estis auctores mihi? Te auctore suscepi negocium. Tuo impulsu feci. Te impulsore feci. Tuo suasu. *Tuo inductu*, Cicero. Te suasore, Te consultore, Tuo consilio. Abs te persuasus id feci. Tuo instinctu. Amorem in consilium adhibuisse videris. *Tuo persuasu*, Cicero. Te flagitatore suscepi negocium. *Tuo verberatu*, eodem sensu dixit Q. Curtius.

Cap. CXLVI.

Prudens.

Prudens fecit. Sciens fecit. De industria fecit. Studiose fecit. Data opera. Dedita opera fecit. *Destinato fecit*, dixit Seneca. Studio fecit. Consulto fecit. Consilio fecit. contra, imprudens, nesciens fecit, per errorem, errore factum est. Per imprudentiam. Peccavi inconsulte. Ex industria pro de industria, aliquoties dixit Quintilianus. Composito factum, ex composito, ex destinato, pro consulto, apud Suetonium est in Caligula.

Cap. CXLVII.

Causa.

Plurimis de causis mihi tuæ literæ jucundæ fuerunt. Duas ob res hominem odi. Multis modis tua mihi jucunda fuit epistola. Duobus nominibus est mihi charissimus. Duplici nomine. Duplici de causa tuis scriptis delector. Bis mihi jucunda fuit epistola tua. Multifariam me tuæ literæ delectarunt.

Cap. CXLVIII.

Dierum notatio.

Calendis Januariis. Ad Calendas Januarii, id est, circiter eum diem, sub idem tempus, pro circiter idem tempus aliquoties dixit Suetonius. Statis temporibus. *Stata vice*, pro certis vicibus dixit Q. Curtius. Calendarum die. Nonis Januarii. 1 Ad Nonas, die Nonarum. Idibus Majis. Ad Idus Maji, Iduum Novembrium die. Pridie Calendas, aut Calendarum. Pridie Nonas Majas, Pridie nonarum, Pridie idus, Pridie iduum Novembrium. Postridie calendas Januarias. Vel, Quarto nonas Januarias. Postridie nonas Januarii. Vel, Octavo idus Januarii. Postridie idus Januarii. Vel, Decimonono calendas Februarii. Præterea decimo calend. Februarias. Vel, ad decimum calend. Februarii. Ad eundem modum de reliquis mensibus ac diebus dicendum.

Cap. CXLIX.

De Numeralibus.

In numeris illa varietas est generalis, de addita aut omissa conjunctione. Annos natus quatuor & viginti. Annos natus viginti quatuor. Annos natus centum & viginti, centum viginti, viginti supra centum. Deinde quod duos numeros principali proximos, vel composite vel incomposite efferre licet. Duodeviginti pro octodecim. Undeviginti pro novemdecim. Duodetriginta, undetriginta, ac deinceps consimiliter usque ad centum. Supra centum composite per adjectivum, aut incomposite per adverbium efferimus. Ducentos, bis centum. Trecentos, tercentum, atque eodem modo usque ad mille. Mille multiplicamus, vel substantive, vel adjective cum adverbio. Mille nummum. Mille nummos. Bis mille nummos. Duo millia nummorum. Pergendumque consimili ratione ad mille millia, aut millies mille. Nonnunquam eandem sententiam efferimus, & per cardinalia, quæ vocantur, & per ordinis numeralia. Annos natus viginti. Annum egressus vigesimum. Annum excessit vigesimum. Annum agit primum & vigesimum. Biennium est quod patriam non reviserim. Tertius hic annus agitur, quod patriam non revisi, sive cum non revisi. Dic quotus esse velis, id est, quot convivas velis. Hic non ordo, sed simpliciter numerus significatur. Distributivis pro simplicibus in carmine licet uti. Ubi vero apponitur quippiam quod distributionem explicet, liberum est uti vel distributivis, vel cardinalibus. Quotannis duo talenta capit. Vel, Quotannis bina talenta capit. In singula capita mille nummum distribuit, vel millenos nummos. In diem vivunt, qui vivunt absque solicitudine futuri. M. Tullius: *Qui in horam viverent*, hoc est, ex tempore. *Indies* idem valet, quod in singulos dies. Livius: Senescit in dies & mutatur in horas. Horatius *in diem* dixit, pro quotidie. *Ille potens sui latusque deget,*

1. Legendum in Veteribus, A. D. hoc est, *ante diem*, non *ad Nonas*.

get, *cui licet in diem dixisse, vixi.* Hic annotandum quod in conjunctione numeri majoris & minoris pro uno aut primo licet ponere, alterum. Cicero: *Literas accepi tuas, quas mihi Cornificius altero & vigesimo die reddidit*, id est, vigesimo primo. Idem pro Milone: *Centesima lux est hæc ab interitu P. Clodii, & opinor altera*, id est, centesimus primus dies. Item Livius: *Anno trigesimo altero quam condita Roma erat*, id est, trigesimo primo. Quin & citra talem conjunctionem alterum frequenter pro secundo ponitur. Cicero: *Unum, alterum, tertium annum Saxa quiescebat.* Similiter, unus & alter, pro unus & iterum unus. Unus vel alter, pro unus vel duo, Rursus in adverbiis semel atque iterum, pro bis. Quoties adverbio additur genitivus, Sestertium, subaudiuntur, centies mille, Ut: Decies sestertium, id est, decies centum millia sestertiorum.

Cap. CL.

Adverbia temporum.

TEMPUS vixdum præteritum, per modo adverbium significamus. Paulo longius, per dudum, ac jamdudum. Hoc etiam longius, per nuper & pridem. Longissimum, per olim & quondam. Futuri temporis hi sunt ordines. Mox aderit. Jam veniet. Protinus, continuo, ilico, extemplo, evestigio, tempus significant & hæc continenter insequens, sed fere respondent ad præteritum. Ut literis tuis lectis extemplo domum me contuli. Accepto hoc nuncio, evestigio me domum conjeci. Olim respondet ad utrumque tempus præteritum & futurum. Olim floruerunt Græci. Forsan & hæc olim meminisse juvabit. Proximus item ad utrumque tempus refertur. Proximo anno strenue se gessit. In proximum annum summas copias parat. Proximis his diebus. Proximo mense, Proximo partu, Proximo bello. Novissimus pro eo quod est nuperrimus, præteritum duntaxat respicit. Superiore anno, Superiore mense, Superiore bello, Superioribus diebus, dicimus de re nuper, aut proxime acta. Item paucis his diebus. *Quinque diebus*, pro intra sive post quinque dies dixit Horatius. Itidem Sallustius: *Paucis diebus in Africam proficiscitur.* Et ante pauculos dies: Paucis post diebus. Post paucos dies. Aliquanto ante. Aliquanto post. Paulo, multo ante & post. Dein, deinde, deinceps, exinde. Sub hæc utriusque temporis rationem obtinet, id est, paulo ante aut paulo post. T. Livius: *Secundum orationem prætoris murmur ortum.* Idem: *Secundum hæc silentium fuit*, id est, post hæc. Certi temporis significationem hæc habent. Hodie, heri, nudiustertius, nudiusquartus. Quinto, sexto, septimo, octavo abhinc die: hodie, cras, perendie, perendino die. Quarto ab hinc die: quinto, sexto, &c. Porro verbum additum, temporis discrimen facit. Septimo abhinc die mecum cœnabat. Septimo abhinc die istic me videbis. M. Tullius Attico: *Me abhinc annis amplius XXV. spopondisse dicit.* Idem: *Quo tempore? Ab hinc annis quindecim.* Durior fit hæc loquendi forma, per accusandi casum, præsertim quum non significatur spacium temporis actionis continuæ. Quod genus est illud Terentianum: *Ab hinc triennium ex Andro commigravit huic viciniæ.* Neque enim triennium consumpsit in migrando, sed triennium intercesserat inter relictam Andrum, & aditas Athenas. M. Tullius: *Quæstor C. Papirio consule fuisti ab hinc annos quatuordecim.* Horatius: *Scriptor ab hinc annos qui centum decidit.* Mollius illud Ciceronis in Verrem: *Horum pater ab hinc duos & viginti annos mortuus est.* Nam mortuum esse perpetuum est. Hæc & aliter efferimus. Septimus hic dies est, quod mecum cœnavit. Annus est, quod nullas a te literas accepi. Multum temporis est, quod nos non visis. Diu est quod nos non visis. Seculum exisse mihi videtur, ex quo nullas abs te literas accipio. *Jamdudum ætatem*, pro jam admodum diu, per hyperbolen dixit Terentius. Quidam vice τὸ *quod*, ponunt *quum.* Plautus: *Jam biennium est, quum ille mecum esse cœpit.* M. Tullius: *Multi anni sunt, quum ille in ære meo est.* Idem, *Vigesimus annus est, quum omnes scelerati me petunt.* Reperiuntur apud Ciceronem aliosque veteres & hæ loquendi formæ. Cato: *Postridie aut post diem tertium quam lecta erit*, id est, altero tertiove die post lectam. Idem, *Post annum tertium quam severis incendito.* M. Tullius: *Postero die quam illa erant acta.* Cicero filius: *Aliquando venerunt post diem quadragesimum & sextum quam a nobis discesserant.* Asconius Pedianus: *Post annum quam pro Cornelio dixerat.* Scævola in Pandectis: *Post annos complures quam fecit testamentum.* Eadem est ratio de adverbio sive præpositione ante. Asconius Pedianus: *Ante sedecim annos quam hæc dicta sunt.* Mollius est hoc sermonis genus eo quod post & ante vim obtinent comparativi, quemadmodum secus, contra, aliter. Sine his autem durior est oratio, quam tamen crebro reperias apud T. Livium: *Lilibeum tertio die, quam profectus inde erat, rediit.* Item: *Die vigesimo quam creatus erat dictatura se abdicavit.* Id ætatis erat, ut turpe sibi duceret discere. Non pudet te istuc ætatis lascivire. Hoc ætatis quum sim, non admodum timeo mortem. Pleramque noctem studet. Sallustius: *Crebris ignibus factis plerumque noctis barbari suo more lætari*, id est, magnam noctis partem.

Cap. CLI.

Annumerandi.

IN deos relatus, in numerum deorum relatus est. Horatius: *Inter quos referendus erit.* Ascribe me in numerum tuorum, ascribe me tuis amicis. Ascribito me inter amicos tuos. Veteribus annumerandus. Inter summos annumerandus. Inter primos censendus, ponendus, collocandus. Recipe me in tuum gregem. Multos obscuros legit in senatum. Cur hunc hominem ascivistis in vestrum contubernium? Cooptatus in collegium augurum, Ascitus. Additus ordini senatorio. Accersitus seu ascitus in militum numerum. Suetonius: *Ut civitate donatum, in decurias adlegeret.* Adde hunc amicorum tuorum catalogo.

Cap. CLII.

Initii ac Finis.

IN ipsis vitæ primordiis. In ipsis vitæ rudimentis. In primis literarum elementis, In capite tuarum literarum, In prima statim fronte, In ipso vitæ limine, in ipso quasi vestibulo vitæ. Ab ipsa statim linea. Ab ipso carcere, In exortu, In exordio vitæ. Ab ineunte ætate. Lubricum tempus ineuntis adolescentiæ. Ineunte vere mox cum hirundinibus advolabo. Exacta ætate nupturit, provecta ætate, vergente ætate, affecta ætate, effœta, decrepita ætate, ingravescente ætate, inclinata & præcipitata sive præcipiti ætate. Piget hoc ætatis depugnare. Tacitus: *Ad serum usque diem.* Livius: *Præcipiti jam die.* Tacitus: *Flexo in vesperam die.* Livius: *Primis tenebris movit.* Idem: *prima vespera, primo diluculo, primo crepusculo.* Item Tacitus: *Æstate jam adulta.* Livius: *Adulto autumno.* Idem: *Adulta nocte.* Idem: *In exitu jam annus erat.* Cicero: *Quinto anno exeunte.* Decurso vitæ spacio. *Cygneam vocem* pro suprema dixit M. Tullius de Orat. libro 3. In principio, In initio operis, In calce tuarum literarum, In extremis tuis literis, In postrema parte tuarum literarum. Nunc ad metam festinat oratio, In extremo vitæ actu, In portu impingere, In porta canterio. Ne in apiis quidem, in ipso operis ingressu, In ipso statim operis frontispicio, in ipsis vitæ foribus. Vitæ janua. Fauces inferorum. In Philosophiam nondum intulit pedem, *nondum fecit vestigium*, ita M. Tullius. Ordiri telam, pertexere, Fundamenta jacere, Auspicari. Iniit consulatum. Ineunte vere. Livius: *Hoc ultimum utrinque initum finitumque est prælium.* M. Tullius: *Vellem a principio te audisse.* Idem: *Tuas epistolas a primo lego.* Idem: *Utinam a primo tibi esset visum.* Hoc ab initio fuit. Utinam initio adfuisses. Naso: *Principio quod amare velis reperire labora.* Horatius: *Ad extremum ridendus.* M. Tullius: *Consuli non animus ab initio, non fides ad extremum defuit.* Habes operis primam manum. Oratorem tibi delineavi. Adumbratum accipies oratorem non expressum, Inchoatum non absolutum. Cicero *informatum* dixit, quod inchoatum est, & cujus rude quoddam simulachrum cœptum est. Ductum a statuariis & pictoribus. Exitus acta probat. Ordimur hic ferratam fabulam, quæ sit futura catastrophe nescio. Coronidem addere, Colophonem impone re. Supremam manum addere.

Cap. CLIII.

Major opinione.

MAJORA fide. Majora quam ut vera credi queant. Minor opinione doctrina. Minor doctrina, quam pro hominum opinione. Citius spe aderat. Celerius exspectatione redibat. Citius ac sperabatur. Ante exspectatum redibat. Par famæ doctrina. Non minor doctrina, quam fama

ma celebratur. Supra fidem omnia, id ist, majora fide. Majora veris renunciabant. Minora, Inferiora veris prædicabant, infra verum erant, quæ nunciabat. Minor consulari dignitate cognitio. Minus est, quam ut a consule cognoscatur. Major consulis dignitas, quam ut hanc causam cognoscat. Tua virtus major est omni præconio, vincit omnem laudem tua virtus.

CAP. CLIV.

Contingendi.

HOCCINE tantum malum mihi derepente objectum esse? Ingens huic venit sive obvenit hæreditas. Obtigit uxor qualem volebam. Non cuivis homini contingit adire Corinthum. Nactus es uxorem te dignam. Felicissimum ingenium sortitus es. Similes habent labra lactucas. Habet quod amet. Is nunc reperit. Merito nobis accidit, ut mali videamur, dum nimium studemus nos videri bonos. Non omnibus datum, ut impune, quæ lubeat, dicant. Non quibus libet licet quæ libeat facere. Mihi usu venit, sive usus venit, ut cum intractabili monstro conflictarer.

CAP. CLV.

Refugiendi.

REFUGIT consuetudinem fœminarum. Alienus est a studiis, Abhorret a literis, Abhorret ostentum pro exhorret, dixit Suetonius. Exsecratur, detestatur, abominatur literas. Ad studiorum mentionem nauseat, Horret mortem, Exhorret mare. Aversatur omnes. Avertitur miseros. Ad Poetices mentionem nauseat, vomiturit. Deprecatur publica munia. Gravatur splendidos mensæ apparatus, id est, moleste fert. Sic Suetonius & Horatius. Equitem gravatus Bellerophontem.

CAP. CLVI.

Officiorum vocabula.

ERAT illi a pedibus. Aberat qui mihi est a manibus. Nam tum aberat meus amanuensis. Qui regi sunt a corpore, a secretis, a sacris scriniis. Rationales qui sunt a rationibus, a libellis, ab actis, sive actuarii. Laterones, anteambulones, a cyathis, a poculis pocillator. Nomenclator, a consiliis & consiliarius, apud Suetonium.

CAP. CLVII.

Studii.

TOTUS est in literis. Vacat congerendis opibus. Dat operam rei nummariæ. Attendit huic negocio. *Attendit juri*, pro studuit. Suetonius: Intentus est vel intendit lucris. Inhiat gloriæ. Appulit animum ad scribendum. Adjecit animum ad virginem. Accommoda te rebus præsentibus. Applica animum tuum ad uxoris ingenium. Dedidit se Mammonæ, Dedicavi me Christo. Dica te totum optimis literis. *Dedit se ad leges*, Cicero. *Servos ad remum dedit*, Suetonius. Idem, *ad terram dedit*, pro dejecit. Inservit honori. Incumbite honestis disciplinis, incumbite in honestas disciplinas. Devotus arenæ pro addictus, dixit Suetonius. Idem, Devotus vobis, pro addictus ac deditus. Adjunxit animum ad ea quæ ratio temporum postulabat. Ut animum ad aliquod studium adjungant.

CAP. CLVIII.

Vitiandi.

CORRUMPUNT bonos mores colloquia mala. Inficiunt, vitiant, primam ætatem stultæ nutrices. Aurum plumbo adulterant. Gemmæ adulterinæ. Depravant bonam causam mali Rhetores. Deterunt laudem ducis indocti Poetæ. Malus vicinus scabiem suam affricat vicino. Vas insincerum afficit infusum liquorem. Obtrusit mihi subæratos nummos pro aureis. Vereor ne quid veneni tuis afflet, ne quid pestis instillet in tenerum animum, ne quod sincerum est, trahat in vitium. Ne tibi morbum inhalet suum. Ne suum virus insibilet. Ne quid inspiret mali. Puerilem animum impiis opinionibus imbuit. Malitiam una cum lacte nutricis imbibit, suxit, hausit. Frequentes offensæ reddunt suppuratam amicitiam. Gloriam tuam dedecore contaminasti, inquinasti, conspurcasti, fœdasti, obscurasti, deturpasti, offuscasti, denigrasti. Inussit tibi notam ignominiæ. Venenare poeticum est, *potionare*, apud Suetonium.

CAP. CLIX.

Solitudinis.

SECUM vivit. Secum loquitur. Solus est. Solitarius est, incomitatus incedit. Solus ambulat, in locis solis ambulare tutum non est. Agit in solitudine. Ne musca quidem adest. *Secretum agere*, pro solum esse, dixit Suetonius. Foris se venditant, quum apud se sunt, nihil illis sordidius. Vix asse emeris, si totum hominem per se æstimes.

CAP. CLX.

Sensus.

ORATIO tua sapit tyrannidem. Resipit stultitiam. Olet hircum. Redolet vinum. Vox tua sonat asinum. Rusticus obolet allium. Vineta crepat mera. Scripta tua spirant Italum. Tinnit aurum. Fragras unguentum. Ad hanc formam pertinent, Torvum tueri. Titanicum obtueri, quæ figura mollior est apud Græcos, μανικὸν βλέπειν.

CAP. CLXI.

Præstandi re.

FAC promissa appareant. Exhibe quod toties polliceris, *Talem & se & exercitum approbavit, ut nulli præmia majora perceperint*, apud Suetonium utrumque. Si fortuna obstabit, quo minus præstem quod recepi, certe hunc animum tibi probabo. Promittis amplissima, das nihil. Si munificus videri vis, repræsenta beneficium. Ita Seneca & Suetonius.

CAP. CLXII.

Pœnitendi.

NONDUM hujus animi me pœnitet. Me quantum hic operis fiat pœnitet, pro non satisfacit. Capit me pristinæ benignitatis pœnitudo, pœnitentia ductus, pœnitentia tactus. *Agere pœnitentiam*, pro pœnitere, est apud Plinium Juniorem. Rursus ejus pœnitentiæ pœnitentiam ago, id est, pœnitet, quod pœnituerit. Refertur autem & ad rem & ad personam. Ne te pœniteat istius patris. Initi matrimonii me pœnitet.

CAP. CLXIII.

Dissidii.

MALE sarta gratia ne quicquam coit & rescinditur. Interrupta familiaritas. Mala lingua dirimit multorum amicitias. Orta est inter illos simultas. Refrixit benevolentia. Amor versus in odium. Discordant. Intercessit offensæ nescio quid. *Offensam* pro discordia aliquoties usurpat Sallustius. Dissuenda est amicitia, non abrumpenda. Dissiliit gratia fratrum. Parum inter eos convenit. Miror non bene convenire vobis. Utrique cum altero convenit. Concordant, Concordes sumus. Oratio tua cum factis non consentit. Summo omnium consensu. Magna inter molles concordia. Nulla inter nos discordia. Dissident inter sese. Obortum est inter illos subitum dissidium. *Digressa est a marito*, Suetonius. Divertit ab illo, Divortium facit cum illo. Repudiavit uxorem. Dimisit matrimonio, id est, repudiavit, Dimisit matrimonium, pro rescidit. Renunciavit illi amicitiam, pro eo quod est, denunciavit illi inimicitiam. Dissedit cum uxore, id est, dissidium habuit. *Missam fecit uxorem*, pro repudiavit dixit Suetonius. Serere dissidia. *Est illi offensior*, pro subiratus, Suetonius. Est mihi cum illis ἄσπονδος πόλεμος.

CAP. CLXIV.

Reconciliandi.

SARCIRE, resarcire gratiam. Reducere, reponere, restituere in gratiam. Redigam vos in gratiam. Reconcinnare pristinam amicitiam. Recollige mihi illius animum, fac ut mecum redeat in gratiam, Instaura pristinam inter nos benevolentiam. Cicero: *In gratiam jam cum voluptate redeamus.* Idem: *Pompejus a me valde contendit de reditu in gratiam, sed adhuc nihil profecit.* Sallustius: *Sicuti regi libuerat pax convenit.*

CAP. CLXV.

Sapit aut contra.

POL homo tu non es sobrius. Insanit, delirat, desipit. *Vesanire* dixit Catullus. Non est integræ mentis. Non est

est compos mentis. Non constat animo. Laborat errore mentis. Motæ vel commotæ mentis est. *Mente lapsi*, dixit Suetonius. Defectus animo. Mente excidit. Valet animo. Laborat ab animo. Sophocles reus actus est dementiæ. Destituit illum vis animi.

CAP. CLXVI.

Excipiendi sive excludendi.

NVLLVS isthuc auderet, nisi tu solus, Nemo præter unum te. Nemo præterquam tu solus. Nullus aderat extra unam aniculam. Fortunatus sum cæteris in rebus absque una hac. M. Tullius: *Extra ducem, paucosque præterea.* Extra prædam, id est, præter prædam. Hæc forma est aliquoties apud Ciceronem ex imitatione Græcorum. Extra jocum, extra causam, non omnino consimilis sunt formæ. Omnium facundissimus, excepto Cicerone. Omnibus nisi uno Cicerone facundior. Omnium doctissimus, si unum aut alterum excipias. Nemini cedit, uno te excepto. Interdum absque nomine. Horatius: *Excepto quod non simul esses, cætera lætus.* Jureconsulti interdum recipere usurpant pro excipere. Recepit sarta tecta. Uni tibi permitto, præterea nemini. Tibi quidvis apud me licet. Alioqui non ferrem, alias non ferrem, aliter non ferrem, quod postremum est apud M. Tullium in Officiis. *Super*, pro præter frequenter est apud Suetonium, quanquam hoc non tam excludentis est, quam semoventis a cæteris. *Super veteres amicos ac familiares*, id est, ultra. Politianus: *Secundum te primas tenet*, id est, te excepto.

CAP. CLXVII.

Ut vis, aut contra.

VXOREM nactus sum ex animi mei sententia. Uxor mihi contigit qualem volebam. Hic venatus male respondit votis nostris. Non successit pro votis navigatio. Nihil accidit non præter animi sententiam. Omnia secus quam volebam. Omnia contra quam volebam. Fortuna non respondit optatis meis. Fac ut lubet, fac pro tuo arbitrio, vive tuo arbitratu. Nihil faciam nisi de concilii sententia. Faciam ut voles: faciam pro tua voluntate omnia.

CAP. CLXVIII.

Comperta.

HOMO spectatæ probitatis. Vir probatissimæ fidei. Animum in me tuum habeo multis jam argumentis exploratissimum. Compertum, perspectum, exploratum habeo quanti me facias. Delectus est, ut *industria vir experta*, pro spectatæ, dixit Suetonius. *Periclitatos mores*, pro spectatos dixit M. Tullius. Comperta mihi est hominis perfidia. Deprehensa est astutia. Re compertum est. Pro certo, pro comperto dicis. Certum non habeo. Cum certum sciero, scribam ad te.

CAP. CLXIX.

Copia.

ABVNDAT opibus. Exuberat, redundat, exundat, *superfluit*, & *superfluens*, apud Senecam est. Est apud illos ingens aquarum, & graminis copia. *Copias* pro divitiis dixit M. Tullius & Suetonius. Multum, plurimum, satis vini. *Abunde potentia gloriaque* dixit Suetonius. Nimium licentiæ. *Nimis insidiarum*, pro plus satis dixit Cicero. Affatim vini, pro multum vini. Livius: *Ne cui major quam quinquaginta jugerum agri modus esset.* Horatius: *Hoc erat in votis, modus agri non ita magnus.* M. Tullius: *Frumenti in summa caritate maximum numerum miseram.* Idem in Philip. *Maximus vini numerus fuit*, permagnum optimi pondus argenti. Hircius: *Magno invento numero hordei, olei, vini, fici, pauco tritici.* Immensa pecuniarum vis reperta est. Sallustius: *Quibus mala abunde omnia erant.* Rursus: *Abunde libertatem rati, quia tergis abstinetur.* Idem: *Inopem & coopertum miseriis effecit.* Idem: *Hæc talia facinora impune suscepisse parum habuere*, id est, non satis erat. Item: *Satis habebatis animam retinere.*

CAP. CLXX.

Indicta causa.

INDICTA *causa conjecit servos in vincula*, Cicero. *Quosdam inauditos condemnavit*, Suetonius. Inauditum capite puniebat, citra causæ cognitionem damnatus est, quod Jureconsulti vocant ἐρημοδίκιον.

CAP. CLXXI.

Prosperitatis aut contra.

PROSPERA valetudine. Incolumi valetudine, incolumi fama. Secundiore fama fuit, id est, minus laboravit infamia. Secundo vento, secundo æstu, secundo amne sive flumine. *Secundo rumore* dixit Tacitus. Idem *adverso rumore* dixit, pro sinistro. Idem dixit, *secundis numinibus*, pro faventibus diis. Idem: *Secunda tempestate ac fama.* Item, *secundante vento.* Hic & Livius *secunda prælia* dixerunt pro feliciter gestis. Et *Junone secunda*, Virgilius. Dextro Hercule. *Secundam existimationem collegit*, Suetonius, pro eo quod est, bonam opinionem; *si quem numina læva sinunt.* Hic tibi si alias unquam mens læva fuit. *Reflante fortuna nihil ages*, Cicero. Rebus adversis, Rebus afflictis, Rebus tristibus erigendus est animus. M. Tullius: *Cecidit belle.* Ita cecidit ut volebam. Hoc cecidit oportune. Valde optanti utrique nostrum cecidit. Hoc adhuc percommode cadit. Male cecidit. *Hæc non successit*, Terentius.

CAP. CLXXII.

Antiquitatis.

AB orbe condito non exstitit homo sceleratior. Duo post homines natos teterrima capita, Dolobella & Antonius. Consules post hominum memoriam teterrimi atque turpissimi. Post homines natos. Nostra ætate factum dicimus, quod nobis vivis accidit. Nostra memoria, quod a majoribus visum, ab illis audire potuimus. Patrum memoria utroque est antiquius, videlicet quod sub atavis ac tritavis gestum est. *Ex omni memoria* M. Tullius dixit, pro P. Sextio. Idem pro L. Corn. Balbo dixit, *Superiore memoria*, pro superioribus seculis. Post orbem conditum. *Post urbem conditam* dixit M. Tullius.

CAP. CLXXIII.

Totum.

A CAPITE usque ad calcem. A summo capillo usque ad imum pedis. Debes in solidum. *Reddes ad assem*, dixit Plinius Junior. *Quod iis ad denarium solveretur*, dixit Cicero pro P. Quintio. Bona fide reddidit depositum, vel cum pulvisculo. *Cum tota ærugine* dixit Juvenalis. Quantus quantus est, nihil nisi somnium est. *Hyemem quam longa est*, id est, totam hyemem dixit Virgilius.

CAP. CLXXIV.

Perspicuitatis.

DILVCIDE expedivi quibus oportuit. Vel cæco perspicuum est. Explanatius dicam. Dicam crassiore Minerva. *Enodatius explicare*, M. Tullius de Fin. Ibidem: *Enucleate* pro explanate dicta. Dic exserte, velis an nolis. Candidus sermo pro dilucido, Græci λευκὸν λόγον appellant apertum ac perspicuum, & λευκότερον λέγειν pro apertius dicere. Sole meridiano clarius. Significavit verius quam expressit. Lex hoc expresse vetuit. Declara mentem tuam. Planum facere pro declarare, frequenter est aqud Ciceronem. Oculis subjicere, Ob oculos ponere. *Solidum est* pro perspicuum est, dixit M. Tullius in Verrem, Actione prima. *At enim illud solidum est, ut me Siculi maxime velint, alterum illud credo.* Obscurum est, & luce clarius. Tuba clarius apud Græcos.

CAP. CLXXV.

Nobilitatis & contra.

VIR apprime nobilis, Minime obscuris natalibus. Homo minime novus. Homo cum primis illustris, Vir clarissimus, Vir antiquæ nobilitatis, Vir honesto apud suos loco natus. Summo loco nata. Domi splendidus. Majorum imaginibus clarus. Ex illustri stirpe progenitus. Avitis stemmatibus clarus. *Homo domi nobilis*, pro eo qui e claris prognatus esset, frequenter est apud Ciceronem, & apud Sallustium. Homo domi suæ cum primis locuples atque honestus. *Hominem veteris prosapiæ ac multarum imaginum* dixit Sallustius. Cicero: *Philargus in amplissima civitate amplissimo loco natus.* Livius: *Adolescentes nec tenui loco orti.* Plinius: *Fœmina splendide nata.* Obscurus. Livius: *Homo loco obscuro tenuique ortus fortuna.* Humili loco, infimo loco natus. Homo novus. Sallustius M. Tullium *repertitium* appellat, quod obscuris

ſcuris eſſet majoribus. Vir equeſtri loco, Vir ſenatorii generis. *Vicanum* pro ignobili dixit Cicero. Horatius: *Ignotos homines* dixit pro ignobilibus.

Cap. CLXXVI.

Violentia.

Vix a manibus temperatum eſt. Res ad vim & arma ſpectabat. A verbis ventum eſt ad verbera. Rixa in pugnam verſa eſt. Vi geritur res. Ferro, non rationibus decertabatur. In manibus jus erat. *Ad ſaga properatum eſt*, frequens eſt apud Ciceronem. Sagum enim veſtis eſt militaris, quemadmodum toga pacis. Collo obtorto reduxit hominem.

Cap. CLXXVII.

Rumoris.

Vulgo fertur. Diu fuit populi fabula. Rumore vulgatum eſt. Conſtans rumor eſt. Fama paſſim jactatum eſt. In ore eſt omni populo. *Erat in ſermone res*, dixit Cicero pro eo quod eſt, Rumor erat. Vox erat una totius provinciæ. *In ore & ſermone omnium*, M. Tullius. Male audire dicuntur de quibus malus eſt rumor. Contra bene de quibus bonus.

Cap. CLXXVIII.

Exempli.

Majorum ſuorum veſtigiis ingreditur. Vetus inſtitutum revocavit. A priſca Reipublicæ conſuetudine non receſſit. Cæſar: Agere ad præſcriptum. Vetus exemplum eſt, ſive veteris exempli res eſt, fallere amicum. More hominum fecit, ſibi quam amico maluit conſulere. *Novo more*, pro nullo majorum exemplo frequens eſt apud Ciceronem. Exemplum ſubjicimus his ferme modis, per ut, & velut, Simile gaudet ſimili, ut ſus ſue, velut puer puero. Quod genus, pro eo quod Græci dicunt οἷον. Verbi cauſa, verbi gratia, *Exempli cauſa*, apud M. Tullium.

Cap. CLXXIX.

Internecionis.

Funditus periit. Radicitus exſtinctus eſt. Cupiditas radicitus extrahenda eſt. A ſtirpe ſubverſa eſt Reſpublica. A ſtirpe interiit, dixit Salluſtius. Priſtinæ diſciplinæ ne veſtigium quidem ullum ſupereſt. Græci panolethriam vocant. Exſtirpari & funditus tolli, dixit M. Tullius, de Fato.

Cap. CLXXX.

Atrox.

Atrox injuria. Indignum facinus. Infandum, apud Poetas. Nefarium ſcelus. Gravis contumelia. Non ferenda ſuperbia. Intolerandam ferociam, dixit M. Tullius contra Rullum. Factum non una cruce dignum. Facinus culleo dignum. Noxa capitalis. Crimen inexpiabile. Piaculare facinus.

Cap. CLXXXI.

Rigoris.

Ad vivum exigere. Summo jure mecum agitur. Rigide, ſevere, præciſe, quod Græci dicunt ἀποτόμως, mecum agitis. Inique, duris conditionibus, aut legibus mecum agitur. Etiamſi mecum agas obſignatis tabulis, pergitis ne vos tanquam ex ſyngrapha agere cum populo? dixit M. Tullius pro L. Murena. Ibidem dixit, *auſtere*, *& Stoice agere*. Itidem dici poteſt Scythice agere, qui agit incivilius.

Cap. CLXXXII.

Adſcribendi & imputandi.

Assignamus, adſcribimus, attribuimus frequenter in malam partem, nonnunquam & in bonam. M. Tullius ad Atticum: *Si perturbatior eſt, tibi aſſignato.* Idem in Bruto: *Hæc ſi minus apta videntur huic ſermoni Brute, Attico aſſigna.* Livius: *Flens petiit, ne unius amentiam civitati aſſignaret.* M. Tullius in Bruto: *Peto a te, ut id non modo negligentiæ meæ, ſed ne occupationi quidem tribuas.* Idem: *Omnes id Verri tunc attribuebant.* Item: *Ut aliis cauſam calamitatis attribueret.* Si quid mali acciderit, tuæ ſocordiæ imputato.

A Quod vivo, tuæ clementiæ acceptum fero, ſive, acceptum refero, hoc eſt, debere me fateor. Scævola in Pandectis: *Creditores ſuæ negligentiæ expenſum ferre debent.* Hactenus in malam partem. Si quid feliciter evenit, non fortunæ, ſed Deo adſcribendum eſt, aſſignandum eſt, tribuendum eſt, attribuendum eſt, acceptum ferre oportet, imputandum eſt. Hæc in bonam partem.

His finitima ſunt, vindico, aſſero, arrogo. Totius negocii laudem ſibi vindicat, ſibi arrogat, ſive aſſerit, ſibi uſurpat. Illa priora ſunt ſumpta a codicillis rationum, in quibus notatur quid quis debeat, aut cui quid perſolvendum ſit. Hæc poſteriora ab actione juris, qua quis ſibi jus perſonæ aut rei defendit legibus. Item illa: Totum me tibi debeo.
B Quod ſpiro & valeo, tui muneris eſt. Si quid habeo, id totum tuæ munificentiæ eſt. Si quid in me boni eſt, abs te venit, abs te profectum eſt, abs te fluxit.

Cap. CLXXXIII.

Addictionis.

Gulæ deditus, voluptati addictus, hoc ab actione translatum eſt. Ventris mancipium: ſervit lucro. Horatius: *Inſervit honori.* In hoc totus incumbit. Aſſidet literis. Affixus eſt Poeticæ. M. Tullius: *Et ad genus id quod quiſque veſtrum in dicendo probaret adhæreſcerent*, hoc eſt, affigerent ſeſe. Devotus in bonam partem dixit Juvenalis: *Quod*
C *ni tibi deditus eſſem devotusque cliens, uxor tua virgo maneret.* Terentius: *Animum ad ſcribendum appulit.* Idem: *Ut animum ad aliquod ſtudium adjungant.* Idem: *Adjecit animum ad virginem. Dedit ſe ad leges*, dixit M. Tullius. Me totum meaque omnia tibi dico, dedico, conſecroque.

Cap. CLXXXIV.

Facultatis.

Terentius: *Tibi in manu eſt ne fiat.* Salluſtius: *Verum id fruſtra an ob rem faciam, in manu veſtra eſt Quirites.* Id in te ſitum eſt. Iſtuc non eſt meæ facultatis. Virgilius: *Non opis eſt noſtræ.* Nos pro noſtris opibus exſt.uimus mœnia. Non eſt in poteſtate mea. In poteſtate, & in po-
D teſtatem habere dixit Salluſtius. Si in mea poteſtate eſſet. Filius nondum emancipatus in patris eſt poteſtate. Penes te jus eſt vitæ ac necis. Non eſt mearum virium. Meis auſpiciis, meis copiis, *meo marte* confectum eſt hoc negocium. Salluſtius nove dixit, Quibus in ocio vel molliter, vel magnifice vivere copia erat. Idem dixit, in manibus. Cicero: *pro mea parte adjuvi*, pro mea parte virili, pro viribus, pro mea virili. Salluſtius: pro parte virili, abſque pronomine. In hunc numerum conferri poſſunt & illa. Impetravit commeatum. Facta eſt illi dicendi poteſtas. Salluſtius: *Poſt ubi fide publica dicere juſſus.* Idem: *Si fides publica data eſſet.* Idem: *Eumque interpoſita publica fide Romam perduceret.* Magnatibus quicquid libet, licet. Utinam per fortunas liceret, pro
E tuis in me beneficiis gratiam reponere. Utinam tam adeſſet facultas, quam adeſt prompta voluntas tibi gratificandi.

Cap. CLXXXV.

Jurandi.

Per caput juro. Sancte dejerat. At ſunt qui nihil vereantur conceptis verbis pejerare. In verba jurabas mea. Horatius. Non ego perfidum dixi ſacramentum, id eſt, non juravi mala fide. Sacramenta militaria. Non verear vel Jovem lapidem jurare. Sic me Deus bene amet. Sic mihi propitius ſit Chriſtus, ut ego te ſalvum cupio. M. Tullius: *Solicitat, ita vivam, me tua mi Tiro valetudo.* Idem: *Ne ſim ſalvus, ſi aliter ſcribo ac ſentio.* Idem: *Ne vivam, ſi ſcio.* Idem:
F *Moriar, ſi quiſquam me tenet præter te.* Idem: *Male mihi ſit, ſi unquam quicquam tam enitar.* Horatius: *Diſperéam ni optimum erat.* *Abjuratas rapinas* dixit Virgilius. Salluſtius: *Fidem prodiderat*, creditum abjuraverat. Terentius: *Jusjurandum dabitur.* Apud Jureconſultos *defert jusjurandum*, qui parti adverſæ cedit jurandi facultatem. *Refert*, qui oblatam transfert in offerentem. Huic citius credam injurato quam tibi jurato.

Cap. CLXXXVI.

Dictandi.

Prætor *dictat jusjurandum.* Facile ero facundus, ſi tu dicenda dictaveris. Plautus: *Præi verbis quod vis*, hoc

 eſt,

est, præconcipe verba, quibus me velis uti. Livius: *Agedum pontifex, præi verba, quibus me pro legionibus devoveam.* Idem: *Id votum in hæc verba, præeunte P. Licinio pontifice maximo, consul nuncupavit.* Idem pro præire, dixit *præfari*. *Sunt qui M. Fabio pontifice maximo præfante carmen, devovisse se eos pro patria, Quiritibusque Romanis tradant.* M. Tullius: *Ut vobis voce præirent*, id est, vobis præscriberent quid essetis pronunciaturi. Præscribere modum, præscribere finem. Cæsar: *non ad alienum præscriptum, sed ad suum arbitrium imperare.*

Cap. CLXXXVII.

Tempestive &c.

Opportune advenis. Fac adsis in tempore. Fac adsis tempori. Vigilet oportet qui tempori vult sua conficere negocia. In ipso articulo supervenit. M. Tullius: *Satis erat diei, ut Puteolos excurrere possem, & ad tempus redire.* Idem: *Aderis autem ad tempus.* Matura reditum. Fac curentur ista mature. Plautus: *Per tempus hic venit miles.* Idem: *Non potuisti per tempus magis advenire.* Fac adeas hominem in tempore. Tempestivis conviviis delectantur & Philosophi. Horatius: *Tempestiva viro, Tempestivius ista dixeris a cœna.* Nihil suave quod est intempestivum. Intempesta nox dicitur media, quod non sit oportuna ad aliquid agendum. Commodum supervenit Chremes. Incommode me revocavit senex. Suo quidque tempore agendum est. Horatius: Pleraque differat, & in præsens tempus omittat, id est, in suum & congruum tempus. Siquidem hæc dictio præsens ad omne tempus pertinet. Laudatus est ab Augusto Cato, quod præsentem Reipublicæ statum noluerit immutari, hoc est, eum statum qui erat vivo Catone.

Cap. CLXXXVIII.

Ante tempus.

Virgilius: Sed cadat ante diem. Præmatura morte exstinctus est. Ante tempus sapit. Persius: *Et rerum prudentia velox Ante pilos venit.* Præpropere duxit uxorem. Nondum matura nuptiis elocata est. Livius: *Abi hinc cum tuo præpropero amore.* Illud præcox ingeniorum genus non temere pervenit ad frugem. Præcocia sive præcoqua mala pluris emuntur. Accelerata consilia raro sunt felicia. Festinata consilia raro prospere cadunt. Præcipitata consilia vix unquam felicem exitum sortiuntur. Ovidius: *Et adhuc tua messis in herba est.*

Cap. CLXXXIX.

Post tempus.

Sero *sapiunt Phryges.* Sera est nunc consultatio. Serum est mortuo adhibere medicinam. Nulla ætas ad discendum sera est. Sera est in fundo parsimonia. Advenit, sed post tempus. *Seram rosam* pro Serotina dixit Horatius. Serotini fructus sunt, qui post tempus solitum proveniunt. Post festum, ut ajunt, advenitis.

Cap. CXC.

Celeritatis.

Mox te revisam. Brevi te revisam. Propediem te revisam. Primo quoque tempore conveniam hominem. Puncto temporis fortuna versa est. Momento temporis corruunt omnia. Virgilius: *Extemplo Aeneæ solvuntur frigore membra.* Sallustius: *De improviso.* Virgilius: *Ante exspectatum.* Dicto citius tumida æquora placat. Simul cum dicto manus adfert homini. Actutum se domum contulerunt. Hæc loquutus, e vestigio se domum recepit. Protinus, illico, continuo, statim, In ipso statim vitæ limine exstinctus est. Confestim se in pedes conjecit. Simul atque hæc dixerat repente abiit. Simul ut accepit nummos aufugit. Martialis: *Vixdum dictum erat, illa dedit.* Quam maturissime sive maturrime, pro quam primum, *quam ocyssime* dixit Sallustius. Tacitus: *Incisis venis mortem approperat*, id est, accelerat. Nec mora, manum injicit homini. Omnium opinione celerius redisti. Omnium exspectationem celeritate vicisti. Huc fac quam primum recurras. Volasse dices. Ubi me his negociis extricaro, nihil cunctatus ad vos advolabo.

Ad hanc formam redigi possunt anticipandi verba, quorum aliquot alibi recensuimus. Prævenire, antevertere, prævertere, sive præverti. Terentius: *Hæc dies illi antecessit.* Occupare. Horatius: *Quum assectaretur nunquid vis, occupo.* Idem: *Fortiter occupa portum.* Antevenire. Sallustius: *Sed ea omnia luxu antecapere*, id est, præveniebat famem & sitim. Idem: *Ac priusquam legiones scriberentur multa antecapere, quæ in bello usui forent.* Idem: *Consul optimum factu ratus noctem quæ instabat antecapere.* Maturandi verbum frequenter habet celeritatis significationem. Virgilius: *Maturate fugam.* Sallustius: *Nisi maturasset pro curia signum sociis dare.* Terentius: *At mature.* Maturitas & maturus non itidem usurpantur.

Cap. CXCI.

Spatium loci exiguum.

Plautus: *Si ex isto loco digitum transversum aut unguem latum excesseris.* Pedem ubi ponat non habet. Palmum non habet. Pollicem latum agri non habet. Cave digitum latum ab hoc discesseris loco. Pedem latum nunquam a tuis præscriptis digrediar. Culmum latum nunquam recedit ab Epicuro. Pilum latum non recedit a pristinis moribus.

Cap. CXCII.

Spatium magnum loci aut temporis.

Plautus: *Longe usque a campis ultimis.* Cicero: *Usque a mari supero, Romam proficisci.* Terentius: *Ex Æthiopia est usque hac.* Usque a pedibus ad summum capillum. Plautus: *Usque ex unguiculis.* Quod Augures omnes usque a Romulo decreverunt. Sallustius: *Omnia qua visus erat constrata telis, armis, cadaveribus. Qua visus erat*, dixit pro eo quod erat, quam procul undique patebat prospectus. Virgilius: *Usque a proavis vetus ordinis ætas.*

Cap. CXCIII.

Metuendi.

Metuo ne quod vis non liceat per patrem. Timeo ne mihi succenseat. Nullus metus est, ne tibi quisquam det verba. Nihil periculi est, ne regno excutiaris. Terentius: *Metuo ut substet hospes*, id est, ne non substet. Idem: *Firma vereor ut hæ sint nuptiæ.* Horatius: *O puer ut sis vitalis metuo.* M. Tullius: *Omnes labores te excipere video, timeo ut sustineas.* Idem: *Accepi a te literas, quibus vereri videris, ut epistolas illas acceperim.* Sollicitus sum, ut tantum laborum possis sustinere.

Cap. CXCIV.

Aptitudinis & contra.

Eloquentiæ caput est, apte dicere. Neque enim diserte dicitur, quod inepte dicitur. Nihil ad eam rem dici potuit accommodatius. Delige uxorem tuis accommodam moribus. Splendide dixit magis quam apposite. Nihil adferri poterat appositius. Elegans jocus, sed parum in loco dictus. Tua institutio non quadrat ad hujus ingenium. Mulieri mulier magis convenit, magis congruit. Hic militiæ natus est. Hic ad hujus mores factus scalptusque est. Magnifica loqueris, sed nihil ad Bacchum, ut ajunt, sed ἀπροσδιόνυσα, sed οὐδὲν πρὸς ἔπος. Ista sarcina non sedet humeris tuis. Hæc inter se non cohærent. Istuc ingeniose interseruisti, verius quam concinne. Non sibi constat tua oratio. Non consonat vita doctrinæ. Non concordant facta cum dictis. Multa dixit extra causam, nihil ad rem pertinentia. Quid cani cum balneo? Istuc præclare quidem dictum, sed alieno loco. Alieno tempore sementem facis. Terentius: *Alieniore ætate post faceret tamen.* Ne bovi clitellas. Feli crocoton addidisti. In lente unguentum. Non facit ad luctum cithara.

Cap. CXCV.

Moriendi.

Mortem obiit. Vita defunctus est. Vixit. In vivis esse desiit. Excessit e vivis. Excessit absolute, ut decessit. Satius est millies mortem oppetere, quam turpitudinem admittere. Cicero: *Mihi ipsi fuit mors æquo animo oppetenda.* Obiit supremum vitæ diem. Diem obiit. Cicero: obiit. Vitam morte commutavit. Concessit in fata, *concessit vita*, frequens apud Tacitum. *Mortalitatem explevit*, apud eundem. Item: *Supremum diem explevit.* Animam reddidit. Spiritum finiebat. *Spirare desiit*, Livius & Cicero. *Efflavit animam*, Cicero. Cujus in complexu libenter extremum vitæ spiritum ediderim. Exspiravit. Cicero: *Antequam ex hac vita*

vita migro, emigro, demigro. Idem: *Exire de vita.* Terentius: *E medio excessit.* Emori malim. E vita discessit inedia. Tacitus: *Mortem occubuit.* Et occubuit absolute. Suetonius dixit: *Voluntariam occubuit necem.* Virgilius: *Seu certæ occumbere morti.* Vivis exemptus est. Inter vivos agere desiit. Agere animam dicitur, qui jam moritur. Deo Naturæque concessit. Sallustius: *Ubi anima naturæ cessit, demptis obtrectatoribus ipsa se virtus magis magisque extollit.* Idem: *Pater uti necesse erat naturæ concessit.* Vitæ peregit fabulam. Leto datus est. Luce orbatus est, vita orbatus est, Lumine cassus. Poeticum. Mortuus absolute dicitur. Demortuus qui morte sua locum aut munus reliquit vacuum, in quod qui substituitur in demortui locum succedere dicitur. Excessus pro morte apud idoneos auctores invenitur. Item, *exitus* frequens apud Tacitum. *Exitu demum Neronis, positis odiis, in medium consuluere.* Idem: *Laudatis antiquorum mortibus pares exitus.* Quanquam exire a vita fere dicuntur, qui spontaneam obeunt mortem: & exitus eorum qui sponte decedunt e vita. Quod peculiare est etiam, oppetere mortem. *Finem* pro excessu dixit Tacitus: *Comperto fine Augusti.*

CAP. CXCVI.

Mortis spontaneæ.

CICERO: *E vita tanquam e theatro exeamus.* Impatiens malorum mortem sibi conscivit, necem sibi conscivit. Inedia vitam finiit. Veneno sumpto mortem accersivit. Incisis venis mortem approperat. Ita Tacitus: *Desperatis rebus, decrevit sibi adferre manus.* Idem: *Vim suæ vitæ attulit.* Idem frequenter dicit, mortem sumere, pro mortem sibi consciscere. Haud creditus sufficere ad constantiam sumendæ mortis. Morte spontanea vitam abrupit. Intercluso spiritu mortem invenit. Suspendio quæsita mors est.

CAP. CXCVII.

Mortis adactæ.

OCCIDIT, interfecit, peremit, necavit, exstinxit, jure cæsus est. Neci dedit. Virgilius: *Dede neci.* Vitam & cantharides eripere possunt. Terentius: *Animam seni exstinguerem.* Vita privavit. Vita seu luce orbavit. *Nero Senecæ denunciavit ultimam necessitatem.* Ad necem adegit.

CAP. CXCVIII.

Propositi.

JUVENALIS: *Si te propositi nondum pudet.* Erat animus, erat in animo. Proposueram, statueram, decreveram, constitueram urbem relinquere. Si stat sententia literis te addicere. Non est sententia frustra niti. Non fuit consilium socordia atque desidia bonum otium conterere. Non sum hujus animi ut inanem operam velim sumere. Non est consilii. Non est ratio. Visum erat ad vos remigrare. Habebam in animo. *Sic apud animum meum statuo*, Sallustius.

CAP. CXCIX.

Periculi imminentis.

NON sentis quid tibi malorum impendeat. Quanta immineat calamitas. Quanta instet tempestas. Non ea procul abest. Jam urget ac premit. In foribus adest ultio. Sallustius: *Dux hostium cum exercitu supra caput est.* Sic aliquoties & T. Livius: *Nihil malorum non intentabatur.* Virgilius: *Præsentemque intentant omnia mortem.* Hæc prooemia nobis dira minitantur. In propinquo est discrimen. Non sentis quæ te circumstent pericula, quæ malorum procella te circumvallet. Quis te maneat exitus? Quam tenui discrimine absis ab exitio. Vicinius malum est, quam credis. Propior es periculo, quam suspicaris. Sallustius: *Quousque cunctando Rempublicam intutam patiemini? Intutam* dixit, pro periculo obnoxiam. Idem: *Eo Respublica in extremo sita est.* Rursus: *Ubi intelligit omnes fortunas suas in extremo sitas.* Et gnati vita in dubium veniet. In dubiis rebus consilium adhibendum est. Naso: *Omnia sunt hominum tenui pendentia filo.* Horatius: *Et incedis per ignes suppositos cineri doloso. Periculosæ plenum opus aleæ.*

CAP. CC.

Facile, difficile.

DICTU quam factu facilius. Nihil facilius, facile est, perfacile est, proclive est, in proclivi est, nihil est negocii. Nullo negocio rem conficies. Sallustius: *Denique omnes Romani usque ad nostram memoriam sic habuere, alii omnia virtuti suæ prona esse.* Idem: *Et profecto Diis juvantibus omnia matura sunt.* Id cuivis promptum est. Hoc mihi in promptu non est. Sallustius: *Si hoc itinere uti decreveritis, cætera in promptu erunt.* In procinctu habere, ad manum esse. Difficile est, perdifficile est. Rem arduam moliris.

CAP. CCI.

Prætextus.

VIRGILIUS: *Hoc prætexit nomine culpam.* Hoc colore tegit culpam. Obtentu pietatis, rem impiam moliebatur. Specioso titulo molitur facinus omnium turpissimum. Plausibili titulo. Religionis fuco sese venditant. Amici specie gessit inimicum. Sallustius: *Quicunque Rempublicam agitavere honestis nominibus.* Idem: *Sed hæ res mire sunt vitiis obtentui*, id est, his prætexuntur vitia. Magni nominis umbra sese tuentur.

CAP. CCII.

Temeritatis.

NIHIL habet pensi. Inconsultis consiliis agit omnia. Pro sua libidine rem gerit. Audacia illi pro sapientia in consilio est. Æqui atque iniqui nulla ratio est. Quid deceat, quid non susque deque habet. Sallustius: *Quæ etiam mediocres viros spe prædæ transversos agit.* Idem: *Quos privata amicitia Jugurthæ parum cognita transversos agit.* Impetu fertur, magis quam judicio ducitur. Nihil habet pensi quid in quem dicat.

CAP. CCIII.

Exequiarum.

EXEQUIAS ire. Curare funus. Parentare. Parentalia peregimus. Sallustius: *Postquam illi more regio justa magnifice fecerunt.*

CAP. CCIV.

Consuetudinis, aut contra.

INSUEVIT fallere. Assuevit mentiri. Consueta relinquere durum est. Optimis assuescendum. Armis belloque desueti. Ad ista jampridem occalluit animus. Longo usu callum duxi. Terentius: Quid tu Athenas insolens? *Insolens injuriarum* dixit Sallustius. Idem: *Interdum timidos insolentia itineris levare manu.* Nihil novi facit. Istuc insolens facis. Istuc tuo more facis. Istuc tibi solenne. Moris est. In usu est. In usu esse desiit. Tacitus: *Ne vetustissima Italiæ disciplina per desidiam exolesceret.* Idem: *Græci amictus jam exoleverant.* Livius: *Res aut nova aut vetustate exemplorum memoriæ jam exoleta.* Ista jam in desuetudinem abiere.

CAP. CCV.

Tarditatis.

TARDAT, quod Græci χρονίζει. Tardus corpore, sed ingenio tardior. Lentus abes. Festina lente. Age pedetentim, paulatim, sensim infunde. Contari, bellum ducere. Sallustius: *Quem ubi contari accepit, & dubium belli atque pacis rationes trahere.* Idem: *Ptolemæus pretio ad dies bellum prolatans.* Tacitus: *Diem ex die prolatabant.* Livius: *Quum is diem de die differret.* Cæsar: *Diem ex die ducere.* Cicero: *procrastinare.* Comperendinare.

CAP. CCVI.

Non ultra.

INTRA convicia rixa constitit. Citra sanguinem pugnatum est. Perbenignus est, sed non ultra promissa. Idem efficit dictio *tenus*, cui veteres liberius quam nos addiderunt nomen nunc auferendi, nunc gignendi casu. Crurum tenus dixit Virgilius. Tacitus: *Non patruum saltem porta tenus obvium.* Idem: *Modo pectore, modo ore tenus exstantes.* Idem: *Usurpatas nomine tenus urbium expugnatas dictitant.* Idem: *Janua ac limine tenus domum claudit.* Idem in vita Agricolæ. *Unum addiderim, nusquam latius dominari mare, multum fluminum huc atque illuc ferre, nec littore accrescere aut resorberi. Sentit mare transire littora.* Livius: *In quos jecit magis hoc consul verbo tenus, quam ut re insimularet.* Idem dixit, *vulneribus tenus. Aurium tenus* dixit Fabius. Q. Curtius: *Pauci hostium tenus exacti penetravere usque ad portum.* Apulejus: *Pallio tenus Philosophos imitatur.*

DE RERUM COPIA COMMENTARIUS SECUNDUS.

Et mox de prima locupletandi ratione.



POSTEAQUAM de verborum Copia A quæ veniebant in mentem, qua potuimus brevitate diximus, reliquum est, ut simili compendio de Rerum copia perstringamus. Atque ut hanc operis partem exordiamur ab iis, quæ superiori generi sunt quam maxime finitima; Prima locupletandæ sententiæ ratio videtur, si quod summatim ac generatim dici poterat, id latius explicetur, atque in parteis diducatur. Quod quidem perinde est, ac si quis primum mercem per transennam aut peristromata convoluta ostendat, deinde eadem evolvat, aperiatque ac tota oculis exponat. Hujus rationis id erit exemplum: B

Rem universam luxu perdidit.

Eam sententiam in summa comprehensam, quasique convolutam hunc ad modum licebit evolvere. Si plurimas possessionum formas enumeremus, sique varias perdendæ rei vias explicaverimus. Quicquid vel matris vel patris nomine hæreditate obvenerat. Quicquid aliorum affinium morte advenerat. Quicquid ex uxoris dote, quæ quidem neutiquam erat vulgaris, accesserat. Quicquid ex legatis accreverat (accreverat autem permultum.) Quicquid ex Principis acceperat liberalitate. Quicquid peculii castrensis conflaverat, pecuniam omnem, vasa, vestes, fundos, agros, una cum ipsis & villis & pecoribus. Breviter rem omnem seu mobilem, seu soli. C Denique familiam etiam ipsam, foedissimis scortorum amoribus, quotidianis commessationibus, sumptuosis obsonationibus, nocturnis perpotationibus, popinis, cupediis, unguentis, alea, lusibus, paucis diebus ita absumpsit, abligurivit, absorbuit, ut ne teruntium quidem sibi reliquum fecerit. Hic duo illa verba, Rem universam, & luxu perdidit, suis partibus explicantur. Adjiciemus & alterum.

CYCLOPÆDIAM ABSOLVIT.

In genere dictum est. Id ita poteris explicare. Si singulas disciplinas, omnem doctrinæ speciem singillatim recenseas. Nullum omnino doctrinæ genus est, in quo non sit exquisite versatus. Nulla disciplina, quam ille non ad unguem perdidicerit. Et ita perdidicerit, ut in una qualibet sola laborasse videatur; D Adeo mire Poetarum omnium omnes fabulas tenet, Adeo Rhetorum flosculis abundat, Adeo Grammaticorum laboriosos canones excussit, Dialecticorum argutias callet, Physices arcana pervestigavit, Ultramundanæ sapientiæ ardua superavit, Theologorum abdita penetravit, Mathematicas apodixes perceptas habet; Sic astrorum motus, sic numerorum rationes, sic terrarum dimensiones, urbium, montium, fluminum, fontium, situs, nomina, intervalla; Sic vocum concentus atque discrimina callet, Adeo quicquid est historiarum tum veterum, tum recentium meminit, Quicquid bonorum auctorum, quicquid vel antiquitatis, vel novitatis, id omne tenet, Adde his parem Græcanicæ ac Latinæ literaturæ linguæque peritiam; Denique quicquid unquam eruditionis ab egregiis E auctoribus repertum ac traditum fuit, id universum unus hic absolute perceptum, cognitumque habet ac meminit.

Item. Omnibus naturæ fortunæque dotibus præditus. Hoc si cui libeat explicare, commemorabit singula corporis commoda. Deinde singulas ingenii atque animi dotes. Postremo genus, opes, patriam, successus, & quicquid a fortuna solet obvenire. Rursum Tertium exemplum erit, *Hippias omniscius*. Hoc si quis velit dilatare, referat licebit omnia illa quæ in ejus viri descriptione recenset Apulejus in floridis, non sine varia verborum copia.

Exstat hujus rationis exemplum aptissimum apud Lucianum in Harmonide. Etenim cum potuisset summatim dicere, τὴν αὐλητικὴν ὅλην ἐκμεμάθηκα maluit explicatis partibus copiam ostentare ad hunc modum.

Ἐδιδάξω με ἤδη ἁρμόσασθαι τὸν αὐλὸν ἐς τὸ ἀκριβὲς, καὶ ἐμπνεῖν ἐς τὴν γλωσσίδα λεπτόν τι καὶ ἐμμελὲς, καὶ ὑποβάλλειν τοὺς δακτύλους εὐαφῶς ὑπὸ πυκνῇ τῇ ἄρσει, καὶ θέσει, καὶ βαίνειν ἐν ῥυθμῷ, καὶ σύμφωνα εἶναι τὰ μέλη πρὸς τὸν χορὸν, καὶ τῆς ἁρμονίας ἑκάστης διαφυλάττειν τὸ ἴδιον, τῆς Φρυγίου τὸ ἔνθεον, τῆς λυδίου τὸ βακχικὸν, τῆς δωρίου τὸ σεμνὸν, τῆς ἰωνικῆς τὸ γλαφυρὸν, ταῦτα μὲν οὖν πάντα ἐκμεμάθηκα παρά σου. Quæ tametsi vix possunt reddi Latine, tamen ob Græcanici sermonis ignaros vertam ut potero. *Docuisti me jam exacte adaptare tibiam, atque in ejus lingulam inspirare tenue quiddam ac modulatum, tum commodo facilique contactu submittere digitos in crebra sublatione ac demissione vocis, ad hæc ad numerum ingredi, & ut modi congruant ad chorum, præterea quod cuique harmoniæ generi proprium est observare, Phrygiæ divinum impetum, Lydiæ Bacchicum furorem, Doricæ gravitatem ac modestiam, Jonicæ jucunditatem.* Quod si in proximo exemplo placuisset in singulis disciplinis facere quod hic Lucianus fecit in una musicæ parte, vides quanta sermonis copia fuerit futura.

In his non ab re crediderim illud admonere, simul & in initio proponi summam rerum, & eandem alia sermonis specie repeti, & ita redeundum ad genus, quasi singulis enumerandis jam sis defatigatus, etiam si nihil erit præteritum. Præterea cavendum, ne partium ordinem confundamus tumultuaria verborum congerie, sursum ac deorsum miscentes omnia, ne molestam vocum turbam nulla conditam gratia conglomeremus, sed vel ordine scito, vel apta distributione, vel eleganti descriptione, legentis aut audientis tædium excludamus. Ad hanc formam pertinet & illud, quoties totum quod non formis, sed partibus constat, in eas diducitur. Ut hic totus monstrum est, hoc pacto dilatabitur. Si prius hominem in corpus atque animum partiaris, deinde singulas corporis partes, singulas item animi partes attingas. Et animo & corpore monstrum est. Quacunque vel animi vel corporis parte contempleris, monstrum reperies. Caput tremulum, oculos caninos, os draconis, vultum furiæ, ventrem abdomine distentum, manus ad rapinam incurvas, pedes intortos, totam denique corporis figuram inspice, quid aliud quam monstrum præ se ferunt? linguam & vocem illam belluinam observa, portentum dices. Ingenium excute, prodigium invenies. Mores expende, vitam scrutare, omnia monstrosa comperies. Et ne singula persequar, quantus quantus est, nihil nisi monstrum est. Hic si quis velit in singulis veluti depingendis immorari, satis apparet, quantum ubertatis sit accessurum orationi.

Item aliud exemplum. Totus commaduit.

A summo capillo ad imum usque calcaneum pluvia commaduit. Caput, humeri, pectus, venter, tibiæ, totum denique corpus pluvia distillabat. Minutius quidem illud, haud tamen indignum quod admoneatur, ad hanc formam referri posse, quoties de specie loquentes; genus adjungimus, id quod fere fit amplificandi gratia. Quum omnis eruditio plurimum adfert & ornamenti & adjumenti mortalibus, tum præcipue Philosophia. Item, omni quidem ætati foeda est libido, verum senectuti multo foedissima. Item cum omnibus in rebus plurimum habet momenti prudentia, tum præcipue in bellis. Simplex enim erat, prudentiam in bellis plurimum habere momenti. Hujus generis est illud Ciceronis in oratione pro domo sua, apud pontifices: *Cum multa divinitus pontifices a majoribus nostris inventa atque instituta sunt, tum nihil præclarius, quam quod vos eosdem & religionibus deorum immortalium & summæ Reipublicæ præesse voluerunt.* Quanquam quid attinebat unum hoc referre, quum hujus formæ exempla nusquam non sint obvia.

SECUNDA VARIANDI RATIO.

Huic admodum affinis est secunda variandi ratio. Quoties non contenti semel exitum rei proponere, ex quo reliqua quæ præcesserunt, per se queant intelligi, singulatim ea quoque commemoramus, per quæ ad eum exitum perventum est: hujus præceptionis hoc erit exemplum. *Cicero Catilinæ conatus oppressit:* Id ita locupletabis. Catilinæ nefarios conatus per juvenes perditissimos, totius Romanæ civitatis exitium atque internecionem molientes, M. Tullius Cicero consul sua sagacitate statim odoratus est, singulari vigilantia pervestigavit, summa prudentia deprehendit, miro in Rempublicam studio prodidit, incredibili eloquentia convicit, gravissima auctoritate repressit, armis exstinxit, magna felicitate sustulit.

Item aliud: *Ex ea virgine filium sustulit.* Hac ratione dilates licebit. Eam virginem quod esset singulari forma, misere deperibat. Deinde amoris impatiens, simplicem puellæ animum promissis solicitavit, muneribus corrupit, blanditiis deliniit, officiis in mutuum amorem pellexit, improbitate vicit, denique consuetudinem cum ea habuit ac devirginavit. Aliquanto post tempore uterus virginis cœpit tumescere, fœtu videlicet concepto. Demum exactis novem mensibus parturiit, ac puerum peperit.

Item aliud exemplum: *Urbem cepit*, ita poterit ampliari. Principio feciales rem repetitum missi, qui pacis etiam conditiones offerrent. Quas cum oppidani non acciperent, copias undique comparat, machinarum maximam vim comportat, admovet exercitum una cum machinis ad urbis mœnia. Illi contra e muris acriter hostem repellunt, tandem hic superior in congressu, conscensis mœnibus, urbem invadit, ac rerum potitur.

TERTIA RATIO.

Ab hac rursum non ita vehementer abhorret tertia locupletandi sermonis ratio, quoties rem non nudam exponimus, sed altius etiam causas repetimus, a quibus initiis sit profecta. Veluti si cui non satis sit dixisse, bellum intercessisse Gallis cum Neapolitanis, verum etiam addat quæ fuerint simultatis causæ, quis instigator, quæ suscipiendi belli occasio, quæ vincendi spes, quæ utrisque fiducia. Hoc ut est dilucidius quam ut egeat præceptione, ita difficile sit exemplum nisi plurimis verbis proponere. Quare supersedebimus, & lectorem ad Sallustium ac Livium relegabimus.

QUARTA RATIO.

Nec admodum discrepat ab his quarta locupletandi ratio. Quoties non simpliciter proponimus negocium, sed enumeramus etiam illa quæ negocium comitantur, vel consequuntur. Quod genus sit, *Bellum tibi acceptum feremus.* Hoc pacto poteris ditare rem. Exhaustum in barbaros milites ærarium, fractam laboribus juventutem, proculcatas segetes, abacta pecora, incensos passim vicos ac villas, desertos agros, eversa mœnia, compilatas domos, direpta fana, tot orbos senes, tot orphanos liberos, tot viduas matronas, tot virgines indigne constupratas, tot adolescentium licentia depravatos mores, tantum funerum, tantum luctus, tantum lachrymarum, præterea exstinctas artes, oppressas leges, obliteratam religionem, confusa divina humanaque omnia, corruptam civitatis disciplinam: Universum, inquam, hoc malorum agmen, quod ex bello nascitur, tibi uni feremus acceptum, siquidem belli fueris auctor.

QUINTA RATIO.

Quinta locupletandi ratio videtur potissimum ad ἐνάργειαν, quam evidentiam vertunt, pertinere. Ea utemur quoties vel amplificandi, vel ornandi, vel delectandi gratia, rem non simpliciter exponemus, sed ceu coloribus expressam in tabula spectandam proponemus, ut nos depinxisse, non narrasse, lector spectasse, non legisse videatur. Id ita præstare poterimus, si prius ipsi totam rei naturam omnesque circumstantias, ac veluti faciem animo lustremus. Deinde ita verbis ac figuris idoneis effingamus, ut quam maxime fiat evidens perspicuaque lectori. Hac virtute præcellunt, quum omnes Poetæ, tum præcipue Homerus, quemadmodum suis indicabimus locis. Constat autem præcipue Descriptione rerum, temporum, locorum, & personarum.

Descriptione Rei.

Rei descriptione locupletabimus orationem, quum id quod fit aut factum est, non summatim, aut tenuiter exponemus, sed omnibus fucatum coloribus ob oculos ponemus, ut auditorem sive lectorem, jam extra se positum, velut in theatrum, avocet: hanc ab effingenda rerum imagine, Græci vocant Hypotyposim. Etiam si vocabulum hoc commune est, quoties aliquid oculis subjicitur. [1] *Veluti si quis expugnatam civitatem dicat, cuncta nimirum in summa complectitur, quæcunque talis fortuna recipit*; Utar enim Quintiliani verbis. *At si aperias hæc quæ verbo uno inclusa erant, apparebunt effusæ per domos ac templa flammæ, & ruentium tectorum fragor, & ex diversis clamoribus unus quidam sonus, aliorum fuga incerta, alii in extremo complexu suorum cohærentes, & infantium fœminarumque ploratus, male usque in illum diem servati fato senes. Tum illa profanorum sacrorumque direptio, efferentium prædas, repetentiumque discursus, & ante suum quisque prædonem catenati, & conata retinere infantem suum mater. Et sicubi majus lucrum est, pugna inter victores. Licet enim hæc omnia complectatur eversio, minus est tamen totum dicere, quam omnia.* Hactenus Fabius. Idem hujus evidentiæ citat exemplum hoc ex Cælio in Antonium. [2] *Namque ipsum offendunt temulento sopore profligatum, totis præcordiis stertentem ructuosos spiritus geminare, præclarasque contubernales ab omnibus spondis transversas incubare, & reliquas circumjacere passim, quæ tamen exanimatæ terrore, hostium adventu percepto excitare Antonium conabantur. Nomen inclamabant, frustra cervicibus tollebant, blandius alia ad aurem invocabat, vehementius etiam nonnulla feriebat. Quarum quum omnium vocem tactumque noscitaret, proximæ cujusque collum amplexu petebat, nec dormire excitatus, nec vigilare ebrius poterat, sed semisomno sopore inter manus Centurionum, concubinarumque jactabatur. Nihil*, inquit Fabius, *his nec credibilius fingi, nec vehementius exprobrari, nec manifestius ostendi potest.* Refert idem descriptionem convivii luxuriosi. [3] *Videbar*, inquit, *videre alios intrantes, alios vero exeuntes, quosdam ex vino vacillantes, quosdam hesterna potatione oscitantes. Humus erat immunda, lutulenta vino, coronis languidulis, & spinis cooperta piscium.* Sed hujusmodi exemplorum nusquam non magna copia, præsertim apud Poetas, ut dictum est, & apud Historicos Poetis proximos. Præcipue vero narrationes nunciorum in tragœdiis, quoniam vice spectaculi subjiciuntur, dum ea referunt quæ repræsentari in theatro, aut non possunt aut non convenit, hac virtute insigniter abundant. Veluti quum in Euripidis Hecuba Talthybius narrat Hecubæ, quomodo sit occisa Polyxena: & in Iphigenia Aulidensi, nuncius exponit, quomodo sit interfecta Iphigenia. Et in Troade Senecæ, nuncius refert Andromachæ, quomodo perisset Astyanax ipsius filius. Hoc ad exemplum indicasse satis est, quum omnes tragœdiæ scateant hujusmodi narrationibus. Nec refert ad hoc institutum, veræ sint an falsæ, quemadmodum in Electra Sophoclis, senex ficte narrat Clytemnestræ, quomodo in certamine perisset Orestes. Marcus quoque Tullius mirus est in hoc genere artifex. Verum illud arbitror admonendum, hoc genus descriptiones præcipue quidem constare circumstantiarum explicatione, earum præsertim quæ rem oculis maxime subjiciunt, ac moratam reddunt narrationem. Non mediocriter tamen adjuvari collationibus, similibus, dissimilibus, imaginibus, metaphoris, allegoriis, & si quæ præterea sunt figuræ, quæ rem illustrant. Quin epitheta quoque in hunc usum plurimum valent; Veluti quum dicimus, *aërios* scopulos, *turrigeras* urbes, *cæruleum* aut *vitreum* mare, *curvum* aratorem, *superciliosum* Philosophum, *patulas* fagos, *atram* specum: & apud Homerum, δυσηχὴς πόλεμος, & κορυθαίολος ἕκτωρ, βροτολοιγὸς ἄρης καὶ τειχεσιπλήκτης. quo genere nusquam non scatet hic Poeta. Neque solum in descriptione complectimur quæ præcesserint, quæ adjuncta rei fuerint, quæ consequuta, verum etiam ea quæ facta non sint, vel fieri potuisse, si hoc aut illud evenisset, vel fieri posse demonstramus. Veluti si quis dicat; Vide in quod discrimen adduxisti Rempublicam, qui temere congressus sis cum hoste. Etenim si forte fortuna superassent hostes, hæc atque hæc erant eventura. Aut si qui monarchiam dissuadeat, descriptione ob oculos ponat omnem tyrannidis tragœdiam, jamque auditores admoneat, ut putent sese hæc omnia videre, quæ mox passuri sint, si Democratiam mutarint in regnum. Porro si res agitur seria, tum eatenus adhibendæ sunt ὑποτυπώσεις, quatenus ad causam conducunt. Verum quum tota res ad vo-

1 Orat. Inst. Lib. VIII c. 3.
2 Lib. IV. c. 2.
3 Id. Lib. VIII. c. 3.

A voluptatem spectat, quemadmodum in Poematis ferme fit, & ἀποδείξεσι, quæ exercendi ostentandive ingenii causa tractantur, licebit effictionibus hujusmodi liberius lascivire. Ad hanc formam pertinent descriptiones Homericæ, quoties armat Deos suos aut heroas, quoties convivium, quoties prælium, quoties fugam, quoties concilium describit. Quid enim iste non exponit oculis, tum aptis circumstantiis, quæ tametsi nonnunquam minutæ videntur, tamen nescio quo pacto mirum in modum rem oculis subjiciunt, tum epithetis, tum adhibitis similibus. Præterea descriptiones turbinum, tempestatum aut naufragiorum. Quales sunt apud Homerum locis compluribus, apud Virgilium libro Æneidos primo, apud Ovidium Metamorphoseos undecimo, B pugnæ Barbaricæ apud Juvenalem. Item pestilentiæ, qualis est apud Maronem Georgicorum libro tertio, apud Nasonem septimo, apud Senecam in Oedipo. Item apud Thucydidem. Præterea famis cujusmodi est insignis in quadam Quintiliani declamatione. Item prodigiorum, solis eclipsium, nivis, imbrium, fulminum, tonitruum, terræ quassationum, incendiorum, inundationum: quod genus apud Ovidium diluvii Deucalionei descriptio. Item seditionum, exercituum, præliorum, stragis, excidii, direptionum, monomachiæ, pugnæ navalis: qualis est apud Lucanum libro tertio. Epuli, conviviorum, nuptiarum, funerum, triumphorum, ludorum, pomparum: cujus generis est apud Plutarchum in vita Marci Antonii, Cleopatræ navis. Sacrorum, C cærimoniarum, incantationum, ac maleficiorum: qualis est apud Lucanum in sexto. Item apud Horatium in Satyris, sub persona Priapi, narrantis quæ viderit. Venationum, cujusmodi exstat Hadriani Cardinalis: tametsi docti negant hoc carmen illius esse. Item animantium, quod genus est Torpedinis & Histricis descriptio apud Claudianum. Apud eundem, & item apud [1] Lactantium Phoenicis. Psittaci, apud Ovidium in Amoribus, & apud Statium. Serpentium, apud Lucanum in nono. Multorum piscium, apud Oppianum. Apud Plinium, quum innumerabilium animantium formæ, naturæ, mores, pugnæ, concordiæ, tum præcipue culicis descriptio. Apud Maronem, equi ac bovis expressio, apum mira repræsentatio. Statuarum item, qualis est in Epistolis Plinianis signi senilis. Tabularum & D imaginum, qualis est apud Lucianum, Hercules Gallicus: apud Philostratum, varia picturarum argumenta: cujusmodi sunt & argumenta textorum & sculpturarum, aut similium operum: quorum apud Poetas & Historicos exempla sunt innumera. Ut apud Ovidium libro sexto Metamorphoseos, textura Arachnes. Qualis est clypeus Achillis ab Homero expressus, Æneæ a Marone. Ad hæc navis, vestis, πανοπλίας, machinæ, currus, Colossi, Pyramidis, aut si quid est aliud rerum consimilium, quarum descriptio delectet. Equidem ad hoc genus referendum arbitror, quoties formæ gentis, vitæque ritus explicantur; veluti si quis Scytharum, Anthropophagorum, Indorum, Troglodytarum, aut similium E gentium imaginem oculis exponat; aut si vitæ militaris, philosophicæ, aulicæ, rusticanæ, privatæ, regiæ, simulacrum quoddam effingas. Verum ut ista probe exprimas, non modo confert ars & ingenium, verumetiam oculis spectasse, quæ velis effingere, plurimum refert. Sunt & fabulosæ rerum descriptiones, quæ tamen ad veras alludunt; velut ætatis aureæ, argenteæ, terreæ. Qualis est & apud Cebetem humanæ vitæ pictura, apud Lucianum [2] Aulæ, calumniæ, eruditionis, aliæque complures. Apud Homerum Ossæ, Ates, & Litarum. Apud Ovidium famis, livoris. Apud eundem, & item apud Maronem famæ. Quod si quis malit hæc ad personæ descriptionem pertinere, de qua mox dicam, equidem non magnopere repugno.

F *Personæ Descriptio.*

His igitur est proxima personarum descriptio, quam προσωποποιΐαν appellant, tametsi nonnihil ab hac dissidet προσωπογραφία, vel hoc nomine quod latius patet. Nam famis quoque, invidiæ, somni, de quibus modo diximus, προσωπογραφίας non absurde dixeris. Proponitur enim ceu persona quædam. Cujusmodi sunt & illæ, virtutis ac voluptatis, quas Prodicus Sophista apud Herculem inter sese decertantes facit, ut auctor est Xenophon. Item mortis ac vitæ, quas Ennius in Satyra contendentes inducit, teste Fabio. Item calumniæ apud Lucianum, apud eundem Eruditionis & statuariæ. Occasionis apud Ausonium. Fortunæ apud Horatium in Odis, & Q. Curtium. Cupidinis apud Moschum. Peniæ & Pluti apud Aristophanem. Justitiæ apud Chrysippum, referente Gellio. Philosophiæ apud Boetium Severinum. Lamiæ apud Politianum. Item Musarum, Gratiarum, Furiarum, Bellonæ, Sphingis, Scyllæ Charybdis, ac similium apud Poetas.

Sunt quædam propiores vero, sed tamen ad ostentationem accommodatiores. Cujusmodi est Hippiæ descriptio apud Lucianum, & ejusdem apud Apulejum in floridis, sed Oratori magis conveniunt illæ notationes. Sic enim appellant quoties amantis, luxuriosi, avari, voracis, temulenti, somniculosi, garruli, gloriosi, ostentatoris, invidi, sycophantæ, parasiti, lenonisve personam depingimus. Hujus generis exstat exemplum in quarto rhetorices ad Herennium. Ubi suis notis depingitur pseudoplutus, divitiarum ostentator quum esset pauper. Cæterum e comoediis quantumlibet exemplorum sumere licebit. Nil enim aliud agit comoedia. Exstant ad hoc facientes [3] notæ Theophrasti titulo. Mihi Grammatici cujuspiam videntur, magis quam Philosophi. Depingitur autem ab omnibus circumstantiis, præcipue vero ab his. A natione seu patria, si Poeni, Græci, Galli, Scythæ, Hyberni, Hispani, Scoti, Britanni formam, cultum, vocem, linguam, gestum, incessum, ritus, ingenium, ac mores expresseris. Fingendus autem Poenus foedifragus, vafer, insolens, cultu ambitiosiore, atque item de cæteris. Sunt & singularum civitatum peculiares notæ. Ut mollis Atheniensis, & ad dicendum quam faciendum instructior. Severi Romani. Parci Florentini. A sexu, Depingitur vir severior, mulier loquacior, inconstantior, superstitiosior.

Ab ætate tales effingimus, quales Horatius ostendit in Arte Poetica.

A fortuna. Fastuosior inducitur dives. Humilior ac timidior pauper.

A studiis fit gloriosus, & facinorum suorum immodicus jactator miles, perjurus leno, tristior rusticus, adulantior aulicus, mitior urbanus. Medicus ad quæstum propensior. Poeta nominis avidior, fontibus, nemoribus, ac secessibus gaudens, opum & honorum civilium contemptor, Sophista loquacior quam sapientior. Neque negligendi communes affectus, quo sit animo pater in liberos, maritus in uxorem, civis in patriam, princeps in plebem, plebes in patricios, cæterique quos diligentissime tradidit in rhetoricis suis Aristoteles. Sunt autem peculiares etiam in singulis horum differentiæ. Neque enim satis est tenere quid seni, quid juveni, quid servo, quid patrifamilias, quid lenoni conveniat. Alioqui singuli horum semper sui similes inducerentur. At Comici præcipue varietatem in ejusdem quoque generis personis affectasse videntur. Quid enim dissimilius quam Demea ac Mitio apud Terentium? Quorum hic, cum etiam gravissime filium objurgat, blandus est, ille cum maxime blanditur, amarulentus. Et tamen uterque senex, atque adeo fratres. Quid diversius quam Chremes semper placidus ac civilis, & Simo vehemens ac suspiciosus? Item quam Pamphilus cordatus, & Carinus inops animi consiliique. Quid tam dissimile, quam Phædria cum morbo pugnans, & Chærea nihil habens pensi? Multum item interest inter Davum pertinacissimum sperandi auctorem, & Byrriam nihil præter desperationem adferentem. Plurimum inter parasitum Gnathonem, & Phormionem, & ab utroque longe dissident parasiti Plautini. Quemadmodum & hujus meretrices a Terentianis plurimum discrepant. Terentius meretrices propemodum bonas fingit, veluti Philotim, & Bacchidem in Hecyra. Plautus senes amantes ac festivos, & uxoribus veteratorie imponentes, quanquam alias Euclionem prodigiose tenacem ac supiciosum facit.

Quod si personam tractamus ab alio occupatam, ab iis qui priores finxerint aut descripserint, decorum petendum est. [4] Veluti si tractes Achillem, acrem, inexorabilem, simplicem, infensum regibus, infensum mendacibus, pedibus velocem inducas oportet. Nam hujusmodi primus finxit Homerus. Rursum Ulyssem vafrum, mendacem, dissimulan-

1 Id Poëmate, quod creditur esse potius *Venantii Fortunatiani*.

2 Intelligere videtur *Erasmus* vitam magnatum ac divitum Romanorum, quam describit *Lucianus*, in libello περὶ τῶν ἐπὶ μισθῷ συνόντων, *de iis qui mercede conducti vivunt in familiis divitum*; quem librum infra ab *Erasmo* Latine versum habemus.

3. Nimirum, χαρακτῆρες, sive *notationes morum*; quod opus *Theophrasti* esse nunc nemo dubitat. Adi ad id *Isaacum Casaubonum*.

4. Hæc *Erasmus* habet ex Arte Poëtica *Horatii*, v. 120. & seqq.

lantem, omnia tolerantem. Agamemnonem animo mitiore, sed imperii cupidum, timentem populum, voluptatis avidiorem quam belli. Hectorem animo sublimi, mortis & augurïorum negligentem, patriæ omnia posthabentem. Ajacem factis magis quam oratione strenuum, contumeliæ ac repulsæ impatientem. In summa, ut cujusque personam finxit Homerus, ita Tragici Poetæ inducant oportet. Item si quis Aristidem, Themistoclem, Phocionem, Alcibiadem, Pisistratum, Julium Cæsarem, Fabium, aut Camillum, aut Timonem, Socratem, Platonem, Epicurum cupiat effingere, ex historiis decorum petendum est. Quod exercitationis genus placuisse videtur iis, qui Menelai, Phœnicis, Achillis, Phalaridis, Bruti, Senecæ ac Pauli epistolas & orationes finxerunt. Idem spectandum erit scribenti dialogos, quibus personis quem tribuat sermonem. Cæterum decorum, quod est in fictis personis; veluti si Philosophiam producas vultu constanti & auctoritatis pleno; Musas simplices ac blandiores; Gratias junctas ac zonis solutis; Justitiam rectis atque immotis luminibus, cæteraque hujus generis; id a rerum natura, ad quas alluditur oportebit sumere.

Est quoque decorum in apologis, quod nemo recte tuebitur, nisi naturas animantium cognitas atque animadversas habeat. Ut sciat docilem ac religiosum Elephantum; Delphinum Crocodilo inimicum, hominis amantem; Aquilam in sublimi nidum ponere; Scarabeum stercora, in quibus gignit ac gignitur, ex more protrudere; nec videri temporibus, quibus incubant aquilæ; Cassitam in segetibus ova ponere; Erinacium gaudere discursu, inimicum serpentibus. Atque hæc quidem, hisque reconditiora facile petuntur ex Aristotele, Plinio, Æliano. Tractatur & hoc genus etiam ab Oratoribus. Porro duriores sunt apologi, qui rebus inanimis, ut arboribus aut saxis sermonem attribuunt.

Sed Oratorum magis peculiares sunt illæ προσωπογραφίαι, quoties suis ceu coloribus certa hominis persona depingitur, idque eatenus, quatenus ad rem propositam attinet. Quemadmodum apud Sallustium Catilina, apud Livium Annibal, apud Plinium Trajanus. Rarius enim incidunt, sed tamen incidunt, illæ formarum effictiones. Quod genus fit, si quis mulierem formosam omnibus ferme numeris exprimat, aut contra deformem anum. Quemadmodum Thersiten effinxit Homerus, & Græcorum multos proceres e mœnibus Helena Priamo sciscitanti indicat, & hunc imitatus Maro in sexto complures Romanos describit.

Ad hanc formam præcipue pertinet schema διαλογισμὸς, id est, sermocinatio, quoties unicuique sermonem accommodamus, ætati, generi, patriæ, vitæ instituto, animo, moribusque congruentem. Nam hujusmodi sermones in historia licet affingere. Unde tot Thucydidis, Sallustii, Livii orationes. Effinguntur & epistolæ, & apophthegmata. Demum & cogitationes, veluti hominis secum loquentis, quanquam hoc Poetis familiarius. Illæ propriæ προσωποποιΐας nomen merentur, quoties personam hominis procul absentis, aut jam olim defuncti, loquentem facimus, servato decoro. Quod genus fit: *Quid si nunc reviviscant prisci illi hujus urbis optimates, viderintque temporum horum mores, nonne in has voces erumperent?* Deinde subjicienda oratio, *Quid si nunc adesset proavus ille tuus, nonne merito his te verbis objurgaret? Quid si redeat in hanc lucem Camillus, nonne jure his verbis nobiscum agat? Et jam mihi videor audire illum sic mecum loquentem. Et fingite Platonem ipsum ad hunc modum vobiscum expostulantem.* Verecundiores sunt hujusmodi prosopopœiæ, cum ea loquentes fingimus, quæ verisimile sit eos esse dicturos, si adessent. Duriores autem, sed tamen etiam in seriis orationibus, non tantum in exercitationibus adhibendæ, si quando rerum gravitas postulabit, quoties naturam, aut Rempublicam aut provinciam, aut patriam loquentem facimus. Ut in Catilinam fecit Cicero. *Quæ tecum Catilina quodammodo tacita loquitur.* Rursum: *Etenim si patria, quæ mihi vita multo est carior, si cuncta Italia, si omnis Respublica sic loquatur: M. Tulli, quid agis?* & Socrates apud Platonem in Critone leges secum disputantes inducit. Hujus generis est, quoties diis ipsis, aut locis, aut aliis multis rebus orationem accommodamus. At eæ quæ proprie προσωπογραφίαι vocantur, metaphoris similibus, & collationibus fiunt illustriores. Cujus generis apud Poetas magna vis est.

Loci Descriptio.

Locupletatur oratio locorum quoque descriptionibus, A quas Græci τοπογραφίας appellant. Ab his frequenter narrationum sumitur exordium, non a Poetis modo, verumetiam ab Historicis, & apud Oratores nonnunquam incidunt. Hujus generis est quoties tota loci facies, veluti spectanda depingitur. Ut urbis, montis, regionis, fluminis, portus, villæ, hortorum, amphitheatri, fontis, specus, templi, luci. Quæ si veræ sint, τοπογραφίας appellari volunt. Sin fictæ, τοποθεσίας. Prioris formæ sunt, Carthaginis & portus apud Maronem descriptio, apud Plinium in epistolis Laurentis villæ; apud Statium Surrentinum Pollii, & Tiburtinum Manlii: posterioris, sedes somni apud Ovidium, Domus famæ & regia solis apud eundem; inferorum & Caci domus apud Virgilium; Tænari apud Statium, domus apud Lu- B cianum. Regia Psyches apud Apulejum. Ad prius genus referendum arbitror, Vesuvii montis incendium, a Plinio Minore descriptum. Ætnæ ardentis, apud Claudianum. Tum si quis Nilum, aut antrum Sibyllæ, arcus atque id genus alia descripserit. Quæ quo sunt magis nova, hoc plus adferunt voluptatis, & diutius licebit immorari, modo omnino non sint aliena.

Temporis Descriptio.

Porro temporis descriptionem χρονογραφίαν appellant. Unde non raro narrationis sumitur initium. Nonnunquam delectandi duntaxat gratia adhibetur; veluti quoties Poetæ diem, noctem, auroram, aut crepusculum exprimunt. Quanquam ne hæ quidem omnino ociose debent adhiberi. Quod C genus est illa Virgiliana:

Nox erat & placidum carpebant fessa soporem
Corpora per terras, sylvæque & sæva quierant
Æquora, cum medio volvuntur sydera lapsu,
Cum tacet omnis ager, pecudes, pictæque volucres,
Quæque lacus late liquidos, quæque aspera dumis
Rura tenent, somno positæ sub nocte silenti,
Lenibant curas, & corda oblita laborum.

Pertinet enim hæc descriptio nocturnæ quietis, ad amplificandum Didonis dolorem, qui ne tum quidem conquiescebat, cum omnia cætera quietem agerent. Nam mox sequitur: *At non infelix animum Phœnissa, nec unquam Solvitur in somnos.* Veris, hyemis, autumni, æstatis, vindemiæ, justi- D cii, saturnalium descriptiones ad hoc genus pertinent, quæ sæpenumero valent & ad probationem. Mixtæ sunt illæ, quoties temporum qualitatem exponimus, puta pacis, belli, seditionum, factionum, monarchiæ, democratiæ. Simul cum ostendimus, quæ virtutes, aut quæ vitia tum maxime valuerint. Hæc quidem singillatim tractare conveniet nonnunquam exercendi ingenii gratia. Verum absoluta descriptio ex his omnibus constat. Nam Horatius in ea [1] quam modo citavi Satyra, primum locum Exquiliarum describit, deinde tempus, præterea Priapi ac maleficarum personas, postremo & sacrificium & fugam crepitu territarum mire exprimit.

EGRESSIO, SEXTA LOCUPLETANDI RATIO.

E Superioribus affinis sexta locupletandi ratio, quam Græci παρέκβασιν, Latini partim egressionem, alii digressionem, nonnulli excursum appellant. Ea est, definitore [2] Quintiliano, *alicujus rei, sed ad utilitatem causæ pertinentis, extra ordinem excurrens tractatio.* Adhibetur autem vel laudandi gratia. Qualis est apud M. Tullium pro L. Cornelio popularis illa virtutum Cn. Pompeji commemoratio, in quam ille divinus Orator, nam Fabii verbis utar, veluti nomine ipso ducis cursus dicendi teneretur, abrupto quem inchoaverat sermone, divertit: aut vituperandi, aut ornandi, aut delectandi, aut præparandi. Sumuntur autem ex iisdem ferme locis, quos modo retulimus. Ab expositione rerum gestarum, a descriptione locorum, regionum, personarum. Item a tra- F ctatione fabularum, apologorum. Præterea a locis communibus, quoties amplificandæ rei gratia, in gloriam, in luxuriam, libidinem, avaritiam, turpem amorem, tyrannidem, iram ac reliqua vitia dicimus, atque his, causa velut aliquantisper omissa, diutius immoramur. Aut contra, quoties frugalitatem, liberalitatem, continentiam, studia literarum, pietatem, taciturnitatem, laudibus efferimus. Hi tantum momenti habent ad copiose dicendum, ut clari [3] aliquot auctores eos ex professo tractaverint. χρείας appellant. Sunt &

1 Sat. VIII. Lib. I.
2 Inst. Lib. IV. c. 3.
3 *Theon, Aphthonius, Libanius,* alii.

& illi loci communes his non dissimiles, quoties libertatis commoda ponimus ante oculos, contra servitutis incommoda. Mutabilitatem fortunæ, mortis æquam omnibus necessitatem, quantum valeat pecunia in rebus mortalium, vitæ humanæ brevitatem, atque id genus alia innumera describimus.

Porro longius immorari licebit excursionibus, vel in initio dictionis. Qualis illa Herculis Gallici apud Lucianum, & Lamiarum apud Politianum descriptio. Vel in fine, quo jam fessus recreetur auditor. Quemadmodum in Georgicis fere facit Virgilius. In medio, si quando digredi libebit, celerius eo redeundum, unde digressus sis, nisi pars causæ jam absoluta digressionis ansam præbebit; veluti post narratam causam, quo ad secuturam argumentationem auditor reddatur alacrior; aut post probationem, sive omnino post locos inamœniores, quo tædium subtilitatis discutiatur; aut nisi res ipsa locos hujusmodi suapte sponte offerat, qui invitent ad diutius immorandum.

A

B

SEPTIMA RATIO.

Septima locupletandi ratio sumitur ab Epithetis. Diomedes Epitheton facit speciem Antonomasiæ, finitque hunc in modum: *Epitheton est præposita distinctio proprio nomini aut ornandi, aut destruendi, aut indicandi causa.* Ornandi, ut *diva Camilla.* Destruendi, ut *scelerumque inventor Ulysses.* Indicandi, ut *Larissæus Achilles.* Sumuntur epitheta ab animo, ut Plato Philosophorum sapientissimus. A corpore, Thersites Græcorum omnium deformissimus. A bonis externis, neque id simpliciter, nimirum, ab omnibus partibus bonorum, quæ proficiscuntur a fortuna. A genere, ut Mæcenas generosissimus. Ab opibus, Crœsus regum opulentissimus. A forma, Nireus formosissimus. A viribus, Milo athleta fortissimus. A patria, Ulysses Ithacensis. Ab actu, monstrorum domitor Hercules. Ab eventu, Bis capti Phryges. In summa ab omnibus fortunæ commodis, aut incommodis. Neque refert an hæc epitheta sint adjectiva nomina, nec ne, modo quocunque pacto proprietas quædam attribuatur, non personis tantum, verumetiam rebus; ut præceps juventa, præceps & amens consultor amor, esca malorum voluptas, morosa ac difficilis senecta, vitiorum expultrix philosophia, humanæ vitæ speculum comœdia, vitæ magistra historia. In poematis licebit naturalibus epithetis uti, ut Candida nix, liquidi fontes, frigida nox, volubilis amnis, aureus Sol. In oratione prosa non oportebit adhiberi, nisi emphasim quandam habeant, & ad rem propositam pertineant. Ut, *non impetrabis causam tam iniquam ab Aristide justissimo.* Et, *coram Catone severissimo morum censore audes agere floralia?* Id potissimum fiet in citationibus exemplorum, aut sententiarum. Aristarchus eruditissimus, & idem diligentissimus: Cicero eloquentiæ princeps: Plato certissimus auctor.

C

D

OCTAVA RATIO.

Octava dilatandi ratio sumitur a circumstantiis, quas Græci *Peristases* vocant. Eæ partim sunt rerum, ut causa, locus, occasio, instrumentum, tempus, modus, atque id genus aliæ; Partim personarum, ut natio, patria, sexus, ætas, educatio, & disciplina, habitus corporis, fortuna, conditio, animi natura, studium, anteacta, commotio, consilium, nomen. Conducit autem ad multa circumstantiarum aptus ac tempestivus usus. Primum ad amplificandum atque extenuandum, de quo mox paucis dicturi sumus. Deinde ad evidentiam, de qua paulo ante diximus. Præterea ad confirmationem & probabilitatem. Facit enim ut tota oratio densis ac crebris argumentis undique differta sit & communita. Quæ tametsi non explices, quasique in aciem educas, tamen pugnant per sese causamque non mediocriter adjuvant: ut licet aliud agentem, tamen agnoscere liceat, palæstricæ aut musicæ peritum: Ita ubivis ex hujusmodi circumstantiis commode suo loco admixtis, Rhetorem intelligere possis. Quod quoniam per omnem orationem fusum est, exemplo brevi ostendi non potest.

E

F

NONA DILATANDI RATIO.

Nona dilatandi ratio constat amplificatione. Ejus complures formæ referuntur a Fabio. Nos eas breviter attingemus, quæ ad præsens pertineant institutum. Prima amplificandi ratio constat incremento. Quoties gradibus aliquot pervenitur, non modo ad summum, sed interim quodammodo supra summum. Hujus exemplum est apud M. Tullium in quinta in Verrem Actione: *Facinus est vincire civem Romanum, scelus verberare, parricidium necare. Quid dicam in crucem tollere?* Verbo satis digno tam nefaria res appellari nullo modo potest. Ad hoc genus pertinet & illud, cum congestis ordine quodam circumstantiis in contextu & cursu semper aliquid priore majus insequitur. Hujus exemplum est in secunda Ciceronis Philippica de vomitu Antonii: *O rem non visu modo fœdam, sed etiam auditu! Si inter cœnam in tuis immanibus illis poculis, hoc tibi accidisset, quis non turpe duceret? In cœtu vero populi Romani negocium publicum gerens Magister equitum, cui ructare turpe esset, is frustis esculentis, vinum redolentibus, gremium suum & totum tribunal implevit.* Hic singulæ voces incrementum habent. Etenim per se deforme fuerat, vel non in cœtu vomere, in cœtu etiam non populi, etiam non Romani, vel si nullum negocium gereret, vel si non publicum, vel si non Magister equitum. Hæc si quis dividat, ac circa singulos gradus immoretur, augebit quidem orationis copiam, tamen minus efficaciter amplificabit.

Huic contraria est comparatio. Nam ut incremento ad superiora tenditur, ita comparatio a minoribus incrementum petit. Fit autem comparatio vel fictione, vel exempli collatione. Fictione quam ὑπόθεσιν vocant, ut in prima parte exempli, quod modo retulimus ex Cicerone. Fingit enim hoc inter cœnam accidisse privato. Ejusdem est illud in Catilinam: *Servi me hercle mei, si me isto pacto metuerent, ut te metuunt omnes tui, domum meam relinquendam putarem.* Collatione exempli, quoties proposito velut simili exemplo efficimus, ut id quod exaggeramus, aut proximum illi, aut par, aut majus etiam videatur. Velut Cicero pro Cluentio cum exposuisset Milesiam quandam a secundis hæredibus pro abortu pecuniam accepisse, *Quanto est*, inquit, *Oppianicus in eadem injuria, majore supplicio dignus. Siquidem illa cum suo corpori vim attulisset, seipsam cruciavit. Hic autem idem illud effecit per alieni corporis cruciatum.* In hoc genere non solum tota totis, sed etiam partes partibus comparantur, sicut hoc loco pro Milone, *an vero vir amplissimus Scipio, Tiberium Gracchum mediocriter labefactantem Rempublicam privatus interfecit: Catilinam orbem terra cæde atque incendio vastare cupientem, nos consules perferemus?* Hic & Catilina Graccho, & status Reipublicæ orbi terrarum, & mediocris labefactatio cædi & incendiis & vastationi, & privatus consulibus comparatur. Quæ si quis dilatare velit, plenos per singula locos habeat.

Amplificamus & ratiocinatione, cum aliud crescit, & aliud augetur, hoc modo: *Tu istis faucibus, istis lateribus, ista gladiatoria totius corporis firmitate tantum vini in Hippiæ nuptiis exhauseras, ut tibi necesse esset in populi Romani conspectu vomere postridie.* Colligitur enim quantum vini biberit Antonius, quod illa totius corporis gladiatoria firmitas non quiverit ferre & concoquere. Ad hanc formam referendum est quoties res atrocissimas quasque in summam ipsi extulimus invidiam, elevamus consulto, quo graviora videantur, quæ sequutura sunt. Quod genus est illud Ciceronis: *Levia sunt hæc in hoc reo. Metum virgarum navarchus nobilissimæ civitatis precio redemit. Humanum est.* Atrocissimum quiddam exspectetur necesse est, cui hæc quæ sunt atrocia, comparata, humana atque usitata videantur.

Amplificamus & congerie verborum, ac sententiarum idem significantium, quæ ratio finitima est figuræ συναθροισμῷ, de qua prius dictum est. Utitur hac M. Tullius in Actione pro Ligario: *Quid enim tuus ille, Tubero, districtus in acie Pharsalica gladius agebat? Cujus latus ille mucro petebat, qui sensus erat armorum tuorum? quæ tua mens? oculi, manus, ardor animi? Quid cupiebas? quid optabas?* Hic velut acervo crevit oratio. Idem fit interim omnibus altius atque altius insurgentibus. Ut in hoc exemplo: *Aderat janitor carceris, carnifex Prætoris, mors terrorque sociorum, & civium Romanorum lictor Sextius.* Amplificamus etiam quasi correctione quadam, ut Cicero in Verrem: *Non enim furem sed raptorem; non adulterum, sed expugnatorem pudicitiæ; non sacrilegum, sed hostem sacrorum religionumque; non sicarium, sed crudelissimum carnificem civium sociorumque in vestrum judicium adduximus.* Totidem autem sunt minuendi modi, quot sunt amplificandi. Pertinent ad orationis copiam & illi vulgares amplificandi modi, cum vel adverbiis, vel nominibus, vel aliis partibus appositis amplificamus, vel in laudem, vel in vitu-

vituperium. Majorem in modum me Cicero delectat. Dici non potest quam tibi faveat socer. Verbis consequi nequeam, quam me delectet Cicero. Verum de his augendi rationibus priore libro diximus.

NONA DILATANDI RATIO.

Notus & usitatus est & ille modus amplificandi, cum speciem augemus generi collatam; ut, cum omnes disciplinæ liberales plurimum homini conciliant vel ornamenti, vel commodi, tum in primis eloquentia. Quanquam hanc quoque rationem superius attigimus.

DECIMA DILATANDI RATIO.

Decima dilatandi ratio inde sumitur, ut quam maximum propositionum numerum reperiamus. Est autem propositio Rhetorica, cui probandæ adhibentur argumenta. Porro quemadmodum invenienda sit propositio, Fabius negat arte comprehendi posse, cæterum ingenio atque usu constat ea facultas. Atque inde fit, ut cum plures eadem dicerint, generibus argumentorum similibus utantur, alius tamen alio plura quibus utatur inveniat. Sumuntur autem propositiones partim ex his quæ sunt vulgaria, partim ex his quæ sunt propria causæ. Exemplum sit hoc, quod placuit Quintiliano, [1] *Cum Thebas evertisset Alexander, invenit tabulas, quibus centum talenta mutuo Thessalis dedisse Thebanos continebatur. Eas tabulas, quod esset usus commilitio Thessalorum, donavit his ultro. Postea restituti a Cassandro reposcunt Thebani Thessalos. Res apud Amphictyonas agitur. Centum talenta & credidisse eos constat, & non recepisse. Lis omnis ex eo, quod eas Alexander Thessalis donasse dicitur, pendet. Constat & illud, non esse iis ab Alexandro datam pecuniam Thebanorum.* In hoc igitur argumento hujusmodi propositiones ac partes, ceu columnæ reperiendæ sunt. Prima pars erit, Alexandrum nihil egisse donando. Secunda, non potuisse donare. Tertia, non donasse. Ac primæ quidem partis, prima erit propositio pro Thebanis, jure repeti licere quod vi sit ablatum. Pro Thessalis hæc erit, tabulas non simpliciter vi qualibet, sed bello sublatas esse. Jus autem belli plurimum valere in rebus humanis. Hoc regna, hoc populos, hoc fines gentium atque urbium contineri. Huic rursum aliam propositionem opponunt Thebani. Non omnia in victoris potestatem venire jure belli, sed in his quæ in judicium deduci possunt, nihil valere jus belli, nec armis erepta, nisi armis posse retineri. Itaque ubi illa valeant, non esse judicem. Ubi judex sit, nihil illa valere. Atque ea quidem e causæ circumstantiis sumitur, quibus ostendi potest, quid hæc causa distet a cæteris. Ad hujus autem propositionis confirmationem sumitur a locis exemplum simile. Ideo captivos, si in patriam suam redierint liberos esse, quia bello parta, non nisi eadem vi possideantur. Tertia pro Thebanis propositio, ducetur & ipsa ex causæ propriis. In eo judicio potissimum esse spectandam æquitatem, in quo Amphictyones judicent. Aliam enim apud centumviros, aliam apud judicem privatum, in eisdem quæstionibus esse rationem. Atque hæc quoque eo valent, ut appareat hanc causam distare a cæteris, in quibus jus belli valere debeat. Porro secundæ partis pro Thebanis probatio fuerit. Non potuit donari a victore jus, propterea quod id demum victoris sit, quod teneat: jus cum sit incorporale, apprehendi manu non posse. Rursum ad hujus probationem adhibetur argumentum a dissimili. Aliam esse conditionem hæredis, aliam victoris. Ad illum jus, ad hunc rem transire. Jam ex causæ propriis altera sumetur propositio, superiori veluti subserviens. Nempe hæc: ut donemus jus alias ad victorem transire, certe jus publici crediti ad victorem transire nullo modo potuit. Propterea quod si quid populus credidit, id omnibus debeatur. Et quamdiu unus superfuerit, is sit totius summæ creditor. At Thebanos non omnes in Alexandri manu fuisse. Atque hæc quidem non eget probationibus. Tertiæ partis vulgaris, hoc est cuivis causæ congruens, propositio erit hujusmodi. Non donavit Alexander quum tabulas donaret: neque enim in tabulis esse jus. Eaque propositio multis argumentis defendi potest. A simili: neque enim quisquis hæreditatis habet tabulas, idem hæreditatis habet jus. Et si forte creditor tabulas amiserit, non continuo liberatur debitor. Altera propositio conjecturalis est: Alexandrum non hoc animo donasse Thessalis tabulas, ut honoraret, sed ut deciperet. Eaque variis

1 Lib. v. c. 10. Inst. Orator.

A conjecturis erit probanda. Tertia jam non proprie ad hunc gradum attinet, sed est veluti novæ controversiæ initium. Sumitur autem e propriis materiæ. Estque hujusmodi: ut omnia donemus Thessalis, jus belli valere in judiciis, & apud hos judices, & in publico credito, atque item de cæteris: tamen si quid amisere Thebani ab Alexandro victi, id a Cassandro restituti receperint oportet, maxime cum id velit Cassander.

Item si quis suadeat M. Tullio, [2] ne conditionem ab Antonio oblatam accipiat, nempe ut vivat exustis Philippicis, his ferme propositionibus poterit uti. Non esse cuiquam egregio viro tanti emendam vitam, ut immortalem famam amittat. Huic generali subserviet particularis, e circumstantiis sumpta, præsertim Ciceroni, qui tot laboribus clarissimum, semperque victurum nomen sibi pepererit, ac mortem esse contemnendam tot præclaris voluminibus editis facundissime demonstrarit, maxime cum jam seni non multum ævi superesse videatur. Rursum altera principalis sumetur a circumstantiis. Nihil infelicius esse quam Ciceronem virum optimum debere vitam Antonio omnium pessimo. Tertia conjecturalis erit, callide hoc agere Antonium, ut exustis prius Philippicis in quibus intelligat & suam infamiam sempiternam, & Ciceronis immortalem gloriam esse sitam, deinde erepta vita quoque, totum exstinguat Ciceronem.

Exemplum in genere suasorio.

C Item si cui matrimonium dissuadeas, his licebit uti. Prima fuerit, si pietatem spectes, matrimonium est impedimento properantibus ad Christum. Secunda, si vitæ jucunditatem, innumeras curas secum adducit & felix conjugium. Atque hic protinus aperit se latissimus campus de comparatione commodorum cœlibatus, & incommodorum matrimonii. Tertia, si libertatem, quam multi & vitæ anteponunt, hanc in primis adimit conjugii vinculum. Deinde ad particulares venies, quæ possunt esse innumerabiles: ut, non hæc ducenda est, non hoc tempore. Aut tibi non est ducenda uxor, pauperi, seni, studioso, valetudinario.

Aliud in genere suasorio.

Crescit autem numerus propositionum etiam hoc pacto, quoties a fictione incipimus. Quemadmodum pro Milone Cicero. *Fingite a Milone per insidias occisum Clodium, tamen qui civem tam pestilentem pro salute Reipublicæ periculo capitis sui sustulerit e medio, summis etiam honoribus dignus videatur.* Deinde ad seriam accedit: *sed non occidit.* Crescit item quoties præparandi causa duriorem aliquam propositionem extra rem propositam præmittimus, quo mollior videatur ea, quam conamur evincere. Veluti si quis in consultatione persuadere cupiens, ne Romanus Pontifex Venetos bello adoriatur, juxta proverbium, quo dicitur: Iniquum esse petendum, ut æquum feras, sic rem prius labefactet. Sunt auctores nequaquam contemnendi, qui putent imperium, ac profanam ditionem nequaquam convenire, neque dignitati summi Pontificis, neque tranquillitati ecclesiæ, neque Christianæ pietati, cui uni rebus omnibus neglectis, ille debet consulere. Atque hæc propositio, velut obiter ex abundanti plurimis argumentis probari poterit. Deinde ad alteram descendet ad hunc modum: Hæc quidem atque hujusmodi multa, alius fortasse diceret; verum donemus convenire, tamen longe alienum est a clementia Christi vicem gerentis, qui dixit: *Discite a me, quod mitis sum, & humilis corde:* hujusmodi principatum armis, tumultu, cæde, sanguine vel petere vel repetere. Post ad tertiam veniet, ut maxime fas sit, tamen parum est tutum, propterea quod anceps eventus belli. Unde periculum sit, ne dum temporariis ac fluxis rebus ecclesiæ statum restituere conatur, penitus subvertat. Atque id quoque compluribus exemplis, ac similibus comfirmari potest. Deinde digredietur ad tertiam hoc pacto, ut deceat, ut liceat, ut vincas, tamen tanta malorum colluvies etiam bellum justissimum consequitur, ut non tanti vel profano Principi modo Christiano, debeat esse terras aut urbes aliquot ferro repetere, nedum ei, qui sanctissimi titulum præ se fert. Posset adjici & hæc propositio e circumstantiis personæ. Ut alium Pontificem deceat, [3] Julium tamen non decet. Si is sit Julius, cujus mite ingenium, & singularis vitæ sanctimonia, a bello videatur abhorrere. Quæ posteaquam argumentis probarit, tum ad id de quo pro-

2 Hac de re agit *Seneca* suasoria VI.

3 Hæc ironica sunt, respicit enim *Erasmus* ad Julium II. Pontificem bellicosæ indolis, & qui bellum cum Venetis gessit. Vide *Joan. Palatinum*, in ejus vita.

A proprie consulatur, descendet hac ratione: ut nihil horum nos deterreat, quæ commemoravimus, tamen in præsentia bellum cum Venetis suscipere parum esse consultum videtur. Et hæc a circumstantiis sumitur. Atque hanc propositionem rursum dividet. Primum quod sine summo rei Christianæ discrimine bellum id moveri non possit. Deinde quod sedes Romana, apud quam pie factis semper summa fuerunt præmia, parum meminisse videbitur officiorum, quæ sæpenumero ea gens summo cum vitæ discrimine in Christianam contulerit religionem. Postremo, quod ne causa quidem idonea est, cur etiam adversus nihil promeritos, arma movere oporteat. Nisi quis has non propositiones, sed rationes esse malit. Tametsi nihil vetat, quo minus eadem sententia propositio sit & ratio.

B Item si quis persuadere studeat Regi cuipiam, ne bellum suscipiat cum Christianissimo Gallorum Rege, his propositionibus munire viam ad causam poterit. Primum bello conflictari, non esse hominis, ad benevolentiam nati, sed brutorum animantium, quibus natura arma quædam addidisse videtur. Hæc est generalis. Huic subserviet altera propositio. Imo nec omnium animantium, sed ferarum duntaxat. Rursum huic tertia subserviet. Atque adeo ne feræ quidem hoc pacto inter se dimicant, quo mortales. Neque enim tigridi cum tigride bellum est, neque leoni cum leone. At homo non in aliud animal æque sævit atque in hominem. C Tum feræ non certant, nisi aut tuendi fœtus causa, aut fame in rabiem actæ. Hominem inanis ambitio, ac tituli, nescio qui, leves & affectati, ad tam sanguinolenta bella concitant. Huic jam succedet quarta e circumstantiis, quasi novus gradus. Ut hominum sit bellare, certe barbarorum est, ac feris non admodum dissimilium, non eorum qui legibus vivunt. Adde quintam, ut horum etiam sit, haud quaquam tamen Christianorum. Quandoquidem Christiana religio nihil aliud est quam pax. Licebit adjicere sextam, ut deceat, non expedire tamen bellum suscipere, quod omnibus pensitatis, multo plus malorum est, quæ belli causa suscipiuntur, quam bonorum quæ victor etiam consequatur. Id jam contentione erit explicandum. Septima quoque reperietur: ut expediat, non tamen esse tutum, & ancipitem esse belli exitum. D Neque enim semper vincere, quorum melior est causa, aut qui superant apparatu: ipsas etiam copias in suum ducem nonnunquam arma vertere. Atque hæ quidem propositiones magna ex parte generales sunt. Tum ad particulares venire licebit, quæ sumentur a propioribus circumstantiis; ut omnia mittamus, tibi non est belligerandum, præsertim cum tali. Atque hæc in multas dividi potest, vel quia puer es, & belli imperitus, vel quia novus Rex. Atque item de cæteris. Nam exempla rationum duntaxat ostendo. Rursum, non cum hoc Rege bellandum, tam potente, tam de patre tuo benemerito, tot vinculis tibi adstricto, tam in teipsum etiam officioso: Aut non hoc titulo, non hoc tempore, non his præsidiis.

E Ad eundem modum, si quis suasurus alicui, ne literis Græcis det operam, primum hanc tentabit propositionem: Aut non magnopere ad Christianam felicitatem ullas literas pertinere, aut etiam officere. Eam ubi probabilem effecerit argumentis, tum ad rem veniet hoc pacto: Ut demus esse causam, cur literis cæteris operam demus, certe a Græcis abstinendum; vel quod tantum habeant negocii, ut his discendis vita mortalium alioqui fugax ac brevis, & imbecilla non sufficiat: vel si ætas maxime sufficiat, non tantum adferunt fructus, ut operæ pretium sit eas etiam mediocribus laboribus parare. Postremo Græciæ subversæ & oppressæ fortunam comitari fato quodam eos quoque, qui literis hujusmodi sese dediderint. F Aut si aliis discendæ sunt, illi certe non esse discendas. Quæ jam e circumstantiis sumitur, cujusmodi plures sumi possunt.

In hujusmodi propositionibus illud observandum arbitror, ut quoad fieri potest, ita disponantur, ut a priore ad proximam quamque quasi gradibus commode liceat descendere. Qua quidem in re mirus est Lucianus, ut in tyrannicida, quem nos Latinum fecimus: *Si tantum conatus essem facinus tam egregium, cum tanto capitis discrimine, jam præmio dignus eram.* Deinde hinc digressus: *Atqui non tentavi solum, verumetiam filium repulsis custodiis occidi, num præmium feram?* Hinc rursum discedens: *At patrem quoque sustuli, data mortis occasione.* Item in Abdicato, quem ipsum quoque Latinum fecimus: *Non licet abdicare, quem semel abdicatum, denuo in familiam receperis. Tum si maxime liceat, ob istam tamen causam non licet. Postremo si causa maxime sit idonea, tamen ea est magnitudo superioris beneficii; ut ejus respectu negligenda sint delicta patri.* Quod si turba propositionum nos offendet, tribus aut quatuor universam causam complectemur, ac deinde in tractando unamquamque, si videbitur, in alias propositiones digeremus.

Summas illas nonnunquam in divisione proponimus. Divisionem appello quasi limen argumentationis, qua proponimus in summa, quid, quo ordine simus dicturi; nonnunquam in ipsa causæ tractatione, ab alia ad aliam, veluti gradibus quibusdam descendimus. Aut si natura parum inter se cohærebunt, ipsi commodis transitionibus in hoc repertis apte connectemus. Nam affectanti copiam, in primis illud erit spectandum, ut eas reperiat propositiones, quæ quicquid ad causam pertinet, absolute complectantur. Deinde ut recte dividantur, postremo ut ordine quam maxime ad causam idoneo disponantur. Si quidem eo pacto fiet, ut neque copia rerum confusa sit oratio, dum semper habet auditor certum aliquid, & in quod tendat animum, & quod meminisse possit, & quod exspectet. Tum is qui dicit, nusquam hæreat, dum in promptu est, quo sese recipiat in viam. Sed propositionum inventionem negat, ut dixi, Fabius arte tradi posse, cum ea tamen tum prior sit, tum difficilior. Verum adjuvabit principio quod ubique valet plurimum, natura & ingenium. Deinde juris prudentia, præsertim in genere judiciali. Philosophiæ moralis, historiæ, & plurimorum auctorum cognitio, in genere suasorio ac demonstrativo. Postremo rerum plurimarum usus, exercitatio & imitatio. Nam ex similibus facile similia aut etiam diversa colliguntur. Quanquam ex ipsa rei natura vulgares propositiones reperiri poterunt, propriæ ex circumstantiis rei diligenter expensis. Denique felix ingenium adjuvabunt Rhetorum præcepta de causarum capitibus, quæ Fabius status vocat, Græci στάσεις. Porro genus suasorium proprios habet locos, unde propositiones petere liceat; Rectum, laudabile, utile, tutum, facile, necessarium, jucundum. Demonstrativum item suos habet nempe bonorum ordines, & quæ his comprehenduntur.

UNDECIMA RATIO.

Undecima locupletandi ratio sumitur ex accumulatione copiosa probationum, & argumentorum, quas Græci πίστεις appellant. Nam ad ejusdem propositionis confirmationem variæ rationes adhibentur, & rationes aliis argumentis confirmantur. Probationes autem partim sunt ἔντεχνοι, id est, *artificiales*, partim ἄτεχνοι, id est, *ab arte semota*. Posterioris generis argumenta ducuntur potissimum a præjudiciis, a rumoribus, a tormentis, a tabulis, a jurejurando, a testibus. Prioris generis sumuntur primum ab his signis, quæ finitima sunt ἀτέχνοις. Horum alia sunt necessaria, quæ τεκμήρια vocantur. Alia non necessaria, quæ σημεῖα dicuntur. Deinde ab argumentis, nam hæc a signis distinguit Fabius. Quorum aliud est credibile, aliud veluti propensius, aliud non repugnans. Ea plerumque ducuntur a circumstantiis, quæ quidem duplices sunt, personæ ac rei. Personæ ferme sunt hujusmodi: Genus, natio, patria, sexus, ætas, educatio, habitus corporis, fortuna: Conditio, animi natura, studia, affectatio, antefacta, antedicta, commotio, consilium, nomen. Rei sunt hæc: Causa, locus, tempus, occasio, antecedentia rem, adjuncta, consequentia, facultas, instrumentum, modus.

LOCI COMMUNES.

Sunt item loci generibus atque etiam partibus causarum omnibus communes. Nam superiores, etiam si tractantur interim & alibi, tamen ad judiciales controversias, & in his quidem, conjecturales, sunt accommodatiores. Ducuntur autem generaliter argumenta a finitione, seu fine, descriptione, etymologia, quæ finitionis ceu species quædam est. Ab his quæ ad naturam definitionis pertinent. Genere, specie, proprio, differentibus, partitione, divisione. Cujus variæ sunt formæ. Ab exordio, summa, incremento. Ab inductione similium, dissimilium. A contrariis, repugnantibus, consequentibus. A relativis. A causis. Ab eventis. A comparatione, quæ trifariam sumitur, A majore, A minore, A pari, A jugatis. Et si qui sunt alii. Nam neque de ordine, neque de numero, neque de vocabulis satis convenit inter

A inter scriptores. Scripserunt autem de his copiosissime Aristoteles ac Boetius, satis accurate M. Tullius, sed subobscure, brevissime Quintilianus. Oportebit autem eum qui semet exercet ad eloquentiam, singulos excutere locos, ac velut ostiatim pulsare, si quid possit elici: usus efficiet ut deinceps sponte occurrant. Item ab ea quæ rursum pluribus locis est communis fictione. A causæ propriis. Plurimum autem valet ad probationem, atque adeo ad copiam, exemplorum vis, quæ Græci παραδείγματα vocant, & adhibentur aut ut similia, aut dissimilia, aut contraria. Rursum aut ut majora, aut ut minora, aut ut paria. Dissimilitudo & inæqualitas constat genere, modo, tempore, loco, cæterisque ferme circumstantiis, quas supra recensuimus. Hoc autem genus complectitur & fabulam, & apologum, proverbium, B judicia, parabolam, seu collationem, imaginem, & analogiam. Præterea si qua sunt similia. Atque horum quidem pleraque solent adhiberi non solum ad fidem faciendam, verumetiam ad ornandam rem, ad illustrandam, ad augendam, ad locupletandam. Ergo si quis ex locis dictis magnam vim supellectilis colligere volet, quantum libet copiosam orationem poterit efficere: neque tamen erit inanis verborum congeries, & varietas excludet satietatem. Sed quemadmodum sint vel invenienda, vel adhibenda, id non est hujus instituti persequi. Verum si quis desiderabit, ex Aristotele, Hermogene, Quintiliano petat licebit, qui diligentissime hisce de rebus conscripsere. Nos ea quæ pertinent ad copiam persequemur, sed paucis, ne librum, non [1] C commentarium scribere videamur.

Ergo ad parandam copiam, exempla primas tenent, sive deliberes, sive exhorteris, sive consoleris, sive laudes, sive vituperes. Et ut summatim dicam, sive fidem facere studeas, sive movere, sive delectare. Horum igitur ut vim quam maximam, maximeque variam comparare, & in promptu habere conveniet, ita varie tractare oportebit. Varietas exemplorum ab ipso genere nonnunquam perpenditur. Sunt enim & antefacta & antedicta. Et publicæ gentium consuetudines in exemplis sumuntur, & a discriminibus auctorum, puta ab Historicis, a Poetis. Et ex his a Comicis, Tragicis, Epigrammaticis, Heroicis, Bucolicis. A Philosophis, & horum variæ sunt sectæ. A Theologis, a D sacris voluminibus. A diversitate nationum: quod genus sunt: alia Romanorum exempla & instituta, alia Græcorum: & inter Græcos, alia Lacedæmoniorum, alia Cretensium, alia Atheniensium. Item alia Afrorum, Hebræorum, Hispanorum, Gallorum, Anglorum, Germanorum. Rursum a temporis varietate. Nam alia sunt prisca, alia mediæ antiquitatis, alia recentia, nonnulla etiam domestica. Præterea a qualitate rerum. Nam quædam sunt militaria, quædam civilia. Et quædam clementer facta, quædam fortiter, quædam sapienter. Atque item de cæteris, nam id quidem est infinitum. Postremo e conditione personarum: Alia sunt principum, judicum, parentum, E servorum, pauperum, divitum, mulierum, virginum, puerorum. Hæc igitur ad unumquemque locum plurima, variaque sunt adhibenda, non solum ex omni Græcorum ac Latinorum scriptorum genere collecta, verumetiam ex barbaris annalibus. Demum e vulgi rumoribus. Monent autem potissimum animos antiqua, illustria, nostratia, domestica, id est, suam quæque gentem, suum quæque genus. Aut longe minora, ut mulieris, pueri, servi, barbari.

QUOMODO TRACTANDA SINT EXEMPLA.

Porro non variantur modo, verumetiam augentur & crescunt tractatione. Cujus rationes aliquot indicabimus. Primum augentur commendatione. Ea plerumque sumitur vel a rei, vel ab auctoris laude, vel gentis, unde ducitur exemplum. F Veluti si quis Lacedæmonicum factum, aut dictum adhibeat, præfari poterit: Eam gentem sapientia, & rei militaris ac civilis disciplina cæteris longe antecelluisse, & exemplis pulcherrimis semper abundasse. Si quis e Plutarcho citabit exemplum, præfetur licebit eum auctorem unum omnium esse gravissimum, quippe qui summam Philosophiæ scientiam cum Historicorum eloquentia conjunxerit, ut in eo non solum historiæ fidem, verum etiam auctoritatem, & judicium sanctissimi doctissimique Philosophi spectare oporteat. Item si quis M. Attilii Reguli ad hostem redeuntis exemplum velit adducere; poterit ad hunc præloqui modum: Inter tam multa Romanæ virtutis insignia decora, nullum unquam facinus pulchrius exstitit, aut etiam laudatius quam M. Attilii. Hujusmodi commendatiunculas licebit affingere, vel longiores, vel breviores, utcunque locus postulabit. Affingendæ sunt autem, quæ maxime sint ad id quod agitur, appositæ. Veluti si in exemplo desiderabitur fides, auctor a gravitate, fideque commendetur. Si pium videri voles quod adfers, sumatur a pietate commendatio. Atque item de cæteris.

SECUNDUS MODUS LOCUPLETANDI EXEMPLA.

Locupletantur item exempla, si fusius aut latius explicentur cum exaggerationibus atque amplificationibus. Nam qui brevitati studebit huic satis erit exemplum ceu notum, verbo significasse. Id quod facit M. Tullius pro Milone: *Neque enim possit ille Hala Servilius, aut P. Nasica, aut L. Opimius, aut me consule senatus non nefarius haberi, si sceleratos interfici nefas esset.* At qui copiam affectabit, is, id quod gestum sit, locupletius narrabit. Ita ut fecit in eadem oratione Cicero. Pudicitiam cum eriperet militi tribunus militaris in exercitu C. Marii, propinquus ejus Imperatoris, ab eo interfectus est, cui vim adferebat. Et addidit epiphonema: *facere enim probus adolescens periculose quam turpiter perpeti maluit.* [2] Atque hunc ille summus vir scelere solutum periculo liberavit. Quanquam in his quæ ad ostentationem parata sunt, licebit diutius exemplis locupletandis immorari, præcipue si res sit hujusmodi, ut aliqua voluptatis illecebra retineat auditorem. Quod genus fuerit, si quis persuadere studeat ad prudentiam comparandam multum conducere peregrinationes, multarum rerum inspectionem, in Solonis laude aliquamdiu commoratus, & quam civitatem reliquerit, & quam ob causam, & quæ maria transmiserit, & quas barbaras nationes, quo capitis periculo adierit, & quibus cum sit congressus, & quid mirandum conspexerit, & quantum temporis abfuerit, & quanto illustrior simul ac sapientior in patriam redierit, fusius poterit enarrare. Cujusmodi ferme sunt exempla de Pythagoræ, atque Apollonii peregrinatione, apud divum Hieronymum in præfatione, quam universæ scripturæ divinæ præponunt. Sed hujusmodi rationis commodissimum exemplum est apud M. Tullium statim in principio secundi, de inventione libri, de Zeuxide, qui Helenam picturus, virgines aliquot eximiæ formæ poposcit, ut ex singulis quod esset optimum eligens, absolutum formæ simulacrum ederet.

DE EXEMPLO FABULOSO.

Atque eadem dilatandi contrahendique ratio locum habet in fabulosis quoque exemplis. Nam & fusius & contractius exponi poterunt, si res ac decorum patietur. Verum in his quæ omnino fide carent, nisi jocabimur, præfari conveniet a viris priscis ac sapientissimis, ista non sine causa fuisse conficta, neque temere tot jam seculis magno mortalium consensu fuisse celebrata: deinde quid sibi voluerint, interpretabimur. Veluti si quis persuadere velit, non esse sectandum id, a quo natura quis abhorreat, dicet hoc veteres illos, ac sapientes scriptores, & perspexisse prudenter, & aptissimo figmento significasse, prodita gigantum fabula, quorum temerarii conatus infeliciter cesserint. Aut si quis proponat hominem avarum, tam non habere quod habet, quam id quod non habet, præfatus, adhibebit Tantali fabulam. Si proponat viri sapientis esse munus, ut animi motus ratione judicioque coerceat, allegabit, quod est apud Homerum primo libro Iliad. de Achille, jam manum admovente capulo, & Pallade a tergo revocante. Item si quis proponat, veram virtutis laudem non parari, nisi qui sit multis jactatus casibus, variisque exercitus periculis, cum hujusmodi quam diximus præfatione, Ulyssem adducet Homericum. Quanquam autem non ubique perinde obvia est allegoriæ ratio, tamen illud extra controversiam est apud antiquitatis peritos, in omnibus veterum Poetarum figmentis subesse allegoriam: vel historicam, velut in pugna Herculis cum Acheloo bicorni: vel Theologicam, ut in Pro-

1 *Commentarius* est quidem adjectivum post quod subauditur liber, ut post *Commentarium* volumen. Sed *librum* hic vocat *Erasmus* opus accuratum, in quo late de omnibus Artis partibus agatur; quod nescio an sit usitatum apud bonos Scriptores. At certum est *Commentarium* dici, quod scribitur memoriæ tantum causa, & in quo summa dumtaxat rerum capita breviter adnotantur. Vide *Robertum Stephanum* in Thesauro.

2 Vide *Quintiliani* Declamationem III. cui titulus est, *Miles Marianus*.

Proteo se vertente in omnes formas, aut Pallade e Jovis cerebro nata: vel physicam, ut in fabula Phaethontis: vel moralem, velut in his quos Circe poculo & virga sua verterat in bruta animalia: nonnunquam unum atque alterum allegoriæ genus permixtum. In quibusdam haud magni negocii est allegoriæ sensum deprehendere. Quis enim non intelligit, nam de his quæ ad mores attinent, magis libet exempla ponere, Icari in mare delapsi figmentum admonere, ne quis altius efferatur, quam pro sorte sua? Sic nimirum fabula Phaethontis monet, ne quis munus administrandum suscipiat majus quam pro viribus. Sic Salmoneus in tartara datus præceps, docet non esse æmulandum quod longe supra fortunam nostram habeatur. Sic Marsias excoriatus docet non esse certandum cum potentioribus. Quid autem aliud sibi vult Danaes auro deceptæ fabula? nisi quod & Flaccus interpretatur, nihil tam esse munitum quod non expugnetur pecunia, nihil tam incorruptum, quod non muneribus vitietur. Quid Herculis labores, nisi sudoribus ac juvandis aliis famam immortalem parari? Quid Midæ votum, nisi avaros & insatiabiles suis ipsorum opibus præfocari? Quid judicium, nisi dotibus ingenii cum pecuniæ studio nequaquam convenire? Quid Bacchus a fulmine flagrans, in Nympharum aquas injectus, nisi vini ardorem, sobrio elemento restinguendum esse? Quod Græco etiam epigrammate testatum est. Quid innuit Circes fabula, veneficiis homines vertentis in feras? nisi eos qui nequaquam ratione ducuntur, id quod hominis est proprium, sed totos sese dediderunt turpibus affectibus, jam præter hominis vocabulum nihil hominis habere, sed ad pecudum degenerasse naturam, puta libidine in ursos, somnolentia ignaviaque in sues, ferocia in leones, atque item de consimilibus. Quid Ulysses, qui solus poculo epoto, virgaque monstrifica percussus, non est mutatus, nisi firmum illum & constantem sapientis habitum, qui nec frangi terroribus, nec ullis affectuum illectamentis ab honesto potest abduci? Quid Lotus semel gustata, jam non sinens abire socios, nisi dulce blandumque turpium voluptatum venenum, a quo non admodum difficile sit abstinere, relinquere, posteaquam gustaris, difficillimum? Quid Sirenum cantus, nisi assentationem, ut rem omnium blandissimam, ita & pestilentissimam? Quid Scylla & Charybdis angusto inter sese discrimine distantes, nisi virtutis viam angustam esse, hinc atque hinc finitimis instantibus vitiis, puta inter luxum & sordes frugalitatem? Inter quæ sic est moderanda vitæ ratio, ut quoniam medium in omnibus exacte tenere difficillimum est, eo potius vergas, ubi minus sit periculi, quemadmodum fecit Ulysses. Quid moly radice nigra, sed flore lacteo herba, mortalibus inventu difficillima, nisi sapientiam, ad quam primus arduus aditus est ac sudoris plenus, fructus suavissimi? Quid item ramus ille aureus apud Maronem, nisi sapientiam in abdito sepositam, paucis deprehensam? Sed ne longiores simus, hujus generis interpretationum quantamlibet vim suppeditabit Eustathius enarrator Homeri. Nos quondam adolescentes hisce de rebus nonnihil attigimus in libris quos inscripsimus ἀντιβαρβάρους.

Porro in hoc genere molliora sunt ea, quæ a Poetis in hoc ipsum ficta constat. Velut quæ ad imitationem humanæ vitæ diis affingunt. Quod genus, cum Martem a Vulcano vinculis irretitum facit Homerus. Cum Jupiter ἀγκυλομήτης emisso somnio, spem injicit capiendæ Trojæ, cum longe aliud ageret. Nam hæc Regum ars est, quosdam rumores data opera in vulgus spargere, cum multo aliud apud se destinarint. Atque his etiam molliora, quæ sic a Poetis celebrata sunt, ut ad historiam, non ad fabulas possint referri. Qualis est Orestes parricida, cumque hoc Pyladis amicitia. Sunt enim qui rem gestam affirment. Qualis Alcestis mariti mortem sua redimens, cujus etiam meminit Valerius Maximus. Item Codri ac Menœcei mors, Q. Curtii, Deciorumque factis annumeratur. Et inter amicorum paria Theseus & Pirithous, Castor & Pollux referuntur. Qualis item Arion a Delphino revectus in patriam. Nam divus Augustinus historiam autumat. Certe apud Virgilium, ac præcipue Lucanum, non dubium quin pleraque ad historiam pertineant. Quanquam & [1] Herodoti pleraque fide carent.

[1] Fidem merito deroges fabulæ de Arione, quam modo memorabat noster, & quam *Herodotus* Lib. 1. narravit, aliisque hujusmodi figmentis; at pleraque omnia, quæ habet *Herodotus*, tam vera videntur, quam cæteræ Historiæ. Vide Apologias virorum doctorum pro *Herodoto*.

A Et Xenophon Cyropædiam magis ad exemplum instituendæ vitæ, quam ad fidem historiæ scripsit. Quæ si pro veris accipiantur, fide valent. Sin pro fictis, cum sint a sapientissimis ac probatissimis auctoribus prodita, hoc ipso valent, quod ab iis conficta sint, quorum auctoritas præcepti vigorem obtinet. Contra sunt apud Poetas exempla certæ atque historicæ fidei, de Scipione, de Annibale, de Augusto, de Pompejo, de Julio. Sunt rursus alia, quæ nullus inficias eat esse conficta. Sed quoniam constat in hunc ipsum usum esse conficta, & a magnis conficta auctoribus, nimirum exempli pondus habent. Quo de genere sunt invidia Dea, fama, Ate, Litæ, de quibus supra mentio facta est. Præterea personæ quæ in Dramaticis, aut mixtis poematis inducuntur, B præsertim Comœdiis cum quibus dialogi multum habent affinitatis. Etenim si quis suadeat cavendum esse parentibus, ne si quid peccent, testibus liberis peccent, nonne exempli vim habebit Clitipho in sene seipsum excruciante, loquens ad hunc modum: *Perii, is mihi ubi adbibit plus paulo, sua quæ narrat facinora.* Nunc ait, *periculum ex aliis facito, tibi quod ex usu siet.* astutus. *Næ ille haud scit quam mihi nunc surdo narret fabulam.* Aut si quis suadeat juxta sapientis responsum, æqualem esse ducendam uxorem, alioqui non uxorem duci, sed heram, si pauper divitem adjunxeris, nonne exempli instar habebitur Chremes in Phormione Nausistratam perinde ut dominam timens? Item si quis suadeat neque firmam satis, neque tutam pauperi cum opulentis esse C amicitiam, nonne pro exemplo valebit Euclio in Aulularia Plautina, loquens ad hunc modum, pauper Megadori divitis deprecans affinitatem: *Venit hoc mihi in mentem*, &c. nam locus notissimus est. Rursum ubi differas, improbe facere parentes, qui sæviunt in liberos delinquentes, cum ipsi senes peccent graviora, nonne recte citabitur modo dicta Nausistrata, loquens hoc pacto: *Adeo indignum tibi videtur, filius homo adolescens si habet unam amicam, tu uxores duas? Nihil pudet? Quo ore illum objurgabis? Responde mihi.* Sed næ ego ineptus unum aut alterum exemplum profero, cum tota Comœdia nihil aliud sit, quam humanæ vitæ simulacrum. Poteram item e Tragœdiis, Eclogis, Dialogis similes formas proferre. Sed in commentario abunde satis arbitror viam D ingeniosis indicasse. Equidem existimo exempla non solum de his quæ diximus, verumetiam a mutis animantibus, atque etiam inanimis recte sumi. Quanquam videntur ad ὁμοίωσιν magis pertinere, veluti si quis proposita descriptaque formicarum industria, ad rem labore parandam adhortetur. Aut si quis exposita apum politia, homines ad legum ac disciplinæ civilis observationem exstimulet. Aut si qui ab impietate in parentes revocet, proferat ciconiæ pullos, qui parentes ætate defectos vicissim alere ac gestare dicuntur. Aut si adhortans ad pietatem erga liberos, adducat asinam per medios ignes succurrentem pullis suis. Aut si quis detestetur ingratitudinem, adducto exemplo leonis, cujus ex Apione meminit Gellius, & draconis, qui nutricium a latronibus E obsessum eripuit, auctore Plinio. Aut si reprehendens hominem ab amicitia alienum, qui nec amet ullum, nec a quoquam ametur, Delphini proferas exemplum, puerum adamantis, aut Aquilæ virginis amore flagrantis, aut Magnetis ferrum ad se trahentis. Sed hisce de rebus plura fortassis, ubi de parabola disputabimus. Nunc ad institutum.

TERTIUS MODUS LOCUPLETANDI EXEMPLA.

Dilatantur exempla utriusque generis, hoc est, tam fabulosa, quam historica, præter jam dictos modos etiam parabola, quam eandem ὁμοίωσιν vocant: Cicero *collationem* vertit. Tum comparatione, sive contentione. Parabola est, cum accommoda similitudo, quod adductum est exemplum F ostendit aut simile esse, aut dissimile, aut contrarium. Simile, ut: Non aliter quam Camillus rem Romanam a Gallis oppressam, & in extremam perniciem adductam, sua virtute depulsis barbaris restituit; Ita Laurentius [2] Latinas literas inscitia fere barbarorum depravatas, obrutas, extinctas, in pristinum nitorem velut ab inferis revocavit. Dissimile, ut non par gratia debetur Laurentio & Camillo, propterea quod hic pietate adductus capitis sui periculo patriam a barbaris liberavit. Ille famæ cupiditate commotus, vel potius quam plurimos taxandi libidine, linguam Latinam non oppressam restituit, sed ad certas quasi leges rede-

[2] *Laurentius*, nempe *Valla*, quem defendit *Erasmus* integra Epistola data Basileæ anno 1490.

redegit, quæ felicius ex eloquentium auctorum lectione discebatur. Contrarium. Marcellus ornamenta Syracusanis hostibus restituit. Verres eadem sociis abstulit. Pugnant enim restituere, cum auferendo, hostes cum sociis. Item Brutus occidit liberos, proditionem molientes; Manlius virtutem filii morte mulctavit. Et apud Virgilium. *At non ille, satum quo te mentiris, Achilles, Talis in hoste fuit.* Porro comparatio demonstrat id quod adductum sit, aut par esse aut minus aut majus. Minus, ut si propter matrimonia violata urbes eversæ sunt, quid fieri adultero par est? Item: [1] *Majores nostri sæpe pro mercatoribus ac naviculatoribus injuriosius tractatis, bella gesserunt: vos tot civium Romanorum millibus uno nuncio, atque uno tempore necatis, quo tandem animo esse debetis? Legati quod erant appellati superbius, Corinthum patres vestri totius Græciæ lumen exstinctam esse voluerunt: vos eum regem tutum esse patiemini, qui legatum populi Romani consularem, vinculis ac verberibus, atque omni supplicio excruciatum necavit?* Par, ut apud eundem Ciceronem: *Etenim mihi ipsi accidit, ut cum duobus patriciis, altero improbissimo, altero modestissimo atque optimo viro peterem. Superavi tamen dignitate Catilinam, gratia Galbam.* Majus, ut pro Milone: *Negant intueri lucem esse fas ei, qui a se hominem occisum esse fateatur. In qua urbe tandem hoc homines stultissimi disputant? Nempe ea, quæ primum judicium vidit de capite M. Horatii fortissimi viri, qui nondum libera civitate, tamen populi Romani comitiis liberatus est, cum sua manu sororem interfectam esse fateretur.* Ergo in eo quod proprie vocatur exemplum (est autem rei gestæ, aut perinde ut gestæ, utilis ad persuadendum commemoratio) aut brevissime significatur: Quod genus est illud divi Hieronymi: *Memento Daretis & Entelli;* Aut latius per collationem accommodatur per simile, dissimile, contrarium, par, majus & minus. Atque ea collatio sumitur ab omnibus rerum ac personarum circumstantiis. Adjuvatur autem & orationis artificio, cum verbis ac figuris ad id accommodis, alia consulto elevantur, alia attolluntur. Porro qui copiosissime volet exemplum tractare, is singulas similitudinis aut dissimilitudinis partes explicabit, atque inter sese comparabit. Quemadmodum facit M. Tullius in exemplo, quod superius retulimus, de legato occiso. Subjicit enim partium collationem. *Illi libertatem civium Romanorum imminutam non tulerunt, vos vitam ereptam negligetis? Jus legationis verbo violatum, illi persecuti sunt: vos legatum omni supplicio interfectum relinquetis? Videte, ne ut illis pulcherrimum fuit, tantam vobis imperii gloriam relinquere: sic vobis turpissimum sit, id quod accepistis, tueri & conservare non posse.* Quod tamen quantumlibet copiose licebit facere, si quis plures circumstantias inter se componat. Veluti si quis hortetur aliquem, ut filii mortem moderate ferat, & ex ethnicorum exemplis mulierem aliquam objiciat, quæ plurium liberorum mortem fortiter tulerit, post enarratam rem ita comparabit: Quod mulier imbecilla potuit, tu vir barbatus non feres? Illa cum sexu vicit & affectum matris, tu ab altero superaberis? Illa complurium liberorum jacturam animo infracto pertulit, tu unum exstinctum inconsolabiliter defles? Adde quod illius filii simul omnes naufragio perierunt, morte videlicet ingloria, tuus in bello fortiter pugnans occubuit. Illa non habebat cui filios honeste imputaret, tu filium impendisti patriæ. Illi vere totique perierunt, tuus immortali gloria semper victurus est. Illa naturæ gratias agebat, quod aliquando tot liberorum mater fuisset, tu tantum meministi te optimum perdidisse filium. Illa non habebat sarciendæ orbitatis spem, quippe major quam ut uterum jam ferre posset, tibi & uxor fœcunda, & ætas etiam num integra valensque. Ergo quod barbara muliercula præstitit, tu vir Romanus non præstabis? Quod contemnere potuit literarum imperita, hoc te tot præditum literis, tantum philosophiæ professorem frangit? Denique quam animi fortitudinem præstitit pagana, hanc homo Christianus non exhibebis? Illa credens post rogum nihil superesse, tamen luctum indecorum existimavit: ut doctus eos demum vere vivere, qui cum laude excesserint ex hac vita, sine fine clamas tibi periisse filium. Et quod illa æquo animo reddidit naturæ, tu Deo repetenti non reddis? Illa fortiter paruit necessitati, tu Deo repugnas? Ex hac forma satis opinor apparet, quibus modis oporteat exempla conferre, quanquam in veris caussis, quoniam major est circumstantiarum copia, facilius est invenire varias contentiones.

1 Ex Oratione pro Lege Manilia.

A Illud obiter admonendum, in hujusmodi contentionibus sententias & epiphonemata non inconcinne posse admisceri. Velut in hoc eodem exemplo, post primam collationem: *Quod mulier imbecilla potuit, tu vir barbatus non poteris?* subjici poterant sententiæ. Natura discrevit sexum, tu non discernis animum. A muliere nemo fortitudinis laudem exspectat. Vir nisi forti sit animo, nec viri nomine censetur. Vir utrumque significat, & sexum robustiorem, & animum infractum. Turpiter barbam gestat, qui pectoris robore superatur a fœmina. Item post illam contentionem: *Illa non habebat cui filium imputaret honeste, tu filium impendisti patriæ.* Poterant affingi sententiæ ferme hujusmodi: Magnum doloris solatium est, habere cui honeste possis imputare fortunam. B Ut nulli justius, ita nec gloriosius impenditur filius, quam patriæ. Rursum post illam: *Illi vere totique perierant, tuus immortali gloria semper victurus est.* Adjici poterant hujusmodi. Longe felicius honesta fama, quam hoc communi spiritu vivitur. Corporis vita & calamitosa est, & omnino ut nihil accidat, brevis, denique cum pecudibus communis. Illa clara sempiternaque, homines in divorum consortium referens. Ad eundem modum singulis collationum partibus sententiæ subjici poterant. Sed hæc obiter indicasse sat fuerit. Nam de sententiis suo loco dicemus.

DE PARABOLA.

Jam vero si quis superstitiosius parabolam ab exemplo separet, ut exemplum sit certæ rei gestæ, Parabola, similitudo C sumpta ab his quæ fiunt, aut quæ natura, casuve rebus adjuncta sunt: ut Attilius ad hostes reversus, exemplum sit servandæ religionis ac fidei: at navis pro ventorum ratione velum tollens, aut contrahens, in hoc aut illud latus transferens, parabola sit, quæ doceat sapientem tempori cedere oportere, ac rebus præsentibus sese accommodare: tamen eadem est dilatandæ parabolæ ratio, quam in exemplo demonstravimus. Nam aliquando verbo notatur. Ut, non intelligis tibi vertenda vela. Aut, desine lavare laterem. Ut jam vel allegoria sit, vel metaphora. Aliquando latius explicatur, & apertius accommodatur. Quod facit Cicero pro Murena: *Quod si e portu solventibus, qui jam in portum ex alto invehuntur, prædicere summo studio solent tempe-* D *statum rationem, & prædonum & locorum: quod natura fert, ut his faveamus, qui eadem pericula, quibus nos perfuncti sumus, ingrediantur: quo me tandem animo esse oportet, prope jam ex magna jactatione terram videntem, in hunc cui video maximas tempestates esse subeundas?* Rursum in eadem oratione: *ut ajunt, in Græcis artificibus, eos aulœdos esse, qui citharœdi fieri non potuerint: sic nonnullos videmus, qui oratores evadere non potuerunt, eos ad juris studium devenire.* Superiorem Ciceronis parabolam sic imitatus divus Hieronymus in epistola quadam ad Heliodorum. *Et ego non integris rate vel mercibus, nec quasi ignarus fluctuum & indoctus nauta præmoneo: sed quasi nuper naufragio ejectus in littus timida navigaturis voce denuncio: In illo æstu Charybdis luxuria salutem vorat. Ibi ore virgi-* E *neo ad pudicitiæ perpetranda naufragia Scyllæum renidens libido blanditur: Hic barbarum littus. Hic Diabolus pirata cum sociis portat vincula capiendis. Nolite credere, nolite esse securi: licet in modum stagni fusum æquor arrideat, licet vix summa jacentis elementi spiritu terga crispentur, magnos hic campus montes habet. Intus est periculum, intus est hostis. Expedite rudentes, vela suspendite. Crux antennæ figatur in frontibus. Tranquillitas illa tempestas est.* Hic si quis singula pericula, quæ a vitiis aut improbis, aut aliunde bonis moribus imminent, velit conferre cum singulis, quæ nautis vitæ discrimen adducere solent: deinde per comparationem majus aut minus, item dissimile aut contrarium ostendere: postremo sententiis & epiphonematis, ut inciderint exornare: nimirum copiosissime F dilatabit orationem. Velut in hoc exemplo: Ut, quo pretiosior est res, hoc & diligentius solet asservari, & impendi circumspectius; Ita temporis, quo nihil est pretiosius, summa habenda est ratio, ne quid effluat sine fructu. Etenim si curatores dari solent his, qui gemmas & aurum temere profundunt: quæ tandem erit insania, tempus pulcherrimum immortalis Dei munus aut ocio, aut inhonestis studiis turpiter consumere? Quid enim perdis, cum tempus perdis, nisi vitam? At vita quid esse potest carius? Et cum una gemmula periit, jacturam vocas. Cum totus periit dies, hoc est, bona vitæ portio, jacturam non vocas? Præsertim cum illa perdita, aliunde possint recuperari, temporis irrepara-

parabilis ſit jactura. Præterea illa cum tibi pereunt, aliis plerumque lucro ſunt. At temporis diſpendium in nullius tranſit compendium. Nullum eſt damnum, ex quo non aliquis emolumentum aliquod ſentiat, præter damnum temporis. Adde his, quod illarum opum jactura ſæpe ſaluti fuit. Nam divitiæ plerumque vitiorum materiam miniſtrant, ita ut præſtet temere profudiſſe, quam attente adſervaſſe. Quanto cujuſque rei uſus honeſtior; tanto turpior profuſio. At nihil pulchrius, nihil præclarius, quam bonas horas bene collocare. Illa ut quam maxime ſerves, ſæpenumero tamen vel caſus eripit, vel homo tollit, ut jactura te calamitoſum duntaxat, non etiam turpem reddat. At temporis amiſſio, quoniam non niſi noſtro vitio contingit, non miſeros ſolum, verum & infames reddit. Peſſimum infamiæ genus quoties culpa in nullum conferri poteſt, præterquam in eum qui patitur malum. Illis fundos aut ædes mercari poteras, bonam mentem non poteras. Hoc præter alia animi ornamenta, parare poteras immortalitatem. Nulla eſt tam brevis vitæ portio, in qua non magnus aliquis ad felicitatem gradus fieri poterat. Poſtremo de illis male inſumptis, patri fortaſſis rationem redditurus eras: de horis male tranſactis, Deo. Sed ſatis eſt indicaſſe, in quantam amplitudinem dilatari poſſit collatio, ſi quis ad eum modum ſingulas circumſtantias velit componere atque ornare.

De diſſimili eadem eſt tractandi ratio, cujus hoc ſit exemplum. Neque enim ut navis utilior nova, quam vetus, ſic & amicitia. Nec ut laudanda, quæ pecuniam pluribus largitur, ita & quæ formam. Neque enim ut in curſu melior eſt, qui lampadem accipit, quam is qui tradit, ita in bello melior eſt Imperator qui exercitum accipit, quam qui tradit. Porro quemadmodum ab omni genere rerum collationes duci poſſint, ſuperiore commentario demonſtratum eſt.

De Imagine.

Εἰκὼν, quam Latini vocant imaginem, collationi videtur affinis, quam ſi explices, fit collatio. Velut ſi dicas, ut aſinus fuſte non depellitur a pabulo, niſi ſatur: ita bellator non conquieſcit a cæde, donec expleverit animum ſuum: Collatio eſt. Sin dixeris aliquem more draconis aut leonis in hoſtes inſiliſſe, εἰκὼν eſt; Aut Achillem ignis aut ſolis inſtar armis relucentem veniſſe in prælium, imago eſt potius quam ſimilitudo. In utroque ut creberrimus ita feliciſſimus eſt Homerus. Tametſi εἰκὼν magis ad evidentiam, aut gravitatem, aut jucunditatem orationis facit, quam ad probationem. Cæterum quanquam exemplorum & ſimilium uſus ad eadem iſta confert, tamen ad faciendam fidem non vulgariter adjuvant, præſertim cum per inductionem, quam Græci vocant ἐπαγωγὴν adhibentur. Quo in genere plurimus eſt Socrates Platonicus. Exemplum per inductionem adhibebitur hoc modo: Dic mihi quem tandem fructum attulit Demoſtheni inſignis eloquentia? Nempe præter alia incommoda, infeliciſſimum & miſerandum exitum. Quid autem præmii Tiberio & C. Gracchis attulit? Nimirum cædem & miſeram, nec ſatis honeſtam. Quid porro illi tantopere laudato Antonio? Certe & hic latronum ſicis crudeliſſime confoſſus eſt. Age Ciceroni eloquentiæ parenti, quam mercedem attulit? Nonne mortem & acerbam, & miſerandam? I nunc & tot vigiliis ad ſummam eloquentiæ laudem enitere, quæ præſtantiſſimis quibuſque viris ſemper exitio fuit. Simile adhibetur per inductionem hoc modo. De navigando num melius diſputabit nauta, quam medicus, an non medicus rectius de medendi ratione diſſeret, quam pictor? Num pictor de colorum & umbrarum, ac linearum ratione melius dicet, quam ſutor? Num auriga de ratione moderandi currum melius, quam nauta? Ea ſi plurima conferantur, faciunt ut omnino probabile videatur, unumquemque melius de ea re dicturum eſſe quam melius norit. Deinde ad rem accommodatur ſimilitudo. At quid Orator, qui de omni re profitetur ſe optime dicturum? Notum eſt exemplum [1] de Aſpaſia, & Æſchine.

De Contentione Demonstrativa.

Eſt & generalis quædam contentio, præſertim in genere demonſtrativo, quoties laudandi, vituperandive gratia perſonam cum perſona conferimus. Veluti ſi quis Julium Pontificem Romanum laudaturus, eum cum C. Julio Cæſare

A componat, atque illius benefacta cum hujus comparet. Aut contra vituperaturus malefacta cum malefactis conferat. Item, ſi quis Maximilianum laudaturus, eum componat cum M. Antonino Imperatore. Eſt & rerum comparatio, quod genus eſt, ſi quis hiſtoriam laudans, ejus utilitates comparet cum eorum benefactis qui re bellica Rempublicam auxerunt. Aut Poeticam laudare cupiens, hujus commoda cum Philoſophiæ commodis committat atque expendat. Eſt & unius ad multa comparatio. Ut ſi quis hiſtoriæ laudes exaggerare cupiens, eam cum laudatiſſimis quibuſque diſciplinis comparet. Atque in his duplex ratio. Aut enim alterius partis bona elevas, alterius amplificas. Aut alterius partis ſic exaggeras laudes, ut præferas tamen, aut certe æques,
B quod laudandum ſuſceperis. In vituperando attollis vitia, ſed ſic ut ſceleſtiorem tamen, aut æque ſceleſtum oſtendas quem inſectaris. In his illud obſervandum, ut quæ adhibentur ad comparationem, ſint tum confeſſa, tum inſignia. Ut, ſi bonum Principem conferas cum Trajano aut Antonino Philoſopho; Contra malum cum Nerone aut Caligula. Rurſus ſi hominem maledicum conferas cum Zoilo & Hyperbolo, aut hominem obtrectatorem cum Dipſade aut Regulo, hominem voluptatibus effœminatum cum Sardanapalo. Creſcet autem comparationis copia, ſi, quemadmodum modo attigi, ad unius hominis aut rei laudem ſeu vituperationem, perſonæ complures, aut res adhibeantur. Veluti ſi quis Principem laudaturus e multis excerpat, quod in quoque maxime excelluit, e Julio Cæſare felicitatem
C animique præſentiam, ex Alexandro magnanimitatem, ex Auguſto urbanitatem, ex Tito [2] Seniore civilitatem, ex Trajano ſanctimoniam & clementiam, ex Antonino gloriæ contemptum, atque item de cæteris. Similiter & in vituperando. Præterea ſi iracundiam deteſtans conferas eam cum enormi temulentia, cum phreneſi, cum morbo comitiali, aut dæmoniaco. Aut ſi linguæ virulentiam damnans, componas eam cum halitu hominis peſtilentia laborantis, cum afflatu ſerpentum, quibus eſt venenum præſentiſſimum, cum exhalatione quorundam lacuum aut ſpecuum ſubitam mortem adferente.

De Judiciis.

Ad exemplorum genus, ut diximus, referuntur & judicia, quæ Græci κρίσεις appellant. Eæ ſunt ſententiæ ſcripto-
D rum illuſtrium, gentium, virorum ſapientum, aut clarorum civium. Ex antiquis ac celebratis Poetis magna vis judiciorum colligitur. Item ex Hiſtoriographis, ex Philoſophis, ex arcanis literis. Nam his rurſum eadem varietas, quæ in exemplis oſtenſa eſt. Sunt & apud Græcos, qui in his undecunque colligendis laborarunt, quorum de numero Stobæus [3] quidam. Idem valent ſapientum apophthegmata. Cujuſmodi ſunt illa celebrium virorum dicta, & quæ referuntur a Plutarcho. Et hoc varium genus eſt. Etenim ſi ſpectemus rem, ſunt militaria, ſunt philoſophica. Si perſonas, ſunt regum, ſunt ſapientum, ſunt popularium. Si qualitatem, ſunt graviter dicta, ſunt facete dicta, ſunt acute
E dicta. Huc pertinent & proverbia, vel ab auctoribus ſumpta, vel vulgo jactata. Nam publica gentium inſtituta non video quid ab exemplis differant. Certe oracula & reſponſa numinum, judiciis ſubjiciuntur. Veluti ſi Socratem probes ſapientem, quod ita Apollinis oraculo ſit judicatum.

De Sententiis.

Eſt ſententiarum genus, non illud quidem petitum ab auctoribus, ſed a nobis ad præſentis rei commoditatem confictum. Eas licebit omnibus orationis partibus admiſcere. Atque adeo unus locus complures ſæpenumero ſententias parit. Incidunt enim & in enarrando, & in movendis affectibus, non ſolum in probationibus. Quinetiam ſæpenumero tranſitiones per ſententias fiunt. Quæ ſi in loco adhibe-
F antur, haud mediocrem orationi copiam adjungent, neque id ſine gravitate aut gratia. Sunt autem ſententiarum variæ formæ. Siquidem aliæ ſunt καθολικαί, ut invidentia ipſa ſui ſupplicium eſt. Aliæ non placent niſi ad rem relatæ. Ut nihil tam populare quam bonitas eſt. Aliæ quæ ad perſonam referantur. Ut Princeps qui vult omnia ſcire, neceſſe habet multa cognoſcere. Rurſum alia ſimplex. Ut omnia vincit amor. Alia rationem habet ſubjectam aut admixtam, ut in omni

[1] Legendum *ex Aeſchine*, nam exemplum inductionis, ex ſermone quodam Aſpaſiæ, exſtabat apud *Æſchinem*. Vide *Ciceronem* de Inventione Lib. 1. c. 31.

[2] Intelligit Titum Domitianum, quem cur *Seniorem* vocet neſcio; neque enim fuit Titus ullus, qui *Junior* dicatur.

[3] Cujus Eclogas Phyſicas & Anthologiam habemus dicitur *quidam*, quia, quis fuerit, ignoratur.

omni certamine qui opulentior est, etiam si accipit injuriam, tamen quia plus potest, facere videtur. Quædam duplices sunt ex partibus contrariis, nulla tamen addita ratione. Ut, *obsequium amicos, veritas odium parit*. Quædam ex diversis; Mors misera non est, aditus ad mortem miser est. Huic generi si ad utramque partem ratio subjiciatur, quadripartita fuerit sententia, ad hunc modum: *Qui adolescentium peccatis ignosci oportere putant, falluntur*. Hæc prima sententiæ pars. Ei subnectitur ratio, *propterea quod ætas est impedimento bonis studiis*. Deinde tertia pars erit: *At hi sapienter cogitant, qui adolescentes maxime castigant*. Et rursum additur ratio: *Ut quibus virtutibus omnem vitam tueri possint, eas in ætate maturrima velint comparare*. Id exemplum etiam si est in Rhetorica ad Herennium scripta, tamen mihi sane non admodum arridet. At non est arduum aliud hujusmodi fingere. Juventutem decet industria. Adjicitur ratio: Nam turpe sit eas dotes, quas natura ad bonas artes comparandas illis annis attribuit, in ocio, fœdisque voluptatibus consumere. At senectutem opulentia decet. Huic quoque subjicitur ratio, quo videlicet ætas naturæ præsidiis destitutior, exterarum rerum adminiculis utcunque fulciatur. Item aliud: Senectus inops, calamitosa, indocta, turpis. Nam & miserum est tum egere, cum imbecillitas naturæ pecuniæ subsidia præcipue requirit; Et turpe, tum res optimas nescire, cum nec discere decorum est, & docere pulcherrimum. Rursum est sententia recta. Ut, *tam deest avaro, quod habet, quam quod non habet*. Est figurata. Ut, *servare potui, perdere an possim rogas?* simplex erat, facilius est perdere, quam servare. Est communis rerum. Ut nocere facile est, prodesse difficilius. Est ad personas accommodata, ut jam minus appareat sententia, ut est illud M. Ciceronis. *Nihil habet Cæsar, nec fortuna tua majus, quam ut possis, nec natura melius, quam ut velis servare*. Est illud etiam tacitum, & quasi dissimulatum sententiæ genus apud Maronem: *Et cæco carpitur igni*. Explicuit enim Ovidius. *Tectus magis æstuat ignis*. Item in narrando, Pars major vicit meliorem. Explicabis si dixeris, *fere fit, ut pars major vincat meliorem*. Jam aliud sententiæ genus, quod ἐπιφώνημα Græci, Fabius *acclamationem* appellat. Ea est rei narratæ vel probatæ summa acclamatio. Narratæ, ut apud Virgilium, *Tantæ molis erat Romanam condere gentem*. Probatæ, apud M. Tullium pro Ligario. *Quorum igitur impunitas Cæsar tuæ clementiæ laus est, eorum te ipsorum ad crudelitatem acuet oratio?* Neque tamen quodvis epiphonema continuo sententia est, etiam si plerumque est, verum quicquid in clausula argute additum ferit aurem, ἐπιφώνημα dici potest. Quod genus proprium est epigrammatis, ut in epigrammate de ove lupi catulum uberibus alente. *Natura haud unquam vertitur officiis*. Unde apud Martialem sæpenumero carmen epiphonemate clauditur. Ut: *Aut vigila, aut dormi Nasidiene tibi*. Item: *Vis dicam quid sis, magnus es ardelio*. Utitur & Valerius Maximus frequenter hoc genere. Item Seneca suas epistolas fere claudit epiphonemate. Neque defuerunt quibus epiphonematum usus adeo impense placuit, ut omni loco, omni sensui clausulam acclamatoriam subjiciendam existimarint. Sed ut sententiarum omnium, ita & acclamationum debet esse modus, ut ibi demum adhibeas, ubi locus postulat, aut certe patitur. Est Noema sententiæ genus quod non dicitur, sed intelligitur. Quod genus est illud dictum in quendam agentem cum sorore talionis, quod sibi dormienti pollicem resciderat, cum illa fratrem sæpius a ludo gladiatorio redemisset: *Eras dignus ut haberes integram manum*: nam intelligitur, ut rursum in ludo depugnares. Simile est illud Hortensii, ni fallor, qui negabat se unquam cum matre aut sorore redisse in gratiam: intelligitur enim nunquam illi cum matre aut sorore incidisse dissidium. Sunt nova sententiarum genera, ex inopinato, & ex alio relatis, & ex alio translatis, ex geminatione, ex contrariis. Quorum exempla si quis desideret, ex Quintiliano petat licebit.

DE EXPOLITIONE.

Cum hoc sententiarum genere, quod superius ostendimus, ex quatuor constare partibus, cognationem habere videtur expolitio. Sic enim vocant, quoties eodem in loco diutius commoramur, & eandem sententiam aliis atque aliis modis variamus, simul & locupletamus. Commutatione verborum, cum eadem res aliis atque aliis verbis, aliisque figuris, sæpius effertur. Commutatione pronunciationis cum alio atque alio vultu, gestu, voce. Commutatione tractationis, cum quod jam sub persona nostra diximus, idem alium, sed paulo aliter dicentem facimus. Vel cum quod sedatius est disputatum, id acrius atque inflammatius efferimus. Verum copiosissima expolitio septem constat partibus. Propositione, ratione, duplici sententia cui ratio item duplex subjici potest, contrario, simili, exemplo, conclusione. [1] Exemplum erit hujusmodi: *Sapiens nullum pro Republica vitabit periculum; Ideo quod sæpe fit, ut cum pro Republica perire noluerit, necessario cum Republica pereat. Et quoniam sunt omnia commoda a patria accepta, nullum incommodum pro patria grave putandum est*. Hæc est prima pars qua tota res simpliciter exposita est, & rationibus confirmata, cui subditur duplex sententia, aucta totidem, aut pluribus rationibus: *Ergo qui fugiunt id periculum quod pro Republica subeundem est, stulte faciunt*. Hæc est sententia, cui subnectitur ratio: *Nam neque effugere id possunt, & ingrati in civitatem reperiuntur*. Deinde additur altera sententiæ pars e contrario: *At qui patriæ pericula suo periculo propellunt, hi sapientes putandi sunt*. Mox adjiciuntur rationes; *cum & eum quem debent honorem Reipublicæ reddunt, & pro multis perire malunt, quam cum multis*. Jam adjungitur huic contrarium: *Etenim vehementer est iniquum, vitam a natura acceptam* [2] *per patriam cum servaveris, naturæ, cum cogat, reddere; patriæ, cum roget, non dare. Et cum possis cum summa virtute & honore pro patria interire, malle per dedecus & ignaviam vivere: pro amicis & parentibus ac cæteris necessariis adire periculum cum velis, pro Republica in qua & hoc, & illud sanctissimum patriæ nomen continetur, nolle in discrimen venire*. Deinde adhibetur simile: *Itaque uti contemnendus est, qui navigando se, quam navim mavult incolumem; Ita vituperandus qui in Reipublicæ discrimine, suæ saluti plus quam communi consulit*. Additur collatio similitudinis, a majori: *Nave fracta, multi incolumes fuerunt. Ex naufragio patriæ, salvus nemo potest enatare*. Sub hæc exemplum annectitur. *Quod mihi videtur Decius intellexisse, qui se devovisse dicitur, & pro legionibus se in hostes immisisse medios*. Huic annectuntur sententiæ; unde *vitam amisit, non perdidit. Re enim vilissima maximam redemit. Vitam dedit, accepit patriam. Amisit animam, potitus est gloria, quæ cum summa laude prodita vetustate, quotidie magis enitescit*. Demum apponitur conclusio tanquam epilogus: *Quod si pro Republica debere accedere ad periculum, & ratione demonstratum est, & exemplo comprobatum, hi sapientes sunt existimandi, qui nullum pro salute patriæ periculum vitant*. Ergo conveniet hujusmodi thematis exerceri pueros, qui ad copiam parandam instituuntur. Quanquam ne hoc quidem exemplum ex Herenniana Rhetorica mihi magnopere probatur, nisi quod utcunque rationem indicat. Potest autem copiosius etiam tractari, si plures sententias & rationes, si plura similia, si exempla plura congeras.

DE APOLOGIS.

Ad fabulosorum genus proxime accedunt apologi, nisi quod & delectant vehementius, & efficacius persuadent. Delectant, morum faceta quadam imitatione, faciunt fidem, quia verum veluti ponunt ante oculos. Capiuntur his præcipue rustici & imperiti, & si quis alius est, qui mores aurei seculi sapit. Celebrantur apologi maxime Æsopi nomine, qui unus e sapientum numero ob hoc ipsum est habitus. Etiam si Quintilianus ab Hesiodo [3] scriptas fuisse, certe majoris cujuspiam ingenii opus existimat. Quo minus mirandum, si Menenius Agrippa plebem Romanam a periculosissima seditione revocavit, confecto in id Apologo de corporis humani membris adversus ventrem conspirantibus, ut refert T. Livius. Et Themistocles Atheniensibus persuasit, ne novarent magistratus, fabula de vulpe muscis obsita. Quin liberum est cuique pro re confingere genus hujusmodi. Verum ut apte confingas, cum ingenio valeas oportet, tum animantium naturas (sunt autem infinitæ varietatis) penitus animadversas habeas necesse est. Porro quod ad usum attinet, significantur verbo, quemadmodum exempla, maxime si notus sit apologus. Veluti si dicas. Si tua scripta lacerant ac damnant imperiti, noli laborare, certe doctissi-

1 Ex Rhetor. ad Herennium Lib. IV. c. 44.

2 Lege, ut est in melioribus editionibus: *acceptam propter patriam conservaveris*.

3 Addendum *primum*. Vide Institutionum Oratoriarum Lib. V. c. 11. ubi tamen *Fabius* de fabulis ferme contemtim loquitur; sed perperam, meo quidem judicio. Origo fabularum referenda etiam potius esset ad Orientales, ut liquet ex Judicum Cap. IX, 8. & seqq.

mo cuique maxime probantur. Quid enim mirum, si gemmam aspernatur gallus Æsopicus? Aut si quis dicat: Nullus hostis quantumlibet impotens humilisque negligendus, aut contemnendus est, posteaquam nec scarabæum impune contempsit aquila Æsopica. Aut hoc pacto: Tuis ipsius benefactis nitere, non majorum splendore, ne tibi usu veniat, quod Æsopi corniculæ. Dilatantur autem præfatione commendationis. Commendamus tum auctorem ipsum, tum Apologorum genus. Ita ut facit Aulus Gellius in explicanda Cassitæ fabula: *Æsopus ille e Phrygia fabulator*, &c. Nam locus in promptu est. Deinde si describendis animantium aut rerum formis ac naturis, quas inducis, longius immoraberis. Quandoquidem hoc jam ipsum & cum voluptate accipitur, & ad eruditionem liberalem pertinet, Veluti si scarabæi formam, deinde quemadmodum e stercoribus nascatur, & quo pacto posterioribus pedibus erectis stercora protrudat, atque id genus alia describas. Ad eundem modum aquilam regnum in avium genus obtinere, armigeram esse Jovis, non offendi fulmine, non connivere ad ardentissimos solis radios, pernicissimo volatu ultra nubes ferri. Denique quæcunque vel ad scarabæorum humilitatem exaggerandam, vel aquilæ generositatem attollendam pertineant. Quod quidem argumentum nos per lusum tractavimus in proverbiis. Atque hac in re non prætermittendum, si quid animanti cuipiam fabulis Poetarum est attributum. Quod genus e Lycaone natos lupos, ex adolescente perdicem, cycnum Apollini sacrum esse, & sub fatalem horam suavissime canere, corvum ejusdem fuisse nuncium, & ob cessationem ex albo nigrum factum. Aut si quid proditum est historiis insigniter ab his factum, velut de aquila quæ virginem adamavit, apud Plinium. De Bucephalo Alexandri Magni equo, atque item de cæteris, nam rationem duntaxat ostendimus. Deinde cum ad ipsum Apologum erit ventum, fusius ac latius narrare licebit. Id fiet citra tædium, si faceta quadam imitatione, quod est in hominum vita, ad fabulæ mores accommodabimus. Præterea si ad eandem rationem sermones, sententias, dictaque affingemus. Exemplum aptissimum est apud Horatium in Satiris: *Rusticus urbanum murem mus paupere fertur Accepisse cavo, veterem vetus hospes amicum Asper & attentus quæsitis, ut tamen arctum solveret hospitiis animum*, &c. nam in promptu locus est. Est item exemplum dilatati apologi apud Apulejum de corvo & vulpe. Rursum apud Aulum Gellium de cassita avicula. Cæterum quod ἐπιμύθιον vocant, id est, apologi interpretationem, non admodum refert initio ponas an in fine. Quanquam & hinc incipere licebit, & in hanc desinere, modo sermonis accedat varietas.

De Somniis.

Affinguntur a nonnullis somnia quoque quæ fortassis adhibenda non sunt, nisi in ostentatione: quod genus Luciani somnium. Aut quoties ea pro veris visis, hortandi deterrendive gratia narramus. Tale est Prodici figmentum de Hercule ambigente, utram vitæ viam ingrederetur, virtutis arduam, an voluptatis proclivem. Simile de Momo qui hoc reprehendit in homine, quod demiurgos illi finxisset cor sinuosum, nec addidisset fenestram: in bove, quod in summis cornibus non addidisset oculos, ut videret quid feriret. Hujusmodi videtur illud divi Hironymi, de sese flagris cæso, quod Ciceronianus esset. Et nos item pueri in hoc genere lusimus.

De Fictis Narrationibus.

Jam fictæ narrationes rerum gestarum, si persuadendi gratia pro veris adhibeantur, quam maxime fieri potest, ad verisimilitudinem componantur oportet. Sunt autem ex arte Rhetorica notæ partes, quibus probabilitas constat. Cujusmodi est fabula de Memmio apud Ciceronem, & fortasse de Vultejo apud Horatium. Genus hoc video nonnullis nimium placuisse, qui vulgi credulitate freti, stultissima quædam miraculorum ostenta pro certissimis invexerunt Christianorum literis. Porro quæ risus causa finguntur, quo longius absunt a vero, hoc magis demulcent animos, modo ne sint anicularum similia deliramentis, & eruditis allusionibus doctas etiam aures capere possint. Quo de genere sunt Luciani veræ narrationes, & ad hujus exemplum effictus asinus Apuleji. Præterea Icaro Menippus, & reliqua Luciani pleraque. Item argumenta ferme omnia veteris comœdiæ, quæ non imagine veri, sed allusionibus & allegoriis delectant. Nam illud fictionis genus, quod ad simulacrum rerum adumbratur, haud dubium est, quin ad parabolam pertineat. Exemplum hujus est apud Platonem de specu, in quo vincti quidam umbris perinde ut ipsis rebus delectantur.

De Allegoriis Theologicis.

At quoties ad pietatem adhortamur, aut dehortamur, plurimum adjumenti conferent exempla Veteris ac Novi Testamenti, id est, Euangeliorum. Quæ per allegoriam varie tractantur, & eadem modo ad mores hominum, modo ad corpus ecclesiæ Christo capiti connexum & cohærens, modo ad cœlestem illam communionem, rursum ad prisca nascentis fidei tempora, & ad hæc nostra possunt accommodari. Sed hisce de rebus copiosius & exactius disseremus in libello quem instituimus de Theologicis allegoriis. Atque hæc ferme omnia ad exemplorum genus referuntur, in quibus sumus paulo diutius immorati, quod ex hoc potissimum mundo copiæ supellex depromatur. Sed priusquam ab his digrediamur, visum est etiam nonnulla paucis admonere.

Ratio Colligendi Exempla.

Jamprimum quemadmodum unumquodlibet horum varie possit accommodari per similitudinem, per contrarium, per comparationem, per hyperbolen, per epitheton, per imaginem, per metaphoram, per allegoriam, superiori commentario demonstratum est. Nunc qua ratione fieri possit, ut amplissimam horum vim in promptu, ac velut in numerato possimus habere, indicabimus. Consilium quidem non perinde magnificum ut frugiferum: quod utinam juvenes olim ipsi fuissemus sequuti (nam tum quoque veniebat in mentem) video quantum momenti literulis nostris fuerit accessurum. Attamen candidi est ingenii non invidere bonæ spei juvenibus, quod tibi vel negarit fortuna, vel non pararit diligentia. Ergo qui destinavit per omne genus auctorum lectione grassari (nam id omnino semel in vita faciendum, ei qui velit inter eruditos haberi) prius sibi quam plurimos comparabit locos. Eos sumet partim a generibus ac partibus vitiorum virtutumque, partim ab his, quæ sunt in rebus mortalium præcipua, quæque frequentissime solent in suadendo incidere: eaque conveniet juxta rationem affinitatis & pugnantiæ digerere. Nam & quæ inter se cognata sunt, ultro admonent quid consequatur. Et contrariorum eadem est memoria. Puta sit exempli causa primus locus pietas & impietas. Huic subjicientur species inter se cognatæ. Prima est pietas in Deum, Secunda in patriam, Tertia in parentes, aut in liberos, aut etiam in eos quos oportet parentum loco colere, veluti præceptores, & quorum beneficio servati sumus. Ex adverso est impietas. Jam his cognata superstitio, adjicienda igitur. Atque hic aperit sese campus latissimus de prodigiosis Deorum cultibus, ac variis diversarum gentium cærimoniis. Item inepta parentum in liberos indulgentia quæ falsa est pietas. Sit proximus si videtur titulus, Fides: hanc in species seces licebit. Est fiducia erga Deum. Est fides humana, est fides in amicos, fides servorum in dominos, fides in hostes: totidemque de perfidia. Item sit titulus Beneficentia: Huic quum suas species subjeceris, restat gratitudo, non illa quidem huic subjecta, neque rursum contraria, sed adhærens, eque ea veluti consequens. Hæc per omnes locos tractari possunt. Primum quid sit pietas, quomodo differat a cæteris virtutibus, quid habeat peculiare, quibus officiis præstetur aut violetur, quibus rebus alatur aut corrumpatur, quid fructus homini pariat. Hic sese aperit campus exemplorum ac judiciorum. Sed virtutum ac vitiorum ordinem sibi quisque suo fingat arbitrio, vel e Cicerone, sive malit, e Valerio Maximo, aut Aristotele, aut ex divo Thoma petat. Denique si malit, elementorum ordinem sequatur. Neque enim id magni refert, quanquam nolim illum omnes hujus generis particulas tam minutim concisas in ordines referre, verum eas duntaxat, quæ videantur frequenter in dicendo usu venire. Id autem vel ex locis causarum licebit cognoscere, nempe demonstratoriis, suasoriis & judicialibus. Quod genus ferme sunt tituli apud Valerium Maximum, & nonnulli apud Plinium.

Cæterum quæ extra vitiorum ac virtutum genera sumuntur, partim pertinent ad exempla, partim ad locos communes. Prioris generis ferme sunt hujusmodi. Insignis longævitas,

ævitas, vivida senectus, senilis juventa, insignis felicitas, insignis memoria, subita rerum commutatio, subita mors, mors spontanea, mors prodigiosa, partus prodigiosi, insignis eloquentia, insignis opulentia, ex humili genere clari, vafricies ingenii, insigne corporis robur, insignis forma, egregium ingenium in deformi corpore, atque id genus innumera alia. Quorum singulis oportebit subjicere, quæ cum his pugnant, quæque cum his habent affinitatem, ut insigni eloquentiæ, opponitur insignis infantia. Finitima sunt, vocalitas, felicitas in gesticulando, Histrionica, & si qua sunt hujusmodi. Posterioris autem generis sunt istiusmodi. Plurimum interest quibus studiis puer adsuescas. Magni refert, quibus cum vivas. Suum cuique pulchrum. Facilis offensa, reconciliatio difficilis. Tutissimum est nulli credere. Ama tanquam osurus, oderis tanquam amaturus. Bis dat qui cito dat. Fortunam sui cuique mores parant. Et lentæ Regum iræ. Et periculosa Principum amicitia. Et dulce inexpertis bellum. Et infida societas regni. Et optimum senectæ viaticum eruditio. Sed quid ego hæc recensere pergo, cum sint sexcenta millia. Ergo ex his ea sunt deligenda, quæ videbuntur ad dicendum maxime commoda. Ad hunc gregem pertinent & illa comparativa. Cœlibatus ne felicior, an conjugium? Vita privata, an secus? Potior Monarchia, an Democratia? Vita studiosorum an idiotarum? Tum autem ex superioribus, si qua sunt quæ virtuti, aut vitio videbuntur esse confinia, ea licebit suo titulo subjicere. Ut illa, Bis dat qui cito dat. Et nihil carius constat, quam quod precibus emitur. Et beneficium dando accepit, qui digno dedit. Et nihil tam perit, quam quod confertur in ingratum. Et beneficii gratiam perdidit quisquis exprobravit. Hæc atque hujusmodi ad liberalitatis titulum referri possunt.

Verum ne indigesta rerum turba pariat confusionem, profuerit titulos qui latius patent, in aliquot secare partes. Liberalitatis titulum, ut, exempli causa, loquamur, ita licebit partiri. Si subjeceris, Beneficium prompte citoque datum. Beneficium aptum, beneficium digno aut indigno collatum. Beneficium exprobratum. Beneficium mutuum. Et si qua judicabuntur magis idonea. Nam nos, indicandi gratia, duntaxat hæc ponimus.

Ergo posteaquam tibi titulos compararis, quot erunt satis, eosque in ordinem quem voles digesseris, deinde singulis suas partes subjeceris, rursum partibus addideris locos communes, sive sententias, jam quicquid usquam obvium erit, in ullis auctoribus, præcipue si sit insignius, mox suo loco annotabis, sive erit fabula, sive apologus, sive exemplum, sive casus novus, sive sententia, sive lepide aut alioqui mire dictum, sive parœmia, sive metaphora, aut parabola. Atque ad eum modum pariter fiet, ut & altius insideant animo quæ legeris, & adsuescas uti lectionis opibus. Sunt enim qui plurima teneant velut in mundo reposita, cum in dicendo scribendoque mire sint inopes ac nudi. Postremo utcunque postulat occasio, ad manum erit dicendi supellex, certis veluti nidis constitutis, unde quæ voles petas. Porro nulla disciplina tam semota est a Rhetorica, unde non facias locos tuos locupletiores. Nam a Mathematicis, quæ remotissimæ videntur, sumuntur similitudines. Quandoquidem cum sphæra undique sui simili, cumque tetragono quocunque cadat pariter quatuor angulis nixo, confertur sapiens suis opibus felix, nec aliunde pendens, & quæcunque inciderit fortunæ procella, sua virtute firmus & immobilis. Ut ne dicam interim quod Theologi [1] mysteriorum enarrationem frequenter a Mathematicis petunt, propter arcanam quandam rerum, ac numerorum analogiam. Nam a Physicis non solum parabolæ, verumetiam exempla quædam petuntur. Parabola fuerit, si dicas: Quemadmodum fulmen summos montes frequentissime ferit: Ita summa potestas gravissimis casibus est obnoxia. Item quemadmodum fulmen æs liquefacit, intacta cera: Ita Principum animus in rebelles & obsistentes sævire debet, in cæteros uti clementia. Exemplo fuerint elephanti pudore in abdito coeuntes, si quis etiam in conjugatis modestiam, ac voluptatis dissimulationem desideret. Et delphini fœtus adultos diutius comitantes, nec sinentes parvulos suos ingredi, nisi grandior aliquis ceu pædagogus adsit & custos, si quis admoneat quanta cura servari atque institui debeat a parentibus prima illa & lubrica puerorum ætas. Itaque studiosus ille velut apicula diligens, per omnes auctorum hortos volitabit, flosculis omnibus adsultabit, undique succi nonnihil colligens, quod in suum deferat alvearium. Et quoniam tanta est in his rerum fœcunditas, ut omnia decerpi non possint, certe præcipua deliget, & ad operis sui structuram accommodabit.

Sunt autem quæ eadem non solum ad diversos, verum ad contrarios usus quadrare possint, eoque diversis annotanda locis. Quod genus si de insanabili cupiditate hominis avari agas, recte accommodabis Charybdis fabulam. Rursum, si de inexplebili ventris ingluvie, aut libidine mulieris inexhausta, nimirum conveniet eadem. Item apologus Æsopi de hirco ac vulpe simul in puteum descendentibus, quadrabit vel in prospicientiam, qua fit, ut non aggrediare negocium, nisi prius apud te perpenderis, qua ratione queas explicare. Vel in fictum amicorum genus, qui quum videantur amici commodis consulere, maxime tamen agunt suum negocium. Præterea ex morte Socratis non solum ducitur exemplum, mortem non esse formidandam viro bono, cum ille tam alacri vultu cicutam biberit: verumetiam virtutem invidiæ obnoxiam, neque satis tutam esse in turba malorum. Rursum inutile, vel potius perniciosum esse Philosophiæ studium, nisi te ad mores communes deflexeris. Jamque hoc ipsum factum trahi potest & in laudem Socratis, & in vituperium. Laudandus enim qui nulla sua culpa, sed sola invidia damnatus, tam fortiter mortem neglexerit. Vituperandus qui inutili Philosophiæ studio neglectuque morum communium, amicis acerbissimum luctum, uxori liberisque calamitatem, sibi exitium conciliarit, cum alii soleant utiles esse patriæ, suis præsidio simul & ornamento: eoque vere sapientis esse, relictis aliquando tetricis illis sapientiæ decretis, vulgi studiis & opinionibus accommodare sese, temporique quod ajunt servire.

Jam si partes exempli circumspicias, quot locos licebit elicere? Accusatus per invidiam ab Anyto & Melito perditissimis civibus. Locus communis est, Veritas odium parit. Item alter. Insignis virtus conciliat invidiam. Rursum alius, Apud judices plerumque plus valet nobilitatis ratio quam respectus honesti. Rursum alius, Nihil impudentius opulentia, si cum improbis moribus copuletur. Quid enim absurdius, quam omni facinore dedecorosos, Socratem in jus vocare? Rursum alius locus. Non quidlibet cuivis decorum est. Eoque Socrates non abjicit sese ad judicum pedes: neque enim conveniebat, ut qui per omnem vitam docuerit mortem non esse formidandam, nisi turpis esset, cum nunc veluti ob mortis metum abjecte supplicem esse. Quæ eadem causa commovit, ut neque judicium declinaret, neque in media causa exilium eligeret, neque postremo cum liceret, e carcere vellet effugere, ne ipse a seipso discrepare videretur. Atque hæc quidem una pars est. Deinde cum moriturus tam ociose, tamque placide disputat, cum non alio vultu cicutam bibit, quam quo vinum solet, cum mox emoriturus jocatur in Phædonem, admonens ut gallum persolvat Æsculapio; Locus est, Mortem etiam optabilem esse iis, qui sibi vitæ integre actæ conscii sunt. Rursum alter locus. Cujusmodi fuerit hominis vita, id in morte potissimum apparere. Rursum, Constantis suique perpetuo similis exemplum est. Etenim cujusmodi fuerat in omni vita Socratis vultus oratioque, talis erat & morituro. Tertia pars est, Dum in carcere agit Socrates interim nusquam Alcibiades, nusquam Agathon, nusquam Phædrus, sed Crito, Phædon, Simmias. Atque hic locus est, in periculis demum apparere qui sint veri amici: nam vulgares illi sibi tum consulunt, cum in officiis communibus adsunt. Quarta pars est, Cum amicis de animæ immortalitate multa disputat, uxorem ac liberos quum pauca mandasset dimittit. Locus est, Philosophum leviter tangi oportere vulgaribus affectibus, id quod mire congruit cum doctrina Christi. Quinta pars est, Statim a morte Socratis versus est in accusatores populi furor. Socrati desiderato aurea posita statua. Locus erit, Vulgus temere odisse & amare. Rursum alius, Virtutem præsentem odimus, sublatam ex oculis quærimus invidi. Rursum alius, Fucatam gloriam una cum vita perire, virtutis splendorem a morte maxime inclarescere. Hinc arbitror liquere in quot usus idem exemplum possit accommodari.

1 Sequuti, nempe, veteres Pythagoreos & Platonicos, & *Philonem* Judæum, quem vide in libro de Creatione mundi, ubi de septenario numero.

Similiter & in parabola fiet, velut in navigatione, quot A similia duci poterunt? Ut optimum gubernatorem tempestas, ita optimum Imperatorem adversæ res declarant. Item, ut nemo clavum committit amicissimo, sed navigandi peritissimo: Ita nemo Reipublicæ gubernacula mandabit ei cui studeat maxime, sed quem maxime judicarit idoneum. Rursum, Quemadmodum ventis nimium secundis nautæ vela contrahunt, cum parum prosperi sunt, tum latius pandunt sinus; Ita quum res vehementer succedunt, temperandus est animus ne insolescat: contra, cum inimica est fortuna, tum fortitudine ac spe securæ felicitatis, dilatandus ac fulciendus. Item, quoties rectum cursum per tempestatem tenere non licet, tum obliquis flexibus eo nihilo secius, quo pervenire velimus, contendere oportebit. B Item, quoties artem vincit tempestatis impotentia, tum ancoram jaciunt nautæ, velis collectis: Ita vesanienti multitudini nonnunquam cedendum est, donec oratione tractabilis esse incipiat. Item, quemadmodum nauta non semper eodem modo tenet velum, verum nunc tollit in altum, nunc contrahit, nunc in hoc latus, nunc in illud transfert, utcunque ventorum ratio postulat: Ita sapiens non in omni loco, omnique tempore & negocio simili vitæ tenore debet uti, sed vultum, orationem, mores præsentibus rebus accommodare. Item, sicut in magnis tempestatibus peritissimi nautæ, vel ab imperito nonnunquam admoneri sese patiuntur, quod aliis alia soleant in his casibus in mentem venire; Ita bonus Rex in magnis Reipublicæ periculis, nullius con- C silium audire gravabitur. Item, ut minimo periculo navigatur, eo gubernatore, qui maximis sit jactatus periculis: Ita tutissimus est civitatis status eo Principe, qui gravissimis casibus sit exercitatus. Item, ut qui clavum regit, non satis arbitratur se suo fungi officio, nisi circumactis oculis, quid cuique faciendum, admonuerit; Ita Principem non agit, nisi qui magistratuum etiam inferiorum officia moderatur ac præstat. Item, quemadmodum insaniat nauta, si propter odium aliquorum, quos navi vehit, navim perire sinat, qua perdita nec ipse possit esse incolumis; Ita sanæ mentis non sit, qui ob factiones, patriæ incolumitatem non tueatur, quæ nisi sit incolumis, nec ipse incolumis esse possit. Item ut non nisi sævissimis tempestatibus sacram anco- D ram nautæ jacere solent: Ita non est, nisi in gravissimis periculis ac rebus prope desperatis, ad extrema remedia veniendum. Sed næ ego ineptus, qui ista persequar, cum jam videas aliquot similitudinum millia hinc sumi posse.

Nonnunquam eadem quoque collationis pars ad diversa trahitur. Quod genus sit, Si lunæ crebras mutationes vel ad fortunæ vices accommodes, vel ad humanæ vitæ instabilitatem, vel ad stultorum inconstantiam. Quin eadem quoque sententia varios in usus deflectitur, ut, *Facundus comes in via pro vehiculo est.* Jucundior est vita, si non solus agas, sed cum lepidis ac festivis amicis consuetudinem habeas. Rursum, semper bonus aliquis liber circumferendus, cujus lectione tædium discutias. Item, si te lætus animus co- E mitetur & bene sibi conscius, nulla pars vitæ sentiet tædium, hic optimus est viæ comes si læta narret. Sin turpium factorum memoriam tibi refricet, tædio enecat.

Eadem est proverbiorum & apophthegmatum ratio, quorum usum ostendimus in principio collectaneorum proverbialium. Proinde quædam erunt eadem diversis adscribenda locis, aut annotanda certe. Nam sat erit aliquando tribus significasse verbis adscriptis auctorum locis unde peti possunt, præsertim si paucis exponi non queant. Sed jam quo res exemplo magis fiat perspicua, sit titulus inconstantia, aut morum inæqualitas, experiamurque quot res ad hunc conferri possint. Primum e Poetarum fabulis petam Mer- F curium varias formas sumere solitum, ut est vafer Deus, nunc apud superos, nunc apud inferos, nunc apud mortales agentem, variis etiam fungentem officiis. Nunc Ganymedis agentem parteis, porrigendo Jovi pocula, nunc nuncia perferentem, nunc animas deducentem ad Charontem, nunc negociatoribus ac patronis operam dantem, nunc cithara utentem, nunc virga: galero etiam bicolore, postremo variis gaudentem cognominibus. Ea sunt apud Aristophanem in Pluto: dicitur enim στροφαῖος, ἐμπολαῖος, δόλιος, ἡγεμόνιος, ἐναγώνιος, apud Homerum, & apud Hesiodum διάκτορος ἀργειφόντης. Dicitur & Cyllenius, & ἐριούνιος. Petam Vertumnum Deum, cui inde etiam nomen, quod subinde vertat formam. Petam Proteum omnia vertentem sese in miracula rerum. Petam Empusam ex Aristophanis ranis, id est, dæmonis genus, identidem alia atque alia specie sese offerentis. Item Morphea, quoscumque velit vultus induere solitum. Item Circen veneficiis ac magica virga homines in varias ferarum formas vertentem. Nam improbi secum non constant, sed diversis agitantur affectibus. Petam Καιρὸν volubilem Deum, nunquam sui similem, & huic similem, si videbitur Rhamnusiam. Petam Jovem, nunc aquilam, nunc cygnum, nunc taurum, nunc aureum imbrem factum. Præterea chimæram capite leonis, ventre virgineo, cauda draconis. Ac varium illud portentum quod fingit Horatius in ipsa statim fronte artis poeticæ. Adducam & Janum bifrontem, & triformem Geryonem, & Bacchum, cui Poetæ tribuunt εὐήθειαν, hoc est morum levitatem ac facilitatem, ac talem in ranis fingit Aristophanes, & si qua sunt alia apud illos, quæ prodigiosæ varietatis imaginem habent. Adducam & Ulyssem, quamlibet pro tempore personam gerentem. Unde & πολύτροπον statim in operis initio vocat Homerus. Deinde a Physicis petam lunæ similitudinem, nunquam eodem vultu nobis redeuntis, nunc semiplenæ, nunc plenæ, nunc emorientis, nunc renascentis, nunc pallentis, nunc rubentis, nunc albicantis, nunc antecedentis solem, nunc a tergo sequentis. Petam similitudinem cœli verni aut autumnalis, nunc nubili, nunc sereni, nunc tranquilli, nunc ventis commoti. Petam collationem maris assidue vicibus æstuariis decurrentis ac recurrentis, præcipue Euripi mira celeritate septies die ac nocte reciprocantis. Addam polypum, cujus mutabilitas etiam proverbio locum fecit. Addam chamæleontem colorem subinde mutantem. Item pantheram ac pardum versicoloribus maculis variegatum, aut si quod est aliud animal hujusmodi. Item anguillam lubricam. Adjungam pueritiæ in horas mutatum ingenium. Adjiciam mulieris peculiarem inconstantiam, vulgus levi momento mobile. Præterea argenti vivi miram mobilitatem. Arundinem ad omnem auram facile mobilem. Foliorum arentium, plumæ ramentæque levitatem. Ceræ flexibilem, ac mollem naturam. Somniorum inconstantiam, rotæ volubilitatem. Adducam laminam, quæ summis turrium, ac templorum fastigiis solet imponi, quo ventum circumactu suo indicet. Adducam bilibram, facili momento huc atque illuc vergentem. Adducam opus vermiculatum, versicoloribus tessellis, miram varietatem ostentans. Quædam etiam ingenio finguntur. Veluti si quis comparet inconstantis hominis animum, nunc hoc nunc illud cogitantis, speculo rotundo in foro frequentissimo suspenso, quod huc & illuc discursante turba, figuris innumeris varietur, Aut vitro, quod quemcunque colorem subjeceris, eum imitari videtur. Aut pensili chalybi, quod hinc atque hinc admotis magnetibus, quorum alter alliciat ad sese, alter depellat, levi momento nunc huc nunc illuc rapiatur, nec unquam conquiescat. Aut sphæræ in plano volubili. Jam ex historiis mutuo sumam Græcorum genuinam levitatem, quam describit Juvenalis. Lubricam Allobrogum fidem. Pœnos simili morum inconstantia. Scythas indies mutatis pascuis nullam certam incolentes sedem. Virgam Moysi subinde in aliam atque aliam versam speciem. Aristippum quamvis agentem personam, ut quem omnis, ut inquit Flaccus, decuit color, nunc Cynico utentem pallio, nunc Regia purpura. Item ἡμίλευκον illum, de quo meminit Lucianus. Catilinam vario ingenio, ex Sallustio. Hannibalem ex T. Livio. Ex Valerio Maximo, quibus alius fuit vitæ tenor in adolescentia atque in senectute. Rursum ex tertia Horatii satyra Tigellium. *Nil æquale homini fuit illi, sæpe velut qui currebat fugiens hostem, persæpe velut qui Junonis sacra ferret,* &c. E comœdiis exemplum sumetur muliebris inconstantiæ. Sostrata in Adelphis. *An, mi homo, sanus ne es? an hoc proferendum tibi videtur esse uspiam?* Ac paulo post. *Ah minime gentium, non faciam, proferam.* Amantium inconstantiam, exprimet Phædria, e rure repente rediens. Puerilem inconstantiam Antipho ex Phormione. Sed hoc persequi longum est. E tragœdiis mutuabor Phædram variatis secum sententiis, nunc volentem, nunc nolentem. Medeam item ante filiorum cædem, diversis agitatam affectibus. Ab Ovidio Biblidem, Narcissum. A Marone Didonem, jam Ænea parante discessum. Atque hoc genus innumerabiles personas passim exhibent Poetæ.

Poetæ. Ex Apologis allegabo rusticum illum, qui satyro admirante, eodem ex ore modo calidum, modo frigidum efflabat. Et si qui sunt alii. Nam in præsentia rationem duntaxat ostendimus. E proverbiis mutuabor [1] τὴν παναγαίαν ἄρτεμιν. Item ἀνέμου πεδίον, Et εὐμεταβολώτερος κοθόρνου, Et ὕδρου ποικιλότερος. Et λιβυκὸν θηρίον, aliaque consimilia. Nam ipsi in proverbiis locos adjunximus unde ista peti possint. Et saxum quod subinde volvitur, non obducitur musco. Et arbor quæ subinde transplantatur, non grandescit. Rursum ex Apophthegmatis addam illud dictum in Ciceronem: *Duabus sedere sellis*. Et in eundem a Sallustio scriptum: *Aliud stans, aliud sedens loquitur*. Ex Homero ἀλλοπρόσαλλον. Sic enim vocat Martem incertarum partium, quique nunc cum his sentit nunc cum illis. Ex Ovidio, ni fallor, *Et tantum constans in levitate sua*. Ex Horatio, *Levior cortice*; Et, *Mutat quadrata rotundis*. Et, *Romæ Tibur amo ventosus Tibure Romam*. Ex Plauto, *Tipula levior*. E Terentii Phormione, *Volo nolo, nolo volo*. quod dictum est, non dictum est &c. Ex Euripide πλάγια γὰρ φρονεῖς τὰ μὲν νῦν τὰ δὲ πάλαι τὰ δ' αὐτίκα. Jam apparet opinor, quanta hujus quoque generis supellex ex tot scriptoribus colligi possit.

Eadem est sententiarum ratio, quas non tantum ab auctoribus sumere, verumetiam pro re novas parere licet. Quibus omnibus si totidem opponas contraria, deinde subjunxeris utrimque finitima, nimirum quam immensus orationis penus futurus sit vides. At cum tam varius sit usus, id quod diligentius ostendemus in opere de ratione conscribendarum Epistolarum, nihil erit quod non aliquo pacto possis ad locupletandam Orationem accommodare. Quandoquidem contraria quoque adhibentur vel per ironiam, vel per dissimile, vel per comparationem. Per ironiam, ut si quis hominem nunquam sui similem Socratem appellet, qui in omni vita semper eodem visus est vultu. Per dissimile, ut si dicas C. Julium Cæsarem nullius unquam facti pœnituit. Hic nihil unquam decrevit, quod non mox rescinderit. Per comparationem si dicas, Quam Cato ille, quem Cicero *præfractum* vocat, a sententia non potuit abduci, tam hic non potest in eadem retineri sententia. Porro finitima quæ sunt, facili deflexu ad vicina trahuntur. Quod genus Persianum illud: *Tecum habita*. Nam & si proprie quadrat in eum qui majora molitur, quam pro sorte sua, tamen quia non esse sua sorte contentum, cum inconstantia cognationem habet, huc torqueri poterit, præsertim cum Seneca scribat, *Plurimum argumentum compositæ mentis existimo, posse consistere, & secum morari*. Quin eadem simul & in laudem torqueri possunt. Ut si omnium horarum hominem, versatilique ac dextro ingenio laudes, ex inconstantiæ penario sumes Polypum, ad speciem subjecti soli mutantem colorem. Sumes Euripum, ac negabis mare hoc esse tam versatile, quam hujus sit ingenium. Sumes flammam stare nesciam. Sumes cœlum subinde alia facie. Sumes arundinem utcunque flaverint auræ, flectentem sese. Dices sapientis esse pro re nata, pro tempore, pro loco mutare sententiam, ac vitæ rationem. Stupida saxa, ac brutam tellurem unam non moveri. Cæterum ex animantibus ut quoque præstantissimum est, ita maxime mobile esse. In universa natura, quo quicquam præclarius est, hoc a quiete longius abesse. Infima est quæ non movetur terra. At mobilis aqua, mobilior aer, ignis hoc quoque mobilior, cœlum quam maxime mobile. Proinde mentem hominis, auram atque ignem ab antiquis vocari. Contra stultos, tardos, stupidos, lapides, plumbum. In quas res maxime cadit constantiæ vocabulum. Per hujusmodi locos pleraque e constantiæ supellectile ad vituperandum traxeris, & ex inconstantiæ ad laudem detorseris. Verum de his, ut modo dictum est, alias tempestivius. Nunc reliquas dilatandi sermonis rationes persequamur.

DE PARTIUM RHETORICARUM MULTIPLICATIONE.

Crescet oratio numero partium orationis. Ut enim qui brevissimus esse studet, quam potest paucissimis utitur partibus: Ita qui dilatare cupiet, etiam legitimis illis & arte præscriptis partibus aliquid accessionis curabit adjungere. Nam cum in summa tria sint Oratoris officia, docere, delectare, flectere, cui placet brevitas, is uno contentus tantum docebit, quod fit narrando & argumentando. Cui copia, simul omnibus utetur, idque in omnibus orationis partibus non solum in peroratione aut exordio. Rursum qui studet brevitati, poterit narratione, aut hac quoque prætermissa, si causæ ratio patietur, esse contentus sola probatione. Atque hæc etiam ut omitti tota non potest, ita potest coarctari cohiberique. Contra qui copiam affectabit, non modo sex illis utetur, Exordio, narratione, divisione, confirmatione, confutatione, peroratione, sed & suo loco latius explicabit exordiorum locos, & in tota oratione, quoties causa præbebit opportunitatem exordiola quædam admiscebit, quibus favorem, attentionem, docilitatem retineat atque renovet, aut tædium discutiat, aut quæ dicturus sit præmolliat. Incidunt autem hujusmodi persæpe.

Docilitatem potissimum renovamus commodis transitionibus, quarum formulas aliquot superiore commentario proposuimus. Quod genus fuerit, Audistis largitione, corruptela, sanguine, stupro, ac fœdissimis artibus paratum honorem. Nunc ostendam illud quod turpiter est adeptus, turpius administrasse. Attentio renovatur hisce ferme modis: Magna sunt hæc, sed levia præ his quæ nunc dicturus sum. Et nunc ad ipsum rei caput accedo. Proinde quæso, ut hæc animis quam maxime attentis audiatis. Et, Sed his longius fortasse sum immoratus, cætera paucis ac dilucide expediam, si mihi, sicut antehac fecistis, aures atque animos præbere velitis. Et, altius paulo repetam, sed ita verba sum facturus, ut neque sine fructu, neque sine voluptate sitis audituri. Atque id genus aliis modis, nam bis mille pro rei natura fingi possunt. Tædium discutitur aut excluditur, hoc pacto, Rogo diligenter auscultetis. Prima fortasse fronte minutum videtur quod tracto, verum si paulisper attendetis, intelligetis, nimirum, sub hac specie maxima Reipublicæ pericula occultari. Et quæso patiamini paulisper, mox aperiam quorsum hæc spectent. Et, nunc rem antehac inauditam audietis. Et, rem accipietis omnium maxime ridiculam. Porro favor iisdem rationibus renovatur, quibus paratur. Insuper & argumentamur aliquoties in exordio, si quid erit amoliendum, quod alioqui sit offuturum reliqua differenti. Verum id non nisi consilio ex rei circumstantiis sumpto. Narratio vehementer locupletatur schemate, quod quidam appellant sermocinationem, qua uni aut pluribus personis affingimus sermonem congruentem. Veluti quum Homerus Iliados χ facit Priamum senem Hectorem dehortantem a prælio, post hunc Hecubam. Item Iliadis ζ Andromachen uxorem deterrentem a prælio, atque his respondentem Hectorem, mire servato cujusque personæ decoro. Nequequicquam est admirabilius in historiarum scriptoribus: nam Historicis hoc omnium suffragiis permissum est, orationem personis affingere, de Ethnicis loquor: an idem liceat Christianis in dubio est, nisi quod simile factum videtur in historia septem Maccabæorum, ac præter alios qui martyrum vitas conscripserunt, idem sibi permisisse videtur divus Ambrosius [2] in vita beatæ Agnetis.

Narratio præterquam quod aliquando fusius explicatur, & omnibus argumentis atque affectibus expletur, etiam crescit ἐπιδιηγήσει. Ea est, ut ostendit Fabius, repetita narratio, quoties res paucis, ac simpliciter exposita, denuo fusius & ornatius eadem narratur. Id quod fit vel invidiæ, vel miserationis causa. Præterea crescit item egressione subjecta. Quod ita demum permittit Fabius, si excursus ille sic adhæreat, ut sit quasi narrationis finis. Veluti si atrox fuerit circa finem narratio, prosequamur eam veluti spiritu protinus erumpente indignatione. Atque id quidem in causis seriis ac periculosis. Cæterum in re ad ostentationem parata nihil vetat, quo minus exposita re, in locum aliquem quam maxime plausibilem & amœnum exspatieris: quo simul & narrationis tædium abstergeas, & voluptate sermonis ad futuram probationem reddas alacriores. Hi loci cujusmodi sint, superius est demonstratum.

Propositio dilatabitur primum, si pro simplici, duplici, aut multiplici utemur, etiam si una sit satis, propterea quod alios alia movent. Ut si fecisset, præmio magis quam supplicio dignus erat. Aut res hæc nec est honesta, nec expedit, nec sine summo periculo fieri potest. Quod si maxime sit honesta, maxime expediat, maxime sit tuta, tamen fieri non potest ut consequamur. Deinde, si non nudam omnino, sed argumentis obiter interjectis, & affectibus accensam proferemus. Qualis est illa Ciceronis pro Milone: *Hæc*

[1] Vide Chiliadem 11. Cent. IX, 47. &c.

[2] Perperam *Ambrosio* eam tribui jam omnes fatentur. Vide Edit. *Ambrosii* Parisinam anni 1690. Tom. 2. pag. 475. in Suppositiciis.

sicut exposui, ita gesta sunt, judices. Insidiator superatus, vi victa vis, vel potius oppressa virtute audacia est. Deinde miscet affectus: *Nihil dico quid Respublica consecuta sit, nihil quid vos, nihil quid omnes boni, nihil sane id prosit Miloni, qui hoc fato natus est, ut ne se quidem servare potuerit, quin una Rempublicam vosque servaret.* Deinde argumenta congerit: *Si id jure non posset, nihil habeo quod defendam. Sin hoc & ratio doctis, & necessitas barbaris, & mos gentibus, feris natura ipsa praescripsit, ut omnem semper vim, quacunque ope possint, a corpore, a capite, de vita sua propulsarent: non potestis hoc facinus improbum jud care, quin simul judicetis omnibus qui in latrones inciderint, aut illorum telis, aut vestris sententiis esse pereundum.* Mox redit ad affectus: *Quod si ita putasset, certe optabilius Miloni fuit jugulum dare P. Clodio, non semel ab illo, neque tum primum petitum, quam jugulari a vobis, quia se illi jugulandum non tradidisset.* Atque item in sequentibus controversiam constituens, nam locus est notus, repetit summam argumentorum, quibus usus fuerat in exordio. Id tametsi magis licuit Ciceroni, propterea quod in exordio quaestiones aliquot tractaverat, tamen idem & alibi continget verbis commode interjectis, maxime in enumeratione aut expositione, quae est altera divisionis pars, de qua supra nonnihil attigimus, cum de propositionibus ageremus. Quod genus fuerit, si dissuasurus Ciceroni ne vitam ab Antonio accipiat, exustis Philippicis, sic proponas. Primum illud vide, mi Cicero, num te dignum sit, ut immortalem ingenii tui famam, tot paratam sudoribus, quaque tuos omnes illustrasti, ob tantulum aevi, quod tam grandi longum superesse non potest, exusto pulcherrimo omnium monumento repente aboleas. Deinde num forti viro, qui semper omnia posthabuerit libertati, ferendum sit, ut vitam rerum omnium optimam, & in qua sunt omnia, debeat ei portento, cui quovis etiam nomine obnoxius esse nemo liber velit. Postremo videat, ne parum prudentis sit in re tanta fidem habere hosti perfidissimo, qui nec amicis unquam fidem servarit. Neque perspicere, quod vel caeco appareat, nihil aliud agere versutissimum carnificem Antonium, nisi ut totum exstinguat Ciceronem. Nam simpliciter proponi poterat hoc modo. Primum non est tanti vita. Deinde miserum debere vitam inimico. Postremo decipere cupit Antonius, non servare. Quod si qua propositio durior videbitur, eam oportebit, velut exordiolo praemollire. Ut si proposueris laudare Platonis dogma de uxoribus communibus, ut hoc exempli causa sumatur, dices te non fugere, quod rem omnium sententia absurdissimam polliceri videris. Verum illud orabis, ut tantisper judicium suum differant, donec argumentorum summam audierint: nihil diffidere te, quin penitus exposita re sint in diversam sententiam pedibus ituri. Tantum illud cogitent, hoc quicquid est, non esse temere dictum a tanto Philosopho, quique caeteris in rebus ob excellentiam ingenii, divini cognomen promeruerit. Verum quod in formis hominum, idem in rerum judicio usu venire. Quasdam si procul & oscitanter aspicias, nihil venustius, fuco videlicet oculis imponente. Sin propius ac fixius contempleris, jam quod paulo ante mire blandiebatur oculis, majorem in modum incipit displicere. Silenis, nisi explices, quid magis ridiculum? Sin explices, quid augustius? Adeo veritas latet in abdito, nec oportet in dijudicandis rebus populum auctorem sequi, cui semper pessima pro optimis probari consueverint. Ergo seposita paulisper recepta illa & animis penitus infixa opinione, rem ipsam judicio perpendant, nec prius in hanc aut hanc partem flectant animum, quam totum argumentorum orbem acceperint. Quaedam enim fore, quae per se stulta videri possint. Verum si quis inter se conjuncta perceperit, is demum veri concentum, & harmoniam sensurus est. Hujusmodi praefatiuncula pro causae natura commode afficta, nonnunquam expedit auditoris animum ad secuturam argumentationem praeparare. Jam vero probationes, praeter eas locupletandi rationes, quas superius ostendimus crescunt labefactione, seu praeparatione & asseveratione.

Labefactamus autem seu praeparamus duobus modis. Propositionibus. Nunc autem voco propositiones non quae summam causae complectantur, sed veluti singularium partium collectiones seu conclusiones, quas Oratoribus mos est initio argumentorum proponere, & easdem in fine vehementius per affectus aut per epilogum repetere. De hoc genere dictum est superioribus titulis. Praeterea cum ita proponimus, ut ipsa orationis figura fidem abrogemus, aut conciliemus. Cujusmodi est illud Ciceronis pro Milone: *Sed antequam ad eam rationem veniam, quae est propria nostra quaestionis, videntur ea esse refutanda, quae in senatu saepe ab inimicis & improbis jactata sunt, & in concione etiam paulo ante accusatoribus.* Cum inimicos & improbos nominat, jam hoc ipso non parum fidei abrogavit adversariorum propositioni. Deinde propositionem ipsam per ironiam elevat. *Negant intueri lucem fas ei, qui a se hominem occisum fateatur.* Nam atrocitas illa verborum, *Negant intueri lucem fas*, pro eo quod erat, puniendus est, cum irrisione pronuncianda est. Adjunguntur hujusmodi praeparationes singulis etiam collectionum partibus. Quandoquidem eodem in loco Tullius exemplis refutaturus, quod erat propositum, ita praeparavit. *In qua tandem urbe homines stultissimi hoc disputant?* Deinde adjungit exemplum M. Horatii, cum sororem occidisset, absoluti. His non absimiles sunt asseverationes, quae cum argumenta non sint, tamen saepenumero pondus habent argumenti, si probationibus admisceantur. Ut quis tam caecus qui hoc non videat? Quis tam impudens, ut neget? Et illud, Stultius est quam ut refelli debeat. Quis enim non intelligit? &c. Et perfrica faciem, & aude negare. Haec cum ita sint, quae tandem impudentia est, &c.

Locupletantur & singulae collectiones epilogis particularibus, quae summam rationum paucis comprehensam, auditori denuo sub oculos revocant, ut majore cum fide conclusio succedat, qua quidem in re frequens est M. Tullius, propterea quod latius explicet argumentationis aciem. Hujus generis exemplum erit illud ex oratione [1] pro Pompejo: *Quare videte, num dubitandum vobis sit omni studio ad id bellum incumbere, in quo gloria nominis vestri, salus sociorum, vectigalia maxima, fortunae plurimorum civium, cum Republica defenduntur.* Denique crescunt & excursionibus per amplificationem, ut singulis probationibus suos affectus adjiciamus, ad quod proprie destinata est conclusio. Quam si copiosam esse volemus, geminam efficiemus, ut simul & per epilogum praecipua argumenta recenseantur, & affectuum omne genus per omnes locos tractetur. Eos ex Aristotele, & Quintiliano petere licebit. Quin & Poetae in hoc genere miri sunt. Vehementiores, quos Graeci πάθη vocant, suppeditant Ilias Homeri ac Tragoediae: moderatiores illos qui delectant potius quam perturbant, subministrat Odyssea Homeri & comoediae. Quanquam in Iliade, Graecorumque tragoediis saepe miscentur, ἤθη sic enim Graeci vocant affectus comicos: Latinorum tragoedia parcius hoc genere utitur.

Inter affectus autem ponenda delectatio, quanquam haec non in peroratione tantum, verum in tota oratione, cum res feret, debet admisceri. Porro quid cuique jucundum sit, Aristoteles in affectuum locis diligenter prosequitur, & de facetiis M. Tullius, Quintilianus de risu scripsere, traditis jocandi rationibus. Delectatio quae petitur e comicis affectibus, praecipue locum habet in narratione, vel quia rem veluti subjiciunt oculis, vel quia ab omnibus agnoscuntur. Quis enim non cum voluptate legat, quomodo apud Homerum [2] Andromache Hectori armato occurrit ad portam civitatis, qua proditurus erat in praelium: non sola, neque enim id decet pudicas matronas, sed comitabantur pedisequae: puerum in ulnis gestans Astyanactem Hectoris filium, patri unice carum. Et quod addit Homerus, *pulchro Sideri adsimilem*, quo per hunc uxor expugnaret affectus mariti. Hector tacite arrisit conspecto puero. Andromache propius adstans, dextram porrexit, ac nominatim compellavit. Dein post affictam utrique congruentem orationem, quum Hector infantem appeteret osculaturus: ille territus armorum splendore, ac crista e galeae fastigio minitante, clamans reflexit se in sinum nutricis. Hic risit uterque, pater & mater. At Hector sublatam e capite galeam humi deposuit, atque ita puerum amplexus, osculatus est. Mox ei fausta precatus, tradidit matri: illa eum excepit in sinum bene olentem δακρύοεν γελάσασα, id est, lachrymabile ridens. Ea res Hectori movit misericordiam, atque uxorem manu sustentans,

1 Hoc est, pro lege Manilia, de Pompejo Mithridatico bello praeficiendo.

2 Elegantissimus ille locus Homeri est Iliados Rhapsodia Z. sub finem libri.

tentans, consolatur, nomine eam appellans: mox reponit galeam. Illa marito obtemperans, domum se recipit: ibi muliebri fletu complentur omnia, quod crederent eum ex eo prælio non rediturum. Itaque spirantem adhuc pro mortuo deflent. Interim non mediocrem addunt gratiam intermixta epitheta. κορυθαιόλος ἕκτωρ. Et οὗ παιδὸς ὀρέξατο φαίδιμος ἕκτωρ. Et εὐζώνοιο τιθήνης. Et λόφον ἱπποχαίτην. Et πατήρ τε φίλος καὶ πότνια μήτηρ. Et κόρυθα παμφανόωσαν καὶ φίλον υἱὸν. Et ἀλόχοιο φίλης, & quod indicavimus κηώδεϊ κόλπῳ. Et κόρυθα ἱππουριν. Hæc virtus præcipue in causa est, cur nemo legens Homerum saturatur, sed perpetua voluptate ducitur. Hi sunt affectus de quibus scribit Horatius. *Morata recte fabula nullius Veneris, sine pondere & arte, Valdius oblectat populum, meliusque moratur Quam versus inopes rerum nugæque canoræ.* Sunt hujusmodi narrationes aliquot insignes apud M. Tullium. Velut in Philippica secunda de Antonio: *Vehebatur in Essedo tribunus plebis, lictores laureati antecedebant: inter quos aperta lectica mima portabatur*, &c. nam indicasse locum satis est. Sunt in eadem oratione & aliæ, quomodo capite involuto ad amicam literas amatorias pertulerit: quomodo Consul in lupercalibus cucurrerit.

Delectant & illa, quum non actio tantum, sed agentium gestus quoque describitur. Quale est illud in Pisonem: *Ita enim sunt perscripta scite & literate, ut scriba ad ærarium qui eas retulit, perscriptis rationibus secum ipse, caput sinistra perfricans commurmuratus sit: Ratio quidem hercle apparet, argentum* οἴχεται. Rursus illud: *Respondes, altero ad frontem sublato, altero ad mentum depresso supercilio, crudelitatem tibi non placere.* Quanquam hæc interim & ad fidem orationis faciunt, quum ea quæ velut extra narrationis necessitatem adjiciuntur, simplicitatis habent speciem. Fabius miratur narrationem M. Tullii pro Milone: *Milo quum in senatu fuisset eo die quo a senatu dimissus est, domum venit, calceos & vestimenta mutavit. Paulisper, dum se uxor, ut fit, comparat commoratus est.* Sunt item & figuræ, quæ ad orationis jucunditatem pertinent, quas non magni negocii est ex artis præceptis petere, & a nobis nisi multis verbis, referri non poterant. Delectant & allusiones sed agnoscentem duntaxat. Itaque in loco sunt adhibendæ.

EPILOGUS.

Ergo cui placebit Laconica illa breviloquentia, primum Atticorum exemplo præfationibus & affectibus abstineat. Rem simpliciter ac summatim exponat. Argumentis, non omnibus utatur, sed præcipuis duntaxat: eaque non explicatim, sed confertim adhibeat, ut in singulis prope verbis sit argumentatio, si quis explicare velit: fit docuisse contentus, ab amplificationibus, ab asseverationibus, a similibus, exemplis, sententiis, epiphonematis, fabulis, apologis, allusionibus, facetiis temperet, nisi quid horum ita erit necessarium, ut citra flagitium omitti non queat. Item ab omnibus figuris, quæ vel amplam, vel illustrem, vel acrem, vel ornatam, vel jucundam reddunt orationem, abstineat. Rem eandem ne aliis atque aliis formis tractet, & ita singula verbis significantibus explicet, ut multo plus intelligatur quam audiatur, & aliud ex alio colligi possit. Contra qui copiam sequitur, singula dilatare studebit his ferme quas dixi rationibus.

Quid utrobique vitandum.

At caveat uterque, ne quod fere fit, affectatione in finitima vitia delabatur. Brevitatis amator videat ne tantum hoc agat, ut pauca dicat, sed ut optima quam potest paucissimis. Et cui placet Homericum illud παῦρα μὲν, eidem placeat & hoc quod protinus sequitur, ἀλλὰ μάλα λιγέως. Et cui probatur οὐ πολύμυθος, non prætermittat & hoc quod statim subjicitur οὐδ' ἀφαμαρτοεπής. Nam nihil æque convenit breviloquentiæ, quam verborum proprietas & elegantia. Cui si accesserit simplicitas, facile vitabitur obscuritas, vitium, quod plerumque brevitatis studium comitari consuevit. At hic rursum videndum ne frigescat oratio, dum nullis affectibus inflammatur. Proinde res ita ponetur ante oculos, ut per se nonnullos aculeos tacite infigat animis, Tum omnia Attico lepore condienda erunt. Illud in primis cavendum, ne brevitatis studio necessaria dictu prætermittamus. Contra qui copiam petet, delectum item adhibeat oportet, & verborum, & rerum, & figurarum. Ne rationes sint futiles, exempla parum idonea, sententiæ frigidæ, excursus æquo longiores, parumque tempestivi, ne figuræ durius affectatæ. Quapropter ordinis ac dispositionis, summam oportet habere rationem, ne rerum indigesta turba, totus sermo perturbatus sit & confusaneus. Et ubique tædium varietate, jucunditate, risuque levandum. Varietas potissimum petitur a figuris, & ab eisdem jucunditas. Risus ab his præceptis quæ tradidit Cicero. Sunt autem & peculiares partium varietates non negligendæ. Proinde expediet plurimas exordiorum formulas in promptu habere. Sunt & narrationis complures modi, sunt argumentationum diversæ formæ, neque simplex affectuum natura, sed hæc a Rhetorum præceptis petantur, oportet. Admonendum hoc quoque, ne quovis in loco parem copiam affectemus. Sunt enim quædam sterilia. Verum relictis his quæ natura copiam non admittunt, partes maxime fœcundas ac tractabiles deligamus, nisi forte periclitandi aut ostentandi ingenii causa, libeat aliquando ex musca, quod ajunt, elephantum facere. Quemadmodum Favorinus febrim, Synesius calvitium, nos stultitiam Encomio, & ancoram Aldinam laudavimus in proverbiis. Sed in exercendo detur venia, si luxuriet adolescens. Cæterum ubi non luditur, sed res seria cum periculo agitur, ibi Rhetor non stultus adhibito consilio, copiæ modum ex utilitate causæ metietur.

Peroratio.

Adjeceram exemplum Thematis in arctum contracti, & ejusdem fusius explicati, quod hic non addo, ne sarcina major videatur accessio. Liber exstat ad illustrissimum Principem juniorem Gulielmum Ducem Clivensem, titulo, de pueris statim ac liberaliter instituendis.

FINIS.

THEODORI GAZÆ

THESSALONICENSIS

GRAMMATICÆ INSTITUTIONIS

LIBRI DUO,


PER

DESIDERIUM ERASMUM

ROTERODAMUM

In Latinam linguam conversi, ac distincti.

DESIDERIUS ERASMUS
ROTERODAMUS
JOANNI CÆSARIO JULIACENSI,
UTRIUSQUE LITERATURÆ VINDICI, *S. D.*



ABENT in omni disciplina, Cæsari carissime, præceptiones natura subamarum quiddam: verum hoc molestiæ, comes pensat utilitas. Proinde ut non possum non mirari quorundam fastidiosas delitias, qui quamlibet levi incommodo offensi protinus resiliunt a literis, tantam utilitatem in omnem usque vitam allaturis: ita rursus optimo jure indignor his, qui rei per se submolestæ, de suo molestiam addunt. Etenim dum ostentandæ eruditionis suæ studio, in ipso statim operis limine perplexa quædam infulciunt, quæ post erant tradenda, nimirum, rudem discipulum odio suo retundunt & alienant, quem allici inescarique potius oportuit, commoda brevitate, luce, ordine, simplicitate, aliisque id genus illecebris. At unus omnium Gaza, vir ubique sui similis, hoc est, in quavis materia insignis artifex, non minori judicio quam fide, discentis agit negocium: non id statim captans ut ipse doctus appareat, sed ut lectorem doctum reddat. Is primo libro, Deum immortalem, quo compendio, quam miro ordine, quanta simplicitate Grammatices summam complexus est, ceu simulacro quodam nobis delineato. Nos igitur quo magis etiam quorundam tædio consuleremus, commoditatem hanc nostra juvimus industria, eumque librum Latinum fecimus, exemplis duntaxat exceptis. Ad hæc titulis distinximus, & annotatiunculis additis nonnihil lucis addidimus, ut jam quam minimo negocio percipi possit. Mendas confessas modo sustulimus. Nam quod e doctissimis viris, qui cum Theodoro consuetudinem egerunt, quique huic interfuere negocio, olim audire memini: id liber ipse palam præ se fert, nimirum, locos aliquot a sciolis, & in alieno libro impudenter ingeniosis, perperam immutatos esse. Quod genus est illud, quod comparativum excipit in tertia nominum declinatione, quod præsens & præteritum imperfectum tanto verborum dispendio per modos omneis repetit: cum in his per omnia consentiant passiva cum mediis. Quod verborum in μι desinentium passivis additur futurum ac præteritum perfectum, cum regula præcedens negarit hæc tempora illis esse propria, quod & alias in horum declinatione miscet nonnullas voces primitivorum ac derivativorum. Atque hoc erroris Demetrio imputant Chalcondylo, viro tum probo, tum erudito: sed cujus mediocritas exactum illud ac sublime Theodori judicium haud quaquam assequi potuerit. Gratulor, mi Cæsari, nostro seculo, quo videmus passim repullulascere Græcas literas. Nam ut harum neglectus omnium bonarum disciplinarum, omnium elegantiorum auctorum πανολεθρίαν invexit, ita spes est futurum, ut his renatis & illa reflorescant. Illud aliquoties mecum soleo demirari, cum Sarmatæ, cum Scoti & Hiberni Græcas literas jampridem nec illibenter, nec infeliciter amplectantur, quo fato fiat ut una Agrippina, urbs ut vetustissima, ita celeberrima, quam conveniebat in hoc pulcherrimo negocio vel primam occupare laudem, meliores literas adeo gravatim recipiat. Etenim si studia, quibus nunc solenniter utitur, recta sunt, harum accessione non obliterabuntur illa, sed illustrabuntur: sin secus, magis etiam optandum, ut pro nothis sincera, pro frivolis utilia succedant: & juxta Diomedis ac Glauci permutationem [1] τὰ χαλκᾶ τῶν χρυσῶν ἀνταμείβωνται. *Quis enim sanus recuset, vel bona melioribus, vel mala bonis commutare? Hunc nostrum bidui laborem tibi visum est dicare, cum haudquaquam me fugeret, munusculum hoc longe infra tuam esse dignitatem: majora merebatur ista eruditio, ista morum integritas candorque, meliora flagitabat arctissima nostra familiaritas: verum hæc interim boni consulet humanitas tua, dum parantur tuis meritis digniora. Tu, mi Cæsari, fac pergas de literis ac seculo tuo benemereri, & istam quoque laudem Coloniensi scholæ addere. Vere generoso Comiti Hermano Novæ Aquilæ, aut (si Græce mavis) Neaetio, bonarum literarum candidissimo Mecænati, multam ex me salutem dicito. Antverpiæ, Anno* M D XVIII *Pridie natalis Joannis Baptistæ.*

1 *Ænea aureis mutentur.*

THEO-

THEODORI GAZÆ

THESSALONICENSIS

GRAMMATICÆ INSTITVTIONIS

LIBRI DVO,

PER DESIDERIVM ERASMVM ROTERODAMVM

In Latinam Linguam conversi, ac distincti.

LIBER PRIMVS.

SVMMA DIVISIO LITERARVM.

A 

QVATVOR & viginti literarum, vocales quidem septem, α ε η ι ο ω υ. Consonantes autem reliquæ septendecim.

Divisio vocalium.

Vocalium autem longæ quidem η ω. Breves vero, ε ο. Ancipites autem, α ι υ.

Compositio vocalium.

Ex quibus diphthongi proprie quidem αι æ, αυ [1] af, ει i, ευ ef, οι i, ου u. Improprie vero ᾳ ῃ ῳ υι.

Divisio consonantium.

Consonantium autem, Aliæ quidem semivocales, ut ζ ξ ψ λ μ ν ρ σ.

B *Subdivisio semivocalium.*

Quarum duplices quidem, ζ ξ ψ. Immutabiles autem & liquidæ, λ μ ν ρ. Aliæ vero mutæ, ut β γ δ κ π τ θ φ χ. Quarum tenues quidem κ π τ. Aspiratæ vero θ φ χ. Mediæ autem β γ δ.

Compositio literarum.

Ex dictis autem hisce literis constant syllabæ, unde dictiones, ex quibus oratio.

PARTES ORATIONIS.

Orationis autem partes sunt, Nomen, Verbum, Participium, Articulus, Pronomen, Præpositio, Adverbium, Conjunctio.

De Accentibus.

C Accentus autem sunt hi: Acutus ´ Gravis ` Circumflexus ῀ Aspiratus ῾ Tenuis ᾿ Apostrophus ᾿ Hyphen ‿ Diastole ,.

DE ARTICVLO.

Articulus, alius quidem præpositivus, ut ὁ, id est, *hic*. Alius vero postpositivus, ut ὃς, id est, *qui*.

Accidentia articulo.

Ac rursum, alius masculinus, ut ὁ, id est, *hic*. Alius vero fœmininus, ut ἡ, id est, *hæc*. Alius vero neuter, ut τὸ, id est, *hoc*. Habet autem & numerum, & casum accidentia. Numerum quidem singularem, dualem, pluralem. Casum autem, rectum, genitivum, dativum, accusativum.

DECLINATIO PRÆPOSITIVI.

Porro declinatio præpositivi quidem articuli sic habet.

D *Masculini.*

Rectus ὁ. genitivus τοῦ. dativus τῷ. accusativus τὸν. Rectus & accusativis τὼ. genitivus & dativus τοῖν. Rectus οἱ. genitivus τῶν. dativus τοῖς. accusativus τούς.

Fœminini.

Rectus ἡ. genitivus τῆς. dativus τῇ. accusativus τὴν. Rectus & accusativus τὰ. genitivus & dativus ταῖν. Rectus αἱ. genitivus τῶν. dativus ταῖς. accusativus τάς.

Neutri.

Rectus τὸ. genitivus τοῦ. dativus τῷ. accusativus τὸ. Rectus & accusativus τὼ. genitivus & dativus τοῖν. Rectus τὰ. genitivus τῶν. dativus τοῖς. accusativus τά.

E *De ὦ loco vocativi.*

Cæterum vocandi casum nullus habet articulus. Siquidem ὦ non est articulus, sed adverbium vocandi.

DECLINATIO POSTPOSITIVI.

Postpositivi vero declinatio sic habet.

Masculini.

Rectus ὅς. Genitivus οὗ. Datìvus ᾧ. Accusativus ὅν. Rectus & accusativus ὥ. Genitivus & Dativus οἷν. Rectus οἵ. Genitivus ὧν. Dativus οἷς. Accusativus οὕς. *In his mutatur τ in aspirationem, & fiunt duo accentus.*

Fœminini.

Rectus ἥ. Genitivus ἧς. Dativus ᾗ. Accusativus ἥν. Rectus & accusativus ἅ. Genitivus & Dativus αἷν. Rectus αἵ. Genitivus ὧν. Dativus αἷς. Accusativus ἅς.

Neutri.

Rectus ὅ. Genitivus οὗ. Dativus ᾧ. Accusativus ὅ. Rectus & Accusativus ὥ. Genitivus & Dativus οἷν. Rectus ἅ. Genitivus ὧν. Dativus οἷς. Accusativus ἅ.

DE NOMINE.

Nomen autem, aliud quidem proprium, ut σωκράτης, id est, *Socrates*. Aliud vero appellativum, ut ἄνθρωπος, id est, *homo*. Aliud autem adjectivum, ut ἀγαθὸς, id est, *bonus*. *Nominis divisio.* Aliud rursum relativum, ut οἷος, id est, *qualis*. Aliud autem interrogativum, ut ποῖος, id est, *qualis*. Aliud autem numerale, ut εἷς, id est, *unus*. δύο, id est, *duo*. τρεῖς, id est, *tres*. Cæterum accidentia habet hæc, genus, speciem, figuram, numerum, casum, personam. Genus quidem masculinum, ut λόγος, id est, *sermo*. Fœmininum, ut ἐπιστήμη, id est, *scientia*. Neutrum, ut ἀγαθὸν, id est, *bonum*. Speciem vero primitivam, ut πᾶς, id est, *omnis*. Derivativam, ut θέων, id est, *Theon*. Figuram autem simplicem, ut ἵππος, id est, *equus*. Compositam, ut φίλιππος, id est, *studiosus equorum*. Numerum vero singularem, ut θεὸς, id est, *Deus*. Dualem, ut θεὼ, id est, *duo dii*. Pluralem, ut θεοὶ, id est, *plures dii*. Casum autem, rectum, genitivum, dativum, accusativum, vocativum. Personas autem, tertiam, ut σωκράτης, *hic Socrates*, secundam, ut σώκρατες, id est, *o Socrates*.

DIVISIO DECLINATIONVM.

Declinatur autem aut paribus syllabis, ut αἰνείας αἰνείου, id est, *Æneas Æneæ*: aut imparibus syllabis, ut αἴας αἴαντος, id est, *Ajax Ajacis*. Ac paribus quidem syllabis quadrifariam: imparibus autem syllabis unico modo. Vnde & declinatio nominis, alia quidem vocetur prima, alia secunda, alia tertia, alia quarta. Porro quinta imparium est syllabarum.

PRIMA NOMINVM DECLINATIO.

Prima igitur, quæ est nominum in ας, aut ης desinentium masculinorum, quorum genitivus desinit in ου, dativus in ᾳ vel ῃ, accusativus in ν, cum vocali recti.

Exemplum nominum in ας.

Rectus ὁ αἰνείας. genitivus τοῦ αἰνείου. dativus τῷ αἰνείᾳ. accusativus τὸν αἰνείαν. vocativus ὦ αἰνεία. Rectus & accusativus τὼ αἰνεία. genitivus & dativus τοῖν αἰνείαιν. vocativus ὦ αἰνεία. Rectus οἱ αἰνεῖαι. genitivus τῶν αἰνειῶν. dativus τοῖς αἰνείαις. accusativus τοὺς αἰνείας. vocativus ὦ αἰνεῖαι.

Exemplum nominum in ης.

Ὁ χρύσης, τοῦ χρύσου, τῷ χρύσῃ, τὸν χρύσην, ὦ χρύση, & ὦ χρύσης. Τὼ χρύσα, τοῖν χρύσαιν, ὦ χρύσα. Οἱ χρύσαι, τῶν χρυσῶν, τοῖς χρύσαις, τοὺς χρύσας, ὦ χρύσαι.

SECVNDA NOMINVM DECLINATIO.

Secunda vero, quæ est nominum in α vel η desinentium fœmininorum, quorum genitivus in ας vel ης desinit: dativus in ᾳ vel ῃ, accusativus in ν cum vocali recti.

Exemplum nominis in α purum.

Ἡ μαῖα, τῆς μαίας, τῇ μαίᾳ, τὴν μαῖαν, ὦ μαῖα. Τὰ μαία, ταῖν μαίαιν, ὦ μαία. Αἱ μαῖαι, τῶν μαιῶν, ταῖς μαίαις, τὰς μαίας, ὦ μαῖαι.

Exemplum nominis in α non purum.

Ἡ μοῦσα, τῆς μούσης, τῇ μούσῃ. τὴν μοῦσαν. ὦ μοῦσα. Τὰ μούσα, ταῖν μούσαιν, ὦ μούσα. Αἱ μοῦσαι, τῶν μουσῶν, ταῖς μούσαις, τὰς μούσας, ὦ μοῦσαι.

[1] Hæc est recentior pronunciatio, quæ si recta esset, ου deberet pronunciari, *of*. non *ou*.

Exemplum nominum in η.

Ἡ τιμή, τῆς τιμῆς, τῇ τιμῇ, τὴν τιμήν, ὦ τιμή. Τὰ τιμὰ, ταῖν τιμαῖν, ὦ τιμά. Αἱ τιμαὶ, τῶν τιμῶν, ταῖς τιμαῖς, τὰς τιμὰς, ὦ τιμαί.

Annotatiuncula.

Sciendum est, quod sola nomina in α purum, aut in ρα, aut in δα, aut in θα desinentia, idem finale α, servant in declinatione, ut μαῖα μαίας μαίᾳ. Ἡμέρα ἡμέρας ἡμέρᾳ. Λήδα λήδας λήδᾳ. Κισσαίθα κισσαίθας κισσαίθᾳ.

TERTIA NOMINUM DECLINATIO.

Tertia vero, quæ est nominum in ος desinentium masculinorum, simul ac fœmininorum, & in ον neutrorum, exceptis comparativis, quorum Genitivus in ου definit. Dativus in ῳ, Accusativus in ν cum vocali recti.

Exemplum in ος masculinorum.

Ὁ θεός, τοῦ θεοῦ, τῷ θεῷ, τὸν θεόν, ὦ θεέ. Τὼ θεώ, τοῖν θεοῖν, ὦ θεώ. Οἱ θεοὶ, τῶν θεῶν, τοῖς θεοῖς, τοὺς θεοὺς, ὦ θεοί.

Exemplum in ος fœmininorum.

Ἡ ὁδός, τῆς ὁδοῦ, τῇ ὁδῷ, τὴν ὁδόν, ὦ ὁδέ. Τὰ ὁδώ, ταῖν ὁδοῖν, ὦ ὁδώ. Αἱ ὁδοί, τῶν ὁδῶν, ταῖς ὁδοῖς, τὰς ὁδοὺς, ὦ ὁδοί.

Exemplum in ον neutrorum.

Τὸ καλόν, τοῦ καλοῦ, τῷ καλῷ, τὸ καλόν, ὦ καλόν. Τὼ καλώ, τοῖν καλοῖν, ὦ καλώ. Τὰ καλὰ, τῶν καλῶν, τοῖς καλοῖς, τὰ καλὰ, ὦ καλά.

QUARTA NOMINUM DECLINATIO ATTICA.

Quarta declinatio, quæ est nominum in ως desinentium, masculinorum ac fœmininorum, & neutrorum in ων. quorum genitivus desinit in ω. dativus in ῳ. accusativus in ν. cum vocali recti.

Exemplum in ως masculinorum.

Ὁ μενέλεως, τοῦ μενέλεω, τῷ μενέλεῳ, τὸν μενέλεων, ὦ μενέλεως. Τὼ μενέλεω, τοῖν μενέλεων, ὦ μενέλεω. Οἱ μενέλεῳ τῶν μενέλεων, τοῖς μενέλεως, τοὺς μενέλεως, ὦ μενέλεῳ.

Exemplum in ως fœmininorum.

Ἡ ἅλως, τῆς ἅλω, τῇ ἅλῳ, τὴν ἅλων, ὦ ἅλως. Τὰ ἅλω, ταῖν ἅλων, ὦ ἅλω. Αἱ ἅλῳ, τῶν ἅλων, ταῖς ἅλως, τὰς ἅλως, ὦ ἅλῳ.

Exemplum in ων neutrorum.

Τὸ ἔυγεων, τοῦ ἔυγεω, τῷ ἔυγεῳ, τὸ ἔυγεων, ὦ ἔυγεων. Τὼ ἔυγεω, τοῖν ἔυγεων, ὦ ἔυγεω. Τὰ ἔυγεω, τῶν ἔυγεων, τοῖς ἔυγεως, τὰ ἔυγεω, ὦ ἔυγεῳ.

DE QUINTA NOMINUM DECLINATIONE.

Quinta declinatio, quæ est nominum masculinorum, simul & fœmininorum, ac neutrorum, quorum genitivus desinit in ος. dativus in ι. accusativus in α. præter neutra.

Exemplum masculinorum.

Ὁ αἴας, τοῦ αἴαντος, τῷ αἴαντι, τὸν αἴαντα, ὦ αἴας, & ὦ αἶαν. Τὼ αἴαντε, τοῖν αἰάντοιν, ὦ αἴαντε. Οἱ αἴαντες τῶν αἰάντων, τοῖς αἴασι, τοὺς αἴαντας, ὦ αἴαντες.

Exemplum fœmininorum.

Ἡ τρυγών, τῆς τρυγόνος, τῇ τρυγόνι, τὴν τρυγόνα, ὦ τρυγών. Τὰ τρυγόνε, ταῖν τρυγόνοιν, ὦ τρυγόνε. Αἱ τρυγόνες, τῶν τρυγόνων, ταῖς τρυγόσι, τὰς τρυγόνας, ὦ τρυγόνες.

Exemplum neutrorum.

Τὸ βῆμα, τοῦ βήματος, τῷ βήματι, τὸ βῆμα, ὦ βῆμα. Τὼ βήματε, τοῖν βημάτοιν, ὦ βήματε. Τὰ βήματα, τῶν βημάτων, τοῖς βήμασι, τὰ βήματα, ὦ βήματα.

DE NOMINIBUS CONTRACTIS.

QUINTÆ autem hujusce declinationis sunt & illa quæ contractionem patiuntur: alia quidem magis, alia vero minus. Quapropter etiam altera quidem *Multipassia*, altera vero *Paucipassia* vocentur.

Multipassiorum formæ tres.

Sint autem & multipassiorum, alia quidem appellata η ε ε, quod genus sunt hæc. Ὁ Δημοσθένης, τὸ ἀληθές, τὸ τεῖχος. id est, *Demosthenes, verum, murus.* Alia vero ι, ut ὄφις, σίνηπι. *serpens, sinapi.* Alia vero α, ut κρέας, *caro.*

Paucipassiorum formæ quinque.

Porro paucipassiorum, alia quidem vocentur ευ, ut βασιλεύς, id est, *rex.* Alia vero ου, βοῦς, id est, *bos.* Alia vero ω, ut λητώ, αἰδώς. id est, *latona, pudor.* Alia vero primum υ, ut ἡδύς, ἄστυ. id est, *jucundus, civitas.* Alia vero secundum υ, ut βότρυς, id est, *botrus.*

Regulæ aliquot.

Cæterum quibus modis, & in quibus casibus horum singula transmutentur, consideretur in his, si prius illud acceperimus, Omnium neutrorum, & omnium dualium eundem esse rectum & accusativum & vocativum: & omnium pluralium eundem esse rectum & vocativum.

A PRIMA FORMA CONTRACTORUM.

Contractiones nominum η ε ο. εο contrahitur in ου. ει in ει. εα in η. vel in ει. εε in η vel in ει. εοι in οῖ. εω in ῶ. ut τοῦ δημοσθένεος δημοσθένους. τῷ δημοσθένει δημοσθένει. τὸν δημοσθένεα δημοσθένη. Τὼ δημοσθένεε δημοσθένη. τοῖν δημοσθενέοιν δημοσθενοῖν. Οἱ δημοσθένεες δημοσθένεις. τῶν δημοσθενέων δημοσθενῶν. τοὺς δημοσθένεας δημοσθένεις. Exemplum neutrorum, ut τὰ τείχεα τείχη. τὰ ἀληθέα ἀληθῆ.

SECUNDA FORMA.

Contractiones nominum in ι. ιι contrahitur in ῖ. ιε in ῖ. ια in ῖ. ut τῷ ὄφιι ὄφι. Οἱ ὄφιες ὄφις. τοὺς ὄφιας ὄφις. Exemplum neutri, ut τὰ σινήπια σινήπι.

Annotatiuncula.

B Horum autem & ο genitivi, in ω transmutatur, & ι in ε, ut ὄφιος, ὄφεως, ὀφίοιν, ὄφεων. Atque in totum ι penultimæ in ε mutatur: proinde rursum contractiones existunt, quales in nominibus primæ formæ, ut τῷ ὄφεϊ ὄφει. οἱ ὄφεες ὄφεις. τοὺς ὄφεας ὄφεις. σινήπεα σινήπη.

TERTIA FORMA.

Contractiones eorum quæ habent α, Αο contrahitur in ω. αϊ in α. αε in α. αοιν in ῷν. αα in α longum. αω in ῶ, ut τοῦ κρέαος κρέως. τῷ κρέαϊ κρέᾳ. Τὼ κρέαε κρέα. τοῖν κρεάοιν κρεῷν. Τὰ κρέαα κρέα. τῶν κρεάων κρεῶν.

PRIMA FORMA ὀλιγοπαθῶν.

Contractiones nominum habentium ευ. ει contrahitur in ει. εε in ει. εα in ει. ut τῷ βασιλέϊ βασιλεῖ. οἱ βασιλέες βασιλεῖς. τοὺς βασιλέας βασιλεῖς.

Annotatiuncula.

C In his autem & ο genitivi in ω vertitur more Attico, ut τοῦ βασιλέος βασιλέως. At rursum ε in η vertitur in singulis casibus more Jonico, ut βασιλέως βασιλῆος, βασιλέϊ βασιλῆϊ. &c.

SECUNDA FORMA.

Contractiones nominum habentium ου. οε contrahitur in ου. οα in ου. Οἱ βόες βοῦς. τοὺς βόας βοῦς.

TERTIA FORMA.

Contractiones nominum habentium ω. οο mutatur in ου. οϊ in οι. οα in ω. ut Τῆς λητόος λητοῦς. τῇ λητόϊ λητοῖ. τὴν λητόα λητώ.

Annotatiuncula.

Horum dualia & pluralia tertiæ fiunt declinationis, ut Τὼ λητώ, ταῖν λητοῖν, αἱ λητοὶ τῶν λητῶν. &c.

D QUARTA FORMA.

Contractiones nominum habentium prius υ. ει mutatur in ει. εε in ει. εα in ει. ut Τῷ ἡδέϊ ἡδεῖ, Οἱ ἡδέες ἡδεῖς. τοὺς ἡδέας ἡδεῖς.

QUINTA FORMA.

Contractiones nominum habentium secundum υ. υε mutatur in υ. υα in υ. ut Οἱ βότρυες βότρυς. τοὺς βότρυας βότρυς.

Annotatiuncula.

Fiat autem & singularis accusativus, & nominum habentium ου, & habentium utrumque υ, a recto, converso ς in ν, ut ὁ βοῦς, τὸν βοῦν. ὁ βότρυς, τὸν βότρυν. ὁ ἡδύς, τὸν ἡδύν. Et nominum habentium ι consimiliter, exceptis videlicet neutris, ὄφις, ὄφιν. *Apparet hanc exceptionem additam ab aliquo.*

Diversi inflexionum modi.

E Nominaliter quidem declinetur sic, ut dictum est, quinque formis: verum secundum genera fit, velut a genere in genus transformatio, ut ὁ δίκαιος, ἡ δικαία, τὸ δίκαιον. ὁ ἡδύς, ἡ ἡδεῖα, τὸ ἡδύ.

DE NUMERALIBUS.

Numeralia vero nomina, quæ unum significant, singulariter semper declinantur: porro quæ duo, dualiter: quæ autem plura, pluraliter: hoc modo: Εἷς, ἑνός, ἑνί, ἕνα. Μία, μιᾶς, μιᾷ, μίαν. Ἓν, ἑνός, ἑνί, ἕν. Δύο, δυοῖν. Τρεῖς, τριῶν, τρισί, τρεῖς. τρία, τριῶν, τρισί, τρία. Τέσσαρες, τεσσάρων, τέσσαρσι, τέσσαρας. τέσσαρα τεσσάρων, τέσσαρσι, τέσσαρα. A quatuor autem usque ad centum nullus numerus declinatur.

DIVISIO NOMINIS JUXTA ACCIDENTIA.

F Inter ea vero quæ accidunt nomini, derivativorum, aliud quidem patronymicum, aliud autem comparativum, aliud superlativum, aliud diminutivum, aliud possessivum, aliud denominativum, aliud verbale.

Terminationes patronymicorum.

Est autem masculinum quidem patronymicum, aut in δης, ut πρίαμος πριαμίδης. ἥλιος ἡλιάδης, πέλοψ πέλοπος πελοπίδης, ἀτρεύς ἀτρέως ἀτρείδης. Aut in ων, ut ἀτρεύς ἀτρέως ἀτρείων. Fœmininum autem in ις, ut πριαμίδης πριαμίς. Aut in ας, ut ἡλιάδης ἡλιάς.

Termi-

Terminatio comparativorum.

Comparativorum autem, aliud quidem in ερος, ut πλούσιος, πλουσιώτερος, πλουσιωτέρα, πλουσιώτερον. Aliud vero in ων, καλὸς, καλλίων. id est, hic & hæc pulchrior. τὸ κάλλιον. id est, hoc pulchrius.

Superlativorum.

Superlativum autem aliud quidem in τατος, ut πλουσιώτατος πλουσιωτάτη πλουσιώτατον. Aliud vero in ϛος, ut κάλλιϛος, καλλίϛη, κάλλιϛον.

Terminationes diminutivorum.

Diminutivum vero, aliud quidem in κος, ut ἀνθρωπίσκος. id est, *homunculus*. νεανίσκος, id est, *adolescentulus*. Aliud autem in ιον, ut ἀνθρώπιον. id est, *homuncio*: aliud in αδιον, ut κρεάδιον. id est, *caruncula*: aliud in υδριον, ut λογύδριον. id est, *ratiuncula*: aliud in υλλιον, ut μειρακύλλιον. id est, *juvenculus*: aliud in αριον, ut ποδάριον. id est, *herbula*: aliud in αξ, ut λίθαξ. id est, *lapillus*: aliud in ις, genere fœminino, ut νησὶς. id est, *insulula*.

Terminationes possessivorum.

Possessivum autem aliud quidem in κος, ut ἀττικὸς, δαρικὸς, δαρικὴ, δαρικόν. Aliud vero in ειος, ut αἰάντειος, αἰαντεία, αἰάντειον.

Denominativum.

Denominativum autem θεῖον ab hoc nomine θεός.

Verbale.

Verbale vero, ut φιλήμων, id est, *amicus*: ab hoc verbo πεφίλημαι. id est, *amatus fui*.

VERBORVM GENERA.

C Porro verbum aliud quidem activum, ut τύπτω. id est, *verbero*. Aliud autem passivum, ut τύπτομαι. id est, *verberor*. Aliud medium, sive commune, ut βιάζομαι. id est, *compello*, sive *compellor*. Aliud neutrum, ut ὑγιαίνω, id est, *sanus sum*. Aliud per se activum, ut μάχομαι, id est, *pugno*. Aliud per se passivum, ut πάσχω, id est, *patior*.

Terminationes verborum.

Præterea aliud in ω barytonum, hoc est, penultima acuta, ut τέρπω. id est, *delecto*. Aliud in ῶ circumflexum ex contractione, ut ποιῶ. id est, *facio*. Aliud in μι, ut τίθημι. id est, *pono*.

Accidentia verbo.

Habet autem accidentia, speciem, figuram, numerum, personam, tempus, modum. Speciem quidem primitivam, ut ἄρδω, id est, *rigo*. Derivativam, ut ἀρδεύω, id est, *rigo*. D Figuram autem simplicem, ut φρονῶ, id est, *sapio*. Compositam, ut καταφρονῶ, id est, *despicio*. Numerum autem singularem, ut λέγω, id est, *dico*. Dualem, ut λέγετον, id est, *dicitis* vos duo. Pluralem, ut λέγουσι, id est, *dicunt* plures. Personam autem primam, ut γράφω, id est, *scribo*. Secundam, γράφεις, id est, *scribis*. Tertiam, γράφει, id est, *scribit*. Tempus autem, sive casum. Præsens, Præteritum Imperfectum, Futurum, Indefinitum, Præteritum perfectum, Præteritum plus quam perfectum. Modum autem, Indicativum, Imperativum, Optativum, Subjunctivum, Infinitum.

CONJVGATIONES QVOT?

E Porro declinationes verbi, sive conjugationes sunt quinque, quatuor in ω desinentium, una in μι.

Annota, quæ tempora cum quibus conveniant in consonantibus conjugatoriis.

PRIMA CONJVGATIO VERBORVM JVXTA *congruentiam temporum*.

PRIMA quidem igitur, quæ est verborum habentium β π φ πτ. ut λείβω, τέρπω, γράφω, τύπτω. quorum futurum per ψ, præteritum perfectum per φ.

Activa.

Præsens τύπτω. Præteritum imperfectum ἔτυπτον. Futurum τύψω. Indefinitum prius ἔτυψα. Præteritum perfectum τέτυφα. Præteritum plus quam perfectum ἐτετύφειν. Indefinitum secundum ἔτυπον. Futurum secundum τυπῶ.

Media.

F Præsens τύπτομαι. Præteritum imperfectum ἐτυπτόμην. Futurum τύψομαι. Indefinitum prius ἐτυψάμην. Præteritum perfectum τέτυπα. Præteritum plus quam perfectum ἐτετύπειν. Infinitum secundum ἐτυπόμην. Futurum secundum τυποῦμαι.

Passiva.

Præsens τύπτομαι. Præteritum imperfectum ἐτυπτόμην. Præteritum perfectum τέτυμμαι. Præteritum plus quam perfectum ἐτετύμμην. Indefinitum prius ἐτύφθην. Futurum primum τυφθήσομαι. Indefinitum secundum ἐτύπην. Futurum secundum τυπήσομαι. Mox futurum τετύψομαι.

SECVNDA CONJVGATIO.

A SECVNDA vero, quæ est verborum habentium γ aut κ aut χ aut κτ aut σσ aut ττ aut ζ, ut, λέγω, πλέκω, ἔχω, τίκτω, ὀρύττω, παίζω. Quorum futurum per ξ, præteritum autem perfectum per χ.

Activa.

Præsens πλέκω. Præteritum imperfectum ἔπλεκον. Futurum πλέξω. Indefinitum prius ἔπλεξα. Præteritum perfectum πέπλεχα. Præteritum plus quam perfectum ἐπεπλέχειν. Indefinitum secundum ἔπλακον. Futurum secundum πλακῶ.

Media.

B Præsens πλέκομαι. Præteritum imperfectum ἐπλεκόμην. Futurum πλέξομαι. Indefinitum primum ἐπλεξάμην. Præteritum perfectum πέπλοκα. Præteritum plus quam perfectum ἐπεπλόκειν. Indefinitum secundum ἐπλακόμην. Futurum secundum πλακοῦμαι.

Passiva.

Præsens πλέκομαι. Præteritum imperfectum ἐπλεκόμην. Præteritum perfectum πέπλεγμαι. Præteritum plus quam perfectum ἐπεπλέγμην. Indefinitum prius ἐπλέχθην. Futurum primum πλεχθήσομαι. Indefinitum secundum ἐπλάκην. Futurum secundum πλακήσομαι. Mox futurum πεπλέξομαι.

TERTIA CONJVGATIO.

TERTIA vero, quæ est verborum habentium δ aut θ aut τ aut ζ aut ττ aut ω purum: ut ᾄδω, πλήθω, ἀνύτω, φράζω, πλάττω, ἀκούω. Quorum futurum quidem per σ. Præteritum vero perfectum per κ.

Activa.

Præsens ἀκούω. Præteritum imperfectum ἤκουον. Futurum ἀκούσω. Indefinitum prius ἤκουσα. Præteritum perfectum ἤκουκα. Præteritum plus quam perfectum ἠκούκειν. Indefinitum secundum ἤκοον. Futurum secundum ἀκοῶ.

Media.

Præsens ἀκούομαι. Præteritum imperfectum ἠκουόμην. Futurum ἀκούσομαι. Indefinitum prius ἠκουσάμην. Præteritum perfectum ἤκοα. Præteritum plus quam perfectum ἠκόειν. Indefinitum secundum ἠκοόμην. Futurum secundum ἀκοοῦμαι.

Passiva.

Præsens ἀκούομαι. Præteritum imperfectum ἠκουόμην. Præteritum perfectum ἤκουσμαι. Præteritum plus quam perfectum ἠκούσμην. Indefinitum prius ἠκούσθην. Futurum primum ἀκουσθήσομαι. Indefinitum secundum ἠκόην. Futurum secundum ἀκοήσομαι. Mox futurum ἠκούσομαι.

QVARTA CONJVGATIO.

QVARTA vero, quæ est verborum habentium quatuor immutabiles λ μ ν ρ. ut ψάλλω, νέμω, κρίνω, σπείρω. Quorum futurum quidem per eandem immutabilem circumflexum, correpta simul penultima: porro præteritum perfectum per κ.

Activa.

Præsens σπείρω. Præteritum imperfectum ἔσπειρον. Futurum σπερῶ. Indefinitum prius ἔσπειρα. Præteritum perfectum ἔσπαρκα. Præteritum plus quam perfectum ἐσπάρκειν. Indefinitum secundum ἔσπαρον. Futurum secundum σπαρῶ.

Media.

Præsens σπείρομαι. Præteritum imperfectum ἐσπειρόμην. Futurum σπεροῦμαι. Indefinitum prius ἐσπειράμην. Præteritum perfectum ἔσπορα. Præteritum plus quam perfectum ἐσπόρειν. Indefinitum secundum ἐσπαρόμην. Futurum secundum σπαροῦμαι.

Passiva.

Præsens σπείρομαι. Præteritum imperfectum ἐσπειρόμην. Præteritum perfectum ἔσπαρμαι. Præteritum plus quam perfectum ἐσπάρμην. Indefinitum prius ἐσπάρθην. Futurum primum σπαρθήσομαι. Indefinitum secundum ἐσπάρην. Futurum secundum σπαρήσομαι. Mox futurum ἐσπάρσομαι.

QVINTA VERBORVM CONJVGATIO.

QVINTA autem, quæ est verborum in μι desinentium omnium, ut ἵστημι, τίθημι, δίδωμι, ζεύγνυμι, quæ sane cum a verbis in ω purum desinentibus deducantur, partim fiunt a verbis habentibus αω, ut ἱστάω ἵστημι. partim ab habentibus εω, ut τιθέω τίθημι. partim ab habentibus οω, ut διδόω δίδωμι. partim ab habentibus υω, ut ζευγνύω ζεύγνυμι.

Regula de verbis in μι.

Et in passivo ac medio, tum in duali ac plurali, horum unumquodque syllabam penultimam habet correptam in penultimam vocalem verbi originalis unde deducitur, ut ἵςημι, ἵςαμαι. τίθημι, τίθεμαι. δίδωμι, δίδομαι. ζεύγνυμι, ζεύγνυμαι. Atque in totum & auctus, & diminutiones in singulis, tum ab eadem propria originali vocali, tum in eandem fiunt, juxta analogiam, ut ἵςην, ςὰς, ςάτος, ςαίην. Porro futurum his proprium nullum est, Neque item præteritum perfectum, Præteritum autem imperfectum, & secundum indefinitum in ν desinit, addita vocali præsentis penultima.

Activa.

Præsens τίθημι. Præteritum imperfectum ἐτίθην. Secundum indefinitum ἔθην. B

Media.

Præsens τίθεμαι. Præteritum imperfectum ἐτιθέμην. Secundum indefinitum ἐθέμην.

Passiva.

Præsens τίθεμαι. Præteritum imperfectum ἐτιθέμην. Præteritum perfectum τέθειμαι. Præteritum plus quam perfectum ἐτεθείμην. Indefinitum ἐτέθην. Futurum τεθήσομαι.

Activa.

Præsens ἵςημι. Præteritum imperfectum ἵςην. Indefinitum secundum ἔςην.

Media.

Præsens ἵςαμαι. Præteritum imperfectum ἱςάμην. Indefinitum secundum ἐςάμην. C

Passiva.

Præsens ἵςαμαι. Præteritum imperfectum ἱςάμην. Præteritum perfectum ἕςαμαι. Præteritum plus quam perfectum ἑςάμην. Indefinitum ἐςάθην. Futurum ςαθήσομαι.

Activa.

Præsens δίδωμι. Præteritum imperfectum ἐδίδων. Indefinitum secundum ἔδων.

Media.

Præsens δίδομαι. Præteritum imperfectum ἐδιδόμην. Indefinitum secundum ἐδόμην.

Passiva.

Præsens δίδομαι. Præteritum imperfectum ἐδιδόμην. D
Præteritum perfectum δέδομαι. Præteritum plus quam perfectum ἐδεδόμην. Indefinitum ἐδόθην. Futurum δοθήσομαι.

Activa.

Præsens ζεύγνυμι. Præteritum imperfectum ἐζεύγνυν.

Media & passiva.

Præsens ζεύγνυμαι. Præteritum imperfectum ἐζευγνύμην.

Annotationes aliquot.

Consonantes autem futuri sunt hæ ψ ξ σ. & cum his immutabiles. Sciendum vero, quod quoties verbum incipit ab α. ε. ο. sive solis, sive in diphthongo positis, tum temporis fit augmentum in singulis præteritis, ad hunc modum. A vertitur in η. αι in ῃ. αυ in ηυ. ε in η vel ει. ευ in ηυ. ο in ω. οι in ῳ. E

Inflexio verborum juxta genera.

Atque hæc quidem est inflexio verborum juxta tempora. Sit autem & secundum genera declinatio, quæ mutato genere figuretur hoc modo: Τύπτω, τύπτομαι. ἔτυπτον, ἐτυπτόμην. τύψω, τύψομαι. ἔτυψα, ἐτυψάμην. Et reliqua consimiliter videlicet a singulis ejusdem nominis activis, unde derivantur: excepto præterito plus quam perfecto, & indefinito primo, & futuris passivi. Sane totum hoc simul, verbalis inflexio vocetur.

Inflexio juxta personas & modos.

Sit autem & alia quædam inflexio juxta modos, & rursus alia juxta personas, hoc pacto. F

CONJUGATIO TOTIUS VERBI. ACTIVA. PRÆSENS.

Indicativum.

Τύπτω τύπτεις τύπτει, τύπτετον τύπτετον, τύπτομεν τύπτετε τύπτουσι.

PRÆTERITUM IMPERFECTUM.

ἔτυπτον ἔτυπτες ἔτυπτε, ἐτύπτετον ἐτυπτέτην, ἐτύπτομεν ἐτύπτετε ἔτυπτον.

Imperativum.

τύπτε τυπτέτω, τύπτετον τυπτέτων, τύπτετε τυπτέτωσαν.

Optativum.

τύπτοιμι τύπτοις τύπτοι, τύπτοιτον τυπτοίτην, τύπτοιμεν τύπτοιτε τύπτοιεν.

Subjunctivum.

A ἐὰν τύπτω τύπτῃς τύπτῃ, ἐὰν τύπτητον τύπτητον, ἐὰν τύπτωμεν τύπτητε τύπτωσι.

Infinitum.

τύπτειν.

FUTURUM.

Indicativum.

τύψω τύψεις τύψει, τύψετον τύψετον, τύψομεν τύψετε τύψουσιν.

Optativum.

τύψοιμι τύψοις τύψοι, τύψοιτον τυψοίτην, τύψοιμεν τύψοιτε τύψοιεν.

Infinitum.

τύψειν.

B INDEFINITUM PRIMUM.

Indicativum.

ἔτυψα ἔτυψας ἔτυψε, ἐτύψατον ἐτυψάτην, ἐτύψαμεν ἐτύψατε ἔτυψαν.

Imperativum.

τύψον τυψάτω, τύψατον τυψάτων, τύψατε τυψάτωσαν.

Optativum.

τύψαιμι τύψαις τύψαι, τύψαιτον τυψαίτην, τύψαιμεν τύψαιτε τύψαιεν.

Subjunctivum.

ἐὰν τύψω τύψῃς τύψῃ, ἐὰν τύψητον τύψητον, ἐὰν τύψωμεν τύψητε τύψωσιν.

Infinitum.

C τύψαι.

PRÆTERITUM PERFECTUM.

Indicativum.

τέτυφα τέτυφας τέτυφε, τετύφατον τετύφατον, τετύφαμεν τετύφατε τετύφασιν.

Imperativum.

τέτυφε τετυφέτω, τετύφετον τετυφέτων, τετύφετε τετυφέτωσαν.

Optativum.

τετύφοιμι τετύφοις τετύφοι, τετύφοιτον τετυφοίτην, τετύφοιμεν τετύφοιτε τετύφοιεν.

Subjunctivum.

D ἐὰν τετύφω τετύφῃς τετύφῃ, ἐὰν τετύφητον τετύφητον, ἐὰν τετύφωμεν τετύφητε τετύφωσιν.

Infinitum.

τετυφέναι.

PRÆTERITUM PLUSQUAMPERFECTUM.

Indicativum.

ἐτετύφειν ἐτετύφεις ἐτετύφει, ἐτετύφειτον ἐτετυφείτην, ἐτετύφειμεν ἐτετύφειτε ἐτετύφεισαν.

INDEFINITUM SECUNDUM.

Indicativum.

ἔτυπον ἔτυπες ἔτυπε, ἐτύπετον ἐτυπέτην, ἐτύπομεν ἐτύπετε ἔτυπον.

Imperativum.

E τύπε τυπέτω, τύπετον τυπέτων, τύπετε τυπέτωσαν.

Optativum.

τύποιμι τύποις τύποι, τύποιτον τυποίτην, τύποιμεν τύποιτε τύποιεν.

Subjunctivum.

ἐὰν τύπω τύπῃς τύπῃ, ἐὰν τύπητον τύπητον, ἐὰν τύπωμεν τύπητε τύπωσι.

Infinitum.

τυπεῖν.

FUTURUM SECUNDUM.

Indicativum.

τυπῶ τυπεῖς τυπεῖ, τυπεῖτον τυπεῖτον, τυποῦμεν τυπεῖτε
F τυποῦσι.

Optativum.

τυποῖμι τυποῖς τυποῖ, τυποῖτον τυποίτην, τυποῖμεν τυποῖτε τυποῖεν.

Infinitum.

τυπεῖν.

MEDIA. PRÆSENS.

Indicativum.

τύπτομαι τύπτῃ τύπτεται, τυπτόμεθον τύπτεσθον τύπτεσθον, τυπτόμεθα τύπτεσθε τύπτονται.

PRÆTERITUM IMPERFECTUM.

ἐτυπτόμην ἐτύπτου ἐτύπτετο, ἐτυπτόμεθον ἐτύπτεσθον ἐτυπτέσθην, ἐτυπτόμεθα ἐτύπτεσθε ἐτύπτοντο.

Impera-

Imperativum. A

τύπτου τυπτέσθω, τύπτεσθον τυπτέσθων, τύπτεσθε τυπτέσθωσαν.

Optativum.

τυπτοίμην τύπτοιο τύπτοιτο, τυπτοίμεθον τύπτοισθον τυπτοίσθην, τυπτοίμεθα τύπτοισθε τύπτοιντο.

Subjunctivum.

ἐὰν τύπτωμαι τύπτῃ τύπτηται, ἐὰν τυπτώμεθον τύπτησθον τύπτησθον, ἐὰν τυπτώμεθα τύπτησθε τύπτωνται.

Infinitum.

τύπτεσθαι.

FVTVRVM PRIMVM.

Indicativum.

τύψομαι τύψῃ τύψεται, τυψόμεθον τύψεσθον τύψεσθον, τυψόμεθα τύψεσθε τύψονται. B

Optativum.

τυψοίμην τύψοιο τύψοιτο, τυψοίμεθον τύψοισθον τυψοίσθην, τυψοίμεθα τύψοισθε τύψοιντο.

Infinitum.

τύψεσθαι.

INDEFINITVM PRIMVM.

Indicativum.

ἐτυψάμην ἐτύψω ἐτύψατο, ἐτυψάμεθον ἐτύψασθον ἐτυψάσθην, ἐτυψάμεθα ἐτύψασθε ἐτύψαντο.

Imperativum.

τύψαι τυψάσθω, τύψασθον τυψάσθων, τύψασθε τυψάσθωσαν.

Optativum. C

τυψαίμην τύψαιο τύψαιτο, τυψαίμεθον τύψαισθον τυψαίσθην, τυψαίμεθα τύψαισθε τύψαιντο.

Subjunctivum.

ἐὰν τύψωμαι τύψῃ τύψηται, ἐὰν τυψώμεθον τύψησθον τύψησθον, ἐὰν τυψώμεθα τύψησθε τύψωνται.

Infinitum.

τύψασθαι.

PRÆTERITVM PERFECTVM.

Indicativum.

τέτυπα τέτυπας τέτυπε, τετύπατον τετύπατον, τετύπαμεν τετύπατε τετύπασιν.

Imperativum.

τέτυπε τετυπέτω, τετύπετον τετυπέτων, τετύπετε τετυπέτωσαν. D

Optativum.

τετύποιμι τετύποις τετύποι, τετύποιτον τετυποίτην, τετύποιμεν τετύποιτε τετύποιεν.

Subjunctivum.

ἐὰν τετύπω τετύπῃς τετύπῃ, ἐὰν τετύπητον τετύπητον, ἐὰν τετύπωμεν τετύπητε τετύπωσιν.

Infinitum.

τετυπέναι.

PRÆTERITVM PLVSQVAMPERFECTVM.

Indicativum.

ἐτετύπειν ἐτετύπεις ἐτετύπει, ἐτετύπειτον ἐτετυπείτην, ἐτετύπειμεν ἐτετύπειτε ἐτετύπεισαν. E

INDEFINITVM SECVNDVM.

Indicativum.

ἐτυπόμην ἐτύπου ἐτύπετο, ἐτυπόμεθον ἐτύπεσθον ἐτυπέσθην, ἐτυπόμεθα ἐτύπεσθε ἐτύποντο.

Imperativum.

τυποῦ τυπέσθω, τύπεσθον τυπέσθων, τύπεσθε τυπέσθωσαν.

Optativum.

τυποίμην τύποιο τύποιτο, τυποίμεθον τύποισθον τυποίσθην, τυποίμεθα τύποισθε τύποιντο.

Subjunctivum.

ἐὰν τύπωμαι τύπῃ τύπηται, ἐὰν τυπώμεθον τύπησθον τύπησθον, ἐὰν τυπώμεθα τύπησθε τύπωνται. F

Infinitum.

τυπέσθαι.

FVTVRVM SECVNDVM.

Indicativum.

τυποῦμαι τυπῇ τυπεῖται, τυπούμεθον τυπεῖσθον τυπεῖσθον, τυπούμεθα τυπεῖσθε τυποῦνται.

Optativum.

τυποίμην τυποῖο τυποῖτο, τυποίμεθον τυποῖσθον τυποίσθην, τυποίμεθα τυποῖσθε τυποῖντο.

Infinitum.

τυπεῖσθαι.

PASSIVA. PRÆSENS.

Indicativum.

τύπτομαι τύπτῃ τύπτεται, τυπτόμεθον τύπτεσθον τύπτεσθον, τυπτόμεθα τύπτεσθε τύπτονται.

PRÆTERITVM IMPERFECTVM.

ἐτυπτόμην ἐτύπτου ἐτύπτετο, ἐτυπτόμεθον ἐτύπτεσθον ἐτυπτέσθην, ἐτυπτόμεθα ἐτύπτεσθε ἐτύπτοντο.

Imperativum.

τύπτου τυπτέσθω, τύπτεσθον τυπτέσθων, τύπτεσθε τυπτέσθωσαν.

Optativum.

τυπτοίμην τύπτοιο τύπτοιτο, τυπτοίμεθον τύπτοισθον τυπτοίσθην, τυπτοίμεθα τύπτοισθε τύπτοιντο.

Subjunctivum.

ἐὰν τύπτωμαι τύπτῃ τύπτηται, ἐὰν τυπτώμεθον τύπτησθον τύπτησθον, ἐὰν τυπτώμεθα τύπτησθε τύπτωνται.

Infinitum.

τύπτεσθαι.

PRÆTERITVM PERFECTVM.

Indicativum.

τέτυμμαι τέτυψαι τέτυπται, τετύμμεθον τέτυφθον τέτυφθον, τετύμμεθα τέτυφθε τετύφαται.

PRÆTERITVM PLVSQVAMPERFECTVM.

Indicativum.

ἐτετύμμην ἐτέτυψο ἐτέτυπτο, ἐτετύμμεθον ἐτέτυφθον ἐτετύφθην, ἐτετύμμεθα ἐτέτυφθε ἐτετύφατο.

Imperativum.

τέτυψο τετύφθω, τέτυφθον τετύφθων, τέτυφθε τετύφθωσαν.

Infinitum.

τετύφθαι.

INDEFINITVM PRIMVM.

Indicativum.

ἐτύφθην ἐτύφθης ἐτύφθη, ἐτύφθητον ἐτυφθήτην, ἐτύφθημεν ἐτύφθητε ἐτύφθησαν.

Imperativum.

τύφθητι τυφθήτω, τύφθητον τυφθήτων, τύφθητε τυφθήτωσαν.

Optativum.

τυφθείην τυφθείης τυφθείη, τυφθείητον τυφθειήτην, τυφθείημεν τυφθείητε τυφθείησαν, aut τυφθεῖεν.

Subjunctivum.

ἐὰν τυφθῶ τυφθῇς τυφθῇ, ἐὰν τυφθῆτον τυφθῆτον, ἐὰν τυφθῶμεν τυφθῆτε τυφθῶσι.

Infinitum.

τυφθῆναι.

FVTVRVM PRIMVM.

Indicativum.

τυφθήσομαι τυφθήσῃ τυφθήσεται, τυφθησόμεθον τυφθήσεσθον τυφθήσεσθον, τυφθησόμεθα τυφθήσεσθε τυφθήσονται.

Optativum.

τυφθησοίμην τυφθήσοιο τυφθήσοιτο, τυφθησοίμεθον τυφθήσοισθον τυφθησοίσθην, τυφθησοίμεθα τυφθήσοισθε τυφθήσοιντο.

Infinitum.

τυφθήσεσθαι.

INDEFINITVM SECVNDVM.

Indicativum.

ἐτύπην ἐτύπης ἐτύπη, ἐτύπητον ἐτυπήτην, ἐτύπημεν ἐτύπητε ἐτύπησαν.

Imperativum.

τύπηθι τυπήτω, τύπητον τυπήτων, τύπητε τυπήτωσαν.

Optativum.

τυπείην τυπείης τυπείη, τυπείητον τυπειήτην, τυπείημεν τυπείητε τυπείησαν, aut τυπεῖεν.

Subjunctivum.

ἐὰν τυπῶ τυπῇς τυπῇ. ἐὰν τυπῆτον τυπῆτον, ἐὰν τυπῶμεν τυπῆτε τυπῶσι.

Infinitum.

τυπῆναι.

FVTVRVM SECVNDVM.

Indicativum.

τυπήσομαι τυπήσῃ τυπήσεται, τυπησόμεθον τυπήσεσθον τυπήσεσθον, τυπησόμεθα τυπήσεσθε τυπήσονται.

Optativum.

τυπησοίμην τυπήσοιο τυπήσοιτο, τυπησοίμεθον τυπήσοισθον τυπησοίσθην, τυπησοίμεθα τυπήσοισθε τυπήσοιντο.

Infini-

A *Infinitum.*

τυπήσεσθαι.

MOX FVTVRVM.

Indicativum.

τετύψομαι τετύψῃ τετύψεται, τετυψόμεθον τετύψεσθον τετύψεσθον, τετυψόμεθα τετύψεσθε τετύψονται.

Optativum.

τετυψοίμην τετύψοιο τετύψοιτο, τετυψοίμεθον τετύψοισθον τετυψοίσθην, τετυψοίμεθα τετύψοισθε τετύψοιντο.

Infinitum.

τετύψεσθαι.

CONJVGATIO VERBORVM IN μι.

ACTIVA. PRÆSENS

Indicativum.

B Τίθημι τίθης τίθησι, τίθετον τίθετον, τίθεμεν τίθετε τιθέασιν.

PRÆTERITVM IMPERFECTVM.

ἐτίθην ἐτίθης ἐτίθη, ἐτίθετον ἐτιθέτην, ἐτίθεμεν ἐτίθετε ἐτίθεσαν.

Imperativum.

τίθετι τιθέτω, τίθετον τιθέτων, τίθετε τιθέτωσαν.

Optativum.

τιθείην τιθείης τιθείη, τιθείητον τιθειήτην, τιθείημεν τιθείητε τιθείησαν.

Subjunctivum.

ἐὰν τιθῶ τιθῇς τιθῇ, ἐὰν τιθῆτον τιθῆτον, ἐὰν τιθῶμεν τιθῆτε τιθῶσι.

C *Infinitum.*

τιθέναι.

INDEFINITVM SECVNDVM.

Indicativum.

ἔθην ἔθης ἔθη, ἔθετον ἐθέτην, ἔθεμεν ἔθετε ἔθεσαν.

Imperativum.

θέτι, aut θὲς θέτω, θέτον θέτων, θέτε θέτωσαν.

Optativum.

θείην θείης θείη, θείητον θειήτην, θείημεν θείητε θείησαν.

Subjunctivum.

ἐὰν θῶ θῇς θῇ, ἐὰν θῆτον θῆτον, ἐὰν θῶμεν θῆτε θῶσι.

Infinitum.

θεῖναι.

D MEDIA. PRÆSENS

Indicativum.

τίθεμαι τίθεσαι τίθεται, τιθέμεθον τίθεσθον τίθεσθον, τιθέμεθα τίθεσθε τίθενται.

PRÆTERITVM IMPERFECTVM.

ἐτιθέμην ἐτίθεσο & ἐτίθου ἐτίθετο, ἐτιθέμεθον ἐτίθεσθον ἐτιθέσθην, ἐτιθέμεθα ἐτίθεσθε ἐτίθεντο.

Imperativum.

τίθεσο & τίθου τιθέσθω, τίθεσθον τιθέσθων, τίθεσθε τιθέσθωσαν.

Optativum.

τιθείμην τίθειο τίθειτο, τιθείμεθον τίθεισθον τιθείσθην, τιθείμεθα τίθεισθε τίθειντο.

Subjunctivum.

E ἐὰν τιθῶμαι τιθῇ τιθῆται, ἐὰν τιθώμεθον τιθῆσθον τιθῆσθον, ἐὰν τιθώμεθα τιθῆσθε τιθῶνται.

Infinitum.

τίθεσθαι.

INDEFINITVM SECVNDVM.

Indicativum.

ἐθέμην ἔθεσο & ἔθου ἔθετο, ἐθέμεθον ἔθεσθον ἐθέσθην, ἐθέμεθα ἔθεσθε ἔθεντο. Et reliqua sicut ἐτιθέμην.

PASSIVA. PRÆSENS

Indicativum.

τίθεμαι τίθεσαι τίθεται, τιθέμεθον τίθεσθον τίθεσθον,

F τιθέμεθα τίθεσθε τίθενται.

PRÆTERITVM IMPERFECTVM.

ἐτιθέμην ἐτίθεσο & ἐτίθου ἐτίθετο, ἐτιθέμεθον ἐτίθεσθον ἐτιθέσθην, ἐτιθέμεθα ἐτίθεσθε ἐτίθεντο.

Imperativum.

τίθεσο & τίθου τιθέσθω, τίθεσθον τιθέσθων, τίθεσθε τιθέσθωσαν.

Optativum.

τιθείμην τίθειο τίθειτο, τιθείμεθον τίθεισθον τιθείσθην, τιθείμεθα τίθεισθε τίθειντο.

Subjunctivum.

ἐὰν τίθωμαι τίθῃ τίθηται, ἐὰν τιθώμεθον τίθησθον τίθησθον, ἐὰν τιθώμεθε τίθησθα τίθωνται.

Infinitum.

τίθεσθαι.

PRÆTERITVM PERFECTVM.

Indicativum.

τέθειμαι τέθεισαι τέθειται, τεθείμεθον τέθεισθον τέθεισθον, τεθείμεθα τέθεισθε τέθεινται.

Imperativum.

τέθεσο τεθέσθω, τέθεσθον τεθέσθων, τέθεσθε τεθέσθωσαν.

Optativum.

τεθείμην τεθεῖο τεθεῖτο, τεθείμεθον τεθεῖσθον τεθείσθην, τεθείμεθα τεθεῖσθε τεθεῖντο.

Subjunctivum.

ἐὰν τεθῶμαι τεθῇ τεθῆται, ἐὰν τεθώμεθον τεθῆσθον τεθῆσθον, ἐὰν τεθώμεθα τεθῆσθε τεθῶνται.

Infinitum.

τεθέσθαι.

PRÆTERITVM PLVSQVAMPERFECTVM.

Indicativum.

ἐτεθέμην ἐτέθεσο ἐτέθετο, ἐτεθέμεθον ἐτέθεσθον ἐτεθέσθην, ἐτεθέμεθα ἐτέθεσθε ἐτέθεντο.

INDEFINITVM PRIMVM.

Indicativum.

ἐτέθην ἐτέθης ἐτέθη, ἐτέθητον ἐτεθήτην, ἐτέθημεν ἐτέθητε ἐτέθησαν.

Imperativum.

τέθητι τεθήτω, τέθητον τεθήτων, τέθητε τεθήτωσαν.

Optativum.

τεθείην τεθείης τεθείη, τεθείητον τεθειήτην, τεθείημεν τεθείητε τεθείησαν.

Subjunctivum.

ἐὰν τεθῶ τεθῇς τεθῇ, ἐὰν τεθῆτον τεθῆτον, ἐὰν τεθῶμεν τεθῆτε τεθῶσι.

Infinitum.

τεθῆναι.

FVTVRVM PRIMVM.

Indicativum.

τεθήσομαι τεθήσῃ τεθήσεται, τεθησόμεθον τεθήσεσθον τεθήσεσθον, τεθησόμεθα τεθήσεσθε τεθήσονται.

Imo hoc magis apparet esse mox futurum.

Optativum.

τεθησοίμην τεθήσοιο τεθήσοιτο, τεθησοίμεθον τεθήσοισθον τεθησοίσθην, τεθησοίμεθα τεθήσοισθε τεθήσοιντο.

Infinitum.

τεθήσεσθαι.

EXEMPLVM VERBI AB αω.

ACTIVA. PRÆSENS

Indicativum.

ἵστημι ἵστης ἵστησι, ἵστατον ἵστατον, ἵσταμεν ἵστατε ἱστάασιν. Præteritum imperfectum, ἵστην. Imperativum, ἵσταθι. Optativum, ἱσταίην. Subjunctivum, ἐὰν ἱστῶ. Infinitum, ἱστάναι.

INDEFINITVM SECVNDVM, ἔστην.

Imperativum, στάθι. Optativum, σταίην. Subjunctivum, ἐὰν στῶ. Infinitum, ἱστάναι.

MEDIA ET PASSIVA. PRÆSENS

Indicativum, ἵσταμαι. Præteritum imperfectum, ἱστάμην. Imperativum, ἵστασο. Optativum, ἱσταίμην. Subjunctivum, ἐὰν ἱστῶμαι. Infinitum, ἵστασθαι.

PRÆTERITVM PERFECTVM.

Indicativum ἕσταμαι. Optativum ἑσταίμην. Subjunctivum ἐὰν ἕστωμαι. Infinitum ἑστάσθαι.

PRÆTERITVM PLVSQVAMPERFECTVM.

Indicativum ἑστάμην. Imperativum ἕστασο.

INDEFINITVM PRIMVM.

Indicativum ἐστάθην. Imperativum στάθητι. Optativum σταθείην. Subjunctivum ἐὰν σταθῶ. Infinitum σταθῆναι.

FVTVRVM PRIMVM.

Indicativum σταθήσομαι. Optativum σταθησοίμην. Infinitum σταθήσεσθαι.

EXEMPLVM AB οω.

ACTIVA. PRÆSENS

Indicativum δίδωμι.

PRÆTERITVM IMPERFECTVM. ἐδίδων.

Imperativum δίδοθι. Optativum διδοίην. Subjunctivum ἐὰν διδῶ. Infinitum διδόναι.

INDEFINITVM SECVNDVM.

Indicativum ἔδων. Imperativum δός. Optativum δοίην. Subjunctivum ἐὰν δῶ. Infinitum δοῦναι.

ME-

MEDIA ET PASSIVA. PRÆSENS. A

Indicativum δίδομαι. Præteritum imperfectum ἐδιδόμην. Imperativum δίδοσο & δίδου. Optativum διδοίμην. Subjunctivum ἐὰν δίδωμαι. Infinitum δίδοσθαι.

PRÆTERITVM PERFECTVM.

Indicativum δέδομαι. Optativum δεδοίμην. Subjunctivum ἐὰν δέδωμαι. Infinitum δεδόσθαι.

PRÆTERITVM PLVSQVAMPERFECTVM.

Indicativum ἐδεδόμην. Imperativum δέδοσο.

INDEFINITVM PRIMVM.

Indicativum ἐδόθην. Imperativum δόθητι. Optativum δοθείην. Subjunctivum ἐὰν δοθῶ. Infinitum δοθῆναι.

FVTVRVM.

Indicativum δοθήσομαι. Optativum δοθησοίμην. Infinitum δοθήσεσθαι. B

INDEFINITVM SECVNDVM.

Indicativum ἐδόμην. Imperativum δόσο & δοῦ. Optativum δοίμην. Subjunctivum ἐὰν δῶμαι. Infinitum δόσθαι.

EXEMPLVM AB νω.

ACTIVA. PRÆSENS.

Indicativum ζεύγνυμι. Præteritum imperfectum ἐζεύγνυν. Imperativum ζεύγνυθι. Infinitum ζευγνῦναι.

MEDIA ET PASSIVA. PRÆSENS.

Indicativum ζεύγνυμαι. Præteritum imperfectum ἐζευγνύμην. Imperativum ζεύγνυσο. Infinitum ζεύγνυσθαι.

Itaque & seorsum juxta modos declinatur verbum hoc modo. C

Indicativum τύπτω. Imperativum τύπτε. Optativum τύπτοιμι. Subjunctivum ἐὰν τύπτω. Infinitum τύπτειν. Et cætera ad eundem modum.

Annotatio.

Sciendum autem, quod ex verbis in μι desinentibus, quæ per ω faciunt penultimam, per eandem ω habent præsentis & indefiniti temporis subjunctiva, ut ἐὰν διδῶ, διδῷς, διδῷ. ἐὰν δῶ, δῷς, δῷ.

Alia annotatiuncula.

Sciendum, quod ex verbis in μι, quæ penultimam faciunt per υ, nec optativum modum habent proprium, neque subjunctivum.

DE VERBIS CONTRACTIS.

Sciendum, quod verba tertiæ conjugationis, in ω purum desinentia, & α vel ε vel ο, in penultima syllaba habentia, veluti βοάω, ποιέω, χρυσόω, producta penultima syllaba, fere faciunt futurum hoc pacto, ποιήσω, βοήσω, χρυσώσω. patiuntur autem & contractiones, tum in præsenti, tum in præterito imperfecto, tot ac tales. D

Tres contractorum verborum forma.

Appellentur autem aliud quidem α, aliud vero ε, aliud vero ο.

Contractiones verborum habentium α.

PRIMA FORMA.

Αω contrahitur in ῶ. αει in ᾷ. αε in ᾶ. αο in ῶ. αου in ῶ. αη in ᾶ. αοι in ῷ. E

Exemplum.

Βοάω, βοῶ, βοάεις, βοᾷς. βοάετον, βοᾶτον. βοάομεν, βοῶμεν. βοάουσι, βοῶσι. βοάῃ, βοᾷ. βοάοιμι, βοῷμι.

SECVNDA FORMA.

Contractiones verborum habentium ε.

Εω contrahitur in ῶ. εει in εῖ. εε in εῖ. εο in οῦ. εου in οῦ. εη in ῆ. εοι in οῖ.

Exemplum.

Ποιέω, ποιῶ. ποιέεις, ποιεῖς. ποιέετον, ποιεῖτον. ποιέομεν, ποιοῦμεν. ποιέουσι, ποιοῦσι. ποιέῃ, ποιῇ. ποιέοιμι, ποιοῖμι.

TERTIA FORMA.

Contractiones verborum habentium ο.

Οω contrahitur in ῶ. οε in οῦ. οο in οῦ. οου in οῦ. οω in ῶ. οη in ω vel in ου. οι in οῖ. in diphthongo quacunque, excepto infinito. F

Exemplum.

Χρυσόω, χρυσῶ. χρυσόεις, χρυσοῖς. χρυσόετον, χρυσοῦτον. χρυσόομεν, χρυσοῦμεν. χρυσόουσι, χρυσοῦσι. χρυσόοιμι, χρυσοῖμι. χρυσόῃ, χρυσοῖ. χρυσόοιμεν, χρυσῶμεν. χρυσόητε, χρυσῶτε, vel χρυσοῦτε. χρυσόειν, χρυσοῦν.

Annotatiuncula.

Horum autem omnium, & optativi contracti activi præsentis, finali μι in ην verso, proferuntur: ut ποιοῖμι ποιοίην. Unde fit, ut tertias personas pluralium, non solum in εν desinentes habeant, verum etiam in αν, ut ποιοῖεν ποιοίησαν.

Est autem peculiare verbis habentibus ε, ut cum dissyllaba sunt, in nulla prima persona contrahantur. Declinantur & in futuro υ assumpto in plerisque, ut πλέω πλεύσω.

Alia annotatiuncula.

Sciendum, quod in passivorum præteritis perfectis, non licet juxta communem formam facere tertiam personam pluralium, quoties tertia persona singularium, ultimam habet per duas consonantes, ut τέτυπται, πέπλεκται. Proinde aut Jonico more utimur, dicentes τετύφαται & πεπλέχαται, aut in participium & verbum substantivum resolvimus, dicentes τετυμμένοι εἰσὶ, & πεπλεγμένοι εἰσί. id est, *verberati sunt, plexi sunt.*

CONJVGATIO VERBI SVBSTANTIVI.

Porro verbum substantivum sic declinatur ac scribitur.

ACTIVA. PRÆSENS.

Indicativum.

εἰμὶ εἶ ἐστὶν, ἐστὸν ἐστὶν, ἐσμὲν ἐστὲ εἰσίν.

PRÆTERITVM IMPERFECTVM.

Indicativum.

ἦν ἦς ἦν, ἦτον ἤτην, ἦμεν ἦτε ἦσαν.

Imperativum.

ἴσθι & ἔσο ἔστω, ἔστον ἔστων. ἔστε ἔστωσαν.

Optativum.

εἴην εἴης εἴη, εἴητον εἰήτην, εἴημεν εἴητε εἴησαν & εἶεν.

Subjunctivum.

ἐὰν ὦ ᾖς ᾖ, ἐὰν ἦτον ἦτον, ἐὰν ὦμεν ἦτε ὦσιν.

Infinitum.

εἶναι.

FVTVRVM.

Indicativum.

ἔσομαι ἔσῃ ἔσεται, vel ἔσται, ἐσόμεθον ἔσεσθον ἔσεσθον, ἐσόμεθα ἔσεσθε ἔσονται.

Optativum.

ἐσοίμην ἔσοιο ἔσοιτο, ἐσοίμεθον ἔσοισθον ἐσοίσθην, ἐσοίμεθα ἔσοισθε ἔσοιντο.

Infinitum.

ἔσεσθαι.

DE PARTICIPIO.

Participium autem dividendum quidem ut verbum, declinandum vero ut nomen. Atque in totum illud accipiendum, quod partim nominis, partim verbi sit particeps. Habet enim eadem accidentia, & cum nomine, & cum verbo: id autem consideretur in his.

ACTIVA.

Præsens τύπτω. Præteritum imperfectum ἔτυπτον. Masculinum participium τύπτων. Fœmininum τύπτουσα. Neutrum τύπτον. Futurum primum τύψω. ὁ τύψων. ἡ τύψουσα. τὸ τύψον. Indefinitum primum ἔτυψα. ὁ τύψας. ἡ τύψασα, τὸ τύψαν. Præteritum perfectum & plus quam perfectum τέτυφα. ὁ τετυφώς. ἡ τετυφῦια. τὸ τετυφός. Indefinitum secundum ἔτυπον. ὁ τυπών. ἡ τυποῦσα. τὸ τυπόν. Futurum secundum τυπῶ. ὁ τυπῶν. ἡ τυποῦσα. τὸ τυποῦν.

MEDIA.

Præsens τύπτομαι. ὁ τυπτόμενος. ἡ τυπτομένη. τὸ τυπτόμενον. Futurum primum τύψομαι. τυψόμενος. ἡ τυψομένη. τὸ τυψόμενον. Indefinitum primum ἐτυψάμην. ὁ τυψάμενος. ἡ τυψαμένη. τὸ τυψάμενον. Præteritum perfectum τέτυπα. ὁ τετυπώς. ἡ τετυπῦια. τὸ τετυπός. Indefinitum secundum ἐτυπόμην. ὁ τυπόμενος. ἡ τυπομένη. τὸ τυπόμενον. Futurum secundum τυποῦμαι. ὁ τυπόμενος. ἡ τυπουμένη, τὸ τυπούμενον.

PASSIVA.

Præsens τύπτομαι. ὁ τυπτόμενος. ἡ τυπτομένη. τὸ τυπτόμενον. Præteritum perfectum τέτυμμαι. ὁ τετυμμένος. ἡ τετυμμένη. τὸ τετυμμένον. Indefinitum primum ἐτύφθην. ὁ τυφθείς. ἡ τυφθεῖσα. τὸ τυφθέν. Futurum primum τυφθήσομαι. ὁ τυφθησόμενος. ἡ τυφθησομένη. τὸ τυφθησόμενον. Indefinitum secundum ἐτύπην. ὁ τυπείς. ἡ τυπεῖσα. τὸ τυπέν. Futurum secundum τυπήσομαι. ὁ τυπησόμενος. ἡ τυπησομένη. τὸ τυπησόμενον. Mox futurum τετύψομαι. ὁ τετυψόμενος. ἡ τετυψομένη, τὸ τετυψόμενον.

PARTICIPIA A VERBIS IN μι.

ACTIVA.

Præsens & præteritum imperfectum τίθημι. ἐτίθην. ὁ τιθείς. ἡ τιθεῖσα. τὸ τιθέν. Indefinitum secundum ἔθην. ὁ θείς. ἡ θεῖσα. τὸ θέν.

Aliud exemplum.

Præsens ἵστημι ἵστην. ὁ ἱστάς. ἡ ἱστᾶσα. τὸ ἱστάν. Indefinitum secundum ἔστην. ὁ στάς. ἡ στᾶσα. τὸ στάν.

Aliud.

Præsens δίδωμι. ἐδίδων. ὁ διδὺς. ἡ διδοῦσα. τὸ διδοῦν. Indefinitum secundum ἔδων. ὁ δὺς. ἡ δοῦσα. τὸ δοῦν.

Aliud.

Præsens ζεύγνυμι. ἐζεύγνυν. ὁ ζευγνὺς. ἡ ζευγνῦσα. τὸ ζευγνύν.

Participia a verbo substantivo.

Præsens εἰμὶ. ἦν. ὁ ὢν. ἡ οὖσα. τὸ ὄν. Futurum ἔσομαι. ὁ ἐσόμενος. ἡ ἐσομένη. τὸ ἐσόμενον.

De generibus & declinatione participiorum.

Declinantur autem fœminina quidem omnia juxta secundam nominis declinationem. Cæterum activa masculina simul & neutra juxta quintam, passiva juxta tertiam: exceptis indefinitis, quæ & ipsa quintæ sunt: porro media ad tertiam & ipsa referuntur: excepto præterito perfecto, nam hæc quoque ad quintam pertinent.

DE PRONOMINE.

Pronomen autem, aliud quidem primitivum, aliud vero possessivum, aliud demonstrativum, aliud relativum, aliud compositum. Habet autem & genera & numeros & casus accidentia. Primitiva igitur sunt tria, ἐγὼ, σὺ, ὅς. id est, *ego, tu, ille*: declinantur autem in hunc modum.

Rectus ἐγὼ. genitivus ἐμοῦ. dativus ἐμοὶ. accusativus ἐμὲ. Rectus & accusativus νῶ. genitivus & dativus νῷν. Rectus ἡμεῖς. genitivus ἡμῶν. dativus ἡμῖν. accusativus ἡμᾶς. Σὺ. σοῦ. σοὶ. σέ. Σφῶ. id est, *vos duo*, vel *vos duos*, σφῷν, id est, *vestrum duorum*, vel *vobis duobus*. ὑμεῖς. ὑμῶν. ὑμῖν. ὑμᾶς. ὅς. οὗ. οἷ. ἕ. σφὲ. σφῖν. σφεῖς. σφῶν. σφίσι. σφᾶς.

DE POSSESSIVIS.

Possessiva vero a primitivis venientia octo, ἐμὸς. σὸς. ἑὸς. νωΐτερος. σφωΐτερος. ἡμέτερος. ὑμέτερος. σφέτερος. Quorum singula per tria genera variantur, ἐμὸς. ἐμὴ. ἐμὸν. νωΐτερος. νωϊτέρα. νωΐτερον: porro quomodo declinanda sint, liquet.

DE DEMONSTRATIVIS.

Demonstrativa vero duo, quæ & ipsa tribus generibus variantur, οὗτος, αὕτη, τοῦτο. ἐκεῖνος, ἐκείνη, ἐκεῖνο. & declinatur ad hunc modum.

Masculinum.

Οὗτος τούτου τούτῳ τοῦτον ὦ οὗτος, τούτω τούτοιν ὦ τούτω, οὗτοι τούτων τούτοις τούτους ὦ οὗτοι.

Fœmininum.

Αὕτη ταύτης ταύτῃ ταύτην ὦ αὕτη. ταύτα ταύταιν ὦ ταύτα, αὗται τούτων ταύταις ταύτας ὦ αὗται.

Neutrum.

Τοῦτο τούτου τούτῳ τοῦτο ὦ τοῦτο, τούτω τούτοιν ὦ τούτω, ταῦτα τούτων τούτοις ταῦτα ὦ ταῦτα.

Aliud exemplum demonstrativum. Masculinum ἐκεῖνος ἐκείνου ἐκείνῳ ἐκεῖνον. Fœmininum ἐκείνη ἐκείνης ἐκείνῃ. Neutrum ἐκεῖνο ἐκείνου. & cætera juxta nominum inflexionem.

DE RELATIVO.

Relativum autem unum, quod & ipsum tribus generibus variatur, αὐτὸς αὐτὴ αὐτό. Huic proprium est, quod triplicem significat personam. Siquidem αὐτὸς pro ἐγὼ ponitur, aut pro σὺ, aut pro ἐκεῖνος.

DE COMPOSITIS.

Composita vero tria nominativo carentia, ἐμαυτοῦ, σαυτοῦ & ἑαυτοῦ, quæ tribus generibus efferuntur. Quæ primæ & secundæ sunt personæ, hactenus declinantur, ἐμαυτοῦ, ἐμαυτῷ, ἐμαυτόν. σαυτοῦ, σαυτῷ, σαυτόν. Quæ vero tertiæ, per omnes casus inflectuntur. Atque hæc sane non solum composite, verum etiam disjunctim declinantur in pluralibus, ut ἑαυτῶν. & σφῶν αὐτῶν, ἑαυτοῖς, & σφίσιν αὐτοῖς, ἑαυτοὺς, & σφᾶς αὐτούς.

DE PRÆPOSITIONE.

Præpositio vero alia monosyllaba, alia plurium syllabarum, alia duarum. Huic accidit quod ultimam acuit, si recipit tonum. Deinde quod primam vocalem habet tenuem, exceptis his quæ incipiunt ab υ: præterea quod penultimam habet correptam, exceptis duabus. Id consideretur in his: ἐν. εἰς. ἐξ. σὺν. πρός. πρὸ. ἀνὰ. κατὰ. διὰ. μετὰ. παρὰ. ἀντὶ. ἐπὶ.
A περὶ. ἀμφὶ. ἀπὸ. ὑπὸ. ὑπέρ. id est, *in. in. ex. cum. ad. ante. per. juxta. pro. super. circa. circum. ab. sub. super.*

DE ADVERBIO.

Adverbium aliud temporis, ut νῦν. τότε. ποτὲ. ἤδη. ἄρτι. αὖθις. τέως. ἕως. ἡνίκα. ἔπειτα. μετέπειτα. σήμερον. αὔριον. χθές. πάλαι. ἀεί. id est, *nunc. tunc. aliquando. jam. nuper. rursum. eousque. donec. cum. postea. deinde. hodie. cras. heri. quondam. semper.* Aliud loci, ut ἄνω. κάτω. ἔξω. ἔσω. πόῤῥω. ἐγγὺς. ἐναντίως. χαμαὶ. ἔνθα. ὅθεν. ἐπέκεινα. μακράν. id est, *sursum. deorsum. foras. intro. procul. prope. contra. humi. ubi. unde. ultra. longe.* Aliud qualitatis, ut εὖ. καλῶς. id est, *pulchre*. ἡδέως. id est, *libenter*. σοφῶς. id est, *sapienter*: quæ quidem & me-
B diocritatis vocantur κυνηδὸν, βοτρυδὸν, ἀγεληδόν. id est, *canine, botrorum in morem*, hoc est dense, *armentatim*. Aliud quantitatis, ut ἅπαξ. δὶς. τρὶς. πολλάκις. ὀλιγάκις. id est, *semel. bis. ter. sæpe. raro.* Aliud congregandi, ut ἅμα. ὁμοῦ. συλλήβδην. ἀθρόως. id est, *simul. pariter. collectim. universim.* Aliud separationis, ut ἄνευ, χωρὶς, διχῆ. id est, *seorsim. separatim. semotim.* Aliud exceptionis, ut πλὴν. Aliud ordinis, ut ἑξῆς. ἐφεξῆς. εὐθὺς. εὐθέως. ἐξαίφνης. αὐτίκα. παραχρῆμα. id est, *deinde. deinceps. protinus. mox. repente. continuo. illico.* Aliud similitudinis, ut ὡς. ὥσπερ. καθὰ. καθάπερ. id est, *ut. veluti. quemadmodum. sicut.* Aliud digressionis, ut ὥστε. id est, *itaque*. Aliud comparandi, ut μᾶλλον. ἧττον. id est, *magis. minus.* Aliud vehementiæ, ut λίαν. ἄγαν. μάλιστα. πάνυ. σφό-
C δρα. id est, *nimis. nimium. maxime. admodum. valde.* Aliud remissionis, ut ἠρέμα. ἡσυχῆ. μόγις. id est, *sensim. paulatim. vix.* Aliud confirmandi, ut δηλαδὴ. δήπουθεν. πάντως. ὄντως. ἦ. id est, *videlicet. profecto. omnino. revera. certe.* Aliud adjurandi, ut νὴ. ναί. id est, *per*. Aliud affirmandi, ut ναὶ. id est, *etiam*. Aliud abjurandi, ut μὰ. id est. *non per*. Aliud negandi, ut οὐδαμῶς. ἥκιστα. id est, *nequaquam. minime.* Aliud prohibendi, ut μηδαμῶς. μὴ. id est, *ne quo pacto. ne.* Aliud conjecturæ, ut ἴσως. τάχα. τυχὸν. id est, *forsan, forsitan, forte.* Aliud interrogandi, ut πόθεν. ποῖ. ποῦ. πηνίκα. πῶς. id est, *unde, quo, ubi, quando, quomodo.* Aliud demonstrandi, ut ἰδοὺ. ἠνὶ. ὧδε. ἐκεῖ. ἐνθάδε. id est, *ecce, en, hic, illic, hic.* Aliud vocan-
D di, ut ὦ, id est, *ô*. Aliud explicandi, ut ἤγουν. οἷον. τουτέστιν. εἴτουν. id est, *videlicet, velut, hoc est, sive.* Aliud positivum, ut ἀναγνωστέον, γραπτέον. id est, *legendum est, scribendum est.* Aliud optandi, ut εἴθε, ὤφελον. id est, *utinam*. Aliud exclamandi, ut ἆ. ὢ. ἰού. οἴμοι. φεῦ. id est, *ha. ju. hei. heu.* Aliud admirandi, ut ὢ, φεῦ. id est, *ô, heu.* Aliud stuporis, ut ἆ, ἡράκλεις. Aliud afflatus, ut εὐοῖ, εὐάν. Habet autem accidentia hæc, speciem & figuram. Nam aliud est primitivum, ut νῦν, id est, *nunc*. Aliud derivativum, ut ἑτέρωθεν. id est, *aliunde*. Et aliud simplex, ut πάλαι. id est, *olim*. Aliud compositum, ut πρόπαλαι. id est, *jamolim*.

DE CONJUNCTIONE.

Conjunctio vero alia copulativa, ut μὲν, δὲ, τὲ, καὶ, ἀλ-
E λὰ, ἀτὰρ, αὐτάρ. id est, *quidem, autem, quam, &, sed, cæterum, ast.* Alia disjunctiva, ut ἢ, ἤτοι. id est, *aut, sive.* Alia continuativa, ut εἰ, εἴπερ, εἰδήπερ. id est, *si, siquidem, siquidem.* Alia subcontinuativa, ut ἐπεὶ, ἐπειδὴ. id est, *quando, quandoquidem.* Alia causalis, ut ἵνα, ὅπως, γὰρ, ὅτι, διότι. id est, *ut, quo, enim, quia, quapropter.* Alia dubitandi, ut ἆρα, εἶτα, μῶν, μὴ. id est, *an, deinde, utrum, an.* Alia ratiocinandi, ut ἄρα, ἀλλὰ, ἀλλὰ μὴν, οὖν, τοίνυν, τοιγάρτοι, τοιγαροῦν. id est, *certe, itaque, igitur, proinde, atqui.* Alia expletiva, ut δὴ, που, τοὶ, δῆτα, πὲρ, πω, πῶς, μὴν, οὖν, γὲ. id est, *jam, licet, sane.* Alia potentialis, ut ἂν. quia addita verbis optativis, potissimum facit modum potentialem. Alia dis-
F cernendi sive adjiciendi, ut ἤ. id est, *aut*. Alia diminutiva, ut γοῦν, γὲ. id est, *quidem, sane.* Alia contrarietatis, ut ὅμως, καίτοι, καίπερ. id est, *attamen, tamen, licet.* Habet autem accidentem figuram: nam alia simplex est, ut ἐπεὶ. alia composita, ut ἐπειδή.

De octo igitur partibus orationis hic primi libri finis esto.

THEODORI GAZÆ GRAMMATICÆ INSTITUTIONIS LIBER SECUNDUS, DESIDERIO ERASMO *ROTERODAMO* *INTERPRETE.*



POST hæc vero rursus ab initiis exorsi, dicamus de iisdem ceu locos quosdam ac sedes eorum quæ dicta sunt, constituentes, ac singulis quibusque adjicientes nonnulla, præter ea quæ superius tradita sunt.

Vocalium divisio & compositio.

Vocalium igitur aliæ præpositivæ, ut α η ε ο ω. Aliæ postpositivæ, ut ι υ. nam ad hunc modum inter se connexæ, constituunt diphthongos. Quanquam & υ nonnunquam præpositiva est, velut in dictione υἱός, id est, *filius.* ἅρπυια, id est, *Harppia.* μυῖα, id est, *musca.* Siquidem diphthongi sunt hæ quoque: ηυ ωυ ηυ ᾳ ῃ. licet improprie. Cæterum ωυ Jonum est peculiaris.

Alia vocalium divisio in augmentis verborum.

Præterea inter vocales, mutabiles sunt α ε ο. Mutantur enim in præteritis, α quidem & ε in η, ut ἀσθενῶ, ἠσθένουν. id est, *infirmor, infirmabar.* ἐθέλω, ἤθελον. id est, *volo, volebam.* ο vero vertitur in ω, ut ὀφείλω, ὤφειλον. id est, *debeo, debebam.* Cæterum η ι υ ω sunt immutabiles, quippe quæ non mutantur. Nam ἡγεμονεύω facit ἡγεμόνευον. id est, *dux sum, dux eram.* ἰξεύω, ἴξευον. id est, *aucupor, aucupabar.* ὑβρίζω, ὕβριζον. id est, *violo, violabam.* ὠφελῶ, ὠφέλουν. id est, *juvo, juvabam.* Vertitur itaque ε in η ubique: exceptis verbis quatuordecim, in quibus ε assumit ι, ut ἔχω, εἶχον. id est, *habeo, habebam.*

CONSONANTES DUPLICES.

Ex consonantibus autem duplices ζ ξ ψ. e consonantibus duabus constant ζ ex σ & δ. ξ ex κ & σ. ψ ex π & σ.

IMMUTABILES.

Cæterum λ μ ν ρ sunt immutabiles. Neque enim mutantur in formationibus verborum, neque in inflexione nominum, ut ψάλλω, ψαλῶ. id est, *cano, canam:* νέμω, νεμῶ. id est, *tribuo, tribuam:* κρίνω, κρινῶ. id est, *judico, judicabo:* σπείρω, σπερῶ. id est, *semino, seminabo:* νέστωρ νέστορος. ἕλλην ἕλληνος. id est, *Græcus, Græci.*

MUTÆ.

Porro tenues, aspiratæ, & mediæ ad hunc habent modum, ut β sono media fit inter π & φ. γ media fit inter κ & χ. δ media fit inter τ & θ.

DE SYLLABA.

Porro syllaba, alia quidem longa, alia vero brevis, alia communis. Ac rursum inter longas, alia natura longa, ut ἥρως, id est, *heros.* Alia vero positu longa, ut ἁπλοῦς, id est, *simplex.* Jam dictionem quidem constituit syllaba, quum ea sane sit literarum complexio. Orationem autem constituit dictio.

ACCENTUS.

Oratio vero nunc intenditur, nunc remittitur: idque fit iis qui vocantur accentus.

ACCENTUS QUOT?

Cæterum inter accentus, Acutus, Gravis, & Circumflexus, Toni sunt. Aspiratus, ac Tenuis, spiritus dicuntur. Apostrophus & Hyphen, & Diastole, passiones.

LOCI TONORUM.

Loci, acuti accentus sunt, ultima syllaba, unde dictio oxytona vocatur: ut ἀγαθός, id est, *bonus:* penultima unde paroxytona, aut barytona dicitur: ut λόγος, id est, *sermo.* Antepenultima, unde paroxytona vocatur, ut δίκαιος, id est, *justus.*

LOCI GRAVIS.

Gravis autem accentus loci, sunt omnes syllabæ, quæ æquabili sono proferuntur, unde & syllabicus appellatur tonus. Nec ponitur nisi tantum in iis quæ ultimam acuunt, cum perpetuo vocis cursu æquabiliter pronunciamus: ut τοὺς περὶ ἄρχοντα. id est, *qui principi adstant.*

CIRCUMFLEXI.

Circumflexi vero locus est ultima, unde & circumflexa dicitur dictio: ut ποιῶ, id est, *facio.* Et penultima unde properispomena vocatur, ut ποιοῦμαι. id est, fio.

LOCI SPIRITUUM.

Porro acuti ac tenuis, loci sunt vocales initiales, ut ἄνθρωπος, id est, *homo.* ὅμηρος, id est, *Homerus:* & inter consonantes ρ quoties hinc incipit dictio: ut ῥῆμα, id est, *verbum.*

LOCI παθῶν.

Apostrophi locus est, ubi quid eliditur: ut ἄρα οὗτος, ἄρ' οὗτος. id est, *videlicet hic.* Hyphen autem locus est infra ea quæ e duobus aut pluribus componuntur, ut πασιμέλουσα, id est, *quæ omnibus curæ est.* Diastoles vero locus est, sub iis in quibus oportet aliquo modo dirimere quæ composita sunt, ut ὅ,τι. id est quod pronomen.

DE PARTIBUS ORATIONIS.

Cæterum inter partes orationis, nomen (ut iis quæ dicta sunt adjiciamus aliquid) aliud est gentile, ut φρύξ. id est, *Phryx.* Aliud indefinitum, ut ὁποῖος τις. id est, *qualiscunque.* Aliud comprehensivum, ut δῆμος, id est, *populus.* Aliud distributivum, ut ἕτερος, id est, *alter.* ἑκάτερος, id est, *uterque.* ἕκαστος. id est, *unusquisque.* ἄλλος. id est, *alius.* Aliud *contentivum,* ut ἀμπελών. id est, *vinetum.* Aliud factitium, ut φλοῖσβος. id est, *fluctus.* Aliud ordinale, ut πρῶτος. id est, *primus.* δεύτερος. id est, *secundus.* Aliud ad aliquid, ut πατήρ. id est, *pater.* Aliud tanquam ad aliquid: ut νύξ. id est, *nox.* θάνατος. id est, *mors.*

DE PROPRIIS.

Jam propria nomina semper unico genere inflectuntur. Nempe aut masculino tantum, aut fœminino: ut ὅμηρος, καλλιόπη. id est, *Homerus, Calliope.*

DE APPELLATIVIS.

Appellativorum quæcunque significant animalia, fere communis sunt generis: licet nonnulla sint epicœna.

DE ADJECTIVIS.

Quæ vero proprie sunt adjectiva, trium generum sunt omnia: ut σοφός. id est, *sapiens.* σοφή. id est, *hæc sapiens.* σοφόν. id est, *hoc sapiens.* Cæterum quæ ancipitis sunt naturæ, & modo pro adjectivis usurpantur, modo pro appellativis, ut εὐεργέτης. id est, *beneficus:* & πολίτης. id est, *civis:* & βασιλεύς. id est, *rex:* & id genus alia, duorum sunt generum. Hujusmodi est & τρήρων. id est, *columba:* & πτώξ. id est, *lepus.*

INFLEXIO ADJECTIVORUM.

Quæ igitur desinunt in ος purum simplicia, trium generum, fœmininum deformant in α, ut δίκαιος. id est, *justus.* δικαία. id est, *justa.* Consimiliter & ea quæ in ultima syllaba habent ρ. ut ἀνθηρός. id est, *floridus:* ἀνθηρά. id est, *florida.* Cæterum σοφίη pro σοφία, & his similia, Jonica sunt. Quæ vero desinunt in ος non purum, fœmininum, figurant in η. ut ἔρημος. id est, *desertus:* ἐρήμη. id est, *deserta.* φρόνιμος. id est, *hic prudens:* φρονίμη. id est, *hæc prudens.*

INTERROGATIVA.

Porro interrogativa, sive percontativa, trium generum sunt & ipsa τίς, id est, *quis* aut *quæ.* τί. id est, *quid.* ποῖος, id est, *qualis:* ποία, id est, *hæc qualis:* ποῖον, id est, *quale.* Nec habent vocandi casum. Sumuntur autem aut juxta substantiam, ut τίς, id est, *quis:* aut juxta qualitatem, ut ποῖος, id est, *qualis:* aut juxta quantitatem, ut πόσον, id est, *quantum,* & πηλίκον, id est, *quantum:* & πόσον, id est, *quotum:* & πότερον, id est, *utrum:* aut secundum locum, ut ποδαπός, id est, *cujas.*

A

INDEFINITA.

Similiter autem & indefinita trium generum sunt, & singula in singulis interrogativorum formantur appositione literæ ο, ut ποῖος, id est, *qualis:* ὁποῖος, id est, *qualis.* πότερος, id est, *uter:* ὁπότερος, id est, *uter.*

RELATIVA.

Trium generum sunt & relativa: & aut juxta qualitatem, aut juxta quantitatem sumuntur, ut τοιοῦτος, id est, *talis.* οἷος, id est, *qualis.* τηλικοῦτον, id est, *tantum.* ἡλίκον, id est, *quantum.* τόσον, id est, *tantum*, ὅσον, id est, *quantum.*

COLLECTIVA.

Cæterum comprehensiva, sive collectiva, unius sunt generis, ut δῆμος, id est, *populus.* πλῆθος, id est, *multitudo.*

B

DISTRIBVTIVA.

Sane distributiva trium sunt generum, ut ἕτερος, ἑτέρα, ἕτερον, id est, *alter*, *altera*, *alterum.* ἄλλος, ἄλλη, ἄλλο, id est, *alius*, *alia*, *aliud.* Quadrifariam autem distribuuntur, sive partiuntur. Aut enim unum e duobus, ut ἕτερον, id est, *alterum:* aut duo singulatim, ut ἑκάτερον, id est, *utrumque:* aut unum e pluribus, ut ἄλλο, id est, *aliud*, aut multa singulatim, ut ἕκαστον, id est, *unumquodque.*

ORDINALIA ET MATERIALIA.

Trium generum sunt & ordinalia, ut πρῶτος. πρώτη. πρῶτον. id est, *primus. prima. primum.* Sicut & materialia, ut λίθινος. λιθίνη. λίθινον. id est, *lapideus. lapidea. lapideum.* Hæc autem & ab iis formantur, quæ similium sunt partium. Nam

C

ξύλον, id est, *lignum:* ὀστοῦν, id est, *os.* & σάρξ, id est, *caro:* similium sunt partium. Unde & ξύλινον, id est, *ligneum:* & ὀστέϊνον, id est, *osseum.* & σάρκινον, id est, *carneum.* Ad eundem modum & in cæteris.. In duas autem potissimum terminationes dividuntur. Aut enim in ινον. ut πήλινον, id est, *luteum.* aut in ωδες. ut πηλῶδες. γεῶδες. id est, *luteum. terreum.* Quanquam quæ a metallis veniunt, propriam habent terminationem. In εον & οῦν per contractionem, ut χρύσεον. id est, *aureum.* σιδήρεον. id est, *ferreum.* χάλκεον. id est *æreum.* ἀργύρεον. id est, *argenteum.* Quibus respondet & κεραμεοῦν. id est, *fictile.*

EPILOGVS.

In genere vero, Nomini (ut prius est dictum) accidunt

D

quinque. E quibus genus improprie dicetur, & commune quoddam & epicœnum, id est, supercommune. Nam ubi tantum præcedit articulus masculinus, masculinum est: ubi tantum fœmineus, fœmininum: ubi neuter, neutrum: ubi vero uterque, nempe masculinus & fœmininus, commune. Porro quod alterutro articulo apposito, genus utrumque significat, epicœnum est: ut ἀετός. id est, *aquila:* χελιδών, id est, *hirundo.*

SPECIES.

Species autem primitiva, ut πᾶς. id est, *omnis.* Derivativa, ut λόγιος. id est, *sapiens.*

DERIVATIVORVM DIVISIO.

Derivativi vero septem potissimum sunt species, de quibus ante dictum est. E quibus comparativa & superlativa

E

formantur ad hunc modum.

Formatio comparativorum & superlativorum.

In ος desinentia adjectiva, trium generum nomina, mutatione σ in τ, & assumptione ερος, fiunt comparativa: ut ἔνδοξος, ἐνδοξότερος. id est, *gloriosus, gloriosior.* Assumptione autem ατος, fiunt superlativa: ut ἔνδοξος. id est, *gloriosus.* ἐνδοξότατος. id est, *gloriosissimus.* παλαιός, παλαιότατος. id est, *vetustus, vetustissimus.* Præter καλός, id est, *pulcher*, & κακός, id est, *malus:* & alia nonnulla. Nam hæc habent καλλίων, κάλλιστος, id est, *pulchrior, pulcherrimus.* κακίων, κάκιστος, id est, *pejor, pessimus.* βελτίων, βέλτιστος, id est, *melior, optimus.* ἀμείνων, κρείττων, id est, *melior, potior.* ἄριστος, id est, *optimus.* χείρων, ἐλάττων, ἥττων, μείων, id est, *deterior, minor, inferior, minor.* ἐλάχιστος, id est, *minimus.* μείζων, id est, *major.* μέ-

F

γιστος, id est, *maximus.* ῥάων, ῥᾷστος, id est, *facilior, facillimus.* Quod si positivum desinat in ης, & inflectatur per εος, ab ejus neutro fit comparativum & superlativum, ea mutatione & assumptione, de qua dictum est, εὐγενής, εὐγενές, id est, hic & hæc *generosus, a*, & hoc *generosum*, εὐγενέστερος, εὐγενέστατος, id est, *generosior, generosissimus.* ἀληθής, ἀληθές, id est, hic & hæc *verax*, hoc *verax.* ἀληθέστερος, ἀληθέστατος, id est, *veracior, veracissimus.* Sin in υς desinat positivum trium generum, tum ad eundem modum formantur a neutro, ut βραχύς, βραχύ, id est, hic *brevis*, hoc *breve.* βραχύτερος, βραχύτατος, id est, *brevior, brevissimus.* Præter ἡδύς, id est, *jucundus.* πολύς, id est, *multus.* ταχύς, id est, *velox.* Nam ab his fit ἡδίων ἥδιστος, id est, *jucundior, jucundissimus:* & πλείων πλεῖστος. id est, *copiosior, plurimus.* Et ταχείων τάχιστος, id est, *velocior, velocissimus.* Etiam si hæc & aliter formare licuerit, additione τερος, ac τατος: excepto, πολύς, id est, *multus.* ἡδύτερος ἡδύτατος, id est, *jucundior, jucundissimus:* ταχύτερος, ταχύτατος, id est, *velocior, velocissimus.* Eorum quæ desinunt in υς, quædam simplex comparativum & superlativum faciunt, quædam duplex. Simplex quidem, ut εὐρύς, id est, *latus:* εὐρύτερος enim & εὐρύτατος tantum facit, id est, *latior, latissimus.* Duplex autem, ut ἡδύς, id est, *jucundus*, & γλυκύς, id est, *dulcis*, & ὠκύς, id est, *velox.* Nam hæc non solum in τερος ac τατος formantur, verumetiam in ων & in ιστος, ut γλυκίων γλύκιστος, ὠκίων ὤκιστος, id est, *dulcior dulcissimus, ocyor, ocyssimus.* Consimiliter his & αἰσχρός, id est, *turpis*, & ἐχθρός, id est, *inimicus.* Quod si non oportet prætermittere βράσσων, id est, *brevior*, & θάσσων, id est, *celerior*, & πάσσων, id est, *pinguior:* erunt igitur quædam quæ triplicem habent formam. Siquidem a βραδύς, id est, *tardus*, & βραχύς, id est, *brevis*, venit comparativum βράσσων, id est, *tardior*, aut *brevior.* Et a ταχύς, id est, *velox*, θάσσων, id est, *velocior.* Et a παχύς, id est, *pinguis.* πάσσων, id est, *pinguior.* Porro quæ aliam aliquam habent terminationem, per εστερος & εστατος formant comparativa & superlativa plerumque, ut σώφρων σώφρονος, id est, *sobrius sobrii*, σωφρονέστερος σωφρονέστατος, id est, *temperatior temperatissimus.* χαρίεις χαρίεντος, id est, *venustus venusti*, χαριέστερος χαριέστατος, id est, *venustior venustissimus.* Et absque ε ut εὔνους, id est, *benevolus*, εὐνούστερος εὐνούστατος, id est, *benevolentior benevolentissimus.* Non solum autem a nominibus fiunt comparativa, quin & a participiis, ut ἐῤῥωμενέστερος, id est, *valentior.* Et insuper a præpositionibus, ut πρότερος, id est, *prior*, & ὑπέρτερος, id est, *superior.* Et ab adverbiis, ἐγγύτερος, id est, *vicinior:* ποῤῥώτερος, id est, *longinquior.* ἀνώτερος, id est, *sublimior.*

Formationes patronymicorum.

Cæterum patronymici formationes sunt hujusmodi: Quæcunque nomina in ος purum desinunt, masculinum patronymicum formant in αδης, ut ἥλιος, id est, *sol*, ἡλιάδης, id est, *filius solis.* Quæcunque vero in ος non purum, faciunt in ιδης, ut κρόνος, id est, *Saturnus*, κρονίδης, id est, *filius Saturni.* Quanquam quæ sunt quintæ declinationis, in his a genitivis formantur in ίδης, atque hic sane fit & Synæresis, si ε habeant in penultima. Quorum est & alia rursus formatio in ων, more Jonico, ut πέλοψ πέλοπος, id est, *Pelops Pelopis*, πελοπίδης, id est, *Pelopides.* πηλεύς πηλέως, id est, *Peleus Pelei.* πηλεΐδης quatuor syllabis, & πηλείδης tribus, per Synæresim, & πηλείων Jonice. Quæ vero primæ sunt inflexionis in αδης faciunt, αἰνείας αἰνειάδης, id est, *Æneas Æneades:* ἴφιτης ἰφιτάδης, id est, *Iphites Iphitades.*

Fœminini patronymici formatio.

Fœminina vero patronymica a propriis fiunt masculinis, abjectione syllabæ δη, ut ἡλιάδης ἡλιάς, id est, *filia Solis.* νεστορίδης νεστορίς, id est, *filia Nestoris.* Præterea masculina primæ sunt declinationis, fœminina quintæ, ut πριαμίδης πριαμίδου, id est, *Priamides Priamidæ*, πριαμίς πριαμίδος, id est, *Priamis Priamidis.* Est & aliud patronymici genus improprie, masculinum quidem in διος desinens, ut ὑῤῥάδιος, id est, *hyrradius.* Fœmininum vero in νη, ut ἀδραστίνη, id est, *Adrastine*, & ἠετιώνη, id est; *Eetionis filia.* Atque ita trifariam fuerit, tum masculinum patronymicum, tum fœmininum.

FORMATIONES DIMINVTIVORVM.

Diminutiva vero, partim a propriis formantur, partim ab appellativis: velut a ζηνόδωρος, id est, *Zenodorus* ζηνᾶς, id est, *Zenodorulus:* ab ἄνθρωπος, id est, *homo*, ἀνθρωπίσκος, id est, *homuncio.*

SPECIES DIMINVTIVORVM.

Ac species quidem masculinorum sex. Prima in ων, duabus syllabis, ut βάκχων, id est, *Bacchius.* βακχυλίδης, id est, *Bacchonaster.* Secunda in ων, ut ι fit in penultima. μωρίων, id est, *morio*, a μωρός, id est, *stultus.* Tertia in αξ, ut ῥόδαξ, id est, *Rhodiolus*, a ῥόδιος, id est, *Rhodius, Rhodiensis.* Quarta in ας, ut ζηνᾶς, id est, *Zenodorulus.* μητρᾶς, id est, *metrodorulus.* Quinta in κος, ut ἀνθρωπίσκος, id est, *homunculus.* Sexta in λος, ut ναυτίλος, id est, *nautulus*, a ναύτης, id est, *nauta.* Fœmininorum vero tres. Prima in ων, ut ὑψ[illegible], id est, *hypsipylula:* ab ὑψιπύλη, id est, *hypsipyla.* Secunda in ις, ut θερα-

θεραπαινὶς, id est, *famulula:* a θεράπαινα, id est, *famula.* Tertia in κη, ut παιδίσκη, id est, *puellula:* a παῖς, id est, *puella.* Neutrorum autem una in ον, ut μειρακύλλιον, id est, *adolescentulus.*

FORMATIONES POSSESSIVORUM.

Possessiva item & a propriis & ab appellativis deducuntur. Et quae quidem in ειον desinunt, formantur a primitivis in ευς, ut νηλεὺς νηλέως, id est, *Neleus Nelei.* νήλειον, id est, *Nelejum.* Verum non ab his solum. Quandoquidem ab ἀνθρώπου, id est, *hominis*, derivatur ἀνθρώπειον, id est, *humanum.* Quae vero in κος desinunt, & in ωδες, veniunt a nominibus in ος, ut λόγος, id est, *ratio.* λογικὸς, id est, *rationalis:* sed non ab his solum, nam a βασιλέως, id est, *regis*, venit βασιλικὸν, id est, *regale.* Item [1] δικέλεια, id est, *imago.* δικελικὸν, id est, *imaginarium.* Sane Grammatici est, nihil obstante, quod inusitata sint, has quoque tradere ambas species, a dictorum nominum singulis derivari. Ut enim ab ἄνθρωπος, id est, *homo*, ἀνθρωπικὸς, id est, *humanum*, & ἀνθρώπειον, id est, *humanum:* Ita & ab ὁμήρου, id est, *Homeri*, ὁμηρικὸν, id est, *Homericum*, & ὁμήρειον, id est, *Homericum:* & ab αἴαντος, id est, *Ajacis*, αἰαντικὸν & αἰάντειον, id est, *Ajacinum.* Et a πλάτωνος, id est, *Platonis*, πλατωνικὸν, id est, *Platonicum*, & πλατώνειον, id est, *Platonicum.* Nonnulli vero etiam ea quae a locorum vocabulis denominantur, possessiva, οἰκειωματικὰ, id est, *domesticativa* vocant, ut οὐράνιος, id est, *coelestis*, & θαλάσσιος, id est, *marinus.* Atque his consimilia. Itaque trifariam sumentur possessiva, aut *domestice.* οὐράνιον, id est, *coeleste:* aut *consignificative.* γραμματικὸν, id est, *grammaticum:* aut *materialiter.* λιθῶδες, id est, *lapideum.*

FORMATIONES DENOMINATIVI.

Porro denominativum tot modis formatur, quot sunt species nominum. At licuerit a singulis nominibus deducere. Masculinum quidem in ων unius generis, ut φίλος, id est, *amicus.* φίλων, id est, *Philo.* Foemininum vero in οτης unius generis, ut φιλότης, id est, *amicitia.* Neutrum in ιον & generaliter in ον trium generum, ut φίλιον φιλικὸν, id est, *amicitiale*, sive ad amicum pertinens. Tametsi non sunt eodem modo trium generum, sed pro variis ultimae ac penultimae syllabae formis. Nam ἀνθρωπικὸν & ἀνθρώπειον & ἀνθρωπῶδες, id est, *humanum*, & πήλινον, id est, *luteum*, & ἀνθηρὸν, id est, *floridum.* Et ut summatim dicam, juxta formationem specierum nominis quam tradidimus. Considerandum autem est illud, an species tria recipiat genera. Neque enim omnia neutra in ον trium generum sunt. Proinde ζώφιον, id est, *animalculum*, & μειρακύλλιον, id est, *adolescentulus*, & λεβήτιον, id est, *lebetulus*, atque in totum diminutiva unici generis sunt. Considerare autem oportebit & reliquas denominativorum formationes, juxta differentiam specierum, ut in diminutivo quidem, λίθαξ, id est, *lapillus.* ἀνθρωπίσκος, id est, *homunculus.* μητρᾶς, id est, *Metrodorulus.* In patronymico vero in δης.

FORMATIONES VERBALIUM.

Verbalia vero, ut in genere loquar, formantur a passivo praeterito perfecto, vel a prima persona, vel a secunda, vel a tertia. Ac pleraque verbalia quidem deducuntur a prima, ut πεποίημαι, id est, *factus sum.* ποίημα, id est, *opus.* λελόγισμαι, id est, *consideratus sum.* λογισμὸς, id est, *consideratio.* Caeterum quae in σις desinunt foeminina, a secunda fiunt persona, ut λέλυσαι, id est, *solutus es:* λύσις, id est, *solutio.* Quae vero desinunt in τος, trium generum, a tertia veniunt persona, ut ἤκουσαι, id est, *auditus est:* ἀκουστὸς, id est, *audibilis.* Insuper & appellativa in τηριον, ut πέποται, id est, *potatus est.* ποτήριον, id est, *poculum.* Jam praeter ea & quae ante diximus, erit & figura quaedam decomposita, & quae a composita deducatur, ut φίλιππος, id est, *Philippus*, φιλιππίδης, id est, *Philippides.*

AD QUAS DECLINATIONES NOMINA quaeque referantur.

Cum nomen in quinque declinationes dividatur, ut dictum est, quomodo ad unamquamque referatur, & communiter & peculiariter, considerabitur hoc pacto.

QUAE AD PRIMAM PERTINEANT.

Igitur quae in ας desinunt purum, plurium syllabarum quam duarum, simplicia barytona, hoc est, penultima acu-

A ta nomina referuntur ad primam, ut αἰνείας, id est, *Aeneas.* Praeterea in ης desinentia, barytona, simplicia, unius generis, spondaica, hoc est, quaecunque penultimam habent longam, ut χρύσης. Quanquam & non simplicia eodem pertinent, nisi a neutro in ος composita sint, ut, τελώνης, id est, *exactor tributorum.* ὀλυμπιονίκης, id est, *victor in Olympiis.* Praeterea quae in δης formata sunt, sive patronymica, sive propria, ut πριαμίδης, id est, *Priamides:* πριαμίδου, id est, *Priamidae.* παλαμίδης παλαμίδου, id est, *Palamides Palamidae.* Exceptis iis quae composita sunt a neutro in δος. Caeterum ὑπερείδης, id est, *Hyperides*, & ἀριστείδης, id est, *Aristides:* & alia nonnulla patronymicorum formam sequuntur. Praeterea desinentia in της per Jambum, hoc est, quibus penultima

B brevis est, ut δεσπότης δεσπότου, id est, *dominus domini.* Excepto κράτης, id est, *Crates;* Nam id κράτητος, id est, *Cratetis*, facit.

QUAE SECUNDAE.

Porro in α vel in η desinentia foeminina, ut μαῖα, id est, *Maja.* τιμὴ, id est, *honor*, ad secundam pertinent.

QUAE TERTIAE.

In ος masculina & foeminina, & in ον neutra, ad tertiam pertinent, ut θεὸς, id est, *Deus.* ὁδὸς, id est, *via.* ἀγαθὸν, id est, *bonum.*

QUAE QUARTAE.

Quae vero in ως desinunt, Attico more, masculina & foeminina, & in ων neutra, ad quartam pertinent. Declinantur

C enim ablatione consonantis finalis, ut μενέλεως μενέλεω, id est, *Menelaus Menelai.* εὔγεων εὔγεω, id est, *ferax feracis.* Referri possunt ad hanc, & quae Dorico more declinantur, ablatione σ, ut λάας λᾶα, id est, *lapis lapidis.* ποδῆς ποδῆ, *pedes.*

QUAE SINT QUINTAE.

Jam vero quaecunque formam habent diversam ab iis quae dicta sunt, masculina, foeminina, neutra, ad quintam pertinent. Nam genitivum omnia habent in ος, licet diversis modis. Quatenus alia quidem desinunt in syllabam puram, alia nequaquam: sed addita consonante, sive tenui, sive aspirata, sive media, sive immutabili. Vocales igitur in quas nomina hujusmodi desinunt, sunt α ι υ ω. Consonantes vero σ ν ς λ ξ ψ ν ρ.

D Ergo quae in α desinunt incontracta, per τ declinantur, ut βῆμα βήματος, id est, *gradus, gradus.* Nisi si quod sit deformatum a masculino. Nam hoc masculini habet inflexionem, unde deductum est. μέγα μεγάλου, id est, *magnum, magni*, quod dicatur μέγας μεγάλου, id est, *magnus magni.* Exceptis item propriis literarum vocabulis, ut ἄλφα, βῆτα, quod haec sint indeclinabilia. Quae vero in ι desinunt, & Graeca sunt, per τ declinantur, ut μέλι μέλιτος, id est, *mel mellis.* Praeter ea quae deformantur a masculino. Nam haec inflexionem masculini, unde deducta sunt, servant: ut τί τίνος, id est, *quid cujus.* Quoniam dicimus τίς τίνος, id est, *quis cujus.* εὔχαρι εὐχάριτος, id est, *gratum grati:* quod dicimus εὔχαρις εὐχάριτος, id est, *gratus grati.* Porro barbari-

E ca per ος purum declinantur, σίνηπι σινήπιος, id est, *sinapi sinapis.* Quae desinunt in υ, per ος purum declinantur, ut γόνυ γόνυος, id est, *genu.* At quae penultimam habent longam, aut quae trium sunt generum, declinantur υ converso in ε, ut πῶυ πώεος, id est, *grex gregis*, ἡδὺ ἡδέος, id est, *jucundum, jucundi.* ὀξὺ ὀξέος, id est, *acutum acuti.* In ω desinentia, per ος purum declinantur, λητὼ λητόος, id est, *Latona Latonae.*

DE IN Σ DESINENTIBUS.

Rursum in ς desinentia, partim quidem per ος purum declinantur, partim per τ tenue, partim per θ aspiratum, partim per δ medium declinantur. Igitur in ες desinentia, per ος purum declinantur, ἀληθὲς ἀληθέος, id est, *verum veri.* Ad haec

F in ευς desinentia, aut in αυς, abjecta vocali, quae posterior est in diphthongo, βασιλεὺς βασιλέος, id est, *rex, regis.* ναῦς ναὸς, id est, *navis, navis.* Item in υς desinentia, consimiliter, βοῦς βοὸς, id est, *bos, bovis.* Excepto πὺς ποδὸς, id est, *pes pedis*, & ὀδοὺς ὀδόντος, id est, *dens, dentis.* Attamen quae sunt ex contractione, ad tertiam referuntur, ut νοῦς, νοῦ, νῷ, id est, *mens, mentis, menti.* Quanquam haec licet & incontracte declinare, νοῦς νοὸς, id est, *mens mentis.* Adjungantur autem iis & in οις desinentia per Synaeresim, ut οἶς οἰὸς, id est, *ovis, ovis*, & φθοῖς φθοιὸς, id est, *tabes, tabis.* Praeterea in ος neutra, σθένος σθένεος, id est, *robur, roboris.* φάος φάεος, id est, *lumen, luminis.* Et quaecunque ab iis composita sunt in ης, δημοσθένης δημοσθένεος, id est, *Demosthenes, Demosthenis:*

[1] Δείκελον, aut Δείκηλον, aut Δίκηλον dicitur esse *imago*, aut *statua*, a Grammaticis. Δικέλεια & Δικελικὸν iis ignota. Vide *Joan. Meursium* Miscel. Laconic. Lib. III. c. 6.

A Ac generaliter quæ in ης desinunt, habentia neutrum formatum in ες, ἀληθὴς ἀληθέος, id est, *verus, veri*. Horum autem formam sequitur ἄρης, id est, *Mars*. Præterea in ως masculina, & penultimam habent longam μίνως μίνωος, id est, *Minos, Minois*, ἥρως ἥρωος, id est, *heros, herois*: atque ita sane juxta communem linguam. Cæterum juxta Atticam quartæ fiunt inflexionis, μίνως μίνω, id est, *Minos Minois*. Præterea in ως unicæ syllabæ incontracta, θὼς θωὸς, id est, *genus, lupi*. δμὼς δμωὸς, id est, *famulus, famuli*. Siquidem quæ ex contractione sunt, per τ declinantur, ut φῶς φωτὸς, id est, *lumen, luminis*. Ad quæ sane referri potest & ὧς ὠτὸς, id est, *auris, auris*. Ac rursum monosyllaba in ως, quæ quidem habent δ aut θ aut τ per ος purum declinantur, ut δμὼς, id B est, *famulus*. θὼς, id est, *lupus*. τρὼς, id est, *Trojanus*. Nam quæ aliam habent quampiam consonantem, per τ inflectuntur, ut χρὼς χρωτὸς, id est, *color, coloris*. φὼς φωτὸς, id est, *vir, viri*. Adjungatur iis quæ dicta sunt λᾶς monosyllabum, *lapis*: nam λαὸς dicitur, id est, *lapidis*. Præterea in ως fœminina quæ sunt oxytona, hoc est, ultima acuta, ut αἰδὼς αἰδόος, id est, *pudor pudoris*. ἠὼς ἠόος, id est, *aurora, auroræ*. Nam quæ barytona sunt, id est, penultima acuta, ad quartam declinationem referuntur, ut κέως κέω, ἕως ἕω, id est, *ceos, ceoi; aurora, auroræ*. Præterea in ις appellativa barytona, quæ non habent ultimam natura longam, ut ὄφις ὄφιος, id est, *serpens serpentis*. ὕβρις ὕβριος, id est, *contumelia, contumeliæ*. C Præter χάρις, id est, *gratia*. παῖς, id est, *puer, puella*: nam χάριτος, id est, *gratiæ* dicitur, & παιδὸς, id est, *pueri*, vel *puellæ*. Præterea nomina in υς barytona, βότρυς βότρυος, id est, *botrus botri*. Præter κόρυς κόρυθος, id est, *galea galeæ*. Quanquam horum nonnulla declinantur, mutata υ in ε, πῆχυς πήχεος, id est, *cubitus cubiti*. πέλεκυς πελέκεος, id est, *securis, securis*. Similiter & oxytona, si sint unici generis, & si longam habeant υ, πληθὺς πληθύος, id est, *multitudo multitudinis*. ἀχλὺς ἀχλύος, id est, *caligo caliginis*. οἰζὺς οἰζύος, id est, *calamitas calamitatis*. ὀαριστὺς ὀαριστύος, id est, *familiaritas familiaritatis*. Cæterum quæ trium sunt generum, declinantur υ mutata in ε, ἡδὺς ἡδέος, id est, *jucundus jucundi*. In ας desinentia neutra, per τ inflectuntur, ut κρέας κρέατος, D id est, *caro carnis*. οὖας οὔατος, id est, *auris, auris*. Item in ας masculina, dissyllaba barytona, ultimam habentia longam, quæ sane & ante τ assumunt ν, ut αἴας αἴαντος, id est, *Ajax Ajacis*. κάλχας κάλχαντος, id est, *Calchas Calchantis*. Præter ea quæ formant ex se fœmininum in αινα, ut μέλας μέλανος, id est, *niger nigri*, quod dicatur μέλαινα, id est, *nigra*. Rursum quæ plures duabus habent syllabas, si ab hujusmodi nomine dissyllabo fuerint composita sic declinantur, ut πολυδάμας πολυδάμαντος, id est, *Polydamas, Polydamantis*. His congruunt & nomina in ας oxytona, & non pura, masculina, ut ἱμὰς ἱμάντος, id est, *lorum lori*. Et πᾶς, id est, *omnis*, circumflexum eodem modo, facit enim παντὸς, id est, *omnis*: & neutrum ab hoc veniens πᾶν, id est, *totum*. E Ad hæc in εις purum desinentia, abjecta posteriore vocali, quæ est in diphthongo, ut χαρίεις χαρίεντος, id est, *venustus, venusti*. Quin & ab his formata in εν neutra, ad eundem modum declinantur, ut χαρίεις, id est, *venustus*, χαρίεν, id est, *venustum*, χαρίεντος, id est, *venusti*. Excipiatur μεὶς, id est, *mensis*, nomen Æolicum. Nam id facit μηνὸς, id est, *mensis*. Item in εις desinentia contracta, declinationem habent incontractorum, πλακόεις πλακόεντος, id est, *placenta placentæ*, incontracte: πλακοῦς πλακοῦντος, contracte. Item in ης barytona Jambica, hoc est, quibus penultima brevis est, nec in ultima syllaba habent τ, ut λάχης λάχητος, id est, *Laches Lachetis*. Præterea in της fœminina, Jambica, φιλότης φιλότητος, id est, *amicitia, amicitiæ*. Præterea in ως oxytona, F hoc est, ultima acuta, si plures una syllabas habeant, ut ἱδρὼς ἱδρῶτος, id est, *sudor, sudoris*. Præterea in ως masculina, barytona, penultimam habentia brevem, ut γέλως γέλωτος, id est, *hic risus, hujus risus*. Item nomina in αις incontracta, ut δαῒς δαιτὸς, id est, *convivium, convivii*. δαὶς δαιτὸς, id est, *pasta, pastæ*. Nam παῖς παιδὸς, id est, *puer, pueri*, ex contractione est. Præterea in ας oxytona, παλλὰς, παλλάδος, id est, *Pallas, Palladis*. τριὰς τριάδος, id est, *ternio ternionis*. ἀρκὰς ἀρκάδος, id est, *arcas arcadis*. Præter κρᾶς, id est, *caput*: nam id facit κρατὸς, id est, *capitis*. Cæterum propria nomina in ις, per δ declinantur, juxta linguam communem, ut πάρις πάριδος, id est, *Paris Paridis*. Similiter in ις fœminina, penultimam habentia productam, μῆνις μήνιδος, id est, *ira iræ*. νεᾶνις νεάνιδος, id est, *adolescentula adolescentulæ*. Ad hæc in ις oxytona, unicam vocalem habentia in ultima, πριαμὶς πριαμίδος, id est, *Priamis Priamidis*. Præterea in εις desinentia non purum, κλεὶς κλειδὸς, id est, *clavis clavis*: ἀντήρεις ἀντήρειδος, id est, *lignum obtentum*. Præterea in υς fœminina oxytona, in brevem desinentia, χλαμὺς χλαμύδος, id est, *chlamys chlamydis*. Ea quæ acuunt antepenultimam, ut ἔπηλυς ἐπήλυδος, id est, *advena advenæ*. Porro quæ desinunt in ις appellativa, barytona longam ultimam habentia, inflectuntur per θ, ut ὄρνις ὄρνιθος, id est, *gallina gallinæ*. Consimiliter & in νς desinentia, ut ἕλμινς ἕλμινθος, *lumbricus, lumbrici*. At quæ desinunt in λς, abjecta σ, quæ est immutabilis, declinantur, ut ἅλς ἁλὸς, id est, *sal, salis*. Quæ vero in ξ, partim quidem declinantur per κ tenuem, partim per χ aspiratam, partim per γ mediam. Etenim quæ penultimam acuunt, ut in genere dicam, per κ declinantur, ut θώραξ θώρακος, id est, *thorax thoracis*: præter ea quæ verbum habent in ζω, aut in γω. Hæc enim per γ declinantur, ἅρπαξ ἅρπαγος, id est, *rapax rapacis*, quod dicatur ἁρπάζω, id est, *rapio*. τέττιξ τέττιγος, id est, *cicada cicadæ*. Nam verbum habet τεττίζω, id est, *strido*. σάλπιγξ σάλπιγγος, id est, *tuba, tubæ*. Nam verbum est σαλπίζω, id est, *tuba cano*. λέλεξ λέλεγος, id est, *lelex lelegis*. Nam verbum est λέγω, id est, *lego*. Excepto etiam ἄναξ, id est, *rex*, quod ἄνακτος facit, id est, *regis*: ne conveniret vox genitivi cum nominativo ἄνακος, id est, *Castor*. Cæterum quæ acuunt ultimam, per γ declinantur, ut βουπλὴξ βουπλῆγος, id est, *stimulus, stimuli*. αἲξ αἰγὸς, id est, *capra, capræ*. ῥὼξ ῥωγὸς, id est, *arena, arenæ*. Excepto etiam βὴξ βηχὸς, id est, *hæc tussis, hujus tussis*. πτὼξ πτωκὸς, id est, *lepus, leporis*. Exceptis & iis quæ consonantem habent ante ξ diversam a γ, ut σάρξ, id est, *caro*. Nam σαρκὸς facit, id est, *carnis*. Ut autem accuratius eadem dicamus, quæ in αξ desinunt, per κ declinantur, ut ἄνθραξ ἄνθρακος, id est, *carbo, carbonis*. θρᾷξ θρᾳκὸς, id est, *Thrax, Thracis*. Excepto ἅρπαξ, id est, *rapax*, & ἄναξ, id est, *rex*. Item in ηξ, siquidem simplicia fuerint, per κ declinantur, ut μύρμηξ μύρμηκος, id est, *formica, formicæ*. Contra quæ composita per γ, βουπλὴξ βουπλῆγος, id est, *stimulus, stimuli*. Cæterum in ιξ desinentia per κ declinantur. Præter τέττιξ τέττιγος, id est, *cicada, cicadæ*. Nam θρὶξ, θριχὸς, id est, *pilus, pili*, habet. Præterea in υξ desinentia, & ultimam habentia natura longam, & quæcunque duabus consonantibus efferuntur: quarum altera pertineat ad primam verborum conjugationem, inflectuntur per κ, ut δοίδυξ δοίδυκος, id est, *cochleare, cochlearis*. βέβρυξ βέβρυκος, id est, *bebryx, bebrycis*. ἄμπυξ ἄμπυκος, id est, *currus, currus*. Quæ vero ejusmodi non sunt, inflectuntur per γ, ἄντυξ ἄντυγος, id est, *cantus, canti*. Item in ωξ desinentia simplicia, præter ῥὼξ, id est, *rupes*. In ωψ desinentia, per π inflectuntur pleraque, ut κύκλωψ κύκλωπος, id est, *Cyclops, Cyclopis*. Quanquam ἄραψ ἄραβος facit, id est, *Arabs, Arabis*. χάλυψ χάλυβος, id est, *chalybs, chalybis*. λὶψ λιβὸς, id est, *Libs, Libis*, φλὲψ φλεβὸς, id est, *vena, venæ*. κίνυψ κίνυφος, id est, *Cinyps Cinyphis*. Porro in ην desinentia, aut in ρ, inflectuntur per eandem immutabilem, ut ἕλλην ἕλληνος, id est, *Græcus, Græci*. νέστωρ νέστορος. In omnibus autem in ην desinentibus, penultima acuta, idem η vertitur in ε, juxta formam neutrorum, ut τέρην τέρενος, id est, *tener, teneri*. Nam neutrum habet τέρεν, id est, *tenerum*. Item in iis quæ ultimam habent acutam, & inflectuntur per μ, ut ποιμὴν ποιμένος, id est, *pastor, pastoris*. Præter μὴν μηνὸς, id est, *hic mensis, hujus mensis*. Quin quædam etiam quæ non habent μ, eodem modo declinantur, ut αὐχὴν αὐχένος, id est, *cervix, cervicis*. φρὴν, φρένος, id est, *mens, mentis*. Consimiliter in ηρ desinentia, nonnulla η mutant in ε. Nempe quæcunque penultimam habent acutam, & eandem longam, πίηρ πίερος, id est, *pier, pieris*. Item quæ desinunt in τηρ, ἀστὴρ ἀστέρος, id est, *astrum, astri*. πατὴρ πατέρος, id est, *pater, patris*. μήτηρ μητέρος, id est, *mater, matris*. θυγάτηρ θυγατέρος, id est, *filia, filiæ*. Item in θηρ, ut αἰθὴρ αἰθέρος, id est, *æther, ætheris*. Cæterum in ιν desinentia, vertunt & ν in σ in recto casu: unde δικατάληκτα vocantur, id est, duplicem habentia terminationem. Quanquam manent ejusdem declinationis. Quemadmodum enim dicimus, δελφὶν δελφῖνος, id est, *delphinus, delphini*, sic etiam δελφὶς δελφῖνος. Sic & θὶς θινὸς, id est, *litus, litoris*, & σαλαμὶς σαλαμῖνος, id est, *Salamis, Salaminis*. Atque itidem in cæteris. His respondet & τὶς, id est, *aliquis*: licet unicæ sit terminationis, facit enim

τινὸς.

τινὸς, id est, *alicujus*. Porro κτεὶς, id est, *pecten*, geminam habet formam. Nam velut in εις desinens, communicat cum iis quæ geminam habent terminationem. Quatenus vero per ε declinatur, communicat cum iis quæ desinunt in ην. facit enim κτενὸς, id est, *pectinis*. Eorum quæ terminantur in ων, quædam assumunt literam τ, veluti circumflexa, ut ξενοφῶν ξενοφῶντος, id est, *Xenophon*, *Xenophontis*. Præter ποσειδῶν, id est, *Neptunus*: nam id facit ποσειδῶνος, id est, *Neptuni*. Item quæ fœminina habent in αινα, deformata, λέων enim facit λέοντος, id est, *leo*, *leonis*: propterea quod fœmininum fit λέαινα, id est, *leæna*. Et δράκων δράκοντος, id est, *draco*, *draconis*: quoniam dicitur δράκαινα, id est, *dracæna*. Tametsi ne id quidem generale est: siquidem λάκων facit λάκωνος, quamvis fœmininum sit λάκαινα, id est, *Lacedæmonia*.

NVMERALIA.

Jam & numeralia nomina ad quintam referri possunt εἷς ἑνός. id est, *unus*, *unius*. τρεῖς τριῶν, id est, *tres*, *trium*. τρίσι, id est, *tribus*. τέσσαρες τεσσάρων, id est, *quatuor*, *horum quatuor*. τέσσαρσι, id est, *his quatuor*. Præter δύο δυοῖν, id est, *duo duorum*. Nam ea figura est tertiæ inflexionis. Quod genus est & ἄμφω, id est, *ambo*, ἀμφοῖν, id est, *amborum*, vel *ambobus*. Cæterum δύο non solum dicitur in accusativo quoque, verum etiam in genitivo ac dativo.

QVÆ COMMVNIA DECLINATIONIBVS OMNIBVS INTER SE.

Est autem declinationum omnium commune, quod genitivum pluralem habent desinentem in ων. Et quod eundem habent rectum & vocativum in omni numero, nisi quod in singulari fit tantum Attico more. In duali vero & plurali generaliter.

Communia eorum quæ paribus syllabis declinantur.

Eorum quæ paribus syllabis declinantur, commune est, quod dativum habent in Jota non expressum desinentem, cum vocali recti, aut cum majori, illi respondente, ut αἰνείας αἰνείᾳ, id est, *Æneas*, *huic Æneæ*. λόγος λόγῳ, id est, *sermo*, *sermoni*. Item quod accusativum habent in ν desinentem, cum vocali recti, αἰνείαν, id est, *Æneam*. λόγον, id est, *sermonem*. Notentur inter nomina quartæ declinationis, ἄθω, id est, *Athonem*. κῶ, id est, *Con*. τέω, id est, *Teon*. λαγῶ, id est, *leporem*: quæ accusativa sunt absque ν, more Attico.

Communia prima & secunda.

Primæ vero ac secundæ commune est, quod dativus singularis desinens in α, convenit in voce cum recto & accusativo duali, τῷ αἰνείᾳ, id est, *huic Æneæ*. τὼ αἰνεία, id est, *hi duo Æneæ*, vel *hos duos Æneas*. τῇ μαίᾳ, id est, *huic Majæ*. τὰ μαία, id est, *hæ duæ Majæ*, vel *has duas*. Verum cum dativus singularis desinit in η, tamen rectum & accusativum dualem faciunt, mutata η in α, & ablata ι non expressa, τῷ χρύσῃ, id est, *huic Chrysæ*. τὼ χρύσα. id est, *hi duo Chrysæ*, vel *hos duos*. τῇ μούσῃ, id est, *huic musæ*, τὰ μούσα, id est, *hæ duæ musæ*, vel *has duas*.

Communia prima, secunda & quarta.

Primæ vero & secundæ & quartæ commune est, quod ex recto & accusativo dualium, faciunt genitivum & dativum dualium, assumptis ι & ν, τὼ αἰνεία, id est, *duo Æneæ*. τοῖν αἰνείαιν, id est, *duorum*, vel *duobus*. τὰ μούσα, id est, *duæ* vel *duas*, ταῖν μούσαιν, id est, *duarum* vel *duabus*. τὼ μενέλεω, id est, *duo Menelai*. τοῖν μενέλεων, id est, *duorum*, vel *duobus*. Porro quod rectus pluralis hinc fit tantum addito ι, τὼ αἰνεία, id est, *duo Æneæ*. οἱ αἰνεῖαι, id est, *plures Æneæ*, τὰ μούσα, id est, *duæ musæ*, αἱ μοῦσαι, id est, *plures musæ*. τὼ μενέλεω, id est, *duo Menelai*. οἱ μενέλεῳ, id est, *plures Menelai*. Præterea quod ex recto plurali, dativus fiat pluralis assumpto σ. οἱ αἰνεῖαι, τοῖς αἰνείαις, id est, *plures Æneæ*, *pluribus Æneis*. αἱ μοῦσαι, id est, *plures musæ*. ταῖς μούσαις, id est, *pluribus musis*. οἱ μενέλεῳ, id est, *plures Menelai*. τοῖς μενέλεῳς, id est, *pluribus Menelais*. Ejecto autem ι, & assumpto σ, faciunt accusativum. οἱ αἰνεῖαι. id est, *plures Æneæ*. τὰς αἰνείας. id est, *plures Æneas*. αἱ μοῦσαι, id est, *musæ*. τὰς μούσας, id est, *musas*. οἱ μενέλεῳ, id est, *Menelai*. τοὺς μενέλεως, id est, *Menelaos*.

Communia prima ac tertia.

Primæ vero ac tertiæ commune est, quod declinantur ultima versa in ου, ut αἰνείας, id est, *Æneas*, αἰνείου, id est, *Æneæ*. λόγος, λόγου, id est, *sermo*, *sermonis*.

Communia prima & quinta.

Primæ vero & quintæ commune, quod a recto vocati-

A vum faciunt, ablato σ, ut ὁ αἰνείας, id est, *hic Æneas*, ὦ αἰνεία, id est, *o Ænea*. ὁ χαρίεις, id est, *hic venustus*, ὦ χαρίει, *o venuste*.

Communia secunda & quinta.

Secundæ & quintæ commune est, quod omnino est eadem vox vocativi & nominativi, ἡ μαῖα, id est, *hæc Maja*, ὦ μαῖα, id est, *o Maja*. ὁ λάχης, id est, *hic Laches*, ὦ λάχης, id est, *o Laches*.

Communia tertia & quarta.

Tertiæ vero & quartæ commune est, quod dativus singularis eandem habet vocem cum recto & accusativo duali, τῷ λόγῳ, id est, *sermoni*, τὼ λόγω, id est, *duo* vel *duos sermo-*

B *nes*. τῷ μενέλεῳ, id est, *huic Menelao*. τὼ μενέλεω, id est, *duo Menelai*, vel *duos Menelaos*. Præterea quod dativus pluralis fiat a nominativo plurali, addita σ. οἱ λόγοι, id est, *sermones*. τοῖς λόγοις, id est, *sermonibus*. οἱ μενέλεῳ, τοῖς μενέλεῳς, id est, *hi Menelai*, *Menelais*.

Communia tertia & quinta.

Tertiæ vero & quintæ commune est, quod a recto & accusativo dualium, genitivus & dativus dualium, τὼ λόγω, id est, *duo*, vel *duos sermones*. τοῖν λόγοιν, id est, *duorum* vel *duobus*. τὼ αἴαντε, id est, *Ajaces duo*, vel *duos*. τοῖν αἰάντοιν, id est, *duorum*, vel *duobus*.

Proprium primæ.

Rursum proprium est primæ, quod habentia τ. aut gen-

C tium vocabula, non solum ablata σ, faciunt vocativum, verum etiam mutato η in α. ὁ προφήτης, id est, *hic Propheta*. ὦ προφῆτα, id est, *o Propheta*. ὁ πέρσης, id est, *hic Persa*. ὦ πέρσα, id est, *o Persa*. Hujus autem ejusdem est, quod genitivum singularem habet in εω, more Jonico. οἰκέτου, id est, *famuli*. οἰκέτεω, id est, *famuli*. πηλείδου, id est, *pelidæ*. πηλείδεω, id est *pelidæ*. Unde interjecto α, fit πηλειάδεω, id est, *pelidæ*.

Proprium secundæ.

Secundæ vero proprium est, quod assumpto σ declinatur, μαῖα μαίας, id est, *Maja*, *Majæ*. τιμὴ τιμῆς, id est, *honor*, *honoris*. Item quod α manet in genitivo, si purum sit, aut si sequatur δ, aut θ, aut ρ. Sin secus fuerit, vertitur α in η, ut μοῦσα μούσης, id est, *musa*, *musæ*.

Proprium tertiæ.

D Tertiæ proprium est, quod dativum singularem format a genitivo in ω, λόγου λόγῳ, id est, *sermonis sermoni*. Præterea quod vocativum habeat desinentem in ε, ὦ λόγε, id est, *o sermo*. Præterea quod ex recto, eodemque accusativo duali, fit rectus pluralis in οι diphthongum, τὼ λόγω, id est, *duo*, vel *duos sermones*. οἱ λόγοι, id est, *plures sermones*. Deinde quod ex recto plurali, fit dativus pluralis, addita σ, λόγοι, id est, *sermones*. λόγοις, id est, *sermonibus*. Porro accusativus in ους.

Proprium quartæ.

Quartæ autem proprium est, abjecto σ declinari. μενέλεως μενέλεω, id est, *Menelaus Menelai*. Item quod rectus pluralis in voce convenit cum dativo singulari.

Proprium quintæ.

E Quintæ vero proprium est, quod genitivum singularem habet in ος, αἴας αἴαντος, id est, *Ajax*, *Ajacis*. Præterea quod a genitivo singulari, facit dativum singularem in ι, αἴαντος αἴαντι. Item quod accusativum singularem in α fingit a dativo, αἴαντι αἴαντα. Siquidem ποσειδῶ & κυκεῶ & ἱδρῶ, per Apocopen, proferuntur. Quod genus est & ἀπόλλω, id est, *Apollinem*. Præterea quod vocativus in iis quæ per ντ declinantur in contracta, fiat ablatione ultimæ syllabæ genitivi, αἴαντος, id est, *Ajacis*, ὦ αἶαν, id est, *o Ajax*. χαρίεντος, id est, *venusti*, ὦ χαρίεν, id est, *o venuste*. Quanquam in πλακοῦς, id est, *placenta*, & σιμοῦς, id est, *Simois*, & iis adsimilibus, auferendum est & ν, quod in penultima, σιμοῦντος, σιμοῦ, id est, *Simoentis*, *o Simois*. Excipiatur tamen ὀδοὺς, id est, *dens*. Nam hujus idem est vocativus & rectus. Cæterum

F in iis quæ declinantur per εος, contrahunturque in ους, vocativus fit a recto, verso η in ε, δημοσθένης, id est, *hic Demosthenes*, ὦ δημόσθενες, id est, *o Demosthenes*. Rursum in fœmininis desinentibus in ω, vel ως, fit a recto, ω finali verso in οι diphthongum, ἡ λητὼ, id est, *Latona*, ὦ λητοῖ, id est, *o Latona*, & ablato σ si fuerit, ut ἡ αἰδὼς, id est, *hic pudor*. ὦ αἰδοῖ, id est, *o pudor*. In iis vero quæ desinunt in ην, aut in εις, quorum neutra deformantur in εν, vocativus formatur a genitivo, abjecta ultima syllaba, τέρην τέρενος, id est, *tener*, *teneri*. ὦ τέρεν, id est, *o tener*. χαρίεις χαρίεντος, id est, *venustus*. *venusti*, ὦ χάριεν, id est, *o venuste*. Cæterum in iis

quæ

quæ desinunt in ηρ, & penultimam habent acutam, fit vo-
cativus in ερ, ut μήτηρ, id est, *hæc mater*, ὦ μῆτερ, id est, *o*
mater. Excepto πίηρ, id est, *Pier*. Quibus sane respondet,
& inter oxytona, πατὴρ, id est, *pater*. ἀνὴρ, id est, *vir*. δαὴρ,
id est, *levir*. σωτὴρ, id est, *servator*. Etenim dicimus, ὦ πάτερ,
id est, *o pater*. ἄνερ, id est, *o vir*. δᾶερ, id est, *o levir*. σῶτερ, id
est, *o servator*. Præterea quod in quibusdam vocativus omni-
no consonat cum recto, in quibusdam sine ς proferatur. Nam
in ευς aut in ους desinentium, absque σ cum diphthongo pro-
feruntur, nisi quid vetet. Nam ὦ πῦς, id est, *o pes*, & ὦ ὀδοὺς,
id est, *o dens*, tantum ne sit eadem vox cum πῦ, id est, *ubi*,
& ὁδοῦ, id est, *via*. Item in appellativis desinentibus in ις, quæ
penultimam acuunt, nec habent ultimam natura longam,
atque adeo in universum in omnibus in ις desinentibus pen-
ultima acuta, ὁ ὄφις, id est, *hic serpens*, ὦ ὄφι, id est, *o ser-*
pens. Similiter in iis quæ desinunt in υς, penultima acuta, ὁ
βότρυς, id est, *botrus*, ὦ βότρυ, id est, *o botre*. Item in iis etiam
quæ ultimam acuunt, si sint trium generum, ὁ ἡδὺς, id est,
hic jucundus, ὦ ἡδὺ, id est, *o jucunde*. Cæterum in nomini-
bus masculinis, desinentibus in ως longum, vocativi eadem
vox quæ nominativi, nec habet alteram. Atque in genere
fit hoc in omnibus in ως desinentibus. Cæterum quæ infle-
ctuntur, aut per ως purum, aut per τ. Exceptis vocativis
pluralibus oxytonorum, ut ὁ ἥρως, ὦ ἥρως, id est, *o heros*: & no-
minum barytonorum in ης Jambicorum, atque in totum
omnium, quæ sic in ης desinunt, & declinantur per τ, ὁ λά-
χης, id est, *hic Laches*, ὦ λάχης, id est, *o Laches*. Item no-
minum in ας oxytonorum: ἡ παλλὰς, id est, *Pallas*, ὦ πάλ-
λας, id est, *o Pallas*. Rursum nominum in ις oxytonorum,
ἡ πριαμὶς, ὦ πριαμὶς. Item oxytonorum in υς, ἡ χλαμὺς, ὦ
χλαμύς. Item nominum in λς, ὁ ἅλς, id est, *hic sal*, ὦ ἅλς,
id est, *o sal*. Item nominum desinentium in duplicem con-
sonantem, ὁ ἄναξ, id est, *rex*, ὦ ἄναξ, id est, *o rex*. Item in
immutabilem desinentium, ut ὁ ἕλλην, id est, *Græcus*, ὦ ἕλ-
λην, *o Græce*. Præter ea quæ superius dicta sunt. Quin & il-
lud est proprium, quod nominativum & accusativum dua-
lium faciunt a dativo singulari, ι verso in ε, αἴαντι, id est,
Ajaci, αἴαντε, id est, *Ajaces duo*, vel *duos*. Præterea quod
ex recto, eodemque accusativo duali, assumpto ς, fit rectus
pluralis, αἴαντε, id est, *duo Ajaces*, αἴαντες, id est, *plures*
Ajaces. Item quod dativus pluralis, fit a dativo singulari in
σι vel actu vel potentia, αἴασι, id est, *Ajacibus*. φοίνιξι, id
est, *Phœnicibus*. Itaque si purum fuerit ι, dativi singularis,
tum σ assumitur, δημοσθένεϊ, id est, *Demostheni*, δημοσθένεσι,
id est, *Demosthenibus*. In nonnullis vero & υ additur, ut quo-
rum nominativus desinit in ους incontractum, aut in ευς, βοῒ
βουσὶ, id est, *bovi*, *bubus*. πηλέϊ πηλεῦσι, id est, *Peleo*, *Peleis*.
Sin in ους non purum, siquidem τ aut θ aut δ aut ν adjunctum
fuerit, vertitur in σ, & ν eliditur, si præcedat τ, αἴαντι, id
est, *Ajaci*, αἴασιν, id est, *Ajacibus*. In nonnullis vero & in
hujus locum υ assumitur, ut quorum rectus desinit in ων,
λέοντι λέουσι, id est, *leoni leonibus*. Quod si alia quæpiam fue-
rit consonans, aut immutabilis, aut tenuis, aut aspirata, aut
media, præter dictas, rursum σ assumitur, ἁλὶ, id est, *sali*.
ἁλσὶ, id est, *salibus*. πέρδικι, id est, *perdici*. πέρδιξι, id est,
perdicibus. βηχὶ, id est, *tussi*. βηξὶ, id est, *tussibus*. μάστιγι μά-
στιξι, *flagello*, *flagellis*: nisi quod aspirata & media in sibi re-
spondentem tenuem vertitur, & recipitur duplex. Præter-
ea quod ex accusativo singulari, fit accusativus pluralis,
addito σ. Porro quintæ declinationis proprie, sunt etiam
ferme omnes nominum contractiones.

DE CONTRACTIS.

Cum in octo potissimum formas divisa sint nomina con-
tractionem recipientia, nihil est, quod idem sit omnium
commune. Cæterum ι & ευ, & primi υ, commune est,
quod quatuor duntaxat casus contrahuntur in ει. Nempe
dativus singularis. Item rectus, accusativus & vocativus
pluralis, exceptis neutris. Commune iis & illud, ο genitivi
breve, in ω vertere, more Attico. Exceptis iis quæ ad pri-
mum υ pertinent. Siquidem in universum Attici casus in ος
purum desinentes, tum obliquos, tum rectos, verso
ο breve in longum: & vocali α quæ est in penultima,
mutata in ε proferre consueverunt. μενέλαος μενέλεως. id est,
Menelaus. ὄφιος ὄφεως, id est, *serpentis*. Cæterum eorum
quæ ad η ε ο & α pertinent, commune est, & quod in omni-
bus contrahuntur, nisi sicubi neutrum genus vetat, & quod
genitivi plurales contrahuntur in ω. Differunt autem, quod

A quæ ad primam formam pertinent, nempe η ε ο, contrahun-
tur in ου ει η οι, quæ vero ad α, hoc est, tertiam formam po-
lypathôn, contrahuntur in ω & α. proprium autem ω, hoc
est, tertiæ formæ oligopathôn, quod singularia duntaxat
contrahuntur. Dualia vero & pluralia incontracta declinan-
tur juxta tertiam inflexionem. Ejusdem autem sunt contra-
ctiones, & quod singularis accusativus comparativorum,
Attico more contrahitur in ω, ἀμείνονα ἀμείνω, id est, *me-*
liorem, *meliorem*. Videlicet eliso ν, & ο & α in ω conflatis.
Præterea quod rectus & accusativus pluralis contrahitur in
ους, ἀμείνονες ἀμείνους, id est, *meliores*. ἀμείνονας ἀμείνους, id est,
meliores. Ad hæc quod nonnulla in ις desinentium, & per δ
declinatorum, tum in recto, tum in accusativo plurali con-
B trahantur, φθοΐδες φθοῖς, id est, *placentæ*, *placentæ*, φθοΐδας
φθοῖς, id est, *has placentas*. ὄϊδες οἶς, id est, *oves*, ὄϊδας οἶς, id
est, *has oves*. Est autem Atticum hoc quoque. Atque in-
super Atticum est, quod accusativi nominum in ις, aut in
ευς purum contrahuntur in α, ὑγιέα ὑγιᾶ, id est, *sanum*, *sanum*.
πειραιέα, πειραιᾶ, id est, *piræum*. Cæterum quod eliditur δ
in hujusmodi nominibus Jonicum est, ut πάριος, id est, *Pa-*
ridis. θέτιος, id est, *Thetidis*. Item eliso τ in iis quæ per τ de-
clinantur, κρέατος κρέαος, id est, *carnis*. Item quod quæ ha-
bent ι & ευ, declinentur per ε & η, πόλεος, id est, *civitatis*, &
βασιλῆος, id est, *regis*. Præterea quod horum nominum ac-
cusativus fiat etiam ablata ultima syllaba, & in ejus locum
recepto ν, πάριδα πάριν, id est, *Paridem*. μῆνιδα μῆνιν, id est,
C *iram*. Idem fit & in iis quæ habent ι. ὄφια ὄφιν, id est, *ser-*
pentem: & in utroque υ, ἡδέα ἡδὺν, id est, *jucundum*. βότρυα
βότρυν, id est, *racemum*.

De syncopen patientibus.

Quædam autem in ηρ desinentium & syncopen patiun-
tur, velut ἀνὴρ, id est, *vir*. πατὴρ, id est *pater*. μήτηρ, id est,
mater. Nam faciunt ἀνέρος & ἀνδρὸς, id est, *viri*. μητέρος &
μητρὸς, id est, *matris*. πατέρος & πατρὸς, id est, *patris*: atque
item in cæteris casibus, nisi quid vetet. Atque horum dati-
vus pluralis fit quidem a singulari quemadmodum in cæte-
ris. Verum aut a dativo syncopen jam passo, interposito α,
ut πατρὶ πατράσι, id est, *patri*, *patribus*: aut a nondum passo
translato ac verso ε, ut πατέρι πατράσιν, id est, *patri patribus*.
D Et ἀνέρι ἀνδράσι, id est, *viro viris*. Porro apud Poetam di-
ctum est & ἄνδρεσι, id est, *viris*. Jam vero πλοῦς, id est, *na-*
vigatio, & νοῦς, id est, *mens*, aliaque id genus, non sunt con-
tractionis quintæ, sed tertiæ. Veniunt autem a πλόος, id est,
navigatio, & νόος, id est, *mens*. Quamobrem & præstiterit
inflectere juxta tertiam νοῦς, id est, *mens*. νοῦ, id est, *mentis*.

De varie declinatis.

Sunt autem nomina quæ non servant propriam & æqua-
bilem inflexionem, sed varie declinantur: unde & ἑτερόκλιτα
dicta. Quod genus est ζεὺς, id est, *Juppiter*. Nec enim fa-
cit ζέος, id est, *Jovis*, sed διὸς, id est, *Jovis*, accommoda-
tum in aliam vocem. Item μέγας, id est, *magnus*: non enim
facit μεγάντος, id est, *magni*: sed μεγάλου, id est, *magni*. Item
πολὺς, id est, *multus*, neque enim πολέος, id est, *multi*, facit
E in oratione soluta: sed πολλοῦ, id est, *multi*. Item neutra ab
iis venientia, μέγα, id est, *magnum*. μεγάλου, id est, *magni*.
πολὺ, id est, *multum*, πολλοῦ, id est, *multi*. Præterea φρέαρ,
id est, *puteus*, & ἧπαρ, id est, *hepar*, ac δέλεαρ, id est, *esca*, &
ὕδωρ, id est, *aqua*: non enim faciunt φρέαρος, id est, *putei*.
ἥπαρος, id est, *hepatis*. δελέαρος, id est, *escæ*. ὕδαρος, id est,
aquæ: sed φρέατος, ἥπατος, δελέατος, ὕδατος. Cæterum in iis
non est certam reperire formam, aut regulam, sed tantum
usus & consuetudo est observanda. Rursum alia quædam
Apocopen, aut aliud quippiam passa, indeclinabilia sunt,
ut δῶ, id est, *domus*, & κρῖ, id est, *hordeum*, & λίπα, id est,
pinguitudo, & κρῆς, id est, *caro*. Ex nihil passis, indeclinabi-
F lia sunt hæc, σέβας, id est, *decus*. ὄφελος, id est, *utilitas*. ὄναρ,
id est, *somnium*. δέμας, id est, *corpus*. Atque in summa neu-
tra in ας desinentia, quæ non habent ας purum, ut σέλας, id
est, *jubar*. δέπας, id est, *poculum*. βρέτας, id est, *statua*.

DE VERBO.

Verbum autem prius divisum est, & quæ haberet acci-
dentia explicatum.

Quæ communia quatuor conjugationum.

Cum sint quinque verbi inflexiones, quas easdem & con-
jugationes vocamus, quatuor quidem verborum in ω desi-
nentium, unius vero in μι. Illud primarum quatuor est com-
mune, quod in indicativo activo, præteritum imperfectum
fit

fit a præsenti, mutata ultima in ον, & addito augmento, vel syllabæ, vel temporis. Atque in totum siquidem verbum incipit a consonante, augmentum fit syllabæ, assumpto ε in initio, ut τύπτω, id est, *verbero.* ἔτυπτον, id est, *verberabam.* Sin a vocali, fit augmentum temporis, prima vocali brevi versa in longam, ἀγαπῶ, id est, *diligo.* ἠγάπων, id est, *diligebam.* Nisi sane κατέαξα, id est, *fregi*, temporis augmento figuratum est, & ἐάγην, id est, *fractus eram*, & ἑάλων, id est, *captus eram*, & hujusmodi. Nam in iis ne hoc quidem fuerit perpetuum. Præterea commune est & illud, quod primum futurum desinat in ω, & idem habeat initium cum præsenti, & quod ante ω habeat σ, vel actu, ut ἀκούω ἀκούσω, id est, *audio, audiam:* vel virtute, ut τύπτω, id est, *verbero.* τύψω, id est, *verberabo.* Excepta quarta, idque ex consuetudine. Quandoquidem quoad naturam, & hæc reciperet σ, unde & ὄρω, id est, *moveo*, ὄρσω, id est, *movebo*, & ἕλω, id est, *traho*, ἕλσω, id est, *traham*, dicunt Dores. Itidem dicendum erat, & μένω μένσω, id est, *maneo, manebo*, & κρίνω κρίνσω, id est, *judico, judicabo.* Verum in usu non sunt, ob vocis absurditatem. Nam βαδιῶ, id est, *ibo*, Atticum est. Siquidem verborum in ιζω desinentium, si plures duabus habeant syllabas, futura eliso σ, proferunt Athenienses. βαδίσω, id est, *vadam.* βαδιῶ, id est, *vadam.* ἐλπίσω, id est, *sperabo*, ἐλπιῶ, id est, *sperabo.* Cæterum αὔξω, id est, *augesco*, & ἕψω, id est, *coquo*, & ἀλέξω, id est, *auxilior:* non nativa sunt, sed aliquid passa. Adhæc quod primum indefinitum fiat a futuro, mutato ultimo ω in α, accedente augmento temporis, vel syllabæ, ἀκούσω, id est, *audiam.* ἤκουσα, id est, *audivi.* τύψω, id est, *verberabo.* ἔτυψα, id est, *verberavi.* Verum ἐλέλιξα, id est, *verti*, per conduplicationem est dictum. Præterea quod præteritum perfectum a futuro fiat in α, & eandem habeat initialem cum præterito imperfecto secundum tempus aucto, ut ὁμιλήσω, id est, *confabulabor.* ὡμίληκα. id est, *confabulatus sum.* Porro cum est syllabæ augmentum, etiam initialem præsentis vocalem assumunt, τύψω, id est, *verberabo*, τέτυφα, id est, *verberavi.* Quanquam in iis in quibus est in initio consonans duplex, aut ρ nunquam ejusmodi consonantem assumit præteritum perfectum, ne sonus vocis sit absurdus. ἔψαλκα, id est, *cecini.* ἔσπαρκα, id est, *seminavi.* ἔρριφα, id est, *jeci.* Item in quibus est aspirata consonans, præteritum perfectum non assumit eandem, sed tenuem, ob modo dictam causam. φράζω, id est, *dico*, πέφρακα, id est, *dixi.* χωρίζω, id est, *separo.* κεχώρικα, id est, *separavi.* θηρεύω, id est, *venor*, τεθήρευκα, id est, *venatus sum.* In quibus autem est α ε ο initialis litera, in iis Attici proprium præteritum perfectum faciunt, initiales præsentes literas communi præterito apponentes, ac tertiam corripientes syllabam, ut ἐλεύθω, id est, *venio*, ἤλευκα, id est, *veni*, ἐλήλυκα, id est, *veni.* ἀκούω, id est, *audio*, ἤκουκα, id est, *audivi*, ἀκήκοα, id est, *audivi.* ὀρύσσω, id est, *fodio*, ὤρυχα, id est, *fodi*, ὀρώρυχα, id est, *fodi.* Sunt tamen in quibus initiales non apponunt, cum incipiant ab ο, sed ε solum, itidem ut fit in præteritis imperfectis & indefinitis, ὦσμαι ἔωσμαι, id est, *impulsus sum.* ὤνημαι ἐώνημαι, id est, *emptus sum.* ὥρακα, ἑώρακα, id est, *vidi.* ἀνῷγα ἀνέῳγα, id est, *aperui.* Quorum quidem & præteritum imperfectum simile quippiam habet, ἐωνούμην, id est, *emebar.* ἑώρων, id est, *videbam.* Ad hanc formam efferuntur & οἶκα, id est, *videor.* ἔοικα, id est, *videor.* Cæterum ξυνέηκε & προσέειπε, id est, *intellexit*, & *affatus est*, Poetica sunt juxta similitudinem efficta. Quin & illud est commune, quod a præterito perfecto fit præteritum plus quam perfectum in ειν, etiam cum augmento syllabico, si præteritum perfectum incipiat a consonante, τέτυφα, id est, *verberavi*, ἐτετύφειν, id est, *verberaveram.* Præterea quod a primo indefinito fit secundum in ον, sic ut penultima sit brevis, & ante ον habeat consonantem præsentis indicem conjugationis. Quod si præsens desinat in ω purum, pure profertur & hoc, ἔτυψα ἔτυπον, id est, *verberavi.* ἤκουσα ἤκοον, id est, *audivi*, penultima correpta. Quod si præsens dissyllabum utcunque habuerit in penultima ε, videlicet immutabili præcedente, vel sequente: tum fere ε vertitur in α, πέρθω, id est, *exscindo*, ἔπαρθον, id est, *exscidi.* δέρκω, id est, *video*, ἔδαρκον, id est, *vidi.* σπείρω, id est, *semino*, ἔσπαρον, id est, *seminavi.* φθείρω, id est, *corrumpo.* ἔφθαρον, id est, *corrupi.* Cæterum ἤγαγον, id est, *duxi*, & ἐπέπληγον, id est, *percellui*, per conduplicationem dicta sunt. Atque ἔσχον, id est, *habui*, interposito σ, peculiarem habet formam. Præterea quod ab indefinito secundo fit futurum secundum in ω circumflexum, abjecto augmento, ἔτυπον, id est, *verberavi*, τυπῶ, id est, *verberabo.*

Formationes mediorum.

In medio vero indicativo commune est, quod singula tempora a singulis activorum ejusdem nominis formantur hoc pacto. A præsenti præsens, mutato ω in ο, & assumpta syllaba μαι. βιάζω, id est, *compello*, βιάζομαι, id est, *compellor.* A præterito imperfecto, præteritum imperfectum interposito μη, ἐβίαζον, id est, *compellebam*, ἐβιαζόμην, id est, *compellebar.* A primo futuro, primum futurum verso ω in ο, & addito μαι. τύψω, id est, *verberabo*, τύψομαι, id est, *verberabor.* Sed tamen in quarta conjugatione peculiari modo assumitur & υ, ψαλῶ, id est, *canam.* ψαλοῦμαι, id est, *canam.* A primo indefinito, primum indefinitum, & a secundo secundum, assumpto μην. ἔτυψα, id est, *verberavi.* ἐτυψάμην, id est, *verberavi.* ἔτυπον, ἐτυπόμην, id est, *verberavi.* A præterito perfecto, præteritum perfectum habens ante α consonantem indicem conjugationis, aut nullam etiam consonantem, si verbum desinat in ω purum. Vocetur autem hoc totum Characteristicon, τέτυφα τέτυπα, id est, *verberavi.* ἔψαλκα ἔψαλα, id est, *cecini.* ἤκουκα ἤκα, id est, *audivi.* Et si duæ fuerint consonantes, sive actu, sive potentia, propter duplicem tamen commune est, ut præteritum mediam magis accipiat consonantem indicem conjugationis. τύπτω τέτυπα. φράζω πέφραδα, id est, *dixi.* πλήττω πέπληγα, id est, *percello, perculi.* Et si futurum in penultima habeat ε, sive solum, sive cum ι, tum præteritum medium in penultima habet οι, ε verso in ο. πείσω, id est, *parebo.* πέποιθα, id est, *parui.* φθερῶ, id est, *corrumpam*, ἔφθορα, id est, *corrupi.* ἔλψω, id est, *sperabo*, ἔολπα, id est, *speravi.* Hujusmodi est & εἴωθα, id est, *consuevi*, & εἶκα ἔοικα, id est, *videor.* A præterito vero plus quam perfecto, præteritum plus quam perfectum assumpta litera conjugationis indice, ἐτετύφειν, id est, *verberaveram.* ἐτετύπειν, id est, *verberaveram.* ἠκούκειν, ἠκούειν, id est, *audiveram.* ἐψάλκειν, ἐψάλειν, id est, *cecineram.* A secundo vero futuro, secundum futurum, mutato ω in ου, & assumpto μαι. τυπῶ, id est, *verberabo.* τυποῦμαι, id est, *verberabo.*

Formationes passivorum.

In passivis autem commune est, quod præsens & præteritum imperfectum ab activis temporibus ejusdem nominis activis veniunt, eodem modo quo media, γράφω γράφομαι, id est, *scribo scribor*, ἔγραφον ἐγραφόμην, id est, *scribebam scribebar.* Item quod præteritum perfectum formatur a præterito perfecto, mutata ultima in μαι. τέτυφα, id est, *verberavi.* τέτυμμαι, id est, *verberatus sum.* πεποίηκα πεποίημαι, id est, *feci, factus sum.* Præterea quod indefinitum secundum ab eodem activo fit, mutata ultima in ην. ἔτυπον, ἐτύπην, id est, *verberavi, verberatus sum.* Præteritum autem plus quam perfectum, a præterito perfecto, cum quo convenit in consonante, ultima versa in μην, & addito augmento syllabæ, si forte verbum incipiat a consonante, & omnino si augmentum recipiat. τέτυμμαι ἐτετύμμην, id est, *verberatus sum, verberatus fueram.* Quod si a vocali incipiat præteritum imperfectum, augere oportet mediam si fieri possit. ἔοικα, id est, *videor.* ἐώκειν, id est, *visus fueram.* ἔολπα, id est, *speravi.* ἐώλπειν, id est, *speraveram.* Primum autem indefinitum fit ab eodem præterito perfecto passivo, mutata ultima in θην, & abjecto syllabico augmento, nimirum in iis, in quibus est augmentum: semper autem cum augmento sive temporis sive syllabæ. τέτυπται, id est, *verberatus est.* ἐτύφθην, id est, *verberatus sum.* ὥρισται, id est, *definitum est.* ὡρίσθην, id est, *definitus sum.* Posset autem fieri & a primo indefinito activorum generaliter, si σ est in omni futuro, mutata σα in θην, & tenui quæ adest, versa in ejus aspiratam, ἔτυψα, id est, *verberavi.* ἐτύφθην, id est, *verberatus sum.* ἔψαλα, id est, *cecini.* ἐψάλθην, id est, *cantatus sum.* Præterea paulo post futurum, a secunda persona præteriti perfecti interposito ομ. τέτυψαι τετύψομαι, id est, *verberatus es, mox verberabor.* πέπλεξαι, πεπλέξομαι, id est, *plicatus sum, mox plicabor.* Primum autem & secundum futurum ab indefinitis primo & secundo cum quibus conveniunt in consonantibus, assumpto ομαι,

& sublato augmento, ἐτύφθης, id est, *verberatus es.* τυφθήσομαι, id est *verberabor.* ἐτύπης, id est, *verberatus es.* τυπήσομαι, id est, *verberabor.*

Commune primæ & secundæ.

Primæ vero & secundæ commune est, quod in activo futuro virtute habent σ nimirum in duplici consonante: nam omnino in futuro σ adest, & quod in præterito perfecto, finale α habet conjunctum cum consonante aspirata, quæ respondeat duplici finali futuri, ut quæ vim obtineat tenuis, τύψω, id est, *verberabo.* τέτυφα, id est, *verberavi.* λέξω λέλεχα, id est, *dicam dixi.* Et in passivo præterito perfecto ante finale μαι, mutant illam aspiratam activi in propriam mediam, τέτυφα, id est, *verberavi.* τέτυβμαι, etiamsi propter μ sequens profertur τέτυμμαι. λέλεχα, id est, *dixi.* λέλεγμαι, id est, *dictus sum.* Atque in indefinito rursum media consonans in suam aspiratam, τέτυβμαι ἐτύφθην, id est, *verberatus sum.* λέλεγμαι, ἐλέχθην, id est, *dictus sum.* Differunt autem quod primæ sunt hæ consonantes, ψ β φ, τύψω, id est, *verberabo.* τέτυφα, id est, *verberavi.* τέτυβμαι, id est, *verberatus sum.* ἐτύφθην, id est, *verberatus sum.* Secundæ vero hæ, ξ χ γ, λέξω, id est, *dicam.* λέλεχα, id est, *dixi.* λέλεγμαι, id est, *dictus sum.* ἐλέχθην, id est, *dictus sum.*

Communia tertiæ & quartæ.

Tertiæ vero & quartæ commune est, quod præteritum perfectum activum κ habet conjunctum cum α finali, βεβασίλευκα, id est, *regnavi*, ἔψαλκα, id est, *cecini.* Quanquam hactenus differunt, quod tertia idem habet κ versum ex σ futuri. βασιλεύσω, id est, *regnabo*, βεβασίλευκα, id est, *regnavi.* Quarta vero additione, ψαλῶ, id est, *canam*, ἔψαλκα, id est, *cecini.* Cæterum in quarta κ, si forte inciderit ante ν, assumptum ν vertitur in γ propter κ sequens, ῥανῶ, id est, *adspergam*, ἔῤῥαγκα, id est, *adspersi*: & passivum ἔῤῥαμμαι, id est, *adspersus sum*, propter sequens μ. Tametsi indefinitum rursum habet ν, ἐῤῥάνθην, id est, *adspersus sum.*

Quæ propria.

Proprium autem tertiæ & illud quod in futuro activo, actu habet σ, ubi priores idem habent virtute, ἀκούσω, id est, *audiam*, ποιήσω, id est, *faciam.* Atque in universum, ubi in prioribus conjugationibus duplex consonans mutatur in aspiratam aut mediam, ibi aut idem σ quod est servatur, aut in κ vertitur, aut omnino deest. Vertitur enim in præterito perfecto activo in κ semper, ἤκουκα, id est, *audivi.* Deest autem & servatur in præterito perfecto passivo, πεποίημαι, id est, *factus sum*, ἤκουσμαι, id est, *auditus sum.* Etenim si ω finale proprii præsentis purum fuerit, plerumque deest, βοάω, id est, *clamo*, βεβόημαι, id est, *clamatus sum.* τοξεύω, id est, *jaculor*, τετόξευμαι, id est, *jaculatus sum.* In nonnullis tamen servatur, ἑλκύω, id est, *traho*, εἵλκυσμαι, id est, *tractus sum.* ἀκούω, id est, *audio*, ἤκουσμαι, id est, *auditus sum.* Item in iis quæ habent α aut ε ante ω, præcedente λ in penultima syllaba, γελάω, id est, *rideo*, γεγέλασμαι, id est, *risus sum.* τελέω, id est, *perficio*, τετέλεσμαι, id est, *perfectus sum.* Sed melius considerandum, quod si ω ejusmodi non fuerit purum, semper manet σ, ᾄδω, id est, *cano*, ᾖσμαι, id est, *cantatus sum.* πείθω, id est, *persuadeo*, πέπεισμαι, id est, *persuasus sum.* πλάττω, id est, *fingo*, πέπλασμαι, id est, *fictus sum.* φράζω, id est, *dico*, πέφρασμαι, id est, *dictus sum.* Verum in quibus præteritum perfectum habet σ in iisdem, & indefinitum habeat necesse est. ἤκουσμαι, id est, *auditus sum*, ἠκούσθην, id est, *auditus sum.* Contra ubi præteritum non habet, nec indefinitum habet. πεποίημαι, id est, *factus sum*, ἐποιήθην, id est, *factus sum.* Proprium autem hujus conjugationis, & hoc quod futura verborum habentium α ε ο ante ω, sic proferantur, uti α & ε vertantur in η, ο in ω, ποιέω, id est, *facio*, ποιήσω, id est, *faciam.* βοάω, id est, *clamo*, βοήσω, id est, *clamabo.* χρυσόω, id est, *inauro*, χρυσώσω, id est, *inaurabo.* Exceptis καλέω, id est, *voco*, τελέω, id est, *perficio*, ἐπαινέω, id est, *laudo*, φορέω, id est, *gesto*, ξέω, id est *polio.* ἀκέομαι, id est, *medeor*, & γελάω, id est, *rideo.* ἐλάω, id est, *ago*, ἐράω, id est, *amo*, περάω, id est, *trajicio*, ἀνιάω, id est, *molestia afficio.* ἰάομαι, id est, *sano.* κλάω, id est, *frango*, κτλάω, id est, *volo*, κεράω, id est, *misceo*, σπάω, id est, *vello*, ἀρόω, id est, *aro.* ὀμόω,

A id est, *juro.* ὀνόω, id est, *juvo.* ἐνόω, id est, *moveo*, βόω, id est, *pasco.* Tametsi apud Homerum dictum sit Jonico more, & ἐπαινήσω, id est, *laudabo*, & φορήσω, id est, *gestabo*, & περήσω, id est, *trajiciam*, & πειρήσω, id est, *tentabo*, & ἰήσομαι, id est, *sanabo.*

Propria quartæ.

Quartæ vero proprium est, quod futurum activum ante finale ω consonantem habet præsentis, & corripit penultimam, σπείρω, id est, *semino*, σπερῶ, id est, *seminabo.* Quanquam φύρω, id est, *pinso*, & φυρσῶ, id est, *pinsam*, & ὄρω, id est, *moveo*, & ὄρσω, id est, *movebo*, & φθείρω, id est, *corrumpo*, φθέρσω, id est, *corrumpam*, reperitur habere, juxta consuetudinem Doricæ linguæ. Insuper & illud est proprium, B quod indefinitum primum ει habet in penultima, si futurum in penultima habuerit ε, rursum η, si illud habet α. μενῶ, id est, *manebo*, ἔμεινα, id est, *mansi.* ψαλῶ, id est, *canam*, ἔψηλα, id est, *cecini.* Item quod in præterito perfecto activo, & secundo indefinito ε, quod erat in penultima futuri, mutet in α, σπερῶ, id est, *seminabo.* ἔσπαρκα, id est, *seminavi*, φθερῶ, id est, *corrumpam*, ἔφθαρκα, id est, *corrupi*, κτενῶ, id est, *occidam*, ἔκτανον, id est, *occidi.* Item quod præteritum perfectum medium αι, quæ est in penultima, vertatur in η. χαίνω, id est, *hio*, κέχηνα, id est, *hiavi.* φαίνω, id est, *ostendo*, πέφηνα, id est, *ostendi.* Item quod in verbis desinentibus quidem in νω, cæterum in penultima C habentibus ι vel ει diphthongum, non vertitur ν, sed abjicitur. κρίνω, id est, *judico*, κέκρικα, id est, *judicavi.* τείνω, id est, *tendo*, τέτακα, id est, *tetendi.* Verum in his sane præteritum perfectum passivum eodem modo non habet idem ν versum. κέκριμαι, id est, *judicatus sum.* Nec indefinitum invertibile. ἐκρίθην, id est, *judicatus sum*, ob soni absurditatem.

Propria quintæ.

Quinta vero quod fit verborum in μι, venientium a verbis tertiæ conjugationis, habentium α ε ο ante ω, & quod non omnia habent tempora, dictum est prius: habet autem illud proprium, quod præteritum imperfectum fit ab activo D præsenti, elisione ι, & conversione μ in ν, τίθημι, id est, *pono*, ἐτίθην, id est, *ponebam.* ἵστημι, id est, *statuo*, ἵστην, id est, *statuebam.* δίδωμι, id est, *do*, ἐδίδων, id est, *dabam.* ζεύγνυμι, id est, *copulo*, ἐζεύγνυν, id est, *copulabam.* Præterea quod primum indefinitum ante α finale habet κ in eadem syllaba. At non in omnibus, sed in iis duntaxat quæ deformantur a verbis habentibus ε aut ο ante ω, ut τιθέω, id est, *pono*, τίθημι, id est, *pono*, ἔθηκα, id est, *posui.* διδόω, id est, *do*, δίδωμι, id est, *do*, ἔδωκα, id est, *dedi.* Dictum autem & illud prius, quod verba in μι in passivis ac mediis, item in dualibus ac pluralibus corripiunt penultimam. Tametsi ne hoc quidem perpetuum est. Siquidem apud Homerum dictum est τίθημαι, id est, *ponor*, & ἀκάχημαι, id est, *crucior*, & δίζημαι, id est, *quæror.* Item ἱκίχημεν, id est, *invenimus*, & βήτην, id E est, *ibant duo*, & στήτην, id est, *stabant duo.* συναντήτην, id est, *occurrebant duo.* Proinde excipienda erant dualia & pluralia, quæ veniunt a prima persona secundi indefiniti. ἔστημεν enim dicimus *stabamus*, & ἔστητον. id est, *stabatis duo.* Item ἔβημεν. id est, *ibamus.* ἔβητον. id est, *ibatis duo.* Attamen hoc commune est ferme omnibus, quod sic penultimam corripiunt, juxta rationem consimilem. Etenim quemadmodum in verbis desinentibus in ω, ω contrahitur in ο, aut ει in ε, Ita in verbis in μι, η corripitur in ε, aut η in α, aut ω in ο, aut υ longum in υ breve. Itaque & horum correptio fit in singulis horum in propriam vocalem verbi originalis, unde deductum est verbum productum. τιθέω, id est, *pono.* τίθημι, id est, *pono.* τίθεμαι, id est, *ponor.* ἱστάω, id est, *statuo.* ἵστημι, id est, *statuo.* ἵσταμαι, id est, *statuor.* διδόω, id est, F *do.* δίδωμι, id est, *do.* δίδομαι, id est, *dor.* ζευγνύω, id est, *copulo.* ζεύγνυμι, id est, *copulo.* ζεύγνυμαι, id est, *copulor.*

Formationes verborum in μι.

Fit autem in horum passivis ac mediis præsens a præsenti activi, interjecta α ante ι finale, & correpta penultima. τίθημι, id est, *pono.* τίθεμαι, id est, *ponor.* Præteritum autem imperfectum a præterito imperfecto, sicut & in cæteris conjugationibus. ἐτίθην, id est, *ponebam.* ἐτιθέμην, id est, *ponebar.* Consimiliter & medii verbi primum ac secundum in-

indefinitum a cognatis, ἔθηκα, id est, *posui.* ἐθηκάμην, id est, *ponebar.* ἔθην, id est, *posui.* ἐθέμην, id est, *positus sum.* Præteritum autem perfectum passivorum ab ejusdem generis præsenti fit, versa litera conduplicatitia ι in ε, τίθεμαι, id est, *ponor.* τέθειμαι, id est, *positus sum.* δίδομαι, id est, *dor.* δέδομαι, id est, *datus sum.* ἵσαμαι, id est, *statuor.* ἕσαμαι, id est, *statutus sum.* Cæterum indefinitum formatur a præterito perfecto, sicut in tertia conjugatione. δέδομαι ἐδόθην, id est, *datus sum.* τέθειμαι ἐθέθην, id est, *positus sum.* Quanquam ἐτέθην sonatur per τ, ob vocis absurditatem.

INFLEXIO PERSONALIS ACTIVORVM IN ω.

Jam vero personalis inflexionis idem quidem est modus in quatuor conjugationibus verborum in ω. Cæterum differentia est in temporibus. Nam alia simili modo inflectunt personas, alia diverso. Tamen a quibus formentur, id omnibus commune per modos singulos. Commune est igitur præsentis & futuri primi indicativi modi, activi generis, quod secunda persona singularis fit a prima mutata ultima in εις, τύπτω τύπτεις, id est, *verbero verberas.* τύψω τύψεις, id est, *verberabo verberabis.* Tertia rursus a secunda eliso σ, τύπτει, id est, *verberat.* τύψει, id est, *verberabit.* In dualibus autem secunda persona fit a secunda singulari, mutata ultima syllaba in ετον. τύπτεις, id est, *verberas.* τύπτετον, id est, *verberatis duo.* τύψεις, id est, *verberabis*, τύψετον. id est, *verberabitis duo*. Nam prima persona dualis in nullo activo fit. Porro tertia consonat cum secunda. Pluralium autem prima persona fit a prima singularium ω mutato in ο, & addita syllaba μεν, τύπτω, id est, *verbero.* τύπτομεν, id est, *verberamus.* Secunda rursus a secunda dualium, conversione ultimæ syllabæ in τε, τύπτετον, *verberatis duo.* τύπτετε, id est, *verberatis plures.* Tertia item a tertia dualium mutata ultima in ουσι, τύπτετον, id est, *verberant duo.* τύπτουσι. id est, *verberant plures.* Additur autem semper & ν, τύπτουσιν. Siquidem generaliter tertiæ personæ desinentis in ι aut in ε, addunt ν, Attico more, sive vocalis sequatur, sive consonans. Contra Jones absque ν proferunt. Argumento sunt illa, ἠτίμησ' ἀρητῆρα, id est, *contumelia affecit sacerdotem*, & ἔσθ' ὅτε, id est, *nonnunquam.* Hæc autem communia sunt, & cum futuro secundo, nisi quod illic non eliditur ι secundæ personæ singularium, sed tertiæ dualium sive eliditur, sive transponitur. Nam dicimus τυπεῖς, id est, *verberabis*, τυπεῖτον, id est, *verberabitis duo.* τυποῦσι. i. e. *verberabunt.* At præteriti imperfecti & secundi indefiniti secunda quidem persona singularis fit a prima persona mutato ον in ες, ἔτυπτον, id est, *verberabam.* ἔτυπτες, id est, *verberabas.* Tertia vero a secunda, ut dictum est. Porro dualium secunda, a secunda singularium, mutata ultima in ετον. Rursum tertia a tertia addita syllaba την. Pluralium vero prima quidem a prima singularium, interposita syllaba με, ἔτυπτον ἐτύπτομεν, id est, *verberabam verberabamus.* Secunda rursus a secunda dualium, ad eundum modum, ut in præsenti. Porro tertia in voce non differt a prima singularium. Nam ἤλθοσαν, id est, *veniebant*, & ἐμάθοσαν, id est, *discebant*, juxta Chalcidicæ linguæ proprietatem formata sunt, ad formam ἔδοσαν, id est, *dabant.*

COMMVNIA PRIMI INDEFINITI ET PRÆTERITI PERFECTI.

Primi autem indefiniti, & præteriti perfecti commune est, quod secunda persona singularium fit a prima addito σ, ἔτυψα, id est, *verberavi*, ἔτυψας, id est, *verberasti.* τέτυφα, id est, *verberavi*, τέτυφας, id est, *verberasti.* Tertia vero abjecto σ, & verso α in ε, ἔτυψε, id est, *verberavit*, τέτυφε, id est, *verberavit.* Cæterum dualium secunda fit a secunda singularium, mutata ultima syllaba in ατον, ἔτυψας, id est, *verberasti*, ἐτύψατον, id est, *verberastis duo.* τέτυφας, id est, *verberavisti*, τετύφατον, id est, *verberastis duo.* Porro jam tertia non convenit, sed præteriti quidem perfecti tertia eandem habet vocem cum secunda. Indefiniti autem a sua secunda fit, mutata ultima in την, ἐτύψατον, id est, *verberastis duo.* ἐτυψάτην, id est, *verberaverunt duo.* Jam pluralium prima fit utrisque a prima singularium, apposito μεν, ἔτυψα, id est, *verberavi.* ἐτύψαμεν, id est, *verberavimus.* τέτυφα, id est, *verberavi.* τετύφαμεν, id est, *verberavimus.* Secunda vero a secunda dualium, itidem, ut in præsenti. At tertia non jam convenit, sed in præterito perfecto fit a tertia dualium, ultima versa in σιν, τετύφατον, id est, *verberarunt duo.* τετύφασιν, id est, *verberarunt plures.* In indefinito rursus a prima singularium addita ν, ἔτυψα, id est, *verberavi.* ἔτυψαν, id est, *verberarunt.* Porro præteriti plus quam perfecti, secunda persona fit a prima, verso ν in σ, ἐτετύφειν, id est, *verberaveram.* ἐτετύφεις, id est, *verberaveras*: At cætera omnia eodem modo quo in secundo indefinito, nisi quod hic nulla mutatur vocalis, & quod tertia persona pluralium fit a tertia singularium addita syllaba σαν, ἐτετύφει, id est, *verberaverat.* ἐτετύφεισαν, id est, *verberaverant.* Liquet igitur quod præsentis & amborum futurorum, & præteriti perfecti activi, peculiare est præ cæteris temporibus, quod secundæ & tertiæ personæ dualium inter se conveniunt in voce. Quapropter & dicitur: Quoties tertiæ personæ pluralium desinunt in σι, secunda ac tertia dualium conveniunt. Accidit autem quod tertiæ personæ pluralium, & in numero syllabarum, & in voce conveniunt cum primis singularium in præterito perfecto & secundo indefinito. Nam generale est activis præteritis, quibus participium non desinit in σ, ultima acuta, tertiæ personæ pluralis numeri finalem habere, quæ est genitivi participialis penultima syllaba, ὁ τύπτων, id est, *verberans.* τοῦ τύπτοντος, id est, *verberantis.* ἔτυπτον, id est, *verberabant.* ὁ τύψας, id est, *qui verberavit.* τοῦ τύψαντος, id est, *ejus qui verberavit.* ἔτυψαν, id est, *verberaverunt.*

De mediorum formatione.

Cæterum mediorum indicativorum, præteritum perfectum & plus quam perfectum, respondent activis ejusdem nominis. Præsentis autem & futuri commune est, quod secunda persona singularium fit a prima, eliso μ, & verso ο in ε, & contracto ε & αι in ῃ, τύπτομαι, id est, *verberor.* τύπτῃ, id est, *verberaris.* Præter οἴομαι, id est, *puto.* βούλομαι, id est, *volo.* ὄψομαι, id est, *videbo.* Nam horum secunda fit eliso α, & ε, quod erat ex conversione, & ι contractis in ει diphthongum, οἴει, id est, *putas.* βούλει, id est, *vis.* ὄψει, id est, *videbis.* Tertia vero a secunda dissolvendo contracta, & interponendo τ, τύπτεαι. id est, *verberaris.* τύπτεται. id est, *verberatur.* Dualium autem prima fit a prima singularium, ultima syllaba mutata in μεθον. τύπτομαι. id est, *verberor.* τυπτόμεθον. id est, *verberamur duo.* Porro secunda & tertia conveniunt, & a tertia fiunt ultima commutata in σθον. τύπτεται. id est, *verberatur.* τύπτεσθον. id est, *verberamini duo*, aut *verberantur duo.* Pluralium autem prima fit a prima dualium, commutatione ultimæ in θα, τυπτόμεθον. id est, *verberamur duo.* τυπτόμεθα. id est, *verberamur plures.* Secunda item a secunda ultima mutata in σθε, τύπτεσθον. id est, *verberamini duo.* τύπτεσθε. id est, *verberamini plures.* Tertia vero a tertia singularium ε, quod est in penultima verso in ο, & assumpto ν, τύπτεται. id est, *verberatur.* τύπτονται. id est, *verberantur.* Quanquam hæc communia sunt & cum secundo futuro, nisi quod in eo secunda persona singularium fit etiam υ eliso. τυποῦμαι. id est, *verberabor.* τυπέαι. id est, *verberaberis.* μαχοῦμαι. id est, *pugnabo.* μαχέαι. μαχῇ. id est, *pugnabis*: & tertia fit assumpto ι in diphthongum. τυπέαι. id est, *verberaberis.* τυπεῖται. id est, *verberabitur.* Præterea tertia pluralium, fit versa ει diphthongo in ου, τυποῦνται. id est, *verberabuntur.* Porro præteriti imperfecti & secundi indefiniti commune est, quod secunda persona singularium fit a prima, eliso μ & ν, & verso η in ε, & ο & ε conflatis in diphthongum ου, ἐτυπτόμην. id est, *verberabar.* ἐτύπτοε. id est, *verberabaris.* ἐτύπτου. id est, *verberabaris.* Tertia rursus a secunda dissoluta diphthongo ου in εο, & interposito τ, ἐτύπτεο. id est, *verberabaris.* ἐτύπτετο. id est, *verberabatur.* Cæteræ vero formantur eodem modo, ut in præsenti, nisi quod secunda persona ac tertia dualium non conveniunt in voce. Sed tertia fit a secunda singularium commutatione ultimæ in σθην, aut a sua ipsius secunda. ἐτύπτετο. id est, *verberabatur.* ἐτύπτεσθον. id est, *verberabamini duo.* ἐτυπτέσθην. id est, *verberabantur duo.* Primi autem indefiniti secunda persona singularis fit a prima eliso μ & ν, & verso η in ε, & hoc rursum in ο mutato, & α & ο conflatis in ω. ἐτυψάμην. id est, *verberavi.* ἐτύψαο. id est, *verberasti.* ἐτύψω. id est, *verberasti.* Tertia vero a secunda resolvendo contracta, & interponendo τ, ἐτύψαο. id est, *verberasti.* ἐτύψατο. id est, *verberavit.* Cæ-

teræ formantur eodem modo, ut in secundo indefinito, nisi quod illic ο, quod est in penultima, vertitur in ε, & ε rursum in ο, hic α ubique manet immutabile.

Passivorum formationes.

Passivorum autem præsens quidem & ambo futura cum præsenti mediorum congruunt: Præteritum autem imperfectum cum præterito imperfecto. Indefinita vero cum præterito plus quam perfecto. Præteritum autem perfectum & plus quam perfectum, propriam sortita sunt decisionem. Nam præteriti perfecti secunda persona fit a prima, mutato finali μ in σ, sive actu, sive potentia. Etenim quorum futurum fit per ψ aut ξ, horum formatio fit per eandem duplicem, πέπλεγμαι. id est, *plexus sum.* πέπλεξαι. id est, *plexus es.* τέτυμμαι. id est, *verberatus sum.* τέτυψαι. id est, *verberatus es.* Tertia fit a secunda, verso σ in τ, quomodocunque habeatur, sive actu, sive potentia. Adsunt autem actu, & quæ ante videbantur illi adesse in potentia, videlicet in duplici consonante, velut κ & π, τέτυψαι. id est, *verberatus es.* τέτυπται. id est, *verberatus est.* πέπλεξαι. id est, *plexus es.* πέπλεκται. id est, *plexus est.* ἔσπαρσαι. id est, *seminatus es.* ἔσπαρται. id est, *seminatus est.* Quin & σ assumitur ubi ratio postulat, si primæ personæ ultima in eadem syllaba habet σμ, ἤκουσμαι. id est, *auditus sum.* ἤκουσαι. id est, *auditus es.* ἤκουσται. id est, *auditus est.* Dualium autem prima persona a prima singularium itidem ut in præsenti. Item secunda ac tertia eadem voce, a secunda mutata ultima in σθον, nimirum in iis in quibus actu est σ, ἤκουσαι. id est, *auditus es.* ἤκουσθον. id est, *auditi estis duo*, aut *sunt*. In quibus autem σ est potentia, non σ, sed aut φ ante θ ponendum est, si consonans fuerit ψ. ut τέτυψαι. id est, *verberatus es.* τέτυφθον. id est, *verberati estis*, aut *sunt duo:* aut χ, si consonans fuerit ξ, πέπλεξαι. id est, *plexus es.* πέπλεχθον. id est, *plexi estis*, aut *sunt duo*. Pluralium autem prima persona fit a prima dualium, ultima transfigurata in θα, itidem ut in præsenti, τετύμμεθον. id est, *verberati sumus duo.* τετύμμεθα. id est, *verberati sumus plures*. Secunda item a secunda, eliso ν, & ο verso in ε, τέτυφθον. id est, *verberati estis duo.* τέτυφθε. id est, *verberati estis plures*. Tertia persona pluralium juxta communem Græcorum linguam fieri non potest, ubi tertia singularium desinit in syllabam habentem duas consonantes. Cæterum Jonico more fit a tertia singularium versa consonante tenui, in quibus fuerit, in aspiratam, & interposito α, τέτυπται. id est, *verberatus est.* τετύφαται. id est, *verberati sunt.* πέπλεκται. id est, *plexus est.* πεπλέχαται. id est, *plexi sunt*. Sed personæ præteriti plus quam perfecti fiant eodem modo, quo personæ præteriti perfecti, nisi quod hic est vocalis finalis ο, ubi illic est αι. Tum tertiam dualium figurare oportet in θην a secunda. Siquidem in genere illic duntaxat secunda ac tertia persona in voce consentiunt, ubi tertia pluralium desinit in ι, aut in αι.

Formationes quintæ in μι.

Proprium autem quintæ est, quod in indicativis activis secunda persona præsentis fit a prima, sublato ι, & μ verso in σ, τίθημι. id est, *pono.* τίθης. id est, *ponis*. Tertia rursus a secunda, addito ι, τίθης. id est, *ponis.* τίθησι. id est, *ponit.* Dualium vero secunda persona ac tertia fit a secunda singularium σ verso in τ, & addito ον, & penultima mutata in penultimam vocalem verbi, unde ipsum formatum est verbum in μι, τιθέω. id est, *pono.* τίθημι. id est, *pono.* τίθης. id est, *ponis.* τίθετον. id est, *ponitis* vel *ponunt duo.* ἱστάω. id est, *statuo.* ἵστημι. id est, *statuo.* ἵστης. id est, *statuis.* ἵστατον. id est, *statuitis*, aut *statuunt duo.* διδόω. id est, *do.* δίδωμι. id est, *do.* δίδως. id est, *das.* δίδωτον. id est, *datis*, aut *dant duo*. Pluralium vero persona prima fit a prima singularium, ultima mutata in μεν, & penultima commutata, ut dictum est. τίθημι. id est, *pono.* τίθεμεν. id est, *ponimus*. Secunda rursus a secunda dualium eliso ν, & ο verso in ε, τίθετον. id est, *ponitis duo.* τίθετε. id est, *ponitis plures*. Tertia item a tertia dualium, ejecto ν, & syllaba το mutata in σι, ac interposito α, τίθετον. id est, *ponitis duo.* τιθέασι. id est, *ponunt plures.* δίδοτον. id est, *dant duo.* διδόασι. id est, *dant plures*. Cæterum ἱστᾶσι. id est, *statuunt*, & ἱᾶσι. id est, *mittunt*, & similia per contractionem pronunciantur. Porro personæ præteriti imperfecti, & secundi indefiniti eodem modo

A formantur, quemadmodum in primis & secundis indefinitis verborum passivorum, ἐτίθην. id est, *ponebam.* ἐτίθης. id est, *ponebas.* ἔθην. id est, *posui.* ἔθης. id est, *posuisti.* nisi quod hic penultima singularium longa, corripitur in dualibus & pluralibus, ut dictum est. Verum eadem verba in μι, ut in genere loquar, formantur & juxta conduplicationem, ut ex consonante initiali & ι, nisi vocis incommoditas obstiterit, δῶ. id est, *do.* δίδωμι. id est, *do.* θῶ. id est, *pono.* τίθημι, σῶ, id est, *statuo*, tamen facit ἵστημι, ob vocis absurditatem.

Medii ac passivi formationes.

In mediis autem & passivis indicativis, secunda persona præsentis & præteriti perfecti fit a prima, mutato μαι in σαι,
B τίθεμαι. id est, *ponor.* τίθεσαι. id est, *poneris.* τέθειμαι. id est, *positus sum.* τέθεισαι. id est, *positus es.* Porro præteriti imperfecti, & secundi indefiniti secunda persona fit, mutata ultima in σο, ἐτιθέμην. id est, *ponebam.* ἐτίθεσο. id est, *posuisti.* Cætera vero omnia communia habet cum tertia. Licet autem & in η proferre secundam personam præsentis in iis, quæ veniunt a verbis habentibus ε vel α, τίθεμαι. id est, *ponor.* τίθῃ. id est, *poneris.* ἵσταμαι. id est, *statuor.* ἵσῃ. id est, *statueris.*

Inflexio activorum per modos.

Cæterum modalis inflexionis, caput est modus indicativus, ab hoc modo enim omnes cæteri formantur, hoc pacto.
C Indicativum τύπτω. id est, *verbero.* Præteritum imperfectum ἔτυπτον. id est, *verberabam.* Imperativum τύπτε. id est, *verbera.* Optativum τύπτοιμι. id est, *utinam verberarem.* Subjunctivum ἐὰν τύπτω. id est, *si verberem.* Infinitum τύπτειν. id est, *verberare.* Futurum primum indicativum τύψω. id est, *verberabo.* Optativum τύψοιμι. id est, *utinam verberaturus essem.* Infinitivum τύψειν. id est, *verberaturum esse.* Indefinitum primum indicativum ἔτυψα. id est, *verberavi.* Imperativum τύψον. id est, *verberato.* Optativum τύψαιμι. id est, *utinam verberassem.* Subjunctivum ἐὰν τύψω. id est, *si verberavero.* Infinitum τύψαι. id est, *verberasse.* Præteritum perfectum indicativum τέτυφα. id est, *verberavi.* Præteritum plus quam perfectum ἐτετύφειν. id est, *verberaveram.* Imperativum τέ-
D τυφε. id est, *verberato.* Optativum τετύφοιμι. id est, *utinam verberassem.* Subjunctivum ἐὰν τετύφω. id est, *si verberaverim.* Infinitivum τετυφέναι. id est, *verberasse.* Indefinitum secundum indicativum ἔτυπον. id est, *verberavi.* Imperativum τύπε. id est, *verbera.* Optativum τύποιμι. id est, *utinam verberassem.* Subjunctivum ἐὰν τύπω. id est, *si verberarem.* Infinitivum τυπεῖν. id est, *verberasse.* Futurum secundum indicativum τυπῶ. id est, *verberabo.* Optativum τυποῖμι. id est, *utinam verberaturus essem.* Infinitivum τυπεῖν. id est, *verberaturum esse.*

MEDIA.

E Præsens indicativum τύπτομαι. id est, *verberor.* Præteritum imperfectum ἐτυπτόμην. id est, *verberabar.* Imperativum τύπτου. id est, *verberare.* Optativum τυπτοίμην. id est, *utinam verberarer.* Subjunctivum ἐὰν τύπτωμαι. id est, *si verberer.* Infinitum τύπτεσθαι. id est, *verberari.* Futurum primum indicativum τύψομαι. id est, *verberabo.* Optativum τυψοίμην. id est, *utinam verberaturus essem.* Infinitum τύψεσθαι. id est, *verberaturum esse.* Indefinitum primum: Indicativum ἐτυψάμην. id est, *verberavi.* Imperativum τύψαι. id est, *verberato.* Optativum τυψαίμην. id est, *utinam verberassem.* Subjunctivum ἐὰν τύψωμαι. id est, *si verberaro.* Infinitum τύψασθαι. id est, *verberasse.* Præteritum perfectum: Indicativum τέτυπα. id est, *verberavi.* Plus quam perfectum ἐτετύπειν. id est, *verberaveram.* Imperativum τέτυπε. id est, *verbe-*
F *rato.* Optativum τετύποιμι. id est, *utinam verberassem.* Subjunctivum ἐὰν τετύπω. id est, *si verberarim.* Infinitum τετυπέναι. id est, *verberasse.* Indefinitum secundum: Indicativum ἐτυπόμην. id est, *verberatus sum:* Imperativum τυποῦ. id est, *verberare.* Optativum τυποίμην. id est, *utinam verberatus essem.* Subjunctivum ἐὰν τύπωμαι. id est, *si verberatus fuerim.* Infinitum τυπέσθαι. id est, *verberatum fuisse.* Futurum secundum: Indicativum τυποῦμαι. id est, *verberabo.* Optativum τυποίμην. id est, *utinam verberaturus sim.* Infinitum τυπεῖσθαι. id est, *verberaturum esse.*

PAS-

A

PASSIVA.

Præsens indicativum τύπτομαι. id est, *verberor*: & reliqua sicut dictum est. Præteritum perfectum indicativum τέτυμμαι. id est, *verberatus sum*. Plus quam perfectum ἐτετύμμην. id est, *verberatus fueram*. Imperativum τέτυψο. id est, *verberatus esto*. Infinitum τετύφθαι. id est, *verberatum fuisse*. Indefinitum primum indicativum ἐτύφθην. id est, *verberatus sum*. Imperativum τύφθητι. id est, *verberatus esto*. Optativum τυφθείην. id est, *utinam verberatus sim*. Subjunctivum ἐὰν τυφθῶ. id est, *si verberatus fuerim*. Infinitum τυφθῆναι. id est, *verberatum esse*. Indefinitum secundum indicativum ἐτύπην. id est, *verberatus sum*. Imperativum τύπηθι. id est, *verberatus esto*. Optativum τυπείην. id est, *utinam verberatus sim*. B Subjunctivum ἐὰν τυπῶ. id est, *si verberatus fuerim*. Infinitivum τυπῆναι. id est, *verberatum esse*. Futurum primum indicativum τυφθήσομαι. id est, *verberabor*. Optativum τυφθησοίμην. id est, *utinam verberandus sim*. Infinitum τυφθήσεσθαι. id est, *verberandum esse*. Futurum secundum. Indicativum τυπήσομαι. id est, *verberabor*. Optativum τυπησοίμην. id est, *utinam verberatus sim*. Infinitum τυπήσεσθαι. id est, *verberandum esse*. Mox futurum indicativum τετύψομαι. id est, *mox verberabor*. Optativum τετυψοίμην: id est, *utinam mox verberarer*. Infinitum τετύψεσθαι. id est, *mox verberandum esse*.

VERBA IN μι. ACTIVA.

C Præsens indicativum τίθημι. id est, *pono*. Præteritum imperfectun ἐτίθην. id est, *ponebam*. Imperativum τίθετι. id est, *pone*. Optativum τιθείην. id est, *utinam ponerem*. Subjunctivum ἐὰν τιθῶ. id est, *si ponam*. Infinitum τιθέναι. id est, *ponere*. Indefinitum primum indicativum ἔθηκα. id est, *posui*: & reliqua quemadmodum in ἔτυψα. Indefinitum secundum. Indicativum ἔθην. id est, *posui*. Imperativum θέτι. id est, *pone*, & θές. id est, *pone*. Optativum θείην. id est, *utinam posuissem*. Subjunctivum ἐὰν θῶ. id est, *si posuerim*. Infinitum θεῖναι. id est, *posuisse*.

MEDIA ET PASSIVA.

Præsens indicativum τίθεμαι. id est, *ponor*. Præteritum D imperfectum ἐτιθέμην. id est, *ponebar*. Imperativum τίθεσο & τίθου. id est, *ponere*. Optativum τιθείμην. id est, *utinam ponerer*. Subjunctivum ἐὰν τιθῶμαι. id est, *si ponar*. Infinitum τιθέσθαι. id est, *poni*. Indefinitum secundum indicativum ἐθέμην. id est, *positus sum*. Imperativum θέσο & θοῦ. id est, *positus esto*. Optativum θείμην. id est, *utinam positus sim*. Subjunctivum ἐὰν θῶμαι. id est, *si positus fuerim*. Infinitum θέσθαι. id est, *positum esse*. Præteritum perfectum indicativum τέθειμαι. id est, *positus sum*. Plus quam perfectum ἐτεθέμην. id est, *positus fueram*. Imperativum τέθεσο. id est, *positus esto*. Optativum τεθείμην. id est, *utinam positus sim*. Subjunctivum ἐὰν τεθῶμαι. id est, *si positus sim*. Infinitum τεθέσθαι. id est, *positum fuisse*. Indefinitum primum, indicativum ἐτέθην. id est, *positus sum*. Imperativum τέθητι. id est, *positus esto*. E Optativum τεθείην. id est, *utinam positus sim*. Subjunctivum ἐὰν τεθῶ. id est, *si positus fuerim*. Infinitum τεθεῖναι. id est, *positum fuisse*. Futurum primum, indicativum τεθήσομαι. id est, *ponar*. Optativum τεθησοίμην. id est, *utinam ponendus sim*. Infinitum τεθήσεσθαι. id est, *ponendum esse*. Mox futurum, indicativum τεθέσομαι. id est, *mox ponar*, & reliqua, ut in τετύψομαι. id est, *mox verberabor*.

Quæ modis omnibus communia.

Commune est modis omnibus, quod augmentum originis abjiciunt, excepto præterito perfecto ἔτυπτον. id est, *verberabam*. τύπτε. id est, *verbera*. ἔτυψα. id est, *verberavi*. F τύψον. id est, *verberato*. τύψαιμι. id est, *utinam verberassem*. ἐὰν τύψω. id est, *si verberaro*. τύψαι. id est, *verberasse*. At τέτυφα facit τέτυφε. id est, *verberato*. τετύφοιμι. id est, *utinam verberassem*. ἐὰν τετύφω. id est, *si verberaverim*. τετυφέναι. id est, *verberasse*: eodem augmento manente in omnibus. Præteritum autem imperfectum conjungitur præsenti: plus quàm perfectum præterito perfecto. Unde formationes quæ ab alterutris horum fiunt, etiam cum alteris habent significationem. Illud autem liquet, quod futurum nec in imperativo formatur, neque in subjunctivo. Cæterum hujus nota est in iis quæ formantur à primis indefinitis.

Formationes imperativorum activorum.

Verborum activorum in ω. Imperativum fit a tertia persona proprii thematis, ἔτυπτε. id est, *verberabat*. τύπτε. id est, *verbera*. τέτυφε. id est, *verberavit*. τέτυφε, *verberato*. Tametsi primum indefinitum fit, ultima etiam in ον mutata, ἔτυψε. id est, *verberavit*. τύψον. id est, *verberato*.

Optativorum.

Optativa vero à participiali genitivo, ultima versa in μι & eliso ν, litera inflexiva, & assumpto ι in diphthongum: aut etiam versa ου diphthongo in οι, in quibus ea fuerit in penultima, τύπτοντος. id est, *verberantis*. τύπτοιμι. id est, *utinam verberem*. τύψαντος. id est, *ejus qui verberavit*. τύψαιμι. id est, *utinam verberassem*. τετυφότος. id est, *ejus qui verberavit*. τετύφοιμι. id est, *utinam verberassem*. τυπόντος, id est, *ejus qui verberavit*. τύποιμι. id est, *utinam verberassem*. τυποῦντος. id est, *verberaturi*. τυποῖμι. *utinam verberaturus essem*. Cæterum optativa verborum contractorum, more etiam Aeolico proferuntur, μι verso in ην, ut dictum est prius, ἀξιοῖμι. id est, *utinam digner*: ἀξιοίην. id est, *utinam digner*. Nam ἀξιώην. id est, *digner*, & βιώην. id est, *vivam*, Doricum est, οι diphthongo versa in ω. quin & illud Aeolicum est, τύψειας. id est, *utinam verberasses*. τύψειε. id est, *verberasset*. τύψειαν. id est, *verberassent*.

Subjunctivorum.

Subjunctiva vero a prima persona suæ originis, ultima versa in ω, ἔτυπτον. id est, *verberabam*. ἐὰν τύπτω, id est, *si verberem*. ἔτυψα, id est, *verberavi*. ἐὰν τύψω, id est, *si verberaro*. τέτυφα, id est, *verberavi*. ἐὰν τετύφω, id est, *si verberarim*.

Infinitivorum.

Infinita vero præsentis & futuri temporis primi, a tertia persona originis addito ν, τύπτει, id est, *verberat*, τύπτειν, id est, *verberare*, τύψει, id est, *verberabit*, τύψειν, id est, *verberaturum esse*. Item infinita præteriti perfecti, ab eadem fiunt persona, addita syllaba ναι, τέτυφε, id est, *verberavit*, τετυφέναι, id est, *verberasse*. Indefinitum autem primum, à primo fit, addito ι, ἔτυψα, id est, *verberavi*, τύψαι. id est, *verberasse*. Secundi rursum indefiniti infinitum ab eodem mutata ultima in ειν, ἔτυπον, id est, *verberavi*, τυπεῖν, id est, *verberasse*. Eadem sanè est forma & secundi futuri, versa ultima in ειν, τυπῶ. id est, *verberabo*. τυπεῖν. id est, *verberaturum esse*.

Mediorum imperativa.

Media autem imperativa præteriti quidem imperfecti & secundi indefiniti, fiunt a secunda persona originis ἐτύπτου. id est, *verberabaris*. τύπτου. id est, *verberare*. ἐτύπου. id est, *verberatus es*. τυποῦ. id est, *verberare*. Cæterum primi indefiniti fiunt a primo elisa syllaba μην, & addito ι, ἐτυψάμην. id est, *verberavi*. τύψαι. id est, *verberato*. Aut si quo alio modo hinc fieri possit accommodatius. Cæterum imperativa præteriti perfecti temporis eodem modo formantur, quo in activis.

Optativorum.

Porro optativa fiunt a prima persona originis, versa ultima in μην, & ι in diphthongum assumpta ante μην, τύπτομαι. id est, *verberor*. τυπτοίμην. id est, *utinam verberarer*. ἐτυψάμην. id est, *verberavi*. τυψαίμην. id est, *utinam verberassem*. Excepto præterito perfecto: nam hoc itidem formatur, ut in activo.

Subjunctivorum.

Subjunctiva vero fiunt a prima persona in μαι. sed penultima originalium, in qua est μ consonans inflexiva habente ω, τύπτομαι. id est, *verberor*. ἐὰν τύπτωμαι. id est, *si verberer*. ἐτυψάμην. id est, *verberavi*. ἐὰν τύψωμαι. id est, *si verberarim*.

Infinitorum.

Infinita vero fiunt a tertia persona originis, ultima mutata in σθαι. τύπτεται, id est, *verberatur*. τύπτεσθαι, id est, *verberati*. ἐτύψατο, id est, *verberavit*. τύψασθαι, id est, *verberasse*. Excepto præterito perfecto, quod congruit cum activo.

Passivorum imperativorum.

Passiva imperativa præsentis temporis itidem fiunt, ut in mediis. Cæterum amborum indefinitivorum, fiunt a tertia persona, assumpto θι, ἐτύπη, id est, *verberatus est*, τύπηθι, id est, *verberare*. Quanquam in quibus præcedit eadem aspirata, non θ, sed τ assumitur, ἐτύφθην, id est, *verberatus sum*, τύφθητι, id est, *verberatus esto*, ob vocis incommoditatem. Præteriti autem perfecti a secunda persona plus quam perfecti ἐτέτυψο, id est, *verberatus fueras*, τέτυψο, id est, *verberatus esto*.

Optativorum.

Optativa præsentis temporis & futuri similiter fiunt, ut in mediis: verum non item in præterito perfecto si consonans fuerit ante μ, quæ si non fuerit, nec ulla vetet diphthongus, tamen ι assumpto in diphthongum cum penultimæ syllabæ vocali, fit optativum. πεποιῄμην, id est, *utinam factus essem*, μεμνῄμην, id est, *utinam memor essem*. Indefinitum autem fit a genitivo participii, ultima versa in ην, & eliso ν consonante inflexiva, & ι assumpto in diphthongum, τυφθέντος, id est, *verberati*, τυφθείην. id est, *utinam verberatus essem*.

Subjunctivorum.

At subjunctiva præsentis temporis eodem modo fiunt ut in mediis. Cæterum utriusque indefiniti, fiunt a tertia persona originis, versa vocali finali in ω, ἐτύφθη, id est, *verberatus est*, ἐὰν τυφθῶ, id est, *si verberatus fuero*, ἐτύπη, id est, *verberatus est*, ἐὰν τυπῶ, id est, *si verberatus sim*. Præteriti vero perfecti subjunctivum, si habeat μ, ut modo dictum est, nec diphthongus prohibeat, fieri possit & vocali penultimali versa in ω, πεποίημαι, id est, *factus sum*, πεποιῶμαι, id est, *si factus sim*, μέμνημαι, id est, *memini*, μεμνῶμαι, id est, *si memor fuerim*.

Infinitorum.

Infinita vero præsentis & futuri temporis, itidem fiunt ut in mediis. Quin & præteriti perfecti consimilis est formatio qualis in mediis, nisi quod hic σ non assumitur. Nam a τέτυπται, id est, *verberatus est*, venit τέτυφθαι, id est, *verberatum fuisse*, videlicet, priore tenui in aspiratam versa. Nam illud generale est, quod tenuis tenuem præcedat, aspirata aspiratam. Indefinitorum autem fiunt a prima persona originis, addito finali αι, ἐτύφθην, id est, *verberatus sum*, τυφθῆναι, id est, *verberatum esse*.

Verborum in μι formationes.

Porro verborum in μι activa quidem imperativa, fiunt a participiali genitivo eliso ν, consonante inflexiva, & mutata ultima in θι, τιθέντος, id est, *ponentis*, τίθετι, id est, *pone*, ἱστάντος, id est, *statuentis*, ἵσταθι, id est, *statue*, διδόντος, id est, *dantis*, δίδοθι, id est, *da*. Aut a secunda indicativorum, vocali ultima versa in penultimam originis, θέω, id est, *pono*, ἔθης, id est, *posuisti*, θές, id est, *pone*, δόω. id est, *do*, ἔδως. id est, *dedisti*, δός. id est, *da*.

Subjunctivorum.

Subjunctiva fiunt itidem ut in passivis indefinitis verborum in ω desinentium, ἐτίθη, id est, *ponebat*, ἐὰν τιθῶ. id est, *si ponam*. Cæterum δώσιν. id est, *det*. in tertia persona, & δώησι. id est, *det*. Poetica sunt ad exemplar tertiæ personæ singularium. Hujusmodi sunt & θείω. id est, *ponam*. στήω. id est, *statuam*. δώω, id est, *dem*. Nam cum omnia unicæ sint syllabæ, & circumflectantur, θῶ. id est, *ponam*. δῶ. id est, *dem*. στῶ. id est, *statuam*: Poetæ duarum faciunt syllabarum, & penultimam acuunt, apte interponentes hujusmodi syllabas. Singulis enim propriam addunt vocalem originalem productam.

Optativorum.

Optativa item eodem modo fiunt, quo passivorum in ω, optativa.

Infinitorum.

Infinita quoque præsentis temporis a participii genitivo formantur eliso ν inflexivo, & ultima transfigurata in ναι.

A τιθέντος. id est, *ponentis*. τιθέναι. id est, *ponere*. διδόντος. id est, *dantis*. διδόναι. id est, *dare*. Cæterum διδοῦναι juxta Poeticam licentiam dictum est. Media vero & passiva similiter habent, ut in verbis in ω desinentibus.

Formationes personarum in cæteris modis.

Formæ igitur figurandi personarum inflexionem juxta singulos modos hujusmodi sunt.

Imperativorum.

Imperativorum activorum, tertia persona fit a propria secunda, addito τω, τύπτε, id est, *verbera*, τυπτέτω, id est, *verberet*, exceptis iis quæ desinunt in θι. Siquidem ea non additione, sed mutatione ultimæ ad eundem formantur
B modum, τίθετι, id est, *pono*, τιθέτω, id est, *ponat*, τύφθητι, id est, *verberatus esto*, τεφθήτω, id est, *verberatus sit*. At primi indefiniti tertia persona fit & hoc modo, ut id quod additur in ultima ο, ubique vertatur in α, τύψον, id est, *verberato tu*, τυψάτω, id est, *verberato ille*. Dualium vero secunda persona fit a secunda singularium, assumpta syllaba τον, τύπτε, id est, *verbera*, τύπτετον, id est, *verberate duo*. Tertia rursum a tertia, assumpto ν, τύπτε, id est, *verbera*, τυπτέτω, id est, *verberet*, τυπτέτων, id est, *verberent duo*. Pluralium vero secunda fit a secunda singularium, assumpto τε, τύπτε, id est, *verbera*, τύπτετε, id est, *verberate*, τύψον, id est, *verberato*, τύψατε, id est, *verberatote*, mutato ον in α, sicut dictum est. Rursus tertia fit a tertia, ad-
C dita syllaba σαν, τυπτέτω, id est, *verberato*, τυπτέτωσαν, id est, *verberanto*. Cæterum τυπτόντων pro τυπτέτωσαν, id est, *verberanto*, per syncopen factum esse videtur, & conversionem penultimæ in longam. Quod tertiæ personæ pluralium cum ultima syllaba habent τ, penultimam utcunque productam habent. Excipiantur autem Jonicum τετύφαται, id est, *verberati sunt*. Similiter & τυπτέσθων pro τυπτέσθωσαν, id est, *verberantor illi*, formabitur.

Mediorum ac passivorum.

Mediorum autem ac passivorum tertia persona singularium fit elisa e diphthongo, posteriore vocali, & ο verso in ε, si fuerit, & assumpto σθω, τύπτου, id est, *verberare*,
D τυπτέσθω, id est, *verberetur*. Exceptis indefinitis in θι. Hæc enim semper congruunt cum activis in θι. Dualium secunda persona fit a tertia singularium, ultima mutata in σθον, τυπτέσθω, id est, *verberetur*, τύπτεσθον, id est, *verberemini duo*. Tertia vero a tertia addito ν, τυπτέσθω, id est, *verberetur*, τυπτέσθων, id est, *verberentur duo*. Pluralium autem prima fit a secunda dualium, ultima mutata in σθε, τύπτεσθον, id est, *verberamini duo*, τύπτεσθε, id est, *verberamini plures*. Item tertia a tertia, addito σαν, τυπτέσθω, id est, *verberetur*, τυπτέσθωσαν, id est, *verberentur*. τὸ τυπτέσθων pro τυπτέσθωσαν, sic dictum est, ut indicavimus modo de τυπτόντων, pro τυπτέσθωσαν.

Optativorum in μι.

E Optativorum desinentium in μι, secunda persona singularium fit a prima, eliso ι, & μ verso in σ, τύπτοιμι, id est, *utinam verberarem*, τύπτοις, id est, *utinam verberares*. Rursum tertia a secunda, abjecta σ, τύπτοις, id est, *utinam verberares*, τύπτοι, id est, *utinam verberaret*. Dualium vero secunda fit a secunda singularium, mutato σ in τ, & assumpto ον, τύπτοις, id est, *utinam verberares*, τύπτοιτον, id est, *utinam verberetis duo*. Item tertia a sua secunda, ultima syllaba mutata in την, τύπτοιτον, id est, *utinam verberetis duo*, τυπτοίτην, id est, *utinam verberent duo*. Pluralium prima fit a prima singularium, ultima mutata in μεν, τύπτοιμι, id est, *utinam verberarem*, τύπτοιμεν, id est, *utinam verberaremus*.
F Secunda fit a secunda dualium, ultima versa in τε, τύπτοιτον, id est, *utinam verberetis duo*, τύπτοιτε, id est, *utinam verberetis plures*. Tertia fit a sua prima, abjecta μ, inflexiva consonante, τύπτοιμεν, id est, *utinam verberaremus*, τύπτοιεν, id est, *utinam verberarent*.

Optativorum in ην.

Desinentium autem in ην secunda persona singularium fit a prima, finali ν verso in σ, τυφθείην, id est, *utinam verberatus essem*, τυφθείης, id est, *utinam verberatus esses*. Cætera vero omnia itidem, ut in optativis in μι desinentibus, nisi quod

quod tertiæ perſonæ pluralium, etiam in σαν formantur, τυφθείησαν. id eſt, *utinam verberati ſint.* In εν vero fiunt, cum abjiciunt η, quod eſt in penultima, τυφθεῖεν. id eſt, *utinam verberati ſint.*

Optativorum in μην.

In μην autem deſinentium ſecunda perſona ſingularium fit a prima, ultima ſyllaba mutata in ο, τυπτοίμην, id eſt, *utinam verberarer.* τύπτοιο. id eſt, *utinam verberareris.* Tertia vero a ſecunda interpoſito τ, τύπτοιο. id eſt, *utinam verberareris.* τύπτοιτο. id eſt, *utinam verberaretur.* Dualium prima fit a prima ſingularium, ultima mutata in μεθον. τυπτοίμην. id eſt, *utinam verberarer.* τυπτοίμεθον. id eſt, *utinam verberaremur duo.* Item ſecunda a ſecunda, ultima mutata in σθον, τύπτοιο. id eſt, *utinam verberareris.* τύπτοισθον. id eſt, *utinam verberaremini duo.* Tertia fit a propria ſecunda, mutata ultima in σθην, τύπτοισθον. id eſt, *utinam verberaremini duo.* τυπτοίσθην. id eſt, *verberarentur duo.* Pluralium autem prima perſona fit a prima dualium, ultima mutata in θα, τυπτοίμεθον. id eſt, *utinam verberaremur duo.* τυπτοίμεθα. id eſt, *utinam verberaremur plures.* Secunda item a ſecunda, ultima mutata in σθε, τύπτοισθον. id eſt, *utinam verberaremini duo.* τύπτοισθε. id eſt, *utinam verberaremini plures.* Tertia vero a tertia ſingularium, interpoſito ν, τύπτοιτο. id eſt, *utinam verberaretur.* τύπτοιντο. id eſt, *utinam verberarentur.*

Subjunctivorum.

Subjunctivorum omnes perſonæ ſimiliter formantur ut in præſenti indicativorum: niſi quod ubi illa in inflexione habent ε, hic habetur η, τύπτεις. id eſt, *verberas.* ἐὰν τύπτης. id eſt, *ſi verberes.* τύπτεται. id eſt, *verberatur.* ἐὰν τύπτηται. id eſt, *ſi verberetur.* Rurſus ubi illic habetur ο, hic eſt ω, τύπτομαι. id eſt, *verberor.* ἐὰν τύπτωμαι. id eſt, *ſi verberer.* Exceptis verbis quintæ conjugationis, habentibus ω in penultima. Nam in iis idem ω ſemper ſervatur. δίδωμι. id eſt, *do.* ἐὰν διδῶ. id eſt, *ſi dem.* διδῷς. id eſt, *ſi des.* διδῷ. id eſt, *det.* Ad quintam autem conjugationem refertur & verbum ſubſtantivum εἰμί. id eſt, *ſum.* Atque in univerſum, nullum verbum erit, quod non ad aliquam dictarum formarum pertineat. Cæterum ex verbis quintæ conjugationis, quæ in penultima habent υ, ut ζεύγνυμι, duntaxat habere comperiuntur præteritum imperfectum & indefinitum ſecundum, ἔφυ. id eſt, *natum eſt.* ἔδυ. id eſt, *ſubiit:* præteritum autem perfectum, & reliqua tempora, non habent quemadmodum cætera ejuſdem conjugationis. At neque modum optativum, neque ſubjunctivum, niſi quis dicat, ζευγνύην. id eſt, *utinam copularem.* & ζευγνύμην. id eſt, *utinam copularer.* diphthongo υι uſus in penultima, quod genus ſunt μεμνήμην. id eſt, *utinam meminiſſem.* & πεποιήμην. id eſt, *utinam factus eſſem.* Atque ad hanc formam licebit & τεθήμην dicere, id eſt, *utinam poſitus eſſem.*

De contractis verbis.

Cæterum verba tertiæ conjugationis in ω purum ſic, ut ante illud habeant α aut ε aut ο, in penultima, quod contractionem patiantur, dictum eſt prius. Id vero ſolum accidit in præſenti & præterito imperfecto. Horum igitur commune eſt, quod cum præcedit una quævis harum α ε ο, & ſequitur ω, ſemper fit contractio in ω: proprium autem eſt, quod cum præcedit α, & ſequitur ο, ſive per ſe, ſive in diphthongo, contractio ſemper fit in ω, ut βοάομεν, βοῶμεν. id eſt, *clamamus.* βοάου, βοῶ. id eſt, *clamare tu.* βοάοιμι, βοῷμι. id eſt, *utinam clamarem.* Cum vero ſequitur ε aut η, ſive in diphthongo, ſive ſola, ſemper contractio fit in α, βοάεις, βοᾷς. id eſt, *clamas.* βόαε, βόα. id eſt, *clama.* βοάῃ, βοᾷ. id eſt, *ſi clameris.* Unde ſane fit, ut nec ſubjunctiva hæc, nec alia omnino contracta ſubjaceant iis quæ de verbis incontractis dicta ſunt. Præterea cum præcedit ε, & ſequitur ο, ſive per ſe, ſive in diphthongo ου, ſemper contractio fit in ου, ποιέομεν, ποιοῦμεν. id eſt, *facimus.* Cum vero ſequitur ε, ſive per ſe, ſive in diphthongo, ſemper contractio fit in ει. ποιέεις. ποιεῖς. id eſt, *facis.* ποιέετε. ποιεῖτε. id eſt, *facitis plures.* Cum vero ſequitur η, ſive per ſe, ſive in diphthongo, contractio fit in η, ἐὰν ποιέης. ποιῇς. id eſt, *ſi facias.* ἐὰν ποιέηται. ποιῆται. id eſt, *ſi faciat.* Cum vero ſequitur ο, ut in diphthongo οι, contractio fit in οι, ποιέοιμι. ποιοῖμι. id eſt, *utinam facerem.* Tametſi quæ duarum ſunt ſyllabarum in iis prima perſona non contrahitur, πλέω. id eſt, *navigo.* νέω. id eſt, *nato.* ῥέω. id eſt, *fluo.* Sed πλεῖς. id eſt, *navigas.* & πλεῖ. id eſt, *navigat:* & reliqua conſimiliter. Præterea cum præcedit ο, ac ſequitur ο, ſive per ſe, ſive in diphthongo, præterquam in οι, tum contractio fit in ου, χρυσόομεν χρυσοῦμεν. χρυσόου χρυσοῦ. id eſt, *inauramus. inaurare.* Similiter & cum ſequitur ε, χρυσόεται. χρυσοῦται. id eſt, *inauratur.* Cæterum ubi ſequitur η, contractio fit in ω, aut in ου. ἐὰν χρυσόηται. ἐὰν χρυσῶται. aut χρυσοῦται. id eſt, *ſi inauretur.* Rurſum cum ſequitur ι, videlicet in diphthongo, tum contractio fit in οι, χρυσόεις χρυσοῖς. id eſt, *inauras.* χρυσόοις χρυσοῖς. id eſt, *utinam inaurares.* ἐὰν χρυσόῃς χρυσοῖς. id eſt, *ſi inaures.* Excepto infinito, χρυσόειν enim contrahitur in χρυσοῦν. id eſt, *inaurare.* Horum autem omnium commune eſt, quod optativa proferuntur etiam more Æolico, ultima verſa in ην, ποιοῖμι. id eſt, *utinam facerem.* ποιοίην. id eſt, *utinam facerem.* βοῷμι βοῴην. id eſt, *utinam clamarem.* Atque ita tranſeunt omnino in inflexionem optativorum deſinentium in ην.

De verbis varie declinatis.

Quemadmodum nomina alia ſunt heteroclita, hoc eſt, varie declinata, alia prorſus indeclinabilia, vel propter contractionem, vel alia de cauſa, ſic & verba dici poſſunt heteroclita, πέττω. id eſt, *coquo.* πέψω. id eſt, *coquam.* τίκτω. id eſt, *pario.* τέξω. id eſt, *pariam.* πίπτω. id eſt, *cado.* πεσοῦμαι. id eſt, *cadam.* ἁλίσκω. id eſt, *capio.* ἁλώσω. id eſt, *capiam.* ἔρχομαι. id eſt, *venio.* ἐλεύσομαι. id eſt, *veniam.* Sunt autem hujus generis complura, atque in iis uſum obſervare conveniet, ut tamen in genere dicamus, verba derivativa, quæ deſinunt in duas conſonantes diverſas; nullam habent propriam inflexionem: verum formantur hæc per τ, aut per huic cognatum σ, exceptis verbis quartæ conjugationis, ῥέπω. id eſt, *jacio.* ῥίπτω. id eſt, *jacio.* τέκω. τίκτω. id eſt, *pario.* ἔχω. ἴσχω. id eſt, *habeo.* ἔπω. ἔσπω. id eſt, *dico.* πέτω. πίπτω. id eſt, *cado.* ἕστακα. id eſt, *ſteti.* στάσκω. id eſt, *ſto.* βέβοκα. id eſt, *pavi.* βόσκω. id eſt, *paſco.* τετέλεκα. id eſt, *perfeci.* τελέσκω. id eſt, *perficio.* Volunt autem conſonantem aſſumere a formatione, conſonantem inquam ſecundæ aut tertiæ perſonæ præteriti perfecti paſſivi. Quare in verbis quartæ conjugationis a μένω. id eſt, *maneo.* formatum eſt μίμνω. id eſt, *maneo.* propterea quod σ non quadret in ea junctura, ac ne ν quidem congruat, ſed ſuo more verti ſoleat in μ. Nihil autem retulerit, ſi quis velit μ non eſſe ex mutatione ν, ſed aſſumi a prima perſona, μέμεμμαι. id eſt, *manſi.* μίμνω. id eſt, *maneo.* Porro hæc vocentur redundantia.

Indeclinabila.

Indeclinabilia ſunt autem quæ contrahuntur omnia, ποιῶ. id eſt, *facio.* βοῶ. id eſt, *clamo.* quatenus contractionem paſſa.

Deſiderativa.

Jam indeclinabilia ſunt etiam deſiderativa omnia, licet incontracta, μαθητιῶ. id eſt, *cupio diſcere.* τομῶ. id eſt, *ſecturio.* βασιλειῶ. id eſt, *regnaturio.* πολεμησειῶ. id eſt, *bellaturio.* ὀψείω. id eſt, *videre cupio.* Arbitror autem apte adjungi iis, verba quæcunque ſpeciem habent tertiæ perſonæ, cum nullius ſint perſonæ. Unde & imperſonalia dicuntur, ut δεῖ. id eſt, *oportet.* χρή. id eſt, *oportet.* & δοκεῖ. id eſt, *videtur*, & συμβαίνει. id eſt, *contingit.* & μέλει. id eſt, *cura eſt.* & ἔξεστι. id eſt, *licet.* In ſumma, quæ nullam certam indicant perſonam. Verum in iis haud multa ſunt, quæ activi verbi voce proferuntur, plurima vero quæ paſſivi, nimirum omnia perſonalia paſſivorum. Etenim tertia perſona ſingularium in ſingulis temporibus, quoties tranſſumitur ad ſignificandam primam perſonam, neque primam, neque ſecundam habet perſonam. Id in iis liquebit, ut λέγεται. id eſt, *dicitur.* εἴρηται. id eſt, *dictum eſt.* γέγραπται. id eſt, *ſcriptum eſt.* εἰρήσθω. id eſt, *dictum eſto.* πεποιήσθω. id eſt, *factum eſto.*

De

De participiis.

Porro participia formantur a singulis temporibus, præterquam a præterito imperfecto & plus quam perfecto, cum hæc duo adjunctitia sunt, alterum præsenti, alterum præterito perfecto. Ita communia habent ab iisdem participia. Commune autem est iis, quod in omnibus præteritis abjicitur augmentum, præterquam in præterito perfecto.

Activa præsentis & futuri.

Fit autem in verbis activis in ω desinentibus, a prima persona singularium temporis præsentis & utriusque futuri participium, assumpto ν. τύπτω. id est, *verbero.* τύπτων. id est, *verberans.* τύψω. id est, *verberabo.* ὁ τύψων. id est, *verberaturus.* τυπῶ. id est, *verberabo.* ὁ τυπῶν. id est, *verberaturus.* Fœmininum rursus a recto masculini, ω finali verso in ȣ, & ν in σ, & assumpto α finali, ὁ τύπτων. id est, *hic verberans.* ἡ τύπτȣσα. id est, *hæc verberans.* ὁ τύψων. id est, *hic verberaturus.* ἡ τύψȣσα. id est, *hæc verberatura.* ὁ τυπῶν. id est, *verberaturus.* ἡ τυπȣ͂σα. id est, *verberatura.* Neutrum autem fit a genitivo, abjecta ultima syllaba, τȣ͂ τύπτοντος. id est, *verberantis.* τὸ τύπτον. id est, *hoc verberans.* τȣ͂ τύψοντος. id est, *verberaturi.* τὸ τύψον. id est, *hoc verberaturum.* τȣ͂ τυπȣ͂ντος. id est, *hoc verberaturum.* His affinia sunt & secundi indefiniti participia. Nam masculinum fit ο, quod est in ultima, verso in ω. ἔτυπον. id est, *verberavi.* ὁ τυπών. id est, *qui verberavit.* Fœmininum autem & neutrum, ut dictum est. A primo vero indefinito masculinum participium fit assumpto σ. ἔτυψα. id est, *verberavi.* ὁ τύψας. id est, *qui verberavit.* Porro fœmininum ac neutrum, ut dictum est, nisi quod hic penultima producitur, nulla vocali aliunde assumpta, ὁ τύψας. id est, *qui verberavit.* ἡ τύψασα. id est, *quæ verberavit.* τὸ τύψαν. id est, *quod verberavit.* A præterito vero perfecto masculinum participium fit α finali mutato in ω, & assumpto σ. τέτυφα. id est, *verberavi.* τετυφώς. id est, *qui verberavit.* Fœmininum vero a genitivo masculini, abjecta ultima syllaba, & assumpto α, & eliso ο, quod est in penultima, sed assumpta diphthongo υι. τȣ͂ τετυφότος. id est, *ejus qui verberavit.* ἡ τετυφυῖα. id est, *quæ verberavit.* Ab eodem fit neutrum elisa syllaba το. τὸ τετυφός. id est, *quod verberavit.* Cæterum γεγῶσα. id est, *quæ fuit.* & βεβῶσα. id est, *quæ ivit.* ἑςῶσα. id est, *quæ stetit.* aliaque id genus Poetica sunt. Siquidem Poetæ facientes syncopen, hoc est, elisis in medio literis, transfigurant fœmininum juxta contractionem. Nam a γέγαα. id est, *fui*, ut fit, γεγαυῖα. id est, *quæ fui.* venit γεγώς. id est, *qui fuit.* unde γεγῶσα. id est, *quæ fuit.* Atque in cæteris ad consimilem modum. Quibus responderet τεθνεῶσα. id est, *mortua.* Tametsi venit a τέθνεα. id est, *mortuus sum*, licet syncopen non patiatur.

Media & passiva.

In mediis autem & passivis, iis sane ut in genere loquar, quæ μ habent literam conjugatoriam, participium masculinum fit ultima mutata in μενος. τύπτομαι. id est, *verberor.* ὁ τυπτόμενος. id est, *qui verberatur.* ἐτυψάμην. id est, *verberabam.* ὁ τυψάμενος. id est, *qui verberavit.* Cæterum iis quæ non habent μ, sed desinunt in ην, participium formatur, ultima mutata in εις, ἐτύπην. id est, *verberatus sum.* ὁ τυπεὶς. id est, *verberatus.* Fœmininum & neutrum in iis quæ habent μ, fit a masculino, ultima mutata in νη & νον, ὁ τυπτόμενος. id est, *qui verberatur.* ἡ τυπτομένη. id est, *quæ verberatur.* τὸ τυπτόμενον. id est, *quod verberatur.* Ubi vero non est μ, itidem fiunt ut in activis, nisi quod manet eadem vocalis finalis, ut est ὁ τυφθεὶς. id est, *verberatus.* ἡ τυφθεῖσα. id est, *verberata.* τὸ τυφθέν. id est, *hoc verberatum.* Quanquam a medio præterito perfecto, iisdem per omnia modis fiunt, quibus in verbo activo, τέτυπα. id est, *verberavi.* ὁ τετυπώς. id est, *qui verberavit.* τȣ͂ τετυπότος. id est, *ejus qui verberavit.* ἡ τετυπυῖα. id est, *ea quæ verberavit.* τὸ τετυπός. id est, *quod verberavit.*

Verborum in μι participia.

Verba autem in μι passiva quidem & media, sicut dictum
A est, habent τίθεμαι. id est, *ponor.* ὁ τιθέμενος. id est, *qui ponitur.* ἐθέμην. id est, *positus sum.* ὁ θέμενος. id est, *qui positus est.* ἐτέθην. id est, *positus sum.* ὁ τεθείς. id est, *positus.* Cæterum activa formanda sunt, sicut prima indefinita verborum desinentium in ω. At secunda indefinita, & præterita imperfecta omnia formantur in σ, ultima acuta, at non in eandem syllabam, sed juxta rationem vocis. In singulis enim propria vocalis initialis resumitur. Ea porro anceps est, aut brevis. At anceps cum est, vertitur in longam finalem. Cum est brevis, conflatur in diphthongum, assumpto ι aut υ, ἵςην. id est, *statuebam.* ὁ ἱςάς. id est, *qui statuebat.* ἐζεύγνυν. id est, *conjugabat.* ὁ ζευγνύς. id est, *qui jugabat.* ἐδίδων. id est, *dabam.* ὁ διδȣ́ς. id est, *qui dabat.* ἐτί-
B θην. id est, *ponebam.* ὁ τιθείς. id est, *qui ponebat.* Fœmininum autem & neutrum eodem modo formantur, quo ea quæ veniunt a passivis in ην, ὁ τιθείς. id est, *ponens.* ἡ τιθεῖσα. id est, *hæc ponens.* τȣ͂ τιθέντος. id est, *ponentis.* τὸ τιθέν. id est, *hoc ponens.* ὁ ἱςάς. id est, *statuens.* ἡ ἱςᾶσα. id est, *hæc statuens.* τȣ͂ ἱςάντος. id est, *statuentis.* τὸ ἱςάν. id est, *hoc statuens.* ὁ διδȣ́ς. id est, *hic dans.* ἡ διδȣ͂σα. id est, *hæc dans.* τȣ͂ διδόντος. id est, *dantis.* τὸ διδόν. id est, *dans.* ὁ ζευγνύς. id est, *hic jugans.* ἡ ζευγνῦσα. id est, *hæc jugans.* τȣ͂ ζευγνύντος. id est, *jugantis.* τὸ ζευγνύν. id est, *hoc jugans.*

Impersonalia participia.

Sunt autem & impersonalium verborum participia im-
C personalia, atque hæc sane neutri generis, δέον. id est, *oportens.* προσῆκον. id est, *conveniens.* δοκȣ͂ν. id est, *apparens.* & δόξαν. id est, *visum.* συμβάν. id est, *quod accidit.* ἀκȣσθὲν. id est, *auditum.* γνωσθὲν. id est, *cognitum.* ἀποδειχθέν. id est, *demonstratum*, aliaque hujusmodi. Cæterum quomodo formari debeant, non est obscurum: nimirum eodem modo, quo neutra personalia. Participia vero verborum personalium, omnia tertiæ personæ sunt, quemadmodum & nomina.

De articulis.

Articuli divisi sunt prius in præpositivos & postpositi-
D vos. Nihil autem vetat quominus postpositivum articulum per τȣ͂, τῷ, τῶν, sic efferas, ut apponas ο, ὅτȣ in genitivo, id est, *cujus*: & ὅτῳ in dativo singulari, id est, *cui*: & ὅτων in genitivo plurali, id est, *quorum.* Eundem ad modum & nomen τὶς articulo postpositivo additum declinatur, speciem mutans ad cursum articuli, ut ὅςις. id est, *quisquis.* ȣ͂τινος. id est, *cujuscunque.* ᾧτινι. id est, *cuicunque*, & reliqua consimiliter. Hujusmodi est & ἄττα. id est, *quædam.* Sumuntur autem articuli & loco pronominum. Nam ὁ ponitur pro ȣ͂τος. id est, *iste.* & τὸν pro τȣ͂τον. id est, *hunc.* Idem significat quoties conjunctioni δὲ annectitur, ut ὅδε. id est, *hic.* ἥδε. id est, *hæc.* τόδε. id est, *hoc.* Nam pronominalia sunt hæc quoque.
E Sed articuli præpositivi cum præponuntur adverbiis, in quovis casu, in quovis numero, adjectivorum nominum vice ponuntur, sic ut adverbia maneant indeclinabilia, ὁ πάλαι. id est, *priscus.* τȣ͂ πάλαι. id est, *prisci.* ἡ πάλαι. id est, *prisca.* τῆς πάλαι. id est, *priscæ.* ὁ πέλας. id est, *propinquus.* ὁ πάνυ. id est, *insignis.* ὁ ἄνω. id est, *supernus.*

De pronominibus.

Ex pronominibus autem ἐγώ, cum adjungit sibi conjunctionem γε, ut ἔγωγε. id est, *ego sane*, translato in primam syllabam tono, profertur: & non solum diminutionem aliquam significat ob vim conjunctionis diminuentem, sed nonnunquam etiam affirmationem, quale
F est ναὶ. id est, *etiam.* Hujus vero cognatus genitivus ἐμȣ͂. id est, *mei.* Dativus ἐμοί. id est, *mihi.* Accusativus ἐμέ. id est, *me.* Inflectuntur etiam abjecto ε, ut τȣ͂τό μȣ σκόπει. id est, *hoc meum considera.* τȣ͂τό μοι λέγε. id est, *hoc mihi dic.* τȣ͂τό με δίδασκε. id est, *hoc me doce.* De dualibus autem & pluralibus contractis dictum est prius. Incontracte autem dicimus hoc pacto, νῶϊ, id est, *nos duo*, vel *duos.* νῶϊν. id est, *nostrum duorum*, vel *nobis duobus.* ἡμέες. id est, *nos plures.* ἡμέων. id est, *nostrum.* ἡμέας. id est, *nos.* ἡμῖν. id est, *nobis*, dativus semper eodem modo. Itidem & pronomina secundæ personæ,

næ, σφῶϊ. id est, *vos duo*, vel *duos*. σφῶϊν. id est, *vestrum duorum*, vel *vobis duobus*. ὑμέες. id est, *vos plures*. ὑμίων. id est, *vestri*. ὑμέας. id est, *vos*. ὑμῖν. id est, *vobis*. Item pronomina tertiæ personæ, σφῶε. id est, *illos duos*, in accusativo tantum quemadmodum & σφῶϊν. id est, *illis duobus*, in dativo σφέες. id est, *illi plures*. σφέων. id est, *illorum*. σφέας. id est, *illos*.

Solitaria pronomina.

Cæterum μὶν. id est, *illum*. & νὶν. id est, *illum*. & σφὲ. id est, *se*, peculiaris suæque formæ sunt, quod ad vocem attinet.

Possessiva pronomina.

Possessiva vero pronomina, quæ formantur a tertia persona, videlicet ὁ ἑὸς. id est, *hic suus*. ἡ ἑὴ. id est, *hæc sua*. τὸ ἑὸν. id est, *hoc suum*: etiam absque ε proferuntur, ὃς. id est, *suus*. ἣ. id est, *sua*. ὂν. id est, *suum*. Porro inflexio primitivorum, unde hæc veniunt juxta nullam inflectendorum casuum rationem fit, sed positive. Similiter & numerus in iisdem.

Composita.

Ex compositis vero, ἑαυτοῦ. id est, *sui ipsius*: & sine ε profertur, αυ recipiente aspirationem in se, αὑτοῦ.

Possessiva.

Generaliter autem possessiva eodem modo formantur, quo simplicia nomina in ος trium generum. Nam quemadmodum illa cum adest alia consonans, fœmininum deducunt in η, ἔρημος ἐρήμη. id est, *desertus deserta*. φρόνιμος φρονίμη. id est, *hic prudens*, *hæc prudens*. μέσος μέση. id est, *medius*, *media*. μέθυσος μεθύση. id est, *ebrius ebria*. At cum adest ρ, formant in α, λαμπρὸς λαμπρὰ. id est, *splendidus splendida*. σοφώτερος σοφωτέρα. id est, *hic sapientior*, *hæc sapientior*. sic & hæc, ὁ ἐμὸς. id est, *meus*. ἡ ἐμὴ. id est, *mea*. ὁ σὸς. id est, *tuus*. ἡ σὴ. id est, *tua*. ἡμέτερος. id est, *noster*. ἡμετέρα. id est, *nostra*. σφέτερος σφετέρα. id est, *vester vestra*. Cæterum ἡμετέρη. id est, *nostra*. & σφετέρη. id est, *vestra*, Jonica sunt. Jam ex demonstrativis, ἐκεῖνος. id est, *ille*. ἐκείνη. id est, *illa*. ἐκεῖνο. id est, *illud*, & absque ε proferuntur more Æolico. Cæterum demonstrativo secundæ personæ nonnunquam & ι addimus in fine. Idque in singulis casibus ac numeris, ac generibus dicentes, οὑτοσὶ. id est, *iste*. τουτονὶ. id est, *hunc*. Nimirum ut pronominibus articularibus connexis conjunctioni. Nam ὁδὶ. id est, *hic*. dicimus & τοδὶ. id est, *hoc*. Genitivus autem pronominis primitivi secundæ personæ profertur & his modis, σέο. id est, *tui*. & σεῖο & σέθεν & σεῦ. id est, *tui*, quemadmodum, videlicet, & in prima persona ἐμέο. id est, *mei*. & ἐμεῖο & ἐμέθεν & ἐμεῦ. id est, *mei*. Juxta diversas linguarum proprietates, verum de his definire, non proprie pertinet ad hoc institutum.

De præpositionibus.

Ex præpositionibus autem ἐν in Poematis reperitur & ἐνὶ, dicta per extensionem. Quanquam ἔνι. id est, translato tono non amplius est præpositio, sed in naturam verbi transit. Nimirum haud aliter, quam παρὰ. id est, *juxta*. Nam πάρα pro πάρεστι. id est, *adest*, ponitur, & ἐπὶ pro ἔπεστιν. id est, *superest*, aut *inest*. Cæterum quæ εἰς est, eadem dicitur & ἐς. id est, *in*, Attico more. Et præpositio πρὸς. id est, *ad*. & ποτὶ dicitur & προτὶ Dorice. Et præpositio ὑπὸ. id est, *sub*, & ὑπαὶ dicitur, & ἀπὸ ἀπαὶ. id est, *ab*.

De adverbiis.

Adverbia vero ab omnibus orationis partibus formari possunt. Nam a nomine φρονίμων. id est, *prudentium*, fit φρονίμως. id est, *prudenter*: a verbo ἄρω. id est, *tollo*, fit ἄρδην. id est, *funditus*. A participio εἰδότων. id est, *scientium*. εἰδότως. id est, *scienter*. Ab articulo τῇ τῇδε. id est, *hic*. A pronomine τούτων. id est, *horum*. οὕτως. id est, *sic*. A præpositione ἀνὰ. id est, *per*. ἄνω. id est, *sursum*. Ab adverbio ἐγγὺς. id est, *prope*. ἐγγύθεν. id est, *cominus*. A conjunctionibus, δῆ, ποῦ & θεν,

A δήπουθεν. id est, *profecto*. Erunt autem & positiva quædam, velut ἐγγὺς. id est, *prope*, & χαμαὶ. id est, *humi*. Sunt temporis significativa hæc quoque, ἄψ. id est, *mox*. ἔτι. id est, *adhuc*. πάλιν. id est, *rursum*. μέχρι. id est, *usque*. Loci vero, & ἵνα. id est, *ubi*, & ἀπαντικρὺ. id est, *ex adverso*. Formæ autem localium tres. In loco, a loco, in locum, ut οἴκοι. id est, *domi*. οἴκαδε. id est, *domum*. οἴκοθεν. id est, *domo*. Similitudinis autem ἠὺ. id est, *velut*. ἠύτε. id est, *velut*. Congregationis autem alicujus definitæ sunt & hæc, πανδημεὶ. id est, *publicitus*, & πασσυδὶ. id est, *per universos*, & πανοικὶ. id est, *tota domo*. Adhortandi vero sunt hæc quoque, εἶα. id est, *eja*, & ἴθι. id est, *age*. B Præterea stuporis est & ἔα. Vocetur & aliquod adverbium prætereundi, ut χρονίως. id est, *tarde*. ἐκταδὸν. id est, *lente*. Alia separandi definite, ἀκονιτὶ. id est, *citra pulverem*. ἀπονητὶ. id est, *citra laborem*. ἀμελητὶ. id est, *neglecte*. Et indefinite; ἄνευ. id est, *seorsum*. ἄτερ. id est, *seorsum*. Item aliud excipiendi, πλὴν. id est, *præterquam*. Item digressivum, ὥστε. id est, *itaque*. Et prohibendi, ἐμποδὸν. id est, *impedimento*. Item occultandi, λάθρα. id est, *clanculum*: & declarandi, ut διαῤῥήδην. id est, *luculenter*. ἀναφανδὸν. id est, *clare*. Nam cæterorum singulis addere nomina, juxta rem significatam, primum infinitum fuerit, deinde necesse esset nova vocabula confingere. Quare præstiterit fortasse decem C illa genera & in adverbiis ponere. Substantiam, qualitatem, quantitatem, ad aliquid, ubi, quando, facere, pati, positus, habere. Conarique ut singula ad horum generum aliquod referamus. Velut οὐσιωδῶς. id est, *substantialiter*, ἐμψύχως. id est, *vive*. φυσικῶς. id est, *naturaliter*, referuntur ad substantiam. εὖ. id est, *bene*. ἡδέως. id est, *libenter*. ῥᾳδίως. id est, *facile*. κυνηδὸν. id est, *canine*. ὥσπερ. id est, *tanquam*. ὥστε. id est, *ut*. λίαν. id est, *valde*. πάνυ. id est, *admodum*. ἠρέμα. id est, *paulatim*. πάντως. id est, *omnino*. ἦ. id est, *certe*. δηλαδὴ. id est, *videlicet*. νὴ. id est, *certe*. ναὶ. id est, *etiam*. ἥκιστα. id est, *minime*. οὐ. id est, *non*. μὴ. id est, *ne*. μὰ. id est, *non*. ἴσως. id est, *forte*. ἰδοὺ. id est, *ecce*. ὦ. id est, *o*. ἀναγνωστέον. id est, *legendum est*. D εἴθε. id est, *utinam*. ἰοὺ. id est, *iou*. φεῦ. id est, *heu*. ἆ. id est, *ah*. εὐὰν. id est, *euan*. ἄγε. id est, *age*, referuntur ad qualitatem. ἅπαξ. id est, *semel*. δὶς. id est, *bis*. τρὶς. id est, *ter*, referuntur ad quantitatem. δεσποτικῶς. id est, *heriliter*. δουλικῶς. id est, *serviliter*. ἴσως. id est, *æque*. ὁμοίως. id est, *similiter*. πολλάκις. id est, *sæpe*. ὀλιγάκις. id est, *raro*. μεγάλως. id est, *magnopere*. μᾶλλον. id est, *magis*. ἧττον. id est, *minus*. ἅμα. id est, *simul*, referuntur ad aliquid. ἄνω. id est, *sursum*. κάτω. id est, *deorsum*. ὧδε. id est, *hic*. ἐκεῖ. id est, *illic*. ἐνθάδε. id est, *hic*. πόῤῥω. id est, *procul*. ἐγγὺς. id est, *prope*. χωρὶς. id est, *seorsum*. ἔξω. id est, *foris*. ἔσω. id est, *intus*. ἐναντίον. id est, *contra*. E χαμαὶ. id est, *humi*. ἄψ. id est, *mox*. ὅθεν. id est, *unde*. ἔνθα. id est, *ubi*. ἐπέκεινα. id est, *ultra*. πέραν. id est, *ultra*. μεταξὺ. id est, *in medio*. ἔνθεν. id est, *unde*. ὅθι. id est, *ubi*. ἵνα. id est, *ubi*, referuntur ad ubi. νῦν. id est, *nunc*. τότε. id est, *tunc*. αὖθις. id est, *rursum*. τέως. id est, *eousque*. ἡνίκα. id est, *cum*. ἔπειτα. id est, *deinde*. σήμερον. id est, *hodie*. αὔριον. id est, *cras*. πάλιν. id est, *rursum*. εὐθὺς. id est, *protinus*. ὕστερον. id est, *postea*. παραχρῆμα. id est, *mox*. ἐξαίφνης. id est, *subito*. αὐτίκα. id est, *mox*. ὄφρα. id est, *eousque*. τόφρα. id est, *donec*, referuntur ad quando. δραστικῶς. id est, *agiliter*. θεωρητικῶς. id est, *speculative*. τμήδην. id est, *sectim*, referuntur ad facere. παθητικῶς. id est, *passive*. πεποιημένως. id est, *ficte*. referuntur ad pati. F συλλήβδην. id est, *universim*. ἀθρόως. id est, *acervatim*. ἄνευ. id est, *separatim*. χωρὶς. id est, *seorsum*. ἐφεξῆς. id est, *deinceps*. μίγδην. id est, *mixte*. referuntur ad positum: ὡπλισμένως. id est, *armate*. περιεκτικῶς. id est, *complexive*. στεφανοφόρως. id est, *cum coronis*. δαφνοφόρως. id est, *cum laurea*, referuntur ad habere. Cæterum horum differentiæ melius sunt expendendæ.

De conjunctionibus.

Conjunctiones copulativæ sunt hæ quoque, ἠμὲν. id est, *atque*. ἠδὲ. id est, *atque*. ἀτὰρ. id est, *ast*. αὐτὰρ. id est, *at*. ἤτοι. id est, *sive*. Disjunctiva vero & ἠὲ. id est,

vel. Causalis autem etiam est ὄφρα. id est, *ut.* ἕνεκα. id est, *ut.* οὕνεκα. id est, *ut.* Expletivæ vero hæ, νὺ, quæ eadem & νῦν dicitur: & μὴν. ἂν. ἆρ. κὲν. Adversativa vero etiam est, ἔμπης. id est, *tamen.* & πλὴν. id est, *præterquam,* aut *nisi.* Ac multæ quidem eædem varie significant, ut ἀλλὰ. id est, *simul:* & copulative, & ratiocinative. γε vero expletive & diminutive & causaliter, ἂν

A vero expletive & ratiocinative & circumscriptive, περ vero adversative & diminutive, ὅτι causaliter & confirmative. δὲ copulative & ratiocinative & circumscriptive.

Ac de octo quidem orationis partibus quæ ad inflexionem & formationem pertinebant, hæc accommodate & sufficienter dicta sint, ut in secundo institutionis volumine.

THEODORI GAZÆ INSTITUTIONIS GRAMMATICÆ LIBRI SECUNDI, DESIDERIO ERASMO ROTERODAMO INTERPRETE,

F I N I S.



GULIELMI LILII

DE

OCTO ORATIONIS PARTIUM

CONSTRUCTIONE

LIBELLUS,

A

DESIDERIO ERASMO

ROTERODAMO

EMENDATUS.

JOANNES COLETUS
DECANUS SANCTI PAULI,
GUILELMO LILIO
AD DIVUM PAULUM LUDI MODERATORI PRIMARIO,

S. D.

HAUD aliter mihi videor affectus in novam hanc scholam nostram, Lili carissime, quam in unicum filium pater, in quem non solum gaudet universam suam substantiam transfundere, verum etiam sua viscera (si liceat) cupit impartiri. Nam ut huic est parum genuisse, nisi eundem diligenti educatione ad bonam frugem provexerit, ita meo animo non satis est, quod ludum hunc institui, hoc est genui, quodque insumpto patrimonio universo, vivus etiam ac superstes solidam hæreditatem cessi, nisi modis omnibus dem operam, ut piis moribus & bonis literis diligenter educatus, ad maturam frugem adolescat. Proinde libellum hunc de Constructione octo partium orationis ad te mitto, pusillum quidem, sed non pusillum utilitatis allaturum nostræ pubi, si diligenter abs te fuerit traditus. Scis in præceptis brevitatem placere Flacco, cujus sententiam & ipse vehementer approbo. Porro si qua præterea erunt digna cognitu, tuarum partium erit, ut incident in prælegendis auctoribus adnotare. Bene vale, domi nostræ.

DESIDERIUS ERASMUS
ROTERODAMUS
CANDIDIS LECTORIBUS

SALUTEM DICIT.


IPSA re comperio verum esse, quod olim Græcorum proverbio dictum est, [1] εὔνοι' ἄκαιρος οὐδὲν ἔχθρας διαφέρει. *Video passim exoriri, mei nominis & quam ipse velim studiosiores, qui libros mihi asserunt, quos aut non scripsi, aut certe non in hoc scripsi, ut ederentur. Vetus hic mos studiosorum hominum, ut omnes animi affectus, chartis ceu fidis, ut ait Flaccus, sodalibus committant. Neque protinus evulgari velimus, quicquid cum amiculo congerrone vel stomachamur, vel nugamur. Ediderunt epigrammata, a me quidem scripta (non inficior) sed non in hoc scripta. Ea (sicuti conjicio) famulus suffuratus typographis vendidit. Alius quispiam ex pauculis paginis iisque depravatissime scriptis, velut ex opere edito, dictu mirum, quam multa citet & inculcet de ratione conscribendarum epistolarum. Et ut de cæteris minutioribus sileam, nuper hunc* περὶ συντάξεως *libellum mihi veluti postliminio vindicarunt, primitus nullius editum titulo. Quærebat Joannes Coletus, Theologus inter Anglos eximius, novæ scholæ suæ novum de constructione libellum, qui simul & compendio pueris commendaretur & perspicuitate. Eum hujus jussu scripserat Gulielmus Lilius, vir utriusque literaturæ haud vulgariter peritus, & mirus recte instituendæ pubis artifex. Absolutum ab illo mihi tradidit, imo obtrusit emendandum. Quid enim facerem, cum vir ille rogandi finem non faceret, tam amicus, ut nefas esse ducerem quicquam negare precanti, tantæ vero auctoritatis, tam de me meritus, ut suo jure quidvis etiam imperare posset Erasmo? Quoniam autem sic emendaram, ut pleraque mutarim, nam id mihi videbam esse facilius, nec Lilius, ut est nimia quadam modestia præditus, passus est librum suo vulgari nomine, nec ego judicavi mei candoris esse, usurpare mihi, in quo quicquam esset alienum. Proinde magnopere sum interminatus cujusvis titulum adscriberent, modo ne meum. Itaque recusante utroque, libellus* ἀνώνυμος *prodiit, Coleti duntaxat præfatiuncula commendatus. Quem quidem libellum in præsentia, nec laudaturus sum, ne cui videar arrogantior, nec vituperaturus, ne parum candidus habear. Verum hæc præfari visum est, ne posthac quisquam ut meum amplectatur, quod ipse præfatiuncula mihi non assero. Plus satis erratorum & in iis quæ publicantur a nobis, ut nemo alius edat quæ vel non scripsimus, vel non emendavimus. Bene vale lector amice, Basileæ III. Kalendas Augusti* M. D. XV.

1 Intempestiva benevolentia nihil differt ab inimicitia.

LIBELLUS DE OCTO ORATIONIS PARTIUM CONSTRUCTIONE, TUM ELEGANS IN PRIMIS, TUM DILUCIDA BREVITATE COPIOSISSIMUS.

DE CONSTRUCTIONE VERBI.

Nominativus ante verbum.



OMNE verbum antecedit nominativus agentis seu patientis, ejusdem numeri & personæ, ut, *Ego doleo. Tu gaudes. Illi rident. Nos fallimur.*

APPENDIX I.

Prima & secunda persona ferme non explicantur, nisi discretionis aut Emphasis causa, ut, *Nos accusavimus. Vos damnastis. Tu audes ista loqui.*

APPENDIX II.

Aliquoties orationis pars nominativi vice ponitur, ut, *Dolet mihi quod res non cesserint tibi ex sententia.* Item verbum infinitum, ut, *Mentiri non est meum.*

APPENDIX III.

Cum plures nominativi ad idem verbum referuntur, ad hunc fere modum efferuntur. *Pater & præceptor accersunt te. Ego & tu sumus in tuto. Tu & pater estis in periculo. Ego cæterique cognati periclitamur.*

APPENDIX IV.

Quæ per se multitudinem significant, aliquando numero discrepant, ut, *Pars abiere.*

EXCEPTIO I.

Excipies impersonalia, quæ nullum ante se casum habent. *Tædet, piget, pœnitet, vivitur, statur.* Item tanquam impersonalia, ut, *Lucescit, noctescit, vesperascit, diluxit, pluit, ningit, grandinat.* Quæ exponuntur per verbum *fit*, & *est*. Item hæc, *fieri potest ut fallar. Fieri solet, fere fit. Male fit. Bene fit.* Nam in *bene habet*, subauditur *res*.

EXCEPTIO II.

Verba infiniti modi pro nominativo accusativum habent, ut, *Gaudeo patrem recte valere*, id est, gaudeo quod pater recte valeat.

VTRINQVE NOMINATIVUS.

Quædam utrinque nominandi casum adsciscunt, ut, *Deus est summum bonum. Hic nummus videtur adulterinus. Aristoteles habetur doctissimus. Perpusilli vocantur Nani.*

Et nomina gestus, ut, *Studes pronus. Dormis supinus. Incedis rectus.*

INFINITUM VARIANS.

Infinitum quoque utrinque nominativum habet, accedentibus verbis optandi, ut, *Petrus studet videri dives.* Malim esse dives quam haberi. At quoties accusativus antecessit, & sequatur necesse est, ut, *Malim me divitem esse, quam haberi.* Quædam variis modis efferuntur, ut, *Non licet Athenis esse probos.* Et, *non licet esse probis.* Lucanus: *Tutumque putavit jam bonus esse socer. Non vacat esse ægrotum. Non vacat esse ægroto. Non vacat esse ægrotus.* Quanquam postremum hoc rarius est.

Genitivus post verbum.

Ordo I.

Sum genitivum postulat, quoties significat possessionem, ut, *hæc vestis est patris.* Aut ad aliquid pertinere, ut, *Regum est tueri leges. Prudentis est multa dissimulare. Non est nostræ factionis. Non est mearum virium. Non est hujus loci atque temporis.*

APPENDIX.

Item hæc duo impersonalia interest & refert, ut, *Non tam interest regis, quam totius reipublicæ. Refert omnium, animadverti in malos.*

EXCEPTIO.

Hos tamen ablativos postulant. *Mea, tua, sua, nostra, vestra.* ut, *Minus interest mea quam tua. Nostra nihil refert.* Quibus interdum adjunguntur & hi genitivi, *unius, ipsius, solius.* Et genitivi participiorum. ut, *Non tua unius refert, sed nostra omnium. Tua ipsius refert. Tua solius interest. Mea refert de vita periclitantis.*

APPENDIX.

Adduntur & hi genitivi, *Tanti, quanti, quanticunque, tan-*

A *tidem.* Nam cætera hujusmodi adduntur per adverbium. *Magni tua refert. Minus mea refert quam tua. Maximopere refert. Nihil interest. Plurimum refert.*

ÆSTIMANDI.

Ordo II.

Verba æstimandi genitivis gaudent, ut, *Parvi ducitur probitas. Plurimi fit pecunia. Tanti eris aliis, quanti tibi fueris. Maximi penditur nobilitas. Nihili vel pro nihilo penditur. Nihili vel pro nihilo habentur literæ. Nauci, flocci, pili, hujus non facio. Assis non facio. Teruncii non facio.* Singulare est illud. *Æqui boni consulo*, id est, in bonam accipio partem.

VENDENDI.

Ordo III.

B Vendo, Revendo, Addico, Distraho, Divendo. Venundo, Veneo, Prosto. Æstimo, Indico, Inscribo, Liceor, Licitor, Loco, Conduco. Emo, Coëmo, Redimo. Mercor, Commercor. Constat, Valet.

Hæc verba hos duntaxat genitivos exigunt, ut *Tanti, quanti, tantidem, quantivis, quantilibet, quanticunque, pluris & minoris.* Si non addantur substantiva. Nam cætera precii vocabula, vel in ablativo, vel per adverbium apponuntur, ut, *Minoris revendes quam emeris. Pluris conducis quam emi poterat. Quanticunque locabis, præstiterat vendidisse. Hodie boves pluris licebant quam homines. Miror tantas ædes tam parvo inscriptas. Paulo, Magno, Nimio, Minimo, Plurimo,* C *Vili, Duplo, Dimidio revendes. Asse emi, Tantidem tibi sum traditurus. Teruncio seu vitiosa nuce non emerim. Nihilo constat. Percare locavit equum. Carius emitur oleum quam vinum. Carissime constat quod precibus emptum est. Gratis locat ædes. At magno pascit.*

APPENDIX.

Quin & quibuslibet verbis, precii nomen aut adverbium apponitur ad hanc formam, ut *magno pransi sumus, pluris cœnaturi. Non minoris docet quam talento. Hic magno etiam tacet. Nimio, Minimo, Paulo vivitur Londini. Care bibit. Sed carius cacat Bassus. Nec salutat gratis.*

ACCUSANDI.

Ordo IV.

D Verba accusandi, damnandi, absolvendi, & consimilia genitivum adsciscunt, qui crimen significet, ut, *Accersitus est capitis. Detulit fratrem læsæ majestatis. Postulatus est repetundarum,* sive *de repetundis. Accusavit male gestæ rei, male obitæ legationis. Egit cum noverca injuriarum. Condemnatus est peculatus. Reum egit parricidii. Damnavit incestus. Hic furti se alligat. Criminatus est adulterii, cum plagii teneretur. Arguit te mendacii. Revicit perjurii. Incusat negligentiæ. Appellatus est veneficii. Insimulas herum avaritiæ. Suggillas parsimoniæ. Notas libidinis,* seu *de libidine. Infamas inscitiæ. Traducis luxuriæ. Suspectum habes perfidiæ,* sive *de perfidia. Taxas ambitionis. Calumniaris maleficii. Admonuit me errati. Com-* E *monuit promissi. Commonefecit te debiti.* Singulare est, *Expostulavit mecum de non missis ad se literis.*

APPENDIX.

Si non fuerit proprium criminis nomen, apponitur ablativus addita fere præpositione, ut, *Utrum ambitus accusas, an sacrilegii, an utroque, sive de utroque? De plurimis simul accusaris.*

MISERET.

Ordo V.

Miseret, miserescit me tui. Piget te laboris. Multos vitæ tædet. Non te pudet vanitatis. Nostri nosmet pœnitet. Hæc genitivum habent cum accusativo, nisi dicamus, *Puditum est* F *consilii. Misertum est virginis. Pertæsum est conjugii.*

APPENDIX.

Sed impersonalibus loco genitivi, potest addi verbum infinitum, ut *Tædet me vitæ. Tædet me vivere. Piget militiæ. Piget militare.*

VARIANTIA QVÆDAM.

Ordo VI.

Hæc variam habent constructionem. *Misereor tui,* vel *ti-*

bi. *Meminit tui*, vel *de te*, id est, mentionem fecit. *Memini* pro recordor plerumque accusativo jungitur. *Obliviscor*, *Recordor*, *Reminiscor*, *Recolo tui*, vel *te*. *Venit in mentem ejus diei*, id est, recordor. Vel, *venit in mentem ille dies*. *Potitus est rerum*, id est, vicit. Et *potitus est amica*, id est, assecutus est. *Eget tui*, vel *te*. *Indiget auxilii*, vel *auxilio*.

SIGNIFICANTIA ALIQVID FIERI IN LOCO.

Ordo VII.

Omne verbum admittit genitivum proprii nominis significantis locum, in quo fit actio, ut, *Vixit Romæ*. *Studuit Oxoniæ*. *Natus est Londini*.

Pro propriis usurpantur hæc appellativa, *humi*, *domi*, *militiæ*, *belli*. ut, *Jacet humi*. *Domi bellique simul viximus*. *Domi meæ*, *nostræ*, *tuæ*, *suæ*, *vestræ*, *alienæ*. Nec alia admittit adjectiva. Nam *domi paternæ*, non recte dicitur, sed *in domo paterna*. Ruri in dativo, sive rure in ablativo, verbis iisdem adjungitur. *Ruri educatus est*.

EXCEPTIO.

Si tamen fuerint pluralis duntaxat numeri, aut tertiæ declinationis, in ablativo ponuntur. ut, *Nupsit Athenis*, *Militavit Carthagine*. Infrequens est his addere præpositionem. *Cum essem in Mediolano*, quæ semper additur nominibus locorum majorum, & appellativis, *Cum essem in Italia*. *Cum agerem in suburbano*.

DATIVUS POST VERBVM.

Ordo I.

Quodvis verbum acquisitive positum exigit dativum, ut, *Non omnibus dormio*. *Huic habeo non tibi*. *Mihi istic nec seritur*, *nec metitur*. *Mihi peccat*, *si quid peccat*. *Omnibus sapit*, *sibi uni non sapit*.

ACQVISITIVA.

Ordo II.

Præcipue tamen hujus ordinis sunt, quæ commodum aut incommodum significant, ut, *Do mutuo*, seu *mutuum*, *Do commodato*. *Mutuo*. *Fœnero*. *Largior*. *Confero tibi*, & *confero in te*. *Præstare* pro dare, pro exhibere, ut, *præstare fidem*, *præstare pacta*. *Dono tibi hoc munus*, & *dono te hoc munere*. *Impartiam tibi fortunas meas*; & *impartiam te fortunis meis*. *Adspersit tibi labem*, & *adspersit te labe*. *Instravit equo penulam*, & *instravit equum penula*. *Debet tibi vitam*. *Suam eruditionem tibi acceptam fert*. Satisfacio, solvo, resolvo, rescribo, renumero. *Numero* pro solvo, *remetior*, *pendo*, *rependo*. *Refero*, *repono* pro reddo, *respondeo* pro satisfacio. *Nunquam tuis meritis est responsurus*. *Commodo* pro prosum. *Incommodo* pro noceo. *Non potest mihi nec commodare*, *nec incommodare*. *Opitulor*, *Prosum*. *Auxilior*, *Suppedito*, pro subministro, suggero. *Succurro*, *Subvenio*, *Adminiculor*, *Patrocinor*, *Suffragor*, *Adsum*, *Faveo*. *Bene volo*, *Bene cupio*. *Medeor tibi*, *& medebor tuo dolori*. *Medicor te*, vel *tibi*. *Conducit*, *confert tibi*, id est, utile est. *Conducit huic rei*, sive *conducit ad hanc rem*. *Consulo tibi*. *Do consilium*. *Consule rebus tuis*, id est, prospice. *Consulis me*, id est, consilium a me petis. *Sibi cavit*. *Metuo*, *timeo*, *formido tibi*, id est, sum sollicitus pro te. *Metuo te*, id est, timeo ne mihi noceas. Conjungitur uterque casus. *Omnia tibi timeo*, *quæ solent pusillis accidere*.

IMPERANDI ET NVNCIANDI.

Ordo III.

Ad hæc quæ imperandi & nunciandi significationem habent, ut, *Jubeo te abire*, *jubeo tibi ut abeas*. *Impero*, *præcipio*. *Praeo*, ut, *judicibus praire conatur*. *Præscribere leges victis*. *Dicta mihi jusjurandum*. *Edico tibi miles*, *mando*, *committo*. *Delegavit mihi suam vicem*. *Indixit mihi bellum*. *Designa*, *constitue*, *præstitue*, *condicito*, *præfige mihi diem ac locum*. *Tempero tibi* & *te*, id est, rego. *Moderatur animo*, *iræ*, & *moderatur Principem*.

NVNCIANDI.

Dico tibi. *Scribo tibi* & *ad te*, *Loquor*. *Recenseo*, *narro*, *expono*, *explano*, *explico*. *Aperio*, *indico*, *demonstro*, *commonstro*. *Refero*, id est, narro. *Retulit ad senatum*, id est, proposuit in senatu.

OBSEQVII ET REPVGNANTIÆ.

Ordo IV.

Quæ ad obsequium sive repugnantiam pertinent, ut, *Morigeror*, *morem gero*. *Obsequor*, *obsecundo*, *observio*. *Servire tempori*. *Inservit suis commodis*. *Subservio*, *Supparasitor*, *Ancillor*, *Assentor*, *Adulor*, *Palpor*, *Obedio*, *Milito*, *Pareo*. *Ausculto tibi*, id est, obedio, *Ausculto te*, id est, audio. *Audiens dicto*. *Obtempero*, *Cedo*, *Concedo*. *Consentio tibi* sive *tecum*. *Assentio* sive *assentior tibi*. *Dissentio tibi* sive *abs te*. *Subscribo tuo judicio*, *Suffragor*, *Adstipulor*, *Accedo tibi* sive *tuæ sententiæ*, id est, approbo. *Hoc accessit meis malis*, sive *ad mea mala*, id est, additum est. *Accedit huic*, *Accedit his*, & *Accedit ad hæc*. *Convenit mihi tecum*. *Constat hoc nobis*, sive *inter nos*.

Repugnantiæ, ut, *Refragor*, *Obsto*, *Obsisto*, *Obstrepo*, *Resisto*, *Repugno*, *Reluctor*, *Reclamo*, *Officio*, *Occurro*, *Obviam eo*, *Obviam factus est mihi*. *Adversor*, *dissideo tibi*, sive *tecum*. *Contendo tibi* sive *tecum*. *Hoc abs te contendo*, id est, *vehementer peto*. *Certat illi*, sive *cum illo*. *Noli pugnare duobus*, Græce magis quam Latine dixit Catullus, pro cum duobus.

RELATIVA.

Ordo V.

Verba quæ relationem & respectum habent ad aliquid, ut, *Quæ huic est conjunx*, *tibi nurus est*. *Platoni corpus est vox*, id est, juxta Platonis sententiam. *Aristoteli spongiæ sentiunt*.

RELATIVA PER COMPOSITIONEM.

Hujusmodi formæ sunt composita cum his præpositionibus præ, ad, con, sub, ante, post, ob, in & inter.

PRÆ.

Ego meis præluxi majoribus. *Præpollet omnibus*. *Prænitet*, *præminet*, *præstat omnibus*, sive *omnes*. *Præcellit omnibus*, vel *omnes*. *Præbibit mihi*. *Præripuit illi*. *Praeo*, pro vinco, *præcedo*, *præcurro*, *præverto*, *prævenio* accusativum exigunt.

AD.

Admolitus est illi manum. *Accubuit*, *assedit mihi*. *Advolutus est genibus*. *Arrisit matri*. *Affinxit probam orationem viro improbo*. *Appressit pectori codicem*. *Adegit gladium pectori*. *Adhæreo*, *adhærescit*, *adlubescit*. *Admovit bovi stimulos*. *Adjecit Ægypto*. *Affulsit mihi spes*. *Acclamabant dicenti*.

CON.

Convixit nobis. *Commigravit huic viciniæ*. *Commori tibi cupio*, sive *tecum*. *Colludo tibi*, vel *tecum*.

SVB.

Subjacent fortunæ. *Succedo*. *Subjicio*. *Subest*. *Subolet patri*.

ANTE.

Antestat, *Antepono*, *Antefero te omnibus*. *Antecedit*, *Antevertit*, *Antecellit omnibus*, vel *omnes*. *Anteeo te*, non tibi.

POST.

Posthabeo, *postpono famam pecuniæ*.

OB.

Obgannit nobis, *occinit*, *obturbat*. *Oppono*, *objicio*, *oppedo*, *obmurmuro*.

IN.

Indormis sacris. *Invigilas chartis*. *Immoraris*, *immoreris*, *insudas studiis*. *Insides saxo*. *Illudo tibi*. *Insulto*. *Inniteris arundini*. Nitor quoque simplex. *Nititur suis viribus*, *Imminet capiti*. *Impendet omnibus periculum*. *Incessit mihi cupiditas*. *Inest illi* vel *in illo*. *Incidit mihi lis cum nebulone*.

INTER.

Intermiscet vera falsis. *Interserit*. *Interjicit*. *Interfuit convivio*. *Intervenit colloquio*.

CONTINGENTIÆ.

Contingit mihi, *accidit*, *evenit*, *usu venit*, *obtigit*, *cessit*, *successit*, *obvenit*, *vertit*, *cecidit*.

CONFITENDI, POLLICENDI.

Fido, *confido*, *credo*, *fidem habeo*, *fidem facio*, *fidem do*: *Polliceor*, *Spondeo*, *Nubo*. Item hæc, *Liquet*, *vacat*, *placet*, *displicet*, *dolet*, *licet*: *Succenseo*, *indignor*, *minor*.

DATIVI ADVERBIALES.

APPENDIX.

Adduntur & hi dativi adverbiales. *Tempori surgendum*. *Vesperi venit*. *Luci occidit hominem*. Verbis aliquoties dativus festivitatis, id est, jucunditatis gratia adjungitur. *Suo sibi hunc jugulo gladio*.

EST PRO HABEO.

Est tibi mater. *Non est tibi quod agas*. Et *intercedit mihi cum illo familiaritas*.

GEMINI DATIVI.

Non sit tibi curæ. *An id sibi studio habet*. *Hoc tu tibi laudi ducis*. *Speras tibi laudi fore*, *quod mihi vitio vertis*. *Dedit mihi vestem pignori*, *dono*, *mutuo*. *Dedit mihi pecuniam fœnori*.

ACCVSATIVVS POST VERBVM.

Ordo I.

Verba transitiva cujuscunque generis exigunt accusativum significantem id quod patitur, ut, *Saluta patrem*. *Numeras*

ras arenam. *Bibis vinum. Loqueris mendacium. Osculatur uxorem.*

Tædet, Piget, Pudet, Pœnitet, miseret me tui. Decet te. Non decet senem. Dedecet virginem impudentia. Antiqui dicebant &, *decet tibi.*

DVO ACCVSATIVI.

Sunt quæ geminum admittunt accusativum, ut, *Docuit me literas. Dedocebo te istos mores. Poposcit me mutuum. Rogat. Orat. Flagitat, exorat te veniam. Postulo, flagito, peto abs te hanc rem,* frequentius quam *te*, sine præpositione. *Exuo, induo, vestio, calceo, cingo,* posteriorem, hoc est accusativum rei sæpius mutant in ablativum. *Exuit se chlamydem* sive *chlamyde. Accinxit se gladio.*

ACCVSATIVUS REI ET PERSONÆ.

B Quædam utrumvis admittunt, rei seu personæ, ut, *Vicit te,* & *vicit litem. Excusat se,* & *excusat valetudinem. Accusat te,* & *accusat tuam negligentiam.*

MOTVS AD LOCVM.

Ordo II.

Quæ significant motum ad locum aliquem, accusativum postulant nominis proprii citra præpositionem. *Eo Romam. Rediit Athenas. Navigavit Carthaginem.* Item hæc, *Confero me domum. Recipio me rus.* Nam appellativis, sive majorum locorum vocabulis fere præpositio additur. *Profectus est in Hispaniam. Reversus est in provinciam. Abiit in forum.*

SPATIVM TEMPORIS.

Ordo III.

C Quibuslibet verbis apponitur accusativus significans spatium temporis. *Potavit totam noctem. Hic totum desedi diem. Viginti annos natus est. Jam seculum te operimur.* Quanquam hic aliquoties in ablativum vertitur, ut, *Commoratus est apud nos, tribus horis,* seu *tres horas.*

APPENDIX.

At quoties non spatium, sed species temporis significatur, ablativus tantum apponitur, ut, *Nocte vigilas. Luce dormis. Æstate domi desides. Hyeme navigas. Superioribus diebus ad te scripsi. Anno proximo te visam.* Significatur autem species, cum interrogatio fit per *quando*, ut, *Quando venies? Hora tertia.* Spatium vero, cum fit interrogatio per *quamdiu*, ut, *Quamdiu vigilasti? Duas horas.*

SPATIVM LOCI.

Ordo IV.

D Quibusdam & loci spatium eodem modo apponitur. *Jam mille passus processerant.* Patet in longum quingenta stadia. *Latum culmum. Latum unguem. Latum digitum. Pedem hinc ne discesseris. Abest ab urbe sesquimilliarium.* Quanquam hic quoque nonnunquam vertitur in ablativum. *Abest a comitenti quingentis passuum millibus.*

RECIPROCVS ACCVSATIVVS.

Ordo V.

Quodlibet verbum quantumvis intransitivum admittit accusativum nominis significantis eundem actum, ut, *Quam hic vitam vivitis? Endymionis somnum dormis.* Hujus generis sunt illa. *Longum navigavit iter. Hunc scio mea solide solum gavisurum gaudia.*

E ACCVSATIVVS PER FIGVRAM.

Item illa, *Resipit, sapit adustionem. Olet lucernam, hircum. Olet unguenta. Spirat Italiam. Vox non sonat hominem. Vineta crepat mera. Vivunt bacchanalia. Vivit Cynieum.* Et quæ ponuntur adverbiorum loco. *Furit indomitum. Dulce sonat. Torvum tuetur,* id est, indomite, dulciter, torve.

ABLATIVVS POST VERBVM.

Ordo I.

Quodvis verbum admittit ablativum significantem qualecunque instrumentum aut modum actionis. Exemplum instrumenti. *Petiit me saxo. Cecidit loris. Enecas odio. Refellis argumentis. Vincit sapientia. Conciliavit humanitate*

F *multos. Concordia res parva crescunt, discordia maxima dilabuntur,* id est, per discordiam. Exemplum modi. *Mira celeritate rem peregit. Summa eloquentia causam egit.* Hic tamen apponitur aliquoties præpositio cum. *Summa cum humanitate tractavit hominem.* Nam instrumentis non apponitur, non enim recte dicitur. *Scribit cum calamo.*

APPENDIX.

His finitima sint quæ ad Synecdochen pertinent. *Ægrotat animo magis quam corpore. Discruciatur animo. Candet dentibus. Rubet capillis,* id est, secundum animum, corpus, capillos. Poetæ dicunt per accusativum. *Languet animum. Rubet faciem. Canet capillos.*

COMPARATIVA.

Ordo II.

A Quæ vim obtinent comparationis, admittunt ablativum significantem mensuram. Multo præstat cavere quam admittere. *Multis, infinitis partibus te vincit. Duplo superat. Nimio excellit, antecellit.*

MOTVS A LOCO.

Ordo III.

Quæ significant motum a loco, sive per locum, eadem nomina admittunt in ablativo, quæ in genitivo apponebantur, cum significabatur quies in loco. *Discessit Londino. Rure reversus est. Lovanio sum facturus iter.* Apponitur semper præpositio per, appellativis regionum nominibus. *Per forum ibis. Per Italiam eundum est Graciam petenti.*

B Adduntur & hi ablativi adverbiales, *Hac eundum est, illac, istac.* Qua pro aliqua parte seu via, *si qua licet effugere.* Et relative. *Qua spectat Ægyptum.*

ABLATIVVS ABSOLVTVS.

Ordo IV.

Quibuslibet verbis additur ablativus absolute sumptus, *Me dormiente tu bibis. Hoc me vivo non facies. Hac fiunt te rege, te consule, te pontifice. Te impulsore feci. Lilio praeceptore, tantus hic evasit.*

IMPLENDI, ONERANDI.

Ordo V.

C Verba implendi, onerandi, & his diversa, ut, *Satio, Saturo, Expleo te fabulis. Ingurgitavit se cibo. Obruit se vino. Oneras stomachum cibo. Levabo te hoc onere. Exonerabo te nummis. Nudavit, exuit, spoliavit me bonis omnibus. Emunxit senes argento.*

PROSEQVOR, AFFICIO.

Ordo VI.

Item *prosequor* & *afficio*, ut, *Afficit me injuria, damno, honore. Prosequor te odio, amore, benevolentia. Pluit lapidibus, Lacte, Sanguine,* sive *lapides, lac, sanguinem.*

MEREOR BENE SEV MALE.

Ordo VII.

D *Bene mereor* & *male, pejus, melius, optime, pessime,* interveniente præpositione adsciscunt auferendi casum. *Optime de literis meritus es. De me nihil est meritus, neque bene, neque male.*

PASSIVA.

Ordo VIII.

Passivis additur ablativus agentis, sed accedente præpositione *a* vel *ab*, ut, *Rideris ab omnibus.* Additur aliquando dativus absque præpositione. *Amaris omnibus,* vel *ab omnibus.* Accusativus patientis vertitur in nominativum. *Pater castigat filium. Filius castigatur a patre.* Cæteri casus fere omnes manent in passivis qui fuerant activorum. *Doceris a me Grammaticam. Accusaberis furti. Haberis ludibrio. Privaberis magistratu.* Quæ per se passiva vocantur, construuntur quemadmodum & illa, *Venit a domino. Vapulabis a praeceptore. Quid fiet ab illo?*

E VESCOR ET CÆTERA.

Ordo IX.

Vescor carnibus. Hic victitat lacte. Utor homine familiariter. Invenitur &, *Utor hanc rem.* & *Abutor operam. Fruor tuo conspectu.* Et *tuo fretus auxilio.* De potior dictum est. *Fungitur magistratu. Defunctus est vita.*

APPENDIX I.

Præpositio subaudita facit, ut ablativus recte addatur. *Habeo te loco parentis. Est mihi vice filii,* id est, in loco, in vice. *Apparuit illi humana facie. Discessit magistratu.*

INFINITA.

APPENDIX II.

F Quibusdam familiariter adduntur verba infinita. *Solet, debet, cœpit, optat, gaudet laudari. Amat videri dives. Studet metui.* Nam figurate ponuntur, ut a nullo pendeant: *Haccine fieri flagitia? Et venari pro venabatur.*

Diversi casus eidem additi verbo.

APPENDIX.

Nihil vetat quo minus eidem verbo diversi casus apponantur diversæ rationis. *Dedit mihi vestem hanc pignori, te præsente propria manu.* Nam *vestem*, additur tanquam transitivo. *Mihi*, tanquam acquisitivo. *Pignori*, ex eorum est forma, quæ resolvuntur per *ad*, vel *in*, præpositionem, id est,

est, *in pignus*: *Te præsente*, ablativus est absolutus; *Manu*, instrumentalis.

GERUNDIA.

Gerundia omnia eosdem ferme casus admittunt post se quos habent verba a quibus deducuntur, ut, *Ad discendum literas. Ad serviendum tibi. Ad fruendum amico.*

IN DI.

Gerundia in *di* ante se habent hæc nomina, gratia, causa, prætextu, occasione, titulo, ocium, facultas, licentia, ars, aut simile nomen substantivum, ut, *Veni huc causa visendi te. Non erat copia conveniendi hominem. Ars dicendi.* Nonnunquam præcedit adjectivum. *Cupidus visendi te. Gnarus bellandi. Peritus medicandi. Certus eundi. Imperitus navigandi.*

IN DUM.

Gerundiis in *dum* præponitur præpositio *ad*, vel *inter*. *Ad colloquendum tecum. Inter cœnandum, hoc mihi venit in mentem.* Reperitur & ante *damnandum*. Cum significamus necessitatem, sine præpositione usurpantur, addito substantivo verbo. *Vigilandum est ei, qui cupiat vincere.*

IN DO.

Gerundia in *do*, pendent a præpositione, *In* vel *ab*, sive dictione quæ requirit ablativum, ut, *In consultando locus est eloquentiæ. In pugnando viribus est opus. Reversus a venando*, sive *a venatu. Tacendo refellis*, id est, tacens refellis. *Scribendo disces scribere. Romanus sedendo vincit.*

GERUNDIA NOMINA.

Vertuntur gerundia in nomina adjectiva, ut, *Causa visendi te*, & *Causa visendi tui. Ad discendum literas*, & *ad discendas literas. Legendo libros doctus evades.* Et *legendis libris doctus evades.*

SUPINA IN TUM.

Prima supina sequuntur verbum, significans motum ad locum, ut, *Abiit piscatum*, id est, ad piscandum. Admittunt post se eosdem casus quos verba ipsorum.

ABSOLUTE POSITA.

Ponuntur & absolute cum verbo *est*: *Pugnatum est. Actum est. Dormitum est. Cessatum est satis.*

SUPINA IN TU.

Supina in *tu* passivæ significationis ferme sunt. Adhærent nominibus adjectivis, ut, *Turpe dictu. Mirabile visu. Difficile creditu. Proclive factu*, id est, ad faciendum. Nam in his, *Surgit cubitu, redit venatu*, nomina potius censenda sunt quam gerundia.

DE PARTICIPIIS.

Participia sequuntur constructionem verborum a quibus derivantur. *Donaturus tibi vestem. Donaturus te veste. Consulens tibi. Fruiturus te. Diligendus ab omnibus.* Quanquam in his usitatior est dativus. *Diligendus omnibus.*

PARTICIPIA FACTA NOMINA.

Cum transeunt in naturam nominum genitivum postulant, ut, *Amans vini. Fugitans litium. Cupiens tui. Sitiens auri. Peritus belli.* Et sine casu, ut, *Vir potens, eloquens.* Tunc & comparationem accipiunt more nominum in *ens*, vel in *tus* desinentia. *Cupientior famæ quam auri. Cupientissimus tui. Nulli desideratior quam mihi. Desideratissimus patriæ.*

Participia facta nomina compositione.

Quæ compositione fiunt nomina genitivum adsciscunt. *Indoctus pilæ. Inexpertus belli.* Quanquam & horum simplicia simili modo usurpantur.

DE NOMINIBUS VERBALIBUS.

Ordo I.

Omnia fere verbalia genitivum admittunt, qui verbis erat accusativus, ut, *Colo agrum: Cultor, cultrix agri, cultura agri. Bibo vinum: Bibax vini. Cupio laudem: Cupidus laudis.* Item quæ sunt affinia his, ut, *Avarus laudis. Ignarus omnium. Studiosus tui. Securus amorum.*

IN BILIS.

Ordo II.

Verbalia in *bilis* accepta passive, dativo gaudent, ut participia in *dus*. *Flebilis, formidabilis omnibus*, id est, flendus, formidandus omnibus.

GENITIVUS ADDITUS NOMINI.

Ordo I.

Nomina substantiva quæ significant possessorem, mensuram, sive numerum, aut relationem ad aliquid, genitivum exigunt, ut, *Arma Achillis, Cyathus vini, Modius tri-*

A *tici, Uncia auri, Ulna panni, Uxor Petri, Comes Ulyssis, Mille nummum, Duo millia peditum, Par calceamentorum, Jugum aquilarum, Tres decades quæstionum, Amicus patris, Princeps patriæ.* Vertitur hic genitivus aliquoties in dativum, accedente verbo *est*, ut, *Hic est tibi pater, huic socer, illi consul.*

ATTRIBUTIVA.

Ordo II.

Cum significatur aliquid inesse, sive adesse cuipiam quod ad laudem, seu vituperium pertinet, trifariam efferimus. *Puer bonæ indolis. Vir maximi nasi. Puer bona indole. Vir maximo naso. Puer bonus indole. Vir maximus naso.* Et *indolem*, Poetice. Et *nasum*, Poetice.

SPECIES ET GENUS.

B *Ordo* III.

Species subjicitur generi in genitivo, sive in eodem casu per appositionem. *Nomen Catonis in te non quadrat. Crimen læsæ majestatis. Cum essemus in terra Italiæ*, sive *Italia. In urbe Romæ*, sive *Roma.*

SUBSTANTIVE POSITA.

Ordo IV.

Quædam adjectiva substantive posita genitivum admittunt, ut, *Multum lucri. Paulum pecuniæ. Quid habes negocii? Quantum habebis pecuniæ, tantundem habebis fidei. Plurimum vini. Minimum aquæ.* Item pronomina quædam: *Hoc negocii. Id operis. Quid illud mali?*

APPOSITIO.

C In summa quoties substantivum, quacunque ratione refertur ad alterum substantivum, additur in genitivo, nisi addatur appositive. Nam tum satis est, si concordet in casu, etiam si numero & genere dissideat: *Abstulisti Maronem meas delitias.*

DE ADJECTIVIS ET SUBSTANTIVIS.

Adjectiva, nomina, participia, pronomina concordant cum suis substantivis in numero, genere & casu, ut, *Ex malis moribus bonæ leges natæ sunt. Istam fortunam tui mores promeruerunt.*

ADJUNCTIO.

Cum plura substantiva, diversi etiam numeri ac generis,
D ad unum adjectivum referuntur, his ferme modis efferri solent. *Gloria non est expetenda, neque divitiæ*; ut in medio ponas ad quod referuntur partes. *Non est expetenda gloria, neque divitiæ*; ut præponatur. *Gloria & divitiæ non sunt expetendæ*, ut postpositum conveniat cum proximo. *Gloria, divitiæ, genus, non sunt expetenda*, ut subaudias ista, idque neutro genere.

RELATIVA.

Relativum Qui, convenit cum antecedente in numero & genere. *Placuerunt literæ, quas ad me dedisti.* Nisi figurate loquamur. *Quas ad me dedisti literas magnopere placuerunt.*

COMPARATIVA.

Ordo V.

E Comparativa & superlativa genitivum exigunt, ut, *Sum minor fratrum*, de duobus. *Sum minimus fratrum*, de pluribus. Et cum exponuntur per inter. *Inter fratres*, vel *ex fratribus.* Nam comparativa cum exponuntur per quam, ablativum adsciscunt. *Præstantior te. Eloquentior omnibus præterquam Cicerone*, id est, quam Cicero. Additur & alter ablativus significans modum excessus. *Est major te quatuor annis. Digito lato te procerior. Multo potior. Multo* & *longe* apponuntur & superlativis. *Multo omnium doctissimus. Longe pessimus omnium.*

DISTRIBUTIVA ET PARTITIVA.

Ordo VI.

Item, nomina partitiva, aut partitive posita, velut *quisque, quisquis, quicunque, quidam, quis* interrogativum, & *quis*
F pro aliquis, *aliquis, uterque, neuter, utervis, utercunque, nemo, nullus, solus, unus, medius. Quisque hujus nationis. Unumquodque animantium. Provocat unumquemlibet vestrum. Utrum horum mavis accipe.* Exponuntur per *inter*, vel *ex*. *Unus omnium*, id est, solus omnium. *Medius duorum*, id est, inter duos. Et *dimidium animæ.* Item, *Alter, Alterius*, & his æquipollentia pronomina *hic* & *ille*, & adverbium *partim.*

APPENDIX I.

Quanquam in his genitivus significans totum, in alium casum sæpe vertitur: *Quis hominum vidit? Neuter Catonum.* Et *Neuter Cato.* Et *quis homo vidit? Animantium* vel *animantia, alia sunt volatilia, alia reptilia.*

Ap-

APPENDIX II.

Ad hanc formam pertinent, *Quotus*, *quotusquisque* ordinem significantia numeralia; ut, *Quotus eras convivarum*, seu *conviva? Quotus regum Romanorum*, id est, inter reges. *Sapientum octavus.* Quanquam in hoc postremo, non tam ordinem significat quam numerum simpliciter, ut in illo; *Dic quotus esse velis.*

DATIVUS POST NOMEN COMMODI ET INCOMMODI.

Ordo I.

Adjectiva quæ commodum aut incommodum significant aut relationem ad aliquid, dativum exigunt, ut, *Rem mihi permolestam*, mihi jucundam, tibi perniciosam, mihi salutarem.

RELATIVA.

Aptus, *Accommodus*, *Idoneus*, *Utilis*; ut, *Inutilis bello* sive *ad bellum. Natus gloriæ* & *ad gloriam. Obnoxius illi. Amicus huic* & *hujus. Similis*, *dissimilis huic* & *hujus. Diversus huic* vel *ab hoc. Affinis*, *cognatus huic* vel *hujus*. Nam cum hujusmodi substantive capiuntur, genitivo magis gaudent.

ACCUSATIVUS POST NOMEN, SPATII MENSURA.

Ordo I.

Quæ certum magnitudinis modum significant, accusativum admittunt; ut, *Longus*, *Latus*, *Altus*, *Crassus*. *Turris alta trecentos pedes. Liber crassus tres digitos*, sive *trium digitorum crassitudine*, & *ducentorum pedum altitudine.*

CIRCUITIONIS VIS.

Ordo II.

Quædam per circumlocutionem accusativum admittunt; ut, *Non sum id nescius*, id est, non ignoro. Cujus generis sunt & illa: *Ejus rei mihi venit in mentem*, id est, recordatus sum. *Et id mihi anus indicium fecit*, id est, indicavit. *Et opus est mihi hac re.*

ABLATIVUS POST NOMEN.

Ordo III.

Dignus & *indignus*, ablativum adsciscunt. *Dignus honore. Dignum est illo.* Dicimus tamen, *Dignus ut honoretur. Dignus quem omnes honorent.* Et, *dignus honorari ab omnibus.*

Item, *Vacuus*, *Onustus*. *Vacuus curis. Onustus divitiis. Pauper*, *Dives*, *Plenus*, *Inanis*, etiam genitivum admittunt.

PRONOMINUM CONSTRUCTIO GENITIVI PRIMITIVORUM.

Mei, *Tui*, *Sui*, *Nostri*, *Vestri*, genitivi primitivorum ponuntur cum passio significatur. Nam cum actio, adduntur possessiva, *Meus*, *Tuus*, *Suus*, *Noster*, *Vester*: ut, *Languet desiderio tui*, nempe quo tu desideraris. *Favet desiderio tuo*, quo tu desideras. Item *pars tua*, quæ tibi debetur. *Pars tui*, id est, manus aut pes, corpus, animus. *Imago tua*, quam tu possides. *Imago tui*, quæ te repræsentat. Aliquoties utrumque conjungitur, ut, *Nostra tui memoria*, id est, quam nos de te habemus.

POSSESSIVA PRONOMINA.

Possessiva adjectiva sunt, & non recusant aliquando genitivum; ut, *Mea ipsius causa. Tua solius, unius. Meos flentis oculos.*

NOSTRUM ET VESTRUM.

Nostrum & *Vestrum*, genitivi plurales gaudent nominibus distributivis, aut partitivis; ut, *Nemo vestrûm. Unusquisque nostrûm*, id est, ex nobis. Item, comparativis & superlativis; ut, *Major vestrûm. Maximus natu nostrûm.*

RECIPROCA.

Sui, *Sibi*, *Suus*, *a*, *um*, non nisi reciproce ponuntur, hoc est, ut reflectantur ad id, quod præcessit in eadem orationis parte, aut annexa per copulam: *Ille sibi placet. Petrus odit suos. Orat, ut suo faveas filio.*

DEMONSTRATIVA.

Demonstrativa, cum substantive ponuntur, admittunt genitivum, ut dictum est, ut, *Hoc noctis. Idem temporis. Illud accessit mali.*

IDEM CUM DATIVO.

Idem dativum adjungit, vel ablativum, interveniente præpositione: *Idem facit occidenti*, id est, quod occidens. *Idem huic*, aut *idem cum hoc.*

NOMINATIVUS POST ADVERBIUM.

En & *ecce* demonstrantis, nominativo seu accusativo junguntur. *En quatuor aras. Ecce rem. En lupus in fabula.*

A *En* exprobrantis, accusativo gaudet. *En animum & mentem.*

GENITIVUS POST ADVERBIUM.

Ordo I.

Superlativa genitivum exigunt. *Pessime omnium dixit, Qui omnium optime fecit.*

ADVERBIA LOCI AC TEMPORIS.

Ordo II.

Adduntur adverbiis loci ac temporis genitivi ferme hi, *Ubi gentium. Eo impudentiæ ventum est. Quo terrarum. Nusquam gentium. Huccine rerum venimus? Ubivis, quovis terrarum, Eo loci redacta est, Tunc temporis.* Nam *minime gentium* monadicon est, genitivo festivitatis causa addito.

B

PRIDIE, POSTRIDIE.

Ordo III.

Pridie calendarum, sive *calendas. Postridie ejus diei. Postridie quam discesseras. Postridie quam venires.*

INSTAR.

Ordo IV.

Instar montis. Instar pecudis. Item *parum*, *multum*, *satis*, *abunde vini*, vice nominum poni videntur.

DATIVUS POST ADVERBIUM.

Quædam dativum admittunt nominum, unde deducta sunt. *Venite obviam illi.* Nam *obvius illi* dicitur. *Canit similiter huic.* nam *similis huic.* Et *sibi inutiliter. Sedet proxime illi. Propinquius tibi sedet quam mihi.*

ACCUSATIVUS POST ADVERBIUM.

C Sunt quæ accusandi casum admittunt præpositionis, unde sunt profecta. *Propius urbem*, & *proxime castra.*

ABLATIVUS POST ADVERBIUM.

Ordo I.

Quæ comparantur, constructionem habent comparativorum nominum; ut, *Accessi propius te*, id est, quam tu. *Melius te dicit*, id est, quam tu. *Plus quingentis colaphis*, & *plus millies.*

PROCUL, &c.

Ordo II.

Procul dubio, & *procul ab urbe. Clam patre. Palam omnibus. Coram omnibus.*

ADVERBII CONSTRUCTIO.

Ordo I.

D *Hic*, *Illic*, *Istic*, *Intus*, *Alibi*, *Ubi*, *Ubique*, *Ubicunque*, *Ubilibet*, *Ubivis*, *Alicubi*, *Necubi*, *Sicubi*, *Ibi*, *Inibi*, *Ibidem* referuntur ad quietem in loco.

HUC, ILLUC, &c.

Ordo II.

Huc, *Illuc*, *Istuc*, *Intro*, *Alio*, *Aliquo*, *Nequo*, *Siquo*, *Eo*, *Eodem*, *Quolibet*, *Quovis*, *Quocunque*, *Foras*, *Horsum*, *Aliorsum*, *Dextrorsum*, *Sinistrorsum*, *Sursum*, *Deorsum*, *Utroque*, *Neutro*, *Quoquoversum*, referuntur ad motionem in locum.

HINC, ILLINC, &c.

Ordo III.

Hinc, *Illinc*, *Istinc*, *Aliunde*, *Alicunde*, *Sicunde*, *Necunde*, *Indidem*, *Unde*, *Undelibet*, *Undevis*, *Undecunque*, *Utrinque*, referuntur ad motum e loco.

E

HAC, ILLAC, &c.

Ordo IV.

Hac, *illac*, *Istac*, *Alia*, *Aliqua*, *Qua*, *Siqua*, *Nequa*, referuntur ad motionem per locum.

VARIANTIA.

Hæc variant. *Foris cœnat, & foris venit. Peregre vivit. Peregre rediit. Peregre abiit. Nusquam apparet. Nusquam discedet.* Quibus modis verborum, quæ congruant adverbia.

UBI. POSTQUAM. CUM.

Ubi, *Postquam*, *Cum*, adverbia temporis, interdum indicativis, interdum subjunctivis verbis apponuntur; ut, *Cum aderit*, & *cum venerit.*

F

SIMUL, &c.

Simul, *simulac*, *simulatque* magis gaudent subjunctivis; ut, *Simulatque adoleverit ætas.*

UT.

Ut, pro postquam, indicativo gaudet adjungi, *Ut ventum est in urbem.*

QUEMADMODUM, &c.

Quemadmodum, *Ut*, *Utcunque*, *Sicut*, utrumque modum admittunt, *ut salutabis*, *ita resalutaberis*; *ut sementem feceris*, *ita metes.*

QVASI, &c.

Quasi, Ceu, Tanquam, Perinde acsi. Haud secus acsi, cum proprium habent verbum, subjunctivis gaudent apponi. *Tanquam feceris ipse aliquid. Quasi non norimus inter nos.* Alias copulant consimiles casus. *Novi hominem tanquam te.* Arridet mihi quasi amico.

NE NON.

Ne prohibentis vel imperativis vel subjunctivis additur. *Ne nega, Ne dixeris, Non,* verbis imperativis non recte apponitur.

NE, AN, NVM.

Ne cum est interrogantis, indicativum amat: *Superestne, & vescitur aura.* Similiter & *An* & *Num.* At eadem cum accipiuntur dubitative, sive indefinite, subjunctivum postulant: *Vise num redierit. Nihil refert, feceris ne, an persuaseris.*

B

PENE, ET SIMILIA.

Pene, Prope, Propemodum, Tantumnon, Modonon, unico verbo seu alia dictione contenta sunt. *Propemodum insaniebat. Tantumnon insaniebat. Modonon montes auri pollicebatur.*

ADVERBIVM RELATVM NON AD VERBVM.

Adverbium aliquoties refertur non ad verbum, sed aliam orationis partem. *Homo egregie impudens. Ne parum sis leno. Admodum puella. Admodum anus.* Aliquoties adverbium adhæret adverbio. *Non admodum pulchre. Parum laute.*

QVANQVAM ET SIMILIA.

C

Quanquam, Tametsi, Etsi, Etiamsi, frequentius adjunguntur indicativis. *Quamvis* & *licet* subjunctivis. *Etiamsi cum utrisque cohæret. Ut* pro *quamvis,* semper subjunctivum flagitat. *Servi ut taceant, jumenta loquentur.* Aliquoties ad aliam orationis partem referuntur non ad verbum. *Complectitur hominem, quamvis male volentem, etiamsi pessime de se meritum.*

NISI CVM SIMILIBVS.

Ni, nisi, Si, Siquidem, quod, quia, & indicativis & subjunctivis adhærent. *Ni facies. Nisi feceris. Quod bene vales gaudeo. Quod redieris incolumis gaudeo. Non quia sic merui. Non quia sit pauper, sed quod sit improbus.*

QVANDO, &c.

Quando & *Quandoquidem, quatenus,* indicativum exigunt. Et frequenter sequuntur casum, cum reliquæ hujus ordinis frequentius præcedant: *Quoniam mihi non credis, ipse facito periculum. Ipse periculum facito, quoniam mihi non credis.*

D

QVIPPE.

Quippe item cum proprium habet verbum: *Danda est huic venia, quippe ægrotat.*

QVIPPE QVI, VT QVI.

Si addideris *qui,* utrumque admittit modum. *Ut qui* plerumque subjunctivis adhæret. *Non est huic habenda fides, quippe qui bis jam pejeraverit,* sive *pejerarit. Ut qui pejerarit.*

QVI.

Qui cum habet vim causalem, semper adhæret subjunctivo. *Stultus es qui huic credis,* id est, quod vel quia credis.

VT VTPOTE.

Ut & *Utpote,* proprium verbum nunquam habent. *Odi Petrum, ut in omnes maledicum. Utpote in omnes maledicum.*

E

TVM TVM, CVM TVM.

Et *Tum tum, Cum tum,* similes modos copulant. In verbis indeclinabilibus similes casus. *Odit tum literas, tum virtutem. Amplectitur cum eruditos omnes, tum in primis Marcellum.*

PRÆPOSITIONVM CONSTRVCTIO.

Præpositio versa in adverbia.

Præpositiones quæ citra casum ullum usurpantur in adverbiorum naturam transeunt. *Extra ejicere. An mare quod supra memorem, quodque alluit infra?*

PROPE ABEST.

Quemadmodum rursus & adverbia quædam accedente casu, in præpositiones transeunt, ut, *Procul, Coram, Clam, Palam.*

CASVS PRÆPOSITIONVM.

Quædam accusativum exigunt; ut, *Intra parietes. Extra vallum.* Quædam ablativum, ut *ab urbe.* Quædam utrumque, sed non in eodem sensu.

IN.

Varii casus præpositionum earundem. *In,* cum significatur actus in loco, desiderat ablativum; ut, *In animo est. In foro versatur.*

IN PRO ERGA ACCVSANDI CASVM HABET.

Optimo in te animo. Item *in* pro *contra. In omnes maledicus. In* pro *ad. In hoc incumbite. In hoc natus sum. In mercatum abiit.*

SVB.

Sub nocte, id est, *in nocte. Sub noctem,* id est, *instante nocte. Sub ea,* id est, *postea.* Item *sub,* additum verbo motus ad locum, accusativum exigit: *Sub umbram properemus. Sub* cum verbo quietis, ablativum requirit: *Sub lodice. Sub umbra.*

SVPER.

Super numerum ingenuorum, id est, ultra numerum. *Super hæc omnia,* id est, præter hæc omnia. *Super Priamo,* id est, de Priamo. *Super arbore sidunt,* id est, in arbore.

TENVS.

Tenus gaudet ablativo singulari, genitivo plurali. *Pube tenus. Crurum tenus.* Sed hæc videntur veluti composita, quemadmodum & illa, *Hactenus, Eatenus, Quatenus.*

VERSVS.

Postponitur & *versus* suo casui: *Romam versus iter est.*

VSQVE.

Usque, raro sine altera præpositione reperitur, & significat temporis aut loci magnitudinem. *Ad multam usque noctem. Ab extrema usque India.* Usurpatur & adverbialiter, pro semper, sive continenter.

A.

A præponitur dictionibus incipientibus a consonante. *A foro. A castris.*

AB.

Ab, incipientibus a vocali. *Ab omnibus.* Nisi sunt liquidæ, aut J consonans. *Ab Jove. Ab Rege.*

PRÆPOSITIONES SEMPER COMPOSITÆ.

Sunt quæ non inveniantur extra compositionem, *Di, Dis, Re, Se, An, Con, Diduco, Dissipo, Refero, Sejungo, Ambigo, Convenio.*

CON PRÆPOSITIO.

Con ex quibusdam neutris facit transitiva. *Comminxit lectum. Conspuit hominem. Concacavit. Compluit. Convomuit maritum.*

DE.

Dejicio, id est, ex alto jacio. *Deamo,* id est, valde amo. *Desipit,* id est, sapere desiit. *Deferbuit ætas. Reclamat,* id est, contra clamat. *Repetit,* id est, denuo petit. *Retegit,* id est, quod tectum est, aperit.

DE CONSTRVCTIONE INTERJECTIONVM.

O.

O exclamantis, admittit vocativum, nominativum & accusativum. *O Dii immortales. O vir fortis. O insignem impudentiam!* Subauditur autem frequenter, ut, *singularem impudentiam.*

HEV, PROH, &c.

Heu pietas! Heu stirpem invisam! Proh Juppiter! & *proh Deum atque hominum fidem.* Heu mihi! Væ tibi! Ah tibi.

CEDO.

Cedo flagitantis exhiberi, accusativum habet. *Cedo manum. Cedo senem.*

AMABO, OBSECRO, &c.

Amabo & *obsecro* blandientis, *Sodes* & *sultis* hortantis verba sunt, & in interjectionis naturam versa, quemadmodum & *Age.*

LIBELLI DE ORATIONIS PARTIVM CONSTRVCTIONE,

FINIS.

LUCIANI

SAMOSATENSIS

DIALOGI ALIQUOT,

DESIDERIO ERASMO

ROTERODAMO

INTERPRETE.

DESIDERIUS ERASMUS
ROTERODAMUS
REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI,
D. GULIELMO
ARCHIEPISCOPO CANTUARIENSI,
TOTIUS ANGLIÆ PRIMATI,

S. D.

MITTO ad te Dialogos aliquot Luciani, partim nuper a me traductos, partim recognitos. Nugas, inquis, mittis. Nugas sane, sed literatas, nimirum ut rideas, si tamen unquam ridere potes, homo tot curis districtus, tot negociorum fluctibus obrutus. Sed cui potius mittam, quicquid fuerit illud, seu ludicrum, seu serium, quod meæ Camœnæ produxerint, quam tibi unico meo Mecænati? qui solus & addis animum Erasmo, & alis ingenium, & ocium suppeditas, & ornas studia. Bene vale. Londini, tertio Calendas Majas Anno MDXII.

LUCIANI SAMOSATENSIS
DIALOGI ALIQUOT
DESIDERIO ERASMO
ROTERODAMO

INTERPRETE,

QUORUM HI SUNT TITULI:

Saturnalia.
Cronosolon, id est, Saturnalium legum lator.
Epistolæ Saturnales.
De luctu.
Abdicatus.
Icaromenippus, seu *Hypernephelus.*
Toxaris, sive *amicitia.*
Alexander, seu *Pseudomantis.*
Gallus, seu *somnium.*
Timon, seu *Misanthropus.*
Pro tyrannicida declamatio.
Erasmi declamatio, *Lucianicæ respondens.*
De iis qui mercede conducti degunt.
Dialogi amatorii XVIII.
Hercules Gallicus.
Eunuchus, seu *Pamphilus.*
De sacrificiis.
Convivium, seu *Lapithæ.*
De Astrologia.

SATUR-

SATURNALIA LUCIANI,

DESIDERIO ERASMO *ROTERODAMO* INTERPRETE.

PERSONÆ,

SACERDOS ET SATURNUS.

SACERDOS.

Dic mihi Saturne, quando tu quidem hoc tempore regnare videris, tibique & sacrificatum, & litatum est a nobis, quid potissimum abs te pro immolatis hostiis postulare debeam, quod postulatum feram? SAT. Istud quidem te ipsum perpendere oportuit, quid tibi foret optandum, nisi qui princeps sit, eundem & vatem esse vis, ut norit, quid maxime collubitum sit animo tuo petere. Cæterum ego, quantum facultas feret, non abnuam votis tuis. SAC. Quin istud jam olim mihi perpensum est: desidero enim vulgaria ista, ac passim obvia, videlicet opes, multam auri vim, utque viris imperem, utque multa possideam mancipia, vestes splendidas ac delicatas, tum argentum & ebur, breviter, si quid est præterea rerum preciosarum. Hæc igitur mihi da optime Saturne, ut & ipse nonnihil emolumenti ex tuo sentiam imperio, neve solus per omnem vitam earum rerum sim expers. SAT. Illud vide. Jam postulas, quod non est meæ potestatis, neque enim mearum partium est ista distribuere. Quare ne graviter feras, si quæ petis, non assequeris. Quin magis ista a Jove postulato, quum ad eum imperii vices redierint, id quod brevi futurum est. Nam ipse præscriptis conditionibus, rerum administrationem ab illo suscipio. Est autem universum imperium meum, septem duntaxat dierum, quorum si jus excesserit, illico privatus reddor, ac velut unusquilibet de plebeja multitudine. Nec tamen in his ipsis septem diebus serium quippiam, aut publicum tractare mihi permissum est. Verum potare, inebriari, vociferari, ludere, certare tesseris, creare reges, famulos in convivium adhibere, canere nudum, lascivo corporis motu saltitare, nonnunquam & in gelidam aquam dare præcipitem, facie fuligine oblita. Hæc uti faciam permissum est. Cæterum magna illa, puta divitias & aurum, Juppiter ipse dilargitur, quibus illi visum fuerit. SAC. Imo ne ille quidem Saturne admodum facile, ac lubens id facit, adeo ut me jam vox defecerit, magno clamore hæc ab illo flagitantem. At is nihil prorsus audit, verum ægidem obvibrans, ac fulmen intentans, torvumque obtuens, pavefacit instantes. Quod si quando etiam annuerit alicui, divitemque reddiderit, mirum quam id nullo delectu facit, ut aliquoties præteritis probis, ac sapientibus viris, sceleratis ac stultis hominibus opes offundat, verberonibus atque effœminatis, cujusmodi sunt isti plerique. Quanquam equidem cupio cognoscere, quænam sint ista tuæ potestati permissa. SAT. Haudquaquam parva, neque omnino contemnenda, siquis universi imperii vim expendat, nisi forte tibi parvum esse videtur, ut in tesserarum ludo vincas, cumque cæteris alea in unionem volvatur, tibi senionem semper in summo latere ostendat. Nam hinc sibi plerique victum parant, vel ad saturitatem usque, quibus propitia ac secunda aspirarit tessera. Rursum alii nudi enatarunt, nave elisa, fracta ad tam minutum scopulum, puta aleam. Adde his, potando quam maxime hilarescere, ac modulatius alio videri canere in convivio. Præterea reliquis ministris in aquam præcipitatis (nam ea pœna est parum dextre ministranti) te & victorem pronunciari, atque ei quem viceris, præmia præripere. Vides nimirum quam ingens sit bonum. Quemadmodum & illud, quum talo victor solus omnibus rex præficeris, ut non solum ipse non feras ulla ridicula imperata, verumetiam ipse possis aliis imperare: huic ut turpe quiddam de seipso vociferetur: illi ut saltet nudus, utque sublata in humeros tibicina, ter domum obambulet. An non hæc quoque munificentiæ meæ non exiguæ sunt argumenta? Quod si causaberis regnum hoc nec verum esse, nec stabile, inscite feceris, quum videas meipsum, qui ista dilargior, exigui temporis imperium tenere. Ex his igitur quæ meæ facultatis est præstare, nempe de taxillis, de regnando, de canendo, deque reliquis, quæ modo recensui, audacter quæ voles petito, nihil veritus, ne te ægide aut fulmine territem. SAC. Atqui istis nihil mihi est opus, Titanum optime. Tu tamen illud mihi respondeas velim, quod maxime cupiebam cognoscere. Quod si mihi dixeris, satis magnam gratiam pro sacro persolveris, quin & reliquum tempus quæ debueris, condono. SAT. Roga modo, equidem respondebo, si forte quod rogaris sciero. SAC. Illud in primis. Num vera sunt ista, quæ de te audimus? Quemadmodum devoraris liberos tibi ex Rhea natos, utque clam illa, subducto Jove, saxum infantis loco suppositum, tibi devorandum tradiderit. Deinde puer adultus, te regno expulerit, bello superatum, mox arreptum in Tartarum præcipitarit, vinculis injectis, tum tibi, tum omnibus copiis auxiliaribus, quæ tecum in acie steterant. SAT. Quid dixti? Nisi festum celebraremus, essetque licitum inebriari, atque in dominos impune convitia jacere, intelligeres profecto mihi permissum esse irasci, qui quidem istiusmodi roges, nihil reveritus adeo canum ac senem Deum. SAC. At ego hæc Saturne, non ex meipso dico, quin & Hesiodus & Homerus, nolo enim dicere reliqui prope mortales omnes, eadem de te credunt. SAT. An tu putas vel pastorem illum, vel hunc ampullosum, vere quippiam de me scisse? Rem ad hunc considera modum. Est ne quisquam homo, non dicam Deus, adeo durus, ut possit ipse volens suos devorare liberos? nisi si quis esset Thyestes, qui ab impio circumventus fratre comederet. Sed finge esse qui possit, qui fiat, ut ignoret sese saxum edere vice pueri? nisi forte dentibus sit hujusmodi, ut dolere non queant. Imo neque bello confliximus, neque Juppiter per vim imperium occupavit, sed ego illi volens & ultro rerum administrationem tradidi, cessique: Porro neque vinctum esse me, neque in Tartaro esse, vel ipse vides, opinor, nisi prorsus oculis captus es, quemadmodum Homerus. SAC. Sed quid tibi accidit Saturne, ut imperium deponeres? SAT. Ego tibi dicam. In summa, senex jam & podagrosus quum essem ob ætatem (unde etiam factum est, ut plerique mihi compedes esse finxerint) impar eram viribus ad tam multa hujus ætatis facinora punienda: nam erat assidue mihi sursum ac deorsum cursitandum obarmato fulmine, quo sacrilegos, perjuros, ac raptores exurerem. Eratque negocium plenum laboris, quodque juvenem desideraret. Itaque mihi consulens, Jovi locum dedi. Quanquam & alioqui recte facturus mihi videbar, si partitus filiis (nam erant) imperium, ipse pleramque vitam conviviis per ocium traducerem, nihil necesse habens, neque vota facientibus operam dare, nec ab iis qui contraria petunt, molestia affici, neque tonare, neque fulminare, neque grandinem aliquoties immittere. Sed senilem hanc, ac jucundissimam dego vitam, meracius bibens nectar, atque interim cum Japeto, reliquisque æqualibus Diis confabulans. At regnat quidem ille mille districtus negociis, nisi quod hos pauculos quos dixi, dies mihi visum est

A est excipere, in quibus recipio principatum, ut mortalibus in memoriam reducam, cujusmodi fuerit me regnante vita, quum citra sementem, citraque arationem cuncta illis provenirent. Haud tum quidem aristæ, sed panis paratus, carnes apparatæ, ac vinum fluminum instar fluebat, tum fontes mellis, lactisque propterea quod mortales omnes probi essent, & aurei. Hæc, inquam, mihi causa fuit, cur exigui temporis imperium geram, atque ob id undique plausus, cantiones, lusus, æqualitas omnibus servis æque ac liberis, neque enim me regnante quisquam erat servus. SAC. At ego Saturne conjecturam istam ad servos, & eos qui bojas terunt, referebam, quasi ob eam causam tibi fabula tribueret erga hos humanitatem, quod memor teipsum aliquando B servitutem servisse, ac gestasse compedes, eos magnificaceres, qui simili essent fortuna. SATVR. Non tu desines istiusmodi nugari nugas? SAC. Bene mones, itaque desino. Quin illud etiam mihi responde, talis ludere, in usu fuit tui quoque seculi mortalibus? SAT. Erat sane. At non depositis talentis, ac decem nummum millibus, quemadmodum vos facitis, verum ut plurimo nucibus, ne videlicet discruciaretur qui victus esset, neve semper ploraret sese unum omnium non habere quod ederet. SAC. Et recte quidem illi. Nam quo tandem præmio certassent ipsi talis, quum ipsi toti essent aurei? Itaque te loquente, tale quiddam mihi venit in mentem, si quis unum aliquem ex aureis illis viris, in hanc nostram ætatem adductum vulgo ostenderet, quid illi tandem C eveniret? Nempe miserum (sat scio) discerperent, haud aliter incursantes, quam in Pentheum Mænades, aut in Orpheum fœminæ Thraciæ, aut in Actæonem canes, interque sese decertarent, quantam quisque maximam posset portionem auferre, ut qui ne in festo celebrando, a lucri studio temperent, quin ipso etiam festo ad lucri abutuntur incrementum. Itaque alii quidem tibi primitias immolant, amicos in convivio deprædantes. Alii vero tibi convitiantur, cum nihil ad rem pertineant, tum ipsas comminuunt tesseras, perinde quasi illis sit imputandum, quod illi suapte sponte faciunt? Sed dic mihi & illud, quid tandem causæ fuit, ut Deus usque adeo imbecillis, ac senex, tempus inamœnissimum delegeris, cum jam nix omnia occupat, plurimus D sævit Boreas, cumque nihil non gelu concretum est, arent arbores nudæ decussis frondibus, squalent, horrentque vacua floribus prata, cum incurvi, contractique mortales, perinde quasi extremo confecti senio, ad focum ferme desident, interea tu festum diem agis? neque enim accommodum seni tempus, neque satis idoneum genio indulgentibus. SAT. Sed heus tu permulta quidem a me sciscitaris, cum potare jam oporteat. Itaque non exiguam temporis portionem tuis rogationibus mihi de festo perdidisti, dum ista mecum philosopharis, non admodum ad rem pertinentia: quare nunc istis tandem omissis, convivium agitemus, plaudamus, ac liberam agamus vitam. Deinde prisco more depositis nucibus, ludamus tesseris, ac reges suffragiis creemus, ipsis- E que ultro pareamus. Siquidem ad eum modum effecerimus, ut verum videatur proverbium, quod dicunt: senes repuerascere. SAC. Imo cui ista quæ dicis, non probantur Saturne, precor ut ei nec tum bibere liceat, cum sitit. Itaque bibamus, quandoquidem ut primo colloquio satis a te responsum est. Proinde videor mihi recte facturus, si nostram hanc confabulationem, & quæ ipse interrogarim, & quæ tu propitius responderis, literis prodita, tradam amicis legenda, si qui sunt digni, qui tua dicta accipiant.

CRONOSOLON,

ID EST, SATVRNALIVM LEGVM LATOR.

F Hæc ait Cronosolon sacrificus, & idem vates Saturni, earumque legum conditor, quæ quidem ad festum pertinent. Quid pauperes facere oporteat, id alio misso libro illis ipsis præscripsi: Neque dubito quin eas leges servent, alioqui obnoxii futuri pœnis, quæ gravissimæ decretæ sunt in eos, qui minus paruerint. Vos autem divites, videte ne hæc mandata prætergrediamini, neque negligatis. Nam si quis secus fecerit, is sciat se non me neglecturum legislatorem, sed ipsum potius Saturnum, qui me condendis festi sui legibus delegit. Haud ille quidem in somnis visus, sed nuper cum vigilante palam congressus. Erat autem neque compedibus vinctus, neque situ obsitus, qualem eum pictores fingunt, exemplar a deliris Poetis mutuati, verum falcem quidem tenebat præacutam. Cætera vero & hilaris erat, & validus, regioque apparatu. Atque hac quidem specie mihi visus est. Cæterum quæ locutus est, plane divina sunt, & in his hæc digna, quæ vobis prius exponam. Nam ubi me vidit animo mœstum inambulantem, mox intellexit, quippe Deus, quænam esset molestiæ causa: videlicet graviter me ferre paupertatem, ut qui non pro temporis ratione unicam vestem haberem, cum jam esset gelu, multusque flaret Boreas, glacies ac nix, adversus quæ ego minime communitus eram. Multo magis autem, quod cum festum instaret jam proxime, reliquos viderem apparentes, quæ ad victimas, quæque ad convivia requirebantur, mihi vero ipsi res non admodum ad festum instructas esse. Jam a tergo accedens, aureque prehensa, ac vellicata (Nam hac specie sese mihi consuevit ostendere) Quid istud sibi vult (inquit) Cronosolon? videre mihi sollicitus. An non æquum inquam here? cum impios ac scelestos homines opibus superfluere, & solos deliciis frui videam, ipse vero, mecumque complures alii docti, cum inopia, summaque rerum penuria vitam degimus? Ne tu quidem here, curas his rebus finem imponere, & ad æqualitatem revocare. Tum ille Cætera quidem, inquit, haud facile fuerit innovare, quæ vobis a Clothone, reliquisque Parcis accidunt. Porro paupertatis malum vobis corrigam, quatenus ad festum attinet. Sit autem hæc corrigendi ratio. Abi Cronosolon, ac mihi leges aliquot conscribito, ostendens quid observandum sit in festo, uti ne divites inter sese festum celebrent, sed vobis sua bona impertiant. At non novi, inquam, leges conscribere. Quin ego, inquit, docebo te. Moxque ingressus, ordine me docuit. Deinde cum cuncta perdidicissem: Et illud, inquit, illis dicito, nisi servarint hæc, tum ego profecto sine causa falcem hanc acutam circumfero. Alioqui ridiculus sim, si cum patrem Cœlum exercuerim, non item castraro divites istos, quicunque leges meas violaverint, ut jam evirati, Cybeli matri sese adjungant cum tibiis ac cymbalis. Hæc ille minabatur. Quare recte facietis, si leges non prætergrediamini. LEX PRIMA. Ne quis quid intra festi tempus agito, neque publicum, neque privatum nisi quæ ad lusum, ad voluptatem, animique oblectationem pertinebunt. Opsoniorum & bellariorum artifices soli in opere sunto. Æqualitas omnibus esto, servis, liberis, pauperibus, divitibus. Irasci, indignari, minarive ne cui liceat. Rationem exigere ab iis, qui res curant Saturnalitias, ne id quidem fas esto. Ne quis argentum, vestemve expendito, neve inscribito solennitatis tempore, ne quis exerceatur, neve literis operam dato, aut recitato, nisi si quæ sint urbana lepidaque, quæ dicacitatem resipiant, ac jocum. LEX SECVNDA. Multo ante festum divites singulorum amicorum nomina in tabella scribunto. Porro pecuniam paratam habento, ad decimam partem annuorum fructuum. Præterea quicquid illis superest vestium, & quicquid est cultus pinguioris, quam ut ipsis conveniat. Ad hæc argenteorum vim non modicam. Atque hæc quidem in promptu sunto. Cæterum ante solennitatem porcellus circumagitor, atque ex ædibus ejiciuntor sordes, avaritia & quæstus, & si quæ id genus alia sunt plerisque divitum domestica. Deinde ubi domum perpurgarint, tum rem divinam faciunto Jovi divitiarum largitori, ac Mercurio munifico, atque Apollini magna donanti. Deinde circa vesperam tabulam illam, amicorum nomina tenentem relegunto. Distributis autem pro cujusque dignitate muneribus, ante solis occasum amicis mittunto. Porro qui deferant, ne plures tribus, quatuorve sunto, atque hi certissima ex famulis fide, jamque natu grandes. Adscribatur autem in literis, & quid mittatur, & quantum, ut ne utrique suspectos habere possint eos, qui perferunt. Atque ipsi ministri unico quisque calice epoto, domum recurrunto, neque præterea quicquam ab eis postulanto. Doctis omnia dupla mittuntor. Nam hos æquum est geminam accipere portionem. De muneribus quam modestissime simul, & quam paucissima verba fiunto, neque grave quicquam in literis quisquam adscribito, nec odiose laudato quæ mittuntur. Diviti dives ne quid mittito. Neque locuples Saturnalibus æquali sorte quempiam convivio accipito. Ne quid eorum quæ in hoc deprompta fuerint, ut mittantur, servanto. Neve cui muneris pœnitentia subito. Quod si quis anno su-

superiore peregre fuit, eaque causa munerum expers fuit, & illa accipito. Quinetiam pro tenuibus amicis æs alienum divites solvunto, atque etiam conductarum ædium precium, si qui forte & hoc debent, neque sunt solvendo. In summa vero, multo ante illud illis esto curæ, ut cognoscant, qua re maxime sit opus. Rursum qui accipiunt, ne de missis donis ut exiguis queruntor, & quicquid mittetur, qualecunque fuerit, id magni ducunto. Vini cadus, aut lepus, aut pinguis avis, inter munera Saturnalitia ne habentor. Neve Saturnalia dona in risum vertunto. Remittito vicissim diviti pauper: Si doctus est, libellum aliquem veterem, aut si quid ipse conscripsit, quod fausti sit ominis, & conviviis accommodum, qualecunque potuerit. Atque id dives læto admodum, hilarique vultu accipito. Acceptum protinus perlegito. Quod si recusarit, rejeceritve, sciat sese iis quæ de falce minatus sum, obnoxium esse, etiam si miserit, quicquid alioqui mittendum erat. Porro reliqui, coronas alii, alii turis frustula mittunto. Quod si pauper, aut vestem, aut argentum, aut aurum, supra facultatem diviti miserit, id quidem quod missum fuerit, publicum esto, conflatumque in Saturni thesaurum infertor. Ipse vero pauper postridie plagas a divite, manibus ferulæ suppositis accipito, non pauciores quinquaginta supra ducentas. LEGES CONVIVIALES. Lavandum est, ubi linea sex erit pedum. Ante lavandum, nucibus ac talis lusitandum. Ubicunque casus cuique locum dederit, ibi accumbito. Dignitas aut genus, aut divitiæ, parum momenti habento, ut prius alicui ministretur. Eodem de vino omnes bibunto. Neque prosit diviti, si causetur vel stomachi, vel capitis dolorem, ut ideo bibat de meliore. Carnium omnibus æqua portio. Ministri ne cui quid favore danto, neque contantor, neque prætermittunto, donec ipsis visum fuerit, quæ tollenda erunt. Neque huic quidem magna, illi vero perexigua apponunto. Neve huic coxa suis, illi maxilla apponitor, sed in omnibus æqualitas esto. Pocillator, acutis oculis unumquemque observato, minus tamen herum. Acutius etiam exaudito. Calices omnis generis sunto. Ad potandum invitare si quis voluerit jus esto. Omnes omnibus præbibunto, si libeat, ubi præbiberit dives. Neque quisquam bibere compellitor, qui non valeat ad compotationem. Ne liceat ipsis, neque saltatorem, neque citharœdum inducere, nisi qui nuper discere cœperit. Quod si cui libeat dicteriis uti, liceat, sed hactenus adhibeatur modus, ut ne sint molesta. Super omnia, pro nucibus ludunto talis. Si quis deposita pecunia talis luserit, in posterum usque diem jejunato. Et maneto quisque, & abito cum voluerit. Porro cum dives famulos suos convivio accipiet, tum amici quoque una cum ipso ministranto. Leges hasce singuli divites, æreæ columnæ inscriptas, in aulæ meditullio habento, ac legunto. Atque id quidem sciendum est, quoad ea columna manebit, neque fames, neque pestilentia, neque incendium, neque quicquam alioqui molestum, in illorum domum subibit. Quod si quando (id quod Dii prohibeant) tollatur, abominanda sunt, quæ illis tum eventura.

EPISTOLÆ SATURNALES.

EGO SATURNO SALUTEM.

EQUIDEM & antea tibi scripsi, significans quonam in statu essem, & quemadmodum ob inopiam mihi periculum esset, ne solus omnium, expers relinquerer solennitatis, quam indixisti. Addidi & illud (nam memini) iniquissimum esse, si nostrum alii opibus ac deliciis superfluerent, nihil ex suis facultatibus impertientes pauperioribus, alii rursum fame contabescerent, atque id quidem instantibus Saturnalibus. Verum quoniam tum ad meas literas nihil respondisti, operæ precium existimavi, te denuo iisdem de rebus commonefacere. Tuum erat optime Saturne, sublata hac rerum inæqualitate, bonisque in medio depositis, postea celebrandum festum edicere. Nam uti nunc res habent, formica camelus, quemadmodum ajunt proverbio. Quin magis Tragœdiæ histrionem animo concipe, qui altero pede præaltis cothurnis sublimis insistat, cujusmodi sunt Tragica calceamenta, altero vero sit incalceatus. Is si ad hunc modum instructus ingrediatur, vides necessario futurum, ut nunc excelsus sit, nunc humilis, prout hunc aut illum pedem vicissim promoverit. Nec minor est in vita nostra inæqualitas, dum illi cothurnis fulti, adornante fortuna, Tragœdias in nos agunt. Contra magna pars pedibus, atque humi ingredimur, quum & ipsi, scias velim, nihilo deterius illis fabu-

A lam agere possimus, atque ingredi, si quis nos quoque ad eundem istum modum adornarit. Atqui ex Poetis audio, nihil harum rerum inter homines fuisse olim, quum tu solus adhuc imperium teneres. Verum tellus illis citra serendi, arandique laborem bona progignebat, cœnam, unicuique paratam, vel ad satietatem usque. Porro flumina partim vinum, partim lac, erant autem & quæ mel manabant. Quodque est omnium maximum, ajunt illos ipsos homines aureos fuisse. Cæterum paupertatem omnino procul ab illis abfuisse. Nos contra non satis idonei sumus, qui vel plumbum videri possimus, aut si quid etiam plumbo vilius, ut quorum plerisque victus labore quæritur, ac passim paupertas, B egestas, ac desperatio, & illud: Hei mihi, & unde inveniam, & o fortunam, atque id genus alia permulta, apud nos nempe pauperes abundant: quanquam his de rebus levius discruciaremur, nisi divites conspiceremus tanta fruentes felicitate. Qui quidem quum tantum auri, tantum argenti conditum habeant, tantum vestium possideant, tot mancipia, tot currus, familias, agros, atque harum rerum omnium magnam vim teneant, tamen adeo nobis nihil unquam de eis impertiunt, ut plebejos homines ne aspectu quidem dignentur. Hæc, inquam, sunt, Saturne, quæ nos enecant maxime, planeque rem intolerandam arbitramur, hunc in purpura accumbentem, tantis opum deliciis affluere, ructantem interim, & applaudentibus amicis, perpetuo C festum diem agere: me vero, meique similes, somniorum conjecturas interpretari, sicunde forte quatuor oboli contingant, quo videlicet pane polentave expleti dormire queamus, nasturcium, aut porrum, cepasve aliumve opsonii vice arrodentes. Aut hæc igitur Saturne ad æquabilitatem vitæ mutes corrigasque necesse est, aut quod est postremum, illis ipsis interdicas divitibus, ne soli bonis fruantur, verum e modiis auri tam multis vel heminam in omneis nos dispergant. Porro ex vestibus, si quas jam a tineis exesas, citra suum incommodum dare possint, malintque hæc prorsus vetustate situque peritura, nobis dare qui induamur, quam sinere ut in cubilibus ac scriniis multa carie computrescant. Præterea ut cœnent singuli, nunc quaternis, nunc quinis pauperibus ad convivium adhibitis. Haud isto quidem pa- D cto, quo his temporibus convivia peraguntur, verum popularius, ut æqua sit omnium portio, neque ut hic opsoniis ingurgitet sese, famulo interim adstante atque operiente, donec herus vorando præfocetur. Cæterum ubi ad nos venerit, quum vix etiam apparaverimus admovere manum, protinus ad alios transferatur, patina tantum ostensa, vel si quid de placenta reliquum est. Neque illatum aprum ita partiatur, ut domino totum dimidium apponat, una cum capite, reliquis autem ossa tecta apponat. Utque præmoneantur pincernæ, ne contentur donec unusquisque nostrum septies poscat bibere, sed semel jussi protinus infundant, & ingentem calicem impletum tradant æque atque ipsi domino, utque unum & idem vinum convivis sit omnibus. E Alioqui ubi nam ista lex scripta fuit, aut receptus mos, ut hic vino odorato generosoque temulentus sit, mihi contra musto disrumpatur alvus? Hæc si correxeris novarisque Saturne, tum demum effeceris, ut vita vere vita sit, festum vere festum: sin minus, illi quidem epulentur, nos autem interim sedentes precabimur, ut simul atque loti venerint, puer subversam amphoram rumpat, utque coquus jus adurat, ac per oblivionem muriam piscium in lentem infundat, utque canis in domum irruens opsoniorum artificibus alibi intentis, exta devoret universa, præterea placentæ dimidium: utque sus ac cervus, neque non suculæ inter assandum idem faciant, quod Homerus de solis bobus commemorat: imo uti non serpant solum, verumetiam una cum ipsis verubus in montem abripiant sese fugiantque: utque ipsæ F etiam aves pingues, jam ademptis plumis, & ad coquendum apparatæ, volatu aufugiant, ne soli illis fruantur: quodque futurum est illis gravissimum, ut formicæ tales, quales feruntur Indicæ, aurum e thesauris effossum, noctu in publicum efferant: utique vestis curatorum indiligentia ita ab optimis muribus perforetur, ut cribrum videri possit, nihilque differat a casse venatorio: utque formosi illorum comatique puelli (quos Hyacinthos, aut Achilles, aut Narcissos appellare solent) dum ipsis poculum porrigunt, subito defluente coma calvi fiant, & acutam edant barbam, cujusmodi in Comœdiis induci solent Sphenopogones, quibus a cu-

cuncata barba nomen inventum est: utque vertex illis aspe-ris ac pungentibus pilis sit hirtus, reliqua capitis parte nuda. Hæc atque his etiam plura illis imprecabimur, nisi desinant usque adeo suis privatim studere commodis, velintque in commune divites esse, nobis quoque quantum æquum est impertientes.

SATVRNVS MIHI CHARISSIMO SALVTEM.

Quid tu, obsecro, nugas istas ad me, ac de rebus hujusmodi scribis, jubesque ut de integro bonorum faciam partitionem? quod quidem alterius munus fuerit, penes quem nunc est imperium. Etenim demiror te, si solus omnium ignoras, quemadmodum jampridem regnare destiterim, ac privatus esse cœperim, liberis partitus imperium, quanquam Jupiter præcipue rerum istiusmodi curam agit. B Porro mea potestas non nisi ad taxillos usque, saltationes, cantiones, & ebrietatem valet, idque septem non amplius diebus. Itaque gravioribus in causis, de quibus scribis, videlicet de tollenda rerum inæqualitate, utque ex æquo omnes aut opibus abundent aut egeant, Jupiter vobis operam dabit. Quod si quid in iis quæ ad festum pertinent, vel fraude detractum est alicui, vel additum, id erit mearum partium judicare. Jamque scribo divitibus de cœnis, deque auri hemina, neque non de vestibus, ut vobis quoque ad celebrandum festum nonnihil mittant. Quandoquidem æqua sunt ista, decetque illos facere quemadmodum prædicatis, nisi forte habent isti quod probabiliter ad hæc respondeant. C In summa tamen illud scitote pauperes, vos longe falli, neque recte judicare de divitibus. Siquidem illos felices arbitramini, solosque suavem vitam vivere, propterea quod illis liceat opipare cœnare, vino suavi inebriari, formosis frui mulieribus, vestibus uti delicatis, verum istam felicitatem cujusmodi sit ignoratis: siquidem hæ res non mediocribus curis eos distorquent, sed singulis invigilare coguntur, ne quid rerum domesticarum dispensator fraudet, aut clanculum suffuretur, ne vinum acescat, ne frumentum vermibus corrumpatur, ne latro tollat pocula, ne populus credat calumniatoribus, si illum dixerint affectare regnum. Atqui hæc quidem quota pars est eorum, quæ istos discruciant? Quod si nossetis metus & curas, quibus obnoxii sunt, plane fugiendas vobis esse divitias existimaretis. D Alioqui creditis vel meipsum usque adeo insanum, ut si præclara res esset opulentia, aut regnum, depositurus hæc, aliisque ea cessurus fuerim, paterer que ut nunc privatus alieno parerem imperio? Quin potius quum non essem ignarus hujusmodi malorum quæ plurima divitibus ac Regibus adsint necesse est, imperium deposui, idque sapienter. Nam quod tu nunc apud me Deos obtestans deplorabas, illos apris ac placentis expleri, vos contra nasturcium, porrumve aut cepe per festi tempus, opsonii loco arrodere, cujusmodi sit considera. Etenim in præsens quidem utrumque dulce est illis, minimeque molestum. At postea res invertitur. Quandoquidem vobis deinde non accidit, ut postridie surgatis, capitis dolore gravati ob temulentiam, quemadmodum illi, neque ob immodicam ingurgitationem grave olentem, & acrem spiritum ructatis. E At illi hoc quoque fructus ferunt, ut quoniam magnam noctis partem vario coitu pro libidinis arbitrio transigunt, facile sibi, vel tabem, vel tussim, vel morbum intercutem, ex intemperato voluptatum usu colligant. Alioqui quotumquemque potes ostendere, qui non plane palleat, ac faciem cadaverosam præ se ferat? Quotumquemque autem, qui cum ad senectutem pervenerit, suis ipsius pedibus ingrediatur, ac non potius a quatuor bajulis gestetur? foris quidem totus aureus, intus putris, ac pannosus, cujusmodi sunt Tragica indumenta, ex pannis admodum vilibus consarcinata. F Vos autem quum molestum est, quod de piscibus gustare non liceat, quod inedia laboratis, non illud item cogitatis, eosdem & podagræ, & tussis expertes esse, aut si quid aliud aliam ob causam illis incommodi contingit. Quanquam nec illis ipsis æque dulce est, quotidie, supraque satietatem istis vesci. Quin potius videas eos nonnunquam ita olus ac lupinum appetere, ut tu non æque leporem appetas, aut aprum. Ut de reliquis interim sileam, quæ illos discruciant, puta si filius sit luxuriosus, si uxor vel amans, vel amata a famulo, coacta magis quam ex animo cum illo dormiat. In summa multa alia sunt, quæ vos ignorantes, tantum aurum illorum ac purpuram videtis. Tum si quando videtis eos albo provehi curru, inhiatis & adoratis. Quod

A si illos contemneretis, negligeretisque, neque ad argenteum currum oculos haberetis intentos, neque inter colloquendum, smaragdum annulo inclusum respectaretis, neque vestes obiter contrectantes mollitiem admiraremini, sed sineretis eos ipsos sibi divites esse, haud dubie futurum sit, ut ipsi vos ultro adirent, ad cœnam rogarent, nimirum ut vobis ostendere possint lectos, mensas, ac pocula. Quarum rerum nulla sit utilitas, si sine teste possideantur. Certe reperiretis pleraque hæc illos vestra causa parare, non quo utantur ipsi, sed uti vos admiremini. Hæc ad consolandos vos scribo, utramque vitam cognitam habens. Conveniteque ita festum agere, ut cogitetis omnibus brevi decedendum e vita, & illis, depositis opibus, & vobis, relicta paupertate. B Quanquam & illis scribam, sicuti sum pollicitus, certum scio eos non neglecturos literas meas.

SATVRNVS DIVITIBVS S.

Pauperes nuper ad me datis literis incusarunt vos, qui nihil ipsis ex facultatibus quas possidetis, impertimini: atque omnino postularunt, ut omnia bona facerem omnibus communia, ut ad singulos illorum sua pars rediret. Æquum enim esse, ut rerum æqualitas constituatur, neque decere, ut huic supersit, ille nullo modo sit particeps voluptatum. Ego vero respondi, hisce de rebus rectius Jovem consideraturum. Cæterum de præsenti negocio, deque injuriis, quibus sese per festos dies affici putant, videbam mei officii esse sententiam ferre, sumque pollicitus me vobis scripturum. C Sunt autem quæ postulant hæc, ut mihi quidem videtur, æqua. Nam quo pacto, inquiunt, tanto frigore horrentes, tantæque obnoxii esuritioni, postea diem etiam festum celebrare possimus? Quare si vellem & illos festi participes esse, postularunt ut cogerem vos, ut & de vestibus illis impertiamini, si quæ supersunt pinguiores, quam quæ vobis conveniant, utque de auro nonnullas guttulas in illos destilletis. Quod si ista feceritis, inquiunt, non erit amplius disceptatio inter vos de bonis apud Jovem. Sin minus, minitantur sese ad novam rerum partitionem provocaturos, ut primum Jupiter pro tribunali sedere cœperit. Atque hæc quidem facere vobis nequaquam grave fuerit, impertiri nonnihil de tantis opibus, quas possidetis, & recte possidetis. D Quin de cœnis quoque, ut vobiscum cœnarent, & hoc literis addendum putarunt, quemadmodum vos in præsentia foribus occlusis, soli deliciis frueremini. Quod si quando vobis visum fuerit, & illorum quempiam post longum tempus convivio adhibere, plus esse molestiæ in cœna, quam voluptatis, multaque illic in pauperum contumeliam fieri: velut illud, cum non eodem de vino bibant, Dii boni, quam illiberale: plane dignum, in quo & illi debeant accusari, qui non surgant potius, abeantque, toto convivio vobis solis relicto. Quanquam negant sese etiam ad satietatem ex illo qualicunque vino bibere. Propterea quod vestri pincernæ, aures habeant cera obturatas, quemadmodum olim Ulyssis socii. E Porro reliqua usque adeo sunt turpia ut pigeat commemorare, quæ de carnium partitione criminantur, deque ministris, qui cum vobis assistant, donec plusquam ad plenum expleamini, ipsos prætercurrunt, aliaque hujus generis permulta sordida, minimeque digna viris ingenuis. Proinde æqualitas, res est omnium jucundissima, maximeque conviviis congruens. Atque hac de causa, vobis æquus ille partitor in conviviis præficitur, ut æquam omnes habeant portionem. Videte igitur ne posthac vos iterum accusare possint. Quin potius honorabunt vos, & amabunt, si paucula ista a vobis acceperint, quorum impendium a vobis nec sentiretur quidem, penes illos muneris in tempore dati memoria semper mansura est. F Præterea nec Rempublicam administrare possitis, ni pauperes una vobiscum in ea versentur, milleque modis felicitatem vestram adjuvent. Neque enim habituri estis, qui divitias vestras suspiciant, si soli atque apud vosipsos in tenebris eas possideatis. Videat igitur vulgus, mireturque vestrum argentum, mensas, & quemadmodum præbibentes ad potandum invitetis. Dein illi inter bibendum poculum undique contemplentur, ac pondus expendant, manu librantes. Tum argumenti absolutam cælaturam. Tum auri vim, vicissim artem condecorantis. Nam in istum modum, non solum illi vos probos viros & humanos prædicabunt, verum etiam invidiam illorum effugietis. Quis enim invideat impertienti, dantique quod æquum est? Quis non potius optet, ut quam diutissime

me vivens, bonis suis fruatur? Verum ut nunc res vobis A habent, & felicitas vestra teste caret, & divitiæ invidiosæ, & insuavis vita. Neque enim perinde juvat, opinor, si quis solus expleatur, quemadmodum ajunt leones facere, & ex luporum genere, quos solitarios vocant, quam si cum lepidis hominibus, ac per omnia gratificari paratis, convivatis. Qui primum non sinent convivium surdum aut mutum esse, verum consuetudine sua fabulas conviviis aptas, dicteriaque minime molesta, variasque voluptates adferent. Quibus rebus tempus jucundissime transigitur. Idque gratum est Baccho, gratum Veneri, gratum etiam Gratiis. Deinde postero die, dum comitatem vestram referunt, benevolentiam vobis conciliant. Hæc etiam magno fuerant emenda. Nam illud a vobis sciscitabor, si pauperes abeant taci- B ti, sic enim fingamus, nonne vos ea res ureret, cum non haberetis, quibus ostentaretis purpureas vestes, comitum multitudinem, anulorum magnitudinem? Neque jam libet referre, necessario futurum ut pauperum insidiæ atque odia in vos oriantur, si soli deliciis frui velitis. Nam quæ minantur vobis imprecaturos sese, prorsus abominanda sunt. Ac dii prohibeant, ne unquam ad ejusmodi imprecationes venire cogantur. Quandoquidem si id fiat, neque intestina posthac gustabitis, neque placentam, nisi si quid canis reliquum fecerit. Præterea lenticula saperdæ liquamen vobis habebit. Porro sus aut cervus interim dum assantur, e veru in montes aufugere parabunt. Tum aves quoque pingues absque alis fugam molientes, ad pauperes avolabunt. Denique quod est omnium gravissimum, pocillatores formosissi- C mi repente vobis calvi fient, idque etiam fracta amphora. Super his rebus consulite, quæ & festo sint digna, & vobis quam maxime tuta, atque illis paupertatis onus sublevate, exiguo vectigali illos amicos habituri, neutiquam malos.

DIVITES SATURNO S.

NUM putas, Saturne, de rebus istis ad te solum scripsisse pauperes? Quin potius Jovis ipsius aures jam obsurduerunt illorum querelis, dum hæc eadem vociferantur, ac novam rerum partitionem flagitant, ac simul & fatum incusant, quod non æqualiter distribuerit, & nos, quod nihil ipsis velimus impertiri. Verum novit ille, quippe cum sit Juppiter, penes quos sit culpa, eoque illos plerumque obaudit. Nihilominus tamen purgabimus nos tibi, quando- D quidem hoc certe tempore princeps noster es. Nos enim omnia ista quæ scribis, ob oculos habentes quam sit honestum de magna rerum copia opitulari iis, qui indigent, quantoque sit jucundius, simul cum pauperibus versari, & convivium agitare, ad eum modum assidue facimus, adeoque in ratione vitæ nos æquamus, ut nihil possit incusare is, quem ad convictum admittimus. Verum illi primum ajunt sibi paucis opus. Deinde ubi semel illis fores aperuerimus, nunquam desinunt alia super alia postulare. Quod nisi protinus omnia, simulque cum dicto acceperint, mox paratum odium, in promptu convitia, etiam si quid de nobis sit mentiendum. Porro qui audiunt, fidem illis habent, rati videlicet illos probe scire quæ dicunt, propterea quod nobiscum E consuetudinem habuerint. Ita fit, ut in alterutrum incidamus, ut aut si nihil demus, illos prorsus habeamus hostes, aut profusis omnibus, ipsi protinus egeamus, jamque in pauperum gregem veniamus. At cætera quidem utcunque ferenda sunt, verum inter cœnas ipsas non satis habent ingurgitari cibis, atque alvum explere, sed iidem ubi plus satis adbiberint, tum vel puellæ formosæ cyathum porrigentis manum vellunt, aut concubinam, uxoremve sollicitant. Postremo convomito convivio, postero die nobis obtrectant, narrantes quemadmodum sitierint, esurierintque. Quod si hæc adversus illos mentiri videmur, vester ille parasitus Ixion in memoriam redeat, qui ad communis mensæ F honorem admissus, ac vobis dignitate æquiparatus, jam ebrius vir ille egregius, Junonem adortus est. Hæc atque hujusmodi sunt, propter quæ in posterum statuimus, quo res nostræ sint in tuto, ne posthac illis in domum aditum præbeamus. Quod si te auctore, pacto recipiant, sese moderate petituros, quemadmodum nunc ajunt, neque quicquam flagitiose in compotationibus admissuros, age, convivant nobiscum, simulque cœnent bonis avibus. Ac de tunicis, sicuti jubes, mittemus, & de auro, quantum facultas patietur, ac sumptus augebimus: in summa, nihil omittemus officii nostri, modo vicissim desinant ipsi arte nobiscum vivere, sintque pro parasitis & adulatoribus amici. Ita nihil erit, quod in nobis desideres, si ipsi quoque suo fungi volent officio.

DE LUCTU.

OPERÆPRECIUM, sane fuerit observare ea, quæ in luctu vulgo tum dicantur, tum fiant, item quæ dicantur ab iis, qui eos consolantur scilicet, quamque non ferenda putent lugentes ea quæ sibi acciderunt, & sibi ipsis, & iis quos flent: cum haud quaquam pernoverint mala ne sint ista, ac dolenda, an contra jucundiora melioraque iis quibus accidunt: sed ex more & consuetudine dolorem accersunt. Itaque cum mortuus fuerit aliquis, faciunt ad hunc modum. Quin prius volo tibi narrare, quas habeant de morte ipsa opiniones. Sic enim palam fiet, qua gratia supervacanea ista moliantur. Vulgi quidem hominum multitudo, quos sapientes isti vocant idiotas, Homero, Hesiodo, reliquisque fabularum auctoribus, super his fidem habentes, & illorum Poesim pro lege ducentes, locum quendam subter terram profundum esse putant, quem Tartarum vocant. Eum existimant magnum & spaciosum esse, caliginosum atque opacum, qui tamen istis haud scio quo pacto illustrari videtur, quo singula quæ illic sunt, introspiciant. Tum regnare in hoc specu Jovis fratrem, cui nomen Plutoni, ut mihi retulit quidam harum rerum mire peritus, ob id eo vocabulo honestatum, quod mortuorum copia dives esset. Porro Plutonem hunc inferorum Rempublicam, & manium vitam constituisse in hanc formam. Nam sorte obtigisse huic, ut vita defunctis imperaret. Quos ubi demissos receperit, arreptos vinculis ineffugibilibus coercet, nulli prorsus permittens, ut ad superos redeat, præterquam admodum paucis ex universo ævo, idque gravissimis de causis. Interluitur autem regio illius, fluviis & magnis & horrendis, vel solo nomine. Siquidem Cocyti, Phlegetontes atque hujusmodi vocabulis appellantur. Quodque est gravissimum, præjacet Acherontica palus, quæ prima excipit obvios, quam non possis neque transmittere, neque transire sine vectore. Nam & profundior est, quam ut pedibus transiri possit, & spaciosior, quam ut tranari queat. In summa hujusmodi est, ut nec avium manes possent eam transvolare. In ipso vero descensu, portaque, quæ quidem est adamantina, Æacus est, regis patruelis, cui mandata est custodia, juxtaque hunc canis triceps, asper admodum. Is advenientes satis amice, pacateque intuetur. Cæterum si quis conetur aufugere, latrat, territosque in specum redigit. Jam qui transmissa palude ingressi sunt, eos excipit pratum ingens, asphodelo consitum, ac fluvius memoriæ hostis, eoque Lethe nomen est inditum. Nam hæc videlicet priscis illis mortalibus narrarunt, qui illinc redierant: nempe Alcestis & Protesilaus, Thessalus uterque, neque non Theseus Ægeo prognatus, & Homericus Ulysses, testes admodum graves, dignique quibus habeatur fides: qui mihi non videntur e fonte illo bibisse, alioqui non meminissent horum. Itaque Pluto & Proserpina, ut ajebant illi, Rempublicam administrant, rerumque omnium dominatum obtinent. Sed inserviunt his, & in administrando principatu adjuvant ingens turba, Furiæ, Pœnæ, Terrores, ac Mercurius, quanquam is sane non adest perpetuo. Præfecti autem & satrapæ & judices sedent duo, Minos & Rhadamanthus, uterque Cretensis, uterque Jovis filius. Atque hi quidem bonos ac justos viros, qui cum virtute vitam peregissent, ubi jam multi collecti fuerint, velut in coloniam quandam emittunt in campum Elysium, vitam optimam inibi victuros. Quod si malos aliquos ceperint, hos Furiis traditos, in impiorum locum ejiciunt, pro ratione malefactorum puniendos. Quo quidem in loco, quid tandem mali non patiuntur? torti, exusti, a vulturibus arrosi, rota circumacti, saxa sursum volventes. Nam Tantalus ipse ad paludem stat in periculum adductus, ne siti moriatur infelix. Rursum alii mediocris vitæ, sunt autem hi complures, vagantur in prato sine corporibus jam umbræ facti, & ad tactum ceu fumus evanescentes. Aluntur autem videlicet nostris libationibus inferiisque, quæ sepulchris inferuntur. Adeo ut si cui nullus sit in terra reliquus amicus aut cognatus, hic mortuus, jejunus ac famelicus inter illos versetur. Hæc usque adeo valide vulgi animos pervaserunt, ut simul atque familiaris quispiam mortuus fuerit, primum obolum illi in os imponant, trajectionis mercedem, quam vectori daturus sit: nec illud

prius expendunt, cujusmodi nomisma legitimum sit, ambu- A letque apud inferos, & apud illos valeat, Atticus, an Macedonicus, an Æginensis obolus. At ne id quidem cogitant, multo satius esse non posse naulum reddere. Sic enim fiet, ut non recipiente portitore, postliminio redeant in vitam. Post hæc lotos eos, perinde quasi tartarea palus non satis sit idonea lavandis his qui illic degunt, & unguentis optimis uncto corpore, jamque victa graveolentia, tum coronatos pulcherrimis floribus proponunt splendide vestitos: ne videlicet algeant per viam, neve nudi conspiciantur a Cerbero. Accedunt ad hæc mulierum ejulatus, omnium certe lachrymæ, pectorum planctus, comæ dilaniatio, genarum cruentatio. Aliis autem & vestis discerpitur, & pulvis capiti inspergitur, adeo ut viventes miserabiliores sint mortuo. Nam illi humi volutantur sæpenumero, capita solo allidunt. B Hic vero decorus ac formosus, ac diligentissime coronatus, sublimis propositus est, & excelsus, velut ad pompam adornatus. Deinde mater, atque adeo pater quoque ex mediis cognatis progressus, ac mortuo circumfusus (Nam finge juvenem aliquem, ac formosum propositum esse, quo magis in hunc competat actio fabulæ) absurdas ac stultas voces emittit: ad quas mortuus ipse responsurus sit, si contingat vocem recipere. Ait enim pater, flebili quadam voce verbum unumquodque producens in longum: Fili jucundissime, periisti mihi, mortuus es, ante diem præreptus es, me super hac misero solo relicto. Non duxisti uxorem, non parasti liberos, non militasti, non coluisti agros, non ad senectam pervenisti, non comessaberis posthac, non amabis fili, C neque cum æqualibus in compotatione inebriaberis. Porro hæc atque id genus alia dicet, quasi putet filium adhuc rebus his egere post obitum, ac desiderare quidem, verum potiri non posse. Sed quid hæc loquor? Quot enim sunt qui equos ac concubinas, rursum alii, qui pincernas etiam in funere mactarunt, qui vestem, reliquumque mundum pariter in rogum injectum exusserunt, aut una cum cadavere sepelierunt, perinde quasi illic sit usurus, & apud inferos fruiturus? At senex iste luctum agens, hæc omnia atque his etiam plura, quæ dicit, neque filii causa jactare videtur, ut quem sciat non auditurum, etiam si Stentorem clamore vincat, neque rursum sua ipsius gratia. Satis enim erat illi, cogitare & cognoscere, vel sine voce. Nihil enim opus est, ut quis apud sese clamet. Superest igitur, ut ad hunc modum deliret ob eos qui adsunt, D cum nesciat neque quid acciderit ipsi filio, neque quo concesserit: imo cum ne suam quidem ipsius vitam, cujusmodi sit perpenderit. Neque enim alioqui ceu rem acerbam graviter ferret, illum ex hac demigrasse. Filius igitur huic ita responderit, exorato Æaco atque Orco, quo liceat tantisper e specu proferre caput, dum patrem insanientem compescat. Homo infelix quid clamas? Quid mihi molestus es? Desine vellicare comam, ac vultus etiam cutem lacerare. Cur mihi convitium facis, ac miserum appellas, & infortunatum, qui jam sim te multo tum melior, tum felicior? Aut quid acerbi mihi putas accidisse? An quia non sim factus senex talis, qualis es tu, capite calvo, facie rugosa; incurvus genibus, segnis, in summa, totus ætate putris, E multis expletis Triacadibus & Olympiadibus, denique ad istum modum delirans apud testes tam multos? O demens, quid tibi videtur in vita boni, quo posthac non simus potituri? Nimirum compotationes dicis, ac cœnas, vestemque & concubitus, eoque metuis, ne rerum harum inopia peream. Non cogitas autem, longe bellius esse, non sitire, quam bibere, non esurire, quam edere, non algere, quam vestibus abundare. Age igitur, quandoquidem ignarus videris, docebo te lugere verius. Jamque denuo incepto luctu, clama. Fili miser, non amplius sities, non amplius esuries, non amplius algebis. Periisti mihi infelix, quod morbos effugeris, qui febrem jam non timeas, non hostem, non tyrannum: non amor discruciabit te, non avocabit coitus, neque hujus rei causa bis aut ter quotidie perdes impensam. Heu calamitatem. Neque contemneris factus senex, neque molestus eris juvenibus, si quando conspiciaris. Hæc si dixeris pater, an non putas te multo veriora, magisque ridicula dicturum, quam ista quæ modo? At vide ne illud te male habeat, dum noctem, quæ apud nos est, magnamque cogitas caliginem: proinde metuis, ne tibi præfocer, conclusus in monumento. Verum in his illud oportebat perpendere, oculis putrefactis, atque adeo exustis (siquidem paulopost exurere me decrevistis) nihil opus erit, nec ad tenebras, nec ad lumen inspiciendum. Atque ista fortassis utcunque ferenda. Verum ejulatus iste vester quid mihi confert? aut quid ista pectorum ad tibiæ modos percussio? aut quid mulierum immodica lamentatio? Quid autem saxum, quod sepulchro imponitur, coronis ornatum? Aut quid valet, quod merum infunditis? Num putatis illud ad nos destillaturum, & ad Orcum usque permeaturum? Nam de parentalibus ipsi quoque, ni fallor, videtis quod ex apparatu potissimum ad nos redire debuerat, id fumo correptum, sursum in cœlum abire, neque quicquam juvare nos, qui inferne agimus. Porro quod superest, pulvis est inutilis, nisi creditis nos cinere vesci. Non est usque adeo sterile, neque infrugiferum Plutonis regnum, neque nos destituit Asphodelus, ut a vobis cibos huc deportemus. Itaque juro pro Tisiphonen, jampridem mihi libebat vehementer exclamare super his, quæ & faciebatis, & dicebatis, sed vetabat linteum ac lanæ, quibus mihi fauces obligastis.

Atque ita profato, mors ultima lumina clausit.

Sed dicito per Jovem, si conversus ad eos mortuus ille loquatur hæc, cubito innitens, an non videbitur rectissime dicturus? Attamen vecordes isti vociferantur, & accersito quopiam lamentorum artifice, qui multas antiquas calamitates in unum congerat, certaminis adjutore, & amentiæ chorago abutuntur, ubicunque cœperit ille, ipsi ad melos ejulatu respondentes. Verum quantum ad lamentationes attinet, omnibus eadem est ineptiendi consuetudo. At deinceps sepulturæ rationem in varios dividunt modos. Nam Græcus exurit, Persa defodit, Indus vitro oblinit, Scytha devorat, muria condit Ægyptius. Atque hic quidem (rem a me visam narro) desiccatum cadaver, convivam & compotorem adhibet: fit autem frequenter, ut Ægyptium aliquem indigentem pecuniæ, levet egestate pignus frater aut pater in tempore factus. Nam libationes, pyramides, columnæ, tituli, ad breve tempus duratura, an non supervacanea, & ludicris simillima? Sunt vero qui ludos quoque constituant ad sepulchrum, ac funebres orationes habeant, perinde quasi patrocinentur, ac testimonium perhibeant defuncto apud inferos judices. Post hæc omnia, superest exequialis cœna. Jamque adsunt necessarii, ut defuncti parentes consolentur, suadentque uti cibum capiant, quanquam illi per Jovem non illibentes ad id compelluntur, quippe perpetuum jam triduum enecti fame. Et quousque quæso flebimus? Sine quiescant Plutonis manes. Quod si tibi deliberatum est omnino flere, vel ob hoc ipsum cibus est capiendus, quo tanto luctui par esse possis. Tum denique, tum ex omnibus contexuntur duo versus Homerici:

Nam cœpit meminisse cibi Niobe auricapilla.

Tum illud:

Vita defunctos flere haud sinit alvus Achivos.

At capiunt quidem illi, sed initio pudibundi, verentesque ne post carissimorum obitum videantur adhuc affectibus humanis commoveri. Hæc atque his longe magis ridicula reperiet, quisquis observarit ea, quæ fiunt in luctu, propterea quod vulgo existiment mortem summum esse malum.

ABDICATUS LUCIANI,

DESIDERIO ERASMO ROTERODAMO INTERPRETE.

Quidam Abdicatus artem Medicinæ didicit. Patrem insania laborantem, reliquis Medicis desperantibus, dato pharmaco cum sanasset, denuo receptus est in familiam. Post hæc novercam insania correptam sanare jussus, abdicatur.



AUD quaquam nova sunt hæc judices, neque miranda, quæ in præsentia facit pater, neque nunc primum ad hunc irascitur modum, verum hæc lex illi facilis est, & assuetus ad hanc causam accedit. Verum illud mihi novo calamitatis genere accidit, quod cum nullum proprium sit crimen, quod mihi possit imponi, tamen in periculum vocor, ne pœnas dem artis nomine, nisi huic jubenti per omnia parere possit. Qua quidem re quid fieri possit absurdius? uti curem ex præscripto, non jam quatenus ars valeat, sed patris arbitratu. Quare optarim equidem ut Medicorum ars, ejusmodi quoque remedium aliquod haberet, quod non modo laborantes insania, verumetiam præter æquum irascentes liberare possit, nimirum quo liceat & patris iracundiæ mederi. Nunc autem ipsa quidem insania levatus est, cæterum iracundia magis etiam exasperatur. Quodque est omnium gravissimum, erga cæteros omneis sanus est, in me unum insanit, a quo morbo fuit liberatus. Videtis igitur cujusmodi mercedem curationis feram, cum rursum ab illo abdicor, iterum alienor a familia, ceu ob idipsum ad breve tempus receptus, ut majore infamia sæpius ejicerer domo. At ego quidem in his quæ præstare queam, ne exspecto quidem patris jussum, ut qui pridem non accersitus ad opitulandum accesserim. Verum ubi res est ejusmodi, ut nulla omnino spes sit, tum nec aggredi velim. Porro in hac muliere multo etiam minus ausim, neque id temere. Siquidem reputo quæ in me facturus sit pater, si res non successerit, cum jam abdicet nondum aggressum curationem. Quare doleo Judices, novercæ vicem, graviter laborantis. Erat enim proba. Deinde patris nomine, quem hujus morbus excruciat. Maxime tamen mea ipsius causa, qui videar immorigerus patri, cum non possim quæ jubeor præstare, partim ob morbi magnitudinem, partim ob artis imbecillitatem. At sane non arbitror æquum esse ut abdicer, si quod efficere non queam, id ne recipiam quidem. Itaque quibus de causis prius abdicarit me, facile fuerit ex hoc negocio conjicere. Quanquam ad illas, opinor, satis respondi, ipsa post acta vita. Ad hæc autem quæ nunc objicit, pro virili sum responsurus, si prius de statu meo pauca vobis exposuero.

Ego intractabilis ille, & immorigerus, patrem dedecorans, & indigna genere meo patrans, id quidem temporis multa id genus vociferanti, ac sine fine occlamanti, paucis contradicendum esse duxi. Verum domo cedens, existimavi mihi gravissimi judicii instar fore, verumque calculum, ita actam deinde vitam, ut appareret me a paternis illis criminibus quam longissime abesse, sed potius honestissimis studiis dedisse operam, cumque optimis viris habuisse consuetudinem. Jam vero & ejusmodi quiddam prospiciebam, ac suspicabar fore, ut aliquando pater, qui non admodum animo constaret, mihi sine causa succenseret, falsaque in filium crimina strueret. Neque deerant qui ista morbi initium interpretarentur, minasque ac tela paulopost irruituri mali. Nempe odium absque causa, mores asperos, convitia parata, censuram severam, clamorem, iracundiam, in summa, omnia plena bilis, unde usu venturum credebam, ut mihi aliquando arte Medicinæ foret opus. Proinde foras profectus, ac probatissimorum, quos in peregrinis regionibus nancisci potui, Medicorum usus doctrina, plurimo labore, vehementique animi studio artem perdidici.

Porro domum reversus, offendo patrem manifesta jam insania laborantem, & ab hujus loci Medicis desperantibus destitutum, qui non altius introspiciunt, nec admodum exacte morbos dijudicant. At ego sane sicuti par erat facere frugi filium, nec superioris abdicationis injuriam recordabar, neque ut accerserer operiebar. Neque enim erat quicquam, quod illi proprie imputare possem. Verum peccata illa omnia fuerant aliena. Nempe quemadmodum modo dicebam, ipsius morbi. Ergo cum invocatus accessissem, non sum equidem protinus medicatus: neque enim hic nobis mos est, neque id præcipit ars: verum illud omnium primum jubemur observare, sanabilis ne sit morbus, an insanabilis, atque artis terminos prætergressus. Ac tum si ejusmodi fuerit malum, ut commode possimus aggredi, aggredimur, totoque adnitimur studio, ut ægrotum servemus. Quod si viderimus jam invaluisse, superasseque, nec manum admolimur omnino, idque vetustam quandam legem eorum, qui primi Medicinæ prodiderunt artem, secuti: qui negant tentandos esse morbos, qui jam invaluerunt. Itaque cum patrem adhuc intra spem esse perspicerem, neque malum supra artis vires esse, diu observatis ac pensitatis singulis, ita demum aggrediebar, ac pharmacum fidenti animo porrexi. Multi sane eorum qui tum aderant, suspectam habebant administrationem pharmaci, calumniantes curationem meam: jamque parabant in jus vocare me. Aderat autem & noverca pavida atque diffidens, non id quidem odio mei, sed quod metueret, utpote probe sciens illum graviter laborare. Nam sola noverat omnia, quippe familiaris & assidue convivens ægrotanti. Attamen ego nihil his rebus deterritus, sciebam enim futurum ut mihi signa non mentirentur, neque falleret ars, adhibui curam, observato tempore idoneo. Quanquam erant amici nonnulli, qui mihi consilium darent, ne fiderem, ne forte si res male successisset, majorem aliquam calumniam mihi accerserem, quasi patrem veneno ultus essem, memor injuriarum, quibus me affecerat. In summa, ille protinus convaluit, pristinæ redditus sanitati, cognovitque omnia. Familiares admirabantur: denique laudabat & noverca, ac palam omnibus utriusque nomine gaudebat, tum mihi laudem assecuto, tum illi ad sanam mentem reverso.

Atque hic quidem, nam illud de eo testari possum, neque cunctatus, neque quopiam his de rebus in consilium adhibito, simulatque rem omnem e familiaribus cognovit, irritam fecit abdicationem, ac denuo me filium fecit, servatorem ac beneficum appellans, confitens sese certum experimentum mei cepisse, deque illis ante factis semet excusans. Id factum compluribus attulit voluptatem, nimirum quotquot aderant probi. Cæterum urebat eos, quibus abdicatio filii jucundior fuerat revocatione. Proinde videbam tum non eodem modo ea re gaudentes omnes, sed erat cujus & colorem illico verti sensi, & oculos turbari, & vultum iracundum, quemadmodum ex invidia, odioque solet accidere. Nos igitur, ut est consentaneum, in complexibus & animi gaudiis versabamur, utpote utroque alteri reddito.

Cæterum noverca paulopost ægrotare protinus cœpit, morbo, judices, gravi, & impotenti. Nam statim observabam, ut nascebatur malum. Neque enim simplex erat, aut levis insaniæ species, quin potius vetus quidam morbus, qui jampridem delituerat in animi domicilio, erupit, victorque in apertum prodiit. Sunt autem nobis cum alia multa signa, insanabili laborantis insania, tum illud commune in hac ob-

servavi mulierem. In cæteros placatior est, ac mitis, atque illis præsentibus conquiescit morbus. Quod si quem conspexerit Medicum, imo si vel audierit tantum de Medico, in hunc supra modum incenditur. Quod & ipsum argumento est, illam gravi & insanabili teneri malo. Hæc cum perspicerem, equidem acerbe ferebam, miserebatque mulieris, ut debui, præter meritum tanto laborantis infortunio. Pater vero ob imperitiam, neque enim novit, vel originem mali, quo tenetur, vel causam, vel morbi magnitudinem, jussit uti medicarer, ac simile pharmacum exhiberem: arbitratus idem esse insaniæ genus, eundem morbum, eandem ægrotationem, quæ similem curandi rationem admitteret. Verum ubi id quod erat verissimum dico, fieri nullo pacto posse, ut mulier servetur, fateorque me morbo imparem esse, indignatur, ac succenset, aitque me studio detrectare, ac mulierem destituere, mihi crimini vertens artis imbecillitatem. Atque huic quidem accidit, quod solet iis qui dolent. Succensent enim omnes iis, qui libere verum loquuntur.

Tamen ego sane pro viribus illi respondebo, tum meo ipsius nomine, tum artis. Ac primum quidem a lege sumam initium, per quam hic me parat abdicare, ut intelligat sibi non esse posthac eandem abdicandi facultatem, quæ prius fuit. Neque enim legislator omnibus, o pater, istam potestatem permittit, neque uti quoslibet filios, neque quoties libuerit, abdicent, neque quibuslibet de causis: Verum quemadmodum patribus concessit, certis de causis irasci, ita prospexit & liberis, ne id immerentibus accidat. Eaque gratia jussit, ne libera esset, ac citra judicium vindicta: sed ad judices vocat, æstimatores constituit, qui neque per iracundiam, neque per calumniam, quod justum sit judicent. Noverat enim frequenter accidere multis, ut ob causas iniquas ad iram commoverentur: hic quidem alicui falsæ calumniæ credens: ille famulo fidem habens, aut uxori cuipiam inimicæ. Quare noluit rem injudicatam agi, neque indefensa causa liberos statim capi, vincirique: verum & aquam infundit, & ratio redditur, & nihil inexcussum relinquitur. Quandoquidem solum hoc auctoritatis datur patri, ut ad judices vocet: verum judicandi auctoritas, an merito accuset, id penes vos, qui judicio præsidetis ac nondum spectate crimen, quod mihi imponit, cujusque gratia nunc indignatur: verum illud prius expendite, num posthac illi jus sit abdicandi, qui semel abdicaverit, jamque sit usus facultate, quam lex concedit, atque hanc paternam potestatem expleverit, deinde rursum in familiam receperit, ac superiorem abdicationem irritam fecerit. Nam ego certe iniquissimum istud esse dico, ut liberorum quoque sint infinitæ pœnæ, ut multæ condemnationes, ac metus perpetuus: utque lex nunc irato inserviat, mox deinde faciat irritum, quod actum est: rursum ut eodem modo valeat: in summa, ut jus sursum ac deorsum torqueatur, utcunque patribus pro tempore visum fuerit. Verum initio quidem æquum erat uti concederet, cumque indignante pariter indignaretur, ac puniendi jus faceret ei, qui genuisset. Porro ubi semel potestatem absumpserit, ac lege sit abusus, iracundiam expleverit, post hæc rursum in familiam receperit, & in hanc opinionem discesserit, ut frugi putet, in his perseveret necessum est, neque postea resiliendum, aut retractanda sententia, neque rescindendum judicium. Neque enim scire poterat, opinor, is qui natus fuerat, frugi ne, an contra esset evasurus. Atque hanc ob causam permissum est, ut genere indignos abdicent, quos cum educabant, cujusmodi essent futuri nesciebant. Cæterum ubi non coactus, sed suapte sponte atque auctoritate ex sese comprobatum recipit, qua deinde ratione possit mutare factum; aut quis legis usus superest? Etenim ipse legislator hunc ad modum tecum egerit. Hic si improbus erat, dignusque quem abdicares, quid accidit uti revocares? Cur denuo in familiam reduxisti? Cur legem irritam fecisti? Nam liber eras, tibique in manu erat ista non facere. Neque enim tibi concedendum est, ut legibus tuo arbitratu abutaris, utque judicia utcunque mutatus sit animus tuus, eo trahantur. Neque uti nunc irritentur leges, nunc rursum valeant, judices interim testes sedeant, vel ut rectius dicam, ministri tuæ voluntatis, modo punientes, modo absolventes, quandocunque tibi visum fuerit. Semel genuisti, semel educasti, pro his semel item abdicare potes, atque ita potes, si istud merito facere videaris: verum ut hoc fiat sine fine, ut perpetuo, ut frequenter, ut facile, id vero supra patris jus est.

Quare per Jovem, judices, ne permittatis huic, ut qui sua sponte receperit, superioris judicii sententiam irritarit, iram damnarit, rursum ad eandem provocet pœnam, & ad patriam recurrat potestatem, cujus tempus jam excessit, evanuitque privilegium, nec huic uni quicquam valens, quippe antehac consumpta. Etenim illud considerate, quemadmodum in reliquis judiciis, ubi judices sortibus ferunt sententiam, si quis perperam pronunciatum existimat, permittitur alios adire judices. Porro si qui ipsi suapte sponte judices constituerint, delectisque arbitris causam commiserint, posthac non idem licet. Etenim si quis, quorum sententiis initio stare non cogebatur, hos sponte delegerit, jam æquum est boni consulere quæ statuerint. Itidem sane tu quoque, quem antea liberum erat non recipere, nisi dignus majoribus videretur, hunc si probum arbitratus esse, denuo recepisti, jam deinde non erit abdicandi jus. Siquidem indignum esse in quem ista denuo fiant, ipse testatus es, jam de integro frugi filium esse confessus. Itaque non convenit pœnitere receptionis, sed firma reconciliatio sit oportet, nimirum post toties pronunciatam sententiam, ac rem bis judicatam, primum cum abdicares, iterum, cum ipse mutasti consilium, meque in familiam revocasti, rescissis decretis superioribus, confirmans illa quæ postea sunt placita. Proinde persevera in his quæ proxime statuisti, tuumque ipsius judicium serva. Pater sis oportet, quandoquidem id abs te decretum, id probasti, id ratum fecisti. Ego quidem si natura non essem filius, sed adoptatum abdicare velles, ne tum quidem existimarim tibi licere. Quod enim initio liberum erat non facere, id semel factum, iniquum est rescindere. Porro eum qui primum natura sit filius, postea judicio, sententiaque accersitus, quæso num par est rursum expellere, & eadem familiaritate privare sæpius? Age quid si forte servus essem, ac tu quidem primum improbum esse ratus, in vincula conjecisses, deinde ubi cognitum est me nihil peccasse, manumisisses, num tibi liceret, utcunque contigerit irasci, rursus in eandem revocare servitutem? Minime liceret. Istiusmodi igitur acta, leges firma volunt esse, ac perpetuo valere. Ego cum pluribus etiam argumentis docere possim, non esse jus huic abdicare denuo, quem semel abdicatum, sponte sua receperit, tamen finem faciam.

Nunc spectate cujusmodi filium parat abdicare. Atque illud nondum dicam, me tum imperitum abdicatum fuisse, nunc abdicari Medicum (nihil enim mihi in hac causa suffragetur ars) tum juvenem, nunc ætate provectum, ut ætas etiam ipsa fidem faciat, me nihil peccasse. Nam leve fortassis hoc quoque: verum tum quidem, etiam si nullo commisso peccato, ut ego quidem dixerim, sed nec benemeritus, alienabar a familia. Nunc porro cum nuper salutem dederim, ac beneficus exstiterim, exigor. Qua re quid fieri potest ingratius? ut mea servatus opera, tantoque elapsus a discrimine, protinus sanationem illam hujusmodi factis penset, nulla meritorum habita ratione, sed usque adeo facile mandarit oblivioni, atque in solitudinem abigat eum, qui jure sit obsecutus, cum præter jus ejiceretur, neque solum non meminerit injuriæ, verum etiam & salutem attulerit, & sanæ menti restituerit? Neque enim exiguo judices, neque vulgari in hunc collato beneficio, tamen hujusmodi malis nunc videor dignus. Porro quanquam hic ignorat, quo in statu tunc fuerit, vos tamen omnes nostis, quid facientem hunc, simul & patientem, & quibus affectum modis, ego curandum susceperim, ac Medicis reliquis desperantibus, fugientibus familiaribus, nec propius accedere audentibus, talem reddidi, ut etiam accusare possit, ut de legibus disserere. Quin magis si exemplum quæris pater, cum propemodum talis esses, qualis nunc est uxor, ad pristinam sanitatem revocavi. Quare non est æquum, ut pro his officiis, hujusmodi mihi gratia reponatur, utque in me unum tantummodo sanus sis. Etenim te non mediocribus a me beneficiis affectum esse, vel ex his ipsis liquet, quibus me criminaris. Nam quem ob hoc odio persequeris, quod uxorem extremo laborantem periculo, gravissimeque affectam non sanem, qui fit, ut eundem non multo potius carissimum habeas, quum simili morbo liberarim? non gratias agas, tam acerbis ereptus malis? At tu, quod quidem est ingratissimum, simul atque ad te redisti, protinus in jus trahis: salute donatus, punis, &

& ad vetus recurris odium, eandem recitas legem. Egregiam igitur mercedem persolvis arti, dignamque pro remediis refers gratiam, qui quidem adversus Medicum tantum sanus es.

Vos autem, judices, huic concedetis, ut de benemerito pœnas sumat, ut salutis auctorem expellat, ut eum qui sanitati restituerit, oderit, ut per quem revixit, ulciscatur. Haud profecto concedetis, siquidem quod æquum est, facietis. Etenim si maximum aliquod flagitium in præsentia commisissem, tamen superioris beneficii nomine non mediocriter mihi debebat: cujus respectu, memoriaque conveniebat hunc præsentem injuriam negligere, & ob illa priora facile ignoscere: maxime si tam ingens sit beneficium, ut omnia superet, quæ postea possint accidere. Quod equidem mihi in hunc competere puto, quem servavi, qui mihi totius vitæ debitor est: cui præstiti ut sit, ut sapiat, ut intelligat: præsertim cum cæteri omnes jam desperarent, seque morbo impares esse faterentur. Nam & illud, opinor, ad meriti mei cumulum accedit, quod cum id temporis filius non essem, cum nihil esset causæ, quæ me cogeret curationem suscipere, verum cum liber essem, atque alienus, a naturali causa solutus, tamen haud dissimulavi, sed ultroneus, invocatus, injussus adii, succurri, adnisus sum, sanavi, restitui, meum ipsius patrem servavi, de abdicatione me purgavi, iram benevolentia sedavi, legem pietate sustuli, magnoque beneficio reditum in familiam emi, atque in tempore adeo periculoso fidem erga patrem demonstravi, meque ipsum artis auxilio insinuavi, ac tristibus in rebus legitimus filius apparui. Quam multa enim me fuisse passum arbitramini, quantum & exhausisse laborum? dum adsideo, dum observio, dum opportunitates capto, nunc cedens patris vehementiæ, nunc artem admovens ad breve tempus concedente morbo. Est autem hoc omnium quæ sunt in arte Medicorum periculosissimum, hujusmodi medicari, ac propius accedere ad hos, qui ad eum sunt affecti modum. Fit enim non raro, ut exæstuante malo, rabiem in proximos exerceant. Me tamen nihil horum piguit, neque gravatus sum, verum aderam, modis omnibus cum morbo luctans, postremo superavi pharmaco. Ne vero quisquam hoc audito, protinus apud se cogitet. Quis aut quantus labor miscere pharmacum. Etenim multa prius sunt facienda, præstruenda via dando pharmaco, præparandum corpus, quo facilius recipiat medicationem, deque corporis habitu sollicitus sit Medicus oportet, inaniens, extenuans, cibis idoneis alens, movens ad omne quod conducit, somnos accersendi rationes excogitans, solitudines arte reperiens. Quibus in rebus ægroti cæteri facile pareant. At qui laborant insania, ob animi libertatem intractabiles sunt, ac gubernatu difficiles, ipsique Medico periculosi, neque qui facile cura expugnentur. Proinde sæpenumero cum effecerimus, ut jam speremus proxime adesse morbi finem, leve aliquod erratum incidens, renovato malo, cuncta illa superiora facile subvertit, curationem impedit, artem fallit.

Eum igitur qui hæc omnia sustinuerit, qui cum morbo tam gravi sit luctatus, qui malum malorum omnium expugnatu difficillimum vicerit, huic ut iterum abdicet permittetis, utque leges in benemeritum interpretetur suo arbitratu concedetis, atque eum cum ipsa natura bellum gerere sinetis? Ego naturæ parens, judices, patrem mihi ipsi servo, custodioque, etiam si hic quidem injuria me afficiat. Quod si filium benemeritum, leges, ut ait, secutus, perdit, & a familia alienat: hic nimirum liberorum osor erit: ego pius in patrem. Ego naturam amplector. Iste naturam contemnit, fasque & jus violat. O patrem injuste prosequentem odio! O filium injustius amantem! Nam mihi ipsi vitio verto, patre compellente, quod odio habitus, eum præter causam amo, & magis amo quam oporteat. Atqui natura comparatum est, ut patres liberos ament magis, quam liberi parentes. Verum hic studio leges contemnit, quæ filios nihil commeritos familiæ servant, tum naturam, quæ parentes ad vehemens natorum desiderium incitat. Non solum enim cum plures habeat in me benevolentiæ causas, majorem, uti debebat, benevolentiam non adjungit atque addit, aut quod est minus, me saltem imitatur, meumque æmulatur amorem: sed o calamitatem, quin insuper odit amantem, caritate prosequentem expellit, benemerentem lædit, complectentem abdicat, legesque liberis fa-

A ventes, ceu liberis infensas, in me torquere conatur. O bellum, quod contra naturam legibus moves, pater! Non sunt ista, non sunt, inquam, quemadmodum tu vis: leges bene conditas, male interpretaris, pater. Non pugnat natura cum lege, in his quæ ad benevolentiam pertinent. Hic inter sese consentiunt, & altera utrique auxilio est ad delendas injurias. Contumelia afficis benemeritum. Offendis naturam. Cur legibus quoque simul cum natura facis injuriam? Quæ cum honestæ, justæ, liberorum amantes esse cupiant, non pateris esse: quippe quas adversus unum filium, tanquam adversus multos sæpius tentes. Nec finis in suppliciis quietem invenire, quæ velint in benevolentia liberorum erga parentes conquiescere: quanquam alioqui B ne positas quidem adversus eos, qui nihil peccarint. At sane leges ingratitudinis actionem concedunt in eos, qui benemeritis non retulerint gratiam. At qui non solum non refert gratiam, verumetiam punire conatur ob ea ipsa, quibus adjutus est beneficio, considerate num quicquam facere possit iniquius? Itaque non posse hunc jam abdicare denuo, qui paternam potestatem semel expleverit, ac lege sit usus: præterea non esse æquum, eum qui tanta præstiterit beneficia, expellere, familiaque exigere, satis opinor demonstratum.

Nunc autem ad ipsam abdicationis causam veniamus, & crimen cujusmodi sit expendamus. At rursum ad mentem ejus qui legem condidit, recurramus necesse est. Etenim C ut istud tibi donemus ad breve tempus, licere quotiescunque velis abdicare, utque præterea potestatem istam tibi largiamur, etiam adversus benemeritum, haud tamen simpliciter, opinor, neque quibuslibet de causis abdicabis. Neque hoc dicit legis conditor: Quicquid utcunque criminatus fuerit pater abdicato, ut satis sit tantum voluisse queri. Nam si id esset, quid opus erat judicio? Verum vos istud expendere jubet, judices, num gravibus ac justis de causis irascatur pater, necne. Hoc igitur in præsentia considerate.

Exordiar autem ab iis, quæ protinus hujus insaniam sunt consecuta. Jam primum omnium quod fecit sanæ menti redditus, illud erat: Rescidit abdicationem. Ego servaD tor, beneficus, breviter omnia eram. In his nisi fallor, nihil adhuc esse poterat, quod cum crimine videretur esse conjunctum. Deinde quid est omnium quod accusat? Quod obsequium, quam curam filio dignam prætermisi? Quando foris cubui? quas intempestivas potationes, quas comessationes objicis? Qui luxus? Quis leno pulsatus est? Quis accusavit? Nemo profecto. Atqui hæc sunt, ob quæ præcipue lex permittit abdicare. Cæterum cœpit ægrotare noverca. Quid istud mihi vertis crimini? morbique pœnam a me reposcis? Non reposco, inquit. Sed quid? Quod eam curare jussus recusas, ob hoc dignus fueris qui abdiceris, quippe immorigerus patri. Ast ego quidem cujusmodi sint ista quæ jubet, in quibus quia non possim obsequi, videor E immorigerus, paulisper differam. Sed illud prius in totum dico. Neque lex huic concedit, ut quidvis imperet, neque mihi necesse est in omnibus omnino parere. Quædam enim mandata sunt hujusmodi, ut si non parueris, non sis obnoxius pœnæ. Quædam id genus, ut nisi obtemperaris, ira, supplicioque sis dignus: veluti si ægrotes ipse, & ego non curem. Si quid rerum domesticarum curandum sit, & ego negligam. Si quid rem rusticam curandam mandes, atque ego recusem. Hæc omnia atque id genus alia, probabiles adferunt causas paternæ querelæ. Porro cætera nostri sunt arbitrii, nempe quæ ad artes, & artium usum pertinent: Maxime si nulla in re fiat injuria patri. Jam si cui pictori F præcipiat pater. Hæc pinge, fili, illa, nequaquam: Rursum musico, hanc pulsa harmoniam, illam ne pulsa: Tum fabro ærario: Ista cude, illa ne cude: num quisquam hunc patietur abdicare filium propterea, quod non ex ipsius arbitrio artem exerceat? Nemo opinor. Atqui medendi ars, quanto est honoratior, vitæque conducibilior, tanto convenit esse liberiores qui hac utuntur: ac justum est, ut ars aliquo gaudeat privilegio in exercendi facultate, ut neque cogatur usquam, neque ferat imperium, res sacra, Deorum doctrina, virorum eruditorum cura: neque in servitutem trahatur legis: neque timori, pœnisque tribunalium, neque calculis, ac patris minis, & indocti hominis iræ sit obnoxia. Proinde si tibi palam ac simpliciter ad hunc modum

respondissem: Nolo curare cum possim, sed artem soli A mihi didici, ac patri, cæteris omnibus imperitus esse volo: quis est tyrannus usque adeo ferox, ut cogat etiam nolentem uti arte? Siquidem istiusmodi officia blanditiis, precibusque, ni fallor, non legibus, ira, judiciis, convenit elicere: persuadere Medico oportet, non jubere, ut velit, non ut metuat: neque ad sanandum adigendus est, sed ultro ac lubens accedat oportet, immunis a compulsione patris. Immunis est ars ipsa, quandoquidem civitates quoque publicitus honores, præeminentias, immunitates, privilegia Medicis tribuunt.

Hæc igitur in genere poteram artis nomine respondere, etiamsi tu me illam docuisses, si multum studii, multum pecuniarum insumpsisses, ut discerem, & unam hanc cura- B tionem, etiam si ejusmodi esset, ut præstare possem, recusassem. Nunc illud cogita, quam rem modis omnibus ingratam & iniquam facias, qui non finas me, a meipso mihi partis libere uti. Hanc ego artem tum cum non essem filius tuus, perdidici, neque tuis subjectus legibus. Atque hanc tamen tibi didici. Hujus fructum primus sensisti, cum nihil adjumenti contuleris ad ejus cognitionem. Quem præceptorem mercede conduxisti? Quem pharmacorum apparatum comparasti? Nullum omnino. Verum inops, ac rerum necessariarum indigens, a præceptoribus mei misertis sum edoctus. Nam abs te patre hujusmodi mihi dabatur ad discendum viaticum, molestia, solitudo, egestas, familia- C rium odium, cognatorum aversatio. Pro istis itaque factis postulas uti arte mea, visque earum rerum esse dominus, quas mihi paravi tum, cum mihi non esses dominus. Boni consule, si quid antehac ultro, nullo provocatus officio, bene de te sum meritus, cum nullo nomine ullam abs te gratiam possem reposcere. Cæterum non convenit sane, ut meum beneficium mihi in reliquum tempus pariat necessitatem: ut quod volens beneficio juvi, vertatur in occasionem, ut postea nolenti præcipias: jamque in consuetudinem trahatur, ut qui semel sanaverit aliquem, semper deinde curet omnes quoscunque voluerit is, qui sanatus est. Etenim ad istum modum fieret, ut quos curaremus, eos dominos nobis creaverimus, nosque metipsos illis tradiderimus, mercedis D loco servitutem accepturi, & ad omnia quæ jusserint obtemperaturi; Qua re quid esse potest iniquius? Quoniam te graviter adeo laborantem restitui, ob id existimas tibi jus esse arte utendi mea?

Atque hæc quidem dicere poteram: si mihi hic imperasset ea, quæ meæ sint facultatis, atque ego non omnino modis omnibus, vel invitus obtemperassem. At nunc tandem perpendite, cujusmodi sint hujus imperata. Quandoquidem, inquit, me laborantem insania, sanasti: insanit autem & uxor, eodemque tenetur morbo (sic enim opinatur) & a cæteris Medicis ad eundem modum destituta est: tuque potes omnia, id quod re demonstrasti: sanato hanc quoque, ac morbo levato. Id si quis simpliciter ad hunc audiat mo- E dum, vehementer æquum videatur, præsertim illiterato, artisque Medicinæ imperito. Sin autem me auscultetis artis nomine respondentem, intelligetis nimirum nec omnia esse nostræ facultatis, neque consimiles morborum naturas, nec eandem medendi rationem, nec eadem remedia in omnibus efficacia. Ac tum palam fiet, quantum intersit, nolis quippiam, an non possis. Vos interim patienter auscultate me, hisce de rebus philosophantem: existimantes nec inelegantem fore, nec extra causam, nec alienam a re, nec intempestivam de his disputationem.

Jam primum naturæ corporum, ac temperaturæ, haud quaquam eædem sunt: tametsi maxime in confesso est, iisdem ex elementis constare. Verum alia de his, alia de illis magis aut minus participant: idque loquor adhuc de corpo- F ribus virorum, quæ neque similia sunt omnibus, neque eadem temperatura, neque eadem constitutione. Unde necessario consequitur, ut morbi quoque tum magnitudine, tum specie differentes, his accidant: utque alia sanatu sint facilia, atque ad curationem sponte propensa: alia rursum prorsus desperata: ut quæ & facillime corripiantur, & gravissime a morbis prehendantur. Proinde si quis existimet, quamlibet febrim, aut quamvis tabem, aut peripneumoniam, aut insaniam, quolibet in corpore unam atque eandem esse genere: is non videatur ponendus inter sobrios, neque doctos, neque inter eos qui in rebus hujusmodi exquirendis elaborarunt. Quin idem malum in hoc corpore facile sanabitur, in hoc minime. Quemadmodum videlicet triticum, si idem in diversos ejicias agros: aliter proveniet in plano solo, profundo, irriguo, aprico, ventis salubribus exposito, exculto, nimirum ubere, læto, copiosoque fructu: Rursum aliter in montuosa, petricosaque terra, aliter in opaca, aliter in subjecta montibus. In summa: pro cujusque loci diversa natura, varie proveniet. Itidem & morbi, pro ratione corporum, in quæ inciderint, aut majores & uberiores, aut minores eveniunt. Verum his omissis pater, nec omnino discussa re, vult quamvis insaniam in quovis corpore consimilem esse, similemque desiderare curationem. Super hæc tam multa, muliebria corpora plurimum differre a virorum corporibus, vel ad morbi corruptionem, vel ad sanandi spem, aut desperationem, facile fuerit cognoscere. Siquidem virorum corpora bene compacta sunt, nervosa: laboribus, agitationibus, vita sub dio acta, exercitata. Contra fœminarum, flaccida, male compacta, in umbra alita: Candida ob sanguinis inopiam, calorisque penuriam, & humoris supervacânei abundantiam. Quare facilius corripiuntur, quam virorum: utpote morbis exposita, nec ferentia curationem: præcipue vero ad insaniam procliviora. Nam cum multum habeant iracundiæ ac levitatis, facileque commoveantur: porro corporis exiguæ sint vires: facile in hoc malum prolabuntur. Proinde non convenit, in utrisque eandem a Medicis sanandi rationem requirere: cum intelligatis, hæc ab illis longissimo distare intervallo, jam ab ipso protinus ortu discreta, tum tota vitæ ratione, tum actionibus omnibus, tum studiis atque exercitiis universis.

Quare cum dicis, Insania laborat: adde hoc quoque, laborat mulier. Neque confundas hic omnia sub unam & eandem insaniæ referens appellationem. Verum discretis iis, quemadmodum & natura discrevit, quid in quoque præstari possit considera. Nam nos, quemadmodum initio dixisse memini, illud in primis spectamus: ægroti corporis naturam, ac temperaturam: & cujus qualitatis magis sit particeps, calidius an frigidius, vigens an ætate deficiens, magnum an pusillum, crassum an macilentum: reliquaque id genus omnia. Quæ si quis penitus expenderit: is demum erit idoneus cui fides habeatur, vel desperanti, vel recipienti. Quandoquidem & insaniæ innumerabilia sunt genera, & causæ complures: nec vocabula quidem eadem. Neque enim idem desipere ac delirare, rabire & insanire. Verum hæc omnia nomina significant magis aut minus obnoxium esse morbo. Porro causæ aliæ sunt viris, aliæ fœminis. Rursum inter ipsos viros, aliæ juvenibus, aliæ senibus: puta juvenibus immodica ferme repletio: senibus autem importuna calumnia, ira impotens, quæ sæpenumero incidit adversus domesticos. Hæc initio perturbant animum: deinde paulatim vergit in insaniam. Porro mulierum corpora & multæ res infestant, & facile in morbum adducunt: præcipue vero si quem oderint vehementius, aut si invideant inimico, secundis rerum successibus utenti: aut si quid molestum sit: aut si cui succenseant. Hæc paulatim subgliscentia, multoque alita tempore, tandem in insaniam evadunt. Ejusmodi rerum aliquid uxori quoque usu venit pater: & haud scio, an nuper aliquid illi ægritudinem aliquam attulerit. Nihil enim illa oderat, quanquam morbo sane tenetur, neque his malis ullius Medici cura poterit eripi. Quod si quis alius se facturum receperit, aut si quis eam liberarit: tum me oderis licet, velut injurium. Tametsi ne illud quidem verebor dicere pater: Etiamsi non prorsus esset, ut est, desperandum: sed adhuc aliqua salutis spes levis ostenderetur, ne sic quidem facile manum admoverem: neque statim auderem ministrare potionem: videlicet veritus fortunam, ac multorum hominum obtrectationem. Vides, ut omnes arbitrantur, privignos invisos esse novercis omnibus, etiam si probæ fuerint: easque hanc ceu communem quandam mulierum insaniam insanire: Quare facile suspicatus fuisset aliquis, si malum hoc secus evenisset, neque profuissent remedia, perfidam ac dolosam fuisse curationem. Atque uxoris quidem res pater ad hunc sese habent modum: idque loquor, quod prorsus exploratum habeo: nunquam melius est habitura, etiam si millies biberit pharmacum: eoque non operæ precium conari, nisi me in hoc solum urges ut frustrer: idque vis ut fœdam mihi famam accersam. Patere, ut mihi ejusdem artis professores invideant. Quod si me rursum

sum abdicaris, ego quidem etiamsi ab omnibus deserar, tamen tibi nihil imprecabor grave. Sed quid si (quod avertat Deus) redeat morbus: solent istiusmodi ferme mala irritata recurrere, quid erit mihi faciundum? Curabo, ut nosti, tum quoque: neque unquam defuturus sum officio, quod liberis natura præscripsit, neque generis, quoad in me fuerit, obliviscar. Deinde si resipueris, num credere debeo futurum, ut me denuo recipias, illud vide. Jam ista quum facis, accersis morbum, pestemque refricas: heri ac nudius tertius e tantis elapsus malis, contendis, vociferaris, quodque gravissimum est, irasceris, ad odium propensus es, leges revocas. Hei mihi pater, istiusmodi fuerant superioris insaniæ tuæ procemia.

ICAROMENIPPVS, SIVE HYPERNEPHELVS.

Ter mille igitur erant stadia a terra usque ad lunam, ubi prima nobis fuit mansio. Porro hinc sursum ad solem parasangæ ferme quingentæ. Rursum ab hoc usque ad ipsum denique cœlum, arcemque Jovis in edito sitam, tantum fere spacii fuerit, quantum aquila probe succincta, atque expedita queat uno die peragere. Amic. Dic mihi per Gratias, Menippe: quæ sunt ista quæ de astris loqueris, ac tacitus tecum supputas? Etenim jamdudum te assectans, audio soles & lunas: præterea autem & magnifica ista, mansiones ac parasangas, peregrina quædam commemorantem. Menip. Ne mireris amice, si sublimia, aëreaque tibi videor loqui, nam summam apud me reputo nuper actæ peregrinationis. Amic. Nimirum Phœnicum exemplo viam stellis notaras. Menip. Haud quaquam per Jovem: quin magis ipsis in stellis sum peregrinatus. Amic. Papæ, longum profecto somnium mihi narras. Siquidem totas edormisti parasangas insciens. Menip. Quid ais? Somnium tibi referre videar, qui modo ab ipso Jove ipse reversus adsum? Amic. Quid audio? Itane Menippus nobis a Jove delapsus adest e cœlo? Menip. Ita sane. Ego tibi ab ipso illo summo Jove hodie venio, rebus interim dictu miris, & auditis, & conspectis. Quod si non credis, equidem hoc ipso nomine supra modum gaudeo, cum supra fidem esse video meam felicitatem. Amic. Et quo pacto, divine atque Olympie Menippe, mortalis cum sim, ac terrestris, queam non credere viro, qui nubes superarit, quique ut Homericis dicam verbis, Jam sit cœlitum e numero unus? Verum illud mihi dicito, si molestum non est, quibus modis in altum subvectus es, aut unde nactus scalas tanta magnitudine? Nam quantum ad faciem ac formam attinet, non es admodum similis illi Phrygio: ut conjectare possimus, te quoque ab aquila raptum fuisse, quo pocillatoris alicubi munere fungereris. Menip. Non me clam est te jamdudum irridere. Neque vero id omnino mirum, si narrationis novitas tibi fabulæ videtur adsimilis. Cæterum ad conscensum nihil mihi erat opus, neque scalis, neque uti pueri illius in morem ab aquila raperer: propterea quod alæ mihi essent propriæ. Amic. Jam vero istud quod narras, vel ipsum Dædali factum superat. Siquidem præter alia, nobis inscientibus, milvius quispiam aut graculus ex homine factus es. Menip. Recte amice, neque procul a scopo conjecisti. Etenim illud Dædali de alis inventum ipse quoque sum machinatus. Amic. At interim omnium audacissime, non veritus es, ne tu quoque alicubi in mare delapsus, Menippeum aliquod pelagus tibi cognomine redderes: quemadmodum ille Icarium? Menip. Nequaquam: Siquidem Icarus cum alas haberet cera adglutinatas, eaque quam primum ad solem esset liquefacta, defluxis alis, non mirum si decidit. At nobis citra ullam ceram erant pennæ. Amic. Istud qui fieri potuit? Jam enim haud scio quo pacto paulatim me adducis, ut vera videantur, quæ narras. Menip. Ad hunc ferme modum. Aquilam egregie magnam, tum autem & vulturem validum arripui. His cum alas una cum ipsis brachiis præsecuissem. Quin potius si vacat totius commenti rationem ordine tibi percensebo. Amic. Mihi quidem vel maxime vacat. Adeo sublimis a sermone tuo pendeo: jamque ad narrationis finem inhio. Ne vero me negligas, per Jovem amicitiæ præsidem, auribus in aere suspensum ob tuam narrationem. Menip. Ausculta igitur. Neque enim civile fuerit, si spectem amicum ore hiante relictum: eumque quemadmodum tu ais, ab auribus suspensum. Ego igitur cum expendens ea quæ sunt in vita mortalium, protinus omnes res humanas repperissem ridiculas, humiles, instabiles: nempe opes, imperia, magistratus: contemptis his, atque horum studio, adjectoque animo ad ea quæ vere sunt bona, conatus sum ab his tenebris emicare, & ad universi naturam suspicere. Atque hic mihi multam attulit hæsitationem: primum hic ipse qui a sapientibus appellatur mundus. Neque enim invenire poteram, neque quo pacto factus fuisset, neque quo opifice: neque quid esset illius vel initium, vel finis. Deinde cum particulatim contemplarer, multo etiam magis ambigere sum coactus. Quippe qui viderem stellas temere per cœlum disjectas. Tum solem ipsum, quid tandem esset, scire gestiebam. Super omnia vero quæ lunæ accidebant, mihi videbantur absurda ac plane mira: putabamque causam aliquam arcanam & inexplicabilem esse, cur illa subinde speciem formamque variaret. Quinetiam fulgur emicans, tonitru erumpens, tum pluvia, nix, grando e sublimi demissa: videbantur hæc quoque omnia conjectu difficilia: quæque nullis notis deprehendi possent. Itaque cum ad eum modum essem affectus: optimum factu ratus sum, ut horum unumquodque a Philosophis istis perdiscerem. Siquidem existimabam illos veritatem omnem docere posse. Quare cum ex illis præstantissimos delegissem, quantum mihi conjectare licebat, e vultus austeritate, eque coloris pallore, ac barbæ profunditate: Mirum enim ut mihi ex ipso protinus aspectu sublimiloquos quosdam, & cœlestium rerum peritos viros præ se ferebant: His ubi memet docendum tradidissem magna pecunia, quam partim evestigio præsentem numeravi, partim tum me persoluturum sum pollicitus, ubi ad Philosophiæ summam perventum esset, non gravabar erectus ad nugas doceri, & universi dispositionem discere. At illi tantum aberant, ut me pristina liberarent inscitia, ut in majores etiam dubitationes conjecerint: principia nescio quæ, ac fines, tum insecabilia, inania, sylvas, ideas, atque id genus alia, mihi quotidie offundentes. Verum illud interim mihi videbatur omnium esse gravissimum: quod cum nihil inter illos conveniret, verum pugnantia, diversaque inter se omnia loquerentur: tamen postulabant, ut sibi fidem haberem, ac ad suam quisque rationem me conabatur adducere. Amic. Rem absurdam narras, si viri cum essent sapientes, inter sese de rebus factiose diffidebant: neque de iisdem eadem probabant. Menip. Atqui rideres, Amice, si audieris illorum arrogantiam, & in differendo prodigiosam confidentiam. Qui quidem cum humi ingrederentur, nihiloque præstantiores essent nobis, qui super terram ambulamus, ne cernentes quidem acutius quam quivis alius adstans, nonnulli cæcutientes etiam senio atque inertia: tamen & cœli terminos perspicere sese profitebantur: solem quoque ipsum dimetientes, & ea quæ supra lunam sunt, aggredientes: Ac perinde quasi ex ipsis delapsi stellis, ita & magnitudinem illarum, & figuram explicabant. Ac sæpenumero cum forte ne illud quidem certo scirent, quot stadiis a Megara abessent Athenæ: tamen spacium, quod interest inter solem & lunam, quot esset cubitorum, audebant pronunciare: tum aeris altitudinem, maris profunditatem, terræ ambitum dimetientes. Adhæc, circulos depingebant, ac triangulorum figuras super quadrangulos inducentes, neque non sphæras quasdam picturatas, cœlum scilicet ipsum metientes. Jam vero illud an non insulsum, & insignis arrogantiæ? quod cum de rebus usque adeo incertis loquantur, nihil tamen ita proponunt, quasi conjecturis ducantur: verum supra modum contendunt: neque ullum vincendi locum aliis relinquunt, tantum non jurejurando confirmantes Solem massam esse candefactam, incoli Lunam, Stellas aquam potare, idque Sole veluti situla quadam per funem demissa, vaporem e mari attrahente, atque illis omnibus ordine potum distribuente. Nam quanta sit in dictis pugnantia, id haud difficile fuerit cognoscere. Jam mihi specta per Jovem, num illorum decreta inter se consentiant, ac non magis longissimis dissita intervallis, quandoquidem primum de ipso mundo varia est sententia, cum aliis & ingenitus, & nunquam interiturus esse videatur. Rursum alii, & opificem illius, & fabricandi modum eloqui sint ausi. Quos equidem cum primis admirabar, propterea quod cum Deum quemdam rerum omnium opificem præposuissent, non illud etiam adderent, vel unde is esset profectus, aut ubi loci consisteret cum

cum omnia fabricaretur. Nam ante universi exortum, non possis vel tempus, vel locum imaginari. Amic. Prorsus audaces quosdam Menippe homines, ac prodigiorum auctores mihi narras. Menip. Quid autem, si jam audias vir optime, quæ disserant & de Ideis, & de incorporeis: tum quæ de finito & infinito nugantur? Nam & his de rebus acriter inter se digladiantur, dum alii fine circumscribunt universum: alii contra, finem illud nescire existimant. Quin insuper quidam ex istis complures esse mundos demonstrabant, damnantes eos, qui de hoc velut uno quopiam illorum disputarent. Rursum alius, nescio quis vir, haudquaquam amicus paci, bellum rerum omnium parentem esse censebat. Nam de diis, quid jam attinet loqui? Cum his Deus esset numerus: illi rursus, per canes & anseres ac platanos dejerarent. Deinde alii, reliquis omnibus diis expulsis, uni soli rerum omnium imperium tribuebant: ita ut mecum etiam animo discruciarer, cum tantam audirem deorum inopiam. E diverso alii liberaliores, multos deos faciebant, ac distectis illis hunc aliquem primum Deum appellabant: his secundas aut tertias divinitatis partes tribuebant. Ad hæc alii incorporeum quiddam & informe putabant esse numen. Alii corpus esse imaginabantur. Deinde non omnes erant in hac opinione, ut putarent diis esse curæ res mortalium: verum erant nonnulli, qui eos omni cura liberantes, haud aliter atque nos consuevimus ætate defectos, a ministeriis dimittere: nihilo aliusmodi eos inducunt, quam cujusmodi in Comœdiis induci solent satellitia. Jam alii superantes hæc omnia, ne esse quidem ullos omnino deos credebant, sed mundum nullo domino, nulloque duce temere ferri sinebant. Atqui cum hæc audiebam, verebar non habere fidem viris altifremis ac probe barbatis. Neque tamen inveniebam, ad cujus dicta me verterem, ut aliquam illorum sententiam nanciscerer irreprehensam, ac nequaquam ab alio subversam. Itaque plane tandem Homericum illud mihi usu veniebat. Nam sæpenumero animus incitabat, ut huic alicui illorum crederem:

Sed me mens diversa vetabat.

In quibus omnibus cum perplexus hæsitarem, desperabam futurum, ut super his verum aliquid in terris audirem: cæterum unica tantum via, universa dubitatione liberari posse, si ipse alis aliqua ratione additis, in cœlum adscenderem. Ejus rei conficiendæ spem mihi præbuit primum ipsa cupiditas, deinde fabularum scriptor Æsopus, qui aquilis ac scarabeis, interdum & camelis cœlum adiri potuisse demonstrat. Verum ut mihi ipsi alæ provenirent aliquando, id nulla ratione fieri posse videbatur. Cæterum si vulturis, aut aquilæ alas induissem, nam has solas sufficere ad humani corporis modum, futurum forsitan, ut mihi succederet experientia. Itaque correptis avibus, alteri dextram alam, porro vulturi sinistram amputavi, idque admodum scite. Deinde quum obligassem, humerisque loris validis accommodassem: tum summis pennis ansas quasdam manibus inserendis addidissem, mei ipsius periculum faciebam: primum subsiliens, ac manibus interim subserviens, & anserum exemplo paulum adhuc a terra volatu me sustollens, inter volandum summis interim pedibus ingrediens. Postea quum res ex animi sententia succederet, jam audacius etiam experimentum aggrediebar: conscensaque arce demisi meipsum per præceps, atque inde in ipsum ferebar theatrum. Mox ubi nullo periculo devolassem, sublimia jam & ardua cogitare cœpi, ac tollens me a Parnethe sive Hymetto, ad Geraneam usque volabam: Rursum inde ad Acrocorinthum subvolavi: deinde supra Pholoen & Erymanthum ad Taygetum usque. Ergo quum tandem audax facinus satis essem meditatus, jamque perfectus & altivolus evasissem, non amplius de pullis imitandis cogitabam, verum conscenso Olympo, quam levissimo commeatu onustus, inde recta in cœlum tendere cœpi: initio quidem oborta oculorum vertigine ob profunditatem: & postea ferebam & hoc quoque facile. Verum ubi jam ipsi lunæ vicinus essem, plurimumque nubium essem emensus, sentiebam me defatigatum, maxime in ala sinistra, nempe vulturina. Huc igitur diverti, ac super eam insidens requiescebam, in terram interim e sublimi respiciens, neque secus quam Homericus ille Juppiter, nunc bellacium Thracum regionem despiciens, nunc Mysorum, mox (si libuisset) Græciam, Persidem, Indiamque: ex quibus omnibus varia quadam voluptate

A perfundebar. Amic. Ergo ista quoque narrabis Menippe, ne ulla prorsus peregrinationis parte fraudemur: quin potius si quid obiter in itinere conspexisti, fac ut hoc quoque sciamus. Nam ego sane haud mediocria dictorum te exspecto, de terræ forma, deque omnibus quæ in terra sunt, cujusmodi tibi visa sunt ex alto contemplanti. Menip. At tu quidem recte conjectas Amice. Quamobrem quatenus licet, conscensa luna inter narrandum peregrinanti comes esto, simulque mecum contemplare totam terræ speciem, habitumque. Atque initio quidem admodum pusillam quandam terram mihi videre videbar, multo inquam, luna minorem: ita ut ego repente intentis oculis diu dubitarem, ubinam essent tanti illi montes, ac tantum mare: quod ni Rhodiorum Colossum conspexissem, tum Phariam turrim, B haud dubie prorsus ubinam esset terra, me prorsus latuisset: verum ista quod sint sublimia, præque cæteris eminentia, præterea oceanus paulatim ad solem resplendescens, indicabant terram esse id quod videbam. Mox ubi fixius intenderem oculos, jam mihi omnis mortalium vita cœpit esse conspicua: non solum singulæ nationes atque urbes, sed plane videbam navigantes, bellantes, agricolentes, litigantes, mulieres, feras, & ut summatim dicam:

Quicquid tellus educat alma.

Amic. Ista quæ nunc dicis, haud quaquam sunt verisimilia, ac secum pugnant. Etenim quum paulo ante Menippe terram requireres, propter ingens in medio intervallum in arctum contractam, adeo ut nisi Colossus tibi fecisset indicium, forsitan aliud quiddam videre te credidisses, qui repente C factus Lynceus, cuncta quæ sunt in terra, dignoscis: homines, feras, ac propemodum etiam pulicum nidos. Menip. Recte tu quidem admones: nam quod maxime dictum oportuit, id nescio quomodo præterii. Siquidem quum ipsam quidem terram conspectam agnoscerem: cæterum reliqua non possem perspicere propter altitudinem, nimirum jam non pertingente oculorum acie, graviter ea res me discruciabat, ac vehementer perplexum habebat. Ergo quum ad hunc modum essem sollicitus, ac propemodum etiam lachrymarer: adest a tergo sapiens ille Empedocles, ea specie ut carbonarium quempiam esse diceres, cinere oppletus, atque exustus. Hunc ego quum vidissem (dicendum D est enim) nonnihil perturbabar, ratus dæmonem aliquem lunarem videre me. At ille: Bono, inquit, es animo, Menippe;

Nullum ego sum numen, quid me immortalibus æquas?

Sum Empedocles ille Physicus: etenim ubi me præcipitem in crateras injecissem, fumus ab Aetna raptum huc subvexit. Itaque nunc lunam incolo, aërivagus plerumque ac rore victito. Adsum autem hæsitantiam istam tibi ademturus: nam illud (ni fallor) male te habet, torquetque, quod non liceat tibi perspicue terram cernere. Bene abs te factum est, inquam, optime Empedocles: ubi primum devolaro rursus in Græciam, tui memor sacrificabo tibi in fumario, atque in Noviluniis ter ad lunam inhians, nova vota faciam. Imo per Endymionem, inquit ille, haud huc accessi E præmii gratia, sed affectio quædam movit animum meum, quum te viderem affectum molestia: verum scis quid facies, quo perspicax fias? Non per Jovem, inquam, nisi tu mihi forsitan caliginem amoveas ab oculis: nam in præsentia videor non mediocriter lippire. Atqui me, inquit ille, nihil erit opus. Etenim ut acute videas, id ipse tecum e terra allatum habes penes te. Quid igitur est istud, inquam, neque enim novi? An ignoras, inquit, te dextram aquilæ alam indutum esse? Scio, inquam, maxime, sed quid alæ cum oculo? Quoniam, inquit, aquila inter animantia cætera acutissimi visus est, unde sola solem adversum obtuetur, atque ita demum est rex & ingenua aquila, si non conniventibus oculis adversus radios adspiciat. Ita quidem ajunt, inquam. Quare F jam me pœnitet qui non meis exemptis oculis aquilinos inseruerim, cum huc adscenderem. Nam nunc sane dimidiatus advenio, neque omni ex parte satis regaliter adornatus, quin magis adsimilis videor nothis istis & abdicatis. Attamen in te est, inquit, ut protinus alterum oculum regalem habeas. Etenim si assurges, velisque cohibita vulturis ala, alteram solam movere, juxta proportionem alæ, dextro oculo cernes acute: quominus altero cæcutias nulla ratione succurri potest, propterea quod ad partem pertineat deteriorem. Mihi, inquam, satis est, si vel dextra ex parte aqui-

lino more cernam. Nihilo enim fuerit deterius, cum mihi non raro vidisse videar, fabros altero oculo melius etiam ad regulam exæquantes ligna. Hæc locutus, simul ea faciebam, quæ præceperat Empedocles, ille interim paulatim subducens sese, sensim in fumum evanuit. At simulatque movissem alam, ingens lumen mihi circumfulsit, adeo ut cuncta fierent in conspicuo, quæ hactenus latuerant. Deflexis igitur in terram oculis, clare videbam, & urbes, & homines, & quæ fiebant: neque solum ea quæ sub dio, verum etiam quæ domi faciebant, rati sese a nemine videri. Ptolemæum vidi cum sorore rem habentem: Lysimacho struentem insidias filium: Antiochum Seleuci filium, novercæ Stratonicæ clanculum innuentem: Thessalum Alexandrum ab uxore tolli e medio: Antigonum filii uxorem adulterio stuprantem: Attalo venenum porrigentem filium. Rursum ex altera parte Arsacen interficientem muliei culam: & Arbacen eunuchum gladium educentem in Arsacem. Porro Spartinus Medus e convivio foras protrahebatur a satellitibus, calice aureo in frontem impacto. Atque his ferme consimilia tum in Libya, tum apud Scythas ac Thraces, in regiis geri licebat cernere. Nempe adulterantes, occidentes, insidiantes, rapientes, pejerantes, trepidantes, nonnullos ab intimis amicis prodi. Ac Regum quidem negotia hujusmodi mihi spectaculum exhibebant. Cæterum quæ factitabant plebei, longe magis erant ridicula. Siquidem & inter hos videbam Hermodorum Epicureum ob mille nummum pejerantem: Agathoclem Stoicum de mercede discipulum in jus vocantem: Cliniam Rhetorem ex Æsculapii fano phialam auream suffurantem: Herophilum Cynicum in fornice dormientem. Quid enim alios commemorem, qui parietes perfoderent, qui lites agitabant, qui fœnerabant, qui reposcerent? Nam varium quoddam & undique mixtum erat spectaculum. AMIC. Atqui recte facies Menippe, si ista quoque retuleris. Consentaneum est enim te ex his non vulgarem cepisse voluptatem. MENIP. Ne fieri quidem potest Amice, ut cuncta ordine recenseam, quum spectare modo ista fuerit difficillimum: verum rerum fastigia ejusmodi ferme videbantur, qualia refert Homerus in clypeo, ubi erant convivia, nuptiæque. Altera ex parte judicia & conciones. Rursum alia ex parte sacrificabat quispiam. In proximo vero conspiciebatur aliquis luctum agens. Porro quum ad Geticam respicerem, videbam belligerantes Getas. Rursum ubi ad Scythas deflecterem, cernere erat errantes in plaustris. Mox ubi paululum in diversam partem deflexissem oculum, spectabam agricolantes Ægyptios. Phœnix scortabatur, Cilix latrocinabatur, Lacon loris cædebatur, Atheniensis causas agebat. Hæc omnia quum eodem tempore gererentur: cogita nunc cujusmodi visa fuerit rerum confusio. Non aliter, quam si quis producat multos saltatores, vel potius multas choreas: deinde præcipiat, ut omisso concentu propriam quisque cantionem canat. Deinde si certatim canat unusquisque, & peculiarem suum cantum absolvere studeat, vocisque magnitudine vicinum superare contendat: cogita tecum per Jovem, cujusmodi futurus sit ejusmodi cantus. AMIC. Modis omnibus Menippe ridiculus ac confusaneus. MENIP. Atqui Amice, hoc genus sunt omnes qui in terris choreas agunt, omnisque mortalium vita ex hujusmodi constat discrepantia: quippe qui non modo sonent absona, verum & ornatu sint dissimili, diversaque moneant, neque quicquam idem cogitent, donec choragus omnes e scena exigat, negans diutius choreas ducere oportere. Id ubi factum est, jam omnes sunt inter se similes, taciti, nec amplius confusam illam, & incompositam canentes cantionem. Verum in vario ipso ac multiformi theatro, videlicet ridicula erant quæ gerebantur omnia: præcipue vero mihi risum movebant ii, qui de agrorum finibus contendebant, quique sibi placerent hoc nomine quod Sicyonium agrum colerent, aut quod Marathonis eam partem haberent, quæ est juxta Oenoen, aut quod in Acarnania jugerum mille possiderent. Cum universa Græcia, quemadmodum id temporis mihi e sublimi despicienti videbatur, quatuor digitorum spacium habere videretur. Attica (ni fallor) proportione minima pars erat. Itaque perspexi quid esset reliquum, quod divitibus istis animos tolleret. Etenim is qui inter hos quam plurimum agri possidebat, vix unam ex Epicureis atomis colere mihi videbatur. Cæterum ubi ad Peloponnesum flexissem oculos: deinde terram Cynosuræ

A subjectam adspexissem, veniebat in mentem pro quantula regione, quæ nihilo esset latior lente Ægyptia, tam ingens Argivorum ac Lacedæmoniorum multitudo cecidisset uno die. Porro si quem conspexissem auro superbientem, quod anulos haberet octo, phialas quatuor, magnopere ridebam & hunc. Nam Pangæum universum, una cum ipsis metallis, vix erat magnitudine milii. AM. O te felicem Menippe, qui tam novum spectaris spectaculum. Sed age dic mihi per Jovem, civitates atque homines ipsi, quanti videbantur ex alto contemplanti? MENIP. Equidem arbitror te sæpenumero formicarum concionem vidisse: aliquas in orbem obambulantes, nonnullas exeuntes, rursum has in civitatem redeuntes. Atque hæc quidem fimum exportat: hæc alicun-
B de raptam fabæ tunicam, aut dimidiatum frumenti granum currens apportat: consentaneum est autem pro ratione vitæ formicarum, esse apud illas & ædium fabros, & concionatores, & magistratus, & Musicos, & Philosophos. Sed urbes sane cum ipsis viris, formicarum nidis maxime videbantur adsimiles. Quod si tibi videtur humilius exemplum, viros cum formicarum Republica conferre, vetustas Thessalorum fabulas specta. Reperias enim Myrmidonas, gentem bellicosissimam, e formicis viros natos esse. Jam posteaquam satis spectassem omnia, satisque risissem, excussi meipsum, subvolavi

Ad reliquos divos Jovis altitonantis in ædes.

Nondum stadium adscenderam, cum Luna, fœminea sonans
C voce: Menippe, inquit, ita tibi contingant quæ optas. Inservi mihi in re quapiam apud Jovem. Dic, inquam, neque enim erit molestum, nisi si quid oneris sit portandum. Nuncium, inquit, quemdam haud gravem, ac petitionem meo nomine Jovi perferes. Enecor Menippe, & multa & intoleranda ab istis Philosophis audiens. Quibus præterea nihil est negocii, nisi ut curiosi res meas exquirant, quæ sim, quanta sim, & quam ob causam dissecer, dimidiataque fiam, curque utrinque gibbosa videar. Tum hi me dicunt inhabitari: illi speculi ritu supra mare suspensam esse. Alii rursus, quod quisque secum excogitarint, hoc mihi tribuunt. Postremo ipsum quoque lumen ajunt mihi & furtivum esse, &
D adulterinum: quodque superne a sole proficiscatur, neque finem faciunt, etiam cum hoc qui mihi frater est, committere me, & factionem inter nos serere conantes. Neque satis erat illis, quæ de ipso dixerunt sole; saxum esse illum, & massam candentem. Et tamen quam multarum rerum illis sum conscia, quas noctu patrant, turpissimas & execrandas, cum interdiu tetrici sint, & aspectu virili, habituque graves, & imperitorum oculos in se conjectos habentes. Atque ego cum ista videam, sileo tamen. Neque enim decorum arbitror, retegere atque in lucem efferre nocturnas illas diatribas: & quam quisque in operto vivat vitam. Quinetiam si quem conspicerem adulterantem, aut furantem, aut aliud facinus quam maxime nocturnum audentem, continuo contracta nube tegebam, ne vulgo ostenderem viros senes, ea
E gerentes, quæ neque barbæ prolixæ, neque virtutis professioni essent decora. At istis pro nihilo est oratione me discerpere, modisque omnibus contumelia afficere. Adeo ut, testis est mihi nox ipsa, sæpius in animo habuerim, quam possem hinc longissime demigrare quopiam, ubi liceret curiosam istorum linguam effugere. Hæc igitur memineris, ut Jovi renuncies: simulque illud addas, ne fieri quidem posse, ut hoc in loco durem, nisi Physicos illos comminuat, Dialecticis os occludat, Stoam demoliatur, Academiam exurat, quæ in Peripato habentur diatribis finem imponat. Siquidem ad hunc denique modum fiet, ut mihi paretur quies, desinantque me quotidie commetiri. Fient, inquam, quæ mandas, simulque recta ad ipsum cœlum tendebam,

F *Nulli ubi comparent hominumve boumve labores.*

Etenim paulo post ipsa etiam luna mihi perpusilla videbatur e sublimi. Tandem & terram obtexerat. Porro relicto ad dextram sole, per ipsas volans stellas, tertio die ad cœlum perveni. Ac primum quidem mihi visum est, protinus ita ut eram, introire: ratus facile fieri posse ut fallerem: quippe dimidia mei parte aquila. Porro aquilam sciebam jam olim esse Jovi familiarem. Post apud me perpendebam illos quam primum deprehensuros esse me, qui alteram alam vulturinam indutus essem. Quapropter optimum factu ratus, non temere venire in periculum, adiens pulsavi fores. At Mercurius audito pulsu, ac nomen percontatus meum,

A festinato abiit, Jovi renunciaturus. Nec multo post, intro sum accersitus, magnopere pavitans ac tremens. Offendoque deos omneis pariter considentes, nec hos absque sollicitudine. Nonnihil enim animos illorum turbabat novus & inopinatus adventus meus. Et quantum antea nunquam exspectabant, futurum ut mortales omnes mox advenirent, ad eundem modum alati. Porro Juppiter, admodum terribili vultu, torvoque, & Titanico me obtuens, inquit: Quisnam es, & unde venis: ubi nam urbs tibi, quive parentes? Hoc ubi audissem, propemodum metu sum exanimatus. Attamen constiti stupidus, præque vocis magnitudine attonitus. Aliquanto post ad me reversus, omnia dilucide exposui, ab ipso exorsus capite. Quemadmodum concupissem sublimia illa cognoscere. B Quemadmodum accessissem ad Philosophos: Quemadmodum pugnantia loquentes audissem: Quemadmodum desperassem, distractus illorum dictis. Deinde meum inventum, tum alas reliquaque omnia, usque ad ipsum cœlum. Post omnia addidi quæ Luna mandarat. Itaque ridens Juppiter exporrectis aliquantum superciliis: Quid dicas, inquit, de Oto & Ephialto, cum ausus sit & Menippus in cœlum adscendere? At in præsentia quidem te ad hospitii consuetudinem invitamus. Cras, inquit, super his quorum gratia huc advenisti, dato responso dimittemus: simulque cum dicto surgens, ibat ad eam cœli partem, unde maxime omnia poterant exaudiri. Jam enim tempus erat, ut votis audiendis consideret. Atque interim inter eundum, C percontabatur me super his negociis, quæ essent in terra, ac primum quidem: Quanti nunc venit triticum in Græcia: Et num superior hyems graviter vos tetigit: Et num olera egent imbre copiosiore. Sub hæc rogabat: num quis adhuc superesset e Phidiæ genere: Et quam ob causam Athenienses tot annos Jovialia intermisissent: & num in animo haberent Olympium suum absolvere: Et num essent comprehensi, qui templum Dodonæum sacrilegio spoliassent. Ad ea cum respondissem: Dic mihi (inquit) Menippe, de me vero quam habent homines opinionem? Quam (inquam) ô here, nisi maxime piam? nimirum omnium deorum regem esse te. Ludis tu quidem, inquit. Cæterum ego contentionem illorum probe novi, etiam si nihil fateare. Siquidem D fuit olim tempus, cum illis & Vates esse viderer, & Medicus. In summa, unus eram omnia. Tum Jovis plenæ erant, & viæ omnes, simul & mortalium conciones. Pisa ac Dodona splendidæ erant, ac conspiciendæ omnibus. Porro præ fumo sacrorum, nec attollere oculos mihi licebat. Verum posteaquam Apollo apud Delphos constituit oraculum: Æsculapius Medicinæ officinam Pergami, simulatque Bendidium natum est in Thracia: Anubis templum in Ægypto: Dianæ apud Ephesios, ad ista quidem concurrunt omnes, solennes conventus celebrant: Hecatombas offerunt, mihi vero tanquam ætate defecto, abunde magnum honorem habuisse se putant, si solido quinquennio sacrificarint in Olympia. Proinde videas aras meas frigidiores, quam sint vel Platonis leges, vel Chrysippi syllogismi. E Hujusmodi quæpiam confabulati, in eum pervenimus locum, ubi consessurus erat ad exaudienda vota. Erant autem ordine sitæ fenestræ, cujusmodi sunt ora puteorum, habentes opercula, juxta unamquamque sella posita erat aurea. Itaque Juppiter cum ad primam assedisset detracto operculo, præbuit sese petentibus. Optabant autem ex omni undique terra, diversa, variaque. Nam ipse quoque admotis pariter auribus simul audiebam vota. Erant autem hujusmodi. O Juppiter, contingat mihi regnum. O Juppiter, contingat cepas & allia mihi provenire. O Juppiter utinam pater mihi brevi moriatur. Rursum alius aliquis dicit: Utinam existam hæres uxoris: Utinam nemo resciscat me struxisse insidias fratri: Contin- F gat mihi vincere litem: Coronari Olympia. Porro ex his qui navigabant, hic optabat ut spiraret Boreas: ille Notus: Agricola optabat pluviam: contra fullo solem. At Juppiter audiens, & singula vota diligenter expendens, non omnibus pollicebatur,

Verum hoc concessit Saturnius, abnuit illud.

Nam justa vota per os fenestræ sursum admittebat, admissa ad dextram statuens. Rursus iniqua remittebat irrita, flatu deorsum redigens, ne possint ad cœlum accedere. Super uno quodam voto videbam illum etiam ambigentem. Etenim cum essent duo, qui diversa peterent, æquales victimas pollicitantes: non inveniebat utri potius annueret. Itaque jam Academicon illud illi accidebat, ut nihil statuere posset. Verum exemplo Pyrrhonis suspensus hærebat etiam, ac considerabat. Porro cum jam satis vota proponentibus dedisset operam, ad proximam digressus sellam, & ad secundam fenestram, prono capite fœdera ferientibus, ac jurantibus dabat operam. Ubi his quoque responsum esset, ac Hermodorum Epicureum fulmine comminuisset: ad proximam deinde sellam sese transtulit, de divinationibus, ominibus & auguriis auditurus. Hinc ad sacrificiorum fenestram transiit, per quam fumus adscendens, denunciabat Jovi nomen uniuscujusque, qui rem divinam faceret. Rursum omissis his ventis & horis mandabat, quæ facere deberent. Hodie apud Scythas pluito, apud Libyes fulgurato, apud Græcos ningito. At tu Borea spira in Lycia. Tu Note quiesce, Zephyrus Adriani undas concitet. Tum in Cappadociam grandinis mille modii dispergantur. Tandem omnibus ferme ordinatis, discedebamus in eum locum ubi compotant dii. Jam enim cœnæ tempus erat. Meque Mercurius arreptum jussit accumbere juxta Panem, & Corybantes, & Attim, ac Sabazium, inquilinos istos & ancipites Deos. Interea panem exhibebat Ceres, Bacchus vinum, Hercules carnes, myrta Venus, Neptunus mænides: simul interim & ambrosiam & nectar furtim degustabam. Nam optimus ille Ganymedes, ut est hominum amans, si quando conspexisset Jovem avertere oculos, nectaris cyathum unum, nonnunquam etiam duos mihi infundebat. Dii vero quemadmodum alicubi dixit Homerus, & ipse, opinor, ut ego illic conspicatus, neque frumentum edunt, neque potant nigrantia vina, verum ambrosiam apponunt, & nectare inebriantur: præcipue vero gaudent vesci sacrificiorum fumo, una cum ipso nidore, subvolante: ad hæc sanguine victimarum, quem sacrificantes aris infundunt. Cæterum inter cœnandum, & Apollo cithara canebat, & Silenus cordacem saltabat, & Musæ surgentes in medium, tum Hesiodi Theogonias nobis canebant, tum primam ex Pindaricis hymnis odam: deinde omnium saturi requievimus, quo quisque sederamus loco, satis uvidi potu.

At reliqui noctem divique, hominesque per omnem
Dormibant, me nequaquam sopor altus habebat:

Verum mecum animo versabam, cum alia permulta, tum illa præcipue, qui fieret, ut Apollini tanto jam tempore non proveniret barba, aut quo pacto nasceretur nox in cœlo, quum sol semper adesset, unaque convivium agitaret. Ac tum quidem pusillum obdormii. Mane vero surgens Juppiter, jussit indici concionem: mox cum adessent omnes, sic farier infit: Ut vos convocarem, in causa fuit hospes hic, qui heri advenit: verum quum alioqui jam olim mihi fuerit animus communicare vobiscum de Philosophis, maxime vero a luna, hisque de quibus illa queritur, commotus, statui haud quaquam diutius prorogare consultationem. Est enim hominum genus, quod non ita pridem in vita fluitare cœpit, iners, contentiosum, gloriæ avidum, iracundum, gulæ studiosum, stultum, fastuosum, contumeliosum: & ut verbis Homericis dicam,

Telluris inutile pondus.

Isti igitur in sectas divisi, ac variis rationum labyrinthis excogitatis, alii sese Stoicos appellant, Academicos alii, alii Epicureos, alii Peripateticos: aliis item vocabulis, his multo magis ridiculis. Deinde ubi venerandum illud virtutis nomen induerint: tum adductis in altum superciliis, promissaque barba, fucato habitu obambulant, detestandos mores secum circumferentes, simillimi nimirum istis Tragœdiarum histrionibus, quibus si personas, stolamque illam auro sparsam detraxeris, quod superest, id ridiculum est: nempe homunculus septem denariis ad agonem conductus. Atqui hujusmodi quum sint, mortales quidem universos aspernantur, de diis vero absurda prædicant, contractisque cœtibus adolescentulorum, quos nihil negocii sit fallere, nobilem illam virtutem ostentant, & verborum ambiguitates docent, atque apud discipulos temperantiam semper ac modestiam laudant, opes ac voluptatem execrantur: cæterum ubi soli, & apud sese esse cœperint, quid attinet dicere, quantopere sese ingurgitent, quam immodici sint ad Venerem, quemadmodum autem etiam assium sordes oblingant? Jam illud est omnium gravissimum, quod cum ipsi nihil agant, neque publicum, neque privatum, sed inutiles ac supervacanei desideant:

Nus-

Nusquam in consiliis, nusquam numerentur in armis. Tamen reliquos accusant, ac virulentis quibusdam dictis congerentes, neque non maledicta quædam meditati, objurgant, proximisque convitiantur. Adeo ut is inter eos primas tenere videatur, qui clamosissimus sit, & impudentissimus, & ad maledicendum audacissimus. At sane si quis istum sine fine ista facientem, vociferantem, & cæteros incusantem percontetur ad hunc modum: Tu vero quid tandem facis? Aut quid per Deos dicemus te ad vitam conferre? Nimirum respondebit, si modo recta veraque fateri volet, hoc modo: Navigare quidem, aut agros colere, aut militare, aut artem aliquam aggredi, supervacaneum mihi videtur. Cæterum clamo, squaleo, frigida lavo, incalceatus per hyemem obambulo, ac veluti Momus ille, quæ ab aliis geruntur, calumnior. Ac si quis divitum sumptuosius opsonarit, aut amicam habeat: id exquiro atque indignor. Quod si amicorum quispiam aut sodalium, morbo decumbat, curaque & obsequio egeat, id ignoro. Hoc genus sunt nobis ô dii hæ pecudes. Jam vero qui ex his vocantur Epicurei, vehementer sunt etiam contumeliosi, neque mediocriter nos mordent, affirmantes neque diis esse curæ res mortalium, neque omnino considerari a nobis quid apud illos agatur. Quas ob res tempus est, ut de his consultemus: A propterea quod si semel valeant hæc persuadere iis, qui sunt in vita, non mediocriter esurietis. Quis enim post vobis rem divinam faciat, cum nihil inde exspectet emolumenti? Nam de quibus luna hos accusat, omnes audistis heri narrantem hospitem. Super his consultate, quæ pariter & hominibus sint quam utilissima, & nobis quam minime periculosa. Hæc locuto Jove, frequens adfremebat concio: mox clamatum est ab omnibus, effulmina, exure, comminue, in barathrum, in tartarum, ut gigantes. At Juppiter rursum indicto silentio, fient ista, inquit, quemadmodum vultis. Omnes comminuentur cum ipsa sua Dialectica. Quanquam in præsentia sane fas non est punire quemquam. B Est enim Hieromenia, sicuti nostis, quatuor hos menses. Jamque inducias promulgavi. Itaque proximo anno, ineunte vere, mali male perdentur formidando fulmine:

Sic ait, atque superciliis pater annuit atris.

Porro de Menippo hæc mihi videntur, inquit, ut ademptis illi alis, nequando denuo redeat, a Mercurio deferatur hodie in terram. Hæc loquutus dimisit cœtum. Me vero Cyllenius dextra aure suspensum, heri circiter vesperam deposuit in Ceramico. Audisti omnia, omnia inquam Amice, quæ e cœlo mecum adfero. Quare abeo jam eadem hæc renunciaturus Philosophis in Pœcila inambulantibus.

REVERENDO PATRI AC DOMINO D. RICHARDO, EPISCOPO WINTONIENSI, DESIDERIUS ERASMUS ROTERODAMUS, S. P. D.



PRISCORUM usque seculis mos hic in hæc nostra tempora deductus est, Amplissime Pater: ut Calendis Januariis principe ineuntis anni die, munuscula quæpiam missitentur: quæ nescio quid lætioris ominis afferre creduntur: tum ad quos abeunt: tum illis ad quos redeunt. Itaque quum ego dispicerem ecquid tandem muneris a nobis iret ad tantum patronum, ad tam potentem amicum: neque quicquam in mea reperirem supellectile, præter meras chartulas, profecto chartaceam strenam mittere sum coactus: quanquam quid aliud potius mitti conveniebat ab homine studioso ad Præsulem, omnibus quidem fortunæ muneribus magnificentissime cumulatum: sed qui virtutem virtutisque comites, honestas literas infinitis calculis anteponat: quique tanquam contemptim, peneque dixerim invitus fortunæ dona admittat: contra animi bonis quum sit opulentissimus, tamen semper magis ac magis cupiat ditescere? Porro nostrum hoc munusculum, si nulla alia licet, saltem Terentiani Parmenonis exemplo, hoc nomine commendabimus: quod non ex Æthiopia, verum e Samosata usque Comagenorum urbe sit profectum. Est autem Dialogus Luciani, cui titulus Toxaris, sive de amicitia, quem nos paucis hisce diebus Latinum fecimus. Qui quidem (uti spero) non omnino futurus est ingratus tuæ excellentiæ, vel ob id quod amicitiam prædicat, rem adeo sanctam, ut barbarissimis etiam nationibus olim fuerit veneranda: Nunc Christianis usque adeo in desuetudinem abiit, ut non dicam vestigia, sed ne nomen quidem ipsum exstet: quum nihil aliud sit Christianismus, quam vera perfectaque amicitia, quam commori Christo, quam vivere in Christo, quam unum corpus, una anima esse cum Christo: hominum inter ipsos talis quædam communio, qualis est membrorum inter se corporis. Neque minus tamen jucundus, quam frugifer futurus est, si quis modo decorum observet, quod in personis situm est. Nam Mnesippi Græci sermo, quam totus Græcanicum quiddam sapit: comis, facetus, festivus: contra Toxaridis Scythæ oratio, quam tota Scythicum quiddam spirat, simplex, incondita, aspera, sedula, seria, fortis. Quin etiam dictionis discrimen, quasique diversum filum a Luciano de industria affectatum, pro nostra virili referre curavimus. Hanc igitur qualemcunque clientuli tui strenulam amplissime Præsul, felicibus auspiciis accipe. Et Erasmum sicuti jampridem facis, amare, ornare, juvare perge. Vale Londini, Calendis Januariis. M D VI.

TOXARIS SIVE AMICITIA: INTERLOCUTORES, MNESIPPUS GRÆCUS, TOXARIS SCYTHA.

MNESIPPVS.



QVID ais, Toxaris? Sacrificatis Oresti ac Pyladi vos Scythæ, deosque esse illos creditis? TOXARIS. Sacrificamus, Mnesippe, sacrificamus inquam: haud tamen deos esse arbitrati, sed viros bonos. MNESIPPVS. An vero mos apud vos, etiam bonis viris posteaquam vita defuncti sint, perinde ut diis sacra facere? TOXARIS. Non istuc modo verum eosdem F festis diebus ac celebribus conventibus honoramus. MNES. Quid captantes aut sperantes ab illis? Neque enim quo benevolentiam illorum concilietis, ob id rem divinam illis facitis, quum jam sint mortui. TOXA. Nihil officiat, fortassis, si & eos qui mortui sunt, propitios haberemus: quanquam non ob id tantum hæc facimus: quin magis existimamus nos rem vehementer conducibilem & his, qui in vita sunt, esse facturos, si præstantium virorum memoriam celebremus, honoremque habeamus iis, qui vita defuncti sunt. Siquidem hac ratione futurum arbitramur, ut multi

A apud nos illorum similes evadere cupiant. Mnes. Ista quidem recte judicatis: at Pyladem atque Orestem quo nomine potissimum suspexistis, ut diis eos æquaveritis: idque adeo quum hospites vobis essent: vel, quod gravius, hostes? Quippe posteaquam naufragio ejecti ab iis, qui tum Scythiam incolebant, essent comprehensi, abductique, ut Dianæ immolarentur: adorti carcerarios, neque non oppressis excubiis, & regem trucidarunt, & assumpta sacerdote, quin ipsa quoque Diana sublata, navigio sese proripuerunt, irrisa publica Scytharum lege. Quod si ob istiusmodi facta honorem habetis viris: facile assecuti fueritis, ut multos illorum similes reddatis: Jamque ipsi ab hoc die usque ad prisca illa respicite, num vobis expedierit multos in Scythiam B Orestes ac Pylades appellere. Nam mihi quidem isto pacto mox futurum videtur, ut religionis ac deorum expertes reddamini, diis qui reliqui sunt, ad eundem modum e regione vestra in exilium ablegatis: postea, opinor, deorum omnium vice, viros, qui illos ejectum venerant, divinitate donabitis: & qui sacrilegi in vos fuerunt, iis tanquam diis sacrificabitis. Quod si nequaquam horum gratia Orestem ac Pyladem colitis, sed aliud quippiam, Toxaris, in vos beneficii contulerunt: qua gratia quum olim non esse deos judicaveritis, nunc e regione, sacra illis facientes, deos esse decrevistis? & qui tum parum aberant ut victimæ fierent, iis nunc victimas offertis? Enimvero ridicula videantur ista, & quum his quæ quondam statueratis pugnantia. Toxa. C Et ista quidem, Mnesippe, præclara sunt virorum illorum facinora, quæ commemorasti: videlicet duo cum essent, tam ingentem ausum audere, ut tam procul a sua patria profecti, mare transmitterent, Græcis ad id usque temporis intactum, nisi solis his, qui Argo in Colchidem trajecerunt exercitum: nihil expavefacti, neque fabulas, quæ de illo feruntur, neque appellationem veriti, quod inhospitum vocaretur, videlicet, opinor, quod feræ undique gentes accolerent: deinde quum jam capti essent, usque adeo strenue sese gesserint, neque sat habuerint, si tantum incolumes evaderent, nisi & a rege acceptam contumeliam ulti, & Diana sublata abnavigassent. Quid? an non admiranda hæc, & quæ divino quodam honore digna judicent, quicquid est hominum, qui virtutem suspiciunt? D Quanquam non ista spectantes in Oreste ac Pylade, pro heroibus illos habemus. Mnes. Atqui jam dices, quidnam præter ista suspiciendum patrarint atque divinum. Nam quantum ad navigationem & peregrinationem attinet, non paucos profecto diviniores istis ostendero negociatores, atque inter hos præcipuos Phœnices, qui non in Pontum neque ad Mæotidem usque, aut Bosphorum tantum enavigant, verum quaqua versus, Græcum ac Barbarum mare permetiuntur. Hi siquidem omnem oram, & omne littus (ut ita dixerim) perscrutati in annos singulos, extremo demum autumno in suam patriam revertuntur: quos scilicet ad eandem rationem pro diis habeto, idque etiamsi complures illorum caupones ac salsamentarios esse reperies. Toxa. E Audi nunc, o vir admirande, consideraque quanto nos, qui barbari vocamur, rectius vobis de bonis viris sentiamus. Si quidem in Argo atque Mycenis ne sepulchrum quidem ullum insigne videre est Orestis ac Pyladis, apud nos vero & templum ostenditur, ambobus illis communiter sacrum (ita ut par erat amicis) & hostiæ offeruntur, reliquusque omnis honos. Porro quod hospites erant, non Scythæ, id vero nihil obstat, quo minus boni viri judicentur: neque enim perpendimus cujates sint viri honesti ac probi, neque invidemus, si cum amici non fuerint, res egregias gesserunt. F Quin magis admirantes ea quæ patrarunt, ab ipsis factis domesticos ac nostrates illos ducimus. Quod autem potissimum stupentes in illis viris efferimus, illud est, quod nobis visi sunt amici inter sese longe optimi exstitisse, atque aliis exemplo fuisse, quasique legem statuisse, quemadmodum oportet amicos omnem inter se communicare fortunam. Simulque promeruisse, ut a Scythis, qui in amicitiæ laude primas tenerent, colerentur. Itaque quæcunque alter cum altero, vel alter pro altero tulit, ea majores nostri descripta in columna ærea reposuerunt in templo Orestis: ac leges statuerunt, ut ea columna prima esset institutio disciplinaque liberis suis, si meminissent, quæ in illa essent adscripta. Itaque pene patris quisque sui nomen citius oblivisceretur, quum res gestas Orestis ac Pyladis ignoraret. Quin & in porticu templi eadem quæcunque in columna notantur, priscorum picturis adumbrata visuntur. Nempe Orestes una cum amico navigans, deinde fracta inter abruptas cautes ipsorum nave comprehensus, & ad victimam adornatus, jamque Iphigenia initiat eos. Ex adverso vero in altero pariete idem jam vinculis exutus depictus est, ac Thoantem occidens, multosque ex Scythis alios. Postremo solventes, abducta Iphigenia ac dea. Porro Scythæ frustra scapham adoriuntur jam nantem, hærentes gubernaculis, ac conscendere conantes. Deinde re frustra tentata, alii quidem ex eis saucii, alii vero ejus rei metu compulsi: natatu semet in solum recipiunt, ubi vel maxime liceat perspicere, quantam alter in alterum benevolentiam præstiterit in conflictu cum Scythis. Fecit enim pictor utrumque de hostibus in semet ruentibus securum, propellentem autem eos qui in alterum feruntur, ac præ illo jaculis occurrere conantem, pro nihiloque ducentem, si intereat ipse, modo servet amicum, vel suo ipsius corpore præveniens, excipiensque ictus in illum intentos. Jam vero tantam illorum benevolentiam, atque in rebus tristibus communionem, fidem, humanitatem, veritatem, denique constantiam alterius in alterum amoris, hæc haud quaquam humana putavimus esse, verum animi cujusdam præstantioris, quam pro more vulgarium istorum mortalium, qui donec secundis ventis navigatur, amicis indignantur, nisi ex æquo participes fiant rerum lætarum: quod si vel paululum eis venti reflare cœperint, aufugiunt, solos in periculis deserentes. Enim vero ut & illud noveris, nihil amicitia melius arbitrantur Scythæ, neque est in quo Scytha magis glorietur, quam in adjutandis amicis, communicandisque rebus acerbis: quemadmodum neque probrum apud nos majus ullum, quam amicitiæ desertorem videri. Has ob res Orestem ac Pyladem veneramur, quod præstantes exstiterint in Scytharum virtutibus, atque in amicitia præcellentes, id quod nos omnium maxime admiramur. Appellationem quoque ex his illorum factis imposuimus, ut Coraci vocentur, quod quidem nostra in lingua perinde sonat, ac si quis dicat: dii amicitiæ præsides. Mnesippus. Hui, Toxaris, profecto non arcu modo valuerunt Scythæ, bellicisque in rebus cæteris antecelluerunt, verum videntur & ad orandum persuadendumque omnium aptissimi: unde mihi quum dudum secus videretur, nunc eidem merito fecisse videmini, qui sic Orestem, ac Pyladem in deorum numerum retuleritis: Verum illud me fugerat vir optime, quod pictor quoque bonus esses. Admodum enim evidenter ostendisti nobis, quæ sunt in Orestis templo, picturas, pugnamque virorum, alterique pro altero suscepta vulnera. Tametsi non putaram amicitiam usque adeo cultam fuisse quondam apud Scythas, magis autem quod barbari essent, atque agrestes, simultate quidem, ira, rabieque perpetuo committi: amicitiam vero, ne in familiarissimos quidem exercere solitos: idque conjiciens, quum ex aliis quæ de illis audimus, tum ex hoc, quod progenitores suos vita defunctos devorant. Toxaris. An nos Græcis quum aliis in rebus, tum in his quæ ad parentum attinent cultum, sanctiores, magisque pii simus, in præsentiarum haud quaquam contenderim. Quod autem nostrates amici longe fideliores sint amicis Græcis: quodque amicitiæ ratio major apud nos, quam apud vos, haud difficile fuerit docere. Ac per deos Græcorum, ne tibi molestum sit audire, si quæ perspexi, dixero, multum jam temporis apud vos versatus: vos enim mihi videmini præclarius cæteris de amicitia verba posse facere, vim vero factaque illius, adeo non solum pro sermonum dignitate non exercere; ut sat vobis sit prædicare eam, & quantum sit bonum, ostendere. At ubi usu venit, deficientes a sermonibus, nescio quomodo, e medio negocio aufugitis. Cæterum quum Tragœdi in scenam progressi, istiusmodi amicitias vobis repræsentant, plerique laudatis atque applauditis, ac pro se mutuo periclitantibus illis lachrymatis, ipsi vero nihil dignum laude pro amicis præstare audetis. Quin si quando forte accidat, ut egeat amicus, ibi protinus non secus atque insomnia, procul avolantes evanescunt vobis multæ illæ Tragœdiæ, vosque similes relinquunt inanibus istis, ac mutis personis, quæ diducto ritu, atque immane hiantes ne minimum quidem loquuntur. At nos e diverso, quo sumus in dicendo de amicitia posteriores, hoc in præstanda ea præcedimus. Quare si videtur, ita in præsentiarum agamus, priscos

priscos illos amicos valere sinamus, si quos vel nos, vel vos ex his, qui olim fuere, recensere valemus, quando ista quidem parte vos nimirum superaveritis, compluribus ac gravibus adductis testibus, nempe Poetis, qui Achillis & Patrocli amicitiam, tum Thesei Perithoique, neque non aliorum necessitudinem, pulcherrimis versibus carminibusque contexuerunt. Quin paucos quosdam in medium adferamus ex his, qui nostra ipsorum memoria fuerint, atque eorum res gestas exponamus: Ego quidem Scythicas, tu vero Græcanicas. Et in his uter superarit, melioraque produxerit amicorum exempla, is & victor esto, ac suam ipsius victoriam promulgato, tanquam qui pulcherrimum honestissimumque certamen decertarit: adeo ut ego quidem non paulo malim mihi in singulari victo certamine dextram amputari (nam ea est apud Scythas victo poena) quam in amicitia quopiam inferior judicari, præsertim Græco, ipse Scytha quum sim. MNESIP. Quanquam est haud mediocris negocii, cum viro, ita ut tu es, bellatore, singulari certamine congredi, tum admodum instructo missilibus ac penetralibus narrationibus, haud tamen usque adeo ignaviter, tam cito universam deserens Græciam, tibi cessero. Etenim vehementer absurdum fuerit, quum duo illi tantum vicerint Scytharum, quantum fuisse declarant tum fabulæ, tum vetustæ vestræ picturæ, quas paulo ante scite admodum repræsentabas, Græcos omneis, tot nationes, tot civitates, nullo defendente vinci abs te. Nam istuc si fiat, non dextram, quemadmodum apud vos solet, sed linguam exsecari conveniat. Sed utrum spectare nos oportet, numerum ne eorum, quæ amice quis gesserit, an magis quo plures alteruter amicos referre poterit, hoc victoria dignior videbitur? TOXA. Nequaquam, imo non multitudine vis horum spectetur, verum si quæ tu narrabis facta, his quæ narrabo, videantur præstantiora, magisque penetrantia, tum nimirum etiam si numero paria sint, opportuniora magisque letalia mihi facient vulnera: Ac pene memet ad ictus accommodabo. MNESIP. Probe loqueris. Statuamus igitur quot erunt satis. TOXA. Mihi quidem satis fore videtur, si uterque quinque narret exempla. MNESIP. Itidem mihi videtur, ac prior dicito, verum adjuratus, nimirum non nisi vera dicturum, alioqui fingere ejusmodi, non admodum fuerit difficile, palam autem refelli non queant. Porro si juraris, nefas sit non habere fidem. TOXA. Jurabimus, si quid etiam jurejurando opus esse censes. MNESIP. At quis tibi e diis nostratibus, num satisfaciat Juppiter Philius? TOXA. Et maxime. Ego quoque tibi nostratem jurabo, meapte in lingua. MNESIP. Testis igitur esto Juppiter Philius, quæcunque dicturus sum apud te, ea nimirum vel quæ viderim ipse, vel quæ ab aliis, quoad fieri potuit, diligentissime perceperim, narraturum, nihil ex meipso comminiscentem, allevantemque. Ac primo quidem loco, Agathoclis Diniæque amicitiam referam, quæ apud Jonas est celebratissima. Nam Agathocles hic, qui Samius fuit, non ita pridem vixit, vir in amicitia quidem præcipuus, ita ut re declaravit: cæterum reliquis in rebus vulgo Samiorum nihilo præstantior, neque genere, neque cæteris item opibus. Huic cum Dinia Ephesio, Lysionis filio, amicitia a puero intercesserat. Porro Dinias supra modum ditatus est, & quemadmodum solent ii, qui nuper opes nacti sunt, complures & alios secum habebat, satis quidem idoneos illos, & ad compotandum, & ad voluptuariam consuetudinem, ab amicitia vero longe alienissimos. Atque inter hos interim habebatur Agathocles, convivebatque & compotabat illis, non admodum approbans eam vivendi rationem. Dinias autem nihilo hunc potiorem habebat, quam cæteros adulatores. Tandem etiam offendere cœpit, crebrius objurgans, molestusque videbatur, quippe qui admoneret eum majorum, præciperetque ut servaret, quæ multo labore parta, pater illi reliquisset, adeo ut ob hæc ne ad comessationes quidem illum deinceps adhiberet, sed solus cum illis comessaretur, celare cupiens Agathoclem. Demum ab assentatoribus illis misero persuasum est, quod adamaretur a Chariclæa Demonactis uxore, viri illustris, atque inter Ephesios in honoribus civilibus primarii. Jam & literulæ a muliere ad illum ventitabant, & serta semimarcida, & mala quædam admorsa: denique quicquid ad hæc lenæ machinantur in adolescentes, quo paulatim illis amorem artibus quibusdam inserant, primumque hac incendant opinione, quod sese credant amari. Nam plurimum illicit & hoc, præsertim eos, qui sibi formosi videntur, donec imprudentes in casses inciderint. Erat autem Chariclæa urbana quidem & elegans muliercula, at supra modum meretricia, semperque illius, quicunque forte adisset, etiam si quis admodum leviter concupivisset: quin si vel adspexisses duntaxat, protinus adnuebat, nec ullo pacto metuendum erat, ne quando recusaret Chariclæa: admirabilis autem alioqui artifex, quavisque meretrice doctior allicere amatorem, & ambiguus quum adhuc esset, totum subigere: at quum jam teneretur, incitare, ac magis magisque accendere, nunc ira, nunc blandimentis, ac mox fastidio: deinde injecta suspicione, quasi ad alium sese deflexura esset: postremo omni ex parte egregie docta erat mulier, & absoluta, artibusque omnigenis in amantes instructa. Hanc igitur tum Diniæ adulatores accersiverant in adolescentulum: multaque adsimulabant, quo eum in amorem Chariclææ impellerent. Illa porro quæ complureis jam adolescentes jugularat, & innumerabiles amores fuerat mentita, domosque opulentas everterat: varium quoddam, atque inexpugnabile malum: ubi nacta manibus est simplicem, & hujusmodi artium imperitum adolescentulum, haud quaquam amittebat ex unguibus: sed undique oppugnans tentansque, ubi jam omnium esset compos, tum ipsa dum captat capta periit, tum infelici Diniæ innumerabilium malorum exstitit causa. Nam primum quidem statim literulas illa ad illum dat: ac subinde missitat ancillulam, quæ renunciaret ut fleret, ut vigilaret: postremo ut misera præ amore suffocatura esset sese: donec jam beatus ille persuasus, sibi formosus esse videretur, atque Ephesiorum uxoribus præter cæteros adamabilis. Ac tandem in congressum adductus est multis precibus exoratus. Et ex eo quidem tempore facilis jam erat conjectura, fore ut caperetur a muliere formosa, ad voluptatem congredi docta, & in loco flere, & inter loquendum miserabiliter suspirare, & jam abeuntem amplecti, & adeunti obviam occurrere, & formam colere, sic ut maxime placitura esset: interdum vel voce, vel cithara canere, quibus omnibus in Diniam usa est. At ubi sensit excruciari, jamque amore illaqueatum, ac subjugum esse factum: aliud ad hæc excogitat, quo miserum subvertat, gravidam se ex eo simulat: nam hoc quoque efficax ad magis ac magis inflammandum stultum amantem. Neque postea commeabat ad illum, affirmans a viro observari sese, qui jam amorem persensisset. Hic vero rem jam non ultra ferre potis erat, neque durare quibat: quum illam non adspiceret: sed lachrymabatur, adulatoresque ad sese accersebat, ac Chariclææ nomen inclamabat: imaginemque illius amplexus (candido enim lapide fecerat) ejulabat. Demum in solum abjiciens sese jactabatur: planeque res extremæ dementiæ speciem obtinebat. Siquidem munera reddita sunt mulieri, non pro malorum aut corollarum precio: sed solidæ domus, agri, famulæ, vestes florulentæ, auri quantum optaret. Quid multa? Brevi Lysionis domus antea inter Jones nobilissima, exhausta est, atque exinanita. Deinde ubi jam exsuccus esset, eo relicto, alium quempiam adolescentulum Cretensem, bene nummatum venata est, atque ad illum descivit. Jam, videlicet, illum adamabat: atque is quidem credebat. Itaque Dinias neglectus non a Chariclæa modo, verumetiam ab assentatoribus (nam isti quoque ad Cretensem amatorem jam desciverant) abit ad Agathoclem, jampridem non inscium, quam illi res misere haberent. Ac pudescens quidem initio, tamen exposuit omnia, amorem, egestatem, arrogantiam mulieris, rivalem Cretensem: in summa, non victurum sese, nisi cum Chariclæa consuetudinem haberet. Ille vero intempestivum esse ratus id temporis exprobrare Diniæ, quapropter ex amicis unum sese non admisisset, sed tum quidem assentatores suos sibi antepesuisset: divendita, quam unam habebat in Samo, domo paterna, precium illi attulit talenta tria. Quæ simulatque recepisset Dinias, haud clam erat Chariclææ: rursus subito formosus factus: rursus ancilla & literulæ, & expostulatio, quod jam diu sese non adisset: concurrerunt item adulatores applaudentes, ut viderunt Diniæ adhuc esse quod daret. Cum autem pollicitus esset sese venturum ad illam, venissetque primo fere somno, essetque intus Demonax Chariclææ maritus, sive quod alioqui præsenserat, sive de composito, proditioneque uxoris (nam utrumque fertur) exsiliens velut ex insidiis, & atrium jubet occludere,

A & Diniam comprehendi ignem ac flagra minitans: neque non gladium tanquam in mœchum educens. Ille porro reputans quibus in malis esset, vecte quopiam de proximo, ut jacebat, arrepto, tum ipsum occidit Demonactem, in tempus adigens: tum Chariclæam, atque hanc quidem non ictu uno, verumetiam & vecte sæpius, & postea Demonactis gladio, feriens. At famuli interea muti stabant, rei novitate attoniti. Deinde comprehendere conati, quum in hos quoque ferro insiliret, ipsi quidem aufugerunt. Dinias autem clam sese subduxit, tanto patrato facinore. Et ad auroram usque apud Agathoclem diversabatur, pariterque & quæ facta essent reputabant, & quid in posterum esset eventurum, considerabant. Ut autem diluxit, milites aderant, (jam enim res erat divulgata) comprehensumque

B Diniam, nec hunc inficiantem homicidium, adducunt ad præfectum, qui per id tempus Asiam moderabatur. Hic eum ad Persarum Regem remittit. Nec ita multo post relegatus est Dinias in Gyaron insulam ex Cycladibus unam, damnatus a Rege, ut in ea, quoad viveret exularet. Agathocles autem cum reliquis in rebus nunquam abfuerat, tum pariter solvit in Italiam, & amicorum solus una est in judicium comitatus, neque usquam defuit officio. Porro ubi jam in exilium profectus est Dinias ne tum quidem desertus est ab amico. Quin potius ipse suapte sponte damnatus versabatur in Gyaro, simulque cum illo exulem agebat. At quum jam rerum necessariarum omnium inopia laborarent,

C locans seipsum purpurariis, una cum aliis urinabat, quodque hinc partum est referens, Diniam alebat. Quin & ægrotanti diutissime inservivit: & ubi vita defunctus est, noluit unquam in patriam reverti, verum inibi perseveravit in insula, pudori sibi fore ratus, si vel mortuum amicum deseruisset: Hoc tibi Græci factum amici retulerim, quod quidem non ita pridem accidit, haud enim scio an anni quinque præterierint, quod Agathocles in Gyaro mortem obiit. Toxa. At utinam injuratus ista Mnesippe dixisses, videlicet quo mihi fas esset, eis non habere fidem. Adeo Scythicum quendam amicum Agathoclem istum descripsisti, quin vereor ne quem & alium isti similem narres. Mnes.

D Audi jam & alium, Toxaris, Euthydicum Chalcidensem. Retulit autem mihi de hoc Simylus nauclerus Megarensis, adjurans profecto se teste rem factam esse. Ajebat enim navigasse sese ex Italia Athenas, circiter Plejadum occasum, collecticios quosdam homines veheentem, in his fuisse Euthydicum, unaque cum hoc Damonem Chalcidensem ejusdem amicum. Ac natu quidem eos æquales fuisse: verum Euthydicum valentem, robustumque, Damonem contra, subpallidum atque valetudinarium, quasi qui nuper (ut apparebat) ex diuturno morbo revaluisset. Itaque ad Siciliam usque feliciter ajebat Simylus navigasse ipsos. Cæterum ubi transmisso freto, in ipso jam Jonio mari navigarent, tempestatem maximam eis incubuisse. Quid autem attinet multa referre: immaneis quasdam procellas ac si-

E nuosas, tum grandines, & si quæ alia tempestatis mala? Ut vero jam haud procul abessent a Zacyntho, nuda navigantes antenna: præterea & funes quosdam trahentes, quo nimirum vim, impetumque fluctus exciperent: circiter noctis medium, Damonem, qui in tanta jactatione nausearet, vomuisse in mare propendentem. Deinde, ut conjicio nave vehementius in eam partem, in quam ille propendebat, inclinata, simulque propellente fluctu, excidisse eum prono capite in pelagus: neque nudum tamen, videlicet ut misero vel natare commode liceret. Mox itaque succlamasse quum præfocaretur, vixque sese ab undis sustolleret. Porro Euthydicum simulatque audisset (nam forte fortuna nudus in strato tum erat) abjecisse semet in mare, arreptoque Da-

F mone, qui jam deficiebat (diutius enim ista videri poterant, luna scilicet relucente) una juxta illum nasse, ac sublevasse. Ac voluisse quidem illis opitulari sese miseratos virorum calamitatem, verum nequisse, quod vento prævalido raperentur. Illud tamen fecisse, subera complura ad illos projecisse, tum ex contis aliquot, ut ab his suspensi natarent, si quem forte ex eis nancíscerentur, postremo scansoria quoque tabulata, quæ quidem erant neutiquam exigua. Cogita jam per deos, quod aliud gravius benevolentiæ documentum quisquam edere queat in hominem amicum, qui noctu decidisset in mare, usque adeo sæviens, quam communicata morte? Jamque adeo mihi ante oculos pone imminentes procellas, fragorem aquæ sese adglomerantis, spumam undique effervescentem, noctem, ac desperationem. Ad hæc illum jam præfocari incipientem, vixque undis exstantem, manusque porrigentem amico: hunc autem incontanter insilientem, simulque nantem, prorsusque sollicitum, ne se prior Damon interiret. Sic enim profecto cognosces, quod haud ingenerosum hunc quoque amicum, videlicet Euthydicum, retulerim. Tox. Utrum perierunt viri, Mnesippe, an salus quæpiam ex insperato illis contigit? Adeo ego illis non mediocriter timui. Mn. Bono animo es, Toxaris, servati sunt, quin hodieque Athenis agunt, ambo Philosophiæ dantes operam. Nam Simylus ea demum narrare poterat, quæ noctu videre licuit, hunc delapsum, illum desilientem, simulque nantes, quatenus per noctem dabatur adspicere. Porro quæ post hæc acciderint, Euthydicus ipse narrat. Primum quidem, subera quædam forte nactos, suspendisse de his sese, atque ita hærentes fluitasse, sane quam incommode. Deinde ubi tabulata conspexissent, jam sub auroram annasse, conscensisque illis commode deinde nantes appulisse Zacynthum. Post hos autem, qui neutiquam mali sunt, ut ego quidem autumo, accipe jam tertium, nihilo istis inferiorem. Eudamidas Corinthius Aretæo Corinthio, & Charixeno Sicyonio amicis utebatur, & iis quidem opulentis, quum ipse pauperrimus esset. Hic vita decedens, testamentum reliquit, aliis quidem fortasse deridiculum, tibi vero, haud scio, an tale sit appariturum, viro probo, & apud quem amicitia in precio sit, quique vel cum præcipuis in ea certare queas. Sic enim in eo scriptum erat: Lego Aretæo quidem matrem meam alendam, atque in senecta fovendam: Charixeno vero filiam meam elocandam cum dote, quanta ab illo maxima dari poterit. Erat autem illi mater anus, ac filiola jam matura nuptiis. Si quid autem interim acciderit alterutri, hujus quoque partem (inquit) alter habeto. Hujusmodi lecto testamento, ii qui tenuitatem quidem Eudamidæ noverant: at amicitiam, quæ illi cum his viris intercesserat, ignorabant, rem pro ludo jocoque ducebant. Nemo certe aderat, qui non cum risu discederet, quod ejusmodi hæreditatem Aretæus & Charixenus essent accepturi, felices videlicet, atque ita ajebant: Si quidem persolvent Eudamidæ, superstites etiam ipsi hæreditatem tradent mortuo. At hæredes quibus ista erant legata, ut audierunt, venerunt illico, agnoscentes rataque facientes ea, quæ erant testamento mandata. Itaque Charixenus quinque duntaxat dies superstes, diem obiit. Aretæus autem optimus successor factus, tum illius, tum suo ipsius suscepto onere, & matrem alit Eudamidæ, & filiam non ita pridem elocavit, ex quinque talentis quæ possidebat, duobus in propriæ filiæ dotem, duobus in amici filiam erogatis: Ac nuptias ambarum eodem die fieri voluit. Quid tibi, Toxaris, Aretæus iste videtur, numnam leve amicitiæ argumentum exhibuisse, adita hujusmodi hæreditate, neque deserto amici sui testamento? an hunc quoque in perfectis idoneisque calculis ponimus, ut sit unus e quinque? Tox. Et iste quidem egregius, quanquam equidem Eudamidam multo magis ob fiduciam admiratus sum, qua fuit erga amicos: declaravit enim, quod & ipse eadem fuisset facturus erga illos tametsi non essent ea scripta in testamento, verum ante alios venisset non scriptus talium hæres. Mnes. Probe dicis. Sed quartum jam tibi narrabo: Zenothemim Charmolei, Massilia oriundum. Commonstrabatur autem mihi in Italia, patriæ nomine legatum agenti, vir decorus, procerus, ac dives, ut apparebat. Assidebat illi uxor in rheda iter facienti, quum alioqui deformis, tum dimidia nempe dextra corporis parte manca, alteroque capta oculo, teterrimum quoddam & refugiendum terriculum. Deinde quum demirarer, si decorus ille quum esset, ac venustus, sustineret ejusmodi mulierem sibi adjunctam: is qui mihi eum commonstrabat, causam exponit, quare in id matrimonium incidisset: noverat enim comperte omnia, nam ipse quoque Massiliensis erat. Menecrati, inquit, hujus fœdæ patri, amicus erat Zenothemis, viro diviti ac honorato, ipse iisdem rebus par. Deinde aliquanto post, facultatibus exutus est ex condemnatione Menecrates, quo tempore pariter infamis, & ad capessendos magistratus inidoneus est judicatus a sexcentum viris, tanquam qui sententiam iniquam pronunciasset. Ad hunc autem modum, inquit, nos Massilienses mulctamus, si quis corrupte judicet. Graviter ita-

que ferebat Menecrates: primum, quod esset condemnatus: deinde quod e divite pauper: postremo, quod ex nobili repente factus esset infamis, ac rejectitius. At præter cætera eum ipsa discruciabat filia jam nubilis, utpote annos nata decem & octo, quam ne cum omni quidem patris substantia, quam ante condemnationem possederat, dignatus fuisset quisquam ingenuus ac pauper facile accipere, quæ tam infelici fuerit forma. Quin & concidere dicebatur, idque circa lunam crescentem. Hæc ubi apud Zenothemim deploraret, bono, inquit, animo es Menecrates. Neque enim ipse egebis necessariis, & filia tua dignum aliquem suo genere sponsum invenerit. Atque hæc eloquutus, statim apprehensa illius dextra, deduxit domum. Ibique opes, quæ illi multæ erant, partitus est cum illo, ac cœna parari jussa, convivio accepit amicos, & in his Menecratem, veluti jam e necessariis cuipiam persuasisset, ut puellam in matrimonium acciperet. Posteaquam autem convivium peregerant, libassentque diis, tum vero plenum illi calicem porrigens: accipe, inquit, Menecrates, a genero symbolum affinitatis poculum, nam hodie ducturus sum ego filiam tuam Cydimacham, dotem autem jam olim accepi, talenta quinque & viginti. Illo vero respondente, absit ne feceris, o Zenothemis, neve ipse usque adeo insaniam, ut te neglectum, qui & juvenis es, & formosus, conspiciam cum deformi puella, ac debilitata conjugatum. Hæc, inquam, illo loquente, hic sponsam adjunctam tollens, abduxit in thalamum: ac paulopost prodiit, ea devirginata, atque ex eo tempore cum illa vivit, supra modum diligens, & quemadmodum vides, circumferens eam. Et non solum non pudet matrimonii, verumetiam perinde atque glorians de eo, sic ostentat, propterea quod negligit corporis formam ac fœditatem, ad hæc opes & famam, tantum amici rationem habet Menecratis, neque arbitratur eum sexcentum virum sententia deteriorem esse factum, quantum ad necessitudinem. Quanquam pro his jam illi gratiam retulit fortuna, ad hunc modum. Puellus enim ei formosissimus ex illa deformissima susceptus est. Neque diu est, quod tollens hunc pater intulit in curiam, frondibus oleaginis coronatum, ac pullis amictum, quo plus miserationis avo conciliaret. At infans arridebat judicibus, manibus complodebat. Itaque curia commota super illo, remisit mulctam Menecrati, atque ille jam rei, famæque restitutus est, ejusmodi patrono usus apud judices. Hæc affirmabat Massiliensis Zenothemim amici gratia fecisse, haud mediocria, sicuti vides, neque qualia passim Scythæ factitant, qui concubinas formosissimas summa cura deligere dicuntur. Restat nobis quintus. Neque vero mihi videor alium quempiam debere dicere, Demetrio Suniensi præterito. Navigarat in Ægyptum Demetrius, una cum Antiphilo Alopecensi, qui cum illi jam inde a teneris annis fuerat amicitia, atque ephebus ephebo convixerat, pariterque fuerat eruditus, ipse quidem Cynicam disciplinam sequutus, sub Rhodio illo Sophista, Antiphilus vero medendi scientiam exercuerat. At hoc temporis forte profectus fuerat in Ægyptum, ad spectaculum Pyramidum, Memnonisque. Nam audiverat illas, quum essent sublimes, umbram non jacere: Memnonem autem vocem edere, exoriente sole. Harum igitur rerum cupiditate adductus Demetrius: videlicet ut Pyramidas intueretur, ac Memnonem audiret: sextum jam mensem adverso Nilo navigabat, relicto Antiphilo, quod is itinere atque æstu defessus esset. Huic autem interea calamitas incidit, quæ singularem quempiam amicum postularet. Nam puer ejus ut nomine, ita & patria Syrus, inita societate cum sacrilegis aliquot, una cum illis in Anubis templum irrupit: sublatoque deo, ad hoc phialis aureis duabus, tum caduceo, aureo & hoc, neque non cynocephalis argenteis, atque id genus aliis: omnia apud Syrum deposuerant. Deinde forte comprehensi, (capti enim fuerant, divendentes nescio quid) rem omnem protinus confessi sunt, districti in rota, deportatique venerunt in ædes Antiphili: ibi res furto sublatas depromebant, sub lectica quadam in abdito conditas. Syrus itaque illico vinctus, unaque herus hujus Antiphilus: atque is quidem interea dum præceptorem audit, avulsus. Nec opitulabatur quispiam: quin magis hi qui fuerant hactenus amici, aversabantur hominem tanquam qui templum Anubis sacrilegio compilasset: seseque impiari credebant, si cum illo bibissent, aut edissent. Porro duo qui reliqui erant pueri, quicquid erat in domo, convasantes, fuga discesserunt. In vinculis igitur erat miser Antiphilus multum jam temporis: habitus interim omnium, quantum in carcere erat, sontium scelestissimus. Porro præfectus carceris Ægyptius, homo superstitiosus, ratus sese gratum facere deo, atque illius ulcisci vices, gravis Antiphilo imminebat. Quod si quando defenderet, affirmans se nihil ejusmodi patrasse, impudens habebatur: atque hoc nomine multo etiam magis erat invisus. Subægrotabat itaque jam, maleque habebat: nec mirum, quippe qui humi cubaret, idque etiam noctu, neque crura sineretur protendere, ligno inclusa: nam per diem catasta stringebatur, altera manu vincta ferro, at noctu cogebatur totus in vinculis esse. Ad hæc insuper domicilii pedor ac præfocatio, multis ibidem vinctis, locumque angustum prementibus, adeo ut vix respirarent: tum ferri stridor, ac somnus exiguus, hæc omnia molesta erant, atque intoleranda: nimirum homini ejusmodi rerum insueto, minimeque ad tam durum vitæ genus exercitato. Quum vero jam deficeret, ac ne cibum quidem capere posset, reversus est tandem & Demetrius, nihil dum sciens eorum quæ acciderant. Ut autem cognoverat quo in loco res esset, statimque curriculo ad carcerem venisset: tum quidem admissus non est, propterea quod vespera jam esset, & carceris custos jamdudum occlusis foribus dormiebat, ministris excubias agere jussis. At mane quum esset ingressus, multis videlicet precibus admissus, accedens multo tempore quærebat Antiphilum: quippe malorum multitudine sic immutatum, ut cognosci non quiret. Circumiens igitur, e vinctis unumquemque contemplabatur, eorem more qui familiarum cadavera jam marcida facta, requirunt in stragibus. Quod ni nomen fuisset eloquutus, Antiphilum Denomenis filium: ne longo quidem tempore potuisset agnosci quisnam esset, usque adeo præ malis erat transfiguratus. Ut vero ad vocem agnitam respondisset, atque adeunte illo comam diduxisset, eam a vultu abigens sordidam atque impexam, ostendit sese quis esset. Hic ambo collapsi sunt, oculis oborta caligine, in tam inopinato spectaculo. Verum aliquanto post, posteaquam & ipse sibi redditus, & Antiphilum recipiens Demetrius de singulis esset illum diligenter percontatus, bono animo esse jubet. Tum dissecto pallio, dimidiato quidem induitur ipse: reliquum autem illi donat, detractis illi putribus atque detritis, quibus erat opertus panniculis, atque ex eo die modis omnibus illi aderat: curam ejus agens, inserviensque. Locans enim sese iis, qui versabantur in portu mercatoribus, a mane ad medium usque diem, oneribus gestandis non parum lucri faciebat. Deinde ab opere reversus, mercedis partem carcerario in manum dabat, quo illi mansuetum hunc, ac pacatum redderet. De reliquo autem, in amici curam affatim suppeditabat. Atque interdiu quidem aderat Antiphilo, quo illum consolaretur: ubi vero nox occupasset, pro carceris foribus facto ex herbis thorulo, substratisque frondibus, acquiescebat. Et in hunc quidem modum aliquandiu degebant: ut Demetrius nullo vetante ingrederetur, atque ob id mitius ferret calamitatem Antiphilus: donec exstincto in carcere latrone quopiam, idque ut putabatur veneno, & custodiæ exactissime observatæ, neque deinde quisquam admissus in domicilium vinculis liber. Quas ob res dubius atque anxius, quum alia via non pateret, qua liceret amico adesse: adito præfecti collega, seipsum defert, tanquam in irruptione templi Anubis communem operam addidisset. Id simulatque confessus est, abductus est illico in carcerem, ac ductus ad Antiphilum. Nam hoc magnis precibus vix obtinuerat a carcerario, ut proxime Antiphilo, atque eadem in trabe vinciretur. Hic igitur vel maxime declaravit, quanto in illum fuerit amore, quum sua ipsius incommoda negligeret, cum & ipse interim ægrotaret: illud autem curæ haberet, quo pacto fieri posset, ut ille & quamplurimum dormiret, & minimum angeretur. Atque ita commode tolerabant, communicatis inter ipsos malis: donec aliquanto post, tale quiddam accidit, quod finem ferme eorum imponeret calamitati. Siquidem e vinctis quispiam, haud scio unde nactus limam, adjunctis conjuratis captivorum plerisque, catenam insecuit, qua seriatim erant adstricti, cyphonibus in hanc insertis, solvitque omnes. Qui quidem facile trucidatis, quippe paucis, custodibus, conglobati prosiliere. Atque hi quidem illico quo quisque poterat dissipati, postea plerique sunt comprehensi. Porro De-

Demetrius & Antiphilus inibi remanserunt: Syro quoque retento, qui jam aufugere parabat. Ut autem diluxisset: Ægypti præses, cognito quod acciderat, emisit quidem qui illos insequerentur: accersitis autem iis, qui erant cum Demetrio, solvit a vinculis collaudatos, quod soli non aufugissent. At illis haud quaquam sat erat, ut hoc titulo dimitterentur. Clamabat autem Demetrius, sibique non mediocribus in rebus injuriam fieri prætendebat, si pro maleficis habiti, viderentur vel commiseratione, vel ob id laudis, quod non aufugissent, dimitti: In summa, compulere judicem, ut causam exactius excuteret. At hic ubi repperit, nihil eos commeritos, collaudatos illos, Demetrium autem seorsum quoque admiratus, liberos esse jussit, consolatus super pœna quam tulerant, præter jus in vincula conjecti. B Quinetiam ambos munere prosecutus est, idque de suo: Antiphilum drachmarum decem millibus, bis tanto Demetrium. Ac Antiphilus etiam nunc quidem in Ægypto est. Demetrius autem sua quoque viginti millia relinquens amico, concessit in Indiam: profectus est ad Brachmanas, tantum hoc loquutus Antiphilo, merito sibi jam ignoscendum videri, quod tum ab eo discederet. Neque enim sibi opus fore pecunia, quoad is perseveraret esse qui erat, videlicet qui possit paucis esse contentus, neque illum amplius egere amico, quippe cui res jam feliciter haberent. Hujusmodi sunt Toxaris amici Græci. Quod ni initio notasses nos, tanquam qui verbis nos jactaremus: idem profecto relaturus eram tibi complures orationes, atque eas egregias, C quas Demetrius habuerit in judicio: quum interim pro seipso nihil responderet: pro Antiphilo vero lachrymas funderet, atque etiam supplex esset, totamque causam in sese reciperet, donec Syrus flagris cæsus, ambos eos liberos fecit. Hos igitur paucos e plurimis, quos mihi primum memoria suggessit, tibi narraverim præclaros ac firmos amicos. Quod reliquum est, jam decedens a narratione, tibi dicendi partes trado. Tu porro uti Scythas his non inferiores referas, sed longe præstantiores, tibi ipsi curæ fuerit, si quid de dextra sollicitus es, ne ea tibi præcidatur. Verum oportet strenuum præstare virum. Etenim res quædam vehementer ridicula tibi contigerit, si cum Orestem ac Pyladem admodum sophistice laudaris, pro Scythia dicens Orator ignavus appareas. Toxa. Recte tu quidem, Mnesippe, qui quidem ad dicendum etiam exhortaris: perinde quasi nihil sollicitus sis, ne tibi lingua exsecetur, victo in narrationibus. D Sed jam exordiar nihil quidem quemadmodum tu, verbis phalerans atque exornans (neque enim is Scytharum mos) præsertim quum res ipsæ longe magis loquantur, quam verba. Nihil autem ejusmodi exspectaveris a nobis cujusmodi in commemorando laudibus extulisti: puta si quis sine dote duxerit deformem mulierem, aut si quis amici filiæ nubenti peculiolam donaverit, duo talenta, ac per Jovem, si quis sponte eat in vincula, quum certo sciat se paulo post esse solvendum. Admodum enim levia ista, neque quicquam inest in his, vel magni negocii, vel virile quod sit. E Cæterum ego tibi referam multas cædes, bellaque & mortes, amicorum causa susceptas, ut intelligas vestra ista lusum esse, si cum Scythicis conferantur. Neque tamen istuc sine causa facitis, sed merito parva ista miramini: propterea quod non sunt vobis admodum graves occasiones declarandæ amicitiæ, quippe in alta pace viventibus. Quemadmodum nec in tranquillitate queas scire, bonus sit gubernator, nec ne. Tempestate enim tibi opus fuerit, ad hoc ut dignoscas. At apud nos bella perpetua, & aut invadimus alios, aut cedimus invadentibus, aut ubi forte concurrimus, pro pascuis prædaque pugnamus. Hic potissimum opus est bonis amicis, eoque quam firmissime constituimus amicitias, sola hæc arma invicta atque inexpugnabilia esse judicantes. F Prius autem volo tibi commemorare, quo ritu faciamus amicos, non ex poculis, quemadmodum vos, neque si quis æqualis sit, aut vicinus: verum ubi strenuum quempiam virum conspexerimus, quique præclara facinora patrare possit, in hunc omnes studio incumbimus, & quod vos in ambiendis conjugiis, id nos in amicis non gravamur, diu quasi procos agentes, nihilque non facientes, ne videlicet frustremur amicitia, neve rejecti esse videamur. At ubi jam in amicitias cæteris repulsis, delectus est quispiam, protinus fœdus initur, ac jusjurandum, quod sit maximum: nimirum & victuros eos pariter, & mortem oppetiturum, si

A sit opus, alterum pro altero. Atque ita facimus. Etenim simulatque incisis digitis, sanguinem in calicem destillaverimus, summisque intinctis gladiis, ambo pariter admoventes biberimus, non est quicquam quod deinde nos queat dirimere. Admittuntur autem ad hujusmodi fœdera, ad summum tres. Nam qui multis sit amicus, is eo loco habetur apud nos, quo communes istæ atque adulteræ uxores: arbitramurque jam non perinde firmam illius amicitiam fore, posteaquam est in plures partes dissecta. Exordiar autem ab his, quæ nuper Dandamis fecit. Dandamis enim hic in conflictu cum Sauromatis, quum esset captivus abductus ejus amicus Amizocas. Quin potius ante tibi jurabo nostrum jusjurandum, quandoquidem isthuc initio sum pollicitus. Non enim B per Ventum & Acinacem, quicquam mentiturus sum apud te de Scythicis amicis. Mnesip. Equidem tuum jusjurandum haud magnopere desiderabam: proinde recte facis, qui nullum deorum jures. Toxa. Quid tu narras? An non tibi videntur esse dii, Ventus & Acinaces? Adeone te fugit, quod nihil sit majus mortalibus vita ac morte? Per hæc utique juramus, quoties per Ventum & Acinacem juramus: videlicet per Ventum, tanquam qui vitæ sit causa, per Acinacem vero, ut qui mortis sit auctor. Mnesip. Atqui si ista idonea causa est, profecto multos alios quoque deos estis habituri tales, qualis est Acinaces: puta jaculum, lanceam, venenum, funem, atque his consimilia. Quandoquidem varius est iste deus interitus, atque innumerabiles aperit vias, quibus ad illum sit aditus. Toxa. Vide quam C contentiose nunc, quamque litigiose isthuc facis: dum medio sermone interpellas me, excutisque ac disturbas orationem meam. At ipse loquente te, silentium agebam. Mnesip. Age, non sum isthuc posthac facturus, Toxaris. Et optimo jure objurgas: quare perge confidenter quod restat dicere: perinde quasi nec adsim dum loqueris, adeo tibi silebo. Toxa. Quartus igitur agebatur dies Dandamidi & Amizocæ, ex quo amicitiam inierant, ac mutuum sanguinem pariter biberant. Venerant interea in regionem nostram Sauromatæ, cum equitum decem millibus: peditum autem ter tantum advenisse ferebatur. Ii nimirum quum in nos irruissent imparatos, neque exspectantes illorum insultum, omnes quidem cedere cogunt, complures D autem repugnantes occidunt, nonnullos & vivos abducunt, nisi si quis effugerat tranans in ulteriorem fluminis ripam, ubi nobis dimidium copiarum, & pars curruum erat. Sic enim id temporis castra fueramus metati, haud scio quo consilio Archiplanorum, id est, ducum nostrorum, ad utramque Tanaidis ripam. Protinus itaque & prædas abigebant, & captiva abducebant, & tentoria diripiebant, & curribus potiebantur, atque iis plerisque cum viris captis, & sub oculis nostris concubinas, uxoresque nostras constuprabant. Nos porro rem indigne tulimus. At Amizoca quum duceretur (erat enim captus) nominatim inclamavit amicum, misere vinctus, simulque calicis & sanguinis commonefecit. Quod simulatque exE audierat Dandamis, nihil etiam contatus, spectantibus omnibus, tranavit ad hostes. Ibi Sauromatæ densatis telis irruerunt in illum: jam confixuri, nisi succlamasset: Zirim. Hoc verbi si quis sonuerit, postea non interimunt, sed recipiunt, tanquam dedentem sese precio redimendum. Moxque ad illorum ducem adductus, reposcebat amicum: Ille redemptionis precium postulabat. Neque enim prius dimissurum sese, nisi maximum pro illo recepisset. Tum Dandamis, quæ possidebam, inquit, ea omnia a vobis direpta sunt: quod si quid est quod nudus præstare queam, id sum paratus polliceri vobis: & imperato quicquid voles. Et si ita vis, meipsum hujus in locum recipe, & abutere ad quodcunque tibi lubitum erit. F Ad hæc Sauromata: Nihil, inquit, opus retinere te: præsertim quum temet dedideris. Quin tu parte eorum quæ possides tradita amicum abducito. Rogat illico Dandamis, quidnam vellet accipere. Ille oculos postulat. Atque hic protinus exhibuit eruendos. Deinde ubi essent exsecti, jamque precium persolutum esset Sauromatis, recepto Amizoca, reversus est innitens illi: unaque tranantes, incolumes ad nos redierunt. Id factum animum reddebat Scythis omnibus, neque jam victos esse rebantur sese, quum viderent, quod apud nos esset bonorum maximum, id nondum esse abductum ab hostibus: verum superesse egregiam mentem, & in amicos fidem. At idem

idem Sauromatis formidinem non mediocrem incutiebat: reputantibus cum cujusmodi viris, si se præparassent, essent pugnaturi: tametsi tum quidem ex improviso superassent: proinde sub noctem relictis maxima ex parte pecoribus, incensisque curribus, fuga sese subduxerunt. Porro Amizoca non tulit diutius, ut videret ipse, amico cæco Dandamide, sed ipsus semet exoculavit. Atque ita sedent ambo, omnique honore a populo Scytharum publicitus aluntur. Quid tale Mnesippe vos referre possetis? Etiam siquis tibi donet, ut possis vel decem alios ad istos quinque adjungere, etiam citra jusjurandum, si ita vis, ut & multa liceat affingere? At ego tibi rem nudam exposui. Tu vero si quem talem narrasses, non sum nescius, quantas adornandæ rei gratia phaleras narrationi fueris admixturus: quemadmodum supplicarit Dandamis: & quomodo sit excæcatus, & quæ dixerit, & quo pacto redierit, & quemadmodum exceperint eum Scythæ, adgratulantes, beneque ominantes, atque id genus alia: cujusmodi vos ad demulcendas aures soletis artificio quodam addere. Audi igitur & alium huic parem Belittam, hujus Amizocæ consobrinum. Is ut detractum ex equo a leone Basthen amicum conspexisset: nam forte simul erant in venatu: jamque leo circumplexus illum, jugulo admotus esset, atque unguibus laniaret, desiliens & ipse, involavit in tergum belluæ, reflexitque, in sese provocans, avertensque, atque inter dentes digitos inferens, conatus quoad licuit, Basthen e rictu leonis eximere, donec leo omisso illo jam semimortuo, ad Belittam sese convertit, atque ipsum quoque circumplexus occidit. At ille moriens (nam tanto antevertit) acinacem in leonis pectus defixit. Itaque pariter exanimati sunt omnes: nos autem sepelivimus eos, duobus aggestis tumulis inter se vicinis: altero amicorum, altero e regione leonis. Jam tertio loco tibi referam, Mnesippe, Macentæ, Lonchatæ, & Arsacomæ amicitiam. Hic enim Arsacomas deperibat Mazæam Leucanoris filiam, qui regnabat in Bosphoro: tum quum legatione fungeretur super tributo, quod Bosphorini semper nobis pendere soliti, id temporis tertium jam mensem ultra diem legitimum distulerant. In convivio igitur quum Mazæam vidisset proceram atque decoram virginem, amore captus est, graviterque discruciabatur. Jam itaque quæ de tributis agebantur, erant transacta: responderatque illi Rex, convivioque accipiebat, mox illum dimissurus. Est autem mos in Bosphoro, uti proci in convivio petant puellas, narrantes quinam sint, quibusque rebus freti, decreverint eas in matrimonium accipere. Atque id temporis forte fortuna multi aderant in convivio proci, Reges, ac Regum filii, in his erat & Tigrapates Lazorum princeps, & Adyrmachus Machlynæ dux, aliique cum his permulti. Oportet autem unumquemque procum, postea quam exposuit quis sit, & qua fiducia ad ambiendas nuptias accesserit, convivari cum reliquis, tacitumque accumbere. Deinde peracto convivio, postulata phiala, vinum in mensam effundere, atque ita sponsam ambire, multum interea collaudantem sese, quo genere, quibus opibus, qua sit potentia. Ad hunc igitur modum cum multi jam libassent, postulassentque, regna & opes commemorantes: tandem Arsacoma, postulata phiala, non libavit (neque enim mos apud nos vinum effundere, quin magis contumelia ista esse judicatur in deum) sed haustim bibens: Da mihi Rex, inquit, filiam tuam Mazæam uxorem, qui multo sum potior istis, quantum ad opes ac possessiones attinet. Leucanore vero admirante (sciebat enim Rex pauperem Arsacomam, ac de plebe Scytharum esse) percontanteque quantum pecorum, aut quantum habes plaustrorum Arsacoma: nam iis rebus vos divites estis. Imo nec plaustra, inquit, possideo, nec armenta: verum sunt mihi duo amici, honesti, probique, quales alii Scytharum nemini. Ac tum quidem ista dicens, risus est, contemptuique habitus, visusque temulentus. Mane vero reliquis prælatus est Adyrmachus, jamque sponsam abducturus erat in Mæotidem ad Machlyenses. Porro Arsacomas domum reversus, amicis indicat, quemadmodum rejectus esset a Rege, risuique habitus in convivio, quum pauper esse putaretur. Atqui dixeram, inquit, illi quantas haberem opes: nempe vos, ô Lonchata atque Macenta, vestramque benevolentiam longe præstare, multoque firmiorem esse Bosphoranorum opibus. Verum hæc dicentem, me subsannavit, contempsitque, & Adyrmacho scilicet Machlyensi tradidit asportandam sponsam, quod aureas phialas se diceret habere decem, præterea currus quaternis sedilibus octoginta: ad hæc ovium boumque multam copiam. Sic videlicet antetulit fortibus viris pecorum multitudinem, operosa pocula, & currus graves. Proinde, o amici, dupliciter excrucior: nam & Mazæam amo, & injuria mihi inter tantum hominum illata, non mediocriter mordet animum meum. Arbitror autem & vos ex æquo injuria affectos esse. Etenim ad unumquemque e nobis tertia contumeliæ pars pertinebat: si modo ita vivimus, quemadmodum cœpimus quum conjungeremur: nimirum ut unus homo simus, iisdem dolentes, iisdemque gaudentes. Imo, inquit Lonchates, unusquilibet e nobis totus injuria afficiebatur, tum quum in te ista fierent. Quomodo igitur (inquit Macentes) his in rebus agemus? Per partes, inquit Lonchates, negocium suscipiamus. Atque ego quidem recipio Arsacomæ me caput apportaturum Leucanoris. Tu vero sponsam ereptam huic adducas oportet. Ita fiat, inquit. At, tu Arsacoma, inter hæc (nam his peractis verisimile est exercitu ac bello fore opus) hic mane, quo contrahas & appares arma, equos, atque aliarum rerum vim, quantam potes maximam. Facillime autem plurimos adjunxeris: partim quod ipse strenuus, partim quod nobis non pauci sunt familiares: Maxime vero si desederis in tergore bovis. Hæc ubi placuissent, hic quidem quantum potuit, recta profectus est in Bosphorum, puta Lonchates: alter, id est, Macentes, ad Machlyenses, eques uterque. At Arsacomas domi manens, & cum æqualibus contulit, & ex familiaribus vim hominum armavit: Demum & in tergore bovis desedit. Consuetudo autem de sedendo in tergore bubulo hujusmodi est apud nos. Ubi quis ab alio læsus est, cupitque ulcisci, neque par esse pugnæ videtur: tum bove immolato, carnes frustulatim concisas, igni torret. Dehinc ipse porrecto humi corio, sedet in eo: in tergum reductis manibus, more eorum, qui a cubitis vincti sunt. Et hoc quidem apud nos maximum est supplicandi genus. Appositis autem bovis carnibus, adeuntibus domesticis: præterea si quis alius velit, quisque partem sibi sumit, ac dextro pede tergum bovis calcans, pro facultate pollicetur: hic quidem equites præbiturum se quinque suopte cibo, suoque stipendio, ille decem, alius plures, alius armatos pedites quot possit, atque qui pauperrimus, seipsum duntaxat. Colligitur itaque in tergo bovis, ingens nonnunquam multitudo. Et hujusmodi quidem exercitus, & certissima fide cohæret, & hostibus expugnatu difficillimus est, non aliter quam si jurejurando esset adactus. Nam in tergum ascendisse, instar jurisjurandi est. Arsacomas igitur his in rebus procurandis satagebat: coieruntque illi equites quidem circiter quinquies mille: tum armati ac pedites promiscue, vicies mille. At Lonchates ubi ignotus pervenit in Bosphorum, Regem adit, tractantem quiddam de regni negociis, aitque venire quidem sese publico Scytharum nomine, sed privatim res maximas apportare. Ille ubi dicere jussisset: De publicis, inquit, negociis, hæc in præsentiarum denunciant Scythæ: ne vestri pastores in planiciem usque transgrediantur, sed intra Trachonem pascant. Cæterum latrones de quibus expostulatis quod regionem vestram incursent: negant eos publico consilio emitti, sed privatim sui quemque lucri causa prædari. Quod si quis illorum deprehendatur: tui arbitrii esse, ut in eos animadvertas. Hæc quidem illi denunciant. At ego tibi indico, gravem in vos insultum futurum ab Arsacoma Mariantæ filio, qui nuper legatum egit apud te, idque (opinor) qui quum filiam tuam postularit, non assequutus sit abs te: ob id indignatur, sedetque in tergore taurino septimum jam diem, contractusque illi est exercitus haud exiguus. Audivi, inquit Leucanor, & ipse, cogi vim copiarum in tergum bovis. Quod autem adversum nos cogerentur, quodque Arsacomas hujus rei dux esset, id vero me fugerat. Atqui in te, inquit Lonchates, hic apparatus constituitur. Mihi autem inimicus est Arsacomas, graviterque fert, quod sibi præferar a natu majoribus, & quod in omnibus illo videar esse præstantior. Quod si mihi spoponderis alteram filiam tuam Barcetim, alioqui nec indigno vestra affinitate, brevi tibi reversus caput ejus apportavero. Spondeo, Rex inquit, videlicet supra modum formidine correptus, propterea quod non ignoraret, quam ob causam iratus esset Arsacomas: nimirum ob nuptias, tum alias quoque metuerat semper Scythas. At Lonchates: Jurato, in-

quit, te præstiturum pacta, neque inficiaturum. Id quum fieret, jamque resupinatus in cœlum jurare vellet: Absit, inquit, ut hic, ne quis spectantium conjiciat, qua gratia juremus. Quin potius hoc templum Martis ingressi, occlusis foribus jusjurandum edamus, ubi nullus exaudiat. Nam si quid horum inaudierit Arsacomas, vereor ne me ante bellum immolet, manu jam nunc non parva cinctus. Introeamus, inquit Rex. Vos autem absistite quam longissime. Neque quisquam ad templum adeat, quem ego non accersivero. Posteaquam igitur ipsi quidem introgressi sunt, satellites autem procul abstiterunt, vibrato gladio, simulque altera manu obturato ore, ne vociferaretur, ictum in pectus adegit. Deinde caput desectum, sub chlamyde tenens prodibat, quasi confabulans interim cum illo, brevique sese dicens adfuturum, tanquam ad negocii quippiam emitteretur ab illo. Atque ita reversus eo ubi equum vinctum reliquerat, conscenso illo, redequitavit in Scythiam. Porro nemo est eum insequutus, quippe diu ignorantibus Bosphorinis quod acciderat, tum ubi rescissent, factiose de regno decertantibus. Hæc itaque gessit Lonchates, præstititque promissum allato Leucanoris capite. Porro Macentes in via factus certior super his, quæ in Bosphoro acciderant, pervenit ad Machlyenses: primusque illis nuncium attulit de Rege trucidato. At populus, inquit, te Adyrmache, gener cum sis, ad regnum vocat. Proinde fac ut ipse prior occupans, imperium arripias, in rebus perturbatis obortus, puella vero te sequatur a tergo in curribus. Facile enim isthoc pacto tibi conciliaveris multitudinem Bosphoranorum, ubi Leucanoris filiam conspexerint. Ego porro non solum Alanus sum, verumetiam sponsæ tuæ cognatus maternus: siquidem nostra e gente Masteram Leucanor ascivit uxorem. Et nunc tibi adsum, missus a Masteræ fratribus, qui sunt in Alania: denunciantibus ut quam potes ocyssime, te recipias in Bosphorum, neque per negligentiam committas, ut imperium ad Eubiotum deveniat, qui tametsi frater nothus est Leucanoris, tamen Scytharum partibus semper favit, cum Alanis simultates gerit. Hæc quidem dicebat Macentes. Erat autem eodem cultu, eademque lingua cum Alanis. Commune enim horum utrumque Alanis cum Scythis, nisi quod non magnopere comati sunt Alani quemadmodum Scythæ. At Macentes in hoc quoque illis erat assimilis, videlicet detonsa coma: quatenus conveniebat Alanum minus esse comatum, quam Scytham. Itaque his rebus factum est, ut illi fides haberetur, putareturque Masteræ ac Mazææ cognatus esse. Et nunc, inquit, ô Adyrmache, ad utrumvis paratus sum: vel proficisci tecum in Bosphorum, si velis: vel manere, si sit opus, ac sponsam adducere. Isthuc equidem, inquit Adyrmachus, longe malim, quandoquidem cognatus es, te puellam adducere. Nam si nobiscum una proficiscaris in Bosphorum, unum duntaxat equitem numero addideris. Quod si mihi uxorem advexeris, multorum instar fueris. Atque ita factum est, & hic quidem iter ingressus est, Macentæ tradens ducendam Mazæam, quæ virgo etiam dum erat. At ille per diem quidem illam curru vehebat: verum ubi nox incubuisset, imposita equo (nam id curarat, ut alius quidam eques sese consequeretur) tum insiliens & ipse, nequaquam deinceps ad Mæotim iter faciebat, sed deflectens ad mediterraneam, relictis ad dextram Mitræorum montibus, quum virginem interim aliquoties interquiescere jussam refocillasset, intra triduum a Machlyensibus in Scythiam usque permensus est viam: statimque equus ejus ubi destitisset a cursu, paulisper adstans exanimatus est. Porro Macentes Arsacomæ Mazæam in manum dans: Accipe, inquit, a me quoque id quod sum pollicitus. At illo ad insperatum spectaculum stupefacto, gratiasque agente: Desine, inquit Macentes, ac noli me alium a teipso putare: nam mihi profecto gratias agere ob hæc quæ feci, perinde est, ac si sinistra mea gratias agat dextræ, quod vulneratæ sibi subministravit, atque officiose curam egit ægrotantis. Ridicula nimirum & nos fecerimus, si jamdudum commissi, & quatenus licet in unum conflati, magnum adhuc esse credamus, si qua pars nostri officiose quid egerit pro toto corpore. Etenim pro seipso fecit, quum pars sit totius beneficio adjuti. Atque ad hunc quidem modum Arsacomæ gratias agenti, Macentes respondit. Cæterum Adyrmachus ubi sensit insidias, non perrexit ire in Bosphorum: jam enim

A Eubiotus rerum potiebatur accersitus a Sauromatis, apud quos fuerat diversatus: verum in patriam reversus, contractis ingentibus copiis, per montuosa irrupit in Scythiam, pauloque post irruit & Eubiotus, cum Græcos undecunque poterat secum ducens, tum Alanos & Sauromatas accersitos, utrinque vicies millenos. Conjunctis autem copiis, Eubiotus atque Adyrmachus nonaginta millia confecerunt, atque ex his tertia pars equites sagittarii. Nos autem (nam & ipse ad hanc expeditionem contuleram, addens iis, qui in tergum taurinum convenerant, equites in plenum instructos centum) contractis haud multo minus triginta millibus, una cum equitibus operiebamur insultum, ductore Arsacoma. Ut autem admoventes illos conspeximus, contraduximus agmen præmissis in hostem equitibus. Atque ubi
B jam diu acriter esset pugnatum, tandem cessere nostri, interrupta phalange, postremo in duo dissectum est universum agmen Scythicum: pars subduxit sese, non omnino palam victa, verum ita fugiebat, ut locum dare videretur: adeo ut Alani ad multum tempus insequi non auderent: partem alteram, quæ eadem erat imbecillior, cingentes Alani ac Machlyenses, undequaque cædebant, confertim jaculis emissis, atque sagittis, sic ut vehementer laboraretur a nostris, qui tenebantur obsessi. Et jam plerique arma projecerant, quorum in numero forte erat Lonchates & Macentes, jamque ambo vulnus acceperant, dum ante alios sese periculis objiciunt. Hic quidem adusto femore, puta
C Lonchates: Porro Macentes securi fauciato capite, tum conto in humerum impacto. Quod simulatque sensit Arsacomas, quum in altero agmine esset nobiscum: turpe ratus, si desertis amicis non adesset, subditis equo calcaribus, cum clamore in hostes tendere cœpit, sublato gladio adeo, ut Machlyenses vim animi non sustinuerint, sed viam illi fecerint, ut transiret. At ille receptis amicis, tum advocatis & aliis, impetum fecit in Adyrmachum, impactoque in cervicem gladio, ad zonam usque diffecuit. Quo fuso, dissipata est omnis acies Machlyensium, paulopost & Alanorum: Denique cum his Græci quoque. Atque ita redintegrato prælio, nos superiores extitimus, diuque sumus insequuti trucidantes, donec nox finem imposuit. Postero die ab ho-
D stibus venerunt legati, qui supplices pacem atque amicitiam orarent. Bosphorani duplicatum tributum pensuros sese pollicebantur: Machlyenses obsides daturos se confirmabant: Alani ita eam invasionem compensaturos sese spondebant, ut Sindianos nostro nomine vellent aggredi, quibuscum multo jam tempore nobis fuerat simultas. His de rebus auditis suffragiis, in primis autem Arsacomæ & Lonchatæ, pax inita, duobus illis cuncta pro arbitratu suo moderantibus. Hujusmodi, Mnesippe, audent Scythæ amicorum causa facere. MNES. Tragica prorsus, ô Toxaris, fabulisque similia. Et propitius sit Acinaces & Ventus, per quos jurasti: si quis ista non credat, non admodum reprehendendus esse videatur. TOXA. At vide, vir egregie, ne
E incredulitas ista ab invidia vestra proficiscatur. Quanquam non me deterrebis non habendo fidem, quo minus & alia his consimilia referam, quæ noverim a Scythis esse gesta. MNESIPPVS. Tantum ne longum facias, vir optime, neque usque adeo admissis, vagisque utare sermonibus, ut nunc sursum ac deorsum Scythiam, Machlyanamque percurrens, deinde in Bosphorum discedens: postremo rediens prorsus abutare silentio meo. TOXA. Parendum tibi & hanc præscribenti legem, dicendumque paucis, ne fatigeris una nobiscum, audiendo circumcursitans. Quin magis ausculta, quæ in meipsum amicus Sisinnes nomine præstiterit. Quum enim Athenas relicta patria proficiscerer, id-
F que cupiditate Græcanicarum literarum, appuleram Amastrim Ponticam. Ea est urbs haud procul a Carambe dissita in promontorio, obvia iis, qui a Scythia navigant. Comitabatur autem Sisinnes, mihi a puero amicus. Nos igitur ubi res quasdam importatas in portu spectassemus, in eumque e navi subduxissemus, emimus, nihil suspicantes mali: interea fures quidam effracta sera, sustulerunt universa, adeo ut non reliquerint, quod vel in eum diem sufficere posset. Ergo quum domum essemus reversi, cognito quod acciderat, non visum est in jus vocare vel vicinos, qui plures erant, vel hospitem, veriti ne plerisque sycophantæ videremur, si dixissemus nobis ab aliquo sublatos esse Daricos quadringentos, tum vestium permultum, ad hæc tapetia

petia quædam, denique quicquid habueramus. Consultabamus igitur hisce de rebus, quid esset faciundum, omnium rerum egenis, idque in urbe peregrina. Ac mihi quidem ita visum est tum temporis, statim demerso in ilia acinace, vitam fugere, priusquam ignavum quippiam, aut indignum esset ferendum, vel fame, vel siti enecto. Contra Sisinnes consolabatur, obsecrans ne quid tale facerem. Ajebat enim excogitasse sese, unde nobis victus suppeteret. Et eo quidem die bajulandis e portu lignis allata mercede victum suppeditavit: mane autem obambulans in foro, pompam quandam adspexit juvenum (quemadmodum ajebat) elegantium ac strenuorum. Hi nimirum viritim lecti, uti mercede proposita singulare certamen inirent, in tertium diem erant decertaturi. Ergo quum omnes hujus negocii conditiones audisset, accedens ad me: Cave posthac, inquit, Toxaris, ne teipsum pauperem dixeris. Siquidem tertio abhinc die divitem te reddidero. Hæc ait, atque interea ægre parato victu, quum jam spectaculum esset institutum, spectabamus & ipsi: etenim assumptum me duxit in theatrum, tanquam ad jucundum aliquod, novumque spectaculum Græcorum. Ergo ubi consedissemus, spectabamus. Ac primo quidem feræ partim jaculis confixæ, atque a canibus agitatæ, partim in homines quosdam vinctos emissæ, nocentes quospiam, ita ut conjiciebamus. Ut autem prodierunt qui erant ad singulare certamen conducti, ac producto juvene quodam prægrandi, dixisset præco: Si quispiam velit cum hoc singulari certamine congredi, prodeat in medium, præmium pugnæ accepturus drachmarum decem millia. Ibi protinus assurrexit Sisinnes desiliens, pollicetur que se dimicaturum, simulque poscit arma. Tum acceptam mercedem, decem millia mihi deferens, in manum dat: Si vicero, inquit, Toxaris, una proficiscemur, suppetetque commeatus: sin cecidero, sepulto me, redi rursus in Scythiam. Ego quidem his auditis singultiebam. At ille sumptis armis, reliquum quidem corpus munivit: At galeam nequaquam imposuit, sed nudo consistens capite pugnabat. Et initio quidem ipse vulnus accepit, retorto gladio, succiso poplite, ita ut multum sanguinis deflueret. Ego interim jam metu præmortuus eram. At ille confidentius invadentem adversarium observans, ferit in pectore, transfigitque ita ut protinus ad pedes illius procumberet. Ille fessus & ipse vulnere, mortuo incumbebat, parumque aberat, quin ipse quoque efflaret animam. At ego accurrens erexi, animumque reddidi. Porro ubi dimissus est, jam victor declaratus: sublatum illum, domum deportavi, multumque temporis curatus a Medicis, supervixit quidem, hodieque agit apud Scythas, ducta in matrimonium sorore mea, claudus tamen adhuc est ex vulnere. Hæc res, Mnesippe, non apud Machlyenses, neque in Alania gesta est, ut testibus careat, & ficta credi queat: verum complures exstant Amastriani, qui de pugna Sisinnæ memorant. Finem jam faciam, si tibi quinto loco factum Abauchæ retulero. Appulit aliquando Abauchas hic in Borysthenensium civitatem secum adducens & uxorem, quam unice diligebat, liberos duos, alterum quidem masculum lactentem, altera vero erat puella septem annos nata. Erat autem peregrinationis comes & hujus amicus Gyndanes, atque is quidem e vulnere laborans, quod in via acceperat a latronibus, qui eos fuerant adorti: cum quibus dum pugnaret, ictus est in femore: ita ut ne stare quidem posset præ cruciatu. Itaque noctu dormientibus illis (nam forte in cœnaculo quodam diversabantur) ingens ortum est incendium, omniaque circumclusit, jamque flamma undique domum circumdedit. Ibi experrectus Abauchas, relictis liberis plorantibus, repulsa uxore, quæ inhærebat, jussaque ut ipsa sese servaret, amico in humeris sublato descendit, perrumpensque evasit, ita ut nequaquam incendio læderetur. Uxor infantem bajulans consecuta est, monens puellulam, ut sese consequeretur. Ea vero semiusta, abjecto ex ulnis infante, vix exsiliit e flamma. Deinde puella una cum illa veniens, pene & ipsa exstincta est. Post hæc quum probro objectaret quispiam Abauchæ, quod desertis liberis atque uxore, Gyndanem extulisset: Imo liberos, inquit, denuo parare haudquaquam difficile: tum incertum, an hi boni sint futuri: porro amicum diu fuerit, priusquam inveniam talem, qualis est Gyndanes: cujus amor mihi multis argumentis est exploratus. Dixi, Mnesippe, e pluribus his quinque propositis, jam tempus est pronunciari, utri nostrum, aut linguam, aut dexteram oporteat amputari. Quis igitur futurus est judex? MNESIP. Nemo. Neque enim constitueramus narrationis arbitrum. Sed scin quid agemus? Quandoquidem in præsentiarum, nullo proposito scopo, sumus jaculati, de integro delecto arbitro, alia amicorum paria apud illum referamus: deinde uter succubuerit, ei tum quidem amputetur, vel mihi lingua, vel tibi dextera. Aut si hoc crudele, quando tu amicitiam admirari visus es: ego nihilo secius puto, nullam esse mortalibus possessionem hac præstantiorem neque pulchriorem: quin ipsi quoque in unum copulati, illud approbamus, ut ex hoc die in totam usque vitam simus amici, utrique victores, utrique maximis potiti præmiis: videlicet pro unica lingua, unaque dextra, binas uterque habituri, atque insuper oculos quoque quaternos, pedesque quaternos, in summa duplicia omnia. Ejusmodi namque quiddam est, cum duo tresque copulantur amici, qualem Geryonem scriptores depingunt, senis manibus, ternisque capitibus hominem. Siquidem (ut mea fert opinio) tres illi fuerunt, qui communiter omnia gererent, ut dignum est his, qui amicitia conjuncti sunt. TOXA. Probe dicis, atque ita faciamus. MNESIP. Verum neque sanguine opus est, Toxaris, neque Acinace, qui nobis amicitiam confirmet. Hæc enim confabulatio, & quod eadem amamus, id multo certius est calice illo quem bibitis: propterea quod hujusmodi non obligationem, sed animum postulare mihi videntur. TOXA. Placent ista, jamque amici atque hospites simus: tu mihi hic in Græcia, ego tibi, si quando in Scythiam perveneris. MNESIP. Nimirum ut sis sciens, nequaquam me pigeat vel longius etiam proficisci, si tales amicos nancisci liceat, qualem esse te, Toxaris, ex tua oratione conjicio.

REVERENDO
IN CHRISTO PATRI AC DOMINO,
D. RENATO,
EPISCOPO CARNUTENSI,
DESIDERIUS ERASMUS ROTERODAMUS.
S. D.



UM multis modis compertum haberem, Ornatissime Pater, quam candide de meo ingeniolo, meisque nugis tum sentias, tum prædices, vir alioqui naris emunctissimæ: jamque ad Italicum iter accincto, per itineris comites non liceret celsitudinem tuam intervisere, ut esset tamen interim quod te tui Erasmi commonefaceret, Luciani Pseudomantem misi sceleratissimum quidem illum, sed quo non alius sit utilior ad deprehendendas coarguendasque quorundam istorum imposturas, qui hisce quoque temporibus vel magicis miraculis, vel ficta religione, vel adsimulatis condonationibus, aliisque id genus præstigiis, vulgo fucum facere solent. Eum igitur leges, uti spero, non modo cum fructu aliquo, verumetiam summa cum voluptate, propterea quod intel-

ligam te, licet præter generis claritatem, fortunæ splendorem, muneris auctoritatem, seriis illis ac tetricis studiis absolutum, non solere tamen admodum ab his etiam elegantioribus Musis abhorrere: & hujusmodi lusus nec inamœnos nec infrugiferos arduis negociis libenter intermiscere. Porro quicquid est, vel nigri salis, quem Momo tribuunt, vel candidi, quem Mercurio asscribunt, id omne in uno Luciano copiosissime reperias licebit. Carnutensis oppidi, tam splendidum profecto, tamque celebre fanum, fulmine conflagrasse, dici non potest quam feram acerbe. Bene vale in reditum ex Italia nostrum. Lutetia, Anno M D V.

ALEXANDER, SEU PSEUDOMANTIS.



A TU quidem, carissime Celse, levem forte quandam ac facilem provinciam tibi mandare videris, cum injungis ut Alexandri Abonotichitæ impostoris vitam, commenta, neque non audaciam præstigiasque libro complexus, volumen ad te transmittam. Verum si quis ea conetur omnia ad plenum enarrare, id profecto non minoris sit negocii quam Alexandri ejus, cui Philippus fuit pater, res gestas literis prodere: tantus fuit scelere, quantus ille virtute. Attamen si candide ignoscenterque legere voles, & quod narrationi deerit, id ex te imputare atque addere: conatum hunc te auctore capessam, & Augiæ bubile si non omne, at certe pro mea virili repurgare nitar, paucis aliquot elatis cophinis: nimirum
B ut ex his conjecturam facias, quantus, quamque immensus fuerit fimus universus, quem ter mille boves multis annis reddere potuerint. Sed amborum interim nomine calumniam vereor, tuo pariter ac meo: tuo, qui jubeas memoriæ literarumque monumentis tradi virum longe sceleratissimum: meo, qui sumam operam in hujusmodi narratione, rebusque gestis hominis, quem nequaquam oportebat ab eruditis legi, sed in frequentissimo quopiam & amplissimo theatro spectari a simiis aut vulpibus discerptum: quanquam si quis hoc crimen nobis impegerit, poterimus & ipsi nos exemplo quodam simili tueri. Etenim Arrianus ille discipulus Epicteti, vir inter Romanos cum primis laudatus, ac per omnem vitam in literarum studio versatus, cum simile quiddam fecerit, pro nobis quoque responsurus est.
C Nam is quidem Tillibori latronis vitam describere non est gravatus: Nos vero multum crudeliorem latronem memoriæ prodemus, quippe qui non in sylvis ac montibus sed ipsis in urbibus sit latrocinatus: neque qui Minyam tantum, aut Idam sit pergrassatus, neque paucas quasdam Asiæ partes, videlicet desertiores depopulatus, sed qui universam (ut ita dixerim) Romanorum ditionem suo complerit latrocinio. Ac primum tibi depingam hominem, effigiem ejus quoad potero proxime verbis adumbrans: tametsi non sum admodum pingendi peritus. Corpore igitur, ut interim & hoc tibi repræsentem, procerus erat, & aspectu decorus, planeque specie divina quadam ac majestatis plena, colore candido, barba non admodum hirsuta, coma partim nativa te-
D ctus, partim appositia: sed hac adeo scienter efficta, ut vulgus fere non sentisceret imitatam ascititiamque esse. Oculi vehementer acres ac versatiles, tum divinum quiddam relucentes. Vox dulcissima pariterque clarissima. In summa quod ad has res, nulla ex parte poterat improbari, ac figura quidem hominis erat hujusmodi. Cæterum mens atque animus, o malorum depulsor Hercules, & aversor tristium Juppiter, servatoresque Dioscuri, in hostes potius contingat incidere, quam cum ejusmodi quopiam habere commercium. Siquidem ingenio, solertia, acumine longe præstabat cæteris mortalibus. Tum curiositas, docilitas,
E memoria, & ad disciplinas ingenii felicitas, horum unumquodque supra quam dici possit, illi suppetebat, quibus tamen pessimam in partem est usus. Et quum haberet arma tam egregia sibi suppeditata, illico nimirum omnium qui essent sceleribus nobilitati, facile summus evasit, vel superior Cercopibus, Eurybato, Phrynonda, Aristodemo, Sostrato. Nam ipse cum aliquando Rutiliano scriberet genero, modestissimeque de se loqueretur, Pythagoræ semet adsimilabat. Atqui veniam mihi dabit Pythagoras, vir ille quidem sapiens, ac mente divina: cæterum si hujus ætate vixisset, puer (sat scio) præ hoc visus fuisset. Sed heus tu per Gratias, cave putes hæc in Pythagoræ contumeliam me dicere, quasi velim eos similitudine rerum gestarum committere. Verum si quis deterrima quæque & probrosissima, quæ de Pythagora per calumniam feruntur (quibus equidem haudquaquam fidem perinde ut veris habuerim) si quis tamen conferat in unum, ea nimirum omnia, vix etiam minimam particulam adæquent Alexandrinæ versutiæ. Prorsum enim imaginare mihi, & cogitatione finge, quam maxime variam ingenii temperaturam, indolemque ex mendacio, dolis, perjuriis, maleficiis confusam, promptam, audacem, versatilem, & ad efficiendum quæ cogitasset nullum refugientem laborem, appositam ad persuadendum, cuique facile fides habenda videretur: tum quæ mire simularet optima quæque, ea quæ a mente essent diversissima, præ se ferret. Primum igitur nemo cum illo congressus est, qui non hac cum opinione discesserit, ut eum mortalium omnium optimum æquissimumque, simplicissimum minimeque fallacem judicaret. Accedebat ad hæc omnia grandium rerum conatus, quum nihil pusillum cogitaret, sed ad maxima semper appelleret animum. Ita quum esset adolescentulus adhuc, formosus admodum, ætate videlicet tenera, ac velut herbescente: id quod licebat partim e stipula conjicere, partim audire ex his qui ita prædicabant: passim sese prostituebat, ac mercede sui copiam faciebat iis quibus lubitum fuisset. Inter multos autem incidit in hunc amans quidam præstigiator, ex eorum numero, qui magiam & divinas incantationes profitentur, tum illectamenta ad conciliandam in amoribus gratiam, malorum immissiones in hostes, rationem eruendi reperiendique thesauros, hæreditatum successiones. Hic ubi conspiceret bene ingeniatum puerum, atque ad subministrandum arti negocioque suo propensissimum: utpote qui non minus illius adamaret maleficium, quam ipse hujus formam: erudiit eum, semperque deinceps pro adjutore ministroque est usus. At is publicitus quidem & apud vulgus Medicum scilicet agebat: didicerat autem apud Thoonis Ægyptii conjugem

Pharmaca mixta, salubria multa, at noxia multa.

Quorum omnium successor hic atque hæres factus est. Porro doctor ille & idem amator natione Tyanæus erat, videlicet ex eorum numero, qui cum egregio Apollonio Tyanæo illo erant versati, totamque illius Tragœdiam pernoverant. Vides quanam e schola tibi hominem refero? Verum ubi jam barba plenus esset Alexander, Tyanæo illo vita defuncto, in egestatem redactus, deflorescente simul & forma, unde victum parare licuisset, nihil postea parvum agitabat animo. Sed inito commercio cum Byzantino quopiam, annalium scriptore, viro qui in certamina descendunt, omnium ingenii longe sceleratissimi: Cocconas, opinor, erat cognomen: circumibant, imposturis ludificantes, ac pingues homines (sic enim illi peculiari magorum lingua vulgus appellant) detondentes. In his Macetim mulierem opulentam nacti sunt, natu quidem graviorem illam, quam ut amoribus esset idonea, sed quæ studeret etiam dum amabilis haberi. Ab hac victus copia suppeditabatur, atque hanc ex Bithynia in Macedoniam usque sunt consequuti. Nam illi patria erat Pella, qui locus olim floruit sub Macedonicis regibus: nunc a paucis, iisque obscuris & humilibus incolitur. Ibi quum conspicerent immani magnitudine dracones placidos admodum ac mansuetos, adeo ut a mulieribus alerentur, & cum pueris una cubarent, & calcantes ferrent, neque commoverentur, si quis stringeret premeretque: denique perinde atque infantes lac e papilla sugerent (nam sunt id genus apud illos permulti, unde verisimile est, olim illam de Olympiade fabulam increbuisse: quum Alexandrum conciperet, hujusmodi dracone quopiam opinor, cum ea concumbente) mercati sunt ex his serpentibus unum, qui esset pulcherrimus, obolis sane paucis. Atque (ut Thucydidis utar verbis) hinc jam bellum oritur: nimirum quum

A quum duo facinorosissimi, & immani audacia prӕditi, neque non ad maleficia promptissimi, societatem iniissent, facile perpenderunt hӕc duo potissimum in hominum vita tyrannidem obtinere, spem ac metum: quorum utroque si quis ad commoditatem uteretur, fore ut is illico ditesceret. Siquidem utrique juxta, vel ei qui metu laboraret, vel huic qui spe teneretur, videbant prӕscientiam quam maxime necessariam esse, summeque desiderari: atque hac via Delphos olim fuisse ditatos, factosque celebres: prӕterea Delum, Clarum, & Branchydas: nimirum hominibus per hos quos modo dixi tyrannos, nempe spem ac metum, ad sacra confluentibus, ac futura prӕdiscere cupientibus, atque hujus rei gratia hecatombas immolantibus, aureosque dedicantibus lateres. Hӕc ubi inter sese versassent, ultro-
B que ac citro agitassent, visum est vaticinium oraculumque constituere: etenim si res ea processisset, sperabant se protinus divites atque felices fore. Quod quidem negocium magnificentius etiam illis successit, quam exspectaverant initio, & vel spe melius evenit. Hinc jam spectare coeperunt: primum quidem de loco, deinde quonam exordio, quave ratione negocium oporteret auspicari. Cocconas igitur Chalcedonem opportunam esse censuit, utpote regionem a negociatoribus frequentatam, tum Thraciӕ Bithyniӕque confinem, neque longe dissitam ab Asia Galatiaque, cunctis item imminentibus populis. At e diverso patriam suam prӕtulit Alexander: nam ajebat, id quod erat
C res, ad hujusmodi negociorum auspicationem aggressionemque hominibus opus esse crassis & stolidis, & qui viderentur admissuri: cujusmodi Paphlagones affirmabat esse hos, qui supra Aboni murum incolunt, nempe superstitiosos plerosque, ac stolidos: qui si quis tantum apparuisset, tibicinem aut tympanistam, aut qui cymbala pulsaret secum adducens, cribro (quod ajunt) vaticinans, illico vehementer omnes in illum inhient, & perinde ut coelitum quempiam intueantur. Hac de re quum controversiӕ nonnihil inter illos fuisset, tandem vicit Alexander. Itaque profecti Chalcedonem (nam id oppidum visum est hac parte habere nonnihil ipsis conducibile) in Apollinis templo,
D quod est apud Chalcedonios vetustissimum, ӕreas defodiunt tabellulas, quӕ dicerent, brevi admodum Ӕsculapium una cum patre Apolline in Pontum adventurum, atque Aboni murum inhabitaturum. Eӕ tabellӕ quum essent de industria repertӕ, facile effecerunt ut hic rumor in omnem usque Bithyniam ac Pontum dimanaret, multo autem ante alios in Aboni murum: nam hi protinus statuerant etiam templum erigere, jamque fundamentis locum effoderant. Hic igitur in Chalcedone relictus, Cocconas ancipitia quӕdam atque ambigua obliquaque conscripsit responsa. Deinde paulo post diem obit, a vipera (sicut opinor) ictus: in hujus demortui locum accersitur Alexander, ac succedit jam comatus, cӕsarieque promissa, tunicam
E indutus purpuream albo intermixtam, supra eam veste amictus candida, falcem tenens exemplo Persei, a quo se maternum genus ducere prӕdicabat. At perditissimi illi Paphlagones quum ambos illius nossent parentes obscuros atque humiles, tamen oraculo crediderunt ita canenti:

Persides genere gratus Phœbo iste videtur:
Dius Alexander Podaliri sanguine cretus.

Hic nimirum Podalirius libidinosus erat, ac natura mulierosus, adeo ut a Tricca ad Paphlagoniam usque in Alexandri matrem sit incitatus illectusque. Repertum est aliud oraculum, quasi Sibyllӕ prӕdivinantis:

Ad maris Euxini littus, juxtaque Sinopam
Tirside erit quidam Ausonia de gente sacerdos:
Qui prima ex monade, tribus ac decadis, referabit
F *Quinque alias monades, vicenaque ter repetita*
Quadrorbem numerum, referentem nomina divi,
Qui veniet laturus opem mortalibus agris.

Alexander itaque multo post in patriam irruens cum ejusmodi Tragoedia, conspicuus erat ac splendidus: quum interim furore afflatum sese nonnunquam adsimulabat, ore spuma completo: id quod ille facile efficiebat, radiculӕ (ea est herba lavandis lanis idonea) radice commanducata. Cӕterum illis divinum quiddam, ac formidandum spuma videbatur. At multo antea sibi finxerant, paraverantque e linteis confectum draconis caput, quod speciem quandam humanam prӕ se ferret, colorum fucis mire adsimulatum, quodque pilis equinis os & aperiret, & clauderet. Tum lingua (sicut est draconum) bisulca atra prominebat, quӕ & ipsa pilis agebatur. Porro Pellӕus ille draco jam pridem erat in promptu domique alebatur: quum res postularet, tum ab illis proferendus, unaque in partem Tragoediam acturus, vel princeps potius hujus futurus fabulӕ. Jam vero ut erat maturum aggredi, tale quiddam machinatur, noctu veniens ad templi fundamenta nuper effossa. Constiterat autem in eis aqua, sive quod ea indidem alicunde destillaverat, sive quod ex ӕthere deciderat: illic ovum antea excavatum deponit, quod quidem intus occultabat foetum recens editum serpentis. Id quum alte demersisset in abditas luti cavernas, rursum illinc discessit. At mane quum in forum prosiliisset nudus, nisi quod subligari circum pudenda tectus erat, eoque inaurato: tum falcem illam gestans, simulque solutam ventilans, jactansque comam, eorum more, qui a Cybele deorum matre afflati conveniunt, ac numine rapiuntur: conscensa sublimi quapiam ara concionabatur, civitatem eam beatam esse prӕdicans, quӕ mox Deum propalam esset ostensura mortalibus. Porro qui aderant (nam concurrerat universa prope civitas) una cum mulieribus, senibus, pueris, admirabantur, ac vota facientes adorabant. At ille voces quasdam sonans incognitas, nihilque significantes, cujusmodi sint Hebrӕorum aut Phoenicum, attonitos eos reddebat, ut qui nihil intelligerent eorum quӕ dicebat nisi solum hoc, quod Apollinem Ӕsculapiumque passim admiscebat. Sub hӕc ad institutum templum curriculo fugiebat, accedensque ad fossam ac fontem illum quem jam ante conditum oraculum prӕstruxerant: ingressus aquam, magna voce canebat laudes Apollinis & Ӕsculapii, invitabatque Deum, uti dexter ac felix in civitatem adveniret. Deinde phialam postulat, eam porrectam a quopiam, facile immergens, una cum aqua lutoque haurit & ovum illud in quo nimirum ille deum concluserat, candida cera, cerussaque commissuram operculi ferruminans. Id quum manu cepisset, affirmabat jam Ӕsculapium tenere sese. Interim illi stupidis defixisque intuebantur oculis, exspectantes quidnam esset futurum postea, jamdudum admirantes ovum in aqua repertum. Porro posteaquam fregisset idem cava vola compressum, ac serpentis illius foetum exclusum excepisset, simulatque moventem hunc sese conspicerent ii qui aderant, ac digitis circumvolventem, protinus vocem tollebant, deumque consalutabant, ac civitatem eam fortunatam esse dictitabant: singulique affatim votis implebantur, thesauros, opes, prosperam valetudinem, aliaque id genus ab illo flagitantes bona. Hic ille rursus cursim sese domum abripuit, una secum asportans, modo editum in lucem Ӕsculapium, bis natum scilicet, cum semel duntaxat nascantur homines: atque eum non ex Coronide per Jovem, id est, cornicula (nam id matris nomen fertur) neque ex cornice, verum ex ansere progenitum. Populus autem universus consequebatur, omnes afflati deo, atque ob spes animo conceptas furore correpti. Interdiu igitur se domi continebat, sperans fore, id quod & evenit, ut fama permoti, Paphlagonum pars maxima concurreret. Ergo posteaquam urbs ita esset hominibus referta, ut jam redundaret: sed quibus omnibus jam tum cerebrum, tum cor esset exemptum, nec ulla parte similes viderentur viris pane victitantibus (ut loquuntur Poetӕ) verum qui prӕter solam figuram nihil a pecudibus distarent, in ӕdiculis quibusdam, in lecto residens, eo videlicet ornatu, qui vatem mire deceret: imponit in sinum Pellӕum illum Ӕsculapium, qui quidem erat, ut dictum est, maximus pulcherrimusque. Hunc totum ubi collo circumdedisset, caudam foras prominere sinens (Erat autem ingens adeo, ut cum per pectus illius effunderetur, pars tamen humi traheretur) solum autem caput sub alis abditum teneret, illo nimirum omnia ferente: linteaceum illud draconis caput, altera in amictus parte contextum ostendebat, quod prorsum illius esse draconis videretur, qui a pectore prominebat scilicet. Jam vero mihi cogita, ӕdiculas non admodum illustres, nec ad satietatem usque luminis capaces: tum turbam hominum convenarum, quique aliis ex locis alii concurrissent, tumultuantes: ac prius etiam quam ista viderent, mente attoniti stupefactique, denique spebus illis sublati: quibus ingressis, non mirum si res visa est portentosa, videlicet ex modo pusillo serpente, intra pauculos dies tam

A tam immanem exstitisse draconem humana specie, atque eum insuper mansuetum tractabilemque. Protinus autem ad exitum properabant, & priusquam exactius essent contemplati, protrudebantur ab iis, qui novi semper ingrediebantur. Porro e regione januæ, per quam intrabatur, patefactum erat & aliud ostium, per quod exiretur. Cujusmodi quiddam & Macedonas in Babylone fecisse ferunt in Alexandri morbo, quum ille graviter jam ægrotaret: illi obsessa regia desiderarent eum intueri, ac supremum alloqui. Atque hoc spectaculi scelestus hic non semel, verum crebrius exhibuisse dicitur, maxime si qui divites advenissent recentiores ac novitii. Hoc loco, mi carissime Celse, si vera fateri volumus, æquum est veniam dare Paphlagonibus ac Ponticis illis hominibus, nimirum crassis & ineruditis, si delusi sunt, quum draconem manu contingerent: B nam hoc quoque largiebatur Alexander iis qui voluissent: quumque conspicerent in dubia malignaque luce imitatum illud illius caput, os scilicet nunc aperiens, nunc claudens, tanto artificio, ut res plane Democritum aliquem requireret, aut certe Epicurum Metrodorumve, aut alium hujusmodi quempiam, qui prorsus adamantinam adversus hæc, atque id genus alia, mentem obtineret: qui nullo pacto crederet, quique vel quid esset rei conjecturis colligeret, vel si viam etiam modumque prævestigare non quiret, illud tamen antea sibi persuasum haberet, fugere quidem sese modum rationemque præstigiaturæ: cæterum quicquid esset negocii, prorsus simulatum fucatumque esse, ac ne fieri quidem ulla ratione potuisse. Paucis ergo diebus confluxit tum C Bithynia, tum Galatia Thraciaque, eorum qui renunciabant, unoquoque ut fit, affirmante sese primum nascentem vidisse deum, deinde paulopost eundem contrectasse jam grandem admodum factum, vultu etiam homini adsimilem. Accedebant ad hæc picturæ, imagines, signa deum referentia, partim ex ære, partim argento efficta. Postremo nomen etiam inditum: nam Glycon appellatus est, idque jussu divino carmine prodito. Ad hunc enim modum eloquutus est Alexander:

Sum ille Glycon: hominum lux, ex Jove tertia proles.

Ast ubi jam maturum esset, ut cujus rei gratia hactenus omnia fuerant excogitata, responsa quoque redderet iis, D qui requisivissent: divinaretque, accepta videlicet ansa ab Amphilochi, qui apud Cilices vatem egerat. Nam is quoque post patris Amphiarai interitum, posteaquam ille inter Thebanos exstare desiisset, patria pulsus, atque in Ciliciam profectus, haud incommode rem gessit, quum Cilicibus eventura prædiceret, binos obolos pro singulis accipiens responsis. Ab hoc, inquam, arrepta ansa, prædicit Alexander omnibus qui advenerant, fore ut deus ipse responsa daret, ejusque rei diem quandam certum præloquutus est. Jussit autem ut quisque quod videretur, quodque maxime discere vellet, id in libello conscriberet, eumque funiculis obvinctum, cera argillave, aut simili re quapiam obsignaret. Se vero receptis libellis, cum subisset adyta (jam E enim oraculum erat exstructum, & apparatæ cortinæ) ordine per præconem ac theologum evocaturum eos qui tradidissent: dehinc ubi de singulis esset edoctus a deo, libellos redditurum, ita ut traditi fuerant obsignatos: subscripto illis responso pro cujusque argumento, deo nimirum respondente, quacunque de re quis esset sciscitatus. Erat autem hic dolus, homini cujusmodi tu es, aut etiam (si modo dictu non est invidiosum) cujusmodi sum ego, manifestarius, neque difficilis animadversu: verum idiotis, quibusque nares essent mucco obsitæ, minimeque emunctæ, prodigiosum, planeque incredibile quiddam esse videbatur. Etenim quum varias esset commentus artes, quibus signa tollerentur, quæ F quisque sciscitabatur, ea legebat: atque ita quæ viderentur, ad interrogata respondebat. Deinde rursum obvincta obsignataque reddebat, non sine summa admiratione eorum qui recipiebant. Plurimus enim hic inter illos erat sermo, qui tandem scire potuisset iste, quæ ego illi tradidi, sane quam diligenter obsignata signis, imitatu neutiquam facilibus, nisi revera deus esset quispiam, cui cuncta sint perspicua. Sed jam quibus artibus id effecerit, forsitan a me requires. Accipe, quo videlicet imposturas ejusmodi deprehendere queas, & coarguere. Prima ratio sic habebat Celse carissime. Eam ceræ partem quæ post signum hærebat, acu candefacta liquefactam diducebat: tum ubi legisset rursum calefactam acu ceram, eam quæ a tergo funiculi fuerat, signo eodem manente, facile coagmentabat. Porro secundus modus constat per id quod collyrium vocant. Id conficitur ex pice Beryttia, bitumine, ac lapide perspicuo trito, cum cera & mastiche. Confectum igitur ex his omnibus collyrium igni calfactum, inuncto prius suillo pingui, signo applicabat, ac symboli figuram excipiebat. Id simulatque siccum esset factum (siccabatur autem protinus) commode resignabat libellos: quibus prælectis, impositæ ceræ denuo, perinde atque e lapide signum idem imprimebat, ad archetypi similitudinem mire effictum. Post hæc jam tertiam accipe rationem: Calce in gluten injecta, quo vulgo codicillos adglutinant, atque ex his confecta ceu cera, mollem adhuc eam admovebat signo, statimque detrahebat. Nam illico siccescit, adeo ut cornu vel ferro potius reddatur solidius. Hac ad imprimendum signum uti consueverat. Sunt præter has & aliæ complures viæ, quas omnes referre nihil necesse est, ne parum videar modestus, maxime quum tu in his quos de magorum artibus conscripsisti commentariis tum pulcherrimis, tum utilissimis, quique modestos reddere queant, si quis in eis evolvendis versetur, abunde multa retuleris, longeque his nostris copiosiora. Reddebat igitur oracula, divinabatque non mediocri ad eam rem utens ingenio, arteque negocium reddens probabilius, dum aliis obliqua quædam & ambigua respondet ad ea quæ proponebantur, aliis penitus obscura. Quandoquidem & hoc oraculis ille convenire judicabat. Alios item deterrebat, alios adhortabatur, prout sibi magis conducere conjectasset. Nonnullis remedia morborum, vitæque rationes præscribebat, cum sciret (ut initio diximus) complura atque efficacia pharmaca. Majorem autem in modum Cytmides ab illo probabantur, id est, nomen confictum emplastri, ursino adipe confecti. Porro spes, rerumque successus & incrementa, neque non hæreditatum obventus semper in aliud tempus rejiciebat, illud interim addens: Cuncta hæc tum obtingent, cum ipse volam, quumque vates meus Alexander me rogabit, proque vobis vota faciet. Denique merces erat unicuique responso præstituta, nempe drachma cum obulis duobus. Ne vero pusillum aut exiguum fuisse putes, amice, hunc quæstum, quum in annos singulos ad septuaginta aut octoginta millia redierit, usque adeo avidis & insatiabilibus hominibus, ut singuli supra decem aut quindecim rogationes traderent. Cæterum ea quæ capiebat, non ipse solus solitus est insumere, nec rursum ad congerendas opes in thesaurum reponere, verum complureis & alios habebat secum adjutores & ministros, tum qui scitarentur, qui versibus oracula conderent, qui responsa servarent, qui subscriberent, qui obsignarent, qui interpretarentur, quorum unicuique pro dignitate meritoque lucrum impertiebat. Ad hæc nonnullos foras & in longinquas regiones emandarat, qui famam ejus oraculi inter gentes disseminarent, affirmantes ipsum etiam prædicere revocareque fugitivos, fures ac prædones indicare, thesauros effodiendos ostendere, morbo laborantibus mederi, quosdam etiam vita defunctos in vitam revocare. Concurrebatur igitur undiquaque, magnoque tumultu concitati adproperabant, sacrificabatur, dicabantur munera, eaque duplicata, prophetæ discipuloque dei. Jam enim & tale quoddam oraculum exierat:

Muneribus decorare meum vatem atque ministrum
Præcipio: nec opum mihi cura, at maxima vatis.

Verum ubi jam plerique, quibus mentis plusculum inerat, non secus atque ex alta ebrietate resipiscentes, conspirassent in illum, præsertim ex his qui studebant Epicuro: jamque paulatim in oppidis deprehenderetur universa præstigiatura, fictusque fabulæ apparatus: horrendum quiddam in eos edidit, dicens impiis & Christianis impleri Pontum, qui non vererentur in sese turpissime maledicere, eos jussit lapidibus pellerent, si modo vellent propitium habere deum. Porro super Epicuro hujusmodi quoddam oraculum prodidit: Sciscitanti cuipiam, quid ageret apud inferos Epicurus: plombeis, inquit, compedibus vinctus in cœno desidet. Et adhuc miraris, si magnopere crevit ejus celebritas oraculi, cum videas interrogationes adeuntium, quam sint prudentes, quamque eruditæ? Modis autem omnibus bellum erat illi cum Epicuro sævum & irreconciliabile, idque jure optimo. Nam cum quo tandem justius bel-

A bellum gerat, homo præstigiator, & monstris ac portentis amicus, veris inimicissimus, quam cum Epicuro, viro videlicet qui rerum naturam perspectam haberet, quique unus quid in his esset verum videret? Nam Platoni, Chrysippo, aut Pythagoræ erat amicus, atque alta cum illis pax intercedebat: At intractabilis ille Epicurus (sic enim appellat eum) erat illi plurimum invisus, atque id merito: quippe qui hæc omnia ridicula ac ludicra duceret. Quam ob causam inter urbes Ponticas Amastrim in primis habebat exosam, eo quod acceperat eos, qui cum Lepido erant, alios item horum consimiles quam plurimos ea in civitate versari. Neque unquam Amastrino cuiquam oraculum reddidit: quin ubi conaretur etiam fratri proconsulis respondere, deridicule profecto discessit, cum nec ipse quemadmodum idoneum B oraculum fingeret inveniret, nec haberet qui sibi in tempore posset componere. Nam cum illi de stomachi dolore conquerenti, vellet præscribere, uti suillum pedem cum malva præparatum ederet, hunc in modum ait:

Malvaca porcorum sacra cunimato Sipydno.

Crebrius autem (uti jam diximus) draconem ostendebat iis qui vellent, haud totum tamen, sed caudam potissimum, ac reliquum corpus oculis exponens: caput vero ne videri posset, abditum in sinu servabat. Verum quo magis etiam redderet attonitam multitudinem, pollicitus est sese exhibiturum ipsum deum loquentem, citraque interpretem edentem oracula. Deinde non magno negocio, gruum arteriis contextis, ac per lineum illud draconis caput, quod C erat arte adsimulatum, insertis, alio quopiam per has foris insonante, responsitabat ad ea quæ proponebantur, voce nimirum per linteaceum illum Æsculapium ad aures promanante. Hujusmodi responsa αὐτόφωνα dicebantur, id est, ipsius voce reddita, neque quibuslibet, neque passim dabantur, verum splendidis modo atque opulentis, & qui grandia largirentur. Itaque quod Severiano redditum est super expeditione in Armeniam suscipienda, ex Autophonis erat. Adhortans enim illum ad incursum ejus regionis, sic ait:

Parthis Armeniisque citato Marte subactis,
Romam urbem repetes, & claras Tybridis undas:
Vertice serta gerens radiis distincta serenis.

D Deinde posteaquam vecors ille Gallus persuasus, incursionem fecisset, evenissetque ut una cum exercitu cæderetur ab Othryade, hoc oraculum a monumentis sustulit, atque aliud in ejus locum substituit hujusmodi:

Agmen in Armenios ne duc, neque enim expedit isthuc:
Ne tibi fœmineis vir amictus vestibus, arcu
Exitium immittat, vitaque ac lumine privet.

Siquidem & hoc interim callidissime fuerat commentus, ut posterioribus substitutitiisque responsis, ea quæ perperam maleque evenissent, farciret ac mederetur. Sæpius enim ægrotis priusquam morerentur, prædixerat fore ut revalescerent: quibus morientibus, alterum oraculum illico E paratum erat, quod superiori diversa caneret:

Posthac desine opem morbo petere exitiali:
Mors etenim manifesta, nec evitare licebit.

Porro cum non ignoraret, qui in Claro ac Didymis, Malloque responsa ferebant, ipsos quoque hujusmodi quadam arte divinandi celebres haberi, eos sibi reddebat amicos, plerosque consultores ad illos remittens, his verbis:

Nunc Claron ito, mei vocem patris auditurus.

Et rursus:

Branchydica accedas adyta, atque oracula quæras.

Et iterum:

Mallon abi, Amphilochi quærens oracula vatis.

F Et hactenus quidem de iis, quæ intra patriæ fines usque ad Joniam, Ciliciam, Paphlagoniam, Galatiamque designavit. Ut vero & in Italiam oraculi fama permanavit, inque ipsam Romanorum urbem: jam nemo omnium erat, qui non alius alium antevertere studeret, dum hi quidem eo proficiscuntur ipsi, illi vero mittunt, potissimum hi, qui potentia atque auctoritate plurimum in Republica pollebant: quibus Princeps quasique signifer exstitit Rutilianus, vir alias quidem honestus ac probus, tum compluribus in præliis Romanorum spectatæ virtutis: sed qui in his quæ ad deos pertinent, parum sane saperet, ut cui prodigiosa quædam de illis essent persuasa, adeo ut sicubi lapidem vel inunctum vel coronatum conspexisset, continuo procideret atque adoraret, ac diutius advolutus vota faceret, bonaque ac læta ab illo postularet. Hic igitur simulatque de oraculo inaudisset, parum aberat quin omisso quem tenebat exercitu, in Aboni murum avolarit: alios autem post alios eo legabat. Porro qui mittebantur, servuli nimirum idiotæ quidam facile decepti, domum redibant, referentes partim quæ viderant, partim tanquam vidissent, audissentque: permulta insuper accumulantes illis, quo domino fierent commendatiores. Inflammarunt itaque senem infelicem, & in vehementem insaniam impulerunt. At ille passim ad omnes amicos accedens, quos habebat quum plurimos, tum potentissimos, enarrabat, partim ea, quæ ab iis quos miserat, accepisset, partim quæ ex sese effinxerat. Et ad eum modum iste complevit urbem, concitavitque, quam plurimis item aulicis expavefactis atque attonitis. Qui protinus & ipsi cupiditate flagrare cœperunt, ut aliquid suis de rebus audirent. Porro Alexander advenientes comiter excipiebat, ac xeniis, aliisque magnificis donatos muneribus, ad eum remittebat: hoc agens, uti non solum renunciarent oracula, verumetiam dei laudes canerent, ac portentosa quædam de oraculo, deque ipso mentirentur. Excogitarat autem ter scelestus ille quiddam neutiquam inscitum, & ingeniosius, quam ut in vulgarem competat latronem. Etenim resignatis libellis, ac perlectis: si quid offendisset in iis, quæ proponebantur, ita scriptum, ut cum periculo ac discrimine ejus qui scripsisset, si proferretur, conjunctum videretur: apud se detinebat, neque remittebat, quo videlicet obnoxios, ac propemodum servos ob metum sibi redderet eos, qui miserant: quum in mentem illis veniret, cujusmodi de rebus consuluissent. Intelligebat autem esse consentaneum, ut qui opibus ac potentia præcellerent, ejusmodi rogationes essent proposituri. Ab his munera quam plurima ferebat: quippe qui non ignorarent sese intra casses ejus teneri. Libet autem aliquot ex his responsis commemorare, quæ Rutiliano reddidit. Huic sciscitanti de filio, ex uxore priore suscepto, qui jam per ætatem maturus esset, ut disciplinis erudiretur, quem instituendo in literis illi præceptorem deberet adhibere, ita respondit:

Pythagoram, egregieque canentem prælia vatem.

Deinde paucis post diebus, exstincto puero, ipse quidem hærebat: nec habebat quod incusantibus responderet: oraculo videlicet ita re præsenti confutato. At Rutilianus optimus ultro occupans, defendebat oraculum, affirmans hoc ipsum portendisse deum, qui jussisset neminem quidem e vivis adolescentulo deligi præceptorem, sed Pythagoram potius atque Homerum, jam olim defunctos, quibus cum credibile esset eum jam versari. Quid igitur Alexandro vitio vertere convenit, si istiusmodi homunculos dignos habuit quibus fucum faceret? Rursum eidem percontanti, cujus tandem animam esset sortitus, ait:

Principio fueras Pelides, deinde Menander,
Deinde is qui nunc es, post fax phœbea futurus.
Octoginta ævum ac centum produxeris annos.

At hic septuagenarius interiit, in insaniam versus, haud exspectato dei promisso, quanquam hoc quoque oraculum ex Autophonis erat. Eidem item de uxore ducenda percontanti, aliquando incunctanter ac palam respondit:

Ducito Alexandro natam, Lunaque puellam.

Siquidem jam olim rumorem dissiparat, filiam quam habebat, e Luna sibi susceptam fuisse. Lunam enim ipsius amore captam fuisse, quum dormientem aliquando conspexisset: nam id illi familiare est, & formosos somno sopitos adamare. Porro Rutilianus vir prudentissimus, nihil cunctatus, protinus accersit virginem, nuptias conficit, sponsus jam sexagenarius, concumbitque socrum suam Lunam solidis Hecatombis placans: jamque sibi unus e cœlitum numero videbatur. At hic ubi semel in Italia rem esset aggressus, majora indies ad hæc excogitabat, & in omnes Romanæ ditionis partes, qui perferrent oracula, dimittebat, prædicens civitatibus cavendam esse pestilentiam, incendia, terræmotus, se certa remedia traditurum, ne quid horum accideret, pollicebatur. Jamque quum pestilentia increbuisset, unum quoddam tale oraculum, Autophonon & hoc, quoquo versum gentium prodiderat, unico carmine comprehensum:

Intonsus nubem pestis depellit Apollo.

Atque hunc versiculum videre erat passim pro foribus de-

descriptum tanquam adversus pestilentiam remedio futurum. Verum ea res plurimis diversam in partem evenit, propterea quod fortuna quadam sic accidit, ut eæ domus, quibus hic versus esset inscriptus, potissimum desolarentur. Neque vero me putes illud dicere, carmen in causa fuisse ut interierint, verum casu quodam ad hunc modum accidit. Et haud scio, an plerique freti carmine, negligentius ac securius vixerint, nihil adversum pestem præter oraculum adhibentes: perinde quasi syllabas pro sese pugnantes haberent, & intonsum Apollinem telis pestem propellentem: Exploratores item ex sua conjuratione quamplurimos Romæ constituerat, qui sibi qua quisque mente esset, indicarent, ac priusquam oraculum adiissent, illi significarent quidnam essent percontaturi, quidque potissimum cupere viderentur, ut etiam priusquam advenissent ii, qui mittebantur, ille jam ad respondendum instructus & paratus esset. Atque hæc quidem & id genus alia machinamenta, adversus Italicas urbes præstruxerat. Nam præter hæc & initiationes quasdam instituerat, tædarum per manus tradendarum gestationes, & sacrorum cærimonias, quæ quidem tribus ex ordine diebus continenter peragerentur. Ac primo quidem die Atheniensium ritu, denunciatio fiebat hujusmodi. Si quis impius, aut Christianus, aut Epicureus mysteriorum explorator accessit, discedat. Cæterum qui deo credunt & parent, sacris feliciter initientur. Sub hæc protinus exigebantur, illo præeunte, dicenteque: Foras pellantur Christiani. Tum multitudo acclamabat universa: Foras pellantur Epicurei. Dehinc Latonæ puerperium agebatur, & Apollinis nativitas: tum Coronidis nuptiæ, demum nascebatur Æsculapius. Altero die Glyconin lucem emergens, deique exortus. Porro tertio die Podalirii cum Alexandri matre conjugium agebatur. Dadis autem is appellabatur, idque ex re, propterea quod faces quædam incenderentur. Postremo loco, Lunæ atque Alexandri amores, ac nascens Rutiliani conjunx. At vero facem gestabat, mysteriaque agebat Endymion Alexander, cum hic dormiens scilicet, in medio jaceret: descenderet autem in eum e tecti fastigio, tanquam e cœlo, Lunæ vicem agens, Rutilia quædam formosissima cujusdam e Cæsareæ domus præfectis uxor, quæ nimirum ut amabat Alexandrum, ita vicissim ab illo amabatur. Ac sub oculis perditissimi illius mariti, tum complexus agebantur, tum oscula, idque in propatulo. Quod nisi complures fuissent tædæ, forsan nonnihil & eorum quæ geri solent infra sinum, patratum fuisset. Paulo post rursum introibat ornatu sacerdotali, multo cum silentio. Deinde ipse primus clara voce sonabat, Io Glycon. Assonabant autem bene canori scilicet homines: nempe præcones aliquot Paphlagones, Carbatinis calceati, plurimum allii nidorem ructantes, Io Alexander. Porro subinde inter gestandas tædas, atque inter mysticas saltationes, femur illius de industria renudatum, aureum apparabat: pelle, sicuti conjicio, inaurata circumdata, atque hac ad tædarum fulgorem relucente. Itaque quum duobus quibusdam ex eorum numero, qui desipienter sapientes sunt, super hac re verteretur altercatio: utrum Pythagoræ animum possideret, videlicet ob femur aureum, an alium Pythagorico illi consimilem, atque eam controversiam ad ipsum Alexandrum retulissent: rex Glycon oraculo litem dissolvit:

Pythagoræ mens emoriturque oriturque vicissim.
Vatis at est animus divina e mente profectus.
Hunc pater auxilio misit justisque piisque.

Et rursum:

Tecta Jovis repetet, Joviali fulmine tactus.

Porro quum cunctis aliis denunciaret, ut a puerili concubitu temperarent, ceu re nefaria, vir ille egregius tale quiddam ipse machinatus est. Ponticis ac Paphlagonicis urbibus imperabat, ut tertio quoque anno mitterent, qui deo dicarentur, ejusque laudes apud se canerent. Verum mitti oportere spectatos ac selectos: nempe nobilissimos & ætate florentissimos, formaque eximios. Quibus inclusis perinde ut emptitiis ad libidinem abutebatur, modis omnibus in eos debacchari solitus. Præterea legem quoque condiderat, ne quis major annis octodecim sese admoto ore complecteretur, neve cum basio salutaret, sed reliquis manum duntaxat osculandam porrigens, solis ætate, formaque floridis osculum dabat: atque his quidem inde cognomen inditum, ut intra osculum constituti dicerentur. Atque in hunc modum vecordibus ac stupidis mortalibus illudens, perpetuo deinceps suas nequitias exercebat, passim constuprans uxores, passim liberis abutens. Quin magnum quiddam, cunctisque optandum videbatur, si cujus uxorem vel aspexisset modo. Porro si quam etiam osculo dignatus fuisset, nemo non ita putabat, quicquid esset bonarum felicitatum, id omne semel in eam domum influxurum esse. Erant insuper, atque eæ non paucæ, quæ sese etiam peperisse ex illo jactarent, quod ita esse mariti suo testimonio confirmabant. Lubet etiam dialogum tibi referre Glyconis & sacerdotis, viri cujusdam Tyanei, cujus sapientiam ex his quæ sciscitatus est, conjicias licebit. Hunc equidem legi pridem aureis descriptum literis, Tii, in ipsis sacerdotis ædibus. Dic, inquit, mihi rex Glycon, quisnam es? Sum ille, inquit, minor Æsculapius. Num alius ab illo priore? Quid ais? Haud fas est ut isthuc audias. Sed quot annos apud nos permansurus, atque oracula redditurus? Ad millesimum tertium. Deinde quo demigraturus? Ad Bactra, atque in eas regiones. Siquidem oportet & barbaros meo convictu, meaque præsentia frui. At reliquæ sortes, puta quæ in Didymis, Claro, Delphisque redduntur: utrum ab auctore proficiscuntur Apolline, an vana sunt quæ illic eduntur oracula? Ne isthuc quidem scire quæsieris, nefas enim. Cæterum ego quis tandem post hanc vitam futurus sum? Camelus, deinde equus, post hæc vir sapiens, ac vates non inferior Alexandro. Atque hæc Glyconis cum sacerdote confabulatio. Postremo & oraculum carmine comprehensum edidit, quum non ignoraret illum amicum esse Lepido:

Ne pare Lepido, namque huic fatum instat acerbum.

Mirum etenim in modum metuebat Epicurum, sicuti superius dictum est, nimirum ut artificem ac sapientem, suis artibus atque imposturis hostem, atque infensum. Itaque ex Epicureis quempiam, ausum se multis præsentibus coarguere, propemodum in vitæ discrimen adduxerat. Siquidem adiens ille, clara voce dicebat: Tu nimirum Alexander Paphlagoni cuidam persuasisti, ut servos suos apud Galatiæ præfectum capitis accerseret, hoc nomine, quasi filium ipsius, qui tum Alexandriæ erudiebatur, occidissent: Atqui vivit adolescens, incolumisque reversus est, famulis jam supplicio affectis, qui tua opera bestiis traditi perierunt. Porro hujusmodi quiddam acciderat. Cum adolescentulus amne adverso in Ægyptum navigasset, ad inundationem usque subducto navigio: persuasus est, uti pariter in Indiam navigaret. Itaque dum diutius abesset, infelices illi ejus ministri rati videlicet, vel in Nilo navigantem interisse puerum, vel a latronibus (nam id temporis permulti grassabantur) esse peremptum, reversi sunt domum, renunciantes quemadmodum e medio sublatus esset. Deinde proditum oraculum, damnati servi, sub hæc adest adolescentulus, peregrinationem suam enarrans. Atque hæc quidem ille. At Alexander indignatione percitus, quod coargueretur, neque ferens opprobratam sibi vanitatem, jussit ut qui adessent, lapidibus illum impeterent: alioqui & ipsos impios futuros, atque Epicureos appellandos. Dumque illi jam lapidare cœpissent: Demostratus quidam qui diversabatur in Ponto: primus hominem sui corporis obtegens objectu, morti subduxit: alioqui lapidibus obruendum, idque jure optimo. Quid enim oportebat unum inter tam multos insanientes, sanum esse, atque a Paphlagonum stultitia malum sibi accersere? Et illi quidem hæc evenerunt. Cæterum advocatis juxta oraculorum ordinem iis qui proposuerant (nam id fiebat pridie quam responsa redderet) præcone rogante, an vaticinari vellet, si cuipiam illorum ex adyto respondisset in malam rem, hujusmodi hominem neque tecto quisquam excipiebat, neque igni, aquave impertiebat: verum erat illi solum aliud alio vertendum, tanquam impio, deorumque contemptori, atque Epicureo: quod quidem probrum omnium erat gravissimum. Quapropter unum etiam Alexander quiddam designavit ridiculum. Nactus peculiares Epicuri sententias, librum (ut scis) longe pulcherrimum, summatim Epicureæ disciplinæ decreta complectentem, medium in forum deportavit, ac lignis ficulnis exussit, tanquam auctorem ipsum exureret scilicet, ac cinerem abjecit in mare, oraculo insuper eam in rem edito:

Edico decreta senis comburere cæci.

Haud perpendit scelestus ille, quantum adferret is liber commoditatum iis, qui in eo legendo versarentur, quan-

tamque

tamque illis quietem, tranquillitatem, libertatemque pareret: propterea quod a pavoribus, spectris, ac prodigiis liberaret: tum spes inanes, atque immodicas adimeret cupiditates, mentem sanam ac veritatem insereret, plane lustraret animum, non tæda quidem, aut squilla, aut aliis id genus nugamentis: imo recta ratione, vero ac libertate. Accipe jam facinus quoddam hominis sceleratissimi, unum inter omnia multo impudentissimum. Quum jam non mediocrem in Regiam aditum sibi patefecisset, inque aulam Cæsaream, præsertim Rutiliano rem adjuvante, atque approbante: quum bellum quod in Germania gerebatur, maxime flagraret, Divo Marco cum Marcomannis & Quadis conserente, oraculum divulgavit, quo jubebat, uti duos leones vivos in Danubium immitterent, variis cum odoribus, ac sacris quibusdam magnificis, sed præstat ipsum oraculum referre:

Gurgitibus fluvii turgentis ab imbribus Istri
Immisisse duos Cybeles edico ministros:
Monte feras alitas, tum quantum alit Indicus aër
Florum atque herbarum bene olentum, moxque futura est
Et victoria, pax & amabilis, & decus ingens.

Ea quum essent facta, quemadmodum ille præscripserat: leones quidem simulatque in hostium regionem enatassent, Barbari canes quospiam aut lupos esse rati, fustibus arcebant. At nostrorum protinus maxima strages est consequuta, viginti ferme millibus simul exstinctis. His consimilia sunt ea, quæ in Aquileja contigerunt, quum parum abfuerat, ut urbs ea caperetur. At is ad id quod evenerat Delphicam illam responsionem, Crœsoque redditum oraculum, frigide sane detorsit, dicens deum quidem prædixisse victoriam, haud tamen explicuisse, utrum Romanorum esset futura an hostium. Tandem quum plurimi jam eam in urbem confluerent: premereturque Abonotichitarum civitas multitudine eorum, qui ad oraculum ventitabant, neque sufficeret suppeditandis iis, quæ ad victum erant necessaria, comminiscitur oraculorum genus quoddam id quod nocturnum appellabatur. Siquidem libellis indormire solet, ut ajebat ipse, deinde tanquam in somnio divinitus edoctus respondebat: nihil certi tamen. Sed ambigue plerumque, ac confusim: maxime si quos libellos conspexisset, accuratius atque observantius obsignatos. Ad hunc enim modum citra ullum resignandi periculum, quicquid temere in mentem venisset, subscribebat: ratus & hoc ipsum oraculis convenire. Erant autem ad id nonnulli constituti interpretes, qui mercedem non exiguam colligebant ab iis, qui ejusmodi capiebant oracula, ut enarrarent ea, explicarentque, atque hoc illorum munus conductitium erat. Nam interpretum quisque talentum Atticum pendebat Alexandro. Nonnunquam, quum neque consuleret quisquam, neque missus esset aliquis: imo quum ne esset quidem hujusmodi quippiam, tamen oraculum edebat, uti stultos mortales redderet attonitos. Quod genus illud erat:

Hunc age quære tuam qui tectus in ædibus, ac te
Clam prorsum, uxorem vultuque oculisque decoram
Stuprat adulterio, servorum ex agmine primus.
Ipse cui solus suasisti hæc omnia demens.
Ejus enim florem libasti, hoc dedecus ille
Nunc tibi compensans, cum conjuge dormit herili.
Quin iidem tibi jampridem letale venenum
(Ut neque quæ faciant, possis audire, nec unquam
Cernere luminibus) tecte furtimque pararunt.
Invenieſque tuo sub lecto pharmaca, juxta
Parietem, sub cervicali condita, porro
Istis conscia criminibus tua serva Calypso est.

Quis Democritus principio non commoveretur, ubi nominatim & auctores, & loca palam audisset designari? Verum illico despuisset, simulatque cognovisset, quo hæc artificio gererentur. Insuper & Barbaris non raro respondit, si quis patria lingua sciscitaretur, puta Syriace aut Gallice, quoties difficile erat invenire conterraneos eorum, qui rogationem proposuissent: proinde receptis libellis, multum intercedere solet intervalli, priusquam oraculum redderet, quo videlicet interim per ocium posset & solvere tuto libellos, & nancisci, qui cuncta possent interpretari. Quod genus erat & illud Scythæ cujusdam redditum oraculum:

Morphi ebargulis in umbram chnenchicranc, relinquet lucem.

Alias rursum, quum nec adesset item quispiam, neque tale quicquam omnino contigisset, citra carmen eloquutus est: *Redito unde venisti. Siquidem is qui te misit, hodie periit, interemptus a Diocle vicino, accedentibus latronibus, Magno, Celere, ac Bubalo, qui nunc etiam comprehensi tenentur in vinculis.* Cæterum pauca nunc accipe ex his quæ mihi ipsi respondit. Sciscitato an calvus esset Alexander, quum libellos palam atque accurate obsignassem, responsum nocturnum subscribitur: *Sabar Dalachi Malach Attis alter erat.* Rursum quum diversis libellis eandem rogationem proposuissem, puta cujatis esset vates Homerus, idque alio atque alio nomine: alteri subscripsit, videlicet deceptus a puero: qui rogatus qua gratia venit, ut remedium, inquit, peterem adversus laterum dolorem:

Cytmide te jubeo, ac Latonæ rore perungi.

Alteri vero ubi sciscitanti ei dictum esset, utrum mihi satius esset in Italiam navigio, an pedestri itinere proficisci, respondit: nihil quidem quod ad Homerum attineret:

Carpe viam pedibus, rate ne sulcaveris undas.

Multa id genus adversus illum sum machinatus, quorum de numero fuit & illud: unica rogatione proposita libello pro more inscripto talis cujusdam rogationes octo, nomen aliquod ementitus, missis drachmis item octo: præterea quod fieri solitum esset adjungens. At ille persuasus, partim missa mercede, partim inscriptione libelli, ad unicam rogationem, ea erat hujusmodi, quando deprehendendus esset impostor Alexander, octo misit oracula: sed quæ neque cœlum (quod ajunt) neque terram attingerent, verum absurda & intellectu difficilia omnia. Quod ille ubi in posterum persensisset, præterea quod Rutilianum a matrimonio conatus essem avertere, suasissemque ne prorsus in divinatione spes reponeret suas, oderat me videlicet, ita uti par erat, sibique acerrimum hostem judicabat. Quodam itaque tempore percontanti de me Rutiliano ita respondit:

Noctivagis gaudet scortis, spurcoque cubili.

In summa, jure optimo me invisissimum habebat. Proinde quum me in oppidum advenisse sensisset, meque Lucianum esse illum cognovisset: adduxeram autem milites duos, alterum lancea, alterum conto armatum, quos quidem a Cappadociæ præside mihi tum amico acceperam, quo me ad mare usque deducerent, accersit illico, sane quam comiter multaque cum humanitate. Ego cum advenissem, complures apud illum reperio: porro bona quadam fortuna & milites una mecum adduxeram. Tum ille manum mihi porrigit osculandam, quemadmodum vulgo facere consueverat: ego admotus, perinde atque osculum daturus acri morsu corripio, ita ut parum abfuerit, quominus illi manum mancam reddiderim. Itaque qui præsentes erant, præfocare me accedere conati sunt tanquam hominem sacrilegum: quippe qui jam inde ab initio graviter tulerant, quod Alexandrum illum, non autem prophetam compellassem. At ille oppido quam generose obnitens compescuit illos, pollicitusque est se facile me placidum redditurum, declaraturumque quantum posset Glycon, qui nimirum & hos qui maxime sævirent ferocirentque, sibi redderet amicos. Moxque ablegatis omnibus, mecum expostulavit, negans se clam esse quæ suasissem Rutiliano. Ecquid me læsisset ut ista in sese facerem, quum possem illius opera apud illum magnas ad res promoveri? Equidem hanc hominis humanitatem commoditatemque libenter accipio, perpendens nimirum, quo forem in periculo constitutus: pauloque post prodibam, jam illi factus amicus. Ea res profecto iis qui videbant, vehementer erat stupenda, quod tam facile fuissem commutatus. Posthæc quum jam navigare statuissem, missis xeniis ac muneribus permultis (eram autem forte solus cum Xenophonte, patre cum reliquis meis in Amastrim præmisso) pollicetur & navim præbiturum sese, & remiges qui nos aveherent. Etenim arbitrabar hæc animo simplici, atque officiose fieri: verum ubi jam in medio essemus mari, viderемque gubernatorem lachrymantem, & nescio quid reliquis nautis contradicentem, non optimæ de eventu spes me ceperunt. Erat autem illis ab Alexandro mandatum, ut tollentes nos in mare præcipites darent. Quod si contigisset, facile quod mecum gerebat bellum, illi debellatum fuisset: sed is qui lachrymabatur, effecit ne quid in nos gravius patrarent. Ac mihi quidem ita loquutus est: Annos natus, uti vides, sexaginta, quum antehac pie atque inculpate vixerim, haudquaquam velim

in hac tam grandi ætate, præsertim quum uxorem & liberos habeam, homicidio manus impiare: indicans videlicet, cujus rei gratia nos suscepisset, quæque sibi mandasset Alexander. Expositis autem nobis in Ægialos, quorum etiam egregius meminit Homerus, retro legit cursum: ibi forte nactus prætervavigantes legatos quosdam Bosphoranos Eupatoris Regis nomine in Bithyniam proficiscentes, deportandi vectigalis gratia, quod in singulos pendebatur annos: cum exposuissem illis, quod me periculum circumvallaret, atque illi se mihi commodos facilesque præberent, receptus in navigium, incolumis in Amastrim perveni: tantillum abfuerat ut perierim. Ex hoc nimirum tempore & ipse adversus illum arma capiebam, omnemque (quod ajunt) movebam funem, quo hominem ulciscerer, quem jam tum ante mihi structas insidias oderam, proque summo ducebam hoste, propter morum impietatem. Jamque ad accusationem intenderam animum, non paucis mecum facientibus, maximeque qui erant ex Timocratis Heracleotæ schola Philosophi. Verum qui tum Bithyniæ Pontoque præsidebat nos cohibuit, pene supplicans & obsecrans uti desisteremus. Etenim ob necessitudinem quæ sibi cum Rutiliano intercederet, nequaquam posse supplicio afficere, nec si manifesto in crimine deprehendisset. Atque ita quidem ab iracundia destiti, meque repressi: non in tempore rem aggressurus, cum judicem haberem ad eum modum affectum. Sed quid? an non & hoc inter alia facinus audax Alexandri: a principe Romano postulare ut Aboni murus, commutato vocabulo, Jonopolis appellaretur? utque nomisma novum signaret, altera quidem parte Glyconis obtinens imaginem, altera vero Alexandri, qui insignia avi Æsculapii, ac falcem illam Persei, unde maternum ducebat genus, teneret. Porro cum esset de sese vaticinatus, oraculo prodito, fatis decretum esse, ut annos viveret centum & quinquaginta, de hinc fulmine ictum, interitu maxime miserando periturum: nondum septuaginta natus annos interiit, videlicet (uti conveniebat Podalirii filio) pede ad inguen usque putrefacto, & vermibus scatens. Quo tempore simul & illud deprehensum est, quod calvus esset: quum Medicis caput humectandum præberet, ad mitigandum cruciatum, id quod haudquaquam facere potuissent, nisi detracto galericulo. Hunc habuit exitum Alexandri tragœdia, atque hæc fuit totius fabulæ catastrophe, ut res videri possit providentia quadam esse gesta, quum casu nimirum ad hunc modum evenerit. Restabat illud, ut & epitaphium vita acta dignum ei constitueretur: neque non certamina quædam agerentur ab iis qui in vaticinium conjuraverant, videlicet impostoribus insignibus ac præcipuis ad Rutilianum arbitrum sese conferentibus, ut is pronunciaret, quem ex ipsis oporteret in oraculi successionem capessendam eligi, atque sacerdotali propheticaque corona redimiri. Erat autem in hoc numero simul & Pætus, qui artis professione Medicus, tum canus quum esset, ista faciebat, neque Medico neque homini cano decora. At Rutilianus certaminis arbiter, incoronatos eos remittebat, ipse sibi divinandi auctoritatem servans, posteaquam inde jam demigraverat. Hæc, amice, ex plurimis pauca, quo degustamentum hominis præberem, scribenda putavi, cum uti tibi gratificarer, homini familiari atque amico, quemque ego unum omnium maxime suspicio: idque pluribus nominibus, vel propter sapientiam singularem, vel ob amorem veri, vel ob morum mansuetudinem ac moderationem, vel ob vitæ tranquillitatem, postremo comitatem atque humanitatem erga hos, qui cum vivis. Tum vero (quod quidem tibi fuerit etiam jucundius) ut Epicurum ulciscerer, virum vere sacrum, ingenioque divino, quique solus quæ vere sunt honesta & noverit, & tradiderit: quique solus extiterit, qui liberos reddere solitus sit eos, qui secum haberent consuetudinem. Denique arbitror fore, ut iis qui in hanc lectionem inciderint, liber hic nonnihil utilitatis afferre videatur, dum quædam redarguit, quædam in opinionibus horum, qui & recte sentiunt, confirmat ac stabilit.

ORNATISSIMO VIRO
D. CHRISTOPHORO URSEWICO,
DESIDERIUS ERASMUS ROTERODAMUS
S. D.



EQUIDEM hac mente semper fui, ornatissime idemque humanissime Christophore, ut a nullo prorsum vitio perinde abhorruerim atque ab ingratitudine, nec unquam istos hominis vocabulo dignos judicarem, qui alieni in se meriti tempore ullo possent oblivisci. Rursus eos existimaverim beatos, quibus tantum facultatis fortunæ commoditas suppeditasset, ut bene de se meritis, possent parem remetiri gratiam: beatissimos autem quibus licuisset acceptum beneficium aliquo cum fœnore rependere. Proinde cum ante hac sæpenumero mecum repeterem, quantum in me nihil promeritum tua benignitas contulisset (nam collatum arbitror, quicquid ita delatum est, ut haud scio utrum per fortunam, an per meipsum, certe per te non steterit quo minus acceperim) circumspectaremque quonam argumento possem aliquam saltem erga te memoris gratique animi significationem dare: neque in tanta fortunæ meæ tenuitate quicquam occurreret, quod ulla ex parte, non dicam tuis meritis responderet, sed quod vel animo satisfaceret meo: illud denique mihi venit in mentem, ut saltem istos quosdam non inurbanos homines imitarer, qui flosculo quopiam insigni, aut alio simili symbolo misso, voluntatis propensionem, promptique animi studium testificari solent: præsertim ipsi tenues erga eos, quibus neque res, neque animus sit alienorum egens munerum. Ergo Græcania ingredienti μυρεῖα *(nam Musarum horti vel mediis vernant brumis) statim inter multos varia adblandientes gratia, hic Luciani flosculus præter cæteros arrisit. Eum non ungue, sed calamo decerptum ad te mitto, non solum novitate gratum, colore varium, specie venustum, nec odore modo fragrantem, verumetiam succo præsentaneo salubrem & efficacem. Omne tulit punctum (ut scripsit Flaccus) qui miscuit utile dulci. Quod quidem aut nemo, mea sententia, aut noster hic Lucianus est assequutus, qui priscæ Comœdiæ dicacitatem, sed citra petulantiam referens: Deum immortalem! qua vafricie, quo lepore perstringit omnia, quo naso cuncta suspendit, quam omnia miro sale perfricat, nihil vel obiter attingens, quod non aliquo feriat scommate, præcipue Philosophis infestus, atque inter hos Pythagoricis potissimum, ac Platonicis ob præstigias: Stoicis item propter intolerandum supercilium, hos punctim ac cæsim, hos omni telorum genere petit: idque jure optimo. Quid enim odiosius, quid minus ferendum, quam improbitas virtutis professione personata? Hinc illi blasphemi, hoc est, maledici vocabulum addidere, sed hi, nimirum, quorum ulcera tetigerat. Pari libertate Deos quoque passim & ridet & lacerat, unde cognomen inditum* ἄθεος, *speciosum profecto vel hoc nomine, quod ab impiis ac superstitiosis attributum. Floruit (uti putant) Trajani ferme temporibus, indignus, ita me Deus amet, qui inter Sophistas annumeretur. Tantum obtinet in dicendo gratiæ, tantum in inveniendo felicitatis, tantum in jocando leporis, in mordendo aceti: sic titillat allusionibus: sic seria nugis, nugas seriis miscet: sic ridens vera dicit, vera di-*

dicendo ridet: sic hominum mores, affectus, studia, quasi penicillo depingit: neque legenda, sed plane spectanda oculis exponit, ut nulla Comœdia, nulla Satyra cum hujus dialogis conferri debeat, seu voluptatem spectes, seu spectes utilitatem. Cæterum si nominatim quæras hujus argumentum dialogi, facit id quod semper facit. Pythagoram velut impostorem ac præstigiatorem taxat: Stoicorum fastum & sapientem barbam ridet: divitum ac Regum vita quantis sit ærumnis obnoxia docet: contra quam expedita res paupertas hilaris, suaque contenta sorte. Quem uti legas attentius, te majorem in modum rogo, si quando tibi per tua licebit negocia frontem exporrigere. Audies enim Gallum cum hero sutore confabulantem, magis ridicule quam ullus possit γελωτοποιός, *sed rursum sapientius quam Theologorum ac Philosophorum vulgus nonnunquam in scholis magno supercilio, magnis de nugis disputat. Vale optime atque humanissime Christophore, & Erasmum inter tuos ascribito clientulos, amore, studio, officio cessurum nemini. Ex arce Hammensi. Anno* M D III.

SOMNIUM SIVE GALLUS:

INTERLOQUUTORES, GALLUS, MICYLLUS.

MICYLLUS.



A te, sceleſtiſſime galle, cum iſta tanta invidentia, voceque tam acuta ipſe perdat Juppiter, qui quidem opibus affluentem me, ac dulciſſimo in ſomnio verſantem, & admirabili felicitate fruentem, penetrabile quiddam & clamoſum reſonans expergefeceris, adeo ut ne noctu quidem effugere liceat paupertatem, vel te ipſo longe nocentiorem. Atqui ſi conjectandum eſt, tum e ſilentio quod etiamdum ingens eſt, tum e rigore frigoreque, quod nondum me quemadmodum aſſolet, antelucano morſicat titillatque (nam hic mihi certiſſimus gnomon adventantis diei) ne medium quidem adhuc noctis eſt. Sed iſte pervigil, perinde quaſi vellus illud aureum ſervet, ab ipſa protinus veſpera vociferari cœpit. Verum haudquaquam impune: ſiquidem mox pœnas de te ſumam, fuſteque comminuam, ſi diluxerit modo. Nam nunc negocium mihi faceres, ſubſiliens in tenebris. GAL. Here Micylle, equidem arbitrabar me tibi gratum eſſe facturum, ſi quoad poſſem, alta nocte lucem antevertiſſem, quo poſſes antelucano ſurgens, quam plurimum operis conficere. Etenim ſi priuſquam ſol exoriatur, vel unicam feceris crepidam, iſthuc laboris lucro tibi acceſſerit ad parandum victum. Quod ſi tibi magis libet dormire, equidem tuo arbitratu quietem egero, longeque magis mutus fuero piſcibus. Cæterum tute videto, ne per ſomnium dives, eſurias experrectus. MICYL. O prodigiorum averſor Juppiter, ô malorum depulſor Hercules: Quid hoc mali eſt? vocem humanam ſonuit Gallus. GAL. Hoccine tandem tibi prodigium videtur, ſi eadem qua vos lingua loquor? MICYLL. Quid? an non hoc portentum? ſed avertite Dii malum a nobis. GALL. At tu mihi videris admodum illiteratus eſſe, Micylle, nec evolviſſe Homeri poëmata, in quibus equus Achillis, cui nomen Xanthus, poſteaquam hinnitus longum valere juſſiſſet, medio in prælio conſtitit, diſſerens, totosque verſus ordine recitans: non quemadmodum nunc ego proſa oratione loquens: quin etiam vaticinabatur ille, deque futuris edebat oracula, neque quicquam prodigioſum facere videbatur: neque is qui tum audiebat, malorum averſorem, ita uti tu facis, implorabat, quaſi rem abominandam & avertendam audiſſe ſeſe judicaret. At quid tandem facturus eras, ſi tibi navis cui nomen apud Homerum eſt Argo, carina fuiſſet eloquuta, ita ut olim in Dodonea ſylva phagus per ſe loquens oraculum edidit? Aut ſi tergora direpta ſerpere vidiſſes, ſi carnes boum mugire ſemiaſſas, coctaſque verubus transfixas? Ego vero quum Mercurii ſim aſſeſſor loquaciſſimi, Deorumque omnium facundiſſimi: præterea contubernalis vobis & convictor, haud mirum videri debet, ſi ſermonem humanum edidici. Quod ſi mihi recipias taciturum te, haudquaquam gravabor veriorem tibi cauſam aperire, unde factum ſit, ut eadem qua vos lingua loquar, & unde mihi ſuppetat hujus orationis facultas. MICYL. Modo ne iſthuc ipſum ſit ſomnium, galle, quod ita mecum loqueris. Sed dicito per Mercurium, ô præclare: quid etiam aliud rei tibi ſit in cauſa, ut iſtam linguam ſones? Nam ut taceam, neque cuiquam proferam, quid attinet te ſollicitum eſſe? Quis enim fidem mihi ſit habiturus, ſi cui narrem, me gallum hæc loquentem audiſſe? GAL. Auſculta igitur, nam orationem ex me audies, omnium (ſat ſcio) maxime novam atque incredibilem. Siquidem hic qui nunc tibi gallus appareo, non ita pridem homo fui. MICYL. Profecto & olim iſtiuſmodi quiddam de vobis inaudieram: Adoleſcentulum quempiam fuiſſe Gallum, Marti adamatum, atque hunc Deo compotaſſe, colluſitaſſeque, & in voluptatibus geſſiſſe morem. Itaque cum Venerem adiret Mars cum ea cubiturus: hunc quoque Gallum una ſecum adduxiſſe. Quoniam autem Solem potiſſimum metueret, ne ſi e ſublimi conſpexiſſet Vulcano ſe proderet, foris ad oſtium adoleſcentulum ſemper relinquere ſolitum, cujus indicio certior fieret, quando Sol emergeret. Deinde Gallum aliquando ſomno correptum, excubias deſeruiſſe inſcientem, Solemque nullo præſentiente imminuiſſe Veneri ac Marti ſecure dormienti, propterea quod confideret Gallum indicaturum fuiſſe, ſi quis interveniſſet. Itaque Vulcanum a Sole edoctum, eos deprehendiſſe implicitos atque irretitos iis vinculis, quæ jam olim in illos fuerat fabricatus. Porro Martem ſimulatque dimiſſus eſt, indignatum adverſus Gallum fuiſſe, atque eum in avem tranſmutaſſe, iiſdem armis, ut in capite pro galea criſtam obtineret. Hanc ob cauſam quo vos Marti purgetis, quum jam nihil opus, ſimulatque Solem exorientem ſenſiſtis, multo ante vociferari, atque illius exortum prænunciare. GALL. Feruntur quidem & illa Micylle. At quod ego ſum narraturus, multo aliud quiddam fuit, atque adeo nuper admodum in gallum transformatus ſum. MICYL. Quonam modo? Nam iſthuc maximopere cupio cognoſcere. GAL. Audiſtin de Pythagora quodam Mneſarcida Samio? MICYL. Num Sophiſtam illum dicis & glorioſum: qui inſtituit, ne quis vel carnes guſtaret, vel fabas ederet, ſuaviſſimum mihi edulium, ſalubre & parabile a menſa ſubmovens? Præterea autem qui mortalibus ſuaſit, ne intra quinquennium loquerentur? GAL. Scis nimirum & illud, quemadmodum priuſquam Pythagoras eſſet, Euphorbus fuerit? MIC. Præſtigiatorem & prodigiorum artificem hominem ajunt fuiſſe, ô galle. GALL. Ille ipſe ego tibi ſum Pythagoras. Quare parce, quæſo, mihi convitiari, præſertim quum ignores, quibus ſim moribus. MICYL. At hoc rurſum multo etiam quam illud portentoſius: gallus Philoſophus? Attamen expone, Mneſarchi gnate, qui factum ſit, ut ex homine avis, ex Samio Tanagræus repente nobis prodieris. Neque enim iſta veriſimilia, neque omnino facilia creditu. Quandoquidem duas quaſdam res jam mihi videor in te animadvertiſſe, nimium alienas a Pythagora. GAL. Quas? MICYL. Alterum quidem, quod garrulus es, & obſtreperus, quum ille ſilere in ſolidos quinque annos (ſi memini) præceperit. Alterum vero plane cum illius legibus pugnat. Etenim cum non haberem quod tibi objicerem, fabas heri (ſicut noſti) ad te attuli. At tu nihil cunctatus protinus ea ſublegebas: unde fit ut neceſſe ſit: aut ementitum eſſe te Pythagoram eſſe, quum aliud quiddam ſis: aut ſi Pythagoras es, legem prætergreſſum eſſe te, juſque violaſſe, quum fabas ederis, perinde ac ſi caput patris comederis. GAL. Non cognoviſti, Micylle, quæ ſit harum rerum cauſa, neque quæ ad unumquoque vitæ genus conducant. Ego tum quidem non eſitabam fabas, propterea quod Philoſophus eſſem. Nunc contra comeſurus ſim, quippe avicio congruas, neque nobis repudiandum pabulum. Verum ſi moleſtum non eſt, audi quemadmodum e Pythagora cœperim eſſe id, quod ſum in præſentia, quamque in multis vitæ generibus antehac vixerim, & quid ex unaquaque transformatione ſim conſequutus. MICYL. Nar-

Narra quæso: nam mihi quidem auditu jucundissimum fuerit. Adeo ut si quis mihi deferat optionem, utrum te ista narrantem audire malim, an rursum felicissimum illud somnium, quod paulo ante vidi, videre, haud sciam utrum electurus sim, usque adeo cognata germanaque videntur esse ista tua cum suavissimis illis visis, & ex æquo vos æstimo, te pariter ac præclarum illud insomnium. GALL. Etiamnum tu somnium illud quod dudum tibi visum est, inanimum revocas, & inania quædam observans simulacra, atque (uti loquuntur Poetæ) evanidam quandam felicitatem memoria consectaris? MICYL. Imo illud scias galle, ne ullo quidem tempore unquam visi illius mihi venturam oblivionem. Tantum mellis somnium aufugiens in oculis mihi reliquit, ut præ illo vix queam palpebras attollere, rursus in somnum coeuntes. Itaque qualem voluptatem movent pennæ in auribus versatæ, talem titillationem mihi præbent ea quæ vidi. GAL. Novum quendam Hercule mihi narras amorem insomnii, siquidem alatum quum sit (sicut ajunt) metasque volandi præscriptas habeat somnium, jamque septa transilit, in oculis etiam vigilantis obversans, adeoque mellitum & evidens apparet. Quare pervelim audire, cujusmodi nam sit istud, quod te supra modum delectat. MICYL. Gestio narrare. Nam dulce est hoc ipsum meminisse, & commemorare de illo quippiam. Verum, heus Pythagora: quando tu narrabis de tuis transformationibus? GAL. Ubi tu, Micylle, desieris somniare, melque illud ab oculis absterseris. Interim prior dicito, uti intelligam, utrumne per portas eburneas, an per corneas tibi somnium advolarit. MICYLL. Neque per has, neque per illas, ô Pythagora. GAL. Atqui duas has tantum commemorat Homerus. MICYL. Valere sinas nugatorem illum Poetam, qui nihil de somniis intellexit. Paupertina fortassis somnia per istas commeant portas, qualia videbat ille: neque id admodum perspicue, quippe captus oculis. Mihi vero per aureas quasdam portas dulcissimum hoc advenit somnium, & ipsum aureum, & aureis undique circumamictum, & auri plurimum secum adducens. GAL. Desine optime Mida de auro fabulari. Nam dubio procul ex illius voto, istud tibi accidit insomnium, & solidas auri venas mihi duxisse videris. MICYL. Multam auri vim vidi Pythagora, multam, quam putas pulchri? quo fulgore coruscantis? Quid tandem Pindarus in illius laudem dicit? nam in memoriam redige, siquidem meministi, quum aquam præstantissimam dicens, postea aurum admiratur, idque jure, statim in initio carminis unius omnium bellissimi. GALL. Num illud quæris?

Aqua est illa quidem optima:
Cæterum aurum, uti candens
Ignis, ita enitens, noctibus eminet eximie unum
Cæteras supra opes: quæ
Gloriam ac decus addunt.

MICYL. Per Jovem, isthuc ipsum: perinde enim ac si insomnium meum videat Pindarus, ita prædicat aurum, sed ut tandem cognoscas quale fuerit, ausculta jam sapientissime galle. Meministi ut heri nullum domi cibum acceperim: siquidem Eucrates dives ille forte mihi in foro factus obviam, lotum me in tempore ad cœnam venire jusserat. GALL. Isthuc equidem plane memini. Nam totum esuriebam diem, donec mihi profunda tandem vespera domum reversus, subuvidus, vinoque madens, quinque illas fabas proferres, non admodum opiparam cœnam gallo, qui quondam fuerit athleta, quique Olympia non segniter olim decertarit. MICYL. Ast ubi reversus a cœna fabas tibi objecissem, obdormii protinus. Tum mihi, juxta Homerum, ambrosia sub nocte divinum quoddam haud dubie somnium assistens. GALL. Sed prius quæ tibi apud Eucratem acciderint Micylle narra: & cujusmodi fuerit cœna, quæque super cœnam acta sunt omnia. Nihil enim prohibet te denuo cœnare, si veluti somnium quoddam ejus cœnæ reducas, & quæ tum ederis, rursum commemoratione quasi rumines. MICYLL. Credebam molestum futurum me, si hæc quoque retulissem: verum posteaquam tu desideras, en id quoque narrabo, quum nunquam antehac in vita cœnassem apud ullum divitem, ô Pythagora, heri bona quapiam fortuna in Eucratem incidi atque ego quidem simulatque dominum illum salutassem, ita uti consueveram, subducebam me: ne pudori illi essem, si lacera in veste fuissem affectatus. At ille: Micylle, inquit, hodie

A natalitia filiæ celebro, plurimosque ad convivium amicos invitavi, verum quoniam ajunt quendam ex his incommoda esse valetudine, neque posse pariter ad convivium nostrum accedere: tu ejus loco venito lotus, nisi ipse forte qui vocatus est, semet adfuturum renunciarit. Nam nunc quidem ambigit. Hoc ubi audissem, adorato divite discedebam: omnes obsecrans deos, ut algidam febrem aliquam, aut laterum dolorem, aut podagram morbi auctarium immitterent valetudinario illi, cujus ego sellæ occupator, cœnæque vicarius, & hæres eram vocatus. Interim hoc spacii, quod usque ad balnei tempus intercessit, longissimum seculum esse judicabam: dum subinde respicio, quot pedum esset linea, & quando illos jam lavisse consentaneum esset. Hic

B ubi tempus tandem advenisset, ocyus me corripio, atque abeo, nitide admodum cultus: sic obverso palliolo, ut qua esset parte purissimum, ea videretur. Offendo autem ad fores, & alios complures, in quibus etiam illum (gestabatur autem a viris quatuor) cujus eram subconviva vocatus: qui male habere dictus erat, atque id etiam præ se ferebat, quod afflicta esset valetudine: nam ex alto gemebat, tussiebatque, ac screabat, velut ex abdito: quodque ægre graderetur totus pallidus ac tumens, annos natus circiter sexaginta. Ferebatur autem Philosophus quispiam esse, ex his qui apud adolescentulos nugas deblaterant. At barba mire erat tragica, id est hircina, supra quam credi posset tonsoris egens. Porro increpante Archibio Medico, quamobrem quum ita esset affectus, advenisset: non oportet, inquit, promissa de-

C serere, præsertim hominem Philosophum, etiam si mille urgeant & instent morbi. Putabit enim Eucrates sese a nobis haberi ludibrio. Haudquaquam, inquam ego: imo collaudabit te, si domi potius apud te velis emori, quam in convivio animam una cum phlegmate excreans. Atque ille quidem præ arrogantia dissimulabat sese dicterium audisse. Haud multo post accessit & Eucrates jam lotus: conspectoque Thesmopolide (nam id erat Philosopho nomen) Præceptor, inquit, probe quidem factum abs te, qui ipse ad nos veneris. Tametsi nihilo deterius tibi fuerat futurum. Siquidem etiam absenti omnia ordine missa fuissent. Hæc simulatque dixerat introgreditur, manus illi porrigens pariter & famulis innitenti. Ego igitur jam abire parabam: verum

D ille conversus ubi diu secum hæsitasset, posteaquam me tristem admodum videret: ades, inquit, tu quoque Micylle, ac nobiscum cœna. Nam filium in mulierum conclavi una cum matre convivium agere jubebo, quo tibi sit locus. Ingrediebar itaque, quum parum abfuerit, ut lupus frustra hians discederem, verum ingrediebar pudefactus, quod Eucratis filiolum e convivio viderer expulisse. Ast ubi jam tempus esset ut discumberemus, primum tollentes Thesmopolim composuerunt, haud sine negocio per Jovem, quinque (si Diis placet) proceri juvenes, cervicalia illi supponentes undiquaque: quo nimirum in eodem habitu permanere, ac longum etiam tempus durare posset. Deinde ubi nemo jam tolerare posset, ut juxta illum accumbe-

E ret, me adductum reclinant, ut eadem in mensa essemus. Deinceps cœnabamus, ô Pythagora, opiparam quandam & variam cœnam, multoque in auro, multo item argento. Pocula erant aurea, ministri formosi: tum cantores & concitandi risus artifices. In summa, jucundissima quæpiam erat vita: nisi quod unum quiddam me vehementer male habebat: Thesmopolis obstrepens atque obturbans, virtutem nescio quam mihi commemorans, docensque, quod duæ negationes unicam efficerent affirmationem: quodque si dies sit, nox non sit. Nonnunquam & cornua mihi dictitabat esse, atque id genus multa philosophabatur erga me, quibus ejusmodi nihil opus: planeque voluptatem interpel-

F latione minuebat, quum non sineret exaudiri eos qui cithara, voceque canebant. Habes galle de cœna. GAL. Non admodum suavi, Micylle: maxime posteaquam cum illo deliro sene sortitus eras accubitum. MICYL. Audi nunc & insomnium: Visus enim mihi Eucrates ipse, quum orbus esset liberis, nescio quomodo e vita decedere. Dehinc ubi me accersisset, ac testamentum condidisset, quo me in solidum hæredem omnium scripserat, paulo tempore superstes emori. Porro ipse videbar adire facultates: & tum aurum, argentumque ingentibus quibusdam scaphis exhaurire, perpetuo subscaturiens & affatim affluens: tum autem vestes, mensas, pocula, ministros, omnia mea, ut par

erat

erat esse. Postea candido vehiculo vectabar resupinus, cunctis qui intuebantur, conspiciendus & admirandus. Accurrebant permulti, ac circumequitabant, complures sequebantur. Ego interim illius indutus vestitum, & annulos gerens circiter sedecim digitis insertos, epulum quoddam splendidum jubebam adornare, quo amicos acciperem. Jamque illi, ita ut in somnio fieri consentaneum est, aderant: jam epulæ erant comportatæ, jam potus ex animi sententia ministratus. In his quum versarer, & aureis phialis præbiberem omnibus qui aderant amicis: quum jam inferrentur bellaria, intempestivo tuo clamore perturbasti nobis convivium, mensasque subvertisti, ac divitias illas ita dissipasti, ut in auras evanescerent. Num tibi videor injuria stomachatus in te? nam vel treis noctes perpetuas libenter adhuc somnium illud quod mihi accidit, videre cupiam. GAL. Adeone es auri cupidus, & opum avidus, Micylle: idque ex omnibus unum admiraris, ac felicitatem unicam esse judicas, si plurimum possideas auri? MICYL. Equidem haud solus ita cogito Pythagora: quin ipse quoque, tum quum Euphorbus esses, auro atque argento comis intexto, prodibas pugnaturus cum Achivis: idque in bello, ubi ferrum quam aurum gestare satius fuerat. At tu etiam tum voluisti calamistris auro internexis in periculum descendere. Atque ob eam (opinor) causam, Homerus comas tuas Gratiis similes dixit, quod auro argentoque revincirentur. Etenim longe nimirum meliores atque amabiliores videbantur, quod essent auro religatæ, unaque cum eo relucerent. Neque isthuc novum est Auricoma, si tu Pantho patre prognatus, aurum in precio habuisti: quin & ipse deorum omnium hominumque pater, ille Saturno Rheaque progenitus, quum Argolicam illam puellam adamaret: ubi nihil inveniret amabilius in quod sese transformaret, neque quo Acrisii custodias posset corrumpere: audisti videlicet, ut aurum sit factus: atque ita per tegulas illapsus, potitus est ea quam deperibat. Jam vero quid tibi commemorem, quam multos usus præbeat aurum? Et ut eos quibus adfuerit, formosos, & sapientes, & potentes reddat, decus & gloriam illis concilians? utque nonnunquam ex obscuris & infamibus, claros ac celebres repente efficiat? Nam nosti vicinum mihi & ejusdem artificii Simonem: qui paucis ante diebus apud me cœnavit, quum legumen coquerem Saturnalibus, duasque extorum cæsuras immittens? GAL. Novi Simonem illum brevem: qui fictilem ollulam, quæ nobis erat unica, suffuratus, peracta cœna abiit, sub ala gestans. Nam ipse vidi, Micylle. MICYL. Atqui quum eam sustulerit, tam multos ille deos postea jurabat. Sed cur non prodebas, ac vociferabare tum, o galle, quum nos furto spoliari consperceres? GAL. Coccizabam, quod mihi solum licebat id temporis: verum quid Simon ille? Nam videbare de illo dicturus nescio quid. MICYL. Ei consobrinus erat vir supra modum dives, nomine Drimylus: is quoad vivebat, ne obulum quidem donaverat Simoni: nam qui daret, quum ne ipse quidem pecunias attingeret? At simulatque mortuus est nuper: universis illis opibus juxta leges Simon ille, qui coria putria, qui patellam circumlingebat, gaudens potitur: purpura ostroque circumtectus, famulosque & currus, & aurea pocula, & mensas eburnis innixas pedibus possidet, ab omnibus adoratur: jamque nos ne aspicit quidem. Etenim nuper quum illum procedentem conspexissem: Salve, inquam, Simon. At ille indigne ferens: Edicite, inquit, mendico isti, ne vocabulum meum diminuat, neque enim Simon, sed Simonides appellor. Porro (quod est omnium maximum) mulieres etiam illius amore capiuntur. Atque is quidem eludit eas, ac fastidit: & alias quidem admittit, comemque sese præbet, aliæ porro quæ negliguntur, necem conscituras sibi minitantur. Vides quantas commoditates pariat aurum: quandoquidem eos qui sunt deformissimi, transfigurat, & amabiles reddit, non secus atque cestus ille Poeticus. Audis insuper & a Poetis dictum:

O aurum auspicata res, & ostentum optimum:

Et rursum:

Aurum est quod opibus imperat mortalium.

Sed quid interim risisti galle? GAL. Quoniam tu quoque per inscitiam Micylle, simili modo falleris opinione de divitibus, quemadmodum vulgus: verum (crede mihi) longe etiam erumnosiorem vitam vivunt, quam vos. Hæc au- A tem loquor, qui ipse & pauper, & dives aliquando fuerim: atque omne vitæ genus sim expertus. Porro paulopost ipse quoque hæc omnia cognosces. MICYL. Per Jovem tempestivum jam est, ut & tu referas quemadmodum sis transfiguratus: & quid in unoquoque vitæ genere perspexeris. GAL. Ausculta, hoc tantum præmonitus, me neminem feliciorem vita, quam tu sis, unquam vidisse. MICYL. Quam ego sim o galle? Hanc felicitatem tibiipsi imprecor. Nam videre me tibi ridendum proponere. Verum age, narra, exordiens ab Euphorbo, quo pacto fueris in Pythagoram transformatus: Deinceps ordine ad gallum usque. Consentaneum enim est, te varias res tum vidisse, tum tulisse: nimirum tam diversis vitæ formis. GAL. Quemadmodum B initio ab Apolline profecta anima in terram devolarit, & corpus humanum subierit, ut illic pœnam quandam dependeret, id longum dictu futurum sit. Præterea neque mihi referre fas est, neque tibi ejusmodi audire. Verum ubi Euphorbus factus essem. MICYLL. Sed ego priusquam essem is, qui nunc sum, ô præclare, quisnam eram? hoc mihi prius dicito: numquid & ego versus fuerim itidem ut tu? GALL. Maxime. MICYL. Quis igitur eram? si quo modo potes dicere, pervelim enim isthuc cognoscere. GALL. Tu formica fueras Indica, ex earum genere, quæ aurum effodiunt. MICYL. Et postea neglexi infelix, vel paucula frusta in vitam importare, quum illo essem alitus? Sed age quid post C hæc futurus sim dicito: quandoquidem consentaneum est scire te. Etenim si quid bonæ sit rei, jam nunc suspendero me ab ista pertica, in qua nunc stas. GALL. Istuc profecto nulla ratione possis cognoscere. Cæterum quum Euphorbus essem (nam ad illa redeo) in Troja pugnabam: atque a Menelao necatus, aliquanto post tempore in Pythagoram perveni. Porro eousque absque tecto perdurabam, donec Mnesarchus aliquando mihi domum ædificaret. MICYL. Obsecro te, num absque cibo potuque? GALL. Maxime. Nihil enim istis rebus opus, nisi corpori duntaxat. MICYL. Illud igitur prius dicito, ea quæ ad Trojam gesta sunt, num ita se habent, qualia fuisse dixit Homerus? GALL. Quinam ille scire potuisset, Micylle: qui quidem dum ista gerebantur, ipse camelus erat in Bactris? Cæterum ego tibi tan- D tum effabor divinitus, nihil id temporis eximium fuisse, neque Ajacem usque adeo magnum, neque Helenam adeo formosam, quemadmodum arbitrantur: siquidem vidi candida quandam & procera cervice, ut hinc cygno prognatam esse adsimularent. Cæterum vehementer anum, æqualem propemodum Hecubæ. Hanc Theseus primum raptam in Aphidnis possedit. Is vixit Herculis ferme ætate. Porro Hercules prius Trojam ceperat, patrum nostrorum memoria, qui per id temporis maxime florebant. Nam hæc mihi Panthus narravit, se cum esset admodum adolescens, vidisse Herculem. MICYL. Quid autem Achilles? Num talis erat, nempe quavis in re præstantissimus? An & istæc fabulamenta sunt. GAL. Cum illo quidem congressus non sum: neque queam adeo comperte de rebus Gra:corum di- E cere. Etenim qui scire potui, quum hostis essem? Certe Patroclum illius amicum, haud ita magno negocio peremi lancea diffectum. MICYL. Deinde te Menelaus multo minore negocio: verum istis de rebus satis: Nunc res Pythagoricas refer. GAL. Illud in summa Micylle: Sophista quispiam eram (oportet enim videlicet fateri verum) alioqui non imperitus, neque inexercitatus in honestissimis disciplinis. Profectus sum autem in Ægyptum: quo cum Prophetis congrederer, de sapientia communicaturus. Hic adyta subii, atque ibi Ori & Isidis libros perdidici. Post rursum in Italiam renavigabam, ac Græcos juxta ea quæ in Ægypto didiceram, ita institui, ut me perinde ac Deum suspicerent. MICYL. Equidem inaudieram istæc: præterea quemad- F modum creditus fueris, defunctus in vitam rediisse, utque aureum femur illis subinde ostenderis. Verum illud mihi dicito, quid tibi venit in mentem, ut legem statueres: uti neque carnibus, neque fabis vescerentur homines? GAL. Ne perconteris ista Micylle. MICYL. Quam ob rem ô galle? GAL. Nam pudet hisce de rebus verum fateri. MICYL. Atqui non convenit, uti id facere graveris apud hominem contubernalem & amicum: nam herum posthac, absit ut dixerim. GAL. Nihil sani, neque præclari quicquam erat: verum animadvertebam, si consueta modo, atque eadem quæ vulgo traduntur a multis præcepissem, non fore, ut

mortales in admirationem adducerem: sed quo peregriniora, magisque aliena proposuissem, futurum, ut hoc magis novus, magisque viderer admirandus. Proinde instituerum in animo, novæ quiddam rei designare, ejusmodi proposito decreto, cujus causa esset inexplicabilis, quo videlicet aliis aliud conjectantibus, omnes redderentur attoniti: quemadmodum in obscuris oraculis solet usu venire. MICYL. Illud vide ut rides me tu quoque, non minus atque Crotoniatas ac Metapontinos & Tarentinos: cumque his alios, qui muti sequuntur, tuaque adorant vestigia, quæ tu calcata reliquisti. Verum ubi Pythagoram exueras, quem post eum induisti? GAL. Aspasiam Miletensem illam meretricem. MICYL. Papæ, quid ego audio? Siquidem inter alia mulier quoque fuit Pythagoras? Ita ne fuit aliquando tempus, quo tu galle generosissime ova pariebas, cumque Pericle rem habebas, jam Aspasia videlicet: atque ex illo gravida facta es? Præterea lanam tondebas, tramamque deducebas? Postremo meretricum in morem gestiebas, vultumque componebas? GALL. Ista quidem omnia feci, tametsi non ego solus: verum & ante me, tum Tiresias, tum Elati proles Cæneus. Proinde quicquid in me convitii dixeris, tantundem & in illos dixeris. MICYL. Age igitur, utra tibi vita erat suavior, quum vir esses, an quum Pericles tecum haberet consuetudinem. GAL. Vides cujusmodi istuc est quod percontaris? nempe cui ne Tiresiæ quidem expedierit respondere. MICYL. Atqui si minus fateare tu: tamen istuc Euripides satis explicuit, quum ait: se malle ter sub clypeo consistere, quam parere semel. GALL. Imo præmoneo te paulo post puerperam fore: siquidem & tu mulier es olim futurus, idque sæpius longo nimirum seculorum orbe atque recursu. MICYL. Non tu pendebis, ô galle, qui quidem omneis mortales Milesios aut Samios esse ducas? Nam ajunt te etiam tum quum Pythagoras esses, venusta forma decorum, sæpius Aspasiam fuisse tyranno. Verum age secundum Aspasiam, in quem virum aut mulierum denuo renatus es? GAL. In Cratem Cynicum. MICYL. O Castor, & ô Pollux, quam dissimile, ex scorto Philosophus? GAL. Deinde Rex, deinde pauper, paulopost satrapes: dehinc equus, graculus, rana, aliaque innumerabilia: per longum enim fuerit singula recensere. Postremo gallus, atque id sæpius, nam hoc vitæ genere sum delectatus. Interea & aliis diversis mortalibus servivi, Regibus, pauperibus, divitibus: postremo nunc tecum vivo, rideoque quotidie, quum video te paupertatis tædio complorantem, ejulantemque, ac divitum admirantem fortunas, propterea quod ignores quantum illis adsit malorum: alioqui si curas noris, quibus illi distringuntur, teipsum profecto riseris, qui antea credideris eum, qui sit opulentus, statim felicissimum esse omnium. MICYL. Ergo Pythagora, aut quid maxime gaudeas appellari, ne confundam orationem, si te nunc hoc, nunc illo nomine compellem. GAL. Nihil intererit, sive Euphorbum, sive Pythagoram, sive vocaris Aspasiam, sive Cratem: quandoquidem ista omnia sum unus, nisi quod rectius feceris, si (id quod in præsentiarum esse videor) Gallum me voces, ne avem hanc parvi ducere, contemnereque videare: præsertim quum tam multas contineat animas. MICYLL. Ergo, Galle, quandoquidem omnia pene vivendi genera jam expertus es, atque omnia cognita habes, age dilucide mihi narrato, quæ sint peculiaria divitum ad vitæ rationem, quæ pauperum propria: quo videlicet cognoscam, vere ne isthuc affirmes, me divitibus esse feliciorem. GAL. En hunc admodum interim perpende, Micylle. Te quidem non magnopere tangit cura belli, si quando rumor sit adventare hostes: neque sollicitus es, ne in agros incursantes populentur, neve hortum proculcent, proterantque, aut vineas vastent: sed simulatque tubam audieris, si tamen audieris, de teipso uno circumspectas, quo deflexus servari queas, ac discrimen effugere. Contra illi tum de sese solliciti sunt, tum animo discruciantur, quum de mœnibus quicquid opum possidebant in agris, id omne tolli, deportarique conspiciunt. Ac sive inferendum est aliquid in ærarium, soli accersuntur: sive in prælium exeundum, periclitantur: aut peditum turmis, aut equitum alis præfecti. Tu interim vimineum gerens clypeum, expeditus ac levis, ad saluti consulendum, paratus victoriale convivium agere, si quando victor exercitus sacra fecerit. Rursum pacis tempore, tu quidem quum de plebe sis, ingressus in concionem, tyrannidem in divites obtines: illi vero trepidant, pavitantque, ac largitionibus, choragiisque te placant: siquidem quo tibi balnea, ludi, spectacula, reliquaque id genus abunde suppeditent, ea omnia curant illi. At tu, censor & acerbus expensor perinde quasi dominus ne alloquio quidem interdum dignaris illos: quod si tibi collubitum sit, ingentibus saxis in illos degrandinas, vel facultates eorum publicas facis: ipse neque calumniatorem metuis, neque latronem, ne tollat aurum, vel ædium conscenso fastigio, vel pariete perfosso: neque necesse habes rationibus occupari, neque exactionibus, neque tibi cum sceleratis dispensatoribus confligandum est, neque tantas in sollicitudines distraheris: verum simulatque crepidam unam perfeceris, mercedemque retuleris septem obolos, sero surgis crepusculo: & si libuerit, lavaris, tum empto saperda quopiam, aut mænide pisciculo, aut paucis ceparum capitulis, temetipse oblectas, canens plerumque, optimaque cum paupertate philosophans, adeo ut eas ob res salubri sis valentique corpore, obdurueris que adversus gelu: siquidem labores, qui te exacuunt, muniuntque, certatorem haud quaquam contemnendum reddunt adversum eas res, quæ compluribus inexpugnabiles esse videntur. Atque hinc nullus ex morbis illis gravioribus impetit te. Quod si quando levis cœperit febricula: paulo negocio eam medicatus, protinus exilis, inedia temet inde excutiens. Illa porro fugit illico: quippe metuens te, quem videat etiam frigore ali, saturumque fieri, ac Medicorum certis illis recursibus longum plorare renunciantem. At illi ex adverso propter intemperantiam vitæ, quid tandem mali non habent infelices? podagras, phthises, pulmonum exulcerationes, aquas intercutes. Nam hæc omnia a sumptuosis illis conviviis nascuntur. Proinde quicunque ex his Icari in morem (ut fere faciunt) sese attollunt, propiusque se Soli admovent, haud cogitantes, quod alas habeant cera adglutinatas, ingentem nonnunquam strepitum movent. Cæterum qui Dædali exemplo non admodum sublimia, neque excelsa appetunt: verum humilia, terræque vicina, adeo ut cera nonnunquam salis aspergine madesceret, ii tuto plerumque ac citra discrimen transvolarunt. MICYL. Moderatos istos & cordatos narras. GAL. Verum aliorum, Micylle, naufragia fœdissima conspicias: nempe, ubi Crœsus revulsis alis risum exhiberet Persis, conscenso rogo: aut Dionysius quum abdicatus tyrannide, Corinthiorum in urbe ludi literarii magistrum ageret, post gestum tantum imperium, puellos compellens ut syllabas connecterent. MICYLL. Dic mihi, Galle: tu quum Rex esses (nam ais te Regem quoque fuisse) cujusmodi tandem id vitæ genus experiebaris? Mirum ni tum felix eras, quandoquidem id quod est bonorum omnium caput possidebas. GAL. Ne mihi in memoriam regeras, ô Micylle, usque adeo supra modum infelix tum eram. Nam quo ad res externas, quemadmodum dixisti, plane fortunatus esse videbar: at intus innumerabilibus curis distringebar. MICYL. Quibus tandem curis? Nam rem prorsus absurdam neque credibilem narras. GAL. Equidem imperabam regioni neutiquam exiguæ, Micylle, omnijugarum rerum feraci, tum incolarum frequentia, neque non urbium pulchritudine cum primis admirandæ: præterea fluminibus navigabilibus, ac mari portuoso commodæ. Ad hæc exercitus ingens, equitatus spectatissimus atque excellens, satellitium haud exiguum, triremes, pecuniarum vis major quam ut posset numerari, vasorum argenteorum plurima copia, reliquaque omnis illa principatus Tragœdia, strepitusque & apparatus supra quam credi queat, exstructus atque accumulatus. Itaque quum prodirem, plerique adorabant, Deum quempiam intueri sese rati, aliique trudentes alios concurrebant, quo me conspicerent, nonnulli conscensis tectis, magni æstimabant, si plene contemplari licuisset quadrigam, stragulam, diadema, tum anteambulones, & eos qui a tergo comitabantur. Ego inter hæc mihi conscius, quantæ me res discruciarent, versarentque, illos quidem propter inscitiam venia dignos judicabam: at mei ipsius miserescebat, qui prægrandibus illis Colossis viderer persimilis: quales vel Phidias, vel Myron, vel Praxiteles fabricatus est. Etenim illorum quisque quo ad ea quæ foris apparent, Neptunus ipse est, aut Juppiter, mirifice decorus auro, eboreque compactus: & aut fulmen, aut fulgur, aut tridentem fuscinam dextra sustinet. Cæterum si immisso capite

A pite quæ sunt intus inspicias, videbis vectes quosdam, paxillos, & clavos introrsum prominentes, neque non vimina, cuneosque, & picem sublitam, & aliam item id genus deformitatem intrinsecus inhabitantem. Omitto recensere muscarum, mustelarumque vim, quæ nonnunquam in eis mansitant. Hujusmodi quædam res nimirum regnum quoque videtur. MICYL. Nondum explicuisti, lutum, & clavos, & vectes, quinam fuerint in imperio, neque fœditatem illam plurimam quænam sit: nam istum ad modum vectari, tam multis imperare mortalibus, ac numinis instar adorari, hactenus quidem cum Colossi exemplo quadrat. Siquidem hoc quoque divinum quiddam & admirandum: nunc autem quæ sint intra Colossum exponito. GAL. Quid B primo loco tibi referam, Micylle: utrum metus, curas mordaces, suspiciones, odium, quo Regem persequuntur ii, qui cum illo vivunt: insidias, atque eas ob res somnum rarum, & hunc ipsum pertenuem, ac plena tumultus insomnia, cogitationes perplexas, spes semper improbas: an ocii penuriam, & occupationes, judicia, expeditiones, edicta, fœdera, consultationes? quibus rebus fit, ut ne per somnium quidem aliqua re suavi frui liceat, verum ut omnibus de rebus solus dispiciat necesse est, milleque negocia sustineat.

Quippe nec Atriden Agamemnona dulcis habebat
Somnus, multigenas versantem pectore curas.

Idque quum reliqui omnes Achivi stertereut. Adde quod Lydum illum discruciat filius mutus: Persam vero, Clearchus ad Cyrum desciscens. Atque alium quempiam, Dion cum Syracusanis nonnullis ad aurem communicans. Rursum alium quendam urit Parmenion collaudatus. Item Perdiccam Ptolemæus. Ptolemæum Seleucus. Quin illa quoque C molestiam adferunt: amasius per vim non sponte convivens, concubina alio gaudens, tum si qui defectionem parare dicantur: aut duo, quatuorve satellites inter sese consusurrantes. Porro (quod est omnium gravissimum) amicissimi quique vel maxime sunt formidandi, semperque metuendum, ne quid magni mali ab illis exoriatur. Nam alius a filio veneno necatus est: alius item ab amasio. Alium simile quoddam fortassis mortis genus eripuit. MICYL. Apagesis. Atrocia, miraque sunt ista quæ narras, ô Galle. Mihi igitur multo sit tutius operæ cerdonicæ pronum incumbere, D quam ex aurea bibere phiala comiter delatum haustum, cæterum cicuta aconitoque temperatum. Nam mihi quidem hoc unum est periculi: ut si paulum aberret smilion, deflectatque a recta incisione, summum secantis digitum exiguo sanguine tingat. At isti quemadmodum narras, letifera agunt convivia, atque id innumerabilibus in malis constituti. Deinde ubi conciderint, persimiles esse videntur Tragœdiarum histrionibus. Nam multi sicut videre licet, quoad Cecropes sunt scilicet, aut Sisyphi, aut Telephi diademata gestant, argenteisque capulis gladios, comamque ventilantem, & auro intertextam clamydem: quod siquis (qualia nimirum permulta solent accidere) impulsos illos media in scena præcipites det, risum profecto moveant spe- E ctatoribus: videlicet persona una cum ipso diademate contrita, vero autem actoris capite luxato, cruribusque maxima ex parte renudatis: ut jam interioris amictus quam miseri sint panni fiat perspicuum, ac cothurnorum quos pedibus induxerunt, appareat deformitas, haudquaquam ad pedis modum respondentium. Vide ut me jam similitudines conferre docueris optime galle. Cæterum tyrannis talis quædam res tibi visa est esse: verum ubi equus esses, aut canis, aut piscis, aut rana, quomodo eam vitæ rationem ferebas? GAL. Istum quem nunc suscitas sermonem & longior sit, neque hujus temporis. Illud autem unum in genere dixerim: nullam ex omnibus vitam mihi non visam tranquil- F liorem vita humana, naturalibus duntaxat cupiditatibus & usibus circumscriptam. Siquidem publicanum equum, aut sycophantam ranam, aut sophistam graculum, aut popinatorem culicem, aut cinædum gallum, atque id genus alia, quæ vos studio comminiscimini, haudquaquam inter illos videbis. MICYL. Quæ dicis, ô galle, fortassis vera sunt: verum non me pudebit apud te fateri, quod mihi accidit. Haud unquam quivi dediscere cupiditatem illam, a puero mihi insitam, videlicet ut dives evadam. Quin nunc quoque somnium illud ob oculos versatur, aurum ostentans: potissimum autem scelestus ille Simon excruciat, qui quidem tantas inter opes delicietur. GAL. At ego te isto levabo morbo, Micylle, tametsi nox etiamdum est. Surge modo, ac sequere me. Siquidem ad ipsum te Simonem adducam, atque in aliorum divitum ædes, quo nimirum videas, quomodo res habeant apud illos. MICYL. Istuc quo pacto, clausis foribus? Num me parietes transfodere compelles? GAL. Nequaquam, verum Mercurius, cui sum sacer, hoc optanti mihi largitus est, ut si quis longissimam caudæ pennam, quæ ob molliciem inflectitur. MICYL. Atqui duas habes ejusmodi. GAL. At dextram ex his avulsam cuicunque ego gestandam dedero, is quoad voluero, fores omneis poterit aperire, cunctaque videre, ipse invisibilis. MICYL. Equidem ignorabam, ô galle, te præstigiarum quoque peritum esse. Porro si mihi isthuc semel præstiteris, videbis illico Simonis universas opes huc deportatas, nam eas huc rediens transferam. At ille rursum circumrodet, ebibetque putria coria, quibus consuevit soleas compingere. GAL. Atqui nefas sit istuc facere. Siquidem Mercurius illud mihi mandavit, ut si quis pennam tenens, istiusmodi quippiam patrarit, vociferans furem proderem. MICYL. Rem neutiquam verisimilem narras, nempe Mercurium quum ipse sit fur, non sinere alios, ut idem faciant. Sed tamen abeamus. Nam aurum auferam, si modo possim. GAL. Pennam prius revellito. Quid hoc rei? ambas revulsisti. MICYL. Tutius hoc quidem ô galle, tum tibi minus fœdum sit futurum, ne altera caudæ parte mutilatus claudices. GALL. Age sane: sed utrum Simonem prius adimus, an alium quempiam divitum? MICYL. Haud alio, imo ad Simonem, qui videlicet pro dissyllabo, tetrasyllabus esse affectet, postea quam dives evasit. Sed jam ad fores accessimus. Quid igitur deinceps facio? GALL. Pennam seræ admove. MICYL. Ecce autem Dii boni, ostium perinde atque clavi resiliit. GAL. Perge porro præcedens: Vides illum vigilantem ac supputantem? MICYL. Video per Jovem & quidem ad obscuram siticulosamque lucernam. Præterea pallet, haud scio unde galle, totusque exaruit, atque extenuatus est, mirum, ni curis. Neque enim auditum est illum alioqui male habere. GAL. Ausculta quid dicat: siquidem intelliges, quibus de causis ad eum modum sit affectus. SIMON. Nimirum septuaginta illa talenta tuto admodum sub lectica defossa sunt, neque quisquam alius omnino vidit. At vero, sedecim illa Sosylus equiso vidit me sub præsepi occultantem: Itaque de curando stabulo non est admodum sollicitus, quanquam nec alias admodum laboris appetens, verisimile est autem illum multo etiam his plura sustulisse. Nam unde alioqui Tibius heri tam ingens salsamentum illi opsonio proposuisset? Tum autem ajunt, illum monile emisse uxori drachmis quinque. Heu misero mihi. Hi omnia mea dissipabunt bona. Quid quod ne pocula quidem sat in tuto mihi recondita sunt, quum sint multa. Vereor enim, ne quis ea suffosso pariete tollat. Complures mihi invident, atque insidias parant. Præter cæteros autem Micyllus iste vicinus. MICYL. Ita per Jovem. Nam tibi sum similis, ac patellas sub ala gesto. GAL. Tace, Micylle, ne protinus ipso in furto nos prodas. SIMON. Optimum igitur fuerit, ut ipse insomnis servem. Omnem obibo domum in orbem obambulans. Quis iste? video te per Jovem. O parietum perfossor, posteaquam es columna, bene res se habet. Pernumerabo denuo refossum argentum, ne quid forte dudum me fugerit. En rursum, obstrepuit mihi nescio quis. Nimirum, obsideor, atque insidiis appetor ab omnibus, ubi mihi gladius? Si quenquam deprehendero, rursum aurum defodiamus. GAL. Sic tibi habent ô Micylle, res Simonis. Sed abeamus ad alium quempiam donec noctis adhuc aliquantulum superest. MICYL. O miser, cujusmodi vivit vitam? hostibus eveniat ad hunc modum divitem esse. Itaque pugno illi in maxillam illiso, volo discedere. SIMON. Quis me pulsavit? Latrocinio despolior miser. MICYL. Plora ac vigila aurique similis corpore reddaris, quandoquidem illi affixus, deditus es. Nos autem, si videtur, Gniphonem fœneratorem visamus. Nam nec is procul hinc habitat. Ipsæ nobis suapte sponte fores patuerunt. GALL. Vides hunc quoque curis invigilantem, & usurarum rationes iterantem digitis contortis? cui propediem relictis his omnibus sit in silpham, aut culicem, aut muscam abeundum. MICYL. Equidem video miserum ac vecordem hominem, ne nunc quidem multo meliorem vivere vitam, quam silphæ aut culicis. Adeo totus & hic a curis & rationibus est extenuatus. Nunc ad alium eamus,

GAL.

GAL. Ad tuum, si videtur, Eucratem. En tibi fores per se patuere. Quin introimus? MICYL. Paulo ante hæc omnia mea erant. GALL. At etiam nunc tu divitias somnias? vides igitur Eucratem ipsum quidem a famulo, virum natu grandem. MICYL. Video profecto quiddam haudquaquam virile. Porro altera ex parte ipsam item uxorem a coquo consuprari. GAL. Quid ergo? Num optaris & ho-


A rum hæres existere Micylle, cunctaque possidere, quæ sunt Eucratis? MICYLL. Haudquaquam galle. Imo fame citius interierim, quam id genus quippiam patrarem. Valeat aurum & convivia. Duo oboli mihi potiores divitiæ sunt, quam si a domesticis mihi domus perfodiatur. GALL. Sed jam nunc quandoquidem dies ferme diluxit, domum ad nos redeamus. Reliqua rursus alias videbis Micylle.

ORNATISSIMO JURIS UTRIUSQUE DOCTORI THOMÆ RUTHALLO SECRETARIO REGIO, POST EPISCOPO DUNELMENSI DESIDERIUS ERASMUS ROTERODAMUS S. P. D.



IDE quantum audaciæ mihi suppeditet singularis quædam ingenii tui, morumque facilitas, humanissime Ruthalle: qui cum neutiquam ignorem te inter Aulicos primores, vel auctoritate, vel gratia, vel splendore, vel eruditione præcipuum esse: tamen non verear meas nugas rudes adhuc, vixque e prima scheda repurgatas ad tuam excellentiam mittere. Sed quid facerem? Jam urgebat navita, ventos & æstum nulli servire clamitans. Itaque ne nihil mei apud hominem tam nostri studiosum relinquerem, id quod tum forte erat in manibus, Misanthropum misi, nimirum ad virum unum omnium Philanthropotaton. Is est Luciani dialogus, quo vix alius lectu vel utilior, vel jucundior, versus quidem ille jampridem ab alio nescio quo: sed ita versus, ut interpres hoc modo demonstrare voluisse videatur, sese neque Græce scire, neque Latine: nec temere adeo quis suspicetur eum interpretem subornatum esse ab iis, qui Luciano male volunt. Tu nostram hanc audaciam boni consules, & Erasmum in eorum numero pones, qui tui sunt amantissimi. Vale, Londini, Anno M D IV.

TIMON SIVE MISANTHROPUS.



JUPITER Philie, hospitalis, sodalitie, domestice, fulgurator, jusjurandice, nubicoge, grandistrepe: & si quod aliud tibi cognomen attoniti Poetæ tribuunt, maxime quum hærent in versu. Nam tum illis tu multinominis factus, carminis ruinam fulcis, metrique exples hiatum. Ubi tibi nunc magnicrepum fulgur, gravifremum tonitru? ubi ardens, candens, ac terrificum fulmen? Nam hæc omnia jam palam apparet, nugas esse, fumumque Poeticum, nec omnino quicquam præter nominum strepitum. Sed decantata illa tua arma eminus ferientia expromptaque, nescio quomodo penitus exstincta sunt, frigentque adeo, ut ne minimam quidem scintillulam iracundiæ adversus nocentes reliquam obtineant. Itaque citius quivis ex his, qui pejeraturi sunt, exstinctum ellychnium metuerit, quam flammam fulminis cuncta necantis: usque adeo titionem quempiam in sese vibrare te putant, ut incendium aut fumum ab illo proficiscens, nihil quicquam formident: verum hoc solum vulneris inferri posse judicent, ut fuligine compleantur. Quibus rebus factum est, ut jam Salmoneus tibi sit ausus etiam obtonare, neque id admodum ab re: quippe adversus Jovem usque adeo ita frigidum, vir ad facinora fervidus, audaciaque tumidus. Quid ni enim faciat, ubi tu perinde ac sub mandragora stertis: qui neque pejerantes exaudias, neque eorum qui flagitia committunt, respectum agas? Cæcutis autem lippitudine, & hallucinaris ad ea quæ fiunt: auresque jam tibi obsurduerunt, instar horum, qui ætate defecti sunt. Quandoquidem quum juvenis adhuc esses, acrique animo, vehemensque ad iracundiam, permulta in homines maleficos ac violentos faciebas. Neque tum unquam tibi cum illis erant induciæ. Sed perpetuo fulmen erat in negocio: perpetuo obvibrabatur Ægis, obstridebat tonitru: fulgur continenter jaculorum in morem, densissime ex edito loco devolantium torquebatur. Terræ quassationes, cribri instar frequentes: ad hæc nix cumulatim, neque non grando saxorum in morem: atque ut tecum grandius loquar, imbresque rapidi & violenti, ac flumen quotidie exundans. Hinc tantum repente Deucalionis æ-

D tate naufragium ortum est, ut omnibus sub aqua demersis, vix unica scaphula servaretur, quæ in montem Lycorem appulit, humani generis quasi scintillulas quasdam servans, unde sceleratius etiam genus in posterum propagaretur. Nimirum igitur dignum socordia præmium ab illis reportas: quum jam nec sacra faciat tibi quisquam, nec coronas offerat: nisi si quis obiter in Olympicis, ac ita ne is quidem rem admodum frugiferam facere videatur, sed priscum quendam ritum magis referre, ac pene Saturnum, ô Deorum generosissime, te reddunt, magistratu abdicantes. Omitto loqui, quoties jam templum tuum sacrilegio compilarint: quum tibi etiam ipsi in Olympiacis manus admoliti sint. Atque interea tu altifremus ille pigritabaris, vel excitare canes, vel vicinos advocare: ut auxilio accurrentes illos comprehenderent, quum etiamdum ad fugam adornarentur. Sed egregius ille, gigantumque exstinctor & Titanum victor sedebas, quum tibi cæsaries ab illis circumtonderetur, decemcubitale fulmen dextera tenens. Horum igitur, ô præclare, quis tandem erit finis, quæ tu adeo secure despicis? aut quando de tantis maleficiis pœnas sumes? Quot Phaëtontes, aut Deucaliones, satis idonei sint ad expiandum tam inexhaustam morum iniquitatem? Etenim ut de communibus sileam, de iis quæ mihi acciderunt dicam: quum tam multos Athenienses in sublime evexerim, ex pauperrimis divites reddiderim: cunctisque quotquot opus haberent, suppeditarim, imo semel universas opes in amicos juvandos effuderim: simulatque his rebus ad inopiam deveni, jam ne agnoscor quidem ab illis, nec aspicere dignantur me, qui dudum reverebantur, adorabant, meoque de nutu pendebant. Quod si quando per viam ingrediens, forte fortuna in eorum quempiam incidero, perinde ut eversam hominis jam olim defuncti statuam, ac temporis longitudine collapsam prætereunt, quasi ne norint quidem. Porro alii procul conspecto me alio sese detorquent: existimantes sese inauspicatum, abominandumque visuros spectaculum, quem non ita pridem servatorem & adjutorem suum esse prædicabant. Itaque prementibus malis ad extrema redactus consilia, renone arrepto, terram exerceo, quaternis conductus obolis: atque hic cum solitudine, cumque ligone philosophor. Hoc interim lucri mihi videor fa-

ctu-

cturus, quod posthac non intuebor plerosque præter meritum secundis fortunæ successibus utentes. Nam illud vel maxime urit. Jam igitur tandem aliquando Saturni Rheæque proles excusso profundo isto, gravique somno (nam Epimenidem quoque dormiendo vicisti) denuo jactato fulmine, aut ex Oeta redaccenso, ingenti reddita flamma iram aliquam strenui illius ac juvenilis Jovis ostende, nisi vera sint quæ a Cretensibus de te, tuaque sepultura feruntur. JVP. Quis hic est, Mercuri, quem audio sic vociferantem ex Attica, ad radicem montis Hymetti, horridus totus, ac squalidus, pelleque hircina amictus? fodit autem ut arbitror, nam pronus incumbit homo loquax & confidens: mirum ni Philosophus est, neque enim alioqui adeo impia, nefariaque in nos fuerat dicturus. MERC. Quid ais, pater,
B
an non nosti Timonem Echecratidis filium Colyttensem? Hic nimirum est, qui nos sæpenumero in sacris legitimis convivio accepit, ille repente dives factus, ille qui totas Hecatombas, apud quem splendide Jovialia festa consuevimus agitare. JVP. Hem quænam ista rerum commutatio? hiccine honestus ille? dives, quem tam frequentes cingebant amici? Quid igitur accidit ut hoc sit habitu? squalidus, ærumnosus, fossor conductitius, uti conjicio, quum tam gravem ligonem gerat? MERC. Ad hunc modum illum quodammodo probitas evertit, atque humanitas, & in omnes quicunque egerent misericordia. At re vera vecordia potius facilitasque, nullusque in suscipiendis amicis delectus, quippe qui neutiquam intellexerit, sese corvis lupisque largiri. Quin magis quum a vulturibus tam multis mi-
C
sero jecur eroderetur, ob id amicos eos necessariosque judicabat, quasi benevolentia erga sese afficerentur, quum illos epulæ magis caperent. Ergo posteaquam ossa penitus nudassent, circumrosissentque, deinde si qua medulla suberat, hanc quoque admodum diligenter exsuxissent, aufugerunt, exsuccum & radicitus defectum destituentes: adeo ut postea ne agnoscant quidem, aut aspiciant, tantum abest ut sint qui suppeditent, impertiantque. Has ob res fossor, & sago, ut vides, opertus pelliceo urbem præ pudore fugiens, mercede terram exercet, adversus ingratos atra bile stomachatur, qui quidem sua benignitate ditati, admodum fastuose nunc prætereant, ac ne nomen quidem an Timon vocetur, noverint. JVP. Atqui profecto vir neutiquam
D
fastidiendus, neque negligendus, & jure optimo indignatur, qui iis tantis in malis agat. Quare sceleratos istos adulatores ipsi quoque fuerimus imitati, si eum virum neglexerimus, qui tantum taurorum & caprarum pinguissimas quasque nobis in aris adoleverit. Quarum nidor etiamdum mihi in naribus residet. Tametsi propter negocia maximamque turbam pejerantium, tum vi, non jure agentium, neque non aliena rapientium, præterea ob formidinem, quam mihi pariunt sacrilegi, qui quidem tum multi sunt, tum observatu difficiles, adeo ut ne minimum quidem nos connivere sinant. Jampridem profecto ad Atticam regionem oculos detorsissem, maxime posteaquam Philosophia & de verbis digladiationes apud istos increbuerunt, ita ut pugnantibus in-
E
ter se istis vociferantibusque ne exaudire quidem mortalium vota liceat. Unde mihi necessum est, aut auribus obturatis sedere, aut dirumpi ab eis, conficique, qui virtutem quandam, & incorporea quædam, merasque nugas ingenti vociferatione connectunt: hæc in causa fuerunt, ut hunc quoque neglexerim, quum haud mediocriter de nobis sit meritus. Quod reliquum est Mercuri, tu Plutum adducens, quantum potes ad istum abeas. Porro Plutus una secum ducat & thesaurum, & utrique apud Timonem perseverent. Neque usque adeo facile demigrent, etiam si quam maxime rursum illos per bonitatem ex ædibus exegerit. Cæterum de palponibus illis, atque ingratitudine qua in hunc sunt usi, in posterum consultabo: pœnasque daturi sunt, simul atque
F
fulmen instauravero. Nam fracti sunt in eo retusa cuspide duo e radiis maximi: quum nuper avidius in Sophistam Anaxagoram jacularer, qui suis familiaribus suadebat, nullo pacto esse ullos nos, qui Dii vocaremur. Ac illum quidem errore non feriebam, propterea quod Pericles obtenta manu eum protexerit. Cæterum fulmen in Castoris ac Pollucis templum detortum, tum illud exussit, tum ipsum parum abfuit, quin ad saxum comminueretur. Quanquam interim vel id supplicii satis magnum in istos fuerit, si Timonem conspexerint egregie locupletem factum. MERC. Quantum

A
habet momenti altum vociferari, & obstreperum audacemque esse? Idque non iis modo qui causas agunt, verumetiam qui vota faciunt conducibile. En mox e pauperrimo dives evaserit Timon, qui se in precando clamosum & improbum præstiterit, Jovemque reddiderit attentum. Quod si silentio fodisset incurvus, etiam nunc foderet neglectus. PLVTVS. At ego, Jupiter, haudquaquam ad istum rediturus sum. JVP. Quid ita non rediturus, optime Plute, præsertim a me jussus? PLV. Quoniam per Jovem injuria me affecit ejiciens, & in multa fragmenta dissecans: idque quum illi paternus essem amicus, ac me, pene dixerim, fuscinis ex ædibus extrusit, nec aliter quam ii, qui e manibus ignem abjiciunt. Num rursus ad istum ibo, parasitis, adulatoribus & scortis donandus? Ad eos me mitte, ô Jupiter, qui munus intellecturi sint, qui amplexuri: quibus equidem in precio sim, & majorem in modum exoptatus. At hi stupidi cum inopia commercium habeant, quam nobis anteponunt, ut ab ea accepto sago pelliceo, ligoneque sat habeant, quum quatuor lucrantur obolos, decem talenta contemptim dono dare soliti. JVP. Nihil istiusmodi posthac in te facturus est Timon, quippe quem ligo abunde satis corripuerit, nisi prorsus nullum dolorem sentiunt illius ilia, te videlicet potius, quam inopiam esse præoptandam. At tu mihi querulus admodum videris esse, qui nunc Timonem incuses, quod tibi patefactis foribus libere permiserit vagari, neque includens, neque zelotypus in te. Porro alias diversa de causa in divites stomachabare, quum diceres te ab illis repagulis, clavibus, ac signorum objectaculis impressis ita fuisse conclusum, ut ne prospicere quidem in lucem tibi liceret. Id igitur apud me deplorabas, affirmans præfocari te nimiis tenebris: eoque pallidus nobis occurrebas, & curis confectus, digitis etiamnum ex assiduo colligendi, coacervandique usu contractis, contortisque: quod si quando daretur opportunitas, aufugiturum quoque ab illis te minitabare. In summa rem supra modum acerbam judicabas in æreo ferreove thalamo, Danaes exemplo, virginem asservari, atque a scelestissimis educari pædagogis, fœnore & computo; proinde absurde facere ajebas hos, quod te præter modum adamarent: neque (quum liceret) frui auderent, neque quum ipsis esset in manu, amore suo secure uterentur: sed vigiles observarent, ad signum ac seram oculis nunquam conniventibus neque usquam dimotis semper intuentes, abunde magnum fructum arbitrantes non quod ipsis fruendi facultas adesset, sed quod nemini fruendi copiam facerent, non aliter quam in præsepi canis, nec ipsa vescens hordeis, nec quum famelicum id facere sinens. Quinetiam ridebas istos, qui parcerent, asservarentque, & (quod esset absurdissimum) ipsi quidem sibi subtraherent, vererenturque contingere, non intelligerent autem fore, ut aut sceleratissimus famulus, aut dispensator, aut liberorum pædagogus furtim subiret, ludibrio habiturus infelicem & inamabilem herum, quem postea sinat ad fuliginosam, & oris angusti lucernulam, ac siticulosum scirpulum usuris invigilare. Quid itaque: an non iniquum, quum hæc quondam incusaveris, nunc in Timone diversa his criminari? PLV. Atqui si rem vere perpenderis, utrumque me jure facere judicabis. Nam, & Timonis ista nimia lenitas, negligentia potius, haud benevolentia, studiumque, quod ad me pertinet, merito videatur. At e diverso, qui me ostiis ac tenebris inclusum servabant, id agentes, quo scilicet crassior saginatiorque ac vehementer corpulentia onustus evaderem, quum interim neque ipsi contingerent, neque in lucem producerent, ne vel aspicerer a quopiam, hos dementes & contumeliosos in me judicabam: quippe qui me nihil commeritum tot in vinculis cogerent situ carieque putrescere, haud intelligentes, quo mox demigrent, me alii cuipiam, cui fortuna faverit, relicturi. Nec hos igitur probo, sed ne illos quidem qui nimium facile mihi manus admovent. Sed qui (quod est optimum) mediocritate utantur, uti nec prorsus abstineant, neque penitus profundant. Etenim illud per Jovem considera Jupiter: Si quis ubi puellulam & formosam lege duxisset uxorem, postea neque observet, nec ulla omnino zelotypia prosequatur, videlicet sinens illam noctu atque interdiu quocunque libitum sit ire, & quicunque voluissent cum his habere rem, vel producat potius ultro ut adulteretur, fores aperiens, prostituturusque, & quoslibet ad illam invitans, num hic amare videbitur? profecto hoc tu ne quaquam dices

Jupiter, qui sæpenumero amorem senseris. A Rursum si ingenuam lege domum deducat, uti liberos legitimos progeneret, cæterum nec ipse contingat florentem ætate, decoramque virginem, nec alium sinat aspicere: sed inclusam, orbam, sterilemque in perpetua virginitate contineat, idque præ amore se facere prædicet, & hunc quidem præferat, pallore, corpore exhausto, oculis refugis, num fieri potis est, ut hujusmodi non desipere videatur? quippe qui quum liberis oportuerit operam dare, fruique conjugio, puellam adeo formosam atque amabilem sinat emarcescere, per omnem vitam tanquam Cereri sacerdotem alens. Hujusmodi & ipse indigne fero: quum a nonnullis ignominiose cædor calcibus, laniorque atque exhaurior: a nonnullis contra B perinde ut stigmaticus fugitivus compedibus vincior. JVP. Quid est autem quod adversus illos indigneris, quandoquidem utrique pœnas egregias luunt? Alteri quidem dum Tantali in morem, neque bibere sinuntur neque edere: sed ore sicco duntaxat inhiant auro. Alteri vero dum his ceu Phineo cibos Harpyiæ ipsis e faucibus eripiunt. Sed abi jam, Timone multo post hac usurus cordatiore. PL. An ille aliquando desinet me ceu foraminoso cophino, priusquam omnino influxerim, data opera exhaurire, quasi conetur occupare, quo minus influam: veritus, ne si copiosius infundar, ipsum undis obruam? Quo fit, ut in Danaidum dolium aquam mihi videar allaturus, frustraque infusurus, vase non continente liquorem: imo prius propemodum effuso quod C influit, quam influxerit. Adeo latus dolii hiatus ad effusionem ac liber exitus. JVP. Proinde ni hiatum istum obturaverit, perpetuamque perstillationem sistere studuerit, te propediem effuso, facile rursum sagum, & ligonem in dolii fece reperiet: sed interim abite, atque illum divitem reddite. At tu Mercuri fac memineris, ut rediens Cyclopas ex Ætna tecum adducas, quo fulmen cuspide restituta resarciant. Nam eo nobis acuminato opus fuerit. MERC. Eamus, Plute. Quid hoc? Num claudicas? Equidem ignorabam ô præclare: te non cæcum modo, verumetiam claudum esse. PLV. Atqui non hoc mihi perpetuum Mercuri: verum si quando proficiscor a Jove missus ad quempiam, tum nescio quo pacto tardus sum, & utroque claudus pede, D ita ut ægre ad metam pertingere queam: sene nonnunquam interim facto, qui me opperiebatur. Porro quum discedendum est, alatum videbis multo avibus celeriorem. Unde fit, ut vix jam amoto repagulo, ego jam præconis voce victor pronuncier, saltu stadium transmensus, ne videntibus quidem aliquoties spectatoribus. MERC. At ista quidem haud vera narras: imo ego tibi permultos commemorare queam, quibus heri ne obulus quidem erat, quo restim emerent: qui hodie repente divites facti, splendide vivant: albis quadrigis vehantur, quibus ante ne asellus quidem suppeditarit. Ii tamen purpurati, aurumque manibus gestantes obambulant. Qui ne ipsi quidem opinor, credere possunt, quin per somnium divites sint. PLV. Isthæc alia res est, Mercuri, E neque enim tum meis ipsius ingredior pedibus, nec a Jove, sed a Dite ad istos transmittor: qui & ipse nimirum opum largitor est, ac magna donans: id quod ipso etiam nomine declarat. Itaque quoties est mihi ab alio ad alium demigrandum, in tabellas injiciunt me, ac diligenter obsignantes sarcinæ in morem sublatum transportant. Interea defunctus ille alicubi in ædium tenebricosa parte jacet, vetere linteo in genua injecto tectus, de quo feles digladiantur. Porro qui me speraverant obtinere, in foro operiuntur hiantes: non aliter quam hirundinem advolantem stridentes pulli. Deinde ubi signum detractum est, & lineus ille funiculus incisus, apertæque tabellæ, jamque novus dominus pronunciatus est, sive cognatus quispiam, sive adulator, sive servu- F lus obscenus, qui puerili obsequio favorem emeruerit, etiam tum mento subraso, pro variis & opiparis voluptatibus, quas illi jam exoletus suppeditaverat, ingens scilicet præmium ferens generosus quisquis ille tandem fuerit, nonnunquam me ipsis cum tabellis arreptum, fugiens adportat commutato nomine: ut qui modo Pyrrhias, aut Dromo, aut Tibius, jam Megacles aut Megabizus, aut Protarchus appelletur. Cæterum illos nequicquam hiantes, seque mutuum intuentes relinquit, ac verum luctum agentes, quod ejusmodi Thynnus ex intimo sagenæ sinu sit elapsus, qui non parum magnam escam devorarit. At hic repente totus in me irruens, homo vitæ mundioris atque elegantioris rudis, pingui, illotaque cute, qui compedes etiam dum horrescit: & si quis præteriens loro increpet, arrectis stet auribus: quique pistrinum, perinde uti templum adoret, non est deinceps tolerandus iis, quibuscum vivit: verum & ingenuos afficit contumelia, & conservos flagris cædit: experiens, num sibi quoque similia liceant, donec aut scortulo cuipiam irretitus, aut equorum alendorum studio captus, aut adulatoribus sese permittens, dejerantibus Nireo formosiorem esse, Cecrope Codrove generosiorem, callidiorem Ulysse, unum autem vel sedecim pariter Crœsis opulentiorem, momento temporis semel profundat infelix, quæ minutatim multis ex perjuriis, rapinis, flagitiis, fuerant collecta. MERC. Ista ferme sic habent uti narras, verum ubi tuis ipsius ingrederis pedibus, qui tandem cæcus quum sis viam invenire soles? Aut qui dignoscis ad quosnam Jupiter te miserit, dignos illi visos qui divitiis abundent? PLV. Enimvero, credis me reperire istos ad quos mittor? MERC. Per Jovem haudquaquam. Neque enim alioqui Aristide præterito, ad Hipponicum & Calliam accessisses, tum ad alios Athenienses, homines ne obulo quidem æstimandos. Cæterum quid facis quandoquidem es emissus? PLVT. Sursum ac deorsum circumcursans oberro, donec imprudens in quempiam incurrero: hic autem quisquis ille sit, qui forte primus me nactus sit, abducit ac possidet, te Mercuri pro lucro præter spem objecto venerans atque adorans. MERC. Num ergo fallitur Jupiter: qui quidem credat ex ipsius animi sententia, ditari abs te hos, quos ille dignos existimarit qui ditescerent? PLV. Et jure quidem optimo fallitur ô bone: quippe qui quum me cæcum esse non ignoret, emittat vestigatum rem usque adeo repertu difficilem, & jam olim e vita sublatam, quam ne Lynceus quidem facile inveniret, quæ nimirum adeo obscura sit, ac minuta. Itaque quum rari sint boni, improbi porro in civitatibus omnia obtineant, oberrans facile in hujusmodi mortales incurro, ac retibus illorum illigor. MERC. At qui fit, ut quoties eos deseris, celeriter aufugias quum viæ sis ignarus? PLV. Tum demum acutum cerno, pedibusque valeo, ubi ad fugam tempus invitat. MERC. Jam illud quoque mihi responde, qui fit, ut quum sis oculis captus (dicendum enim est) præterea pallidus, postremo claudus, tam multos habeas amantes, adeo ut omnes in te defigant oculos? & si potiantur, felices videantur, sin frustrentur, non sustineant vivere? Ex his equidem non paucos novi, qui sic perdite te amarint, ut se aereo e scopulo piscosi in æquoris alta, præcipites abjecerint, rati fastidiri sese abs te, propterea quod illos nullo pacto respexisses. Quanquam sat scio, tu quoque fateberis, si quo modo tibi ipsi notus es, furere istos, qui ejusmodi amore sint dementati. PLV. At enim credis me, qualis sum, talem istis videri, nempe claudum, aut cæcum, aut si quid aliud adest mihi vitii. MERC. Quidni, ô Plute? nisi forte & ipsi omnes cæci sunt. PLV. Haud cæci quidem, ô optime, verum inscitia, errorque, quæ nunc occupant omnia, illis offundunt tenebras: ad hæc ipse quoque ne per omnia deformis sim, persona vehementer amabili tectus inaurata, gemmisque picturata, ac versicoloribus amictus eis occurro: at illi rati sese nativi vultus venustatem aspicere, amore capiuntur, dispereuntque nisi potiantur. Quod si quis me toto corpore renudatum illis ostenderit, dubio procul futurum sit ut se ipsi damnent, qui tantopere cæcutierint, adamantes res neutiquam amandas ac fœdas. MERC. Quid ergo posteaquam eo perventum est ut jam divites evaserint, jamque personam sibi circumposuerint, rursum falluntur? Adeo ut si quis illis detrahere conetur, pene caput potius, quam personam abjiciant? Neque enim verisimile est etiam tum illos ignorare, auro bracteatam esse formam, quum intus cuncta inspexerint. PLV. Ad id non parum multæ res, ô Mercuri, mihi sunt adjumento. MERC. Quænam? PLV. Simulatque qui me primum nactus est, apertis foribus exceperit, clanculum una mecum introit elatio, vecordia, jactantia, mollicies, violentia, dolus, atque alia item innumerabilia: a quibus omnibus posteaquam est animus occupatus, jam admiratur quæ neutiquam sunt admiranda, & appetit ea quæ sunt fugienda, meque cunctorum illorum quæ introierant, malorum patrem stupet, illorum satellitio vallatum, quidvis potius passurus, quam uti me compellatur rejicere. MERC. Ut levis ac lubricus es, Plute, retentu difficilis, ac fugax, neque ullam præbens ansam certam

quo

quo prensus teneare: sed nescio quomodo anguillarum ac serpentum in morem inter digitos elaberis. At e diverso paupertas, viscosa, prensu facilis, totoque corpore mille uncos gerit hamos, ut qui tetigerint, illico hæreant, nec facile queant avelli. Verum interea dum nugamur, rem haud parvam omisimus. PL. Quam? MERC. Nempe, quia thesaurum non adduximus, quo vel in primis erat opus. PL. Isthac quidem ex parte bono sis animo. Nam non nisi in terra relicto illo ad vos adscendere soleo: jussoque intus manere foribus occlusis, neque cuiquam aperire, nisi me vociferantem audierit. MERC. Jam igitur Atticam adeamus. Tu me consequitor chlamydi adhærens, donec extremam viam attigerimus. PL. Recte facis, Mercuri, quum me per viam ducis. Etenim si me desereres, forsan oberrans in Hyperbolum aut Cleonem inciderem. Sed quis hic stridor ceu ferri saxo impacti? MERC. Timon hic est, qui proxime montanum & petricosum fodit solum? Papæ: adest & Paupertas, & Labor ille, tum Robur, Sapientia, Fortitudo, atque id genus aliorum turba: quorum omnium agmen Fames cogit, longe præstantius quam tui sint satellites. PL. Quin igitur quam ocyssime discedimus, Mercuri? Neque enim ullum operæ precium fecerimus cum homine ejusmodi vallato exercitu. MERC. Secus visum est Jovi: quare ne metu deterreamur. PAUPERTAS. Quo hunc nunc Argicida manu abducis? MERC. Ad hunc Timonem, ad quem a Jove sumus ire jussi. PAU. Ita ne rursum Plutus ad Timonem? postea quam ego hunc antea diliciis male corruptum suscepi: commendansque Sapientiæ & Labori, strenuum, multique precii virum reddidi? Adeo ne despicienda injuriæque idonea vobis Paupertas judicor, ut hunc quæ mihi unica erat possessio, eripiatis, jam exactissima cura ad virtutem exculturn? ut Plutus hic ubi denuo susceperit, per contumeliam & arrogantiam illi manu injecta, talem reddiderit, qualis erat dudum, mollem & ignavum, ac vecordem: rursum mihi restituat, ubi jam nihili factus erit, & rejiculus? MERC. Sic ô Paupertas, Jovi placitum est. PAU. Equidem abeo. At vos Labor & Sapientia, reliquique consequimini me. Porro hic brevi cognoscet, qualis in se fuerim, quam nunc relinquet: nempe adjutrix bona, & rerum optimarum doctrix. Qui cum donec habuit commercium, sano corpore, valentique animo perseveravit: virilem exigens vitam, & ad sese respiciens: supervacua autem & vulgaria ista aliena, ita ut sunt, existimans. MERC. Discedunt illi: nos ad eum adeamus. TIMON. Quinam estis, ô scelesti? aut qua gratia huc advenistis homini operario mercenarioque negocium exhibituri? verum haudquaquam læti abibitis, scelesti ut estis omnes: nam ego vos illico glebis & saxis petitos comminuam. MERC. Nequaquam, ô Timon, ne ferito, neque enim feries mortales: verum ego sum Mercurius, hic Plutus. Misit nos Jupiter, votis tuis exauditis. Quare, quod bene vertat, opes accipe, desistens a laboribus. TIM. Atqui vos jam ploraveritis, etiam si Dii sitis ut dicitis. Siquidem odi pariter omnes, tum Deos, tum homines. Sed hunc cæcum quisquis hic fuerit, mihi certum est ligone impacto comminuere. PLV. Abeamus per Jovem Mercuri: quandoquidem hic homo mihi videtur non mediocriter insanire, ne malo quopiam accepto discedam. MERC. Ne quid ferociter Timon: quin exue potius penitus istam ferocitatem, asperitatemque, ac manibus obviis excipe bonam fortunam: rursum dives esto: rursum Atheniensium princeps, & ingratos illos despicito, quum solus florebis. TIM. Nihil mihi vobis est opus, ne obturbate. Sat opum mihi ligo: præterea fortunatissimus sum, si nemo propius ad me accesserit. MERC. Adeone quæso inhumaniter?

Hæc ego sæva Jovi refero atque immania dicta?

Atqui par erat forsitan homines tibi haberi invisos, ut qui tam multa indigna in te commisissent: Deos odio te prosequi nequaquam erat consentaneum, quum illi tantopere tui curam agant. TIM. At tibi Mercuri, Jovique, quod me respicitis, plurimam equidem habeo gratiam: cæterum hunc Plutum nequaquam recepero. MERC. Quid ita? TIM. Quoniam pridem innumerabilium malorum hic mihi fuit auctor, quum me assentatoribus proderet, insidiatores in me invitaret, conflaret odium, illecebris corrumperet, invidiæ obnoxium redderet: denique quum repente me adeo perfide ac proditorie destituerit. Contra, paupertas optima, me laboribus viro dignissimis exercens, mecumque vere & libere convivens, & quibus opus erat suppeditavit laboranti, & vulgaria ista docuit contemnere, effecitque ut mihi vitæ spes omnis ex me ipso penderet, demonstrans quænam essent opes vere meæ: nempe quas neque adulator assentans, neque sycophanta minitans, neque plebs irritata, neque concionator suffragiorum auctor, neque tyrannus intentus insidiis queat eripere. Itaque jam validus effectus ob laborem, dum hunc agellum graviter exerceo, neque quicquam eorum quæ sunt in civitate malorum aspicio, abunde magnum & sufficientem victum mihi ligo suppeditat. Quare tu, Mercuri, quam venisti viam remetiens, recurre, una tecum Plutum adducens ad Jovem. Illud mihi sat fuerit, si effecerit ut omnes mortales per omnem ætatem ejulent. MERC. Nequaquam ô bone, neque enim omnes ad ejulandum sunt accommodi. Quin tu iracunda puerilia que ista missa fac, ac Plutum excipe: non sunt rejicienda munera, quæ a Jove proficiscuntur. PLV. Vin, Timon, ut contra te partes defendam meas, an graviter feres si quid dixero? TIM. Dicito, ne multis tamen, neque cum procemiis, quemadmodum perditissimi isti solent Oratores. Nam hujus Mercurii gratia te feram paucis dicentem. PLV. Atqui multis mihi potius erat dicendum, tot nominibus abs te accusato. Attamen vide, num qua in re te, quemadmodum ais læserim: qui quidem dulcissimarum quarumque rerum tibi exstiterim auctor, opifexque, auctoritatis, præsidentiæ, coronarum, aliarum item voluptatum: mea opera conspicuus eras, celebris & observandus. Cæterum si quid molesti ab adulatoribus accidit, non mihi potes imputare: quin ipse magis abs te sum affectus contumelia, propterea quod me tam ignominiose viris illis exsecratis suppeditaris: qui te mirabantur, ac præstigiis dementabant, mihique modis omnibus insidias struebant. Porro quod extremo loco dixisti, te a me proditum, desertumque fuisse: istud criminis in te possum retorquere, quum ipse sim modis omnibus a te rejectus, præcepsque exactus ex ædibus. Unde pro molli chlamyde, sagum istud charissima tibi paupertas circumposuit. Itaque testis est mihi hic Mercurius, quantopere Jovem oraverim ne ad te venirem, qui tam hostiliter esses in me debacchatus. MERC. At nunc vides Plute, in cujusmodi hominem sit commutatus. Proinde audacter cum illo consuetudinem age. Tu vero fode ita ut facis. Tu interim Thesaurum sub ligonem adducito. Audiet enim si tu accersiveris. TIM. Parendum est, Mercuri, rursusque ditescendum. Quid enim facias quum Dii compellant? tamen vide, in quas turbas me miserum conjicies: qui quidem quum ad hunc usque diem felicissime vixerim, tantum auri repente sum accepturus, nihil commeritus mali, tantumque curarum suscepturus. MERC. Sustine, Timon, mea gratia, tametsi grave est isthuc, atque intolerandum, quo videlicet palpones illi præ invidia rumpantur. Ego porro superata Ætna in cœlum revolavero. PLV. Abiit ille quidem sicut apparet. Nam ex alarum remigio facio conjecturam. Tu vero hic operire, siquidem digressus Thesaurum ad te transmittam, sed feri fortius: tibi loquor auri Thesaure, Timoni huic audiens esto, offerque temet eruendum. Fodi Timon altius impingens. Cæterum ego a vobis digredior. TIM. Age jam ô ligo, nunc mihi tuas vires explica, neque defatigere, dum ex abdito Thesaurum in apertum evocaris. Hem prodigiorum auctor Jupiter, amici Corybantes, ac lucifer Mercuri, undenam auri tantum? Num somnium hoc est? Metuo ne carbones reperturus sim experrectus. Atqui aurum profecto est insigne, fulvum, grave, & aspectu multo jucundissimum.

Pulcherrima Aurum faustitas mortalibus.

Quippe quod ignis in morem ardes, noctesque & dies renides. Ades ô mihi charissimum desideratissimumque, nunc demum credo vel Jovem ipsum olim aurum esse factum. Etenim quæ tandem virgo non exporrecto sinu usque adeo formosum amatorem excipiat, per tegulas illapsum? ô Mida Crœseque, ac munera Delphico in templo dicata: ut nihil eratis si cum Timone, cumque Timonis opibus conferamini: cui ne Persarum quidem Rex par est. O ligo, sagum carissimum, vos huic Pani suspendi commodum est. At ego quammaxime semotum mercatus agrum, turriculaque servandi auri gratia constructa, uni mihi affatim vixero: sepulchrum item inibi mihi defuncto parare est sententia. Hæc igitur

A igitur decreta sunto, placitaque in reliquum vitæ: sejunctio, ignorantia, fastidium erga mortales omneis. Porro amicus, hospes, sodalis, aut ara misericordiæ, meræ nugæ. Tum commiserari lachrymantem, suppeditare egentibus, iniquitas, ac morum subversio: at vita solitaria, qualis est lupis: unus sibi amicus Timon: cæteri omnes hostes, & insidiarum machinatores. Cum horum quopiam congredi, piaculum: adeo ut si quem adspexero duntaxat, inauspicatus sit ille dies. In summa: non alio nobis habentur loco, quam signa saxea, æreave: neque fœcialem ab illis missum recipiamus, neque fœdera feriamus. Solitudo terminus esto. Cæterum tribules, cognati, populares, postremo patria ipsa, frigida quædam & sterilia nomina, stultorumque mor- B talium gloriæ: solus Timon dives esto, despiciat omnes, solus ipse secum oblectetur, liber ab assentationibus, & onerosis laudibus Dijs sacra faciat: epuletur solus, sibi ipsi vicinus, sibi particeps, excutiens sese ab aliis. Ac semel decretum esto, ut unus seipsum comiter accipiat, si moriendum sit, aut necesse habeat sibi ipsi coronam admovere. Nullumque nomen sit dulcius, quam Misanthropi, id est, hominum osoris. Morum autem notæ, difficultas, asperitas, feritas, iracundia, inhumanitas: quod si quem conspexero incendio conflagrantem, obtestantemque quo restinguam, pice oleoque restinguere: rursum si quem flumen undis abstulerit, isque manus porrigens, imploret ut retineatur: hunc quoque demerso capite propellere, ne possit emicare: hunc C admodum par pari relaturus est. Hanc legem Timon tulit Echecratides Colyttensis: & concionis subscripsit suffragiis idem ille Timon. Age hæc decreta sunto: hæc fortiter tueamur. Cæterum magno emerim ut id omnibus innotescat, quod opibus abundo: nam illa res illos præfocaverit: sed quid illud? Hem quæ trepidatio? undique concurrunt, pulverulenti atque anheli, haud scio unde aurum odorati. Utrum igitur hoc conscenso colle saxis eos abigo, e sublimi dejaculans: an hac tantum in re legem violabimus, ut semel cum illis congrediamur: ut magis angantur, fastiditi, repulsique? Ita satius esse duco. Itaque restemus quo illos jam excipiamus. Age prospiciam: primus eorum iste quis est? Nempe Gnatonides adulator, qui mihi nuper cœnam pe- D tenti, funem porrexit, quum apud me sæpenumero solida dolia vomuerit. Sed bene est quod ad me venit: nam primus omnium vapulabit. GNATO. An non dixi Timonem virum bonum non neglecturos esse Deos? Salve, Timon formosissime, jucundissime, convivator bellissime. TIM. Scilicet & tu Gnatonides, vulturum omnium edacissime atque hominum perditissime. GNA. Semper tibi grata dicacitas. Sed ubi compotamus? Nam novam tibi adfero cantilenam, ex his quos nuper didici dithyrambis. TIM. Atqui elegos canes, admodum miserabiles, ab hoc doctus ligone. GNA: Quid isthuc? Feris, ô Timon? Attestor, ô Hercules: hei hei in jus te voco apud Areopagitas, qui vulnus dederis. TIM. Atqui si cunctere paulisper, mox cædis me reum ages. GNA. Nequaquam, quin tu plane vulneri medere, paululo auri E inuncto. Mirum enim in modum præsentaneum, id est, remedium. TIM. Etiam manes? GNA. Abeo. At tibi male sit, qui quidem ex viro commodo tam sævus factus sis. TIMON. Quis hic est qui accedit recalvaster ille? Philiades, assentatorum omnium execratissimus. Hic quum a me solidum acceperit fundum, tum filiæ in dotem talenta duo, laudationis præmium, quum me canentem reliquis silentibus omnibus solus majorem in modum extulisset, dejerans me vel oloribus magis canorum, ubi me pridem ægrotum conspexisset: nam adieram oraturus ut mei curam ageret: plagas etiam egregius ille vir impegit. PHILIADES. O impudentiam, nunc demum Timonem agnoscitis: nunc Gnatonides amicus & conviva: enim vero habet ille digna F se, quandoquidem immemor est atque ingratus. At nos qui jam olim convictores sumus æquales ac populares, tamen modeste agimus, ne insilire videamur. Salve here, fac ut istos adulatores sacrilegos observes, qui nusquam adsunt nisi in mensa: prætereaa corvis nihil differunt. Neque posthac hujus ætatis mortalium ulli fidendum est. Omnes ingrati, & scelesti. At ego quum tibi talentum adducerem, quo posses ad ea quæ velles uti, in via accepi, te summas quasdam opes esse nactum. Proinde accessi his de rebus admoniturus te, quanquam tibi forsitan me monitore nihil erat opus, viro nimirum adeo prudenti, ut vel Nestori ipsi, si necesse sit, consilium dare queas. TIM. Ita fiet, Philiades, sed age, accede quo te ligone comiter accipiam. PHI. Viri, caput mihi comminutum est ab hoc ingrato, propterea quod eum ea quæ in rem illius erant, admonui. TIM. Ecce tertius huc Orator Demeas se recepit, tabulas dextra gestans, aitque se mihi cognatum esse. Hic una die de meo sedecim talenta civitati dependit: nam damnatus erat, ac vinctus. At quum solvendo non esset, ego misertus illum redemi. Porro quum illi sorte obvenisset, ut Erechtheidi tribui distribueret ærarium, atque ego adiens, id quod ad me redibat poscerem, negabat se civem nosse me. DEM. Salve, Timon, præcipuum generis tui præsidium, fulcimentum Atheniensium, defensaculum Græciæ. Profecto jamdudum te populus frequens, & utraque curia operitur. Sed prius decretum audi, quod de te conscripsi. Quandoquidem Timon Echecratidæ filius, Colyttensis, vir non modo probus & integer, verumetiam sapiens, quantum alius in Græcia nemo, nunquam per omnem vitam destitit optime de Republica mereri: Tum autem in Olympicis vicit pugil, & lucta cursuque die eodem, ad hæc solenni quadriga, equestrique certamine. TIM. At ego ne spectator quidem unquam in Olympicis sedi. DEM. Quid tum? spectabis posthac, sed ista communia addi satius est. Tum anno superiore apud Acharnenses pro Republica fortissime se gessit, & Peloponnensium duas acies concidit. TIM. Qua ratione? Quippe qui nec ûnquam arma gesserim, neque unquam militiæ dederim nomen. DEM. Modeste tu quidem de teipso loqueris, nos tamen ingrati futuri sumus, nisi meminerimus. Præterea scribendis plebiscitis, & in consultationibus, & in administrandis bellis non mediocrem utilitatem attulit Reipublicæ His de causis omnibus visum est, curiæ, plebi, magistratibus tributim, plebejis singulatim, communiter universis, aureum statuere Timonem juxta Palladem in arce: fulmen dextera tenentem, radiis tempora ambientibus, utque septem aureis coronis coronetur, hæque coronæ hodie in Dionysiis per Tragœdos novos promulgentur. Siquidem hodie, illi Dionysia sunt agenda. Dixit hoc suffragium Demeas Orator, propterea quod cognatus illius propinquus, ac discipulus ejus sit. Nam & Orator optimus Timon: præterea quicquid voluerit. Hoc igitur tibi suffragium, sed utinam & filium meum ad te pariter adduxissem, quem tuo nomine Timonem appellavi. TIM. Qui potes Demea, quum ne uxorem quidem duxeris unquam, quantum nobis scire licuit? TIM. At ducam, novo ineunte anno, si Deus permisent, liberisque operam dabo. Tum quod erit natum (erit autem masculus) Timonem nuncupabo. TIM. An uxorem tu sis ducturus, equidem haud scio, tanta a me plaga accepta. DEM. Hei mihi. Quid hoc est rei? Tyrannidem Timon occeptas? pulsasque eos qui sunt ingenui, ipse nec ingenuus plane, nec civis: verum propediem pœnas daturus, quum aliis nominibus, tum quod arcem incenderis? TIM. Atqui non conflagravit arx scelеste. Proinde palam est, te calumniatorem agere. DEM. Verum effosso ærario dives effectus es. TIM. Atqui non effosum isthuc, unde ne hæc quidem probabiliter abs te dicuntur. DEM. Verum effodietur posthac, sed tu interim omnia quæ in eo condita, possides. TIM. Alteram itaque plagam accipe. DEM. Hei scapulis meis. TIM. Ne vociferare, alioqui & tertiam tibi illidam. Etenim res plane ridicula mihi acciderit, si quum inermis duas Lacedæmoniorum acies fuderim, unum scelestum hominem non protrivero. Tum frustra vicerim in Olympiis, & pugil & palæstrites. Sed quid hoc? An non Philosophus Thrasycles hic est? profecto ipsus est, promissa barba, subductisque superciliis, & magnum quiddam secum murmurans accedit, Titanicum obtuens, cæsariem per scapulas fluentem ventilans, alter quidam Boreas, aut Triton, quales eos Zeuxis depinxit. Hic habitu frugalis, incessu moderatus, amictu modestus, mane mirum quam multa de virtute disserit, damnans eos qui voluptate capiuntur, frugalitatem laudans: at ubi lotus ad cœnam venit, puerque ingentem illi calicem porrexit, meraciore autem maxime gaudet: perinde ut Lethes aquam ebibens, a dilucularijs illis disputationibus diversissima quæ sint exhibet, dum milvi instar præripit obsonia, & proximum cubito opposito arcens, mento interim condimentis oppleto, dum canum ritu ingurgitat, prono incumbens corpore: perinde atque in patinis virtutem inventurum sese speret: dumque usque ad-

co

eo diligenter catinos extergit indice digito, ut ne paululum quidem reliquiarum sinat adhærere, nunquam non querulus, tanquam deteriorem partem acceperit, vel si totam placentam, aut suem solus omnium accipiat, qui quidem edacitatis & insatiabilitatis est fructus, temulentus, vinoque bacchatus, non ad cantum modo, saltationemque, verum ad convicium usque, & iracundiam. Ad hæc multus inter pocula sermo (tum enim vel maxime) de temperantia, sobrietateque, atque ista quidem loquitur, quum jam a mero male affectus ridicule balbutit. Accedit his deinde vomitus. Postremo sublatum eum de convivio efferunt aliqui, ambabus manibus tibicinæ inhærentem. Quanquam alioqui ne sobrius quidem ulli primariorum cesserit, vel mendacio, vel confidentia, vel avaricia. Quin & inter assentatores primas tenet, pejerat promptissime, anteit impostura, comitatur impudentia. In summa prorsus admirandum quoddam spectaculum est, omni ex parte exactum, varieque absolutum: proinde non ejulabit clarius videlicet quum sit modestus. Quid hoc? papæ, tandem nobis Thrasycles? THR. Non hoc animo ad te venio, Timon, quo plerique isti, qui nimirum opes admirati tuas, argenti, auri, opiparorum conviviorum adducti spe concurrunt, multaque assentatione deliniunt te, hominem videlicet simplicem, facileque impartientem id quod adest. Siquidem haud ignoras offam mihi in cœnam sat esse, tum opsonium suavissimum cæpe aut nasturcium, aut si quando lubeat lautius epulari, pusillum salis. Porro potum fons Athenis novem saliens venis suppeditat. Tum pallium hoc quavis purpura potius. Nam aurum nihilo magis apud me in precio est quam calculi qui sunt in littoribus. Sed tua ipsius gratia huc me contuli, ut ne te subverterit pessima ista atque insidiosissima res opulentia: quippe quæ multis sæpenumero immedicabilium malorum exstiterit causa. Etenim si me audies, potissimum opes universas in mare præcipitabis, utpote quibus nihil sit opus bono viro, quique Philosophiæ possit opes perspicere. Ne tamen in altum, ô bone, sed ferme ad pubem usque ingressus, paulo ultra solum fluctibus opertum, me quidem uno spectante. Quod si hoc non vis, tute igitur eas potiore via ex ædibus ejicito, ac ne obolum quidem tibi facias reliquum, videlicet largiens iis, quicunque opus habent, huic quinque drachmas, illi minam, alii talentum. Porro si qui erit Philosophus, hunc æquum est duplam aut triplam ferre portionem: quanquam hoc quidem mihi non mea ipsius gratia postulo, sed quo amicis, si qui egebunt, donem: sat est si modo peram hanc largitione tua expleveris, ne duos quidem modios Æginiticos capientem. Nam paucis contentum, modestumque convenit esse eum qui philosophatur, neque quicquam ultra peram cogitare. TIM. Equidem ista quæ dicis probo, Thrasycles: ergo si videtur, priusquam peram expleam, age tibi caput opplebo tuberibus, posteaquam ligone sum mensus. THR. O libertas, ô leges, pulsamur ab impurissimo libera in civitate? TIM. Quid stomacharis, ô bone Thrasycles? num te defraudavi? Atqui adjiciam ultra mensuram Chœnices quatuor: sed quid hoc negocii? Complures simul adveniunt. Blepsias ille, & Laches, & Gniphon, breviter agmen eorum qui vapulabunt. Itaque quin ego in rupem hanc conscendo, ac ligonem quidem jamdudum fatigatum, paulisper interquiescere sino? At ipse plurimis congestis saxis, procul eos lapidum grandine peto. BLEPSIAS. Ne jace, Timon, abimus enim. TIM. At vos quidem nec citra sanguinem, nec absque vulneribus.

DESIDERIUS ERASMUS ROTERODAMUS RICHARDO WITFORDO, BRITANNO, DOCTO, ET CUM PRIMIS JUCUNDO AMICO, S. P. D.



UM annis jam aliquot totus Græcanicis in literis fuerim, Richarde carissime, nuper quo cum literis Latinis redirem in gratiam, Latine declamare cœpi, idque impulsore Thoma Moro, cujus (uti scis) tanta est facundia, ut nihil non possit persuadere vel hosti: tanta autem hominem caritate complector, ut etiam si saltare me, restimque ductare jubeat, sim non gravatim obtemperaturus. Tractat ille idem argumentum, & ita tractat, ut nullus sit omnino locus, quem non excutiat eruatque. Neque enim arbitror (nisi me vehemens in illum fallit amor) unquam naturam finxisse ingenium hoc uno præsentius, promptius, oculatius, argutius, breviterque dotibus omnigenis absolutius. Accedit lingua ingenio par, tum morum mira festivitas, salis plurimum, sed candidi duntaxat, ut nihil in eo desideres quod ad absolutum pertineat patronum. Quare non hoc animo laborem hunc suscepi, ut tantum artificem vel æquarem, vel vincerem, sed uti cum amico omnium dulcissimo, qui cum libenter soleo seria ludicraque miscere, in hac ingeniorum palæstra quasi colluctarer: idque feci eo libentius, quod magnopere cupiam hoc exercitii genus, quo nullum aliud magis frugiferum, in ludis nostris aliquando instaurari. Neque enim aliud esse in causa puto, quod hac nostra tempestate quum tam multi sint, qui scriptores eloquentissimos evolvant, tam pauci tamen existant, qui non infantissimi videantur, si quando res Oratorem poposcerit. Quod si tum Ciceronis Fabiique auctoritatem, tum veterum exemplum sequuti, ἐν τοιαύταις μελέταις *diligenter a pueris exerceremur, non esset (opinor) tanta dicendi inopia, tam miseranda infantia, tam pudenda balbuties etiam in his qui literas oratorias publice profitentur. Nostram declamationem ita leges, ut eam me pauculis diebus lusisse cogites, non scripsisse. Hortor autem ut & Moricam conferas, itaque judices, num quid in stilo sit discriminis inter hos, quos tu ingenio, moribus, affectibus, studiis usque adeo similes esse dicere solebas, ut negares ullos gemellos magis inter se similes reperiri posse. Utrumque certe ex æquo amas, utrique vicissim ex æquo carus. Vale meum delicium Richarde festivissime. Ruri, ad Calendas Majas,* M D VI.

TYRANNICIDA.

ARGUMENTUM DECLAMATIONIS.

Quidam in arcem adscendit, uti Tyrannum occideret, atque ipsum quidem non reperit, verum filium ejus interemit, gladiumque in vulnere reliquit. Adveniens Tyrannus, ubi filium exstinctum conspexit, eodem ense necem sibi consciscit. Is qui adscenderat, Tyrannique filium peremerat, præmium tanquam Tyrannicida petit.

DECLAMATIO.



QVUM duos eodem die tyrannos occiderim judices, alterum quidem ætate jam affecta, alterum ævo florentem, & ad scelerum successionem capessendam paratum, unicum tamen pro ambobus præmium petitum venio, qui quidem unus omnium quotquot unquam tyrannicidæ fuerunt, unico vulnere duos maleficos fuerim amolitus, necique dederim, filium videlicet ense, patrem indulgenti caritate qua filium adamabat. Itaque tyrannus pro his quæ commisit, abunde magnas pœnas nobis dependit: quippe qui & vivus aspexerit, filium prius morte sublatum, & quod est omnium maxime novum, compulsus sit denique ipse sui tyrannicida fieri. At filius illius mea quidem manu peremptus est, cæterum occisus alteram ad cædem operam mihi suam commodavit, dum qui vivo patri scelerum socius fuerat, ejusdem post mortem (quatenus licuit) exstitit parricida. Ego itaque sum is qui tyrannidem sustuli, pariterque mecum gladius, quo cuncta confecta sunt, meus: tametsi cædis ordinem commutarim, ac morem modumque novarim conficiendi sceleratos: nempe hunc qui valentior erat, ac sese defendere poterat, ipse perimens, porro senem soli gladio reservans. His igitur de causis & amplius quiddam a vobis me consequuturum arbitrabar, præmiaque laturum, quæ numero æquarent eos qui essent interempti: utpote qui non præsentibus modo malis vos levarim, verumetiam futurorum formidine, quique stabilem pepererim libertatem, nullo relicto qui scelerum capessat successionem.

Verum interim tantis rebus strenue peractis, in discrimen adducor, ne præmio fraudatus a vobis discedam, ac ne solus non feram mercedem, quam leges a me servatæ præstituunt. At qui contradicit, is mihi videtur non Reipublicæ studio (quemadmodum ait) hoc facere, sed quod exstinctos esse illos graviter ferat, atque eum qui illis mortis auctor exstitit, ulcisci conetur. Vos igitur judices mihi paulisper attendite, dum tyrannidis mala tametsi ipsi optime nostis, commemoro. Siquidem hoc pacto futurum est, ut & beneficii mei magnitudinem intelligatis, & ipsi plus capiatis voluptatis, reputantes nimirum quibus sitis levati malis.

Neque enim quemadmodum aliis quibusdam sæpenumero accidit, itidem & nos simplicem tyrannidem atque unicam servitutem sustinebamus, nec unius domini violentiam tolerabamus: verum soli omnium quos similis habuit calamitas, duos pro uno tyrannos habebamus, & in geminas contumelias distrahebamur infelices. Porro senex multo erat moderatior, quippe ad iras lentior, ad supplicia segnior, & ad cupiditates tardior: utpote cui jam ætas vehementiam impetus cohiberet, voluptatumque cupiditates refrenaret. Quin ad suscipienda maleficia filii instinctu nolens impelli ferebatur, ipse alioqui non admodum tyrannicus, nisi quod illi morem gerebat. Siquidem indulgens in filium supra quam credi queat erat, id quod re declaravit, ita ut filius illi esset omnia. Illi parebat, per vim faciebat quicquid ille jusserat: supplicio afficiebat quoscunque præceperat, ac prorsus in omnibus illi obsequundabat. In summa, filius in patrem tyrannum quendam agebat, pater filii cupiditatum satelles erat. Tametsi huic propter ætatem honorem cedebat adolescens, soloque imperii nomine temperabat, tamen res & caput tyrannidis erat ipse. Et quanquam tutamen tum præsidiumque principatui ab illo mutuaretur, scelerum tamen emolumentis solus fruebatur. Ille erat qui satellites continebat, qui custodias obtinebat, qui tyrannidem affectantes e medio tollebat, qui insidias formidabat, ille qui castrabat ephebos, qui conjugia violabat, illi virgines producebantur. Tum si quæ cædes, si qua exilia, si quæ pecuniarum expilationes, delationes, contumeliæ, ea omnia juvenis temeritate gerebantur. Porro senex illi obsequebatur, comitemque scelerum sese præbebat, ac comprobabat duntaxat filii sui flagitia. Itaque quum ea res nobis erat intoleranda, propterea quod quum animi cupiditatibus ex imperio potestas accedit, nullum flagitiis modum imponunt: tum illud in primis discruciabat, quod prospiceremus diuturnam, vel æternam potius servitutem eam futuram, & per successionem alii post alium domino tradendam Rempublicam populumque homini scelesto hæreditatis instar obventurum. Nam id aliis spem non exiguam facit, quod apud sese reputant, quod inter se dicunt: at mox coercebitur, at mox demorietur, paulopost liberi sumus futuri. Verum de his nihil ejusmodi sperabatur, quin potius jam intuebamur paratum tyrannidis hæredem. Unde factum est, ut ne aggredi quidem quisquam fortium civium, & qui eadem quæ ego animo statuisset, auderet. Sed desperabatur ab universis libertas, atque inexpugnabilis tyrannis videbatur: quippe quum esset cum tam multis confligendum ac dimicandum.

At me nihil ista deterruerunt, neque perpensa negocii difficultate refugi, neque ad suscipiendum discrimen trepidavi: verum solus, solus inquam adversus adeo validam variamque tyrannidem: vel non solus potius, sed gladio comite conscendi: quippe qui mihi sit auxiliatus, mecumque ex parte tyrannum interemerit, quum mors mihi interim ob oculos obversabatur: at e diverso perpendenti, quod publicam libertatem mea cæde redempturus essem. Ergo ubi in primam irruissem custodiam, neque mediocri negocio satellites submovissem: occidens interim, in quem incurrissem, & quicquid obsisteret amoliens, ad ipsum negocii caput ferebar, ad unicum tyrannidis robur, ad nostrarum calamitatum fontem atque irrupto arcis propugnaculo, quum viderem illum fortiter tuentem sese, multisque vulneribus resistentem, tamen occidi. Et jam tum erat sublata tyrannis, jam tum mihi confectum facinus.

Ex eo tempore liberi omnes, nisi quod reliquus adhuc erat senex solus, inermis, nudatus custodiis: jamque amisso magno illo suo satellite desertus, neque deinde dignus forti dextra. Ibi nimirum mecum ipse judices, hæc animo reputabam. Cuncta mihi pulchre habent, cuncta confecta sunt, cuncta eo quo destinaram, perducta. At eum qui reliquus est, quo tandem modo pœnas dare convenit? Me quidem meaque dextera neutiquam est dignus, præsertim si post splendidum facinus juvenile atque magnificum interimatur, priorem illam cædem dedecoraturus. Carnifex aliquis quærendus est illo dignus, verum post calamitatem, ne vel hanc ipsam lucrifaciat: videat, discrucietur, appositum habeat ensem, huic reliqua mando. Hæc ubi mecum statuissem, ipse quidem illinc discedo: at ille peregit id quod ego prædivinaveram, tyrannum occidit, summamque meæ imposuit fabulæ. Adsum igitur, popularem administrationem vobis adportans, cunctisque bono jam ut animo sint edicens, ac libertatem annuncians. Jam meis fruimini factis: vacua, sicut videtis, sceleratis hominibus arx: imperat nemo, quin & magistratus creare liberum est, & causas agere, & ex legibus contradicere. Atque hæc omnia vobis mea contigerunt opera, meaque fortitudine, videlicet ex una illa cæde, post quam pater jam vivere non quibat. Æquum itaque censeo, ut his pro meritis debitum mihi a vobis præmium donetur, non quod lucri avidus, aut sordidus quispiam sim, nec is qui mercedis gratia de patria benemereri statuerim: verum quod præmio cupiam officia mea comprobari, neque repudiari, aut inglorios fieri conatus meos, si velut irriti præmioque indigni judicentur.

At hic contradicit, negatque æquum facere me, qui decorari munere, præmiumque ferre cupiam. Neque enim tyrannicidam esse me, neque quicquam a me pro legis sententia confectum esse, verum facinori meo deesse quiddam, ad hoc ut præmium postulem. Percontor igitur illum, quid præ-

A præterea requiris a me? nonne volui? nonne ascendi? nonne occidi? nonne libertatem peperi? num quis imperat? num quis jubet? num quis minitatur dominus? num quis nocentium manus effugit meas? haudquaquam dixeris, sed omnia plena pacis, omnes restitutæ leges, libertas manifesta, Democratia stabilis, inviolata connubia, pueri tuti, virgines absque periculo, publicamque felicitatem solennibus feriis celebrat civitas. Quis igitur horum omnium auctor? quis est qui illa sustulit? hæc peperit? Etenim si quisquam præ me dignus honore sit, cedam præmium, desistam a petendo munere. Quod si solus omnia peregi, audens, periclitans, ascendens, interimens, excrucians, alterum ultus in altero, quid mea calumniaris officia? cur facis ut populus B parum erga me gratus existat?

At enim num occidisti tyrannum? Porro lex tyrannicidæ præmium decernit. Verum dic mihi, nunquid interest utrum ipse interimas, an mortis causam ministres? Mea profecto sententia, nihil: verum hoc solum spectavit legis conditor, libertatem, Democratiam, sceleratorum sublationem. Huic honorem decrevit, hoc præmio dignum judicavit, quod quidem inficiari non potes, quin mea contigerit opera. Etenim si occidi eum, quo occiso, ille non poterat vivere, nimirum ipse cædem peregi, ego occidi, sed illius manu. Itaque ne discepta de cædis modo, neque illud expende quemadmodum interierit, verum an jam perierit, C & an quod periit, id a me sit profectum. Quandoquidem & illud excussurus mihi videris, atque his adversus bene de Republica meritos calumniis usurus, Si quis non gladio, verum lapide lignove, aut alio quovis pacto peremerit. Quid porro si fame tyrannum obsedissem, ad mortis necessitatem compellens? num ibi quoque requisiturus eras a me cædem, mea ipsius manu peractam? aut desiderari adhuc quiddam diceres, ad id ut legi factum a me satis videatur: atque id quum scelestum acerbius etiam atque atrociore mortis genere trucidassem? Unum hoc duntaxat specta, hoc require, hoc excute. Quis nocentium reliquus? aut quæ metus exspectatio? aut quod calamitatum vestigium? Quod si purgata omnia, si pacata, profecto sycophanticum est, modum D rei gestæ calumniantem præmio frustrari velle, quod iis quæ virtute confecta sunt debeatur.

Equidem & illud memini dissertum in legibus, nisi forte propter diutinam servitutem oblitus sum eorum quæ ab illis dicuntur. Causam mortis esse duplicem: puta, si quis ipse occidat: aut si non ipse quidem occidit, neque manu facinus peregit, verum compulit, præbuitque mortis occasionem. Ex æquo & hunc quoque lex censet supplicio affici oportere, idque jure optimo. Neque enim statuit minus valere oportere audaciam quam facinus: ac postea supervacaneum est cædis rationem viamque spectare. Deinde hunc qui sic occiderit, tanquam homicidam pœnas oportere dare censebis, ac nequaquam absolvendum esse. At me qui per omnia E consimili modo Rempublicam juvi, non censes ea capere oportere, quæ iis debentur qui beneficio juverunt. Neque enim illud dicere possis, me quidem imprudentem fecisse, sed exitum quendam commodum fortuito fuisse consequutum præter animi sententiam. Nam quid præterea jam formidassem, eo qui validior erat intercepto? Cur autem gladium in vulnere reliquissem, nisi plane quod erat eventurum, id ipsum prædivinassem? Nisi forsan illud dices, hunc qui exstinctus est, tyrannum non esse, neque hanc appellationem in illum competere: neque vos multum præmii hoc nomine, si ille fuisset occisus, decreturos fuisse. Atqui istud dicere non queas: an tyranno interempto, ei qui cædis causam ministravit, præmium negabis? O curiositatem, de illo laboras quo pacto interierit, quum interim libertate fruaris? F Aut ab eo qui Democratiam restituit, nescio quid supervacaneum præterea requiris?

Atqui lex (uti fateris) caput rei gestæ spectat. Quæ vero ad id conducunt, ea omnia missa facit, neque ultra curiosius excutit. Quid enim, an si tyrannum exegerit quispiam, non is jam tyrannicidæ præmium cepisset? cepisset opinor, idque jure optimo: siquidem & hic pro servitute libertatem peperisset. At id quod a me patratum est, non exilium habet, non in posterum instaurandæ tyrannidis metum: verum absolutam sublationem, totiusque generis internecionem, omneque malum radicitus excisum. Et mihi, per Deos, jam ab initio ad finem usque (si videtur) rem totam perpendite, num quid eorum quæ ad leges pertinent sit prætermissum, & num quid in me desideretur ex his, quæ Tyrannicidæ oportebat adesse.

Principio mentem prius oportet suppetere fortem, & amantem Reipublicæ quæque pro communibus commodis periculum adire non recuset, quæque privato suo interitu multitudinis incolumitatem ausit redimere. Num hac parte quicquam mihi defuit? Num frangebar animo? Num quum præscirem per quæ pericula mihi perrumpendum esset, per ignaviam refugi? Profecto non potes dicere. In hac interim parte tantum commorare, atque æstima, an non vel voluisse tantum ista, ac statuisse, præclarum facinus futurum fuisse videatur. Ac putato me solius animi, voluntatisque argumento præmium postulare, tanquam qui beneficio juverit. Tum si voluntati meæ facultas defuisset: verum alius post me Tyrannum occidisset, dic mihi: num absurdum aut præter æquum fuerat dare præmium? Minime. Si dicerem, cives, volui, statui, aggressus sum: voluntatis experimentum dedi, solus dignus sum qui præmium feram. Quid tum responsurus fueras? Nunc porro non hoc dico, sed insuper ascendi, periclitatus sum, atque innumerabilia priusquam juvenem occiderem, patravi. Neque enim usque adeo facilem, factuque proclivem esse rem existimetis, custodias perrumpere, satellites opprimere, unumque hominem tam multos amoliri. Quin isthuc pene maximum est omnium quæ sunt in Tyrannicidio, totiusque negocii caput. Nam ipse jam Tyrannus, non magna res est, neque expugnatu, neque confectu difficilis: verum ea quæ tuentur continentque tyrannidem, quæ quidem si quis superarit, is nimirum cuncta quæ destinavit, peregerit, & perpusillum est id quod superest. Sed ad tyrannos pervenire nunquam mihi contigisset, ni prius qui illum cingunt custodes oppressissem, omnesque satellites ante debellassem. Nihil adhuc addo: verum in his rursum immoror. Custodiam oppressi, satellites superavi: tyrannum incustoditum, inermem, nudum reddidi. Utrum his rebus confectis, non tibi videor honore dignus? an adhuc cædem ipsam a me requires? Quin etiam si cædem quæris, ne ea quidem desiderabitur. Non sum incruentus: verum cædem peregi, magnam ac strenuam: nempe juvenis ætate ac viribus florentis, atque omnibus formidandi, per quem ille ab insidiis erat tutus, cui uni fidebat, qui complurium satellitum instar erat. An non igitur, quæso te, præmio dignus videor, sed tantis rebus gestis honore fraudabor? Quid enim si satellitem unum, atque adeo quid si Tyranni ministrum quempiam interemissem? Quid si servum aliquem charum? an non hoc quoque magnum visum fuisset, conscendisse, mediaque in arce, mediis in armis, aliquem e tyranni familiaribus jugulare? Nunc & hunc ipsum qui occisus est, cujusmodi sit considera. Filius erat Tyranni, vel Tyrannus potius crudelior, dominus intolerabilior, ad supplicia dirior, ad contumelias violentior, quodque est maximum, hæres ac successor omnium, quique in longum nostras calamitates posset prorogare. Vin hoc solum mihi confectum esse? Ipsum vero Tyrannum vivere adhuc, fuga ereptum? Jam horum nomine præmium postulo. Quid dicitis? Non dabitis? An non & illum verebamini? An non dominus, an non gravis, an non intolerandus erat?

Porro nunc negocii caput denique ipsum perpendite. Etenim quod hic a me requirit, hoc quam fieri potuit, pulcherrime confeci: Tyrannumque aliena cæde occidi, non simpliciter, nec vulnere uno, id quod fuerat optatissimum illi, videlicet tantorum facinorum sibi conscio, sed posteaquam illum prius multo dolore excarnificassem, tum quo nihil habebat carius, miserabiliter prostratum coram oculis ostendens: puta filium in ipso ævi flore, tametsi scelestum quidem illum, attamen & ætate vigentem, & patri similem, sanguine taboque oppletum. Hæc nimirum sunt parentum vulnera, hi gladii verorum tyrannicidarum, hæc mors digna crudelibus tyrannis, hæc ultio tantis sceleribus congruit. Cæterum protinus interire, protinus excidere sibi, neque hujusmodi ullum spectare spectaculum, profecto nihil habet tyrannico supplicio dignum. Neque enim ignorabam, vir egregie, non ignorabam, inquam, neque quenquam alium latuit, quanta ille caritate filium sit prosequutus, adeo ut illo exstincto, ne paululum quidem temporis sibi in vita morandum esse fuerit ducturus. Atqui haud scio,

A scio, an omnes patres hunc admodum affecti sint erga liberos: verum hic etiam ultra reliquos habebat quiddam, idque merito, quippe qui conspiceret illum unicum esse qui curaret, servaretque Tyrannidem, quique solus pro patre pericula susciperet, & tutamen imperio adderet. Itaque si non ob caritatem, certe ob rerum desperationem sciebam illum protinus exiturum e vita: perpensurum enim, jam nihil esse cur velit vivere, adempto tutamine, quod illi filius ministraverat. Nimirum, effeci, ut hæc omnia illum agminatim circumsisterent, forma, dolor, desperatio, formido, quique in posterum imminebant metus: his adversus illum auxiliis sum usus, atque ad id extremum illum consilium adegi. Interiit itaque vobis orbus, excruciatus, plorans, lachrymans. Luxit luctum, non illum quidem diuturnum, verum qui satis magnus esset patri. Postremo quod est omnium acerbissimum, ipse sibi necem conscivit, quod quidem mortis genus, præ cæteris miserrimum, multoque atrocius, quam si per alium inferatur. Ubi mihi gladius? Num quis alius eum agnoscit? Num cujus alterius hoc gestamen erat? Quis in arcem adduxit? Ante tyrannum quis eo est usus? Quis eum ad illum misit? O ensis particeps, successorque meorum egregie factorum, post tanta pericula, post tantas cædes contemnimur, & indigni præmio judicamur. Nam si hujus tantum nomine præmium a vobis postularem: si sic dicerem judices: Tyrannus quum mori vellet, quum id temporis inermem se deprehendisset, meus hic illi gladius inservivit, & ad consequendam libertatem auxilio fuit universis, hunc quoque laude, præmioque dignum judicassetis. Porro domino tam popularis rei non gratiam retulissetis? Nonne inter eos qui de Republica benemeriti sunt, scripsissetis? Nonne gladium inter sacra monumenta consecrassetis? Non illum secundum Deos veneraremini? Nunc mihi considerate, quæ verisimile est fecisse tyrannum, quæ dixisse, priusquam sibi mortem consisceret.

Quum juvenis a me trucidaretur, ac multis etiam vulneribus confoderetur, idque in his corporis partibus, quæ conspicuæ magis, magisque sint oculis obviæ, videlicet ut quam maxime discruciaret eum, qui genuerat, quoque primo statim conspectu perturbaret, miserabiliter inclamabat, parentem implorans non adjutorem, nec opitulatorem: quippe qui senex jam esset, atque invalidus: verum domesticarum cladium spectatorem. Nam ego interim discesseram, auctor qui fueram totius tragœdiæ, relinquens actori cadaver, scenam, gladium, reliqua quæ ad actum fabulæ pertinebant. At ille astans, ubi filium conspexit, quem habebat unicum: semivivum, sanguinolentum, cæde conspersum, tum vulnera perpetua, plurima ac letalia, hunc ad modum exclamavit: O nate exstincti sumus, interempti sumus, tanquam Tyranni jugulati sumus. Ubi mactator? Cui me servat? Cui me relinquit? qui quidem jam dudum propter occisum te fili sum exstinctus, nisi forte me tanquam senem contemnit, ac lento supplicio me conficit: producitque mihi mortem, redditque mihi cædem longiorem. Atque hæc B loquutus, ensem quærebat. Nam ipse inermis erat, propterea quod per omnia filio fideret: verum ne is quidem deerat, ut qui jam dudum fuerit a me paratus, atque ad facinus futurum relictus. Evulso igitur e cæde gladio, atque e vulnere exempto, ait: Dudum me occidisti: nunc finem malis impone gladi. Ades patri lugenti solamen, senilemque manum & infelicem adjuva, jugula. Tyrannum occide, luctu libera: utinam prior in te incidissem, utinam in cæde priorem occupassem locum. Occidissem quidem, sed tanquam tyrannus duntaxat, sed qui crederem mihi superesse ultorem: nunc autem tanquam orbus occumbo, nunc tanquam cui desit etiam mactator. Atque hæc ubi diceret, gladium adegit, tremens neque sat potens. Cupiebat quidem, verum non suppetebant vires ad facinus exigendum. Quot hic C supplicia? Quot vulnera? Quot mortes? Quot tyrannicidia? Quot præmia? Postremo spectastis omnes juvenem dudum prostratum, nec exiguum profecto, neque mediocrium virium opus, ac senem huic circumfusum, atque amborum sanguinem commixtum, libertatis illam & victorialem victimam, meique gladii facinora. At gladius ipse in medio amborum: declarans quam non indignum se domino præstitit: testansque quod mihi fidam navasset operam. Id si a me ipso fuisset patratum, minus fuerat futurum. Nunc autem illustrius est ipsa novitate. Atque ego quidem sum is, qui tyrannidem sustuli. Cæterum actio in multos est distributa, quemadmodum in fabulis fieri consuevit. Ac primas quidem partes egi ipse. Secundas autem filius. Porro tertias Tyrannus ipse. Nam gladius omnibus inservivit.

DECLAMATIO

DESIDERII ERASMI ROTERODAMI

NON ILLA QUIDEM VERSA, SED QUÆ SUPERIORI DECLAMATIONI, E LUCIANO VERSÆ, RESPONDEAT.



SI mihi causa hæc, judices, apud concionem popularem, quæ studiis potius, quam exacto rerum judicio duci consuevit, esset agenda, ac non magis apud judices ex honestissimis ordinibus delectos, nimirum gravissimos sapientissimosque: nonnihil profecto vererer, ne omnium animis nova hac & insperata lætitia gestientibus, atque (ut ita dixerim) exultantibus, nec satis attentos, nec dociles essem auditores habiturus. Porro faventes, benevolosque multo minus: quippe qui frontem modo, quasique personam hujus negocii intuentibus, non faciem ipsam propius contemplantibus videri fortasse possim, in communi totius civitatis gaudio, tum autem in causa tam populari, velut importunius obstrepere atque obturbare. Enimvero quum omnis affectus inutilis est ad recte judicandum, tum ingens, intemperans, atque exundans lætitia, non solum judicium omne funditus tollere solet, verumetiam nostri sensus non raro nobis eripere: præsertim (si quemadmodum hæc nostra) post graves diuturnasque calamitates, ac veluti tempestatem sævissimam repente præterque spem, quasi portus quidam, fuerit objecta. Quid autem tam acerbum liberæ multitudini, quam servitus? Quid tam dulce, quid tam exoptatum, quam libertas? Itaque non rebus modo ipsis, sed vel inanibus harum rerum vocabulis, plebis animus queat ad quidlibet impelli: maxi- E me primis his aliquot diebus, dum gaudiorum adhuc velut æstus quidam impotens, omnia sursum ac deorsum miscet, dum lætitiæ temulentia, dum gratulandi dulcis quædam ebrietas pectus occupans, animum ad cogitandum instituere non sinit. Verum vestra, judices, singularis sapientia, perspicacitasque, non hoc tantum scrupulo me levat, verum & hanc mihi fiduciam suppeditat, uti sperem futurum, ut hoc contradicendi munus, quod equidem nec invidentia, nec favore in Tyrannidem (sicut iste calumniabatur) sed solita mea, & (ut opinor) nota Reipublicæ caritate suscepi, vobis non modo non invidiosum, sed favorabile plausibileque videatur.

F Etenim postquam viderem manifesta quadam Deorum benevolentia, post diuturnam ac miserrimam illam servitutem, toties Reipublicæ votis expetitam libertatem aliquando contigisse, nihil prius curandum nobis esse judicavi, quam ut gratos nos exhiberemus in eos, a quibus nobis tam egregia felicitas esset profecta: quo videlicet munus suum huic urbi proprium, perpetuumque facere vellent, & constabilire, tuerique quod largiri non essent gravati: meminissemusque iisdem in manu esse, ut eriperent ingratis, quod optantibus dedissent. Sunt autem vel primæ gratitudinis partes, intelligere, videlicet, cui beneficium acceptum ferre debeas. Et hac una ratione mortales divinæ beneficentiæ gratiam referre possumus: si beneficium acceptum agnoscamus: si celebremus, si ad illos auctores referamus. Neque

que mihi committendum putavi, ut dum nimium candidi in civem esse volumus, in Deos ingrati, impiique reperiamur. Neque enim isthoc nomine nunc perinde laboratur, ne hoc præmii pereat ærario, & hujus lucris accrescat (quanquam id quoque longa jam Tyrannide exhaustius est, quam ut inde temere dari præmia conveniat immerentibus) Illud agitur, ne Dii immortales qui hujus male consulta nobis verterunt bene, hoc tantum munus a nobis tanquam ingratis reposcant, si quod ipsis solis debetur honoris, laudis, gratiæ, id illis fraudatis, in hominem contulerimus. At quem hominem obsecro? Nempe, qui quum privatus contra leges juvenem occiderit, atque hac temeritate sua restitutæ libertatis periculosam occasionem modo præbuerit, idque adeo imprudens (uti mox docebimus) non veretur pulcherrimum Tyrannicidæ titulum Diis eripere, sibi arrogare: Reipublicæ diem dicere, ac leges ipsas in jus vocare: civitatem ingratitudinis ream agere, nisi sibi totam hanc felicitatem ferat acceptam.

Nullum quidem, judices, facinus speciosius Tyrannicidio, nullum Diis dignius: verum hoc impudentior, qui sibi laudem tam eximiam usurpat immeritus. Nullum præmium honestius illustriusque, quam quod Tyrannicidæ debetur. Sed hoc impensius accuratiusque spectandum, ne temere decernatur indigno. Permulta siquidem, permulta ad id requiruntur, ut hoc tam egregio titulo, ut hoc tam divino præmio dignus quis esse videatur: quorum nihil in hunc competere, paulopost evincemus. Proinde quum non tolerandæ improbitatis mihi videatur, qui legibus tum homicidii, tum temeritatis pœnas debeat, eum a legibus præmium omnium maximum petere: petere dixi, imo flagitare, ut etiam si unum ex hujus arbitrio dependerint, tamen multa insuper isti creditori sunt debituræ, quæ cuncta quum postulare jure potuisset: maluit tamen homo verecundus, unico persoluto, reliqua sibi deberi: ut haberet, nimirum, quod obnoxiæ Reipublicæ quoties libido sit, possit improperare: Tum illud utrum risu potius, an odio dignum existimem: quod in tribunalibus, quod apud ornatissimum severissimorum judicum consessum, Thrasonem quendam nobis e Comœdia retulit? Sensistis, judices, ut e corona plerique risum tenere nequierint, dum personatus iste Hercules tragœdiam illam suam nobis recitabat: de sese terque quaterque Tyrannicida, de sapiente illo gladio commilitone suo, qui per se prudens senem interemit: digno videlicet, qui inter sydera collocetur, domino in Deorum numerum relato. Dii boni, quibus phaleris, quibus fucis, quibus ampullis facinus illud nobis suum ornavit, jactavit, exaggeravit? quam militari jactantia, quam Stentorea voce, quam fastuoso vultu, quam arrogantibus superciliis, quam stupidis oculis, suum ipse vobis encomium detonabat? Quæso, judices, ut etiam nunc hominis vultum diligenter attendatis: nonne vobis minitari videtur? nonne dicere? ni mihi præmium decreveritis, haud feretis impune, incolumi divino illo meo, ac fortissimo gladio, qui vel sine me, meas vices ubi lubebit, acturus est. Quis tandem istam ferat jactantiam, vel in eo, qui vere Tyrannum occidisset?

Hæc quoque me causa judices (neque enim inficiandum est) commovit, ut hujus obsisterem petitioni, vel magis, ut immoderatam arrogantiam, ut odiosam hujus imputationem retunderem. Videbam jam inde ab initio, quum certatim universa civitas Diis libertatis auctoribus grataretur, ut hic sese ira tumens in medium ingesserit, quam indigne tulerit victimas Diis servatoribus immolatas. Sibi hunc honorem eripi, sese unicum esse restitutæ libertatis auctorem proclamabat, leges, aras, focos, omnia publica, privataque, suæ dextræ, suo magnifico gladio deberi. Agite quid futurum denique judices, auguramini, si ad hujus intolerabilem jactantiam, vestra auctoritas, vestra comprobatio, si præmium quasi pignus accesserit? Quid, nisi ut Tyranno submoto, alter quidam huic civitati paretur, qui ventosæ linguæ, gloriæque quasi Tyrannidem quandam exerceat? Qui quotidie nobis odiosam istam suam tragœdiam ingerat, quotidie dextram istam Herculanam, & gladium prodigiosum minitetur? Utrum est hoc judices Tyrannide liberari, an mutare Tyrannum? Videtis ipsi quam minaci fronte me jam obtueatur. Quid mihi succenses? Quid minitaris oculis? Quid terres supercilio? An mihi non licebit libertate in contradicendo (tuo scilicet munere) uti, quum tu sic abutare? qui liberum tibi putaris (id quod etiam in proscenio leges fieri vetant) crimen tam atrox, tam capitale in civem impingere, tantum quia libuit, idque apud judices iratos, in tam frequenti civium corona, quod nequeas vel levissimo confirmare argumento. Si quidem quam reliqua gloriose, tam illud impudenter dicebas, mihi nullam fuisse causam, quare tibi contradicendi partes susciperem, nisi quo Tyranni necem, quæ me discruciaret, scilicet, ulciscerer. Quo quidem tuo exemplo si vicissim in te liberet uti, mox intelligeres quam atrocia, quanto probabilius in te possint retorqueri. Nam tuum istud tam invidiosum (quemadmodum tu quidem existimabas) convicium, me longe minus etiam territabat, quam (quod vulgo dicunt) ex pelvi redditum fulgur. Etenim præterquam quod neque affinitas, neque cognatio, neque necessitudo, neque emolumentum, neque prorsus alia res ulla mihi cum Tyranno intercessit, cur mea referret illum vivere, sine quibus rebus nullam in quenquam criminis hærere suspicionem tu quoque scires, nisi nunquam tribunalia vidisses, ac nisi hodie demum te lucelli spes fecisset Jureconsultum: equidem arbitror, meam fidem, integritatem, pietatem, totamque meam vitam sic huic Reipublicæ spectatam esse, ut isto crimine tibi potius improbitatis odium, quam mihi suspicionem ullam conciliaris. Vides quam multis adductus sim causis, ut tibi obsisterem. Denique (si scire vis) bona civium pars id a me enixissime flagitavit, ut sui patrocinium adversum te capesserem, negantes sibi videri Tyrannide liberos sese, nisi te a Tyrannicidæ præmio dejicerem. Non quod pudeat homini debere hanc felicitatem: tametsi id quoque durum, ei debere qui sic imputet. Sed debere arroganti, sane quam molestum est: at debere, cui non debeas, isthuc vero non gravissimum modo, verum etiam stultissimum. Equidem ne lenoni quidem vel verbo refrager, si modo is promereatur: sed obnoxium esse tam importuno imputatori, tum qui nihil juverit, id vero bis miserum est, bis stultum est. Nullus enim insolentius exprobrat beneficium, quam qui quod non dedit, id vult dedisse videri.

Sed finge mihi nullam esse causam cur tibi me opponerem, nisi quia sic animo lubitum sit meo, profecto nihil habes quod mihi jure succenseas. Etenim quum apud judices tam sanctos agatur: si vere præmium meruisti, non tibi honorem eripio, verumetiam vehementer illustro, quando non paulo magnificentius est tyrannicidæ præmium evicisse, quam tulisse. Sin minus, æquus veniam dabis, si boni civis fungor officio, si nullo meo emolumento Rempublicam debiti præmii ream defendo, si stultitiæ crimen, si imprudentiæ infamiam a civitate depello, si non sino, ut nostro omnium periculo hæc urbs in Deos existat ingrata. Postremo si Deorum immortalium causam ago, quibus honorem debitum tu conaris intervertere, ut vel hinc sat liqueat, quanta religione reliquam causam egeris, qui statim ingrediens tam impudenter sis calumniatus: Contradicit, igitur contra Rempublicam, favet Tyranno. Quanquam ego illud quoque liberæ civitatis esse judico, hoc loco vel Tyrannorum causas citra fraudem agere licere. Neque tamen a vobis postulo judices, ut vel mihi prosit in causa hoc meum erga Rempublicam studium, vel huic obsit tam insolens arrogantia: imo non deprecor invidentiæ suspicionem, non refugio vel atrocissimam illam, quam iste mihi conabatur impingere, invidiam, ut Tyranno favisse videar, nisi certioribus, quam ut a quoquam refelli possint, argumentis evinco, nisi demum & adversario persuadeo, modo ne tergiversetur, ut quam maxime civiliter quis agat, nullum ei deberi præmium: Sin exactius, severiusque, pœnam etiam ab ipso deberi. Quæ quidem dum quam potest brevissime facio, quæso, judices, ut me attentis animis atque auribus audiatis!

Meministis, judices, ut iste inter dicendum subinde nobis conatus sit ob oculos ponere, id unum spectare jusserit, quantis malis Tyrannide simus levati. Hoc passim inculcabat, hac re bonam orationis partem occupabat, nihil nos aliud perpendere voluit, nisi quod gravem servitutem tolerassemus, nunc optata libertate frueremur. Nimirum, id tantum vos spectare voluit, quod ad hoc judicium nihil attinebat. Neque enim hoc in quæstionem venit, quam misera sit Tyrannis, quam optanda libertas. Sed de illo cognoscitis judices, quum libertas huic urbi sit restituta, quan-

ta hic laudis portio hujus virtuti debeatur, & an id quod eventu cum hujus facto conjunctum est, idem cum ejus merito conjunctum videri oporteat. Relegam autem eadem vestigia, quibus ipse in causam ingressus est, quod equidem refellendi genus simplicissimum esse puto: sequarque partes illas, quibus iste rem secuit; id nimirum, agens, ut quemadmodum ingeniosi convivatores iisdem carnibus alio atque alio modo coquendis, condiendisque efficiunt, ut multa opsoniorum genera videantur, itidem iste nobis ex unico homicidio multa faciat tyrannicidia. Repetam igitur ordine gradus illos, quibus iste facinus suum sibi visus est mirifice attollere, & in quibus identidem restitabat. Quod si me deturbante, vel in uno quolibet consistere poterit: tum ipse sese victorem pronunciet licebit.

Quot tyrannicidia, inquit, quot præmia? Primum quod volui, deinde quod conatus sum. Tum autem quod filium occidi plusquam tyrannum. Postremo quod pater ob mortem hujus sibi necem conscivit. Principio quod voluit judices, quis non levius esse videat, quam ut sit refellendum? nisi quod iste tanta voce intonabat, toties inculcabat, quod Tyrannum voluisset occidere, atque id (ut nihil jam accideret) tamen præmio dignum asseverabat. Quid autem tam ridiculum, quam nudæ voluntatis præmium a lege flagitare? quæ adeo nihil ad se pertinere putant, quid velint, aut in animo statuant homines, ut neque pœnam irrogent, si quod velis modo perperam, neque præmium ostendant, si quid officiose velis: verum id unumquemque voluisse interpretantur, quod nulla vi coactus effecerit. Ergone, inquies, non magna facti pars est voluisse, quod quidem arduis in rebus vel solum sufficere solet? Recte sane. Sed apud Deos modo: quippe quibus solis perspicuum est quid nolis aut velis, ab his præmium exspectandum, si quid præclarum animo conceperis. Lex hominum vices agit, & quid in obscuris illis sinuosi cordis specubus mortales agitent, adeo sua referre nihil putat: ut non dicam abdita aut suspiciosa, sed ne ea quidem admittat, quæ populari sunt opinione famaque jactata. Postremo ut non nisi comperta recipiat, non audiat nisi quæ sunt certissimis argumentis deprehensa, probata, evicta. Cedo quod est facinus tam nefarium, cujus simplex voluntas in crimen unquam est vocata? Ista judicia Æaci, Rhadamantique tribunalibus servantur. Hic mihi non quid volueris, sed quid feceris adferto.

Quod si nulla lex ulli flagitio supplicium minatur quod in animo statueris, quæ tandem est impudentia, pro merito quod præstare volueris duntaxat, perinde quasi præstiteris, a lege quasi præmium postulare? Quæ quidem quum ad id unum sit comparata, ut maleficia vel deterreat, vel coerceat, multoque magis ad ejus partes pertineat, nocentibus irrogare pœnam, quam bene merentibus largiri præmia (id quod mox copiosius demonstrabimus) posteaquam in criminibus non accipit insimulationem meræ voluntatis, quæso te, in petendis præmiis ostentationem voluntatis admittet? Quis autem est civium vel quantumlibet ignavus, qui non velit Tyrannum occidere, si tuto liceat? Quis non vel leno, saltem emolumenti causa velit? Denique quis non facile simulare possit voluisse se: videlicet, quo præmium gratis auferat? Vis itaque dicam, quantum hoc totum habeat momenti, voluisse occidere? Nempe, perinde est, quasi te somniaris occidisse. Par pari pensari convenit. Qui præstitit beneficium, ei lex beneficium rependit: at qui bene voluit tantum, ei quid debetur, nisi ut vicissim bene velit Respublica. I nunc, & hoc in gradu nos jube consistere. Rem tam eximiam, inquis, animo versavi, statui, decrevi: an præmium negabitis? Non fraudaberis præmio, si isthoc nomine postules: verum illud interim præmii feres, velut homo nimium perfrictæ frontis, irrisus, explosus, exsibilatus discedes, quem non puduerit id a lege postulare, quod ne leno quidem ausit a quoquam petere, ut rem pro voluntate auferat, nemo tam vecors qui concedat, ut voluntatem nescio quam, hoc est minus quam verba, precio redimat.

At non volui tantum, inquis: verum & periclitatus sum, adscendi, submovi satellites. Primum isthuc tu quidem consulte facis, quod de gradu illo desilisti, in quo nimis profecto incommode stabas, quanquam ne in hoc quidem multo commodius constiteris. Nam etiam si paulo minus absurdum videatur, haud ita multo minus impudens tamen est, quum lex palam præmium decernat ei, qui factum præstiterit, te quod conatus modo sis, præmium poscere. Ergo ne hoc quidem juris erit apud te legibus, quod per illas est civi privato cum cive privato? Age quid si quis civium tecum iniisset contractum, ita ut ille pecuniam stipulatus, tu conditionem pactus esses, mirum ni suo uterque periculo, atque is nondum præstita conditione, nummos his verbis abs te petat: Cedo mercedem, conatus sum, tentavi, adnisus sum: an non protinus impudenti homini respondebis: Cedo conditionem? Nam de tuo conatu quid mea refert? quandoquidem effectum abs te pactus sum, non conatum. Puta totidem verbis tibi nunc respondere legem: Agnosco contractum, non muto pacta: debeo præmium, sed si tu conditionem præstitisti, si tyrannum occidisti. Verbis aut obligantur, aut absolvuntur homines. Si conato pollicita sum præmium, non gravabor dare: sin ei qui facinus peregisset, quod tandem jus est te ferre quod es stipulatus, me non ferre quod sum pacta. In privatis ac minutis contractibus nemo tam improbus invenitur, ut lucrum conditione promissum postulet, non præstita conditione, nemo tam stultus ut det, si quis postulet: & tu a Republica maximum omnium præmium postulas, quod conatus modo sis? Nihil mihi nisi nugas adfers, donec illud unum audiam, quod te præstare oportebat.

Volui, inquis, ascendi, perrupi custodias, submovi satellites, quantulum jam est illud quod superest? Quid adhuc desideras? Nempe, nihil in te desidero præter illud, cui soli debebatur præmium. An non intellexisti in istiusmodi contractibus duplex esse periculum: quorum alterum ad hunc tantum, alterum ad illum proprie pertineat: videlicet, persolvendæ mercedis, & præstandæ conditionis. Ego meo periculo præmii dependendi onus recipio, neque tua referre putes, neque refert quam angusta mihi res, unde corradendum quod debeam precium. Tu itidem conditionem tuo suscipis periculo, neque mea quicquam interest, quo sudore, quo periculo sit ea tibi præstanda. Totam istam curam, totum hoc negocium tibi relinquo. Quod si ego jam præstita abs te conditione, commemorem tibi in agris meis male provenisse segetes, merces naufragio periisse, nihil avelli a malis debitoribus, non sine gravi dispendio conflari posse pecuniam, quam tibi debeam, dic obsecro, nonne nugas agere me dices, negans horum quicquam ad te pertinere? Hoc uno modo posse satisfieri tibi, si pecunia numeretur. Neque quisquam est judex tam iniquus, quin te tuo uti jure fateatur. Et mihi pulchre satisfactum existimas, si tu mihi tragœdiam adferas, quantum adieris periculi, quantum sudorum, quantum vigiliarum exhauseris, dum studes præstare conditionem? Res est (mihi crede) calumniosior, scrupulosiorque, quam ut legibus tam occupatis conveniat, alienam expendere voluntatem, alienos pensiculari conatus: quorum suos quisque nimio solet æstimare, non suos difficile est adamussim perpendere. At facti, facilis est æstimatio. Proinde ea in legis cognitionem cadit: hinc reliqua omnia consuevit metiri. Tametsi non piget interdum æqui bonique rationem habere.

Verum in his litibus, quæ de vetere illa formula pendent, inter bonos bene agier oportet: at in contractibus, quæ neque vi, neque dolo coierunt, quid est quod a præscripto recedatur, nisi quis velit omnino a pactis discedere? Quid vis? Circumspice, & si potes usquam invenire exemplum, non nego præmium. Sæpenumero in pugilum Olympicis, sæpe in certamine spectator (opinor) sedisti. Cedo, num quando vidisti quemquam tam impudentem, qui palmam sibi hoc nomine vendicaret, quod strenue certasset? Non arbitror, atque id in re pene ludicra, certe ad voluptatem comparata. Et tu in tam serio, omniumque splendidissimo negocio, id tibi postulas, quod in Scenicis illis pudeat vel impudentissimum tentare? Age quoties & illud vidisti evenire, ut qui sese fortissime, doctissimeque gessisset in cursu, is a præmio longissime abesset, & ignavissimo faveret eventus? Habeat ille sane quod causetur, excidisse habenas, consternatum equum, fractam rotam, jactet se vel arte, vel viribus tanto præcellentiorem, quanto Thersitæ præstitit Achilles, nisi metam prior attigerit, profecto postulandi præmii jus nullum habebit, fortunam suam incusare licebit. Cæterum Agonothetæ non indignabitur: propterea quod hoc animo in certamen descenderit, ut ejus uteretur con-

conditione, id est, ita demum præmium ferret, si virtuti fortuna favente vicisset. A Alioqui si conatui, non tantum effectui præmium deberetur, tot palmis esset opus, quot in Olympicum certamen venissent. Quanquam in hujusmodi ludis, qui solennitatis, voluptatisque gratia proponuntur, fit interdum ut victis quoque præmia statuantur, non honoris, sed solatii gratia: verum seriis in rebus atque adeo periculosis, quænam obsecro lex unquam mercedem statuit, nisi si quis facinus peregisset: & ita peregisset ut omneis numeros implerit? A quo tu quantum absis, mox audies: nam nunc de conatu tantum agimus. Lex igitur civicam promittit coronam ei, qui civem in bello servarit. Quis unquam ad hunc honorem vel aspiravit, quod se telis objecerit, quod non sine multis vulneribus discesserit? B Profecto nisi cive servato, nemo civicam petit. Quis unquam his verbis muralem petiit. Acriter contendi judices, ut mœnia superarem. Omnia feci, sed depulsus sum. Quantumlibet enisus sit, nisi conscenso muro, nemo tam inverecundus ut muralem coronam sibi deberi dicat. Obsidionalem nemo flagitat, nisi depulsa obsidione. Postremo nullus honos petitur, nisi ab eo qui id effecerit, ad quod honor invitat. Qui navim in tempestate desertam, ad littus perduxerit, huic ex lege vendicatio est earum rerum, quæ navi vehebantur. Quorsum attinet hic tuam jactare peritiam, sudores, pericula, conatus? Nihil non feceris, quo navem in tutum reduceres, sed victus tempestate deseruisti, audebis quicquam ex his quæ sunt in navi, tibi vendicare? Aut si ausis, futurum speras, ut quisquam te vel pilum sinat attingere? C Non opinor. Si quis unquam ovationem, supplicationem, triumphum obtinuit, quod ad victoriam omnibus nervis esset enisus, quod gnaviter se gesserit in bello, nisi superior discesserit, nisi præscriptum a lege numerum hostium fuderit, aude & tu tibi præmium promittere quod tyrannicidium sis aggressus.

Quod si nemini hominum memoria contigit, desine tibi nova spe blandiri, desine inaudito exemplo postulare, quod sperare sit improbissimum, dare postulanti stultissimum. Noli nobis commemorare, quanto capitis periculo murum arcis conscenderis, qua virtute satellitium Tyrannicum perruperis, alios depuleris, alios occideris: quorum maximam partem tibi liberum est fingere. D Ad obtinendum tyrannicidæ præmium, duobus duntaxat verbis est opus, Tyrannum occidi. Quantumvis conatum exaggeres, alleves, attollas, non nisi tyrannicidæ debetur præmium. Alioqui quid dices si eodem illo die, quo tu arcem conscendisti, permulti pariter aggressi, sua quisque virtute freti: quorum nemo tamen tyrannum interemisset: utrum omnes tyrannicidæ præmio potientur ex æquo, nempe quia conati? Age quid si multis strenue rem aggressis, uni cuipiam qui sit omnium ignavissimus (ut non semper virtuti respondet fortuna) eum contingat interficere, an non præteritis reliquis hic unus honorem auferet? Quamobrem tandem? Non quia plus adierit periculi, sed quoniam id confecit, cui lex honorem decrevit. E

Hic tu fortasse rursus incipies deplorare, frustra sumptam operam, negabis æquum esse virtutis egregios conatus merito fraudari præmio, nisi fortunæ suffragio adjuventur. Sed quæ tandem potest esse iniqua conditio, quam nemo compellitur accipere, nisi cui cordi sit? Quantumlibet iniqua conditio proponitur, eam nimirum facit æquissimam, quisquis suapte sponte recipit. In aleæ ludo (si fas est hoc exemplum conferre) quid iniquius, quam vel summum artificem ab imperitissimo superari, si modo jactus commode cadat. Atque id adeo nemo tanquam iniquum causatur: propterea quod cui lusus hujus lex non probatur, ei liberum erat non suscipere. F Itaque lex quid præstari velit, id palam atque in medio proponit. Quid abs te præstari possit, id tibi relinquit expendendum. Illa nihil mavult, quam ut res quam optime cadat: quod si posteaquam nihil jam intentatum reliqueris, quo minus effeceris, per fortunam stetit, intelligis (opinor) nihil habere te, quod legi succenseas. Fortunam, si ita lubet, in jus voca, cum lege nihil tibi rei: quæ ut nihil promittit, ita nihil debet, nisi præstanti. Neque vero existimemus, judices, istud a majoribus qui hanc legem tulerunt, sine summa ratione fuisse factum, ut conato præmium non esse statuendum putarint: videlicet, illud caverunt, non tantum ne ancipites istas & inexplicabiles hujusmodi de conatu lites invitarent, verum etiam quod intelligerent tyrannicidii conatum non posse, nisi summo civitatis periculo suscipi. Unde futurum prospiciebant, ut si conatui præmium statuissent, temeritate conantium Respublica subverteretur potius quam restitueretur. Etenim tyrannis quid aliud est quam grave capitaleque civitatis ulcus? huic si quis medeatur, ei merces digna proposita est, quam ita demum ferat, si remedium præsentaneum attulerit. Verum huic malo neminem oportet admoliri manum, nisi certum artificem, qui sua diligentia peritiaque fretus, non sinat hoc licere fortunæ, ut dum ipse salutem dare conatur, illa vitam penitus eripiat. Quid? utrum tu igitur in ejusmodi discrimine conatum præmio judicas invitandum esse: an potius pœna deterrendum, nisi quod conatus est quispiam, idem præstiterit?

Nec illud te sublevat, quod mihi videbare ratiocinando colligere, quum lex in maleficiis pœnam irroget simplici sceleris molitioni, par esse ut multo magis in benefactis conatus habeat rationem: nam oportere legem multo propensiorem videri ad compensandam virtutem, quam ad retaliandam culpam. Atque vide quam hic tota erras via. Principio non animadvertis hoc tyrannicidii facinus toto genere a reliquis discedere, propterea quod aliorum molitio cum privato molientis periculo modo conjuncta est: hujus cum publico Reipublicæ discrimine copulata, ut temere moliri tyrannicidium nihil aliud sit quam temeritate privata rem omnium prodere. Deinde lex nec in quovis crimine, nec qualemcunque conatum in quæstionem venire sinit, verum in paucis duntaxat, quæ vel propter insignem atrocitatem hoc odii merentur, vel ejusmodi sunt, ut prius exitium adferant, quam conatus dent significationem: quod genus parricidium, veneficium, proditio. Postremo non vides nihil esse simile, totaque natura rationeque discrepare, pœnæ legitimam irrogationem, & honoris largitionem. Nam alterum quidem proprie legum munus, alterum quasi quædam de jure concessio, legisque candor (ut ita dixerim) quidam est. Hoc ita habere sic demum intelliges, si reputes quam multa sint quæ lex jubeat, addita pœna ni pareas: quam multa item vetet, nisi obtemperaris supplicium minitans: contra, vix unum atque alterum esse, ad quæ præmio sollicitet. Quædam enim ejusmodi sunt, ut durum ac servile videatur ad ea metu mali adigi: quo de genere sunt, uxorem ducere, operam dare liberis. Hic lex, nimirum, urbanius ac verecundius tecum agit, patris non magistratus sumit habitum, precio ad id invitat, quod alioqui gratuito te præstare decebat. Rursus alia tametsi id genus sunt, ut a quovis non improbo cive præstari velle oporteat, tamen & fortiora videntur, quam ut a multis præstari queant: & periculosiora, quam ut multi velint suscipere: nam inhumanum videtur cuiquam vitæ suæ contemptum imperare: ad hæc igitur præmio animat, quasique calcar addit virtuti.

Proinde non oportet hanc legum indulgentiam longius trahere, quam ad quæ semel ipsa astringit. Nec mirandum est si attentior, si vigilantior, si exactior est in proprio naturalique munere suo, quam in eo in quo pro temporis ratione, in alienas partes descendit. Huic astipulatur illud, quod novis etiam criminibus exemplum, aut novum nova lege solet institui, aut a simili lege mutuo sumi. Neque tamen idem fieri consuevit, si quis quid novi facinoris cum laude patravit, ut præmium a simili constitutione decernatur, nisi lex exstet, quæ nominatim honorem statuat ejus facto, quod roget, vix habebit: quod postulet, haudquaquam. Cur enim legi necesse sit passim civium suorum officium mercede redimere? quandoquidem ne sit impunita improbitas, id publicitus omnium refert: at probus esse nemo gratis potest. Quid autem est quod non vel gratus patriæ debeat civis? cui si vel animam impenderis, quid mirandum, si quod acceperas, id restituis? Ut supplicio dignus sis, nisi parenti pietatis officium persolvas, non præmium illico tibi debeatur, si persolvas. Itidem, si quid in leges committas, non potes effugere supplicium: at non statim illæ tibi præmium debituræ sint, si quid cum officio feceris. Nam si cives omnes sese in officio continerent, ne opus quidem esset ullis legibus: quippe quæ non ad bonos mores comparatæ, sed malis e moribus natæ sunt, id quod vere vulgo dictitant, ac pharmaci vice fungantur. Finge itaque nullas esse leges, quemadmodum de aureo Saturni

seculo fabulantur Poetæ, suo quemque sponte fungi officio: an tu hic clamabis perire benefacta, quod nulla lex præmium decernat? Uti lex non minatur nisi improbis, ita non pollicetur optimis civibus. Quorsum enim opus promisso, quum virtus absoluta abunde seipsa contenta sit? Proinde petere quod illa non sit pollicita, profecto plus quam impudentissimum est: improbe flagitare quod ea candide civiliterque promiserit, civis est probitatis non satis spectatæ.

Tu quid merueris, paulo post excutietur: interim finge sane præcipuam quandam utilitatem attulisse, cui tamen ex lege præmium non debeatur. Utrum protinus clamitabis infrugiferum fuisse officium, civitatem in jus vocabis, plebem ingratam vociferabere, minitabere judicibus, nisi tibi mercedem ex animi tui sententia decernant? An potius ipsam virtutem abunde magnum sui præmium judicabis? Oblectabis te conscientia recti. Hunc esse maximum fructum officii duces, quod de aliis citra tuum emolumentum benemerendo ad Deorum benignitatem videaris accedere? Nimirum hæc tibi futura sunt satis, si modo civis sis optimus. Quod si non contentus istis, aliud adhuc nescio quod præmium desideres, certe maximo proximum est gloria: hoc tu jam propemodum tulisti. Quanto metiris precio, volitare per ora mortalium, celebrari, laudari, digitis notari mille, oculos omnium in te conjectos circumferre? Ista, inquam, vel maxima præmii pars: nam pecunia sane quam exiguum momentum adfert.

Tu conatus duntaxat es, permagna portio, vel caput potius ipsum tuo deest facinori. At quum interim his rebus frueris, dum non occiso tyranno, tamen velut tyrannicida celebraris, quæso te, quantula pars abest a tuo præmio quod laturus eras, etiam si tyrannum occidisses? Postremo isthuc ipsum præmium, pene dixerim, invidendum mihi videtur, quod jam tibi licuit toties Reipublicæ tyrannicidium imputare, quod in celebri judicio tibi contigit honestissimum præmium flagitare, & in tam frequenti theatro spectante Republica magnificam istam tuam tragœdiam peragere. Mihi videtur, judices, beneficii tulisse gratiam, quisquis exprobrare beneficium potuit. Tu fortunæ, tu Deorum munus imputas civitati, & sunt fortassis qui tibi libertatem acceptam ferant. An hæc tanta præmia contemnis? quæ vel vero tyrannicidæ sufficere debuerant, nisi lex maluisset præmio conatum ab effectu distinguere. Quanquam nullum me hercle præmium magis congruit ei, qui tyrannum conatus sit occidere, nec occiderit, quam ut illi contingat tyrannicidæ præmium sperare, nec ferre tamen. Hiccine erat ille gradus, in quo nos tecum commorari jubebas? Quanquam hoc nomine tuus conatus minus promeretur præmium, quod aliorum proposito fortuna modo defuit, tibi voluntas, ut ais. Effecisti quod voluisti: id quod erat necesse, nec fecisti, nec voluisti.

Sed jamdudum alium gradum (ut video) circumspectas, in quem te recipias: nam in hoc quam citra omnem præmii spem consistas, intelligis. Age sequemur te per omnia, & aliunde alio fugitantem persequemur, nec usquam finemus consistere. Atqui non tantum aggressus sum inquis, verumetiam occidi, nempe, filium, atque id facinus in duo secas tyrannicidia, & quod filium sustuleris plusquam tyrannum, tum tyrannidis successorem: & quod parenti, necato filio, mortis causam ministraris. De illo mox: nunc hoc cujusmodi sit inspiciamus. Parentem ais abs te, jugulato filio, eadem occisum opera: negas enim referre, qua via peremeris, modo sustuleris: imo splendidius istuc videri vis, quod tuo quidem ense, verum ipsius dextera sit interemptus. Hæc tam honesta, judices, oratio possit parum attentum fallere, præsertim hoc rem fucis illis suis & phaleris venditante, dum nobis ob oculos ponit validum illum florentemque juvenem, sic patri adamatum, crebris vulneribus confossum: parentem senem miserum, illi circumfusum, eodem exanimatum ense, sanguinem utriusque inter se confusum. Ista quidem dictu splendida, sed quid ad tuam causam attinent? Nemo tam cæcus qui non videat, nemo tam effrons qui neget, spectaculum illud multo omnium jucundissimum exstitisse civitati, quum senem tyrannum juveni videret incumbentem, exanimem exanimi, & in altero gauderet sese levatum malis præteritis, in altero futurorum metu. Hæc quum per se maxima, quum Reipublicæ sint gratissima, quid attinet verbis exaggerare?

Illud unum in hoc judicio vertitur, utrum tibi acceptum ferri oporteat, quod pater sine controversia tyrannus occisus est, an fortunæ Superûmque dexteritati. Quod enim tuo gladio peremptus est, id vero quam est futile nihilique? Quid si tuo gladio ab eo qui eum utendum abs te rogasset, tyrannus esset necatus, num tu protinus tyrannicidæ præmium petitum venires? Lex occisori pollicetur honorem, tu eum jugulasti, de quo certe controversum esse poterat, tyranni nomine censendus esset necne, eum de quo nihil erat dubitationis reliquisti. Si prudens, prudens excidisti a præmio: sin metu, multo minus etiam causæ est postulandi muneris. Verum illud tute vehementer urgebas, uti prudens volensque reliquisse viderere. Sed quod tandem erat istud tuum consilium, quum tibi sic in manu esset, non toto metu liberare Rempublicam sed ultorem tui facinoris, & verum certumque tyrannum relinquere? intelligebas (ut ais) omne negocium confectum exstincto juvene, propterea quod modis omnibus futurum præscires, ut senex illico sibimet eodem gladio necem conscisceret. Videte, judices, in manifestissimo mendacio qua rima conatur elabi: nisi divinandi scientiam commentus fuisset, non poterat hinc explicare sese. Siquidem hæc vel augur, vel haruspex, vel vates diceres, fortasse nonnullos invenires qui ista prædicanti fidem essent habituri. Nunc quid impudentius? quid vanius? quid veri dissimilius? quam asseverare, id certum præscisse te, quod tale sit ut quivis alius exitus potius fuerit exspectandus? An conjecturis es assequutus id eventurum quod evenit? At quid aliud effici conjecturis poterat, nisi ut vel sperares, vel suspicarere? Porro in re tam ancipiti, quæ dementia erat spem incertam sequi, discrimen certum negligere?

Sed audiamus obsecro certas illas conjecturas, quibus hic noster vates præsensit inopinatum omnibus exitum. Jam ætate fessus erat, inquis, jam viribus defectus, nec obtineri jam autumabat posse tyrannidem adempto filio. Tum indulgentius amabat, quam ut filio vellet esse superstes. Nonne sentis hæc adeo non esse naturæ rerum consentanea, ut jam omnibus videantur esse confutata, vel priusquam refellantur? Utrum seni mentem ullam fuisse putas, an non putas? Si non putas, fieri potuit ut illi tutum videretur, quod neutiquam erat tutum, atque ita protinus toto fallereris augurio: sin putas sapuisse, cur erat quod usque adeo diffideret? Quasi vero tyrannis viribus duntaxat unius hominis, ac non multo magis ingenio, versutia, calliditate, largitione, crudelitateque contineatur: quæ omnia si magis in senem quam in adolescentem competunt, cur tu in diversum torques augurium? An non illa ætas usu rerum callentior est? an non altius dissimulat? an non cavet diligentius? an non prospicit oculatius? irascitur implacabilius? tenacius injuriæ meminit? meliusque in longinquum consulit? His solis rebus imperium tyrannicum administratur. In militiæ duce quantulum est illud momentum, quod corporis vires adferunt? at in tyrannide profecto multo minus. Cur magis illum terreret ademptus filius, quam exstinctus satelles quispiam audacior? quum arx superesset approbe munita, superessent opes, arma, satellitum ingens agmen, tot in civitate factiosi potentesque, qui non solum tyranni partes adjuvabant, verumetiam tyrannos agebant: quos equidem spero nunc nobis non esse metuendos (nolim enim infausta ominari) at ita tamen, ne nimium secure negligantur. Usque adeone senem cruda viridique (quod omnes norunt) senecta callidum, animosum, ambitiosum, non stultum, una filii mors consternavit, ut rebus desperatis protinus e vita sibi migrandum duxerit? præsertim quum ille patris dominatum nihilo reddiderit tutiorem, sed multo invidiosiorem, idque ob libidinem, atque ætatis insolentiam temeritatemque, adeo ut expedierit propemodum illi ad stabiliendam tyrannidem filium e medio tolli. Etenim quo propius ad justi regni speciem accesserit tyrannis, hoc minus est invidiæ obnoxia, magisque tuta. Juvenis ille solum hoc augebat, quod maxime tyrannos solet evertere. Vera illa tyrannidis munimenta in callidi senis pectore erant collocata.

Sed tenerius adamabat filium, quam ut defuncto posset superesse. De matercula quapiam privata loqueris, an de viro sene, callido, crudeli, denique tyranno? Quid ego judices in eo sermone argumentis coarguendo summam operam, quem ipsa natura, quem mos, quem communis omni um

um sensus repudiat? Quis unquam isthuc audivit? tyrannum usqueadeo pio in liberos fuisse animo, ut non dicam commori voluerit, sed convivere commode quiverit? Credite mihi, privatorum isti sunt affectus, Tyrannus neque quid natura, neque quid pietas, neque omnino quid sit officium novit. Exuit hæc omnia, simul atque tyrannum induit. Omnia commodis, omnia metu, omnia necessitate metitur. Solos hos amat (si quos tamen ille amat, qui vel Deos ipsos odit) quos aut metuit, & tollere nondum expedit, aut quorum opera ministerioque ad fulciendum imperium indiget. Quod si ullos ille posset amare, similes certe sui diligeret, impios, violentos, rapaces, scelestos, quando nihil ad conciliandam caritatem efficacius morum similitudine. Atqui ne improbi quidem illi cari sunt, nisi quatenus adjuvant, adeo ut præposterum, vel perversum potius quendam Stoicum tyrannus exprimat. Neque enim quisquam tam Stoicus fuit, ut æque vacarit omnibus affectibus atque tyrannus: hoc modo illos discernit, quod Philosophus honesto metitur sua consilia, hic commodo. An ille ullum pietatis igniculum in quemquam mortalium sentire potuit, qui in patriam vitæ parentem altricemque, qui in cœlites omnium bonorum auctores tam sit impius, ut illam crudelissima opprimat servitute, horum fana despoliet, jura contemnat?

Verum ut largiamur tibi nonnihil, sinamusque te privatos affectus in tyrannicum pectus, hoc est, ignem in flumen transferre, an tandem persuadebis illud, usqueadeo indulgenter illum adamasse filium, usqueadeo in eum omnes vitæ suæ spes, voluptates, opesque semel contulisse, ut illo sublato, ne minimam quidem vitæ causam sibi reliquam esse putaret? Repete, non dicam ex hac civitate, verum ex universo mortalium genere: non ex hoc seculo, sed ab orbe condito, & ab ipso (si vis) Promethei simulacro. Quotus quisque fuit pater, quota quæque matercula, quæ ob liberorum necem sibi fatum accersiverit? Naturalis hic dolor, & quem nemo fere non modeste ferat. Privatis parentibus vel indulgentissimis, muliercularum intemperatissimis affectibus mediocris luctus sufficit, tyranni in filium caritati non nisi solam mortem satisfacturam esse tu Lynceus prævidebas? Age, hoc quoque tibi donamus, vicerit homo tyrannus privatorum in liberos pietatem, vicerit indulgentes materculas omneis, qui tibi compertum esse potuit, utro se dolor paternus inclinaret? In rabiem, an in desperationem? Quo diligebat impotentius, hoc erat probabilius, ut senex natura ferus, civibus infensus, vel maxime vellet esse superstes, vel ob id denique quo veterem illam iram, tunc filii nece acerrime exasperatam irritatamque Reipublicæ suppliciis saturaret. Quod si alias vitæ pertæsum fuisset, hæc nimirum una causa poterat illum in vita retinere. Quid autem senili animo vindictæ cupidius? An nescis quam impotentes ætas illa concipiat impetus, quo rapiatur æstu, quo flagrare soleat incendio, si quando atroci insignique contumelia lacessatur? Quæ vero potuit esse atrocior, quam filii cædes sic amati, ut tu quidem ais? Hæc nimirum quicquid in illo fuerit unquam crudelitatis, quicquid sævitiæ, quicquid immanitatis: si qua sanguinis sitis, si qua suppliciorum fames, denique si quid tyrannicum, id omne semel de integro poterat excitare quasique renovare. Mitiora etiam animalia, datæ orbitatis injuria, in rabiem solet agere, & tu in tyranno (quo nullum animal immitius) nihil tale metuendum esse certissimus augur existimasti, quod in Tigribus videmus evenire? Quod si tibi uni compertum erat tyranno sic in deliciis esse filium, quid igitur aliud tua fiebat opera, nisi ut sævissima illa Tigris, rapto catulo, in rabiem versa, in miseram hanc civitatem dilaniandam discerpendamque insiliret? Id si non evenit magna Diis gratia, tibi magnum debetur malum: qui quantum ad te pertinet, tam diram belluam in nostra capita fortunasque immiseris.

Elige nunc utrum malis, an verum fateri, nihil fuisse tyranno cum nostris affectibus commune, an confingere sic adamasse, ut matercularum quoque vicerit delicias. Certe neutro modo tua constabit divinatio: quæ nisi constiterit, non est quod ad ejus rei laudem aspires, quæ fortunæ commoditate te imprudente evenerit. Postremo donemus & hoc tibi, ut præsciveris, & certum præsciveris, Deo videlicet quopiam te certiorem faciente (nam alioqui fieri nequaquam potuit) perinde est ac si non præscieris, quum præscientiæ istius fidem legi facere non possis. Profer qui-

A bus prædixeris id eventurum quod evenit: doce quis Deorum quando isthuc tibi prænunciarit, nihil habes quod dicas. Verum posteaquam rem feliciter evenisse videres, tum demum post factum vates esse cœpisti, quemadmodum vulgo tum fieri, tum dici consuevit, post eventum stultos etiam sapere: & quo fortunæ beneficium verbis in te transmoveres, tragœdiam istam nobis comminisci cœpisti, causas reperisti, quibus præscisse videare. Sed Dii boni, quam non bonum Poetam te præstitisti, qui tam inconsistentia, tam cum natura pugnantia finxeris, sævissimum tyrannum ob pietatem erga filium ultro vitam fugisse: ob unius capitis necem tutum sibi non putasse in vita commorari, quum omnia superessent quibus tyrannis & paratur & obtinetur,
B sublato eo in quo omne tyrannidis præsidium collocarat, repente rebus suis diffisum ad inferos abiisse. Age, mitto nunc argumenta, hæc omnia vera, non ficta credemus esse, tametsi ne fucum quidem ullum habent veri, si mihi ex omni hominum memoria vel unum tyrannum potes nominare, qui liberos suos sic adamarit, ut non spadones ac pallacas longe prætulerit: qui sic illis indulserit, ut non suspectos haberet observaretque; qui sic illis sit fisus, ut non in barbaris quibusdam latronibus, ac servis stigmaticis plus quam in illis fiduciæ posuerit. Ego tibi permultos referre possim, qui filios sic oderint, ut vivos esse pati non possent: adeo metuerint, ut ne cibum quidem una capere vellent: adeo diffide-
C rent, ut tum demum se tutos esse putarent, si quis illos e medio submovisset. Nullus inutilior tyranni satelles quam filius. Ex extrema barbarie conductitios mavult ille sicarios, fugitivos, homicidas, sacrilegos: his vitam suam mavult committere, qui sua patria frui non possint, & alienam evertere gaudeant, qui barbaricis ferinisque viribus antecellant, & gigantes illos impios referant, qui propter animi cupiditatem non difficile ad quidvis periculi suscipiendum perducuntur, & propter ingenii feritatem a nullo facinore abhorrent. Hi sunt idonei tyrannorum ministri, hi fiducia, munimentum, præsidiumque tyrannidis multo tutissimum: hos si quis ademerit, causam videatur dedisse, cur rebus tyrannus diffidat. Nam filius qua tandem ratione dominatum
D sustinebat: Ætate? at utilior ætas grandior. Robore? unus erat. Prudentia? magis sapit senecta. Custodiis quas obtinebat? at si adversus patrem obtinebat, mors illius seni etiam optanda. Si patris nomine, quid nisi unus satelles ademptus erat? Nam custodiæ quo deficerent, nisi ad eum cui alebantur? Tutior igitur erat futurus tyrannus amoto filio. Res enim tyranno suspecta, filius violentus & insolens, propterea quod reliqui illi Barbari solo lucro contenti sunt. Filius illud præmium spectat, tyrannidis successionem. Nec ullus pietati locus ubi mentem possidet dira regnandi libido. Ibi contemptis naturæ legibus, & filium horret pater, & patris interitum optat filius. Sed dicturis jamdudum nescio quid: mane, præsensi, nihil inexpugnatum omittam: urges, Nisi
E præter modum adamavit filium, nisi diffisus est, cur sibi mortem conscivit? Isthuc vero merito demirandum, quippe quod præter omnium, ac tuam etiam spem evenit.

Verum ego nihil ad me pertinere puto, ut tibi rationem reddam, quid illi Dii in mentem immiserint, ut sibi vim adferret: hoc tantum evincere sat est, te nullis conjecturis hunc exitum certo præscire potuisse, quantumlibet amarit filium: tametsi causa non admodum obscura. Jam Deorum si qui fuerunt huic infensi Reipublicæ iras diuturna nostra calamitas satiaverat. Jam propitios nostra vota, nostra sacra commoverant: aderat illud fatale tempus, quum impius ille senex Diis atque hominibus dignas admissorum pœnas daturus erat. Jam aderant ultrices Erynnyes, aderant Furiæ, facibus & hydris omnibus armatæ: hæ illi mentem ade-
F merunt, hæ vanam formidinem incusserunt, hæ attonitum ad spontaneam sui cædem impulerunt. Nihil minus arbitrabatur, quam fuisse qui filium peremerat, quam una cæde contentum fore: qua quidem una in re jure potes gloriari, quod tyrannum vehementer fefelleris. Virum esse putabat, qui hoc facinus peregisset. Credebat esse talem, quales audierat esse solere tyrannus, qui magno suæ vitæ contemptu, tyranni caput impeterent: qui non adorirentur facinus, nisi ratione probe perspecta, qua possent perficere. Hanc suspicionem Pan ille, aut si quis alius est Deus, novis terriculis exagitabat. Arbitrabatur instare sibi carnificem, sensit adesse necessitatem illam fatalem, quam nemini nocentium vi-

tare licuit. Itaque quod hujus urbis pietati, quod Deorum bonitati debetur, cur tu id phaleratis dictis in te transferre conaris? Ubi discrimen erat subeundum, ibi fugitabas: nunc ubi res præter spem pulchre cecidit, tutumque putas, fortunæ laudem in te derivas.

Sed finge diversum exitum fuisse consequutum, pone tyrannum ira percitum, passim cives ad exquisita supplicia rapere, proscribere, jugulare, in exilium agere, possessionibus exuere. Quid hic dices? non sines, opinor, eorum malorum caussam in te tanquam in auctorem referri, & fortunæ argumento culpam deprecaberis. Negabis tibi imputandum esse, si quid fortuito præter propositum evenerit. At nunc nonne injurium est, quod boni, fortunæ commoditate præter spem evenit, id totum in te velut auctorem velle traducere? Etenim te nihil exspectasse minus, quam id quod evenit, vel ipsa res clamitat. Si hoc animo conscendisses arcem, ut filium, non patrem occidisses, credi poterat te talem quandam spem animo concepisse: nunc casu nescio an metu potius in juvenem incidisti, & tum denique divina ista mens & futurorum præsaga, sed quæ non nisi post eventum sua prodat oracula, te corripuit. Quum esset fugiendum, ibi demum judices in re tam tumultuosa, secum velut ociosus consultare cœpit, utrum senem sua dextra dignum existimaret, ibi demum prævidere cœpit, fore ut pater ipse sibi manus adferret. Et quo commentum tam impudens judices efficiat paulo probabilius, quæ nec vidit, nec videre potuit, ea perinde descripsit, nimirum (ut jactat) Poeta, quasi spectator adstiterit, quid in mentem venerit tyranno, quid dixerit, quid fecerit, quomodo ferrum strinxerit. Ejusdem profecto impudentiæ, fingere præscisse se, quod esset eventu consequuturum, & quod non videris, id ita narrare quasi videris. Quanto melius tuo commento, id est, fabulæ sua fides constitisset, si ita finxisses: te quum perempto juvene, stricto gladio ad senem ire destinasses, repente a tergo adfuisse Palladem illam Homericam, & jam euntem capillis revocasse te: vetuisse ne tam luculentum facinus senili cæde obscurares, sese citra tuam operam curaturam, ut ille suapte manu, sed tuo gladio peremptus, gloriæ tuæ nihil tenebrarum offunderet, sed multum etiam adderet lucis? dehinc abditum te per rimam contemplatum, vel (quod est te dignius) repente Deam sepsisse te nebula, ut tyrannicæ necis tutus & otiosus spectator assisteres, nec prius illinc discessisse, quam negocium omne confectum vidisses. Hæc si confinxisses, paulo minus malum Poetam te præstitisses. Sed otium, opinor, non suppetebat ad omnes fabulæ parteis commode tractandas, videlicet lucri cupiditate te protinus ad præmium postulandum rapiente. Nunc vel ipsa te prodit inconstantia figmentique coarguit. In arcem ascendisti, quo tyrannum occideres, neque tum prævidebas, quod Sole ipso clarius videri vis. In medio negocio subito nescio quis Deus oculos tibi restituit, ut videres futurum id quod accidit.

Porro si veris fidem facere voluisses, narrare debueras quemadmodum nocturnus explorator furtim arcem conscenderis, in ædes clanculum irrepseris, forte fortuna obvio nemine, non dicam ut tolleres aliquid, sed ut experireris, si quod tuto facinus posses designare: hæc molienti commodum favisse fortunam: itaque quum adolescentem solum atque incustoditum offendisses (ut est ea, nimirum, ætas securior, periculique minus cogitans: præterea diuturna tyrannis jam magnam metûs partem exuerat) tum haud scio (ut mores illius erant) multo vino sepultum, atque immodica libidine defessum, fortiter jugulasse scilicet, & somnum illi cum morte, id est, germanum (ut ait Homerus) cum germano conjunxisse: deinde ubi jam cardines procul stridere cœpissent, exaudito videlicet morientis gemitu, ibi te metu exanimatum ita fugisse, ut non vacarit gladium e vulnere tollere, quem nec parricidæ, nec sicarii solent relinquere ne deprehendantur: Interea domi latitasse te, jamdudum de fuga cogitantem, & longinquas aliquas, semotasque mundi latebras animo circumspectantem, in quibus abditus posses irritati patris sævitiam fallere: Jamque te ad spontaneum exilium accincto, repente in vulgus exiisse famam, liberam esse civitatem, tyrannum una cum filio jugulatum, reliquos metu fugisse, auctorem ignorari facinoris: Ibi repente ad novam tuæ fabulæ catastrophen, immutasse te animum, & qui prius de salute fueras sollicitus, protinus ad præmii spem arrectum fuisse, lucrique aviditate, priusquam tibi satis esset excogitata ratio, qua totam hujus inopinati eventus laudem in te traduceres, prosiliisse in medium: id quod vidimus, clamitasse tuum illum esse ensem, tuum facinus, non unum præmium tuæ virtuti fore satis. Hæc nemo non credidisset, sunt enim rerum naturæ consentanea, usu comprobata, omnium opinione recepta.

At tu dum sedulo quidem, sed tamen parum ex arte, tuam nobis præscientiam niteris persuadere, quam multa comminisceris, non dicam tota facie a vero distantia, verumetiam cum sensu communi, cum more, cum natura penitus pugnantia? primum tyrannum tam materne filium adamasse, ut sine eo vivere noluerit: sic ob unius mortem metu fuisse consternatum, ut in vita manere non sit ausus: sic illi toto pectore sisum, ut ipse nullas circum se custodias haberet: adeo fracti animi fuisse, ut tam chari pignoris truculenta cæde non potuerit ad ultionem inflammari: tam invalidum, ut tua dextra fuerit indignus: tam inermem, ut ni tu illi gladium reliquisses tuum, defuturum fuisset, quo se jugularet. Non vides quam non competat tam insignis in tyrannum pietas, tam secura in eam ætatem fiducia, tantus metus in hominem, excepto filio, reliquis omnibus præsidiis munitum, tanta consternatio in hominem tot periculis exercitatissimum, tanta imbecillitas in iratum? Quid igitur erat, cur tu senem illum tantopere contempseris, ut indignum habueris, qui tua ista magnifica dextera jugularetur? Tune indignum judicabis quem occideres, quum eum Respublica non putarit indignum quem formidaret, quem maximo suo cum dolore ferret. Non talem illum, judices, non talem sensimus, ut cuiquam contemnendus videri debuerit.

Neque tu eum unquam contempsisti, nisi forte contemnere est, misere formidare. Sciebas arcem armis refertam, sciebas superesse satellites, quorum vel unus (si seni vires deerant) sufficiebat jugulando tibi. Non ignorabas (id quod nemo nostrum nescit) quantum virium illi partim exercitatio, partim ingenii feritas etiam in illa senecta reliquerat. Tum non te fugiebat, frigidum illud senium sic interdum acri dolore inflammari, ut juvenibus etiam validissimis sæpenumero fuerit intolerandum, si quando solitum illud robur, quod ætatis gelu velut obtorpuerat, magno aliquo animi motu recanduit. Quis autem tam invalidus est, ut non illi pudor, ira, dolor ingens vires suppeditet? Hoc erat videlicet, cur tu filium quam patrem malueris occidere, quod illum inopinantem, inermem, dormientem fortuna objecit. Cum hoc pugnandum erat, armato, vallato, irato denique. Hoc erat cur gladium relinqueres, ratus ne tantisper quidem morari tutum dum reciperes, metuens videlicet ne tantillum sarcinæ te redderet in fuga tardiorem. Reliquisti invitus, quo tyranno prodi posses: sed prodi maluisti quam deprehendi.

Neque ego nunc formidinem tuam accuso, imo miror magis quod pedibus consistere, quod fugere potueris, quum audires moveri tyrannicam familiam, stridere arma: intelligeres tibi non cum puero, sed cum vigilantibus viris, accinctis, armatis, sobriis, irritatis, denique cum rabioso patre dimicandum esse: non quod illum usque adeo filii mors commoveret, sed quod arbitraretur, & haud scio an vere, se petitum fuisse, dexteram tuam errasse tantum in filio. I nunc & spera, non dicam hos judices viros omnium perspicientissimos, sed vel e media plebe quenquam esse tam muccosis naribus, cui non suboleat, imo qui non plane odoretur, persentiatque totam hanc fabulam abs te confictam. Et quod Poetæ solent, quum hærent in explicando Tragœdiæ argumento, hanc veluti Deam divinationem arte quadam induxisti, quo præsensionem tuam judicibus probares, sine qua videbas præmium obtineri non posse.

Sed occasionem, inquit, ministravi paternæ mortis, qui gladium quo se feriret reliquerim, atque id solum non modo satis esse putat ad petendum præmium, verumetiam meritum esse, ut ipse ensis inter arma Deorum consecretur, dominus pro Deo præsenti colatur. O hominem suavem, si has spes vere concepit: impudentem, si quum non speret, postulat! Itane tyranno gladius erat defuturus, nisi tuum illum reliquisses? Tu in arcem arma, hoc est, in sylvam ligna portanda putasti? Nisi forte tuum illud ferrum magicis precaminibus erat imbutum, ut ultro ad mortis adegerit

rit necessitatem: an vero nihil referre putas, quam præbeas occasionem, quomodo, quo animo? Primum, gladium reliquisti, quo nihil minus deest tyranno: nunquam ferrum abest, non in cubili, non in triclinio, non in sacris: reliquisti metu trepidus.

Tua quidem in re illud interim demiror, qua fronte eum gladium tuum ausis appellare, quem habueris pro derelicto. Metu, inquam, exanimatus reliquisti, quem postea receptum optabas: reliquisti rem ancipitem. Quid si tyrannus illum eundem ensem in civium jugulos distrinxisset? quid si eodem lectos aliquot ex hujus urbis juventute adolescentes filio suo inferias mactasset? Si tyrannum occidisti, quia tuo occisus est gladio, & horum omnium indigna cædes ad te pertinebit: quippe cujus ense peracta est. Id si non evenit, nihil ad te pertinet: nam anceps occasio quam in partem cadat, id Diis in manu est: si bene verterit, nihil gratiæ debetur ei qui dedit imprudens: sin male, temeritas imputatur. Neque enim culpa vacat, qui periculosam ministrat occasionem: quæ si feliciter, mirentur omnes: sin infeliciter, merito accidisse dicant. At quanto probabilius erat, futurum ut tyrannus tuo ense alios in usus abuteretur. Scio me, judices, hæc pluribus refellere verbis, quam necesse videatur, quippe tam frivola: verum id mihi propositum est, nullum illius argumentum non excussum, non exagitatum, non revictum prætermittere. Quare quæso ne pigeat ita ut antehac fecistis, patienter atque attente cognoscere, dum hunc ab gradu firmissimo dejicio.

Hic sibi vehementer fidebat, hunc acriter urgebat locum. Negabat vitari posse, quin præmium deberetur quod patri necis causam ministrasset, si non relicto gladio (nam hoc opinor argumentum jam habet pro derelicto) certe necato filio. Nam ita in legibus dissertum ajebat, nihil interesse utrum manu sua quis occidat, an mortis causam præbeat. Addebat, æquum esse, ut quum in maleficiis causam datam imputarent leges ad supplicium, multomagis idem observarent in benefactis ad præmium. Hæc ajebat meminisse sese in legibus esse disputata, illud addens Thrasonicum, nisi sibi diuturna servitus legum memoriam obliterasset. Non tu legum oblitus propter diutinam desuetudinem, sed nunquam quid sibi velint leges inquisisse videris. Bis enim hic erras, qui neque causæ datæ rationem, neque dantis animum discernas, id quod legibus traditum est, nec animadvertis longe diversam esse rationem maleficii & beneficii imputandi. Quid ais, nove juris interpres? Itane satis esse judicas vel ad pœnam, vel ad præmium, qualemcunque quomodocunque causam dedisse? Nihil igitur refert, Hector, an Ajacem occiderit manu, an gladium illum dederit, quo se postea confodit? Atqui hanc laudem nunquam ille sibi vindicasset: tametsi probabile videri poterat, in eum usum hosti ab hoste datum fuisse ferrum. Quin ergo fabros ærarios omnes vel ad pœnam vocamus, vel ad præmium, quoties armis in eorum officina perfectis, aut jugulantur cives, aut servantur? Postremo cur hoc quod tu petis præmium, non ensis istius tui opifex petit potius? Tyrannus gladium erat habiturus, te non porrigente: tu porrigere non poteras, nisi hujus industria tibi ministrasset. Age si telo inter venandum temere misso, forte tyrannum vicinum interfecisses, clamares tibi tyrannicidæ deberi præmium, an potius nihil tibi deberetur laudis, quod imprudens & inscius jaculum torsisses? Imo in jus potius vocandus esses, qui missi teli temeritate civem (quod in te fuit) occideris: nam quod in tyrannum incidit, id nihil ad te. Quid si caupo vinum lene ac suave, quale Polyphemo dedit Ulysses, tyranno vendidisses, atque ille ejus dulcedine captus, avidius sese ingurgitasset, eaque re concepta febri decessisset, auderesne caupo, vini titulo tyrannicidæ præmium flagitare? At quis non te cum tua flagitatione, ut temulentum, vinoque madidum exploderet? Cæterum quanto frigidiore titulo nunc idem postulas? Utcunque conjecturis præcipi poterat: ut ætas vinosa tam illicibili vino avidius, intemperantiusque frueretur, crapulam consequeretur morbus, præsertim in sene, morbum mors: Vulgo hæc eveniunt. Tu eam tyranno mortis causam dedisti, cujus nullum exstat in hominum memoria exemplum. Quis enim antehac ob filii necem sibi manus intulit? Accedam propius. Finge te tyranni coquum esse: probe callere palatum domini, Medicos interdicere cibum, quo tamen il-

A le oppido quam lubens vescatur, interminari morbum capitalem, ni temperet: id te non fugere, eum cibum tu arte tua, cupediisque & condimentis magis ac magis illecebrosum reddis, consequitur edentem morbus, quem prædixerant Medici: emoritur tyrannus, liberatur civitas. Hiccine coquus e culina in forum prosiliens, & adhuc jure madens, fuligine niger, tyrannicidæ præmium postulabis? Mortarium, tonsillum & ollas ostentabis, arma scilicet quibus tyrannidem expugnaris? Non eris (opinor) tam impudens in ea causa, qua tamen ista tua multo est absurdior. Nam illi voluntas occidendi non defuit, probabilem præbuit causam. Tu nec in hoc jugulasti filium, quo pater ultro vitam relinqueret, & causam dedisti, ad quidvis potius quam ad

B istud idoneam. Accipe exemplum tuo similius, quam ovum sit ovo (quod ajunt) simile. Quid si tyranni amicam, quam ille misere ac perdite deperisset, occidisses: eaque cognita re tyrannus sibi vitam abrumperet, auderes ad præmium aspirare: auderes dicere, te certum præscisse, fore ut tyrannus sponte fugeret e vita? Certe quanquam plures amicas exstinctas sequuti sunt, quam filios, nemo tamen tibi crederet, nomen tibi præmium decerneret, tuum factum periculosum & anceps dicerent: omnes fortunæ gratias haberent, cujus commoditate res ea feliciter cessisset. Tibi abunde magnum præmium existimarent, si commissi venia donatus discederes.

Primum igitur diversam imputandi maleficii, & ascri-

C bendi beneficii rationem conveniet distinguere, deinde causæ æqualitatem, postremo animum: atque ita demum liquebit, quid tibi lex debeat. Nam quod ajebas legem prolixiorem esse oportere ad reddendum præmium, quam ad infligendam pœnam, id in privilegiis, quæ in exemplum non vocantur, fortasse locum habet. In jure communi longe secus est. Siquidem (uti superius demonstravimus) nulli nocenti lex non minatur pœnam: paucis benefactis præmium ostendit. Tum in maleficiis etiam conatum simplicem supplicio prosequitur, in benefactis semper exitum requirit. Nec mirum, nec iniquum, si lex est diligentior in eo negocio, ad quod unum est nata, atque instituta, quam in eo, in quo temporis ratione tanquam alienas sibi sumit partes. Er-

D go in utroque communiter spectat, ut causa sit idonea: deinde ut animus adsit, non tantum casus. Hoc rursum interest, quod in benefactis nec causa idonea, nec animus idoneus satisfacit legi, nisi his accesserit eventus item idoneus. In malefactis, si quid nocendi animo tentes, non expenditur nec eventus, nec causa: sed ex animo factum tuum lex metitur. Sic enim judicat, tibi nihil ad scelus defuisse præter fortunam: qua te sublevari, quod tandem jus sit? In eventu simul & causam datam & animum expendit. Si animum vitiosum comperit, nihil moratur causam, quam sit idonea, putat animum & eventum ad pœnam commerendam sufficere. Sin animo simplici data est causa mali idonea, & non consequitur eventus: lex quasi connivet ad id, & non putat ad

E suam cognitionem magnopere pertinere. Sin eventus est consequutus, etiam si de animi vitio doceri non potest, tamen temeritatis & negligentiæ nomine pœnam irrogat: partim propter suspectam dantis voluntatem, partim ut hæc latebra peccantibus eripiatur, imprudens feci, discantque homines vel suo periculo cavere, quod alieno faciant periculo. Ergo qui prudens & sciens, certam atque evidentem noxæ causam dederit: eum perinde lex censet, quasi facinus manu peregerit. Veluti si quis hostem opibus, copiisque juverit, perinde est ac si ipsus arma contra ferat. Siquidem id suppeditavit, sine quo bellum geri non poterat. Aut si quis inimicum suum per dolum navigio solutili imponendum cu-

F ret, ut naufragio intereat, aut in conclave pensili testudine inducat, ut ruina opprimatur: aut juxta lectulum ægroti, loco pharmaci venenum ponat, futurum sperans ut eo hausto pereat, tametsi non bibit ægrotus, tamen veneficii postulari potest qui posuit, propter vitiosam animi voluntatem. Nam vehementer erat probabile id eventurum, quod ille moliebatur. Huic si detrahas nocendi voluntatem, nihil illi cum lege rei futurum est. Si detracta nocendi voluntate, apponas eventum: non effugiet temeritatis crimen, nisi illum inculpata ignorantia absolverit. Porro si in loco non ad id destinato, puta in via publica, aut in fundo alieno, arcu temet exerceas: lex tecum non agit, nisi si quem occideris, aut vulneraris, aut si cui damnum dederis. Cæterum

quod

quod facis, tuo facis periculo. Quod si quid horum consequutum est, cum lege tibi res est. Neque tibi tua patrocinabitur imprudentia: quippe quæ culpa temeritatis non vacet. Siquidem in te fuerat præcavere, quod probabiliter poterat prætimeri. Vides quanto discrimine dissita sint, inter quæ tu nihil interesse dicebas. Primum non statim imputatur ad præmium, quod ad pœnam, idque non a malignitate legumlatoris, sed partim ex ipsa rei natura proficiscitur, partim a legum officio. Deinde discernitur animus, causa data dijudicatur, spectatur eventus.

Age nunc si libet, tuam causam, qua tuum facinus æstimari vis, expendamus. Finge te certam, inevitabilem mortis causam tyranno dedisse, sed imprudentem, nulla tibi sit præmii petitio. Quis enim insciens benemereri dicitur? Fortibus viris præmia dantur, non fortunatis tantum. Nam evicimus jamdudum opinor, ne posthac affirmes te in hoc jugulasse filium, ut pater sibi necem conscisceret: quod eventurum ne vates quidem quisquam præscire poterat, tu nec suspicari. Imo posteaquam rem plenam discriminis, fortunæ arbitrio commisisti, quia bene successit, hoc nomine lex te non postulat: at idem si male evenisset, temeritatis pœnas eras debiturus. Neque enim tibi succurreret inculpata ignorantia. Quid enim æque formidandum erat, quam ne tyrannus, simulatque occiso filio se peti insidiis persensisset, omnia tyrannidis mala in nos conduplicaret? Jam ut de animo res tibi constet, causam dedisti non solum non idoneam, verumetiam periculosissimam Reipublicæ. Vin hoc tibi argumento evidentissimo demonstrari? Finge te quempiam e civibus vitio occidisse: tum exstincti patrem id facere, quod modo fecit tyrannus. Utrum tu duplici cædis crimine teneberis, an simplici? Simplici opinor. At uxor & mariti mortem imputabit, qui necato filio, seni causam mortis dederis: atque his ferme tuis argumentis utetur. Indulgentissime filium adamabat, in illum omnem familiæ curam reclinaverat, illo se oblectabat: atque hæc de privato sene cum fide dicet, quæ tu de tyranno nimis dure (ne dicam ridicule) dicebas. Addet ea te scisse, prævidisse futurum ut ille vitam fugeret orbatus filio, in quo uno omnia vitæ oblectamenta collocarat. Non tibi defuisse jugulandi senis voluntatem, sed hoc tantum egisse, ut miserabilius sua dextra perimeretur, ut odium tuum plenius miseri patris malis exsaturares. Ideo juvenem necasse, in hunc usum gladium in vulnere reliquisse. Vides quanto sunt hæc probabiliora in hoc, quam in tuo negocio: & tamen negabis paternam necem ad te pertinere, atque animi suspicionem, causæ qualitate purgabis. Negabis causam idoneam fuisse, cur ille sibimet manus adferret. Te nec præscire, nec timere potuisse, id quod sit consequutum: quod rarum exstet exemplum patris, ob filii necem sponte fugientis e vita. Alioqui futurum fuisse, ut & mater sibi fatum accerseret: quippe quam impotentius amare sit consentaneum, ac minus adversum dolorem animi viribus valere. Hæc non dubitares tibi profutura, ad alterum crimen depellendum, & prodessent dubio procul. Atqui quod in maleficiis valet, ne quid imputetur, id multo magis in hac causa valet, ne quid acceptum feratur. Ibi te liberaret a voluntatis suspicione, quod causas parum idoneas dederis: hic ex causis multo minus idoneis propter personam tyranni, videri vis non modo quod evenit, fuisse suspicatus, verumetiam certum præscisse. Ibi temeritatis postulari non poteras, propterea quod tametsi vitio abs te data est causa, tamen idonea non sit ad id quod evenit. Imo ipsi tota res imputabitur, & legibus pœnas dabit, sepultura prohibitus, quod civitati citra causam idoneam, civem unum ademerit. Tibi non nisi unius filii mors imputabitur, etiam si mater quoque & filiæ, & sorores, & tota tribus hujus necem fuerit imitata. Hic poterat, nisi feliciter evenisset: quippe ubi summum Reipublicæ periculum & verteretur, & prætimeri probabiliter posset.

Venio nunc ad quartum illud præsidium, judices, quod iste tutissimum, ac pene inexpugnabile judicabat: unde ego illum ita deturbabo, ut non solum sit non habiturus quo tyrannicidii & hujus laudis arcem obtineat, verum vix etiam latebram inventurus, ubi temeritatis ac maleficii pœnam effugiat: quo nimirum intelligat, quam non inimice, non curiose (ut ajebat) secum agam: ut quum possim in crimen ac pœnam vocare, sat habeam ab honore non promerito secludere. Ait sibi deberi præmium, vel hoc uno

A mine, quod juvenem occiderit, jam plusquam tyrannum, tum tyrannidis paratum hæredem, etiamsi hunc eventum Dii non dedissent, ut senex ipse vitam abrumperet. O deploratam impudentiam! Tu tibi præmium peteres, si tyrannum suæ furiæ non essent ultæ? Dii quidvis potius dederint, quam istuc quod tu fingis. Sed tamen fingamus interim oratione, quandoquidem id tuto licet: tametsi ad solam mentionem inhorrescit animus. Tune, inquam, occiso filio, relicto sene vivo, tyrannicidæ præmium peteres? An potius nec ipse superesses, qui possis petere: nec esset Respublica quæ dare posset? Nam tu aut exquisitis suppliciis exanimareris, aut in extremis Orcadis exul delitesceres: nos pro tyranno jam immanissimum carnificem pa-
B teremur: & tuum caput ubicunque terrarum latitares, diris imprecationibus devoveremus, qui nos tua incogitantia, vel præcipiti magis lucri cupiditate in tantam malorum tempestatem conjecisses. Sed re filius erat tyrannus (inquis) patri præter inane nomen nihil erat reliquum. Quid ego audio? duos igitur hæc civitas tyrannos alebat? Nam de patre nemo unquam dubitavit, quin tyranni vocabulum mereretur. Quando autem antehac unquam fando auditum est, duos una in civitate sedisse tyrannos? id quod magis etiam natura repudiat, quam eodem in corpore gemina capita. In iisdem alvearibus duo se Reges pariter non ferunt. In armentis taurus tauro cedere cogitur. In iisdem lustris non convenit duobus inter se leonibus: & tyrannus (quo
C nullum animal efferatius) parem in eadem urbe patitur? Non vides necessario fieri, ut e duobus, aut alter alterum oppugnet, aut alter alteri cedat? Utrum tu fuisse mavis in patre, an in filio? Si juvenis adversus senem obtinebat tyrannidem, quid a Republica præmium postulas? Tyranni partes adjuvisti, non Reipublicæ. Sin patri cessit: quid tandem illum vocare potes, nisi tyranni vel præfectum, aut satellitem? Quandoquidem seniori tyrannicam appellationem ne tu quidem audes detrahere. Verum ut quoquo modo tyrannidem omnem in adolescentem oratione derivares, quam multa tu quidem non ex re, sed pro causæ tuæ commoditate comminiscebaris?

Cæterum quam in his confingendis decori, quod in per-
D sonis situm est, nullam habuisti rationem? Sic enim (ut memini) inducebas in fabulam senem jam ætate mitem, & qui omnem tyrannidis acerbitatem ob senectam exuisset: non secus atque mala, quæ natura acerba, tempore mitescunt, & in alium abeunt succum. Porro juvenem ferocem, illo incolumi gerentem tyrannidem, jamque patri vivo succedentem. Privatus paterfamilias non fert filium se vivo successorem: & tu vis istuc credi in tyranno? Ille non sinit ullum e liberis rem domesticam ex animi sui libidine moderari: & tyrannus sese veluti abdicans imperio, negocium omne in adolescentem rejecerat? Non dubito, quin & ipse videris, quam dura sint ista, & quam a communi sensu abhorrentia. Verum quid faceres, nisi tales personas induxis-
E ses, exitum invenire tragœdia tua non poterat? Quæso te, an unquam auditum est tyrannum ætate mitescere? Quando tu desines ea quæ sunt privatorum, quæ bonorum principum, tyrannis tribuere? Ut eodem igne cera mollescit, limus durescit: ita ætate plerique redduntur mitiores ac temperantiores, tyrannus magis exasperatur. Ut tempus nonnullis pomis amaritudinem adimit, ut vinis nonnullis acorem conciliat: itidem tyrannis non adimit sævitiam ætas, sed exaggerat. Vis ipsissimam tyrannici ingenii tibi demonstrem imaginem? Spinam cogita, quæ quo magis senescit, eo pungit acrius. Echinos cogita, qui quo plus habent ætatis, hoc testa sunt asperiore. Vulgaribus ingeniis fortasse nonnulla vitia senecta vel detrahit, vel certe mi-
F tigat, etiam si plura irritat, nonnulla parit. At tyrannorum mentibus ad scelus, ad crudelitatem natis, scelere & immanitate imbutis atque educatis, præter vitiorum omnium incrementum adferre senecta quid potest? Nisi forte libidinem adimit? Quanquam ista tyrannidis quantula tandem est portio? Sed esto fuerit sane propter ætatem ad voluptates segnior, verum erat fastidiosior: unde fit, ut imbecillior sit ad coitum, ad raptum avidior. Fortasse pauciores huic exsecrabantur ephebi, sed insigniores. Pauciores producebantur virgines, sed exquisitiores. Cur non autem & plures? videlicet quo senile fastidium optione, & varietate vinceret. Hoc ita esse, quot ego tibi testes citare possem, qui quo nobi-

bi-

A biliores sunt, quo forma præstantiores habent liberos, hoc magis eis a flagitiosissimi senis cupiditate metuebant. An tu putas una cum viribus senescere libidinem? Multo secus habet. Imo quantum ætas improborum hominum facultati detrahit, tantum adjicit cupiditati. Quanquam tyrannicum animum his in rebus non tam voluptatis usus capit, quam nostra delectat contumelia. Ut frigeat in sene tyranno Venus, certe fervet vigetque malitia, sævitia, nocendi libido. Postremo totum illud vitiorum agmen, quæ propria tyrannorum sunt, cupiditas, rapacitas, improbitas, impudentia, impietas, iracundia, violentia, impotentia, suspicio, fraus, perfidia, crudelitas, implacabilitas, immanitas, perjurium: (Quid autem oportet omnia commemorare nobis omnibus

B heu nimium nota?) horum inquam nullum non ætate fit acerbius, propterea quod juventa nonnunquam naturæ bonitate vincitur: præterea quædam mala nondum didicit: at senecta, si quid pudoris, si quid humanitatis, si quid melioris ingenii a natura insitum est, id omne multo ac diuturno flagitiorum usu penitus exuit, & prorsum in immanissimam quandam feram abiit. Id ita evenisse, judices, in exsecratissimo illo sene, quid ego coner argumentis docere, quum sua cuique memoria abunde satis exemplum suppeditet?

Quod si juvenis sese gerebat insolentius, videlicet patris abutens imperio: num tu hunc continuo tyranni nomine donabis? Ergo ex eadem tyrannide sexcentos tyrannos facile reddideris. Nam quis est omnino in tyranni familia, vel ex-

C tremum mancipium, qui non ipso pene tyranno sit ferocior, violentior, sceleratior? Filius, inquit, emolumentis imperii potiebatur: patri præter nomen nihil cessit. Quasi vero non sit istuc omni tyrannidi commune. Longe minima fructuum pars, qui solent ex tyrannide capi, ad ipsum redeunt tyrannum. Quemadmodum in latrocinio fieri consuevit: prædæ communiter in omnes distribuuntur, vel in eos potius quorum opera capiuntur. Alioqui non cohærebit cohors illa scelerata: nisi dux ille quisquis fuerit, plus etiam permittat suis, quam sibiipsi. Solum nomen sibi proprie vendicat. Et in nullos est tyrannus indulgentior, quam in scelerum ministros? quippe quorum opera sentiat suum imperium con-

D tineri. Proinde sub unius umbra satelles omnis, omnis minister, familiaris, leno, Tyrannidem quandam in cives exercet. Ridicule fecero, si hoc quoque coner argumentatione probare, judices. Vidimus, sensimus, experti sumus, nisi forte tam diutinæ calamitatis memoriam, tam pauculi dies obliteraverunt. Neque enim esset res usque adeo misera tyrannis, si unius modo foret toleranda violentia. Quot ferendi latrones, quot sacrilegi, quot ex extrema barbarie advenæ, feris quam hominibus similiores? Neque desunt, qui se simulent apud tyrannum sceleribus suis gratiam promeritos esse, quo nimirum hoc nomine metuantur a civibus. Horum igitur unumquemlibet tyrannum appellabis, & pro quolibet occiso tyrannicidæ præmium petes? Non in tantum omnem exues pudorem opinor. Sed pater ætate fessus,

E omnem dominatum in filium transtulerat, quicquid tyrannicum in urbe gerebatur, id juvenis violentia committebatur. Sed istuc quantum absit ab imagine veri, quis tam cæcus, ut non videat? quis tam obliviosus, ut non possit experimento refellere? Ego tibi complures nominare satellites possum filio insolentiores. Ad hæc, verisimillimum est nullius insolentiam minus approbasse senem quam filii, vel quod odit omnem tyrannidis affectatorem omnis tyrannus, vel quod intelligit ex illius facinoribus longe plus invidiæ, odiique sibi conflari: (Callidissimi autem tyranni est, eatenus legitimum imitari regnum, quatenus obtineri tyrannis possit) vel quod pater etiam pessimus, tamen liberorum nonnihil offenditur vitiis, & ad crudelitatis ministeria alie-

F nis quam suis uti mavult. Quod si clam patre rapinas, raptus, atque id genus facinora designabat filius, profecto non tyrannum agebat, sed insolentem satellitem. Sin approbante patre, quasique per illum exercente tyrannidem, utri tandem par erat imputari commissa, huic per quem gerebantur, an ei cujus auctoritate arbitrioque fiebant? Non arbitror obscurum, quin huic cui in manu erat nutu ne fierent vetare.

Quid autem non agunt per alios tyranni? Nam ipsi quidem neque pueros emasculant, neque virgines abripiunt, neque proscribunt, neque bona diripiunt, neque fana dispoliant, neque hæreditatibus manum injiciunt, neque compilant ærarium, neque tormentis excruciant, neque quenquam jugulant, neque armis vicos expugnant: neque incendunt villas. Totum hunc tyrannicum ludum per ministros exercent. In unum tamen tyrannici nominis invidia competit, in unum occidendum lex præmium instituit, in unum stringendi ferri jus facit, illos suæ cognitioni reservat. Quorum ut quisque sua opera tyranno profuit, ita aliud atque aliud vocabulum imponi potest, certe tyranni vocabulum nemini congruit, nisi uni illi, sub cujus veluti clypeo, tota illa perniciosissimorum hominum colluvies latitat.

Arbitror vobis, judices, sæpenumero auditum esse, id quod eleganter a doctissimis viris est scriptum, tyrannis non longas modo, verumetiam plurimas esse manus, plurimos oculos, eosque acerrimos: plurimas aures, easque longissimas. Omnino prodigiosum quoddam est animal tyrannus, multoque gigantibus illis Briareo & Encelado portentosius, centenis capitibus, centenis linguis, centenis manibus, pedibusque. Quot enim habet scelerum ministros, totidem habere membra videtur. Atque ut ex membris corpus, ita tyrannis ex hujusmodi constat ministris. Verum ut illud quod corpus appellatur nihil est aliud, quam quiddam omnibus ex membris aggregatum, ita in tyrannide unum quippiam est, quod neque pes sit, neque manus, nec ullum aliud membrum, contineat autem universa: at ita contineat, ut ab iis possit separari, idque tyrannus vocatur. Proinde exaggera quantumlibet juvenis insolentiam, violentiamque, præfectum arcis voces licebit, oculum nomines licebit, aut si mavis dextram: aut si ne id quidem satis, præcipuum tyranni caput dicas licebit: Tyrannum certe vocare nequaquam potes. Unum enim illud portentum tyranni nomine censet, cujus auctoritate tituloque cuncta hæc membra velut animantur: idque unum forti civi permittit occidere. Non vult te in oculum aliquem involare: non sinit ut caput aliquod amputes, ne tale quiddam eveniat, quod de Lernæa hydra fabulantur Poetæ, ut pro uno capite resecto, duo pestilentiora subnascantur: pro uno excusso oculo, plures acriores succedant: pro una rescissa dextera, multæ robustiores subpullulent: unius vitæ te dominum, arbitrumque constituit, qui sibi sit ausus tyranni vindicare nomen, quo sublato futurum sit ut membra reliqua quasi destituta spiritu, emoriantur, aut certe sanentur.

At quid ego tecum jam accuratis argumentationibus ago? Possum illico tuis te verbis revincere, ac veluti tuo te laqueo capere. Juvenem paulo ante magnum patris satellitem nominabas. Non inficiabere. Rursum alio loco dicebas omnem tyrannidem occupasse filium: solius appellationis honorem cessisse. Qui convenit eundem & satellitem, & tyrannum appellari? Tum si cessit, non igitur usurpavit tyranni nomen. Contractus autem verbis aut rati sunt, aut rescinduntur. Lex hac tecum formula contraxit: si quis tyrannum occiderit, præmium ferat. Quid tu mihi juvenis flagitia commemoras? Id te lex voluit occidere, quodcunque illud esset animal, quod tyrannus diceretur. Magnum (ut ipse fateris) satellitem occidisti, non tyrannum: quid tibi cum lege rei est? At rem, inquis, legis sequutus sum, non syllabas, eum interfeci qui caput erat tyrannidis, paratus hæres paterni dominatus: libertatem peperi, servitutem sustuli: hoc lex sensit, hujus rei auctori præmium præstituit. Satellitem, inquam, occidisti, nihil moror quantum, quam gravem, quam ferocem, quam scelestum: satellitem tamen occidisti tyrannidis, non caput: aut si caput, unum e pluribus. Sed hæc omnia tibi ex animi sententia largiamur: fuerit sane res tota tyrannidis filius: pater nihil nisi vocabulum quoddam inane tyranni: quemadmodum in fabulis habetur, Echo Nympham, nihil aliud quam meram quandam fuisse vocem sine corpore. Qui tibi licuit in re tanta, a verbis legis discedere? præsertim ita dilucidis, ut perspicuum magis nihil esse possit, & commentitiam interpretationem domi tuæ natam in judicium adferre? Ego judices, nullum in Rempublicam exemplum perniciosius induci posse judico, quam si consuescant homines calumniosi a præscripto legum recedere: & interpretamento, quod ad prætexendum facinus quisque suum maxime idoneum comminisci queat, id judicibus objicere. Quis autem unquam meminit de legis sententia quæri solere, nisi quum in scripto quiddam apparet ambigue, obscureve dictum: aut quum ex verbis & eventu absurditas quæpiam exstitit, eaque manifesta? In priore non cujusvis commentum, sed juris pruden-

tium responsa, sed judicum sententia recipi solet. In hoc posteriore, necessitas ipsa compellit aliquantisper a legis vocibus deflectere: & æquitatem juris potius, quam verba spectare. Duplex itaque periculum videtis, judices: alterum ne superstitiosa cavillatione literarum legis ab eo quod lex spectavit abducamur: alterum ne passim a præscripto discedendo, leges omneis & judiciorum religionem subvertamus. Quorum illud quidem multo levius est: propterea quod vix unquam accidat, ut legislator obscure quid voluerit, explicuerit: aut absurdum quiddam exoriatur. Hoc multo periculosissimum, perniciosissimumque. Etenim quæ tandem lex futura est, quam versutus calumniator, quo pœnam effugiat, non facile possit aliquo commento subvertere? Neque quisquam non elabetur e judicio vestro nocens, nisi qui sit usque adeo nullius ingenii, ut ne frivolam quidem aliquam commentatiunculam queat invenire. Atque ut cuique commodum erit, aut animi libido feret: ita pro sene juvenem, pro Tyranno satellitem, pro homicidio tyrannicidium: & passim aliud pro alio interpretabitur. Vestra interim, judices, religio, vestrum jusjurandum, qua tandem ratione servabitur: quibus nihil futurum est certi, quod in cognoscendo sequamini: verum ambiguas, diversasque litigatorum conjecturas spectare necessium erit?

Ergo quum in omni causa maximopere cavendum est, ne sine gravissima ratione a legis præscripto discedatur: tum in hac non periculosum modo, verum etiam absurdissimum: quum legis verbis nihil possit esse dilucidius, sententia nihil æquius: interpretamento quod præter legis mentem inducitur, nihil pestilentius. An credimus legis hujus auctorem usque adeo infantem, & verborum inopem fuisse, ut dicere non potuerit: qui quovis modo Tyrannidem sustulerit, huic præmium est, si modo isthuc sensisset? Neque vero fugit illum, totam tyrannidem per satellites & præfectos exerceri solere, permultosque in his esse vel Tyrannis ipsis sceleratiores, atque ut ita dixerim, Tyrannicos magis, & omnino supplicio digniores: nisi & omnium omnia ministrorum scelera Tyranno imputarentur. In unum tamen illum, qui hoc nomine censetur, tibi ferro grassandi facultas data est. In reliquos non tibi permittitur idem: non quod illos vita dignos judicet lex, sed quod unius cæde totam tyrannidem tolli velit, non multorum cæde reddi duriorem. Tuum erat legi simpliciter parere, neque ejus verba quasi plumbeam quandam regulam ad tuum facinus accommodare, verum ad illius præscriptum factorum tuorum rationem instituere. Præsertim in hoc exemplo, quo non aliud potest admitti pestilentius, ut ex legis arbitraria interpretatione, quem velis interficiendi tibi pro tua libidine licentiam sumas. Non illud hic spectandum, judices, quam invisus Reipublicæ sit, qui occisus est, quam majore etiam supplicio dignus: verum id etiam atque etiam perpendere oportet, exemplum præter leges jugulandi homines, semel in civitatem receptum, semel vestris sententiis approbatum, denique præmio compensatum, quo tandem licentiæ sit processurum. Quod iste sibi in tyranni filium licere voluit, hoc alius sibi volet in ditissimum quemque civium licere. Quisquis pauper a locuplete contumelia afficietur, protinus tyrannum eum appellabit, & veneno aut ferro adorietur.

Postremo si cui magistratus non placebit, si cui judex erit invisus, non dubitabit e medio tollere. Porro ad facinoris defensionem, Sophistam quempiam aut sycophantem consulet (si ipse ingenio stupidiore fuerit) & novam legis interpretationem vobis adducet: dicet nil aliud sensisse legislatorem, quam ut hujusmodi civium genus non nomine, sed re tyrannidem agentium, ferro, igni, veneno tollatur e medio. Atque ita brevi futurum est, ut quod in uno factum semel & probavimus, & gavisi sumus: id in multis sæpius & doleamus & improbemus. Credite mihi, non mediocre discrimen, neque conniventer accipiendum, ut titulo reperto, privatus hominem indemnatum interficiat. Id ita esse facile liquebit, siquidem animadvertimus, nihil omnium esse, quod lex parcius, circumspectiusque permiserit. Etenim (si memini) tribus duntaxat temporibus lex indulsit, ut quis citra judicium hominem occidat. Primum adulterum, sed in uxore deprehensum: id quod intemperanti & insuperabili mariti dolori donatum est. At ita si corpus utrumque pariter interimat, si argumentis idoneis deprehensum fuisse doceat. Deinde in vi depellenda. At ita si de-

A monstres te mortem effugere nequiisse, nisi mortem intulisses: id lex ita interpretatur, quasi sese tueri potius sit isthuc, quam alium occidere. Uterque tamen facti sui rationem reddere compellitur, statim sese prodere, nec exspectare donec in jus trahatur: atque (ut ita dicam) ultro semet reum facere cogitur. Quod si omnia constabunt argumenta: ita demum a lege dimittitur, ut venia, non laude dignus esse videatur. Postremo in tyrannicidio: ubi propter periculi suscepti magnitudinem lex præmium quoque proponit: at ita si eum quem tibi lex isto velut insigni tyrannici nominis denotavit, fortiter occideris: non si scelestum alio scelere sustuleris: neque patietur te jus occidendi permissum, latius quam ad unicum tyranni caput trahere, nisi si quis obsistat, ut per illius necem tibi necesse sit ad illum penetrare.

B Jamque hoc factum tuum secunda illa ratione defenditur. Huic tertio generi fortasse proxima videatur hostem in bello feriendi facultas: quam tuæ tamen libidini lex non permisit. Nisi palam hostis sit declaratus, nisi in Imperatoris verba juraris, nisi ille aciem eduxerit, nisi signa canere jusserit, tibi fraudi futurum est, hostem interfecisse. Tu dicturus es. Hostem occidi, nam plus quam hostilia faciebat, nomen hostis tantum aberat, re hostem agebat. Lex respondebit, suarum partium fuisse, hostem declarare, ac tuo fortasse scelere fruetur: verum ne serpat exemplum, pœnas de te sumet.

Quid autem aliud abs te factum est? Unum tibi lex nominatim designaverat: tu illius vocabulum tuapte auctoritate in alium transfers, quod nisi in unum non potest

C competere: neque traduci debet ab eo cui lex attribuerit, ne tibi fas sit aliquando quem voles magistratum, quem voles judicem, quem voles civem, tyrannum appellare. Neque vero sine gravissimis causis lex tot vinculis adstrinxit hanc in vitam alterius licentiam. Perpendit nihil majus eripi cuiquam posse, quam vitam: vidit in exstinctum facile varias causas confingi etiam impune posse, quandoquidem ille non sit refutaturus, qui jacet. Vidit quam multis titulis suum quisque dolorem posset prætexere, si post occisum hominem ulla causa recipiatur, præter eas quæ legibus sint expressæ. Quid quod gravatim sibi quoque lex permisisse vi-

D detur, ut homini vitam eripiat: quam comperta, quam multa requirit argumenta, quam multa concedit reo, quam maligne agit cum actore, quem non nisi suo periculo vult accusare: quantum spacii largitur ei qui defertur: quam liberam judicum rejectionem. Quantum igitur a mente legis abesse putas, ut cuilibet permittat, vel pro suo privato dolore, vel domestica juris interpretatione, hoc est, subversione, in cujusquam vitam grassari? Neque ad rem pertinet, quantum criminum acervum exaggeres, quantumvis etiam verorum, addo notorum: dicas parricidam, sacrilegum, incestum, proditorem, peculatorem, veneficum interfeci. Tyrannum lex jubet occidi. Atqui hic unus multis tyrannis erat sceleratior, pestilentiorque civitati. Ad ista

E tam multa crimina lex tibi verbo respondebit. Nihil moror quam fuerit scelerosus qui periit: in unum tyrannum tibi jus feceram occidendi, in reliquos in jus trahendi. Si detulisses: auditus, revictus, damnatus a me palam pœnas dedisset, omnique Reipublicæ salubri exemplo fuisses. Nunc tu privata libidine interficiens, pro saluberrimo exemplo, perniciosissimum in civitatem induxisti, & legum instaurationem, a legis violatione auspicaris: hoc est, malis malo mederi studes. An me clam esse putas, quam multi sint in hac turba vita indigni, morte dignissimi? At eos meæ cognitioni, non tuis manibus servo: sunt fora, sunt tribunalia, sunt judices, sunt carceres, secures, carnifices. Cur tu mi-

F hi præire conaris? cur nullo mandante magistratum occupas? & dum tyrannicida videri vis, tyrannum imitaris? Nam quo alio nomine tantopere mihi est invisus ille, nisi quod mihi parere recusat, & præire conatur? Ei demum ferrum tractare licebit, cujus manibus ego permisero. Si juvenem occidisses, quod non alia patuisset ad tyrannum via, darem veniam necessitati: nunc occidisti, non obsistentem, non auxilium ferentem patri, sed patris opem implorantem. Hujus unius cæde contentus discessisti, tyrannum nec impetisti, in quem unum tibi jus feceram. Meum erat expendere, utrum ex usu Reipublicæ fuerit, an juvenis occideretur: malueram illum exquisitioribus excruciatum suppliciis, exemplum omnibus edere.

Ne-

Neque hæc dico judices, quasi parum gaudeam pariter cum patre sublatum filium: utinam eadem opera simul omnes sint oppressi, quibuscunque tyrannus placet. Sed quis prohibet, simul & gaudere, quod Deorum bonitas nobis hanc rem bene verterit, & tamen non committere, ut hujus temeritas, si judicio comprobetur, in legem atque in exemplum trahatur? Nec de juvenis injuria vindicanda nunc agitur, sed de legis violatæ majestate. Non enim par est, ut cuiquam personæ præter jus exstincti odium in scelere suffragetur. Neque tam spectandum in quem commissum sit facinus, quam quo exemplo commissum. Alioqui cur non eadem opera fas sit in tyranni nepotes, pallacas, pueros, uxores, liberos, lenones grassari? Bonam tyrannidis partem uxor sæpenumero suggerit. Ad summam immanitatem nonnunquam libertus aliquis, aut vernula instigat: cur non & hos jugulas, si tibi jus est æstimatione privata meritorum civem jugulare? Quid quod est aliquid tyranno nocentius, in quod tamen haudquaquam tibi jus sit occidendi. Finge esse qui totam hanc urbem, templa, domos, curiam conatus sit incendere, imo qui jam compluribus locis ignem subjecerit, sed incendium subito exorto imbri restinctum: auctorem non obscurum, verum abditum latitare. Eum forte fortuna repertum, manu tua trucidas. Num lex tuum factum approbabit? Non opinor. Atqui tyranno ille quanto erat nocentior? Tanto, nimirum, quanto est atrocius civitatem semel funditus evertere, quam expilare: cives universos uno igni finire, quam in pauca quædam sævire capita. Et tamen in unum tyrannum stringendi ferri potestas privatim permittitur. Illum deferendi modo jus habes. Hic in re tam aperta legis mentem calumniari, & novo interpretamento tuum facinus palliare: quid tandem aliud est, quam legum auctoritatem evertere, atque id per cuniculos quosdam agere, quod tyrannus palam ac vi facere consuevit?

In recipienda lege fas est populo causam, æquitatemque legis excutere. Cæterum receptæ, & longo jam usu comprobatæ, simpliciter oportet obtemperare. Neque enim existimandum est majores illos nostros, viros sine controversia sapientissimos, ita sine gravissimis rationibus instituisse, ut privatim interficiendi tyranni facultas unico capite finiretur. Primum ad jugulandi licentiam, fenestram aperiendam civibus non putaverunt: deinde perspiciebant tyrannidem fatale quoddam esse Reipublicæ malum, quod minore noxa toleraretur, quam male exagitaretur: neque posse semel tolli, nisi Tyranni ipsius cæde. Quo submoto, videlicet, qui legibus imperabat, non parebat, jam nihil opus esse privata audacia, nimirum, illis in Reipublicæ administrationem vindicatis. Quod si Tyrannus in jus vocari potuisset, ne hunc quidem tuæ dextræ arbitrio permisisset. Videbant & illud: Tyrannidem nonnullam habere monarchiæ legitimæ speciem: hoc tantum interesse, quod in monarchia populus Regi paret, Rex legibus: in Tyrannide omnia unius libidini subjecta sunt. Rex publicam spectat utilitatem, Tyrannus privatim suam: unde publicitus expedit, ut Tyranno veluti principi legitimo civitas pareat donec idoneus aliquis vindex exstiterit, qui legum auctoritatem in pristinum statum restituat, atque id unius (si fieri potest) capitis jactura. Nam hac moderatione in fatalibus illis pestibus, quæ totum Reipublicæ quasi corpus corripiunt, legum prudentia consuevit uti: ut exemplo magis, quam admissi talione morbo medeatur: ne dum civitatem sanare studet, magnam civitatis partem interimat. Hinc est quod in seditionibus publicis non nisi in ipsos auctores consuevit animadverti, reliquis quos tempestas illa commoverat, dari venia: aut vix etiam dari venia, qui in publico Reipublicæ tumultu quietem egissent. Quæ potest autem pestis esse fatalior, quam Tyrannis? Quæ sese latius in civitatis membra diffundit? Quota quæque urbis pars ab hoc vitio sincera potest esse? Omitto jam quicquid est ambitiosorum, ære alieno obstrictorum, scelere contaminatorum, barbarorum (nam hæc tota sentina hominum tyrannide gaudet, ut in qua nullis majora, quam sceleratis sint præmia) bonos etiam cives hoc malum involvit, dum vel timent fortunis suis, vel rectum judicant servire tempori. In hoc itaque rerum statu leges non exstinctæ, sed oppressæ modo, cautim & circumspicienter agunt, intelligunt hoc ulcus citra summam civitatis perniciem exasperari non posse, unius capitis dispendio commode sanari posse. Quare docto cuipiam Medico præmium ostendunt, digito demonstrant, quod membrum secari velint, quibus abstineri. Caput indicarunt illæ, tu dextram secuisti. Illæ Tyrannum, tu tyranni satellitem occidisti. Quo præmio dignus? Nempe, eo, quo qui morbo inscite exagitato, totum hominem in extremum vitæ discrimen adducat, quo qui hominem legibus vetantibus occidat.

Neque ego nunc te cædis reum ago, aget alius fortassis, cuicunque lubitum erit: verum illud modo consilium fuit, ostendere tibi quam insignitæ sit impudentiæ, in ea causa tam eximiam tibi vendicare laudem, tam egregia poscere præmia, in qua nequeas obtinere, si modo tecum exactius ac severius agatur, ut graveis pœnas effugias. I nunc & curiosum me voca, qui tam candide, tamque civiliter tecum agam: ut quum te possim in grave discrimen vocare, sat habeam legis & Reipublicæ causam defendere, ne circumventa præmium dare cogatur ei, qui nihil boni sit promeritus. Id quod non judicibus modo (quibus isthuc jamdudum liquere puto) verum tibi etiam ipsi cupio persuadere: & facturum me confido, si modo tantisper animum possis attendere.

Vin' igitur, ut quemadmodum tu faciebas, itidem & nos summatim totam causam ob oculos revocemus? dispiciamusque quam multa tuo in facto desiderentur ad id ut legi satisfeceris: & quantum tu sis hallucinatus, quum multa diceres etiam superesse? Tria quædam requirit lex, & ita requirit, ut si quodlibet horum desit, aut pœnam te, aut certe nihil gratiæ debere se credat: Quorum ego non unum aliquod, sed unumquodque deesse docebo. Quod si facio, utrum æquo animo cedes præmio, an impudenter petere persistes? Ergo rem accipe. Nisi tria hæc tibi constiterint, non est quod Tyrannicidæ præmium petas: Animus, via, & effectus.

Animus duo quædam complectitur, vel quid speraris, vel quid proposueris. Nam si Tyrannum per imprudentiam occidisses, si præter propositum, non magis profecto præmium tibi debeatur, quam si quis Tyranno amicissimus idem fecisset, nam idem potuit accidere. Tu porro quid propositi in arcem attuleris, ipse videris: ita demum legi persuasum erit, te voluisse occidere tyrannum, si occideris. Non occidisti, atque id etiam quum tibi in manu fuerit (ut ais) si libuisset interficere. Lex negat sua referre, utrum tyrannicidii propositum in arcem non attuleris, an allatum repente mutaris. Jam quid speraris excutiamus. Quanquam isthuc leges non ita valde curiose pensiculantur: sed tamen in tam absoluto facinore partes omneis constare oportet. Quid enim si Tyrannum interfecisses, quo tyrannidem ipse occupares, utrum præmium sperares? an supplicium metueres? Quid si quo privatum animi tui dolorem ulciscereris, Tyrannum occidisses, atque id esset palam, num præmium auderes poscere? Quid, si latrones Tyrannum forte fortuna obvium obtruncassent, num ad hunc honorem adspirarent? Quid si quis Tyranno privatim infensus, magna te pecunia conduxisset, quo ei Tyranno venenum dares, dedissesque, num quæso, tyrannicidæ præmium postulares? Ego hic tecum non ago conjecturis: nihil dico in vitam tuam, quæ quidem obscurior est, quam ut tu alioqui tam gloriosus quicquam de ea ausus fueris dicere: illud unum affirmare non dubitem, qui Tyrannum quum tuto licuerit, non occidit, plane noluit occidere. Qui eum occiderit, cujus mors extremum exitium Reipublicæ videretur allatura, potius quam ullam commoditatem: is aut privatum dolorem ulcisci voluit, non libertatem publicam vindicare, aut emolumentum suum sequutus est Reipublicæ periculo, non suo periculo Reipublicæ studuit prodesse. Postremo non potest nisi gloriæ jejunio adductus videri, qui tam insolenter se jactat. Non potest non videri lucrum sequutus, qui tam improbe præmium flagitat. An non vides igitur quantopere hac parte a tota legis mente dissentias? quem illa tuæ vitæ periculo sua causa voluit occidere, eum tu non solum volens præteristi, verumetiam periculose in Rempublicam irritasti: quem sua causa noluit occidi, eum tu maximo nostro periculo tui compendii, aut animi fortasse gratia jugulasti. Sed finge te animum tyrannicida dignum ad facinus attulisse, lucri perinde ut vitæ contemptorem, magni tamen refert, qua ratione tyrannidem tollere aggrediaris. Jam enim omnia tibi ex animi tui libidine largior, quæ tamen nemo

alius tibi concessurus est. Te in filio jugulasse patrem, in non tyranno Tyrannúm. Largior isthuc Delium aliquem tibi prædixisse, ut certum præscire potueris, quod ipse etiam vix divin[illegible] Delius potuerit. Licuisse tibi patrem occidere, si libuisset, verum hoc pœnæ genus tibi magis placuisse.

Sustuleris sane Tyrannidem, idque nova quadam & inusitata ratione. Vides quam multa tibi dono. Tamen obsistam tibi, nec sinam ferre præmium, propterea quod ea via sustuleris, quæ legi non probatur, quæ non expediat moribus civitatis, quæ non sit forti viro digna. Age quid si Tyranni filium infantem in cunis jugulasses, & rursum adfuisset Delius ille, per quem certum præscire posses, fore ut necato puero pater sibi mortem accerseret, atque id evenisset, utrum te tanquam Tyrannicidam suspiceret Respublica, an potius tanquam immanem & ferum hominem exsecraretur, qui in eam sævieris ætatem, cui etiam ab hoste armato parcitur, quæ leonibus etiam miseranda videatur? Quid ergo? Utetur tuo maleficio Respublica, cæterum exemplum haudquaquam probabit. Quid si tyranni uxorem, quam ille misere deamaret, per vim constuprasses, atque ille ejus impatiens contumeliæ, fugerit e vita: utrum Tyrannicidii laudem flagitabis, an raptus & adulterii supplicium potius formidabis? Res obscura non est: Conferam tuo facto propiora. Quid si Tyranni Medicus quum esses, veneno ægrotanti dato, illum sustulisses, utrum ut veneficum oderit te Respublica, an ut virum fortem admirabitur? Tyrannum sublatum gaudebit, facti rationem, modumque detestabitur. Quid si, quum te Tyrannus familiariter uteretur, tu in convivio prætextu necessitudinis venenum porrigeres? Denique si per magicas imagines, ac maleficas quasdam devotiones Tyranno vitam ademisses: utrum a lege præmium, an pœnam exspectares?

Atqui tyrannidem utcunque sustulisti. Eventu gaudet lex. Verum exemplum tam perniciosum in Rempublicam non recipit: ut consuescant cives scelus ulcisci scelere, patrem in filio jugulare. Vides quantum momenti sit in modo, viaque, ut factum tuum approbetur? Quod lex permittit ut fiat, non statim permittit, ut id via qualibet efficias. Adulterum ferro occidere licet: veneno aut incantamentis non licet. Cur ita? Quia pestilens exemplum omnino tractare venena. Nec id ulla causa quantumvis honesta, sinit in civitatem irrepere. Quid quod ne hostem quidem veneno, aut malis artibus interficere fas est? Nam nusquam non improbat maleficia lex: & veneno tincta tela etiam in bellis interdicta sunt. Quod si modus facti spectatur in his in quibus nullum petitur præmium, quanto magis id fiet in his in quibus summum petitur. Lex triumphum statuit ei, qui certum hostium numerum fuderit. Fuderit aliquis non acie, sed aquis & pabulo veneno tinctis. Utrum cives hunc æquis oculis spectare poterunt triumphantem, an potius sicuti veneficum oderint, aversabuntur, exsecrabuntur? Quid quod privatis etiam in rebus via, modusque perpenditur: quo magis idem oportebit, tum in publico, tum in splendidissimo facinore, ut a quo conveniat omnem sceleris suspicionem abesse? Age illud tecum reputa, si Medico mercedem pactus esses, quo te morbo levaret, atque ille non pharmacis, sed maleficiis & incantamentis morbum exemisset, utrum præmium dabis, an magis hominem in jus trahes? injuriæ malis artibus datæ reum ages? Clamabit ille, morbo te levavi, qua via quid isthuc tua refert? Hoc tantum spectabas, ut morbo liber esses, ei rei merces est promissa. Ingratum te vocabit, qui nisi sua opera, ne esses quidem qui præmium negare posses. Tu protinus respondebis, opinor, Medico te præmium esse pollicitum, non Mago, neque debere quicquam, nisi rem malam ei qui beneficium male dederit. Quanquam ne dedisse quidem videtur, qui malum malo tollit. Id enim mutare est incommodum, non amovere. Dices enim animo nocitum, dum corpori subvenitur. Atque istam litem vinces, etiam iniquo judice. Atqui eadem, aut melior etiam & vincibilior est tecum causa legi, quam quæ tibi futura fuerat cum Medico. Nam ibi de privata mercedula disceptaretur, hic de publico honore. Ibi falsus est unus, hic legi fraus facta, per quam cautum oportuit, ne quisquam civium circumveniatur. Ibi salus data, certa quidem & efficaci, sed suspecta & improbata via: hic nefario scelere (cur enim non sic appellatur homicidium, quod in civem contra legem admissum sit?) non libertas restituta, sed in extremum discrimen, adducta Respublica, quandoquidem tuum factum perinde habet, ac si Medicus quispiam ad curam mercede conductus, venenum pro remedio ministret: quod tamen ægrotanti (ita ut non raro consuevit accidere) per occasionem morbum adimat. Qui revaluit, suis fatis acceptum feret quod vivat, tibi mortem, tametsi vitarit, imputabit. Neque sua referre putabit, utrum imperitia, an perperam, ac studiose pro pharmaco venenum porrexeris: propterea quod tui fuerat officii, aut non suscipere negocium, aut fidem simul, & artem, & industriam, ac diligentiam, & quicquid a probato artifice solet requiri, ad curam adferre.

Sed age sinimus adhuc possidere te, quod dudum sumus largiti; ut plane ista via Tyrannum occideris, citra ullum Reipublicæ discrimen, Lex non approbabit facinus tuum: nisi non tantum a crimine, verumetiam ab omni criminis specie procul abfuerit: ne videlicet ea, quæ in hoc potissimum adhibita est in civitatem, ut maleficium omne secludat, incolumitatem suam, quam conveniebat aut Deo cuipiam, aut certe Diis simillimo homini, acceptam referri, sceleri debere dicatur. Non approbabit, inquam, nisi Tyrannum ipsum quem nominatim indicavit ipsa, quaque permittit via, sustuleris: ne per rimam istam periculosum exemplum in Rempublicam irrepat. Postremo nisi ferro, non clancularіis ac maleficis artibus: nisi virtute, nisi manu, nisi vitæ tuæ manifesto contemptu Tyrannum trucidaris. Neque enim hoc tantum spectat lex, ut Tyrannus in præsens submoveatur: verum illud multo magis respicit, ut omnes mortales intelligant in ea civitate viros esse fortes, qui non vereantur vitæ suæ dispendio patriæ commodis consulere, ac præclari exemplo facinoris, omnes etiam in posterum ab affectatione Tyrannidis deterreantur: cum videant in ea civitate nullum esse Tyrannis satis tutum præsidium: quandoquidem illud nemo nescit, qui vitæ suæ sit contemptor, eum esse alienæ vitæ dominum. Nam quod omnino satellitium, quæ excubiæ, qui parietes, quæ arx, quæ arma adversus hujusmodi animum Tyranni caput defendant: qui patriæ libertatem sua vita bene credat emi?

Postremo autem, ut maxime tibi constet animus, ut constet via, id quod est totius negocii caput, non effecisti. Tantum enim abes ut, Tyrannum occideris: ut, quantum in te fuit, tyrannidem majorem in modum auxeris, interfecto Tyranni filio. Quid autem refert, malitia, an stultitia Rempublicam in discrimen adduxeris? Nam illo quod vulgo dicunt nihil verius: Intempestivam benevolentiam nihil a simultate differre. Tantum abest ut occideris Tyrannum: ut ne suspicari quidem potueris id eventurum, ut ipse semet occideret. Sed juvenem occidisti patre insolentiorem: quid tum postea? si patri & hujus scelera lex imputat? Magnum proinde Tyranni satellitem, non Tyrannum occidisti. Sed paratum tyrannidis hæredem occidisti: in tyrannidem succedit, qui prior, qui potior est in occupando. Verum esto sane, certum hæredem sustuleris: igitur qui Tyrannus erat futurus, interemisti. Atqui quod futurum est, id nondum est. Porro lex eum qui jam Tyrannus sit, tolli jubet: non quem aliquando futurum divines. An qui statuam ex pacto debeat, & rudem truncum præstiterit, fidem persolvisse videatur? Non arbitrabor. Ubi nunc igitur sunt illa tam multa, quæ tibi ad præmium postulandum supererant? Vides quam ne unum quidem omnium tibi constet, quorum nihil oportebat deesse. Volui, inquis: id demum voluisse te lex credit, quod effeceris. Postea e re nata propositum est commutatum. Hoc igitur præmii tibi debetur, quod ei qui in Olympiis medio e cursu, relicta meta, ad carceres reflectit habenas.

At periclitatus es. Proinde id laudis auferes, quod is qui sudavit in Olympiis, nec vicit. Sed occidisti denique: verum eum, quem neque lex permittebat arbitrio tuo, neque ex usu publico fuerat occidi. At bene vertit civitati quod fecisti. Numini igitur gratia debetur, tali, qualem Palladem Atticis fuisse ferunt: de qua proverbium exstat, quod Atheniensium male consulta, in bonum exitum vertere consuevit. Non tu leges servasti, sed sustulisti: non libertatem restituisti, sed numen aliquod huic urbi propitium, quod eventum tuæ temeritati debitum, sua commoditate a nobis avertit, quod tuam stultitiam nobis vertit in occasionem restituen-

stituendæ libertatis. Non ego ingratum erga te populum constituo, imo tu populum ingratum in Deos reddere laboras: quem quum semel in periculum vocaris, ne pro simplici tyrannide duplicatam pateretur, nunc rursum in discrimen trahere conaris, ne ab iratis Superis in pristinam servitutem, aut gravius aliquod infortunium retrudatur. Quid tu te fucis & phaleratis dictis in alienum meritum insinuas? Quid tibi in eo negocio laudem universam vendicas, ex quo præter pœnam temeritatis, nihil ad te redire merito possit? Si Reipublicæ, si judicibus probare potes animum tuum tyrannicida dignum, qui nullum periculum vitæ Reipublicæ causa recusarit: si facinus non scelere, non pernicioso exemplo, sed legitima via peregisti, si fortuna tuis egregiis conatibus bene expeditum dedit eventum: aude tyrannicidam te vocare, aude pulcherrimum, ac pene divinum munus a Republica poscere: aude nobis servatas leges, restitutam civitatem, aude templa, aras, focos, fortunas omneis, tutos pueros, inviolatas virgines, impolluta matrimonia, denique hoc ipsum quod hic lege & apud judices agimus, exprobrare: aude mihi minari, quod obstiterim: aude civitatem ingratitudinis insimulare, nisi laudem promeritam persolverit, aude judices vel iniquos, vel corruptos clamitare, nisi suis sententiis præmium tibi decreverint. Contra, si suspectum quid volueris, si periculosum, si contra leges, si cum scelere conjunctum quod feceris: sit pudor, ac desine tandem improbe præmium flagitare, quod nulla ratione promerueris: pœnam, si sapis, incipe deprecari. Isthuc fortassis ab æquitate judicum, a civitate Deorum munere læta, queas impetrare. Neque enim putes unum me te a præmio deterrere.

Imaginare isthac in causa pariter & leges, & Rempublicam & Deos tibi adversari. Puta leges his tecum verbis agere: Si nos vero restitutas videri vis, sine nostram auctoritatem primum in hac tua causa valere. Longe plus laudis ex hoc judicio referes, si nobis cesseris, si parueris, si tuam cupiditatem nostro submiseris arbitrio, si primum exemplum in te civibus edideris, revixisse nos, si monstraris civitati jam non ex sceleratorum libidine, sed ex nostro præscripto cuique vivendum esse. Atque altera ex parte Rempublicam hac tecum oratione uti puta. Si civem bonum mihi præstare studes, noli hanc stultitiæ notam mihi inurere: ut in posterum recognita, dicar ebrietate quadam gaudiorum ei præmium decrevisse, cui pœna magis deberetur: noli mihi Deos, quos vix denique tam diutinis votis, tot sacris, tot precibus, tot meis malis placavi, commovi, propitios reddidi, denuo per ingratitudinem iratos atque infensos reddere. Sine ut mihi per te liceat, saltem illorum beneficio frui. Quod si te neque leges, neque Respublica commovet: certe Deorum orationem vereri debes, quos ita tecum agere putato. Quid tu te in nostræ laudis possessionem ingeris? Quid honori nostro invides? Cur non finis nos in hanc civitatem perpetuo benignos esse? Cur tu ipse tam ingratus existis? Civitas hæc semel mihi restitutam libertatem debet, tu bis debes, commoditati nostræ: & quod Rempublicam servavimus, cujus tu pars es, & quod commoditate nostra tuam periculosam stultitiam, vel scelus potius, in maximam felicitatem verterimus. Etenim nisi nos dextri propitiique adfuissemus, quid aliud tu quam perieras, & per te Respublica. Quod si plane contendis, ut præmium aliquod feras, abunde magnum præmium a nobis persolutum est, quod per nos res a te male instituta, bene verterit. A legibus merito major relata gratia, si nostræ prosperitatis respectu, temeritatis simul & sceleris veniam condonarint. A civitate satis amplam laudem feres, si ea patiatur, ut in restitutæ libertatis historia tuum quoque nomen admisceatur. Hac laudis parte contentus desine nobis debitum velle præripere, civitati munus nostrum eripere, legibus auctoritatem adimere. Sed finem facio, nimirum exstillata jam aqua.

Quod superest, nunc vestræ partes sunt, judices, statuere, utrum secundum leges, secundum Deos, secundum Rempublicam sententiam dicere, an secundum hunc gloriosum ostentatorem pronunciare velitis. Utrum hanc urbis felicitatem hujus temeritati, hujus sceleri acceptam ferre malitis, sæpius exprobrandam, & brevi fortassis a Superis iratis (id quod abominor) auferendam: an in Deos quibus sine controversia tota debetur, referre, eorundem pietate servandam, augendam, beneque fortunandam. Utrum magis ex usu sit, ut primo hoc judicio statim leges circumventæ dicantur, an ut appareat legum restitutarum severitatem, & judicum sapientiam adversus unius iniquam postulationem valuisse.

DESIDERIUS ERASMUS ROTERODAMUS

M. JOANNI PALUDANO,

RHETORI LOVANIENSIS ACADEMIÆ,

S. P. D.



T intelligas, humanissime Paludane, Erasmum illum tuum tametsi per omnes terras mariaque volitantem, tamen tui memoriam perpetuo secum circumferre: mitto quasi symboli vice Luciani Dialogum: cui titulus, περὶ τῶν ἐπὶ μισθῷ συνόντων. *Quem in Italiam profecturus, in ipso pene procinctu Latinum feci. In eo non sine voluptate tanquam in speculo, videbis aulicæ vitæ incommoda: quæ tu mihi sæpenumero commemorare solebas, nimirum expertus, & veluti naufragio ejectus, ac vix isti liberæ, literariæque vitæ redditus. Idque feci eo studiosius: ut meo exemplo te provocarem, quo jam diu Græcanicis in literis versatus, incipias & ipse aliquando audere aliquid. Cur enim non dicam audere? Quum nullum sit mea sententia facinus audacius, quam si coneris ex bene Græcis, bene Latina facere. Vale, meque tui amantissimum mutuum ama.*

LIBELLUS

DE IIS

QUI MERCEDE CONDUCTI,

IN DIVITUM FAMILIIS

VIVUNT.



CQUID tibi primum, amice, aut quid postremum, quemadmodum vulgo dici consuevit, recenseam, ex his quæ tum facere, tum pati coguntur, qui mercedis gratia sese in alienas domos, convictumque tradunt alienum, quique in locupletum istorum amicitiam accensentur, si modo ejusmodi illorum servitutem convenit amicitiam appellare? Novi enim permulta, atque adeo pleraque omnia, quæ illis ibi soleant accidere, non per Jovem quod ipse ea experimento cognorim, (neque enim mihi unquam experiundi incidit necessitas, ac ne quando incidat, Dii prohibeant) sed quod complures qui in hoc vitæ genus inciderant, apud me soliti sint commemorare: partim qui in ipsis etiamdum malis constituti, quæ & quanta ferrent deplorabant: partim qui tanquam e carcere quodam profugi, non absque voluptate recordabantur commemorabantque ea quæ fuerant perpessi.

Imo, juvabat revocare ob oculos, quas ærumnas effugissent. Atque hi quidem digniores mihi visi sunt, quibus fides haberetur: ut qui ejus sacri ritus (ut ita dixerim) omnis omniaque mysteria perdidicissent, cunctaque ab initio ad finem usque perspexissent. Hos igitur haudquaquam indiligenter, nec oscitanter audire soleo, veluti naufragium quoddam, ac præter spem objectam salutem enarrantes. Cujusmodi sunt isti, qui in templis deraso capite, complures simul obambulantes, immanes undas, procellas, sublatos in cœlum fluctus, jactus, malos fractos, gubernacula revulsa narrant. In primis autem geminos Castorem & Pollucem apparentes (nam hi peculiariter ad hanc Tragœdiam pertinent) aut alium Deum quempiam repente, quemadmodum in fabulis fieri convenit, exortum: summisque antennis insidentem, aut juxta clavum adsistentem: qui navim ad littus aliquod molle dirigeret, ad quod appellens futurum esset ut & ipsa paulatim ac lente solveretur, & ipsi tuto in solum descenderent, idque ope favoreque divino. Atque isti igitur permulta id genus ad præsentem commoditatem exaggerantes, commemorant: quo videlicet a pluribus stipem accipiant: si non calamitosi modo, verumetiam Diis cari esse videantur. Porro ii dum eas quas in tectis tulerunt tempestates referrent, atque immanes illas undas, quin etiam decumanos fluctus, si fas est dicere: & quemadmodum primum a littore solverint mari tranquillo: quantumque molestiarum perpetua navigatione sint perpessi: dum sitiunt, dum nauseant, dum salo perfunduntur. Denique quemadmodum infelici navigio in cautem quampiam sub undis latentem, aut in scopulum aliquem præruptum, & asperum illiso, fractoque miseri ægre enatarint, nudi, cunctarumque rerum inopes. Hæc, inquam, quum referrent, mihi quidem visi sunt permulta præ pudore subticere, volentesque ac scientes oblivisci. At ego etiam illa, præterea autem & alia nonnulla ex illorum narrationibus conjectans, deprehendi quicquid ærumnarum cum ejusmodi convictibus conjunctum est.

Quæ quidem omnia haud gravabor, optime Timocles, tibi percensere. Jampridem enim mihi videor animadvertisse, te de capessenda hac vitæ ratione cogitare. Nam olim quum his de rebus sermo incidisset, mox ex his qui præsentes erant, quispiam mercenarium hoc vitæ genus laudare cœpit, fortunatissimos eos affirmans, quibus contigisset horum uti familiaritate, qui apud Romanos essent optimates: tum conviviis adesse opiparis, idque immunes: præterea splendidis in ædibus diversari: tum peregrinari omnigena cum commoditate, voluptateque, alba interim in rheda (si forte libeat) resupinatos. Insuper ob hanc amicitiam, obque commoditates quibus afficiuntur, etiam mercedem capere: id vero non mediocre videri. Istis enim haud dubie citra semen[illegible]em ac culturam (quod ajunt) cuncta provenire. Hæc igitur atque id genus alia quum audires, animadverti quemadmodum ad ea inhiaveris, quamque avide ad escam os apertum porrexeris. Proinde ne quid mihi certe in posterum possis imputare, neque expostulare queas: quod quum te conspiceremus tantum una cum esca deglutientem hamum, non revocaremus, neque priusquam in guttur demergeretur, revulserimus, neque præmonuerimus: verum posteaquam cessassemus, donec eo jam adacto atque infixo trahi jam, ac vi duci conspiceremus, tum quum nihil opis afferri possit, frustra adesse nos atque illachrymari. Hæc inquam, ne quando possis dicere, quæ si dicantur, merito profecto dicantur, neque a nobis refelli possent, quo minus peccasse videremur, ut qui prius ista non indicassemus: audi nunc ordine omnia. Ac rete quidem ipsum cujusmodi sit, quamque nullum habeat exitum, non intus mediis in finibus involutus, sed foris tuto atque per ocium ante contemplator, unci æris aculeum, reflexam hami aciem, ac tridentis cuspides manu tentans, malaque admota experiens. Quod nisi vehementer acuta, nisi sic illigantia, ut effugiendi nulla sit facultas, nisi dira vulnera factura videantur, acriter trahentia, & inexplicabiliter retinentia, nos quidem inter formidolosos, atque ob id etiam pauperes, famelicosque adscribito: ipse vero sumpta fiducia, venatum istum, si videtur, aggreditor, Lari in morem totam escam hiatu deglutiens. Atque in universum quidem forsitan tua causa omnis hic sermo dicetur. Quanquam non solum de vobis Philosophis, aut his quicunque vitæ institutum sibi delegerunt cum virtutis studio conjunctius, verumetiam de Grammaticis, Rhetoricis, Musicis, breviter de omnibus, qui in doctrinæ professione versari, quæstumque facere proposuerunt. Cæterum quum omnia sint inter istos communia, eademque prorsus accidant omnibus, palam est Philosophorum conditionem non esse a reliquis eximiam. Imo hoc illis turpius ista contingere, quum sint cum aliis communia, si ii qui conducunt, non aliis præmiis eos quam reliquos dignos judicent, nihiloque magis quam cæteros in honore habeant. Sed quicquid erit, quod narrationis series aperiet, ejus culpam potissimum in ipsos conferre par est, qui ejusmodi faciunt: deinde in eos qui talia sustinent. Ego vero culpari non debeo, nisi forte veritas & libertas in commemorando reprehensionem mereatur. Ac reliquum quidem hominum vulgus, puta palæstricos quospiam, aut adulatores imperitos, sordidoque animo, ac suopte ingenio humiles & abjectos homines, ne operæ precium quidem fuerit ab ejusmodi convictu dehortari, quippe nequaquam obtemperaturos: neque rursum æquum sit illis vitio vertere, quod non relinquant suos conductores, etiam plurimis ab illis contumeliis affecti. Sunt enim ad eam vitæ rationem accommodati, factique, neque ea videlicet indigni. Præterea ne habeant quidem aliud quippiam, ad quod sese convertant, & in quo sese exerceant, adeo ut si quis eam vitam illis adimat, ignavi illico, consiliique inopes, desidiosi atque inutiles reddantur. Quamobrem nec ipsi rem aliquam indignam patiantur, nec illi contumeliose facere videantur: si (quod ajunt) in matellam imminxerint. Etenim ad easipsas contumelias jam inde initio præparati, conferunt sese in familiam, atque hæc sola illis ars suppetit, ferre & perpeti quicquid acciderit. Cæterum eruditorum nomine, de quibus institueram loqui, merito indignandum, enitendumque, ut quam maxime fieri potest, eos inde revocatos, in libertatem vindicemus.

Videor autem recte facturus, si quibus de causis se quidam ad hoc vitæ genus conferunt, eas causas excussero: parumque idoneas, atque efficaces esse demonstravero. Siquidem eo pacto omnis illis præripietur excusatio: summusque ille titulus, quo suam spontaneam servitutem solent obtexere. Jam igitur plerique paupertatem & rerum necessariarum inopiam proponunt: atque eam umbram satis idoneam existimant, qua suum factum prætexant, quod ultro ad eam vitam accesserint. Ac sibi sufficere credunt, quum ajunt se quiddam ignoscendum facere: qui id quod est in vita molestissimum, nempe paupertatem, studeant effugere. Postea in promptu Theognis, atque illud plurimum in ore:

Nam quemcunque virum paupertas enecat.

Et si quæ alia terricula abjectissimi quique Poetæ de paupertate prodiderunt. Equidem si viderem ex hujusmodi convictu paupertatis effugium aliquod vere contingere, non admodum anxie cum eis de vehementer amplectenda libertate disceptarem. At posteaquam ejusmodi quædam accipiunt, cujusmodi sunt ægrotantium alimenta (quemadmodum egregius ille dixit Orator) qui queant effugere, quo minus in hoc ipsum parum recte sibi consuluisse videantur, nimirum semper illis manente eodem vitæ illius argumento? Semper enim manet paupertas, semper accipiendi necessitas, nihil quod seponatur, nihil superest quod reservetur. Verum quicquid datum fuerit, ut detur, ut universum etiam capiatur, prorsus omne insumitur, ita tamen ut ne id quidem in usus sufficiat. Rectius autem futurum fuerat, si nequaquam causas ejusmodi comminiscerentur, quæ paupertatem servant aluntque, atque eatenus duntaxat opitulantur, verum quæ illam tandem aliquando tollant. Ac forsitan tibi hoc volebas Theogni, quum diceres eam in altum mare ac præruptis de scopulis præcipitem dari oportere. Quod si quis semper pauper, semper egens, quum semper mercede conductus mereat, hoc ipso sese arbitretur aufugisse paupertatem: non video qui fieri possit, quo minus hic ipse sese fallere videatur.

Rursum alii negant sese paupertatem formidaturos, si modo reliquorum hominum in morem possint suo labore, suaque industria sibi victum suppeditare. At nunc sibi fractas esse corporis vires, seu senio, seu morbis: eoque ad eam vitam mercenariam facilem videlicet atque commodam confugere. Age igitur, inspiciamus num vera prædicent, & num ea quæ dantur ex facili illis suppetant, non multo neque adeo majore labore constent, quam vulgo suus victus.

Nam

Nam id quidem etiam votis expetendum, uti citra laborem, citra sudorem, nullo negocio paratum argentum accipias. Verum quam hæc absint a vero, istud profecto ut dignum est, ne dici quidem satis potest: tantum laborum, tantum sudorum in ejusmodi convictibus exhauriendum, ut hic ne valetudo quidem ad id par sit: quippe quum quotidie sexcenta non desint negocia, quæ corpus conficiant, adque extremam usque defectionem delassent. Verum hæc suo loco dicemus, quum etiam reliquas illorum incommoditates commemorabimus. In præsentia sat erat leviter ostendere, qui se ajunt hac de causa in servitutem addicere sese, ne istos quidem vera dicere.

Superest jam ut eam causam referamus, quæ quidem ut est verissima, ita ab illis minime profertur. Nempe, ipsos voluptatis gratiâ, & amplis illis spebus incitatos, ultro invadere familias divitum, auri argentique vim & copiam admiratos: præterea quod felices sibi videantur ob convivia, reliquasque ejus vitæ delicias: sperantes futurum, uti mox, nemine vetante, affatim aurum bibant. Hæc nimirum sunt quæ illos adducunt, atque ex liberis servos constituunt: non rerum necessariarum usus, quem prætexebant: sed rerum non necessariarum cupiditas, atque ingentium illarum & amplarum opum admiratio. Enimvero quemadmodum miseros istos, atque infelices amantes, callidi quidam & veteratores amasii receptant & fastidienter ducunt, lactantque videlicet quo jugiter amantes, ambiant ipsos atque inserviant. Cæterum ex amoris fructu, ne summo quidem osculo impertiunt. Intelligunt enim copia facta dissolvendum amorem. Id igitur ne fiat, præcavent, diligenterque sui copiam subtrahunt. Alioqui spe semper retinent amantem: metuentes, ne desperatio minuat cupiditatis ardorem: amantemque ab se alienet. Proinde semper arrident, pollicenturque, semper facturi sunt, semperque gratificaturi, semperque ingentium sumptuum rationem habituri: donec imprudentes ambo senuerint, atque utrique jam præterierit ætas: huic ad amandum, illi ad dandum. Atque ita omni vita nihil illis peractum est ultra spem meram. Atqui voluptatis cupiditate nihil non ferre, id quidem forsitan non usque adeo vitio vertendum: quin magis venia danda, si quis voluptate capiatur, & hanc undequaque consectetur, quo possit ea potiri: quanquam turpe forsan ac servile, si quis ea gratia semet in jus tradat alienum: propterea quod voluptas, quæ ex libertate percipitur, multo suavior est, quam ea quam ille libertatis jactura sectatur. Attamen hoc quoque aliquo pacto ignoscendum illis sit, si modo consequantur. Verum enimvero ob solam voluptatis spem, multas perferre molestias, equidem & derididiculum arbitror, & stultum: maxime quum videant labores certos esse, manifestos, & inevitabiles: porro illud quod speratur, quod quidem nihil aliud tandem est quam voluptas, ne tam longo quidem tempore contigisse. Præterea autem, nec verisimile videri, ut contingat aliquando, si quis modo rem recta reputet via. At Ulyssis quidem socii, dulci quadam gustata loto reliqua negligebant, ac præsenti voluptate deliniti honesta contemnebant, ut non prorsus cum ratione pugnarit in illis honestatis oblivio: nimirum animo voluptatis illius sensu occupato. Verum si quis famelicus alii cuipiam loto sese ingurgitanti, neque quicquam inde impertienti, assistat, idque solam ob spem, quod credat fore, ut & ipsi aliquando degustandam lotum porrigat: assistat, inquam, ad hunc modum, recti atque honesti oblitus, Dii boni quam hoc ridiculum, planeque verberibus quibusdam Homericis dignum.

Ergo quæ istos ad divitum convictum adducunt, & quibus impulsi sese illis dedunt, ad quodcunque lubitum fuerit utendos, hæc sunt, aut his ferme simillima. Nisi si quis & illos commemorandos esse judicat, quos hæc una res ad id commovet, quod gloriosum arbitrantur, cum illustribus atque opulentis viris habere consuetudinem. Sunt enim qui hoc quoque præclarum ac magnificum supraque plebem esse existiment. Nam ego quidem quod ad me proprie attinet, recusarim vel cum Persarum Rege convivere duntaxat, convictorque videri, si nullus ex eo convictu fructus ad me redeat. Quum itaque causa ejus vitæ suscipiendæ sic illis habeat, age jam consideremus apud nosmetipsos: primum cujusmodi sint illis perferenda priusquam admittantur, priusquam obtineant. Deinde cujusmodi in ipsa jam vita constituti patiantur. Postremo quæ tandem catastrophe, quis fabulæ exitus illis contingat.

Neque enim illud dicere possunt: hæc tametsi molesta sint, tamen assuesci facile, neque ad id multo opus esse labore, sat esse si velis modo: postea reliqua omnia factu fore facilia. Imo necesse est ut primum diu sursum ac deorsum cursites, mane excitatus assidue pro foribus obverseris, ut perdures, quum protruderis, quum excluderis, quum improbus interdum atque importunus videris, cum janitori male Syrissanti, ac nomenclatori Libyco subjiceris, quumque nominis tui memoriam mercede redimere cogeris. Quin etiam vestitus tibi est apparandus supra tuæ rei facultatem, pro dignitate ejus cujus convictum ambis, delegendus color, quo ille potissimum gaudeat, uti ne discrepes, neve oculos illius offendas. Postremo uti gnaviter assectere necesse est, vel antecedas potius, a famulis protrusus, ac veluti pompam quandam expleas. At ille interim complures jam dies ne adspicit quidem te. Quod si quando res tibi felicissime verterit, si te respexerit, si accersiverit, dixeritque quicquid illud fuerit, quod illi forte in buccam venerit, tum denique, tum plurimus sudor, tum multa oculorum caligo, tum intempestiva trepidatio, tum sannæ eorum qui adsunt, hæsitantiam tuam ac perplexitatem ridentium. Qua quidem non raro accidit, ut quum oportuerit respondere, quis fuerit Rex Achivorum, mille naves illis fuisse respondeas. Atque id si qui sunt modesti pudorem vocant: immodesti timiditatem nominant: improbi inscitiam. Ita fit, ut tu primam hanc divitis comitatem, tibi periculosissimam expertus, ita discedas, ut tantam animi tui imbecillitatem ipse condemnes.

Porro ubi multas jam noctes insomnes duxeris: ubi plurimos dies cruentos egeris: haud quidem Helenæ gratia per Jovem, neque ob Priameia Pergama, verum spe quinque obolorum, contigerit autem & Deus quispiam tragicus qui tibi sit auxilio: jam illud restat, ut exploreris excutiarisque, num literas noris. Atque ea quidem disceptatio non injucunda est ipsi diviti: quippe qui laudatur interim, ac felix esse prædicatur. Cæterum tibi videtur, de vita ipsa, deque omni fortuna tum certamen esse paratum: propterea quod tibi venit in mentem, idque merito, futurum ut alius nemo sit admissurus, si prius ab hoc rejectus ac repudiatus videare. Interim in varias curas distraharis oportet: dum invides iis qui pariter ex æquo tecum examinantur. Finge enim & alios esse, qui ejusdem fortunæ tibi sint competitores: te vero tibi videri cuncta parum absolute respondisse, metuentem interim simul & sperantem, ac misere de illius vultu pendentem: qui si quid parum probet eorum quæ dixeris, periisti. Sin arridens auscultat, hilarescis & spe bona fultus consistis. Porro consentaneum est, esse non paucos, qui tibi adversentur, atque alios in tuum locum velint inducere. Horum unusquisque clanculum velut ex insidiis in te jaculatur. Jam vero illud considera, quale sit virum promissa barba, cana coma, examinari, nunquid bonæ rei didicerit, & aliis quidem didicisse videri, aliis secus. Superior interim vita, & omnis anteacta ætas tua curiosius disquiritur. Quod si quis aut civis invidia, aut vicinus levi quapiam de causa provocatus te deferat, & adulterum dicat vel pæderasten: is protinus, juxta vetus illud proverbium, ex Jovis tabulis testis. Porro si pariter omnes bene de te prædicent, suspecti, leves, ac largitione redempti videbuntur. Nam admodum omnia tibi constent oportet. Nihil prorsus sit, quod tibi queat obsistere. Alioqui nunquam obtinueris. Age sane, hoc quoque contigit, ac bona quapiam fortuna cuncta tibi feliciter cesserunt, & probavit ipse doctrinam tuam, & amicorum præcipui, quibusque ille hujusmodi in rebus plurimam habet fidem, non dehortantur. Ad hæc vult etiam uxor. Non refragatur domus præfectus, neque item dispensator. Nemo tuam insimulavit vitam, dextra omnia & omni ex parte bene promittunt sacra.

Vicisti igitur ô fortunate, & coronatus es Olympia. Quin Babylonem magis cepisti, aut Sardium arcem occupasti. Habebis copiæ cornu & gallinaceum lac emulgebis, jam sane par est, ut aliquando præmia capias, maxima videlicet, & quæ laboribus tantis respondeant, ne corona tua frondea duntaxat sit, simul ut merces haudquaquam contemnenda præstituatur, eaque commode ad usum citraque negocium persolvatur, utque reliquus item honos tibi præter ministrorum vulgus suppeditetur. Cæterum a laboribus illis, a luto, a cursitationibus, a vigiliis, in ocium te recipias,

pias, uti id quod vulgo solent optare mortales, porrectis pedibus dormias, nihilque jam facias præter ea sola, quorum gratia primum receptus es & in quæ conductus. Ita enim consentaneum fuerat, Timocles, neque ingens malum erat futurum, si quis subdita cervice ferat jugum, leve nimirum & portatu facile, quodque est omnium maximum, auro illitum. Atqui longe secus res habet, imo nihil horum reperietur. Siquidem in mediis ipsis id genus convictibus, sexcentæ res accidunt, viro ingenuo neutiquam tolerandæ. Quæ quum audieris, ipse tecum ordine reputato, num quisquam ea perpeti queat, cui quidem cum eruditione vel minimum commercii fuerit.

Exordiar autem si videtur a primo convivio, unde consentaneum est te consuetudinem illam auspicaturum. Primum igitur, adest tibi quispiam, qui te jubeat ad convivium accedere: famulus non incomis qui tibi prius placandus datis in manum, ne videaris incivilis, ut minimum quinque drachmis. At ille Accissans, seque quum maxime cupiat, cupere dissimulans: Apage inquit. Egone quicquam abs te? Addit & illa, absit, Dii prohibeant. Tandem flectitur atque obtemperat, ac discedit, te late diducto rictu subsannans. Tu porro nitida sumpta veste, mundissimeque cultus: lotus accedis, sollicitus interim, ne prior aliis advenias. Nam id inurbanum, quemadmodum postremum venire, grave. Proinde media inter utrumque observata opportunitate ingrederis, teque sane quam honorifice excipiunt. Tum arrepta manu te quispiam jubet accumbere, paulo supra divitem, inter duos ferme veteres amicos. At tu perinde atque in Jovis ædes veneris, nihil non admiraris, & ad omnia quæ geruntur suspensus inhias, propterea quod nova tibi atque invisa sint cuncta. Interim familia te spectat, omnesque qui præsentes sunt, quid agas observant. Neque vero ea res curæ non est ipsi diviti, quippe qui famulis aliquot præmonitis negocium dederit, ut oculis observent, quemadmodum te geras in pueros aut in uxorem, num subinde ex obliquo respectes. Ac reliqui quidem convivæ, simul atque te vident propter imperitiam ad ea quæ fiunt attonitum, ac stupefactum, derident clanculum, conjectantes te nunquam antea apud alium quempiam cœnasse, novumque tibi esse ut mantile apponatur. Proinde, sicuti verisimile est, præ hæsitantia sudes oportet, ac neque cum sitias, audeas potum poscere, ne vinosus videare: neque variis appositis opsoniis, & in ordinem quendam exstructis, scire posses, cui prius aut posterius manum admoveas: Quare ad eum qui proximus accumbit respectes necesse est, atque eundem imitatus, convivii rationem & ordinem discas. Alioqui anceps sedes, & varians, animoque penitus perturbato, & ad omnia quæ illic geruntur obstupescens. Atque interim quidem, divitis admiraris felicitatem, propter auri vim & eboris, tantasque delicias. Interim tuam ipse deploras infelicitatem, qui quum nullius sis rei, tamen vivere te credas. Nonnunquam & illud in mentem venit, fore ut admirandam & expetendam quandam vivas vitam, quippe qui sis omnibus deliciis illis fruiturus, cunctorumque ex æquo futurus particeps. Arbitraris enim te semper Bacchanalia festa celebraturum. Quin & adolescentuli formosi præministrantes, ac silentio arridentes, suavius in posterum hoc vitæ genus pollicentur, ut Homericum illud nunquam desinas in ore habere:

Haud vitio verti debet si Troja pubes
Armatique simul Danai, sub Marte laborum
Pondera tanta ferant!

Ob tantam videlicet felicitatem. Accedunt ad hæc invitatiunculæ ad bibendum. Ac postulato perquam ingenti scypho quispiam, præbibit tibi, præceptorem, aut aliud quiddam denique te appellans. At tu recepto scypho quid vicissim oporteat respondere, propter ejusmodi morum imperitiam, ignoras, jamque rusticanus, & inelegans esse videris. Cæterum ea propinatio multorum veterum amicorum invidiam in te concitavit, e quibus nonnullos jamdudum tuus accubitus clanculum urebat, quod modo quum adveneris, iis anteponare, qui multorum annorum servitutem exhauserint. Protinus itaque talia quædam de te inter illos dicta feruntur: Illud, scilicet, malis nostris deerat, ut etiam iis qui nuper in familiam commigrarunt, posthabeamur. Et solis Græculis patet urbs Romana. Et quid habent, quamobrem nobis debeant anteponi? Num mirificam quandam utilitatem adferre videntur, quum verbula quædam misera dicunt? Rursus alius, hæc: An non vidisti, quantum biberit, quemadmodum cibos appositos avide corripiens devorarit? Homo inelegans, ac fame enectus, qui ne per somnium quidem unquam fuerit albo pane saturatus, multo minus alite Numidica, aut Phasiano, e quibus nobis vix ossa reliqua fecit. Porro tertius, fatui, inquit, priusquam quinque abeant dies, videbitis hunc nihilo pluris fieri quam nos. Nam nunc quidem, non secus atque calcei novi solent, in precio est, & habetur carus: verum ubi crebro jam fuerit calcatus, lutoque deformatus, tum misere sub lecticam abjicietur, cimicibus quemadmodum nos oppletus: Atque inter illos talia permulta de te jactantur. Ex quibus aliquot jam tum etiam ad calumniandum insimulandumque te incitantur. Omne igitur illud convivium tui plenum, ac plerique de te sermones. Tu vero propter insolentiam atque insuetudinem plus quam sat est hauris vini tenuis & acris, eoque jamdudum alvo tibi cita discruciaris: verum neque decorum tibi ante alios e convivio discedere, neque rursum manere tutum. At producta interim in longum potatione dum sermo alius ex alio nascitur, dum spectacula alia post alia proferuntur in convivium (nam universum fortunæ suæ strepitum tibi cupit ostentare) non mediocriter discruciaris, cui non liceat, neque videre quæ geruntur, neque auscultare, si quis voce, citharave canat egregie dilectus adolescentulus. At laudas tamen invitus: cæterum animo illud optas, ut aut terræ motus repens ortus ea cuncta discutiat, aut incendium aliquod renuncietur, quo simul convivium tandem aliquando dirimatur.

Habes, amice, primum illud scilicet & suavissimum convivium, quod mihi quidem haudquaquam suavius sit cepis, candidoque sale, libere quum velim ex his, & quantum velim edenti. Verum ut ne tibi commemorem ructus acidos, qui deinde sequuntur, ut ne nocturnos vomitus, mane vobis erit de mercede pacto transigendum, quantum, & qua anni parte te oporteat accipere. Ergo præsentibus duobus aut tribus amicis, accersito te, & considere jusso, sic loqui incipit: Facultates nostræ cujusmodi sint, jam perspicere potuisti, quam nullus in his fastus, sed citra ostentationem, moderata ac popularia omnia, sed mediocria omnia ac plebeja. Sic autem animum inducas velim, ut existimes omnia nobis fore communia. Nam ridiculum profecto, si quum carissimam possessionum mearum partem, puta meam ipsius vitam, aut per Jovem, liberorum etiam (si fors illi liberi fuerint erudiendi) tibi credam, non aliarum item rerum te mecum ex æquo dominum ac possessorem existimem. Cæterum quando certi quippiam est præfiniendum, equidem video vitæ tuæ frugalitatem, & animum paucis contentum. Neque non intelligo haud mercedis adductum spe te in nostram venisse familiam, verum aliarum gratia rerum: puta nostræ in te benevolentiæ causa, tum honoris, qui tibi præter omnes continget. Attamen præfiniendum est aliquid. Quin ipse magis quod videbitur statuito, habita ratione, vir amicissime, munerum etiam illorum quæ quotannis festis diebus a nobis accepturus videris. Neque enim vel ista nobis fuerint neglectui futura, etiam si nunc hæc pactione non complectamur. Scis autem complures per annum ejusmodi munerum occasiones incidere. Horum igitur habita ratione, moderatius nimirum præmium nobis præscribas. Præterea decet etiam vos homines eruditos, pecuniam negligere. Hæc ille dicens, totumque te varia spe labefactans, mitem sibi ac tractabilem reddidit. Tu porro qui dudum talenta, ac multa nummûm millia somniaras, solidos agros, & familias, sentis quidem tacitus apud te hominis sordes ac parsimoniam: nihilominus blanditur tibi pollicitatio tamen: atque illud, communia futura sunt omnia, ratum & verum fore arbitraris: ignarus ejusmodi dicta:

Summis e labiis, non imo e corde profecta.

Tandem præ pudore ipse statuendi jus defers. Verum ille facturum sese negat. Cæterum ex amicis præsentibus quempiam in eo negocio veluti medium intercedere jubet, qui salarii modum pronunciet eum: qui neque ipsum gravet, ut cui plurimas tum alias in res magis his necessarias sumptus sit faciendus: neque rursus ei qui laturus est, sit omnino indignus. Atque is seniculus quispiam, divitis æqualis, una cum illo a pueris adulando educatus: Eho tu inquit,

quit, num inficias ire potes, quin unus sis qui in hac urbe vivunt omnium fortunatissimus, cui primum contigerit, quod pluribus misere cupientibus, vix a fortuna dari possit: nempe ut in hujus hominis consuetudinem admittaris, ut communes penates habeas, ut in familiam inter Romanos primariam recipiaris? Id, nimirum, tum Crœsi talenta, tum Midæ divitias superat, si modo modestus esse noris. Equidem non paucos novi magni nominis viros, qui cupiissent, etiam si quid ultro dandum fuisset, gloriæ duntaxat causa, cum isto vivere, & familiares apud hunc atque amici videri. Quapropter haud invenio, quibus modis tuam prædicem felicitatem, qui quidem ad hanc tam expetendam fortunam, etiam præmio addito admitteris. Proinde, mihi satis esse videtur, nisi plane es insolens, si tantum accipias, simulque pronunciat, sane minimum quiddam, præsertim ad spes illas tuas: attamen boni consulas necesse est. Neque enim jam possis effugere, quum intra retia tenearis. Frenum igitur recipis, mussitans, ac dissimulans, ac initio quidem non magnopere illi reluctans, facileque sequeris, ut quod non admodum te torqueat, neque stringat, donec illi tandem paulatim assueveris.

Tum vero ii qui foris sunt mortales, hoc ipso nomine tuam fortunam admirantur, quod te conspiciant intra cancellos versantem, ac nullo prohibente intreuontem, prorsusque præclaris illis opibus deliciisque domesticum quendam ac familiarem esse factum. At ipse nondum videre potes, quamobrem illi te felicem existiment, nisi quod gaudes tamen teque ipse fallis, semper futura meliora fore existimans. Cæterum contra atque speraris evenit, & quemadmodum adagio dicitur: juxta Mandrabuli morem negocium procedit, in singulos (ut ita dixerim) dies, deterius ac retro relabens. Unde paulatim velut in luce dubia, tum demum dispiciens intelligere incipis, aureas illas spes, nihil aliud fuisse, quam ampullas quasdam inauratas, labores autem esse graves, feros, inevitabiles, ac perpetuos.

Sed quinam isti sint, forsitan me rogabis. Neque enim video, inquies, quid in hac consuetudine sit adeo molestum, neque intelligo ista quæ commemoras, gravia atque intoleranda. Audi igitur, vir egregie, non molestiam modo negocii perpendens, verum fœditatem, humilitatem, prorsusque servilitatem, vel præcipue interim considerans. Principio memineris ex eo tempore, te jam neque liberum, neque ingenuum posse videri. Noveris enim te hæc omnia, genus, libertatem, progenitores ante limen relinquere, quum in hujusmodi servitutem temetipsum addicens in ædes ingrederis. Siquidem libertas tibi comes ire recusarit, ad vitam tam indignam, tam humilem te conferenti. Servus itaque (tametsi nomine ipso graviter offenderis) servus inquam, velis nolis, futurus es, neque unius servus, verum complurium, operamque servilem præstare cogeris, obstipo capite, a diluculo in vesperam usque, idque mercede vili atque indigna. Adde, quod ne placebis quidem admodum, neque domino satisfacies, neque ab illo magnifies, ut qui non a puero fueris ad servitium institutus, sed sero didiceris, atque ætate multum aliena cœperis ad id erudiri. Excruciat autem te pristinæ libertatis memoria, animo recursans, facitque ut interdum resilire conere, relucterisque, atque ob idipsum fit, ut servitus tibi molestior accidat. Nisi forte illud tibi ad libertatem sufficere putas, quod non fueris Pyrrhia aut Zopyrione patre prognatus: aut quod non sicuti Bithynicum aliquod mancipium, vociferante præcone divendaris. Atqui tum vir egregie, quum instante novilunio, Pyrrhiis & Zopyrionibus immixtus, manum itidem ut alii servuli protendis, capisque: quodcunque illud tandem est quod datur, hæc videlicet est auctio. Nam præcone nihil opus erat homini qui ipsius sui fuerit præco, quique ipse ultro sibi multo tempore dominum ambierit. Age jam ô scelestè (cur enim non dicam præsertim in eum qui se Philosophum esse dicat?) si quis te pirata inter navigandum captum, aut si quis prædo in servitutem tradidisset, teipsum deplorares, tanquam indignam fortunæ injuriam patientem. Aut si quis manu injecta, te duceret in servitutem asserens, leges inclamares, omnia faceres, acerbe ferres, & ô terra, ô Dii, magno clamore vociferareris.

Nunc vero quum ipse te, ob paucos obolos, id ætatis in qua etiam si servus natus esses, tamen tempestivum fuisset jam ad libertatem aspirare, cum ipsa virtute ac sapientia ul- A tro adductum vendideris, nihil illa reveritus, quæ permulta ab egregio Platone, Chrysippo, Aristotele disseruntur, quum libertatem laudant, servitutem damnant: an non te pudet, quum inter homines assentatores, & emptitios, ac scurras versans ex æquo cum illis æstimaris, quum in tanta Romanorum turba, solus peregrino in pallio verseris, quumque Romanam linguam perperam ac barbare sonas: præterea, quum agitas convivia tumultuosa, magna hominum turba conferta, quorum plerique collectitii, quidam sunt & improbi? Atque inter hos laudas odiose, bibisque præter modum: deinde mane ad tintinabulum expergefactus, discussa ab oculis dulcissima somni parte, una sursum ac deorsum circumcursas, hesterno luto etiamdum tibiis adhærente? B Usqueadeone te lupini, aut olerum agrestium tenuit penuria? Usqueadeo tibi defuerunt fontes frigida manantes aqua, ut per desperationem ad ista devenires? Haud puto. Quin potius palam est, te, non frigidæ aquæ, neque lupini, sed bellariorum, atque opsoniorum, vinique odorati cupiditate captum eo venisse. Quæ dum lupi piscis in morem avidius appetis, tuo merito evenit, ut hamus tibi fauces transfixerit. Itaque præsto sunt hujus intemperantiæ, gulæque autoramenta. Ac perinde atque simia a trunco revinctus collo, reliquis quidem omnibus risui es: at ipse tibi deliciis affluere videre videris, cui contigerit, affatim expleri caricis. Cæterum libertas, ingenuitas, una cum ipsis gentilibus, ac tribulibus, hæc, nimirum, evanida cuncta, atque istarum rerum ne memoria quidem ulla: quanquam hoc quo- C que ferendum, si vita ista cum hac turpitudine duntaxat esset conjuncta, quod e libero servum videri facit, non labores etiam accederent, cum illa servorum colluvie communes. Sed vide, num quæ tibi imperantur, leviora sint his, quæ Dromoni aut Tibio mandantur. Nam doctrinæ quidem, cujus rei cupiditate simularat te in familiam suam accersisse sese, perquam exigua illi cura est. Quid enim (ut dici solet) commercii asino cum lyra? An non vides, videlicet, quam misere macerentur immodico desiderio, vel Homericæ sapientiæ, vel Demosthenicæ gravitatis ac vehementiæ, vel Platonicæ sublimitatis? Quorum me hercle ex animis si quis aurum, argentum, atque harum rerum curas tollat, nihil fuerit reliquum, præter fastum, molliciem, D lasciviam, luxum, ferocitatem, imperitiam. Atque ad ista nihil prorsum opus te. Verum quoniam tibi barba ingens propendet a mento, quoniamque vultu ipso grave quiddam & venerandum præ te fers, tum quia pallio Græcanico decenter amictus es, noruntque jam omnes te Grammaticum esse, seu Rhetorem, seu Philosophum, pulchrum ille sibi putat, ut & ejusmodi quispiam, anteambulonum suorum pompæ permixtus esse videatur. Futurum enim hac re ut Græcanicarum disciplinarum studiosus, reliquæque omnis doctrinæ neque negligens, neque rudis esse putetur. Unde fit, ut in periculum vir egregie venias, ne non tam ob admirandas illas artes, quin magis ob barbam palliumque conductus esse videare: proinde ut perpetuus apud illum E conspiciaris oportet, neque absis unquam, verum ut diluculo relictis stratis, in famulitio temet exhibeas conspiciendum, neque locum in acie deseras. Porro ille injecta nonnunquam tibi manu, quicquid forte in mentem inciderit, de hoc tecum nugatur, obviis ostentans, quam ne per viam quidem ingrediens, incurius sit literarum, quin ut illud ipsum etiam otium, quod inter inambulandum datur, in re quapiam honesta collocet. At tu miser interim, nunc cursim, nunc gradatim, nunc scansim plerumque, nunc descensim (Nam scis hujusmodi esse urbem) obambulans, tum sudas, tum spiritum anhelus trahis.

Deinde illo intus cum amico quopiam, ad quem accessit F confabulante, quum tibi interim locus desit, ubi vel assidere queas, librum videlicet stans in manum sumis, quoque fallas tædium, legis. Post ubi jejunum te sitientemque nox occupavit: incommode lotus, intempestive, puta nocte ferme concubia, ad cœnam accedis, haud perinde deinceps in precio habitus, neque conspiciendus his qui adsunt. Verum si quis advenerit recentior, tu post tergum rejiceris. Itaque in angulum aliquem abjectissimum retrusus, accumbis, testis duntaxat ac spectator eorum quæ apponuntur, canum ritu ossa circumrodens, si fors ad te perveniat, vel aridum malvæ folium, quo reliqua involvunt, si fastidiatur ab iis qui supra te accumbunt, præ fame libenter arrepturus.

Audi jam & aliud contumeliæ genus. Quid quod ne ovum quidem soli tibi apponitur. Neque enim convenit, ut tu semper eadem requiras, quæ hospitibus atque ignotis ministrantur, quandoquidem hæc tua sit inscitia atque inurbanitas. Neque avis ejusmodi tibi apponitur, qualis aliis. Verum diviti illi pinguis & succulenta, tibi pullus dimidiatus, aut palumbus aliquis aridus atque insipidus, non avis videlicet, sed manifesta contumelia ludibriumque. Neque vero raro fit, ut si quando desit alibi, minister repente te inspectante submovens ea, quæ tibi erant apposita aliis apponat: illud tibi ad aurem immurmurans, tu profecto noster es. Quod si quando interim dissecetur, vel porca fœta, vel cervus, aut structorem tibi modis omnibus propitium habeas oportet, aut certe Promethei partem feres: nempe ossa adipe circumtecta. Nam quod ei qui supra te accumbit patina sinitur adstare, quoad satiatus repudiet, te contra tam celeriter prætercurrat, quis tandem isthuc ferat qui modo sit ingenuus, cuique tantum insit bilis, quantum vel cervis adest? Atque illud equidem nondum dixi, quod reliquis suavissimum ac vetustissimum vinum bibentibus, tu solus malum quoddam & pingue bibis. Proinde illud semper curas, ut auro, argentove bibas, ne colore prodente, palam fiat, te usqueadeo contemptum neglectumque esse convivam, quanquam bene tecum ageretur, si vel illud ipsum ad satietatem usque bibere liceret. At nunc ubi crebrius poposceris, minister audisse dissimulat. Adde jam multas interim & alias esse res, quæ te discrucient, imo nihil esse ferme, quod non sit acerbum, maxime quum tibi cinædus aliquis antefertur, quin pluris te fit is qui saltandi docet artem, qui jocos Jonicos contexit Alexandrinus quispiam homunculus. Nam qui tibi speres tu ut in accubitu æqueris iis, qui voluptates & amatoria subministrant? qui literulas in pectore gestant? Proinde in obscuro quopiam convivii latibulo tectus, præque pudore abstrusus, suspiras, uti conjectandum est, teque ipsum deploras, ac fortunam incusas tuam, quæ tibi ne pauxillulum quidem leporis ac venustatis asperserit.

Ac prorsus ita videris affectus, ut optes Poeta fieri, ut amatorias conscribas cantiones, aut si id non contingit, vel eam assequi facultatem, ut possis ab aliis conditas digne canere. Vides enim quibus in rebus situm est, ut quis efferatur, plurimique fiat. Quin & illud ferre queas, ut magi quoque, aut arioli personam (si necesse sit) induas, ex horum genere qui amplas hæreditates, qui imperia, qui cumulatas opes pollicentur. Quandoquidem hos quoque vides non mediocriter a divitibus amari, plurimique fieri. Eoque vel unumquodlibet horum fieri percupias, uti ne prorsus rejiculus, atque inutilis appareas. Atqui ne ad ista quidem docilis es infelix: proinde submittas te oportet, mussitesque ac tacitus feras, clam apud te plorans, ac neglectui habitus. Etenim si te famulus aliquis susurro deferat, qui solus omnium non laudaris puerum heræ saltantem, aut cithara canentem, ista scilicet ex re non leve discrimen impendet. Quapropter terrestris in morem ranæ sitiens vocifereris necesse est, id operam dans, ut in laudantium numero insignis ac præcipuus appareas. Quin sæpicule, silentibus reliquis, tibi ficta quædam laus proferenda: quæque multam sapiat assentationem. Jam vero magnopere ridiculum est, cum esurias interim sitiasque, unguentis collini, ac vertice gestare coronam. Siquidem id temporis non dissimilis videre sepulchrali columnæ, vetusti cujuspiam cadaveris, quæ gestare solet ea quæ manibus inferuntur. Nam huic infuso unguento, impositaque corona, ipsi & bibunt, & edunt apparatas epulas. Porro si etiam zelotypus quispiam fuerit, sintque illi vel pueri formosi, vel uxor puella: neque tu prorsus a Venere Gratiisque fueris alienus, profecto non satis tuta res, neque periculum negligendum: propterea quod Regis plures sunt oculi, qui quidem non vera solum vident: sed semper veris aliquid addunt ad cumulum, ne connivere videantur. Quas ob res, vultu demisso tibi est accumbendum, quemadmodum in Persicis conviviis fieri mos est, verito, ne quis eunuchus sentiat te in concubinam aliquam conjicientem oculos: moxque alter eunuchus, cui jamdudum arcus in manu tensus est, quia videris quæ videre nefas, inter bibendum, malam jaculo transfigat.

Jam peracto convivio, ubi paululum dormieris, ad galli cantum expergefactus: O me miserum, inquis, ô infortunatum, cujusmodi quondam convictus, quos amicos reliqui: A tum vitam tranquillam & otii plenam, somnum quem meapte cupiditate metiri soleo, deambulationes liberas, atque ex his in quale barathrum memet præcipitem dedi? Et Deum immortalem: cujus tandem rei gratia? Aut quod nam istud magnificum præmium? At ne fieri quidem potuit, ut mihi unquam alias plures commoditates suppeterent quam tum suppetebant. Tum autem accedebat libertas, atque omnia pro meopte arbitrio faciendi facultas. Nunc porro juxta id quod proverbio jactatum est: Leo chordula vinctus sursum ac deorsum circumferor. Quodque omnium est miserrimum, maximeque deplorandum, neque efficere possum ut placeam, neque gratiam emereri queo: propterea quod harum rerum sum imperitus ac rudis, B maxime compositus collatusque cum his qui hæc velut artem profitentur. Proinde injucundus sum, ac neutiquam aptus conviviis, quippe qui ne risum quidem concitare norim. Quin etiam sentio me non raro molestum esse & importunum, quum adsum, maxime, quum ipse seipso festivior esse conatur. Nam illi tetricus videor. In summa nullam invenio viam, qua me illi accommodem. Etenim si meam ipsius auctoritatem ac severitatem tueri pergo, injucundus videor, ac propemodum horrendus ac refugiendus. Contra si risero, vultumque quam possum maxime ad hilaritatem composuero, fastidit illico ille, & aversatur. Ac prorsus tale quiddam mihi videtur, quale sit, si quis in persona tragica comœdiam agere tentet. Postremo quam tandem C aliam vitam mihi vivam demens, posteaquam hanc præsentem alteri vixerim?

Dum hæc tecum loqueris, jam sonuit tintinabulum, jamque ad eadem tibi redeundum est, obambulandum, standum, sed ceromate inunctis ante femoribus poplitibusque, si modo velis par esse certamini, præmioque tollendo idoneus. Deinde convivium idem & eadem apparatum hora. Jamque adeo diversa vivendi ratio superiorique contraria, tum insomnia, sudor, defatigatio, paulatim quasi suffossis cuniculis inducunt vel tabem, vel pulmonis exulcerationem, vel intestini tormina, vel egregiam illam podagram: Reluctaris tamen sedulo, ac frequenter quum valetudo poscat uti lecto decumbas, ne hoc quidem licet: eo quod assimulari D morbus, quo munia officiaque justa defugias, existimatur. Hinc præter omneis perpetuo palles, semperque jamjam morituro videre similis. Et hactenus quidem de his quæ domi ferenda sunt.

Quod si quando fuerit peregrinandum (ut ne interim referam alia incommoda) sæpe fit, ut pluvio cœlo, ubi postremus veneris. (Nam is locus tibi sorte contigit) vehiculum opperiaris, donec nullo jam reliquo loco ubi diverseris, proxime coquum aut heræ comptorem te reclinant, ne stipulis quidem affatim substratis. Neque vero tibi referre gravabor, quod mihi Thesmopolis iste Stoicus narravit sibi accidisse, rem profecto nimis quam ridiculam, quæ tamen eadem possit & alii cuivis accidere. Convivebat enim cum E opulenta quadam ac delicata muliere, ex illustribus istis & urbanis. Eam, quum aliquando peregre proficisceretur (nam id primum ajebat sibi maximopere deridiculum accidisse) in curru sibi viro nimirum Philosopho adjunxisse cinædum quempiam picatis cruribus, derasa barba. Quem illa honoris (ut conjicio) gratia secum ducebat. Quin nomen quoque cinædi commemorabat. Ajebat enim Chelidonium vocari. Jam primum illud cujusmodi fuerit vide: juxta virum severum tetricumque, tum senem canoque mento (Scis autem quam profundam ac venerabilem barbam habuerit Thesmopolis) assidere nihili hominem & effœminatum, picturatis oculis, lubrico vultu, fracta cervice, non Chelidonem per Jovem, id est, hirundinem, sed F vulturem magis, revulsis barbæ plumis. Quod ni magnopere illum fuisset deprecatus, ne faceret, futurum fuisse ut flammeum etiam in capite gestans assideret. Præterea autem perpetuo hoc itinere molestias innumerabiles pertulisse sese, illo cantillante garrienteque, demum (nisi idem hominem coercuisset) in rheda etiam saltante. Addebat secundo loco tale quiddam sibi fuisse mandatum. Accersito illi mulier, Thesmopoli, inquit, ita tibi Dii bene faciant, magnum quoddam officium abs te requiram, quod cave recuses, neque exspectes ut quicquam te sim rogatura studiosius. Atque hoc (ut est credibile) omnia se facturum pollicito: hoc inquit, te rogo quandoquidem video te virum

pro-

probum, diligentem & amantem, caniculam quam nosti Myrrhinam, in vehiculum recipe, eamque mihi serva, curans ne quid illi desit. Nam misera gravida est, atque adeo propemodum jam propinqua partui. At isti scelesti & immorigeri ministri, non dicam hujus, sed ne mei quidem ipsius magnopere rationem habent in peregrinationibus. Quare ne te putes mihi mediocre beneficium facturum, si carissimam mihi jucundissimamque caniculam servaris. Recepit Thesmopolis quum illa tantopere rogaret ac propemodum etiam fleret. Porro spectaculum erat supra modum ridiculum. Canicula e pallio prominens prospectansque paulo infra barbam ac subinde immejens (tametsi hæc quidem Thesmopolis reticuit) ac gracili voce latrans (hujusmodi enim catellæ jam in deliciis sunt) neque non Philosophi mentum oblingens, maxime si quid pridiani juris inhæreret. Porro Cinædus assessor ille, quum non insulse super convivium dicteria quædam jecisset in eos qui aderant, ac denique & ad Thesmopolim usque dicacitas pervenisset: de Thesmopolide, inquit, unum hoc possum dicere, eum e Stoico Cynicum jam nobis esse factum. Equidem audivi caniculam etiam peperisse in Thesmopolidis pallio.

Hujusmodi deliciis illudunt, vel (ut verius dicam) hujusmodi contumeliis ac ludibriis tractant eos qui cum ipsis vivunt, paulatim eos cicures ac mansuetos ad ferendas contumelias reddentes. Præterea autem & Carcharorum Oratorem novi, qui jussus super cœnam declamabat, neutiquam ineruditе per Jovem, imo graviter & absolutissime, ac laudabatur interim ab illis bibentibus, quum non ad aquæ modum, sed ad vini amphoram oraret. Atque eam molestiam, ob ducentas drachmas perpeti ferebatur. Verum hæc quidem fortassis utcumque toleranda.

Porro si dives ipse, aut Poeticus fuerit, aut Historicus, qui sua ipsius scripta in convivio recitare gaudeat: tum vero maxime futurum est, ut discrucieris ac dirumparis. Nempe quum admirari, quum assentari, quum novos quosdam laudandi modos comminisci necesse habes. Sunt autem qui & formæ nomine studeant admirandi videri. Eos nunc Adonidas, nunc Hyacinthos appelles necesse est, etiam si illis naris nonnunquam cubitali hiet specu. Quod ni laudaris, protinus in lapidicinas Dionysiacas asportaberis, tanquam qui illi tum invideas, tum insidieris, maleque velis. Ad hæc & Sapientes & Rhetores sint necesse est. Quod si etiam rustice quippiam dixerint, tum vero juxta illud, quod dici solitum est: Atticæ atque Hymetti plenam orationem videri volunt, atque in legem abire, ut deinceps ita loquantur homines. Quanquam quæ viri faciunt, ferri forsitan queant.

At vero mulieres (nam mulieribus etiam illud studio est, ut doctos aliquot in suo convictu conductitios habeant, quique sese mercede affectentur) quandoquidem hoc quoque ad reliquum cultum, elegantiamque pertinere putant, si dicantur eruditæ, si Philosophi, si carmina componere Sapphicis haud multo inferiora, ob hæc sane hæ quoque conductitios Rhetores, Grammaticos, Philosophos circumferunt. Hos autem audire solent (id quod ipsum est ridiculum) tum temporis, quum vel comuntur, aut capillos in orbem religant, vel in convivio. Nam alias non suppetit illis ocium. Porro sæpenumero fit, ut interim dum Philosophus quippiam disserit, interveniens ancilla, literulas ab adultero porrigat. Ac præclari illi de pudicitia sermones intermittuntur, opperientes donec illa rescripserit adultero, atque ita redeat ad auditionem.

Porro si quando post multum temporis instantibus saturnalibus, aut panathenæis, misera quæpiam umbella tibi mittatur, aut tunicula semiputris ac detrita, tum denique plurima missitentur oportet. Atque aliquis qui statim subauscultarit, herum id facere destinantem, præcurrit, ac primus rei index, abiensque non exiguum precium aufert qui renunciarit. At mane plus tredecim te adeunt idem apportantes nuncii: quorum quisque commemorat quam multa dixerit, quemadmodum submonuerit, quemadmodum adhortans commodiora subjecerit. Omnes itaque donati præmio discedunt, at non sine murmure tamen, qui non plura dederis. Porro salarium ipsum sex ferme obolorum. Idque si tu postules, gravis atque importunus haberis. Proinde quo illud aliquando auferas, primum ipsi hero aduleris, supplexque fias necesse est: deinde captandus & dispensatoris favor. Nam hoc quoque quoddam est servitutis genus. Neque vero negligendus is, quem in consilium adhibet: neque item amicus. Deinde quod acceperis, jamdudum debebatur vel vestiario, vel Medico, vel cerdoni cuipiam. Unde fit ut sera atque intempestiva, eoque inutilia præmia tibi accedant. Cæterum invidia ingens. Jamque etiam calumniæ quædam paulatim struuntur in te, apud hominem qui jam non invitis auribus accipiat, si quid adversum te dicatur: Quippe qui perspiciat te laboribus assiduis jam detritum, & ad obeunda munia famulatus claudicantem, atque obaudientem, ac podagra subinde gravari. Proinde posteaquam id quod erat in te florentissimum decerpsit, ævique partem maxime frugiferam ac præcipuum corporis vigorem detrivit, jamque te lacerum panniculum reddiderit, tum modis omnibus circumspicit in quod sterquilinium te portatum abjiciat, atque alium perferendis laboribus idoneum, in tuum substituat locum. Ibi insimulatus, vel quod pusionem illius tentaris: vel quod homo senex uxoris ancillam virginem vitiaris: vel alio quovis imposito crimine, noctu obvolutus ac præceps datus extruderis, discedisque desertus ab omnibus, atque omnium inops rerum optimam podagram una cum senecta comitem ducens. Quum interim quæ quondam sciveris, tanto temporis spatio dedidiceris, tum ventrem culeo reddideris ampliorem, tibique paraveris inexplebile quoddam & implacabile malum. Etenim gula ea quibus assuevit, flagitat. Quæ cum negantur, indignatur. Adde quod præterea nemo te posthac recepturus est in familiam, utpote cujus jam præterierit ætas quique similis evaseris equis senio affectis, quorum ne pellis quidem perinde ut aliorum animantium est usui. Quin ex hoc ipso quod ejectus es, calumnia quam potest proxime ad verisimilitudinem conficta, facit ut aut adulter, aut veneficus, aut aliud quippiam tale videaris. Nam accusatori vel tacenti fides habetur. Tu vero Græculus, moribus levibus, & ad omne facinus facilis. Siquidem hujusmodi nos omnes esse ducunt, idque jure optimo: videor enim mihi causam advertisse, quamobrem ejusmodi de nobis obtineant opinionem. Nam plerique qui in familias accedunt, propterea quod alioqui nihil bonæ rei didicerunt, divinationem ac maleficia profitentur, conciliationem amorum, abductiones in hostes, atque id quum faciunt, doctos sese affirmant, palliis amicti, barbisque neutiquam contemnendis onusti. His rebus fit, ut non injuria eandem de reliquis omnibus habeant opinionem, quando eos quos præcipuos esse judicant, videant tales. Maxime vero, posteaquam animadverterint, quam sint in conviviis, reliquoque convictu adulantes, quam ad lucrum humiles ac serviles: deinde ejectos eosdem jam oderunt, neque id injuria, ac modis omnibus adnituntur, ut eos funditus perdant, si quo modo possint. Verentur enim, ne cuncta illa vitæ suæ mysteria in vulgus efferant, quippe qui nihil non exacte norint, quique illos nudos conspexerint. Ea res igitur illos male angit. Omnes enim similes sunt pulcherrimis istis libris: quorum aurei quidem umbilici, purpurea foris pellis: cæterum intus aut Thyestes est liberos in convivio comedens, aut Oedipus, matris maritus, aut Tereus cum duabus pariter sororibus rem habens. Ejusmodi sunt & illi, splendidi, conspicuique. Porro intus sub purpura varias occulunt tragœdias. Quorum unumquemque si evolveris, explicuerisque, fabulam non mediocriter longam reperies, Euripidis cujuspiam, aut Sophoclis. Contra foris nihil nisi purpura splendida, aureique umbilici. Harum itaque rerum sibi conscii oderunt illos, atque insidias parant, si quis penitus ab illis defecerit, qui eos probe cognitos depingat, qualesque sint evulget.

Jam vero libet mihi Cebetis illius exemplo & imaginem quandam hujus vitæ tibi depingere, ut eam contemplatus scire queas, num ex usu tuo sit eam adire. Equidem magnopere cupiam vel Apellem quempiam, vel Parrhasium, vel Ætionem, vel Euphranorem ad hanc depingendam tabulam adhibere. Verum quoniam fieri potis non est, ut aliquem artificem tam egregium atque absolutum nanciscamur, in præsentia tenuem quandam pro mea virili imaginem adumbrabo. Ergo pingatur vestibulum sublime atque inauratum, neque id humi situm in solo, verum procul a terra in edito collis fastigio. Præterea inaccessum ferme & abruptum, lubricoque aditu, ita ut plerumque qui se jam ad summum usque verticem penetrasse sperant, lapso pede præcipitati cervicem frangant. Intus autem Opulentia sedeat,

deat, tota (sicuti videtur) aurea, majorem in modum formosa, atque amabilis. Porro amator ubi vix tandem conscendit, jamque ad fores accesserit, obstupescat, oculis in aurum defixis: deinde Spes, quæ & ipsa specioso vultu est, ac versicoloribus amicta, manu prehensa introducat, mire jam ipso ingressu attonitum. Atque ab eo quidem tempore Spes usque illum antecedat, ducatque, tum aliæ mulieres illum excipientes, puta Fallacia Servitusque, tradant Labori. At is miserum penitus defatigatum tandem Senectæ tradat jam morbidum, coloreque commutato. Postremo Contumelia, arreptum illum ad desperationem pertrahat. Ex hoc quidem tempore Spes avolans evanescat. Tum A ille non per aureum illud atrium per quod ingressus fuerat, sed per posticum quoddam, & occultum exitum extrudatur nudus, ventricosus, pallidus, senex, læva quidem pudorem occultans, dextra vero seipsum strangulans. Occurrat autem exeunti Pœnitudo frustra lachrymans, & miserum bis etiam conficiens. Atque hic quidem esto picturæ finis. Cæterum tu Timocles optime, ipse diligenter consideratis singulis expende, num e re tua sit ut in hanc imaginem per aureas illas fores ingressus, per illas longe dissimiles tam turpiter excutiaris. Quicquid autem feceris, memineris sapientis illius, qui dixit: Deum in culpa non esse, verum qui sua sponte delegerit.

HIERONYMO BUSLIDIANO, PRÆPOSITO ARIENSI, CONSILIARIO REGIO, DESIDERIUS ERASMUS ROTERODAMUS S. P. D.



RUMOR jampridem hic perseverat, acerbior quam ut verum esse libeat credere, sed constantior tamen, quam ut vanus credi possit, Philippum Principem nostrum e vivis excessisse. Quid querar, mi Buslidiane, quid vociferer, quem incusem, hominumve, Deumve? Quæ comploratio tam Tragica, quæ huic tam atroci vulneri sufficiat? Nimio, heu nimio constitistis Hispaniæ, quæ quidem primum Franciscum Buslidianum Archiepiscopum Bizontinum nobis ademistis, neque tanti viri jactura contentæ, Principem etiam eum absorbuistis, quo (si vivere modo licuisset) nihil unquam habuit hic Orbis, neque majus neque melius. Quanquam quid, quæso, superarat etiam adolescenti, nisi uti jam ipse sese superaret. Sed ô dirum fortunæ ludum, ô novam fatorum invidentiam, ô mors quam iniqua, tam etiam invida, ut semper præstantissima quæque quam ocyssime tollis e medio, vixque oculis ostensa protinus subducis. Cujus ego vicem hic potissimum deplorem? Maximiliani ne patris, qui tali sit orbatus filio, quem unum multis etiam imperiis anteponebat? An liberorum magis, quibus ætate tam immatura, tam pius sit ereptus pater? An patriæ potius, cui de carissimo Principe, tam serum gaudium, tam præproperus contigerit luctus? An Orbis demum universi, cui tam singulare lumen sit ademptum? idque tam ante diem. Hoc nimirum hoc tempestas illa fatalis, qua medio e cursu in Britanniam depulsus est, portendebat, videlicet fatis illum palam ab Hispania rejicientibus. Equidem Panegyrico qualicunque laudavi juvenem. Tum autem, bone Deus, quot mihi panegyricos, quam copiosos pollicebar? Et en repente commutatis rebus, epitaphium paro miser. Eamus nunc nos homunculi, & fortunulis nostris fidamus, quum eos etiam pro sua libidine mors rapiat, quos quam diutissime vivere tantopere omnium refert. Sed quid ego mi Hieronyme, dum meo indulgeo dolori, tuum exulcero? Quod reliquum est, precor ut superi propitii liberis paternam quidem felicitatem, sed cum divi Frederici vivacitate copulatam, largiantur. Tibi item in moderandis illis fraternos successus: sed vitam fraterna diuturniorem. Literis his, ne ad tantum, tamque doctum amicum nullo literario munusculo comitatæ venirent, Dialogos aliquot Luciani, comites addidi: quos pauculis his diebus, dum obsidionis metu Florentiam profugeremus, Latinos feci: hoc nimirum agens, ne nihil agerem. Nam in præsentia quidem in Italia mire frigent studia, fervent bella. Summus Pontifex Julius belligeratur, vincit, triumphat, planeque Julium agit. Vale, & amplissimo patri Nicolao Ruterio Episcopo Atrebatensi etiam atque etiam Erasmum commendato. Bononiæ XV Calendas Decembres. M D VI.

CNEMONIS AC DAMIPPI.

CNEMON.



Hoc illud est quod vulgo dici consuevit, Hinnulus leonem. DAM. Quid istuc est, quod tecum stomachare, Cnemon? CNE. Quid stomacher rogas? Equidem hæredem reliqui quendam præter animi sententiam, videlicet astu delusus miser, iis quos maxime mea cupiebam habere præteritis. DAM. Sed isthuc quinam evenit? CNE. Hermolaum nobilem illum divitem, quum orbus esset, imminente morte captabam, assidens atque inserviens. Neque ille gravatim officium meum admittebat. At interim illud quoque mihi visum est scitum, consultumque ut testamentum proferrem, ac publicarem, quo illum rerum mearum in solidum hæredem institueram, nimirum ut ille vicissim idem faceret, meo provocatus exemplo. DAM. At quid tandem ille? CNE. Quid ille suo in testamento scripserit, id quidem ignoro. Cæterum ego repente atque insperato e vita decessi, tecti ruina oppressus: Et nunc Hermolaus mea possidet, lupi cujuspiam in morem ipso hamo cum esca pariter avulso. DAM. Imo non escam modo cum hamo, quin etiam te quoque piscatorem simul abstulit. Itaque technam istam, in tuum ipsius caput struxeras. CNE. Sic apparet, idque adeo deploro.

ZENOPHANTÆ ET CALLIDEMIDÆ.

ZENOPHANTES.

At tu Callidemides, quo pacto interisti? Nam ipse quemadmodum Diniæ parasitus quum essem, immodica ingurgitatione præfocatus fuerim, nosti, aderas enim morienti. CAL. Aderam, Zenophantes. Porro mihi novum quiddam, atque inopinatum accidit. Nam tibi quoque notus est Ptœodorus ille senex. ZEN. Orbum illum dicis, ac divitem, apud quem te assidue versari conspiciebam? CAL. Illum semper captabam, colebamque, id mihi pollicens fore, ut meo bono quamprimum moreretur. Verum quum ea res in longum proferretur, sene videlicet vel ultra Tithonios annos vivente, compendiariam quandam excogitavi viam, qua ad hæreditatem pervenirem. Siquidem empto veneno, pocillatori persuaseram, ut simul atque Ptœodorus potum posceret, bibebat autem prolixius, præsentius in calicem injiceret, haberetque in promptu, porrecturus illi. Quod si fecisset, jurejurando confirmabam, me illum manumissurum. ZEN. Quid igitur accidit? nam inopinatum quiddam narraturus mihi videris. CAL. Ubi jam loti venissemus, puer duobus paratis poculis, altero Ptœodoro cui venenum erat additum, altero mihi, nescio quo modo errans, mihi venenum, Ptœodoro porrexit innoxium. Mox ille quidem bibit, at ego protinus humi porrectus stratus sum,

sum, supposititium videlicet illius loco funus. Quid hoc? Rides, Zenophanta? Atqui non convenit amici malis illudere. Zen. Rideo profecto, nam eleganter ac lepide tibi hæc res evenit. Porro senex ille, quid interim? Cal. Primum ad casum subitum atque inexspectatum sane conturbatus est. Deinde simul atque intellexit id quod acciderat, puta pocillatoris errore factum, risit & ipse. Zen. Recte sane. Tametsi non oportuit ad compendium illud divertere, siquidem venisset tibi populari, vulgataque via, tutius certiusque, etiam si paulo serius.

MENIPPI ET TANTALI.

MENIPPVS.

Quid ejulas, ô Tantale, aut quid tuam deploras fortunam, stagno imminens? Tan. Quoniam siti enecor. Men. Usqueadeo piger es atque iners uti non vel pronus incumbens bibere noris, vel cava vola hauriens? Tan. Nihil profecero si procumbam: refugit enim aqua simul atque me propius admoveri senserit: quod si quando hausero, orique coner applicare, prius effluxit, quam summa rigem labia. Atque inter digitos effluens aqua, haud scio quomodo rursus manum meam aridam relinquit. Menip. Prodigiosum quiddam de te narras, Tantale: verum dic mihi isthuc ipsum, quorsum opus est bibere, quum corpore careas: nam illud quod esurire poterat, aut sitire, in Lydia sepultum est. Cæterum tu quum sis animus, quinam posthac aut sitire queas, aut bibere? Tant. Atqui hoc ipsum supplicii genus est, ut anima perinde quasi corpus sit, ita sitiat. Men. Age, hoc ita habere credamus, quandoquidem affirmas te siti puniri. At quid hinc acerbi tibi poterit accidere? Num metuis ne potus inopia moriare? At equidem haud video alteros inferos, si quis hos relinquat, neque locum alium in quem morte demigret quispiam. Tan. Recte tu quidem dicis: verum hoc ipsum supplicii genus est, sitire, quum nihil sit opus. Men. Desipis Tantale, & uti verum tibi fatear, non alio potu videris egere quam veratro mero: nam diversum quiddam pateris, iis quos canes rabiosi momorderint, ut qui non aquam, quemadmodum illi, sed sitim horreas. Tan. Ne veratrum quidem recusarim bibere Menippe, si liceat modo. Men. Bono es animo, Tantale, certum habens nunquam fore, ut vel tu, vel reliquorum Manium quispiam bibat: Nec enim fieri potest: quanquam non omnibus quemadmodum tibi, pœna adjudicata est, ut sitiant, aqua illos non exspectante.

MENIPPI AC MERCVRII.

MENIPPVS.

At ubinam formosi illi sunt, ac formosæ, Mercuri? ducito me docetoque, utpote recens huc profectum hospitem. Mer. Haud mihi licet per ocium Menippe, quin tu isthuc ipso e loco dextrorsum oculos deflecte. Illic & Hyacinthus est, & Narcissus ille, & Nireus, & Achilles, & Tyro, & Helena, & Leda, breviter quicquid est veterum formarum. Men. Equidem præter ossa nihil video, calvariasque carnibus renudatas, inter quæ omnia nihil sit omnino discriminis. Mer. Atqui hæc sunt quæ Poetæ cuncti mirantur ac celebrant, ossa scilicet quæ tu videris contemnere. Men. At Helenam saltem mihi commonstra: nam ipse quidem haud queam dignoscere. Mer. Hæc videlicet calvaria, Helena est. Men. Et hujus scilicet ossis gratia, mille naves ex universa Græcia, acto delectu, sunt impletæ, tantaque tum Græcorum, tum Barbarorum multitudo conflixit, tot urbes sunt eversæ? Mer. Cæterum, Menippe, non vidisti mulierem hanc vivam, quod si fecisses, forsan diceres tu quoque, vitio dandum non esse,

Pro tali muliere diu tolerare labores.

Alioqui si quis flores etiam arefactos marcidosque contempletur, posteaquam coloris decus abjecerint, deformes nimirum videantur. At iidem donec florent coloremque obtinent, sunt speciosissimi. Men. Proinde illud jam demiror, Mercuri, si Græci non intellexerunt sese pro re usqueadeo momentanea, quæque tam facile emarcesceret, elaborare. Mer. Haud mihi vacat tecum philosophari, quare delecto loco ubicunque velis, prosterne temet ac recumbe, mihi jam aliæ sunt traducendæ umbræ.

MENIPPI, AMPHILOCHI, TROPHONII DISCEPTATIO.

MENIPPVS.

Vos, nimirum, Trophoni atque Amphiloche, quum sitis mortui, tamen haud scio quonam modo fanis estis donati, vatesque credimini, ac stulti mortales Deos esse vos arbitrantur. Tro. Quid? an nobis igitur imputandum, si per inscitiam illi de mortuis hujusmodi opinantur? Men. Atqui non ista fuissent opinati, ni vos, tum quum viveretis, ejusmodi quædam portenta ostentassetis, tanquam futurorum fuissetis præscii, quasique prædicere potuissetis, si qui percontarentur. Tro. Menippe, noverit Amphilochus hic, ipsi pro sese respondendum esse. Cæterum ego Heros sum, vaticinorque si quis ad me descenderit: At tu videre nunquam omnino Lebadiam adiisse, neque enim alioqui ista non crederes. Men. Quid ais? equidem nisi Lebadiam fuissem profectus, ac linteis amictus, offam ridicule manu gestans, per angustum aditum in specum irrepsissem, nequaquam fieri potuisset, ut te defunctum esse cognoscerem perinde atque nos, solaque præstigiatura reliquos antecellere. Sed age per ipsam divinandi artem, quid tandem est Heros? neque enim intelligo. Tro. Est quiddam partim ex homine, partim ex Deo compositum. Men. Nempe quod neque sit homo, quemadmodum audio, neque Deus, verum pariter utrumque. Ergo dimidia illa tui, ac divina pars, quo nunc recessit? Tro. Reddit oracula, Menippe, in Bœotia. Men. Haud intelligo quid dicas Trophoni, nisi quod illud plane video, te totum esse mortuum.

CHARONTIS AC MENIPPI.

CHARON.

Redde naulum scelleste. Men. Vociferare, siquidem isthuc tibi voluptati est, Charon. Char. Redde, inquam, quod pro trajectione debes. Men. Haudquaquam auferre queas ab eo qui non habeat. Char. An est quisquam qui ne obolum quidem habeat? Men. Sit ne alius quispiam præterea, equidem ignoro, ipse certe non habeo. Char. Atqui præfocabo te per Ditem impurissime, ni reddas. Men. At ego illiso baculo tibi comminuam caput. Char. Num ergo te tam longo trajectu gratis transvexero? Men. Mercurius meo nomine tibi reddat, ut qui me tibi tradiderit. Mer. Belle mecum agatur per Jovem, siquidem futurum est, ut etiam defunctorum nomine persolvam. Char. Haud omittam te. Men. Quin igitur vel hujus gratia perge ut facis, navim trahere: quanquam quod non habeo, quinam auferas? Char. At tu nesciebas, quid tibi fuerit adportandum? Men. Sciebam quidem, verum non erat. Quid igitur? num ea gratia erat mihi semper in vita manendum? Char. Solus ergo gloriaberis te gratis fuisse transvectum? Men. Haud gratis, ô præclare, siquidem & sentinam exhausi, & remum arripui, & vectorum omnium unus non ejulavi. Char. Ista nihil ad naulum, obolum reddas oportet, neque enim fas est secus fieri. Men. Proinde tu me rursum in vitam revehe. Char. Belle dicis, nimirum ut verbera etiam ab Æaco mihi lucrifaciam. Men. Ergo molestus ne sis. Char. Ostende quid habeas in pera. Men. Lupinum si velis, & Hecatæ cœnam. Char. Unde nobis hunc canem adduxisti, Mercuri? tum qualia garriebat inter navigandum? vectores omnes irridens, ac dicteriis incessens, unusque cantillans, illis plorantibus. Mer. An ignoras, Charon, quem virum transvexeris: plane liberum, cuique nihil omnino curæ sit. Hic est Menippus. Char. Atqui si unquam posthac te recepero. Men. Si receperis ô præclare: ne possis quidem iterum recipere.

CRATETIS AC DIOGENIS.

CRATES.

Moerichum divitem, noverasne, Diogenes? illum, inquam, supra modum divitem, illum Corintho profectum, cui tot erant naves onustæ mercibus, cujus consobrinus Aristeas, quum ipse quoque dives esset, Homericum illud in ore solebat habere:

Aut me confice tu, aut ego tete.

Diog. Cujus rei gratia sese captabant invicem Crates. Crat. Hæreditatis causa, quum essent æquales, uterque alterum captabant. Jamque testamenta publicaverant ambo, in quibus Mœrichus (si prior moreretur) Aristeam omnium rerum suarum dominum relinquebat, Mœrichum vicissim Aristeas, si quidem ipse prior e vita decederet. Hæc igitur quum essent in tabulis scripta illi inter sese captabant, & alter alterum adulationibus obsequiisque superare contendebat. Porro divini, haud scio utrum ex astris id quod futu-

futurum sit conjectantes, an somniis, quemadmodum Chaldæi faciunt: quin & Pythius ipse, nunc Aristeam victorem fore pronunciabat, nunc Mœrichum, ac trutina quidem interim ad hunc, interim ad illum propendebat. Diog. Quid igitur tandem evenit? nam audire est operæ precium Crates. Crat. Eodem die mortui sunt ambo: cæterum hæreditates ad Eunomium ac Thrasyclem devenerunt, quorum uterque cognatus illis erat: atqui de his nihil prædixerant divini futurum, ut tale quippiam accideret. Etenim quum Sicyone Cirrham versus navigarent, medio in cursu, obliquo orto Japyge, eversa navi perierunt. Diog. Recte factum: at nos quum essemus in vita, nihil ejusmodi alter de altero cogitabamus. Neque enim ego unquam optabam ut moreretur Antisthenes, quo nimirum baculus illius ad me rediret hæredem (habebat autem egregie validum, quem ipse sibi paraverat oleaginum,) neque tu, Crates, opinor desiderabas, ut me mortuo, in possessionum mearum successionem venires, puta dolii ac peræ, in qua quidem lupini chœnices inerant duæ. Crat. Neque enim mihi quicquam istis rebus erat opus, imo ne tibi quidem Diogenes: siquidem quæ ad rem pertinebant, quæque tu Antistheni succedens accepisti, deinde ego succedens tibi, ea nimirum multo sunt potiora, multoque splendidiora, quam vel Persarum imperium. Diog. Quænam sunt ista quæ dicis? Crat. Sapientiam, inquam, frugalitatem, veritatem dicendi, vivendique libertatem. Diog. Per Jovem memini me in istiusmodi opum hæreditatem Antistheni successisse, tibique eas longe etiam majores reliquisse. Crat. Verum reliqui mortales hoc possessionum genus adspernabantur, neque quisquam nos ob spem potiundæ hæreditatis obsequiis captabat, sed ad aurum omneis intendebant oculos. Diog. Nec injuria, neque enim habebant quo facultates ejusmodi a nobis traditas acciperent: quippe rimosi jam, vitiatique deliciis, non aliter quam vasa carie putria. Quo fit, ut si quando quis in illos infundat vel sapientiam, vel libertatem, vel veritatem, effluat illico perstilletque, fundo quod immissum est continere non valente. Cujusmodi quiddam & Danai filiabus ajunt accidere, dum in dolium pertusum haustam aquam important: at iidem aurum dentibus & unguibus, omnique vi servabant. Crat. Proinde nos hic quoque nostras possidemus opes: illi simul atque huc venerint, obulum duntaxat secum ferent, ac ne hunc quidem ulterius quam ad portitorem.

NIREI AC THERSITÆ.

NIREVS.

Ecce denique vel Menippus hic judex erit, uter nostrum sit formosior. Dic, Menippe, an non tibi videor forma præstantior? Men. Imo quinam sitis, prius arbitror indicandum, nam hoc opinor scito est opus. Nir. Nireus ac Thersites. Men. Uter Nireus, uter Thersites? nondum enim vel hoc satis liquet. Ther. Jam unum hoc vinco, quod tibi sum similis, neque tantopere me præcellis, quantopere te cæcus ille Homerus extulit, unum omnium formosissimum appellans: quin ego fastigiato vertice, rarisque & impexis capillis ille, nihilo te inferior visus sum arbitro. Jam vero tempus est uti pronuncies Menippe, utrum altero formosiorem existimes. Nir. Mirum ni me Aglaia Charopeque prognatum:

Qui vir pulcherrimus unus,
Omnibus e Grajis Priameja ad Pergama veni.

Men. Atqui non item sub terram opinor pulcherrimus venisti, quippe qui reliquis quidem ossibus aliis appareas assimilis: porro calvaria hoc uno insigni a Thersitæ calvaria dignosci possit, quod tua delicata est ac mollicula: quandoquidem isthuc habes effœminatum ac neutiquam viro decorum. Nir. Attamen Homerum percontare, qua specie tum fuerim, quum inter Græcorum copias militarem. Men. Tu quiden somnia mihi narras: at ego ea specto quæ video, quæque tibi adsunt in præsentia: cæterum ista norunt, qui id temporis vivebant. Nir. Quid igitur tandem? an non ego formosior Menippe? Men. Neque tu, neque quisquam alius formosus hoc loco: siquidem apud inferos æqualitas est, paresque sunt omnes. Ther. Mihi quidem vel hoc sat est.

DIOGENIS AC MAUSOLI.

DIOGENES.

Ohe tu Car, quare tandem insolens es tibique places, ac dignum te credis, qui unus nobis omnibus anteponare? Mav. Primum regni nomine ô tu Sinopensis, quippe qui Cariæ imperaverim universæ, præterea Lydiæ quoque gentibus aliquot: tum autem & insulas nonnullas subegerim: Miletum usque pervenerim, plerisque Joniæ partibus vastatis. Ad hæc formosus eram ac procerus, ac bellicis in rebus prævalidus. Postremo, quod est omnium maximum, in Halicarnasso monumentum erectum habeo, singulari magnitudine, quantum videlicet defunctorum alius nemo possidet, neque pari etiam pulchritudine conditum, viris scilicet atque equis, pulcherrimo e saxo ad vivam formam absolutissimo artificio expressis, adeo ut vel fanum aliquod simile haud facile quis inveniat. Num injuria tibi videor has ob res mihi placere atque efferri? Diog. Num ob imperium ais, ob formam, atque ob sepulchri molem? Mav. Per Jovem ob hæc inquam. Diog. Atqui, ô formose Mausole, neque vires jam illæ, neque forma tibi jam adest. Adeo ut si quem arbitrum de formæ præcellentia delegerimus, haudquaquam dicere potis sit, quamobrem tua calvaria meæ sit anteferenda: siquidem utraque pariter tum calva, tum nuda: utrique dentes pariter ostendimus, pariter oculis orbati sumus, pariter naribus simis ac sursum hiantibus deformati. Cæterum sepulchrum ac saxa illa pretiosa, Halicarnasseis forsitan jactare licebit, & hospitibus gloriæ causa ostentare, tanquam qui magnificam quandam apud se structuram habeant: verum quid hinc commoditatis ad te redeat vir egregie nequaquam video, nisi forsan illud commodum vocas, quod plus oneris atque nos sustines, sub tam ingentibus saxis pressus ac laborans. Mav. Itane nihil illa mihi conducunt omnia? planeque pares erunt Mausolus ac Diogenes? Diog. Imo haud pares, inquam, vir clarissime: nam Mausolus discruciabitur, quoties earum rerum in mentem veniet, quibus in vita florere consuevit: at Diogenes interim eum ridebit: Atque ille quidem de suo illo monumento, quod est in Halicarnasso memorabit, ab uxore Artemisia atque sorore parato: contra Diogenes ne id quidem suo de corpore novit, nunquid habeat sepulchrum. Neque enim illi res ea curæ est, verum apud viros excellentissimos sui memoriam famamque reliquit, ut qui vitam peregerit viro dignam, tuo monumento Carum abjectissime celsiorem, ac tutiore in loco substructam.

SIMYLI AC POLYSTRATI.

SIMYLUS.

Venisti tandem, & tu Polystrate, ad nos quum annos vixeris haud multo pauciores centum, opinor. Pol. Nonaginta octo, Simyle. Sim. Sed quinam triginta istos annos egisti, quibus mihi fueras superstes. Nam ipse perii te ferme septuagenario. Pol. Quam suavissime profecto, etiam si hoc mirum tibi videbitur. Sim. Mirum vero, siquidem tibi primum seni, deinde invalido, postremo etiam orbo quicquam poterat esse in vita suave? Pol. Principio nihil erat quod non possem, præterea pueri formosi complures aderant, tum mulieres nitidissimæ, unguenta, vinum mire fragrans, postremo mensæ vel Siculis illis lautiores. Sim. Nova narras, nam ego te plane sordidum ac parcissimum esse sciebam. Pol. Atqui vir præclare, ex alienis arcis opes mihi subscatebant. Tum diluculo protinus quam plurimi mortales ad fores meas ventitabant, simulque ex omni rerum genere quæ terrarum ubivis pulcherrimæ reperiuntur, munera deportabantur. Sim. Num me defuncto regnum gessisti? Pol. Minime, verum amantes habebam innumeros. Sim. Non possum non ridere: tune amantes tantus natu quum esses, vixque tibi dentes superessent quatuor? Pol. Habebam per Jovem equidem optimates civitatis: quumque essem tum senex, tum calvus, sicuti vides, præterea lippiens etiam, ac senio cæcutiens, postremo naribus muccosis: tamen cupidissime mihi inserviebant, adeo ut is felix videretur, quemcunque vel aspexissem modo. Sim. Num tu quoque quemadmodum Phaon ille, Venerem aliquam e Chio transvexisti, ut ob id optanti tibi illa dederit rursum ad juventam redire, ac denuo formosum atque amabilem fieri? Pol. Haudquaquam, quin magis quum talis essem, qualem dixi, tamen supra modum adamabar. Sim. Ænigmata narras. Pol. Atqui notissimus est hic amor, quum vulgo sit frequens, nempe erga senes orbos ac divites. Sim. Nunc tua forma unde tibi profecta fuerit intelligo vir egregie, nimirum ab aurea illa Venere. Pol. Veruntamen non parum

A parum multas commoditates ab amantibus tuli Simyle, propemodum etiam adoratus ab illis. Porro sæpius etiam quasi procax illis illudebam, excludens interdum nonnullos eorum: interim illi inter sese decertabant, & in ambiendis primis apud me partibus, alium alius anteire nitebatur. SIM. Sed age, de facultatibus tuis quid tandem statueras? POL. Palam quidem affirmabam, me unumquemque illorum relicturum hæredem: idque illi quum crederent futurum, certatim se quisque obsequentiorem atque adulantiorem præbebat. Cæterum alteras illas veras tabulas, quas apud me servaveram, reliqui, in quibus omnes illos plorare jussi. SIM. At postremæ illæ tabulæ quem pronunciabant hæredem? num e cognatis quempiam? POL. Non per Jovem, imo novitium quendam ex formosis illis adolescentulis, natione B Phrygem. SIM. Quot annos natum, Polystrate? POL. Viginti ferme. SIM. Jam intelligo quibus obsequiis ille te demeruerit. POL. Attamen multo illis dignior qui scriberetur hæres, etiam si Barbarus erat ac perditus, quem jam ipsi etiam optimates colunt captantque. Is igitur mihi exstitit hæres jamque inter patricios numeratur, subraso mento, Barbaroque cultu ac lingua: quin eum Codro generosiorem, Nireo formosiorem, Ulysse prudentiorem esse prædicant. SIM. Non laboro, vel totius Græciæ sit Imperator, si libet, modo ne illi potiantur hæreditate.

VENERIS ET CVPIDINIS.

VENVS.

C Quid tandem in causa est, Cupido, ut quum reliquos Deos omneis adortus expugnaris, Jovem ipsum, Neptunum, Apollinem, Junonem, me denique matrem, ab una Minerva temperes, utque adversus hanc nec ullum habeat incendium tua fax, & jaculis vacua sit pharetra, tum & ipse arcu careas, neque jaculari noris? CVP. Equidem hanc metuo, mater: est enim formidabilis truculentoque aspectu, ac ferocitate quadam supra modum virili: proinde si quando tenso arcu petam illam, galeæ cristam quatiens, expavefacit me, moxque formidine tremere occipio, sic ut arma mihi e manibus excidant. VEN. Atqui Mars an non erat hac formidabilior? & hunc tamen superatum exarmasti. CVP. Imo ille cupide me recipit, atque ultro etiam invitat: D Verum Minerva semper adductis superciliis observat: quin aliquando temere ad illam advolavi, facem propius admovens: at illa, si quidem ad me accesseris inquit, per parentem Jovem, quovis modo te confecero, aut lancea te transfigam, aut pedibus arreptum in tartara dabo præcipitem, aut ipsa te discerpam. Plurima item id genus comminabatur: Ad hæc acribus obtuetur oculis, postremo & in pectore faciem quandam gestat horrendam viperis capillorum vice comatam, hanc nimirum magnopere formido: territat enim me, fugioque quoties eam aspicio. VEN. Esto sane, Minervam metuis ut ais, atque hujus gestamen gorgona reformidas, idque quum Jovis ipsius fulmen non formidaveris: cæterum Musæ quam ob causam abs te non feriuntur, at- E que a tuis jaculis tutæ agunt? num & hæ cristas quatiunt, aut Gorgonas prætendunt? CVP. Has quidem revereor, mater, sunt enim vultu pudico ac reverendo, præterea semper aliquo tenentur studio, semper cantionibus animum intentum gerunt: quin ipse etiam non raro illis affisto, carminis suavitate delinitus. VEN. Esto, nec has adoriris propterea quod sint reverendæ: at Dianam qua tandem gratia non vulneras? CVP. Ut breviter dicam, hanc ne deprehendere quidem usquam sum potis, quippe perpetuo per montes fugitantem: ad hæc alterius cujusdam sui cupidinis illa tenetur cupidine. VEN. Cujus, ô gnate? CVP. Nempe venatu cervorum & hinnulorum, quos insectatur ut capiat, ac jaculo F figat. Ac prorsum tota rerum hujusmodi studio tenetur: tametsi fratrem ejus, qui nimirum arcu valet & ipse, feritque eminus. VEN. Teneo gnate, eum sæpenumero sagitta vulnerasti.

MARTIS AC MERCVRII.

MARS.

Audistin', Mercuri, cujusmodi nobis minatus sit Jupiter? quam superba, quamque dictu absurda? Ego, inquit, si voluero, catenam ex æthere demittam, unde si vos suspensi me vi detrahere conemini, luseritis operam: nunquam enim me deorsum trahetis. Contra ego vos si velim in altum attrahere, non vos modo, verumetiam tum terram ipsam, tum mare pariter subvectum in sublime sustulero. Ad hæc alia permulta, quæ tu quoque audisti. At ego, si quidem cum uno quolibet singulatim conferatur, ita præstantiorem cum esse, viribusque superiorem, haudquaquam negaverim: verum unum tam multis pariter in tantum antecellere, ut eum ne pondere quidem vincere queamus, etiam si terram ac mare nobis adjunxerimus, id neutiquam crediderim. MER. Bona verba, Mars. Neque enim sat tutum est ista loqui, ne quid forte mali nobis hæc petulantia conciliet. MARS. An vero credis apud quemlibet hæc dicturum me? imo apud te solum id audeo, quem linguæ continentis esse sciebam. Sed quod mihi maxime ridiculum videbatur, tum quum hæc minitantem audirem, haud queam apud te reticere. Etenim memineram, quum non ita multo ante Neptunus, Juno, ac Pallas, mota adversus eum seditione, machinarentur comprehensum illum in vincula conjicere, quantopere formidarit, utque in omnem speciem sese verterit, idque cum tres duntaxat essent Dii. Quod ni Thetis misericordia commota, Briareum centimanum illi auxilium accersivisset, ipso pariter cum fulmine ac tonitru vinctus erat. Hæc reputanti mihi ridere libebat ejus magniloquentiam jactantiamque. MER. Tace, bona verba: neque enim tutum est ista vel tibi dicere, vel audire mihi.

MERCVRII ET MAJÆ.

MERCVRIVS.

Est vero mater Deus quisquam in cœlo me miserior? MAJA. Cave ne quid istiusmodi dixeris, Mercuri. MER. Quid non dicam? qui quidem tantum negociorum solus sustineam quibus delassor, in tam multa ministeria distractus? Nam mane protinus surgendum est mihi, statimque verrendum cœnaculum, ubi Dii compotant. Tum ubi curiam in qua consultant undique stravero, ac singula ita ut oportet composuero, Jovi necessum est assistere, ac perferendis illius mandatis toto die sursum ac deorsum cursitare, insuper quum redeo, pulverulentus adhuc, Ambrosiam apponere cogor. Porro priusquam novitius iste pocillator advenisset, ego nectar etiam ministrabam. Quodque est omnium indignissimum, soli omnium ne noctu quidem agere quietem licet, verum id quoque temporis necesse habeo defunctorum animas ad Plutonem deducere, maniumque gregi me ducem præbere, tum autem & tribunalibus assistere. Neque enim mihi sufficiebant scilicet diurna negocia dum versor in palæstris, dum in concionibus præconis vices ago, dum Oratores instruo, ni hæc quoque provincia accedat, ut simul etiam umbrarum res disponam. Atqui Ledæ filii alternis inter ipsos vicibus apud superos atque inferos agitant. Mihi necesse est quotidie tum hoc, tum illud pariter agere: deinde duo illi Alcmena ac Semele miseris prognati mulieribus, ociosi in conviviis accumbunt, at ego Maja Atlantide progenitus illis ministro scilicet. Quin nunc quum recens Sidone a Cadmi filia reversus essem: nam ad hanc me legarat, visum quid ageret puella: priusquam respirassem, & adhuc anhelum de via, rursum ad Argos emandavit visurum, qui cum Danaë ageretur. Rursum inde in Bœotiam profectus inquit, obiter Antiopam visito: adeo ut plane jam parituram me negarim. Quod si mihi licuisset, lubens profecto fecissem, id quod solent ii qui in terris duram serviunt servitutem. MAJA. Missa fac ista gnate: decet enim per omnia morem gerere patri, quum sis juvenis: ac nunc quo jussus es, Argos contende, deinde in Bœotiam, ne si cessaris, fuerisque lentior, plagas etiam auferas: nam iracundi sunt qui amant.

VENERIS ET CVPIDINIS.

VENVS.

Cupido gnate, vide quæ facis flagitia. Non jam de his loquor, quæ te impulsore mortales in terra vel in se quisque, vel invicem alii in alios faciunt: verum de his ago, quæ apud superos quoque designas, qui quidem Jovem ipsum cogis varias assumere formas, in quodcunque tibi pro tempore visum fuerit, eum vertens: tum lunam e cœlo devocas. Quin & solem aliquoties compellis lentum apud Clymenen cessare aurigandi muneris oblitum: nam quicquid injuriæ in me matrem etiam committis, audacter ac tanquam tuto facis. Verum tu quidem ô Deorum omnium confidentissime, Rheam insuper ipsam jam anum, præterea Deorum tam multorum parentem, eo perpulisti, ut pusionem adamet, atque in Phrygium illum adolescentulum depereat, ac tua jam opera insanit, junctisque leonibus, adhibitis item Coryban-

rybantibus, quippe qui & ipsi furore quodam sunt afflati, per Idam montem sursum ac deorsum oberrat, ipsa quidem Attis amore ejulans. Cæterum Corybantum alius suum ipse penem ense desecat, alius demissa coma per montes fertur insanus, alius cornu canit, alius tympano tonat, alius cymbalo perstrepit: breviter, omnis undiquaque Ida tumultus atque insaniæ plena est. Proinde cuncta timeo: metuo ne tale quid accidat, quandoquidem te produxi, malum ingens, ut si quando resipiscat Rhea, vel potius si pergat insanire, Corybantibus imperet, ut te correptum discerpant, aut leonibus objiciant. Hic me sollicitat metus, quod videam tibi periculum imminere. CVP. Ocioso animo esto mater, siquidem leonibus etiam ipsis jam familiaris sum factus, ita ut sæpenumero conscensis eorum tergis, prehensaque juba, equitis ritu insidens illos agitem. At vero illi interim mihi caudis adblandiuntur, ac manum ori insertam receptant lambuntque, deinde mihi reddunt innocuam. Porro Rheæ ipsi quando tandem vacaverit, ut me ulciscatur quum in Atte sit tota? Postremo quid ego pecco, quum res pulchras ut sunt, offero ac demonstro? vos ne appetite res pulchras: quare his de rebus ne in me crimen conferte. Num vis ipsa tu mater, uti neque tu posthac Martem ames, neque ille te? VEN. Ut es pervicax, & nulla in re non superas: attamen horum quæ dixi, aliquando memineris.

DORIDIS ET GALATEÆ.

DORIS.

Formosum amantem, Galatea, nempe Siculum istum pastorem ajunt amore tui deperire. GAL. Ne ride, Doris: etenim qualis qualis est, Neptuno patre prognatus est. DOR. Quid tum postea, si vel Jove ipso sit progenitus, quum usqueadeo agrestis atque hispidus appareat, quodque est omnium deformissimum, unoculus? An vero credis genus illi quicquam profuturum ad formam? GAL. Ne isthuc quidem ipsum, quod hispidus est atque agrestis, ut tu vocas, illum deformat, quin virile magis est. Porro oculus media in fronte decet etiam, quo quidem nihilo segnius cernit, quam si duo forent. DOR. Videris, Galatea, non amantem habere Polyphemum, sed illum potius adamare, sic eum prædicas. GAL. Equidem haud adamo, sed tamen insignem istam vestram insultandi opprobrandique petulantiam ferre non queo. Ac mihi nimirum invidentia quadam isthuc facere videmini, propterea quod ille quum forte aliquando gregem pasceret suum, nosque e littorali specula in littore ludentes cerneret in prominentibus Ætnæ pedibus, qua videlicet inter montem & mare littus sese in longum porrigit, vos ne aspexerit quidem: at ego omnium visa sim formosissima, eoque in unam me conjecerit oculum. Ea res vos male habet: nam argumentum est, me forma præstantiorem esse ac digniorem quæ amer: vos contra fastiditas esse. DOR. An istud tibi putas invidendum videri, si primum pastori, deinde lusco formosa visa sis? quanquam quid aliud ille potuit in te probare, præter candorem? Is illi placet opinor, quod caseo & lacti assueverit: proinde quicquid his sit simile, id protinus pulchrum judicat. Alioqui ubi libebit scire, qua sis facie, de scopulo quopiam in aquam, si quando tranquilla steterit despectans, temetipsam contemplare, videbis aliud nihil nisi perpetuum candorem: verum is quidem non probatur, nisi rubor admixtus illi, decus illi junxerit. GAL. Atqui ego illa immodice candida, tamen ejusmodi habeo amantem, quum interim e vobis nulla sit, quam vel pastor, vel nauta, vel portitor aliquis miretur: cæterum Polyphemus (ut alia ne dicam) etiam canendi peritus est. DOR. Tace, ô Galatea, audivimus illum canentem, quum nuper pruriret in te: sed ô sancta Venus, asinum rudere dixisses: nam lyræ corpus simillimum erat cervino capiti ossibus renudato: tum cornua perinde quasi cubiti prominebant, iis junctis, inductisque fidibus, quas ne collope quidem circumtorquebat, agreste quiddam & absonum cantillabat, quum aliud interim ipse voce caneret, aliud lyra succineret, ita ut temperare nobis nequiverimus, quin rideremus amatoriam illam cantionem. Nam Echo ne respondere quidem illi voluit balanti, quum sit adeo garrula: imo puduisset, si visa fuisset stridulum illius, & ridiculum cantum imitari. Ad hæc gestabat in ulnis amasius iste delicias suas, ursi catulum pilis hirtum, ipsi non dissimilem. Quis autem non invideat tibi amicum istum, Galatea? GAL. Quin tu igitur, Dori, tuum ipsius amicum nobis commonstra, qui meo sit formosior, quique doctius ac melius vel voce canat, vel cithara? DOR. mihi quidem nullus est amator, neque me hoc nomine jacto, quasi sim vehementer amabilis, veruntamen istiusmodi amicum, qualis est Polyphemus, nempe totus hircum olens, tum crudis victitans carnibus, & hospites, si qui appulerint devorans, tibi habeas, eumque tu mutuum ames.

DIOGENIS ET ALEXANDRI.

DIOGENES.

Quid hoc rei, Alexander, itane defunctus es tu quoque perinde atque nos omnes? ALEX. Vides, nimirum, Diogenes: tametsi mirandum non est, si homo cum fuerim, defunctus sim. DIOG. Num ergo Jupiter ille Hammon mentiebatur, quum te suum filium esse diceret, an vero tu Philippo patre prognatus eras? ALEX. Haud dubie Philippo: neque enim obiissem, si Hammone parente fuissem prognatus. DIOG. Atqui de Olympiade etiam consimilia quædam ferebantur, puta draconem quendam cum ea fuisse congressum, visumque in cubiculo, ex eo gravidam peperisse te: porro Philippum errare fallique, qui se tuum patrem esse crederet. ALEX. Inaudieram quidem & ipse ista quemadmodum tu, at nunc video neque matrem, neque Hammonios illos vates sani quicquam aut veri dixisse. DIOG. Attamen istud illorum mendacium, Alexander, ad res gerendas haudquaquam tibi fuit inutile, propterea quod vulgus te verebatur metuebatque, quum Deum esse crederet. Sed dic mihi, cuinam tam ingens illud imperium moriens reliquisti? ALEX. Id equidem ignoro, Diogenes: celerius enim e vita submovebar, quam ut esset ocium de illo quicquam statuendi, præter id unum quod moriens Perdiccæ anulum tradidi. Sed age, quid rides, Diogenes? DIOG. Quid ni rideam? an non meministi quid Græci fecerint, quum nuper tibi arrepto imperio adularentur, Principemque ac Ducem adversus Barbaros deligerent? nonnulli vero in duodecim Deorum numerum referrent, ac fana constituerent: denique sacra facerent tanquam Draconis filio? Sed illud mihi dicito, ubi te sepelierunt Macedones? ALEX. Etiamdum in Babylone jaceo tertium jam diem: porro Ptolemæus ille satelles meus, si quando detur ocium ab his rerum tumultibus, qui nunc instant, pollicetur in Ægyptum deportaturum me, atque inibi sepulturum, quo videlicet unus fiam ex Diis Ægyptiis. DIOG. Non possum non ridere, Alexander, qui quidem te videam etiam apud inferos desipientem, sperantemque fore ut aliquando vel Anubis fias vel Osiris. Quin tu spes istas omittis ô divinissime, neque enim fas est reverti quemquam, qui semel paludem transmiserit, atque intra specus hiatum descenderit, propterea quod neque indiligens est Æacus, neque contemnendus Cerberus. Verum illud abs te discere pervelim, quo feras animo quoties in mentem redit, quanta felicitate apud superos relicta huc sis profectus, puta corporis custodibus, satellitibus, ducibus, tum auri tanta vi, ad hoc populis qui te adorabant: præterea Babylone, Bactris, immanibus illis belluis, dignitate, gloria: deinde quod eminebas conspicuus, dum vectareris, dum amiculo candido caput haberes revinctum, dum purpura circumamictus esses? nunquid hæc te discruciant, quoties recursant animo? Quid lachrymas stulte? an non id te sapiens ille docuit Aristoteles, ne res eas quæ a fortuna proficiscantur, stabiles ac firmas existimares? ALEX. Sapiens ille, quum sit assentatorum omnium perditissimus? Sine me solum Aristotelis facta scire, quam multa a me petierit, quæ mihi scripserit: deinde quemadmodum abusus sit mea illa ambitione, qua cupiebam eruditione cæteris præstare, quum mihi palparetur interim, ac prædicaret me, nunc ob formam tanquam & ipsa summi boni pars quædam esset, nunc ob res gestas atque opes: nam has quoque in bonorum numero collocandas esse censebat, ne sibi vitio verteretur quod eas acciperet. Plane præstigiosus vir ille quidem erat, ac fraudulentus ô Diogenes: quanquam illud fructus scilicet ex illius sapientia fero, quod nunc perinde quasi summis de bonis excrucior, ob ista quæ tu paulo ante commemorasti. DIOG. At scin' quid facies? ostendam tibi molestiæ istius remedium. Quandoquidem his in locis veratrum non provenit, fac ut Lethei fluminis aquam avidis faucibus attrahens bibas, iterumque ac sæpius bibas: atque eo pacto desines de bonis Aristotelicis discruciari. Verum enim Cletum etiam illum & Callisthenem video, cumque his alios com-

compluréis raptim huc sese ferentes, quo te discerpant, pœnasque sumant ob ea quæ quondam in illos commisisti. Quare fac in alteram hanc ripam te conferas, & crebrius, ut dixi bibas.

MENIPPI ET CHIRONIS.

MENIPPVS.

Equidem inaudivi, Chiron, te Deus quum esses, tamen optasse mortem. CHIR. Vera, nimirum, sunt ista quæ audisti, Menippe, planeque mortuus sum sicuti vides, quum mihi licuerit immortalem esse. MENIP. At quænam te mortis cupido tenebat, rei videlicet, quam vulgus hominum horreat? CHIR. Dicam apud te, virum neutiquam stultum atque imperitum: Jam mihi desierat esse jucundum, immortalitate frui. MENIP. Quid? an injucundum erat te vivere, lucemque tueri? CHIR. Erat, inquam, Menippe: nam quod jucundum vocant, id ego neutiquam simplex, sed varium quiddam esse arbitror. Verum quum ego semper viverem, atque iisdem perpetuo rebus uterer, sole, luce, cibo, tum horæ eædem recurrerent, reliqua item omnia quæcunque contingunt in vita, reciproco quodam orbe redirent, atque aliis alia per vices succederent, satietas videlicet eorum me cepit. Neque enim in eo voluptas est sita, si perpetuo fruaris iisdem, sed omnino in permutando posita est. MENIP. Probe loqueris, Chiron: cæterum hæc quæ apud inferos agitur vita, quinam tibi procedit, posteaquam ad hanc tanquam ad potiorem te contulisti? CHIR. Haud insuaviter, Menippe: siquidem æqualitas ipsa quiddam habet admodum populare. Nihil autem interest, utrum in luce quis agat, an in tenebris: præterea neque sitiendum est nobis quemadmodum apud superos, neque esuriendum, sed ejusmodi rerum omnium egentia vacamus. MENIP. Vide, Chiron, ne temet ipse involvas, neve eodem tibi recidat oratio. CHIR. Quamobrem isthuc ais? MENIP. Nempe si illud tibi fastidio fuit, quod in vita semper iisdem similibusque rebus utendum erat, quum hic itidem similia sint omnia, eundem ad modum parient fastidium. At de integro tibi quærenda erit vitæ commutatio, atque hinc quopiam aliam in vitam demigrandum, id quod arbitror fieri non posse. CHIR. Quid igitur faciundum Menippe. MENIP. Illud nimirum, uti sapiens quum sis, quemadmodum opinor, & vulgo prædicant, præsentibus rebus sis contentus, bonique consulas quod adest, neque quicquam in his esse putes quod ferri non queat.

MENIPPI ET CERBERI.

MENIPPVS.

Heus, Cerbere, quandoquidem mihi tecum cognatio quædam intercedit, quum & ipse sim canis: dic mihi per Stygiam paludem, quomodo sese habebat Socrates, quum huc accederet? Verisimile est autem te, Deus quum sis, non latrare modo, verumetiam humano more loqui, si quando velis. CER. Quum procul adhuc abesset, Menippe, visus est constanti atque interrito adire vultu, perinde quasi mortem nihil omnino formidaret, tanquam hoc ipsum vellet iis, qui procul a specus ingressu stabant, ostendere: verum simul atque despexit in hiatum, viditque profundum atque atrum antri recessum, simulque ego cunctantem etiam illum aconito mordens pede correptum detraherem, infantium ritu ejulabat, suosque deplorabat liberos, nihilque non faciebat, in omnem speciem sese convertens. MEN. Num igitur fucate sapiens erat ille, neque vere mortem contemnebat? CER. Haud vere: cæterum ubi vidit id esse necesse, audaciam quandam præ se ferebat, quasi vero volens id esset passurus, quod alioqui volenti nolenti tamen omnino fuerat ferendum, videlicet quo spectatoribus esset miraculo. Equidem illud in totum de viris istiusmodi vere possim dicere, ad fauces usque specus intrepidi sunt ac fortes: porro intus quum sunt, nihil mollius neque fractius. MEN. Cæterum ego quonam animo tibi visus sum subiisse specum? CER. Unus mortalium, Menippe, sic mihi visus es subire, ut tuo dignum erat genere, & prior te Diogenes, propterea quod neutiquam adacti subieritis, aut intrusi: verum tum ultronei, tum ridentes, atque omnibus plorare renunciantes.

PRÆFATIO, SEV HERCVLES GALLICVS.

HERCVLEM Galli lingua gentis vernacula Ogmium vocant. Porro Deum ipsum nova quadam atque inusitata

A figura depingunt: decrepitus est apud illos, recalvaster, reliquis capillis, si qui reliqui sunt, plane canis, cute rugosa, & in aterrimum exusta colorem, cujusmodi sunt nautæ isti senes. Charontem potius aut Japetum quempiam ex his qui apud inferos versantur, diceres. In summa, quidvis potius quam Herculem esse conjiceres ex imagine. Atque tali specie quum sit, tamen Herculis ornatum gerit, ut qui tum leonis exuvium indutus sit, tum clavam dextera teneat, tum pharetram humeris aptatam portet, tum arcum tensum læva prætendat: denique modis omnibus Hercules est. Hæc equidem arbitrabar in Græcanicorum Deorum contumeliam perperam facere Gallos, quum eum ejusmodi fingerent

B effigie, quo nimirum illum talibus picturis ulciscerentur, quod olim in regionem ipsorum incursasset, prædas agens id temporis, quum Geryonis armenta vestigans, Occidentalium gentium plerasque regiones pervastaret. At nondum etiam dixi, id quod erat in imagine maxime novum atque mirandum: siquidem Hercules ille senex, ingentem admodum hominum multitudinem trahit, omnibus ab aure revinctis: porro vincula catenulæ tenues auro electrove confectæ, pulcherrimis istis monilibus adsimiles. Atqui quum vinculis usqueadeo fragilibus ducantur, tamen neque de fugiendo cogitant, quum alioqui commode possint, neque prorsus obnituntur, aut pedibus adversus trahentem obtendunt, sese resupinantes: verum alacres ac læti

C sequuntur, ducentem admirantes, ultro festinantes omnes, & laxatis funiculis etiam antevertere studentes, perinde quasi graviter laturi, si solverentur vinculis. Ne illud quidem pigebit referre, quod mihi videbatur omnium absurdissimum: etenim quum non inveniret pictor unde catenularum summas ansas necteret, videlicet dextera jam clavam, læva arcum tenente, summam Dei linguam perterebravit, atque ex hac religatis catenulis eos trahi fecit. Ipse nimirum ad eos qui ducebantur, vultum & oculos convertebat, arridens. Hæc ego quum diutius assistens essem contemplatus, admirans, hæsitans, indignans: Gallus quispiam, qui propius adstabat, nostratium literarum non indoctus, id quod declaravit, quum Græcanicam linguam absolute sonaret, Philosophus opinor ex eo genere Philosophorum, quod

D apud illos esse fertur: Ego tibi hospes, inquit, picturæ istius ænigma explicabo: nam videre vehementer ad eam attonitus ac stupefactus. Orationem nos Galli nequaquam arbitramur esse Mercurium, quemadmodum vos Græci, verum Herculi illam tribuimus, propterea quod hic Mercurio longe robustior exstiterit: nam quod senex fingitur, nihil est quod mirere. Siquidem una facundia consuevit in senecta demum absolutum vigorem ostendere, si modo verum vestri dicunt Poetæ:

Obduci juvenum densa caligine pectus:
Contra senectam posse quiddam dicere,
Rudi juventa melius ac præclarius.

E Hinc videlicet apud vos & Nestoris lingua melle profluit, & Trojanorum concionatores lirioessam edunt, videlicet floridam quandam vocem: nam liria si satis commemini, flores appellantur. Proinde quod ab auribus vinctos ad linguam trahit senex hic Hercules, qui non aliud quam ipse est sermo, ne id quidem debes admirari, qui quidem non ignores linguæ cum auribus esse cognationem. Neque vero ad contumeliam illius illud pertinet, quod ea pertusa est: nam memini, inquit, & Jambicos quosdam versiculos e Comœdiis apud vos dicere:

Siquidem viris loquacibus
Extrema lingua perforata est omnibus.

Quin de eodem hanc in summa habemus opinionem, ut quicquid egit, id oratione facundiaque confecisse putemus,

F utpote virum sapientem, ac persuadendo pleraque sibi subegisse. Jam tela illius nimirum rationes sunt acutæ, missiles, citæ, atque animam sauciantes: unde pennigera dicta vos quoque nominatis. Hactenus Gallus. Ac mihi quidem quum huc me conferens mecum inter eundum perpenderem, num decorum jam esset, ut tam grandis natu, quique jampridem ab his doctrinæ certaminibus memet abdicassem, rursum metam multorum judicum calculis exponerem judicandum, in tempore subiit animum meum ejus picturæ recordatio: nam antehac verebar, ne cui vestrum viderer hæc admodum pueriliter agere, quasique præter ætatem juve-

juvenari. Proinde ne quis Homericus adolescentulus illud mihi impingeret dicens:

Ætas jam periit tua.

Tum illud:

Ac te corripuit cariosa senecta, minister
Invalidusque tibi, & segnes tardique caballi:

Videlicet eo scommate pedes meos notans. Verum quoties senex ille Hercules recurrit animo, ad quidvis adducor ut faciam, neque me pudet hæc audere, quum sim ipsi æqualis imagini. Itaque robur, celeritas, forma, & si qua sunt alia corporis bona, valeant, cumque his tuus, ô Teje vates, Cupido, ubi me mento subcano viderit auro rutilantibus alis, si videbitur, vel aquilas prætervolet: neque laborabit Hippoclides, imo nunc vel maxime tempestivum fuerit, B facundia repubescere, florere, vigere, & quam licet plurimos ab auribus ducere, ac sæpius arcu ferire: quandoquidem periculum non est, ne quando quis præter spem pharetram inanem reperiat. Vides quibus modis ætatem meam, meamque senectutem ipse consoler animemque, adeo ut non sim veritus navim jam olim in terram subductam denuo revellere, suisque instructam armis, medium in pelagus demittere. Contingant autem a vobis ô Dii, afflatus secundi, quando nunc vel maxime, præsente bono atque amico vento nobis est opus: quo si digni modo videbimur, in nos quoque dicat aliquis Homericum illud:

Quos profert senior pannis e vilibus armos.

EVNVCHVS SIVE PAMPHILVS.

C UNDE nobis advenis, Luciane, seu quidnam rei rides? Semper tu quidem & alias consuevisti nobis hilaris ac festivus occurrere, verum isthuc majus aliquid solito videtur esse, de quo risum nec compescere queas. LVC. E foro tibi adsum, ô Pamphile: porro mox efficiam, ut tu quoque mecum rideas, simul atque audieris cujusmodi litis adsuerim actioni, duobus Philosophis inter sese contendentibus. PAM. Jam isthuc ipsum profecto ridiculum est quod ais, Philosophos invicem lites agitare. Nam etiam si quid magni fuisset negocii, inter ipsos modeste citraque pugnam controversiam compositam oportuit. LVC. Quid ais? tranquille componant illi, qui quidem solida plaustra conviciis onusta, alter in alterum effuderint, vociferantes miraque pervicacia D contendentes? PAM. Videlicet de disciplinis atque opinionibus, Luciane, ita ut assolent, dissentiebant, quod erant diversæ factionis. LVC. Nequaquam, imo aliud quiddam erat hoc de quo dissidebant: nam ejusdem sectæ erant ambo, ejusdemque scholæ, & tamen orta inter eos lis erat. Porro judices qui cognoscebant, primates erant hujus Reipublicæ natuque maximi ac sapientissimi. Breviter, apud quos pudescat aliquis etiam parum apte quippiam eloquutus, nedum ad tantam provectus inverecundiam. PAM. Quin tu igitur litis argumentum exponis, quo videlicet ipse etiam cognoscam, quæ res tibi tantum risum concitarit? LVC. Scis, Pamphile, salarium, idque neutiquam exiguum ab E Imperatore fuisse constitutum singulis Philosophorum generibus: puta Stoicis, Platonicis, Epicureis: cumque his etiam Peripateticis: ita ut unicuique sectæ præmium esset æquale. Cæterum demortuo ex his quopiam, alius aliquis in ejus locum subrogandus est, qui sit optimatum calculis probatus. Porro præmium illud, neque bubula pellis erat quæpiam, quemadmodum ait Poeta, nec porcellus: verum singulos in annos decies mille nummum, quos accipiunt, uti doceant juventutem. PAM. Memini quidem ista. Quin ajunt nuper ex illis diem obiisse quempiam: alterum (ni fallor) e Peripateticis. LVC. Hæc ipsa, Pamphile, Helena, propter quam illi inter sese singulari certamine conflicta- F bant. Et hactenus quidem nihil etiam ridendum erat in illis, præter hoc quod quum Philosophos esse se profiterentur, ac pecunias pro nihilo ducere, tamen earum gratia perinde atque pro patria in discrimen adducta, pro religione majorum, pro monumentis progenitorum decertarent. PAM. Atqui Peripateticorum istud est decretum: non admodum esse negligendas pecunias: verum eas in tertio quodam bonorum ordine esse ponendas. LVC. Recte dicis. Nam ista quidem ajunt. Proinde bellum hoc ex majorum judicio, sententiaque illis exstitit: verum quæ postea consequuta sint, jam ausculta. Primum complures quidem alii in defuncti illius funebribus ludis decertabant: sed inter hos præcipue duo viribus pares, puta Diocles ille senex, nosti

A quem dicam, contentiosum illum, inquam: præterea Bagoas, qui quidem ea specie est, ut Eunuchus esse videatur. Inter hos initio de doctrina, deque Philosophiæ decretis atque opinionibus est decertatum: & uterque sui specimen ac documentum dedit, quod esset Aristotelicæ factionis, quodque ejus placita sequeretur ostendit. Ac per Jovem in hoc certamine, neuter altero superior erat. Lis igitur huc deflexit denique. Diocles desinens jam eruditionis suæ periculum ac specimen ostendere, ad Bagoam descendit, ac vitam illius in primis carpere est aggressus. Bagoas itidem hujus vitam vicissim taxabat. PAM. Idque merito, Luciane. Siquidem ejus rei magis erat habenda ratio. Proinde si ego forte judex causæ sedissem, magis in hoc ut mihi videtur, futurus eram occupatus: potiusque spectassem, uter moribus esset præstantior, quam uter ad disputandum ac dicendum promptior: atque illi potius quam huic victoriam adjudicassem. LVC. Recte dicis: Equidem isti tuæ sententiæ meum & ipse calculum addo. Verum ubi jam conviciis, ubi maledictis essent satiati, tandem Diocles illud ajebat nefas esse, vel conari aut proponere Bagoam, uti cum Philosophiæ studio, cumque pulcherrimis illius præmiis commercium haberet, qui quidem Eunuchus esset. Imo hoc hominum genus non solum ab ejusmodi contubernio secludi oportere, verum ab ipsis etiam sacris, ac vasis puris, breviter ab omnibus publicis cœtibus ejici: ostendens inauspicatum quoddam & occursu infaustum spectaculum fore, si quis mane domo egressus, vel videat istiusmodi quippiam. Atque hac de re multis verbis disserebat, affirmans Eunuchum neque virum esse, neque mulierem, sed quiddam utrinque compositum & conflatum, planeque monstrum ab hominum natura specieque alienum. PAM. Novam accusandi rationem nobis narras, Luciane. Jamque & ipse ridere compellor, crimen audiens tam inauditum. Sed alter ille quid? Num obticebat? An vicissim & ipse quiddam ausus est ad ista respondere? LVC. Initio quidem pudore ac metu (nam id est istis familiare) diutius obticebat, erubescens interim, palamque præ se ferens id quod erat. Tandem autem tenuem quandam ac muliebrem edens vocem, negabat æquum facere Dioclem, qui se quod Eunuchus esset, ob id a Philosophia secluderet, cum qua fœminis etiam esset commercium. Allegabantur, Aspasia, Diotima, Thargelia, quæ causam illius adjuvabant. Præterea Academicus quidam Eunuchus, natione Gallus, qui paulo ante nostram ætatem maximi nominis apud Græcos floruisset. Porro Diocles etiam illum ipsum siquidem exstaret, ac simili negocio sese misceret, prohibiturum sese respondit, nihil expavefactum opinione, quam apud vulgus obtinebat. Ad hæc quum ipse quædam dicteria in illum jaciebat, tum referrebat in eum, quæ a Stoicis maximeque Cynicis dicta ad risum concitandum erant idonea, de corpore mutilo atque imperfecto. Hac in re judicum cognitio versabatur. Denique totius causæ jam illud caput esse cœpit: Num Eunuchus idoneus esset censendus, qui ad Philosophiam admitteretur, quique juvenibus præfici postularet, quum alter interim formam etiam ac corporis integritatem, in Philosopho requirendam esse diceret. Maxime vero uti barbam altam ac promissam gerat, quo videlicet iis qui cupidi advenirent, vir gravis appareat, & is cui fides haberi debeat, neque indignus videatur decem illis drachmarum millibus, quæ forent ab Imperatore capienda. Cæterum Eunuchorum conditionem etiam quam Spadonum esse viliorem. Nam illos aliquando utile quiddam expertos fuisse, at hunc ab ipso statim ortu fuisse exsectum, planeque animal esse quoddam varium atque anceps, non aliter quam cornices, quæ neque inter columbas, neque inter corvos numerari queant. Alter contra responderet eo judicio, non de corporis agi figura, verum de animi virtute, proinde mentis qualitatem expendi oportere, deque dogmatum cognitione quærendum esse. Ejus rei testis citatus Aristoteles, qui quidem Ermeam eunuchum Atarne oriundum tyrannum supra modum sit admiratus, adeo, ut illi perinde atque Diis sacra fecerit. Ausus est & illud addere Bagoas, multo magis idoneum esse eunuchum, cui adolescentes erudiendi credantur, quod ab hoc nulla in illos calumnia possit hærere, neque Socraticum illud crimen in hunc competat, quod adolescentulos corrumpat. Deinde quæ ille potissimum in mentum imberbe fuerat cavillatus, ea hic facete, ut ipsi quidem videbatur, rejecit. Etenim

enim si e barbæ prolixitate, inquit, Philosophos æstimare convenit, nimirum hircus ante omneis primas tenebit. Hic tertius quidam assistens (nomen hominis silebitur) atqui, judices, inquit, hic malis lævibus, ac fœminea voce, reliquoque corporis habitu eunucho adsimilis, si quis vestes detrahat, egregie vir esse videbitur. Alioqui mentiuntur qui ferunt eum aliquando in adulterio deprehensum, membra in membris, ut legum tabulæ loquuntur, habentem: atque id quidem temporis ad Eunuchum confugisse, eaque reperta latebra absolutum fuisse, quum judicibus crimen persuaderi non posset, ut qui e specie hominem judicarent Eunuchum. At nunc mihi palinodiam canturus videtur, idque propter ostentatum præmium. Hæc quum dicerentur, omnibus, ut par erat, risus est obortus. Porro Bagoas magis etiam perturbabatur, omnem in speciem sese varians, atque in innumerabiles versus colores, tum frigido sudore fluens: ac neque decorum sibi existimabat adulterii crimen agnoscere, neque rursum eam accusationem inutilem ad præsens certamen arbitrabatur. PAM. Profecto deridicula sunt ista, Luciane, neque vulgarem vobis, uti conjectandum est, voluptatem præbuerunt. Verum quo tandem res evasit? Et quid super his pronunciarunt judices? LVC. Non erat eadem omnium sententia. Verum aliis quidem visum est, uti nudato illo, quemadmodum in emptitiis servis fieri consuevit, inspicerent, num in iis quæ ad penem pertinent, philosophari posset. Alii vero sententiam dixere multo magis etiam hac ridiculam, nempe, ut accersitis e lustro mulieribus aliquot juberent illum cum illis congredi, ac viri officio fungi, adstante interim e judicibus quopiam, qui quidem esset natu maximus, fideque spectatissima, qui inspiceret, num Philosophum præstaret. Hæc ubi omnium risu fuissent excepta, neque quisquam omnino adesset, cui non doleret alvus risu concussus, visum est, ut integra causa in Italiam rejiceretur. Et nunc alter, ut ajunt, ad eloquentiæ ostentationem semet exercet, atque instruit, & accusationem quam elaboratissimam meditatur, adulterii crimen aggrediens, id quod ipsi maxime adversatur. Quod quidem & hic facit, juxta malorum Rhetorum morem, quum ex ipso crimine adversarium inter viros recenset. Contra Bagoas diversa cura, quemadmodum audio, & assidue virum agit, negociumque præ manibus habet. Postremo victurum sese sperat, si modo docere possit, se nihilo deteriorem esse equas ineuntibus asinis. Id enim amice visum est optimum Philosophiæ documentum, atque una demonstratio, quæ refelli non queat. Proinde optarim, ut filius qui mihi est adhuc admodum adolescens, non animum & linguam, sed penem haberet ad Philosophiam idoneum.

DE SACRIFICIIS.

ENIMVERO si quis recensere velit, quæ stultissimi mortales factitant in sacris, in festis diebus, in adeundis salutandisque Diis, tum quas res ab illis petant, quæ vota faciant, cujusmodi sint, quæ de illis sentiunt, statuuntque, equidem haud scio, sit ne quisquam animo curis ita confecto, usque adeo mœsto quin risurus sit, ubi perpenderit negocii tum absurditatem, tum amentiam.

At multo ante quam ridere incipiat, opinor secum illud expendet: utrum pios istos appellari conveniat, an contra Diis inimicos, atque infelices, ac Genios malos, qui quidem numen ipsum rem usque adeo humilem atque abjectam existimant esse, ut humanis egeat obsequiis, utque adulatione capiatur ac gaudeat: rursum ut stomachetur, atque iracunde ferat, si negligatur. Nam Ætolica illa mala, simulque Calydoniorum calamitates, totque hominum cædes, ad hæc & Meleagri interitum, hæc omnia a Diana auctore profecta esse prædicant, quæ videlicet graviter ferret, quod ab Oeneo non esset ad sacrificium adhibita. Usque adeo nimirum alte dolor hic animo illius insederat, quod sacris epulis esset frustrata. Quin illam jam mihi videre videor, ut erat id temporis, in cœlo solitariam, reliquis Diis ad Oenei convivium profectis foras, miseris modis gerentem sese, ac miserabiliter ejulantem, quod ab ejusmodi festo esset abfutura. Contra Æthiopes illos fortunatos, ac multis modis felices quis dixerit, si modo Jupiter illis gratiam referret pro humanitate, quam in initio Poematis Homerici in ipsum exhibuerant, duodecim perpetuos dies epulis acceptum, idque quum reliquis etiam Diis comitatus ad convivium veniret.

Usque adeo nihil ut apparet, quicquid faciunt illi, gratis faciunt: verum sua bona vendunt mortalibus, atque emere quidem ab illis licet omnia, puta bonam valetudinem bucula, divitias bobus quatuor, tum regnum bobus centum. Præterea sospitem ab Troja in Pylum reditum tauris novem. Jam ex Aulide ad Ilium transmittendi facultatem regia puella. Nam alius quidam, ne id temporis urbs caperetur, a Minerva mercatus est bobus duodecim, ac peplo. Verisimile est autem, esse præterea quædam, quæ vel gallo, vel corolla, vel solo thure ab illis redimi queant. Hæc igitur quum non ignoraret, opinor, Chryses ille, utpote tum sacerdos, tum senex, divinarumque rerum egregie peritus, posteaquam re infecta redisset ab Agamemnone, tanquam qui pridem Apollini mutuum dedisset beneficium, ita nunc imputat ac reposcit vicem, quin conviciatur etiam propemodum, nempe quum sic ait: Equidem, Apollo egregie, templum tuum, quum id temporis adhuc esset incoronatum, sæpenumero coronis ornavi, deinde tam multas tibi in aris adolevi coxas taurorum, pariter atque caprarum. At tu contra, me negligis, quum hujusmodi patiar injurias, proque nihilo ducis hominem bene de te meritum. Qua quidem oratione in tantum ille pudefactus est, ut protinus arrepto arcu, ac supra navium stationem sese collocans, pestem in Græcorum copias jacularetur, ne mulis quidem & canibus intactis.

Sed quoniam de Apolline incidit mentio, referam de eodem & alia, quæ de illo sapientes isti tradunt, non illa quidem, quoties quam infeliciter amarit, non Hyacinthi cædem, neque Daphnes superbiam, verum quemadmodum damnatus etiam fuerit, & ob Cyclopes interfectos in exilium exactus. Unde factum, ut e cœlo in terram demitteretur, humana jam sorte usurus, nostrisque malis factus obnoxius. Præterea autem quemadmodum in Thessalia mercenariam operam suam locarit apud Admetum, tum item in Phrygia apud Laomedontem, atque apud hunc quidem haud solus, verum cum Neptuno, quum ambo propter egestatem lateres componerent, inque construendis mœnibus operam præstarent. Ac ne mercedem quidem solidam a Phryge illo tulerunt, verum debebat illis adhuc de summa, ut ferunt, plus triginta drachmas Trojani numismatis.

Quid enim? An non hæc in Deorum honorem fabulantur Poetæ? atque his etiam multo diviniora de Neptuno, de Prometheo, de Saturno, de Rhea, denique de universa ferme Jovis familia, idque invocatis, ut adsint canentibus in exordio Poematum, Musis, a quibus tandem velut afflati numine, id quod apparet, hujusmodi quædam cantant. Quemadmodum Saturnus ut primum cœlum patrem suum execuisset, ipse in eo regnaverit, deinde liberos suos devorarit, sicuti ferunt fecisse & Argivum illum Thyestem. Deinde quemadmodum Jupiter furtim occultatus a Rhea, saxum pueri loco subjiciente, in Cretam sit ablegatus, atque inibi a capella nutrice sit alitus, itidem videlicet, ut Telephus a cerva, Cyrus Persa, is qui prior regnavit, a cane narratur enutritus. Postea quemadmodum expulso patre, atque in vincula conjecto, ipse potitus sit imperio. Duxerat autem uxores complureis quidem alias: sed postremo loco Junonem germanam, idque juxta Persarum & Assyriorum institutum. Tum autem quod esset in amores propensus, atque in Venerem effusus, facile cœlum liberis expleverit. Quorum alios ex suæ sortis Deabus crearit: alios contra nothos, ex mortali terrestrique genere sustulerit. Quum interim generosus ille, nunc in aurum, nunc in taurum, nunc in cygnum aut aquilam verteretur: ac in summa plures sibi formas assumeret, quam vel Proteus ipse. Porro Minervam e suo ipsius capite progenuit, hanc plane sub ipso cerebro complexus. Nam Bacchum imperfectum adhuc (ut ajunt) e matre etiamnum conflagrante surreptum, in suum femur illatum defodit. Deinde urgente partu, exsecuit.

Nec his dissimilia de Junone etiam canunt. Nempe hanc citra virilem congressum, subventaneo conceptu gravidam puerum edidisse Vulcanum: atque eum quidem non admodum fortunatum, verum excusorem ac fabrum ærarium: quique perpetuo tum in igni, tum in fumo versetur, ac scintillis oppletum: quippe cujus ars in fornacibus exerceatur. Tum autem ne pedibus quidem integris: claudicare enim e ruina, quum a Jove præceps datus esset e cœlo. Quod ni Lemnii pro sua bonitate eum, dum adhuc ferretur in aere, suscepissent, perierat nobis Vulcanus: non aliter quam Astya-

styanax e turri dejectus. Quanquam quæ de Vulcano narrant, toleranda videantur.

Cæterum de Prometheo, cui non cognitum est, quam atrocia sit passus, propterea quod supra modum humanæ gentis amans fuerit? Siquidem hunc Jupiter in Scythiam deportatum, super Caucasum montem cruci suffixit: adhibita illi aquila, quæ jecur illius assidue circumroderet. Hic itaque pœnas pendit. Porro Rhea (nam sunt hæc quoque simul referenda) an non indecore, atque indigne facit? Jam anus quum sit, & ætate exacta, iisque rebus intempestiva: deinde tam multorum mater Deorum, dum pueros adhuc adamat, eosque zelotypia prosequitur: dumque Atten ipsum leonibus secum circumvectat, præsertim quum jam utilis esse non queat? Itaque quinam post hac vitio vertat aliquis, vel Veneri quod adulteretur, vel Dianæ quod ad Endymionem frequenter medio e cursu divertens descendat?

Sed age missas faciamus has fabulas: atque ipsum cœlum conscendamus, Poetico illo more subvolantes: ea nimirum via, quam unam pariter cum Homero Hesiodus commonstrat, contemplaturi, quem in modum singula apud illos sint ordinata. Ac primum quidem quod forinsecus sit ferreum: vel ab Homero, qui id ante nostram ætatem dixit, audivimus. Quod si superaris, ac sublato paulum capite sursum aspexeris, ac plane in ipsum quasi dorsum perveneris, ibi simul & lumen apparet candidius, & serenior sol, & astra fulgentiora, nihilque usquam oculis occurrit nisi clarus dies, ac solum undique aureum. Cæterum introgredienti, primo loco mansitant Horæ: quippe portas servant. Post eas Iris ac Mercurius: utpote ministri Jovis & internuncii. Deinde Vulcani fabrilis officina, omnigeno referta artificio. Postea Deorum ædes, ac Jovis ipsius regia: quæ quidem omnia Vulcanus pulcherrime fabricatus sit. At vero Dii juxta Jovem assidentes (convenit enim opinor, ut in supernis illis sedibus magno strepitu, fastuque vivatur) in terram despiciunt: & quoquo versum intento capite, circumspectant, sic unde subvolantem ignem videant, aut nidorem in aëre surgentem, circaque fumum rotantem sese.

Quod si quis forte sacrum faciat, epulantur omnes fumo inhiantes, ac muscarum in morem sanguinem exsugentes circum aras effusum. Alioqui si domi cibum capiant, nectare atque ambrosia victitant. Nam olim homines etiam ab illis in convivium sunt adhibiti, unaque cum eis potarunt: nempe Ixion ac Tantalus: verum illi quoniam vim & raptum pararent, essentque futiles & garruli: ob id in hunc quoque diem pœnas luunt. Porro reliquo mortalium generi cœlum jam inaccessum est, atque occultum.

Et in hunc quidem modum vivitur a Diis. Proinde videlicet & jam mortales ipsi in colendis illis consimilia quædam atque istis consentanea moliuntur. Nam primum lucos illis attribuerunt, tum & montes dicarunt, præterea aves consecrarunt: deinde suam cuique arborem assignarunt. His factis per regiones illos distributos colunt, eosque velut in civitatem suam receptant. Nempe Apollinem Delphi Deliique: Minervam Athenienses: quæ quidem Græcis Athena dicta, vel ipso vocabulo se ei Reipublicæ familiarem esse testatur. Argivi Junonem: Mygdonii Rheam: Venerem Paphii.

Rursum autem Cretenses Jovem affirmant, non modo vixisse apud sese, nutritumque fuisse: verumetiam sepulchrum illius ostendunt. At nos scilicet interim tam multis jam seculis fallimur: qui quidem opinemur Jovem tonare, pluere, reliquaque omnia peragere. Et illud nos latuit, eum jam olim fuisse defunctum, & apud Cretenses sepultum.

Deinde vero fanis in honorem illorum erectis, ne tectis, videlicet, aut penatibus careant, formas illorum exprimunt, adhibito ad id vel Praxitele, vel Polycleto, vel Phidia. At hi quidem artifices, haud scio ubinam visam, eorum effigiem repræsentant. Ac Jovem quidem barbatum fingunt. Apollinem vero semper puerum. Mercurium jam pubescentem, primamque ducentem lanuginem. Neptunum nigro capillitio, cæsiis oculis Minervam. Attamen qui templa ingrediuntur, non jam arbitrantur sese videre, vel ebur ab Indis advectum, vel e Thracum venis effossum aurum: verum ipsum Saturni Rheæque filium a Phidia in terram hospitem adductum, jussumque Pisanorum in solitudine custodem ac speculatorem assistere: idque hoc contentum præmio, bonique consulentem, si intra quinque perpetuos annos dum Olympia celebrantur, interim obiter illi sacrificet aliquis. Tum autem constitutis aris, designatis sacrorum septis, puris vasis collocatis, victimas offerunt: bovem aratorem agricola, agnum opilio, capram caprarius. Est qui thus, est qui placentulam offerat. At si quis pauper: is ita Deo litat, ut dexteram duntaxat suam ipsius exosculetur.

Jam vero quum immolant (nam ad illos redeo) primum sertis coronant pecudem, multoque ante explorant, num legitima sit & sacris idonea: ne quid forte mactent ex his, quæ religio repudiat: deinde ad aram applicant, ac sub oculis Dei jugulant, flebile quiddam emugientem, beneque sicuti licet conjicere, ominatam: denique voce jam leviore ad sacri tibias respondentem. Quis vero non facile conjectet gaudere Deos, quum ista spectant? Quin & in frontispicio posita scriptura denunciat, ne quis intra pura vasa consistat, qui manibus sit impuris. Atqui sacrificus ipse sanguine fœdatus, neque aliter quam Cyclops ille pecudem incidit, intestina educit, cor revellit, cruorem aræ circumfundit. Et quid tandem non obiens, peragensque quod ad pietatem, sacrorumque ritum pertineat? Post omnia demum incenso igni, capram ipsam pariter cum pelle deportatam imponit: ipsam item cum lanis ovem. Nidor interim ille sacer atque divinus sursum fertur, atque in ipsum usque cœlum subvectus paulatim diffunditur.

Jam vero Scythæ reliquis omnibus hostiis omissis, ut quas viles atque humiles existiment, ipsos homines mactant Dianæ, atque eo ritu Deam placant. Verum hæc fortassis modesta videantur: cumque his ea quæ factitant Assyrii, quæ Phryges, quæ Lydi. Verum, si in Ægyptum proficiscaris: ibi demum, ibi videbis permulta religiosa, planeque cœlo digna. Puta Jovem arietino vultu: Mercurium illum optimum facie canina: Panem vero totum hircum. Ad hæc alium Ibim, alium Crocodilum, alium etiam Simiam. Quod si his quoque de rebus

Quo plane pernosse queas didicisse libebit,

compluresi Sophistas audies: tum Scribas, ac Prophetas, mento raso, qui tibi narrent, (Sed prius, ut dici solet, *Fores occlude profane.*) Quemadmodum videlicet quondam ea seditione territi, quam moverant hostes atque gigantes, in Ægyptum devenerint: ut illic in posterum tuti ab hostibus latitarent. Et ob eam causam alius hircum induerit, alius arietem, nimirum præ formidine, alius feram, alius avem. Atque hinc esse, ut Dii nunc etiam eas obtineant formas, quas id temporis assumpserant. Nam hæc diligenter mandata literis, idque ante annos plus decies mille in adytis illorum reposita servantur. Porro sacrorum peragendorum idem ferme apud illos ritus, nisi quod hostiam luctu prosequuntur: jamque mactatæ circumfusi membra laniant. Sunt qui sepeliant duntaxat, posteaquam occiderint. Nam Apis ille, qui quidem Deus apud illos est maximus, si quando moriatur, quis usque adeo magni faciat cæsariem suam, qui non eam detondeat, ac nudo capite luctum præ se ferat: etiam si vel purpuream Nisi comam habuerit? Est autem hic Apis Deus ex armento jam antea suffragiis designatus: utpote multo formosior ac venerabilior reliquis illis privatis & gregariis bubus. Hæc igitur quum sic habeant, & tamen a vulgo vera, seriaque credantur: mihi quidem postulare videntur, non qui reprehendat: sed vel Heraclitum potius aliquem, vel Democritum: quorum hic amentiam eorum rideat, ille deploret inscitiam.

DESIDERIUS ERASMUS ROTERODAMUS JOANNI EUTYCHIO SUO, S. D.



UANQUAM hic Luciani Dialogus, Eutychi doctissime, plurimum habeat artis, ob decorum mire servatum in personis tam multis, tamque diversis: tamen aliquot repperi, qui dicerent esse premendum, quod liberius ac velut ἐξ ἁμάξης *Philosophorum omne genus laceret. At mihi videtur justius esse stomachandum in hujus seculi mores, quo videmus Philosophorum ac Theologorum scholas multo puerilius etiam inter se dissidere: nec minus atrociter digladiari, tum inter religionis professores nihilominus cruentam esse pugnam, quam in eo convivio fuisse Lucianus, vel finxit, vel retulit. Hunc igitur libellum, quoniam forte* ἀδέσποτον *repperi, & tamen patrono videbatur egere, Eutychio dicavi. Bene vale,* καὶ εὐτύχει, *ut plane sis quod diceris. Antverpiæ, Anno* M D XVII.

CONVIVIUM SEU LAPITHÆ, PHILON, LUCIANUS.

PHILON.



OVAM quandam & variam disputationem, Luciane, vobis fuisse narrant, super cœnam apud Aristænetum: tum philosophicos quosdam sermones dictos, ac super his summam contentionem exortam fuisse, Quod ni mentitus est Charinus, etiam ad vulnera usque rem processisse: denique sanguine conflictum fuisse diremptum. LUC. Atqui undenam, Philon, ista rescivit Charinus? neque enim is nobiscum aderat in convivio. PHIL. E Dionico Medico ajebat audisse sese: Porro Dionicus etiam ipse e convivarum numero fuit opinor. LUC. Fuit maxime. Verum ne is quidem ab initio rebus omnibus fuit præsens: sed serius advenerat, media B ferme pugna, pauloque ante vulnera. Proinde demiror, si quid comperti, certive referre potuit, qui non ordine spectarit illa, unde inter illos nata lis, postea ad sanguinem usque deducta est. PHIL. Proinde, Luciane, Charinus, etiam ipse si rem compertius vellem cognoscere, & quo singula modo sint gesta doceri, te adirem jussit. Nam Dionicum etiam ipsum fassum fuisse: ne se quidem toti negocio præsentem adfuisse. Te vero quicquid esset actum, id omne comperto certoque scire: tum etiam quæ dicta inter illos fuerint, meminisse: quippe qui ejusmodi non obiter neque neglectim audire, sed per ocium atque attente auscultari sis solitus. Proinde nunquam effugies, quin nos hoc suavissimo accipias C epulo: quo mihi quidem haud scio an ullum possit accidere jucundius: præsertim quod sobrii per ocium tuto ac citra sanguinem, extraque teli, quod ajunt, jactum constituti sumus epulaturi,

Sive senes aliquid,
Sive etiam juvenes } Super cœnam sunt debacchati,

a mero compulsi sunt, quæ neutiquam fas erat, tum dicere, tum facere. LUC. Juvenilius tu quidem Philon, atque inconsultius hæc nos jubes in vulgus efferre, eaque referre, quæ inter pocula ab ebriis sunt acta: quum hæc magis oporteat oblivioni tradere, eaque omnia Baccho Deo velut auctori imputare: qui quidem haud scio an quemquam suis non afflatum Orgiis, & Bacchanalium expertem præterierit. D Proinde vide ne hominis sit parum bene morati, ejusmodi adamussim exquirere: quæ rectius erat in convivio reliquisse, atque ita discedere, Siquidem odi (sicut inquit versus Poeticus) memorem compotorem. Ne a Dionico quidem recte factum, qui hæc apud Charinum effutiverit, immodicamque & pridianam dissiparit temulentiam hominum Philosophorum. Cæterum ego absit ut istiusmodi quippiam sim dicturus. PHIL. Nugas agis, Luciane, quum ista dicis. Quin haudquaquam oportebat ad istum modum apud me præsertim agere: ut qui certo sciam, te multo cupidiorem esse narrandi, quam ego sim audiendi: adeo ut mihi videaris, si desint qui te audiant, vel ad columnam aliquam, aut statuam libenter accessurus, quo cuncta pariter E evomas. Quod si nunc coner discedere, non sines, ni te prius audiero, abire: verum ultro aderis, consectabere, rogabis. At tum ego te vicissim lusero. Jamque adeo, si ita vis, abimus ex alio quopiam hæc eadem audituri. Tu vero ne dicito. LUC. Age ne quid succenseas: equidem dicam, quandoquidem usqueadeo cupidus es audiendi: verum heus ea lege, ne passim in vulgus efferas. PHIL. Ni prorsus ignoro Lucianum, tute istuc potius feceris. Nam prior ipse denar-

A rabis omnibus, ut me quidem ad id nihil futurum sit opus. Sed illud mihi primo responde loco: Aristænetus, num filio Zenoni dabat uxorem, atque ita in nuptiis ejus vos accepit? LUC. Non: imo filiam suam elocavit Cleantidem, idque Eucriti nummularii filio, qui Philosophiæ dat operam. PHIL. Formoso admodum per Jovem adolescentulo: tametsi tenero adhuc & uxoriæ rei non admodum maturo. LUC. Verum: at non inveniebat, opinor, alterum generum magis idoneum. Hunc igitur qui tum modestus videretur, tum ad Philosophiæ studium propensus: præterea autem unicus Eucriti divitis, ex omnibus delegit filiæ suæ maritum. PHIL. Causam neutiquam levem dixisti, nempe quia dives sit Eucritus. Verum heus Luciane, quinam erant convivæ? LUC. Reliquos illos quorsum attinuerit tibi recensere? B Verum e Philosophorum numero, ac literatorum, quos potissimum opinor, audire cupis: Zenothemis erat, senex ille Stoicus: unaque cum hoc Diphilus, cui cognomen Labyrinthus: & hic quidem quod esset Zenoni Aristæneti filio præceptor. Deinde Peripateticæ factionis Cleodemus: nosti hominem, nempe, dicacem illum & argutum, atque ad refellendum instructum. Discipuli gladium ac bipennem nominant. Quin & Hermon aderat Epicureus. Verum hunc quum ingrederetur, Stoici torvis obtuebantur oculis, & aversabantur, palamque perinde quasi parricidam quempiam atque impium ac funestum detestabantur. Et hi quidem tanquam Aristæneti ipsius amici, familiaresque fuerant ad C cœnam vocati, quos comitabatur & Istiæus Grammaticus, & Dionysodorus Rhetor. Jam vero propter sponsum Chæream una cum illo ad convivium accesserant, Jon ille Platonicus: quod is juveni præceptor esset, vir venerandus aspectu, ac majestatis quiddam præ se ferens, multumque dignitatis ipso ostendens ore: Unde nonnulli propter animi constantiam ac rectitudinem regulam illum appellant. Huic simul ut ingrediebatur assurgebant omnes, ac veluti præcipuum quendam ac primarium hominem comiter atque officiose exceperunt: adeo ut plane numen aliquod advenire videretur, quum adesset Jon admirandus ille. Tandem vero, quum jam omnes ferme convivæ præsentes essent, tempus erat ut discumberetur. Itaque ad dextram ingressus totam illam spondam mulieres (erant autem complures) oc-D cupabant. Inter quas erat & sponsa summo studio culta: hinc atque hinc stipata fœminis. Porro ex adverso ostii altera turba, pro cujusque dignitate locis distributis. Porro e regione mulierum primo loco accumbebat Eucritus, secundo Aristænetus: sub hæc ambigi cœptum, utrum altero priorem oporteret accumbere, Zenothemim ne Stoicum, quippe senem: an Hermonem Epicureum. Nam hic erat Castoris ac Pollucis sacerdos: tum autem nobilissimæ inter cives familiæ. Verum eam hæsitationem sustulit Zenothemis: si me, inquiens, Aristænete, minoris ducis Hermone, viro videlicet isto, ut ne quid aliud mali dicam, Epicureo, discedo, totumque convivium vobis relinquo. Et puerum protinus E advocat, discedere parans. Tum Hermon. Imo habeto, inquit, tibi priores partes Zenothemi. Quanquam etiam si nihil aliud, vel hoc nomine par erat concedi, quod sacerdos sim, ut plane contemnas Epicurum. Rideo, inquit Zenothemis, sacerdotem Epicureum. Simulque cum dicto accumbebat. Post hunc tamen Hermon. Deinde Cleodemus Peripateticus: pone hunc, Jon, proxime hunc sponsus: post eum ego, juxta me Diphilus, huic assidebat Zenon discipulus: postremo Rhetor Dionysodorus cum Istiæo Grammatico.

tico. PHIL. Papæ, Luciane, Musarum conventum quendam mihi narras fuisse istud convivium, quippe plurimis sapientibus ac doctis viris refertum. Ego vero laudo Aristænetum, qui quum optatissimam illam, ac splendidissimam solennitatem celebraret, præ cæteris sapientissimos viros adhibere voluerit: idque adeo delectis ex unaquaque Philosophiæ secta præcipuis, non hos advocans, illos præteriens: verum promiscue vocans omneis. LVC. Is vero nequaquam est e vulgarium istorum divitum numero, verum & literarum est studiosus, ac maximam vitæ partem in his rebus versatur. Cœnabamus igitur initio quidem taciti & quieti, variusque erat apparatus & omnijugus. Neque enim arbitror operæ precium, ut numero recenseam etiam illa condimenta, cupedias, aromata, atque id genus illectamenta. Cuncta siquidem affatim suppetebant. Inter hæc Cleodemus, admoto ad Jonis aurem ore: non vides, inquit, senem illum, Zenothemim dicebat, (subauscultabam enim) ut sese opsoniis ingurgitat, utque jure vestem opplevit: tum quam multa puero a tergo stanti porrigit, putans interim se aliorum oculos fallere: neque meminit post sese accumbentium? Hæc igitur fac & Luciano commonstres, quo testis esse possit. Mihi vero nihil Jone monstratore opus erat: quippe qui hæc multo ante limis jam oculis prævideram. Hæc simul atque dixisset Cleodemus: irruit in convivium & Alcidamas Cynicus: atque is quidem invocatus, vulgatum illud festivitatis gratia præfatus de Menelao, qui ultro ad fratris convivium accessisset. Itaque plerisque turpiter atque impudenter visus est fecisse: & quod cuique tum forte in mentem veniebat, in eum torquebant, alius illud: *Insanis Menelae.* Alius rursum:

Verum Agamemnoniæ menti non ista placebant.

Ad hæc alia quæ pro tempore salse, lepideque dici poterant, in eum obmurmurabant. Nam palam nullus audebat quicquam dicere, propterea quod metuerent Alcidamantem, utpote convitiatorem egregium, unumque e Cynicis omnibus clamosissimum. Qua quidem re adeo visus est reliquis antecellere, ut nulli non esset formidandus. At Aristænetus collaudatum illum quod invocatus advenisset, jussit accepta sella, juxta Istiæum ac Dionysodorum accumbere. At ille: Apage, inquit, muliebre quiddam ac mollodicis uti in scamno aut sella sedeam quemadmodum facitis vos, mollibus in stratis pene supini recumbentes, purpura suffulti. Quin ego tibi vel stans cœnavero in ipso interim convivio etiam obambulans. Quod si defatigatus fuero: tum humi substrato pallio, cubito innixus cubuero: qualem videlicet Herculem pingunt. Ita fiat, inquit Aristænetus, siquidem isthuc mavis. Sub hæc Alcidamas in orbem convivium lustrans, cœnabat, Scytharum ritu ad uberiora pascua subinde sese transferens, unaque cum his qui inferebant edulia, circumiens atque obambulans. Atque interim tamen dum cibum caperet, haudquaquam negocio vacabat, de virtute obiter, de vitio disserens, tum in aurum atque argentum dicteria jaculans: jamque Aristænetum percontabatur, quidnam sibi vellent tam multa, tam magna pocula, quum non minus usui possent esse fictilia? Verum Aristænetus jam obturbantem, molestumque esse pergentem, in præsens quidem compescuit: ministro innuens ut ingentem calicem, infuso meracissimo vino, illi porrigeret. Atque id quidem visus est optime excogitasse: nondum etiam intelligens, quantorum malorum is calix esset auctor futurus. Hunc igitur ut accepisset Alcidamas, aliquantisper silentium agebat. Ac solo sternens sese cubabat seminudus, quemadmodum facturum sese fuerat pollicitus, cubito humi fixo innitens, simulque dextra scyphum sustinens: qualem Herculem apud Pholum pictores effingunt. Jam vero & inter alios calix assidue circumagebatur, tum invitatiunculæ ad bibendum, & confabulationes ortæ, demum & lucernæ illatæ. Interim ego quum puerum, qui juxta Cleodemum adstabat (erat autem is pocillator egregie formosus) subridentem vidissem (nam arbitror, quicquid obiter inter cœnandum obtigit, commemorari oportere: maxime, si quid sit elegantius ac scite factum) jam admodum attentus observare cœpi, quidnam rei rideret. Ac paulopost, accedebat puer tanquam calicem a Cleodemo recepturus. At ille simul & digitum illius substringebat, & drachmas puto duas una cum calice tradebat. Porro puer, ad substrictum digitum rursus arridebat. Cæterum, de pecunia, quum non sensisset opinor, eoque non reciperet, in terram delapsis drachmis strepitus est concitatus, moxque ambo pariter rubore suffundebantur, idque ita palam, ut nemo non animadverteret. Ambigebatur igitur inter eos qui proxime sedebant, cujusnam essent illi nummi, quum & puer negaret a se projectos, & Cleodemus item, juxta quem strepitus acciderat, sibi excidisse dissimularet. Verum ea res tum neglecta est, ac conniventer omissa, propterea quod id quod acciderat, non ita multi vidissent, præter unum (ut mihi quidem visum est) Aristænetum. Nam is paulopost puerum loco movit, clanculum ablegans, & alii cuidam innuit, uti Cleodemo pocillator assisteret, videlicet, ex exoletis illis, ac robustis, mulioni, aut equisoni cuipiam. Ad hunc modum ea res utcunque abiit, summum alioqui allatura pudorem Cleodemo, siquidem ad omnes permanasset, ac non protinus occupans Aristænetus eam sopisset, civiliter dextreque admodum inducta temulentia. Cæterum Alcidamas (jam enim potus erat) percontatus, quid nam esset nomen puellæ nubenti, tum clara voce indicto silentio simul, & ad fœminas converso vultu: præbibo, inquit, tibi Cleanthi, Herculis Archegetæ omine. Sub hæc quum risissent omnes: Ridetis, inquit, sacrilegi, quod sponsæ, Herculis Dei mei nomine propinaverim? Imo illud scito opus est, ni scyphum a me traditum accipiat, nunquam futurum, ut illi filius obtingat talis, qualis ego sum, virtute interritus, animo liber, tum corpore adeo robusto: simulque cum dicto, sese magis etiam renudabat, etiam usque ad illa quæ sunt maxime pudenda. Ad ea quum iterum arrisissent convivæ, indignatus ille surrexit, torvis jam atque efferatis obtuens oculis, vultuque ipso testans jam neque pacem, neque quietem acturum amplius. Forsitan & baculum illisisset alicui, ni commodum id temporis placenta prægrandis fuisset illata. Nam hanc simul atque conspexit, lenior ac mitior esse cœpit, ac stomachari desiit: obambulans interim ac placentam avide vorans. Jam verò plerique temulenti esse cœperant, & clamoribus undique perstrepebat convivium. Nam & Dionysodorus Rhetorem illic agens, orationes quasdam pronunciabat, laudabaturque a ministris, qui a tergo assistebant. Et Istiæus Grammaticus vicissim, qui post illum accumbebat, versuum centones quosdam recitabat, Pindari, Hesiodi, & Anacreontis carmina simul contexens atque consarcinans: ita ut ex omnibus unicam redderet cantilenam, oppido quam ridiculam, in primis autem illa, perinde quasi vaticinans, de his quæ postea acciderunt,

Commisere simul clypeos.

Tum illud quoque,

Tum vero clamorque virum luctusque coortus.

At vero Zenothemis, libellum quempiam minutis conscriptum literulis, a puero acceptum legebat. Verum quum ii quorum partes erant edulia inferre, aliquantisper, ita ut solent, cessarent morarenturque: Aristænetus sedulo curans, ne vel id interea temporis, aut ociosum esset, aut voluptatis expers, accersitum intro Morionem jussit ridiculum aliquid vel dicere, vel facere, quo magis etiam exhilararentur convivæ. Moxque ingressus deformis quidam, deraso capite, pauculos capillos in vertice gestans, eosque cristæ in morem erectos, hic saltabat, atque inter saltandum, quo majorem concitaret risum, rotatu sese circumagebat, distorquebatque. Tum cymbalo concusso, sonabat interim quiddam, linguam imitans Ægyptiorum. Postremo dicteria quædam jaculabatur in eos qui aderant. Ac reliqui scommate tacti ridebant. Verum ubi & in Alcidamantem simile quiddam torsisset: catulum illum Melitæum appellans, indignatus ille (Jamdudum autem præ se ferebat, quod invideret illi, dum probaretur ac convivarum oculos retineret) abjecto pallio, ut secum luctaretur provocavit. Quod ni faceret, hunc, inquit, baculum tibi impingam. Atque ita miser ille Satyrion (nam id erat Morioni nomen) congressus cum eo, pancratio decertabat. Erat id spectaculi multo jucundissimum, quippe quum viderent hominem Philosophum cum Morione compositum, quum ferire, tum vicissim feriri. Proinde qui aderant partim pudore tangebantur, partim ridebant: donec jam ictus Alcidamas, pugnam detrectaret, ab homuncione omnium plausu comprobato certamine superatus. Hæc igitur quum essent non mediocri risu excepta: ibi tandem ingressus & Dionicus Medicus haud multo post peractam concertationem: Ajebat autem in mora fuisse Polyprepontem tibicinem, dum hunc phrenesi

nesi correptum curandi gratia viseret. Ac plane quiddam risu dignum commemorabat. Dicebat enim in ædes illius venisse sese ignarum etiam hominem jam eo morbo teneri. At illum protinus surrexisse, foribusque occlusis, ac nudato gladio, tibias ipsas sibi tradidisse, iisque uti caneret jussisse. Deinde ubi id non posset, illum percussisse, scuticam sublata manu gestantem. Sese porro in tanto periculo tale quiddam fuisse commentum. Nempe ad canendi certamen provocasse hominem: idque ea lege ut victus præscriptum certumque plagarum numerum acciperet. Ac sese priorem cecinisse, prave atque imperite: deinde traditis illi tibiis scuticam ab illo recepisse: gladium autem extemplo per fenestras in aream abjecisse. Dein quum minore jam discrimine cum illo luctaretur, auxilio advocasse vicinos. Eos revulsisse belluam, atque ita illorum opera servatum sese. Ostendebat autem & plagarum vestigia quædam: nonnullaque in facie tubera liventia. Ergo cum Dionicus ob hujusmodi fabulam non minus placuisset, quam Morio ipse: proxime Istiæum reclinans sese, de reliquiis cœnabat. Atque hic quidem haud absque numine quodam nobis advenerat: Imo prorsum usui futurus ad ea quæ postea contigerunt. Nam prodiens in medium convivium puer quidam, qui se ab Etœmocle Stoico venire diceret, epistolium quoddam adferens, ajebat ab hero sibi mandatum, ut eo palam omnibus audientibus perlecto, rursus domum sese reciperet. Hic igitur permittente Aristæneto, admotus ad lucernam legebat. PHIL. Num orationem, Luciane, in sponsæ laudem compositam, aut carmen nuptiale: quod genus permulta faciunt? LVC. Videlicet nos quoque tale quippiam existimabamus. Verum ne accedebat quidem ad id, ut ajunt. Cæterum in literis ita scriptum erat. Etœmocles Philosophus Aristæneto. Quam non movear conviviis, omnis ante acta vita mea fuerit testis. Qui quidem quum quotidie mihi complures ea causa molesti sint, te multo ditiores, tamen haud unquam illis morem gessi: perpendens nimirum, quantum sit in ejusmodi compotationibus tumultus, quantum licentiæ petulantiæque: verum adversus unum te mihi videor meo jure stomachatus, qui tantum temporis a me officiosissime cultus & observatus, tamen indignum habueris, quem vel inter reliquos amicos tuos numerares, sed solum ex omnibus prætererieris, idque quum vicinus essem. Proinde tua causa magis discrucior, qui quidem te tam ingratum præbueris. Nam ipse felicitatem nequaquam in hoc statuo, si quis mihi impartiat, vel suem sylvestrem, vel leporem, vel placentam, quæ mihi affatim contingunt apud alios, qui officia norunt. Quandoquidem etiam hodie quum apud discipulum Pammenem cœnare mihi licuerit, opiparam (ut vocant) cœnam, non annui tamen vehementer obsecranti, tibi scilicet demens ego, memetipsum reservans. At tu nobis præteritis, alios accipis convivio. Idque merito facis, neque enim ullo modo potes quid sit rectius dignoscere, nec apprehensivam illam phantasiam habes. Cæterum haud sum nescius, unde mihi ista sint profecta: nempe ab egregiis istis Philosophis tuis Zenothemide ac Labyrintho. Quibus equidem (absit invidia dicto) vel unico syllogismo mihi videor os protinus obturare posse. Alioqui respondeat istorum aliquis quid sit Philosophia, aut hæc quæ inter elementa traduntur: quid habitio differat ab habitu, ut ne quid interim de perplexis illis rogationibus proponam: quid sit syllogismus cornutus: quid acervalis, quid metens. Verum tu quidem istis fruaris licet. Nam ego, qui solum in bonis ducam quod sit honestum, facile tulero contumeliam. Atqui ne possis posthac ad istam excusationem confugere, ut dicas te mei oblitum fuisse: nimirum in tanto rerum strepitu, tantisque occupationibus: bis te hodie sum alloquutus, primum mane domi tuæ: rursum in Castoris ac Pollucis templo rem divinam facientem. Ac his quidem de rebus hæc responderim. Quod si tibi videor cœnæ gratia succensere: quid Oeneo acciderit cogitato. Videbis nimirum ipsam etiam Dianam indignantem, quod ille se solam non adhibuerit ad sacrificium, quum reliquos Deos omneis acciperet convivio. Nam hac de re sic alicubi meminit Homerus:

Seu quia non norat, seu non succurrerat illi:
Acriter est offensa tamen.

Item Euripides:

Calydon quidem hæc Pelopeji regio soli:
Qua parte sævum spectat adversa fretum
Agros habens, tum divites, tum fertiles.

Rursum Sophocles,

Immanis apri triste monstrum, in Oenei
Immisit agros gnata Latonæ Dea
Docta eminus missis ferire spiculis.

Hæc tibi e plurimis pauca citavi, ut intelligeres, cujusmodi præterito viro Diphilum ad cœnam adhibeas, cui & ipsi filium commiseris tuum. Idque recte. Est enim jucundus adolescenti, & ita cum eo vivit, ut placeat, atque obsequatur: atque adeo ni mihi turpe dictu fuerat, addidissem & aliud quiddam. Quod quidem tu, si libebit, e Zopyro ejus pædagogo verum esse cognosces. Verum non convenit obturbare in nuptiis, neque accusare quenquam: *præsertim criminibus usqueadeo fœdis ac pudendis. Tametsi Diphilus dignus in quem facerem: quippe qui duos jam discipulos a me retraxerit: ego tamen ipsius Philosophiæ causa reticebo. Porro famulo huic mandavi, uti si quam partem dare velles, vel apri, vel cervi, vel placentæ, mihi deportandam: ut istoc pacto te mihi de cœna purgares, ne reciperet, ne ad hoc ipsum a nobis missus fuisse videatur. Hæc amice quum legerentur, sudor interim utique mihi manabat præ pudore: simulque jam illud quod vulgo dici solitum est, optabam, ut terra mihi dehisceret: quum viderem eos qui præsentes aderant ad singulas Epistolæ partes inter se ridentes, potissimum autem hos, qui noverant Etœmoclem virum canum, tantumque severitatis præ se ferentem. Admirabantur igitur quod ejusmodi vir esset, hactenus fugisse sese, barba videlicet ac vultus austeritate deceptos. Cæterum Aristænetum mihi quidem haud videbatur hominem contemptu negligentiave præterisse, verum quod desperasset, si fuisset invitatus, unquam adduci posse, ut annueret: utque ad ejusmodi res se morigerum præberet. Eoque ne tentandum quidem esse putasse. Ergo posteaquam puer jam legere desiisset, universum convivium in Diphilum ac Zenonem torquebant oculos, quod hi jam metu trepidi sederent, ac pallidi, ipsaque vultus inconstantia ac perplexitate crimen agnoscentes, ab Etœmocle intentum. Porro Aristænetus quanquam esset sane perturbatus, vehementerque consternatus animo, tamen nos jubebat bibere, conans nimirum id quod evenerat, commode vertere, subridens interim. Ac puerum redire jussit, respondens, ea sibi curæ fore. Paulo autem post surgens & Zeno clanculum sese abduxit e convivio, submonitus a pædagogo, ut discederet innuente, idque tanquam patris jussu. Ibi vero Cleodemus, qui jamdudum occasionem quærítabat, (Nam gestiebat omnino cum Stoicis conflictari, verum dirumpebatur, quod non reperiret causam ad id satis idoneam) tum igitur, ansam præbente epistola: Hujusmodi, inquit, facit egregius ille Chrysippus & Zenon ille mirabilis, neque non Cleanthes, verbula misera, neque quicquam præter rogatiunculas, & umbras duntaxat Philosophorum. Cæterum Etœmocles sunt plerique omnes. Videtis quam & ipsæ epistolæ graves sint ac seniles. Postremo Aristænetus hic Oeneus est: Etœmocles Diana, Dii boni, quam bene auspicata omnia, quamque congrua celebrandæ festivitati. Ita per Jovem, inquit Hermon, supra hunc accumbens: inaudierat autem, ut opinor, aprum quendam Aristæneto paratum, ut in convivio proponeretur, eoque putabat non intempestive factam mentionem apri illius Calydonii: per lares Aristænete, fac quam primum sacri partem mittas, ne senex interim ille fame pereat, tanquam Meleager tabefactus. Tametsi nihil queat acerbum accidere, quandoquidem Chrysippus hæc indifferentia censet esse. Itane vos Chrysippum nominatis, inquit Zenothemis, erigens sese, maximaque voce intonans: an ex uno homine, qui non legitime Philosophiam exerceat, nempe præstigiatore isto Etœmocle, Cleanthem ac Zenonem metimini, viros sapientes? At qui tandem estis ipsi vos, qui hæc dicitis: an non tu Hermon Castoris & Pollucis cæsariem, quam habebant auream circumtondisti? Cujus quidem facti pœnam dabis carnifici traditus. Tu porro, Cleodeme, nonne Sostrati discipuli tui uxorem stuprasti? Nonne in adulterio eo deprehensus nefandissima passus es? An non igitur silebitis, quum hujusmodi dedecorum vobis sitis conscii? Atqui non sum meæ ipsius uxoris leno, Cleodemus, inquit, quemadmodum tu, neque discipuli diversantis apud me viaticum sustuli, quod is deposuerat, eoque facto rapuisse me per Palladem dejerans abnegavi, neque quaternis drachmis fœnero, neque discipulos obtorto collo in vincula duco, nisi in tempore mercedem persolverint. Verum illud, inquit Zeno-

Zenothemis, haudquaquam possis inficias ire, te Critoni venenum quo patrem necaret ministrasse. Atque interea forte bibebat, quicquid autem erat in calice reliquum (erat autem ferme semiplenus) in duos illos profundebat. Porro conspersus est pariter & Jon, idque præmii tulit, quod illis vicinus accumberet, alioqui eo malo non indignus. Hermon igitur demisso vertice merum e capite abstergebat, eos interim qui præsentes erant attestans, quod id genus contumeliis esset affectus. Cleodemus autem quum non haberet calicem, invadens primum conspuebat Zenothemidi: deinde læva comprehensum a barba, plagam in tempus erat illisurus: ac feriem fortasse necasset, ni Aristænetus dextram sublatam retinuisset. Is mox transcenso Zenothemide, inter utrumque medius assedit, ut eo veluti muro dirempti, pacem inter ipsos agerent. Hæc igitur dum gerebantur, Philon, equidem varia meo cum animo volvebam. Primum illud statim occurrebat, nullum esse operæ precium, si quis disciplinas perdiscat, ni simul & vitæ rationes, ad id quod est optimum, accommodet atque componat: quum viderem illos qui verbis alios antecellerent, quam factis ipsis sese ridiculos exhiberent. Deinde & illud veniebat in mentem, ne forte verum esset, quod vulgo plerique dictitarent, videlicet eruditionem a recta ratione bonisque institutis abducere istos, qui solos libros spectarent, quique sollicitudine curaque quam illi adferrent, perpetuo tenerentur. Quandoquidem quum ibi tam multi præsentes essent Philosophi, ne casu quidem ullum erat cernere a peccando immunem. Verum alii faciebant turpia, alii dicebant turpiora. Neque enim jam poteram eorum quæ fiebant culpam, vino auctori imputare: mecum reputans cujusmodi essent, quæ Etœmocles, neque cibo neque potu etiamdum gustato, scripserat. Ita rerum vices præposteræ atque inversæ videbantur: siquidem vidisses idiotas illos summa cum modestia convivium agitantes, neque vino petulantes, neque indecore sese gerentes. At ridebant duntaxat: & jam damnabant eos opinor, quos dudum suspexerant, ex habitu judicantes eos alicujus esse precii. Contra sapientes illi, & in libidinem ferebantur, & conviciis certabant, & supra modum sese potu cibisque explebant: postremo vociferabantur & ad manuus usque conserendas rapiebantur. Cæterum admirandus ille Alcidamas, etiam mejebat sub oculis omnium, nihil reveritus fœminas. Ac mihi quidem, si quis hæc quæ in eo convivio gerebantur rectissime voluisset conferre, simillima videbantur iis quæ de Eride Dea Poetæ fabulantur: nempe hanc, quod non esset ad Pelei nuptias advocata, malum in medium convivium abjecisse, ex quo tam ingens apud Trojam bellum fuerit ortum. Itidem Etœmocles mihi visus est epistola illa, quasi malo quopiam in medium projecta, non minus malorum, quam Ilias habebat, excitasse. Neque enim finem contentionis faciebant Zenothemis ac Cleodemus: quanquam medius inter utrumque intercesserat Aristænetus. Age, inquit Cleodemus, in præsentiarum quidem sat est, si literas nescire convincamini: sed crastino die vos ulciscar, quibus conveniet modis. Responde mihi Zenothemi, vel tu, vel elegantissimus iste Diphilus: qua tandem gratia pecuniæ possessionem inter indifferentia ponendam esse censetis: cum ex omnibus nil aliud spectetis, quam ut ipsi quam plurimum pecuniæ possideatis? Atque ob id causæ, semper apud divites hæretis: fœneratis atque usuris incumbitis, neque non mercede docetis. Rursum cur voluptatem detestemini, atque hac de causa Epicureos in jus vocetis: quum ipsi voluptatis gratia, turpissima tum facitis, tum patimini: indigne ferentes si quis vos non vocarit ad cœnam, rursum si vocemini, non sat est tantum vorare ut cibo turgeatis, nisi & famulis tantum donetis. Atque hæc quum diceret, pariter & linteum revellere conatus est, quod Zenothemidis puer tenebat, omni carnium genere refertum: planeque futurum erat, ut apertum illud ac solutum medium in solum abjiceret, nisi quia puer non omittebat e manibus gnaviter adversus trahentem retinens. Hic Hermon: Euge Cleodeme, respondeant qua gratia damnent voluptatem: quum ipsi supra cæteros omneis studeant voluptati? Quin magis, inquit Zenothemis, tu Cleodeme respondeto, quamobrem divitias inter indifferentia numeres. Imo tu potius. Atque hunc ad modum diutius est altercatum: donec Jon capite tandem in apertum prolato, desistite inquit: Ego si libet sermonum argumenta proponam in medium, convivio nuptiisque digna. Vos porro citra contentionem vicissim, & dicite & auscultate: quemadmodum & apud Platonem nostrum, alternis dicendi vicibus res ut plurimum agitatur. Id dictum probabant, quum omnes qui aderant, tum in primis Aristænetus atque Eucritus, nimirum in spem erecti, fore ut eo pacto ab odiosis illis contentionibus discedi posset. Et Aristænetus priorem in locum sese recepit, jam partam esse pacem ratus. Jamque nobis inferebatur ea convivii pars, absolutam cœnam vocant, singulæ singulis aves, carnes aprugnæ, pulpa leporina, piscis Tagenicus, placentæ, breviter illa, quæcunque liberum est, seu velis in alvum condere: seu domum asportare malis. Apponebatur igitur, non sua cuique quadrula, verum Aristæneto atque Eucrito, eadem in parte mensæ, una ambobus communis, ita ut de sua utrique parte quæ se spectaret, esset edendum, aut tollendum. Deinde altera Zenothemidi Stoico, & Hermoni Epicureo, & his item inter ipsos communis. Deinceps Cleodemo atque Joni. Post hos sponso ac mihi. Porro Diphilo duorum pars apposita, propterea quod Zeno jam discesserat. Hæc facito, Philon, uti memoria teneas. Nam paulopost, ad intellectum narrationis erunt usui. PHIL. Meminero sane. LVC. Tum Jon, primus igitur exordiar inquit, si quidem videtur. Deinde ubi paulisper intersiluisset: Conveniebat, inquit, fortassis, ut apud ejusmodi viros de ideis, atque incorporeis substantiis, deque animi immortalitate sermo haberetur, verum ne mihi contradicant ii qui diversam Philosophiæ sectam sequuntur, de nuptiis dicam, ea quæ congruunt. Atque illud quidem optimum fuerat futurum, si nuptiis opus non haberemus, sed Platonis ac Socratis dogma sequuti a fœminarum commercio nos penitus abdicaremus. Etenim qui ita fecissent, ii demum ad absolutam illam virtutem pertingere potuissent. Quod si viris omnino ducendæ sint uxores, ut eas juxta Platonicam sententiam inter se communes habeant, videlicet quo zelotypia vacemus. Hæc quum essent risu excepta, ut quæ nimis intempestive dicerentur, tum Dionysodorus, non tu desines, inquit, barbaricaista nobis occinere? Nam ubi zelotypiam istam reperias, aut apud quem? At tu etiam hiscere audes, inquit, sterquilinium? Ad hæc Dionysodorus, opinor, jam erat convicia quæ conveniebat regesturus, verum Grammaticus Istiæus vir optimus ille: Desinite inquit: Ego vobis epithalamion recitabo, simulque cœpit legere. Erant autem Elegiaci versus hi, si satis memini:

Nuper Aristæneti in ædibus unica summo
Nutrita est studio diva Cleanthis hera.
Virginibus cunctis reliquis præstantior una
Vel potior Phœbe, vel potior Venere.
Salve & tu juvenum validissime sponse valentum,
Nereo prior, ac fortior Æacida.
At rursum vobis hoc carmen sæpius olim,
Commune ambobus conjugiale canam.

Hæc ita ut est consentaneum, risus est consecutus. Reliquum erat, ut cibi tollerentur. Jamque tollebant Aristænetus, atque Eucritus ex his quæ sibi fuerant proposita suam uterque partem. Tum ego quæ mihi, & Chæreas item quæ sibi erant proposita. Eundem ad modum Jon & Cleodemus. Porro Diphilus etiam Zenonis digressi partem tollere parabat: affirmans uni sibi ea fuisse proposita: atque hac de causa cum ministris dimicabat, ac vicissim inter sese trahebant manibus utrinque in avem injectis: non aliter quam Patrocli cadaver hinc atque illinc attrahere conantes. Postremo vicit ille, atque abstulit, plurimum interim risum præbens convivis: maxime quum eam ob rem postea graviter stomacharetur: perinde quasi atroci affectus injuria. Jam vero Zenothemis atque Hermon, qui pariter ut dictum est, accumbebant: alter superius, puta Zenothemis: alter infra hunc, reliqua quidem, quoniam æqualia fuerant apposita: citra pugnam sustulerant. Cæterum avis, quæ jacebat ad Hermonis partem, erat altera paulo pinguior: idque ita casu evenerat, opinor. Jamque suam uterque sublaturus erat, ibi Zenothemis (sed tu mihi nunc quam maxime fac animum advertas, jam enim ad ipsum negocii caput pervenimus) Zenothemis inquam, omissa ea quæ sese spectabat, eam quæ ante Hermonem jacebat tollere est aggressus: quæ quidem (uti jam diximus) erat pinguiuscula. At ille contra nitens retinebat, haud sinens, ut ea in re potiores ferret. Inter hæc clamore coorto utrique in alterum irruentes ipsis avibus facies mutuo cædebant: ac barbis invicem prehensis auxilio advocabant: hic quidem Cleodemum, puta Hermon: ille vero, nempe Zenothemis, Alcidamantem ac Diphilum. At cæteri quidem ad partes accesserunt, partim hujus partim illius, præter unum

unum Jonem, qui sese neutrum atque ancipitem servabat. Cæterum illi invicem conserti pugnabant. Ac Zenothemis quidem scyphum e mensa sublatum, eum qui coram Aristæneto stabat, abjecit in Hermonem,

Atque hunc haud tetigit, alio sed flexus aberrat:

Verum sponsi caput diffecuit, alto gravissimoque vulnere. Itaque mulierum coorta vociferatio, quæ medium in prælium insiliebant: cum primis autem adolescentuli mater, quum jam sanguinem ejus aspexisset: præterea & sponsa metu territa, prosiliit. Inter hæc Alcidamas strenuum virum præstitit, quum Zenothemidi ferret opem, & illiso suo baculo, Cleodemi quidem calvariam, Hermonis vero maxillam comminuit: ad hæc e famulis aliquot opitulari parantes vulneravit. Quanquam illi nihil his rebus territi cesserunt. Verum Cleodemus intentato digito Zenothemidi oculum effodit: tum admotus narem mordicus avulsit. Porro Hermon Diphilum Zenothemidi suppetias ferre conatum, e sponda in terram præcipitem dedit. Sauciatus est & Istiæus Grammaticus, dum interventu suo eos studet dirimere: calice videlicet in dentes illius illiso: idque a Cleodemo, quum hunc Diphilum esse credidisset, non Istiæum. Jacebat igitur miser ille, juxta suum ipsius Homerum, Sanguinem ab ore vomens. Præterea tumultus atque lachrymarum plena undique erant omnia: dum & mulieres ejularent Chereæ sponso circumfusæ, dumque alii has student compescere. Porro maxima malorum omnium pars erat Alcidamas, posteaquam semel ad suum rediisset ingenium feriens, quicunque forte in ipsum incidisset. Neque vero pauci in eo prælio cecidissent, scito, ni baculum is fregisset. Ego porro juxta parietem erectus assistens, spectabam omnia, neque me ei negocio admiscebam, nimirum Istiæi jam doctus exemplo, quam esset periculosum ejusmodi conflictus velle dirimere. Lapithas itaque Centaurosque vidisses, everti mensas, effundi sanguinem, projici scyphos. Demum Alcidamas subversa lucerna, magnas induxit tenebras. Jamque res ut est conjectu facile, atrocior etiam multo esse cœpit, præsertim quum haud esset proclive, luminis copiam alicunde recuperare, sed multa interim ac sæva patrata sunt in tenebris. Post ubi accederet, nescio quis lucernam tandem adportans, Alcidamas quidem repertus est tibicinæ vestem sustollens, vique cum illa congredi pugnans. Dionysodorus autem in alio quodam ridiculo facinore deprehensus est. Nam ut surrexerat, scyphus e sinu illius elapsus in solum decidit, postea excusans ajebat, Jonem in tumultu calicem sublatum sibi tradidisse, ne periret. Id ita factum, Jon admodum sollicite quasi patronum agens asseverabat. His rebus dimissum est convivium, a lachrymis denuo in ridiculum exitum conversum, idque Alcidamantis, Dionysodori, atque Jonis gratia. Porro qui erant saucii, sublati sarcinæ ritu, foras deportabantur miseris affecti modis, maxime senex ille Zenothemis, pariter tum oculo tum nare mutilatus, enecari se præ cruciatu clamitans: adeo ut Hermon, quanquam ne ipse quidem expers malorum, nam huic duo dentes fuerant excussi, palam attestaretur: Memineris, inquiens ô Zenothemis, ne posthac dolorem in mediis habendum ducas. At sponsus jam vulnere a Dionico curato, domum revectus est fasciis revincto capite, eidem impositus vehiculo quo sponsam fuerat abducturus. Atque ita miser ille nuptias acerbas celebrarat. Deinde & aliis item Dionicus pro sua virili remedium adhibuerat. Postremo postquam jam dormierant, asportati sunt, plerique mediis in viis vomentes. Cæterum Alcidamas inibi remanebat. Neque enim valebant hominem extrudere, posteaquam semel sese in spondam abjecerat, atque ibi transversus accubuisset. Hic erat, ô bone Philon, ejus exitus convivii, de quo rectissime illud dici possit, quod in fine Tragœdiarum nonnunquam accinitur:

Sunt fortunæ varii casus.
Plurima quæ haud speraveris unquam
Ea conficiunt numina divum.
Rursum quæ certo speraris,
Ea frustrato non contingunt.

Siquidem & hæc plane præter exspectationem atque inopinato exierunt. Præterea & illud jam didici, non esse tutum, cui non sit opus, cum ejusmodi Philosophis agitare convivium.

DE ASTROLOGIA.

De cœlo, deque astris est nobis institutus sermo. Non de ipsis quidem astris, neque ipso de cœlo, verum de divinatio- A ne ac veritate, quæ ab illis in hominum vitam proficiscitur. Neque rursum mihi libellus hic se traditurum aut docturum profitetur, quo pacto divinationem hanc assequi liceat. Sed illud queror, doctos omneis cum in cæteris omnibus exerceant sese, suisque omnibus tradant, solam Astrologiam nec habere in precio, nec exercere. Atqui hoc doctrinæ genus vetustum est, neque nuper ad nos pervenit, sed inventum est priscorum Regum, quos Dii amabant. At hujus ætatis mortales non solum inscitia socordiaque, verum etiam odio laboris, diversa ab illis sentiunt. Cumque forte inciderint in eos, qui falsa prædicunt, tum & astra culpant, & ipsam Astrologiam habent exosam, neque salutarem eam, neque veridicam arbitrantes. Sed artem magis falsam atque inanem, haud re- B cte, sicuti mihi quidem videtur, sentientes. Neque enim ob imperitiam fabri, ars ipsa culpatur, neque ob cantoris inscitiam, ipsa musica parum est erudita: quin illi potius artium sunt ignari. Cæterum ars unaquæque suapte natura scita est.

Primum igitur Æthiopes hanc rationem mortalibus tradiderunt. In causa fuit partim gentis ejus sapientia. Nam cæteris quoque in rebus Æthiopes reliquos homines antecellunt sapientia. Partim regionis quam incolunt opportunitas, propterea quod apud eos perpetua sit cœli serenitas, tranquillitasque, neque patiuntur anni mutationes, sed eadem temperie vivunt. Itaque cum primum viderent lunam non semper eodem vultu apparentem, sed varia subinde spe- C cie, & in aliam atque aliam verti formam, visa est illis ea res admiratione atque disquisitione digna. Deinde cum inquisissent, reppererunt hanc esse earum rerum causam, quod lunæ non esset lumen proprium, sed a sole mutuatum. Invenerunt autem & reliquarum stellarum motus, harum quas nos errones appellamus, nam stellarum hæ solæ moventur, naturamque earum ac potestatem, & effectus, quos unaquæque præstet, nominibus quoque inditis, non illis quidem utcunque visum est, confictis: sed quæ notæ rerum essent. Hæc igitur in cœlo perspexerunt Æthiopes, mox Ægyptiis finitimis artem imperfectam tradiderunt.

Porro Ægyptii divinandi rationem, quam ab illis dimidiatam acceperant, in majus provexerunt: quippe qui mensu- D ram etiam, ad quam unaquæque stella moveretur, indicarint. Ad hæc annorum, mensium, horarumque numerum instituerunt. Ac menses quidem illi luna metiuntur, atque ejus recursu finiunt. Annum vero sole, & hujus circuitu metiuntur. Quin his etiam majora ostenderunt. Nam ex universo cœlo reliquisque stellis, & errantibus & fixis, neque simul cum cæteris sese moventibus, duodecim partes effecerunt in his quæ moverentur, & unamquamque suis animantibus repræsentarunt, partim marinis, partim homine, partim feris, partim volatilibus, partim pecudibus. Unde & sacra Ægyptiorum varie fiunt. Neque enim omnes Ægyptii, ex omnibus duodecim partibus divinabant. Sed alii aliis utebantur partibus. Itaque arietem colunt, qui ad Arietem spectabant: piscibus non vescuntur, qui Pisces annotarant. Nec E hircum mactant, qui Capricornum viderant, atque alii item alia venerabantur, quæ quisque invenerat. Quin taurum etiam, ob honorem cœlestis Tauri, colunt. Nam Apis apud illos, res in primis sacra, regionem sortitus est: & qui eam incolunt partem, oraculum quoque dicarunt, signum videlicet divinationis, quam a cœleste Tauro petunt. Ac non multo post Libyes quoque artem hanc sunt aggressi. Siquidem & oraculum quod est apud illos Ammonis, ad cœlum, & hujus sententiam refertur, juxta Ammonem, quem illi arietis specie fingunt.

Calluerunt autem hæc omnia & Babylonii, atque hi quidem affirmant se primos omnium fuisse. Verum ut ego existimo, multo posterius ad hos scientia pervenit. At vero F Græci nec ab Æthiopibus, nec Ægyptiis de Astrologia quicquam audierunt. Verum illis Orpheus Oeagro Calliopeque prognatus, primus ista monstravit, non ille quidem admodum dilucide, neque rem clare docuit, sed præstigiis ac mysticis involucris obtexit. Sic enim illi visum est. Nam concinnata lyra, Orgia instituit, sacrasque cantiones decantabat. Porro lyra cum septem haberet chordas concentum mobilium stellarum repræsentabat. Hæc conquirens atque hæc agitans Orpheus, omnia delinebat, omniaque vincebat. Neque enim illam hominis lyram spectabant, neque illi alterius musices studium erat, verum hæc magna illa Orphei lyra. Hisce rebus cum Græci honorem habere vellent, locum illi in ipso cœlo designarunt, & complusculæ stellæ vo-

cantur Orphei lyra. Quod si quando Orpheum videris vel saxo expressum, vel coloribus effictum, sedet in medio, casus manibus tenens lyram. Circum hunc animantium similis, manibus tenens lyram. Circum hunc animantium innumera multitudo, inter quæ & homo & taurus & leo. Cumque horum singula videris, fac horum mihi memineris, cujusmodi sit illius cantus, cujusmodi lyra. Cujusmodi taurus & cujusmodi leo Orpheum audiant. Quod si eorum quæ dico, causas intelligas, tum & in cœlo horum unumquodque contemplator. Fertur autem & Tiresia genere Bœotius, divinandi gloria multum celebris fuisse. Hunc Tiresiam ex Græcis ajunt dixisse, stellarum erraticarum alias esse fœminas, alias mares, non tamen eadem efficere. Unde eundem ancipiti quoque sexu fuisse fabulantur, aliquando fœminam, aliquando marem.

Porro Atreo & Thyeste de regno paterno decertantibus, jam tum maximam Astrologiæ, cœlestisque doctrinæ curam fuisse Græcis, palam est. Ac publico consensu statuerunt Argivi, ut uter scientia præcelleret, is imperio potiretur. Ibi Thyestes arietem illis in cœlo demonstravit, atque hinc aureum arietem Thyestæ fuisse proditum est fabulis. At Atreus de sole, deque vario illius exortu locutus est, ostendens non eodem modo ferri solem & mundum, sed contrario inter se cursu rapi. Et qui nunc videtur occasus, cum sit occasus mundi, solis exortum esse. Hæc locutum Argivi Regem crearunt, magnamque doctrinæ laudem est assecutus.

Equidem & de Bellerophonte similia sentio. Nam alatum equum illi fuisse, non admodum credo. Verum arbitror illum hanc disciplinam sectantem, sublimiaque cogitantem, & inter astra versantem, in cœlum non equo ascendisse, sed animo. Eadem de Phryxo Athamantis filio dixerim, quem aureo ariete per aerem vectum fabulantur. Quin & ipsum sane Dædalum Atheniensem, etiam si res est nova auditu, tamen haud existimo eum ab Astrologia fuisse alienum. Sed cum ipse ea maxime est usus, tum filium suum eandem perdocuit. Ast Icarus cum juventutis calore & inscitia, non ea disquireret quæ conveniebant, sed ad ipsum usque polum animo tolleretur, delapsus est a vero, totaque aberravit arte, & in mare præceps decidit rerum immensæ profunditatis. De quo Græci secus fabulantur, qui ex hujus nomine sinum ejus maris Icarium frustra vocant. Fieri potest, ut Pasiphae quoque cum ex Dædalo de Tauro audisset inter stellas apparente, deque ipsa Astrologia, in artis amorem inciderit, ob id existimant factum, ut Dædalus illam tauro copularit.

Sunt autem qui scientiam in portiones partiti in singulis partibus singuli elaborarint, alii in iis quæ ad lunam, alii quæ ad Jovem, alii quæ ad solem pertinent congerentes, neque non cursum, ac motum & vim illorum. Atque Endymion lunæ rationem tradidit. Phaethon solis cursum deprehendit, non ille quidem vere, sed moriens imperfectam artem reliquit. Hæc qui ignorant, Phaethontem solis filium credunt, fabulamque de illo haudquaquam veram narrant, adiisse Solem patrem, ac postulasse ab eo, ut sibi liceret lucis currum moderari, illum id concessisse, monuisseque genere qua ratione foret aurigandum: Phaethontem vero conscenso curru, partim ob ætatem, partim ob imperitiam ita egisse, ut aliquando esset vicinus terræ, aliquando longo semotus spacio a terra, interim mortales frigus atque æstus intolerabilis conficiebat. Ob hæc indignatum Jovem ingenti fulminis telo percussisse Phaethontem. Eum dejectum sorores circumstantes magno luctu prosequebantur, donec immutarent formas, quæ nunc sunt populi, ac lachrymarum vice, quibus fratrem deplorabant, electrum destillant. Haudquaquam hæc ita gesta sunt, neque pium est his habere fidem, neque Soli fuit filius, neque illi filius interiit.

Sed narrant Græci & alia permulta fabulosa, quibus ego non admodum credo. Nam qui consentaneum est credere, Æneam Veneris fuisse filium, aut Minoa Jovis, aut Ascalaphum Martis, aut Autolycum Mercurii? Verum hi homines pii Diisque grati fuerunt, eosque nascentes, hunc Venus, illum Jupiter, alium respiciebat Mars. Etenim qui patresfamilias sunt mortalibus, in hoc progignendi genere, ii veluti parentes sibi similia producunt omnia, & colorem, & formam, & facta, & animum. At Rex quidem Minos Jovis auspiciis, Æneas formosus Veneris favore natus est. Fur Autolycus, at ea furacitas illi ex Mercurio contigit.

Jam vero nec Saturnum Jupiter conjecit in vincula, nec in tartara præcipitem dedit, neque cætera machinatus est, quæ putant homines. Verum Saturnus extremus movetur, proculque a nobis semotus est. Segnis illi motus, neque facilis animadversu mortalibus, atque hanc ob causam illum stare dicunt, ceu vinculis alligatum. Cæterum ingens aeris altitudo tartarus appellatur.

Sed potissimum ex Homeri Poetæ Hesiodique carminibus liceat intelligere priscorum fabulas cum Astrologia consentire. Siquidem ubi Jovis catenam narrat, ac Solis jacula, quæ quidem ego radiorum ictus esse conjicio, tum urbes quas in clypeo finxerat Vulcanus, præterea choream, & vineam: ad hæc quæcunque de Veneris ac Martis adulterio dixit, deque detectione, haud aliunde, quam ex hac scientia sunt conficta. Quandoquidem Veneris & Martis concursus, Homericæ cantilenæ præbet argumentum, in aliis autem versibus utriusque diversum effectum descripsit, Veneris, cum ait illi:

Tute Venus jucunda magis connubia cura.

Porro de belli negociis:

Cuncta cito hac curæ fuerint Marti atque Minervæ.

Hæc cum intelligerent veteres illi, maxime divinationibus utebantur, nec eam ociosam esse putabant, adeo ut nec urbes conderent, neque mœnia circumducerent, neque quemquam occiderent, neque ducerent uxores, priusquam de singulis a vate responsum accepissent. Denique nec ipsa Deorum oracula, ab arte Astrologica erant aliena. Verum apud Delphos virgo prædicendi munus administrat, quæ cœlestem illam Virginem repræsentat: ac Draco sub tripode vocem edit, quoniam & inter stellas Draco conspicitur. In Didymis vero templum est Apollinis, & hoc, sicuti mihi videtur, ex his Didymis, id est, geminis qui cœlo sunt, appellatum. Usqueadeo vero divinatio visa est illis res sacra, ut Ulysses etiam cum errando fessus vellet certo de rebus suis cognoscere, ad inferos penetrarit, non quo videret umbras & locum inamœnum, sed quod cuperet cum Tiresia colloqui. Qui simul atque in locum pervenerat, quem Circe monstrarat, foveam fodit, oves mactavit, cumque complures essent umbræ, atque inter has matris quoque, sanguinem bibere cupientes, non prius permisit ulli, ne matri quidem, quam Tiresia gustasset, coactusque esset sibi vaticinium edere: potuitque interim matris umbram videre sitientem.

Ad hæc Lycurgus Lacedæmoniis omnem Reipublicæ administrationem e cœlo temperabat, ac legem illis dedit, ne quando in bellum prodirent ante plenilunium. Non enim existimabant eandem esse civitatis administrationem, crescente luna & evanescente, propterea quod omnia ab illa regerentur. Porro Arcades soli hæc non receperunt, nec in precio habuerunt Astrologiam, sed iidem ob imperitiam & stultitiam ajunt se luna antiquiores esse.

Proinde cum nostri majores usqueadeo fuerint Astrologiæ studiosi, hujus ætatis homines partim ajunt fieri non posse, ut homines finem inveniant divinandi scientia, propterea quod neque certa sit, neque vera, neque Martem aut Jovem nostra causa moveri in cœlo, verum illis humanarum rerum nullam esse curam, neque quicquam esse eis cum his negociis commercii, verum secundum hos necessitate circumaguntur: partim dicunt Astrologiam non esse quidem mendacem, at inutilem. Non enim mutari vaticinio quæcunque fatis decreta instant.

At ego sane utrisque respondere possum, stellas in cœlo suo quidem motu volvi, cæterum obiter ejus motus effectum ad nos pervenire. An vis equo currente, & gallinis aut hominibus tumultuantibus, lapides subsilire, stipulasque moveri ventis cursu concitatis, syderum vero vertigine nihil præterea effici: tum ab igni exiguo calor ad nos permanat, neque nostra tamen causa quicquam erit ignis, neque illi curæ est æstus noster, ab astris autem nihil ad nos defluit? At sane fieri non potest, ut per Astrologiam ex malis bona faciamus, neque mutare quicquam earum rerum, quæ ab illis ad nos demanant. Sed hanc utilitatem ars adfert utentibus. Bona multo ante delectant eos, qui ventura præsciverint: mala vero facile cum non imprudentibus venerint, accipiuntur. Neque enim in illos irruunt, sed quia meditata exspectataque sunt, levia mitiaque videntur. Hæc mea est de Astrologia sententia.

LVCIANI ALIQVOT DIALOGORVM, DESIDERIO ERASMO ROTERODAMO INTERPRETE,

FINIS.

DE
RATIONE CONSCRIBENDI
EPISTOLAS
LIBER;

PER

DESIDERIUM ERASMUM
ROTERODAMUM.

DESIDERIUS ERASMUS ROTERODAMUS
NICOLAO BERALDO
S. P.



POSTEAQVAM Holonius ille desierat esse apud Superos, eruditissime Beralde, non putabam mihi quemquam alium metuendum, qui nænias, quas juvenis, vel exercendi stili gratia, vel obsecundans amicorum affectibus scripsissem, in vulgus ederet, in quidvis potius, quam in hoc natas. Et ecce de repente apud Britannos exortus est alter Holonius, qui librum de Componendis epistolis excudit, quem annis abhinc ferme triginta Lutetiæ scribere cœperam, cuidam amico parum sincero, cui simili munere gratificari volebam, videlicet ut haberent similes labra lactucas. Lectioni simul & compositioni, non plus temporis tributum est, ut archetypum illi tradiderim auferendum (nam adornabat longinquam profectionem) nullo antigrapho apud me servato. Aliquanto post, amici quidam, qui, nescio quo casu, nacti, nugas eas descripserant, precibus adegerunt me, ut operis rudimentum absolverem. Erat enim non solum rude, verum etiam truncum ac mutilum. Receperam in manus, sed quum ne retractanti quidem arrideret, in totum abjeci, nequaquam fore suspicans quemquam tam effrontem, qui me vivo & reclamante schedas meas evulgaret. Verum, ut video, nihil jam pudet typographos. Postea quam experiuntur nihil avidius rapi, quam nugacissimas quasque nænias, neglectis interim priscis ac probatis auctoribus, perfricta fronte sequuntur illud e Satyra: *Lucri bonus est odor ex re qualibet.* Proinde nos tametsi sic essemus affecti, ut nunquam antehac æque senserimus, quomodo fuerit animatus Flaccus quum scriberet carmen illud: [1] *Ut nox longa quibus*, &c. nam agnoscis reliqua: tamen sepositis operis sacratioribus, quæ ut magis decent hanc ætatem, ita magis juvant hunc animum: dies aliquot in recognoscendis quæ jam exierant, perdidimus, nescio quanta jactura studiorum graviorum, certe maximo meo tædio. Quod ne mihi sæpius accidat, etiam atque etiam te rogo, mi Beralde, effice quovis pacto, ut juvenis iste, nimium, ut apparet, amans mei, librum, quem uti scribis, a callido venditore magno emit, aut aboleat, aut certe tibi tradat ad me transmittendum, quo mihi liberum sit de eo statuere. Typographis quid imprecer, nisi mentem meliorem ipsis dari. Cæterum juventutem studiorum cultricem, libens admonuerim, ut in hisce nugis quam minimum operæ perdat. Video, discrucíorque animo, bellum hoc inter Germanos & Gallos indies magis ac magis incrudescere. Quanta totius rei Christianæ calamitas, duos potentissimos orbis Monarchas, sic feralibus dissidiis inter se conflictari? Tolerabilius esset malum, si res eorum quorum interest, monomachiis iniretur. Sed quid commeruere cives & agricolæ, qui spoliantur fortunis, exiguntur sedibus, trahuntur captivi, trucidantur ac laniantur. O ferreos Principum animos, si hæc perpendunt, ac ferunt! ô crassos, si non intelligunt! supinos si non expendunt. [2] Erat nonnulla spes in hoc novo Pontifice, primum Theologo, deinde spectatæ a primis annis integritatis. Verum haud scio quo pacto fit, ut Pontificum auctoritas longe plus valeat ad excitandum inter Principes bellum, quam ad componendum. Sed hi tumultus non dirimunt Musarum fœdera, nec hæc commercia nobis intercipere possunt bellorum leges. Non convenit Cæsarianis & Gallis, sed pulchre convenit honestissimorum studiorum sodalibus. Quare valebis vir humanissime, simulque quum dabitur opportunitas, Budæum, Delphinum, Brixium, ac reliquos amicos meo nomine salutabis diligenter. Basileæ VIII. Cal. Jun. Anno M. D. XXII.

1 Ep. Lib. I. Ep. I. 20. & seq.
2 Sedem Romanam tunc obtinebat Hadrianus VI. initio anni CIↃ IↃ XXI. electus, cum Theologus Lovaniensis fuisset, auctoritate Coroli V. Imp. cujus præceptor fuerat, ad tantam dignitatem evectus.

INDEX CAPITUM.

DE-

DESIDERIUS ERASMUS ROTERODAMUS DE RATIONE CONSCRIBENDI EPISTOLAS.

CAP. I.

QVIS EPISTOLÆ CHARACTER.



Qvi in Epistolis unum aliquem characterem vel requirunt, vel præscribunt, id quod ab eruditioribus etiam quibusdam video factum: ii mihi nimirum de re tam multiplici, propeque in infinitum varia nimis anguste atque arcte videntur agere. Neque sane ita multo minus absurde facere eos existimo, quam si sutor omni pedi ad eandem formam crepidam velit consuere: aut si pictor quodvis animal iisdem lineamentis, iisdemque coloribus conetur effingere: aut sarcinator consimilem vestem pumilioni ac giganti tribuere studeat. Negant Epistolam ferendam esse, nisi quæ intra exilem dicendi figuram sese contineat: nisi quæ illaborata dissolutaque fluat, & omnibus contentionis nervis careat: nisi quæ vulgo mutuatis verbis contexta: nisi denique quæ brevitate ipsa Epistolæ nomen mereatur, potius quam voluminis. Hanc formam si quis suo quodam instituto sequi maluit: ut sæpenumero, pro ingeniorum varietate, aliud scribendi genus, alii magis arridet: cum hoc equidem non admodum pugnabo. Sit enim per me suum cuique pulchrum. Verum si eam nobis ita præscribit, ut vel solam vel optimam haberi velit, cum argumentorum species non minus sint innumerabiles, quam mundi illi Democritici: & nullum fere argumenti genus non recipiat Epistola: & nusquam oporteat orationis habitum cum argumenti genere dissidere: qui quæso potest tam infinitæ rerum varietati, simplex sermonis character accommodari? Quem quidem, ut vel maxime alioqui per se optimum deligas, fieri tamen non potest, ut idem ubique optimus esse videatur. Ego tum unamquamque orationis figuram optimam existimo, cum maxime in loco adhibetur: tum pessimam, quoties juxta priscum Græcorum adagionem, τὸ ἐν φακῇ μύρον, hoc est, *In lente unguentum* admiscuerimus. Atque hæc quidem eruditis abunde satis in summa dicta fuerint. Cæterum literatoribus istis quibusdam trivialibus, ut multo indoctioribus, ita non paulo magis importunis, pinguiore (quod ajunt) Minerva, & per partes satis faciendum est. Quibus etiam si (ut solent esse pertinaces) fieri satis non poterit, tamen eos coargui vel puerorum interest, ne horum auctoritate decepti, ea rudibus annis discant, atque imbibant, quæ grandes jam dediscere, aut pudeat aut nolint, & ut maxime velint non possint. Atqui hoc indoctum doctorum genus, & illiterata literatorum turba, literariis in ludis hodie præcipue regnat, & tanquam in sua tyrannide Phalarismum quendam exercet. Illic mihi blatero quispiam arrepta censoria virgula, Solonis leges dictabit, clamabitque delendam esse Epistolam, quæ non intra duodecim versiculos constiterit: hanc enim Epistolari modo præfixam esse metam. Obliteremus igitur hoc censore plerasque Platonis, Ciceronis, Plinii, Senecæ, D. Hieronymi Epistolas, ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα πηδώσας, [1] & contemptis istorum limitibus, in justum usque volumen porrectas. Quod si argumentum varium & amplum objectum erit, tu nihilo minus me cohibebis, & circulum istum tuum magicum egredi vetabis? Agesilaus haudquaquam probum cerdonem sibi videri dicebat, qui parvo pedi magnum induceret calceum: at quanto molestior, qui magnum pedem arctiore calceo stringit torquetque. Recte Fabius scribit, absurdum fore, si quis Herculis personam, & cothurnos infanti tribuat; verum multo videtur absurdius, si infantis fasciolas calceolosque Herculi coneris accommodare. Neque paulo gravius est tum flagitium, tum etiam periculum, in re copiosa contrahi, quam in re non am-

[A] pla copiosiorem fieri: propterea, quod supervacua fortasse cum tædio leguntur: certe necessaria non nisi magno utriusque dispendio prætereuntur. Porro si omnino propositum est, delicatis quorundam ingeniis consulere, quibus omnis Epistola longa est, nihil esse scribendum præcipiamus. Neque rursus hæc dixerim, quod eos probem, qui ridicule copiam affectantes, emendicatis voculis & male consutis sententiarum centonibus, Epistolam infarciant: quique cum omnino scribere nesciant, tamen scribendi finem invenire nunquam possunt. Nihil enim infantia loquacius. Sed ut puerorum causa, eorum stultitiam refellam, qui suam infantiam Laconismi nomine prætexunt, cum interim nec ipsa brevitatis ac copiæ vocabula, quid sibi velint intelligant, cum unius atque ejusdem artificis sit utrumque. Etenim quemadmodum apud Platonem Socrates, eum demum opti- [B] me verum dicere posse colligit, qui sit idem artifex mentiendi optimus: ita nemo brevitatis nomine recte laudabitur, qui non idem quam copiosissime scribere possit. Nam quid tandem est brevitatem præstare? Nempe maximam rerum vim, quoad fieri potest, in pauca conferre: non pauca scribere, quod alioqui vel indoctissimus quisque, desidiosissimusque facillime possit. Omnem igitur ad copiose dicendum supellectilem in animo praepararis oportet, si Laconismi, hoc est, breviloquentiæ laudem auferre voles. Ea autem pro argumenti oblati modo: utque sese dabit ocium vel scribenti vel lecturo, ita utemur: modo rei satis fiat. Neque interim ulla Epistola non brevis videbitur, in qua præter argumenti dispendium nihil adimere queas: quæ sic est scripta, ut iterum atque iterum relecta, tamen non satiet: cum tua interim, vel intra duodecim versiculos consistens, adeo brevis non sit, ut Iliade quoque videatur prolixior. Quandoqui- [C] dem in hac, tametsi longissima, nullus ex tot versuum millibus redundat, cum ex tuis illis undecim versiculis, septem possint resecari: atque ita sane resecari, ut reliqui quoque ob sermonis ineptiam, immensæ prolixitatis nauseam faciant. Quare si quem in scribendis literis impendio delectat hic Laconismus, per me quidem licebit, si rei ociique modo, non chartarum spaciis, ac versiculorum numero brevitatem metiatur. Nec ita scribat paucissima, ut ex iis ipsis supersint quædam, sed ut velut e divite rerum acervo optima quæque decerpta fuisse appareat. Meminisse tamen debemus, nonnihil interesse inter volumen & epistolam, propterea quod hæc ad temporis, rerum, personarumque præsentem rationem, quantum licet, est accommodanda. Volumen quoniam omnibus scribitur, ita temperandum est, ut optimis atque doctissimis placeat.

CAP. II.

[D] DE ILLABORATA EPISTOLA.

Sunt qui non ferant Epistolam nisi inelaboratam: & hac de causa figuratam esse nolint: ne si quid in ea phalerarum fucive appareat, lucernam olere dicatur. At ego citius feram Epistolam, quæ lucernam oleat, quam quæ temetum, quæ myrothecia, quam quæ hircum. Quis porro tam iniquus censor, qui non eas veterum Epistolas optimas judicet, quæ sint omni cura arteque elaboratæ? Quid unquam exquisitius accuratiusque scripsit Cicero, quam illam prolixam ad Lentulum: rursus illam, qua Curioni commendat Milonem, & plerasque ad M. Varronem: præcipue vero eam, qua Lucejo persuadere conatur, ut res ab se gestas, literis mandet: quam ipse velut accurate feliciterque scriptam, Atticum ut legat hortatur? An lector his anteponat eas, quas scripsit ad Terentiam, Ciceronem, Tironem, aut Acilium? An Plinius, dum Ariano suo scribit, quid sit actum in causa Marii Prisci: dum Gallo Laurentinum suum describit: dum Minutiano narrat, quid rerum gesserit in provincia Betica: dum Apol-

1 *Supra effossa salire*, hoc est, egredi stadio circumfosso; quod de longioribus litteris hic usurpat *Erasmus*. In Indice Chiliadum non invenio.

linari Thuſcos agros ſuos depingit, num decem verſibus abſolvit Epiſtolam? Atqui is teſtatur eas potiſſimum a ſe collectas, quas ſcripſiſſet accuratius, nimirum ut poſteritate digniores. Sed interim habenda ratio, cui ſcribas. Sunt qui neglectam & illaboratam Epiſtolam, ſui contemptum interpretantur. Sed ut dicam in genere, quemadmodum incidere poteſt, ut pro perſonæ cui ſcribis, proque argumenti ratione, nullum ornamentorum aut dignitatis genus non deceat Epiſtolam; ita fere congruit ſimplicitas quædam orationis, ſed elegans. Non efflagito phaleras, ſed idem non fero pannos. Non deſidero calamiſtros, modo adſit mundicies. Pigmenta negas, at ſordes ut abſint facito. Non requiro curam anxiam ac moroſam, ſed rurſum nolo ſcopas diſſolutas. Poſtremo, ſi libet, ſcribito ex tempore, ſcribito quidquid in buccam venerit, ſed ita, ut ad Atticum fecit Cicero.

CAP. III.

DE GRAVITATE EPISTOLÆ.

NAm iſtos qui nuſquam volunt aſſurgere Epiſtolæ phraſim, ſed quotidiano ſermoni proximam eſſe oportere contendunt, vel una Ciceronis Epiſtola facile revicerit: nimirum ea, quam ſcripſit ad Octavium Auguſtum: quæ adeo non repit humi, ut non ſolum attollatur ad orationum procellas, verumetiam in tragœdiam exeat. Et arbitror atrociſſimam ejus Epiſtolæ partem eſſe reſectam ab iis, qui hoc vel Octavii, vel Ciceronis intereſſe putabant. Quid enim illa, quid illis interrogantibus, quid agat nunc Reſpublica reſpondebit aliquis noſtrum, qui proximus in illam æternam domum diſceſſerit? a quo accipient de poſteris ſuis nuncium, veteres illi Africani, Maximi, Pauli, Scipiones, quid de patria ſua audierint, quam ſpoliis triumphiſque decorarunt, & cætera quæ conſequuntur. Num remiſſiora tibi videntur, illa Albanorum tumulorum obteſtatione, qua nihil in oratione vehementius inveniri poſſe putat Fabius? Effervefcet igitur vel in tragicam uſque vociferationem Epiſtola, ſi quando res ita poſtulabit, ſumetque ampullas, & ſeſquipedalia verba. Neque de bello paceque ſimili ſtilo loquetur eruditis magnatibus, quo de macerandis ſalſamentis, aut coquendis oleribus mandaret famulo. Cæterum in mediocribus argumentis, ſi non incidet quod aliud ſuadeat, non diſplicebit Atticiſmus in Epiſtola: nec hic requiram fulmina aut tonitrua Periclis, ſi modo ſermo velut e fonticulo limpidis aquis, grato lenique murmure perſtrepentibus fluat, non velut mortuus, ſtagni in morem torpeat, omnium expers affectuum.

CAP. IV.

DE PERSPICVITATE EPISTOLÆ.

ECce autem maxima pars eorum, qui hoc juris, vel ætatis, vel fortunæ prærogativa ſibi vindicant, ut de literis quas non didicerunt, cenſuram agant, magnis etiam conviciis a nobis efflagitant perſpicuitatem. Grave flagitium eſſe clamitant, ſi verbum ullum miſceatur Epiſtolæ, quod legentem vel tantiſper remoretur. Memini quum ipſe puer annos natus quatuordecim, ſcripſiſſem tutori cuidam meo, quem magis etiam puer habueram inſtitutorem: & ex lectione librorum, qui tum ſuppetebant, admiſcuiſſem nonnihil: reſcripſit homo, non minus ſuperciliosſus, quam indoctus, ut ſi poſthac eſſet animus tales Epiſtolas mittere, eadem opera commentarium adjungerem: *ſibi ſemper hunc fuiſſe morem, clare, & punctuatim ſcribere*: nam his floſculis ſibi placebat. Non hæc dico, quod negem in quavis oratione præcipuam eſſe laudem perſpicuitatis. Quid enim eſt oratio, quæ non intelligitur? Sed quemadmodum pro re non ſolum probanda, verumetiam neceſſaria eſt perſpicuitas, facilitaſque ſermonis: veluti, quoties ſerium quippiam petitur ab homine ſemidocto, moroſove, aut etiam vehementer occupato: ita incidit nonnunquam, ut non aliud genus excuſatius admittat obſcuritatem: velut cum eruditus cum erudito velitatur literatis jocis, quos nolit a quovis intelligi. Quemadmodum nos olim luſimus cum eruditiſſimo viro Thoma Linacro: cui ſcripſimus Epiſtolam metro trochaico tetrametro, ſed ita temperata compoſitione, ut aliud agenti non ſuboleret eſſe carmen. Admonueram in Epiſtolæ frontiſpicio, ut ſibi caveret: nam mihi in animo eſſe ipſum hac Epiſtola fallere: & in calce adjeci jam me feſelliſſe, ni fallerer ipſe. Non ſenſit homo fraudem, niſi monitus a me. Mihi

A non diſplicet illud Octavii Cæſaris, *non aliter in ſermone fugiendum verbum inſolens, quam in curſu ſcopulum.* Et merito ridentur hoc noſtro ſeculo quidam Apulejani, & obſoletæ antiquitatis affectatores. Arridet uſitatis verbis contexta oratio, ſed ab iſtis lubens quæſierim, quæ tandem appellent uſitata. Num e compitis, ac triviis ſumpta? Recte ſane ſi Gallice, aut Germanice ſcribendum erit. Verum ſi Græce aut Latine, quid minus convenit, quam ejus ſermonis mundiciem ab his auctoribus petere, apud quos præter meras ſordes nihil eſt? Olim hoc juris erat conſuetudini publicæ, ut quaſdam voces antiquaret, aliis gratiam novitatis adderet. Quanquam ne tum quidem omnia placebant doctis, quæ vulgo in conciliabulis, theatris, aut caſtris jactarentur: & erant in libris eruditorum, ad quæ reſiſteret plebejus leB ctor. Nunc vero Latine loquendi conſuetudo, non a foris aut conciliabulis idiotarum, ſed a probatis auctoribus petitur. Itaque nullum verbum inuſitatum videri debet, quod exſtet in elegantis mundique ſcriptoris literis. Quid Ciceronis oratione candidius, quid apertius? At hic nonnullis videtur Cimmeriis tenebris obvolutus. Quid Terentiano ſermone luculentius? At hunc ne commentariis quidem adjuti, complures intelligunt. In ſordidis auctoribus verſatus, ſi quando inciderit in Quintilianum, clamat omnia ſibi videri Græca, aut Arabica. Danda eſt opera, ut ſimus aperti, ſed eruditis. Neque quenquam commoveat obſcuritatis crimen, quod ſit illi cum Cicerone, aut Tito Livio commune. Clamitas tenebricoſam eſſe Flacci dictionem, ſed eruditis C vel in primis admirabilis eſt erudita perſpicuitas. Proinde colligis, opinor, in te tenebras eſſe, non in auctore. Tu in quemcunque ſcriptorem incideris, modo laudatum, noctem iſtam tecum circumfers. Vociferaris ſpinoſum eſſe librum, ſed tui pedes ſpinas habent, non locus: caligas in ſole, & lux ipſa tuis oculis noctuinis pro caligine eſt. Mutandus eſt, inquis, ſtilus: qui quoquo modo accidat, tamen non intelligitur. At quanto juſtius eſt, & tibi etiam utilius, tuum mutare vitium, quam eruditos omnes ſuam orationem tuo vitio accommodare. Barbare loquendi mille ſunt ſpecies, ac ſubinde exoriuntur novæ. Itaque ſimplicius eſt ac facilius, ut unam emendate loquendi rationem diſcant omnes, quam ut omnes barbare dicendi formas ſinguli. An æquum cenſes, ut docti D Romanam linguam, cui tot egregiæ diſciplinæ, cui Chriſtiana religio concredita eſt, ſinant intermori, ne quid offendant iſtorum indoctam arrogantiam? Num par eſſe judicas committere ut intereant: non dicam Cicero, Quintilianus, & hujus generis cæteri: ſed Cyprianus, Hieronymus, Auguſtinus, ut pro his legatur Catholicon, Holcot, Bricot, & Gorra? An luſcinia commutabit cum cuculo modulos ſuos, propterea quod aſello judici planius & intelligibilius canit cuculus? At iniquius ſit, ſi docti cogantur rectum ſermonem dediſcere, ut cum iſtis fœde balbutiant: præſertim cum eis in manu ſit, imo cum eis tot nominibus expediat ea diſcere, quæ ſuo magno malo faſtidiunt. Ego vero qui ſemper diſcendi ſum cupidus, nec his ſuccenſere ſoleo, qui priſcas voces & a Ciceronis etiam conſuetudine ſemotas eruunt. Fortaſſis & his uſus E erat Cicero, ſi exſtaret quicquid ſcripſit. Non indignor objectum eſſe quod non intelligam, ſed oblatum gaudeo quod diſcam. Tu contra mavis alienam eruditionem reprehendere, quam tuam ipſius inſcitiam vel agnoſcere modeſte, vel mutare prudenter. Mavis ſolem in crimen vocare, quam lippientes oculos tonſori Licino committere. Ac vide interim, quam ſtudioſe in nos iniquus ſis: tu qui tuis in literis ſordidiſſimi ſermonis portenta inculcas, quum vere tenebricoſus ſis, ſanis etiam oculis: dilucidus tamen videri poſtulas, & alios obſcuritatis accuſas. Paria certe facere debueras: & ſi oculis tuis iraſci non potes, ſaltem noſtras falſas diſſimulare tenebras, F quum tuas, quæ teterrimæ, veriſſimæque ſunt, cupias & laudari. Non dignatur tua prudentia Latinam linguam diſcere, quo poſſis D. Hieronymum (nam unum hunc plurimorum vice nomino) intelligere, & nos vis fecem iſtam ſermonis in tua culina nati, perdiſcere, ut te tuoſque ſodales delirantes, ac miſere balbutientes intelligamus? Non vero hæc, optime lector, in hoc tot verbis diſſerimus, quod eruditam ſermonis ſimplicitatem contemnamus: quæ mea ſententia, ſæpenumero plus habet artis, quam operoſa ſtructura: ſed ut veram perſpicuitatem, a veris tenebris ſeparemus. Serviendum eſt auribus, ſed eruditis: in his duntaxat, quæ cupimus ab eruditis legi. Quod huic obſcurum eſt, illi dilucidum eſt.

est. [1] Sed hic lusciosus, ille puris oculis. Est tamen aliquid suapte natura dilucidum, ad cujus sensum repurgandi sunt oculi. Cæterum, ut ad institutum sese referat oratio: quanquam obscuritas quoties officit, ubique vitanda est vel dicenti, vel scribenti: tamen haud scio, an ullo in genere plus inveniat veniæ, quam in Epistolis: modo non indocta, in quibus vel Ciceronis exemplo, licet subinde Græca miscere Latinis, obscuris allusionibus uti, amphibologiis, significationibus, parœmiis, ænigmatibus, clausulis de repente præcisis. Tantum habenda ratio, qua de re, cui scribas. Non damnabitur libertas, si non destituat nos consilium, cui decet artem ubique cedere.

Cap. V.

De Compositione.

POrro qui compositionem in hoc genere damnant, equidem non adeo demiror, quum videam fuisse permultos, qui eam ne in orationibus quidem æquo animo tulerint. Quanquam mihi nunc cum iis potissimum res est, qui quid sit in oratione compositio, prorsus ignorant. Cæterum quum ejusdem sit artificis, orationis numerum vel adhibere in tempore, vel negligere, & hanc partem scriptoris arbitrio relinquo: nisi quod velim adolescentem, qui tantum exercendi stili gratia scribit, aliquamdiu compositionem etiam elaborare: ita fiet, ut si res postulet orationem numerosam, apte moduletur: sin neglectam, tamen vitet illud Ciceronis convitium, scopæ dissolutæ.

Cap. VI.

De Habitu Epistolæ.

MAgna olim inter eruditos sententiarum varietas fuit, quod dicendi genus maxime probaretur, Atticum, Rhodiense, an Asiaticum. At Fabius existimat eum optimum dicendi genus sequi, qui pro re, pro loco, pro tempore, pro qualitate auditorum quam appositissime dicit: ut inepte faciant, qui dictionem ad certas leges adstringunt. Itidem & ego eam Epistolam optimam judico, quæ a vulgato hoc & indocto literarum genere quam longissime recedat: quæ sententiis exquisitissimis, verbis electissimis, sed aptis constet: quæ argumento, loco, tempori, personæ, quam maxime sit accommodata, quæ amplissimis de rebus agens, sit gravissima: de mediocribus, concinna: de humilibus, elegans, & faceta: in jocis acumine delectet ac lepore, in encomiis apparatu: in exhortando vehemens sit, & animosa: in consolando blanda sit, & amica: in suadendo, gravis sit & sententiosa: in narrando, lucida & graphica: in petendo, verecunda: in commendando, officiosa: in rebus secundis, gratulabunda: in afflictis, seria. Denique (ne quæ sunt infinita persequar) sit versipellis, ac polypus quemadmodum semet ad omnem subjecti soli habitum, ita sese ad quemvis argumenti, reliquarumque circumstantiarum habitum attemperet. Neque enim rei solum obsecundabit Epistolæ stilus, verum ut dignum est egregio quopiam Mercurio (nam nuncii vice fungitur Epistola) temporum personarumque rationem habebit: nec eadem de re quovis tempore, nec apud quosvis loquetur: alia specie sese offeret senibus, alia juvenibus, alia tetricis ac severis, alia iis qui festiviore sunt ingenio, alia aulicis, alia Philosophis, alia familiaribus, alia ignotis, alia vacuis, alia negociosis, alia fidis sodalibus, alia fictis amicis, ac parum bene volentibus. Sed interim & illud spectabit, unde veniat, non solum ad quem veniat, aut quibus de rebus legata. Proinde Mercurium quendam aget, semet pro re præsenti in omnem transfigurans habitum: sed ita tamen, ut in tanta varietate unum quendam tenorem obtineat: videlicet ut semper munda sit, semper erudita, semper sana. Ab his si non fuerit recessum, nullum est præterea delictum in Epistola, cui non sit parata venia. Erit loquacior, scripta dicetur tum avido, tum ocioso. Elaboratior erit, & lucernam olens, scripta est erudito. Habebit artificium, talem decebat mittere artifici. Carebit artificio, scripta putabitur ei, cui placebat simplicitas, aut imperitiori. Laconismum habebit, occupatus scripsisti occupato. Fucatior erit, ac picturatior, scripta dicatur curioso:
A priscis verbis antiquario, blandior amico, licentior familiari, asperior improbo, adulantior ambitioso putabitur. Denique quicquid alibi non vacasset crimine, hic vel a re, vel a persona scribentis, vel a moribus, fortunaque vel ætate ejus cui scribitur defensionem inveniet. Quin & alias damnanda phraseos, & argumentorum varietas, & inæqualitas, hic vel præcipuam habet gratiam. In Noctibus ac Miscellaneis argumento subinde novo datur venia, stilo subinde diverso non datur. In Epistolis juvat etiam videre, quantum oratio juvenilis differat a senili, quidve ætas stilo vel adjecerit, vel detraxerit. Quare qui unam quampiam formam ac faciem huic generi tribuere conantur, hi non solum inanem, verum-
B etiam ridiculam operam sumunt.

Cap. VII.

Peculiaris Epistolæ Character.

FOrtassis erunt, qui quasdam Epistolas semovebunt ab hoc ordine: quod genus sunt Epistolæ ad exercitationem, vel ostentationem ingenii confictæ: veluti Phalaridis, quas eruditi tribuunt Luciano: & amatoriæ Philostrati, sane quam elegantes, si perinde essent castæ: ad hæc heroinarum, auctore Nasone, aliæque consimiles, quas si quis malit appellare declamatiunculas, equidem non admodum refragabor. Sunt in quas magis libri nomen videtur competere: quales sunt aliquot Platonis, Senecæ omnes: pleræque Hieronymi, Cypriani, & Augustini, Tertulliani pau-
C cæ. Sunt quas aliquis malit orationes appellare, nimirum quæ ad principes aut magistratus, arduis ac perplexis de rebus prolixe scribuntur. Tunc enim Epistola, non confabulonis, aut nuncii; sed oratoris vice fungitur. Quod si quis non dignatur Epistolæ vocabulo, nisi quæ privatis de rebus inter amicos obambulet: quanquam ne hic quidem certa forma præscribi potest: tamen si qua peculiaris est huic generi, videor mihi non majore compendio quæ sit indicare posse, quam si dixero, talem oportere esse dictionem Epistolæ, quales sunt amicorum inter ipsos confabulationes. Est enim (quod scite scriptum est a Turpilio Comico) Epistola absentium amicorum quasi mutuus sermo, quem neque agrestem, aut asperum, neque fucatum esse oportet,
D neque una de re, neque ad fastidium usque multum. Eoque simplicitatem, candorem, festivitatem, argutiam amat hoc Epistolarum genus. In his igitur omnia leporum genera consectabimur, nisi quum res, aut personæ diversa postulabunt. Neque diu sermonem eundem urgebimus: & quod solemus cum amicis confabulantes, miscebimus, si videbitur, non solum multa, verumetiam varia. Huic generi magis congruet Atticismus, ac stilus humilior, Comœdiæ propior quam Tragœdiæ, aut si quid etiam humilius phrasi Comica, modo docta sit humilitas: meminerimusque non inferioris esse facultatis, cum laude humi serpere, quam cum Dædalo volare per aëra: & vicinum littus legere contractis velis, quam sublatis antennis medio ferri pelago. Amica
E est huic generi brevitas, maxime si vel de multis, vel de minutulis negociis agetur: & si aut ipsi qui scribimus, aut ii quibus scribitur occupatiores erunt. Cæterum quibus rationibus præstanda sit brevitas, indicavimus in opere de Copia. Quod ad hoc institutum attinet, breviloquentiam præstabimus, si quando, ita ut fit in Comœdiis, statim mediam in rem aggrediemur: si præfationes supervacaneas vitabimus: si verbis quam significantissimis utemur: si rerum exitus ita proponemus, ut ex his conjiciantur ea quæ præcesserunt: si Epistolæ, cui respondemus, argumentum recensere supersedebimus, quæ res nonnunquam bonam Epistolæ partem occupat: sed hoc e nostris divinandum relinquemus. Quod genus sunt illa: *Quid narras? Antonius*
F *Episcopus? Ovem lupo quod ajunt. Hac tempestas magis desiderabat Aurelium. Ille quid aliud quam nullus magnus malus piscis. Tu verbo, sed absolutius totum hominem depinxisti. Occideras de valetudine fratris: sed optimo Medico quantum debeam, brevi re ipsa declarabo. Fœcunditas uxoris mihi jucundior esset, si res una cum prole cresceret. Cum Laurentio homine furiose maledico, satius arbitror nullo pacto contendere. Quid enim aliud quam irritabis crabronem, aut si quid crabrone pestilentius?* Ex his enim verbo notatis perpendet lector, quid ille scripserit, cui rescribitur. Sunt qui alienam Epistolam pene totam recensent, ac propemodum verbosius, quam is qui scripsit. Si res postulet, ut repetatur argumentum, id dex-

[1] Qui scribunt litteras, ab uno legendas, satis habent si ab eo intelligantur; sed qui edendas scribunt, ut plerisque utiles sint, sic perspicui debent esse, ut a plerisque non omnino indoctis intelligantur. Putidus est qui ita scribit, ut ab eo non intelligatur qui *Ciceronem* intelligere possit, indignusque qui legatur.

dextra quadam ac commoda brevitate fieri conveniet. Qua quidem in re Politianus mirus est artifex, qui hoc in plerisque Epistolis facere consuevit, nimirum, lectori consulens, ne quid desideraret, si forte non exstarent Epistolæ, quibus respondet: aut si tales essent, ut non liberet legere.

CAP. VIII.

ELEGANTIA.

JAm admonere, ut sermonis vitiis careat Epistola, tametsi hoc in arte sua præcipiunt Rhetores, tamen mihi vix operæ precium videtur. Nec enim tam ad rem attinet admonere ne fiat, quam dedocere nostram ætatem, quæ passim id facit. Nihil brevius præcipitur, quam ut sit elegans Epistola: at nihil majore negocio discitur: nec usquam peccatur, aut turpius, aut frequentius. Hoc vitium intolerabile reddit infelix affectatio. Quid enim tam portentosum, quam oratio: quæ quum munda non sit, tamen ornata videri velit: & quum sana non sit, tamen formosa videri gestiat, purpurissum ulceribus illinens: veluti is qui nostra ætate maluit dicere, sagio quid portendas, quam sentio quid tibi velis. Multa lectione, multis præscriptionibus, accurata scriptorum observatione, multo scribendi dicendique usu paratur sermonis mundicies. Erit hic igitur primus ac præcipuus labor, si suppetet orationis puritas, atque etiam ingenii sanitas. Artem in Epistola non admodum efflagitabimus: sin deerit, risum etiam movebit artis affectatio.

CAP. IX.

EXERCITATIO ET IMITATIO.

NE illud quidem hominum genus errare sinemus, quos ipse non parum multos deprehendi, qui tribus præceptiunculis, ceu magicis verbis, recte scribendi facultatem dari posse credant, quorum stultitiæ utinam olim non obtemperassem. Talis enim erat is, in cujus gratiam ante annos viginti quinque opus hoc deliniaram, non tam ex animo, quam mea facilitate cupiens obsecundare efflagitanti: quem mox expertus sum, & ingratum discipulum, & perfidum amicum. Is in principum aulis meliorem ac majorem ætatis partem contriverat, nisi quod sacerdotiis opimis onustus, jam sero sapere cœpit, & de literis cogitare, quæ marsupium non consequuntur. Sed hujus generis non parum multos comperi, qui simul atque a profanis negociis, & a sordidissimis coacervandæ pecuniæ curis, ad literas sese appulerint, hujusmodi quasdam compendiarias recte scribendi leges a nobis flagitare solent: quas & ita breves esse volunt, ut tertiam paginam non totam impleant: & ita efficaces, ut intra mensem non totum, e muta pecude reddant Oratorem eloquentem. Ajunt sibi opus esse omni compendio, propterea quod & sunt ignavissimi, ut quam minimum operæ sumant in rebus honestis, & ætatis bonam partem jam aliis in nugis perdiderunt: postremo quod ad sordida illa negocia redire festinant, literas igitur velut obiter secum rapere student. Hos si ridere libeat, jubebo semel ex Musarum fonticulo bibere, atque in Parnasso somniare, quo repente nobis prodeant ex asinis lusciniæ. Cæterum de quibus aliqua bona spes affulgebit, hos admonendos censeo, ne errent. Neque enim committam, ut hæ præceptiones, quas studiosorum adolescentium industriæ promovendæ paramus, aliorum stultitiam augeant. Augerent autem, si quis tantum his tribueret, ut citra variam eruditionem, citra studium vigilantissimum, citra multum usum ex his sibi facultatem recte scribendi polliceretur. Cæterum delicatos istos, & indociles senes, quibus pluris sunt pecuniæ, quam literæ: quibus vacavit tot annis arcas onerare nummis, nec vacavit animum onerare honestis disciplinis, in Parnassum, ut dixi, mittamus: ut postquam illic unam noctem cum Ennio somniarint, magno omnium stupore, subito pro Midis redeant Cicerones. Aut certe legemus illos ad talem præceptorem, qualem Rhetorices doctorem depinxit Lucianus. Porro juvenes industrios, ac meliore mente præditos, ad vigilias, & exercitationis assiduitatem hortabimur: quam, quum in omni re, tum in hac potissimum tenere primas: & a gravioribus auctoribus dictum est, quam ut sit dubitandum: & sæpius repetitum est, quam ut hic sit admonendum. Neque tamen inficiabor, bonam laboris partem, doctoris commoditate posse detrahi: quem ut assiduum & indefatigatum,
A ita quam doctissimum esse volo: ne quod præcipit, ipse præstare non queat: & juxta proverbium, *Sus suem* docere incipiat. Quod si ob nostrorum temporum infelicitatem, non temere talis contingit, ut exquisita doctrina præpolleat, ferendus tamen erit: modo ne sit ex horum numero, qui falsa persuasione doctrinæ turgidi, *magna* (ut inquit Fabius) *confidentia stultitiam suam perdocent:* illiteratiores, quam ut alios docere possint: elatiores, quam ut ab aliis doceri se patiantur. Cujusmodi pestes procul ex urbibus deportandas curarent ubique magistratus, si quidam aut partes agnoscerent suas, aut ulla omnino Reipublicæ cura tangerentur. Amplissimis salariis aluntur tot tibicines ac tubicines: at nemo potius erat amplissimo salario accersendus, quam eruditus ludimagister. Verum hoc salarium nolim esse certum ac
B perpetuum, ne magnitudo mercedis improbos invitet & indoctos, quibus semper minus est frontis, & plus audaciæ, quam eruditis. Conveniet salarium arbitrio doctorum, & spectatæ fidei virorum, pro merito ejus qui ascisscitur, præstitui, atque etiam augeri, minuive, si is sua doctrina, suaque industria vinceret exspectationem de se, aut contra. Alioqui periculum erit, ne usu veniat, quod in amplissimis sacerdotiis videmus accidere: quæ quo sunt magis opima, hoc ab indignioribus occupantur. Exstant apud nos, si Musis placet, etiam volumina non exigua de conscribendis Epistolis, ad unamquamque formam additis aliquot exemplis: sed, ô Deum immortalem, cujusmodi! Sed hæc prodigiosa barbaries illi seculo imputanda est, quo prorsus exstinctis omni-
C bus bonis literis, impune regnabat inscitia, publice simul ac privatim: quum gravis & copiosus auctor esset Mammætrectus, opulentum quoddam copiæ cornu Catholicon. Jam apud Italos cœperant reviviscere bonæ literæ, quum Lovanii magno cum applausu legerentur Epistolæ Caroli cujusdam, qui multis annis moderatus est pædagogium Liliense, quas nunc nemo dignetur sumere in manus. Apud Hollandos, orbis lumen habebatur Engelbertus quidam, qui suis Epistoliis nihil aliud docebat pueros, quam inepte scribere. At, nisi me [1] fallit animi præsagium, brevi veniet ætas, quum nec his monitis erit opus, nec meis præceptionibus juventus egebit. Sed interim ut mediocriter literatos didascalos industria nostra nonnihil adjuvemus, postea-
D quam suis tradiderit compendio artis Rhetoricæ præcepta, studebit illos brevibus, & Epistolaribus argumentis frequenter exercere. In his delectum habebit & curam, ut ea potissimum proponat, quæ ætati illi amœnitate velut illecebræ blandiantur. In his enim pueri ut libentius, ita & utilius exercebuntur. Id fiet, si vel nova sint, vel faceta, vel alioqui puerorum ingeniis affinia. Ea vel e Poetarum fabulis, vel ab Historicis erunt petenda, nisi quid novæ rei, ut fere fit, suggesserit vita mortalium. Frequenter enim & nostris temporibus eveniunt, indigna quæ nesciat posteritas. Et primi quidem generis sunt amatoriæ Nasonis, in quibus fortasse tutum non sit, rudem ætatem exerceri. Quanquam heroinarum sunt castiores, neque quicquam vetat & hoc genus caste verecundeque tractari. Veluti si procus blan-
E dis literis ambiat nuptias puellæ: si Helena Paridem ab amore non permisso deterreat. Nam Penelopes ad Ulyssem Epistola tota pudica est, quemadmodum & Acontii ad Cydippen. Si uxor marito peregre cessanti scribat, uti domum properet. Si Nestor vir natu grandis & facundus, hortetur Achillem Epistola, ut Briseida ereptam ab Agamemnone magno animo ferat: ostendens Regi etiam improbo parendum esse, tum publicum commodum privato dolori anteponendum: postremo vehementer indignum esse, Achillis vel genere clarissimo, vel animo generoso, vel factis egregiis, ob barbaræ ancillæ amorem, virtutis oblivisci. Ubi simul etiam amœnus sese locus aperit, adversus voluptatem
F inhonestam: rursum alter pro immortalitate gestis eximiis apud posteros paranda. Si Phœnix eidem scribat, ut cum Agamemnone redeat in gratiam & periclitantibus Græcis subveniat. Aut si Antenor Priamo suadeat, ne graveturraptam Helenam suo Menelao reddere, vel quia per se justum sit, vel quia stultissimi Regis sit, committere, ut ob turpissimum effœminati juvenis, & vix viri Paridis amorem, tot fortissimi viri dimicationem suscipiant: tot populorum fortunæ, simul & vita, in extremum discrimen pertrahantur.

1 Propheta fuit *Erasmus*, ut vel ex ejus patria Hollandia, centum abhinc annis, intelligere licuit.

tur. At si Agamemnon suadeat Menelao fratri, ut negligat potius Helenam, quam ut ob mulierculam vita indignam, tot procerum millia in vitæ periculum adducat: & eam totius orbis tumultu repetat, quæ etiam si ultro rediret, non esset recipienda. Aut si Linus Herculem duabus conspectis Deabus, utram potius sequatur hæsitantem, ad voluptatis contemptum, & virtutem amplectendam exstimulet. Aut si Menelaus Paridi violatum hospitium exprobret. Si Amphion fratrem ad Musices studium adhortetur, contra ille ad suum invitet. In hoc genere plerique Græci non infeliciter luserunt, sed nemo felicius Luciano. Ex his tamen deligenda censeo, quæ non omnino sint ociosa, sed habeant aliquid ad vitam communem conducibile. Ociosa sunt illa Luciani, de Jove cerebro prægnanti, & implorante securim Vulcani. De Neptuno per Mercurium non admisso, cum recens Jupiter peperisset e cerebro Palladem. Nam hujus generis quæ sunt, ut sunt amœna, & ingenii felicitatem arguunt, ita non multum faciunt ad vitam communem. Huc propius conducunt, quæ a Comicorum argumentis ducuntur. Quod genus fuerit: si Phædriæ sodalis illi scribat, ut Thaidis amorem penitus excutiat ex animo, ac pristinæ suæ severitatis memor, ineptire desinat: præsertim cum magno famæ, reique dispendio sit alenda, quæ nec amet ex animo, nec uni sui copiam faciat. Si quis diviti illi Plautino suadeat, ut Euclionem pauperem probum, potius quam divitem illum procum adsciscat generum: aut contra, diviti potius collocet filiam, quam pauperi. Si Demea fratrem ad suum vitæ institutum vocet, hoc est, ab urbana vita ad rusticanam, a cœlibatu ad matrimonium: ab indulgenti liberorum educatione, ad severiorem. Si e diverso Mitio Demeam ad suum vitæ genus adhortetur. Et hæc quidem pueris gratiora. At illa quæ ab Historiographis sumuntur, propius etiam ad verum accedunt, eoque plus frugis adferunt, nec ita multo minus jucunditatis. Veluti si Horatius jam capitis damnatus, patris opem imploret, suamque fortunam tam repente mutatam deploret. Si Cicero Milonem, ut forti animo ferat exilium, hortetur. Si quis Catonem a literis Græcis, quas jam senex appetebat, deterreat. Si quis Ciceroni secum deliberanti, an mortem sibi consciscat: an fuga saluti consulere properet: an exustis Philippicis, vitam ab Antonio redimat: quodlibet horum trium, vel suadere vel dissuadere conetur. Si quis Q. Curtio gratuletur, tam fortem ac pium animum, qui privatam salutem posthabuerit suæ civitatis incolumitati. Si quis Delphicis sacerdotibus suadeat, ut Phalaridis taurum recipiant. Si quis Lucretiam vi constupratam a voluntaria morte revocet. Si Jonathas Saulis filius, David amicum Regis metu latitantem, vagantemque consoletur, ut promissi divinitus imperii exspectatione mentem in rebus tam afflictis fulciat. Si Plato Dionysium Regem ad Philosophiæ studium adhortetur. Rursus si alius quispiam dehortetur. Si Respublica Romana Camilli exulis virtutem, adversus Gallos extrema molientes, imploret. Si Aristoteles Calistheni ad Alexandrum Magnum proficiscenti rationem præscribat, qua debeat Regis consuetudine uti, docens, cum Regibus, aut quam rarissime loquendum, aut quam jucundissime: quo vel silentio tutior sit, vel sermone gratior. Si Calisthenes Aristoteli respondeat, consilium futurum fuisse Philosopho dignius, si potius auctor fuisset, non proficiscendi in ejusmodi Principis aulam, in qua Philosopho vel serviliter esset tacendum, vel turpiter adulandum: sibi magis curæ fore, quæ sint honesta, quam quæ utilia aut tuta. Si Alcibiades Socrati suadeat, ut uxorem rixosam ac procacem domo exigat. Aut si Callicratides, ut omisso Philosophiæ perenni studio, ad mores communes, & Reipublicæ administrationem sese conferat. Si Crito eidem suadeat, ut elapsus e carcere, vitæ suæ consulat. Hujusmodi copiosissimam vim Valerius Maximus, aliique scriptores, qui res memorabiles ex Historicorum libris decerpserunt, citra vestigandi tædium suggerent. Quin ex una quapiam historia, velut e vita Catonis, aut Antonii, aut Julii Cæsaris, plurima themata duci possunt. Quare nos rem, & infinitam, & cuivis promptam, non persequemur plurimis verbis. In hoc genere varie, diligenterque convenit exerceri juventutem, quod præter stili fructum, vetustas ac memorabiles historias, hac ratione velut aliud agentes imbibent, ac penitus infigent memoriæ: hominum & locorum nominibus assuescent: ad hæc decori vim, & probitatis naturam,

præcipuas orationis virtutes ita potissimum cognoscent. Quare doctoris erunt partes, prius quam Epistolæ formam proponat, rem gestam, unde necesse erit repetitam, & quemadmodum conveniet accuratissime pueris exponere, indicatis & temporum momentis & personarum proprietatibus, reliquisque circumstantiis: ne aut aberrent a decoro scribentes, aut parum consentanea dicant. Denique ut sint parati fontes, unde ducant, vel argumenta, vel argumentorum confirmationes, quam ad rem non vulgariter adjuvat circumstantiarum cognitio. Tum locos aliquot indicabit, ubi ea tractentur apud auctores, ut ipsi verborum ac sententiarum vim inde vel colligant, vel imitentur, ex aliis similia conjectantes. Jam qualia argumenta suppeditant historiæ, talia licebit & confingere: cujusmodi pleraque sunt declamatoria, veluti Luciani de Medico abdicato: & Auli Gellii de puerpera, cui suadet Favorinus, ut proprio lacte nutriat infantulum, de quo genere mox nonnihil attingemus. Sed est & illud brevius, ac puerorum ingeniis appositius exercitationis genus, varios locos communes, aut excogitatos, aut ab auctoribus traditos, arte tractare. Hi fere sumuntur, vel ab Apophthegmatis veterum celebratis, vel a Proverbiis, vel ab Apologis, vel a Similibus, ac Metaphoris. Siquidem ex horum unoquolibet potest argumentum Epistolæ compingi. De Apophthegmate sit hoc exemplum: *Socrates bibiturus cicutam, uxori Xanthippe vociferanti, quod innocens esset moriturus: Quid ais,* inquit, *mulier, num me malles nocentem mori?* Id valebit in Epistola consolatoria. *Si unusquispiam esses de turba vulgi, merito graviter ferres exilium, quod longe aliter promerito contigit: sed quoniam scio te virum cordatum, ac Philosophiæ quoque præceptis non vulgariter institutum, hoc ipso leniter ferre debes fortunam tuam, quod indigno obtigit. Ea demum gravis & acerba est calamitas, quæ accidit commerito. Nunc ista fortunæ procella, quid aliud quam integritatem tuam, ac in Rempublicam merita illustrat?* Sub hæc narrabitur apte, quod modo retuli de Socrate. Proverbii exemplum esto: *Si me audies, desines cum tam multis conjuratis contendere. Nec tu Hercules es, nec res ista virtute geritur. Et tamen si proverbio credimus, ne Hercules quidem adversus duos, & tu cum tot cancris, cum tot hydris congredieris unus?* Apologi exemplum erit. Si quem admonebimus, ne periculoso negocio se temere admisceat, nisi prius perpensa ratione, qua confici possit, quod instituit, adhibebit Apologum de capro, quem siti periclitantem vulpes pertraxit in puteum, unde postea non dabatur exitus. Item si quis admonebit amicum, ne pendeat ex officio quorundam, qui magnifice pollicentur, sed ipse coram suum agat negocium, eleganter accommodabit fabulam aviculæ cassitæ, quam in Noctibus suis refert Aulus Gellius. Parabolæ vero sit hoc exemplum. Si quem admonebimus, ne pertendat obstinate, quod per se quidem optimum esse judicat, sed præsentibus rebus semet accommodet: similitudinem adhibebimus de prudente nauclero, qui non semper eo dirigit clavum, quo recto cursu cuperet ire, sed frequenter obsecundat æstui, frequenter ventis: ac velis flexis, eum portum petit, non quo cursum instituerat, sed quem præsens tempestas concedit. Hæc mihi videntur aliquanto plus conducere ad parandam orationis facultatem, quam quædam, quæ in suis progymnasmatis tradit Aphthonius. Cæterum quod de Apologis diximus, idem habebit locum in Poetarum fabulis, ad seriam rem vel confictis, vel detortis. Veluti si quem a negocio majore, quam ut ipsius viribus conveniat, deterrere pares, Icari, aut Phaethontis casum accommodes. Si quem a studio congerendæ pecuniæ revocare studeas, in tempore adhibetur Tantali fabula. In hujusmodi thematis præludat ætas illa rudis, ut, quod diligenter admonet Fabius, teneræ adhuc mentes, veluti sub nutricibus mollius alantur, & uberiore quodam jucundioris disciplinæ cibo lacteque saginentur. Cæterum adultiores jam, ad materias vero proximas paulatim sunt abducendi. Eas præceptor vel aliunde sumptas proponet, vel ipse comminiscetur, ex omni genere causarum varias, maximeque fœcundas. Alioqui fiet, ut pueri nihil aliud discant quam inepte scribere, si quemadmodum in plerisque ludis fit, literator indoctus pro themate proponet frivolum stulti capitis somnium, in quo neque sit ulla sententia, neque quicquam cohæreat, ne sermonis quidem ulla gratia. Porro in castigando tantum notantur insignes solœcismi: veluti si de-

deprehendant, *admoneo vobis*, pro *admoneo vos*, quum alia quæ dissimulantur, magis etiam ad rem faciant. Nam ista vitia vel usu dediscuntur: illa neglecta hærent in omnem usque vitam.

CAP. X.

QUOMODO PROPONENDA MATERIA.

AT doctor nec absolute pertractatam materiam proponet, ne nihil relinquatur inventioni puerorum: neque nudam tamen, verum circumstantiis aliquot circumscriptam, ut assuescant velut ad certum scopum dirigere sagittas, & ex his sententias, argumenta, & argumentorum probationes, amplificationes, aliasque figuras comminisci. Veluti si quis suadeat puerperæ, ut suo lacte alat quod pepetit: addat, puerperam esse puellam, puerum elegantem, ac patri simillimum. Quanquam vix aliud argumentum reperies, quod alienius sit a circumstantiis. D. Hieronymus in Epistola, qua matri reconciliat filiam: nam ipse propemodum fatetur, hoc argumentum ab se scholastico lusu confictum: non nude proponit, filiam indecore divulsam a matre, addidit matrem viduam, filiam virginem, cui frater esset monachus, filiam adolescentulam, corpore vegeto, relicta matre, contempto fratre, in monachi cujusdam nulla propinquitate conjuncti, formosuli & adolescentis, domesticum contubernium concessisse, cum hoc conjunctissime vivere: nec aliud incusare, quam maternorum morum difficultatem: cognatos suspectum convictum graviter ferre, fratrem in primis, nec tamen adduci puellam, ut cum matre redeat in gratiam: fratrem contemptum, ordine rem omnem Hieronymo denarrasse. Qui sic proposuit, nonne eadem opera multam orationis supellectilem suppeditavit? Ad hanc imaginem multa licebit confingere. Quod genus sit: *Lucius & Antonius utrique adolescentes, sed alter mediocri fortuna, alter beatissimis parentibus natus, a primis annis sese non secus ac fratres amarant. In lusibus, in conviviis, in compotationibus, in amoribus, aliisque voluptatibus & vitiis, quibus ea fere laborat ætas, uterque alterum & conscium habuit, & sodalem. Natu major Lucius, re male profligata, & infamia jam provulgata, & amoris infelicis tædio, clam patria profugit: Lutetiæ, forte fortuna, quendam amicum paternum nactus, ab eoque excitatus, simul & adjutus, bonas literas non minus ardere cœpit, quam antea scortorum amoribus æstuaverat. Hic Antonio sodali Brugis relicto scribens, & sibi de mutato feliciter animo gratulatur, & veterem sodalem a perdita vita ad literarum studium pertrahere conatur.* Sit hæc propositio totius argumenti, non sine circumstantiis. Mox ostendet argumenti genus, quod est suasorium. Deinde demonstratis partibus, quæ solent in hoc genus incidere communiter, quæque traduntur ab artis Rhetoricæ scriptoribus, quæ sint huic themati peculiares indicabit. Admonebit totius Epistolæ caput in hoc esse, ut corruptæ illius vitæ turpitudinem, infamiam, pericula, incommoda diligenter enumeret, atrociter exaggeret, dilucide subjiciat oculis Lucius. Tum innoxiæ vitæ, & honestorum studiorum commoda, cum amplificatione recenseat: quantopere hominem deceant: quam ad beate vivendum conducant: quantum item ornamenti, quantum solatii in utraque fortuna præstent: quam solæ nominis immortalitatem, ac nunquam intermoriturum honestæ famæ decus largiantur. Deinde per collationem doceat has veras & solas esse opes, in his vera esse vitæ oblectamenta: ex his veros honores proficisci. Et hæc erunt futuræ Epistolæ, ceu lineamenta quædam, veluti carbone denotata. Addet deinde ad unamquamque partem divitem supellectilem, rationum, confirmationum, similium, exemplorum, sententiarum. Ostendet qua parte possint commode succurrere loci communes, & quomodo tractari. Siquidem hic locus communis esse potest: *Peregrinatione corrigi sæpenumero, quos patriæ deliciæ corrumpunt.* Alter: *Nihil homini felicius accidere posse, quam fidum & amicum consilium.* Deinde exordiendi rationes aliquot aperiet: Jucundissimi convictus memoriam, cum voluptate renovabit. Dicet suam caritatem ob intermissam vitæ consuetudinem neutiquam refrixisse erga veterem sodalem, verum id optare se votis ardentissimis, ut ea caritas quæ puerilibus auspiciis, & ineptis voluptatibus alita fuisset, quo verior ac diuturnior esse possit, adamantinis vinculis adstringatur. Id futurum, si quam in stultis voluptatibus habuissent societatem, & conjunctionem animorum, eam in honestis studiis obtinerent. Et hic statim incidit locus communis, de vera falsaque, de firma & infirma amicitia. Negabit se satis sibi etiam felicem videri, quod ab illa insania resipuerit, quod honestissimis disciplinis pro turpissimis deliciis fruatur, nisi & alteram sui partem, e similibus malis exemptam, suæ felicitatis participem viderit. Nec id difficile futurum: siquidem ille sodalem his auribus audiat, de communi salute disserentem, quibus sæpenumero audivit de suis flagitiis pueriliter garrientem. Rem agi neque levem, neque summis auribus hauriendam, sed in intima pectoris penitus demittendam. Et hujusmodi quidem exordiendi ratio poterit indicari. Quod si quid erit causæ, cur malit obliquo ductu uti, finget se nihil dubitare, quin ille quoque totus sit immutatus: atque illi veluti ad meliorem frugem immutato pro suo in illum amore gratuletur, prædicans ab eo fieri, quicquid ab eo fieri vellet. Tum suasionis ingressus quidam, ac veluti transitus ostendetur. Negabit Lucius Antonium suum mirari oportere, si quæ nunc scribit, longissime a pristina vita dissideant: imo si frequenter in falsis bonis, verisque malis sodali gratulatus est errans erranti: nunc demum justissimam esse gratulandi causam, qui stultissimas ac pestiferas voluptates cum felicissimo studiorum amore permutarit. Deinde tanquam divisione proponet, se duo quædam in ea Epistola conari, alterum, ut prorsus illi persuadeat, quanta sit ipsi gratulandi causa, id est, quantum effugerit malorum, & quid felicitatis sit assequutus. Alterum utriusque interesse, ut Antonius, abjectis nugamentis, quibus jam nimium ætatis datum sit, ad eadem studia totum se convertat, & ipse salvus Perithoum suum tanquam ab inferis revocatum, conspicetur. Id erit velut argumentationi vestibulum. Sub hæc propositiones indicabit argumentationum, ceu bases totius negocii. Quarum excogitatio, ut longe omnium difficillima est, ita cum primis necessaria: adeo, ut nisi his repertis, reliqua futura sint ociosa. Et non aliud est quod minus arte præscribi possit. Qua de re peculiaria quædam tradidit Fabius Quintilianus, proposita controversia Thebanorum ac Thessalorum: & nos in commentariis de Copia, rem si non erudite, certe crasse explicamus. Huic igitur argumento hujusmodi propositiones generales constituere licebit. Liberalibus studiis nihil esse pulchrius. Ea sumitur ab honesto. Nihil gloriosius, ea sumitur a laudabili, quod natura quidem ab honesto separatum non est, sed persuadendi causa separatim tractatur. Nihil suavius. Ea sumitur a jucundo. Primæ, quæ generalis est, hujusmodi secundariæ subservient. Maxime secundum hominis naturam esse scire, eoque nec hominis vocabulum mereri, qui literas nesciant. Proinde si literæ nihil adferrent momenti ad famam honestam, nihil ad vitæ jucunditatem, nihil ad opes aut dignitates parandas, tamen propter sese expetendas. Altera fuerit, ad perfectam virtutem solas literas esse duces, ac veluti pædagogas. Cujus ut semina proficiscuntur a natura, ita a literis petitur absolutio. Ab his præstari cognitionem rerum expetendarum, ac fugiendarum: has mederi morbis animorum, tranquillare mentes mortalium. Ab his compesci secundis in rebus insolentiam: ab iisdem peti lenimen ac robur in rebus afflictis. In priore propositione confirmanda adhibebitur argumenti vice, quod puelli quoque natura gaudemus, si proposito ænigmate sensum conjecimus, aut si quid novæ rei discere contigit. Contra falli moleste ferimus. A Philosophis ceu propriam notam tribui rationalem esse: at hæc non in illum competit, qui nihil ratiocinatur, sed pecudum more sensibus & usu ducitur. Esse vero, qui negent hominem a reliquis animantibus differre rationis specie, sed gradibus duntaxat: ita fieri posse, ut paulatim adjectis inscitiæ stultitiæque incrementis, homo deducatur usque ad pecudem. In hoc natura finxit hominem erectum, & insevit cognoscendi studium, ut in rebus a Deo conditis philosopharetur: simulque & Deum omnium opificem, & seipsum, & reliquam hujus mundi machinam contemplaretur. Ad hæc locupletanda poterunt adhiberi, quæ Poetæ, Platonici, reliquique scriptores de hominis conditione prodiderunt. De luteo Promethei simulacro, cui igniculus ille cœlestis inditus fingitur: de luto, quod Deus summus ille figulus afflatu suo animavit: de particula divinitatis, juxta quosdam corporibus humanis addita. Quidam enim arbitrati sunt, animam ni-

A nihil aliud esse, quam scintillam ex igni, aut radiolum e luce illa divina. De mentibus e stellis petitis, aut certe e thesauro Dei. Huc pertinebit illud Platonis figmentum, de animabus in terram delapsis, quibus hic scire nihil est aliud, quam ceu per somnium reminisci eorum, quæ quondam liberæ corporibus viderunt apud Jovem. Hæc, aliaque multa, divinitatem quandam animi declarant. Declarat & illud, quod unus animus exiguo corpusculo inclusus, tot, tam varias ac difficiles disciplinas intellectu complectitur, memoria retinet. Id prodigiosum videbitur, si quis perpendat, quot hominum ac rerum vocabula tenet, qui unam modo linguam didicit: quanto prodigiosius, quod Mithridates unam & viginti linguas calluit. Et hæc est minima portiuncula mentis humanæ. B Addendum his quod Plato negavit, corpus ad hominis naturam pertinere: nihil enim aliud esse, quam instrumentum, domicilium, aut vehiculum animi: animum esse totum hoc, quod hominem nominamus. Item illud quod dixit Seneca, ni fallor: *Vita sine literis mors est, & vivi hominis sepultura.* Quid minus est homo, quam hominis cadaver? Jam enim corpus, non corpus est, sed sepulchrum: animum etiam ipsum a nativo vigore cohibens: & hinc Philosophi σῶμα dictum putant, quasi σῆμα, hoc est, sepulchrum. Nec alio spectat, quod Plato scripsit Philosophiam nihil aliud esse, quam mortis meditationem. Nam si abduci a corpore, dicitur animæ mori: & Philosophia abducit animum a rebus corporeis & crassis, ad res æternas & C intelligibiles: jam incipit animus vivere, quum ab hoc sepulchro emicat. Ex historia sumi potest, quod Diogenes accensa in meridie lucerna, rogatus quid ageret, respondit, se hominem quærere. Rursus advocata concione populi hac voce: ***Audite homines, audite homines:*** quum jam satis magna multitudo congregata, rogaret, quid vellet dicere, respondit, sese homines advocasse, non illos qui nihil haberent hominis. Adhiberi poterat & illud Mimi cujusdam dictum de homine crasso & indocto: ***Nullus, magnus, malus, piscis.*** Nullum appellabat nullius precii, nihilique: magnum, onustum obeso corpore, atque abdomine pigrum: malum, nulla virtute præditum: piscem, infantem & elinguem. Huc referri potest, quod vulgo quoque jactatis proverbiis D stupidis & indoctis adimunt hominis vocabulum. Quid enim aliud sibi vult, quod stupidum & indoctum appellant *statuam*, veluti figuram duntaxat hominis, non hominem. ***Item asinum ad lyram: suem Bœoticum: asinum Antronium: nihilo dissimilem elephanto: ovem, belluam, pecudem, fungum, stipitem, caudicem, plumbum, somnium hominis, monstrum hominis.*** Adhibebitur & parabola: Ut avena vitio soli in lolium degenerans: ut triticum simili de causa degenerans in siliginem, nomen sui generis amittit: ita homo pecus esse incipit, si neglectis honestis studiis, ventris tantum & inguinis curam agere cœperit. Rursum alia: Et sicut materia sculpendo simulacro habilis, tamen signum non dicetur, nisi forma artificis industria accesserit: ita nativitas non facit hominem, sed humanæ naturæ capacem. Quod nascitur, ceu E rudis quædam materia est: institutio formam inducit. Tertia fuerit: Ut maxime secundum naturam est surculum insitum, ejus arboris referre saporem, unde decerptus est: ita non oportet animum hominis, cujus est origo cœlestis, a suo genere degenerare. Et ut nativum est igni nostro sursum niti: trahitur enim vi genuina ad fontem originis: ita hominis ingenium quanquam est his vaporibus corporeis immersum, tamen principii non potest oblivisci. Rursum alia similitudo: Ut ursus non esset ursus, si mens hominis sub ursi figura lateret: quemadmodum nec Apulejus vere asinus erat, quum incolumi mente formam asini circumferret: ita nec homo diceretur, si mens pecudis humanam animaret figuram. Item si statua figuram hominis per omnia repræsentans, quales ferunt fuisse Dædali, non statim homo dicetur, F quod mente vacet: nimirum figura non facit hominem, sed scientia. Hinc est quod Poetæ veteres, nimirum homines prudentissimi, fabulis non ociosis prodiderant: hos, quibus nulla colendi ingenii cura fuisset, pecuinis voluptatibus sese totos dedidissent, in ferarum naturam abiisse. Contra, qui sapientia cæteris præcelluissent, eos ut Diis genitos, in Deorum consortium a morte reverti. Et Dæmones, quos illi Deos inferiores existimant, autumant dictos, quasi δαήμονας, hoc est, doctos, aut scientes. Et Horatius imperitum hominem appellat *corpus sine pectore.*

Hujusmodi supellectilis variam copiam pueris suppeditabit præceptor. Nam mihi interim satis est rationem iis qui docent indicasse. Et quod nos in una propositione locupletanda tentavimus, id ille faciet in singulis: & in harum unaquaque parte, si quid erit tractabile: non ut omnes pueri reddant omnia, sed ut ex multis suo quisque ingenio consentanea rapiat: & ex his quæ tradita sunt, similia consuescat effingere. Sed jam nunc quosdam exaudire videor, præceptiunculis meis obstrepentes. Hui, inquiunt, næ tu dura mones, & negocii plena: tum autem puerorum animis, atque ingeniis majora. At ego jam ab initio non asinum, sed præceptorem mihi requirebam, nec ineruditum, nec laboris fugitantem. Nam si indoctus est, qua fronte doctoris nomen ac locum occupat? Si ignavus, cur negocium tam operosum suscipit? Hæc est literatoris professio: hæc fabula quam agendam suscepit. Nemo vinetum colendum suscipit, nisi statim animum suum ad inexhausti, & ut inquit Virgilius, in orbem redeuntis laboris circulum præparet. Pueri vero quid possunt audire, vel jucundius, vel utilius? Ab his exercitamentis prodibunt, qui facunde concionentur in templis: qui prudenti eloquentia moderentur senatum: qui cum laude obeant publicis de rebus legationes: denique qui quavis in re, & judicio valeant, & oratione. At ista, inquiunt, nondum illis annis sapiunt. Vestro sane vitio, a quibus bonorum auctorum loco, modos significandi, & id genus glossemata, non minus stolida, quam prolixa didicerunt. At antiquitus pueri a nutricibus in ludum missi, statim ab optimis auctoribus, literarum studium auspicabantur, neque detinebantur decem annis in dediscendis næniis. Liceat quæso, per vos, ô molesti, vel adolescentibus discere, quod vos pueros docere debueratis: sinite ut prima statim ætate hauriant, quod semper meminisse sit pulchrum. Imbibat testula recens succum purissimum, quem diu resipiat. Discant ista in promptu habere, & in varios usus, ut res hortabitur, accommodare. Quid enim docendo agitur, nisi ne semper sint docendi juvenes? Quibus si quando optima traditurus es, cur ea non statim tradis? Si nunquam, quid doces? An hoc agitur, ut tu semper doceas, illi semper sint docendi? Ne pigeat bonum virum, ac de Republica vel gratis benemereri cupientem, hujus operæ discentibus quidem necessariæ, cæterum nec ipsis qui docent, sterilis & infrugiferæ. Ergo posteaquam totius operis, ad hunc modum imaginem quandam, ac sylvam subministraverit, affectus denique & epilogum ostenderit: tum indicabit idem argumentum alia quoque ratione tractari posse. Quod genus sit, ne a proposito recedamus exemplo: Si docebit omnem literarum commendationem tractari posse per comparationem, itidem & inscitiæ vituperationem. Hujus generis hæc erit propositio: Inter omnes res quas mortales tantopere mirantur, ac per fas nefasque sequuntur, nihil est quod cum eruditione sit conferendum. Nam honores istos, in quibus ambitio mortalium finem boni constituit, multo periculo peti, majore possideri, ne honores quidem veros esse: quippe qui pessimo cuique sæpenumero contingere soleant, nec esse perpetuos, etiam si veri sint: atque adeo non perennes, ut ne diuturni quidem sint: quippe quos fortunæ temeritas, ut interdum insperantibus objicit, ita frequenter inopinato tollit. Contra, literas in ocio parari, summa tranquillitate possideri, non nisi sua cuique industria contingere, verum & immortalem parare gloriam. Et hic primus disserendi campus, multis locis communibus undique amœnus est: multa exemplorum, similiumque varietate fœcundus. Deinde aperiendus alter: Bonam mortalium partem, aurum, argentum, gemmas, & alias hoc genus opes, per saxa, per ignes, magno capitis & vitæ periculo persequi, quum ista sint aliena bona: quippe quæ & ociosis obveniant, & a cæca fortuna passim ut dantur indignis, sic etiam dignis adimantur. Proinde extra hominem esse, nec in hominis potestate: quippe quæ infinitis casibus intereant, veluti naufragio, incendio, bello, furto, carie, situ: quorum si nihil accidat, certe usu consumi. Quod si non utaris, nihil habere pulchri, quamobrem sint expetendæ. Ad hæc ut affatim contingant, tamen non explere mentem hominis, sed tantum irritare miseram cupiditatem. Postremo nec animi, nec corporis morbo mederi posse, sed potius utrique hominis parti malorum omnium seminaria suggerere: & adeo per se non esse honestas, ut a virtute vel in primis avo-

cent: benignitate exhauriri, parsimonia putrescere: magno sudore congeri, majore cura congestas servari, maximo dolore diu servatas amitti. In literis contra hæc omnia. Nam alteram contentionis partem omitto: partim ne sim æquo longior, partim ut aliquid aliorum inventioni reliquum faciam. Atque hic secundus porrigitur campus, latissime patens & varius, nec inamœnus. Tum tertio loco proponet: Formæ dotem plerisque magnum quiddam videri, & omnibus votis expetendum: verum hanc nemini sua cum laude contingere, ut neque culpa negari. Ab iis enim quæ nobis adsunt a natura, neque laudem meremur, neque reprehensionem, neque etiamnum sciri, si bona contingat: utrum ab irata natura, an propitia detur: propterea quod multis eximia species corporis perniciem attulit, & ipsis qui possident, & iis qui spectant. Nam possessori quid adfert formæ venustas, præter sollicitudinem, metum, suspicionem, rumorem parum secundum, materiam peccandi, libidinis fomitem & copiam. Quod si hac præditus, pudicus esse cupiet, hoc ipso miser est quod formosus. Multas enim pellicit in perniciem, sollicitatur ab innumeris: atque hinc est quod legimus quosdam sibi faciem cicatricibus defœdasse, quod sentirent alios sua forma periclitari. Sin impudicus est qui forma præcellit, quid tandem debet suo bono, nisi ut facilius perditiusque pereat. Itaque sua forma neminem pudicum delectari: alienam qui amet, libidinosum esse. Tum ut hoc magnum sit bonum, tamen corporis esse tantum, fluxum, caducum, & adeo non perpetuum, ut vel febricula, vel macie, vel alio quovis casu, subito marcescat: certe ætatis progressu deflorescere, certe morte perire. Diversa in literis, hoc est, animi bonis omnia. Vides & hic aperiri campum mire fœcundum, si quis conetur hanc partem omnibus suis numeris tractare. Quarto loco proponet, non paucos mortalium corporis voluptates, uti præcipuum quoddam vitæ bonum mire complecti: verum istas insanias esse, falso jucundas, non voluptates, nec aliud quam risum, ut ajunt, Sardonium. Cur enim, ei voluptatis bonum tribuas, qui sui sensu caret? Ad hæc obscœnas esse, belluinas, ac prorsus homine indignas, quæ nos in feras transferant, tum insinceras, multo plus aloes habere, quam mellis: magno constare & rei, & famæ dispendio, quibus admixtum sit fastidium, comes pœnitudo: malorum omnium escas, laudis ac virtutis inimicas: insidas his a quibus adamantur, quos tandem deserunt, etiam si non deserantur ipsæ: exhaurire loculos, offuscare famam, corporis valetudinem atterere, ebibere succum vitalem, accelerare senium, morborum omne genus adducere, sui justissimas ultrices: denique totum hominem in tartara demergere. At longe feliciores oblectationes ex honestis studiis colligi, tanto nimirum meliores, quanto corpori præstat animus, & homo belluis antecellit: tanto honestiores, quanto virtutis decus turpitudinem superat: feliciter parari, felicius possideri, quæ nos nobis non eripiant, sed restituant: quæ nos non ex hominibus in feras, sed ex hominibus in Deos transforment: Ad hæc sinceras esse, nullo fermento vitiatas: quæ omnem animi, si qua resedit, amaritudinem edulcent: quæ regustando fruendoque dulcescant: quæ livorem nesciant, hoc suaviores, quo cum pluribus communes: quæ nos ad extremum usque rogum non deserant: quæ annis quibus omnia deteruntur & obsolescunt, efflorescant, nauseam, satietatem ac pœnitudinem nesciant: quæ præstant, ut non uni aut alteri, sed omni sexui, omni ætati, simus jucundi: quæ præstant, ut ipsi nobis etiam voluptati simus: quæ faciunt, ut senectus etiam molestia careat: quæ nos in omnem regionem, in omnem fortunam comitantur: denique quæ delectant eam hominis partem, qua vere sumus homines. Sed parcam hæc longius persequi. Neque enim hæc sunt omnia, & innumera sunt quibus hæc locupletari possent. Neque nos aliud in præsentia, quam viam indicamus. Poterat hoc genus & alio colore tractari: videlicet ut literas aliis bonorum generibus anteponamus. Præclara res opulentia, ad quam mortales infatigabili studio contendunt: quanto par est acrioribus studiis eniti ad honestas literas, quibus ditescit animus? Et in hunc modum de cæteris partibus quas proposui, aut aliis his similibus, cujusmodi sunt, juventus, vires, nobilitas, & si quid aliud sit, in hominum vita vehementer expetitum. Quin & per fictionem tractari poterant. Eruditionem esse rem per se præclaram ac magnificam, adeo ut si nihil etiam adferat emolumenti in hac vita, tamen sua ipsius causa sit expetenda: quod attigimus in initio. Quis enim non optet perfectam omnium rerum cognitionem, etiam si nunquam esset victurus inter homines? Nunc instrumenta sunt ad juvandam Rempublicam ac privatim amicos, ut etiam si citra doctrinam ipsi possemus feliciter vivere, tamen quoniam vir bonus non solum sibi nascitur, vel in hoc comparanda sit eruditio, ut aliis possimus esse subsidio. Verum in Epistola seria nolim has partes nimium exstare: id quod etiam in orationibus nonnunquam expedit dissimulare. Sed oportebit alia quadam Epistolari facie obduci, nonnunquam data opera perturbari: sed tamen hic ordo profuerit animo, magnam rerum ac verborum vim congerenti: ex quibus licebit optima seligere, si locus postulabit brevitatem. Ita fiet, ut non sit jejuna brevitas. In hoc argumento poterit & illud admoneri, blandiorem oportere fingi Epistolam, quam adolescens adolescenti, congerro congerroni, amans scribit amanti. Tum quod qui suadet, inde sibi plusculum fidei conciliabit, quod suum errorem simpliciter agnoscat ac damnet: & veterum voluptatum memoriam ita refricabit, ut declaret animum etiam a commemoratione abhorrere. Ab ætate sumet occasionem: quæ si grandior est, dicet convenire, ut plus sapiat qui vincat annis. Absurdum fore, si qui dux hujus instituti debuerat esse, nunc recuset esse comes: sin minor, dicet nullam ætatem magis idoneam disciplinis, propterea quod sanguine calente, magis ingenio vigeat, quodque tenacius hærent, quæ primis annis hauriuntur. Hoc magis esse properandum, ne pars ejus optima frustra effluat. A forma item, quæ si præstans est, dicet minime convenire, ut in formoso corpore animus inhabitet deformis: sin minus, dicet hoc magis excolendum bonis studiis animum, ut cum corporis forma paria fiant. A genere, quod si fingitur illustre, dicet olim nullos magis incubuisse liberalibus studiis, quam claro genere prognatos. In aliis aut latere, aut negligi doctrinam, fortunæque sordibus obscurari, in bene natis habere suum decus. Tum obscuri hominis literas fortunæ adminiculis destitutas, perpaucis esse præsidio: nobiles, quoniam fere ad civiles magistratus aut Ecclesiasticas dignitates vocentur, maximam adferre perniciem, si ad tractandam Rempublicam citra doctrinam accedant: si contra, maximam adferre publice simul ac privatim utilitatem. Sin obscuro genere fuerit, excitandus est, ut sibi suis ipsius præsidiis pariat nobilitatem, non paulo veriorem, quam qua vulgo tument claris orti natalibus. Ab opibus: Si rem familiarem habebit amplam, demonstrabit illi, tanto magis enitendum ad honesta studia, ne quum fortuna cætera suppeditarit, ipse sibi defuisse videatur: magnum adjumentum ad consequendas liberales disciplinas esse divitias: sed has tum demum esse splendidas, ac salutares, si possessor his norit uti, atque hoc præstare doctrinam. Alios plerosque felicibus quidem ingeniis præditos, sed ob rei familiaris angustiam, frustra consectari liberalia studia: ipsi ob rem amplissimam, nec ocium, nec librorum vim defuturam, & optimi cujusque præceptoris futuram copiam. Sin erit tenui fortuna, tanto enixius oportet incumbere parandis literis, quæ & rem, & famam pariunt, sed insignes. Nam divitibus satis est, vel infra mediocritatem esse doctos. Hæc quidem a nobis fusius ac loquacius dicta sunt, verum in tantum necessaria, ut verear ne multis hæc etiam tam multa non sufficiant. Fateor, ad docendum sunt perpauca, sed ad rationem ac viam indicandam, non inerti, nec indocto præceptori arbitror fore satis. Nam his doctorem magis instruximus, quam pueritiam.

CAP. XI.

DE EMENDANDO.

JAm vero in emendandis his quæ pueri reddunt, exactissima diligentia est adhibenda. [1] Neque enim sat habeat doctor, manifesta sermonis vitia castigare, verum si quod verbum parum elegans, si minus ornatum, si sordidum, si durius translatum, si qua contra veterum consuetudinem orationis figura, si quid absurdius compositum, si quid asperum, si quid hiulcum, id notatum emendabit, mutabitque. Tum si quid alio loco dictum, quod alio magis quadrabat: si quid additum, quod non cohæreat: si quid præteri-

1 Hæc intelligenda de studiosis, qui jam modicos profectus in litteris fecerunt; non de iis, qui ita componunt ut non nisi una litura eorum conatus emendari queant, si elegans oratio ex iis conficienda sit.

A teritum, quod inseri oportebat: si quod argumentum futile, vanum, translatum, aut alioqui vitiosum: si quod decus parum feliciter affectatum: si jocus sit frigidior: si languidius dictum, quod acrius oportebat: sicubi à decoro fuerit recessum: si translationis color parum pudenter sit delectus: si verbosius tractatum, quod oportebat brevius: aut si brevius perstrictum, quod fusius erat tractandum. Neque simul tamen omnia reprehendet præceptor, sed alias alia, ne pueri despondeant animum. Quæ ferri non poterunt, ea non statim aspere, & cum convicio reprehendenda: & his verbis, eo vultu, quasi discipulum oderis. Nam ea res teneros animos in odium studiorum trahit, fitque ut prius oderint literas, quam norint cujusmodi sint. Verum quæ tolerari non poterunt, ea blandius quidem, sed tamen diligenter B corrigenda: quæ ferri utcumque poterunt, aut dissimulanda interim, aut ingenio collaudato vertenda in melius. Contra, quæ scite excogitata tractatave videbuntur, ea nominatim probabit, & quamobrem placeant, exponet. Atque interim jubebit & reliquos omnes attentis auribus accipere thema cujuslibet quod recitatur: ac diligenter observare, si quid animadvertant reprehendendum, aut etiam imitandum: neque illud inscite monet Quintilianus, pueros ipsos percontationibus excitandos esse, & quid illic videant vitii, & qua ratione mutandum; & quid sequutus sit, qui feliciter affectavit. Hoc satius est, quam si non periclitante illorum judicio, tantum indicet ipse quid damnet aut probet. At hujusmodi percontationibus, vide quantum commodi- C tatum consequemur. Primum, audientibus securitas aberit, ut ait Fabius, neque perfluent aures quæ dicentur, simulque perducentur ad id quod ex hac re quæritur: nimirum ut aliquando hæc inveniant citra indicem, & intelligant ipsi. Sunt autem quædam vitia, quæ præceptoribus in adolescentulis non debeant displicere, veluti sublimior spiritus, & orationis luxuries: quod hæc indoles promittat perfectam maturitatem. Ego in nostris & alia pro tempore ferenda censeo, puta voculas, aut etiam clausulas ex auctoribus sublectas: Poetarum versiculos, aut hemistichia subinde intertexta, translationum licentiam, apertiorem artis affectationem, compositionem curiose numerosam, ac prope carmen exprimentem. Hæc enim omnia, tametsi in adul- D to scriptore vitia sunt, in proficientibus tamen necessaria sunt. Porro sive quid laudes, sive reprehendas, utrumque & cum modo, & varie faciendum. In aliis inventionis nervi, in aliis argumentandi subtilitas probanda, in aliis sanitas, in aliis gravitas: in his lepos, in illis varietas: in nonnullis dispositio, in nonnullis consilium, ut ad quamque virtutem quisque videbitur accedere. Hæc laudis ac reprehensionis dispensatio faciet, ut neque quisquam de se desperet, neque despiciat quemquam: tum æmulatio quædam inter omnes excitata, dum irritatis omnibus, alterius quisque laudem affectabit, dictu mirum, quantum calcar addet ad studium. Quorundam putidis ingeniis, & rustico pudori, privatis ac blandis admonitionibus erit succurrendum. Pro- E fuerit & illud, præmiola quædam puerilia proponere iis qui primas tulissent: victores collaudare modice: victos ad conandum hortari, quasi industria, non ingenio sint præteriti. Hic rursus mihi cachinnum tollet Grammatista quispiam ex isto ordine, qui Michaelem Modistam pueris solent prælegere; meque clamitabit, e ludo theatrum facere. Atqui cum ipse e suo ludo carnificinam faciat, mihi concedat, si veterum consuetudinem renovare studeo, apud quos in scholis hujusmodi concertationibus juventutem exerceri solitam, vel ipse D. Aurelius Augustinus testis est. Siquidem is in libris, quibus titulum indidit, Confessionum, narrat sibi frequenter acclamatum fuisse, ubi Junonis apud Maronem in Trojanos stomachantis, verba & affectus cæteris F felicius adumbrasset. Agnoscis theatricum verbum acclamandi in ludos literarios fuisse receptum, & tu putas scholæ nihil convenire, nisi plagas & ejulatus. Fabius haud vulgaris formandæ pueritiæ artifex, non uno in loco præcipit, juvenum studia non asperitate deterrenda, sed blandis applausibus, modestisque laudibus alenda, atque exacuenda: vultque doctorem in parentis abire affectum: contra discentes, præceptorem non horrere ut carnificem, sed observare veluti parentem. Nec obscurum, quid sibi velit Horatianum illud:

Quondam pueris dant crustula blandi
Doctores, elementa velint ut discere prima.

At contra hic Arcadicus quispiam asinus, leonis indutus exuvio, quum & indoctior sit, quam ut admiratione sui pueros habere possit attentos: & insuavior, quam ut a quoquam possit amari, vel amare quemquam, tumultuosa carnificina menses eximit, puerosque ingenuos, quos neque meliores potest reddere, quippe vir stultus & improbus: neque literatiores, ipse illiteratissimus, flagris excarnificat miseros, clamoribus & conviciis obsurdefacit, ut optimis illis annis sine fruge contritis, magnam crudelitatis suæ mercedem percipiat. Utinam tibi, ô sacrilege: nam barbari levius ac dilutius est vocabulum: dignus tuis factis honos aliquando contingat, compellarisque pileum istum, quem ut non promereris, ita nec intelligis, cum cuculla permutare: pro veste ista laciniosa, sagum aut renonem accipere: pro soleis ac sandaleis, perones: pro ferula ligonem, aut scuticam: istoque ornatu e scholis, in quibus nihil aliud es quam canis in balneo, rus extrudaris: aut stivæ, cui natus es, alligandus: aut quod malim, in compedibus fossurus, aut si omnino sine imperio durare non potes, boves & asinos ista tua voce territaturus. Tune audes, ô clurinum pecus, ut Plauti verbis utar, docendi literas occupare munus, quum ipse nihil unquam didiceris? tune audes stolide carnifex, bene natos & ingenuos, atque ingeniosos adolescentes laniare flagris, quos citius occidere possis quam docere? Tun' in eo loco, quem Græci ab ocio *scholam*, Latini a voluptate *ludum* appellandum censuerunt, plus quam Phalaridis tyrannidem exerces? Tun' hominis monstrum ab his etiam mercedem, si superis ita placet, exigis, de quibus pejus sis meritus, quam scelestus ille Faliscorum literator de sua pube? Siquidem ille dolo peccabat, tu palam & confidentissime perdis bonæ spei pueros. Ille clementi hosti tradidit, veluti pacis obsides, a quo sunt citra fraudem restituti. Tu hosti crudelissimo, teterrimoque prodis: videlicet inscitiæ, a quo ferme nullus elabitur, qui semel in illius jus venerit. Sed efferri me video longius dolore justissimo quidem, utinam perinde utili. Regnare jam passim videas plagosum hoc & indoctum Grammatistarum genus: antra illa in quibus deblaterant, ceu Furiarum regnum, misero ejulatu undique personare. Et credimus istam verberandi consuetudinem Quintiliano, viro tum prudenti, tum erudito, adde etiam castissimo, sine causa tantopere displicuisse. Et quod vir Ethnicus ut sævum ac perniciosum explosit, nos Christiani libenter recipimus, sævientes non solum in pueros, verumetiam in ætatem pene virilem. Quod si plagoso illi compotatio contigerit largior, jam pueris etiam instat vitæ periculum. Rideatur hoc, nisi nostra ætate permulta sint exempla infelicium, quos doctoris temulenta sævitia plagis occidit. Et postea deligimus equis nostris idoneum curatorem, liberos cuivis asino committimus. Sed hanc cædendi, sæviendique necessitatem in puerorum ingenia transferunt, qui ceu Phrygum filii, nisi plagis concisi, non emendantur. At quo tandem ore, dic quæso bellua, tu flagris a pueris officium discipuli requiris, quum tu doctoris officium non præstes? Effice ut merito te amet grex tuus: ut miretur primum studia, deinde te quoque studiorum gratia: postremo utrumque alterius causa. Quod si nec amari potes, homo stolidus ac sævus, nec admirationem meretur trivialis ista, ne dicam, culinaria, doctrina vel inscitia potius, quid etiam in ludo sedes impudens? Sin veterem morem tuo damnas instituto, age profer istos egregios artifices, quos tu novus magister sic institueris, ut cum veterum vel infimo certare possint. Quod si qui sunt ad literas indociles pueri, præstat eos ablegare rus, ac parentibus reddere. Sed interim doctori decrescunt reditus. Et ideo bonum virum oportet esse, qui suscipiat erudiendam juventutem. Sed istis non alia ratio est, quam tyrannis Principibus, qui malunt imperio, quam æquitate retinere populum: non quod illud melius sit, sed quod hoc difficilius.

Sed jamdudum tempus est, ut ad id quod instituerat, nostra recurrat oratio: jamque finis sit cum istis Bœoticis suibus rixandi. Ergo præceptor idoneus, & istorum dissimillimus, posteaquam annotarit, quid in scriptis puerorum placeat aut displiceat: tum exemplar aliquod a se studiose elaboratum proponet, aut etiam dictabit, neque pigebit in marginibus quid ipse sit sequutus annotare. Indicabitur ordinis ratio, transitus commodus, si quod schema speciosius,

sius, si quod argumentum nove tractatum: ut in eo perinde ac speculo videant, quid ipsos suffugerit, quid assequi non quiverint, ubi dormitaverint, aut cæcutierint. Alioqui quod isti faciunt, pravam Epistolæ formam proponere, quid aliud est quam docere perperam scribere? Dicent, quotumquemque reperias, cui sit stilus? Calceolariam non docet, nisi calcifex: coquum non instituit, nisi coquus: gubernandi rationem nemo tradit, nisi nauclerus: & miraris si literas docere non queas, quas nescis? Quid docet Grammaticus, qui loqui nescit? Expediet aliquoties & nudum thema proponere, ac totum inventionis laborem, ipsorum ingeniis relinquere, quo virium suarum periculum faciant. Magis autem blandiuntur etiam nobis, quæ ipsi quasi peperimus ingenio: verum id raro fieri velim.

Nos olim quum Senæ Alexandrum Archiepiscopum, titulo D. Andreæ, Jacobi Scotorum Regis filium, Rhetorum studiis exerceremus, isque qui sibi jam videbatur nonnihil profecisse, rogaret, ut tantum indicatis propositionibus summis, reliquam omnem inventionem ipsi relinquerem, paruimus adolescenti ingenioso, miræque spei. Adnisus est summa vi, fortasse sperans fore, ut tametsi sermonis ubertate vinceretur, tamen ob ingenii vigorem non multum esset a nobis relinquendus. Primum collaudabam hominis industriam, & passus sum illum sibi aliquamdiu placere. Mox ubi indicassem, quam multa illum fugissent, quam multa non suo loco dixisset, cristas demisit, & agnovit quantum adhuc abesset a meta.

Illud in genere meminerit doctor, ut pro sui quibusque ingenii viribus præeat. Rudibus tota erit Epistola præformanda: progressis sat erit liniamenta quædam prænotare: adultis suffecerit nudum indicare thema: ut & hac in parte parentum curam doctor imitetur, qui primum infantibus cibum præmansum in os inserunt: deinde sat habent in manum dare: mox mensis tantum admovent: postremo etiam domo extrudunt, ut suapte industria ipsi sibi quærere consuescant, & quod dici solet, nare sine cortice. Conducet & illud, si jam ad mediocritatem progressis proponemus idem argumentum iterum ac tertio, aliis verbis, aliaque sermonis figura tractandum. Quæ res potissimum conferet ad parandam orationis copiam, ac felicitatem. Id autem commodius fiet in brevioribus thematiis. In hoc genere Ciceronem legimus cum Roscio suo certare solitum, utrum ille sæpius eandem sententiam variatis gestibus repræsentaret, an ipse mutatis verbis efferret. Exstant etiamnum & Maronis in hoc genere progymnasmata, veluti de aurora, & anni partibus: sed hac de re tempestivius ac pluribus dictum est in libello de Copia.

Cæterum ad inventionis facultatem pertinebit, ut palinodiis exerceantur: ut quod modo suaserint, rursus dissuadeant: quod in cœlum laudibus tuleris, id vituperando ad inferos dejicias: ad quod sis adhortatus, rursum ab eo deterreas. Qua quidem in facultate plurimum valuisse fertur Carneades. Hæc erunt propemodum similia locis, quos Rhetores communes appellant, ut pro amore, quemadmodum apud Platonem dicunt, præter Socratem multi: & contra amorem: quemadmodum apud eundem Lysias: pro literis, contra literas: pro divitiis, contra divitias: pro monastica vita, & contra: pro linguis, contra linguas: pro matrimonio, contra matrimonium: pro Monarchia, contra Monarchiam. Ejusdem generis sunt, quæ per collationem seu contentionem tractantur. Utra vita præstantior, civilis, quam practicam vocant Græci: an contemplativa, quam Rhetoricam illi vocant. Cœlibatus potior, an conjugium. Ad dicendum utrum ars plus possit, an natura? Utrum recens hoc Theologiæ genus præstantius, an priscum illud. Utrum plus valeat ad parandam famam militia, an literarum studium. Ad rem parandam, utiliorne sit Juris prudentia, an studium Medicinæ. Idem fit in personis. Uter dux melior, Hannibal, an Scipio. Uter Philosophus excellentior, Plato, an Aristoteles. Uter Poeta doctior, Virgilius, an Hesiodus. Utrius facundia mirabilior, Demosthenis, an Ciceronis. Hæc incident in consultationibus. Verum quum deliberabit aliquis, utrum Romæ citius paretur fortuna an in patria: utrum satius sit literarum gratia adire Italiam, quam Lutetiam, præter ea quæ sunt locorum communium, ex propriis circumstantiis multa ducet argumenta. Utrum expediat pueros statim admovere studio literarum, an parcere teneriοribus illis annis, donec ætatis progressu nonnihil roboris collegerint. Neque semper necesse est, ut præceptor se thematis inveniendi labore fatiget. Ex Historiis, ut dixi, sumere poterit. Ex Epistolis eruditorum, si quas pueri nondum legerunt: veluti ex Epistolis Ciceronis, Plinii, Cecilii, Symmachi, Apollonii, Angeli Politiani. Cur enim hunc in hoc genere non cum quolibet veterum conferamus? Sed tamen e Symmacho rem peti malim, quam phrasin. Promptissimam hujus generis vim, Epistolæ diversæ Græcorum suppeditabunt. Ex omnibus degustatis præceptor, optima quæque proponet. Semper enim ab absolutissimis exordiendum. Proinde Plinium illis statim objici malim, quam Franciscum Nigrum, Marium Philelphum, etiamsi pater in Epistolis nonnihil habet laudis: Æneam, Gasparinum, Campanum: multo minus Carolum Virulium Lovaniensem: cujus scripta cito gratiam exuerunt. Non quod negem in his esse, quod aliquis possit imitari, sed quod mediocribus, aut tolerabilibus tantum anteferri malim eximios. Cæterum cui palma debeatur in hoc genere, non est hujus instituti pluribus verbis persequi. Si quis omissis Græcis, patiatur quemquam ullo in genere anteponi, M. Tullio, Plinio, & Politiano primas detulerim. Sed hac sane in re fruatur suo quisque judicio.

CAP. XII.

DE CONSUETUDINE UNUM MULTITUDINIS NUMERO COMPELLANDI.

JAM vero consuetudinem insulsissimam quidem illam, sed aliquot jam seculis mire receptam, unum hominem multitudinis numero compellandi, non tam dedocendi sunt juvenes, quam animandi ut ausint contemnere: certe quoties cum his agitur, unde nihil sit periculi. Mea certe ætate jam hæc ineptia magna ex parte obsolevit, paulatim subolescentibus bonis literis. Quanquam supersunt & hodie non pauci *Vossissatores*, qui quod pueri male didicerunt, non solum ipsi mordicus tenent, verumetiam ab aliis exigunt. Inexpiabili contumelia se putant affici, si quis unum singulari numero salutet: ac plane rem putant injuriarum actione dignam, ac legibus vindicandam. Tu pro tua prudentia quid sit optimum dispicito. Hic mihi continuo Tragicum vociferans in re nihili: *Quid tu*, inquit, *me tuissas? tuissa famulos tuos. Ego sum & te, & tuis omnibus melior.* Quid ais hominis monstrum, tu sic appellari dedignaberis, quomodo olim Reges suos appellabant parasiti: quomodo summos orbis Monarchas olim affabantur libertini, aut e plebe cerdo quilibet? Denique quomodo tu ipse Deum Opt. Max. compellas? Cur non ut unum alloquar, quum unum videam, etiamsi Polyphemo major esses? An ideo Athonem montes dicam, non montem, quod ingens sit? An ideo non est mare Oceanus, quod vaste pateat? Adeo qui vix sunt homines, iis non satis est, si unius hominis loco ducantur. Cæsari totius orbis Monarchæ loquimur: Superi bene vertant quod agis Cæsar. Et hic indignatur, nisi dixeris: *Bene vertat quod agunt vestra dominationes*: perinde quasi non unum hominem, sed Hecaten quampiam triformem, aut Hermetem trimegistum, aut Geryonem tricorporem alloquamur. Hoc fortassis in muliere gravida sit tolerabilius, aut etiam, si mavis, in scropha. Cur a Grammaticis distincti sunt numeri, singularis, dualis, & plurativus, nisi ut uteremur? Honoris, inquit, gratia abutimur: apte dictum abutimur. Nam istud est plane abuti, perinde quasi quis soleam utramque eidem inducat pedi. Sed quis istuc juris vobis donavit? An æquum putatis, ut honoris vestri gratia, præter veterum consuetudinem barbare loquantur homines? Quod si tyrannidem occupatis, ut novæ etiam linguæ nobis sitis auctores, cur non saltem constatis vobis? Etenim si numerus mutatus honorem habet, cur non eadem opera videtur honorificum, plures singulari numero compellare? Cur non idem fit in tertiis personis? Honorificum est, si quis Marcolpho dicat, *gratulor vobis*: qui minus honorificum est, *saluta eos*, cum unum jubeas salutari, sed honorabilem? Cur hic honos tantum in pronominibus situs est? Honorificum est, *saluto vos, domine Episcope*: qui minus, *saluto vos domini Episcopi*? honorificum est, *vidi vos ambulantem*: cur non *vidi vos ambulantes*, si uni, sed honorato loquaris? Nimirum aucta pluralitate, crescit honos. Cur in re divina, ædituus non hunc in modum respondet sacrifi-

crifico: & cum spiritu vestro? Cur is Deo loquens audet dicere, *praesta, quaesumus, omnipotens Deus*. Cur nos homunculi non veremur illi dicere: *remitte nobis debita*: &, *ne nos inducas*, si tantum honoris est in abusu numeri? Certe primus honos debetur Deo. Cur hunc tanto fraudamus honore, cur huic praeferimus homuncionem? Quid hic respondebunt isti? an nobis objicient heterosin? Audio, sed hac non utuntur emendate loquentes, nisi in prima persona, vel modestiae, vel festivitatis, vel euphoniae gratia. In secunda numquam, nisi quum genus significamus, non personam. Quale est illud Nasonis: *Quae vestra libido est?* Taxat enim virorum genus, veluti si quis uni meretrici dicat: *Vos estis pernicies adolescentum*; non unam notans, sed totum ordinem. Huic simillimum est illud in tertia persona: *Quum ad uxores ventum est, tum fiunt senes*. Unde quod olim modestiae erat, aut invidiosum, nunc repente honorificum esse coepit? *O imitatores servum pecus, ut mihi saepe Risum, saepe jocum vestri movere tumultus*. Istos fefellit, opinor, quod veterum quispiam magistratu fungens, hunc in modum scripserit: *Consideramus, retulimus, statuimus*, nimirum munus publicum cum suis collegis communicans, & potestatis invidiam declinare volens. Hoc, ni fallor, exemplo Reges & Episcopi coeperunt & ipsi scribere: [1] *Nos Joannes Episcopus Cameracensis: Nos Carolus Rex Gallorum*. Nec dubium quin & hoc qui primi coeperunt, modestiae causa fecerint, videlicet quo tyrannidis speciem fugerent. Tyrannicum enim videbatur, potestatem cum nullo prorsus habere communem. Verum is scribendi mos simul atque Regius haberi coepit, a nostris honorificentiae causa certatim usurpatus est. Ridicule sane: nam si modestiae laus est, ubi quis pro, *ego Joannes Episcopus*, scribit, *nos Joannes*: qui *vos Joannes* dicit, pro, *tu Joannes*, contumeliosus sit oportet. Nam se dejicere, virtutis est: alterum contemnere atque extenuare, maligni est atque invidi, si id fiat in absentem: si in praesentem, procacis & contumeliosi. Romanus Pontifex in suis diplomatis admiscet nonnunquam hanc Petri sedem, *quam indigni tenemus*. Quis ferat, si quis idem dicat illi: *Confugimus ad istam Petri sedem, quam indignus tenes*. Quod si hanc sermonis ineptiam idiotarum stulta ambitio commenta est, qui dedignentur orationem habere cum aliis communem, cur eruditi hanc ineptam ac muliebrem inanitatem assentando alunt? Scio deberi honorem magistratibus, parentibus, praeceptoribus. Sed hic ridiculus est honos, quem praestat soloecismus. Verum largiamur interim, ut tantum valuerit consuetudo. Neque enim me fallit, in Epistolis decimi libri, qui Plinianis per Aldum adjectus est, legi semel atque iterum sermonem hujusmodi: *Ut primum me, domine, vestra indulgentia promovit*. [2] Quanquam & hic tergiversari licuit, eas Epistolas non esse Plinii: deinde hoc ipsum tam raro fieri illic, ut mendum videri possit. Postremo cum vestra dicit, voluit senatus auctoritatem cum Caesaris voluntate conjungere, quod sciret hoc esse gratum Imperatori modestissimo. Sed ut omissa tergiversatione, largiamur quod isti volunt: sit sane civilitatis hoc honore blandiri majoribus: sit rustici & inurbani, hoc honoris non reddere: certe novum insolentiae genus est, non esse contentum, si quis cui decedat de via: si caput aperiat, si genu flectat, nisi ridicule etiam loquatur honoris gratia. Scripserit aliquis Trajano, *vestra indulgentia*: at idem non offenditur, cum toties repetitur, *tua pietas*, pro vestra pietas. Denique non sic illi loquitur Plinius, quum consul illius laudes praedicat: quam orationem oportuit quam maxime honorificam esse. Isti tam insolitum honorem etiam conviciis, atque adeo flagris exigunt a nobis. Domitianus Imperator, vir prodigiosae arrogantiae, se Deum ac Dominum scribere solitus est in suis diplomatis: atque ita se compellari in aliorum instrumentis edixit. At is nemini unquam succensuit, quod singulari numero compellaretur. Ferri poterat res si modo sint unico soloecismo contenti, vix duplicatus istorum ambitioni satis facit. Nam *oro vos*, simplex erat soloecismus, quem istorum insolentia jamdudum ut plebejum, nimisque popularem fastidit ac renuit. *Oro vestram humanitatem*, sesquimendum erit: nihil adhuc nisi vulgaris honor. *Oro reverendissimas*

A *humanitates vestras*, bene congeminatum vitium: mediocris honor est, & ferendus. Adde tertium soloecismum, & plenam inieris gratiam: *Oro reverendissimas paternitates vestras, domine praestantissime*. Cumulatissimam vis inire gratiam, quadrigam soloecismorum facito hunc in modum: *Oro reverendissimas paternitates vestras, domine praestantissime, domine Praesul*. Euge, euge. Iste demum honorificentissimus est sermo, dignusque quo solenniter adeantur reverendissimi Praesules, ac potentissimi Monarchae. Magis enim ridiculum, quod quidam honoris gratia personam quoque vertunt, dicentes: *Mandaverat mihi reverentia sua*, pro, *vestra*, sive *tua*. Hujus sermonis ineptiam si quis non videt, illiteratissimus sit oportet: si quum sentiat, non exspuit, patientissimus: si tam absurdam assentationem libentibus etiam auri-
B bus haurit, gloriosissimus sit oportet. Et haec sermonis portenta cujusquam Principis aures ferunt?

Et hujusmodi non solum ferunt quidam, verum etiam efflagitant Christianae modestiae columina: ac non parentibus homines severissimi graviter succensent: adeo ut quibusdam hac de causa dicam fuisse scriptam sciam, non de asini umbra, quod dici solet, sed de injuria non adhibiti soloecismi. Nuper etiam quidam, gravi nimirum exemplo, ultus est hujusmodi contumeliam, ad hunc quidem modum. Ab amicis magnis studiis agebatur apud Episcopum quendam, ut quidam spectatis moribus, egregia doctrina vir, sacerdotio, quod tum forte demortuus vacuum fecerat, inauctoraretur. Negabat vigilantissimus pastor, temere sa-
C cerdotia committi oportere inexploratis. Ipsum qui commendabatur, accersi jubet, videlicet de doctrina prudentiaque viri periculum facturus. Adest ille vir, sane antiqua literatura probe praeditus, sed sincerus ac simplex, qui nondum novum hunc eloquentiae florem attigerat: postremo qui Praesules omnes putaret didicisse literas, salutat numero singulari: *Salve, reverende Praesul*. Vix totam salutationem dixerat, avertit se Praesul atque abit, indignabundus non aliter, quam si quis in faciem illius conspuisset. Admirantibus, & causam rogantibus qui salutatorem commendarant, negat se illos conspectu colloquioque dignari suo, a quibus sic in os contemneretur. Frustra quidam rem purgare nituntur, planeque surdo canitur fabula. Iratus ille,
D sacerdotium in alium quendam disertiorem transtulit, qui quadruplicato soloecismo *humanissimas reverentias domini domini* salutaret: & qui unum hominem in multis, rursus in uno multos videret.

At quanto salsius isti nobis talionem reponerent, si ipsi singuli singulariter appellati, nos vicissim binos aut ternos singulari voce convenirent. Etenim si honorificum est, uni multitudinis appellationem tribuere, veluti, πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων, quam erit insignis contumelia, plures singularibus verbis alloqui: *Tibi, Paule, nos Abbas dicimus*, tanquam plures in unum conflati, vix efficiant hominem alicujus precii; sic erat par pari referendum. Dices optime lector: Rides tu quidem jamdudum, & *nimis uncis naribus*
E *indulges*. Quid aliud faciam in re tam ridicula? Nam si plane contendunt, honoris significationem esse in catachresi numeri, cur frequenter unicam rem, eamque frivolam, nihilique, tricas, apinas, quisquiliasque vocamus, multitudinis numero? Cur unicum instrumentum quo verrimus pavimentum, multitudinis numero scopas vocamus? Non invidendus honos istorum, quem cum quisquiliis & scopis habent communem. Hoc etiam interest, quod nisi multitudinis vocabulo, nemo scopas recte salutaverit, nisi dixerit, salvete scopae: quum istis interim studiosa barbarie gratificemur, omnibus quidem Grammaticis, ac Grammaticorum filiis iratis. Quid quod interdum non sine periculo plurative conviciamur etiam, nimirum assueti. Quid enim
F si strabus quispiam, dubiique contuitus, uni e multis convicium dicat multitudinis numero: nonne quum oculis quem petit non distinguat, periculum erit, ne tanquam commune maledictum in se quisque rapiat, & pro uno omnes in miserum strabum convicia regerant? Id vero periculosius etiam fuerit caeco. Proinde genus hoc sermonis, quibus est hoc vitii, magnopere fugiendum censeo, ne forte oculorum morbo, plures pro singulis cernere putentur. Sic enim nuper quispiam istiusmodi salutatorem aperte derisit, & aspere potius, quam urbane: nisi forte videbitur recte, malo nodo malus quaesitus cuneus. Is enim solus cum esset

1 Antiquior est haec consuetudo, quam putabat Erasmus, cum ejus non obscurum exemplum sit in Epist. *Cypriani* ad *Cornelium*, quae est LX, in Oxoniensi ordine, in Ed. *Erasmi* prima.

2 Cave credas aut has Epistolas non esse *Plinii*, aut mendose talia legi. Vide Inst. ad Ep. III. Lib. X.

esset in conclavi, & a strabo quodam multa cum pluralitate adiretur, iterum atque iterum circumspectans respondit, cæteros abiisse, se solum esse: si quid vellet, opportuniore tempore rediret, dum illi adessent. Ille vero negat se quemquam præter ipsum unum quærere. Tum alter hominem percontatur, quot illic lectos videret. Quum unum duntaxat respondisset: Et quæ tandem, inquit, intemperiæ te agitant, aut e qua popina nobis probe potus ades, ut ego tibi non unus videar, sed multi?

Et sunt etiam qui rem tam absurdam tueri conentur rationibus Philosophicis, ut ajunt. Siquidem Aristoteles scripsit, Regem ut cæteris rebus præcellit populum, ita sermone quoque differre debere. Itidem par esse, ut quos conditio, dignitas, opes, cultus, & insignia discernant, discernat & sermo. Nec prorsus alia nota rectius dignosci, a privato magistratum, quam abusu numeri, propterea quod ille unus sit e multis, hic non simplicem sustineat personam. Pape, accipio commentum: quanquam apud Græcos istud fiet commodius, quibus tres sunt numerorum differentiæ. Ergo cui geminus sit Episcopatus, aut cujus Episcopatum Abbatia quæpiam opima conduplicarit, huic dicemus, χαίρετον. Quod si tres sint Episcopatus, aut duobus addita Abbatia, ternarium illum sacrum ac mysticum expleat, huic dicemus χαίρετε. Hac quidem lege, si τετράδα aut ἑβδομάδα numero sacerdotiorum sint prætergressi, æqui dent veniam, si nostram distinctionem sua ambitione confuderunt. Nec video qui minus liceat ad hunc loqui modum: Nos Episcopi, nos Abbates, cui uni plures sint Episcopæ, aut Abbatiæ. Sed dubitari jamdudum potest, isti ne stultiores, qui a re tam absurda, tamen abduci non queant: an ego qui in nugacissimis nugis tantum operæ sumpserim, nisi quod ut hoc facerem, plurimæ res me cohortabantur, sed duæ potissimum: tum ut istos apertius irrisos, aliquando suæ stultitiæ pudesceret: tum [illegible] eos qui plane depuduissent, juvenes partim veterum exemplis animati, partim nostris verbis moniti, non dubitarent cum sua ambitione contemnere. Desinet offendere, posteaquam desierit esse insolens: & aliquando placebit omnibus, quod nunc placet eruditis.

CAP. XIII.

DE SALUTATIONE.

NUNC ad præceptiones huic argumento peculiares revertemur: sed si paucis admonuerimus, quæ sint in salutatione fugienda, unde solemus Epistolam auspicari, ne pessimi gubernatores videamur, si statim in portu, quod ajunt, impegerimus. Est enim hæc ceu prima frons Epistolæ, in qua delinquentem non solum imperitiæ dedecus, verumetiam religionis neglectæ piaculum maneat. Nam a veteribus superstitiose observatum videmus, ut e primis illis forte congredientium verbis, futuri sermonis velut omen quoddam arriperent. Eoque qui sibi forte fortuna venirent obviam, quive quapiam de re inter sese tractaturi congrederentur, quo faustus esset occursus, ac bene ominatus sermo feliciter utrique verteret, mutuam salutem dicebant. Et sacerdos quoties prodibat ad populum, salutabat, ac resalutabatur. Ea consuetudo e mediis hominum moribus, in Epistolam, quæ, ut dixi, colloquium est inter absentes, translata est. Eamque semper veteres a dicenda salute sunt auspicati. Idque tam a Græcis, quam a Latinis, tertia persona factitatum videmus: sive quod usus sermonis Rex, personam mutavit: sive quod studio festivitas quædam, quam adfert personæ hypallage, videtur affectata: sive quod olim salutatio non adderetur Epistolæ, sed in tergo tituli vice adderetur, velut ab eo recitanda, qui literas perferret. *M. Tullius Cicero Trebatio Imperatori S. D.* Græci ferme ad hunc modum: Πλάτων τῷ Δίωνι ἔυ πράτλειν. Quæ verba non hoc sonant Græcis, quod quidam existimant, quasi jubeamus illos, quos ita salutamus, *bene vivere*, sed quod felicitatem precemur. Nam quibus res sunt secundæ, ii Græcis ἔυ πράττειν dicuntur. Quidam pro ἔυ πράτλειν dicunt χαίρειν, quod apud nos sonat *gaudere*. Utrumque uno versu expressit Flaccus:

Celso gaudere, & bene rem gerere Albinovano.

Latini in hunc ferme modum salutant: *M. Tullius Cicero, M. Varroni S. D.* Plinius suo more addit, *suo*, opinor quod non scribat nisi amicis: *C. Plinius Sabino suo S. D.* Hebræi vulgato gentis suæ more, pacem optant salutantes, sive quod sentiant bellum ac discordiam esse malorum omnium compendium: sive quod pacem appellant summam rerum prosperitatem, ubi nihil est quod offendit animum. Auctor est Plinius avunculus religiosum antiquitus fuisse, nominibus salutare, ne preces, opinor, ambigue ad alienum avertantur: quemadmodum in devotionibus nomen addebatur, velut irrita futura exsecratione, nisi urbis aut gentis verum nomen apponeretur. Ergo ne dirum omen habeat Epistola, utriusque nomen in ipso statim ingressu præfandum est: priore quidem loco illius, unde venit Epistola, posteriore ejus, ad quem mittitur: etiam si longe sit honoratior cui scribitur, quam qui scribit. Puerilis mihi videtur illa nominum, honoris gratia, transpositio, nisi nobis placebit illa Gnathonis salutatio: *Parmenonem suum summum, plurima salute impertit Gnatho.* Aut nisi si quis ad hunc modum loquatur: *Idem equus portabat Cæsarem & Augustam*, existimemus hominem læsæ majestatis reum peragendum, quod plus honoris habitum sit equo, quam Cæsari, & ejus uxori. Sed extra jocum, mihi probatur veterum simplicitas, quam utinam per nostræ tempestatis corruptissimos mores ubique liceret æmulari, ut nos invicem nudis nominum titulis salutaremus: *C. Plinius Calvo suo S. D.* Quid enim erat verius aut purius? Siquidem ubi quis nomen audit, omnes pariter virtutes suas audit compendio. Habet præterea nescio quid peculiariter blandum proprii nominis appellatio, quo audito delectari videntur & animantia bruta. Quo magis istos admiror, qui vocabulum suum quod inditum est in baptismo, non aliis auribus accipiunt, quam si atrox ingereretur convicium. Stultius, quod aulici quidam non ferunt, ut liberi patrem patris, aut matrem matris appellent vocabulo, *dominus* ac *domina* malunt audire, quum illis vocabulis neque sit quicquam honorificentius, neque carius affectibus: adeo nihil illis placet cum plebe commune. Porro nominum vocabulo, prænomina, adnomina, cognominaque complectimur. Prænomina fere a majoribus mutuamur, Marcus Tullius. Cognomina pleraque gentilia sunt, Bruno Amorbachius. Agnomina solent ex eventu quopiam accrescere, Scipio Africanus, Cato Uticensis. Hodie cognomina aut gentilitia sunt, quemadmodum apud Italos, Medicum, Baptistarum, Balborum. Aut a loco ducuntur, Angelus Politianus. Nam præter veterum consuetudinem faciunt, qui paternum nomen cognominis vice subjiciunt: ut si quis Antonium Dionysii filium, Antonium Dionysium appellet. Cæterum qui parentis vocabulum gignendi casu subnectunt, magis referunt Hebræorum consuetudinem, quam Romanorum: Jacobus Alphæi, Joannes Zebedæi, Petrus Simonis. Jam barbara, nonnunquam & sono absurda vocabula, vel hominum, vel locorum, vel familiarum, aut Latinis Græcisve vocibus reddenda sunt, aut in Latinam faciem commode deflectenda, ut ab idiotis etiam vulgatum nomen agnoscatur: ut quum pro *Barbir*, quod vulgo tonsorem sonat, Barbirium dicimus, pro *Busleid*, Buslidium, aut pro *Lang*, Langium. Quod idem in Græcis & Hebræis sibi permittunt eruditi: veluti cum pro *elephas*, dicunt elephantus, pro *Adam* Adamus, pro *Abraham* Abrahamus. Quibusdam religio est, cognomen gentis immutare. Sed sunt quædam adeo barbara, ut stridores sint verius, quam voces: præsertim nonnunquam apud Germanos monosyllaba quinque conferta consonantibus, quæ ne sonari quidem possint ab ejus linguæ rudibus. Quæ si molliri non poterunt, in Græcas aut Latinas voces vertentur. Cognomentis quæ ducuntur a loco, vel originis, vel dominii, quidam dure addunt præpositionem, *Picus de Mirandula*: Latinius est, Picus Mirandulanus: tolerabilius putant, *Picus a Mirandula.* Ac fortasse licebit unum aut alterum exemplum apud auctores invenire, ubi addatur, *de*: sed pueri quod optimum est, primum assuescant imitari. Non abhorret a veterum consuetudine, nonnunquam iis quæ diximus, magistratus, professionis, cognationis, aut etiam affinitatis cognomen annectere: idque contra recentium morem, qui honoris gratia præponunt dignitatum vocabula: *Beatissimo Papæ Alexandro sexto.* Veteres contra: *Trebatius M. Tullio Cic. Imperatori. Hieronymus Damaso Papæ. Budæus Copo Medico Regio. Erasmus Joanni Coleto Theologo. M. Cato Bruto Consuli. M. Tullius Quinto fratri. M. Brutus Portiæ uxori.* Optarim, si fieri possit, nihil adulationis admisceri titulis. Erras autem, si te laudari putas, quum Episcopus scriberis, aut Theo-

Theologus; professionis ista sunt nomina, non gloriæ. Is demum te laudaret, qui bonum Episcopum, aut eruditum Theologum scriberet. Tolerabile fuerit, si uxorem carissimam, aut liberos dulcissimos appellemus, aut patrem optimum. Porro quoties docti plusculum admiscent honorificentiæ titulis, non suo serviunt ingenio, sed alienis obsecundant. Istos nemo modestus feret, opinor, qui prodigiosis assentationibus salutationem infarciunt: ac tum existimant salutationem esse mire Rhetoricam, ubi nonnunquam ipso etiam hominis nomine prætermisso, hunc solem dixerint, alium lunam: hunc luciferum, alium cynosuram, aut lucernam ardentem, speculum sine macula, turibulum odoriferum, pyxidem unguentariam, candelabrum aureum, virtutum sacrarium, disciplinarum thesaurum, omnis scibilis gazophylacium, phœnicem, aquilam, vitem, hortum, flumen, fontem, pelagus, apicem, culmen, florem, gemmam, jubar, fulmen, paradisum: denique rerum omnium laudabilium copiæ cornu. Et quid non? Ita novus hic salutator juxta Comicum, venustum dat adveniens principium. Atque etiam ne parum sint Gnathones, quemadmodum alios immodice efferunt, ita sese pari venustate dejiciunt atque extenuant, servulos a pedibus, vilissima mancipia ejus cui scribunt appellantes. Hujus salutationis exemplum hoc erit, si quis forte requiret animi causa: *Perspicacissimo domino, septem artium liberalium candelabro aureo, Radianti Theologorum apici, Religionis lucernæ semper fulgenti, Dominicalis ordinis lucifero, Utriusque testamenti gazophylacio, Hæresiarcharum malleo, Omnium virtutum heroicarum & non heroicarum, speculo limpidissimo, Dignissimo domino meo, domino præceptori, humillimus dominationis suæ discipulus, & vilissimus servitor, oscula pedum pro salute.* Rides exemplum? Sane merito rides, sed hujusmodi non solum utuntur isti, verumetiam libris editis præcipiunt adolescentulis. Hæc nova salutandi Venus priscis incognita, tum demum nata est: ubi profligatis linguis, exactis bonis auctoribus, quos illi Poeticos vocant, in ludis literariis pro Grammatica tradebatur Michael Modista, pro Rhetorica similes nugæ. Quis unquam Gnatho, aut Colax, aut Gelasinus, usque adeo fuit impudens, aut in tantum esuriit, ut istiusmodi verba Regi suo ausus sit in os dicere? Qui plagas pati possunt, qui jure perfundi, qui osse peti, qui commingi sustinent: tamen non sustinent sic salutare, quemadmodum nos Christiani gravibus etiam viris adulamur. Quando Plautus ille parasitorum licentiosus & immodicus effictor, ausus est talem inducere in fabula? Si Christianam simplicitatem tueri non libet, simus vel Ethnicorum exemplo paulo minus impudentes. Paulus scripsit, inquiunt, *honore invicem prævenientes.* At Apostolus illic non de salutatione, sed de subsidio loquitur: sic enim ille solet honorem appellare. Quod si vitari non potest, quin blandius agatur cum eo cui scribitur, est verecundius quoddam assentandi genus. Sunt figuratæ laudes, his Epistolam, quanta erit, expleas licebit. Verum in ipsa statim salutatione, tam impudentem Gnathonismum, obsecro quis ferat, nisi aut Mida stolidior, aut Thrasone gloriosior? Æque vitio dandum est, quod quidam in Principum literis factitant, ejus cui scribitur, aut qui scribit titulum, trecentorum cognominum longa serie in decimum usque versum producere. *Justinianus Imperator Cæsar, Flavius, Alemanicus, Gotthicus, Francicus, Germanicus, Anticus, Slavicus, Vandalicus, Africanus, pius, felix, inclytus, victor, ac triumphator, semper Augustus.* An non fessus lector, Epistolam parabit abjicere, prius quam ad Epistolam pervenerit, nisi coronidem quam recensendis titulis finire non poterant, per & cætera præcidissent? Ridendum & illud salutandi genus, inepte fucatum, quod Carolo Lovaniensi quoque cum primis arrisisse videtur: quo salutis loco, nunc hoc, nunc illud apprecamur: veluti, *Midæ divitias, loco salutis.* Aut, *humillimam recommendationem vice salutis. Promptam cum debita veneratione servitutem, loco salutis.* Hæc equidem deliramenta invitus refero, sed aliter dedoceri non poterant. Et in primis hæc sunt dediscenda: tum quod salutationem verbis supervacaneis onerant, puritatemque ac simplicitatem corrumpunt: tum quod stultissimum videtur, aliquid salutis vice subjicere, quum ipsa salute nihil sit melius. Ejusdem ineptiæ sunt illa: *Quot habet cœlum stellas, quot habet mare guttas, tot tibi mitto salutes.* Quod si quando pietate commendati viri, secus atque nos docemus, salutarunt: præpostere fecerimus, si a quibus vivendi petenda fuerant exempla, non loquendi: in his quod optimum habuerunt, negligemus: quæ pessima, ea sola nobis proponemus. Neque si quando D. Hieronymus, D. Augustinus, D. Gregorius suorum temporum consuetudini concesserunt, id nunc oportebit in ludum literarium vocare, præsertim hac tempestate, qua nihil est omnino literis cum vulgo commune. Postremo quid absurdius, quam ex magni nominis auctoribus nihil imitari, nisi quod erat contemplatione cæterarum virtutum ferendum? Post expressas reliquas Hieronymi virtutes, salutationis novitatem condonabimus. Quod si non potes, noli hujus prætextu tueri, quod tempori suo dedit ille, non judicio. Sed offendemus, inquient, si tuis præceptis parebimus. Quis enim non hanc salutem, *Petrus Tartaretus Henrico Bedæ Theologo S. D.* contumeliam interpretetur potius, quam salutem? Verum ego non in hoc hanc operam suscepi, quo docerem sermonem stultorum auribus atque animis accommodare, sed uti recte scribendi rationem traderem. Neque tamen usqueadeo desperandum existimo nostrum hoc seculum, ut errorem quem corrupti mores hominum, & inscitia potuit invehere, cum bonorum & eruditorum virorum auctoritas & usus non possit revellere. Videmus quantum profectum sit paucis annis. Ubi nunc in scholis auditur Michael Modista, ubi glossema Jacobi, ubi citatur Catholicon, Brachylogus, aut Mammætrectus, quos olim ceu rarum thesaurum, aureis literis descriptos habebant Monachorum bibliothecæ? Certe semper erit ad optima conandum. Si statim sanctum erit & ἀκίνητον, quicquid hic aut ille depravarit in studiis, neque quod depravatum fuerit, restituere licebit, quo tandem recident literæ? Denique si istis crassis licet veterum eruditorum exemplum contemnere, nobis vicissim non licebit istorum indocilem inscitiam pro nihilo ducere? Quod si quid a veterum consuetudine libebit innovare, si videbitur aliquid dandum ejus animo cui scribitur, aut publice consuetudini, tolerabitur quidem: modo absit enorme vitium, hoc est, ne salutatio sit vel loquacitate molesta, vel assentatione parasitica, vel affectatione morosa, ne quod diximus, pessimum sit omen toti Epistolæ, si statim a vitio fecerit auspicium.

CAP. XIV.

SIMPLICIS SALUTATIONIS ALIQUOT FORMULÆ.

SALUTATIONUM quæ præter indicium nihil habent formulæ sunt hujusmodi: *Pius Pontifex Romanus, ejus nominis primus, Lodovico Gallorum Regi, ejus nominis undecimo, S. D. Tiberius Cæsar Senatui Romano S. D. Senatus P. Q. R. Machabæo Duci, & sociis Judæis S. D. Horatius Trib. Mil. Bruto Imperatori S. D. Henricus Angliæ Rex Maximiliano Cæsari S. D. Demetrius Eques Romanus Tito Lucio judici selecto S. D.* In hujusmodi nominibus officiorum plerumque hæretur a doctis, partim quod incertum quæ veterum nomina, quibus nunc respondeant: partim quod pleraque jam recepta sunt, peregrinis ac barbaris vocabulis. Siquidem quem olim Urbis Præfectum vocabant, nunc alicubi vocant *Marchionem*, alicubi *locum tenentem*: quem Tribunum plebis, nunc *civium magistrum* vocari credunt. Quem olim Quæstorem Ærarium, nunc *Redituarium* vocant, sive *Receptorem*. Quos olim Rationales, nunc, opinor, *Phinantiarios* dici. Quos olim Quæstores parricidii, nunc *Sculteto*s. Quos olim Caduceatores, nunc *Heraldos*. Quos olim Senatores, seu selectos judices, hodie vocant *Dominos Parlamentares*. Nam *Ammiraldus* pro littorum curatore, sive maris præfecto, nescio cujus linguæ verbum est. Quod genus sunt & illa: *Marischalcus, Seneschalcus, Baro*, quæ videntur una cum barbarico imperio invasisse. Aut igitur his utendum, aut vetus aliquod vocabulum subjiciendum, quod novo respondeat. Id commodius faciet, qui primum ex antiquis Historiographis, e Varrone, e Cicerone de legibus, e Jureconsultorum libris, ex libello Fenestellæ, quem ex professo scripsit, & inscripsit de Magistratibus, animadverterit singulorum, & vocabula, & functiones. Item hujus temporis officia, quibus verbis dicantur, & quibus in rebus versentur. Eandem curam oportebit adhibere, in conferendis Græcis ac Latinis officiorum vocabulis. Nam illi ὕπατον, hoc est, summum vocant Consulem, ἀνθύπατον Proconsulem, αὐτοκράτορα Dictatorem, seu Imperatorem, quem eundem

A dem interim & βασιλέα vocant: sed hæc res plus habet negocii, quam ut hic sit obiter tradenda. Argumentum hoc proprium volumen postulat; tantum indicabo, quibus rationibus cognitum magistratum possis circuitione notare. Qui præest describendis Epistolis, & vulgo *Secretarius* dicitur, vocabitur ab Epistolis: qui schedas citatorias scribunt, & *Notarii* vocantur, dicentur a libellis: qui thesauro præfectus est, *a thesauris*: qui cubiculis, *a cubiculis*, quem *Cubicularium*, sive *Camerarium* vocant: *Pocillator* a poculis: *Scriniorum Præfectus*, a Scriniis. Qui *notant ac recitant acta* in judiciis, ab actis dicuntur, sive *Actuarii*. Atque item de cæteris.

CAP. XV.

NOVÆ SALUTANDI FORMULÆ.

B PLiniano demum seculo natum videtur, ut quos familiarius amarent, eos in salute *suos* dicerent, blandiore scilicet pronomine, conjunctissimam necessitudinem significantes. *Plinius Calphurnia sua S. D. Ebutius Hispala sua S. D.* Quod si nobis permittimus a consuetudine veterum recedere, tot poterunt esse in Epistolis salutandi formulæ, quot in congressu, *Salve pater optime. Salve mater optima. Salvete liberi dulcissimi. Salve mea Terentia carissima. Salve multum. Salve plurimum. Salve etiam atque etiam. Salve quantum mereris. Salve pro tuis meritis. Antonius Licentio suo multam optat salutem: plurimam salutem, perennem salutem.* Nam *plurimas salutes*, aut *innumeras salutes*, non ausim dicere, nisi sentiam a diversis allatas. C *Politianus Marsilio suo multam ex animo precatur salutem. Erasmus Fausto suo multam optat faustitatem. Andreas Ægidio sodali jucundissimo multam optat felicitatem. Antonius Laurentius Marco fratri carissimo perpetuam optat incolumitatem. Terque quaterque salve meum præsidium. Salvere te jubet tuus Ludovicus. Salvere te jubet, qui ipse non salvet. Salutem tibi dico, quam ipse desidero. Salutem tibi mittit, qui ipse periit. Salutem tibi mittit, quam ipsa nisi tu dederis, non est habitura. Salvus sis optime socer. Ave præceptor optime.* Has itaque atque hujusmodi formas, quanquam nonnihil diversas a veterum consuetudine, tamen non video cur oporteat in totum damnare, modo in loco adhibeantur. Illud genus non perinde probo: D *Salva sit tua præstantia, tua reverentia, tua nobilitas, tua dominatio.*

CAP. XVI.

QUOMODO PER ALIUM SALUTANDUM, AUT RESALUTANDUM.

CÆterum & hoc in Epistolis, ut per alios salutemus alios. Id apud eruditos fere fit his modis: *Attico nostro multam* 1 *ex me salutem dicito. Uxorem tuam ac liberos mellitissimos omnes meis verbis salvere jubebis. Generum mea causa salutabis officiose. Amicis omnibus communem ex me salutem dicito. Parentem optimum meo nomine salutabis diligenter. Fac ut amicis communibus mei vice salutem annuncies. Totam familiam tuam per te meis verbis salutatam volo. Non erat ocium omnibus scribendi, sed omnibus pro me multam dices salutem.* E *Tu mihi apud amicos omnes vicarius esto salutator. Omnibus ex me annunciabis, me illis omnia læta precari. Gener tuus jussit, uti suis verbis tibi multam salutem adscriberem. Socrui tuæ optabis prosperam valetudinem meo nomine. In salutandis amicis, quoniam in præsentia mihi non vacavit scribere, fac Erasmi tui vices gnaviter obeas. Quam blandissime salutabis Antonium, sed meo titulo. Salutassem Abbatem meis literis, sed tu mihi apud illum Epistolæ vice fueris. Gravabo te non magna sarcina, ut meo nomine salutem perferas ad socrum meam. Quæso ut sodalitatem totam mihi salutes accurate.*

CAP. XVII.

REDDITA SALUTATIO PER ALIOS.

F ATtica, *quam illi tuis verbis dixi salutem, libenter accepit, teque vicissim per meas literas salvere jussit. Tuam salutem Attica libens accepit, ac suam remittit. Ambrosius salutem quam illi tuis verbis renunciavi, totidem verbis renumerat. Amici per me tuo nomine diligenter salutati, dederunt hoc negocii, ut te vicissim suo nomine juberem salvere. Genero tuis verbis salutem scripsi, nam aberat, is suo nomine tibi multam salutem jussit rescribi. Socer tuis verbis per me salutatus, te vicissim meis resalutat. Qui me per te salutant, hos omnes mutua salute meis verbis imparties.*

1 Potius *a me*, sic enim passim Cicero loquitur.

CAP. XVIII.

DE EPITHETIS ET NOMINIBUS ADOPTIVIS.

NOnnunquam urbanitatis & comitatis est, addere honoris, aut adoptiva cognomina: quorum posterius exemplum est, ut si senem bene de nobis merentem appellemus *patrem*: juvenem nobis carum, *filium*: novercam *matrem*: sororis maritum, *fratrem*: quibus adjicientur & epitheta, quæ Fabius vertit, apposita. Hæc veteres parcius admiscebant titulis, etiam si recentium consuetudo diversum obtinuit: sed horum major erit usus in media Epistola. In his illud in primis erit observandum, ut si tribuenda sunt, tribuantur apposita personis, & rei, de qua agitur. Ecclesiasticis dignitatibus hæc fere congruunt: *Beatissime Papa. Pontifex maxime. Summe Pontifex. Amplissime Pater. Sanctissime Præsul. Vigilantissime Pastor. Sacratissime Pater: venerande, suspiciende, observande, integerrime, religiosissime Pater.*

CAP. XIX.

PRINCIPUM EPITHETA FERE SUNT HUJUSMODI.

CÆsar *Auguste. Rex invictissime. Fortissime Imperator. Dux illustrissime. Clementissime Princeps. Vir generosissime, præpotens, ornatissime, clarissime, splendidissime, Opt. Maxime*: quod a Jove sumptum, quidam in Christum transferunt, in quem verius competit, quam in Jovem. Nonnulli etiam ad summos Monarchas traducunt. *Divos*, ac *Deos* appellare Reges, ethnici cujusdam gnathonismi est. *Dominos* appellare barbaricum, etiamsi cœpit hoc nomen ferre Romana 2 lingua, postquam ingenia jugum tyrannicum ferre poterant: mox Ecclesiæ Proceres, quo differrent a profanis, pro dominis, *domni* voluerunt appellari.

CAP. XX.

MAGISTRATUUM CIVILIUM EPITHETA FUERINT HÆC.

COnsul *vigilantissime. Senator splendidissime. Censor gravissime. Ædilis magnificentissime. Judex incorruptissime. Prætor integerrime.* Ex his vero qui literas profitentur, Theologos, *graves, sinceros, absolutos, sacros*, ac *divinos* appellabimus: Rhetores, *disertissimos, suaviloquentes, facundissimos*: Poetas, *sacros, divinos, claros, nobiles, inclytos*: Jurisperitos, *juris utriusque consultissimos, prudentissimos legum, juris utriusque juxta doctos*: Dialecticos, *acutos, argutos, invictos*: Medicos, *peritissimos, fidos, eximios*: Mixte doctos, *undecunque doctissimos.*

CAP. XXI.

COGNATORUM ET AFFINIUM HÆC FERE SUNT EPITHETA.

PAter *optime. Mater indulgentissima. Frater carissime. Patrue observande. Soror carissima. Uxor suavissima. Nepos mellitissime. Jucundissime gener, affinis, sodalis, commilito.* Ex reliquorum genere qui nulla certa nota sunt insignes, divites, & auctoritate *præstantes viros* appellabimus: *Optimates viros, summates, primarios, nobiles, graves, gravissimos: Ornatos, virtute aut eruditione præcellentes: Observandos, honorandos, colendos, absolutos, eximios, egregios, prudentes, suspiciendos, spectatos, perspicaces, circumspectos.* Matronas *nobiles, primarias, optimas, integerrimas, probas, pudicas.* Puellas *lepidas, bellas, amabiles, optime moratas, pudicas, jucundas, mellitas*: Adolescentes *ingeniosos, probos, modestos, optimæ spei, eximiæ indolis, generosæ indolis.* Milites *fortissimos, exercitatissimos.* Opifices *industrios, solertes, peritos, exquisitos, accuratos.* Reliqua sibi quisque ex his quæ recensuimus inveniet. Atque hic quidem cautio sit oportet, non solum ne quæ aliis congruunt, in alios transferamus: veluti si quis puellam *venerandam*, senem *jucundissimum*, Regem *pudicissimum*, matronam *invictissimam* nominet: verumetiam ne quando manifesto falsa tribuamus, ut Theologum male doctum, *gravissimum* potius appelles, quam *eruditissimum*: Præsulem stupidum ac supinum quidvis potius, quam *vigilantem*: Regem insigniter avarum, *clementem* magis dicas, quam munificum. Etenim sibi quisque conscius, hæc in contumeliam rapit, non aliter, quam si deformem senem, *formosum puellum* appelles: aut pumilionem, *egregium heroa.*

CAP.

2 Ut liquet ex Epistolis *Plinii* ad Trajanum.

Cap. XXII.
Ubi, et quomodo potissimum utendum epithetis.

HÆc, ut dixi, in salutationibus optarim parcius adhiberi. Cæterum in media Epistola quum res agitur, erit his aliquando locus. Quanquam nec hic passim quævis, & sine delectu erunt adhibenda. Nam ut boni Ducis est unumquemque militem, ita boni Oratoris est, unamquamque vocem eo statuere loco, ubi quam maxime possit usui esse. Veluti Principem cui gratias ages pro accepto munere, aut a quo velis aliquid impetrare largitatis, tempestivius *munificentissimum*, aut *benignissimum* nominaris, quam fortissimum, aut invictissimum. Adhibebimus autem in loco, si dicemus: *Ignosces primo errori, Dux mitissime. Patere te exorari, clementissime Cæsar. Turcarum vim a Christianorum humeris depelle, Rex invicte. Succurre periclitanti Ecclesiæ, religiosissime Princeps. Restitue per calumniam oppressos, æquissime Prætor. Non est meum tibi consilium impartiri, vir oculatissime. Tuo consilio nobis subveni, vir prudentissime.* Siquidem in his orationibus non sunt ociosa epitheta, sed argumenti vim obtinent. Ut enim probes non esse tuum illi dare consilium, assumis argumentum, quod ipse quum sit oculatissimus, domi consilium habeat, nec egeat mutuo.

Cap. XXIII.
De transfigurandis epithetis.

TRansfigurantur hæc appositiva nomina nonnunquam haud ineleganter in substantiva, itaque pronominum vicem gerunt: *Obsecro te, pater piissime: Obsecro tuam pietatem, pater. Gratulor tibi vir fortissime: Gratulor tuæ virtuti. Condona mihi hunc errorem, vir mansuetissime: Condonet mihi hunc errorem tua mansuetudo. Nostræ stultitiæ præsidio sis, quæso, vir sapientissime: Nostræ stultitiæ tua sapientia sit præsidio. Compesce improborum audaciam, vir integerrime: Improborum audaciam tua compescat integritas. Publica calamitas implorat te, Princeps clementissime: Publica calamitas implorat tuam clementiam, optime Princeps. Succurre religioni Christianæ, piissime Cæsar: Tua pietas Opt. Max. Cæsar, succurrat religioni Christianæ labanti. Non est hominis imperiti, viro prudentissimo consilium dare: Non est mea imperitia, tuæ prudentiæ consilium dare. Te, inquam, appello vir impudentissime: Tuam, inquam, appello impudentiam.* Nonnunquam vehementiæ causa rem duplicamus, sed immutata voce: *Succurrat mihi tua benignitas, liberalissime Mecænas. Te omnes exsecrantur, homo ignavissime: Tuam ignaviam exsecrantur omnes, homo formidolosissime. Demiror te homo vecordissime: Vecordiam tuam admiror, ô demens.* His igitur si modice, & in loco utemur, & graviorem amplificando reddemus orationem, & argumento juvabimus sententiam, & sermonem grata varietate novabimus. Nam vulgo scriptorum in hujusmodi, neque modus est ullus, neque tempestivitatis ratio. Sic enim passim: *Dominationis tuæ literas accepimus. Et reverendissima tua præstantia mihi literis significavit. Et nobilitas tua meo nomine salutabit uxorem suam. Et caritati tuæ breviter respondeo.* [1] *Et nostra parvitas, dignissimæ paternitati tuæ gratias agit.* Stultum est ita vitare personam, quasi fas non sit ea uti. Et tamen fateor alicubi gratiam habere, vocabulum qualitatis personæ loco submissum. Stultitiæ meæ prudentia tua sit præsidio. Nostram tenuitatem tua foveat liberalitas. Nostram inopiam tua copia sustineat.

Cap. XXIV.
De adoptivis nominibus.

UT autem redeamus ad id quod superius attigimus, iisdem locis gratiam habent adoptionis vocabula; quoties potentes, quorum auctoritate sublevamur, quorum beneficentia adjuvamur, *patronos*, *parentes*, *ac præceptores* nominamus: fœminas, *patronas*, ac *matres*: æquales amicitia junctos, *fratres*, ac *sorores*: ejusdem studii sodales, aut ejusdem instituti professores, *commilitones*: adolescentes, *filios*: discipulos, *alumnos*.

Cap. XXV.
De superstitione epithetorum.

FUgienda est infelicitas eorum, qui se certis vocibus alligant, quas Magica, pene dixerim, superstitione vel
A mutari, vel inverso proferri ordine, piaculum existimant, perinde quasi Jovem conceptis verbis evocent, aut noxios Dæmones adsciscant. Quos nisi rite, certisque verbis compelles, capitis tui periculo feceris. *Beatissime Pater*, audit Romanus Pontifex: Si scripseris, *Pater beatissime*, rescinditur diploma. Audit *sanctissimus Pater*: Si quis scribat, *Pater sanctissime*, mutatur scriptum. Audit *sanctissimus Dominus noster*, nisi addas, *noster*: aut si præpostere dixeris, *noster sanctissimus Dominus*, ingens flagitium commissum putabitur. Simili superstitione receptum est, ut Cardinalibus tantum, *reverendissimas* [2] *Dominationes* tribuamus; Archiepiscopos *reverendissimos* appellemus; Episcopos & Abbates *reverendos*, Priores *venerabiles*, Decanos *spectabiles*; Unum
B Gallorum Regem *Christianissimum*; Solum Hispaniarum Regem *Catholicum*; Angliæ Regem [3] *Serenissimum*; Solum Cæsarem *semper Augustum*; Duces *illustrissimos*; Alios inferioris nobilitatis tantum *illustres*; alios *clarissimos*. Quis hanc titulorum superstitionem invexit in mundum? Nimirum Pharisaicum illud hominum genus, quod aliis quoque cærimoniis, & falsæ doctrinæ, falsæque religionis præstigiis, diu mortalium generi nimium credulo imposuit. Hujusmodi *reverendissimis dominationibus*, & *Catholicis majestatibus*, *amplissimis paternitatibus* [4] subinde repetitis, bonam Epistolæ partem occupamus, & Latini sermonis gratiam perdimus. Ignosco iis, qui utuntur inviti: non ignosco, qui hæc comminiscuntur, aut qui exigunt ceu rem seriam.
C Quid enim si Regem pro patriæ salute sese periculis objicientem, pro Catholico, aut Christianissimo dixero, *patrem patriæ*; ridebit, opinor, me *crasso Calphurnius ore*? Quid si Romanum Pontificem, non ambitioni, non quæstui, non voluptatibus, non tyrannidi inhiantem, sed Christi gloriæ, Christianique gregis saluti servientem, dixero *Pastorem Euangelicum*: an non appositius loquar, quam si dicam, *beatissime Pater*, cum *beati* cognomen quadret etiam in divitem? Si vere talis est Pontifex, tribui dignum titulum: si non est, submonui qualis esse deberet. At isti putant, aliud esse, dominus Petrus, & Petrus dominus. Et profanos honoris gratia semel *dominos* appellandos, Ecclesiasticos, *dominos dominos*. Cæterum Abbates aut Episcopos, *dominos*.
D Quod si dominici vocabuli congeminatio facit ad significationem dignitatum, quoties eos vocabimus *dominos*, qui plus quam viginti Sacerdotiis onusti sunt? Et de his tricis, doctissimi scilicet homines sudantes disputant, cum utrumque juxta sit barbarum. Conditionis nomen *dominus* est, non honoris: tyrannicum, non magnificum: barbaricum, non Romanum. Nam & lenonem cui mancipia sint, dominum recte dixeris. Itidem *magistrum nostrum* si dicas, Theologum intelligunt, præsertim Lutetiæ, & Lovanii: quum calceariorum famuli, suum patronum inter se confabulantes, *nostri magistri* verbis significent. Veluti quum ajunt: *ubi cessat noster magister? Temulentus est alicubi noster magister. Utinam nunquam domum redeat noster magister.* Quod si capræ
E loqui possent, pastori suo dicerent, *noster magister*. Tantulum interest inter caprarium abjectissimum, & idiotam, & inter sacrosanctum divinæ mentis interpretem. Dicent: Quid faciam, si quis honoris gratia me vocat *magistrum nostrum*? Ride, move caput, & desinent te sic honorare, si senserint aures tuas non delectari titulis ineptis.

Cap. XXVI.
Quomodo dicendum, Vale.

QUemadmodum a salutatione auspicamur Epistolam, ita dicto *vale*, claudimus. Nisi quod apud Græcos χαίρειν utroque loco ponitur, sed in calce rarius. Item apud Latinos *salve*. *Vale* non dicitur nisi in digressu, quemadmo-
F dum nec apud Græcos ἔῤῥωσο. Hoc interest quod salutatio nonnunquam sic effertur, quasi recitetur a tabellario. *Cicero Trebatio salutem dicit. Vale*, semper ad scribentis personam accommodatur. *Vale mea Terentia.* Nemo sic scribit: *Cicero Terentiam suam bene valere jubet*, quemadmodum: *Cicero Terentiam salvere jubet.*

Cap. XXVII.
Vale dicendi formulæ aliquot.

V*Ale. Vale recte. Bene vale. Cura ut quam rectissime valeas. Etiam atque etiam cura ut valeas. Da operam ut belle* va-

1 Jam olim pravæ hæ loquutiones usurpari cœperant, ut liquet ex *Valerii Maximi* procemio, ubi hæc verba leguntur: *mea parvitas eo justius ad favorem tuum decurrerit.*

2 Nunc *Eminentissimas.*

3 Alii Reges dicuntur *Serenissimi*, sed peculiaris Angliæ Regis titulus est *Defensor Fidei*, ab Henrico VIII. ex quo contra Lutherum scripserat.

4 Vide Præfationem *Erasmi* in Epistolas suas.

valeas. Communem valetudinem fac cures diligenter. Si tu recte vales, nos jamdudum valemus. Valetudini tuæ, siquidem nos valere vis, omni sollicitudine fac servias. Adnitere ut quam optime valeas. Sit tibi curæ tua valetudo, mi Tyro. Siquidem nos amas, valebis mi Cicero, meque mutuo diliges. Fac valetudinem tuam summo tueare studio. Valeto. Scribam alias copiosius, interim mihi valebis. Adero ad Calendas Majas, interea curabis ut valeas. Da operam ut sis prospera valetudine. Age curam valetudinis tuæ. Si quid erit quod velimus ejus cui scribimus animo inhærere, solet post *vale* subjici: *Vale, nosque, quod soles, ama. Vale mi Petre, & hoc unum fac memineris, te inter venena vivere. Jam vale. Valebis autem, si Philosophiam amplecteris. Vale, & quicquid acciderit, cogita te mortalem esse. Vale nostri memor. Valeto, & nominis immortalitati totis nervis incumbito. Vale meum decus, & cave ne tibi excidat, quod admonuimus de fratris negocio.* Nonnunquam & post dictum *vale* subjicimus, quod nos fugerit, aut quod ideo fingimus nos fugisse quo tenacius insideat animo. *Vale, mi More. Sed heus tu, propemodum præterieram, quod in primis dictum oportuit. Vale. Jam parabam obsignare literas, sed quia præter spem ocii nonnihil obtigit, libet etiam diutius tecum garrire. Vale. Sed jam obsignaturo Epistolam, illud percommode venit in mentem. Valebis. Sed mane paulisper: nunc demum occurrit animo, quod primo loco dictum oportuit. Vale. Sed ô me obliviosum, pene sero soceri tui negocium mihi venit in mentem. Vale. Jam ceræ admoveram anulum. Papæ, quam pene me fugerat, quod omnium maxime scire te volebam. Valebis, sed si illud prius admonuero, ut a fucatis amicis te subducas. Vale. Eja, de libro nunc demum sese offert memoriæ: ne cui credas, nisi videris meum chirographum. Vale iterum atque iterum. Equidem non possum desinere, adeo mihi dulce est cum amico jucundissimo confabulari. Vale jam tertio. Sed prius quam obsignem Epistolam, unum illud addam. Vale. Jam Epistolam complicaveram, cum adiret me gener tuus, qui te jussit salvere plurimum suis verbis. Jam obsignaram Epistolam, quum alteras tuas ad me literas reddidit veredarius. Itaque resignavi, & eadem opera binis tuis respondeo.* Hujusmodi figuræ non hoc tantum in loco, verum alias etiam habent gratiam, si quid Fabio credimus. Nam & amovent suspicionem fuci & artificii, & lectorem dormitabundum, velut ad rem novam expergefaciunt. Reperiuntur apud Christianos dicendi vale formulæ diversæ ab his, non tamen in totum damnandæ, mea quidem sententia. *Incolumem te nobis diu servet Opt. Max. Jesus. Faxit Christus auctor omnis salutis, ut nobis & quam diutissime, & quam rectissime valeas. Diu te nobis ac Reipublicæ sospitem velit esse Dominus Jesus.* Hujus generis formas si quis effingat accommodas, non arbitror reprehendendum. Cæterum alienas illas coronides, dureque affectatas, non feram. *Vale in eo qui vastum cingit fluctibus orbem. Validum te servet, qui mare & terras, variisque mundum temperat horis.* Quid enim terra mari cincta facit ad valetudinem tuam? Aut quid annus in quatuor partes digestus? Mollius erat: *Ille qui solus sanat omnem ægritudinem, donet tibi ut quam optime valeas.*

CAP. XXVIII.

QUID POST VALE.

POst vale continenter locum ac diem adscribunt veteres. Locum varie, his quidem modis: *Datum Romæ, datum e Roma. Scriptum Mantuæ, sive e Mantua.* Aut omisso participio: *Carthagine, Lutetiæ, Athenis. Ex arce nostra. E villa paterna. Ex nostro Formiano. E castris Cæsarianis. Ex regia Britanniæ. Ex nostro musæo. E navi. Ex pandocheo.* Nam hoc quoque nonnunquam juvat discere, ubi fuerit amicus qui scribit. Et locus ac tempus nonnunquam excusat Epistolam neglectius scriptam. Tempus privatum his ferme modis adscribitur: *Ruri ad multam noctem. Puteolis prima luce. Ex hortis suburbanis. Inter cœnandum, aut mox a cœna. E paternis ædibus crepusculo. Ex littore marino ad lunam. Ex aula Cæsaris, nocte concubia. Noctu, multa nocte, profunda nocte, alta nocte, plurima nocte, nocte intempesta. Sub gallicinium. Ex balneis pomeridianis.* Tempus publicum his rationibus additur: *Anno a Christo nato millesimo quingentesimo. Anno a natali Jesu Christi, quingentesimo supra millesimum. Anno a Virginis partu, millesimo trecentesimo nono. Anno ab orbe redempto, post millesimum quingentesimum. Anno a Christo passo, sexagesimo sexto. Anno ab hominum genere restituto. Anno salutis humanæ.* Quidam auspicantur annum a natali Christi, quidam a calendis Januariis, quidam a die Paschæ, quidam a festo Annunciationis. Atque ex hac re sæpenumero captio nascitur parum attentis: quam varietatem expediret tolli e rebus mortalium. Veteres ab orbe condito supputabant. Græci numerabant Olympiades, quemadmodum alii Indictiones. Romani primum ab Urbe Condita numerabant: mox per Consules designabant annum, quod is magistratus esset annuus. Adscribitur & mensis, & dies mensis: *Romæ calendis Januariis, sive Januarii.* [1] *Ad calendas Januarii*, vel *Januarias. Nonis Martiis*, vel *Martii. Idibus Juniis*, vel *Junii. Ad Idus Junias. Pridie calendarum Januarii*, vel *pridie calendas Januarii*: quod posterius apud auctores probos est usitatius. *Postridie calendas Octobres*, vel *calendarum Octobrium. Tertio calendas Augustas*, vel *Augusti*: vel *ad tertium calendas Augustas.* Recentius est autem, quod quidam a principe mensis die supputant: *Die mensis Julii vigesimo octavo.* Errant autem qui præpositionem *ad*, additam, existimant semper tempus reddere incertum. Etenim quum M. Tullius frequenter sic adscribit diem: *Ad XV. Cal. Febr.* num ita potus erat, ut quo die scriberet ipse nesciret? Imo hic sermo sumptus est a Græcis, qui τῶν εἰς τέσσαρα dicunt, pro τεσσάρων. Cæterum si quando de tempore ambigit qui scribit, hoc pacto scribere licebit: *Anno circiter nonagesimo supra millesimum. Anno plus minus quingentesimo. Ad annos circiter nonaginta. Annos ferme nonaginta.* Dies qui calendarum diem, aut nonarum, aut iduum proxime antecedit, non est aliter designandus, quam per adverbium *pridie. Pridie calendas Januarias*; is enim est ultimus dies mensis Decembris. Qui proxime consequitur, duplici modo notari potest: *Postridie Nonas Junias*: sive, *Octavo Idus Junias.* Nec absurdum est, quod nonnulli nostris festis indicant dies: *Natali Christi. Natalitio Virginis matris. Pridie natalis Ambrosiani. Feriis Paschalibus. Die a natali Joannis Baptistæ tertio.* In scriptis, ubi cum periculo possit errari in tempore, profuerit eundem diem, aut annum variis notis indicare: ut, *Anno a Christo nato M. D. Alexandri Pontificis decimo. Nonis Aprilis, postridie Paschæ.* Etenim si scriptoris vitio contigerit depravari numerum, unum ex alio poterit restitui.

CAP. XXIX.

DE ORDINE EPISTOLARI.

ORdinem in Epistolis, vel a natura, vel ab arte licebit petere, sed ab arte infrequentius. Nam si in actionibus forensibus, omnis fere dispositio a consilio sumitur, non præceptis: quanto magis id faciundum in literis quæ leguntur, non audiuntur: & leguntur a docto, non a vulgo. Postremo quæ nullum omnino nonnunquam habent ordinem: & si habent maxime, melius dissimulant, quam ostendunt. Quare superstitiose faciunt, qui libertatem illam Epistolarem, certis partibus alligant, atque ejusmodi servituti includunt, cujusmodi ne orationes quidem tenere Fabio placet. In simplicibus argumentis eum sequamur ordinem, quem consilium nobis dictaverit, non præceptiunculæ. In confusaneis Epistolis, in quibus innumerabilium prope rerum acervus congeritur: aut ut quicquid in buccam venerit, ita effundemus: aut ordinem aliquem a tempore, loco, personis, aut rebus imaginabimur, eum crebris transitiunculis breviter significamus. Quas quidem vel a similibus, vel a dissimilibus, paribus, imparibus, contrariis, disparatis, relatis fingemus ad hunc modum: *Habes animum monstrosum, nunc corpus accipe monstroso animo dignum. Mea in illum officia tenes, jam quam ille gratiam retulerit, cognosce. Sed hæc adhuc puer, jam quæ adolescens designarit referam. Verum hæc tibi cum multis communia, illud tuæ propriæ laudis. Sed hoc leve, illud non tolerandum. Sed hæc in suis sordibus esse fatetur, veniamus ad splendida. Sic Episcopatum est assequutus, nunc audi quomodo gesserit. Sic emit magistratum, nunc dicam ut Episcopatum administraverit. Adhuc vetera diximus, illud novum & inauditum. Sed hactenus jocati sumus, veniamus ad seria. Sed tristia mittamus, revertamur ad latiora. Habes Britannici itineris Tragœdiam, nunc Gallicas accipe Comœdias. Vulnus aperui, nunc remedium ostendam. Sed hoc nihil ad nos, illud vehementer mea refert. Ad primas tuas habes, nunc reliquis respondebo. Minusculæ tuæ Epistolæ respondi, venio ad majorem. Prioritua Epistolæ satisfactum, ad alteram accingimur. Quæ hic gerantur audisti, nunc ad literas tuas ordine. Sed hæc me magnopere delectant,*

[1] Jam omnes norunt legendum non *ad*, una voce, sed a. d. hoc est, ante diem.

lectant, illud male habet. Quid doleam, habes: nunc quid metuam, accipe. Sed hæc spes tantum erat, illud jam tenebamus. Quantam rem susceperis, ostendi: nunc qua ratione perficias, disce. Tuis de negociis habes, nostra vero res sic habent. Prioribus tuis, opinor, respondimus, nunc ad posteriores accingar. Habes forensia, nunc domesticas res accipe. Rusticanas res habes, nunc urbanas accipe. De tuis habes ad omnia, de meis nunc vicissim accipe. Sed jam satis diu de Republica, ad domestica veniam. Sed hæc rumore tantum cognovimus, illa vidimus ipsi. Dixi ducem, nunc tibi pacis moderatorem describam. Sed hæc corrigi possunt, illud ne leniri quidem ulla arte potest. Turpissima audisti, audi turpiora. Quid ingratius? sed audi etiam ingratiora. Omnibus fere de rebus habes, illud unum addam. Consilii mei rationem habes, nunc quid te facere velim, aperiam. Sed jam nimis multa de externis, de nostris pauca commemorabo. De partu, recte: de divortio, discrucior. De affinitate nova voluptatem nuncias maximam, sed de Cassiano vita defuncto, acerbum profecto nuncium. Hujusmodi transitiunculis commode excogitatis, tanquam ansulis quibusdam inter se connecti poterunt, quæ natura non cohærebunt: pariterque fiet, ne tanquam scopæ dissolutæ, turpiter diffluat Epistola, & legetur libentius, & intelligetur facilius, & hærebit diutius. Quare connexionibus brevibus, & aptis, crebrius uti convenit: non in hoc solum genere, verumetiam in simplicioribus argumentis, quibus ea quoque, quæ natura sunt perpetua, intersecemus, quo legentis animus subinde renovetur.

CAP. XXX.

MIXTÆ EPISTOLÆ EXEMPLUM.

Mixtæ Epistolæ exempla, quanquam apud Ciceronem plurima suppetunt, maximeque ex iis, quas ad Atticum, & Q. Fratrem scripsit, tamen necubi nostram operam studiosi adolescentes desiderent, unum subjiciemus.

DOMITIVS LVCIO SVO S. D.

„ Seculum exisse scribis, quod ne litera quidem a nobis adfertur, quamquam impudens ὑπερβολή, nam seculum istud vixdum etiam trimestre: tamen ut me sine culpa incusari doleo, ita tuo nostri desiderio majorem in modum delector. Nos vix demum post Ulysseos errores, ad Musas redivimus, nondum satis etiam placatas. Expostulant adhuc, & queruntur sibi parum obtemperatum a nobis fuisse, qui quidem felicissimo literarum ocio relicto, tantis fluctibus memet injecerim. Lucubrationes tuæ nitidissimis formulis excusæ, nuper in vulgus exierunt, bonis, ni fallor, avibus: nam passim & a distractoribus, & a studiosa juventute rapiuntur. Neque desunt tamen Momi quidam, qui Veneris sandalium calumnientur, ne nihil in absolutissimo opere reprehendant. Stili novitatem subaccusant, id est, antiquitatem, quod ego tamen summam laudem interpretor. Quare tu hæc æquo animo feres, ne tibi Virgilius invideat, cujus cœlestis eruditio hujusmodi Momos non potuit effugere. Nos quoque dialogum nostrum incudi redditum perpolivimus, is jamdudum in bibliopolarum est officinis, editionis aleam subiturus. Cæterum modo ab Aristotele, cujus signa a pueris sequuti sumus, descivimus, eque Lyceo, & ambulacris illis, in Platonicam familiam transmigravimus. Et adeo defectionis non pœnitet, mi Luci, ut te quoque ad meam Academiam sollicitare non prius sim desiturus, quam persuasero. Verum de scholis alias, nunc ad politica. Hic omnia plausu, lætitiaque perstrepunt. Mediolanum receptum, Dux a victore in Galliam deportatus. Galli successu victoriæ sublati, majora moliuntur, & jam Italiæ minantur. Nunc ad domestica veniam. Cætera ut volumus, nepotulus tuus jam mensem febricula affligitur, sed Medicus bene sperare jubet. A nobis neque pecuniæ parcitur, neque ulli rei, quæ ad illius valetudinem curandam pertineat. Ambrosium, qui tibi debet, jam tuis verbis sæpius appellavi, sed homo plane faciem perfricuit: quare aut nomen condones censeo, aut obtorto collo hominem in jus trahas. Etiamsi vereor, ne oleum & operam omnem luseris. Elabetur aliqua Proteus, sed de hoc tute statues. Domesticæ res sic habent. Nunc ad tuam Epistolam. De Britannia adeunda, quid ita mihi in mentem inciderit, demirari te scribis, ita credo, quia parum feliciter evenit. Quid facerem? Orabat is, cui negare fas non erat, & per æstivos menses in Gallia desidendum erat. Putabam esse aliquid, eadem opera & amicissimo homini gratificari, & insulam multorum literis nobilem visere. Postremo, fatebor enim, nonnihil etiam nominis atque emolumenti spes sollicitabat. Consilium habes nostrum, nunc eventum accipe. Ad reditum usque secunda omnia. *Nunciatoria.*

Facilis descensus Averni.
Sed revocare gradum, superasque evadere ad auras,
Hoc opus, hic labor est.

„ Priusquam navim conscenderemus, in littore omnis mea pecuniola naufragium fecit. Cæterum placidissima navigatione Gessoriacum appulimus. Hic denuo portitor omnes crumenæ angulos rimatur, ac Douariensem portitorem devovet, qui sibi prædam præripuerit. O scelestum, inquies, littus. Imo amicum & salutare: nam nisi me nudum Britannia remisisset, actum de nobis fuerat. Siquidem in Gallia in latronum sicas incidi, a quibus sola me nuditas servavit. Nam adversus hoc hostium genus, nullis armis melius defendimur quam inopia. Lutetiam denique reversum febris æstuantissima excepit, quæ loculos pariter & corpus exhausit. Habes non mali consilii pessimum exitum. Quod mihi de novi honoris accessione tam ex animo gratularis, morem tu quidem antiquum tuum obtines, ut amiculi commodis prope vehementius, quam tuis ipsius gaudeas. De Cassii morte næ tu mihi luctum acerbum annuncias. *Lamentatio.* Quod Vari nebulonis improbissimi impudentiam fregisti, ô quam factum bene. Sed quid ais? Petronium ne gladiatorio animo ad te viam affectare, & tibi tam odiose negocium facessere? An hoc quoque portentum tuæ virtuti fata destinarunt? Quod Antonius de nobis amantissime, & loquitur & sentit, novi nihil nuncias. *Gratia.* Quod librum tam impendio carpit Zoilus, incredibile quam mihi placeam, ut illi me intelligo magnopere displicere. Fratres e turpi simultate, te auctore in gratiam rediisse serio gaudeo. Dabis operam ne quando quod sartum est, rescindatur. *Monitoria.* Nepotem tuum tam sollicite mihi toties abs te commendari, subiracunde fero. Ignosces, non tibi concedo, ut ille tibi magis curæ sit quam mihi, etiam si eum amas plurimum. *Officiosa Gratulatio.* Quod hæreditaria pecunia es auctus, neque me vis tibi gratulari; neque gratulandum puto. Quis enim non vel Crœsi divitiis illiusmodi hominis consuetudinem anteposuerit? Sororem tuam filiolo auctam, te nepotulo volupe est. Eam rem spero superi bene fortunabunt. Generum tibi voluptati esse gaudeo. Ah in filium nimium sævis. Memineris facito, illum & hominem esse, & puerum, teque idem quod ille est fuisse. *Deprecatoria.* An illum vis repente nasci senem? Age mitte hanc noxam, me precatore, meoque periculo. Ad me recipio illum posthac emendatiorem fore. Sed ô Deum immortalem, quantos risus tu mihi nuncias? *Jocosa.* Itane Sabellius bibit, & fugit? Multum æris reliquit, sed alieni. Tandem fatearis oportet, me vatem esse optimum. Quanto ante fugam istam prospexi, & præcinui? *Monitoria.* Consilium tuum de navigando neutiquam probo. Terrent me hyberni menses: sinus naufragiis infamis: tua valetudo nondum etiam confirmata. Sed de hoc ipse videris, me certe auctore non facies. *Dissuasoria.* De puero amandando, sanus ne es? Certe differ in reditum meum. Quod de filiæ nuptiis cogitas, ego tuæ sententiæ vehementer subscribo. Habes ad omnem Epistolam tuam. Sed heus tu, illud unum me fugerat, fundus tuus si est uti describis, *Domestica.* supra modum me delectat: tum ædificium, euge quam scite abs te cogitatum. Jam isthuc gestio revolare, ut in Academiola nostra, ab omni urbano strepitu semoti pariter philosophemur, certemusque utrum ego te ad Academicorum partes abducam, an tu me perfugam in Peripateticorum familiam revoces. Hæc meditare dum accurro. De ædificio te, quanquam Ar- *Jocosa.*

chitectum tantum, tamen hoc unum admonebo, ut cœnaculum speciosis frequentibusque luminibus illustre fiat. In hortis platanus sit patulis diffusa ramis, & prope fonticulus aqua frigida subscatens, ut Musas quoque, si quando videbitur, possimus arcessere. Respondimus tuis: nunc quid hic agatur accipe. *Transitio.* Nos certe hic in gravissimo æstu, tamen frigemus. Pontifex meus montes ille quidem aureos promittit, sed promittit tantum, mittit nihil. Cæterum spe Crassi divitias vincimus. Ut ut res cadent, nos certe utemur foro. *Exhortatio.* Tu mi N. toto pectore, id quod per te facis, in nominis immortalitatem incumbe. Jam orbis prope universus ingenii tui exspectatione suspensus, nescio quid cœleste sibi de tua virtute promittit. Et eum in B locum res adducta est, ut desistere turpissimum fuerit. Nos hic gloriæ tuæ propagandæ magno ardemus studio. *Commendatitia.* Nepotulos meos ideo tibi non commendo, quoniam commendatissimos esse scio. Scripseram hæc multa quidem nocte, postridie daturus, & ecce tibi, ante lucem de repente Lucilius adest: vixque resalutatum ecquid abs te literarum apportet, rogo. *Transitio.* Negabat quicquam esse scriptorum, sed multum omnino rerum novarum tuis verbis nunciavit. Primum navigandi te mutasse consilium, id quod ego utriusque nomine vehementer gaudeo. *Gratulatio.* Caminii fucatam benevolentiam in apertam simultatem tandem erupisse, adeo moleste non fero, ut etiam gratuler tibi. Nam personatus amicus damnum dare poterat: apertus hostis, quid tandem est quod possit nocere? *Gratiarum actio.* Quod pro nostra C existimatione tantam cum invidentissimis hominibus dimicationem suscepisti, non ego tibi tanquam pro novo officio gratias agam, quum id facere nunquam desinas. *Monitoria.* Quod de adjungenda Demetrii affinitate nos consulis, quanquam ipse consilio abundas, tamen in reditum nostrum rem proferas censeo. Coram agere præstabit. Plura tecum garrire libebat, quid enim faciam libentius? Sed jamdudum accinctus tabellio literas efflagitat. Quare valebis ipse, nostrosque omnes valere meis verbis jubebis. Datum Aureliæ Nonis Decemb.

CAP. XXXI.

EPISTOLARUM GENERA.

HUjusmodi literarum genere ex variis rebus consarcinato familiares invicem persæpe utuntur. Nunc D simplicium genera proponemus. In præsentia ne consilii quidem est omnes Epistolarum formas recensere, id quod non minus infiniti negocii puto, quam Libycas arenas pernumerare. Nam quod M. Tullius ad Curionem tria Epistolarum genera facit, non id agebat ut singulas literarum species distingueret, sed ut propositæ complexioni serviret. Ea vero divisio quæ non ex argumenti varietate, sed ex characteris conditione ducitur, parum mihi videtur ad docendum apposita. Quod si quis ex argumentorum differentia formas commetiatur, quum illorum infinita sit varietas, quis erit formarum modus? Quid enim est in rerum genere, quod literis non committatur. E In his gaudemus, dolemus, speramus, metuimus. In his stomachamur, expostulamus, blandimur, querimur, jurgamur, bellum denunciamus, in gratiam redimus, consolamur, consulimus, deterremus, minamur, excitamus, compescimus, narramus, describimus, laudamus, vituperamus. In his odimus, amamus, miramur, deliberamus, paciscimur, convivamur, nugamur, somniamus denique, ecquid tandem non? His tanquam certissimis ministris, omnes animi affectus, his publica, his privata, his domestica credimus. Quare in re per se infinita eam moderationem adhibebimus, F ut neque summa tantum genera ponamus, neque minutissimas quasque partes frustulatim concisas persequamur: ne aut nimia paucitas studiosis non multum adferat adjumenti, aut immodica diligentia id demum, quod ait Fabius assequamur, ut quum nimis multa, necdum tamen omnia videamur dixisse.

CAP. XXXII.

TRES OMNIUM GENERUM FONTES.

RHetorum plerisque tria causarum genera placuerunt, suasorium, encomiasticon & judiciale. Ad A hæc tanquam ad fontes pleræque literarum formæ referuntur, ut suasorio has fere partes subjicias, Conciliationem, reconciliationem: exhortationem, dehortationem: suasionem, dissuasionem: consolationem, petitionem, commendationem, monitionem, amatoriam. In demonstrativo genere versantur descriptiones personarum, regionum, prædiorum, arcium, fontium, hortorum, montium, monstrorum, tempestatum, itinerum, conviviorum, ædificiorum, pomparum. Ad judiciale genus, hæc fere referuntur: Accusatio, querela, defensio, expostulatio, expurgatio, exprobratio, comminatio, invectiva, deprecatio. His tribus quartum genus accersere licebit, quod si placet, familiare nominemus. Ejus ejusmodi ferme species esse possunt: Narratoria, qua B rem apud nos gestam, longe positis exponimus; Nunciatoria, qua novarum rerum quippiam annunciamus, sive de publicis, sive privatis; sive etiam domesticis; Gratulatoria, qua amicorum felicitatem nobis jucundam esse testamur; Lamentatoria, qua vel nostra, vel necessariorum incommoda deploramus; Mandatoria, qua negocii quippiam alii nostro nomine gerendum committimus. Est quæ gratiarum habet actionem, qua nobis gratum fuisse benemerentis officium declaramus; Collaudatoria, qua puerum, aut qui in nostro sit imperio officio functum laudamus; Officiosa (sic enim visum est appellare) qua operam ac studium ultro pollicemur amico; Jocosa, qua cujuspiam animum festiva urbanitate delectamus. Verum de his prudens supersedebo, propterea quod ut incantatores certas quasdam C preculas, ita isti formulas quasdam præscriptas habent, ut ne apicem quidem sine summo rerum humanarum divinarumque discrimine putent demutari posse. Nos eorum conatus, nostris præceptionibus adjutamus, qui ad optimum scribendi genus adnituntur: non qui vel arrogantissima superstitione, quod semel arripuerunt, id pro optimo defendunt: vel ad sordidissimum lucellum toto pectore inhiantes, pro optimis pessima sequi malunt. Quid enim iis præcipias, quibus ea demum Epistola optima est, quæ quæstuosissima? His disputatoriam, sciscitatoriam, doctrinalemque adjicias licebit. In quibus & Theologicæ, & Ethicæ contineri possunt. Neque vero me præterit, apud Græcos esse, qui Epistolarum genera dividat hunc in modum, ut φιλικὴ dicatur, D quam amicus scribat amico. συςατικὴ, qua quempiam alteri commendamus. μεμπτικὴ, qua desideramus in aliquo officium. ὀνειδιςικὴ, qua cuipiam exprobramus ingratitudinem. παραμυθικὴ, qua consolamur afflictos in rebus adversis. ἐπιτιμητικὴ, qua increpamus aliquem lapsum. νȣθετικὴ, qua libere admonemus, quid sit agendum, quid non. ἀπειλητικὴ, qua comminamur alicui ac metum injicimus. ψεκτικὴ, qua morum improbitatem alicui exprobramus. ἐπαινετικὴ, qua collaudamus aliquem officio functum. συμβȣλευτικὴ, qua consulimus, quid nobis videatur optimum factu. ἀξιωματικὴ, qua deprecatores intercedimus pro aliquo, qui deliquit. ἐρωτηματικὴ, qua sciscitamur, aut percontamur ab alio quod scire cupi- E mus. ἀποφαντικὴ, qua percontanti respondemus. ἀλληγορικὴ, qua tectis verbis significamus cuipiam, quod ab eo solo, cui scribimus volumus intelligi. αἰτιολογικὴ, qua reddimus causas, cur aliquid aut factum non est, aut non est futurum. κατηγορικὴ, qua quempiam incusamus. ἀπολογητικὴ, qua nos purgamus. ἐυχαριςικὴ, qua gratulamur amico suam felicitatem. εἰρωνικὴ, quum diversa scribimus, ac sentimus. ἀπευχαριςικὴ, qua gratias agimus pro officio in nos collato. Has Epistolarum formas tantum recensent, & exemplum qualecunque subjiciunt, nec indicant qua ratione genus unumquodque tractan- F dum sit. Quod si maxime facerent, tamen ipsa generum distributio, non videtur ab ulla ratione profecta. Nam quod appellant φιλικὸν, non ab argumento sumptum est, sed a persona. Alioqui quos familiariter amamus, hos admonemus, objurgamus, exhortamur, cum his jocamur, aut expostulamus. Exstat & Philostrati præfatio, de charactere Epistolæ, admonens nos, quod Epistolam non oporteat nec Atticam esse plus satis, nec omnino carere Atticismo: quod hoc ipso figurata sit, quod figurata non est: quod tametsi civilis sit, tamen non abhor-

horreat a mollitudine: quod in brevioribus Epistolis liceat circulum absolvere, in prolixioribus non item, nisi vel in caloe, vel in Epilogo, vel in epiphonemate: quod perspicuitas præcipue congruat Epistolæ. Hæc ut sunt ab illo festiviter Græce scripta, ita non video, quid adjuvent adolescentes ad recte scribendum. Nos igitur juventutis industriæ consulere pro virili cupientes, diversam generum distributionem sequi maluimus. Sed ecce properantem alio, me velut e cursu revocat, auremque vellicat Secretariorum chorus, qui Principibus sunt ab Epistolis. Itane nostri, inquiunt, [1] *ὥσπερ τῶν μεγαρέων ὐδεὶς λόγος.* Verum his difficile sit aliquid præscribere, quorum calamus liber non est. Sed quemadmodum præcipit Martialis, ut coquus habeat gulam Domini, itidem isti coguntur affectui Principum servire: quos illud tantum obiter admonebo, ut ubique doctam sermonis facilitatem ac perspicuitatem sectentur, ac decori cum primis meminerint. Id metiendum erit, non ab ipsorum animo, sed ab eorum fortuna moribusque, quorum nomine scribunt. Hactenus igitur Epistolarum genera quatuor proposuimus, & suas cuique generi formas subjecimus: nunc ordine de unaquaque specie præcipiemus.

Cap. XXXIII.

Quid Inter Exhortationem et Suasionem.

AC primum finitimæ admodum inter se sunt, exhortatio, & suasio, quas nos tamen dicendi gratia separavimus: idque fecimus neque sine exemplo, neque citra judicium, propterea quod & veterum nonnulli in arte dicendi, exhortatorium genus a deliberativo disjunxissent, & ipsi nonnihil discriminis perspiceremus. Siquidem nec eodem tendit utrumque, neque via simili. Nam suadendo id agitur, ut velis: exhortando, ut audeas. Suasio probationibus docet: exhortatio stimulis exstimulat. Suasor sententiam mutat: exhortator animum addit. Suademus aut errantibus, aut certe hæsitantibus: exhortamur cessantes, aut etiam jam currentes. Quare si rem ad vivum excutiamus, exhortatio suasoriæ Epistolæ pars erit, nempe Epilogus, qui affectibus constat, non argumentis. Neque enim suadenti sat erit, quid sit optimum factu docuisse, nisi & stimulos subjiciat, ne vel difficultate, vel periculo deterriti, vel ignavia retardati, quod optimum esse viderimus, non sequamur. Sed ut in suasionem fere semper incidit exhortatio, ita in hac non raro continget uti suasione. Est autem utrumque officiosum literarum genus, cujusque usus maximis, minimisque in rebus quam latissime pateat. Atque hoc majore cura, diligentiaque nobis erit pertractandum.

Cap. XXXIV.

De Exordio Epistolarum.

SEd illud unum prius in genere studiosis adolescentibus præcipiemus, ut Epistolam scripturi, non statim præcepta respiciant: aut ad libros, unde voculas, sententiolasve aliquot mutuentur, confugiant, sed prius res, de quibus scribere constituerint, solertissima cogitatione dispiciant: tum ejus, ad quem scribitur, naturam, mores, affectusque omnes perspectos habeant: quantum etiam ipsi apud eum vel gratia, vel auctoritate, vel meritis denique valeant. Eque his omnibus diligenter pensiculatis, Epistolæ tanquam vivum exemplar ducant. Quo constituto, tum demum nihil equidem morabor, quo minus locos aliquot ex auctoribus petant, unde tum verborum optimorum, tum sententiarum copiosam supellectilem possint mutuari. Eaque omnia oportebit commode de mutata, ad rem præsentem accommodare, ne veluti male assuta, maleque conferruminata, hoc ipso furtiva deprehendantur, quod pessime cohærent. Quin Maronis ingenium potius imitemur, in alienis adsciscendis, ut non aliunde corrogata, sed domi nostræ nata videantur.

De exordienda Epistola, illud etiam in universum

1 *Instar Megarensium nulla ratio habetur.* Proverbium de quo *Erasmus* Chil. II. Cent. I, 79.

A tradenus, hoc in genere principii rationem esse minus difficilem, quam in orationibus. Propterea, quod illic sæpe fit, ut Orator judicis animum, & mores penitus pernosse non potuerit: & quoties apud complures cognitores agitur, hoc etiam accedit difficultatis, ut quo alius conciliatur, eo propter diversum ingenium alienetur alius. At qui unicuipiam Epistolam mittit, non difficulter potest exploratum habere, quibus ille rebus soleat commoveri: quod etiam si nulla intercessit familiaritas, id quod fere fit, tamen diligenti percontatione licebit pervestigare. Quare præter ea quæ de colligenda benevolentia, attentione, docilitate: quæque de animorum motibus, Rhetorum literis præcipiuntur, & B proprii cujusque mores, vel convictu familiari, vel curiosa diligentia percepti, peculiarem quandam exordiendi materiam ministrabunt. Porro si ad parum notum scribetur, hoc commodior erit Oratoris, quam Scriptoris conditio: quod illi observatis judicum vultibus, mutare quædam ex tempore: & si quid aliorsum quam exspectarat, rapi viderit, corrigere dicendo, aut si præsenserit, declinare liceat: quum Epistola semel reddita, neque fronti legentis possit obsecundare: & is qui læditur scriptura, soleat relegendo dolorem suum exasperare, cui periculo conveniet exactissima cura occurrere. At quum inter se norunt, non est difficilis principii constituendi via, maximeque præterea varia. Nam C in actionibus multis modis delinquitur in exordiendo: si nimium longo, si vulgato, si communi, si translato, si altius petito procemio quis utatur. At ea literarum est libertas, ut undelibet initium sumere liceat: modo id sit ejusmodi, quod illum ad id quod pares præparet. Veluti si quis pecuniam mutuam rogaturus, statim in Epistolæ initio de quopiam nunciet, quod ille ob amorem nominis ejus, singularem simultatem, aut odium amarum cupidissime sit accepturus: vel si quis amico, quem non ignoret accurate scriptis literis impense delectari, fabellam aliquam quam lepidissimis verbis fucatam recenseat: deinde inter alia quædam ita de mutuando sermonem interjiciat, ut quovis potius quam huc superiora illa spectasse videantur: nonne alienissimum initium fecerit, D in oratione non ferendum, in Epistola scitissimum? Ubi illa etiam simulatio plurimum obtinet gratiæ, quando nos alio, quam destinaverimus, delabi: aut longius amore rapi fingimus, quam initio constituissemus. Erit aliquoties a re media, aut omnino præpostere ingrediendum, modo ita simulemus, non etiam obliti nostri fluctuemus, eamque ipsam erroris adumbrationem scito colore ad rei commoditatem torquebimus. Idque incredibili quadam amoris magnitudine dicemus accidere, qui neque modum noverit, neque ordinem. Calamum ab affectu duci: nos ibi denuo incipere, ubi desinendum erat: propterea quod dum scribimus, coram E cum carissimis hominibus sermonem serere nobis videamur. Quare obliquo illo procemii genere, quod Græci ἔφοδον, Latini insinuationem dixere, in actionibus non nisi tribus demum temporibus utendum putant: quum aut negocii turpitudo judicem a nobis vehementer abalienavit: aut qui ante dixit, admodum persuasit: aut oratione nimis longa, auditoris animum defatigavit. At in Epistola, quoties videbitur, oblique ingredi licebit, & quamlibet longe repetere, & quamlibet alienum assumere principium, dum quacumque via tamen ad rem conferat. Neque hoc, ut in dictionibus, ita & in literis vitiose videbitur fieri, eo quod illic F auditor unum quiddam exspectat: ad quod dum festinat, fastidiat necesse est, quicquid alio ducere videatur. At in Epistola, quia contra fit, id quod per dissimulationem assumitur, non ingressus vitiosus, sed separata quædam Epistolæ pars videbitur. Rectum vero exordium, his omnino rationibus constituitur, quas in judiciali genere tradiderunt ii, qui de arte conscripserunt. Sed oportebat eadem præcepta, quæ illi recte ad forenses causas accommodarunt, ad proprietatem Epistolarem deflectere. Alioqui quid tandem erat vel fructus, vel negocii, quæ fuissent a veterum permultis accuratissime, optimeque perscripta, denuo vel eadem, vel deterius scribere: id quod ab omnibus, qui de hoc genere tractaverunt,

verunt, factum video. Repetunt e Cicerone, quomodo exordiendum: quot narrationum genera: quomodo partitione constituenda controversia: quemadmodum narratione aperienda causa: quibus argumentis vel communienda nostra, vel adversariorum coarguenda: quot epilogorum species: deinde quid in compositione fugiendum aut sequendum: de sermonis elegantia, de luminibus. Sed Deum immortalem, quid hæc proprie ad Epistolam? Aut si maxime ista discenda sunt, ita uti sunt, quanto rectius a Cicerone petentur, aut Fabio, e-loquentiæ fontibus, quam e corruptis istorum lacunulis? Ut omittam interim quædam etiam illic præcipi, quæ ad Epistolam pertinere ne possint quidem: puta de persona litigatoris, & Oratoris: de circumstantium persona: de subjicienda re pro homine: de homine pro re submittendo: de constituenda quæstione. Nisi forte quædam ex his in criminatoriam Epistolam incidere videbuntur: sed etiam si incidunt eadem, tamen incidunt aliter.

Ergo si quando res hortabitur, ut ejus ad quem scribimus benevolentiam, aut conciliemus, si dubius sit animus: aut redimamus, si læsus: aut augeamus, si res erit durior: aut excitemus, propter diutius intermissam necessitudinis consuetudinem: a personis his fere modis favorem captabimus, si nostris parentibus cum illius majoribus, arctissimam caritatem, copulatissimam consuetudinem intercessisse dicemus, plurima utrinque extitisse officia: & si eam benevolentiam nobis tanquam per manus, & hæreditaria successione traditam, nunquam neglectui fuisse dicemus. Verum amorem, quem veluti cum nutricis lacte imbibissemus, una cum ipsis annis accrevisse, & primum quidem fatalem potius fuisse, quam judicio constitutum: nunc consuetudine, officiis plurimis sic esse confirmatum, ut nullo prorsus casu convelli possit. Præterea quanta semper patris illius, aut patrui, aut matris fuerit in nos caritas, aut nostrorum in illum, & quam nos illos invicem studiose, quam observanter coluerimus, aut ille nostros. Quod si avitam, paternamque amicitiam, quia nulla fuerit, commemorare non licebit, dicemus eos solere majorum suorum necessitudines repetere, qui ipsi nullis amicitiæ vinculis essent conjuncti: quemadmodum avita facinora narrant, qui nihil ipsi memorabile gesserint. Hanc necessitudinem non tanquam hæreditaria sorte temere obvenisse, sed a nobis ipsis & natam, & educatam: initio quidem, ingeniorum studiorumque similitudine pueriles animos mira caritate conciliante: deinde convictu conjunctissimo, mutuis officiis: postremo mutua virtutum utriusque admiratione sic coaluisse, adolevisse, maturuisse, ut jam nihil accedere posse videatur, vel ad beneficiorum cumulum, vel ad amorum magnitudinem. Tum nominatim, quo in loco, & quemadmodum, quibus communibus studiis pueritiam, aut etiam ephebiam transegerimus, quas voluptates, quæ incommoda, quæ pericula communiter tulerimus. Hæc omnia jucunda commemoratione refricabimus. Solemus enim grandes hujusmodi rerum, mutua recordatione mire delectari: & consuevit plerumque ex his inter pueros inita benevolentia, in seram usque senectam, multa cum voluptate perseverare. Porro si qua propinquitas, si qua affinitas intercedet, sic natura conjunctissimos fuisse dicemus, ut longe tamen mutua caritate conjunctiores. Sin nulla erit, affirmabimus nulla esse cognationis vincula, quæ nostros animos arctius aut jucundius, aut etiam tenacius alligent, quam necessitudinis: sine his cognationem aut affinitatem molestam quoque haberi: ubi hæc adsunt, illa non magnopere requiri. Nullum esse præstantius firmiusque necessitudinis genus, quam quod a virtute pulcherrimisque studiis cœperit initium. Affinitatis copulam divortio dirimi, cognatorum caritatem simultate rescindi: beneficiis conflatam benevolentiam, alterutrius ingratitudine in odium verti solere: tum contractum amorem temere evanescere: eam demum copulam quam virtutis admiratio conjunxit, quemadmodum virtutem ipsam, immortalem esse. Proderit & illius in nos merita, cum gratitudinis significatione vehementer exaggerare: nostra vicissim in illum, multa cum verecundia ac figurate significare. Qui nostri de illo sermones, quam penitus infixa memoria: quantopere illius literis delectemur: ut illius commodis gloriaque magis etiam ex animo gaudeamus, quam nostrapte: quodque incommoda illius non paulo acerbius quam propria feramus: quantam pro illius dignitate, fortunaque, curam studiumque præstiterimus: quam acrem contra malevolentium improbitatem, dimicationem sustineamus. Postremo vel eruditionem, vel virtutem quampiam in eo laudemus: nostra si qua erunt laude digna, verecunde commemoremus. A miseratione benevolentiam captabimus, si nostram fortunam aut eorum quos commendamus flebiliter exponemus. Ab adversariorum persona, favorem aucupabimur, si quas minas, si qua convicia: si quam contumeliam illius causa nos pertulisse narrabimus, ab iis qui & ipsum & ejus nomine nos quoque habent invisos. Contra quid nos in illos, aut fortiter contumelioseve dixerimus, aut inimice fecerimus. Sed hæc suis in locis. A re præparatiores reddemus, si negabimus ulla ex parte ad nos pertinere quo de scripturi simus, ad illum magnopere: nobis illic neque seri, neque meti, nisi quod amici carissimi commodis haud secus atque nostris commovemur: si præterea negocii magnitudine, periculo, novitate, antiquitate, utilitate, jucunditate, necessitate aut hujusmodi quapiam commendatione excitabimus. Si jubebimus animo minime oscitanti legere, propterea quod longe plus momenti sit in re, quam præ se ferat. Si quantopere cum nobis, tum iis quos illum plurimi facere cognovimus curæ sit, quantique referat aperiemus. Quod si res ipsa durior esse videbitur, blandimentis præleniemus: prudentiam illius obtestabimur: ut quæ nos optimo amantissimoque studio dicturi sumus, ea pro sua vetere mansuetudine, in optimam partem accipiat. Rem ejusmodi negabimus esse, cujusmodi primo statim occursu videatur: tum si maxime dura sit, tamen admonebimus quantum amaritudinis, summa utilitate compenset. Sed hæc quoniam neque proprie exordii sunt, neque in genere commode præcipi possunt, in suum quæque locum transferemus. Neque omnino eam exordiendi formam improbaverim, quam video neotericis scriptoribus nimio plus placuisse, ut a pervetusta quapiam sententia factove memorabili in Epistolam ingrediamur. Quod genus sit: Scio non temere scriptum esse Flacco: *Quem cui commendes, etiam atque etiam aspice, ne mox Incutiant aliena tibi peccata pudorem.* Nec ignoro judicium tuum exactum, cui non temere quivis probatur. Sed tamen tot modis exploratum habeo hujus juvenis ingenium, ut illum non dubitem tibi vel meo periculo commendare. Item: Hercules olim adversus hydram Lernæam & cancrum congressurus, coactus est alienam opem implorare, qui solet opitulari cæteris. Ego unus cum tot monstris dimicans, iisque subinde novis exorientibus, quid faciam?

Quomodo captanda benevolentia a personis.

A similitudine studiorum.

Ab amore ex admiratione virtutis nato.

A miseratione

Ab adversario.

A re.

CAP. XXXV.

ABRUPTUM EPISTOLÆ INITIUM.

Satyrica illa & veluti ex abrupto principii species, in jocosis & familiaribus mire decet, qualis est illa Ciceronis: *Itane præter litigatores istos nemo ad te venit?* &, *Deum immortalem, quid ego audio? Sic est*, inquam, *uti scribis. Siccine igitur veterem amiculum negligis? Ergo mutabimus sententiam, quando tu quidem hoc tantopere censes. Quin ego igitur tibi gratulor? Quin tu igitur huc revolas, sic isthac ut scribis res habet. Hui quis te tam esse virum credidisset? Eho, quid ais obsecro? Ringitur Zoilus? Næ tu mihi album apportas nuncium.* Hujusmodi figuris id assequimur, ut non mutam Epistolam Epistolæ, sed vivo sermoni vivum item sermonem referre videamur. Et quoniam utrimque missæ acceptæque literæ mutuum alloquium imaginantur, pulcherrimum fuerit, quam rem repræsentant, eam quam appositissime adumbrare. Porro solennes illas commendationes, quas jam ex more præsuunt, aut prorsus omittendas, aut in Epistolæ calcem censeo traducendas. Quanquam ubivis etiam imperite videtur fieri, ut nos ipsos cuiquam commendemus, sed offerimus magis, ac dedicamus operam nostram.

nostram. Alios commendamus, id est, laudamus, ut beneficio digni videantur.

Cap. XXXVI.

De Exhortatoria Epistola.

Quoniam exhortatorium genus, quod Græci παραινετικὸν vocant, affectibus fere constat, quos juxta sapientum multorum sententiam, natura nobis, tanquam stimulos quosdam ad virtutem perfectam ac pædagogos addidit, animadversum nobis penitusque perspectum esse debet, quæ sit humani animi natura: quæ varietas ingeniorum: quem quæque res affectum pariat: quibus quisque rebus maxime ducatur, a quibus abhorreat. Qua quidem in parte proprie facultas oratoria dominatur. Sed hæc e Rhetorum præceptionibus haurienda. Nos tantum breviter attingemus, quantum ad hujus generis Epistolam conficiendam satis esse putabimus. Ergo ex his potissimum locis exstimulandi animi rationes petemus, A laude, spe, metu, odio, amore, miseratione, æmulatione, exspectatione, exemplis, obsecratione.

A Laude.

A laude bifariam exhortabimur, ut tum rem ipsam laudemus, tum hominem. Re laudanda excitabimus, si piam, si magnificam, si gloriosam, si raram, si novam, si arduam, si hactenus intentatam dicemus. Quanquam hanc partem in suadendo diligentius tractamus. Personæ collaudatio in exhortando plurimum habet usus. Nam & honos unice virtutem excitat, alitque. Et ita mortalium animos natura finxit, ut vix quisquam adeo demisso sit pectore quin laudibus erigatur. Quare studiosæ cohortationis monita multa cum laude miscebimus: id quod Cicero & factitat, & factum a se refert, ut exhortandi artificium quoddam indicare voluisse videatur. Ergo ab hac parte commovebimus, si ante ab eo bene gesta artificiosa laude dilatabimus: idque tum a modo, tum a loco, a tempore: tum a persona, a difficultate rei: per collationem, per fictionem, aliisque amplificandi modis, de quibus suo loco nonnihil attingemus: propterea quod quum plerisque in generibus plurimum valent, tum ad hoc proprie præcipueque pertinent. Si quæ pulcherrime adhuc perfecit, ab omnibus in cœlum tolli dicemus, ut quæ feliciter & strenue cœpta, pari aut majori etiam animi magnitudine pergat, hortabimur: nihil illius immortalitati, præter extremam manum deesse: eam imponere non tam esse arduum, & negociosum, quam ad tuendam, quæ jam virtute parta sit gloriam, necessarium, ut qui eatenus omnes reliquerit in hoc tanquam extremo actu bonus artifex, seipsum superet. Si generis claritatem, si fortunæ splendorem, si nobilitatem, si dignitatem, si imperii præstantiam, si ingenium, si vires, si sapientiam, si virtutem, si ætatem, si rerum usum extollemus, ac ne quid his indignum admittat admonebimus. Itaque rei dilatatæ præstantiam cum ejus virtutis amplitudine commetiemur: dicemusque illius divinam virtutem huic tam præclaro muneri unam parem inveniri. Ac rei quidem securior est amplificatio: personam vero quemadmodum laudes, nonnihil refert. Sunt enim alii paulo inaniores, qui laudem etiam apertiorem facile agnoscunt. Est alius morosiore natura, cui male si palpere, recalcitrat undique tutus. Quare illi plenius, hic laudandus figuratius. Tantum ad mores attinet. Neque nihil in ætate discriminis. Siquidem juventus quoniam & ætatis vitio, & rerum imperitia tumet, apertiore laude tanquam applausu clariore, cristas attollit: & senectus decrepita ob deficientis ætatis infirmitatem, laudationem libenter accipit. At matura illa, & virilis ætas, quo magis suis confidit viribus, quoque longius, vel a puerorum ineptia, vel a senum deliramentis abest, eo tectius minusque scenice laudari debebit. Ergo apud viros natura severiores, laudandi inanitatem figuris obtexere conveniet: ut aut occupatione laudem dissimulemus, aut contrario ductu orationis tanquam objurgantes, majore fide laudemus: aut in alteram quampiam personam laudationem eam transferamus. Quovis demum artificio apertum Gnathonismum effugiamus.

A Spe, et Metu.

Peracre res utraque calcar habet, tum ad excitandos animos mortalium, tum ad sustinendos, ne rerum magnitudine defatigentur, spes præmiorum, & incommodorum metus: quorum alterius quidem in adhortando propriæ sunt partes, alterius in deterrendo. Utrumque in genere deliberativo late tractatur: hoc in genere eatenus adhibetur, ut tanquam suasorio epilogo, commodorum, incommodorumque summam, breviter & non sine amplificationibus, tanquam in conspectu ponamus, immortalitatem, beatitudinem, decus, gloriam, honores, opes, voluptates, tranquillitatem, aut aliud emolumentum: diversa ex parte, inferos, æternos cruciatus, turpitudinem, ignominiam, egestatem, dolores, tumultus. Quod si utrisque partibus uno in genere, id quod plerumque fit, utemur, per Antithesim commoda dilatata cum incommodis item exaggeratis conferre oportebit. Et quibus quemque rebus maxime duci senserimus, eas res studiosius ampliatas, frequentius ingeremus: puta ambitioso honores, avaro emolumentum, seni vitæ tranquillitatem: itemque de reliquis contra, ut quidquid maxime invisum esse cognoverimus, ita quam atrocissime, ac creberrime proponendum. Deinde laborem, quo vel tanta commoda petuntur, vel incommoda vitantur, per depressionem oportebit extenuare, ac postea per contentionem componere.

Ab Amore, Odio, Miseratione.

Vehementer commoverimus, si eorum, quorum nomine pericula subeuntur, caritatem, commemoratione renovabimus, & artificio allevabimus: ut in patriam, parentes, in liberos a natura insitam pietatem, in benemeritos amorem, in amicos necessitudinem, in præstantes virtute viros observantiam. Rursus si odium & atrocitatem, in eos contra quos dimicatio suscipitur, quam gravissime exaggerabimus. Neque enim amanti solum, quod antiquitus dictum est, nihil est difficile, verum idem & odium præstat. Quare utrumque calcar admovebimus, & hinc amicorum gratiam, hinc inimicorum atrocitatem cornibus adversis conferemus: ut pro sanctissima Christi religione, contra teterrimam Turcarum superstitionem: pro conjugibus, pro liberis, contra nefarios parricidas: pro fidelissimis sociis, contra crudelissimos hostes: pro carissimo, honestissimoque amico, contra maledicentissimum sycophantam. Idem & iisdem rationibus efficiet commiseratio. Si amicorum solitudinem, inopiam, luctum, squalorem: e regione inimicorum potentiam, ferociam, audaciam, insolentiam proferemus. Sed hos affectus, quemadmodum oporteat suscitare, & augere suscitatos, a Fabio plenissime traditum est, in exordii, & conclusionis præceptis. Hoc tantum a nobis admonebitur, gravissimos animi motus excitaturum, qui consequentis temporis imaginem graphice repræsentabit: quantum commodorum sequatur si res bene geratur: sin contra, quantum malorum. Et qui per prosopopœiam, rebus ipsis vocem dabit, uti patriæ, religioni, templis, mœnibus, sepulchris, manibus e monumento excitis: hisque affectus, & sermonem convenientem, ac decorum accommodaverit.

Ab Æmulatione.

Hic locus ab invidia sumitur, non illa ignava & exsecrata, quæ quum ipsa nihil præclari machinetur, alienis tamen virtutibus uritur: sed illa generosa, quam animis nostris insevit natura prudens, ut æmulatione contra certantium, tanquam acerrimis quibusdam stimulis, incitaremur ad fortiter agendum: quæ nobis persuasit gloriosum esse, & quantisvis periculis redimendum quam plurimos præcedere: contra turpissimum, & quavis mercede fugiendum, in simili certamine posteriores tulisse. Verum non simplex est ab æmulatione exhortandi ratio. Utrimque enim accrescent animi, si æmulorum virtutem, gloriam, studium, conatum, opes, improbitatem, cum amplificatione ante oculos ponemus. Sed cavendum obiter: ne contra certantium laudem usque adeo exaggeremus, ut ejus animum, quem erigere conamur, in desperationem abjiciamus. Unde commi-

nisci quippiam oportebit, ut æmulos, vel fortunæ vi, vel hujus lentitudine nonnihil præteriisse dicamus, haud virtute: eoque acrius annitendum, ut id dispendii, quod fortunæ culpa sit acceptum, studio nostro farciamus: & pudorem, quem negligentia contraximus, vincamus industria, sive eorundem ignaviam, inscitiam, infirmitatem, inopiam per elevationem proferemus: hac quidem moderatione, ne quem hortamur, ad securitatem, & oscitationem trahamus. In superiori modo erectior reddetur, ubi intelliget, tanto gloriosiorem futuram victoriam, quanto virtute gloriaque præcelluerint ii, quibus cum certatum est, quum ab egregiis viris vel superari non indecorum haberi soleat. In altero sic facilem esse victoriam ostendemus, ut tamen haud negligendam arbitremur, incertos esse rerum humanarum exitus. Et multo magis pudendum esse, ab ignavis æmulis superari. Hortabimurque ut jam non cum illis, quos longo intervallo post se reliquerit, sed ipsi secum certamen esse putet.

AB EXSPECTATIONE DUPLICI.

Exspectatio quidem geminum habet calcar: nam haud mediocrem injecerimus sollicitudinem, si quanta sit omnium amicorum, & benevolentium publica privataque de illius virtute exspectatio: nominatim quantum sibi promiserint ii, quorum ille judicium, & auctoritatem plurimi facere videbitur, quorumque causa facturus omnia putabitur, ostendemus: non illius unius interesse, sed omnium necessariorum, sed posterorum, in quos ea sit gloria transfundenda. Exspectationem quam maxime probabilem efficiemus, a generis nobilitate, ab indole palam spectata, ab educatione, a loci celebritate, ab anteactis, & ante dictis, ab ominibus, somniis & vaticiniis, atque aliis item id genus circumstantiis.

AB INIMICORUM EXSPECTATIONE.

E diverso malevolentiam & invidorum exspectationem, & studia perversa atrociter exaggerabimus, e quibus nominatim referre quosdam fuerit efficacissimum, quos illi præter cæteros invisos atque infestos novimus: & quid quisque aut invide dixerit, aut inimice fecerit referre. Horum omnium qui nunc præsenti gloria ejus uruntur, si quod ipsi vix ausint sibi promittere, res parum feliciter evenerit, quam insolens sit futurum gaudium: quanta in bene cupientes insultatio, quæ scommata, qui risus: quanta ferocitas descriptione ante oculos ponemus. Ita ejus unius virtutem, in editissimo frequentissimoque theatro omnium oculis expositam: unde necesse sit, aut cum summa benevolentiam gratulatione & plausu recedere, aut invidentissimorum hominum sibilis cum summo nostro nostrorumque pudore exigi atque explodi.

AB EXEMPLIS.

Jam nulla perinde re ad virtutem inflammescimus, ut eorum quos admiramur exemplis, maximeque illustribus, pervetustis, ac domesticis. Illa enim auctoritate, hæc affectu commendantur, propterea quod priscorum virtutes, quoniam ab invidia longe absunt, & audit quisque libenter, & miratur impensius: & natura fit, ut quisque finitimis exemplis acrius tangatur, veluti majorum nostrorum, affinium, præceptorum, & eorum quibus cum nobis vel patria, vel ordo, vel professio communis sit.

CAP. XXXVII.

EXEMPLA QUOMODO TRACTANDA.

IN his ergo tractandis, ut summa est utilitas, ita studii curæque plurimum erit adhibendum. Primo quos proponemus imitandos, eorum vocabula cum laude statim aliqua, & honorifica præfatione proferemus, hunc ad modum: Socrates vir bonus divino testimonio sapiens judicatus. *Perspexit hoc Plato Philosophiæ parens. Egregie Phocion Græcorum longe incorruptissimus. Vidit hoc Alexander ille Macedo, vir gloriæ natus. David de quo dubites, utrum Rex gloriosior, an Propheta sanctior. Præstanti vir animo Camillus. Imperio & triumphis genitus Scipio. Nunquam satis laudatus Æmilius.* Oportebit autem hujusmodi præfatiunculas ad rem esse accommodas: etiamsi quæcunque laus exempli auctoritatem adjuvat, tamen alieniorem adhibere infantis est hominis: ut si quis eum unde fortiter dicendi duxerit exemplum, divitem appellaret aut studiosum.

DE CONTRARIIS EXEMPLIS.

Diversum in contrariis exemplis fieri convenit; ut, *Quæ posteritas Dionysii sacrilegi tyranni nomen non execrabitur? Nobilitatus crudelitate Nero. Sardanapalus vir muliere corruptior. Cleopatra Regina meretrix. Catilina impiissimus patriæ proditor. Sibi felix, patriæ funestus L. Sylla.* Nam hujusmodi exemplorum non in dehortando modo, verum & in exhortando frequens est usus, propterea quod quemadmodum virtutis imagine allicimur, ita vitiorum simulacris ad honesti amorem accendimur. Neque raro usu venit, ut eadem opera pariter & adhortemur, & deterreamus, veluti qui ad capessendam Rempublicam exhortetur, idem utique a privato ocio deterreat.

DE INÆQUALITATE EXEMPLORUM.

Et quoniam exemplorum multa varietas est: nam alia ex parte, alia in totum similia, aut dissimilia, alia contraria, alia majora, minora, paria: ostendit in Topicis Cicero, ad exhortandum efficaciora esse inæqualia. Quod ego quidem in hunc accipio sensum, ut semper a majore ad minus descendat exhortatio. Nam etiam si aut persona, aut res minor esse videatur, tamen complexus rerum & verborum facit, ut majus sit, quod assumitur. Exempli causa, si propter matrimonia violata urbes eversæ sunt, quid fieri adultero par est? Hoc [1] Fabius recte putat a majore ad minus. Illud huic adversum existimat; *Tibicines quum ab urbe discessissent, publice revocati sunt, quanto magis Principes civitatis viri, & de Republica bene meriti, cum invidia cesserint, ab exilio reducendi.* At hic tametsi tibicinum persona sit Principum conditione inferior, tamen hoc ipsum tibicines fuisse publice revocatos majus est, ob complexum, quam si Principes ab exilio reducantur. Quod si hic intellectus non placet, qui mea quidem sententia verissimus est, negationem observemus necesse est, id quod a neotericis dialecticis utcumque præcipitur. Sed hæc inæqualitas erit per collationem aperienda, quæ fere exemplis subjici consuevit. Infinitum vero traditu, unde ea ducatur. Nam non modo ab una qualibet circumstantiarum, sed etiam ab aliis quibuslibet differentiis sumitur. Omnia tamen ad personam, & rem referuntur. A persona ad hunc quidem modum: *Formica brutum & minutum insectum, & vix animal, hyberno victui æstate consulit, & homo senecta non prospiciet in adolescentia? Hoc ausa est mulier, quid te virum oportet? Hoc virguncula intellexit, te anum quid par est sapere? Ille Ethnicus, tu Christianus. Ille Barbarus, tu Romanus. Ille profanus, tu sacris initiatus. Ille privatus, tu magistratus. Ille Tribunus militum tantum, tu Consul. Ille Tyrannus, tu Philosophus. Ille obscurus, tu patricius. Alienus ille, tu patruus. Ille omnis expers doctrinæ, tu a puero Philosophiæ rationibus optimis institutus. Rudis ille, tu multo rerum usu exercitatus.* At re autem hoc pacto: *Vitam ille contempsit, tu voluptatem non contemnes? Ut corpus valeat, ferrum patieris & ignes: & ut animo valeas, salutarem objurgationem non feres? Opes caducæ & sordida, per tanta pericula petuntur, & a sapientia quidvis incommodi deterret? Unus ille, nos multi non idem faciemus? Ille inermis, imparatus, vos instructi. Regnum ille sperabat, tibi immortalitas certa proposita. Toties ille, tu semel. Ille in tanta rerum difficultate, tibi omnia expedita.* A persona & a re pariter: *Puella vitam pro nihilo habuit, tu vir, & vir eruditus, voluptatulas nescio quas non quibis contemnere?* Erit hoc artis, quæ natura paria sunt, ea dicendo imparia facere, & artificiosa collatione, altera exaggerare, deprimere altera.

Exhortatio omnis ab inæqualibus.

A persona.

A re sive negotio.

Ab utroque.

DE VARIETATE ET ORDINE EXEMPLORUM.

Quanquam autem appellatione propria id demum exemplum dicimus, quum res gesta aut perinde ut gesta exhortandi causa proponitur, tamen illustrium virorum graviter dicta, Philosophorum paradoxa, Poetarum figmenta, auctorum nobilium sententiæ, parœmiæ vulgo

Exemplum quid propriè.

[1] Institut. Orator. Lib. V. Cap. XI.

vulgo receptæ, allegoriæ, parabolæ: breviter quicquid similitudinibus est affine, id exempli vim habet, & a Fabio huic generi subjicitur. Neque primum illud genus, quod retulimus, simplex est. Nam quædam ab inanimis ducuntur, uti: *Sol Christo moriente luxit, quid hominem oportet facere? Saxa mors illius scindere potuit, humanam mentem non permolliet? Orbes cœlestes perpetua vertigine parent Imperatori Deo: nec ullum sidus e tot stellarum millibus ordinem deserit, aut in officio cessat, & mortales quid facere par est?* A mutis rebus: *Tigris pro catulis præceps sævit in prædonem, & pro liberis conjugeque carissima virum fortem quid facere oportet? Leo in victos & abjectos non sævit, & non idem faciet Imperator? Apis non solum mutum, verumetiam exiguum animal, in commune laborat, & homines Rempublicam negligunt? Elephantus numen agnoscit, & negligunt mortales?* Quæcunque autem ab inanimis ducuntur & mutis, imparia fere sunt.

Exempla ab inanimis.

A spiritualibus.

Siquidem ut similia, non ut paria proponuntur: sicut & illa, quæ a spiritualibus trahuntur, quod genus est: *Cacodæmones credunt, & contremiscunt, quo magis oportet hominem immortale Numen vereri. Cœlestes illæ mentes, & immortales, nocturni diurnique vitæ nostræ custodes, perpetuo nobiscum obambulant: quanto studio par est, nos ipsos pro nostra salute vigilare? Deus ipse, cui liberum est diffingere pro arbitratu quod arbitrio suo finxit, ad ulciscendos sontes lentissimus, ad ignoscendum promptissimus est, & Regem mortalem cujusmodi esse convenit?* Jam quæ ab hominibus ad homines transferuntur, ea tribus modis imparia fieri ostendimus, a persona, a negocio, ab utroque. Ergo ut primi generis exempla copiose suppetant, omnium rerum, maximeque insignium naturæ, vires, miracula, & ex auctorum monumentis, nostrapte observatione, comparata esse debent: fontium, fluminum, marium, montium, gemmarum, arborum, herbarum, florum, atque ex his quam plurimæ similitudines jam præparatæ, atque repositæ: ut si quando usus fuerit, velut e proximo depromantur. Secundi vero generis, divitem supellectilem accumulaverimus: si quæ veterum erudita curiositas, de volatilium, de quadrupedum, de ferarum, de serpentium, insectorum, piscium ingeniis memoriæ prodidit: quæque quotidie mortalium experientia deprehendit, eorum omnium quam densissimam multitudinem in memoria, tanquam in procinctu paratam habeamus: maxime si qua sunt, quæ a certis auctoribus prodigiose facta referuntur. Quod genus est illud, de Delphino amatore, & puero adamato apud Aul. Gellium: & de dracone, qui nutricium suum, jam a latronibus in sylva jugulandum servavit: deque leone, qui hospiti ob os exemptum, gratiam venatum aggerendo retulit. Et de Arione ac Delphino, cujusmodi permulta a Plinio referuntur: quorum & in inanimis nonnullus est usus. Verum hæc quoniam ad fabularum speciem proxime accedunt, auctoritas erit gravitate, & multitudine, tum etiam sermonis commoditate fulcienda, denique præfatiunculis etiam munienda. Porro eorum quæ ab humana persona ducuntur, minime frugalem, maximeque variam copiam conflare oportebit: tum ex priscis historiis, atque annalibus: tum ex his, quæ nostra fere memoria gesta memorantur: eaque cum sit expeditior, magisque ad manum copia, de quaque virtute, de quoque vitio, de quaque re illustri aliquot exempla sunt ediscenda, aut præmeditanda: neque id ab unico historico, aut unica gente, sed a Græcis, Latinis, Hebræisque scriptoribus omnibus, ex his quæ apud Ægyptios memorabiliter sunt acta, quæ apud Lacedæmonios, quæ apud Thebanos, quæ apud Atticos, quæ apud Syros, quæ apud Persas, apud Romanos, apud Gallos, apud Britannos, apud Judæos, apud Scythas. Nam habet sua quæque gens miracula, suos ritus, sua quædam instituta. Narrant hodieque nautæ & negociatores, qui per omnes terras ac maria quærendæ studio rei circumvolitant, quædam non minus prodigiosa quam prisca vetustas finxisse creditur. Horum omnium duplex esse ordo poterit, ut ad efficaciora sensim increscat series: qui quidem non tam est vulgatus, quam utilis: aut ut ab antiquissimis, maximeque externis, per gradus ad nostratia, & proxima demum veniamus, ut ab Ægyptiis, Phrygiisque ad Persica, a Persicis ac Syriacis ad Græca, a Græcis ad Hebræa: ab his ad Romana, a Romanis ad Barbara, ab Ethnicis ad Christiana, a Peregrinis ad Nostratia: tum a veteribus ad recentiora, ab iis, ad ea quæ nostra sunt gesta memoria descendamus, a quibus ad gentilitia, postremo ad domestica perveniamus.

Require capite præcedenti exempla inanimorum unde accumulanda.

Exempla irrationalium unde petenda.

Ordo exemplorum.

De Fabulosis Exemplis.

Fabularum usus.

Proxime sunt huic generi veterum Poetarum fabulæ, & Prophetarum allegoriæ. Sed fabularum hic erit usus, ut aut fabulas esse negemus: fuisse antiquitus permulta, & his incredibiliora, quæ tamen a certissimis auctoribus sint literis prodita: aut Poetæ laudem præfati, quid sibi eruditissimi, prudentissimique homines ejusmodi figmentis voluerint probabiliter aperiemus, hoc pacto: *Nimirum, hoc sentiebat divina mens Homeri, non Poeseos modo, sed omnis etiam Philosophiæ parentis, quum & in Iliade Ulyssem, plerisque belli negociis admisceret, & in Odyssea tot casibus alterum decennium fecerit jactari, arduum, perque durissimos labores esse virtutis iter. Neque temere profecto, neque aniliter erudita finxit antiquitas Herculem, tam multis exantlatis laboribus, consumpto igni corpore, in Deorum contubernium fuisse relatum. Id enim erat priscis illis sapientibus institutum, sanctissima Philosophiæ mysteria, ne passim evulgarentur, hujusmodi doctis fabellis obtexere. Significavit autem, immortalitatem non contingere nisi his, qui perpetuam ætatem honestis laboribus exegissent, & inexhausto virtutis ardore, cum omnium vitiorum monstris indefatigati bellum gessissent.* Sub hoc genere, & mysticos veterum sacrorum ritus, superstitiosasque nationum priscarum cærimonias complectimur, in primisque Hebraicarum literarum mysteria: in quibus quidem interpretandis, utinam tam essemus circumspecti, quam sumus frequentes, & audaculi. Mirabor enim, si quisquam illa scite interpretabitur, omnis antiquitatis ignarus: ita ut fere sunt isti, qui tantum versantur in plus quam mutis literis, ac spinosis quæstiunculis. Eodem referenda sunt (nam eundem habent usum) quæ a tragicis comicisque personis mutuamur, & eorum qui in dialogis, & item historiis, non ad fidem rei gestæ, sed ad imitationem compositis inducuntur. Huc quoque pertinere Fabius autumat apologos Æsopicos, & [1] Aniani, quos ille λόγους μυθικοὺς, id est, *sermones fabulosos* appellat. His enim vehementer duci animos, præcipue simplices & imperitos, cum tantum valuerit ille Menenii Agrippæ, de membris humanis adversus ventrem conjuratis, sermo, ut graviter irritatam plebem Patribus reconciliarit. Quod si quem deterreas, ne cum potentiore contendat, miros habebit stimulos apologus Horatianus, de rana sese inflante. Neque leviter interdum movent excellentium virorum dicta, itidem ut facta: qualia nonnulla Plutarchus collegit, & veterum sapientum paradoxa. Ut, *Rex est qui metuit nihil.* Et Poetarum & illustrium scriptorum insignes sententiæ, ut Enniana illa:

Fortes fortuna adjuvat.

Et Virgiliana:

Nate Dea, quo fata trahunt, retrahuntque sequamur.
Quicquid erit, superanda omnis fortuna ferendo est.

Aut vulgo receptæ, quas adagia nominant. Sunt & a nobis animosæ quædam, & plenæ spiritus fingendæ, ut: viri est, aut fortiter interire, aut vincere. Non moritur, quisquis pro patria mortem oppetit. Ut palma contra impositum onus, ita masculus animus, contra fortunæ difficultatem debet erigi, ultroque insurgere. Virtus duris laboribus pascitur, non frangitur. Viri nihil habet, qui glorioso labori ullam voluptatem anteponit. Inductiones autem Socraticæ, quas εἰσαγωγὰς vocant, non tam ad excitandum valent, quam ad persuadendum, etiam si ad utrumque sunt non inefficaces. Horum omnium miscellaneam quandam agemus, quo varia magis sit oratio.

1 Lege *αἶνοι*, vel *Æni*, sic enim habet *Quintilianus*, post ablatum exemplum Æsopicæ fabulæ ex *Horatio: Αἶνον Græci vocant, & αἰσωποποίητον, ut dixi, λόγους μυθικούς. Institutionum Orat. Lib. V. Cap. XI.*

CAP. XXXVIII.

DE OBTESTATIONE.

EXhortandi locos ceu fontes fere omnes aperuimus, quod si quis epilogum etiam paræneticum quendam requiret: is non incommode per obtestationem sumitur, ut eum per inclytas majorum imagines, quibus plus lucis attulerit, quam acceperit: per egregia gentis decora, quæ sua virtute non mediocriter illustraverit: per gloriam bene gestis partam: per egregia facinora, quibus quotidie seipsum vincat: per immortale nomen, cujus jam æterna jacta sunt fundamenta: per felicissimam indolem: per ingenium immortalitati & pulcherrimis rebus natum: per incredibilem sapientiam, prudentiam singularem, doctrinam raram, animi magnitudinem prope divinam, virtutem absolutam, a qua nihil sit tam arduum, quod aut præstari non queat, aut non ab omnibus exspectetur: per majorum manes, qui se a sua posteritate benefactorum gloria superari gaudeant: per liberorum, & nepotum pietatem, ad quos decus hoc una cum patrimonio sit hæreditaria traditione transiturum: per amicorum & benevolentium vota: per invidorum studia: per odia exsecrata malevolentium, quos optime sic demum ulturus sit, si invidentissimas aures illorum, & oculos, virtutum splendore & pulcherrimis rumoribus perstringat, atque obruat, obtestabimur, atque obsecrabimus, ut se digna velit & audeat.

CAP. XXXIX.

DE LENIENDA EXHORTATIONE.

VErum si quando periculum esse judicabimus, ne quid offendat vehemens, & importunior exhortatio: nam habet hæc nescio quid monentis, præcipientisque, aut etiam diffidentis: & quorundam ingeniorum ea est insolentia, & securitas sui, ut ne moneri quidem patiantur. Id igitur ubi metuemus, multis rationibus exhortationis molestiam leniemus: ut aut negemus nos oratione nostra languentem velle accendere, sed currentem incitare: ac ne incitare quidem, ut ea gerat, quæ jamdudum sua sponte facit, sed nos pro nostro singulari in illum studio ita gerenti gratulari: orabimusque ut importunitati nostræ det veniam, quæ non aliunde proficiscatur, quam ab immodico quodam gloriæ illius studio. Nihil esse tam magnificum, quod illius virtus non sit abunde præstatura: sed tamen qui in certaminibus spectant, tametsi nihil opus esse sciunt, tamen non possunt non applaudere, cui valde favent: quumque is qui certat, suæ virtutis probe conscius, securus sit ab animo: tamen fautor ille securus esse non potest, donec certam victoriam viderit. Aut longe aliud a nobis institutum fuisse simulabimus, sed præter consilium huc calamum esse delapsum, transversum scilicet agente nos incredibili quodam amore, ut eum exhortaremur, qui non tam calcaribus egeat, quam freno. Denique virtuti ejus omnia secunda precabimur.

CAP. XL.

QUIS HUIC GENERI CHARACTER PROPRIE CONVENIAT.

EX multis stili generibus, grave illud, & acre atque ardens, & incitatum exhortationi præcipue convenit. Nam florida, concinna, ac festiva, alibi gratiam habent, hic masculus, & ut ita dicam, robustus debet esse character, amplius, & nervosus. *Gravitas* autem est, quam δείνωσιν Fabius nominat, eamque inter præcipuas orationis virtutes ponit. Sed in his quæ ad concitandos affectus potissimum valent, his fere rationibus constare videtur, rebus, verbis, amplificatione, figuris, & compositione. Rebus gravitatem consequemur, si quam optimis sententiis, e sublimibus, gravibus, ac magni nominis, & pervetustis auctoribus petitis: si exemplis exquisitissimis, si priscis, si illustribus, si neutiquam vulgaribus utemur. Verbis rerum gravitatem augebimus, si voces sonantissimas, si amplas, si quam maxime graviter translatas, significantes deligemus. Sonantes, ut: *Bellicos tumultus divina prope virtute profligasti.* Amplas: *Immortalia virtutum tuarum monimenta, nulla unquam*

Gravitas quibus rebus constat.

A *seculorum series obliterabit.* Significantia, ut: *Fratrem ne desere frater.*

Egregiam vero laudem, & spolia ampla refertis,
Una dolo divûm si fœmina victa duorum est.

Hanc virtutem sermonis Fabius *energiam* appellat, quod nos actionem, aut efficaciam vertere possumus. Ea præstat, ne quod verbum tota oratione sit ociosum, quemadmodum in hoc carmine Virgiliano:

Tune in triviis indocte solebas
Stridenti miserum stipula disperdere carmen.

Nam in posteriore versiculo, singulæ quæque voces novum pondus addunt. Hoc modo, gravitatis laudem assequemur, si sermonem perpetuum, argumentis, amplificationibusque infarciemus, eaque singulis vocibus B includemus. Augent orationem & epitheta, id est, apposita, maximeque translata, ut cruentis manibus sacratissimorum Deorum &c. Hujus tamen modum requirit Fabius, & ociosa sunt vitanda, quibus ad voluptatem, non ad usum utuntur Poetæ.

CAP. XLI.

DE AMPLIFICATIONE.

IN affectibus autem permovendis, præcipue atque adeo prope sola dominatur amplificatio: cujus quidem vis omnis, in allevando, deprimendoque consistit. Ea sumitur a circumstantiis omnibus, a quibus & probationes ducuntur. His autem rationibus licebit ampli- C ficare. Primum quidem commutato rei nomine: ut si, qui cæsus sit, eum dicamus *occisum*: & qui sit improbus, cum *latronem* nominemus. Si quod nobis molestum est, id *enecare*, aut *ad restim adigere* dicemus. Contraque si, qui pulsarit hominem, *attigisse*, qui vulnerarit, *læsisse* dicetur. Si impudica quæ sit, *meretrix*: si audaculus, *gladiator* nominabitur. Alter est modus nihil a superiore diversus: nisi quod illic sola ponuntur quæ amplificant, hic per collationem efferuntur etiam illa, quæ recta erant, ut magis emineat atque increscat amplificatio. Quod genus est Ciceronis in Verrem: *Non enim furem, sed raptorem: non adulterum, sed expugnatorem pudicitiæ:* D *non sacrilegum, sed hostem sacrorum, religionumque: non sicarium, sed crudelissimum carnificem civium, sociorum, in vestrum judicium adduximus.* Tertius amplificandi modus, incrementum vocatur: quum non statim quod est atrocissimum ponimus, sed per gradus plures, aut etiam unum pervenitur, interdum ad summum, interdum ad id quod supra summum est quodammodo. Sic oratio increvit Ciceroni: *Facinus est, vincire civem Romanum: scelus verberare: parricidium necare: quid dicam, in crucem tollere?* Hic ultra summum perventum est. Ad summum sic: *Matrem tuam cecidisti, quid dicam amplius? occidisti.* Increscit & citra distinctionem oratio, dum cursu quodam gravius, graviusque semper aliquid infe- E quitur: ut, *pecuniam, honores, regnum, vitam denique patriæ caritate contempsit*: & de vomitu Antonii: *In cœtu vero populi Romani, negocium publicum gerens, magister equitum* &c. Est & hoc incrementi genus, quum tanquam per fictionem, inferiora quæ sunt augemus, ut illa majora videantur: ut, *hanc rem tam æquam, si quilibet ignotus abs te peteret, tamen ignoto recusare non debebas: nunc orat pater, & pater sic meritus. Si tantis officiis nullam gratiam reposuisses, ingratissimus eras: nunc pro summo beneficio, maleficium summum retulisti. Si liberorum & conjugum salus defendenda tantum esset, tamen nullum erat periculum non subeundum: nunc pro totius Christiani orbis in-* F *columitate, dignitate, capiuntur arma.* Confine est huic, quum id quod tanquam exempli causa propositum est augemus, eoque aliud majus etiam esse ostendimus: uti, Cicero mulieris facinus, quod medicamentis partum abegisset exaggerat: ac merito rei capitalis damnatam dicit, quæ quidem *spem parentis, memoriam nominis, subsidium generis, hæredem familiæ designatum, Reip. civem sustulisset.* Deinde Opianici culpam, cujus par noxa videbatur, hunc ad modum exaggerat per collationem: *Quanto est Opianicus in eadem injuria majore supplicio dignus. Siquidem illa quum suo corpori vim attulisset, seipsam cruciavit. Hic autem idem effecit per alieni corporis vim, atque cruciatum.* Gravius auget illud comparationis

Amplificatio unde sumitur & quanta ejus vis.

Modus amplificandi in elevando. Deprimendo.

Incrementum.

tionis genus, quum utrinque plura pluribus redduntur. Quod genus est illud M. Tullii in Catil. *An vero vir amplissimus P. Scipio Pontifex Maximus, Tib. Gracchum mediocriter labefactantem statum Reip. privatus interfecit, Catilinam orbem terræ cæde atque incendio vastare cupientem, nos Consules perferemus?* Hic & Catilina Graccho, adolescens perditus viro ornatissimo, status Reipublicæ orbi terrarum, & mediocris labefactatio cædi, atque incendiis, vastationi, & privatus Consulibus comparatur. Per ratiocinationem ampliamus, quum alibi fit, alibi valet amplificatio, id quod non simpliciter accidit. Amplificantur enim & ex antecedentibus consequentia, & ex consequentibus antecedentia. Prioris exemplum hoc erit:

Ille cavum conversa cuspide montem
Impulit in latus, ac venti velut agmine facto,
Qua data porta ruunt.

Ex his sic amplificatis apparet quanta sit tempestas consequutura. Et Christiani judicii supremi horrorem exaggeramus, amplificatis his monstris, quæ feruntur antecessura. Posterioris erit illud Ciceronis in Antonii vomitum, quem *tantum ait vini in Hippiæ nuptiis hausisse, ut postridie cogeretur in conspectu populi Romani vomere, & frustis esculentis subsellia complere.* Mire significavit, quanta præcesserit ingurgitatio, quum eo in loco vomeret, neque casu, neque volens, sed necessitate: neque recens, ut fere solet, cibus refunderetur, sed qui in posterum usque diem redundasset. Est alia hujus generis species, quum aut ea quæ per se gravissima sunt, consulto deprimimus, quo magis, magisque attollantur, quæ sequutura sunt: aut diversa attollimus, ut augeamus ea quæ præferuntur. Prioris exemplum erit illud in Verrem: *Levia sunt hæc in hoc reo. Metum virgarum Nauarchus nobilissimæ civitatis, precio redemit: humanum est. Alius ne securi feriretur, pecuniam dedit: usitatum est.* Ex his quæ gravissima non videri non possunt, sic elevatis, necesse est atrocissimum quiddam colligi, atque exspectari. Sic amplificavit Terentianus Hegio, ubi Demeæ de virgine vitiata questus, facinus hoc veluti vulgatum jam, & humanum contemnit, jubetque gravius adhuc accipere, quum pater nihil hoc gravius, neque fieri, neque dici posse crederet. Posterioris generis illud est, quum Virgilius Æneæ laudes ex amplificata Turni virtute adauget: aut quum Hannibalis bellicis laudibus crescit virtus Scipionis: aut quum Germanorum, aut Gallorum fortitudo, Cimbrorum immanitas augetur, ut major sit victoris gloria. Sed infinitæ prope sunt, ex relatione ad aliquid, amplificandi formæ: veluti si clades a Trojanis, Græcisque acceptas amplifices, quo videatur Helenæ species admirabilior, ob quam non piguerit sapientissimos viros, tot mala perpeti, utque in Platonis symposio, & Alcibiadis forma, & toties oblata copia, Socratis continentia singularis colligitur. Reliquum est ultimum augendi genus, quod συναθροισμὸν, id est, congeriem appellant, qua rem eandem aliis atque aliis modis efferimus. Nam nisi summa fiat varietate, vitiosa erit iteratio: veluti Ciceronis pro Ligario: *Quid enim tuus ille Tubero districtus in acie Pharsalica gladius agebat? cujus latus ille mucro petebat? qui sensus erat armorum tuorum? quæ tua mens, oculi, manus, ardor animi? quid cupiebas? quid optabas?* Sed plus habet gravitatis, quum paulatim series increscit, ut: *Aderat janitor carceris, carnifex prætoris, mors, terrorque sociorum, & civium Romanorum lictor Sextius.* Jam vero extenuandi eædem sunt rationes, quæ amplificandi, neque diversus usus. Optimæ extenuationis exemplum erit illud comicum: *Hæc verba una, me hercle, falsa lachrymula, quam oculos terendo misere vix vi expresserit, restinguet.* Hic vitiosissimum fuerit ad leviora a gravioribus orationem proficisci, ut vitam, sanguinem, pecuniam pro te effundere non dubitem. Plurimum vero ponderis orationi accedat necesse est, quoties hinc amplificata, hinc elevata inter se componuntur.

CAP. XLII.
DE FIGURIS AD GRAVITATEM FACIENTIBUS.

IN hoc genere potissimum consectabimur ea sermonis schemata, sive tropos, quæ reddunt acrem & ardentem orationem. Hujusmodi sunt ex his quæ in verbis sita sunt, membra, articuli, comparia, repetitiones, contentiones, interrogationes, dubitationes, metaphoræ, prosopopœia, apostrophæ, demonstrationes, quæ rem oculis subjiciunt cum exaggeratione. Eandem vim habent asseverationes, si quis tamen has inter schemata numerat: epiphonemata, quas acclamationes recte verteris. De quorum singulis non est hujus instituti prolixius disserere: qui Rhetoricen hic non docemus, sed indicamus duntaxat, quod ad scribendas epistolas attinet. Cæterum totius hujus generis supellectilem, ac vim copiosam colligere licebit, quum ex aliis scriptoribus, tum præcipue ex Historiographis: apud quos reperire licet crebras orationes, quibus dux exercitum, aut miles militem, aut magistratus populum ad fortiter agendum cohortatur. Profuerit & ea meminisse, quæ Philosophi & facundi scriptores, de fortitudinis natura memoriæ prodiderunt. Nos tamen interim, quo quæ præcipimus juventuti ceu digito commonstremus, unicum subjiciemus exemplum.

EXEMPLUM EPISTOLÆ COHORTATORIÆ.

„Dici non potest, jucundissime nepos, quanta tum „me, tum tuos omnes voluptate affecerit pulcherrimus „rumor, nuper hic de rebus fortiter abs te gestis, exor„tus. *[Principium a laude.]* Jacta sunt perpulchra immortalitatis tuæ funda„menta. Quid autem hortari incipiam, ut rem divini„tus cœptam, perficias: *[Exhortatio cum laude mixta.]* qui eo animo sis natus, ut ni„hil unquam humile, aut sordidum cogitaris: utque „non tam calcaribus, quam frenis egere te putem? Sed „tamen incredibili quodam erga te studio, compellor „currentem (quod ajunt) incitare. *[Laus a bene cœptis.]* I, bone, quo virtus „tua te vocat, i pede fausto: *[A genere.]* perge absolvere, quod „summa cum laude cœpisti, te natalibus tuis, *[A patre.]* quibus „hæc urbs nihil unquam vidit illustrius, patre tuo cla„rissimo, ista tua indole, *[Ab indole.]* ista eruditione, *[Ab eruditione.]* isto animo di„gnum præstare. Impone summam manum immorta„libus monimentis, a quorum absolutione non multum „abes: quod maximum ac difficillimum est præstitisti: „quod desideratur, plus habet decoris, quam difficulta„tis. Certasti cum majorum tuorum imaginibus, qui„bus tuapte virtute, plus lucis attulisti, quam accepe„ris. Vicisti ætatem, quacum prope adhuc impubes ha„bearis, nihil tamen non forti viro dignum vel gessisti, „vel cogitas. Antevertisti majoribus tuis virtutum ma„gnitudine: vicisti hactenus, & tui studiosorum exspe„ctationem, & æmulorum invidentiam. Sed postquam „omnia superasti, unum etiam certamen reliquum esse „puta: nempe ut te ipsum imiteris, tui similis esse stu„deas: tu te ipsum præire contendas. Nam vinci a te „ipso, tam fœdum fuerit, quam pulchrum fuerit reli„quos superasse. Ita si semper tibi instes, non deerit, „qui cum laudibus certare possis. *[A spe metuque.]* Cogita te eum in lo„cum, ipsius fortunæ manibus esse deductum, ut neces„se sit, aut summa cum laude peragere fabulam, aut „summo cum probro defatigari. Ardua quidem & dif„ficilis est virtutis via, sed amplissima tibi præmia pro„pone. Decus, immortalitas, imperium, opes, dignitas, *[A metu.]* „felicitas, in manu sunt, si pertenderis. At si (quod omen „Dii avertant) defatigeris, non solum pristinæ gloriæ „tenebras offuderis, verumetiam in posterum omnem „dignitatis spem tibi recideris. Labores neque diutur„ni sunt, neque ita magni: præmia tum æterna, tum „amplissima proponuntur. Multa jam pars exhausta, „annus duntaxat est tibi perdurandus: in quo facito, ut „tanquam in conclusione, & extrema muneris tui par„te, perfectissimus atque ornatissimus fuisse videaris. „Fac ut veterum heroum pulcherrima facta tibi ob o„culos assidue versentur. *[Ab exemplo.]* Hercules ille, totius Græciæ „facile Princeps, quot laboribus sibi iter in cœlum ape„ruit, *[Exemplum Poeticum.]* quot monstra superavit, qui ad inferos etiam ipsos „legitur penetrasse? Quæ tibi si ficta de illo videbun„tur, non pugno quidem, sed tamen divinitus a sapien„tissimis, *[Tractatio fabulæ.]* doctissimisque viris excogitata sunt, quo no„bis heroicæ virtutis exemplum absolutum propone„rent, & ad immortalitatem nominis viam ostende„rent. Nam quonam alio consilio Homerus, cui ma„gno doctissimorum hominum consensu, divinitas *[Laus auctoris.]*

„quædam tribuitur, Ulyssem quem nobis ut sapientis viri simulacrum proposuit, tam diuturnis laboribus jactatum scripsit, nisi ut significaret hanc unam esse viam, ad æternum nominis decus parandum apud posteros. *Exemplum Græcum ex historia.* Hac Epaminundas, hac Alcibiades clarissimi Græciæ Imperatores, sibi immortalem apud posteros laudem pepererunt. *Exemplum Macedonicum.* Quid aliud Alexandrum Magnum cogitasse credis, cum se tantis periculis objiceret? *Exemplum Romanum.* Quem tu laborem Decios illos recusaturos fuisse unquam credis: quorum alter ut æternam sibi laudem compararet, Diis Manibus se devovit, alter in medios hostes se præcipitem dedit? *Exemplum Hebræum.* Quæ non ætas Machabæorum nomen celebrabit, quorum unus elephanti ventre perfesso pulcherrimam oppetens mortem, clarissimo facinore immortalem gloriam est consequutus. *Exemplum fœmineum.* Quid hodie vel celebrius, vel plausibilius Judith, Debboræ, & Rachab memoria? quæ quoniam sexu suo majores masculum animi robur præstiterunt, non inter fœminas, sed inter heroas commemorantur. *Transitus.* Sed quid nos externa atque antiqua repetimus? *Exemplum domesticum.* domi habes, qui te ad hujusmodi virtutem debeant incitare, & quidem eo vehementius, quo genere conjunctiores. Nam cæteros quidem egregios viros imitari, laudi ducitur: at tuorum sine summo dedecore dissimilis esse non potes. *Exemplum avi.* Vivit adhuc recens, & posteritate ipsa crescit avi tui viri fortissimi memoria. Quanto ille animo jam inde a teneris annis ad nominis immortalitatem contendit? Honestos ille labores, pro ludo habuit: voluptatem & ocium non secus ac pestem teterrimam fugiebat. Sæpe ipse adolescens ex eo jam natu admodum grandi audivisse memini, se haud longiorem vitam a Superis optare, quam ut patriæ sua industria posset usui esse, cui se potius quam sibi ipsi natum dicebat. *Exemplum patris.* Ad propiora veniam, tibi magis, quam mihi ipsi nota: Pater tuus vir fortissimus, atque optimus, quid unquam durum, aut difficile judicavit, quod vel ad gloriæ incrementum vel Reipublicæ commodum pertinere putasset? *Repetitiones.* Quot ille, quamque difficiles legationes adolescens, non sine summa laude obiit? Quot hyemes sub pellibus egit? E quantis angustiis sua se vigilantia expedivit? Quem ille magistratum non petiit? Quid autem petivit, quod non obtinuit? Quid obtinuit, quo non summa cum laude sit perfunctus? *Dicta familiaria patris.* Debent pectori tuo paterna illa monita infixa sedere. Sæpe enim te adolescentulum, ut memini, Virgiliano illo carmine consuevit exosculans hortari: Disce puer virtutem ex me, verumque laborem, Fortunam ex aliis. Nec raro me audiente, hunc usurpare sermonem solebat, sibi prorsus videri nihil interesse inter eos, qui nunquam nati essent, & eos qui nulla re memorabili gesta, obscuri ex hac vita migrassent. *Ab exspectatione.* Quare quum ab his sis majoribus ortus, hujusmodi præceptis foris, domique institutus, obscurum tibi esse non debet, quid tui, vel patria potius ipsa abs te exspectet: præsertim cum isti generi, isti indoli, egregiam quoque doctrinam adjunxeris: quum jam istiusmodi rudimenta edideris. Cogita tuorum omnium, non amicorum modo, sed civium etiam quotquot sunt oculos in te unum conjectos, omnium in te suspensos animos: quorum jam exspectationi vix satisfacturus videris, si tantum a natalium tuorum virtute nihil degeneraveris. Nescio quid majus sibi de te pollicentur: quorum si votis tua virtus responderit, quid si etiam vicerit, quantus erit tuorum omnium triumphus, quanta patriæ gratulatio? Quantum autem Trebonii viri, ut scis, tui amantissimi, & judicio de te, & amori in te accesserit? *Ab exspectatione malevolorum.* Sin rem indiligenter gesseris (quod omen Deus avertat) malevolentissimi homines, qui tuæ hactenus inviderunt virtuti, quosque rerum tuarum splendor excruciat, continuo verticem tollent, erimusque & tu, & tui omnes ludibrio, & risui nebulonibus invidentissimis. *Contentiones.* Amici obmutescent, inimici insultabunt, benevoli frigidi, malevoli feroces. *A certa persona.* An hæc feret ista tui pectoris celsitudo? Zoili in te odium nosti. Nullo commodiore modo pestem illam ulcisci potes, quam ut gloriæ tuæ invidia contabescat. Varum autem virulentissimum hominem plane ad suspendium adegeris, si nobis victor redieris. Codrus jam nunc suspendio trabem delegit. Si nihil te, neque tua gloria, neque nostra exspectatio moverit, hoc certe tanti fuerit, ut hæc monstra conficias. *Epilogus per obsecrationem.* Quare te Carissime nepos, unica spes, & idem decus tuæ gentis, per luculentissimas majorum tuorum imagines, per egregiam indolem, per sapientiæ laudem cui semper studuisti, per nostram, patriæque exspectationem, per bene auspicata laudum tuarum initia, obsecro, atque obtestor, ne committas, ut quum hactenus cæteros viceris, a teipso superatus videaris. Dii tua cœpta secundent, & felicibus utere fatis. Vale decus nostrum. Est & inter Hieronymianas Epistolas, exhortatoria ad Heliodorum, quæ universum ejus generis artificium complectitur.„

CAP. XLIII.

DE GENERE DEHORTATORIO.

Operæ precium non putavi, dehortationis exemplum subjicere, quod eadem sit utriusque generis ratio, quum vix unquam exhortemur, quin eadem opera dehortemur. Exempla eorum quibus ea res infeliciter cesserit accumulabimus. Deinde rei turpitudinem, probrum, convicia, damnum, incommoda diligenter colligemus, quæ per exornationem, quam Rhetores descriptionem appellant, ante oculos ponemus. Sed hæc aliaque studiosorum industriæ relinquenda putavimus. Nunc ad singulas cujusque generis partes, non quidem ex omnibus, sed optimis auctoribus sylvam quandam verborum, ac sententiarum subministrabimus: quibus ex nostris nonnihil adjiciemus, quo scripturi, hæc semper tanquam penum ad manum habeant, & imitandi studio, similia discant effingere.

EXEMPLUM DEPROMPTUM EX PRIMA CICERONIS AD Q. FRATREM EPISTOLA.

Ab exspectatione bonorum. *Quare, quoniam in istis urbibus cum summo imperio & potestate verseris, quibus virtutes tuas consecratas, & in Deorum numero collocatas vides, in omnibus rebus, quas statues, quas decernes, quas ages: quid tantis hominum opinionibus, tantis de te judicii, tantis honoribus debeas cogitabis.* *A metu.* *Quod si in mediocri laude sermonis, ac prædicationis, res nostræ essent, nihil a te eximium, nihil præter aliorum consuetudinem postularem. Nunc vero propter earum rerum, in quibus versati sumus, splendorem, & magnitudinem, nisi summam laudem ex ista provincia assequimur, vix videmur summam vituperationem posse vitare.* *Ab exspectatione malorum.* *Ea nostra ratio est, ut omnes boni tum faveant, tum etiam a nobis omnem diligentiam, virtutemque postulent & exspectent: omnes autem improbi, quod cum his bellum suscipimus sempiternum, vel minima re ad reprehendendum contenti esse videantur. Quare cum ejusmodi theatrum est totius Asiæ celebritate refertissimum, magnitudine amplissimum, judicio eruditissimum, natura autem ita resonans, ut Romam usque significationes vocesque referantur, contende quæso, atque elabora, non modo ut his rebus dignus fuisse, sed etiam, ut omnia illa tuis artibus superasse videaris. Simul & illud cogita, nos non de reliqua & sperata gloria jam laborare, sed de parta dimicare, quæ quidem non tam expetenda fuit, quam tuenda nobis est: quod reliquum est, id non tam difficile, quam præclarum.*

Mitigatio exhortationis. Exhortationem mitigat hoc modo: *Atque hæc non eo dicuntur, ut te dormientem oratio mea excitasse, sed potius ut currentem incitasse videatur: facies enim perpetuo, quæ fecisti*, &c.

A laude. *Tu quanquam consilio non eges, vel abundas potius, tamen hoc animo esse debes, ut nihil cures, quam ut ante factum aliquod egregium audiamus quam futurum putaremus. Te vero admoneo tum beneficiis tuis, tum amore incitatus meo, ut omnem gloriam ad quam a puero inflammatus fuisti, omni cura atque industria consequare, magnitudinemque animi, quam ego semper admiratus sum, semperque amavi, constanter obtineas, nec unquam inflectas cujusquam injuria.* *Obsecratio.* *Illud te ad extremum & oro & hortor, ut tanquam Poetæ boni, & actores industrii solent; sic tu in extrema parte, & conclusione muneris, ac negocii tui diligentissimus sis.*

Plinius. *Quamobrem si me amas, quantum profecto amas: si dormis*

mis expergiscere, si stas, ingredere: si ingrederis, curre: si curris, advola. Hoc sit negocium tuum, hoc ocium, hic labor, hæc quies: in his vigilia, in his etiam somnus reponatur. Effinge aliquid, & excude quod sit perpetuo tuum. Nam reliqua rerum tuarum post te, alium atque alium dominum sortientur, hoc nunquam tuum desinet esse, si semel cœperit. Scio quem animum, quod horter ingenium. Tu modo enitere, ut tibi ipse sis tanti, quanti videberis aliis si tibi fueris. Quod te quoque ut facias, & hortor & moneo: memento quibus imaginibus onereris, quæ nomina, & quanta sustineas. Proinde dum suppetit vita enitamur, ut mors quam paucissima quæ abolere possit, inveniat. Lusus vocantur, sed hi lusus non minorem interdum gloriam quam seria consequuntur.

Confugit in sinum tuum Respublica. Ac mihi intuenti sapientiam tuam, minus mirum videtur, quod mortales istos caducosque titulos, aut depreceris aut temperes. Scis enim ubi vera Principis, ubi sempiterna sit gloria: ubi sint honores, in quos nihil flammis, nihil senectuti, nihil successoribus liceat. Arces enim & statuas templaque demolitur, & obscurat oblivio, negligit carpitque posteritas. Contra contemptor ambitionis, & potestatis domitor, ac frenator animus, ipsa vetustate florescit, nec ab ullis magis laudatur, quam quibus minime necesse est. Quod ego titulis omnibus speciosius reor, quando non trabibus aut saxis nomen tuum, sed monumentis æternæ laudis inciditur. Ibit in secula fuisse Principem, cui florenti & incolumi nunquam nisi modici honores, sæpius nulli decernerentur.

EXHORTATIO.

Cicero. *Sed præsta te eum, qui mihi a teneris (ut Græci dicunt) unguiculis es cognitus. Magna est hominum opinio de te, magna commendatio liberalitatis, magna memoria Consulatus tui. Hæc profecto vides quanto expressiora, quantoque illustriora futura sint, cum aliquam tum ex provincia, atque ex imperio laudis accesserit. Quanquam te ita gerere volo, quæ per exercitum atque imperium gerenda sunt, ut hæc multo ante meditere, huc te pares, hæc cogites, ad hæc te exerceas, sentiasque id, quod quia semper sperasti, non dubito quin adeptus intelligas, te facillime posse obtinere summum atque altissimum gradum civitatis: quæ quidem mea cohortatio ne tibi inanis aut sine causa suscepta videatur*, &c. *Teque ad studium summæ laudis cohortabor. Est enim tibi gravis adversaria constituta, & parata incredibilis quædam exspectatio, quam tu una re facillime vinces, si hoc statueris, quarum laudum gloriam adamaris, quibus artibus eæ laudes comparantur, in iis esse laborandum.* Lib. IX. Epistola, *Duabus tuis*, locos habet hortatorios, & item gratulatorios, circa medium & finem. Quam indicare malui, partim ne volumen oneretur, partim quod gratiora sunt quæ nobis ipsi decerpimus. Epistola lib. X. *Quum ipsum Furnium*, aliquot habet locos exhortatorios. Item παντοίης ἀρετῆς μιμνήσκεο. *curaque & effice, ut ab omnibus & laudemur, & amemur.* *Cicero ad Atticum.* *Per fortunas tuas, Cicero, per liberos te oro & obsecro ne quid gravius de salute, & incolumitate tua consulas. Nam Deos hominesque amicitiamque nostram testificor, me tibi dixisse, neque temere monuisse. Quare si tibi tu, si filius unicus, si domus, si spes tuæ reliquæ tibi caræ sunt, si aliquid apud te nos, si vir optimus gener tuus, valemus, eorum fortunam non debes velle conturbare, ut eam causam, in cujus victoria salus nostra est, odisse, aut relinquere cogamur, aut impiam cupiditatem contra salutem tuam habeamus. Etiam atque etiam Cicero cogita, ne te, tuosque omnes funditus evertas: nec te sciens, prudensque eo demittas, unde exitum nullum vides esse.* *Dehortatio.*

Adhortatio. *Quare quid est quod ego te horter, ut dignitati & gloriæ servias? Proponam tibi claros viros, quod facere solent qui hortantur? neminem habeo clariorem, quam te ipsum. Te imitere oportet: tecum ipse certes, ne licet quidem tibi jam tantis rebus gestis, non tui similem esse. Quod cum ita sit, hortatio non est necessaria, gratulatione magis utendum est. Contigit enim tibi, quod haud scio, an nemini, ut summa severitas animadversionis, non modo non invidiosa, sed etiam popularis esset: & cum bonis omnibus, tum infimo cuique gratissima. Hoc si tibi fortuna quadam contigisset gratularer felicitati tuæ, sed contigit magnitudine tum animi, tum etiam ingenii, atque consilii. Quo facto, intelligere debes, in te positam esse Rempublicam, tibique non modo tuendos, sed etiam ornandos illos viros, a quibus initium libertatis profectum est. Tu quoniam Rempublicam nosque conservas, fac ut diligentissime teipsum, mi Dolabella, custodias.*

Nunc, mi Attice, tota mente incumbe in hanc curam, magna enim res est. Quamobrem advola obsecro, atque eam Rempublicam quam virtute, atque animi magnitudine, magis quam eventis rerum liberasti, exitu libera: omnis omnium concursus ad te futurus est. Fortem & liberum animum, quo & Consul, & nunc Consularis Rempublicam vendicasti, sine constantia, & æquabilitate nullum esse putaris. Nihil enim per se amplum est, nisi in quo judicii ratio exstat: quia neminem magis decet, quam te Rempublicam amare, libertatis defensorem esse, vel ingenio, vel rebus gestis, vel studio, atque efflagitatione omnium: Tute exsuscita, ut eam civitatem, in qua maxima gessisti, liberam atque honestam fore putes, si modo sint populo duces, ad resistendum improborum consiliis. Quare magnum fac animum habeas, & spem bonam. Cessator esse noli, & illud γνῶθι σεαυτὸν *noli putare ad arrogantiam minuendam solum esse dictum, verumetiam ut bona nostra norimus.*

Præterea meminerimus, quanto majori animo honestatis fructus in conscientia, quam in fama reponatur. Sequi enim gloria, non appeti debet: nec si casu aliquo non sequatur, idcirco quod gloriam promeruit, minus pulchrum est. Ii vero qui bene facta sua verbis adornant, non ideo prædicare, quia fecerint, sed ut prædicarent, fecisse creduntur. Sic quod magnificum referente alio fuisset, ipso qui gesserat recensente, vanescit. Homines enim quum rem destruere non possunt, jactationem ejus incessunt. Ita si silenda feceris, factum ipsum: si laudanda, quod non sileas ipse culparis. Multo deformius amittere, quam non assequi laudem. Item lib. II. tota Epistola, cujus initium: *Hominem te patientem.* Hujusmodi sententiis exstimulamus animum laudis cupidum, εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης. *Plinius.*

Ἄλκιμός ἐσσ' ἵνα τίς σε καὶ ὀψιγόνων εὖ εἴπῃ
Ἀνέρες ἐστὲ φίλοι, μνήσασθε δὲ θούριδος ἀλκῆς.
I, bone, quo virtus tua te vocat, i pede fausto.
Nate Dea, quo fata trahunt, retrahuntque sequamur.
Tu ne cede malis, sed contra audentior ito,
Quam tua te fortuna sinat.
Fac aliquid dignum promissis.
Difficilia quæ pulchra.
In magnis & voluisse sat est.
Macte hac gravitatis gloria Cæsar.

DEHORTATIO.

Sed ego te ut ad certam laudem adhortor, sic a dimicatione deterreo: redeoque ad illud, quod initio scripsi, totius facti tui judicium non tam ex consilio tuo, quam ex eventu homines esse facturos. *Cicero Epistola fam.*

COMMENTITIA MEA.

„ Non est affectanda gloria forti viro, suapte virtute „ contento: sed hæc benefacta non aliter quam umbra „ corpus consequitur. Non appetit laudem, sibi bene „ conscia virtus eximia, sed hoc contingit illustrior ac „ verior. Splendidus titulus, pater patriæ: sed hunc „ promeruisse pulchrius est, quam possedisse. Inter o- „ mnia tua, gentisque tuæ decora, si mihi credis, erit „ hoc præcipue gloriosum. Tot egregiis facinoribus „ summa cum laude gestis, fac istum ceu colophonem „ addas. Arduum facinus ad quod te hortor, sed tuo ge- „ nere, tuoque animo dignum. Ab ista familia, ab ista in- „ dole, ab istis factis, nihil exspectatur plebejum, aut me- „ diocre. Omnia summa præstes oportet, si velis majo- „ rum tuorum ornamentis, si tuæ pristinæ gloriæ, si o- „ mnium de te exspectationi respondere. Cogita te ver- „ sari in theatro longe frequentissimo, omnium oculos in „ te conjectos: quibus nunquam satisfacies, nisi summa „ cum laude peregeris cœptam istius pulcherrimi faci- „ noris fabulam. Ipsa virtus abunde magnum sui præ- „ mium est. Non vivit, qui vivit inglorius. Non perit, „ qui moriens, honestam sui memoriam relinquit poste- „ ris. Ut omnia mors tollat, certe nominis honesti de- „ cus a rogo redditur illustrius. Erexeris, mihi crede, „ tibi *monumentum ære perennius, quod non livor edax, non aquilo impotens, possit diruere, aut innumerabilis annorum series, aut fuga temporum.* Onerant te tuorum „ ima-

„ imagines, non illustrant, nisi quibus factis illi sibi no- A
„ bilitatem pepererunt, iis tu tuearis & alas. Huc te vo-
„ cat generis tui claritas, huc patriæ pietas, huc civium
„ tuorum nunc in tua virtute sita salus: tantum exeras
„ istum vere magnum animum tuum, aderunt fortibus
„ ausis Superi faventes. Audaces adjuvat ipse Deus. In
„ re honesta, suus cuique animus Deus est. Nunc deli-
„ bera, utrum malis majorum tuorum ornamentis, tuis-
„ que laudatissimis factis hoc decus ac veluti summam
„ manum addere, an generi tuo tenebras offundere: &
„ quicquid hactenus tot egregiis laboribus partum est
„ gloriæ semel amittere. Nulla possessio difficilius aut
„ tardius paratur, quam honestæ famæ, nulla citius
„ amittitur. Si te nulla movet tantarum gloria rerum,
„ certe liberis tuis nullam possessionem relinquere po- B
„ tes, vel speciosiorem, vel preciosiorem, quam hujus
„ facti nunquam intermorituram gloriam. Ut leones
„ & aquilæ, non cum quibuslibet feris belligerantur,
„ sed quasdam prædas, ut suis unguibus indignas con-
„ temnunt: ita tuum est hoc facinus, quo majus est, ac
„ difficilius, hoc majore cum animo suscipere, velut
„ eximiam gloriæ materiam, eximiæ virtuti serva-
„ tam. Scio difficillimum esse ad quod hortor: nec
„ ignoro verum esse quod dici solet, οὐ παντὸς ἀνδρός: ali-
„ quando graviora præstitisti, nec alius animus par tan-
„ to negocio. Si palma dedignatur cedere ponderi im-
„ posito, sed magis adversus impositum nititur, sursum
„ erigens sese; quanto magis oportet fortissimi viri ani-
„ mum, ex ipsa negocii difficultate crescere. Non hæc
„ scribo, quo te cessantem exstimulem, sed quo sponte C
„ currenti calcar (quod ajunt) addam. Non tam hor-
„ tor ut ista facias, quam gratulor ultro properanti, quo
„ nostra vota tuam virtutem volebant invitare. Pri-
„ mum cogita, quid deceat Germanum, deinde quid
„ Saxonem, deinde quid Alberti nepotem, postremo
„ quid Philippum. Duplicem sustines exspectationem,
„ nimirum, ut laudatissimo patri Philippo Philippus, &
„ eximio fratri, cui succedis, respondeas. Nobilitas ve-
„ ra, non aliunde quam ex egregiis factis nascitur. Hanc
„ ipse tibi præstare potes. Quid suspicis vetusta stem-
„ mata? Quin ipse tibi paras imagines? pulchrius erit de-
„ cus, cujus auctor fueris, quam cujus hæres. Quanto
„ pulchrius est, te tuis majoribus, tua virtute præluce-
„ re, quam in alienæ laudis hæreditatem venisse? Pro- D
„ brum ignavia quorundam nuper acceptum, tua virtus,
„ tuaque vigilantia farciat oportet. Proxime acceptam
„ cladem omnes fortunæ imputabunt, si nunc declara-
„ ris, quantum in bello valeat fortis & infractus ducis
„ animus cum eximia prudentia conjunctus. Nihil ma-
„ gis nostrum est quam quod nobis nostra paratur indu-
„ stria. Hoc tibi præstat ista pectoris virtus, ut audeas:
„ hoc patriæ pietas, ut velis: quod reliquum est dabunt
„ Superi, & pietatis fautores, & honestæ virtutis pro-
„ vectores. Macte istius animi esto. Istiusmodi studiis
„ ad nominis æternitatem grassare. Eja, macte virtute.
„ Sic itur in cœlum. Age fortissime juvenis, ne defa-
„ tigare, ne conquiesce, donec pulcherrimis gestis ho- E
„ nestissimum finem imposueris. Maxima stadii pars ti-
„ bi jam decursa est: hoc alacrius ad metam propera,
„ quo propior es. Nihil est tam arduum in rebus huma-
„ nis, quod non efficiat, si sibi imperarit animus, ut ma-
„ gnopere velit. Quæ res primum Deos, ac divos fecit?
„ nonne præclara in Rempublicam merita? Quid enim
„ Deo similius, quam excelsus animus, vel gratis de u-
„ niverso mortalium genere bene mereri studens? Ma-
„ gnificentius est, amplissimos honores promeruisse,
„ quam obtinuisse. In magnis & voluisse magnum est. F
„ In rebus præclaris etiam conatus in magna laude po-
„ nitur. Quum hactenus in campo gloriæ præcucurre-
„ ris omnes, hic tui similis sis oportet. Si quid in te ge-
„ nerosæ mentis, si quid paternæ indolis, si qua scintilla
„ pietatis in patriam, si quid consilii, si quid constantis
„ animi, si quid masculi roboris, si quid heroicæ virtu-
„ tis, id totum nunc expromas oportet. Non poteris in
„ hoc laudis cursu defatigari, si spectes quæ præmia ti-
„ bi sint proposita. Perge infracto animo, qua cœpisti,
„ nomenque tuum immortalitati commenda. Verum
„ decus non in opibus, sed in virtute positum est. Bene
„ collocavit, qui patriæ vitam impendit. Te unum spe-
„ ctant oculi civium tuorum. Tuis humeris innixa est
„ patria. Illi despondebunt animum, nisi eum præstite-
„ ris, quem semper esse judicarunt. Hæc ruitura est, si
„ te subduxeris. Cogita laborem esse brevem, felicita-
„ tem ad quam properas esse perennem. Ardua est, jux-
„ ta Hesiodum, via, sed in vertice manet inæstimabile
„ præmium. An aliquid durum videri debet, quo para-
„ tur æterna felicitas? Ne specta, quid hic aut ille inte-
„ rim de te loquatur, sed quid tota posteritas semper sit
„ loquutura. Vere Regium, magnique animi est, ma-
„ le audire, quum bene feceris. Invidiam malevolo-
„ rum, gloria benefactorum obrue. Pulcherrimum
„ vindictæ genus est, inimicum benefactis ad suspen-
„ dium adigere. Invidorum latratus, velut ignavorum
„ canum neglige. Illud vide, quo te bonorum consen-
„ sus provocat. Malis placuisse tam turpe est, quam ob
„ turpia. Enitere ut his placeas, qui bonis placent omni-
„ bus. Asina per medios ignes succurrit suo fœtui; &
„ vir fortis destituet patriam periclitantem: cujus pars
„ sunt & liberi? Parva & exilia sidera, validiorum exor-
„ tu obscurantur, sed tu non potes magis illustrare pro-
„ genitorum tuorum gloriam, quam si ad istum modum
„ famam illorum obscures. Eo perge, non quo te revo-
„ cat mundus, sed quo te vocat Christus. An te remo-
„ ratur difficultas, ubi cœlum promittitur? An diffidis,
„ ubi fautor & adjutor est Christus? An dubitas de præ-
„ mio, ubi promissor est Deus? Non agnoscet benefi-
„ cium tuum ætas tua. Atqui istud demum est animo
„ excelso dignum. Nullum beneficii genus heroicis
„ animis dignius, quam quod erogatur in posteros. Su-
„ doribus emuntur literæ, sed pariunt immortalitatem.
„ Vigiliis parantur, sed semel partæ nunquam amittun-
„ tur. Serius contingunt, sed ubi contigerint tutissima
„ simul & perennis est possessio. In aliis egregiis gestis,
„ magna laudis portio fortunæ deciditur, nonnullam &
„ hi sibi vendicant, quorum opera res peracta est: hujus
„ facti gloria in solidum tua erit. Summam de te spem
„ concitasti, non est tibi committendum ut hanc fefel-
„ lisse videaris. Genus, indoles, prudentia, animi sub-
„ limitas, pristina decora, miram quandam de te conci-
„ tarunt apud omnes exspectationem: hanc fallere tur-
„ pissimum fuerit, æquare necessarium, vincere pulcher-
„ rimum. Si voles cogitare, quid te dignum sit, sic te
„ geras in ista provincia, ut qui in eadem ante te, non
„ mediocri cum laude versati sunt, tui comparatione
„ magnam laudis partem amittant: neque quisquam
„ exoriatur, qui tibi ausit succedere. Fac ita te geras in
„ isto magistratu, ut & auctoritate tua successori tradas
„ augustiorem, & integritate vigilantiaque difficilio-
„ rem. Cogitato tecum, quicquid est istud laboris, quod
„ percipiendæ Juris prudentiæ datur, tribus, aut ad sum-
„ mum quatuor annis absolvi: cæterum honorem in
„ omnem usque vitam te comitaturum. Labor abit,
„ honestas manet: labor brevis, gloria immortalis. Alii
„ tot annos desudant, per terras, mariaque volitant, ut
„ rem familiarem augeant, te pigebit ad paucos annos
„ honestissimis studiis incumbere, quo tibi simul & rem,
„ & dignitatem pares? Honos alit artes, ut scripsit Ci-
„ cero: & hoc tibi calcar non mediocre debet addere,
„ quod is Princeps nobis contigit, sub quo nemo gratis
„ virtutem colit. Quidam ita propagant nominis tui
„ memoriam; at nullum monumentum fidelius custodit
„ hominis famam, quam si benefactis nomen tuum in-
„ sculpas animis hominum: hoc est, si ingenii monu-
„ mentis, non solum de tua patria, verumetiam de cun-
„ ctis nationibus: non solum de tuæ ætatis hominibus,
„ verumetiam de posteris bene merearis. Vide etiam
„ atque etiam necubi dormites in hoc opere: magni re-
„ fert, unde famam auspiceris. Expedit omni cura per-
„ politum esse, per quod primum innotescere vis popu-
„ lo. Posteaquam semel bonarum literarum patroci-
„ nium suscepisti, non oportet de gradu cadere.

„ Vides cum cujusmodi monstris res est: prorsus Her- *Dehortatio.*
„ cule quopiam est opus. Eum nemo melius præstabit
„ uno te. Obtestor te per nostram amicitiam, per utrius-
que

„ que salutem: nam mea, nisi te incolumi non constite-
„ rit, ne te periculoso negocio admisceas. Vel hircus
„ Æsopicus te doceat, ne te conjicias temere in nego-
„ cium, unde quum voles, non possis temetipsum extri-
„ care. Facilis descensus Averni, sed revocare gradum,
„ perdifficile est. Si tibi vilis est tua vita, uxoris ac libe-
„ rorum te moveat calamitas. Sine his tu perire non po-
„ tes, quum ex te uno pendeant omnes. In te omnis do-
„ mus inclinata recumbit. Hanc tua prudentia, tua vi-
„ gilantia, tua fortitudine fulcias oportet, alioqui col-
„ lapsuram. Tu invicto animo, quod honestissimum ju-
„ dicabis sequere. Optimæ causæ favebunt & numina.

Exhortatio Mea.

„ Cogita quanta factum istud laus & gratulatio sit
„ consequutura. Quid multis? sic te numeris omnibus
„ virtutum absolutum præsta, ut inimici vituperare te
„ non possint, nisi simul laudent. Illud noctes diesque
„ tecum cogita, quo te quoque possis Tollere humo,
„ victorque virum volitare per ora. Quis non exosculte-
„ tur istam eximiam indolem? Quare te etiam atque
„ etiam hortor, ut quod tibi majores prætulerunt, tu
„ posteris præferas. Tu vel unus efficere potes, ne pror-
„ sus verum sit, quod vulgo jactatur, nobiles nostros,
„ nihil habere in domibus suis pulchrum, nisi imagines.
„ Hortantur te uno ore amici omnes, ut magno sis ani-
„ mo, utque omnia summa speres. Hoc utilissimum ju-
„ dicato, quod est cum honestate conjunctum.

Dehortatio Mea.

„ Sic habeto rationem dignitatis, ut memineris salu-
„ tis. Fama ægre quidem restituitur, sed restituitur ta-
„ men. Vita semel amissa nunquam recuperatur. Stul-
„ tum est cum eo contendere, cui par esse non possis.
„ Qui certat cum eo, quem non potest vincere, quæso
„ quid aliud quam irritat crabrones? Frustra nitendo,
„ nihil aliud quam odium quærere, an non extremæ de-
„ mentiæ est? Si adversus naturam tuam niteris, nihil
„ aliud quam cum Diis pugnaveris: & scis quomodo res
„ ea successerit gigantibus. Quanto cum periculo ten-
„ tantur ea quæ vires nostras superant, Phaetontis, Ica-
„ ri, & gigantum fabula te docere poterit. Quam non
„ tutum sit audacem esse erga potentes & armatos, A-
„ donidis interitus docere nos debet.

Cap. XLIV.

Quibus Respondendum Exhortatori.

CUm ego idipsum destinassem, addidisti calcar sponte currenti. Video quam faveas gloriæ meæ. Itaque dabo operam, ut non solum judicio de me tuo, verumetiam studio satisfaciam. Quanquam ipsa res jamdudum inflammarat animum meum, tamen non mediocre calcar addidit tua tam amica exhortatio. Utinam fortuna, & meo animo, & tuo studio respondeat. Non alia ratione poteras me magis deterrere, quam qua me conatus es incitare. Ais quicquid præscripsero, omnes habituros oraculi vice. Absit ut in negocio tam periculoso, meam auctoritatem quisquam sequatur. Strenue tu quidem suffundis aquam, quod ajunt, sed mihi magis opitulatore opus est, quam hortatore. Quin ipse capessis ad quod me instigas? Si videres vires meas esse pares negocio, nihil esset opus, qui adderet animum. Animi satis est, si tantundem esset virium. Næ tu equum, quod ajunt, in campum provocas. Te quidem auctore nihil non audebo. Iste tuus animus tam feliciter ominans, mihi fuerit auspicii vice. Nutantem animum, tua exhortatio totum impulit in curam hujus negocii. Omnis jacta sit alea. Nos tuis auspiciis, rem fortiter aggrediemur. De exitu viderint Superi. Nos quod in nobis est, fortem & erectum animum præstabimus. Age, nos vela ventis pandemus. Tantum ut fortibus ausis adspirent Superi. Utinam, quemadmodum addis animum, ita possis & successum rei dare. Tanti est apud me tua auctoritas, ut te auctore non dubitem vel in medio saltare foro. Quis tam est Thersites, quem ista tua tam ardens oratio non faciat virum? Acres stimulos addidit tua exhortatio, sed jam currenti, ut ajunt. Quod mea sponte faciebam, id tuo hortatu multo faciam alacrius. Ut forti militi tubæ sonitus ad prælium addit animos, ita tua exhortatio me satis jam animatum, reddidit alacriorem. Ut qui monet quasi adjuvat, quemadmodum ait Plautus, ita qui hortatur, qui acclamat, qui applaudit.

Cap. XLV.

De Epistola Suasoria.

JAm ad suasorium genus veniamus: quod quidem ab illo superiori non admodum abhorret. Nam ut illic, ita hic quoque laudem, spem, exspectationem, cohortationi nonnunquam admiscemus. Complectitur autem hoc genus varias Epistolarum species, quas separatim tractabimus. Nam & qui petit suadet, & qui commendat, & qui consulit, & qui monet, & qui consolatur. Suasoriam igitur Epistolam hoc pacto licebit instituere. Si res postulabit captanda paucis est benevolentia. Id quemadmodum fieri conveniat, a Rhetoribus diligenter monstratum est. Deinde narrationem subjiciemus, in qua omnia ad suadendum accommodabimus, & tanquam argumentorum semina jaciemus. Deinde si res ipsa partes in se continebit, eas cum divisione proponemus. Quod si simplex erit, ipsi nostro ingenio divisionem faciemus, & rationum capita, a quibus potissimum sumus suasuri, sub distributione, ut diximus, enumerabimus. Deinde singulas rationes varie, copioseque tractabimus. Si quid vehementer nostræ rationi videbitur officere, id statim in principio destruemus: aut ut quicquid inciderit, ita confutandum erit. Sed de rationum inventione prius, postea de earum tractatione præcipiemus. Sumuntur autem rationes ab his potissimum partibus, honesto, utili, tuto, jucundo, facili, necessario. Honestum autem dividitur in rectum & laudabile. Rectum in virtutem & officium. Virtus in prudentiam, justitiam, fortitudinem, temperantiam. Prudentia, in intelligentiam, memoriam, providentiam. Justitia in naturam, consuetudinem & legem. Natura in religionem, pietatem, gratiam, vindicationem, observantiam, veritatem, pactum, par, judicatum. Fortitudo, in patientiam, magnificentiam, fidentiam, perseverantiam. Temperantia, in continentiam, clementiam, modestiam. Honestum est, quod propter se est expetendum. Rectum, quod cum virtute fit & officio. Virtus est animi habitus, rationi consentaneus. Officium est virtutis, ad unamquamque personam accommodatio. Id sumitur ab ætate, scientia, dignitate, professione, aliisque circumstantiis: ut aliud est officium militis, præceptoris, discipuli, Consulis, Prætoris, nobilis, plebei, obscuri, senis, juvenis, docti, indocti, viri, fœminæ, conjugati, cœlibis. Quæ quidem officia pro loco, tempore, & rerum conditione variantur. Prudentia est rerum multarum memoria, & usus complurium negociorum. Memoria est, per quam animus præterita repetit. Intelligentia est, per quam ea quæ sunt, perspicimus. Providentia est, per quam futurum aliquid videtur, ante quam fiat. Justitia est æquitas, jus unicuique tribuens, pro dignitate cujusque. Natura jus est, quod nobis non opinio, sed quædam vis innata inseruit. Religio est vis insita quæ Deorum metu, & cærimoniis hominem ducit. Pietas est in parentes, aut patriam aut alios sanguine junctos officium. Gratia est officiorum, honorum, & amicitiarum memoria, & remuneratio. Vindicatio est quæ vim, & contumeliam defendendo aut ulciscendo propulsat, per quam peccata punimus. Observantia est, per quam ætate aut sapientia, aut dignitate aliqua antecedentes veneramur. Veritas est, quæ nos movet ut rem sicuti est & sicuti scimus dicamus. Consuetudo jus est, quod sine lege propter vetustatem, æque ac si legitimum sit, usitatum est. Pactum est, quod inter aliquos convenit. Par est, quod inter aliquos commune & æquale est. Judicatum est, de quo alicujus, vel aliquorum sententia jam constitutum est. Lex jus est, quod aut populi, aut Imperatorum jussu constitutum est. Fortitudo est rerum magnarum appetitio, & rerum humilium contemptio, & laborum cum utilitatis ratione perpessio. Magnificentia est rerum magnarum, cum ampla animi cogitatione administratio. Fidentia est per quam animus in magnis & honestis rebus multum in se fiduciæ certa cum spe collo-

[Marginalia: Quibus partibus constet suasoria Epistola. — Narratio. — Divisio. — Confutatio. — Enumeratio partium a quibus constet. — Partes a quibus suadetur. — Diffinitiones singularum. — Honestum. — Memoria. — Intelligentia. — Providentia. — Justitia. — Natura. — Religio. — Pietas. — Gratia. — Vindicatio. — Observantia. — Veritas. — Consuetudo. — Pactum. — Par. — Judicatum. — Lex. — Fortitudo. — Magnificentia. — Fidentia.]

cavit. *Patientia.* Patientia est rerum arduarum, ac difficilium honestatis, ac utilitatis causa, voluntaria, & diuturna perpessio. *Perseverantia.* Perseverantia est in ratione bene considerata, stabilis & perpetua permansio. *Temperantia.* Temperantia est rationis in libidinem, atque alios non rectos impetus, animi firma, ac moderata dominatio. *Continentia.* Continentia est, per quam cupiditas, consilii gubernatione regitur. *Clementia.* Clementia est, qua animi temere in odium concitati, comitate retinentur. *Modestia.* Modestia est, per quam pudor honestus, claram & stabilem comparat auctoritatem. Hæc sunt quæ honesta appellantur, propter se expetenda. Quæ his autem contraria sunt, turpia nominantur, & propter se sunt fugienda. Et quoniam virtutibus vitia sunt finitima, non difficile erit, quamvis rem vel ad laudem, vel ad reprehensionem retrahere: idque vel a nominis depravatione, vel ab aliqua circumstantiarum. Sed hæc Rhetorum sunt, & ex eorum præceptis mutuanda. *Laudabile.* Laudabile est, quod conficit honestam & præsentem, & sequentem commemorationem. Id ex officio & virtute nascitur, neque unquam ab honesto separatur. *Utile.* Utilitas in conservatione præsentium & comparatione sequentium commodorum, & in eorum quæ his sunt contraria, evitatione consistit. Commodorum vero, quæ & bona appellantur, quædam sunt corporis: ut forma, vires, facultas, & ejusmodi: quædam animi, ut docilitas, celeritas ingenii, memoria felix, bonitas naturæ & indolis. Ad hæc quæ nostra paramus industria, eruditio, magnanimitas, temperantia, ac cæteræ virtutes: quædam fortunæ, ut honores, magistratus, opes, amici, & ejusmodi. Horum, ut quicquid tractandum sit, ne sim prolixior, a Rhetoribus peti jubebo. Tantum argumentandi formas annotabo, quæ Rhetori conveniant: nam eas quas in tres figuras digessit Aristoteles, magna ex parte frigent, etiam in Philosophorum scholis. Quanquam hanc partem non repperi in exemplari, quod apud me fuit manu descriptum. Atque inter recognoscendum plane comperi, hoc ab alio quopiam assutum fuisse, qui nactus sit hæc in schedis meis, ex Rhetorum præceptionibus, in alium quempiam usum decerpta. Non resecuimus tamen, quod in his magis desideraremus aptam tractationem, quam utilitatem.

CAP. XLVI.

DE COMPLEXIONE, ET CÆTERIS ARGUMENTATIONUM ORATORIARUM GENERIBUS.

Exempla. Complexio est, in qua utrumvis concesseris, reprehenditur. Vare, si tibi bonus præceptor fui, quid insectaris bene meritum? sin malus, cur revocas? Poetas desine calumniari, quos si ipse didicisti, cur in aliis reprehendis, quod ipse feceris? sin, quod magis credo, non didicisti, cur quod ignoras calumniaris? Pater si maritum improbum noveras, cur me illi collocasti? si probum, cur distrahis? Gabinium admonendum non censeo: nam si probus est, non est reprehendendus: sin improbus, admonitionem tuam contemnet. Miserum est habere uxorem: nam si formosa sit, metu angeris: sin deformis, hoc ipso miser eris, quod deformem habes. Si meministis, obtundam: sin obliti estis, quum re nihil egerim, quid verbis efficere possim? Stultum est, cuiquam absenti obtrectare: nam si amicus est, cur præsentem potius non admones? sin inimicus, cur odium ejus irritas, & illi nihil noces? De futuris eventis angi metu non debemus: etenim si bona sint, frustra metuimus: sin adversa, infelicitatem duplicamus.

De falsa complexione. Depravata autem complexio dicitur, quum aut utraque pars, aut altera converti potest, & in adversarium retorqueri: ut illud apud Aul. Gellium: Intendo tibi litem: si persuasero me nihil debere, non reddo mercedem, quia persuasi: sin minus persuasero, nihil debeo: neque enim didici artem. Sic utraque pars convertitur: Si persuaseris te nihil debere, dabis, quia didicisti artem: sin minus persuaseris, rursus accipiam, quia non persuasisti. Accusandus omnino non est: nam si veretur, quid eum accusas, qui probus est? si non veretur, quid eum accusas, qui id parvi æstimet? Inverte partem priorem: Imo si veretur, maxime est accusandus, ut corrigatur. Inverte posteriorem sic: Imo si non veretur, hoc ipso est accusandus, quia improbus. Complexio, quæ ex oppositis partibus constabit, refelli non poterit, ut hæc: Non sum accusandus, si aliter evenit quam putavi. Nam si sciebas id non profuturum, tu potius es accusandus, qui quod Reipublicæ utile videbas, præsens conticuisti: sin nesciebas, nec hic sum accusandus, cum & tu ejusdem futurorum inscitiæ reus sis.

De enumeratione. Enumeratio est, in qua pluribus rebus expositis, ac cæteris infirmatis, una reliqua necessario confirmatur, hoc modo: Si illum ab hoc dicis occisum, quum sine causa nunquam suscipiatur maleficium, necesse est, aut metu, aut odio, aut spe alicujus commodi, aut amici alicujus gratia ab hoc esse occisum: sed neque odium, neque metum, neque spem intercessisse, neque ad amicum aliquem mortem ejus pertinere, probare poteris. Relinquitur ergo ab hoc non esse occisum.

ALTERUM EXEMPLUM.

Quoniam hunc fundum constat meum fuisse, quem tu nunc possides, necesse est aut hæreditate tibi obvenisse, aut te vacuum occupasse, aut hunc emisse, aut usu tuum fecisse, aut certe me inde vi dejecisse. Me vivo, mea res hæreditate tibi obvenire non potuit. Emptio nulla profertur. Vacuum, quod meum fuisse constat, possidere non potes: usu tuum non fecisti. Relinquitur igitur, ut vi me a mea possessione dejeceris: Hæc argumentatio confutatur, si aut unum aliquod membrum, quod ab adversario præteritum erat, profertur: aut si unum quippiam ex his quæ prolata sunt, falsum ostenditur. Ut si dicat eum agrum sibi datum esse, quod ille in enumeratione præterierat: aut si emptionem proferat, quod alter in enumeratione negarat.

De simplici conclusione. Simplex conclusio, est argumentatio, in qua ex eo quod antecedit, aliquid consequi necesse est, hoc modo: Si hunc hominem in provincia constat fuisse occisum, ab hoc qui tum Romæ fuit, occidi non potuit. Item: Spirat, igitur non est mortuus. Peperit, igitur cum viro concubuit. Cum viro concubuit, igitur virgo non est. Homo est, igitur animal est. Poetas novit, igitur didicit. Hæc argumentatio confutatur, si non cohærere consequens ostenditur: ut, Si mater est, diligit filium. At Medea (dicet adversarius) filium interfecit. Poeta est, igitur lascivus. At Prudentius continentissimæ vitæ fuit. Sunt enim quædam, quæ probabiliter quidem, ac juxta sensum communem, sed neque necessario, neque perpetuo consequuntur. Fere fit ut juvenes illaqueentur amoribus, sed reperias castissimis moribus præditos. Aut si quod antecedit negabitur: ut si in primo exemplo dicat adversarius, eum non Romæ, sed in provincia fuisse.

De subjectione. Subjectio est argumentatio, in qua quærimus, quid pro adversario, aut contra nos dici possit. Deinde per singulas interrogationes, propere subjicimus rationes, quibus id quod dictum est, non ita esse ostendimus, hoc modo: Quæro igitur, unde iste ex tenui, tam pecuniosus sit factus? patrimonium amplum relictum est? At patris bona venierunt. Hæreditas aliqua obvenit? At a suis exhæredatus est. Ex mercatura quam agere constituit, quæstum maximum consequutus est? At ex ea re, quæ habere videbatur, omnino amisit. Quare si his rationibus locupletatus non est, aut illi aurum domi nascitur, aut unde non oportuit, surripuit. Numeratur hæc argumentatio & inter exornationes. Nam quatenus aliquid colligimus, argumentatio est: quatenus ornatam conficit orationem, exornatio putatur. Neque tantum ad concludendum adhibetur, quum non minus habeat dignitatis, hoc modo: Quid faciam miser? taceam? instigem? purgem me? laterem lavem. Reprehenditur hæc argumentatio, ut enumeratio: a qua non multum differt, si aut aliquid prætermissum ostenditur, aut infirmatur aliquid ex enumeratis.

De oppositione. Oppositio est argumentatio, in qua ex opposito propositionis ad ipsam propositionem revertimur, hoc modo: Si eo tempore, quo hunc hominem in provincia occisum dicitis, Romæ fui, relinquitur a me occisum non fuisse. Hæc propositio est, cujus oppositum sequitur. Nam si eo tempore, quo hunc hominem in provincia oc-

occisum dicitis, in provincia fuissem, a me occisum suspicari poteratis: nunc autem, quum eo tempore in provincia non fuerim, nihil est quod hominem a me occisum suspicemini.

ALIUD EXEMPLUM.

Oportet novo exemplo contra Cimbros Cajum Marium imperium continuare. Nam si pax esset, & nullus nos ad novas cogitationes cogeret, liceret autem facere quæ volumus, nunquam nobis Quirites novandum aliquid dicerem contra exempla atque instituta majorum. Contentus enim essem moribus his, legibus, eaque consuetudine, quæ nobis a patribus tradita est. Nunc autem cum bellum acerrimum sit, & hostes Italiam devastent, quotidieque propius veniant, ac jam urbi imminere videantur, is qui omnibus Imperatoribus antecellit Cajus Marius, vel contra instituta civitatis (silent enim leges inter arma) ut nos liberet, novo quodam exemplo, hoc etiam anno consulatum ac imperium contra Cimbros accipiet. Etenim quæ non faceremus, si pax esset, hæc nobis cum bellum sit, necessario suscipienda videntur.

Redit ad primam propositionem.

ALIUD EXEMPLUM.

Non ab insignibus modo, verumetiam a levissimis vitiis nobis temperandum est. Nam si nulli nobis essent inimici, facile istis vitiis ignoscerem, quæ & humana sunt, & ipsa ætate pene excusantur. Nunc autem quum in dignitate vitæ constitutus, a pluribus invidis & malevolis observeris, dandam tibi operam censeo, ne vel in minima culpa deprehendi queas.

Hac propositio est oppositum.

ALIUD EXEMPLUM.

Gravissime omnino istam injuriam feram necesse est, quæ si mihi ab alieno quopiam, de quo nihil essem bene meritus, objecta esset, æquiore animo ferrem, liceret enim inimicum ulcisci, & simplex vulnus esset. Nunc autem quum ab eo hanc contumeliam acceperim, qui cum summa mihi familiaritas fuit, & in quem tantum officiorum contuli, quantum in alium neminem, non molestissime ferre non possum. Duplicatur enim vulnus, quum injuriæ ingratitudo summa additur, & eum, quo amico sum usus, sine summa turpitudine non licet ulcisci.

ALIUD EXEMPLUM.

Haud æquum est, ut tibi meam operam sine fructu commodem. Nam si referendi facultas tibi deesset, voluntas prompta adesset, voluntate contentus essem. Nunc autem quum sis opulentissimus, & id tibi supersit, quod mihi deest, haud par est, te gratis meum officium postulare.

Violatio.

Violatio, quam Græci βίαιον appellant, est argumentatio, in qua ex adversariorum ratione, non id quod ipsi volunt, sed quod nobis utile est, sequi demonstramus. Hæc in confutatione solum adhibetur.

EXEMPLUM.

Non est ducenda uxor: Ratio, eo quod ex connubio, in orbitatem & luctum incidamus. Imo eo maxime est uxor ducenda, quæ filiis aliis procreatis, luctum orbitatis a nobis expellit.

ALIUD EXEMPLUM.

Non sunt legendi Poetæ, demulcent enim legentis animum, & alliciunt. Imo ob id ipsum sunt legendi, quia demulcent animum.

ALIUD EXEMPLUM.

Nihil est magni tentandum cuiquam, eo quod brevis sit hominis vita. Imo tanto magis aliquid egregii tentandum erit, ut quum diu vivere non possimus, aliquid relinquamus, quo nos vixisse testemur. Et iterum: Damnandus est, occidit hominem: imo præmio donandus, quia tyrannum hominem occidit.

De inductione.

Inductio est argumentatio, quæ rebus non dubiis concessis, propter similitudinem, rem quæ dubia erat, comprobat. Dic mihi Prætor, variis sententiis pugnandum, necne, si illo die inter nos dissensissemus, utrius sententiæ staretur? Non est dubium, inquis, quin Consulis. Quod si diversa fuissent auspicia, & mea quidem pugnandum eo die significassent: tua, quiescendum: meisne auspiciis pugnandum fuisset, an tuis quiescendum? Meis scilicet, quia Consul fui, parendum dices. Age vero, si meis auspiciis, mea sententia, pugnatum prospere est, æquumne tibi videtur, eum honorem ex ea re assequi, cujus nec sententia, nec auspiciis quicquam actum est?

ALTERUM EXEMPLUM.

Dic mihi senex ingratissime, si nihil in te beneficii collocassem, num tu me injurium vocasses? Non, inquies. Neque enim injuria videri potest, si nihil de eo bene merearis, cui nihil debes. Nunc igitur quum ultro plurimum in te officii contulerim, non æquum est te mihi succensere, quod bene facere desierim, quod succensere non poteras, etiam si nunquam bene facere cœpissem.

De collectione.

Collectio est argumentatio, quæ rationibus & expolitione absolvitur. Hæc in quinque partes distributa est: propositionem, rationem, rationis confirmationem, expolitionem, & conclusionem. Propositio est, per quam summatim ostendimus, quid sit, quod probare volumus. Ratio est, quæ demonstrat verum id esse, quod proposuimus uno aut pluribus argumentis. Rationis confirmatio, quæ rationem expositam corroborat. Expolitio est, quæ rei locupletandæ & honestandæ causa sumitur. Conclusio est, quæ postremo diffusius dicta breviter colligit partes argumentationis.

EXEMPLUM.

Propositio. Quoniam breviter docui, judices, qua de causa semper Ulysses Ajacem exstinctum voluerit, nunc quid vobis impedimento sit, quin eum ab hoc interfectum vel hac luce clarius videatis: potuisse quoque quod voluerit facile perficere, quam brevissime ostendam. *Ratio.* Nam is quum sine sociis acerrimum virum videret, tum demum cogitavit posse eum incautum opprimi. *Confirmatio.* Etenim quum arborum frequentiam prospectum omnem eripere videret, tum eum securum, aliis cogitationibus occupatum, non ante quicquam adversi suspicaturum arbitrabatur, quam ei gladium occultus infigeret. *Expolitio.* Itaque solitudo loci, obscuritas, insidiæ præparatæ ac dolus, acerrimi, & capitalis inimici nihil metuentis, solitudo & securitas, potestatem interimendi fortissimum virum, deterrimo omnium atque perfidissimo præbuerunt. Non credat hoc quisquam nisi constet nihil esse Ulyssis animo sceleratius, atque improbius. Cujus rei indigna mors Palamedis præclarum testimonium est, quum singularis prudentiæ virum dolo atque insidiis confisus, vel publico judicio superare posse speraverit. Quod si non in sylvis, neque in solitudine, sed celeberrimo loco, cunctis spectantibus, publico judicio, sapientissimum hominem superare posse credidit, quanto magis solum, atque incautum, idque in latebris interimere posse speravit? præsertim quum Palamedis injusta nex animum ad majus facinus audendum accenderit. *Conclusio.* Quare si sylvam, si solitudinem, si illum inermem, incautum, hunc præmeditatum hæc omnia, paratumque fuisse intellexistis, nolite amplius dubitare, judices, Ajacem ab Ulysse occidi potuisse.

ALIUD EXEMPLUM.

Propositio. Nihil dementius est, quam de improbo homine bene mereri. Quisquis enim id facit, suo officio, suoque sumptu hostem sibi facit eum, quem neque amicum, neque inimicum habere licuit. *Ratio.* Nam si eum suis officiis nullis devinxisset, nihil cum improbo commercii fuisset. Nunc quum is ei se devinctum sentiat, cui gratias referre nolit, cui debitorem videri pudeat, necesse est, ut ejusmodi hominem exstinctum velit, ne sit, cui debere superbissimus simul, & ingratissimus homo videatur. *Confirmatio.* Id si cui obscurum videtur, Trebonii hominis innocentissimi casu, liquido poterit intelligere: qui quum Varum senem, omnium quos terra sustinet, ingratissimum, amicum etiam habere potuisset, si nihil de eo meritus esset, eum suis summis beneficiis acerrimum effecit inimicum. Itaque quanto se devinctiorem illi intelligit, cui homo superbissimus minime velit, tanto diligentius in ejus perniciem incumbit. *Expolitio.* Quis eum hominem sanæ mentis judicaret, qui latroni gladium quo ipsum jugularet, ultro ministraret? *Conclusio.* Nihilo plus sapit is, qui improbum & ingratum demerens, causam illi præbet, cur se perditum velit. Quare cum nostro beneficio sum-

summum malum nobis parari intelligamus: & quemadmodum amico nostro cesserit, videamus, ipso Oreste videbimur insaniores, si posthac improbum hominem nostris beneficiis demereri velimus.

ALIVD EXEMPLVM.

Propositio. Sapientis est famæ suæ longe diligentius, quam opibus suis, non minus vero diligenter quam vitæ consulere. *Ratio.* Minus siquidem damni, & incommodi accipit, qui pecuniam, aut etiam vitam amittit, quam qui famam. *Confirmatio.* Pecunia enim amissa sarciri potest, fama semel amissa, in integrum restituitur nunquam. Et vita quidem corporis, quum certos a natura terminos acceperit, in longum tempus extendi nequit. Fama vero hominis quæ est altera, & potior vita nostra, etiam post cineres, & rogum superest. Vitam igitur quisquis eripit, rem adimit, qua nullo etiam auferente, diu frui non poteramus. At famam qui eripit, re immortali, & pulcherrima nos spoliat. *Expolitio.* Quod veteres recte intellexisse mihi videntur, qui non pecuniam modo, verumetiam vitam ipsam effundere non dubitabant, quo nomen suum quam maxime prorogarent. Multos fuisse eo animo legimus, ut postquam se fama spoliatos viderent, ne causam quidem esse putarent, cur diutius in vita manerent. Adeo gravius famæ, quam vitæ dispendium judicabant. *Conclusio.* Quod si homines iis rebus maxime timere videmus, quæ cum sint preciosissimæ, facillime tamen perduntur, ac difficillime restituuntur: sapiens existimandus non est, qui famæ, quæ neque restitui potest semel amissa, & qua nihil habet homo preciosius, non multo diligentius consulendum putat quam pecuniæ, aut etiam vitæ. Potest etiam tribus duntaxat, aut quatuor partibus confici collectio: si vel confirmatio, vel expolitio, vel utraque omittitur.

De ratiocinatione. Ratiocinatio est argumentatio perfectissima, quæ accommodatione assumptionis, ad id quod propositum est, elicit conclusionem. Hæc quoque sicut collectio paucioribus partibus constare potest, tamen ea quæ perfectissima putatur, quinque partibus consumitur: Propositione, ratione, propositionis assumptione, assumptionis ratione, & complexione. *Propositio.* Propositio est per quam breviter is locus proponitur, ex quo omnis emanat vis argumentationis. Ratio est, quæ demonstrat verum esse, quod proposuimus uno, pluribusve argumentis. *Assumptio.* Assumptio est oratio per quam id quod ex propositione ad ostendendum pertinet, assumitur. Assumptionis ratio est, per quam id quod assumptum est, confirmatur. Complexio est, per quam id quod ex tota argumentatione conficitur, exponimus hoc modo. Omnes qui causam habent ad suscipiendum facinus, si vita eorum a maleficio non abhorret, libenter maleficium suscipere solent. At Ulysses interficiendi Ajacis summam causam habuit: nec est homicidium ab ejus vita alienum. Ulysses igitur interficiendi Ajacis maleficium suscepit. Hæc est ratiocinatio tripartita, omissis rationibus.

Propositio. Hanc quinque partibus hoc pacto tractabimus. Omnes homines, judices, quorum vita per consuetudinem a scelere non abhorret, odio sic moventur, ut vehementer exoptent suas inimicitias, quovis explere facinore. *Ratio.* Nam ejusmodi homines, qui manus semper injusto sanguine cruentas habere consueti sunt, quum non possint a vitio animi recedere: non solum, quum aut ita accidit, ut commodum consequantur, aut incommodum maleficio vitent, moventur ad facinus: verumetiam ipsi causas quærunt, quibus socio injurias manus adferant. Etenim si boni viri cavendum putant, ut ne causam quidem habeant, qua prætermittere officium compellantur, hos crudeles viros, hos iniquos, qui semper sanguine gaudent, non mirum est interficiendi hominis causam quærere. Præterea, si boni nonnunquam metu, aut inimicitiis a recta via qua semper vixerunt depulsi sunt, quis non credat homines pravos commodo suo moveri, ut conservare consuetudinem suam velint? Illi virtutem sibi solitam utilitate decepti omittunt: hi officium quod nunquam observaverunt, quum utilitatem scelere adipisci se posse intelligunt, observabunt? Videlicet ignoratis, judices, quanta vis sit iræ? quid inimicitiæ possint, quid odium pariat? Non dico hic belluas ira & odio moveri, ut alteri noceant. Non dico multos sapientissimos viros, odio atque ira permotos, temperare sibi non potuisse. Præterire melius est, quot urbes, quot regna, quot gentes infectæ odio jacent. Quare judices, si etiam bonos inimicitiis corrumpi videtis, hujusmodi homines qui per consuetudinem a maleficio abesse non possunt, odio motos, obtruncare inimicum voluisse dubitatis? At Ulysses acerrimus inimicus, capitalique odio ab Ajace dissidebat. *Assumptio.* Scitis enim omnes, scitis: nec opus est, ut altius rem vobis aperiam, quem in illum animum gessit, post iniquissimam illam contentionem armorum. Scitis timidum hunc hominem, qui nihil unquam virtute animi, omnia fraude egerat, fortissimum hominem, acerrimum hostem, inimicorum persecutorem, injuria lacessitum vehementer extimuisse. Intelligebat enim nisi vitam illi eriperet, se incolumem esse non posse: consueverat, si manifeste non poterat, quovis modo adversarios aggredi: cui rei Palamedis indigna mors testimonio est, quem quum prudentia omnes superare videbat, non ignoratis qua proditione, quibus insidiis, qua invidia motus, occiderit. Atque ex illo nullum periculum metuebat. Ajacis metu conficiebatur. *Complexio.* Hac in re invidia, odium, ira, & metus simul concurrunt. In Palamedem invidia solum movebatur. Quare judices, hujusmodi homines, vel parva de causa maleficia suscipere solent. Hic autem odio acerbo Ajacis, ac metu perculsus erat. Non est audiendus, si neget se Ajacem interficere voluisse. *De propositionis inventione.* Propositiones autem, a principalibus causarum locis inveniuntur, ut in conjecturali statu, a petitione testium, hoc modo: Sine testibus non est audiendus adversarius. In negociali constitutione, a lege hoc pacto. Non oportet aliquid innovari contra leges. His contraria, ut non sunt omnis rei petendi testes: plurima enim flagitia occulte committuntur. Et hoc tempore contra leges aliquid innovare oportet. *De exornanda propositione.* Si vero id quod ab adversariis propositum est, aut proponi poterat refellere voluerimus, tum utendum erit, propositione, sublatione, apposita propositione, solutione. Propositio est, sublationis pollicitatio. Exemplum: Nec me clam est, quid callidissimus senex calumnietur. Sublatio est adversarii. Exemplum: Non debuisse me contra pactionem discedere. Opposita propositio est, solutionis pollicitatio. Ut, verum id quam frivolum sit, non est difficile ostendere. Solutionem secundariis locis confirmabimus, hoc modo: Ridicule enim mihi pactionem allegat, quam ipse prior solvit. Convenerat, ut biennium abs me doceretur, fateor: verum ea lege, ut ille mores in melius mutaret. Nunc quum ex malo factus sit pessimus, ab utro nostrum est pactio violata? nempe ab isto.

ALIVD EXEMPLVM.

Nec audiendos Theologos puto, qui Poetas legendos negent, quod verborum nitore legentis animum vehementer alliciant. Quid enim magis pro Poetis dici potest? Nam si, ut fatentur, Poetæ mira quadam dicendi politie, venustateque delectant: quum ea voluptas non modo a turpitudine absit, verumetiam summam adferat utilitatem, causa est ostensa, cur maxime Poetas legere debeamus. *De rationum inventione.* Rationes porro, quibus propositiones confirmantur, inveniuntur a circumstantiis, quæ sex numerari solent: Persona, res, causa, locus, tempus, modus: quibus additur a nonnullis septima, materia. *Persona.* Persona est, quæ ad aliquam rem confirmandam, vel infirmandam capitur, hominis conditio. Persona est duplex. Una extra causam, ut majorum aliorum judicum, auditorum. Alia in causa, ut accusatoris, rei, judicis, testium. *Quæ consideranda in unaquaque persona.* Persona in decem partes distribuitur: Nomen, naturam, victum, fortunam, habitum, adfectionem, studia, facta, casus, orationes. Additur & consilium. *Nomen.* Nomen proprium, ut Cato Sapiens, Aristides Justus, Metellus Numidicus Pius, Pomponius Atticus, Melanius Polynices, Petrus Candidus. Nomen commune civitatis, aut gentis, aut provinciæ, ut Pœnus perfidus, Græcus levis, Athenienses studiosi, Romani bellaces. Ab his sæpe rationem ducimus, maxime in genere demonstrativo, nomen fortuito impositum

tum in calumniam trahentes. Ut, Hic vero nomine Niger, nomen ex re habet. Credo hoc nomen non fortuito, sed præsagio quodam & omine contigisse. Aut invertimus nomen: ut, falso nomine Innocentius, quum nihil sit eo nocentius. Candidus quum præter nomen nihil habeat candidi. Aut per antiphrasin, ut, Vigilantius dictus, quum Dormitantius merito debeat appellari. Fingimus & ipsi nomina, de quo suo loco dicemus. Nihil enim ad rationum inventiones ea res attinet. *Natura.* Natura aut divina, aut humana, & mortalis est. Divina sumitur ex auguriis, extis, ominibus, prodigiis, oraculis, divinitus dictis. Mortalis natura dividitur in sexum, ut vir, mulier. Nationem, ut Græcus, Barbarus. Patriam, ut Romanus, Atheniensis. Cognationem, ut nobilis, ignobilis. Ætatem, ut puer, juvenis, senex. Dignitatem, quæ in commoda animi & corporis distribuitur, sive etiam incommoda. Animi autem commoda, & incommoda sunt, ut acutus, hebes, memor, obliviosus, prudens, stultus, timidus, audax: dum hæc insunt a natura, non industria comparata. Corporis autem sunt, valetudo, imbecillitas, longitudo, brevitas, formositas, velocitas, tarditas, candor, fuscedo: item & nasutus, hirsutus, glaucus, & hujusmodi. *Victus.* Victus distribuitur in educationem, apud quos, quo modo, & cætera. In usum, ut quo in negocio, quo quæstu sit occupatus, & cætera. In mores, ut libidinosus, an frugi, avarus, an liberalis, & ejusmodi. *Fortuna.* In Fortuna considerandum est, servusne sit, an liber, pecuniosus, an tenuis: exul, abdicatus an secus: privatus, an cum potestate: fortunatus, an infortunatus. *Adfectio.* Adfectio est animi, & corporis ex tempore aliqua mutatio, ut vultus, lætus, tristis, cupiditas, metus, titubatio, pallor, rubor, tremor, oculorum suffusio, gestus insolitus, incessus modo citus, modo tardus, quæ inter signa conjecturalia numerantur. *Habitus.* Habitus virtutes, & vitia corporis & animi complectitur, quæ non insunt a natura, sed industria sunt comparata, ut velocitas, robur, ingenium, memoria, probitas, eruditio, facundia & hujusmodi. *Studium.* Studium est vehemens animi ad rem quampiam applicatio, ut Medicus, Orator, Poeta, Theologus, miles, vel equorum studiosus, & ejusmodi. *Facta, casus & rationes.* Facta, casus, & rationes, ex tribus temporibus considerantur. Ex præterito quid fecerit, quid illi acciderit, quid dixerit. Ex præsenti, quid faciat, eveniat, quid dicat. Ex futuro quid facturus sit, quid illi eventurum sit, quæ dicturus sit, aut ipse aut ejus socii, cives, majores, amici, inimici. *Consilium.* Consilium est faciendi excogitata ratio. *Res.* Res est totius negocii certis signis conflata complexio, quæ potissimum in epilogis adhiberi solet. *Causa.* Causa dividitur in impulsionem, ratiocinationem. Impulsio est temerarius impetus animi ad aliquid faciendum, aut non faciendum, ut ira, cupiditas, violentia, timor, furor, & omnis animi perturbatio. Ratiocinatio est quæ commodorum comparatione, aut incommodorum vitatione, ad rem hortatur. Ea consistit in commodorum adeptione, retentione, augmento, aut incommodorum evitatione, rejectione, diminutione. Est autem duplex causa, principalis & accessoria. Principalis, ut occidit hominem ex quo pecuniæ maximam summam sperabat. Accessoria, præterea non ignorans se Clodio, hujus inimico acerrimo rem gratam facturum. *Locus.* Locus opportunus, an importunus, angustus, amplus, nemorosus, montuosus, longinquus, an propinquus, celebris an desertus, sacer an profanus, publicus an privatus. *Modus.* Modus, clam an vi, palam an occulte: persuasione an sponte: audacter an captiose: insciens an prudens: amore an odio. *Materia.* Materia, fuste an gladio, arcu, veneno, incantationibus. Nunc quomodo rationes a circumstantiis inveniantur, exempla subjiciamus. *Propositio.* Proditor es patriæ Catilina, nisi hujus rei testes Cicero produxerit, non est audiendus. *Ratio a persona rei.* Ea enim nobilitate, his majoribus natus sum, ut sine testibus, id de me suspicari non debeatis. *A persona adversarii.* Atque ideo magis expellendus est Cicero, quum hæc sine testibus dicat, quod mihi semper inimicus fuerit, & nobilitati (utpote novus homo) infestus. *A persona judicum.* Nam vestræ prudentiæ, judices est eam potestatem, talibus viris non concedere, ne fictis argumentis nobiles homines circumveniant. Non enim

A tanti sceleris suspitionem sine testibus approbare debetis. *A re.* Præsertim in hac Republica, in qua leges sanctissime semper sunt conservatæ. *A loco.* Atque ideo magis expellendus, ne si fictis argumentis locus dabitur, multos *A causa.* nostrum, hi novi homines invadere conentur. *A tempore.* His præsertim temporibus, quibus ignobilium animi, in nobilitatem sunt accensi: & ea licentia vivitur, ut nemo falsa crimina non excogitet. *De inventione confirmationum.* De circumstantiis hactenus, unde rationes propositionum inveniuntur. Nunc de confirmationum inventione. Profluit autem omnis confirmatio ab iis locis. Ab exemplo, minori, majori, æquali & contrario.

EXEMPLUM.

B *Propositio.* Oportet tempore belli ob civitatis emolumentum aliquid innovare. *Ratio a persona.* Et maxime nobis Romanis id licet, qui semper ad utilitatem Reipublicæ aliquid novi solemus excogitare. *Ab exemplo.* Majores enim nostri ex commodo Reipublicæ Reges expulerunt, & Decemviros continuare imperium passi sunt: & Tribunos plebis sacrosanctos constituerunt. Scipionem ante tempus Consulem creaverunt. *A minori.* Si paterfamilias multa e re sua, innovare non veretur, Senatus ob Reipublicæ commodum quippiam innovare non audebit? *Confirmatio a contrario.* Si tempore pacis innovare quicquam solemus, tempore belli, quum res postulat, est innovandum. *De inventione expolitionis.* Profluit expolitio a circumstantiis, unde & rationes. Est autem expolitio, quidC dam ex ratione, confirmationeque conflatum, hoc modo. *Confirmatio.* Continuare Scipioni imperium, vel contra leges oportet. *Expolitio ex tempore.* Nam & majores nostri ex utilitate Reipublicæ Decemviros facile continuare imperium passi sunt. Atque illi tunc in pace, nos coacti bello quid faciemus? *A causa.* Et illi ad ornandam Rempublicam nos ad defendendam libertatem faciemus. *A re.* Et illi Decemviros continuare imperium simul passi sunt, nos unum solummodo non patiemur? *A persona.* Et illi Appium Claudium hominem, ut res docuit, libidine perditum, atque tyrannicum, nos Scipionem, qui ea continentiæ exempla dedit Numantiæ, ut omnium probatissimus videretur. In exornationibus vero longe aliter de expolitione præcipitur. Hoc moD nendus est studiosus, sicut ad unam propositionem confirmandam, plures rationes adferri posse, ita unamquamque rationem pluribus confirmationibus posse muniri: & item ad confirmandas singulas, plures expolitiones posse adhiberi. Verum quemadmodum rationes propositionibus brevitatis causa nonnunquam admiscentur, ita confirmatio rationi, confirmationi expolitio intexitur. *De Enthymemate & Epenthymemate.* Est igitur hoc loco expolitio, sive Enthymema, oratio quæ a circumstantiis ad confirmationem non sine collatione fertur. Epenthymema est quædam addita enthymemati acuta excogitatio. Exempli causa, *Propositio.* Coriolani factum plusquam hostile nobis videri debet: *Ratio a re.* tyrannicum enim est patriam expugnare. E Hostes enim oppugnandi non sunt, quibus hic majori odio est prosequendus, quod illi alienam, hic suam patriam oppugnat. *Confirmatio a contrario.* Et cui plurimum debet, hanc evertere conatur. *De comprehensione.* Fluit quidem comprehensio a circumstantiis, sed approbatur a quadam, aut totius in minora, vel pauciora, incisione, aut similium enumeratione, aut fictoria ratione, quæ oppositum rei confingat.

EXEMPLUM.

A fictoria ratione. Simulat non amat puella, quæ si virum quempiam amaret, non ego te veneficii accusarem. Si te ipsum arderet, artes tuæ mihi suspectæ non essent. *A similium enumeratione.* Si alium quendam furorem fureret: si alia ægritudine laboraret, F non te accusarem. *Ab incisione totius in pauciora.* Pater tres semel interfecit filios, si duos interfecisset, si unum solum, si non filium, tamen moleste ferretis. *Ab incisione in plura.* Misit centum talenta Philippus Atheniensibus, quibus Demosthenes sibi traderetur. Non si mille daret, non si decem millia, non si civitates, gentes, provincias, regna simul omnia conferret, Demosthenem qui Græciæ libertatem, tum prudentia sua, tum eloquentia tutatus est, traditurus putarem. *Ab incisione in minora.* His ego talentis, non dico Hyperidem, aut Æschinem, sed ne plebejum quidem quempiam, aut opificem, aut omnino civem infimum traderem.

ALTERUM EXEMPLUM.

Ego si tuos filios (si modo tui dicendi sunt, quos cru-

delissime trucidasti) aut verberibus affecisses, aut exilio, & abdicatione notasses, moleste tamen etiam ferrem, tot pulcherrimos juvenes vel clarissimo patriæ solo privari, vel indigne verberibus cædi. Nunc vero quum non abdicatione, non exilio, non verberibus, sed morte tres simul abstuleris, non expostulem? non accusem? non graviter feram? *Ab incisione totius in pauciore.* Et qui si unum interfecisses, exclamarem, nunc tribus necatis, silebo? Inveniuntur item argumenta, & rationes a locis topicis, nempe a genere, specie, differentia, proprio, definitione, toto, partibus, caussis, effectis, usibus, junctis, judicato, simili, majori, minori, pari, proportione, oppositis, transsumptione, casu, conjugatis, divisione.

A genere. Genus est, quod continet speciem. Ad generis negationem, consequitur & speciei remotio, non contra, ut: virtus non est, igitur nec justitia. Animal non est, igitur nec homo.

A specie. Remota specie, non consequitur remotio generis, sed affirmata specie, sequitur affirmatio generis. Justitia non est, igitur virtus non est, non consequitur: justitia est, igitur virtus est, consequitur. Ad remotionem tamen totius generis, consequitur remotio cujuslibet speciei. Rursus ad affirmationem totius generis, consequitur affirmatio uniuscujusque speciei, ut: omne argentum legavit, igitur & cœlatum legavit. Omnibus scientiis operam dare jubemur, igitur & Poeticæ. Nulla virtus est Principi negligenda, igitur nec clementia. Removetur tamen necessario genus, si quis formas ejus omnes per enumerationem negaverit hoc modo: Nam quod nec ratione utitur, nec brutum est, id ne animal quidem est.

A differentia. Differentia est, qua genus diducitur in speciem. A differentia æqualiter infertur, & removetur species, quam constituit. Genus autem comprobatur, non improbatur, ut supra dictum est de specie: ut: si sentit, est animal, si ratione caret, homo non est. Ratione non caret igitur & animal est. Nam si ratione caret, non statim animal non erit.

A proprio. Proprium est, quod soli speciei accidit, ut homini risus. Id, quemadmodum differentia, id cujus est proprium positum, infert, remotum aufert. Ut, quod risibile est, id hominem esse necesse est. Quod risibile non est, id ne homo quidem dici potest. Si tyrannicidæ proprium est tyrannum occidere, hic tyrannum occidit, igitur præmio donandus. Hoc quoniam proprium non est, sic confutabimus: Si tyrannum occidere, tyrannicidæ proprium est, carnifices, quibus tyrannos occidendos tradimus, tyrannum occidunt: carnifices igitur præmium accipiant.

A definitione. Definitio est cujusque rei breviter, & absolute potestatem complectens oratio. Hæc cum re definita convertatur, necesse est: ut, Si animal rationale est, igitur & homo: Quod nec animal est nec rationale, id homo non erit. Si homo est, ergo & animal rationale. Si homo non est, igitur ne animal quidem rationale. Definitio confutatur, si aut verum proprium, aut differentia vera, aut genus verum positum non est: si quid in altero continetur, aut excluditur, quod non idem in altero contineatur, aut excludatur hoc modo: Monetam omnem uxori legavit, cœlatum autem argentum moneta est: argentum igitur cœlatum omne legavit. Neque enim omne cœlatum argentum moneta dicitur. Nam patera, & hujusmodi cœlatum argentum est, nec tamen ista monetam vocant.

A descriptione. Constituuntur & definitiones ex accidentibus, quæ si hujusmodi sint, ut cum re definita convertantur, valet consequutio: ut homo est animal bipes, erectum, sine pennis. Psittacus avis est viridis, rostro adunco, collo rubro, torque insigni in senecta, quæ altero pede cibum tenens vescitur.

Alterum genus descriptionis. Constituuntur & definitiones ex enumeratis absolute partibus, speciebus, sive formis: ut, Respublica est, quæ unius, aut paucorum, aut populi potestate regitur. Hoc genus facile confutatur, si qua species in enumeratione prætерita additur. Exemplum. Injuriæ sunt, quæ aut pulsatione corpus, aut convicio aures afficiunt. Confutatur. Quid si quis filiam tuam rapiat, injuria non erit?

Ab etymologia. Etymologia est nominis interpretatio, sive notatio: ut, hic Chrysogonus est appellatus, quod aurum undecunque pariat. Nam χρυσὸς Græce aurum, γόνος fœtum significat. Fingit, igitur Poeta. De Deo disputat, igitur Theologus. Medetur, ergo Medicus.

A toto. A toto inferuntur partes, non removentur, hoc modo: Si tota Respublica consilio gubernanda est, ergo & domus, & unusquisque civium. Non tamen quoniam tota Respublica fortunæ committenda non est, idcirco nec tu te casui committes. Neque enim quia tota domus redintegranda non est, igitur nec paries unus. Verum partes si universæ colligantur, totum inferunt: si universæ removeantur, totum auferunt. Considerantur autem partes, a tempore, a quantitate, a loco: ut, Si neque in cœlo, neque in terra invenitur, nusquam igitur inveniri poterit.

A causa. Causa & effectum convertuntur, si modo ejusmodi sit causa, ut ab ea una fluat effectus, & ea sola sit idonea ad producendum effectum. Ea quadrifariam dividitur, in efficientem, materialem, formalem, & finalem.

Ab efficiente. Ab efficiente causa: ut, Non potest non esse dies, exorto sole. Nec virgo est, si cum viro concubuit. Si sapientia virum bonum facit, & ipsa bona est. Corpus in lumine est, ergo facit umbram. Voluptas infamiam gignit, igitur fugienda. Virtus honorem adfert, igitur appetenda. Coloratus est, igitur fuit in sole. Pulverulentus est, igitur in itinere fuit, non est consequens: harum enim rerum plures possunt esse causæ.

A materia. Sublata materia, & effectus necessario aufertur: ut, Lignum nullum habuit, nec naves igitur potuit fabricare. Ferrum cum deest, qui possunt gladios cudere?

A forma. A forma: ut, Aperte mentiuntur Poetæ volasse Dædalum: nam quod natura negat, nemo potest facere.

A fine. A fine ducuntur argumenta: ut, Felicitas est expetenda, igitur & virtus. Non malum est vivere, igitur nec comedere. Bona est medicina, nam & salus bona est. Bona est pax, igitur & bellum utile. Hæc argumentatio in conjecturali statu potissimum adhibetur.

Ab usibus. Ab usibus: ut, Equitare oportet, igitur & equi habendi. Navigare convenit, igitur & naves parare convenit. Tueri vitam licet, igitur & gladium ferre licet. Veterem Theologiam scire pulchrum, ergo & Poetas didicisse pulchrum erit.

A generatione. A generatione ad corruptionem: ut, Malum est exstinguere Rempublicam, igitur bona est Respublica. Concordia civium optima, cur non igitur & civitas?

Ab adjunctis. Ab adjunctis: ut, Cæsarem sapientissimum fuisse constat, quem nullius unquam rei pœnituerit. Stultus Antonius, qui nihil unquam gessit, cujus non postea pœnituerit. Pallet, cogitabundus sedet, subinde animum mutat, igitur amat. Expalluit, titubavit, trepidavit, igitur conscius sibi fuit. Si tibi famam meam contaminare licuit, mihi expurgare non licebit? Quem quis amat, non lædit: quem hæredem facit, carum habuit. Orbæ inservit, igitur hæreditatem captat. Si Poeta est, igitur lascivus. Si Dialecticus, igitur contentiosus. Si Theologus, morosus. Si Medicus, avarus. Quæ tamen facile confutari possunt, præsertim si ejusmodi sint, ut sæpenumero non consequantur.

A judicatis. Ab judicio, vel auctoritate: ut, Optima statim discenda sunt. Sic enim Quintilianus institutor optimus faciendum existimavit.

A simili. A simili sic: Ut in tempestate, quum maximum periculum, mare, ventique minantur, tum peritus nauclerus minime a clavo decedit, oculos & manus ad omnia intentas habet. Ita vir sapiens, quum maxime sævit fortuna, & quum res sunt maxime dubiæ, tum maxime consilio uti, & vigilare ad omnia debet. Locus autem a simili confutatur, si aut dissimile esse docebimus, quod alter simile dixit, aut aliam commodiorem similitudinem adducemus, hoc modo: Ut picem nemo tractat, nisi contaminetur, ita Poetas nemo potest legere, quin ad libidinem incitetur. Negabimus simile quippiam Poesim divinam scientiam cum pice habere, aut commodiorem similitudinem dabimus, hoc modo: Imo quod apes facere videmus, ut ex unoquoque flosculo, quicquid est optimum, id excerpant, si quid veneni, id araneæ exsugendum relinquant: Ita nos in Poetis, quod est eruditionis, & bonæ doctrinæ, id nobis rapiemus, si quid obscœnitatis occurrerit, id relinquemus:

Simile per negationem. Ut, Neque equus indomitus quamvis natura bonus, ad eas utilitates, quæ ab eo desiderantur, idoneus est: Ita nec homo indoctus, quamvis ingeniosus, is est a quo virtutis fructum possis elicere. Non enim, ut qui currenti ad cursum succedit, velocior est: sic

sic qui Imperatori, ad regendum exercitum melior. Nec ut navis, ita amicitia nova fidelior. *A majori.* A majori, hoc modo: Parenti non obtemperat, & audiet alienum? Hujus mortem tam fert familiariter, quid mihi hic faciet patri? Si adulterum occidere licet, ergo & loris cædere. *A minori.* A minori vero sic: Si furem cædere licet, licet & latronem. Si puer ista potuisti, vir non poteris? *A pari.* A pari: Si lex parricidam damnat, & matricidam. Si patri in filium jus est, igitur & in filiam. Si fratrem domi alis, cur me ejicias? *Ab exemplo.* Porro exemplum, aut simile est, aut contrarium, aut majus, aut minus. Simile exemplum: ut, Jure occisus Saturninus, quoniam & Gracchus. Contrarium: ut, Brutus filios proditionem molientes, occidit. Manlius virtutem filii morte multavit. Marcellus ornamenta Syracusanis hostibus restituit. Verres eadem sociis abstulit. Majus: ut, Si propter matrimonium violatum Troja funditus excisa est, quid fieri adultero par est? Minus: ut, Tibicines, quum ex urbe recessissent, publice sunt revocati, civitatis Principes, qui bene de Republica meriti sunt, quum invidiæ cessissent, ab exilio non sunt revocandi? *De confutatione argumentorum ab exemplo.* Simile ostenditur, a genere, natura, vi, magnitudine, multitudine, tempore, loco, causa, persona, opinione, modo. *A genere.* A genere sic: Extinguitur intellectus, quoniam & visus. Confutatur, sed visus materialis, non item intellectus. *A vi.* A vi: Insit juventuti severitas quædam, quoniam & senibus. Confutatur, sed jucunditas juventutis propria. *A magnitudine.* A magnitudine: Si forte non electione fit gubernator navis, nec Imperator classis. Confutatur, at majori majus ratione gerendum est. *A multitudine.* A multitudine: Nostræ ne, an hostium hæ civitates sint, dijudicemus: sic enim & majores de duabus fecerunt. Confutatur, sed in pluribus majus periculum. *A tempore.* A tempore: Continuet Pompejus imperium, quoniam & Marius. Confutatur, sed ille atrocissima Reipublicæ tempestate, quum nunc urgeat nemo. *A loco & causa.* A loco & causa: Quum in Italia bellum sit, non trajiciantur in Africam copiæ, ne simile quid cum Atheniensibus patiantur. Confutatur, sed longius illi: & ignota in loca, propius nos, & incognita, & ea ex re alios quoque hostes illi attraxerunt, nos hostem Hannibalem ab Italia expellemus. *A persona.* A persona: Continuet Marius imperium, quoniam & Scipio. Confutatur, at sanctus ille vir, hic non æque. *Ab opinione.* Ab opinione: Qui Cereris sacra stupravit obeuntem, ea pœna plectatur, qua qui Vestæ obeuntem corrupit. Confutatur: sed quæ majori conatu suscipiuntur peccata, atrocius punienda sunt. Possunt autem multa horum ad ejusdem eversionem concurrere. *Locus a proportione.* Locus a proportione, hoc differt a simili, quod ibi a simili simile ducitur, hic similitudinis, ac proportionis fit collatio. Per simile sic effertur argumentum: Nam ut navis gubernator non sorte, sed judicio eligitur, ita in Republica magistratus sunt eligendi. Per proportionem sic: Ita se habet ad navim gubernator, ut ad Rempublicam magistratus. At judicio, non sorte gubernator eligitur. Oportet ergo & magistratus, judicio, non sorte eligere. Locus a proportione eodem modo reprehenditur, quo locus a simili. Locus ab oppositis quinque partibus dividitur. *Ab oppositis. A privative oppositis.* A privative oppositis sic: Cæcus est, igitur nunquam videbit. Item: Non est solus cæcus, qui caret oculis, nam multos tametsi oculos habent, tamen cæcos adpellare non dubitamus. *A negatione.* A negatione: Pacem contempsere Carthaginenses: In Hispania enim nostros socios sollicitant. *A relative oppositis.* A relative oppositis: Carthaginenses Romanis subjectos esse conceditis? constat igitur Romanos Carthagini imperasse. Si tu me præceptorem appellas, cur ego te non appellem discipulum? Si fateris a me tibi creditam pecuniam, tu mihi debes. Si me pro filio non habes, nec tu mihi pro patre habeberis. Si nos pro tuo exercitu non habes, nec te pro Imperatore ducemus. *A contrariis.* A contrarie oppositis: Si sanus non es, ægrotare constat. Si amandus, qui bene meretur, odio prosequendus, qui male. Si præmio dignus, qui tyrannum occidit: supplicio afficiendus, qui tyrannum juvat. In contrariis, quæ mediata vocantur, non consequitur necessario: ut, Si niger non est, igitur albus est, nam viridis, aut ruber esse potest. *A disparatis.* A disparatis: Disparata genere sunt, quæ sub eodem genere posita, diversis differen-

A tiis, vel propriis separantur. Quanquam etiam quæ genere distant, disparata possint vocari: ut, Si homo est, igitur nec asinus, nec Deus &c. Tu quum decem pondo argenti deposueris, qua fronte auri tantundem repetis? Marmoream domum diruisti, & reponis latericiam? *A transsumptione.* A transsumptione: Philosophus non invidet, quoniam nec sapiens. Distinguitur hic locus ab interpretatione, quoniam hic nihil exponitur, sed a verbo notiori, minus notum infertur, illic nominis ratio affertur, hoc modo: Sapiens non invidet, Philosophus amator est sapientiæ: igitur non invidet. *A conjugatis.* A conjugatis: Si Rhetorice virtus est, Rhetorem studiosum esse necesse est. *A casibus.* A casibus: Si ingratitudo turpis est, turpiter igitur facis, qui bene

B merito gratiam non referas. *A divisione.* A divisione: Divisio fit, aut per negationem, aut partitionem. Per negationem hoc modo: Aut utile est bellum indicere, aut non: sed non est utile bellum inferre, igitur quiescere utile est. Partitio autem aut est generis in species: ut, Animalium quædam ratione participant, quædam sunt rationis expertia, aut totius in partes, aut vocis in significata, aut subjecti in accidentia, aut accidentis in subjecta, aut accidentis in accidentia. Sed de his hactenus satis, jam ad partes suasorio generi proprias redeamus. *Tutum.* Tutum, quod ad incolumitatem pertinet. *Jucundum.* Jucundum, quod voluptatem aut animi, aut corporis, aut utriusque adfert. *Facile.* Facile, quod sine periculo, aut negocio fieri possit. *Necessarium.*

C Necessarium, quod aliter fieri nequit. Cætera a Rhetorum præceptis petantur. Nemo putet omnibus his partibus semper in suadendo utendum esse, quod perlongum foret, præsertim in Epistola. Sed quot incident, & quanta ex parte, eatenus attingere sat fuerit. Conciliato igitur ejus animo, cui scribimus: deinde si inciderit, subjecta narratione: tertio loco id quod suadere, aut dissuadere volumus, cum amplificatione quadam est proponendum. Deinde post divisionem, aut etiam omissa divisione: ratio, aut multæ rationes sunt subdendæ: rationibus confirmationes subjungendo. Confirmationi ipsi nonnunquam altera confirmatio firmamenti causa apponitur. Deinde rem locupletabimus, exem-

D plo, auctoritate, proverbio, sententia, simili, dissimili, contrario. Quæ ita inter se miscebimus, ut nunc a ratione ad simile, a simili ad exemplum, ab exemplo rursus ad rationem, vel eandem aliis verbis vestitam, vel aliam veniamus. Nam ab exemplis rationes nonnunquam nascuntur. Item auctoritati, sententiæque rationem convenit subjicere. De exemplorum varietate jam diximus. Similia ex omni rerum genere petuntur, quare plurimorum animantium, herbarum, aliarumque rerum species & naturas cognitas, & perspectas habere conducet: auctoritates quoque alias Philosophorum, alias Oratorum, Theologorum, Historicorum. Quæ si scite intermiscebimus, nunquam deerit quod dicamus,

E & satietatem varietate facile vitabimus. In hac varietate, expolitione, & collectione Rhetorica diligenter utemur. Hujus præceptiunculæ hoc erit exemplum.

Cap. XLVII.

Exemplum Epistolæ Suasoriæ.

Benevolentiam captat. Quanquam pro tua singulari sapientia, ipse abunde per te sapis affinis jucundissime, nec alienis eges consiliis, tamen hoc vel veteri nostræ amicitiæ, quæ ab ipsis prope cunabulis una cum ætate nobis accrevit, vel tuis summis in me officiis, vel arctissimæ denique af-

F finitati debere me putavi, si is esse vellem, quem tu me semper existimasti virum & amicum, & gratum, ut id quod ad tuam tuorumque salutem ac dignitatem plurimum interesse judicassem, te libenter ac libere admonerem. *Attentio.* Aliena nonnunquam rectius quam nostra perspicimus. *Fides.* Tuum consilium meis in rebus persæpe sum secutus, neque minus felix mihi comperi, quam erat amicum. Nunc si vicissim in tuis meum sequi voles, futurum arbitror, ut neque me suasisse, neque te pœniteat paruisse. *Narratio habens inspersa argumenta.* Cœnavit apud me sexto Idus Apriles, cum in villa Montana essem, Antonius Baldus homo, ut scis, tuarum rerum studiosissimus, generique tuo jam inde ab initio conjunctissimus. Triste plenumque lachrymarum convivium. Nunciabat mihi magno utriusque dolore, ma-

trem

rum fœmina. trem tuam fœminam integerrimam, e vivis concessisse: sororem tuam luctu ac desiderio victam, sterili dicatarum virginum choro adscriptam esse: ad te unum spem stirpis tuæ rediisse: amicos summo consensu tibi puellam summo genere natam, forma præstanti, optime moratam, postremo tui amantissimam, summa cum dote obtulisse. Te vero nescio qua seu doloris impotentia, seu religione, ita cœlibatum decrevisse, ut nec generis studio, nec sobolis amore, nec amicorum ullis, aut monitis, aut precibus, aut lachrymis abduci possis a sententia.

Propositio. Tu tamen vel me auctore, mentem istam mutabis, & cœlibatu relicto, sterili ac parum humano vitæ instituto, sanctissimo conjugio indulgebis.

Divisio, hoc est, limen argumentationis. Qua in re neque tuorum caritatem, quæ tamen alioquin animum tuum vincere debebat: neque meam auctoritatem quicquam mihi prodesse cupio, nisi clarissimis rationibus ostendero: id fore tibi longe tum honestius, tum utilius, tum jucundius. Quid quod etiam hoc tempore necessarium.

Ab honesto primum ratiocinatur. Nam primum hac in re, si te honesti ratio movet, quæ apud probos viros plurimum valere debet, quid matrimonio honestius, quod ipse Christus honestavit, qui nuptiis, una cum matre, non solum interesse dignatus est, verumetiam nuptiale convivium miraculorum suorum primitiis consecravit? Quid sanctius, quod ipse rerum parens instituit, adjunxit, sanctificavit: quod ipsa sanxit natura? *A laudabili.* Quid eo laudabilius, quod qui reprehendit hæreseos damnetur? Tam est honorificum matrimonium, quam est infame vocabulum hæretici. *Ab æquo.* Quid æquius, quam id reddere posteris, quod ipsi a majoribus accepimus? *Rationes per contrarium.* Quid inconsideratius, quam id sanctimoniæ studio, perinde ut profanum fugere, quod Deus ipse totius sanctimoniæ fons ac parens sanctissimum haberi voluit? Quid inhumanius, quam hominem ab humanæ conditionis legibus abhorrere? Quid ingratius, quam id negare minoribus, quod ipse nisi a majoribus accepisses ne esses quidem qui negare posses? *Confirmationes cum laude ab origine rei.* Quod si matrimonii quærimus auctorem, non a Lycurgo, non a Mose, non a Solone, sed ab ipso summo rerum omnium opifice conditum & institutum est, ab eodem & laudatum, ab eodem honestatum consecratumque. Siquidem initio cum hominem e limo finxisset, miseram prorsus & inamœnam ejus vitam fore intellexit, nisi sociam Evam adjungeret. *Homo primum conditus, mox uxori junctus.* Quare uxorem non e luto illo quo virum, sed ex Adæ cratibus eduxit, quo prorsus intelligeremus nihil nobis uxore carius esse debere, nihil conjunctius, nihil tenacius adglutinatum. *Post diluvium renovata matrimonii lex.* Idem ille post diluvium mortalium generi reconciliatus hanc primam legem provulgasse legitur, non uti cœlibatum amplecterentur, sed ut crescerent, ut multiplicarentur, ut terram implerent. At quo pacto, nisi conjugio darent operam? Et ne hic vel Mosaicæ legis libertatem, vel tempestatis illius necessitatem causemur, *Quod naturæ lege fuerit proditum Euangelica comprobavit auctoritas.* quid aliud sibi vult illud in Euangelicis quoque literis repetitum comprobatumque Christi suffragium? propter hoc, inquit, relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ. Quid parentum pietate sanctius? At huic tamen conjugalis præfertur fides. Quo auctore? nempe Deo. Quo tempore? non Judaismi tantum, sed Christianismi quoque. Deseritur pater, deseritur mater, & adhæretur uxori. Filius emancipatus incipit sui juris esse. Filius abdicatus desinit esse filius: At sola mors dirimit conjugium, si tamen illa dirimit. In his modo dirimitur, qui conjugium repetunt. Quamdiu perseverat conjugalis affectus, non videtur diremptum matrimonium. Jam si cætera sacramenta, quibus ecclesia Christi potissimum nititur, religiosa quadam veneratione coeuntur, quis non videt huic plurimum religionis deberi, quod & a Deo, & primum omnium est institutum? Et cætera quidem in terris, hoc in paradiso: cætera ad remedium, hoc ad consortium felicitatis: cætera naturæ collapsæ *Ab impari.* sunt adhibita, unum illud conditæ datum est. Si leges a mortalibus institutas sanctas habemus, non erit conjugii lex sanctissima, quam ab eodem accepimus, a quo & vitam, quæ una prope cum ipso hominum genere nata est? Denique ut legem exemplo confirmaret, adolescens, ut dictum est, ad nuptiale convivium vocatus, una cum matre libens adfuit: nec adfuit modo, verumetiam prodigioso munere honestavit, haud alibi miraculorum suorum initium auspicatus. Cur igitur, inquies, *Confutatio.* Christus ipse a conjugio abstinuit? Quasi vero non plurima sint in Christo, quæ mirari potius quam imitari debeamus, sine patre natus, sine parentis dolore processit, clauso monumento prodiit. Quid in eo non supra naturam? Sint hæc illi propria. Nos intra naturæ legem viventes, suspiciamus illa quæ supra naturam sunt: quæ pro modulo nostro sunt æmulemur. Sed e virgine nasci voluit. E virgine quidem, sed conjugata. Virgo mater, *Altera confutatio.* Deum decebat: conjugata, nobis quid esset agendum significavit. Virginitas eam decebat, quæ cœlestis afflatu numinis illibata pareret illibatum. Sed Joseph sponsus, nobis casti conjugii leges commendat. Qui magis conjugalem societatem potuit commendare, quam quod arcanam illam, & Angelicis quoque mentibus stupendam, divinæ naturæ cum humano corpore animaque conjunctionem: quod ineffabilem illum & æternum in ecclesiam suam amorem declarare volens, se sponsum illius, illam sponsam suam appellat? Magnum, inquit Paulus, matrimonii sacramentum est, in Christo, & in ecclesia. Si qua fuisset in rerum natura sanctior copula: si quod fœdus religiosius, quam conjugium, profecto ab eo sumpta fuisset imago. Quid simile usquam de cœlibatu legis in arcanis literis? Honorandum connubium, & thorus immaculatus prædicatur apud Apostolum Paulum, cœlibatus hic ne nominatur quidem. Nec excusatur quidem nisi compensatione majoris boni. Alioqui si quis naturæ legem sequutus, det operam liberis, præferendus est illi, qui perseverat in cœlibatu, non ob aliud, nisi ut sibi liberius vivat. Vere continentes, ac virgines laudatas legimus, cœlibatus ex se nullam habet laudem. Jam vero Mosaica lex sterile conjugium exsecratur, atque ob id a communibus aris quosdam submotos legimus. Quamobrem tandem? nempe ideo, quod tanquam inutiles, & sibi duntaxat viventes, populum nulla sobole augerent. In Deuteronomio præcipuum benedictionis argumentum proponitur Israelitis, quod nullus esset inter illos futurus sterilis, nec mas nec fœmina. Et Lya dicitur despecta a domino, quod non pareret. Quin & in Psalmis inter præcipuas beatitudinis partes refertur, uxoris fœcunditas. Uxor, inquit, tua sicut vitis abundans, filii tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ. Quod si lex damnat ac notat sterile matrimonium, cœlibes multo amplius damnavit. Si natura pœnam non effugit, ne voluntas quidem effugiet. Si damnantur quorum voluntati natura *Ab impari.* defuit, quid commerentur ii, qui ne operam quidem dederunt, ne steriles essent? Hebræorum leges hoc honoris habebant matrimonio, ut qui sponsam duxisset, *Laus conjugii a præmiis.* eodem anno non cogeretur in bellum exire. Periclitatur civitas, nisi sint qui eam armis tueantur. At certum *A necessario.* exitium est, nisi sint qui conjugii beneficio juventutem, semper mortalitate deficientem sufficiant. Quin & Romanæ leges eos qui cœlibes essent, damno etiam multabant, a Reipublicæ muneribus secludebant. At qui liberis Rempublicam auxissent, eis tanquam bene meritis præmium e publico statuebant. Priscæ leges pœnas constituerant adversus cœlibes, quæ tametsi per Constantinum Cæsarem temperatæ sunt in favorem Christianæ religionis, tamen arguunt quam non sit e Republica vel minui civitatem amore cœlibatus, vel spuriis impleri. Quin Cæsar Augustus Censor, inquisivit in militem, quod in ducenda uxore non paruisset legibus, & periclitabatur ni docuisset se trium liberorum parentem. Declarant & in hoc Cæsarum leges favorem erga conjugium, quod indictas viduitates a Miscella inductas sustulerunt, ac sublatis pœnis hujusmodi pacta, tanquam præter æquum & bonum inita pro irritis haberi voluerunt. Adde quod Ulpianus declarat dotis causam semper & ubique præcipuam, quod haud quaquam fuisset, nisi præcipua quædam utilitas ex matrimonio proficisceretur. Habitus est honos conjugio, sed major fœcunditati. Simul atque contigisset nomen patris, hæreditatis & omnis legati, atque etiam caduci capax redde-

ba-

batur: id liquet etiam ex Poeta Satyrico: per me scriberis hæres, Legatum omne capis, nec non & dulce caducum. Plus etiam commodorum adferebat jus trium liberorum, in his est immunitas a publicis legationibus. Quinque porro liberi vacationem impetrant a personalibus quoque muneribus, quod genus est tutela. Et cui tredecim liberi contigissent Julianus Imperator non modo vacationem indulsit a Decurionatu, sed simpliciter ab omnibus muneribus. Nec silent hujus tanti favoris causam sapientissimi legum conditores. Quid immortalitate felicius? Hanc natura negatam, matrimonium arte quatenus licet largitur Reipublicæ. Cui non optabilis est apud posteros memoria? Hæc nullis fornicibus, nullis pyramidibus, titulisve certius propagatur, quam liberorum procreatione. Apud Adrianum Imperatorem causam vicit Albinus, non alia commendatione, quam quod Reipublicæ dedisset numerosam sobolem. Proinde dispendio fisci, passus est liberos in paterna bona in solidum succedere, quod intelligeret imperium magis fulciri propagatione juventutis, quam pecuniarum accessione. Postremo cæteræ leges nec omnibus regionibus, nec quibuslibet temporibus congruunt, sola conjugii lex ad omnes orbis nationes, ad omne tempus pertinet. Lycurgus leges tulit, ut qui uxores non ducerent, hi & æstate arcerentur a ludis ac spectaculis, hyeme vero nudi forum circuirent, ac semetipsos exsecrati, justa pati dicerent, quod legibus non paruissent. *A pœnis.* In summa, vis scire quantum matrimonio tribuerit antiquitas, violati matrimonii pœnam perpende. Græci quondam violatum matrimonii jus, decenni bello vindicandum censuerunt. Ad hæc non Romanis modo, verumetiam & Hebræis, & Barbaricis legibus, adulteris pœna capitalis statuebatur. Furem quadrupli pœna absolvebat, adulterii scelus securis expiabat. Apud Hebræos autem populi manibus lapidabatur, qui id violasset, sine quo populus non esset. *Ab impari.* Nec hoc contenta legum severitas, illud etiam permisit, deprehensum adulterum sine judicio, sine legibus confodere: nimirum id donans dolori maritali, quod gravate concedit vim a capite propellenti: quasi lædat atrocius, qui conjugem adimat, quam qui vitam. Profecto sanctissimam quandam rem conjugium videri necesse est, quod violatum humano sanguine sit expiandum: cujus ultio, nec judicem exspectare cogitur, quod jus nec in parricidio est.

Sed quid de scriptis legibus agimus? Naturæ hæc lex est, non in tabulis æreis exarata, sed animis nostris penitus insita: cui qui non paret, ne homo quidem sit existimandus, nedum bonus civis. Nam si, ut Stoici homines acutissimi disputant, recte vivere, est naturæ ductum sequi, quid tam naturæ consentaneum, quam matrimonium? *A definitione.* Nihil enim tam a natura, non hominibus modo, verumetiam reliquo animantium generi insitum est, quam ut suam quodque speciem ab interitu vindicet, & propagatione posteritatis, tanquam immortalem efficiat. *A natura.* Quod sine conjugali conjunctione fieri non posse quis ignoret? *A minore.* Turpissimum autem videtur muta pecora naturæ parere legibus, homines gigantum more naturæ bellum indicere. Cujus opus, si oculis haud cæcutientibus inspiciamus, intelligemus in omni rerum genere conjugii speciem quandam inesse voluisse. *In arbore conjugium, Lib. 14. c. 4.* Omitto enim jam de arboribus, in quibus Plinio auctore, cum primis gravi, adeo manifesto sexus discrimine conjugium invenitur, præsertim in palmis, ut nisi marita arbor in fœminas circumstantes ramis incumbat, tanquam concubitum appetens, hæ plane steriles mansuræ sint. Idem indicat, auctores esse, qui credunt in omnibus quæ gignit tellus, inesse sexum maris & fœminæ. *In gemmis.* Taceo de gemmis, in quibus sexum inveniri scripsit idem auctor, at non solus. Nonne Deus ita res cunctas vinculis quibusdam connexuit, ut aliæ aliis egere videantur? *Coitus cœli & terræ.* Quid cœlum perpetuo motu versatile, nonne dum tellurem omnium parentem subjectam, vario rerum genere fœcundat, velut infuso semine, mariti fungitur officio? Sed singula percurrere nimis longum arbitror. Quorsum autem hæc spectant? eo videlicet, ut intelligamus conjugali societate & constare, & contineri omnia: sine ea dissolvi, interire, collabi cuncta. *Fabula & ejus expositio.* Fingunt veteres illi ac sapientissimi Poetæ, quibus studium fuit Philosophiæ præcepta fabularum involucris tegere, Gigantes anguipedes terræ filios, exstructis in cœlum montibus bellum Superis intulisse. Quid hæc sibi vult fabula? Nimirum immanes quosdam ac feros homines & obscuros, a conjugali concordia vehementer abhorruisse, eoque fulmine præcipitatos, hoc est, funditus interisse, cum id vitarent, quo solo constat humani generis incolumitas. At iidem Orpheum Poetam, ac Citharœdum saxa durissima cantu movisse commemorant. Quid significantes? Nempe virum & sapientem & facundum, homines saxeos & ferarum ritu viventes, a vago concubitu prohibuisse, atque ad matrimonii sanctissimas leges adduxisse. Apparet igitur, qui connubii amore non tangitur, eum non hominem, sed saxum videri, hostem naturæ, numini hujus rebellem, suapte stultitia sibi perniciem accersere. Crudelior enim est, qui generi suo, quam qui uni sibi molitur exitium. Age vero, quandoquidem in fabulas minime fabulosas incidimus, idem Orpheus, cum apud inferos Plutonem ipsum, manesque permovit, ut Eurydicen suam liceret abducere: quid aliud Poetas cogitasse putamus, quam ut nobis conjugalem amorem commendarent, qui apud inferos quoque sanctus, ac religiosus haberetur? Eodem pertinet, quod antiquitas conjugio Jovem Gamelium præfecerat, Junonem pronubam, Lucinam, quæ parturientibus adesset: superstitiose quidem errans in Deorum nominibus, at non errans in hoc, quod matrimonium rem sacram ac dignam, quæ Diis curæ sit, judicarit. Diversi quidem apud diversos populos ac nationes, ritus legesque fuere. *Ab auctoritate & exemplis.* Nulla unquam gens tam fuit barbara, tam ab humanitate omni aliena, apud quam conjugii nomen non sanctum, non venerandum sit habitum. Hoc Thrax, hoc Sarmata, hoc Indus, hoc Græcus, hoc Latinus, hoc vel extremus orbis Britannus, aut si qui sint his quoque semotiores, religiosum habuit. Quid ita? quia necesse est omnibus esse commune: quod communis hominum parens insevit: & adeo penitus insevit, ut hujus rei sensus non solum ad turtures & columbos, verum etiam ad immanissimas feras pertingat. Siquidem leones in uxorem mites sunt, pro catulis dimicant tigrides. *Pietas & in feris.* Asinos per obstantes ignes agit prolis tuendæ pietas. Atque hoc sane jus naturæ vocant, ut efficacissimum, ita latissime patens. *Simile.* Ut igitur diligens cultor non est, qui præsentibus rebus contentus, arbores adultas satis quidem accurate tractat: cæterum neque propagandi, neque inserendi curam agit, propterea quod necesse est, paucis annis eos hortos quantumvis diligenter excultos interire: Ita parum diligens in Republica civis censendus, qui præsenti turba contentus, de propaganda civium multitudine non cogitat. Nemo igitur unquam egregius civis habitus est, qui non liberis gignendis, recteque instituendis operam dederit. *Hebræi. Persæ.* Apud Hebræos & Persas laudi in primis erat, quam plurimas habere uxores, tanquam ei patria plurimum deberet, qui eam numerosissima sobole locupletasset. Num tu Abraham ipso sanctior videri studes? Is pater multarum gentium non esset appellatus, idque Deo auspice, si uxoris contubernium refugisset? Num tu Jacob religiosior haberi quæris? Is Rachelis amplexus tam diuturna servitute redimere non dubitavit. Num Solomone sapientior? At quantum ille uxorum gregem domi aluit? Num Socrate castior, qui Xanthippen fœminam etiam morosam domi pertulisse legitur: non tam ut ille suo more jocabatur, quo domi disceret tolerantiam, sed ne in naturæ officio claudicasse videretur. Intellexit enim vir unus Apollinis oraculo sapiens judicatus, hac lege se genitum, ad hanc natum, hoc se debere naturæ. Nam si recte a veteribus Philosophis dictum est: si non temere a nostris Theologis comprobatum: si merito, velut adagionis vice ubique decantatum, neque Deum, neque naturam quicquam frustra facere, cur hæc membra tribuit, cur hos stimulos, hanc gignendi vim addidit, si cælibatus per se laudi ducitur? Si quis te magnifico munere donaret, arcu, veste, aut gladio, indignus accepto videberis, si uti eo aut noles, aut nescies.

Cum cætera omnia tanta ratione sint constituta, haud verisimile videri debet, hac una in re naturam dormitasse. *Confutatio.* Nec audio qui mihi dicat fœdam illam & obscœnam pruriginem & Veneris stimulos non a natura, sed a peccato profectam. Quid tam dissimile veri? Quasi vero matrimonium, cujus munus sine his stimulis peragi nequit, non culpam præcesserit. Jam in cæteris animantibus unde illi stimuli? a natura, an a peccato? Mirum ni a natura. Nam in corporis affectionibus minimum interest inter hominem & reliquas animantes. Postremo nos imaginatione fœdum reddimus, quod suapte natura pulchrum ac sanctum est. Alioqui si res non opinione vulgi, sed ipsa natura velimus expendere, qui minus fœdum brutorum animantium more, edere, mandere, concoquere, excernere, dormire, quam licita permissaque Venere uti? At virtuti potius quam naturæ parendum. *Confutatio.* Perinde quasi virtus sit ulla dicenda, quæ cum natura pugnet: unde nisi proficiscatur, ne esse quidem poterit, quæ cultu & disciplina perficiatur. *Confutatio.* Sed Apostolorum te institutum delectat, qui & ipsi cælibatum sunt secuti, & alios ad id vitæ genus sunt cohortati. Imitentur sane Apostolos viri Apostolici, quorum cum sit muneris & docere, & instituere plebem, non queunt simul & gregi, & uxori satisfacere. Quanquam & Apostolis aliquot uxores fuisse constat. Episcopis cælibatum concedamus. Quid tu Apostolicum institutum sequeris, ab Apostolico munere longe alienissimus, homo nimirum & profanus, & privatus? Illis hoc veniæ datum est, ut vacent a conjugii munere, quo magis vacaret copiosiorem prolem Christo gignere. Sit istud Sacerdotum ac Monachorum privilegium, quos apparet in Essenorum institutum successisse: Tui status alia ratio est. At ipse Christus, inquies, beatos pronunciavit, qui sese castrarunt ob regnum Dei. Non rejicio auctoritatem, sed sententiam interpretor. Primum arbitror hoc Christi dogma, ad ea tempora potissimum pertinere, quibus oportebat Ecclesiasten ab omnibus mundi negociis quam maxime expeditum esse. Cursitandum erat per omnes terras, imminebat undique persequutor. Nunc is est rerum ac temporum status, ut nusquam reperias minus inquinatam morum integritatem, quam apud conjugatos. Exaggerent quantumlibet suum institutum Monachorum ac Virginum examina: jactent quantum volent cærimonias, cultusque suos, quibus potissimum inter cæteros eminent: sanctissimum vitæ genus est, pure, casteque servatum conjugium. Præterea non is modo sese castrat, qui vivit cælebs, sed qui caste, sancteque colit conjugii munus. Atque utinam vere castrati sint, quicunque suis vitiis magnificum castrationis prætexunt titulum, sub umbra castitatis turpius libidinantes. Neque enim mei pudoris esse puto, commemorare, in quæ dedecora sæpe prolabantur, qui naturæ repugnant. Postremo ne præcipit quidem Christus ulli cælibatum, at idem divortium palam interdicit. Mihi sane videtur, non pessime consulturus rebus ac moribus hominum, qui Sacerdotibus quoque ac Monachis, si res ita ferat, jus indulgeat conjugii: præsertim quum ubique tam ingens sit Sacerdotum turba, quorum quotusquisque castam agit vitam? Quanto satius concubinas in uxores vertere, ut quas nunc habent cum infamia, cum irrequieta conscientia, habeant palam cum honesta fama: ac liberos gignant, quos ut vere legitimos ament, sancteque instituant, quibus & ipsi pudendi non sint, & vicissim ab illis cohonestentur. Atque id, opinor, jam pridem procurassent Episcoporum officiales, nisi proventus amplior esset ex concubinis, quam ex uxoribus. Sed divina quædam res est: angelica res est virginitas. *Confutatio.* At humana quædam res est conjugium. Ego nunc homo loquor homini, plebejus plebejo, infirmus infirmo. Laudanda quidem res est virginitas, at ita, si non hæc laus ad quam plurimos transferatur. Quam si vulgo usurpare homines incipiant, quid virginitate dici, cogitarive possit exitialius? Tum si in cæteris maxime laudem mereatur virginitas, in te certe reprehensione carere non potest, per quem stabit, quominus optimum illud genus & immortalitate cum primis dignum obliteretur. Postremo minimum abest a virginitatis laude, qui jus illibatum conjugii servat, qui uxorem gignendæ proli, non libidini habet. *Ex lege Mosaica.* Si frater fratris sine liberis defuncti semen excitare jubetur, tu universi tui generis spem interire sines, præsertim cum ad te unum reciderit? *Confutatio.* Neque vero me clam est, magnis voluminibus priscorum patrum decantatas virginitatis laudes: quorum Hieronymus adeo miratur eam, ut non multum absit a contumelia matrimonii, & ab Episcopis orthodoxis ad palinodiam sit invitatus. Verum donetur hic ardor illis temporibus, nunc optarim, ut isti qui passim sine delectu, ad cælibatum ac virginitatem adhortantur ætatem, quæ sibi nondum est nota, hoc operæ collocarent in describenda imagine casti purique matrimonii. *A consequentibus.* Atqui his ipsis quibus tantopere placet virginitas, non displicet bellum adversus Turcarum gentem, qui numero tot partibus nos superant: quorum si rectum est judicium, consequetur, ut in primis rectum & honestum habeatur, pro virili liberis gignendis operam dare, & juventutem in belli usum sufficere. Nisi forte bombardas, tela, naves, ad hoc bellum apparandas putant, viris opus esse non putant. Iidem probant ut Ethnicorum parentes ferro trucidemus, quo liceat filios etiam inscientes baptizare. Id si verum est, quanto mitius est idem efficere conjugiorum officio? *A pari & impari.* Nulla natio tam immanis est, quin exsecretur infanticidium. Principum leges pari propemodum severitate puniunt provocatum abortum, & accersitam pharmacis sterilitatem. Cur ita? Quia minimum interest inter eum, qui quod nasci cœperit, intercipit: & eum, qui procurat, ne quid nasci possit. Hoc quod in tuo corpore vel arescit, vel magno etiam salutis periculo corrumpitur: quod in somnis elabitur, homo erat, si modo tu esses homo. Exsecrantur Hebræorum literæ, virum qui jussus congredi cum uxore fratris defuncti, ne quid nasceretur, projecit semen in terram: & vita judicatus est indignus, qui vitam invidit nascituro fœtui. *A simili.* At quantulum ab hoc differunt, qui sibi perpetuam sterilitatem indicunt? An non videntur tot homines occidere, quot erant nascituri, si liberis gignendis dedissent operam? Quæso, si cui sit fundus soli natura feracis, quem incultum sinat perpetuo sterilem esse, nonne legibus pœnas daret, eo quod Reipublicæ intersit, ut suam quisque rem bene tractet? Si punitur is, qui negligit agrum, qui ut maxime colatur, nihil aliud fert, quam triticum, aut fabas, aut pisa: qua pœna dignus est, qui recusat eum fundum colere, qui cultus fert homines? Atque illic diutino molestoque labore est opus, hic brevem culturam etiam voluptas veluti paratum præmium invitat. *Epilogus superiorum argumentationum.* Quare si quid naturæ sensus, si honestum, si pietas, si religio, si officium, si virtus te movet, cur ab eo abhorres, quod Deus instituit, natura sanxit, ratio suadet, divinæ pariter & humanæ literæ laudant, leges jubent, omnium gentium consensus approbat, ad quod optimi cujusque exemplum adhortatur. *A jucundo.* Quod si pleræque res etiam acerbæ, viro bono sunt expetendæ, non alio nomine, quam quod honestæ sunt, matrimonium profecto multo maxime expetendum; de quo quis dubitare possit, plusne habeat honestatis, an voluptatis. *Rationes.* Quid enim dulcius, quam cum ea vivere, cum qua sis non benevolentiæ modo, verumetiam corporum mutua quadam communione arctissime copulatus? Si magnam quandam animi delectationem ex reliquorum necessariorum benevolentia capimus, quam dulce in primis sit habere, qui cum animi tui secreto affectus communices: qui cum perinde ut tecum loquaris: cujus fidei te tuto committas, qui tuas fortunas suas esse ducat: quid tu credis habere felicitatis mariti uxorisque conjunctionem, qua nulla possit in rerum natura inveniri, neque major, neque firmior? *Confirmatio ex collatione.* Cum cæteris enim amicis animorum duntaxat benevolentia conjungimur, cum uxore & summa caritate, & corporum permixtione, & sacramenti fœdere, & fortunarum omnium societate copulamur. Præterea in cæteris amicitiis quanta simulatio? quanta perfidia? Sed ii quos nostri amantissimos existimamus, sicut hirundines, exacta æstate devolant, ita fortuna reflante deficiunt. Nonnunquam recentior amicus veterem ejicit. Pau-

Paucos audivimus, quorum fides usque ad vitæ finem constiterit. Uxoria vero caritas non perfidia corrumpitur, nulla simulatione obscuratur, nulla rerum mutatione convellitur: denique sola morte, imo ne morte quidem distrahitur. Illa parentum, illa sororum, illa fratrum pietatem, tui amore contemnit: te unum respicit, ex te pendet, tecum emori cupiat. Res est? habes quæ tueatur, habes quæ augeat. Non est? habes quæ quærat. Si res secundæ sint, duplicatur felicitas: sin adversæ, erit quæ te consoletur, quæ assideat, quæ inserviat, quæ tuum malum suum esse cupiat. An tu voluptatem ullam cum hac tanta conjunctione conferendam censes? Si domi agis, adest quæ solitudinis tædium depellat: si foris, est quæ discedentem osculo prosequatur, absentem desideret, redeuntem læta excipiat. Dulcis juventæ tuæ sodalis, gratum senectutis solatium. Natura quidem homini dulcis est vel quævis societas, quippe quem ad benevolentiam atque amicitiam genuit. Hæc igitur quomodo non erit dulcissima, in qua nihil non commune est? Contra autem, si feras quoque solitudinem horrere, societate delectari videmus, mea sententia, ne homo quidem sit existimandus, qui ab hac societate omnium & honestissima, & jucundissima abhorreat. Quid enim eo homine odiosius, qui tanquam sibi uni natus, sibi vivat, sibi quærat, sibi parcat, sibi sumptum faciat, neminem amet, ametur a nemine? An non istiusmodi portentum dignum censebitur, quod cum Timone illo ex universo hominum contubernio in medium mare projiciatur? Neque hic ausim illas tibi voluptates proponere, quibus cum natura nihil voluerit esse homini dulcius, nescio tamen quo pacto a magnis ingeniis dissimulantur potius, quam contemnuntur. Quanquam quis adeo severo, ne dicam stupido, sit natus ingenio, qui ejusmodi voluptatum genere non capiatur: præsertim si citra numinis, aut hominis offensam, citra famæ detrimentum possit contingere? Equidem eum non hominem, sed plane saxum dixerim. Etiam si minima bonorum, quæ habet conjugium, pars est ea corporum voluptas. Sed fac te istam ut viro indignam contemnere: quanquam ne viri quidem vocabulum sine his meremur: ponatur, si vis inter extrema conjugii commoda: jam quid casto amore esse potest amabilius, imo quid sanctius atque honestius? Accrescit interim dulcis affinium turba. Duplicatur parentum, fratrum, sororum, nepotum numerus. Natura enim unam duntaxat matrem, unum patrem tribuere potest. Conjugio pater alter, altera mater accedit, qui te, ut cui sua viscera commiserint, singulari pietate non prosequi non possunt. Jam vero quanti illud æstimabis, ubi pulcherrima conjunx pulchra faciet te prole parentem? Ubi quis tibi parvulus aula luserit Æneas, qui tuos, tuæque conjugis vultus referat, qui te blanda balbutie patrem appellitet? Jam accesserit conjugali caritati vinculum adamantinum, quod ne mors quidem ipsa queat abrumpere. Felices, inquit Flaccus, ter & amplius, Quos irrupta tenet copula, nec malis Divulsos querimoniis, Suprema citius solvet amor die. Habes qui senectutem tuam oblectent, qui oculos claudant, qui justa persolvant, in quibus renatus videaris, quibus superstitibus tu ne occidisse quidem puteris. Non abeunt ad alienos hæredes, quæ tibi parasti. Ita tanquam omnibus perfuncto vitæ muniis, ne mors quidem ipsa acerba videri poterit. Omnibus, velimus nolimus, senectus imminet. Hac ratione natura prospexit, ut in liberis ac nepotibus repubescamus. Quis enim graviter ferat senectutem, ubi suos vultus, quos adolescens gessit, in filio conspexerit? Mors omnibus parata est. At hac una via, velut immortalitatem quandam meditatur naturæ providentia, dum sic aliud ex alio propagat, ut veluti cum planta, arbore excisa repullulat, nec interisse videatur, qui prole relicta moritur.

Voluptas ab affinitate & liberis.

At minime me fugit, quid inter hæc obmurmures. Beata res est conjugium, si omnia secunda eveniant: sed quid si morosa contingat uxor? quid si impudica? quid si liberi impii proveniant? Occurrent animo tuo exempla eorum, quibus conjugium exitium attulerit. Exaggera quantum potes, sed tamen hominum ista vitia fuerint, non conjugii. Crede mihi, non solet nisi malis maritis mala uxor contingere. Adde quod tibi magna ex parte in manu est, ut bonam eligas. Quid si corrumpatur? A malo quidem marito, uxor bona corrumpi potest: a bono mala corrigi consuevit. Falso uxores accusamus. Nemo si quid mihi credis, unquam nisi suo vitio improbam uxorem habuit. Jam ex bonis parentibus, ferme similes nascuntur liberi. Quanquam & hi utcunque nati, fere tales evadunt, quales illos finxeris institutione. Jam vero non est quod zelotypiam metuas. Iste stulte amantium morbus est. Castus ac legitimus amor zelotypiam nescit. Quid tibi Tragœdiæ in mentem veniunt? Hæc maritum adultera securi percussit: hæc veneno sustulit: illa morum odio ad mortem adegit. Cur non potius Tiberii Gracchi Cornelia succurrit? Cur non Alcestis non optimi mariti conjunx optima? Cur non occurrit vel Julia Pompeji, vel Bruti Portia? Cur non æterno nomine digna Artemisia? Cur non Hypsicratea Mithridatis Pontici Regis uxor? Cur non Tertiæ Æmiliæ comitas in mentem venit? Cur non Turiæ fides? Cur non Lucretia, Lentulaque succurrit? Cur non Arria illa a Plinio celebrata? Cur non innumeræ aliæ, quarum & pudicitia, & fides in maritos, ne morte quidem potuit immutari. Rara, inquis, avis in terris, mulier proba. Et tu rara uxore dignum te finge. Mulier, inquit sapiens ille, bona, pars bona. Aude tuis moribus dignam sperare. Plurimum in hoc situm est, quam deligas: quomodo fingas: qualem ipse te illi præbeas. Sed dulcior est, inquies, libertas. Quisquis uxorem accipit, compedes accipit, quas sola mors possit excutere. Quid autem dulce esse homini soli possit? Si dulcis est libertas, sociam adsciscendam censeo, qua cum bonum istud tibi commune esse velis: Quanquam quid ista servitute liberius, ubi ita uterque alteri obnoxius est, ut neuter manumitti velit? Adstrictus es ei, quem in amicitiam recipis. At hic nemo libertatem ademptam clamitat. At vereris, ne liberis morte absumptis, orbus in luctum incidas. Si orbitatem times, ob id ipsum ducenda uxor est, quæ sola hoc præstare potest, ne simus orbi. Sed quid tu tam diligenter, imo anxie, omnia matrimonii incommoda disquiris, quasi cælibatus nihil habeat incommodi? Quasi vero ulla sit vita mortalium, quæ non sit omnibus fortunæ subjecta casibus. E vita migret oportet, qui nihil incommodi ferre velit. Quod si ad cœlestem illam vitam respicias, mors hæc hominum vita est, haud vita dicenda. Sin intra humanam conditionem animum contineas, nihil est conjugali vita, neque tutius, neque tranquillius, neque jucundius, neque amabilius, neque felicius. Ab exitu rem specta, quotumquemque vides, qui semel expertus conjugium, non avide repetat? Mauricius meus, cujus eximia prudentia tibi non est incognita, nonne ab obitu conjugis, quam unice deamabat, altero mense duxit in thalamum novam sponsam? Non adeo libidinis impatientia, sed negabat sibi vitam videri vitam, absque conjuge rerum omnium consorte. Jovius noster, nonne jam quartam ambit uxorem? Sic adamabat vivas, ut nullam consolationem admissurus videretur. Sic una defuncta, ad sarciendam thalami solitudinem properabat, quasi leviter illas amasset. Sed quid nos de honesto ac jucundo disputamus, cum non utilitas modo suadeat, verum etiam necessitas ad conjugium impellat? Tolle matrimonium, perpaucis annis universum hominum genus funditus intereat necesse est. Xerxen illum Persarum Regem, cum ex edito loco ingentem illam ac vix ulli creditam hominum multitudinem intueretur, lachrymas non tenuisse dicunt, quod ex tot hominum millibus, post annos sexaginta, nullus omnino superfuturus esset. Cur quod ille de suis copiis intellexit, non etiam de universo hominum genere perspicimus? Sublato conjugio, quotusquisque ex tot regionibus, provinciis, regnis, urbibus, cœtibus post centum annos supererit? Eamus nunc, & cælibatum miremur, qui æternam sit generi nostro cladem allaturus. Quæ pestis, aut lues a superis, aut inferis immitti possit nocentior? Quid ab ullo diluvio timeri possit acerbius? Quid tristius exspectetur, etiam si Phaetontæum redeat incendium? At ex hujusmodi quidem tempestatibus multa relinqui solent incolumia,

Refutatio incommodorum matrimonii. *Zelotypia.* *Libertas.* *A similis.* *Orbitas.* *Violatio quæ retorquetur argumentum.* *Ab eventis.* *Ab utili ac necessario.*

Locus communis. lumia, ex cælibatu nihil reliqui fieri poteſt. Videmus A quantum morborum agmen, quot caſuum diſcrimina, noctes dieſque hominum paucitati inſidientur. Quot peſtis abſumit, quot abſorbet mare, quot Mavors abripit? Taceo enim de quotidianis mortibus. Circumvolat undique mors: ruit, rapit, properat quantum poteſt genus noſtrum exſtinguere,& nos cælibatum miramur, conjugium fugimus? Niſi forte placet Eſſenorum inſtitutum, aut Dulopolitarum, quorum gentem facinoroſorum nunquam deficiens numeroſitas propagat. Num exſpectamus, ut Jupiter aliquis nos eodem munere donet, quod apibus tribuiſſe dicitur, ut ſine concubitu fœtificemus, & poſteritatis ſemina e floſculis ore legamus? An vero poſtulamus, ut ſicut e Jovis B cerebro Minervam prognatam Poetæ fabulantur, ita nobis e capite liberi exſiliant? An denique ut juxta veterum fabulas, e terra veluti mures in Ægypto, e ſaxis projectis quod eſt in fabulis, e duris arborum truncis homines producantur? E terræ gremio permulta ſine noſtro cultu enaſcuntur. Plantulæ ſub umbra matris ſæpe pullulaſcunt: at homini hanc unam propagandi viam natura eſſe voluit, ut mutua mariti, uxoriſque opera mortalium genus ab interitu vindicaretur: quod ſi fugiant tuo exemplo mortales, ne iſta quidem, quæ tu miraris, eſſe poterunt. Cælibatum miraris, ſuſpicis virginitatem? At nec cælibes erunt, nec

Confutatio. virgines, ſi conjugii uſum ſuſtuleris. Cur igitur prælata C eſt virginitas? cur honorata, ſi exitium adfert mortalibus? Laudata eſt, ſed pro tempore, ſed in paucis. Voluit enim Deus hominibus cœleſtis illius vitæ tanquam imaginem quandam & ſimulacrum oſtendi, ubi neque

A ſimili. nubent ullæ, neque nuptum dabunt ulli. Sed ad exemplum paucitas idonea eſt, multitudo inutilis. Quemadmodum non omnes agri, quanquam feraces, ad uſum vitæ ſeruntur: ſed pars negligitur, pars oculis paſcendis colitur. At patitur hoc ipſa rerum copia, in tanta arvorum amplitudine, exiguam partem ſterilem relinqui. Verum ſi nulli ſerantur, quis non videat nobis ad glandes fore redeundum? Ita cælibatus in tanta hominum D multitudine, in paucis quidem laudem habet, in omnibus ſummam reprehenſionem habiturus. Jam ſi maxime in aliis ſit virtutis nomen habitura virginitas, in te certe vitioſa fuerit. Cæteri enim puritati ſtuduiſſe videbuntur: tu generis parricida judicaberis; quod cum honeſto conjugio propagare potueris, turpi cælibatu paſſus ſis interire. Liceat e numeroſa ſobole virginem Deo conſecrare. Ruſtici frugum primitias ſuperis immolant, non univerſum proventum: at te unum ſtirpis tuæ reli-

A pari. quias eſſe memineris oportet. Nihil autem refert, utrum occidas, an ſervare recuſes, qui a te uno ſervari & poterat, & facile poterat. At ſororis exemplum te ad cælibatum adhortatur. At iſta vel una re potiſſimum debe-

Pinus. bas a cælibatu deterreri. Generis enim ſpem, quæ prius E utriſque erat communis, nunc totam ad te unum revolutam intelligis. Detur hæc venia ſexui, detur ætati. Puella dolore victa peccavit, ſtultarum muliercularum, aut ſtultorum Monachorum impulſu ſeſe præcipitem dedit. Tu major natu, virum te eſſe memineris neceſſe eſt. Illa majoribus ſuis commori voluit, tu ne moriantur, operam dabis. Soror ſubduxit ſeſe officio,

Exemplum cum collatione. tu duorum tibi partes obeundas eſſe cogita. Non dubitarunt filiæ Loth, cum patre temulento rem habere, ſatius judicantes nefario etiam inceſtu generi conſulere, quam pati interire. Tu matrimonio honeſto, ſancto, pudico, ſine offenſa, ſumma cum voluptate, non

Epilogus totius declamationis. conſules tuo generi alioquin intermorituro? Quare ſi- F namus eos Hippolyti inſtitutum imitari, ſectentur cælibatum, vel qui mariti fieri poſſunt, patres non poſſunt: vel quorum tenuitas liberis educandis non ſuppeditat, vel quorum genus aliorum opera poſſit propagari: aut certe ejuſmodi eſt, ut magis Reipublicæ conducat intermori quam propagari: vel quos peculiaris quidam æterni Numinis favor, communi hominum ſorte ſelectos cœleſti cuipiam functioni deſtinavit, quorum mira eſt raritas. Tu vero cum teſte Medico viro neque imperito, & minime mendaci, magnam poſteritatem promittere videaris: patrimonium habeas ampliſſimum, genus autem tum optimum, tum clariſſimum, ita ut obliterari ſine nefario ſcelere, magnoque Reipublicæ detrimento non poſſit, tum adſit ætas integra, nec deſit forma: offeratur vero conjunx puella, qua neque integriorem, neque illuſtriorem ullam viderunt cives tui, pudica, modeſta, pia, facie divina, cum dote ampliſſima: cum rogent amici, lachrymentur propinqui, inſtent affines, patria flagitet: ipſi majorum tuorum cineres e tumulis idipſum te obteſtentur, tu tamen adhuc contaris, adhuc cælibatum cogitas? Si qua res parum honeſta abs te peteretur, ſi qua difficilis, tamen vel tuorum vota, vel generis caritas animum tuum expugnare debuerat. Quanto æquius eſt id amicorum lachrymas, patriæ pietatem, majorum caritatem abs te obtinere, ad quod te divinæ pariter & humanæ leges hortantur, natura inſtigat, ratio ducit, honeſtas allicit, tot commoda invitant, neceſſitas etiam ipſa cogit? Sed jam argumentorum plus ſatis. Confido te jamdudum me monitore ſententiam mutaſſe, animumque ad ſalubriora conſilia appuliſſe.

Plurimum conducet in hoc ſuaſorio genere longe omnium utiliſſimo, diligenter exerceri. Dominatur enim fere in omnibus generibus. Primum igitur cujuſmodi ſit, quod perſuadere cupis, attente eſt conſiderandum. Deinde quæ ſunt in eo commoda omnia diligenter colligemus, & amplificabimus: contra vero ſi qua inſunt incommoda, quæque illius animum poſſe deterrere videntur, ea aut extenuabimus, aut removebimus, excogitatis quam plurimis rationibus, & rationum confirmationibus, ac locupletationibus. Qui loci incident communes, ad rem accommodandi ſunt, velut hic incidebat, omnibus rebus inſitam eſſe vim propagandi ſui. Item mille morbis, mille caſibus atteri genus humanum. Item quam nihil in hac vita jucundum ſine conſorte. Item ſenectutem ac mortem tolerabiliorem fieri, paratis liberis. Poſtremo vero videndum quibus argumentationum formis, aut quibus exornationibus ea quæ excogitata ſunt, quam commodiſſime poſſint explicari. *De exercitatione hujus generis præcepta.*

CAP. XLVIII.

DE GENERE DISSVASORIO.

IN diſſuaſione omnia incommoda colligemus. Hæc quemadmodum inveniri poſſint, mox paucis demonſtrabimus, quæ quidem meditata, & tanquam ad manum habere oportebit. Proponat autem didaſcalus aliquod argumentum ſcite excogitatum, capita rationum, exempla, ſimilitudines: & ſi volet diſpoſitionem paucis oſtendat, reliqua puerorum ingeniis relinquat. Deinde illorum inventa caſtiget, mox palinodiam ſcribere jubeat. Nonnunquam etiam acuendi ingenii gratia, infames materias proponat. Veluti ſi quis ſuadeat paupertatem, exilium, ingratitudinem, ægrotationem, contemptum ſtudiorum, neglectum linguarum, tyrannidem, ut vetulus vetulam ducat, ut domum ducat uxorem improbam. Nihil enim eſt ita natura bonum, quin ab ingenioſo Oratore depravari poſſit. Hac exercitatione tum copia, tum promptitudo quædam, quavis de re dicendi parabitur. A me modo ſuaſum eſt matrimonium, ubi pleraque ejus vitæ commoda collegi, contra autem cælibatus incommoda exaggeravi. Incommoda vero matrimonii, quæ illic partim extenuavi, partim refelli, ea in palinodia erunt exaggeranda: contra, commoda aut vehementer deprimenda, aut commoda eſſe neganda.

Quonam igitur modo erit hæc palinodia inſtituenda? Aut hoc ipſum argumentum iiſdem poſitis circumſtantiis, in diverſam partem tractabimus: aut fingemus amicum ſecum hæſitantem, utram vitam velit amplecti, aut jam nuptias animo deſtinaſſe. Et ut a circumſtantiis diſcamus invenire argumenta, thema certis perſonis confictum proponemus, hoc pacto. Petrus adoleſcens, minimus fratrum ſuorum, ſummo ingenio, & jam literis initiatus, matris opera a ſchola revocatus, ab eadem ad ducendam uxorem ſollicitatur, puellam, & divitem, & egregia forma. Pater neque uxori, neque filio refragatur, ſed liberum illi permittit, ut eligat. Scribit nunc illi ſodalis, æqualis, & ſocius ſtudiorum, cona-

naturque illum a matrimonio deterrere. Hic, ut conjugium quam miserrimum ostendat, omnes ejus vitæ ærumnas contrahet: primum ab ipsius conjugii natura. Adducet enim servitutem, & eam quidem, quam semel admissam effugere nullo modo possis. Nulla enim servitus, non misera esse potest, quum hominem natura libertatis avidum finxerit. Atque hic incidit locus communis, late tractabilis. Ad hæc, quum omnis servitus misera est, tum illa minime viro convenit, qua cogimur mulierculis inservire. Præterea quod mutua est servitus. Accedit etiam alterum incommodum, quod eam ipsam sustinere cogeris & alere, cui inservis. Nam reliquis in servitutibus, servi ex dominis pendent, at illa ex te. Prius ibas, quo volebas: cœnabas ubi volebas, vivebas quicum volebas, vagabaris, nugabaris, convivabaris, lusitabas, confabulabaris. Nunc domi desidendum, cœnandum domi, cubandum domi, vivendum more illius. Quæ si facis, ubi dulcis illa libertas? Sin minus, lites domi paratæ, audienda jurgiosæ uxoris convitia. Res augeri poterit per contentionem. Servus vernaculus, sive emptitius, vel precio dato, vel ex heri benignitate, sperat libertatem: hic sola mors habet jus manumittendi. At formosa est, non potest non esse voluptati. Imo si formosa est, certam miseriam effugere non potes. Nam si deformis esset, minus quidem animum voluptate oblectaret: at rursum metu minus angeret, minus procax esset.

Nunc quum formam suam non ignoret multo erit insolentior. Tum si parum pudica sit, qui tibi jucunda poterit esse vita? Sin pudica, quod haud scio an fieri possit, perpetuo metu cruciaberis, ne te non satis amet, ne corrumpatur, ne mutet animum. Nam si non ames, miserum est vivere cum ea, quam non ames. Sin ames, hæc omnia secum incommoda adfert amor, suspiciones, injurias, jurgia, rixas, & cætera. Præterea stulti est compedes suas quamvis aureas amare. Quid refert, lineo, an serico fune stranguleris? Deinde extenuabis eam corporis voluptatem, qua negabis tantos dolores esse emendos. Est enim pecuina prorsus, plena fastidii, plus aloes quam mellis habens: indigna magnis ingeniis. An hæc una, tanti est, ut multo dulciores voluptates relinquas, & tot miserias adeas? Atque hic rursus incidit locus communis, adversus eam voluptatem, quæ ex coitu percipitur, quam quidam non inscite morbi comitialis speciem dixere, Plato escam malorum. Nulla res magis hebetat animi vigorem, nulla magis enervat vires corporis, nulla magis accelerat senium. Post hæc ostendat rem esse plenam periculosæ aleæ. Hic locus incidet odiosus, de vitiis fœminei sexus, quam paucæ bonæ aut pudicæ reperiantur, quam paucos non pœnituerit initi conjugii. Hæc omnia quæ nimium frequenter accidunt ponet ob oculos. Uxorem rixosam, procacem, impudicam: breviter his moribus, ut quod frequenter accidit, maritum ad mortem adigat: perennes querelas, dotis exprobrationem, affinium grave supercilium, garrulam socrus linguam, suffossorem alieni matrimonii, liberos impios ac perditos, aliaque quæ plurima collegere, Juvenalis, Tertullianus, Hieronymus, & alii qui in vituperando matrimonio vires eloquentiæ deprompserunt. Atque hinc veluti gradu facto, descendet ad ea incommoda, quæ felix etiam matrimonium fere consequuntur: majorem rei domesticæ curam, studium augendarum facultatum, adipiscendorum honorum: huc enim exstimulat uxoris fœcunditas, morbum filiorum aut uxoris, mortem, luctum, orbitatem. Contra quæ voluptas sit in literis. Non posse quemquam simul, & uxori & Musis vacare. Quæ dignitas, quæque felicitas virginitatis. Hic per contentiones enumerabit, quæ relinquat, quæ subeat. Sed sine matrimonio genus humanum sustineri non potest, quasi vero desint, qui isto munere fungantur. Istuc aliis relinque, qui humanis rebus sunt nati, tu ad divina, ad cœlestia factus es. Sunt tibi fratres, quorum opera genus tuum possit propagari: tuum est illud non liberis, sed literis illustrare. Plures filios tibi parabis beneficiis tuis, quam uxor possit gignere. Et sæpenumero fidelius amant, quos pararis, quam quos genueris. Puta te tot habere filios, quot pueros, quot adolescentes, ad honestas literas, ac piam vitam institueris. Hi parentem non gravant sumptu, non discruciant alendi sollicitudine, imo potius alunt parentem. Et hic est locus communis, longe verius esse patrem, qui fingit, ac format animum, quam qui generat corpus. Ad horum omnium singula poterunt accommodari exempla, cæteraque quibus ostendimus orationem locupletari. Hæc indicasse suffecerit, ne plus satis oneremus lectorem.

CAP. XLIX.

DE CONSOLATORIA EPISTOLA.

Quum vita mortalium undique plena sit calamitatum, neque multos reperire liceat, quos suæ fortunæ non pœniteat, nullum officium incidit frequentius, quam ut amicorum animos consolando sublevemus. Neque vero mediocre beneficium est, tempestiva & amica consolatio: qua quoties in rebus afflictis, eorum quibus bene volumus ægritudini re mederi non licet, verbis saltem lenimus dolorem. Verum scite id ipsum faciamus oportet, ne velut imperiti Medici vulnus crudum adhuc & recens exulceremus potius quam mitigemus. Proinde triplex erit ratio tractandæ consolationis: una simplex & aperta, per quam argumentis declaramus non esse causam dolendi: quum viro sapienti nihil accidere possit triste præter turpitudinem, neque a quoquam lædi possit, nisi a seipso. Hujusmodi validis pharmacis utemur, quoties nobis cum Philosopho, aut alioqui viro cordato res est. Altera per insinuationem sumenda, quoties aut animus est infirmior, aut dolor recentior, acerbiorve, quam ut aperte patiatur sibi admoveri manus. Sive quum erectior est animus ejus, quem consolamur, quam ut videri velit opus habere consolatore. Nam quemadmodum sunt quidam animo tam excelso præditi, ut quum ægrotent graviter, tamen pudeat Medicum accersere, quod ignavum, ac forti viro pudendum existiment ægrotare: ita sunt qui pudore quodam generosæ mentis, quamlibet magnum dolorem animi premunt ac dissimulant. His hac arte erit obrependum, ut negemus nos consolandi gratia scribere, quum multis modis perspectam habeamus illius eximiam sapientiam, tum infractam animi magnitudinem omnibus fortunæ procellis majorem; tametsi fatebimur casum esse ejusmodi, ut alium quemlibet facile possit dejicere, tamen non dubitare nos, quin homo a puero veræ Philosophiæ præceptis institutus, longo rerum usu doctus, ad hæc invicto quodam animi robore præditus, fortiter ferat, quod ex communi mortalium lege, vitari non potest: nos illius fortitudini gratulari velle potius, quam dolori mederi. Priori incommodo sic medebimur, ut ejus, quem consolari volumus affectum in nos transferamus, sic attemperantes orationem ut nostro dolori magis obsequi, quam illius ægritudinem mitigare velle videamur. Hac arte M. Tullius Milonis causam agens, ficte metum in se transfert, quo judicum animis metum eximat. Siquidem quos dolor adhuc totos possidet, non aliter tractandi sunt, quam isti, qui ob morbo vitiatum animi judicium, sibi videntur esse cornuti, aut naso in longum prominenti, aut mortui, aut testacei. Oderunt dissentientes, amant eos, qui per dissimulationem ipsorum imaginationi assentantur. Proinde qui his mederi student, nonnunquam simulant sese eodem teneri malo. Porro contracta benevolentia, facile persuadent remedium, ac paulatim obrepentes, tandem eximunt falsam imaginationem. Itidem agendum erit cum his, quorum animus nondum admittit manum medicantis. Dicemus nos ipsos ad consolandum parum esse idoneos, qui non minus angamur animo, quam is ipse, quem confirmare deberemus. Deinde doloris causas etiam exaggerabimus, eamque exaggerationem non solum a re ipsa, sed ab ejus etiam qui patitur indignitate sumemus, non sine laude quadam ejus injuriam quam plurimis bonis viris dolere dicemus. Quod ubi erit factum, tum medicamentum adhibebimus: hic omnia quæ dolorem lenire possint, diligenter colligemus. Id fiet, si ipsum malum in quod incidit, verisimiliter extenuabimus: & bonum unde

Triplex ratio tractandæ consolationis.

unde excidit, quantum licet elevemus. Malum extenuabimus, si minime diuturnum fore ostendemus. Solent enim patientius ferri incommoda, quæ brevi finem habitura putentur, præsertim si eam incommoditatem magna aliqua spes sequutura monstretur. Hic omnes rerum conjecturas diligentissime dispiciemus, quibus eam spem quam maxime probabilem efficiamus. Unde autem conjecturæ sumantur, Rhetorum de statu conjecturali præceptiones haud obscure demonstrant: & Ciceronis cum multæ, tum illa in primis ad Cecinnam Epistola, exemplo esse potest, ubi idem facete suo more, tanquam augurandi disciplinam quandam tradere videtur. His omnibus assentationem quandam admiscebimus.

Alter modus extenuandi malum. Quod si ejusmodi sit incommodum, ut diuturnum videri necesse sit, aliis extenuandi rationibus utemur. Aut enim non esse incommodum, aut non esse tam grave, quam apparet, nitemur ostendere. Id faciemus, si quicquid erit in eo commodi, id accurate cum amplificatione quadam indicemus. Nullum enim tam grave malum homini potest accidere, ex quo non aliquid commodi decerpi queat. Si negabimus ullum esse malum existimandum, quod citra culpam homini obtigerit, quemadmodum docet Aristoteles, jucundam esse malorum recordationem, quæ cum honesta fama conjuncta sunt: ita levius ferimus, quæ nostra culpa contracta non sunt. Hic Philosophorum rationes & præter cæteros Stoicorum plurimum adjuvabunt: si ejusmodi calamitatem, vel famæ ejus profuturam, vel gradum quendam ad maxima commoda jactum esse ostendemus. Solet enim summa virtus, summaque felicitas a durissimis initiis plerumque proficisci: idque exemplis approbabimus, si Theologico more ejusmodi tempestatem a Superis propitiis immissam dicemus, corpori quidem molestam, sed animæ salutarem. Nihil autem æque dolorem levat, teste Cicerone, ut communis tanquam legis humanæ conditionis recordatio: quare id mali, illi cum universo mortalium genere, vel certe cum clarissimis optimisque viris quam plurimis commune esse declarabimus. Hic illustrium virorum exempla, qui in eosdem luctus inciderunt, aut certe similes: quique eos fortissimo animo, maxima cum laude tulerunt, accumulabimus. Postremo ad exhortationem veniemus: ad pristinam animi tolerantiam, magnitudinem, sapientiam, eruditionem vocabimus. In conclusione omnem operam, studium, diligentiam, & ipsi, & ejus filiis, ac necessariis deferemus. In consolando jocus erit vehementer fugiendus, nisi leve sit incommodum, ut joco possit exhilarari. Tum si modo cui scribimus, is erit, qui hujusmodi rebus capiatur, quam blandissime jocandum erit, ita tamen, ut veras consolationes cum jocis permisceamus. Præterea cavendum, ne non tam amice consolari, quam præcipere videamur, nisi vehementer erit familiaris, cui scribimus: ne tanquam sani ægrotantibus imperemus: ne quid de nostra, aliorumve felicitate commemoremus: ne Tityrum illum Virgilianum rustice imitemur. *O Melibœe, Deus nobis hæc ocia fecit.* Ut enim societas miseriam levat, ita alienæ immunitatis recordatio, ægritudinem exasperat. Quæ quum satis diligenter præcepta putem, exemplum adjiciemus.

Argumentum sive thema Epistolæ. Epistola consolatoria exilii. Canidius vir in Republica sua præclarus, per invidiam factionum adversarum ejectus, in longinquis regionibus exulat, relicta domi uxore, parvisque liberis, eum amicus consolatur. Officium meum tibi, ut a quo persæpe meo in luctu fuerim amantissime confirmatus, vicissim in tuo tristissimo casu deberi quidem agnosco: sed te nihil egere gaudeo. Ita enim fortiter, sapienterque exilium ferre audio, ut nos, qui tui desiderio angimur, tua potius, quam tu nostra consolatione simus sublevandi. Næ tu sane vir fortissime, nihil a tuis studiis alienum facis. Ita enim a puero, & optimis majorum institutis, & Philosophiæ rationibus animum præparasti, ut nullus te fortunæ flatus, nec secundus erigere, nec adversus possit dejicere. Non quo te tam acerbi vulneris sensu omnino carere putem: Id enim stupentis magis, quam excellentis animi videtur. Quis enim tam saxeo pectore sit, qui, quod tibi evenit, quum pro summis in Rempublicam meritis, summam contumeliam acceperit, tanta ingratitudine non permoveatur? Quis tantum oblivionis ex illo Letheo flumine bibit unquam, ut nullo natalis terræ, amicorum, uxoris, liberorum desiderio teneretur? Non tibi doleat vulnus qui acceperis, quum multis non tuis modo, verum alienis, bonis tamen, doleat? Quare si te dolere vetem, inhumanissimus plane videar: tametsi affirmare ausim, permultas esse causas, cur tu malum moderatius ferre debeas: quod si etiam diuturnum fore videretur, tamen erat quo te sustentares. Nempe in primis tua virtute, literis, conscientia recte factorum: qua quidem nulla est in rebus adversis, vel verior, vel præsentior consolatio. Nunc certissimo augurio brevi futurum spero, ut tibi de honestissimo reditu gratulemur: omnesque existiment æmulos tuos, qui tuam salutem exstinguere credebantur, dignitatem tuam vehementer illustrasse. Id quidem ego, augurium ne vanum putes, certissimis signis, partim quidem a tua virtute, & maximis in Rempublicam officiis, partim a temporum natura colligo. Eam enim in te sapientiam, integritatem, industriam, nostra Respublica domi bellique experta est: ut & si tu pro animi tui magnitudine, patria carere facile posses, illa certe tali cive diutius carere omnino non sustineat. *A persona.* Cur igitur sic meritum ejecit, inquies? Rerumpublicarum tempestates nosti: nec vulgi animos ignoras, quibus nihil instabilius: qui procellarum in morem sursum ac deorsum fluctuant, nec quemquam constanter, aut odisse solent, aut amare. *Confutatio.* Ita est humanum ingenium, virtutis, nec præsentis fulgorem, nec absentis desiderium ferre possumus. Præsentem, ut Flaccus ait, odimus, sublatam ex oculis, quærimus invidi. Camillum virum clarissimum, cujus in pace splendorem Romana Respublica ferre non potuit, afflictis in rebus, coacta est revocare: *Exempla.* nec prius quam expulisset, qualem civem habuisset, civitas alioqui sapiens intelligere potuit. Itaque quum absenti patriam reddidissent, & dictaturam non ambienti decrevissent, imperium quod a civibus deferebatur, ab exule defensum est. Socratem, virum omnium quos terra produxit optimum, Anyti & Meliti calumnia undecim viri veneno damnarunt: quem ubi desiderare cœpit civitas Atheniensis, repente omnium conversis animis, in ipsos accusatores publicus est impetus factus. Socrati statuæ erectæ. Serius quidem illi, quam Socrati commodum erat resipuerunt: tu nondum ita cecidisti, quin facile restitui possis. Jam multos quos tuus in Republica splendor urebat tui desiderium cruciat: *Facit verisimile.* factionis adversæ qui sunt, partim amicorum precibus victi, partim absentia tua, partim ipsa die mutati, posuerunt odium, nonnulli ad amicorum tuorum partes transfugerunt. Nemo certe est, qui non mitius oderit. Peroportune vero bellum oritur, & magnum, & periculosum, & quidem cum iis ipsis, quos aliquando tua virtute coercitos meminerunt. In quo quum vehementer Respublica tuam operam sit desideratura, in certam spem adducor fore, ut qui ab ingratis civibus fueris ejectus, a supplicibus revoceris, ut non tam acerbum fuerit ejectum fuisse, quam gloriosum sic fuisse revocatum. Habes augurium meum: quod ita meum est, ut idem amicorum tuorum nemo non speret, inimicorum nemo non metuat. Quo si quid addubitarem, non uterer ullis remediis potius, quam illis: quibus te virum fortem facile sustentari video, quibusque ipse utor quotidie, & te uti facile suspicor.

Consolatio e Philosophorum decretis. Optima consolatrix Philosophia, quæ non unum aliquod malum, inanibus fomentis lenire, sed ad omnes fortunæ incursus, animum armare solet. Hujus, ut ita dicam, lacte quum ab ipsis sis incunabulis enutritus, quid ego sus Minervam, aut ululas Athenas? sed tamen pro tua modestia memorem, ajunt, te moneri patieris, videlicet ut hominis felicitatem, non in fortunæ temeritate, sed in animo esse sitam memineris. *Paradoxa.* Patriam, opes, honores, cæteraque munera sua, fortuna potest eripere: animum sapientem, neque dare, neque eripere potest. In te ipso omne præsidium tuum constitutum esse cogites: sapienti viro, præter turpitudinem, nihil acerbi posse accidere. Virtutem seipsa contentam, non e ca-

casuum mutabilitate pendere. Non cruciari, sed cruciatu dignum admittere, in malis est numerandum. Tua te virtute involvas oportet. Exilium dolet? Non tu miser, qui immeritus pateris: sed ii longe miserrimi, qui immerentem ejecerunt. Infelicius enim longe est, facere injuriam, quam accipere. Patriam ingratissimi cives eripuerunt: animi magnitudinem, virtutem, integritatem, eruditionem, honestam famam, eripere non potuerunt, nec poterunt. At hoc ipsum dolet, quod optime meritus ab ea Republica quam sæpenumero tua virtute servaris, exulas. At istuc maximam ægritudinis partem levare deberet. Socrates, vir integritate laudatissimus, venenum bibiturus, uxorem ejulantem, deplorantemque quod innocens esset moriturus, objurgans: Stulta, inquit, nocentem ne mori malles? At

Quod venit ex merito, leviter, lenteque ferendum:
Quæ venit indigno pœna, dolenda venit.

Vulgi ista sententia est, & stultitiæ plena. Sapienti vero, quæ major esse possit consolatio, quam ex recte factorum conscientia, quæ quum aderit, etiam si fractus illabatur orbis, impavidum ferient ruinæ. Omne solum forti patria est. Egestas, exilium, bellum, non mala, sed materia virtutis sunt. Crescit enim, & alitur adversis rebus animi vigor, perinde ut ilex, quæ quo diligentius duris bipennibus tondetur, eo latius ramos diffundit. Darius se rebus adversis prudentiorem fieri dicebat. Ego vero ita existimo multos egregios viros, fortunæ sævitia non prudentiores modo, verumetiam clariores evasisse. Num Herculis gloria per orbem sic emanare potuisset, nisi illi Juno tot monstra, tanquam virtutis materiam objecisset? Ulyssem equidem non tam bellicis rebus, quam tolerantia malorum, quibus decennium est jactatus, immortale nomen adsequutum puto. Cedunt ipsa interdum feliciter mala, & a superis propitiis immittuntur. Multos tibi recensere possem, quibus ita cessit exilium, ut optandum fuisse videretur: qui quum in patria, vel obscuri, vel invidiosi vixissent, apud exteros, & rem amplissimam, & summos honores sunt assequuti. Claudium virum nobilissimum a civibus in exilium actum, Gallia excepit. Jam exul adeo locuples, clarusque est, ut non modo patriam non desideret, verumetiam quod non ante reliquerit, pœniteat. Petrum Aliacensem Cameracensis civitas Episcopum ejecit, Roma ex exule fecit Cardinalem. Multa apud nostros, ad gloriam virtutis via grassantibus obstant, æmulatio, invidia, postremo virtutis, & splendoris satietas quædam. Quare cum ex his rebus, quas tu semper es admiratus, & in quibus felicitatem constituendam judicavisti, nihil tibi decessit, nihil est, quod te his casibus vehementer afflictes, quibus natura universum hominum genus subjectum esse voluit. Hac enim lege nascimur omnes ut omnibus fortunæ casibus subjaceamus. Sic libitum est fortunæ in rebus humanis ludenti, indignos attollere, optimum quemque dejicere, læta miscere tristibus. Quid autem acerbum videri potest, cujus conditio tibi cum omnibus est communis? Repete cogitatione, & veteres, & recentes annales. Quem tu Regem, quem Ducem, quem clarum virum ab hoc sævo fortunæ ludo immunem fuisse comperies? Quoties illa e domino servum, e Rege captivum, e Consule Rhetorem, e triumphatore exulem, ex patriæ conservatore hostem patriæ fecit? Quid unquam habuit Græcia Alcibiade vel generosius, vel fortius? At hic ubi splendore suo invidiam suscitasset, ex ea Republica quam multis victoriis illustrasset, in exilium ejectus est. Aristides ob invidiam, quod ob morum incorruptam integritatem vulgo Justus cognominaretur, ostracismo damnatus solum vertere jussus est. Quid Phocione justius? at hunc etiam venenum bibere coegit. Quid Socrate castius? At huic sua virtus exitium attulit. Quid de Scipione dicam? quid de Bruto, quid de Catone, quid de Cicerone, qui ea Republica carere compulsi sunt, quam magno suo periculo ipsi servassent? At quanto animo sapientissimi viri, civium injurias tulerunt? Nimirum intelligebant virtutem suam, & gloriam bene gestis partam, non in ingrata patria residere, sed una in exilium comitari. At frustra suam operam in ingratissimos cives contulerant. Minime. Quid ita? quia non ut in patria senescerent, ea pericula susceperant, sed ut æternam sibi famam compararent. Exules tamen erant. Minime. Quamobrem? Eam enim pro patria habere desierant, in qua talibus viris locus non esset. Ubicunque bene sumus, in patria sumus. Quare non magno ejus desiderio tenebantur, ubi minus tute, quam in exilio vivendum intellexerant. Numidico Metello, qui ob summam animi constantiam ejectus erat, quum in spectaculo sedenti, literæ revocationis redderentur, ne aperiendas quidem putavit, ante quam ludi finirentur. Et Metellus quidem Roma negligenter plane carebat, sed Metello Roma carere non potuit. Quam ob rem non poterat? quia cujus præsentis animi magnitudine cives invidi cruciabantur, ejus absentis industriam requirebant. Ille vero exulem se esse non meminit, ne afflictum quidem aut miserum putabat. Cur ita? Nimirum persuasum habebat eos, qui rem exilio dignam admitterent, miseros esse: eos vero, qui ob virtutis invidiam exularent, non supplicium, sed gloriæ materiam accepisse. Secundis enim in rebus animum magnum obtinere non magni negocii est. At sæviente fortuna, animo non frangi, sed æquabilem mentis statum tenere, id vero longe pulcherrimum putatur. Tu vero quum sis istis viris, neque rerum usu, neque animi magnitudine inferior, literarum etiam peritia superior, strenuos gubernatores debes imitari, qui quum maxime adversa tempestas incumbit, tum minime a clavo discedunt. Neque enim magni artificii est, tranquillo mari, ventisque ferentibus, rectum tenere cursum, sed egregium naucIerum tempestas arguit adversa. Et quoniam mare ingressis, venti in manu non sunt, iis qui contigerunt æquo animo utendum erit. Adde fieri nonnunquam, ut venti nimium secundi, plus periculi adferant, quam adversi: coguntur que plus æquo turgentia vela contrahere. Rebus enim plus satis ex sententia procedentibus, facile præcipites in exitium ferimur: adversis vero, ut cautiores, diligentioresque, ita tutiores nonnunquam sumus.

Quapropter cordatis viris fortunæ favorem semper suspectum esse video, quæ tum maxime insidiatur, quum blanditur maxime. His ego te rationibus facile confirmassem: quanquam quale est Herculem velle consolari: nisi jam certa de reditu tuo spes omnium tuorum animos obtineret. Tu fac, ut animi virtutem domi, bellique spectatam in ista interim palæstra parem obtineas. Mihi liberorum tuorum negocia tantæ sunt curæ, ut ne tibi quidem ipsi majori esse possint. Vale.

Quanquam autem orbitati & exiliis potissimum adhiberi solet consolatio, tamen licebit & alia themata comminisci variis de rebus quæ molestiam adferunt: veluti de morbo corporis, de valetudine parum prospera aut firma, de senectute, de parum bonis avibus contracto matrimonio: cujus frustra pœnitet, de Monachali instituto: de Sacerdotio, aut alio vitæ genere, cujus tædet eum, qui sese addixit: de generis infelicitate, de conditionis humilitate, de paupertate molesta, de invidia, de rebus aliquo casu ereptis: de beneficiis penes ingratum hominem depositis: de liberis improba vita dehonestantibus parentem, de pestilentia, de bello, cæterisque innumeris. Nam hos veluti fontes visum est indicare præceptoribus, unde sumant subinde novum thema.

SYLVA.

Quapropter hoc te primum rogo, ne contrahas, aut demittas animum, neve obrui, tanquam fluctu, sic magnitudine negocii sinas, contraque erigas, ac resistas, sive etiam ultro occurras negociis. Nullus dolor est, quem non temporis longinquitas minuat, atque molliat, & cui non callum obducat. Homines nos esse meminerimus, ea lege natos, ut sub telis fortunæ proposita sit vita nostra. Neque esse recusandum, quominus ea qua nati sumus conditione, vivamus: neve tam graviter eos casus feramus, quos nullo consilio vitare possumus. Eventisque aliorum memoria repetitis, nihil accidisse nobis novi cogitemus. Homines sapientes, turpitudine non casu, & delicto suo non aliorum injuria commoveri

Margin notes: Confutatio. Confutatio. Sententia mixta simili. Apophthegma. Exemplum a fabulosa. Exemplum consimilium. Mitigatio mali a communitate. Exemplum Græcum. Exemplum Romanorum. Subjectio. Γνώμη. Collectio. Allegoria. Conclusio. Cicero.

veri debent. Conscientiam rectæ voluntatis, maximam consolationem esse rerum incommodarum, nec esse ullum magnum malum, præter culpam, memineris.

Cicero. Est omnino difficile, non graviter id ferre, sed tamen animos nostros maximis in rebus gerendis, & sustinendis exercitatos, frangi & debilitari molestia non oportet. Quoniam molestissime homines ferre debent, quæ ipsorum culpa contracta sunt.

Tu fac animo magno fortique sis, speresque fore, ut fracto impetu levissimi hominis, tuam pristinam dignitatem & gloriam consequaris.

Cic. Epist. fam. Me in summo dolore, quem in tuis rebus capio, maxime scilicet consolatur spes, quod valde suspicor fore, ut infringatur hominum improbitas, & consiliis tuorum amicorum, & ipsa die, qua debilitantur cogitationes, & inimicorum, & proditorum. Facile secundo loco me consolatur recordatio meorum temporum, quorum imaginem video in rebus tuis.

Lib. 4. Epistola: *Vehementer te esse sollicitum.* Eodem, Epist. *Posteaquam mihi.* Eodem, *Neque monere te audeo.*

Reliquum est, ut consoler, & afferam rationes, quibus te a molestiis coner abducere. At ea quidem facultas, vel tui, vel alterius consolandi, in te summa est, si unquam in ullo fuit. Itaque eam partem, quæ ab exquisita quadam ratione, & doctrina proficiscitur, non attingam, tibi totam relinquam. Quid sit forti & sapiente homine dignum, quid gravitas, quid altitudo animi, quid acta tua vita, quid studia, quid artes quibus a pueritia floruisti, a te flagitent, tu videbis.

Extremum illud est, ut te horter & obsecrem, animo ut maximo sis: nec ea solum memineris, quæ ab aliis magnis viris accepisti, sed illa etiam, quæ ipse ingenio studioque peperisti: quæ si colliges, & sperabis omnia optime, & quæ accident, qualiacunque erunt, sapienter feres. Sed hæc tu melius, vel optime omnium.

Quare non debes, aut propriam fortunam, aut præcipuam postulare, aut communem recusare.

Lib. 5. Epistola: *Et si unus ex omnibus*, tota. Eodem, *Et si egomet*, &c.

Sed ut illa secunda moderate tulimus, sic hanc non solum adversam, sed etiam funditus eversam fortunam, fortiter ferre debemus: ut hoc saltem in maximis malis boni consequamur, ut mortem, quam etiam beati contemnere debebamus, propterea quod nullum sensum esset habitura, nunc sic affecti, non modo contemnere debeamus, sed etiam optare. Tu si me diligis, fruere isto ocio, tibique persuade, præter culpam ac peccatum, quo semper caruisti, & carebis, homini accidere nihil posse, quod sit horribile, aut pertimescendum.

Lib. 6. Epistola: *Et si ea perturbatio*, &c.

Sin omnino interierint omnia, fueritque is exitus, quem vir prudentissimus M. Antonius jam tum timebat, cum tantum instare malorum suspicabatur: misera est illa quidem consolatio, tali præsertim civi, & viro, sed tamen necessaria: nihil esse præcipue cuiquam dolendum in eo, quod accidat universis. Quæ vis insit in his paucis verbis (plura enim committenda Epistolæ non erant) si attendes, quod facis, profecto etiam sine meis literis intelliges, &c.

Ita enim vivere, ut non sit vivendum, miserrimum est: mori autem, nemo sapiens miserum duxit, ne beato quidem.

Sed in ea es urbe, in qua hæc vel plura, & ornatiora, parietes ipsi loqui posse videantur, &c.

Ego tibi hoc confirmo, & si levis est consolatio ex miseriis aliorum, nihilo te nunc majore in discrimine esse, quam quemvis aut eorum qui discesserint, aut eorum qui remanserint. Alteri dimicant, alteri victorem timent. Sed hæc consolatio levis, illa gravior, qua te uti spero, ego certe utor. Nec enim dum ero, angar ulla re, cum omni vacem culpa: & si non ero, sensu omnino carebo. Sed rursus, γλαῦκα εἰς ἀθήνας, qui ad te hæc.

Lib. 6. ex Epistola: *Novi quid ad te.* Ab eo loco. *Hoc loco si videor augere*, &c.

Quod reliquum est, quando tibi virtus, & dignitas tua reditum ad tuos aperuit, est tuæ sapientiæ, magni-

A tudinisque animi, quid amiseris, oblivisci, quid recuperaveris, cogitare. Vives cum tuis, vives nobiscum. Plus acquisivisti dignitatis, quam amisisti rei familiaris, quæ tamen ipsa esset jucundior, si ulla esset Respublica.

Lib. 6. ex Epistola: *Gratulor tibi, mi Balbe.* Ab eo loco: *Mihi tamen placuit, mi Balbe.*

Tua me calamitas vehementer excruciat, meis incommodis modice tangor.

Tu fac habeas fortem animum, quem semper habuisti: primum ob eas causas, quas scripsi: deinde quod ea de Republica semper voluisti, atque sensisti: ut non modo secunda sperare debeas, sed etiam si omnia adversa essent, tamen conscientia & factorum & consiliorum
B tuorum, quæcunque acciderent, fortissimo & maximo animo ferre deberes.

Quamobrem fac animo magno fortique sis: & si turbidissima sapienter ferres, tranquilliora læte feras.

De reliquo, ut te sæpe per literas hortatus sum, ita velim tibi persuadeas, te in hac causa nihil habere, quod timendum sit, præter communem casum civitatis: qui & si est gravissimus, tamen ita viximus, & id ætatis jam sumus, ut omnia quæ non nostra culpa nobis accident, fortiter ferre debeamus.

Vacare culpa magnum est solatium, præsertim cum habeam duas res, quibus me sustentem, optimarum artium scientiam, & maximarum rerum gloriam: quarum altera mihi vivo nunquam eripietur, altera ne mor-
C tuo quidem.

Lib. 9. Epistola: *Delectaverunt me literæ tuæ*, locos habet consolatorios.

Ac ne sis perturbatus. Novi enim te: & non ignoro, quam sit amor omnis sollicitus, atque anxius. Sed res est, ut spero, non tam exitu molesta, quam aditu. *Ad Atticum*

Sed ad hæc omnia una consolatio est, quod ea conditione nati sumus, ut nihil, quod homini accidere possit, recusare debeamus.

Ex Lib. ad Brutum, tota, & elegans: *Fungerer officio.*

EX EPISTOLIS PLINII SECUNDI.

Quibus ex causis necesse est, tanquam immaturam mortem ejus in sinu tuo defleam: si tamen fas est aut
D fleri, aut omnino mortem vocari, qua tanti viri mortalitas magis finita, quam vita est. Vivit enim, vivetque semper: atque etiam latius in memoria hominum, & sermone versabitur, postquam ab oculis recessit. Volo tibi multa alia scribere, sed totus animus in hac una contemplatione defixus est. Virginium cogito, Virginium video, Virginium jam vanis imaginibus, recentibus tamen audio, adloquor, teneo: cui fortasse cives aliquos virtutibus pares, & habemus & habebimus, gloria neminem.

Ut enim crudum adhuc vulnus, medentium manus reformidat, deinde patitur, atque ultro requirit: sic recens animi dolor consolationes rejicit, ac refugit, mox
E desiderat, & clementer admotis acquiescit.

Torqueor quod discipulum ut scribis, optimæ spei amisisti, cujus & valetudine, & morte impedita studia tua quid nesciam, cum sis omnium officiorum observantissimus, cumque omnes quos probas, effusissime diligas?

Iisdem nunc ego te, quibus ipsum me hortor, moneo, confirmo. Et gaudium mihi, & solatium in literis: nihilque tam lætum, quod his lætius: nihil tam triste, quod non per has minus triste. Tamen in magna consolatione, ingens est sollicitudo.

CONSOLATORIÆ SYLVA MEA.

Valeat illa vulgi sententia, ubi non sis qui fueris, non
F est cur vivere velis. Quæ si minus potest tota displicere, cogita non tantum qui nuper fueris, sed qui olim: neque tantum obversetur animo tuo, unde cecideris, sed etiam unde surrexeris.

Absit a viro muliebris illa vox, dum mea me victum doceat fortuna dolere. Imo te ratio reddat adversus omnes vitæ casus invictum, ut propellas animo dolorem, non ut assuescas.

Tibi recti conscientia, & bonorum judicium pluris esse debet, quam invidorum hominum sermo.

Magis te confirmare debet, paucorum insignium, &

pro-

A probatissimorum hominum grave testimonium, quam inepti vulgi fabulæ.

Levius ista feres, si præcipias animo, quid posteritas de te loquutura sit potius, quam tuum seculum, cui livor adimit judicium.

Neque tantum de fortuna tua ademisse, quantum ad nominis tui gloriam addidisse æmulorum tuorum injuria mihi videtur.

Non hic tui consolandi officium mihi sumpsi, quod minus magnifice de animi tui magnitudine sentirem: sed quemadmodum gubernatores optimi vim tempestatis, ita viri fortissimi fortunæ impetum superare interdum non possunt.

B Non me fugit, quam grave vulnus acceperis ex uxoris obitu. Amisisti fœminam singularis exempli, etiam si priscis seculis vixisset. Quam illa marito verecundiam præstitit, quum ipsa summam mereretur? Quam multas quam eximias virtutes, ex diversis ætatibus, ex variis matronis collectas, ac mixtas una expressit? Tamen hoc tibi debet esse magno solatio, quod tantum bonum tam diu possederis. Vixit enim tecum annos quadraginta quatuor, sine jurgio, sine offensa. Sed hoc ægrius fero inquies, quo tenui diutius. Nam gustatas tantum voluptates facilius obliviscimur. At vide ne ingrati sit hominis, tantum cogitare quid amiseris, non meminisse quam diu fruitus sis. Certe prudentiæ tuæ fuerit, non C committere, ne hoc valeat apud animum tuum ratio, quod alioqui necessitas ipsa, & dies longa, & satietas doloris inducit.

Communis dolor. Tu nepotibus, ego pronepotibus orbatus sum. Sed spero futurum ut alii nati, dolorem hunc gaudio mutent, quando salva est unde hoc sperare licet.

Multum ab istis dissentio, qui in gravi dolore putant hominem sibi relinquendum, donec vulnus tempore mitius, medicam admittat manum. At ego quemadmodum primum arbitror, animum Philosophiæ præceptis, adversus omnes malorum incursus, veluti antidoto præmunitum habere: ita proximum arbitror, statim repugnare dolori, ne veluti morbus jam familiaris D factus, nullis remediis possit exigi.

Scribis dolorem, quem ex uxoris obitu conceperas non solum non leniri die, sed indies etiam incrudescere.

Quo magis censeo velut in vetere morbo ad quælibet mutationis auxilia confugiendum. Sunt balnea, rusticatio, negociorum cura, studia literarum, peregrinatio, spectacula, contentio cum adversariis, publici magistratus functio. Horum atque his similium, nunc hoc, nunc illud tentandum est. Fortassis incides tandem in aliquid, quod ægritudinem istam animi, vel sanet, vel ceu clavus clavum protrudat.

Consolatio Familiaris cum Objurgatione Mea.

E Te ne sic angi, sic animo jacere? Quorsum tandem attinet, ut te affligas, ut te lachrymis conficias? An ista malum lenient, an non potius exacerbabunt? Quorsum attinet tam misere deplorare, quod mutari non potest? Ubi nunc est illa animi tui constantia: ubi literæ, quibus aliorum dolorem levare consueveras? Aliis mederi potuisti, tibi nihil prodes. Ipse tibi nunc Medicus sis oportet. Cur frustra & teipsum lachrymis, & amicos querelis exanimas? Quæ est ista animi impotentia, quæ mollicies? Num te virum esse oblitus es? Itane ista tam graviter fers? quasi vero ista tibi uni contigerint, aut tanta sint, ut aliis non multo etiam acerbiora evenerint. F Quid vel tuo animo vel doctrina indignius quam sic angi, sic frangi, sic teipsum abjicere, quo modo ne mulier quidem ulla posset? Neque enim video, quem fructum adferre possint inanes lachrymæ, & querimoniæ. Nam si ejusmodi malum judicas, ut ad salutem reflecti nequeat, cur luctu duplicas incommodum? Si spes est, cur non ea potius te sustentas: atque id agis, qua ratione quam primum ex istis malis queas emergere? Si desperas, memineris illud, in istiusmodi rerum conditione bonum animum, dimidium adimere mali. Sin speras: cur perinde, tanquam in re desperatissima te maceras?

Audio te tam graviter angi, ut ex luctu, mentis etiam errore afficiaris. Deum immortalem quid tibi vis? Quin tu potius obduras, ac servas te rebus secundis? Cur tu & amicis luctum auges: & inimicis voluptatem præbes: & teipsum indigne conficis?

Tu contra audentior ito,
Quo tua te fortuna sinet.
Ducunt volentem fata, nolentem trahunt.

Tu, dum ista conscientia, iste animus, ista virtus, istæ literæ, ista rerum gestarum memoria te comitabitur, cave te putes exulem ubicunque locorum, quocunque sub cœlo erit vivendum, etiamsi ultra Getas relegatus esses. Sed quid ego sus Minervam? Facit sane non loquacitas mea, sed benevolentia longiores Epistolas. Vale.

Consolatio Jocosa et Familiaris.

Quod te lachrymis conficis, non miror, qui puellam amiseris, nondum totos sexaginta septem annos natam, idque relicta dote satis opima. In hoc tibi scribere visum est, ne doloris magnitudine victus tibi manus adferres. Priusquam exstilles lachrymis, fac juxta proverbium, vivorum memineris.

Tua puella redibit nunquam. Alioqui matrem deflere videberis. Mitto tibi strophiolum, quo lachrymas extergeas, & succum medicum, quo lippitudini fletu contractæ medearis. Clama te miserum, sed nunquam efficies, quin istam miseriam tibi complures invideant.

Nisi desinis macerare te, vereor ne populus in te jaciat convicium illud: Πρὸς τὸν μητρυῆς τάφον δακρύει.

Cap. L.

Ad Consolationem Responsio.

Jam quibus modis respondendum sit consolatori res ipsa dabit consilium. Nam ferme gratias agimus primum pro officio, deinde laudamus ingenium, quod nihil adduci potuerit ad leniendum dolorem, quod ille non summa dicendi facultate disseruerit. Postremo quod illius & prudens & erudita & gravis, denique cum primis amica oratio, aut bonam doloris partem nobis ademerit, aut totum excusserit. Aut si nobis non profuit illius consolatio, laudabimus animum, studium, & ingenium illius: quod tanquam bonus ac peritus Medicus nullum non remedii genus admoverit, sed arte majus esse malum. Aut ita respondebimus imperioso consolatori, *facile quum valemus recta consilia ægrotis damus. Tu si hic sies, aliter sentias:* Exemplo supersedebimus, sylvæ nonnihil suppeditabimus.

Cic. ex famil. lib. 4. *Ego vero servi.* lib. 5. *Quamquam ipsa consolatio.*

Utinam illum diem videam, cum tibi agam gratias, quod me vivere coëgisti. Adhuc equidem valde me pœnitet. *Ad Atticum.*

Sed te oro, ut ad me Vibonem statim venias, quo ego multis de causis converti iter meum. Sed eo si veneris, de toto itinere, ac fuga mea consilium capere potero.

Si id non feceris mirabor, sed confido te esse omnino facturum.

Quod me hortaris, ut firmo sim animo, vellem posses aliquid afferre, quamobrem id facere possem.

Quod me ab hoc mœrore recreari vis, facis ut omnia, &c.

Sed me mihi non defuisse tu testis es. Nihil enim de mœrore minuendo scriptum ab ullo est, quod ego non domi legerim. Sed omnem consolationem vincit dolor. Quinetiam feci, quod profecto ante me nemo, ut ipse me per literas consolarer, quem librum ad te mittam.

Consolari jam desine, objurgare vero noli. Quod quum facis, & ego tuum amorem & dolorem desidero, quem ita affectum mea ærumna esse arbitror, ut te ipsum consolari nemo possit.

Ad consolationem mea.

Tua quidem oratio sperare me jubet, quod improbum sit etiam optare.

Vide ne me lactes inani spe, ne doloris vorsuram fecero, mox cum fœnore recursuri.

CAP. LI.

DE PETITORIA EPISTOLA.

SErvius enarrans locum, in libro Æneidos primo, ubi Juno supplex petit ab Æolo, ut classem Æneæ disjiciat, indicat præcipere Rhetores in omni petitione quatuor servanda esse: *primum ut quod petimus ostendamus esse in potestate ejus, a quo petimus: præterea ut doceamus esse justum quod petimus: deinde ut modum ac viam indicemus, qua confici possit quod petimus: denique ut sequatur remuneratio.* Hunc ordinem in petitionibus Virgilio fuisse perpetuum, velut hoc in loco: *Et mulcere dedit ventos, & tollere fluctus*, ostendit facultatem. Mox: *Gens inimica mihi Tyrrhenum navigat æquor*, declarat esse justum. Justum enim quicquid molimur in hostem. Rursum: *Incute vim ventis, & disjice corpora ponto*, modum aperit & viam. Addit remunerationem: *Sunt mihi bis septem* &c. Ac recte quidem Servius & expedite. Nos tamen paulo crassiore Minerva rem aperiemus. Primum, quoniam varia est natura rerum quas petimus: & magna est varietas personarum, quæ rogant, aut rogantur, oportet & petendi rationem esse variam. Sunt enim quædam, quæ favorabiliter petimus a quovis, veluti consilium: sunt quæ pudore suffundunt rogantem, velut quum petimus mutuum, aut rem parum honestam. Igitur in genere duplex erit petendi modus, rectus, & obliquus. Ubi causa erit favorabilis, aperte suadebimus esse præstandum, quod petimus: ubi secus, per insinuationem irrepemus in petitionem. Primum exaggerantes, quanta nos circumstat necessitas, & quam magnum telum sit necessitas, & quam inutilis pudor viro egenti: neque fugere nos, quam sit improbum, rem tantam ab eo petere, de quo nihil unquam simus promeriti. Post hæc paulatim per cuniculos ostendemus, nobis non mediocrem spem porrigi ab insigni illius benignitate, qua solitus sit etiam ignotis, & indignis opitulari: ob eximiam ingenii bonitatem, ad sublevandas omnium miserias propensi. Hic pudor non vulgariter commendat rogantem, quemadmodum improbitas alienat animum. Nullus enim libenter in eum confert beneficium, qui ceu debitum flagitat, magisque poscit, quam petit. Profuit Hortensio, quod quum cuperet ex uxore Catonis Uticensis sustollere prolem, non ipsam petiit, sed illius filiam Portiam Bibulo nuptam, plurimas interim causas adducens, quare cuperet ex ea gente hæredem. Ille cum respondisset se facile assensurum, si modo probaretur genero: tandem verecunde subindicavit, se Martiam ipsius uxorem petere, cujus copiam facere, ipsi esset in manu, qui maritus esset. Jam imprudens concesserat quod petebatur. Itaque persuaso Martiæ patre, duxit eam uxorem. Auctor Plutarchus. Ubi nihil erit opus hac insinuatione, tamen ejus a quo rem difficilem petimus, benevolentiam modis omnibus conciliabimus. A persona ipsius, cujus benignitatem quum erga cæteros, tum erga nos grate commemorabimus: dicemusque nos ei, cui jam sumus tot nominibus devinctissimi, velle fieri devinctiores: a persona nostra testificantes, quanto studio semper illum coluerimus, quodque præcipuam fiduciam in illo semper habuerimus: simul ostendentes hoc quod petimus, ut nulli nos libentius debituros, quam illi, cui debemus omnia, ita nulli facilius esse præstare. Quod etiam magis exponemus in explicando modo. Si qua erunt nostra in illum merita, ea summa cum modestia significabimus magis quam commemorabimus. A persona majorum utriusque, si docebimus inter utriusque parentem veterem atque arctissimam necessitudinem intercessisse, compluribus mutuis officiis huc usque cultam, & confirmatam. A persona adversariorum, si declarabimus nobis esse certamen cum iis, quos is etiam odit, a quo præsidia poscimus. A re, si docebimus eam piam esse, justam, honestam, nobis necessariam, illi facilem, & honorificam. Deinde si citra arrogantiam ostendemus, quid ex ea recommoditatis sit, ad ipsum etiam aliquando rediturum. Si quid inerit incommodi, quod animum illius, vel alienet a nobis vel deterreat, id vel diluemus, vel extenuabimus. Si erit opus, admiscebimus obtestationes earum rerum, aut personarum, quibus scimus illum posse commoveri. Postremo pollicebimur memorem animum, nec habituros modo gratiam, verumetiam relaturos, si dabitur, cum fœnore: nos ipsos totos, resque nostras omnes illi vicissim dedicabimus, ac deferemus. Facultatem nostram extenuabimus: de animo, studioque magnifice pollicebimur. Illud adjiciam, non hic solum, verumetiam aliis in rebus aliquando plus valere jocum tempestivum, & aptum, quam seriam petitionem. Tantum de præceptionibus satis esto, reliqua juvenibus, aut præceptori animadvertenda relinquo.

EXEMPLUM PETITIONIS OBLIQUÆ.

Ingenii mei pudorem ipse non ignoras vir eximie. Sed quo non adigit mortales, vere durissimum telum necessitas? Eo in loco sunt res meæ, ut ni protinus ad manum sint ducenti angelati, tam perierit tuus Lodovicus quam extrema faba, quod ajunt. Scio beneficium esse magnum & eximium: neque me fugit, quam nulla sunt mea in te officia, quorum fiducia rem tantam ausim abs te petere, præsertim quum tot, tantisque nominibus jam pridem obstrictus tibi, nondum ulla ex parte retulerim gratiam. Et tamen nisi Deus aliquis, velut ἀπὸ μηχανῆς alicunde sese proferat, funditus interii. Quare quemadmodum in summa rerum desperatione, nautæ solent sacram jacere ancoram, ita ego dispectis omnibus ad te velut ad propitium quoddam numen confugio. Non ausim rogare, quanquam huc adigit necessitas, tamen illud volui te scire, statum rerum mearum: ut si me judicas dignum exitio, te judice peream æquiore animo: sin tua pietas, multis jam argumentis antehac in me declarata, dignabitur me ex hoc discrimine eximere, conabor omnibus nervis, ne te unquam hujus capitis servati pœniteat.

PETITIO REI PARUM HONESTÆ.

Non ignorabam, quam impudens esset in causa pessima, a viro omnium optimo patrocinium rogare. Non enim conabor excusare factum meum, ne gravius peccem impudentia, quam hactenus peccatum est stultitia, & incogitantia, ne dicam dementia. Horrescit animus, abhorrens & ab ipsa malorum meorum commemoratione, sed tamen aperiendum vulnus, si sperem medelam. Sortem satis amplam, quam pater dederat in negociationem, nuper alea perdidi. Ingens flagitium fateor, sed utcunque succurri poterat, si solum esset. Inscio patre, cum matris pedissequa rem habui. Illa me callidior, negavit se facturam sui copiam, ni pollicerer me maritum ipsi futurum. Ibi mihi non Jupiter, ut inquit Hesiodus, dimidium mentis, sed Venus totam mentem ademit. Polliceor demens. Nunc ajunt nulla ratione rescindi posse, quod sic actum est: ut illis sit pessime, qui leges tam iniquas condunt. Pater merito irritatus, abdicationem parat. Quod si fit, nullum video melius consilium, quam ut laqueo vitam finiam. Cur enim libeat vivere in tantis malis? Scio te nihil non posse apud patrem. Solus es qui me possis redigere in gratiam. Quod si quid te miseret mei, non ausim rogare, sed tamen vides calamitatem meam. Efficiam ut te mei servati nunquam vel pudeat, vel pœniteat. Sic admissum hoc omni officiorum genere sarciam. Ætatem vides. Sæpenumero a gravioribus commissis, juvenes sese ad bonam frugem convertere. Utinam quod factum est, fieri posset infectum. Sed quod mutari non potest, pensari potest. Maximum quidem hoc peccatum est, fateor, sed primum. Denique quid sibi vult pater? Si abdicat, nec mihi adimit uxorem, & sibi parat orbitatem: sin ignoscit, habebit hoc semper addictiorem filium. Fac brevi sciam, utrum meis malis sim omnino perdendus, an tua bonitate servandus. Nihil enim miserius, quam pendere.

PETITIONIS HONESTÆ EXEMPLUM.

Improbum fortasse aliis videbitur, Præsul amplissime, eum a quo tantum beneficiorum acceperim, quantum ne sperare quidem unquam sim ausus, rursum novis precibus sollicitare. At ego ingenui, minimeque ingrati animi existimo, cui multum debeas, ei plurimum velle debere. Cui enim extremas fortunarum mearum partes potius acceptas ferre cupiam, quam ei ipsi cui primas

primas, cui medias debeo? Quid enim Lucius esset, nisi te tanquam numen quoddam propitium nactus esset? Tu me puerum, ob nescio quam in me virtutis indolem: præterea fortasse, quod putabas meas literas tibi aliquando, vel usui, vel ornamento futuras (quam utinam de me, vel existimationem, vel exspectationem non omni ex parte videar fefellisse) adoptasti. Nec semel complexus, unquam fovere, juvare, ornare destitisti. Itaque si quid hodie in me, vel virtutis, vel bonarum literarum, vel dignitatis esse putatur, id omne tuæ debeo munificentiæ. Sed duo mihi restare videntur, ut & tu opus tuum pulcherrime cœptum perficias: & ego efficiam, ne nullum tantorum in me beneficiorum fructum ex me cepisse videaris. Quod utrumque ut fiat, & ego maximopere cupio, & tibi in manu est. Eadem opera & tu me alumnum beaveris, & eo in loco collocaris, quo multis in rebus tibi usui esse possim. *Narratio.* Post diuturnos, ut scis, in literis Theologicis exhaustos labores, ad calendas Majas Theologica laurea sum insigniendus: quam quidem professionem paulo splendidius vitæ genus decere, non ignoras. Præterea, quoniam hactenus amplitudini tuæ sumptui tantum fui, æquum est, ut aliquando sim & usui, & dignitati. Jam vero hoc ipso tempore vacat præpositura Corinthiensis, non maxima quidem illa, sed meo consilio commodissima: tum quod & in tua sit patria, & a mea non ita multum absit. Habebis, qui tuorum, tuaque illic negocia perinde curæ sit habiturus, ac si propria forent. Præterea quicquid unquam dignitatis mihi accessurum est, id in tuam unius gloriam accesserit, cui semel me debeo, quantus sum. Nec me latet, quam potentes sim competitores habiturus, quam hoc honore indignos, quam utrique nostrum malevolentes. Nihil me terret, modo tu velis, qui unus plus cæteris omnibus potes patrocinari. Quid enim tu audeas a Principe petere, quod ille cunctetur præstare? Quare si me non temere adoptasti: si qua unquam ex parte tuo de me judicio respondi: si me virum gratum existimas, fac ut hæc præpositura mihi tribuatur. Id ego abs te & diligentius, & pluribus verbis contenderem, nisi vererer, ne de tua humanitate, quam ego semper in me propensissimam sum expertus, diffidere viderer. Ego vicissim modis omnibus enitar, ita me eo honore dignum præstare, ut neque te novi hujus in me muneris pœniteat, & veterum tuorum erga me beneficiorum fructum aliquem percipias. Vale.

PETITORIÆ SYLVA.

Cic. Epist. fam. Pluribus verbis ad te scriberem, si aut tua humanitas longiorem orationem exspectaret, aut id fieri nostra amicitia pateretur, aut res verba desideraret, ac non pro se ipsa loqueretur.

Hoc velim tibi persuadeas, si rationibus meis a te provisum esse intellexero, magnam te ex eo, & perpetuam voluptatem esse capturum.

Quod si mihi tua clementia opem tulerit, omnibus in rebus me fore in tua potestate tibi confirmo.

Lib. v. Epistola: *Coram me tecum*, tota.

Cum vero ea tua sit voluntas, humanitas, benevolentia erga me, libenter amplector talem animum. Sed ita (non enim dimittam pudorem in rogando meum) si feceris id quod ostendis, magnam habebo gratiam, si non feceris, ignoscam: & alterum timori, alterum mihi te negare non potuisse arbitrabor. Est enim res profecto maxima. Quid rectum sit, apparet: quid expediat, obscurum est: ita tamen, ut si nos sumus, qui esse debemus, id est, studio digni, & literis nostris, dubitare non possimus, quin ea maxime conducant, quæ sunt rectissima.

Lib. vi. Epistola: *Si mihi non tecum*, tota.

Lib. ix. petitio jocosa: *Et si munus flagitare.*

Cic. ad Attic. Tu si me amas tantum, quantum profecto amas, expeditus facito ut sis, si inclamaro ut accurras. Sed do operam, & dabo, ne sit necesse.

Nunc mihi & consiliis opus est tuis, & amore, & fide, quare advola. Expedita erunt mihi omnia, si te habebo. Multa per Varronem nostrum agi possunt, quæ te etiam urgente erunt firmiora. Multa ab ipso Publio elici, multa cognosci, quæ tibi occulta esse non pote-

A runt: multa etiam, sed absurdum est singula explicare, cum ego te requiram ad omnia. Unum illud tibi persuadeas velim, omnia mihi fore explicata, si te videro.

Quam ob rem si me amas tantum, quantum profecto amas, si dormis, expergiscere: si stas, ingredere, si ingrederis, curre: si curris, advola. Credibile non est, quantum ego in consiliis, & prudentia tua: quodque maximum est, quantum in amore & fide ponam. Magnitudo rei longam orationem fortasse desiderat: conjunctio vero nostrorum animorum, brevitate contenta est.

Quare ut Numestio mandavi, tecum ut ageret, item B atque eo, si potest, acrius te rogo, ut plane ad nos advoles: respiraro si te videro.

Pluribus verbis tecum agerem, nisi pro me apud te res ipsa loqueretur.

Tantum te oro, ut quoniam me ipsum semper amasti, eodem amore sis. Ego enim idem sum. Inimici mei mea mihi, non me ipsum ademerunt. Cura ut valeas.

Tu me, ut facis, opera, consilio, gratia juva.

Quintum fratrem optimum, humanissimumque sustenta.

Omnem autem spem habeo existimationis, privatarumque rerum in tua erga me mihi perspectissima benevolentia: quam si his temporibus miseris & extremis C præstiteris: hæc pericula, quæ mihi communia sunt cum cæteris, fortius feram: idque ut facias, te obtestor, atque obsecro.

Te etiam atque etiam oro, ut me totum tuendum suscipias, ut si ii salvi erunt, quibus cum sum, una cum iis possim incolumis esse, salutemque meam tuæ benevolentiæ acceptam ferre.

Itaque te vehementer etiam atque etiam rogo, magis quam a me vis, aut pateris te rogari, ut hanc cogitationem toto pectore amplectare.

Quanquam hæc Epistola non suasoris est, sed rogatoris. Igitur mi Plance, rogo te, & etiam oro, sic medius fidius, ut majore studio, magisque ex animo agere non possim, ut totum hoc negocium ita agas, ita tractes, D ita conficias, ut quod sine ulla dubitatione apud Coss. obtinuimus propter summam bonitatem, & æquitatem causæ, id tu nos obtinuisse non modo facile patiare, sed etiam gaudeas. Qua quidem voluntate te esse erga Atticum, sæpe præsens & illi ostendisti, & vero etiam mihi. Quod si feceris, me, quem voluntate, & paterna necessitudine conjunctum semper habuisti, maximo beneficio devinctum habebis. Idque ut facias, te vehementer etiam atque etiam rogo.

Nunc mi Capito, scio enim quantum semper apud eos, quibus cum sis, posse soleas, eo plus apud hominem facillimum, atque humanissimum Plancum enitere, elabora, vel potius eblandire: effice ut Plancus, quem spe- E ro optimum esse, sit etiam melior opera tua.

Quod certe facies, si tu nervulos tuos mihi sæpe cognitos, suavitatemque, qua nemo tibi par est, adhibueris. Quod ut facias, te vehementer rogo.

Ignosce mihi, quod cum antea accuratissime de Buthrotiis ad te scripserim, eadem de re sæpius scribam. Non me hercle mi Plance facio, quod parum confidam, aut liberalitati tuæ, aut nostræ amicitiæ, sed cum tanta res agatur Attici nostri, nunc vero etiam existimatio, &c.

Oro atque obsecro te Cicero, necessitudinem nostram, tuamque in me benevolentiam obtestans, sororis meæ liberos, obliviscaris esse Lepidi filios, meque his in patris locum successisse existimes. Hoc si a te im- F petro, nihil profecto dubitabis pro his suscipere.

Scribere multa ad te neque possum præ sollicitudine, ac stomacho, neque debeo. Nam si in tanta re, tamque necessaria verbis mihi opus est ad te excitandum & confirmandum, nulla spes est, facturum te quod volo, & quod oportet. Quare noli exspectare longas preces: intuere me ipsum, qui hoc a te, vel a Cicerone conjunctissimo homine privatim, vel a Consulari tali viro remota necessitudine privata impetrare debeo.

Hoc te ita rogo, ut majore studio te rogare non possim.

Innumerabilia sunt tua in me officia, domestica, forensia, urbana, provincialia, in re privata, in re publica, in studiis, in literis nostris: omnia viceris, si feceris, &c.

Cui enim ego potius dignitatem meam acceptum ferre cupiam, quam cui salutem & omnia debeo.

Petit. cons. Credibile non est quantum ego in consiliis, & prudentia tua, quod maximum est, quantum in amore & fide ponam.

Te habere consiliorum auctorem, & sollicitudinum socium, omni in cogitatione conjunctum cupio.

Quod si feceris, magnus ad tua pristina erga me studia cumulus accedet.

Te auctore, mihi vel agendi, vel quiescendi ratio constabit.

Nunc mihi consiliis opus est tuis, & amore, & fide, omnia mihi expedita erunt, ubi tuam sententiam accepero.

Hac in re consilium de tua sententia capiemus.

Tuum ad nos reditum, tum omnes tui vehementer desiderant, tum tempus & res tuæ postulant.

Auctoritate tua nobis opus est, & consilio, & etiam gratia.

Noli pati litigare fratres, & judiciis turpibus conflictari.

Sed quid tibi mando nominatim, me totum tuo amori, fideique commendo.

Sed si me amas, quod quidem jam facis, aut perbelle simulas.

Nunquam putavi fore, ut supplex ad te venirem, sed hercle facile patior, datum tempus, in quo amorem experiar tuum.

Plinius. Quod superest, rogo ut pari simplicitate, si qua existimabitis addenda, commutanda, omittenda, indicetis.

Petit. judicii. A simplicitate tua peto, quod de libello meo dicturus es aliis, mihi dicas. Neque est difficile quod postulo.

Lib. III. Epistola: Assumo te in consilium, &c.

Mihi & tentandi aliquid, & quiescendi te auctore ratio constabit.

Obsequar tamen consilio tuo, cujus mihi auctoritas pro ratione sufficit.

Audisti consilii mei motus, superest alterutra ex parte judicium tuum, in quo mihi æque jucunda erit simplicitas dissentientis, quam comprobantis auctoritas.

Politianus lib. VII. Epistola: Multo æquius fuerat.

Habes quid mihi videatur, & intelligis animi mei votum, sed tamen tuum consilium sine exceptione sequar: ad tuam voluntatem me confirmabo, a quo honeste dissentire non possum. Nihil assentor; tantum enim animi inductio, & me hercle amor in te meus, apud me valet, ut quæ tibi utilia sunt, & quæ tu vis, ea omnia mihi protinus & recta, & vera videantur.

Hac in re facturus sum, quicquid tu decreveris: nam hujus totius consilii, te ducem, me comitem esse decet.

Quod ut facias, non solum te rogo, verumetiam suadeo. Neque enim mihi jucundius erit, si nos inviseris, quam utile tibi.

SYLVA MEA.

Habes rerum mearum statum. Divinas animi mei votum. Vides quid res ipsa flagitet: nam ipse nihil ausim rogare, ne videar non minus improbus, quam miser.

Improbus plane videri possem, qui te quotidianis meis postulationibus, occupatissimum interpellem: nisi eo te animo esse cognoscerem, ut quos semel tueri cœperis, non quiescas donec plane confirmes.

Ex tua unius humanitate quantus sum pendeo. In te uno omnes spes, fortunæque meæ sunt sitæ.

Nihil est tam arduum, quod te patrono consequi posse diffidam.

Nihil tam amplum est, quod vel ego abs te petere non audeam, vel tu præstare nequeas.

Quam tu facile potes, tam ego vehementer cupio.

Parum recte de tua liberalitate sentit, qui rem justam verbosius abs te petit.

Adjice & hunc calculum, ad altissimos cumulos tuorum in me beneficiorum: quibus & si nihil accrescere posse videatur, tamen hoc unum desiderant, ut undique absoluti, atque exaggerati esse videantur.

A Quum plurima sint tua in me officia, nihil tamen fuerit hoc uno, vel majus, vel jucundius.

Non dubito quin mirere, atque etiam stomachere, quod tecum eadem de re agam sæpius.

Scio, perfricui faciem insigniter, qui hoc ausim abs te petere: sed hanc impudentiam me docuit non mea natura, sed dura necessitas.

Res est tam pia, tam justa, ut vir æquus eam nec hosti negare debeat. Nostra tam arcta est necessitudo, ut nihil tam iniquum sit, quod alter ab altero non debeat impetrare.

Si videor improbus, qui rem tantam abs te flagitem verius quam petam, dabis veniam. Hanc audaciam me B docuit non mea natura, sed tua humanitas, qui mihi nihil negare soleas.

Res est ejusmodi, ut si tecum consideres, quod abs te peto, sim abs te potius rogandus.

Invitus onero te precibus, sed urget necessitas.

Scio tantos patronos non vocandos ad mediocrem, aut vulgarem operam, sed hoc negocium ejus generis est, ut ab uno te præstari possit.

RESPONSIO AD PETITIONEM.

Quod mecum per literas agis, unam ob causam mallem coram egisses. Non enim solum ex oratione, sed etiam ex vultu, & oculis, & fronte (ut ajunt) meum erga te amorem perspicere potuisses. Nam cum te semper amavi, primum tuo studio, post etiam beneficio *Cic. ad Attic.*
C provocatus, tum his temporibus Respublica te mihi ita commendavit, ut cariorem habeam neminem. Literæ vero tuæ, tum amantissime, tum honorificentissime scriptæ, sic me affecerunt, ut non dare tibi beneficium viderer, sed accipere a te ita petente, ut inimicum meum, necessarium tuum, me invito servare nolles, cum id nulio negocio facere posses.

Lib. 3. tota Epistola: Facis pro cætera reverentia. *Plinius.* Faciam ergo quod desideras, tam diligenter, quam libenter.

Quod admones, gratias ago: quod rogas, queror. D Admoneri enim debeo, ut sciam: rogari non debeo, ut faciam, quod mihi non facere turpissimum est.

Excusarem me profecto vel fratri, hoc sane tempore, sed arctior est amicitia nostra, quam ut ullam patiatur exceptionem, quoties alterutrius seria res agitur. *Mea.*

CAP. LII.

DE COMMENDATITIA EPISTOLA.

HUic finitimum est commendatitium genus. Quum enim commendamus aliquem, alieno nomine quippiam petimus: quare iisdem rationibus erit tractandum. Hic tres erunt considerandæ personæ. Nostra, ejus cui scribimus, ejus quem commendamus. Postremo loco res ipsa cujusmodi sit erit inspicienda. A nostra persona persuadebimus, si causas, a quibus ad hunc commendandum fuerimus commoti, justas, magnas, plurimasve ostendemus: vel quod de nostris, aut E nobis ipsis sit bene meritus, vel quod nobis cum ipso, aut nostris cum illius majoribus, vetus, & conjunctissima familiaritas intercesserit, aut hospitium, vel quod sanguine propinquus, patria, studiisve conjunctus, affinis, aut alioqui carus, & commendatus: vel ita denique hominem describemus, ut ob modestiam, probitatem, eruditionem, integritatem, humanitatem, nobilitatem, dignus sit, qui quum omnibus bonis, tum illi in primis debeat esse quam commendatissimus. Si qua vero vel nostra, vel illius quem commendamus, majorumve ejus in alterum merita præcesserunt, ea summa cum modestia significabimus, extenuantes quidem ipsa benefa-F cta, benefaciendi autem animum amplificantes. Vehementer commendationem juvabit, si eum quem commendamus, de eo cui commendamus quam optime, & sentire & prædicare dicemus. Non possumus enim non benevolentia quadam commoveri erga eos, quibus nos citra assentationem intelligimus esse admirationi. Quare scite Isocrates præcipuum amicitiæ conciliandæ initium commonstravit, ut absentem laudemus, apud eos, quos renunciaturos suspicemur: si utriusque nostrum summam de eo fiduciam verisimiliter aperiemus, sollicitudinem vi- *A persona commendati & ejus cui commendamus.*

videlicet quandam injiciamus oportet, ubi ejusmodi hominem omnem spem suam in ipsius unius humanitate reposuisse intelliget, nullius praetor suam unius opem implorare voluisse. Et a personis quidem hoc modo commendationem tractabimus.

Are. A re commendabimus, si eam facilem, illi duntaxat cui commendamus, monstremus: si piam, si honestam, si utilem probabimus. Tum si ejusmodi erit, ut ex ea ad patronum aliquid laudis, gratiae, auctoritatis, aut emolumenti venturum videatur, id accurate admonebimus, si eodem beneficio quam plurimos devincturum dicemus. Deinde obsecrationibus uti licebit. Postremo loco & nostro, & commendati nomine pollicebimur illum gratum, & memorem futurum. Nos eodem beneficio perinde ac si in nos esset collatum, perpetuo devinctos fore. In calce mutuam operam, & studium deferemus. Constat enim Epistolam commendatitiam ex duobus misceri generibus, suasorio, & demonstrativo. Quum enim eum quem commendamus, cum laude describimus, in demonstrativo genere versamur: quum rem ipsam aut honestam, aut utilem, aut facilem ostendimus, in deliberativo. Sed brevis debet esse commendatio, neque nimis accurata, praesertim si ad eum scribimus, cui sumus ipsi vehementer commendati. Testimonii enim pondus habere debet potius quam disputationis speciem. Et hujus generis esse potest triplex tractatio: Recta, obliqua, & jocosa. Recta quum aperte docebimus eum esse dignum favore quem commendamus. Obliqua quum negabimus nos hunc commendare velle, tantum admonere ut hominem velit cognoscere: futurum enim, ut quum alii gratias agere soleant iis, qui commendationem recepissent, ille ultro gratias sit acturus, quod nostra opera contigerit nosse talem virum. Jocosa, quum intelligemus nos plus effecturos sermonis jucunditate, quam seriis argumentis. Non arbitror operae precium, de singulis exempla proponere, ne nimium increscat voluminis magnitudo. Tantum in sylva formulas aliquot annotabimus. Commendatorii generis exempla, quum apud Ciceronem sint plurima, tum illa Epistola, cujus initium est: Nostrum erat auditum, universum commendandi artificium una complectitur.

Brevis hujus generis comprehensio.

HERMANNUS THEOLOGUS ANDRONIO BOLANO ANTISTITI, S. D.

Quanquam mihi Dionysii mei fortunae majori propemodum, quam meae ipsius curae essent, Praesul humanissime, idque non modo propter vetustissimam arctissimamque, quae mihi cum ejus familia fuit necessitudinem, verumetiam propter admirabilem hominis & modestiam, & probitatem, tamen eum tibi pluribus verbis commendandum non putavi, ne vel de nostra amicitia, vel de hominis virtute parum fisus viderer. Id enim nostra necessitudo, qua nihil arbitror inveniri conjunctius, postulare videtur, ut quemcunque benevolentia complectendum statuissem, idem tibi quoque & carissimus, & quam commendatissimus debeat haberi. Tanta rursum est hominis tum probitas, tum modestia, tum eruditio, ut vel citra meas literas quum optimo cuique, tum tibi ejusmodi virorum amantissimo non possit non esse quam commendatissimus, nisi utrumque parum novi, praesertim quod tibi ipsi cum patre hujus, viro, ut scis, omnium, qui unquam fuerunt gratissimo vetus hospitium fuerit. Non eguit quidem ille nostra commendatione, quanquam commendari plane voluit, & uni adeo tibi voluit. Mirum enim dictu fuerit, quantum fiduciae, in tua unius humanitate reposuerit, quam amanter de te & loquatur, & sentiat. Neque enim quae essent a mente diversa, loqui consuevit. Nec errat mea quidem sententia. Cui enim obscurum est, quantum pro tua auctoritate, & apud illustrissimum Principem, & populum valeas? Tum quantum studiosis viris semper faverit tua benignitas, saepe majorum suorum antehac nunc & mea praedicatione didicit. Res est autem ejusmodi, ut tibi non multum negocii, huic plurimum commoditatis sit allatura. Debet huic Abbas Syrus ex agris nescio quibus, jam multorum annorum fructus, homo, ut scis, & pecuniosus, & calumniosus, cujus quidem praedecessores, sine ulla controversia constanter solverunt. Hic si-

A mul atque insatiabilem habendi sitim, una cum mitra est assequutus, debitum inficiatur, in jus, imo potius, in injuriam vocat. Pudet dicere, quas Proteus ille optimo adolescenti tergiversationes nectat, quam astutas elabendi vias quaerat, hominem nosti. Quod quidem cum semper molestum esse debeat, quia iniquum, tum hoc tempore Dionysio meo incommodissime sane objicitur, hoc in tempore negari pecuniam, quum ea sic est opus, ut quum maxime. Proximo vere erat doctoris insignia consequuturus, quo majore cum auctoritate possit Reipublicae commodis inservire. Est enim juris utriusque mire peritus. Vido autem quam iniquum sit hujus Midae causificationibus studiosissimum juvenem, e medio studiorum suorum cursu, ad injustas lites vocari,

B & jam multis sudoribus promeritum honorem, pene e manibus extorqueri. Rem jam partim ex me cognosti, reliqua ex ipso coram agente disces. In te uno utriusque nostrum spes sita est. Quare te per nostram benevolentiam, & paterni hospitii memoriam, majorem in modum oro, ut ei in causa aequissima praesidio velis esse. Abbatem istum vel odio, vel auctoritate, vel metu ad solvendum compellas, a litibus quibus maxime pascitur, deterreas. Et magna & multa sunt tua in me officia, hoc tamen ita mihi erit gratum, ut pro omnium summo sim habiturus. Apud juvenem ita beneficium collocaris, ut nunquam antehac apud quemquam rectius. Bene vale.

C Est vulgare ac frigidum commendationis genus, quum hoc officium extorquetur a nobis.

Si tibi molestus sum huic imputa. Nam mihi fuit molestior.

Tu pro tua prudentia, ubi ex ipso jam cognito quid sibi velit cognoris, dispicies, quid sit factu optimum.

Commodabis illi mea causa, si modo id potes absque tuo incommodo: sin minus, quovis ablega hominem potius quam ut ad me redeat.

Est & jocosa commendatio, quae nonnunquam plus efficit quam seria. Exemplum est in Epistolis Joannis Campani, qui Monachum quendam importunum commendat suo Cardinali: & nos aliquando sic pusillum

D quendam, & recalvastrum ac macilentum commendavimus Mecaenati nostro, qui per eum miserat pecuniam, & in literis calvum appellarat, solitus & me joco calvum dicere, quod essem raro capillitio. Commendavimus autem in hanc ferme sententiam. Calvus ille calvo pecuniam bona fide reddidit. Verum si pernosses quo in statu sit iste calvus, haudquaquam admirareris, hominem sic esse macilentum, ut vix ossibus haereat: sic esse raro capillitio, ut vix tres pili supersint in capite. Est illi longa lis apud tuum tribunal. Ea res sic expilat, sic exsugit hominem, ut ni tua succurrat bonitas, ne pilum quidem nummorum sit usquam habiturus, & periculum sit, ne prorsus fame pereat. Causa pia est, pro matre litigat, neque quicquam superest, nisi ut suprema senten-

E tia pronuncietur. Bene volo homini. Cur enim non faveat similis simili? Eodem beneficio tibi duos calvos, duos magnos viros, obligabis. Haec frivolum videretur admonere, nisi conduceret ad hoc, ut praeceptor ex his facile reperiat varias thematum formas.

COMMENDATITIAE SYLVA.

Epistola lib. Epist. fam. 1. cujus initium: *Aulo Trebonio*, tota hujus generis est. *Cic. Epist. fam.*

Lentulum nostrum eximia spe, summae virtutis adolescentem, cum caeteris artibus quibus studuisti semper ipse, tum in primis imitatione tui, fac erudias. Nulla enim erit hac praestantior disciplina. Quem nos, & quia

F tuus, & quia te dignus est filius, & quia nos diligit, semperque dilexit, in primis amamus charumque habemus.

Lib. 2. *Fabio viro optimo.* Tota.

L. Valerium Jurisconsultum valde tibi commendo, sed ita etiam si non est Jurisconsultus. Melius enim ei cavere volo, quam ipse aliis solet. Valde hominem diligo, est ex meis domesticis atque intimis familiaribus. Omnino tibi agit gratias, sed idem scribit, meas literas maximum apud te pondus habituras. Id eum ne fallat, te etiam atque etiam rogo. *Jocosa.*

Atque ipsum tibi Pomponium ita commendo, ut

quanquam ipsius causa confido te facturum esse omnia, A tamen abs te hoc petam, ut si quid residet in te amoris erga me, id omne in Pomponii negocio ostendas. Hoc mihi gratius facere nihil potes.

Lib. 6. *Cum A. Cecinna tanta.* Tota & elegans.

Hunc mi Cæsar sic velim omni tua comitate complectare, ut omnia, quæ per me possis adduci, ut in meos conferre velis, in unum hunc conferas: de quo tibi homine hoc spondeo, non illo vetere verbo meo quod cum ad te de Milone scripsissem, jure lusisti, sed more Romano, quomodo homines non inepti loquuntur, probiorem hominem, meliorem virum, prudentiorem esse neminem. Accedit etiam, quod familiaritatem inducit, in jure civili singularis memoria, summa scientia. Huic B ego neque tribunatum, neque præfecturam, neque ullius beneficii certum nomen peto: benevolentiam tuam & liberalitatem peto. Neque impedio, quo minus, si tibi ita placuerit, etiam hisce eum ornes gloriolæ insignibus. Totum denique hominem tibi trado de manu (ut ajunt) in manum tuam istam & victoria & fide præstantem. Sumus enim putidiusculi, quanquam per te vix licet. Verum, ut video, licebit.

Responsio ad commendationem. Rursum istum amicum tuum, de quo iterum ad me scribis, adjuvarem quantum possem, etiam si ab eo læsus essem, cum te tantopere viderem ejus causa laborare. Cum vero & ex tuis literis, & illius ad me missis intelligam, & judicem magnæ curæ ei salutem meam fuisse, non possum ei non C amicus esse: neque sola tua commendatione quæ apud me, ut debet, valet plurimum, sed etiam voluntate, ac judicio meo.

Lib. 11. *Permagni interest.* Tota, & elegans.

Item proxima. *Lamia uno omnium.* Item eodem lib. *Cum Appio Claudio.*

Lib. 13. *Et si non satis.* Eodem. *Gajo Aviano.* Item proxima. *Aulum Fusium.*

Cic. ad Attic. Item multæ sequentes Epistolæ sunt ejusdem generis. Eodem. Non dubito. Quin totus hic liber nihil habet præter Epistolas commendatitias. Lib. 15. *Marcum Fabium.*

Quare cæteris in rebus, tantum ei tribues quantum D humanitas tua amicitiaque nostra postulat.

De Tullia mea tibi antiquissimum esse video, idque ita ut sit, te vehementer rogo.

Ego autem mi Plance, & si non dubitabam, quin & S. C. & lex & Coss. decretum, ac literæ apud te plurimum auctoritatis haberent, teque ipsius Attici causa velle intellexeram, tamen hoc pro conjunctione, & benevolentia nostra mihi sumpsi, ut id a te peterem, quod tua singularis humanitas, suavissimique mores, a te essent impetraturi. Id autem est, ut hoc, quod te tua sponte facturum esse certo scio, honoris nostri causa libenter non prolixe, sed celeriter facias. Mihi nemo est amicior, nec jucundior, nec carior Attico, cujus antea E res solum familiaris agebatur, eaque magna, nunc accessit etiam existimatio: ut quod consecutus est magna & industria, & gratia vivo Cæsare, mortuo id, te adjuvante, obtineat. Quod si a te erit impetratum, sic velim existimes, me de tua liberalitate ita interpretaturum, ut tuo summo beneficio me affectum judicem.

Ego etiam mi Cicero proprie, familiariterque te rogo, ut Veterem ames, velisque esse quam amplissimum, qui & si nulla re deterreri a proposito potest, tamen excitari tuis laudibus, indulgentiaque poterit, quo magis amplexetur, ac tueatur judicium suum, & mihi gratissimum erit.

Filiam meam, & tuam, Ciceronemque nostrum quid F ego mi frater tibi commendem? Quin illud mœreo, quod tibi non minorem dolorem illorum orbitas affert, quam mihi. Sed te incolumi orbi non erunt.

Itaque eum tibi commendo majorem in modum, hominem domi splendidum, gratiosum etiam extra domum, quem fac ut tua liberalitate tibi obliges. Est Tribunus militum in exercitu nostro. Gratum hominem observantemque cognosces. Trebatium ut valde ames, vehementer te rogo.

Quare ut instituisti complectere adolescentem.

Ex libro ad Brutum. Tota Bibulus, Item Epist. Multos tibi.

Omnibus rebus ita eum tractes, ut intelligat nostram commendationem non vulgarem fuisse.

COMMENDATORIÆ AD NUPTIAS EXEMPLUM.

Tota Epist. lib. 1. *Petis ut frat.* Tota.

Elegans exemplum commendationis, erit tota illa Epist. lib. 2. cujus initium: *Et tu occasiones obligandi me avidissime amplecteris.*

Lib. 3. Epist. *Quod ipse amicis tuis.*

Lib. 4. *Calvisium nepotem.*

Eodem lib. *Si quid omnino.* Rursum lib. 6. *Atilium Crescentem.*

Obliga me, obliga ante, quam dicat, nam cum dixerit gratias ages. Spondeo sollicitudini tuæ, spei meæ, magnitudini causæ suffecturum.

Est indolis optimæ, brevi producturus alios, si hic interim provectus fuerit a nobis.

Accepisse te beneficium credes, cum propius inspexeris hominem, omnibus honoribus, omnibus titulis (nihil volo elatius de modestissimo viro dicere) parem.

Videor ergo demonstrare tibi posse Julium Genitorem: amatur a me, judicio tamen meo non obstat caritas hominis, quæ ex judicio nata est. Vir est emendatus & gravis, paulo etiam horridior, & durior, ut in hac licentia temporum: quantum eloquentia valeat, pluribus credere potes. Nam dicendi facultas aperta, & exposita statim cernitur. Vita hominum altos recessus, magnasque latebras habet, cujus pro Genitore me sponsorem accipe. Nihil ex hoc viro filius tuus audiet, nisi profuturum. Nihil discet, quod nescisse rectius fuerit: nec minus sæpe ab illo, quam a te, meque admonebitur, quibus imaginibus oneratur, quæ nomina, & quanta sustineat. Proinde faventibus Diis, trade eum præceptori, a quo mores primum, mox eloquentiam discat, quæ male sine moribus discitur. *Commendatio præceptoris.*

Lib. 5. Epist. *Video quam molliter tuos habeas.*

Claudius amari a te cupit, dignus hoc ipso quod cupit, deinde quod ipse te diligit. Neque enim fere quisquam exigit istud, nisi qui facit, vir alioqui rectus, integer, quietus, ac pene ultra modum, si quis tamen ultra modum, verecundus.

Hunc hominem appetentissimum tui, mihi crede, complectere, adprehende, imo & invita, ac sic ama tanquam gratiam referas. Neque enim obligandus sed remunerandus est in amoris officio, qui prior cœpit.

COMMENDATIO MEA.

Multis in illum beneficiis conferendis reddidisti te quodammodo obnoxium. Ita enim nunc moribus comparatum est, ut posteaquam multa præstiteris, hoc tantum meminerint quod negatum est.

Posteaquam hominem cœpisti benefaciendo tuum facere, beneficia beneficiis cumulanda sunt.

Non decet stare semel incitatam liberalitatem, cujus pulchritudinem usus ipse commendat.

Cur hunc hominem tibi tanto studio commendandum putarim, mirari desines, ubi eum propius nosse cœperis.

Huic persuasum est: & te apud Principem, & me apud te plurimum valere: & de te quidem haud fallitur, de me fallatur, non tam promeritus sum, quam cupio.

Pluribus hanc rem abs te contenderem, ni vererer, ne cui de tua humanitate viderer diffidere.

Scio non sine causa dictum Horatio: Quem cui commendes etiam atque etiam aspice. Sed hujus hominis integritas sic mihi multis argumentis est explorata, ut non dubitem illum tibi vel capitis mei periculo commendare. Quem si complecteris, gratias agam, quod mihi credideris. Sed tu mihi magis ages gratias, quod tibi tradiderim hominem in manum, qui tibi fuerat etiam e longinquo arcessendus.

RESPONSIO AD COMMENDATIONEM.

Numerium Numestium libenter accepi in amicitiam: & hominem gravem & prudentem, & dignum tua commendatione cognovi. *Cic. ad Attic.*

Plinius lib. 6. Epist. *Commendas mihi.* Rursum Epist. *Rogas ut agam.*

Quid ego audio? Vis tibi ignosci, quod me tuis commen- *Men.*

mendatitiis literis oneras. Imo sic interpretor, ingens beneficium abs te datum, qui tali viro me conciliaris.

Quid possim tu videris. Quis sit exitus rei futurus, fortunæ in manu est. Illud efficiam ut Antonius intelligat nostram amicitiam haudquaquam vulgarem esse.

Et tu diligenter commendas hominem, & ille mihi visus est dignus cui tantopere faveas. Sed temporum iniquitas in causa fuit, quo minus licuerit illi tantum præstare quantum volebamus.

Cap. LIII.

De Monitoria Epistola.

Monitoriæ Epistolæ duplex est officium. Et vitium, si quod mutari volemus, docte indicare, & quæ sint agenda, ea nescienti tanquam scienti ostendere. Et quoniam vix quisquam æquo animo sua discit vitia, ideo reprehensionis acerbitatem laude mitigabimus. Cum multa in eo sint egregia, negabimus passuros nos, ut tot virtutes unius vitii nævo obscurentur, neque commissuros ut tantus amicus cum exceptione laudetur. Deinde ipsum vitium vel ab ætate, vel ab imprudentia extenuabimus, vel maximis quoque viris idem fuisse ostendemus: aut certe ipsum quidem esse mutandum, sed tamen ab animi liberalitate, aliave virtute proficisci, haud magno negocio mutari posse. Nos hæc præcipuo in illum amore scribere dicemus, aliis non idem facturos. Orabimus ut pari libertate in nos utatur, nisi forte minus amet. Id enim proprium amicitiæ munus, ut libera sit admonitio ac mutua, & similia, quæ ad hanc sententiam pertinebunt. Quod si Tyranno, Regi, aut alioqui potenti scribimus, cujus aures nullam omnino sint reprehensionem admissuræ, eum falso laudantes reprehendemus. Quum enim multas in eo virtutes prædicamus, a quibus est alienissimus: quum item in aliis quædam abominanda exsecramur vitia, a quibus illum immunem esse dicimus, tacite admonemus agnoscentem, quid mutare, quid sequi debeat. Hoc equidem consilio laudationes illas Principum repertas fuisse auguror, ut sub laudis specie suorum vitiorum sine offensa, sine pudore admonerentur. Alioqui quid ea assentatione fœdius? Ubi vero sine reprehensione quid agendum sit, ostendemus, auctoritatem quandam nobis constituamus oportet, sine ejus, quem monemus injuria. Idque vel ab ætate, qua illum longe præcedimus, vel a multarum rerum usu, qui in eo tantus per ætatem nondum esse potuit: vel a diuturno studio in quo nos simus plurimis annis versati, illo nunc ingrediente: pollicebimur nos amantissime, simulque fidelissime consulturos. Demum gravitate quadam sermonis, quid quo modo fieri conveniet, ostendemus.

Probatissimorum auctorum dictis & exemplis crebris utemur, præsertim eorum quorum auctoritas gravis est apud eum quem admonemus, & quid quemque laudis, aut infamiæ consequutum sit, ostendemus. Ad prius illud admonendi genus quo amicum vel blandius vocamus ad meliora consilia, vel liberius objurgamus, pro personarum aut rerum varietate, multum conducet liber Plutarchi, quem scripsit de discernendo adulatorem ab amico. Ad posterius hoc quod tantum docet, non objurgat, conferent Epistolæ, imo libri omnes Senecæ, Cypriani, Hieronymi & aliorum qui vivendi formam diversis præscripserunt. Sed præcipue Plutarchi libelli, qui morales appellantur. In priore reperientur hujusmodi ferme themata. Admonendus amicus submorosus, ut magis sese accommodet ad mores omnium. Sit magis comis in uxorem, mitior in liberos, clementior erga famulos, obsequentior erga amicos. Item qui linguæ sit liberioris, admonendus, ut circumspectius loquatur, quod non eodem candore ab omnibus excipiantur, quæ dicuntur. Item amicus plus satis addictus studiis admonebitur, ut parcat valetudini, ut se partiatur studiis ac necessariis negociis, ut se magis accommodet ad sensum communem. Ita qui simplicioris erit ingenii admonebitur, ne quid fidat fictis amicis. Qui deditus erit aleæ, revocabitur ad alios lusus. Qui profusior, ad frugalitatem, qui ferocior, ad modestiam, qui incogitantior, ad vigilantiam. Atque item de cæteris; nam sunt innumera. Hoc genus minimum differt a suasorio. In posteriore licet hujusmodi themata fingere. In studio literarum quo modo versandum. Stilus quibus modis potissimum parandus. Quibus rebus concilianda fama. Quibus artibus vitari possit invidia. Quo pacto colenda amicitia. Quid vitandum, aut sequendum in matrimonio, qua de re scripsit Plutarchus. Quibus modis instituendi liberi. Quid faciendum ludimagistro. Quid ei, qui decreverit in aula Principum vivere. Quod officium boni Medici, Principis aut Episcopi, Ducis aut militis, boni Concionatoris. Ex his similia licebit similesque materias comminisci. Sæpe miscetur utrumque genus, cujus accuratissimum exemplum si quis quærit, legat Ciceronis ad Q. Fratrem Epistolam, cujus initium: *Et si non dubitabam quin hanc Epistolam.* Præstabit in hujusmodi thematibus exerceri, unde præter phrasim paratur & prudentia potius, quam in frivolis & anilibus materiolis. In re tam varia, non magni referebat exemplum subjicere, sed tamen hoc faciemus, ne prorsus exemplo careat præceptio.

Exemplum Epistolæ Monitoriæ.

Quoniam ex Italia reversus, inter tuos vivere decrevisti, eritque tibi & pro tua eruditione, & natalium splendore, & vitæ dignitate in omnium oculis summa cum exspectatione vivendum, oras ut senex juveni optimam quandam vivendi formam commonstrem, quo possis & malevolorum reprehensionem effugere, & optimi cujusque judicio probari, denique & animi tranquillitati & corporis valetudini consulere. Incredibile dictu est, quantum jam nunc ista animi tui maturitate delecter, qui juvenis adhuc, ea quæ senes plerique negligimus mediteris. *Optima*, inquit Cicero, *est vitæ eligendæ ratio, quam jucundam reddet consuetudo.* Quare quanquam singularis tua, & eruditio, & præmatura quædam animi magnitudo, monitore non egeat, tamen quantum ætate, qua sola te vincimus: quantum longo rerum usu, qui prudentes efficere solet: quantum multorum amorum studio consequi potuimus, institutum quam optimum præscribemus. Quod & veterum plerosque tenuisse video, me quoque, quantum potui, sequutum esse gaudeo, ne te quidem sequutum fuisse pœnitebit olim. Principio, quod semper fecisti, eum animum obtine, qui nihil acerbum, nihil durum existimet, quod sit honestum. Qui nullo vel metu deterritus, vel spe captus, ab officio deflectatur. Quam optimos tibi adjungito. Malos ne lacessito: tua ne jactes: aliena ne carpas. Fac quum omnibus sis anteferendus ipse te præferas nemini. Amicum ita ames, tanquam aliquando osurus: inimicum ita oderis, tanquam olim amaturus. Cum bonis officiis certa: nemini adverseris: omnibus te affabilem præbeas: domi hilaris, foris compositus. Nemini tua arcana committas, memor quam fallax sit multorum amicitia. Beneficium confer libenter, invitus accipe. Morositatem in primis fuge. Officiorum diutissime meminisse oportet, injuriarum facile oblivisci. Gloriam si contemnes, ultro te sequetur: sin sequeris, fugiet sequentem. Ne capta laudari, sed fac laudanda. Cum præpotentibus, aut nulla sit consuetudo, aut comis. Nullus sumptus tibi sit preciosior tempore: diem in operas partire. Jejunus stude, aut scribe: pransus, hilariora quædam agito, cessa nunquam. His rationibus si diligenter uteris, & animi tranquillitati consules, & carus quam plurimis, nemini odiosus esse poteris. Corpus vero moderatis agitationibus exerce, ne ignavia torpescat, neve immodicis laboribus frangatur. Cibus sit temperatus, ac tempestivus: prande liberalius, cœna parcius, potus non quantum libidini, sed quantum naturæ satis est, sume. Vale.

Docet agenda.

Aliud Exemplum.

Dum te incredibili quodam ardore literarum flagrare minime dubitarem, Christiane non vulgaris amice, hortatore nihil opus esse putavi, sed ejus quam ingressus esses, vitæ duce modo, ac tanquam indice. Id quod mei officii esse judicavi, videlicet ut tibi homini non modo multis modis copulatissimo, verumetiam jucundissimo, vestigia, quibus ipse a puero essem ingressus, commemorarem. Quæ si tu pari cura accipies, atque ego dictu-

ὲturus sum, futurum confido, ut neque me monuisse, neque te paruisse pœnituerit. Prima igitur cura sit, ut præceptorem tibi deligas quam eruditissimum. Neque enim fieri potest, ut is recte quenquam erudiat, qui sit ipse ineruditus. Quem simul atque nactus eris, fac modis omnibus efficias, ut ille patris in te, tu filii vicissim in illum induas affectum. Ad quod quidem cum ipsa honesti ratio nos debet adhortari, quod non minus debeamus iis, a quibus recte vivendi rationem, quam a quibus vivendi initia sumpsimus: tum mutua ista benevolentia tantum ad discendum habet momenti, ut frustra sis literatum præceptorem habiturus, nisi habueris & amicum. Deinde ut te illi & attentum, & assiduum præbeas. Contentione enim immodica nonnunquam obruuntur ingenia discentium. Assiduitas vero, & mediocritate sua perdurat, & quotidianis incrementis majorem opinione acervum accumulat. Satietate cum omnibus in rebus, tum in literis nihil perniciosius. Laxanda est igitur aliquoties illa literarum contentio, intermiscendi lusus, sed liberales, sed literis digni, & ab his non nimis abhorrentes. Imo mediis ipsis studiis perpetua quædam voluptas est intermiscenda, ut ludum potius discendi, quam laborem existimemus. Nihil enim per quam diu fieri potest, quod non agentem aliqua voluptate remoretur. Optima quæque statim, ac primum disce. Extremæ est dementiæ, discere dediscenda. Quod in curando stomacho solent præcipere Medici, idem tibi in ingeniis servandum puta. Cave ne aut noxio, aut immodico cibo ingenium obruas: utroque enim juxta offenditur. Ebrardum, Catholicon, Brachylogum, cæterosque id genus, quos percensere, neque possum, neque operæ precium est, iis relinquito, quos barbariem immenso labore discere juvat. Initio non quam multa, sed quam bona percipias, refert. Sed jam rationem accipe, qua possis non solum rectius, sed etiam facilius discere. Hoc enim in homine artifice præstare solet artis ratio, ut tantundem operis, quum rectius, expeditiusque, tum levius etiam efficiat. Diem tibi in operas partire, id quod & a Plinio Secundo, & a Pio Pontifice Maximo viris præstantissimis, factitatum legimus. Principio, quod caput est, præceptorem interpretantem, non attentus modo, sed & avidus auscultato. Non contentus impigre sequi disserentem, aliquoties prævolare contende. Omnia illius dicta memoriæ, præcipua etiam literis mandabis fidelissimis vocum custodibus. Quibus rursus ita confidas cave, ut dives ille ridiculus apud Senecam: qui sic animum induxerat, ut se tenere crederet, quicquid servorum quisquam meminisset. Noli committere, ut codices habeas eruditos, ipse ineruditus. Audita ne effluant, aut apud te, aut cum aliis retracta. Nec his contentus, aliquam temporis partem tacitæ cogitationi tribuere memento: quam unam D. Aurelius, tum ingenio, tum memoriæ in primis conducere scripsit.

Conflictatio quoque & tanquam palæstra ingeniorum, nervos animi præcipue tum ostendit tum excitat, tum adauget. Nec sciscitari, si quid dubitabis: nec castigari, si quid errabis, sit pudor. Nocturnas lucubrationes, atque intempestiva studia fugito: nam & ingenium exstinguunt, & valetudinem vehementer offendunt. Aurora musis amica est, apta studiis. Pransus, aut lude, aut deambula, aut hilarius confabulare. Quid quod inter ista quoque studiis locus esse potest? Cibi non quantum libidini, sed quantum valetudini satis sit, sumito. Sub cœnam paulisper inambula: cœnatus, idem facito. Sub somnum, exquisiti quippiam, ac dignum memoria legito. De eo cogitantem sopor opprimat: id experrectus, a te ipso reposcas. Plinianum illud semper animo insideat tuo: Omne perire tempus, quod studio non impertias. Cogita juventa nihil esse fugacius: quæ ubi avolarit semel, redit nunquam. Sed jam hortator esse incipio, indicem pollicitus. Tu suavissime Christiane, hanc formam, aut si quam poteris meliorem, sequere, ac bene vale.

CAP. LIV.

QUI SIT MODUS REPETENDÆ LECTIONIS.

QUibusdam prima ac unica fere cura est, statim ad verbum ediscere: quod equidem non probo, est enim tum magni laboris, tum fructus prope nullius. Quorsum enim attinet, psittaci more, verba non intellecta reddere? Commodiorem igitur viam accipe. Lectionem quidem auditam continuo relege: ita, ut universam sententiam paulo altius animo infigas. Deinde a calce rursus ad caput redibis, & singula verba excutere incipies: ea duntaxat inquirens, quæ ad Grammaticam curam attinent. Videlicet, si quod verbum obscurum, aut ancipitis derivationis, si heteroclitæ conjugationis: quod supinum, quod præteritum faciat: quos habeat majores, quos nepotes, quam constructionem: quid significet, & hujusmodi nonnulla: hoc ubi egeris, rursum de integro percurrito: ea jam potissimum inquirens quæ ad artificium Rhetoricum spectant. Si quid venustius, si quid elegantius, si quid concinnius dictum videbitur, annotabis indice, aut asterisco apposito. Verborum compositionem inspicies, orationis decora scrutabere. Auctoris consilium indagabis, qua quidque ratione dixerit. Ubi quid te delectaverit vehementius, cave præter casam, quod ajunt, fugias. Fige pedem, ac abs te ipso rationem exige, quare tantopere sis ea oratione delectatus: cur non ex cæteris quoque parem ceperis voluptatem. Invenies te acumine, aut exornatione aliqua oratoria, aut conpositionis harmonia: aut, ne omnia persequar, simili quapiam causa commotum fuisse. Quod si aliquod adagium, si qua sententia, si quod proverbium vetus, si qua historia, si qua fabula, si qua similitudo non inepta, si quid breviter, acute aut alioqui ingeniose dictum esse videbitur, id tanquam thesaurum quendam animo diligenter reponendum ducito ad usum, & ad imitationem. His diligenter curatis, ne pigeat quarto iterare. Nam hoc habent eruditorum virorum, summo ingenio, summis vigiliis elucubrata scripta, ut millies relecta, magis, magisque placeant, semperque admiratori suo novum miraculum ostendant, id quod tibi in tabula tua sæpenumero nec sine causa laudata evenire solet, quod antea non animadvertisses. Idem tibi multo amplius in bonis auctoribus eveniet. Releges igitur quarto, ac quæ ad Philosophiam, maxime vero Ethicen referri posse videantur, circumspicies, si quod exemplum, quod moribus accommodari possit. Quid autem est, ex quo non vel exemplum vivendi, vel imago quædam, vel occasio sumi queat? Nam in aliorum pulchre ac turpiter factis, quid deceat, quid non, juxta videmus. Hæc si facies, jam vel edidiceris, quanquam aliud egisti. Tum demum, si libet, ad ediscendi laborem accedito: qui tum aut nullus erit, aut certe perquam exiguus. Quid deinde? Restat, ut cum studiosis congrediaris, tuas annotationes in medium proferas, vicissimque illorum audias, alia laudabis, alia reprehendes: tua partim defendes, partim castigari permittes. Postremo quod in aliis laudasti, tuis in scriptis imitari conaberis.

Secreta studia a doctis laudantur: at ita, ut postea e latebris in arenam prodeamus, viriumque nostrarum periculum faciamus. Id quod sapientissime a Socrate est dictum. Experiamur utrum partus ingeniorum vitales sint, nimirum obstetricum industriam imitati. Quare alternatim utrisque utetur, qui non vulgariter volet evadere doctus. Vale.

ALIUD EXEMPLUM DE VITA AULICA.

Scribis te nolentem ac reluctantem, voluntate parentum rapi, protrudique in aulam Principis. Quando igitur necessitas vinci non potest, superest ut commode utendo perficias, ut aliquando te isthinc explices quam minimo malo. Nec enim omnibus infeliciter cessit, hanc adisse Laidem. Et ne tibi videar non satis gravis admonitor, scito me ab ipsa pueritia ad annum usque quinquagesimum in aulis Principum militasse. Primum illud tecum statuito, ne quid cui credas, quantumvis in speciem amico, quantumvis arridenti, complexanti, pollicenti, dejeranti. Nec quenquam existimes tibi ex animo amicum, nec tu sis cuiquam amicus ex animo: tamen perinde quasi neminem non ames, ita blandus & comis esto singulis. Esto largissimus eorum officiorum, quæ tibi nihil adferunt impendii. Saluta blande, complectere, cede viam, aperi caput, subinde repete honoris

ris & caritatis titulos, lauda affatim, pollicere benigniter. Prius igitur domi vultum componito, ut is tibi paratus sit ad omnem fabulæ partem, ne quid veri affectus in facie subluceat. Meditanda domi est actio, ut oratio vultui, ut vultus ac totius corporis gestus, orationi fucatæ subserviat. Hæc sunt aulicæ Philosophiæ rudimenta: ad quæ nullus erit idoneus, nisi prius omnem pudorem absterserit, ac vultu nativo domi relicto, quasi personam sumpserit. Proximum erit, ut factiones totius aulæ subodoreris, sed ita, ne cui te facile admisceas. Si quos, aut si quas videris nihil non posse apud Principem, vide ut te semper inflectas ad latus navis felicius. Nec pudeat, aut pigeat assentari morionibus etiam, quos animadverteris esse gratos Jovi. Sed hunc ipsum omnibus technis captabis. Quoties in illius conspectu consistes, arte præ te feres simplicem quandam alacritatem, quasi gaudio gestias quoties illi datur adesse. Et postea quum comperisti, quibus rebus offendatur, quibus oblectetur, non multum erit negocii apud illum quamvis magnam inire gratiam. Commode subservies, ad orationem arridebis: si loqui non dabitur, applaudas velut admirabundus. Sed apud alios plenis, ut ajunt, tibiis illius laudes decantabis. Aliqui certe perferent, si passim prædicaveris. Nunc hic, nunc ille tibi captandus erit munusculo, sed eleganti & apto magis, quam precioso, ne videaris aureo piscari hamo. Precium addes oratione. Excusabis tenuitatem fortunæ. Ubi illa contigerit opulentior, polliceberis montes aureos. Si qua præda affulserit, cave quisquam Deorum aut hominum tibi tam carus sit, ut illi cedas. Semper tibi proximus esto. Quoties de re agitur, vel patri verba danda sunt. Non semper in aula spirant venti secundi: ubi spirant, arripienda est occasio. Nullius jurisjurandi tam sancta sit tibi religio, ut hujus gratia patiaris opimam prædam elabi de manibus. Si quibus Principem senseris vehementer infensum, ac diversam factionem gestire victoria, semper accommoda te felicioribus, sed ita, ut alteram partem non lædas capitaliter, nisi id fiat tuo magno, certoque bono. Solent enim Principum favores, ventorum in morem subinde reflare in diversum. In summa, ubique venare commodum tuum. Ne quem aperte lædas. Cave mensam habeas domi, ea res exhauriet te sumptibus. Longe præstat convivam esse, quam convivatorem. Noli supputare, quanti constet una cœna domi data, sed subducito rationem, ad quantam summam post annum ea res tibi sit reditura. Proceres aliquot cole. Horum mensis te adjungito, sed ita, ne crebrius ad eundem. Hic comis & commodus esto conviva, sic festivus ac lepidus, ut ne quem offendas. Si quid in te dictum erit petulantius, in lusum, jocumque vertito, etiam si seria res sit. Ab omnibus tanquam ab hostibus caveto. Ne cui concredas, unde te possit lædere. Si quos senseris tibi parum amicos, fac artificio summo dissimules, & communibus officiis hoc magis apud illos amicum agas. Lauda apud eos, quos suspicaris renunciaturos, hac arte aut fient amici, aut mitius erunt inimici. Tantum cave, ne qua detur ansa lædendi. In cæteris nugis aulicorum esto lepidus congerro. Tantum ab alea temperato: siquidem ad hunc scopulum multi fecere naufragium, sic, ut vix licuerit enatare nudos. Da operam, ut quam minimum inquineris. Ad rem augendam & constabiliendam ubique vigila. Ubi satis pingueris, excogitanda ratio, ut quod paucis contigit, feliciter ab aula te subducas, tibique vivas. Neque perpetuus adsis Principi, neque nimium diu absis: quorum alterum parit tædium, ac satietatem, alterum oblivionem. Ut autem etiam commodo tuo absis, ambi legationes, sed favorabiles, minimique negocii, ita subinde redibis novus ad Principem tuum. Semper esto querulus ac petax, & quemadmodum callidæ meretrices, variis nominibus ac modis, semper aliquid auferunt ab amatoribus, ita tibi studio sit, semper aliquid auferre a Principe. Sed ea potissimum petenda, quæ ille sine suo sumptu largiri potest. Quod genus sunt, Sacerdotia, Præposituræ, Abbatiæ. Si quid erit tale, cujus tu capax non sis, suborna qui petant suo nomine, sed tuo commodo. Hæc arbitror esse satis pro primis elementis: posthac ubi te profecisse videro, abstrusiora quædam impartiam. Vale.

EXEMPLUM EPISTOLÆ, QUÆ HABET ADMIXTAM OBJURGATIONEM.

Contigit tibi genus cum primis honestum: contigit res satis ampla, contigit ingenium, contigit eruditio non vulgaris, nec deest judicium. Quid multis? felix eras, nisi unum quiddam tibi deesset, ut hoc tua pace dixerim. Nam hæc qui scribit, tibi ex animo bene vult, ut si quis alius. Quid istuc? inquies. Ut animo imperes tuo, mi Saxoni. Quid conferunt literæ, si nescias uti? Non hercle plus, quam cithara ei qui nesciat canere. Ad hoc discitur Philosophia, ut ne quid agatur ex affectuum arbitrio, sed ex rationis judicio. Et unum hoc quod deest ad felicitatem, ipse tibi præstare potes: præstiteris enim illico, si magnopere velis. Quid tibi cum istis litibus? Sit interim levis momenti, quod & rem deteris, & temporis jacturam facis, animi tranquillitate cares, & minus jucundus es uxori, liberis, amicis, minus adeo tibi ipsi: vides toties periclitari valetudinem tuam. Ut belli, sic litis incertus eventus. Sed finge certam victoriam: quæso te, totum hoc quod evinces, tot incommodis emendum putas, etiam vitæ discrimine? Scio, non facis ista tuopte ingenio, quo nihil est ad pacem, & amicitiam propensius. Instigat te lippus ille veterator, homo factus ad lites. Sed obsecro te per nostram amicitiam, qui magis libet isti uni auscultare, quam optimo parenti, quam his amicis, qui tibi non minus bene volunt, quam sibi? Tu quidem pro tuo candore alios æstimas e tuo ingenio: at vereor ne consultor iste sibi consulat, non tibi. Mihi vultus ipse hominis impostorem clamitat. Atque utinam hic mihi sit læva mens: sed vereor ne sero sapias, meque vatem fuisse dicas. Rejice nebulonis venenatam blandiloquentiam. Patrem virum & singulari prudentia præditum, & tui plus quam paterne amantem: imo tuum ipsius ingenium, tuam eruditionem in consilium adhibe. Rem per arbitros cum affine transige, vel parum æquis conditionibus: fortasse capies aliquod rei dispendium. Crede mihi, si rerum omnium rationem subduxeris, istud dispendium summum erit compendium, etiam si in solidum pereat, quo de lis est. Vale.

MONITORIÆ SYLVA.

Nam neque pugnandum arbitrarer contra tantas opes, neque delendum, etiam si id fieri posset, summorum civium principatum, neque permanendum in una sententia, conversis rebus, ac bonorum voluntatibus mutatis, sed temporibus assentiendum. Nunquam enim præstantibus in Republica gubernanda viris laudata est in una sententia perpetua permansio: sed ut in navigando tempestati obsequi artis est, etiam si portum tenere non queas: cum vero id possis mutata velificatione assequi, stultum est eum tenere cum periculo cursum, quem ceperis, potius quam eo commutato quo velis tandem pervenire. Sic cum omnibus nobis in administranda Republica propositum esse debeat id, quod a me sæpissime dictum est, cum dignitate ocium: non idem semper dicere, sed idem semper spectare debemus. *Cic. Epist. fam.*

Etsi eo te adhuc consilio usum intelligo, ut id reprehendere non audeam, non quin ab eo ipse dissentiam, sed quod ea te sapientia esse judicem, ut meum consilium non anteponam tuo, tamen & amicitiæ nostræ vetustas, & tua summa erga me benevolentia, quæ mihi jam a pueritia tua cognita est, me hortata est, ut ea scriberem ad te, quæ & saluti tuæ conducere arbitrarer, & non aliena esse ducerem a dignitate. *Mitigatio.*

Sed quoniam quod mihi placeret ostendi, reliqua tu pro tua prudentia considerabis.

Scribam aperte, sicut & mea natura, & nostra amicitia postulat.

Oro, obtestorque te, pro nostra vetere conjunctione, ac necessitudine, proque summa mea in te benevolentia, & tua in me pariter, te ut nobis, parenti, conjugi, tuisque omnibus, quibus es, fuistique semper carissimus, salvum conserves: incolumitati tuæ, tuorumque, qui ex te pendent, consulas. Quæ didicisti, quæque ab adolescentia pulcherrime a sapientissimis viris tradita me-

memoria, & scientia comprehendisti, iis hoc tempore utare: quos conjunctos summa benevolentia, plurimisque officiis amasti: eorum desiderium si non æquo animo, at forti feras.

Nunc tantum significandum putavi, ut potius amorem tibi ostenderem meum, quam ostentarem prudentiam.

Adhuc enim patitur tua summa humanitas, & sapientia, me quod sentiam, libere dicere.

Lib. x. Epistola: *Quæ loquutus est Furnius noster*.

Cic. ad Attic. Ut enim gubernatori cursus secundus, Medico salus, Imperatori victoria; sic huic moderatori Reipublicæ beata civium vita proposita est, ut opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, virtute honesta sit. Hujus enim operis maximi inter homines, atque optimi illum esse effectorem volo.

Vehementer a te Brute dissentio, neque clementiæ tuæ concedo, sed salutaris severitas vincit inanem speciem clementiæ. Quod si clementes esse voluerimus, nunquam deerunt bella civilia.

Hæc ex oraculo Apollinis Pythii edita tibi puta, nihil potest esse verius.

Nunc Cicero, nunc agendum est, ne frustra oppressum esse Antonium gavisi simus, neu semper primi cujusque mali excidendi causa sit, ut aliud renascatur illo pejus.

Etiam illud admoneo, ne quid ullis literis committas, quod si prolatum sit, moleste feramus. Multa sunt, quæ ego nescire malo, quam cum aliquo periculo fieri certior.

Cic. Epist. fam. Nec te tam longæ navigationi & viæ per hiemem nisi bene firmum committas, neve naviges, nisi explorate. Qui cupide profecti sunt, multi naufragia fecerunt. Solent nautæ festinare quæstus sui causa, cautus sis mi Tiro.

Accepi tuam Epistolam vacillantibus literulis, nec mirum tam gravi morbo.

Audio te animo angi, & Medicum dicere, ex eo te laborare. Si me diligis, excita ex somno tuas literas, humanitatemque propter quam tu es mihi carissimus.

Nunc opus est te animo valere, ut corpore possis. Id quum tua, tum mea causa facias, a te peto.

Mihi crede, tuis literis perlectis, exilui gaudio.

Quid est enim negocii, continere eos quibus præsis, si te ipse contineas? Nam ut quisque est vir optimus, ita difficillime esse alios improbos suspicatur.

Multis enim simulationum involucris tegitur, & quasi velis quibusdam obducitur uniuscujusque natura. Frons, oculi, vultus, persæpe mentiuntur, oratio vero sæpissime.

Quid enim ei præcipiam, quem ego in hoc præsertim genere intelligam prudentia non esse inferiorem me, usu vero etiam superiorem.

Quapropter incumbe toto animo, & studio omni in eam rationem qua adhuc usus es, ut eos, &c.

At ille quidem princeps ingenii & doctrinæ Plato, tum denique fore beatas Respublicas putat, si aut docti, ac sapientes eas regere cœpissent, aut qui regerent omne studium in doctrina ac sapientia collocassent.

Mitigatio monitionis. At ea quidem quæ supra scripta sunt, non ut te instituerem scripsi, (neque enim prudentia tua cujusquam præcepta desiderat) sed me in scribendo commemoratio tuæ virtutis delectavit: quanquam in his literis longior fui, quam aut vellem, aut me fore putavi.

Sed te illud admoneo, ut te ante compares, quotidieque meditere resistendum esse iracundiæ, quum ea maxime animum movet, tum diligentissime linguam esse continendam: quæ quidem mihi virtus, non interdum minor videtur, quam omnino non irasci.

Mitigatio monitionis. Nihil enim nec temere dicere, nec astute reticere debeo. Apud Xenophontem est Cyri & Agesilai, summo imperio, nullum unquam verbum asperius auditum fuisse.

De sorore quod scribis, testis erit tibi ista, quantæ mihi curæ fuerit. Utinam fratris in eam animus esset is, qui esse deberet. Quem quum esse offensiorem arbitrarer, eas literas ad eum misi, quibus & placarem ut fratrem, & monerem ut minorem, & objurgarem ut errantem.

Tu pro tua prudentia, quid optimum factu sit videbis. Nisi mihi fortuna proprium consilium extorsisset, &c.

At vide quanto diligentius homines metuant quam meminerint.

Pecunia omnium dignitatem exæquat.

Nunc te objurgari patere.

Neque enim tantopere mihi considerandum est, quid vir optimus, in præsentia velis, quam quid semper sis probaturus. *Plinius.*

Quo magis te, cui vacat, hortor, cum in urbem proxime veneris, venias autem ob hoc maturius, illi te expoliendum limandumque permittas. Neque enim ego, ut multi, invideo aliis bonum, quo ipse careo, sed contra sensum quendam voluptatemque percipio, si ea quæ mihi denegantur, amicis video superesse.

Quod tibi scripsi, ut te fortitum provinciam præmonerem, plurimum tibi credas, nec cuiquam satis fidas: deinde scias, si quis forte te, quod abominor, fallat, paratam ultionem; qua tamen ne sit opus, etiam atque etiam attende. Neque enim tam jucundum est vindicari, quam decipi miserum.

Possum ego, quod pluribus verbis, pluribus etiam voluminibus Philosophi docere conantur, ipse breviter tibi mihique præcipere, ut tales esse sani perseveremus, quales nos futuros profitemur infirmi.

Lib. I. Tota Epistola cujus initium: *Consulis an existimem.*

Quorsum hæc? ne tibi optimæ indolis juveni, quorundam immensa luxuria, specie frugalitatis imponat. Convenit autem amori in te meo, quoties tale aliquid inciderit, sub exemplo præmonere quid debeas fugere. Igitur memento nihil magis esse vitandum, quam istam luxuriæ & sordium novam societatem, quæ cum sint turpissima, discreta ac separata, turpius junguntur.

Lib. III. Tota. *Cum patrem tuum.*

Quomodo Principes sub specie laudis excitandi sunt ad honesta, docet Plin. lib. III. Epist. *Officium consulatus.*

Rursum lib. VII. Epist. *Terret me hac tua.*

Eodem lib. *Quæris quemadmodum*, de Ratione studii.

Item eodem lib. *Deliberas mecum.*

Rursum Epist. *Gaudeo quidem.* Rursum lib. VIII. *Amor in te meus cogit, non ut præcipiam, (neque enim præceptore eges) admoneam tamen, ut quæ scis teneas, & observes, aut scias melius.* Nam tota usque ad finem, hujus argumenti est, & elegans.

MONITIO MEA.

De malo Principe tacendum censeo, nam si male loquaris ingens periculum est, si bene, grave flagitium est.

Non te cujusquam auctoritas abducat a recto. Est quidem consultum inhærere majorum vestigiis, siquidem illi recto itinere præcesserunt. Alioqui quid interest, inter hunc imitatorem, & gregem, ducem illum suum, quoquo se conferat sequentem?

Hoc ipso mihi places, quod ipse tibi displices. Nam verissime dixit Plinius: Magis in studiis homines timor, quam fiducia decet.

Ede tandem aliquod indolis tuæ specimen. Ostende te aulæ, ostende Reipublicæ, patere te assignari famæ. Scis illud, occultæ musices, &c.

Ostendi, quid in te, hoc est in opere pulcherrimo desiderem. *Mitigatur admonitio.*

Quem si sine exceptione laudassem, & fide caruisset laudatio, quæ in nullum competit mortalem, & tibi nihil profuissem. Nunc omnes intelligunt, & intelligis ipse, mihi cætera vere placere, quum non dissimularim, quæ mihi displiceant.

Sciebam tibi nihil opus esse monitore, sed tamen libuit admonere, ut quod facis, faceres.

Quod transactum est revocari jam in integrum non potest, quid in posterum oporteat fieri consulendum est.

Nunc monere te serum est, objurgare inhumanum: utinam aut ego possim te ex istis malis eximere, aut tu monitis meis obtemperans, in ista non incidisses.

Quid faciam? Objurgabo te qui toties admonitus ut ca-

caveres, velut obstinato devotoque animo temet in istas calamitates conjeceris? Sed ærumnosum amicum objurgare, crudele est. Admonebo? serum est: utinam serum non esset. Scio quam tu frustra soleas admoneri. Complorabo tuam infelicitatem? quid aliud quam plagam exacerbavero. Unum illud superest, si quid tamen superest, ne doloris impatientia, malis per se gravissimis, gravius aliquid adjungas, & omnes ingenii consiliique tui nervos excites, ut temet isthinc evolvas.

Etiam atque etiam cura valetudinem tuam. Et quanquam est hiems, tamen memento te Avenione vivere.

Deliberationem tuam ad amicos retuli, quorum una omnium est sententia, ut relictis istis nugis Oratorum ac Poetarum, te totum ad jus Pontificium conferas.

Cicero id Epistolæ proprium esse putavit, ut cui scribitur de iis quæ ignorat certior fiat. At ego ad te ea quæ melius meipso tenes.

Quare aut amori meo concedas oportet, aut hanc Epistolam esse neges.

RESPONSIO AD MONITIONEM.

Raras tuas quidem (fortasse enim non perferuntur) sed suaves accipio literas, vel quas proxime acceperam, quam prudentes, quam multi & officii, & consilii. Et si omnia sic constitueram mihi agenda, ut tu admonebas, tamen confirmantur nostra consilia cum sentimus prudentibus, feliciterque suadentibus idem videri.

CAP. LV.

DE AMATORIA EPISTOLA.

AMatoriæ Epistolæ non omnes eodem in genere versantur. Aliæ enim petunt, aliæ expostulant, aliæ queruntur, aliæ blandiuntur, aliæ purgant. Quare commode de his arte præcipi non poterat. Hujus generis duas species nonnullos fecisse video, honestam & turpem. Nos honestam, conciliatoriam appellamus, alteram amatoriam. Conciliatoria est, qua nos in benevolentiam antea ignoti insinuamus. Eam sic instituemus: Principio causas, quibus ad ambiendam illius amicitiam sumus accensi, probabiliter exponemus. Id quanquam vix citra assentationem fieri potest, tamen assentationis suspicionem accurate amovebimus. Deinde si quid in nobis erit, quod illum ad nos mutuo amandum provocabit, id sine arrogantia significabimus, hoc modo.

SANTERANUS FAUSTO S. D.

Exemplum Epistolæ conciliatoriæ.

Tua carmina quæ passim apud nos incredibili omnium admiratione leguntur, jam pridem me accenderunt, ut in amicorum tuorum numerum adscribi vehementer arderem. Neque enim divinam modo ingenii quandam vim, verumetiam probitatem modestiamque præ se ferunt. Incitavit me currentem (ut ajunt) Antonius, qui persæpe mecum, & amantissime, & facundissime de tuis moribus collocutus, ultro etiam hortatus est, ut ad te scriberem, te eum esse, qui non solum oblatas amicitias diligenter coleres, verumetiam sponte tua soleas alios provocare. In te quidem cum omnia summa ac divina suspiciam, de me nihil adfirmare possum, nisi hoc unum, nempe traditurum me tibi hominem, tui observantissimum, parum quidem eruditum, eruditorum tamen candidissimum admiratorem, & prædicatorem simplicem: simulandi ac dissimulandi, juxta ignarum, & pertinacissimum amicorum cultorem: re quidem parum beatum, sed animo beatissimum, liberum, apertum, facilem, denique tui cupidissimum. Hunc si tu vicissim amplecti potes, vel ob hoc ipsum, quod te tam perdite amat, fac eum in tuum gregem recipias. Quod si feceris, rem palmariam me hodie arbitrabor adsecutum. Tu porro ut cæteris rebus omnibus superes, non committam ut amoris magnitudine tibi concedam. Vale ac nos ama.

De amatoria præceptio.

Quod si puellæ animum ad mutuum amorem sollicitabimus, duobus potissimum arietibus utemur, laude, & misericordia. Laude enim cum omnes homines, tum puellæ imprimis gaudent, potissimum autem a forma, in qua summum bonum constituunt, tum ab ætate, moribus, genere, cultu, & rebus consimilibus. Deinde quod molli sit animo id genus, & facile ad misericordiam commovetur, quam maxime supplices videri studebimus. Quæ illius sunt vehementer amplificabimus, nostra extenuabimus, aut certe summa cum modestia proferemus. Summum amorem, cum summa desperatione conjunctum ostendemus. Nunc lamentabimur, nunc blandiemur, nunc desperabimus: nunc rursum nos ipsos callide laudabimus, pollicebimur: exemplis utemur illustrium, & honestarum mulierum, quæ ingenuo amori indulserunt, & juvenum ipsarum fortunis longe inferiorum. Amorem nostrum, quam honestissimum conabimur ostendere. Denique quam poterimus verecundissime orabimus, ut si amantem redamare neutiquam dignetur, saltem amari se citra incommodum, æquo animo ferat: quod nisi impetremus, decretum esse apud nos quovis modo crudelem abrumpere vitam. Exemplum hujus præceptionis, ab Ovidio cæterisque Poetis petent, quibus ea res curæ est. Quanquam est genus amatoriarum Epistolarum quod abest a nequitia, veluti quum adolescens probus probam, ac bene educatam puellam ambit uxorem ducere; quanquam hoc quoque blanditias habet, habet lachrymas, querimonias, suspiria, somnia, cæteraque non turpia quidem illa, sed ineptiora tamen, & ad aliquam nequitiæ speciem accedentia, quæ nescio an expediat adolescentibus proponere. In his erit plus difficultatis, & uberior exercendi ingenii materia, quoties pauper divitis, obscurus claro genere natæ, deformis formosæ nuptias ambit: denique quoties senex puellæ. Omnes hæ formæ, quanquam ad genus suasorium pertinent, tamen multum admiscetur ex genere demonstrativo, quod amor laude potissimum concilietur. Hic ingenii fuerit excogitare rationes, quibus seipsum prædicet aliquis, citra speciem arrogantiæ, aut stoliditatis. Nisi personæ tales fingentur, ut hoc ipsum sit affectandum. Qualis est apud Virgilium Corydon, apud Terentium Thraso.

AMATORIÆ SYLVA.

Audi igitur me hoc ἀγοητεύτως dicentem. Ne vivam mi Attice, si mihi non modo Tusculanum, ubi certe sum libenter, sed μακάρων νῆσοι tanti sunt, ut sine te sim totos dies.

Nihil enim est (mihi crede) virtute formosius, nihil pulchrius, nihil amabilius. Semper amavi, ut scis, M. Brutum, propter ejus summum ingenium, suavissimos mores, singularem probitatem atque constantiam: tamen Idibus Martii tantum accessit ad amorem, ut mirarer locum fuisse augendi in eo, quod mihi jampridem cumulatum etiam videbatur. Quis erat qui putaret ad eum amorem, quem erga te habebam, posse aliquid accedere? Tantum accessit, ut mihi nunc denique amare videar, antea dilexisse.

Lib. 6. Epist. *Nunquam sum magis.* Rursum: *Scribis de absentia mea.* *Plinius.*

Angeli Politiani Epistola lib. 9. *Cum superioribus diebus.*

CAP. LVI.

DE DEMONSTRATIVI GENERIS EPISTOLIS.

GEnus demonstrativum raro quidem per se adhibetur, frequenter autem in aliis generibus incidit. Exempli causa, si quem commendare nitimur, in personæ demonstranda laude versari necesse est, quod idem accidit in consolatione, petitione, exhortatione, admonitione. Præterea in criminatione, defensione, invectiva & consimilibus generibus. Quod si cui suademus, ut in aliam urbem aut villam commigret, demonstratione ejus loci faciem ante oculos ponimus. Quoties autem per se adhibetur, totum est ad delectationem accommodatum. Quare ut in pictura, ita in demonstratione conveniet adhibere sermonis varietatem, verborum apparatum, exornationum festivitatem, annominationes, membra, comparia, contraria, verba Poetica. Si personam describimus, ut Regis, Reginæ, Principis, alteriusve, ei cui ea sit ignota, Rhetorum super hac re notissimas præceptiones ignorare non oportebit. In Epistola satis erit vultus, totiusque corporis habitum, figuram, gestum, motumque tanquam pictura exprimere: *Descriptio personæ.*

mere: deinde ad animi, fortunæque commoda veniemus. Quod satis luculenter a Rhetoribus præceptum, neque cognitu difficile, prudens prætereo. *Loci descriptio.* Si locum quempiam describimus, perinde ac si hominem manu in eum duceremus, primum tanquam procul intuenti universam loci faciem cogitationi subjiciemus. Situm tanquam depingentes describemus. Num in edito an humili, an declivi. In plano, an monte, nemoroso, an secus. Quo flumine, mari, aut lacu alluatur, aut cingatur. Quantum passuum in longum, in latum, in ambitu contineat. Hic consideratis cœli plagis, quem prospectum, quas urbes, quos agros, quos montes, quæ nemora in unamquamque partem habeat. Quo sole illustretur, quibus ventis trudatur, cui cœli portioni subjaceat, cujusmodi cœlum habeat, salubre, an pestilens, amœnum, an secus exponemus. Deinde tanquam propius accedentes, singula accuratius ostendemus: & ut quicquid advenientibus sese consuevit offerre, ita primum exponemus. *Urbis & ædificii descriptio.* Si villam aut amplum ædificium demonstrabimus, a primo ingressu exordiemur, cujusmodi atrium, quantum, qua figura, quo lapide, quot habeat cubicula, & in quam partem vergentia, quem in quamque partem habeat prospectum. Deinde aream, vestibulum, penetralia, conclavia, triclinia, breviter totum ædificium lustrabimus, situm cujusque rei sine confusione exprimentes, ut is qui legit, eum locum videre se oculis putet. *Fluminis aut lacus descriptio.* Si flumen aut lacus erit, quam amplum, quam rapidum, quo colore, unde nascatur, unde augeatur, qua præterfluat, quo influat, diligenter exponemus, quos sinus faciat, quas insulas, quos agros, quæ nemora irriget, quod piscium genus, quæ piscandi, ac navigiorum forma. *Agrorum descriptio.* Si ager erit, quid ferat, quantum, quo ritu colatur, cujusmodi cultores, quod arborum genus, cujusmodi vinum proferat. *Montis descriptio.* Si mons, a radicibus usque ad cacumen omnia diligenter perlustrabimus: & si quid habeat novum, prodigiosum, aut alioqui memorabile: qualis est apud Pomponium Melam descriptio montis Atlantis, apud Plinium Ætnæ. Ad hæc pertinet amphitheatrorum, animantium, pomparum, tabularumque descriptio. Vocabulorum idoneorum vim, ex eorum libris qui de situ orbis Latine scripserunt, quique de Architectura, facile comparabimus. Et incidit hoc genus persæpe, quum peregrinantes ex itinere de novis rebus transcribimus. Si quem locum insignem, principem nobilem, si quod animal inusitatum vidimus, id his rationibus, summa cum legentis voluptate describemus. Loci describendi exemplum erit, Tusculorum, ac Laurentis apud Plinium, & Regiæ Psyches apud Apulejum, & alias descriptiones crebræ apud Poetas & Historicos: veluti domus Somni & Famæ apud Ovidium; Cleopatræ Cydno advectæ apud Plutarchum; picturarum apud Philostratum. Si genus hominum describimus, a corporum descriptione exordiemur, deinde ad vestium genus, ad animorum habitus veniemus. Postremo vivendi ritum omnem ante oculos ponemus. In hoc demum genere, sive laudemus, sive vituperemus, hypotyposim, effictionem, imaginem, & exornationem quam notationem appellat Cicero, & si quod aliud schema, quod ad energiam facit, scite exhibebimus. Itaque de hoc genere hæc præcepisse sat erit. Nam exemplis singula demonstrare, perlongum sit, & undecunque magna vis exemplorum suppetit.

CAP. LVII.

DE JUDICIALIS GENERIS EPISTOLIS, ET PRIMUM DE CRIMINATORIA.

SI quem accusare volumus, & causæ statum, & confirmationes, confutationesque, argumentandi rationes, & quibus rem verisimilem, aut dissimilem faciamus, quibus exaggeremus, quibus extenuemus, ea omnia e Rhetorum præceptis percepta habere convenit. Neque enim alio artificio scribitur Epistola, quam Oratio. Tamen quoniam in Epistola brevitas esse debet, & singulos locos persequi non licet, ea quæ potissimum ad rem spectant excerpemus, multa in suspicione relinquemus. In criminatoria igitur Epistola nonnunquam ab abrupto principio conveniet exordiri, quo statim & nostrum dolorem, & rei atrocitatem indicemus. Id erit, si vel a conquestione, aut dubitatione, vel ab exclamatione, aut alioqui figurata oratione initium capiemus. Quanquam idem apud judices fieri vetant Rhetores. Deinde rem verisimiliter narrabimus, argumentationes, & amplificationes eidem brevitatis causa admiscentes. Mox probabilibus argumentis rem docebimus. Postremo epilogum, aut aliquid epilogi loco subjiciemus.

EXEMPLUM.

Pudet me, ita me Deus amet, Præfecte justissime, de mei hospitis, tui civis, insigni contumelia queri. Quid autem dixi contumeliam? Non occurrit vocabulum, quo rem atrocissimam satis digne explicem: neque ulla Tragœdia nefario sceleri par inveniri poterit. Quod ubi acceperis, quæ tua est æquitas, innocentiaque, & meæ conditionis miserescet, & civis tui vehementer pudebit: si tamen ejusmodi nebulones pro civibus tuis sint habendi. E tempestate illa, omnium quas, vel vidimus, vel audivimus, sævissima, quæ pridie Id. Octobr. sexaginta onerarias naves, omni mercium genere refertissimas, in mari Adriatico oppressit, Varus Saxonius inter multa hominum millia, quæ naufragio periere, solus, aut certe cum perpaucis emersit, homo omnium quos terra sustinet impiissimus. Credo vel in meam perniciem a Neptuno mihi irato servatum, vel certe quod maris elementum, pestem talem, sub Tartara potius præcipitandam exhorruerit. Excepi hominem nudum, egentem, squalidum, confectum, seminecem. Cur, inquies, tale portentum in domum tuam vocabas? Irato genio, Diis iratis, mente læva. Fateor, neque enim postulo ut hanc appelles humanitatem & misericordiam, attamen ut hominem excepi, movebat me hominis miseranda conditio, & eo magis, quod ipse ejusmodi calamitatis rudis non essem. Perpulit multorum commendatio, hortabatur patria, quam tametsi mea non est, tamen non secus ac meam semper sum amplexus. *Verisimile facit.* Vincebar fucatissimi nebulonis, mira quadam, sed falsissima specie probitatis, oratione, lachrymis, ipsa denique canicie. Hæc vel quamvis astutum hominem fallere poterant. Nunc quid ego commemorem, quæ mea fuerit in illum comitas, liberalitas, hospitalitas? In intimam familiaritatem admisi demens. Omnes fortunas communes feci: familiam, & rem domesticam ejus manibus concredidi. Ita duos ferme menses apud me est humanissime habitus. Hic ego dictum illud nimium verum esse sum expertus, non minus esse periculum malis benefacere, quam bonis male. Nam ille bonus vir, repente, ex hospite prædo, ex sene factus est stuprator. Cum famula domestica, clam rem habuit, ac gravidam mihi reliquit. Indignum facinus clamabis, scio. Sed mane, nondum Tragœdiæ audisti argumentum. Nam hactenus Comœdia videri potest. Quum jam fœdissimam fugam constituisset, sacratissima ea nocte, quæ Christo est natalis (vide, ut scite sceleris artifex tempus delegerit) quum jam uxor cum reliqua familia, ecclesiasticis vigiliis operam daret, me præter morem, & illo insperante domi relicto, eo quod subito dolore correptus essem, jam intempesta nocte, in proximo filiæ cubiculo strepitum audio, nescio quem, deinde stridorem, tanquam ferro effringentis. Miror quid sit; puerum excitum, jubeo visere, offendit hominem. Mentitur se ab uxore missum ut preculas, quas filia reliquerat, adferat. Paulopost clariori etiam strepitu exit. Post horam fere uxor anhela domum accurrit. Percontor quid novæ rei sit? ait filiam inter frequentem turbam e suo comitatu dilapsam nusquam apparere. Oboritur utrique certa suspicio, mihi quidem e strepitu, uxori vero multo amplius, quod cum aliquoties antea furtim cum ea confabulantem comperisset, tum ea nocte, nescio quid confarrationis animadverterat. Mihi quoque tot res conjecturam facere poterant, nisi talpa cæcior fuissem. Pallebat mihi camus amator, macies vultum obduxerat. At ego illum aqua maris, non igni senili pallere putabam. Cubiculum ingressi, scrinium effractum offendimus, arma relicta, sublatum & vestium & pecuniæ & annulorum, ut quicquid occurrerat furto fugæque commodissi-

dissimum. Quid facerem, & spoliatus hospes & plusquam orbus pater? Et nox, & hiems, & solitudo urbis, denique & ipsa diei religio prædoni favebat. Hic animi mei curas facilius fuerit tibi æstimare, quam mihi narrare. Cives aliquot ægre contraho, exilio, percontor, vestigo, audio una cum puella conspectum, via quam obliquam vulgo nominant, suffarcinatum, & admodum properantem. Intelligo infelix. Itum est ad portum, quo ea ducit via, nihil invenio præter scalmum ulteriori in ripa, in citeriori zonam, quæ tumultuanti filiæ exciderat. Sedeo exanimatus, orta luce, quæ mihi tristissima longe, omniumque funestissima illuxit. Ubi res in vulgum emanavit, passim querelæ fervent. Ab aliis mutuum acceperat, aliis imposuerat: alius ex illius convictu aliquid desiderabat, nemini non aliquid adfuerat mali. Sed quid me consoletur? communis cum multis injuria? Audio, sed heu sero audio, hujusmodi flagitia apud illum nova non esse. His artibus, ita a puero fuisse exercitatum, his rudimentis cœpisse, ut seipsum ne senex quidem unquam vincere potuerit. Nulla unquam honesta Venere delectatum: ne a cognatis quidem solitum abstinere. Nihil unquam sacrum illi fuisse: hominem semper fuisse alieni appetentissimum, suorum profusorem: simulandi ac dissimulandi mirum artificem.

Epilogus. Quid enim ego hic optime vir, vel meam calamitatem, vel illius scelus verbis exaggerem? Rem vides, qua quid unquam auditum est atrocius? Hospitium polluit, fidem perfide violavit, pro summis beneficiis summum maleficium reddidit, familiam perdidit, vernaculam per nefas illectam constupravit: scrinia compilavit, filiam puellam, & unicam rapuit, me nudum, orbum, senem reliquit, a quo fuerat nudus, egensque receptus. Quid illi posthac sceleratum videri poterit, quem neque hospitii religio, neque tanta in ipsum mea benignitas, neque legum metus, neque numinis illius reverentia, neque ætatis pudor, aut canicies, neque tam sacræ noctis pietas a tam nefario flagitio potuit dehortari? Quod portentum, si quando in manus tuas inciderit, non orandus es, ut meo nomine pœnas tua severitas sumat, sed ut optimam patriam teterrima peste liberet, quam funditus exstingui, & Deorum interest, & hominum. Vale.

Quum hæc recognoscerem, optime lector, manifesto deprehendi me, quum illa scriberem, quo libro utcunque absoluto, satisfacerem amico parum amico, quicquid veniebat in buccam, chartis illevisse. Alioqui nihil erat negocii aliud argumentum excogitare, Epistolis accommodatius. Dicet aliquis, quid Epistolæ cum tribunalibus? Imo frequenter & hoc genus incidit, veluti quum nostram, aut amici famam purgamus, & tuemur adversus obtrectatorum calumnias, nonnunquam recriminantes eos, qui crimen impingunt. Nonne D. Hieronymus, quum a se depellit intentatam stupri cum Paula suspicionem, totus versatur in conjecturalibus argumentis, & locum communem tractat, a quæstionibus? Sed quoniam de nullo genere diligentius præceptum est ab artis scriptoribus, & hoc non admodum accommodum est pueris exercendis, quibus hoc quicquid est operis potissimum paratur, pergemus ad alia, quæ magis congruunt huic instituto.

CAP. LVIII.

DE EXPOSTULATORIA EPISTOLA.

EXpostulatio inter amicos persæpe fieri solet, quoties officium eorum requirimus. Ea ne quid amicitiam exasperet, mitiganda est, vel laude, vel joco, vel dissimulatione, nisi talis erit cui scribimus, ut apud illum nihil non liceat. Ipsam quidem rem damnabimus, sed voluntatem quantum licebit, excusabimus. Mirari nos dicemus, quid in causa fuerit, quidvis suspicari malle, quam illum ab officio cessasse.

EXEMPLUM.

Centenas jam ad te literas dedi, tu ne unas quidem reddidisti. Quid conjectem? quid divinem? Vivere te, an sepultum esse? Sed vivere, atque etiam valere, nuper mihi gener tuus nunciavit. Quonam vetus ille tuus in me animus evanuit? Itane potuit ob diuturnam absentiam Gulielmo Lucius excidere? Potuit ne illa tam vehemens flamma languescere? Potuit exstingui tantum amoris incendium? Et quo nostri tibi cura recessit? Ego, mirum est dictu, quanto tui desiderio macerer: & tu fortassis nostri securus, novis amoribus te oblectas. Ne mihi veteres illas excusationes protuleris: non fuit ocium, non erat tabellarii copia. Quæ nam ista tam importuna negocia, ut nec semihoram amico operam dare non sinant? Atqui hoc saltem scribe: Distineor occupatione, non licet scribere. Vale. An me plane vacuum credis? Quot noctes jucundis susurris consumpsimus, & nunc tantulum somni defraudare, dum unum aut alterum versiculum amico scribas, piget? An vero tot jam mensibus nemo unquam oblatus est, cui literas committeres, præsertim familiares? Nemo cui aliquid mandares, per quem me salvere juberes? Omnes isthuc abeunt, isthinc nemo emergit? Sed audio te nuper nova dignitate auctum, fortassis superbior nobis es factus, postquam esse cœpisti pecuniosior. Quod si commodo tuo fit, modestius silentium feram tuum: sin vel oblivione nostri, vel aliquo incommodo detentus, taces, graviter, ut par est, patiar. At ego quidvis suspicari malo, quam te officio tuo functum non esse. Utcunque tamen res est, fac me hoc scrupulo quam primum leves. Nolim hac in re te causam habere nimium bonam. Malo jure questus de te videri, quam tibi valetudinem adversam, silentii causam fuisse.

ALIUD EXEMPLUM.

Hem isti mandes, si quid recte curatum velis. Tene ita dormitasse in rebus amici tam seriis? Sed ego tibi non succenseo, mihi succenseo, qui tibi mea curanda mandarim, non ignarus, quam in tuis ipsius negociis soleas esse indiligens.

ALIUD EXEMPLUM.

Librum relegens, quum tot mendas offenderem, easque non contemnendas, mi Scriboni, non potui non desiderare in te fidem illam, & vetere nostra necessitudine, & tuis pollicitis, & mea de te fiducia dignam.

Magnifice receperas, & ego majus quiddam exspectabam, quam tu pollicebaris. Ut id sperarem, fecit ista tua modestia, tuique mores ab omni fuco, levitateque visi semper alienissimi. Cur hic tui dissimilis fueris, magnopere demiror: nisi quod res ipsa clamitat, non vulgariter abs te cessatum esse. Neque enim potes in alium rejicere culpam, quum in hoc præfectus sis edendo operi, ne liceret aliis operis depravare librum. Atqui nulla in re magis erat præstandum officium amico. Si nullo salario, aut iniquo provinciam suscepisses, tamen amici causa par erat advigilare, cujus famæ periculo eras cessaturus. Si parum apud te ponderis habebat amicitiæ nostræ ratio, tamen hoc officii studiosis omnibus largiri conveniebat, quorum utilitati parabatur opus. Nunc quum larga etiam mercede typographus penset operam tuam: quum scires hoc amici non vulgaris summopere referre: quum non ignorares esse boni viri, vel gratis de bonis literis, atque harum cultoribus bene mereri, non possum satis admirari, quod in re tanta, tantopere sit dormitatum. Qui literas tractat, rem tractat non modo publicam, verumetiam sacram. Non potest esse leve commissum, quo læduntur tam multi: & quod aliis in rebus incuriæ nomine damnatur, hic impietas est. Iniquum est non ejus satisfacere animo, a quo mercedem, plus quam æquam accipis. Inhumanum, negligere famam amici: infidum, non præstare quod promiseris: impium, oscitanter agere in negocio Musarum. Vide igitur mi Scriboni, quot modis abs te peccatum est. Sed hæc nobis sera est querela, tantum obtestor per omnia quæ tibi sancta sunt, ut quod hic admissum est incogitantia, in cæteris cura, diligentiaque pensetur.

EXPOSTULATORIÆ SYLVA.

Epistola famil. lib. v. *Si vales bene est.*

Lib. v. Epist. *Præposteros habes tabellarios.* *Cicero ad Atticum.*

Sed abs te ipso, qui me accusas, unas scito mihi literas redditas esse, cum & ocii ad scribendum plus, & facultatem dandi majorem habueris.

Tu velim ad nos sæpe scribas. Si rem nullam habebis, quod in buccam venerit scribito.

Tu mihi, etiam si nihil erit quod scribas (quod fore ita video) tamen id ipsum scribas velim, te nihil habuisse quod scriberes, dummodo ne his verbis.

Cicero. Verberavi te cogitationis tacito duntaxat convitio. Quod fasciculus alter ad me jam sine tuis literis perlatus est, non potes effugere hujus culpæ pœnam te patrono. Marcus est adhibendus: isque diu & multis lucubrationibus commenta oratione, vide ut probare possit, te non peccasse.

Non possum te negligentiæ non accusare, quod tanta de re, tam breviter, tam indiligenter scripseris.

Aut desidiosus, aut vehementer distentus sis necesse est, qui in tam copioso argumento Epistolæ tuæ brevis sis.

Brutianum Laconismum mihi tibi proposuisse videris, qui Epistolam vix tribus versibus scripseris.

Vix adduci possum, quod mihi de te ab auctoribus alioquin minime vanis adfertur: Est enim & a mea de te existimatione, & a tuis moribus pristinis longe alienum.

Is ne ut nos tanta impensa derideat?

Plinius. Lib. I. Epist. *Olim nullas mihi Epistolas.* tota.

Lib. II. Epist. *Irascor.* tota.

Lib. I. Expostulationis jocosæ exemplum, tota Epistola cujus initium: *Heus tu promittis.*

Politianus. Lib. II. Epist. *Ex literis, & sermone multorum.*

Eodem lib. Epistola: *Dederam commodum.*

EXPOSTULATIO MEA.

Antonius tibi diem dicit, & sponsorem appellat. Non enim præstas quod receperas, te frequenter ad se scripturum.

Ego vero tibi vehementer etiam irascerer, qui toties tam accurate monitus a nobis, non auscultaris, nisi parum esset humanum, irasci calamitoso.

Arcanum quod nuper tibi commisi, utpote ei quem nihil unquam celare solebam, id audio jam prolatum in lucem, quotidie ad plures serpere. Te rumoris hujus auctorem esse necesse est, quando ipse mihi sum conscius, nemini illud præter te unum mortalium communicasse. Quod si falso est mihi obnunciatum, est quod vehementer gaudeam. Malim enim in illis vanitatem accusare, quam in te amici fidem desiderare: sin vere, haud te dignum fecisti. Quid enim tam perfidum, quam amicorum arcana prodere? Res est non tam expostulatione, quam acri reprehensione digna. Sed nondum de tua fide diffido. Tu fac hoc scrupulo me quam primum leves.

Carior mihi es, quam ut tibi possim irasci. Sed tamen vehementer & miror, & doleo, quod contempto meo consilio, & fideli, & salutari, in tantam turbam teipsum conjeceris.

Tantus in te meus amor, ut nulla exoriri possit injuria, sed tamen non commoveri non possum.

Absolvi non potes, ne Cicerone quidem patrono in culpa tam manifesta. Ubi nam sunt tui fasciculi literarum, ubi sarcinæ ingentes, quas tu mihi abeunti promiseras, homo hominum qui vivunt vanissime? at nunc isthinc adfertur nihil.

Hæc ad te scripsi liberius, fretus conscientia officii mei, benevolentiaque quam a me certo judicio susceptam, quoad tu voles conservabo.

CAP. LIX.

DE PURGATIONE.

EXpostulationem purgatione diluimus, ita ut nos ea expostulatione non modo nihil offensos, verumetiam vehementer delectatos ostendamus. Deinde suspicionem objectam graviter abominabimur. Postremo rationes quam maxime probabiles, quibus eam purgemus, proferendæ sunt. Quanquam huic generi mire vario, vix ulla certa ratio præscribi potest. Ex re, ex tempore, ex personis consilium sumamus oportet.

EXEMPLUM.

Non tam molestum fuit me abs te immerentem accusari, quam jucundum officium meum requiri. Est enim immodici amoris argumentum, temere de amico suspicari. Quanquam tu meum tam diuturnum silentium, non sine causa miraris. Hic enim mensis est prope decimus, ex quo nihil ad te literarum dedi. Sed Dii prohibeant quæ tu scribis, ut Lucius Gulielmi oblivisci unquam possit. Unquam ne Gulielmi possit Lucius non meminisse? Egone novis me oblectem amoribus? Egone successibus rerum elatus, te minoris faciam? Quasi vero ulla mihi fortuna sine te dulcis aut fuerit unquam, aut esse possit? Cave vero credas ulla negocia tanti apud me esse, quæ non facile posthabeam, si quando ad te scribendum erit. Cur igitur, inquies, nihil adfertur scriptorum? Audies. Scripseram bis, primum per Stilbontem affinem tuum Idibus Majis: deinde per socerum meum Petronium Cal. Juliis. Priores quidem tibi non esse redditas scio. Ait enim reversus Stilbon, sibi eas in itinere excidisse, ideoque veritum te convenire. Socer quum istuc iter instituisset, consilium in profectione mutavit. Post hos nemo mihi contigit, cui recte committerem. Ne tuas quidem omnes accepi. Cæterum hoc tibi etiam atque etiam persuadeas velim, neminem vivere, aut tui amantiorem, aut æque memorem, sive scripsero, sive non scripsero. Vale.

Hoc in genere quoniam frequenter incidit inter amicos, variis thematis exerceri conveniet. Expostulatur enim cum amicis, quod in officio scribendi cessaverint, quod mandata non peregerint, aut serius, secusve peregerint, quam oportuit. Quod per incogitantiam aliquid effutiverint, quod præstiterat tacuisse. Quod parcius aut neglectius scripserint, aut acerbius: quod in re seria non consuluerint amicum, quem non oportebat quicquam ignorare, quod de animo amici parum magnifice sensisse visi sint, qui quum egerent ope, dissimularint. Hoc genus minimum abest a monitione, quæ objurgationem habet. Huic finitimum est illud, quoties querimur apud alios de quopiam.

PURGATORIÆ SYLVA.

Si esset in his fides, in quibus esse debebat, non laboraremus. Cic. Epist. fam.

Lib. III. Epist. *Et si quantum ex literis.*

Quod si rarius fiet, quam tu exspectabis, id erit causæ quod non ejus generis meæ literæ sunt, ut eas audeam temere committere. Quoties mihi certorum hominum potestas erit, quibus recte dem, non prætermittam.

Sed tamen significatur in tuis literis, suspicio quædam, & dubitatio tua, de qua alienum tempus est mihi tecum expostulandi, purgandi autem mei necessarium.

Quererer tecum, atque expostularem, nisi (ut supra scripsi) purgare me tibi hoc tuo tempore quam accusare te mallem, idque putarem esse rectius. Itaque nihil de te, quod credideris de me, quamobrem non debueris credere, pauca dicam.

Non oblivione amicitiæ nostræ, neque intermissione consuetudinis meæ, superioribus temporibus ad te nullas literas misi, sed quod priora tempora in ruinis Reipublicæ nostrisque jacuerunt: posteriora autem me a scribendo tuis injustissimis, atque acerbissimis incommodis retardarunt.

Peto a te, ne me putes oblivione tui rarius ad te scribere quam solebam, sed aut gravitate valetudinis, qua tamen jam paululum videor levari, aut quod absim ab urbe.

Habes Epistolam verbosiorem fortasse, quam velles: quod tibi ita videri putabo, nisi mihi longiorem remiseris. Ego, si quæ volo, expediero, brevi tempore te, ut spero, videbo.

Quapropter eo animo sumus inter nos, quo semper fuimus. Quod de te sperare, de me præstare possum.

Lib. II. Epist. *Quanquam me nomine.*

Lib. V. Epist. *Si tu exercitusque valetis.* tota.

Lib. XII. Epist. *Itane præter litigatores.*

Lib. XIII. Epist. *Quum antea capiebam.*

Sed est quod abs te mihi ignosci pervelim. Cic. ad Attic.

Abs te peto, ut mihi hoc ignoscas, & me existimes humanitate esse prohibitum, ne contra amici summam existimationem, miserrimo ejus tempore venirem: cum is omnia sua studia, & officia in me contulisset. Quod si voles in me esse durior, ambitionem mihi putabis obstitisse. Ego autem arbitror, etiam si id sit, mihi ignoscendum esse. θεῖον γὰρ ἀγαθὸν ἡ τιμή.

Non

A Non committam posthac, ut me accusare de Epistolarum negligentia possis.

Tu modo videto in tanto ocio, ut par in hoc mihi sis.

Nimium raro nobis abs te literæ afferuntur, cum & multo tu facilius reperias, qui Romam proficiscantur, quam ego, qui Athenas: & certius tibi sit me esse Romæ, quam mihi te Athenis. Itaque propter hanc dubitationem meam, brevior hæc ipsa Epistola est.

Ideo sum brevior, quod, ut spero, coram brevi conferre quæ volumus licebit.

Si forte rarius tibi a me, quam a cæteris literæ reddantur, peto a te, ut id non modo non negligentiæ meæ, sed ne occupationi quidem tribuas, quæ & si summa est, tamen nulla esse potest tanta, ut interrumpat iter amoris nostri, & officii mei. B

Quare voluntatis meæ me nunquam pœnitebit, consilii pœnitet.

Ex lib. ad Brutum. Tota. *Clodius Trib. pleb.*

Meæ objurgationes fuerunt amoris plenissimæ, sed vereor ne hoc quod infectum est serpat longius.

Plinius. De literarum missione sine causa abs te accusor.

Excusatio prolixioris Epistolæ. Longius me provexit dulcedo quædam tecum loquendi, sed jam finem faciam, ne modum, quem etiam orationi adhibendum puto, in Epistola excedam.

Lib. IX. Epist. *Facis jucunde.* tota.

Habes Epistolam, si modum Epistolæ cogites, libris, quos legisti, non minorem. Sed imputabis tibi, qui contentus libris non fuisti. C

Lib. I. Epist. *Quod ad te jam diu.*

Politianus. Lib. III. Epist. *Salve Politiane mi.*

Lib. III. Epist. *Utinam quas circa medium.*

Lib. IV. Epist. *Neque desidia mea.*

Lib. V. Epist. *Quanto tu erga.* Eodem Epist. *Non tu nova.*

Eodem Epist. *Herculem me vocas.*

Lib. VIII. Epist. *Non causam dico.*

Lib. XI. Epist. *Grate mihi omnino.* Lib. XII. Epist. *Offendit ut video.*

CAP. LX.

PURGATORIÆ EPISTOLÆ.

D Scio te quæ facis, optimo animo facere. Quid enim mihi exploratius esse potest, quam animus tuus erga me? Sed tamen ut ingenue dicam quod sentio, videris mihi quædam facere, non ausim dicere inconsultius, virorum prudentissimus, non dicam inimice, vir sincerissimæ fidei, sed tamen parum circumspecte.

Non dubito quin ista facias amico animo, sed tamen mihi gratulor, inimicis meis non esse tantum ingenii ad lædendum.

Ais te fecisse amico animo: sed mea quid refert, utrum me amice jugules, an inimice?

E Libet ex universo hominum contubernio in extremas fugere solitudines, quoties istorum linguacissimorum hominum mores in mentem veniunt, qui ad hoc unum se natos arbitrantur, ut alienam innocentiam, sua putida mendacique lingua contaminent.

Quod si toties sim tibi literis purgandus, quoties illi falso insimulabunt, & ego scribendo, & tu legendo defatigaberis.

Quid ego istis maledicentissimis nebulonibus, qui nostræ benevolentiæ invident, ac semper aliqua comminiscuntur, quo eam vel exstinguant, vel diminuant, imprecer, nisi ut penitus obmutescant.

F Quod mandata tua ita ut tu jusseras, & ego receperam, nondum peregi, facultas mihi hactenus defuit, non voluntas.

Literis consequi nequeam, quam vehementer meis negociis, vel potius fatis indigner, quorum culpa nondum, neque meo studio, neque tuis votis, licuit satisfacere.

Et ipse mallem, & tu promeritus es, ut officio potius, quam purgatione apud te uterer, nisi utrique nostrum fortuna mea invideret.

In hoc tibi Jovem lapidem jurare non dubitem, me insciente ista facta omnia.

Tibi quidem fama publica refragatur, verum ego vel sacramento contendebam, abs te rem tam illepidam profectam non esse.

Sancte tibi dejero, vel juranti crede.

Credulitas enim error est magis, quam culpa, & quidem in optimi cujusque mentem facillime irrepit.

AD PURGATIONEM RESPONSIO.

Politianus lib. 2. Epist. *Et si literarum tuarum.*

Lib. 12. Epist. *Literas accepi tuas.* Eodem Epist. *Tu vero.*

Tantum mihi dolorem cruciatumque attulerunt errata ætatis meæ, ut non solum animus a factis, sed aures quoque a commemoratione abhorreant.

Et si justa & idonea usus es excusatione, intermissionis literarum tuarum, tamen id ne sæpius facias rogo.

Quare quum in primis tuas desiderem literas, noli committere, ut excusatione potius expleas officium scribendi, quam assiduitate literarum.

AD PURGATIONEM RESPONSIO MEA.

Antea tibi nonnihil irascebar, nunc sum vehementer iratus, nec injuria. Hæc tua tam diligens purgatio effecit, ut videaris, aut parum nosse meum ingenium, aut certe de amicissimo homine, non amicissime sentire.

Offensum me suspicaris, quod de vocula nescio qua, in meis scriptis fueris cavillatus.

Egone tam ferox sim, ut id ab amico moleste feram, quod si faciat æmulorum quispiam, non injuria, sed officio me affectum putem.

Tu vero vel omnia mea scripta, me amico reprehendas licebit.

Cæteri quos purgas, debent mihi probati esse, si tibi sunt.

Nihil est quod vereare: ego enim ne pilo quidem minus te amabo. Hac de re, ut soles, scribe fraterne.

Ad hoc genus pertinent omnes illæ mitigationes, quibus excludimus suspicionem, vel arrogantiæ, vel odii, vel sævitiæ, vel cujuscunque rei, quæ videbatur offensura. Quum præpostero ordine respondemus conveniet illud ὕστερον πρότερον ὁμηρικῶς, quo usus est Cicero ad Atticum.

Sed quid ago? pene oblitus eram, me Epistolam scribere.

Quo rapior? pene exciderat, cui viro scriberem.

CAP. LXI.

DE EXPROBRATIONE.

Ut cum amicis expostulamus, ita inimicis & ingratis exprobramus. Quare illam mitigari debere docuimus, hanc exaggerandam monemus. Et quoniam omnis exprobratio ab humanitate videtur recedere, coactos nos id facere dicemus, vel ob nulli tolerandam illius ingratitudinem, vel ob insignem stoliditatem hominis: vel quod nos maledictis quotidianis ad id compulerit: vel quod cum impudentissimis hominibus impudentius sit agendum, & malo nodo, malus quærendus cuneus, & id ab optimis viris sæpe factitatum admonebimus. Et reliqua quæ ad hanc sententiam faciunt, proferemus: aut certe per dissimulationem ad exprobrationem veniemus. Conscientiam ipsius subinde testabimur. Rem ipsam artificiosa narratione ante oculos ponemus: in qua perpetuo & nostram in illum beneficentiam, & illius in nos ingratitudinem amplificabimus.

EXEMPLUM.

Non tandem pudebit te tui, senex omnium, qui vivunt, ingratissime? Cupiebam, ita me Deus amet, & meorum in te meritorum oblivisci, & tuam ingratitudinem silentio dissimulare, si quoquo modo patereris. Sed vincit meam modestiam tua improbitas. Audes hominis monstrum, tantam meam in te beneficentiam expertus, ultro etiam te jactare impudens, tanquam aliquid de nobis sis promeritus? Audes me ultro ingratum vocare, quum tu pro summis officiis, quantum potuisti maleficiorum reposueris? Hic ego tuam ipsius conscientiam appello, tuam inquam illam conscientiam, quam tu tot sceleribus pollutam intra te gestare cogeris, eandem ingratitudinis tuæ, & testem, & carnificem. Dic mihi scelestissime senex, nunquam ne tibi suc-

succurrit quam supplex apud me ambieris, ut vel aliqua ex parte apud me hæreres, ut aliquid tibi mearum literarum impartirem? Peream ni meipsum tui pudet, quoties oris tui speciem illam arte sceleratissima compositam, cogitationis oculis intueor. Te hominem canum, rugosum, tantum blanditiarum, lachrymas etiam effudisse? Me quidem referre pudet. At quorsum attinet narrare memori? Narret tibi conscientia quæ feceris, quæ dixeris, quæ promiseris, quæ juraveris. Ultro benignus obtuli, quod homo alioqui impudentissimus, ne petere quidem audebas. Scis post ipse quam fraterno sum te animo complexus, quantum laborum, vigiliarumque tua causa susceperim. Ego meis posthabitis rebus, asinum ad lyram duxi. In eo docendo (si Diis placet) tantum mensium trivi demens. Dic mihi omnium, quos sol videt, ingratissime, quis istos mores, vel unum diem pati posset? Quis istud os, vel quantavis mercede videre sustinuisset? Jam nunc animo meo ingens oboritur nausea, & tibi oboriretur, si faciem istam monstruosissimam meis oculis videre posses. Sedebas puer pulchellus, bos ad palæstram exercendus, & me præceptorem oculis illis refugis, ac ferinis, per hirta, canaque supercilia intuebare, defluente interim in canescentem barbam saliva. Adde intractabile, spinosumque ingenium, caput plusquam marmoreum, sensum stupidum. Ego ista, quæ ne ipse quidem interdum ferre poteras, scis quam patienter tulerim, devorarim, decoxerim. Quid a me præteritum est, quo tarditatem tuam vincerem? Audes inficiari homo frontis perfrictæ? Testabuntur laborum meorum apud te monumenta. Non rubore perfunderis, quoties librum a me multis sudoribus evigilatum intueris? Non exhorrescis, non te ipsum refugis, si quando ad te redis, id est, si quando ab ista phrenesi paululum resipiscis? Tu hominem sic de te meritum non amare, non venerari potes? Tu putida ista lingua insectaris, cujus tu linguam tam officiosam es expertus? Quid ego hic te tibi ostendam? Scis quod virus, quam fœditatem ex ista contaminatissimi pectoris tui cloaca evomueris. Quum omnis ingratitudo sit exsecrabilis, nulla tamen detestabilior, quam in præceptorem. Qui si parum officiosus fuissem, tamen tuum erat, ut parentis, ita præceptoris vitia, vel tegere, vel commode interpretari. Nunc talem ipse fuisse fateris, ut nunquam sis parem habiturus, & pro officiis ea reponis ingratissime, quæ hostis non faceret hosti. Philippus Rex Macedonum, duci cuidam, qui possessionem ejus a quo naufragus fuerat humanissime exceptus, a Rege flagitatam acceperat, frontem ferro candenti hoc elogio insigniit: Hospes ingratus. An non tu dignior es, cujus fronti cauterio titulus hic inuratur, discipulus ingratus? Sanctius est præceptoris nomen, quam hospitis. Et sceleratius incessere famam, quam eripere prædium. Promittis satisfactionem, si redeam: minitaris atrociora, si non redeam. Quid insanius? Nunc tibi prædicor omnium eruditissimus: rursus eodem ore prædicor omnium qui vivunt indoctissimus. Quid delirius? Hæc an non palam arguunt insignem animi tui perversitatem, qui sciens, dataque opera pessime facias illi, qui tibi fecit optime? Et audes istis cum factis solem intueri? Audes in hominum venire cœtus? Audes in templis ad aras sacras istas manus, istos oculos ostendere? Audes ista viperea lingua, quam in hominem beneficentissimum toties vibrasti, precari superos ingratitudinis ultores? Num tu superos, aut inferos ullos esse credis? Sed ego exprobrandi finem faciam, quum tu lacessendi finem facias nullum. Vale ut mereris.

EXPROBRATIONIS SYLVA.

Hujus generis exemplum erit illa Ciceronis ad Octavium cujus initium est: *Si per tuas legiones*, &c. Et illa Hieronymi ad Julianum. Apud Ovidium item Medeæ Epistola ad Jasonem.

Cicero. Epist. famil. lib. v. *Et si statueram.*

EXPROBRATIO MEA.

Quando aliam pro meis in te officiis abs te gratiam exspectabam, indignor non tibi, qui es omnium ingratissimus, sed mihi ipsi, qui hominem ingratum, & improbum devinxerim.

Ego ea quæ ne sperare quidem unquam es ausus, in te contuli.

Ego te nihil promeritum officiis cumulavi, tu me sic meritum contumeliis oneras.

Desperatis etiam Hippocrates vetat adhibere Medicinam.

CAP. LXIII.

DE EPISTOLA INVECTIVA.

INvectivarum scribendarum artificium partim ex demonstrativo genere sumitur, partim e judiciali. Nam in hominis vituperio versari necesse est, in quo notationibus frequentibus utimur. Præterea & objecta diluimus, & fortiter regerimus crimina: quod ad judiciale genus pertinet. Ea a Rhetoribus didicisse debemus. Nos solum hic admonendum putavimus, ut in ipso statim invectivæ exordio, non tolerandam stoliditatem, superbiam, importunitatem, maledicentiam adversarii demonstremus. Nos præter ingenium ac morem nostrum, coactos id facere dicemus. Nos illum non imitaturos, ut confictis criminibus agamus, sed a convitiis temperantes, objecta tantum diluamus. Deinde ex hominis descriptione verisimile efficiemus, eum vel odio, vel innata maledicendi libidine, ea commentum esse. Unum ex objectis, quod quam rectissime dilui possit, proponemus. Id ubi diligenter refellerimus, cum recriminatione dicemus hominis impudentiam, vanitatem ex eo uno spectari oportere. Tum ea ipsa, quæ nobis conatus est ingerere, in ipsum retorquebimus, & aut eadem, aut graviora admisisse ostendemus. Multa in suspicione relinquemus: vel quod tam sint obscœna, ut ab homine verecundo, nec adversario lacessenti debeant objici: vel quod ob multitudinem flagitiorum, e plurimis pauca duntaxat dicere voluerimus: ex uno, aut duobus facinoribus, reliquam ejus vitam facile posse æstimari. Deinde ubi incanduerimus, orationis progressu, scommatis, salibus, dicteriis hominem eludemus. Et non odiosum modo, sed & ridiculum ostendemus: nec minus contemnendum ob insignem stultitiam, quam detestandum, ob inauditam improbitatem. Multam ironiam adhibebimus. In fine tanquam ipsi nosmet reprimamus, hortabimur, ut aliquando resipiscat, ne cogamur & nos aliquando modestiam relinquere. Exemplum qui quærit, legat mutuas illas invectivas Demosthenis, & Æschinis: Ciceronis, & Sallustii: Hieronymi, & Ruffini: Pogii, & Vallæ: Politiani, & Scalæ. Nos quoniam hoc in genere minime sumus exercitati, veremur ne hujus scripti artificio parum possimus satisfacere. Atque utinam liceat semper esse rudem. Neque vero nos hic artem maledicendi docere volumus: tametsi nihil est vitii, telum habere paratum, quo te defendas, si quis improbe lacessiverit: nec ad hanc rem admodum sit opus arte, quum nulli fere non sint ad maledicendum diserti.

INVECTIVÆ SYLVA.

Politianus lib. 12. Epist. *Herculem factitium.*

Item Epistola: *Utrum pugnantia.*

Cicero. Literas tuas legimus simillimas edicti tui contumeliosas, minaces, minime dignas, quæ a te nobis mitterentur.

CAP. LXIII.

DE DEPRECATORIA EPISTOLA.

NUnc ad deprecationem transeamus. Deprecamur, quum culpam manifestam fatemur, & tamen ignosci vel nobis, vel aliis oramus. Hic supplices erimus, culpam ingenue fatebimur. Extenuabimus postea, vel ab imprudentia, vel ab ætate, vel hinc quod nunc primum deliquit, vel ab ipso commissi genere, solitam culpæ partem in alios transferemus. Eum qui peccavit, sic affligi pudore, metu, pœnitentiaque dicemus, ut dignus sit misericordia. Ejus, quem placare conamur, clementiam laudabimus, & implorabimus. Spem melioris vitæ ostendemus. Eam ex illius indole per se proba, aliisque ejus qui peccavit benefactis reddemus probabilem. Sic enim agit suorum nepotum causam apud Terentium Mitio. Interponemus auctoritatem, & pro reconciliando fidejubebimus.

EXEM-

EXEMPLUM.

Lachrymas excussit mihi filius tuus, adolescens non tam desperandus, quam instituendus. Venit ad me, macie & squalore confectus. Rogo quid haberet. Statim lachrymæ obortæ, singultim vix narrat, perisse se, quod patrem optimum amiserit sua stultitia. Rogo quid flagitii. Fatetur se sortem, quam ad negocium acceperat, in amicam insumpsisse: te offensum, animum paternum abjecisse. Advolutus est genibus meis, flevit, promisit omnia se digna. Quid multa? fecit mihi pœnitentiæ fidem. Confido hoc malo edoctum, posthac diligentiorem futurum. Quare quando ille ad se rediit, te quoque in patrem redire convenit. Satis jam graves hujus flagitii pœnas luit: ita graviter fert iram tuam, ut prorsus hanc lucem cupiat effugere, nisi in gratiam recipiatur. Ego illum objurgavi acerrime. Quid multa? ipse si vidisses, nec iratus lachrymas tenere potuisses. Quod reliquum est, clementer corrigi potest; immodica severitate, ne frangatur animus imbecillis, cavendum est. Ne commiseris, ut te gravius in posterum pœniteat tuæ sævitiæ, quam illum nunc pœnitet suæ incogitantiæ. Ignosce vel ætati. Puer est, rerum imperitus, ab improbis convictoribus impulsus est: lapsus est, & quidem nunc primum: culpam fatetur, orat, pollicetur, noxæ dedit sese. Quid quæris amplius pater a filio? Cogita & illum puerum esse, & te fuisse: atque ita quod pater es, utere: ut memineris te hominem esse, & hominis patrem. Nunquam ne tu ista ætate lapsus es? Nunquam commisisti, quam ob rem pater tibi jure debuerit irasci? Non dubito quin commiseris, & fortasse graviora. Hoc merito vulgo jacitur in nos, quod obliti quales ipsi fuerimus olim pueri, filios nostros volumus illico nasci senes. Hæc inter nos tuto, ac libere loqui licet. Multis profuit etiam lapsos esse. Erit posthac hoc malo doctus, cautior. Habebis filium, si hujus delicti gratiam feceris addictiorem. Et hunc puerilem errorem officiis abunde pensabit. Amat, ac veretur unice patrem: indolis est probæ, pudicum ingenium, animus minime stupidus. Multa in eo signa video, quæ mihi certam spem faciunt, illum posthac talem futurum, qualem utrique volumus. Adolescentem igitur tibi in manus restituo, totam causam ad me recipio, pro illo fidejussorem me constituo: quod si noxam addiderit, utrumque abdices licebit, & filium, & amicum. Vale.

ALTERUM EXEMPLUM EX CICERONE.

Si quid in te peccavi, ac potius quoniam peccavi, ignosce. In me enim ipsum peccavi vehementius. Nunquam putavi fore, ut supplex ad te venirem, sed me hercule facile patior datum tempus, in quo amorem experirer tuum. Amabo te, da mihi & hoc: oblivi scere mea causa illum aliquando suo familiari, adversario tuo voluisse consultum: hoc ignoscere est humanitatis tuæ. Volo te, quum fortissimus sis vir cognitus, etiam clementissimum existimari. Magno erit tibi ornamento, nobilissimum adolescentem tuo beneficio esse salvum.

ALIUD EXEMPLUM EX EPISTOLIS PLINII.

Castigabat quidam filium suum, quod paulo sumptuosius equos & canes emeret. Huic ego, juvene digresso, heus tu, nunquam ne fecisti, quod a patre corripi posset? Fecisti dico, non interdum facis, quod filius tuus, si repente pater ille, tu filius, pari gravitate reprehendat? Non omnes homines aliquo errore ducuntur? Non hic in illo sibi, in hoc alius indulget? Hæc tibi admonitus immodicæ severitatis exemplo pro amore mutuo scripsi, ne quando tu quoque filium tuum acerbius, duriusque tractares. Cogita & illum puerum esse & te fuisse, atque ita hoc, quod es pater, utere, ut memineris hominem te esse, & hominis patrem. Vale.

CAP. LXIV.

DEPRECATORIÆ SYLVA.

Cic. Epist. fam.

TU tuas inimicitias, ut Reipublicæ donares te vicisti, alienas ut contra Rempublicam confirmes, adduceris?

Hæc sylva pertinet ad consolationem,

Quantum dolorem acceperim, & quanto fructu sim privatus, & forensi & domestico, Lucii fratris nostri morte, in primis pro nostra consuetudine tu existimare potes. Nam mihi omnia quæ jucunda ex humanitate alterius & moribus homini accidere possunt, ex illo accidebant. Quare non dubito, quin tibi id quoque molestum sit, cum & meo dolore moveare, & ipse omni virtute, officioque ornatissimum, tuique, & sua sponte, & meo sermone amantem affinem, amicumque amiseris.

Nunquam putavi fore, ut supplex ad te venirem, sed hercule facile patior datum tempus, in quo amorem experirer tuum. Atticum quanti faciam scis. Amabo te, da mihi & hoc: oblivi scere mea causa, illum aliquando suo familiari adversario tuo voluisse consultum, cum illius existimatio ageretur. Hoc primum ignoscere est humanitatis tuæ. Suos enim quisque debet tueri. Deinde si me amas, omitte Atticum Ciceroni tuo, quem quanti facias, præ te soles ferre. Totum hoc, ut, quod semper existimavi, nunc plane intelligam, me a te multum amari.

Ad reconciliationis argumentum faciet Epistola Plinii lib. 8. cujus initium: *Nosti ne hos.*

Lib. 9. Epist. *Libertus tuus*, tota, elegans deprecationis exemplum.

RESPONSIO.

Epistol. famil. lib. 5. Epist. *Si vales bene est. Sed hujusmodi vos clientes*, &c.

Orat, confitetur, purgat, pœnitet. Quid quæris? quod factum est, infectum fieri non potest. Non tam tibi hoc factum displicet, quam ipsi qui fecit. De reliquo futurum illum emendatum ego in me recipio: meo periculo, pro illo fidejubeo. Si rursum peccaverit, vel me ipsum ad supplicium deposcito. Ut jure peccanti succensebas, ita pœnitenti æquum est ignoscere, præsertim puero, & aliena malitia ad delictum impulso. Non quid hujus stultitia, sed quid tua clementia postulet, tibi considerandum puto. Eja ne nimium durus sis pater. Nihil ne tu peccas vel senex? & puero nihil vis condonare? Vin' tuos continuo senes nasci? Adeone excidit, qualis in ista ætate fueris?

CAP. LXV.

DE EXTRAORDINARIIS GENERIBUS EPISTOLARUM, ET PRIMUM DE NUNCIATIONE.

QUæ sub aliquo trium generum, suasorio, demonstrativo, judiciali contineri videbantur, hactenus absolvimus. Nunc ad reliquas Epistolarum species veniemus: quæ quanquam Rhetorici artificii, non ita multum desiderant, tamen frequentius fere incidunt, quam illæ superiores. Refereturigitur in primis ea species, qua significamus amico, si quid novæ rei gestum sit apud nos, quod illius referat scire, aut quod illi voluptatem sit allaturum, sive privatum sit illud, sive publicum. Privatum, ut quum absentem certiorem facimus, qua valetudine simus, quid agamus in studiis, quid rure, quid in aula, quid in ædificiis, quid in litibus successerit, aut si quid alioqui novæ rei moliamur, usque ad conviviorum, & colloquiorum nugas. Publicum, ut de pace, de bello, de Regum gestis, aut fœderibus, de pestilentia, aut inundationibus, terræ motibus, tempestatibus, aliisque similibus. Nec hujus generis, quoniam varium est, certa ratio præscribi potest. Tantum illud in genere dicam, quod nunciatio simplex, & lucida esse debet, brevis præterea & distincta, interdum gratulationem, aut consolationem habet admixtam. Narratione constat, de qua paulo inferius præcipiemus.

EXEMPLUM.

Quoniam jam annum fere a nobis abes, quicquid hic interim novorum est ortum, puto & me tibi debere scribere, & te scire vehementer cupere. Audies igitur ex me nova quidem permulta, haud omnia læta tamen. Non ignoras rerum mortalium conditionem, nihil tam beatum in humanis negociis, quod non aliqua incommoditate temperetur. Patruus tuus incredibile est, quantum te amet, quantum tua gloria delectetur. Vetus, inquies, est illud. Audi igitur, quod novum dices. Antiquus ille compotor tuus, ille, inquam, quem nosti, Nebridius, tantus amator, tam elegans, tam nitidus homo, tam mulierosus. Ille strenuus aleator, invictus potor, ille gurges, ille helluo, ille undequaque perdi-

tissimus. Quid fecit, inquies, an uxorem duxit? Imo repente mutatus, omnibus nugis vale dixit, funigerorum institutum professus est. Jocari me dices, scio, sed ita rem esse comperies. Quid hoc? an tibi vetus videtur? Quis nunc non exclamet illud ἄνω ποταμῶν. Quis neget ovem e lupo fieri posse? Accipe quod magis mirere. Varus ille tuus carnifex, Varus esse desiit. Jam te amat, quod nunquam antehac: te laudat, tuos colit, tuum adventum exoptat. Bene dicere discit, homo maledicentissimus, Verum dicere incipit, homo vanissimus. Fidem servat, nebulo perfidissimus. Eamus nunc, & Poeticas transformationes rideamus, quum tantam rerum mutationem brevi factam videamus. Avunculus tuus Pontificium Idibus Januariis evicit, non sine maxima quidem contentione. Nosti competitoris & improbitatem, & factiones, evicit tamen. Id te quam primum scire volui, ut illi per literas diligenter gratuleris. Hæreditas ea, quæ tibi e manibus pene erat extorta, mea tibi est opera restituta. Ne mihi pro hoc officio gratias egeris. Facio enim tuis in rebus, quod tu in meis solebas. Voluptatem tibi ingentem nunciabo: postridie Non. Mart. soror tua peperit marito filium, patri tibique nepotulum. Jam quid muneris abs te feram, si rem tibi aperiam multo festiviorem? Dii te omnes diligunt. Absenti tibi, ne exspectanti quidem Sacerdotium accessit, & amplum, & in primis honestum. Ad v. Idus Febr. Cornelius vir integerrimus, e vivis migravit. Hic ægrotans, quum competitores non placerent: olfecit, enim jam tum inhiare, te successorem nominavit. Mensem supervixit. Hujusmodi thynnos dormienti tibi fortuna retibus tuis implicat. Tuum erit curare, ne quod incidit elabatur. Non enim desunt, qui prædæ inhiant. Habes de rebus privatis: de publicis credo isthuc rumorem nostras literas prævertisse. Cal. Jul. Regis unctio incredibili cum apparatu celebrata est. Calendis Augustis ipse urbem Parisiorum invectus est. Ad quartum Non. Septemb. nuptiæ Regia pompa peractæ, Legati multorum Regum nomine auditi: nemo non magnifice donatus discessit. Britanni nescio quid tumultus ostenderant, sed res æquis conditionibus composita est. Audisti de statu publico. Quod reliquum est, non indicarem, nisi te scire tua magnopere interesset. Pestis menses jam aliquot apud nos sævit. Ea cum permultos ex amicis, tum socrum tuam, fœminam, omnium quas in vita viderim, optimam absumpsit. Frater eodem morbo correptus, recreatus est. Sic visum est illi, qui res humanas e duobus illis doliis, pro arbitrio suo temperat. Æquo animo feras oportet, quod mutari non potest. Quid hac in re te facere conveniat, tu tecum statues. Habes fere quæ te scire volebam. Si quid interea novi emerserit, faciam te quam primum certiorem. Tu cura, ne quid ignoremus rerum tuarum. Vale.

NUNCIATORIÆ SYLVA.

Quæ gerantur accipies ex Pollione, qui omnibus negociis non interfuit solum, sed præfuit.

Cic. Epist. fam. A nobis agentur omnia diligenter: ut neque, si quid obtineri poterit, non contendamus, nec si quid non obtinuerimus, repulsi esse videamur.

De omnibus rebus quæ ad te pertinent, quid actum, quid constitutum sit, quid Pompejus susceperit, optime ex Emplatorio cognosces: qui non solum interfuit his rebus, sed etiam præfuit: neque ullum officium erga te hominis amantissimi, prudentissimi, diligentissimi, prætermisit. Ex eodem de toto statu rerum communium cognosces, quæ quales sint, non facile est scribere.

Hic tui omnes valent, summaque pietate te desiderant, & diligunt, & colunt. Tu & cura ut valeas, & te isthinc ne temere commoveas.

Lib. 4. Epist. *Et si scio non jucundiss.*

Lib. 7. *Si te dolor aliquis.*

Lib. 8. Epist. *Tanti non fuit ar.*

Lib. 9. *Caninius noster me tuis.*

Nos de Dolabella quotidie quæ volumus audimus, sed adhuc sine capite, sine auctore, rumore nuncio.

Narro tibi plana. Relegatus mihi videor, postquam in Formiano sum.

Isti puero, quem ad te jussi recurrere, da ponderosam aliquam Epistolam, plenam omnium non modo actorum, sed etiam opinionum tuarum.

L. Julio Cæsare, C. Martio Figulo Consulibus, filiolo me auctum scito, salva Terentia &c. Quanquam hujus operis omnes ferme sunt hujus generis, ut illa, cujus initium: *Quæris ex me.* *Ad Atticum.*

Hæc res quemadmodum ceciderit, & tota res quo loco sit, velim ad me scribas, & ita, ut instituisti. Nam ista veritas, etiam si jucunda non est, mihi tamen grata est.

Hæc tibi scripsi, quia æquum erat, te pro amore mutuo, non solum omnia mea facta, dictaque, verumetiam consilia cognoscere.

Lib. 1. Epist. cujus initium: *Ridebis, & licet rideas.* *Politianus.*
tota. nunciatoriæ jocosæ exemplum est.

Lib. 3. Epist. *Solet esse gaudio tibi.* Et item proxima.

Lib. 3. Epist. *Rem atrocem.* Rei atrocis.

Lib. 4. Epist. *Thusci grandine excussi.* Rusticationis.

Lib. 4. Epist. *Causam per hos dies.* Actionis. Ac mox Epistola: *Audistine* Val.

Lib. 5. Epist. *Et tu rogas.* tota.

Habes acta mea tridui, quibus cognitis, volui tantum te voluptatis absentem, & studiorum nomine, & meo capere, quantum præsens percipere potuisses.

Hæc tibi scripsi, quia de omnibus quæ me vel delectant, vel angunt, non aliter tecum, quam mecum loqui soleo. Deinde quod durum existimabam, te amantissimum me fraudare voluptate, quam ipse capiebam. Neque enim sum tam sapiens, ut nihil mea intersit, an iis, quæ honeste fecisse me credo, testificatio quædam, & quasi præmium accedat.

Lib. 6. Epistola: *Petis ut tibi.* Rursum huic proxima. Mox Epistola: *Ais te adductum.*

Lib. 7. Epist. *Et mihi discendi & tibi do.* De spectro.

Lib. 6. Epist. *Quam multum intersit.*

Lib. 8. Epist. *Vidistine aliquando.* Descriptio fontis.

Eodem lib. Epistola: *Num isthic quoque.* Descriptio inundationis.

Eodem lib. Epistola: *Ad quæ noscenda.* Descriptio lacus prodigiosi.

Invicem tu si quid Epistola dignum, ne gravare scribere. Nam cum aures hominum novitate lætantur, tum ad rationem vitæ exemplis erudimur.

Lib. 9. Epist. *Incidi in materiam.* De Delphino pæderasta.

Eodem, Epist. *Quæris quemadmodum.* Quid agat toto die ruri.

Lib. 4. Epistola: *Vulgare est.*

Lib. 4. Epist. *Accepi Epistolam tuam.*

NUNCIATORIA MEA.

Scriberem ad te pluribus de rebus, sed vereor ne vel mea diligentia tibi sit molesta vel veritas acerba.

Scribito ad me, quem nosti curiosum, non solum quid gestum sit, aut geratur isthic, verumetiam quid divines futurum.

Ad hanc formam pertinet & percontatoria, quoties nihil aliud agimus in Epistola, quam ut sciamus, quid rerum agat amicus. Hujus exemplum illa Plinii lib. 2. *Studes an piscaris?* Item lib. 3. *Rectene omnia?*

Quum rem quampiam ridiculam nunciaturi simus absolutis aliquot narrationibus, conveniet illud ex Homero, ἔσπετε μοι νῦν μοῦσαι. Excitatur enim hujusmodi transitiunculis lector, & mire conveniunt familiaribus Epistolis.

CAP. LXVI.

DE MANDATORIA EPISTOLA.

Epistola mandatoria nihil habet artificii, præter sermonis elegantiam, & brevitatem.

EXEMPLUM.

N. LIBERTO SUO S. D.

Ut præsens multum diuque te admonui, cave quicquam meo injussu tentaveris. Si quid existet novi, me per literas consules. Agrum de quo scribis, emendi tibi jus permitto, modo ne pluris trecentis scutatis veneat. Petronium impudentissimum debitorem, semel atque ite-

iterum appellatum, in jus vocabis. Si inficiabitur, chirographum tibi mitto, dies jampridem excessit. Ab Asinio creditam pecuniam meo nomine repetes, eamque si reddet, recipies. De permutando Sacerdotio, fac Stilbontem, virum, ut scis, & consultissimum, & nostri amantissimum in consilium adhibeas. Is quod censebit facto opus, id perinde ac si ego auctor essem, exsequitor. Antequam domum ædificandam cæmentariis locaveris, prius cum Phidia communicato, deinde ejus hac de re sententiam ad me scribito. Hos libros una cum Epistolis, Trebatii mei manibus reddendos curabis & diligenter, & quam primum. Strabonio verbis meis gratias ages quam maximas. Genero meo meis verbis gratulaberis. Lucium contubernalem meum plurimum salvere jubebis. Sed heus tu, pene præterieram, quod minime præteritum oportuit. Nepotem meum fac ut quam primum ab isto præceptore tam inepto abducas, ac eruditiori committito. Cave te pecuniæ ratio offendat, si modo idoneum doctorem nancisci poteris. Si qua unquam in re sedulo tuo functus es officio, in lite Verulana fac omnem fidem, industriam, diligentiam, ingenium expedias. De villa instauranda quiesce, donec meam sententiam acceperis. Vestes meas omnes una cum anulis ad XI. Calend. Julii transmittito. Non pluribus te moneho. Tu fac ut quemadmodum & soles, & æquum est, tuo officio fungare. Erit apud me diligentiæ tuæ præmium. Vale.

MANDATORIÆ SYLVA.

Cic. ad Attic. Epistola. fam. lib. 16. *Sunt aliquot hujus generis.*

Pœtus, ut antea ad te scripsi, omnes libros quos frater suus reliquisset, mihi donavit. Hoc illius munus in tua diligentia positum est. Si me amas, cura ut conserventur, & ad me perferantur. Hoc mihi nil potest esse gratius. Et tum Græcos, tum vero Latinos diligenter ut conserves velim. Tuum esse hoc munusculum putabo.

Sed omnia ut voles. Ego enim quicquid feceris, id tum recte, tum etiam mea causa factum putabo.

Plinius. Peto autem ut pictorem quam diligentissimum assumas. Nam cum est arduum similitudinem effingere ex vero, tum longe difficillima est imitationis imitatio. A qua rogo ut artificem, quem elegeris, ne in melius quidem sinas aberrare.

Est apud Horatium in Epist. exemplum mandatoriæ jocosæ, ut proficiscentem monui te sæpe, diuque. Hoc genus minimum abest a petitorio. Mandamus enim cum auctoritate. Petimus ab iis, in quos nobis mandandi jus non est.

MANDATORIÆ MEA.

Filium quantus est, tuæ fidei trado. Totam meam sollicitudinem in te transfero. Tu pater esto, ego me sic geram quasi patruus sim non pater.

CAP. LXVII.

DE EPISTOLA COLLAUDATORIA.

COllaudatio est, qua filium, filiamve, militem, servum, libertum, famulum, uxorem, aut alios in quos nobis jus est, ut officio suo functos laudamus. Exemplum. *Epistola collaudatoria patris ad filium.* Nihil ex omni rerum genere potuit mihi nunciari jucundius, quam te iis moribus agere, qui & te ipso, & tuo genere sint digni. Nunc ego te filium agnosco meum, quum te audio toto animo literis incumbere: fugitare consuetudinem cessatorum: parcere rei paternæ, si modo non id falso est mihi nunciatum. Tu perge in officio mi fili, hocque persuasum habe, si te qualem volo præstiteris filium, me benigniorem etiam quam voles habebis patrem. Vale.

ALTERUM EXEMPLUM.

Epistola domini ad servum. Facis ut merito te & amem, & collaudem, qui non, ut vulgus servorum solet, absentis domini negocia impedias, sed omni cura, vigilantia, opera coneris expedire. Eum ego demum frugi ministrum, & bene spectatum judico, qui absente domino, quum impune cessare possit, in officio se continet. Audivi qua fide, qua industria mandata peregeris. Tu fac cætera eodem animo persequaris, ut qui nunc merito te amo, perpetuo possim amare. Officio bene cœpto, strenue perfungere. Domini negocia, tua ipsius, ut sunt, esse credito. Tu si frugi ministri officio functus eris, ego domini liberalis partes haud præteriero. Vale, ac vigila.

CAP. LXVIII.

DE GRATIARUM ACTIONE.

GRatias agimus iis, in quos nobis nullum est mandandi jus. Hæc forma subjici poterat petitoriæ, aut consolatoriæ, aut monitoriæ. Hic beneficium quod accepimus, erit modis omnibus amplificandum. Nam sæpe gratiam retulisse videtur, qui bene gratias egit. Amplificatur autem his ferme rationibus: si ultro collatum est, si incontanter, si cito. Bis enim dat, qui cito dat. Si in tempore: si uberius, quam alter ausus sit petere, si nihil promerito, si ne exspectanti quidem, si ab eo cui libenter debemus, hoc est, ab eo quem amamus ex animo, aut si in eum collatum est, cui magis ex animo volumus, quam nobis ipsis. A genere quoque beneficii sumemus amplificationem: veluti si quis fideli consilio juvit, dicemus illi plus deberi, qui consilio juvit, quam qui pecunia. Neque raro majus beneficium præstat, qui objurgat, quam qui donat. Contra si quis pecunia juvit, dicemus vulgare officium esse, verbis opitulari: qui pecuniam prompte impartit, non potest non certissimus amicus videri. Sunt & aliæ circumstantiæ, quibus exaggeramus beneficii magnitudinem: veluti si nos simus prælati iis, quibus ille ob affinitatem erat obnoxius: si nostra causa contempsit etiam simultatem aliquorum potentium. His commemorandis, declarabimus nos scire beneficii magnitudinem. Est autem bona gratitudinis pars, & scire quantum debeas, & debere libenter. Ostendemus etiam, si poterimus, quam multos eodem beneficio devinxerit: quodque ejus beneficii utilitas, non tantum ad unum hominem pertineat, sed ad Reipublicæ commodum. Deinde pollicebimur citra jactantiam, nos aut parem, aut uberiorem etiam gratiam relaturos. Si nulla referendi facultas erit, certe animum memorem & gratum pollicebimur, precabimurque ut superi cumulate referant gratiam bene merito, quod nobis ob fortunarum tenuitatem non licet. Et hujus generis erit tractatio duplex, recta, & obliqua. Nam aliquoties non agendo gratias, maxime gratias agimus, quum ostendimus aut beneficium esse majus, quam ut vulgari more verbis oporteat gratias agere: aut amicitiam nostram esse majorem, quam ut alterum alteri oporteat gratias agere.

Quod in negocio meo rogari te passus non es, sed ultro studium tuum, operam, diligentiam & obtulisti, & præstitisti, veterem tuam in me, meosque, humanitatem libens agnosco. *Exemplum gratiarum actionis.* Et facis tu quidem non meis meritis, quæ hactenus in te nulla exstiterunt, sed tua virtute dignum, qui nullis a me provocatus officiis, tam prompto in me sis animo, ut beneficium accepisse videaris, quum præstiteris. Quare quum tuo officio plurimum adjumenti meis rebus attulisti, tum isto animo ita delector, ut dictu sit incredibile. Vere negant referre quantum beneficium, sed quam amico animo præstiteris. Ex ejus modo potius, quam rei, officium est metiendum. Meum erit, quod referre nequeo, perpetuo meminisse. Nam quid ego tibi multis verbis gratiam agam? An hoc passurus es, qui ne moneri quidem te passus es? Utinam eam mihi facultatem aliquando concedant superi, ut possim hunc animum tui ardentissimum, re potius, quam verbis declarare. Interim si quid erit, in quo mea vicissim opera utendum putabis, cave rogaveris, sed ut tuo mancipio præcipito: invenies ad quidvis & promptum, & alacrem. Vale.

ALIUD EXEMPLUM.

Accepi munus tuum, re quidem magnificum, sed te auctore longe mihi tum preciosissimum, tum jucundissimum. Recte enim a Nasone tuo scriptum est: Sic acceptissima semper Munera sunt auctor quæ preciosa facit. Quo quidem quid me tibi devinctum esse fatear, quum sim jam olim devinctissimus? Totus in ære tuo sum: arctioribus vinculis me tibi adstringere non potes. Quod referam, vel isto munere, vel potius tuo isto in me animo, qui mihi munere ipso longe est suavior, dignum, nihil habeo nisi meipsum: quem si alicujus esse precii pu-

putas, totum peculio tuo adscribito. Crede mihi, nihil habes in omni genere possessionum tuarum, quo tu tam proprie possis & uti, & abuti, quam Nicolao tuo. Vale.

ALIVD EXEMPLVM.

Multa sunt tua erga me officia: at nullum omnium mihi fuit aut opportunius, aut jucundius, quam quod fratrem meum in causa difficillima tuo patrocinio juveris. Qui ut est mihi propemodum me ipso carior, ita quicquid in illum contulisti, id mihi gratius etiam videri debet, quam si in me ipsum esset collatum. Sed ne diligentius tibi gratias agam, nostra familiaritas flagitare videtur. Neque enim tu novi quicquam fecisti, & ego re quam verbis beneficium rependere malim. Vale.

AGENDI GRATIAS SYLVA.

Cic. Epist. fam. Multum enim interest, utrum laus minuatur, an salus deseratur: me meæ tamen ne nimis pœniteret, tua virtute perfectum est. Curasti enim ut plus additum ad memoriam nominis nostri, quam ademptum de fortuna videretur.

Amoris quidem tui quoquo me verti, vestigia vel proxime de Tigellio. Sensi enim ex literis tuis, valde te laborasse. Amo igitur voluntatem. Immortales ago tibi gratias, agamque dum vivam: nam relaturum me affirmare non possum. Tantis enim tuis officiis non videor mihi respondere posse, nisi forte, ut tu gravissime, disertissimeque scripsisti, ita censurus es, ut me referre gratiam putes, cum memoria tenebo. Facere non possum, quin in singulas res, meritaque tua, tibi gratias agam. Sed me hercle facio cum pudore. Neque enim tanta necessitudo, quantam tu mihi tecum esse voluisti, desiderare videtur gratiarum actionem. Neque ego lubenter pro maximis tuis beneficiis tam vili munere defungor orationis: & malo præsens observantia, indulgentia, assiduitate memorem me tibi probare. Quod si mihi vita contigerit, omnes gratas amicitias, atque etiam pias propinquitates in tua observantia, indulgentia, assiduitate vincam. Tantum me tibi debere existimo, quantum persolvere difficile est.

Jam non ago tibi gratias. Cui enim re vix referre possum, huic verbis non patitur res satisfieri.

Te tamen, mi Brute, sic amo, ut debeo, quod istuc, quicquid esset nugarum, me scire voluisti. Signum enim magnum amoris dedisti.

Lib. XIII. Epistola: *Et si libenter petere a te.*

Cic. ad Attic. Gratæ mihi tuæ literæ sunt, quibus accurate perscripsisti omnia, quæ ad me pertinere arbitratus es.

Noli exspectare dum tibi gratias agam. Jampridem hoc ex nostra necessitudine, quæ ad summam benevolentiam pervenit, sublatum esse debet.

Studium tuum, curaque de salute mea, nulla me nova voluptate affecit. Non solum enim usitatum, sed etiam quotidianum est aliquid audire de te, quod pro nostra dignitate fideliter atque honorifice dixeris, aut feceris.

Neque enim mihi in omni vita res tam erit ulla proposita, quam ut quotidie vehementius te de me optime meritum esse læter.

Plinius. Certatim ergo tibi gratias agimus. Ego quod illam mihi, illa quod me sibi dederis, quasi invicem elegeris.

Lib. V. Epistola: *Accepi pulcherrimos.* tota.

Cum plurima officia tua mihi grata & jucunda sunt, tum vel maxime quod me celandum non putasti, fuisse apud te de versiculis meis multum copiosumque sermonem, eumque diversitate judiciorum longius processisse.

Amavi curam & sollicitudinem tuam, quod cum audisses me æstate Tuscos meos petiturum, ne facerem suasisti, dum putas insalubres.

Bene fecisti, quod libertum aliquando tibi carum reducentibus Epistolis meis, in domum, & in animum recepisti. Juvabit hoc te. Me certe juvat: primum quod te talem video, ut in ira regi possis: deinde quod tantum mihi tribuis, ut vel auctoritati meæ pareas, vel precibus indulgeas. Igitur & laudo, & gratias ago, simul in posterum moneo, ut te erroribus tuorum, & si non fuerit qui deprecetur, placabilem præstes.

Ad agendas gratias pro liberalitate, qua aliquis usus est in tenuem, & a quo non speretur mutua liberalitas, faciet Epistola Plinii lib. IX. cujus initium: *Laudes mihi.*

Lib. I. Epistola. *Tu vero, Hermolae.* *Politianus.*

Lib. XI. Epist. *Ain' vero.* Eodem, Epistola. *Ago tibi gratias.*

MEA.

Quid tibi, quid inquam pollicear? num me ipsum quantus sum dedam? At exiguum est iis me dedere, qui nisi fuissent, ipse non essem.

Pergratum mihi est, quod crebro certior per te fio de rebus quæ isthic geruntur, & tuam erga me benevolentiam facile perspicio.

Cæteris omnibus vinci me patiar, certe benovolentia mutua non cedam. Nam ut recte dixit Plinius: Vinci in amore turpissimum est.

Quod audio te isthic pro mea dignitate fortiter digladiari, nihil quidem adfertur novi, sed tamen hoc audio libentius, quo sæpius.

Quod referre gratiam, ita ut volebam, non possum, fortunæ debes imputare.

Hoc quod mihi reliquum est, te amabo, te colam, te venerabor.

Mea enim mihi fortuna eripere potuit, me ipsum non potuit. Mea enim, non me ipsum mihi fortuna ademit.

Quid ego te horter, ut tui similis esse pergas, quum indies te ipsum ultro benignitate superes? quid tibi gratias agam, id quod neutiquam exspectas?

Quod non modo non negabo, sed etiam semper & meminero, & prædicabo libenter.

Non est alius quisquam, cujus officiis me tam esse devinctum, non solum fatear, verum etiam gaudeam.

AD GRATIARVM ACTIONEM RESPONSIO.

Quod autem grata tibi mea erga te studia scribis esse, facis tu quidem abundantia quadam amoris, ut etiam grata sint ea, quæ prætermitti sine nefario scelere non possunt. *Cic. Epist. fam.*

Officium meum erga Rhodonem, cæteraque mea studia, quæ tibi ac tuis præstiti, tibi homini gratissimo, grata esse vehementer gaudeo: mihique scito indies majori curæ esse dignitatem tuam, quæ quidem a te ipso integritate, & clementia tua sic amplificata est, ut nihil addi posse videatur.

Quanquam gratiarum actionem a te non desiderabam, cum te re ipsa, atque animo scirem esse gratissimum, tamen (fatendum est enim) fuit mihi perjucunda. Sic enim vidi, quasi ea quæ oculis cernuntur, me a te amari. Dices, quid antea? Semper quidem, sed nunquam illustrius.

EX PLINIO

Gratiarum actio pro libera admonitione.

Epistolarum quas mihi, ut ais, aperto pectore scripsisti, oblivisci me jubes: at ego nullarum libentius memini. Ex illis enim vel præcipue sentio, quantopere me diligas, cum sic egeris mecum, ut solebas cum tuo filio. Nec dissimulo hoc mihi jucundiores eas fuisse, quod habebam bonam causam, quum summo studio curassem, quod tu curari volebas. Proinde etiam atque etiam te rogo, ut mihi semper eadem simplicitate, quoties cessare videor, nunquam enim cessabo, convitium facias. Quod & ego intelligam a summo amore proficisci, & tu non meruisse me gaudeas.

CAP. LXIX.

LAMENTATORIA EPISTOLA.

INter commoditates, quas multas adfert amicitia, commemoratur & illud, quod si quid dolet, licet in amici sinum effundere: quæ res solet bonam ægritudinis partem adimere. Genus hoc affine est consolatorio: sed in hoc nihil opus est arte, quum unumquemlibet dolor soleat reddere disertum. *Exemplum lamentationis.*

Non possum tibi, quales uterque volumus, Epistolas mittere, quum mihi nihil rerum omnium ex sententia procedat. Sed quid ego, mi Laurenti, te meis querelis exanimo? nisi quod juvat apud familiarissimum amiculum graves animi mei curas deponere. Credo omnes & superos, & inferos in meam perniciem conjurasse: ita ubi hoc malum vix effugi, succedit aliud multo acerbius. In morbum jam iterum atque iterum incidi, decidi, recidi.

di. Multo vix sumptu recreatus, en senex ille Sogdianus, A pestis omnium quas unquam irati Dii mortalibus immisere, longe teterrima, se mihi erudiendum dedit. Quid ibi miseriarum non vidi? Quantum luctus, quantum lachrymarum summis meis laboribus mihi conscivi? Id monstrum jam biennium me exercet. Fugio, quando vinci non potest. Jam Deorum aliquem mihi propitium factum arbitrabar, quod Antonium, hominem candidissimum essem nactus, cujus humanitas illius feritatem leniebat. Invidit mihi rursum, nescio quod numen, jucundissimi sodalis convictum, distrahitur invitus ab invito. Inde solus, & destitutus, dum omnia tento, nihil non experior, Deum immortalem, in quos fluctus, in quæ monstra incidi? His tantis tam perpetuis malis, vel B Hercules ipse, aut si quid Hercule fortius, vinci poterat. Obdurui tamen, sic mecum cogitans, adversam fortunam, & si infesta esset, aliquando malis meis satiatam, æquiorem futuram. Nemini perpetuo acerbam aut fuisse unquam, aut esse posse. Et ecce de integro morbo capitali corripior miser: qui quod erat diuturnus, & corpus & loculos penitus exhausit. Nec erat cui meus doleret dolor: quos juvaret, permulti. Sogdianum autem illum, præter cæteros, delectabat malum meum, cui molestissimum ut esset, eram meritus. Ne tum quidem animum dejeci, non quod sperarem quicquam, sed ne teterrimo illi seni voluptatem augerem. Servatus sum, sed superis, opinor, iratis, si miseriis ferendis servatum esse voluerunt. Quid enim postea vel C maximis, vel minimis in rebus a me tentatum est, quid tam dextro consilio institutum, quod non infelicissime evenerit? O me omnium qui sunt, quique fuerunt, infortunatissimum. Egone unus ex universo hominum numero, præposterus ille Polycrates exstiti, cui omnia adversarentur, cui nihil unquam obtigerit optatum? Hic tu me, scio, veris, ut ajunt, bonis commemorandis, nimirum literis, & ingenio consolari incipies. Tolle mihi inanes istas consolationes, quæ ægritudinem meam exasperant etiam, tantum abest ut leniant. Odi jam ego meum hoc ingenium: odi literas, quibus si carerem, minus miser essem, minus sentirem, minus angerer. Sed querelarum plus satis. Tu cura ut recte va- D leas, quando nos Dii noluerunt.

LAMENTATORIÆ SYLVA.

Lib. v. Epistola: *Omnis amor tuus.*

Cic. Epist. fam. Si liber exisset, quando non tam interest, quo animo scribatur, quam quo accipiatur, ne ea res inepte mihi noceret, cum præsertim adhuc stili pœnas dem: qua quidem in re, singulari sum fato. Nam cum mendum scripturæ litura tollatur, stultitia fama multetur, meus error exilio corrigitur, cujus summa criminis est, quod armatus adversario maledixi. Rempublicam lugebam quæ non solum suis erga me, sed etiam meis erga se beneficiis erat mihi carior: & hoc tempore, quanquam me non ratio solum consolatur, quæ plurimum debet valere, sed etiam dies, quæ stultis quoque mederi solet, ta- E men doleo ita communem rem esse dilapsam, ut ne spes quidem melius aliquando fore relinquatur.

Lib. IX. Epistola: *Vel meo ipsius interitu.*

Lib. XIV. *Ad Terentiam pleraque.*

Cic. ad Attic. Quantum dolorem acceperim, & quanto fructu sim privatus, & forensi & domestico, Lucii fratris nostri morte, in primis pro nostra consuetudine tu existimare potes. Nam mihi omnia quæ jucunda ex humanitate alterius, & moribus, homini accidere possunt, ex illo accidebant. Quare non dubito, quin tibi quoque id molestum sit, cum & meo dolore moveare, & ipse omni virtute officioque ornatissimum, tuique & sua sponte, F & meo sermone amantem affinem, amicumque amiseris.

Quod me ad vitam vocas, unum efficis, ut a me manus abstineam. Alterum non potes, ut me non nostri consilii utique pœniteat. Quid enim est quod me retineat, præsertim si ea spes non est, quæ nos proficiscentes prosequebatur.

Premor cum luctu, tum desiderio omnium rerum, quæ mihi me cariores semper fuerant. Cura ut valeas.

Velim pro tuo in me amore, hanc inanem meam diligentiam, miserabilem potius, quam ineptam putes.

Ita sunt res nostræ, ut in secundis, fluxæ: ut in adversis, bonæ. In re familiari valde sumus, ut scis, perturbati.

Amisimus mi Pomponi, non omnem modo succum, ac sanguinem, sed etiam colorem, & speciem pristinam civitatis.

Ego vero, quem fugiam, habeo: quem sequar, non habeo.

Sollicitum esse te, cum de tuis communibusque fortunis, tum maxime de me, ac dolore meo sentio: qui quidem dolor meus, non modo non minuitur, cum socium sibi adjungit dolorem tuum, sed etiam augetur omnino. Pro tua prudentia sentis, qua consolatione levari maxime possim. Probas enim meum consilium, negasque mihi quicquam tali tempore potius fugiendum fuisse.

Qui sit omnium rerum status noster vides. Nihil est mali, quod non & sustineam, & exspectem. Quarum rerum eo gravior est dolor, quo culpa major.

Omnia tamen sunt feliciora, quam peccati dolor, qui & maximus est, & æternus. Cujus peccati si socios essem habiturus ego, quos putavi, tamen esset ea consolatio tenuis. Sed habet aliorum omnium ratio exitum, mea nullum.

Quam ob rem, quoniam neque consilii tui, neque consolationis cujusquam spes ulla mihi ostenditur, non quæram hæc a te posthac: tantum velim, ne pristinum hoc officium intermittas. Scribas ad me quicquid veniet tibi in mentem, cum habebis cui des, & dum erit ad quem des, quod longum non erit.

Quid restat, nisi ut miser fiam?

O rem perditam, ô facinus indignum, ô me infelicem, quid hoc statu vel desperatius, vel fœdius! O me afflictum! *Cicero.*

De prædio per calumniam erepto, graviter angerer, nisi jam animus diuturna desperatione ad novum dolorem obduruisset.

Ita animus multis malis obstupuit, ut sensu etiam molestiæ carere cœperit, quod ipsum est omnibus miseriis miserius.

Quid quæris? nihil me infortunatius. Nos tamen in his etiam miseriis, erecto animo, & minime perturbato sumus, honestumque, & dignitatem nostram magna cura tuemur.

Plura scribere non possum, ita sum animo perculso, & dejecto.

Non faciam ut enumerem miserias omnes, in quas incidi propter summam injuriam, & scelus, non tam inimicorum meorum, quam invidorum, ne & meum mœrorem exagitem, & te in eundem luctum vocem.

Ego & sæpius ad te, & plura scriberem, nisi mihi dolor meus, cum omnes partes mentis, tum maxime hujus generis facultatem ademisset.

Itaque quum meus me mœror quotidianus lacerat & conficit, tum vero hæc addita cura, vix mihi vitam reliquam facit.

Nec tam miserum quicquam est, quod non in fortunam nostram cadere videatur. Quare quando me afflictum & confectum luctu audies, existimato me stultitiæ meæ pœnam ferre gravius, quam eventi, quod ei crediderim, quem esse nefarium non putaram.

Nos non inimici, sed invidi perdiderunt. Nam quod me tam sæpe & vehementer objurgas, & animo infirmo esse dicis, quæso ecquod tantum malum est, quod in mea calamitate non sit? Ecquis unquam ex tam amplo statu, tam bona causa, tantis facultatibus, ingenii, consilii, gratiæ, tantis præsidiis bonorum omnium concidit? Possum oblivisci qui fuerim, non sentire qui sim? Quo caream honore, qua gloria, quibus liberis, quibus fortunis, quo fratre? Quem ego ut novum genus calamitatis attendas, quum pluris facerem, quam me ipsum semper fecissem, vitavi ne viderem, ne aut illius luctum, squaloremque adspicerem: aut ne me, quem ille florentissimum reliquerat, perditum illi, afflictumque offerrem. Mitto cætera intolerabilia, etenim fletu impedior. *Lamentati gravissima.*

Dies autem non modo non levat luctum hunc, sed

etiam auget. Nam cæteri dolores mitigantur vetustate, A hic non potest, & sensu præsentis miseriæ, & recordatione præteritæ vitæ, non continuo augeri. Desidero enim non mea solum, neque meos, sed me ipsum. Quid enim sum? Sed non faciam, ut aut tuum animum angam querelis, aut meis vulneribus sæpius manus adferam.

Magis opto quam spero, ut ægroto dum anima est, spes esse dicitur.

Non medius fidius præ lachrymis possum reliqua nec cogitare, nec scribere.

Aut quis me non solum infelicior, sed jam etiam turpior.

Plinius. Lamentationis exemplum erit tota illa Epistola lib. I. *Jacturam gravissimam.* Rursus lib. III. Epist. tota. B *Modo nunciatus est.* Rursus: *Audio Valerium Martialem.*

Lib. V. Epist. *Tristissimus hæc tibi.* tota.

Lib. VIII. Epistola: *Omnia mihi studia.*

Mihi autem videtur acerba semper, & immatura mors eorum, qui immortale aliquid parant. Nam qui voluptatibus dediti, quasi in diem vivunt, vivendi causas quotidie finiunt: qui vero posteros cogitant, & memoriam sui operibus extendunt: his nulla mors non repentina est, ut quæ semper inchoatum aliquid abrumpat.

Triste illud, quod Julius Valens graviter jacet: quanquam ne hoc quidem triste, si illius utilitatibus æstimetur, cujus interest quam maturissime inexplicabili morbo liberari. Illud plane non triste solum, verumetiam luctuosum, quod Julius Avitus decessit, dum ex quæstura redit: decessit autem in navi, procul a fratre amantissimo, procul a matre, a sororibus. Nihil ista ad mortuum pertinent, sed pertinuerunt, cum moreretur. Pertinet ad hos, qui supersunt. Jam quidem in flore primo tantæ indolis juvenis exstinctus est, summa consecuturus, si virtutes ejus maturuissent. Quod ille studiorum amore flagrabat: quantum legit, quantum etiam scripsit, quæ nunc omnia cum ipso sine fructu posteritatis abierunt? Sed quid ego indulgeo dolori, cui si frenos remittas, nulla materia non maxima est? Finem Epistolæ faciam, ut facere possim etiam lachrymis, quas Epistola expressit.

Est enim quædam etiam dolendi voluptas, præsertim si in amici sinum defleas, apud quem lachrymis tuis vel laus sit parata, vel venia.

Lib. 8. Epist. *Et gaudium mihi.*

LAMENTATORIA MEA.

Si in malum hoc fortunæ iniquitate incidissem, honestior esset plaga: nunc nostra culpa videmur accersisse, quod commode vitari poterat.

Res meæ in eum locum deductæ sunt, ut si velis officiosus esse, epitaphium pares tuo Lucilio.

CAP. LXX.

DE GRATULATORIA EPISTOLA.

Quemadmodum in rebus afflictis, amici dolorem consolatione mitigamus, ita si quid accidit lætæ rei, voluptatem amici gratulatione conduplicamus. His modis omnibus exaggerabimus animi nostri voluptatem, quam ex amici successu cepimus, cujus omnia vel commoda, vel incommoda pro nostris ducamus: imo cujus rebus pro incredibili quadam erga illum benevolentia, magis etiam commoveamur, quam nostris ipsorum. Deinde dignitatem, aut si quid aliud obtigit, variis rationibus attollemus: sive quod per se sit eximia: sive quod a multis frustra ambita: sive quod F ultro non ambienti delata sit: sive quod bonorum judicio contigerit, non cæco favore fortunæ: sive quod ejusmodi Principis favore, qui non solet nisi spectatos magnis honoribus ornare: sive quod totum hoc, quicquid est boni, nulli ferat acceptum, nisi suæ ipsius industriæ, ut hinc nihil laudis sibi vindicare possit fortuna: sive quod præter spem obtigit; nam hæc solent esse gratiora. Mox ubi rem satis auxerimus, ostendemus tametsi sit amplissimum quod obtigit, tamen inferius esse meritis illius. Hunc tantum esse gradum ad majora, si modo fortuna velit hominis virtutibus respondere. Postremo loco bene ominabimur, beneque precabimur, ut quod obtigit, bonis avibus sit ipsi, amicis, ac Reipublicæ perpetuo faustum, ac felix. Est & obliqua gratulandi ratio, quando negamus nos amico gratulari honorem qui contigit, sed ipsi honori talem virum, qui tum demum videbitur splendidus ac magnificus, posteaquam ei delatus est, qui suis virtutibus & ornamentis sit dignitati, quam suscepit, multum dignitatis allaturus. Quemadmodum enim magistratum obscurat, qui gerit indignus, ita illustrat vir omni decorum genere clarus & illustris. Aut negabimus nos illi gratulaturos dignitatis accessionem, quam ille nec ambit, nec miratur: utpote vir prudens, qui intelligat, quanto cum onere honor ille sit conjunctus: præterea modestus, qui nihil minus affectet, quam populares glorias: sed tamen gaudere, quod illi seges ac materia data sit exercendæ virtutis suæ, ut qui antehac semper voluerit prodesse quam plurimis, nunc etiam possit ob auctoritatis accessionem. Licebit utramque rationem adhibere, per occupationem, quum prius narrabimus, quid alii essent illi gratulaturi: nos non eadem gratulari, sed ea potius, quæ jam diximus in obliqua gratulatione dici solere. Frequenter hic incidit genus encomiasticum, veluti in his, quæ modo recensuimus: aliquando non incidit, veluti quum amico gratulamur, qui incolumis domum rediit ex itinere longinquo, quum amico gratulamur filium natum, nisi C forte dicemus hoc Reipublicæ interesse, ut optimi quique viri, & probissimæ quæque matronæ, quam maxime sint fœcundæ, quod ex bonis fere nascantur boni. Porro felicitatem civitatis non hinc pendere, si quam plurimos habeat cives, sed si quam optimos. Exemplum.

Incredibilem animo cepi lætitiam, quum te summo Principum, collegiique consensu, miro populi applausu Præsulem creatum esse intelligo. Gaudeo aliquando eum honorem tibi ultro delatum esse, quo tu te semper dignissimum præstitisti. Nec tibi tantum gratulor, qui honore isto (quanquam tuis moribus, tuæ eruditioni debito) non multum delectaris, sed multo magis patriæ gratulor, quæ talem sit Pontificem habitura, qualem antehac habuit nunquam. D Gratulor tuis omnibus, quos quum semper morum innocentia decoraris, nunc etiam honoris claritate, & muneris auctoritate illustrabis. Gratulor mihi ipsi, te amplissimis honoribus esse auctum, cujus omnes fortunas semper meas esse duxi: Sacerdotio quidem isto, in universa Etruria neque honestius aliud, neque magis opimum, neque tuis rebus commodius contingere poterat. Tu tibi qua es modestia, onus, haud honorem objectum dices. At ego sic existimo, superos & patriæ per te consultum esse voluisse, & tibi virtutis materiam illustrandæ paratam. Quæ res precor ut primum tibi, deinde gregi tuo, denique & E nobis omnibus vertat bene. Me totum quantus quantus sum, ad tuum obsequium offero. Vale.

GRATULATORIÆ SYLVA.

Libro 2. Epist. *Sera gratulatio.* Eodem, Epistola: *Primum tibi ut de.* Cic. Epist. fam.

Lib. 3. Epist. *Quasi divinarem.* tota.

Qua in re gratulor tibi ita vehementer, ut te quoque mihi gratulari, quam gratias agere malim: alterum non omnino desidero, alterum vere facere poteris.

Gratulor tibi mi Balbe, vereque gratulor. Nec sum stultus, ut te usura falsi gaudii frui velim: deinde frangi repente, atque ita cadere, ut nulla res te ad æquitatem animi postea possit extollere.

Sapienter hæc reliquisti, si consilio: feliciter, si casu.

Gratulor tibi affinitatem viri, medius fidius optimi.

Lib. 15. Epistola: *Te & pietatis in nos.* Et plurimæ sequentes.

De Cicerone quæ scribis, jucunda mihi sunt, velim sint prospera. Cic. ad Attic.

Et si contentus eram, mi Dolabella, tua gloria, satisque ex ea magnam lætitiam, voluptatemque capiebam, tamen non possum non confiteri, cumulari me maximo gaudio, quod vulgo hominum opinio socium me adscribat tuis laudibus.

Sum enim avidior, etiam quam satis est gloriæ, & ta-

tamen non alienum est a dignitate tua, quod ipsi Agamemnoni Regi Regum fuit honestum, aliquem in consiliis capiendis Nestorem habere: mihi vero gloriosum, te juvenem Cos. florere laudibus, quasi alumnum disciplinæ meæ.

Lib. 4. Epist. *Magnam cepi voluptatem.*
Lib. 5. Epist. *Concesseram in municipium.* tota.
Eodem, Epist. *Bene est mihi.*
Lib. 9. Epist. *Magna me sollicitudine.* tota.
Lib. 1. *Explicare non possum.* *Politianus.*

GRATULATIO MEA.

Lucium tibi generum obtigisse, majorem in modum gaudeo: speroque & opto, istam conjunctionem tibi & voluptati, & ornamento fore.

B Neque nobis Præsul optatior, neque tibi munus magis optandum potuit obtingere.

Nuncius neque optatior, neque jucundior adferri potuit, quam qui nuper est de nova dignitate tua allatus.

Ex tuis literis, quibus te Consulem declaratum significas, tantum cepi voluptatis, quantum te semper amavi.

O factum bene, rem voluptariam nuncias, pulchre nuncias, præ gaudio vix me capio.

Voluptatem incredibilem mihi tuis literis nuncias.

Literæ tuæ suavissimæ, quibus te novis honoribus ornatum nuncias, tanta me lætitia impleverunt, ut prorsus dubitem, cui potissimum gratulari debeam: tibine, cui tanta dignitas nec petenti, nec cogitanti contigerit: an patriæ, quæ talem sit Præsulem habitura: an Principi: qui talem Consiliarium: an mihi potius, qui tuis fortunis perinde ac meis delector. C

Scio te istiusmodi ornamenta nec desiderasse, nec delectari, & ita prorsus existimare, onus, non honorem tibi injectum. At tanto es isto honore dignior, quo delectaris minus, eoque magis virtuti tuæ gratulor.

Natum tibi bellum puerum, uxore salva, vehementer gaudeo.

Quod ex itinere difficillimo, & diuturna peregrinatione patriæ sis redditus incolumis, tuo nomine ex animo gaudeo.

Rem tibi ex sententia tua evenisse, incredibile dictu quantum læter. D

Cave putes te ipsum ex ista tua fortuna, plus cepisse voluptatis, quam ego ex tuis literis ceperim, quæ me de nova dignitate tua certiorem fecerunt.

Quod novis honoribus sis auctus,
Quod magistratum assequutus,
Quod legatio tam splendida delata,
Quod doctoris titulo ornatus,
Familiam tibi feliciter domi crescere,
} majorem in modum gaudeo.

Hæreditatem amplissimam obvenisse volupe est: te tam certis, tam caris amicis orbatum nonnihil doleo.

Ego abfuisse te tam diu a nobis & doleo, quod carui fructu jucundissimæ consuetudinis tuæ: & lætor, quod absens omnia cum maxima dignitate es assequutus, quodque in omnibus tuis rebus meis optatis fortuna respondet. E

Gratulor, quod qui semper Episcopus fuisti, nunc etiam videberis.

RESPONSIO AD GRATULATIONEM.

Gratulatio tua & si mihi probatissima, quod ab optimo fit animo, tamen hoc mihi multo jucundius est, & gratius, quod in summa paucitate amicorum, propinquorum, ac necessariorum, qui vere meæ saluti faverent, te cupidissimum mei, singularemque mihi benevolentiam præstitisse cognovi.

GRATULATIO MEA.

O diem lætum, non tibi solum, sed tuis etiam omnibus candidissimo notandum calculo. F

Si quid esset in rebus meis unione vel candidius, vel preciosius, hac nota, signarem eum diem, quo mihi nunciatum est, te nobis e periculosissimo bello redisse: non solum incolumem, verumetiam victorem, & quidem summa cum laude.

O diem terque quaterque lætum, nec unico margarito mihi signandum.

A Precor superos, ut hoc gaudium, quod nobis omnibus largiti sunt, perpetuum esse velint.

Si casu te contulisti in aulam, gratulor fortunæ tuæ: sin judicio, magis etiam gratulor tuæ sapientiæ.

CAP. LXXI.

DE JOCOSA EPISTOLA.

IN unoquoque Epistolarum genere, quoties res patitur, jocum admiscere debemus. Quo in genere & Ciceronem plurimum valuisse, & Joannem Campanum fere immodicum, ac solutum esse videmus, sæpe proximum scurrilitati. Argutius jocatur Ausonius. Cujusmodi vero debeat esse jocus, Cicero in libris de Oratore, & Quintilianus capite de risu monstravit. Exempla suppeditabit Macrobius & Athenæus. Primum illud curandum, ut tempestivus sit jocus, ut liberalis, ut decori meminerit. Qui si apte adhibebitur, plus sæpenumero habet momenti, quam oratio quamlibet seria. Sed cavendum erit, ne quando nobis eveniat, quod Asino Æsopico catelli lusus infeliciter æmulato.

JOCOSÆ SYLVA.

Lib. 7. Epist. *In omnibus meis.*

Nam de Cornelio nihil audeo dicere, cujus tu periculo stultus es, quando te ab eo sapere didicisse profiteris, quin tu urges istam occasionem & facultatem, qua melior nunquam reperietur.

Lib. 7. Epist. *Legi tuas literas.*

Eodem, Epist. *Nisi ante Roma.* proxima: *Mirabar quid esset.* Ac cæteræ pleræque ad Trebatium.

Lib. 9. Epist. *Num tu homo ridiculus es?* Et aliquot sequentes ad eundem. Eodem Epist. *Accubueram.*

Tui desiderium, spe tuorum commodorum consolor.

Nos plane divites sumus, sed ne erres, Stoico more, qui omnes divites putant, qui cœlo & terra frui possunt.

Lib. 1. Epist. *Na tu homo es.* Item proxima: *Pieci.* *Politianus.*

Lib. 5. Epist. *Ita respondebo.* Item Epist. *Si tu edentulus.*

Lib. 7. Breves aliquot Epistolæ sunt, partim jocosæ, partim argutæ. Quin & Ausonius multus est in jocando, nec minus Gulielmus Budæus, Gallus & hic.

CAP. LXXII.

DE CONCILIATORIA EPISTOLA.

EST genus Epistolarum non dissimile commendatorio, quod nobis visum est appellare conciliatorium. Nam ut commendatione conciliamus aliis favorem, ac benevolentiam apud amicos, ita quum studemus nobis conciliare viros, quibuscum antehac nulla intercessit notitia, aut amicitia, quodammodo nosmetipsos commendamus. Hoc argumentum frequens est inter eruditos, dum aliquoties totis regionibus disjuncti, tamen mutuis Epistolis sese provocant ad sodalitatem literariam, ac fœdera Musarum. Et nescio quomodo vix unquam abest hic lenocinium assentationis, a quo tamen nec sanctimonia probatos viros videmus abhorruisse. Illud erit observandum, ut ita laudemus eum cujus ambimus amicitiam, ne vel adulari, vel fingere, vel insidiari, vel nostrum negocium agere videamur. Rursus ita laudemus nos ipsos, ut ne nobis ob arrogantiam pro benevolentia conciliemus odium. Dicemus similitudinem esse conciliatricem amicitiæ. Nos illius eximiis dotibus ad amandum inflammatos, quas partim celebri fama, partim ex prædicatione laudatissimorum hominum, partim ex ipsius libris cognoverimus. Nos tametsi multum absimus ab illius virtutibus, tamen semper huc annixos, ut quod in illo suspicimus assequeremur, & aliorum judicio aliquousque progressos esse. Suspicionem assentationis subinde deprecabimur. Obtestabimur illius modestiam, ut amori nostro ignoscat, cui temperare non possimus: etiam non ignari, quantopere vir omni laude superior, prædicatione suarum virtutum offendatur. In nobis rem attenuabimus, animum, studium, amorem optimarum rerum exag-

gerabimus. Orabimus, ut nos in suorum numerum asscribat. Pollicebimur, nos tametsi novos amicos, nulli veterum cessuros, studio certe, ac fide, quantumvis reliquis in rebus impares. Nos ipsos, opes nostras, & quicquid opera nostra præstari poterit, totum illi deferemus, amicos etiam communes pollicebimur. Poterat hoc genus amatorio subjici, quo quidem loco nonnihil attigimus. Nonnunquam & alios invicem conciliamus, ac tum quidem hoc intererit inter commendationem, & conciliationem, quod qui commendat, petit nonnihil: qui conciliat, nihil petit officii, sed tantum conglutinat amicitiam. Ad hoc genus pertinet laudatio certæ personæ. Sylvam modo subjiciemus, nam & in descriptione nonnihil hac de re meminimus.

LAUDATORIÆ SYLVA.

Cic. Epist. fam. Mihi quidem humanitas tua, vel summa potius sapientia, non jucunda solum, sed etiam admirabilis visa est. Virum enim excellentem, & tibi tua præstanti in eum liberalitate devinctum, nonnihil suspicantem, propter aliquorum opinionem cupiditatis suæ, te ab se abalienatum illa Epistola retinuisti.

Plinius. Sed nimirum, quæ sunt in manu hominum, & mihi, & multis contigerunt. Illud vero, ut adipisci arduum, sic etiam sperare nimium est, quod dari non nisi a Diis potest.

Ego vero Rufum nostrum laudo, non quia tu ut ita facerem, petisti, sed quia est ille dignissimus. Legi enim librum omnibus numeris absolutum, cui multum apud me gratiæ amor ipsius adjecit: judicavi tamen. Neque enim soli judicant, qui maligne legunt.

Lib. 1. Epist. cujus initium: *Si quando urbs nostra.* Laus hominis.

Eodem, Epist. *Amabam Pompejum.*

Lib. 2. Epist. *Post aliquot annos.*

Eodem, Epist. *Magna Isæum fama.*

Lib. 3. Epist. *Nescio an ullum jucundius.*

Eodem lib. Epist. *Annotasse videor.* Laus Poetæ.

Lib. 6. Epistola: *Sum ex his.*

Lib. 9. Epist. *Unice probo.*

Lib. 1. Epistola: *Mirum est.* Laus vitæ rusticanæ.

Lib. 2. Epistola: *Assem para.* Vituperatio personæ.

Politianus. Lib. 1. Epist. *Tanti mihi sunt.*

Lib. 3. Epist. *Et si magnum te.*

Eodem: *O decus Italiæ.* Laus puellæ.

Lib. 4. Epistola: *Scribis Marianum.* Laus concionatoris.

Lib. 12. Epist. *Quam vellem.* Laus pueri.

RESPONSIO AD LAUDEM.

Cic. Epist. fam. Lib. 15. Epist. *Lætus sum laudari.*

Plinius. Si laudatus a te, laudare te cœpero, vereor ne non tam proferre judicium meum, quam referre gratiam videar. Omnia scripta tua pulcherrima existimo, maxime tamen illa, quæ de nobis. Accidit hoc una eademque de causa. Nam & tu quæ de amicis optime scribis, & ego quæ de me, ut optima lego.

Laudem pariter & gratias agam? Neutrum satis possum, & si possem timerem, ne arrogans esset ob ea laudare, ob quæ gratias agerem. Unum illud addam, omnia mihi tanto laudabiliora visa, quanto jucundiora: tanto jucundiora, quanto laudabiliora erant.

Politianus. Lib. 1. Epist. *Quod proximis literis.*

Item Epist. *Quod ex secundis rebus.*

Item Epistola: *Lucretium Petrejo.*

Lib. 2. Epist. *Legit Epistolam.* Rursum: *Non tu munus.*

Eodem, Epist. *In Epistola quadam.*

Lib. 3. Epist. *Et si video.* Eodem, Epist. *En ad te revertitur.* Rursum Epist. *Misit ad me.* Eodem, Epistola: *Utinam quas.*

Lib. 4. Epist. *Ignosce occupationibus.*

Lib. 5. Epist. In calce. Lib. 7. Epist. *Legit Epistolam.*

A Eodem, Epist. *Honorifica mentio.* Item proxima.

RESPONSIO AD LAUDEM MEA.

Laudes istas quas affatim in me congeris, sic equidem interpretor, quasi non me depingere volueris qualis sum, sed optimum exemplar præscribere, qualis esse debeam.

Hoc effecit ista tua tam magnifica laudatio, ut jam mihi minus incipiam placere, qui plane videam, quantum absim ab ista perfectæ virtutis imagine.

Dum istam imaginem pingeres, non a me, sed abs te ipso sumebas exemplum.

Sentio quid agas, falsis istis laudibus nostram ignaviam exstimulare voluisti.

B Aut plane falleris, aut nobis blanditur tua laudatio. Sed blandiatur sane, dummodo mihi mea studia commendet. Nec enim alio consilio te blandiri scio.

Ideo summa tribuis, non quod ea sim assequutus, sed quod huc me summis viribus velis eniti.

Hoc agis laudando, ut aliquando videar laudandus. Ipse summis ac maximis virtutibus abundet oportet, qui in aliis paucas ac mediocres sic amat.

Quod in laudando me plus quam immodica benignitate es usus, non ignoscerem, nisi jam olim ex Homerica lege, Poetis mentiri liceret. Ait enim, πολλὰ ψεύδονται ἀοιδοί. *Cic. Epist. fam.*

C Non est mihi cornea fibra, quemadmodum ait Persius: nec apud me sane incredibile est esse verum, quod scripsit Xenophon, ἥδιςον ἄσμα ἔπαινον εἶναι, utique si promerear. Nunc nihil aliud quam rideri me puto. Est hoc fere solenne inter eruditos, ut sese mutuis laudibus quasi scabant. Nec in totum damnandas arbitror has assentatiunculas, quibus alitur benevolentia, & excitantur studia.

CAP. LXXIII.

DE OFFICIOSA EPISTOLA.

D Nec infrequens est & illud Epistolarum genus, quo amicis, etiam si nihil petant, operam nostram ultro offerimus, propterea quod sunt quos pudet rogare, quum egeant amicorum subsidio. Hos oportet ultro delato officio, ad postulandam operam amici provocare, & ea causa genus hoc officiosum vocare placuit.

OFFICIOSÆ SYLVA.

Ego omni officio, vel potius pietate erga te, cæteris satisfacio omnibus, mihi ipsi nunquam satisfacio. Tanta enim magnitudo est tuorum erga me meritorum, ut quoniam tu nisi perfecta re de me non conquiesti, ego quia non idem in tua causa efficio, vitam mihi esse acerbam putem.

E Nostram fidem omnes, & amorem tui absentis, præsentes tui cognoscent. Si esset in his fides, in quibus esse debebat, non laboraremus.

De cæteris rebus quicquid erit actum, scribam ad te: & ut quam rectissime agantur omnia, mea cura & opera, diligentia, gratia providebo.

Ego neque de meo studio, neque de nonnullorum animo mihi scribendum arbitror. Quid enim aut me ostentem, qui si vitam pro tua dignitate profundam, nullam partem videar tuorum in me meritorum assequutus: aut de aliorum injuriis querar, quod sine summo dolore facere non possum? Ego tibi in hac præ-

F sertim imbecillitate magistratuum præstare nihil possum: at ea excepta, possum confirmare, te & Senatus, & populi Romani summo studio amplitudinem tuam retenturum.

De Alexandrina re, causaque regia, tantum habeo polliceri, me tibi absenti, tuisque præsentibus cumulate satisfacturum.

A nobis agentur omnia diligenter, ut neque, si quid obtineri poterit, non contendamus, nec, si quid non obtinuerimus, repulsi esse videamur.

A me nullum tempus prætermittitur, de tuis rebus & agendi & cogitandi, utorque ad omnia Q. Selicio.

cio. Neque enim prudentiorem quenquam ex tuis, neque fide majore esse judico, neque amantiorem tui.

A me omnia summa in te studia, officiaque exspecta. Non fallam opinionem tuam.

Tu velim tibi ita persuadeas, nullam rem esse minimam, quæ ad te pertineat, quæ mihi non carior sit, quam meæ res omnes: idque cum sentiam, sedulitate mihimet ipse satisfacere possum, re quidem ipsa, ideo mihi non satisfacio, quod nullam partem tuorum meritorum, non modo referenda, sed ne cogitanda quidem gratia, consequi possum.

Cætera quæ ad te pertinebunt, cum etiam plus contenderimus, quam possumus, minus tamen faciemus, quam debemus.

B Omnia volo a me & postules, & exspectes, vincam meis officiis cogitationes tuas.

In hoc toto genere plura faciam, quam scribere audeo. Cætera, quæ tibi a multis prompta esse certo scio, a me sunt paratissima. Nihil in re familiari mea est, quod ego malim meum esse, quam tuum. Hac de re, & de hoc genere toto, hoc scribo parcius, quod te id, quod ipse confido, sperare malo, te esse usurum tuis.

Ego quæ pertinere ad te intelligam, studiosissime omnia, diligentissimeque curabo, tuorumque tristissimo meo tempore meritorum erga me memoriam conservabo.

C De mea autem in te voluntate, sic velim judices, me quibuscunque rebus opus esse intelligam, quanquam videam, quis sim hoc tempore, & quid possim, opera, tamen & consilio, studio quidem certe rei, famæ, saluti tuæ præsto futurum.

Quam ob rem tu, quantum tuo judicio tribuendum nobis esse putes, statues ipse: &, ut spero, statues ex nostra dignitate. Ego vero tibi profiteor, atque polliceor eximium & singulare meum studium, in omni genere officii, quod ad honestatem & gloriam tuam spectet, in quo etiam si multi mecum contendunt, tamen cum reliquis omnibus, tum Crassis tuis judicibus, omnes facile superabo.

D Quam ob rem velim ita & ipse ad me scribas de omnibus, minimis, maximis, mediocribus rebus, ut ad hominem amicissimum: tuis præcipias, ut opera, consilio, auctoritate, gratia mea sic utantur in omnibus, publicis, privatis, forensibus, domesticis, tuis, amicorum, hospitum, clientum tuorum negociis, ut quoad ejus fieri possit, præsentiæ tuæ desiderium meo labore minuatur.

Tu tamen ei velim scribas, ut nullam rem neque tam magnam, neque tam parvam putet, quæ mihi aut difficilis, aut parum me digna videatur. Omnia quæ in tuis rebus agam, & non laboriosa mihi, & honesta videbuntur.

Tu si quid ad me forte scripseris, perficiam ne te frustra scripsisse arbitrere.

E Quotiescunque filium tuum video, (video autem fere quotidie) polliceor ei studium quidem meum, & operam sine ulla exceptione aut laboris, aut occupationis, aut temporis, gratiam autem atque auctoritatem cum hac exceptione, quantum valeam, quantumque possim.

Lib. VI. Epistola: *Vereor ne desideres*, multos habet locos consolatorios.

Singula persequi non est necesse: universum studium meum & benevolentiam ad te defero.

F Tibi gratulor, mihi gaudeo, te amo, tua tueor, a te amari, & quid agas, quidque agatur, certior fieri volo.

De me autem sic velim judices, quantum ego possim, me tibi, saluti tuæ, liberisque tuis summo cum studio præsto semper futurum.

Ego quid possim, nescio, vel potius me parum posse sentio. Illud tamen tibi polliceor, me quæcunque saluti, dignitatique tuæ conducere arbitrabor, tanto studio esse facturum, quanto semper tu & studio, & officio in meis rebus fuisti. Hanc meam voluntatem, ad matrem tuam optimam fœminam, tuique amantissimam detuli. Si quid ad me scripseris, ita faciam ut te velle intellexero. Sin tu minime scripseris, ego tamen omnia quæ tibi utilia esse arbitrabor, summo studio, diligenterque curabo.

Interim velim sic tibi persuadeas, mihi cum Reipublicæ quam semper habui carissimam, tum amoris nostri causa, maxime curæ esse tuam dignitatem. Da operam ut valeas.

Sed ego tuis neque desum, neque deero, qui sive ad me referunt, sive non, mea tibi tamen benevolentia, fidesque præstabitur.

Injuriam enim fieri putabam, quum rogabar.

Quæ ad me de tuis rebus domesticis scribis, quæque mihi commendas, ea tantæ mihi curæ sunt, ut me nolim admoneri.

Illud profecto cognosces, mihi te neque cariorem, neque jucundiorem esse quenquam.

Perficiam profecto, ut longi temporis usuram, qua caruimus, intermissa nostra consuetudine, gratia, & caritate, & officiorum meorum magnitudine sarciam.

Perficiam profecto, ut neque Respublica civis in me animum, neque tu amici desideres. *Cic. ad Attic.*

Sed hæc fors viderit ea, quæ talibus in rebus plus quam ratio potest. Nos autem id videamus, quod in nobis esse debet, ut quicquid acciderit, fortiter, & sapienter feramus & accidisse hominibus meminerimus: nosque cum multum literæ, tum non minimum Idus quoque Martiæ consolentur. *Consolatio.*

Ego quæ te velle, quæque ad te pertinere arbitrabor, semper sine ulla dubitatione summo studio faciam. Hoc velim tibi penitus persuadeas.

Ego quæ te velle, quæque ad te pertinere arbitrabor, studiose, diligenterque curabo. Da operam ut valeas.

Nec vero ulla res erit unquam, in qua ego non vel vitæ periculo ea dicam, eaque faciam, quæ te velle, quæque ad te pertinere arbitrabor.

Lib. III. *Deprehenderunt me.* *Politianus.*

Lib. X. *Quanquam nec fortuna.*

Non me hercle tam mea sunt, quæ mea sunt, quam quæ tua. Hoc tamen differunt, quod sollicitius, & intentius tui me, quam mei excipiunt. Idem fortasse eveniet tibi, si quando in nostra diverteris, quod velim facias. Primum, ut perinde nostris rebus, ac nos tuis, perfruaris: deinde, ut mei expergiscantur aliquando, qui me secure ac prope negligenter exspectant. *Plinius.*

Lib. VII. *Calestrium Tironem familiarissimum.*

Nihil est quod verearis, ne sit hoc illi molestum, cui orbem terrarum circumire non erit longum mea causa. Proinde nimiam istam verecundiam pone, teque quid velis, consule: illi tam jucundum, quod ego, quam mihi, quod tu jubes.

OFFICIOSÆ MEA.

Nihil mihi magis in votis est, quam ut primum abs te ipso, deinde a cæteris omnibus quam gratissimus esse cognoscar. Sed ejusmodi sunt tempora, ut & tuis in me meritis, & meo in te animo, satisfacere velim magis quam possim.

Me incolumi, nullam accipies injuriam: & si mavis me verbis Homericis tibi meum patrocinium polliceri:

Οὔτις ἐμεῦ ζῶντος, καὶ ἐπὶ χθονὶ δερκομένοιο.
Σοὶ κοίλης παρὰ νηυσὶ βαρείας χεῖρας ἐποίσει.

Pollio videtur in te offensior. Hoc quanti æstimes ubi cognoro, tum eadem opera sciero quid mihi sit elaborandum.

Cæteri solent operam polliceri in licitis & honestis, & in his quæ præstare possint. Ego vero tibi omnem meam in omni re sine exceptione polliceor, qua possis tuo arbitratu vel uti, vel abuti. In his quæ perfici non poterunt, tamen efficiam, ut intelligas nec studium, nec fidem usquam defuisse.

Si officiosum est, ultro polliceri opem, aut operam, multo officiosius est, ultro mittere pecuniam. Hujus argumenti, tametsi rari, exemplum reperies apud Plinium lib. VI. Epistola: *Quamvis & ipse.*

Sum quidem studiorum laboribus ita districtus, ut

nemo magis: sed mihi nihil erat in studiis tam cordi, quod non postpositurus sim, si tali amico præstandum erit officium.

Non omnibus dormio, ita non omnibus vaco. Tibi nunquam non ero ociosus, si quid per me fieri voles.

Non æquum arbitror, ut literarum prætextu me excusem amico: quum hoc ipsum me doceant literæ, non esse deferendum amicitiæ officium, quo nihil oportet nobis esse antiquius, aut religiosius.

Hoc unum tibi etiam atque etiam persuadeas velim, nihil existere posse tam durum, tam periculosum, quod non sim tua causa libenter etiam subiturus.

Nihil erit tam arduum, tam asperum, quod non sit jucundum futurum tua causa.

Opes quas tibi pollicear, nec mihi adsunt, nec tibi desunt.

Hoc corpusculum, hunc animum tibi totum quantus est devoveo.

Hoc tibi spondeo mi Lucilli, neque animum, neque diligentiam mihi defuturum.

Nec animo, nec studio, nec benevolentia, nec patientia cujusquam pro vobis cedam.

A

B

CAP. LXXIV.

DISPUTATORIÆ GENUS.

Est Epistolarum genus non infrequens inter eruditos, quo studiorum suorum inter se agunt commercia, quum aut sciscitantur de re quapiam, aut respondent sciscitanti: aut si qua de re parum convenit disputant. Hujus generis, quoniam varium est, certa ratio reddi non potest. Tantum exempla quædam indicabo.

DISPUTATORIÆ SYLVA.

Lib. VII. Epistola: *Illuseras heri inter.* Cic. Epist. fam.

Lib. IX. Epistola: *Amo verecundiam.*

Lib. I. Epistola, cujus initium est: *Frequens mihi disputatio.* tota. Plinius.

Lib. IV. Epistola: *Attuli tibi.*

Lib. I. Epistola: *Ostendet plenum.* Politianus.

Lib. II. Epistola: *Dictata illa tua.*

Lib. III. Epistola: *Irasceris obtrectatoribus.*

Lib. V. Epistola: *Et tu mihi.*

Lib. IX. Epistola: *Ego quidem mi Hermolae.* Item *proxima.*

Lib. XII. Epistola: *Quantopere me semper.*

LIBRI DE RATIONE CONSCRIBENDI EPISTOLAS

FINIS.



D E-

DECLAMATIO

DE

PUERIS AD VIRTUTEM

AC

LITERAS

LIBERALITER INSTITUENDIS

IDQUE

PROTINUS A NATIVITATE;

PER

DESIDERIUM ERASMUM ROTERODAMUM.

ILLUSTRISSIMO PRINCIPI

GULIELMO

DUCI CLIVENSI,

JULIACENSI, MONTENSI,

COMITI MARCHIÆ,

ET

IN RAVENSPURG, &c.

DESIDERIUS ERASMUS ROTERODAMUS

S. D.



ONRADUS Heresbachius, vir ad unguem factus, qui magno Reipublicæ bono, pueritiæ tuæ formator contigit, Clarissime Princeps, indolem tuam eruditioni pariter ac pietati natam ita mihi suis literis frequenter depinxit, ut si complures menses tecum domesticam habuissem consuetudinem, non esse posses notior. Idem pro singulari quodam erga te amore, quem undique spirant illius Epistolæ, magno studio, multisque argumentis illud agebat, ut aliquo monumento literario, & tibi in isto longe pulcherrimo stadio strenue currenti, calcar, ut ajunt, adderem, & alios adolescentes generis imaginibus claros ad æmulationem tam felicis exempli provocarem. Ab hoc officio, adeo mihi non abhorrebat animus, ut beneficii loco ducerem admonitum fuisse. Verum quod in annos aliquot distulimus officium, nihil aliud, mihi crede, fuit in causa, nisi quod non obtigit argumentum, quod tuæ magnitudini aliqua ex parte respondere videretur. Nam ille sic temperavit orationem suam, ut appareret non quolibet munere fore contentum. Quum igitur non occurreret quale volebam, cœpit tandem me pudere promissi mei, visumque est tenues quosdam, sed callidos clientes imitari, qui cum ingentem summam debeant patronis suis, nec adhuc solvendo sint, hortensibus quibusdam munusculis eos deliniunt, quo patientius ferant recrastinatam solutionem, hoc pacto testantes non animum facultatibus, sed facultates animo deesse. In Italia delinearam opus de verborum rerumque copia. Adjeceram exemplum ejusdem argumenti, quam potuit in compendium contracti, & ejusdem fusius copiosiusque tractati. Is cui Romæ tradideram describendum, reddidit hanc partem mutilam, ac vix dimidiatam, ut quod supererat, mihi frustra superesset. Deinde quum ab eruditis amicis subinde rogarer, ut excitandis studiis, quæ jam refrigescere videbantur, opus illud absolverem: animum vehementer abhorrentem, tamen huc perpuli, ut inspecta divisione, quæ totius argumenti propositiones ceu columnas habebat, denuo receptum in manus pertexerem. Puta hoc esse munusculum aliquod cerasaceum. Adjeci duos libellos nunquam antehac editos, puta hæc esse duo mala Cydonia ex horto paupere selecta. Quæ rusticana munuscula non in hoc damus Adolescens generosissime, quod his fidem nostram liberatam velimus, sed ut liberandi voluntatem adesse testemur. Solent autem humani creditores minus appellare eos, qui subinde veluti seipsos appellantes profitentur æs alienum. Quod qui dissimulant, meditari videntur inficiationem. Quanquam hæc causa mihi potius agenda fuerat cum Heresbachio, qui me ex stipulatione poterat in jus vocare. Sed apud te malui, quem mihi sciebam æquiorem fore in negocio proprio, quam ille foret in alieno. Sic enim ille te deamat, sic favet, commodis, honori dignitatique tuæ, ut si usquam possit, in his procurandis videatur ab illa genuina verecundia posse recedere. Age Princeps ornatissime, perge in isto pulcherrimo certamine, ut ille tuam Celsitudinem optimis disciplinis, tu illius doctrinam, fortunæ ac dignitatis accessione illustres. Libellum non laborabo tibi commendare, nisi hoc nomine quod & novus est, & totus meus. Deinde quod docet multa paucis complecti, quod dictionis genus nullos magis decet quam summos Principes. Unicum exemplum a nobis proditum est, ex divo Augustino plura suppetunt, qui nonnunquam Psalmum mira brevitate complectitur, quem mox largissima rerum ac verborum copia differit. Postremo quod hæc instituendi ratio Principum liberis potissimum est accommoda, quippe qui quum maxime omnium egeant recta institutione, tamen non convenit secus, quam liberaliter erudiri. Bene vale. Apud Friburgum Brisgoiæ Calend. Juliis. Anno M. D. XXIX.

PUE-

PUEROS AD VIRTUTEM AC LITERAS LIBERALITER INSTITUENDOS, IDQUE PROTINUS A NATIVITATE,

DECLAMATIO, CONTRACTI THEMATIS EXEMPLUM, PER DESIDERIUM ERASMUM ROTERODAMUM.

Propositio absque exordio protinus ad argumenta.



Si Me Qvidem Avdies, vel Chrysippum potius Philosophorum acutissimum, infantem tuum illico bonis literis instituendum curabis, dum adhuc vacuum curis ac vitiis ingenium, dum mollis ac tractabilis ætas, dum ad quidvis sequax & habilis animus, interim & tenacissimus perceptorum. Nihil enim perinde meminimus senes, atque ea quæ rudibus annis imbibimus. A

Divisio confutationis.

Neque vero te quicquam commoveant istorum voces, qui dictitant istam ætatem partim non esse disciplinarum satis capacem, partim ferendis studiorum laboribus imparem. Primum enim literarum initia memoria potissimum constant, quæ parvulis, ut dixi, vel tenacissima est. Deinde quoniam natura nos ad cognitionem genuit, non potest esse præproperum ejus rei studium, B cujus semina quædam nobis ipsa rerum parens insevit. Adde quædam esse grandibus etiam cognitu necessaria, quæ peculiari quadam naturæ propensione multo tum citius tum facilius percipit ætas tenera quam robustior. Veluti literarum elementa, linguarum peritiam, apologos ac fabellas Poeticas. Postremo cur existimetur ea ætas ad literas inidonea, quæ sit jam ad mores discendos apta? Aut quid alioqui potius facient pueri jam fandi potentes, quandoquidem aliquid faciant necesse est? Quanto utilius ætas illa ludit in literis, quam in nugis? Dices, perquam leve momentum est quod primis illis annis efficitur. Cur ut pusillum contemnitur, quod ad rem longe maximam necessarium est? Deinde cur lucrum illud quantulumcunque, lucrum tamen, studio negligitur? Jam si pusillum pusillo frequenter apponas, acervus oritur haudquaquam aspernandus. Interim & illud perpende, C si minora discit infans, majora discet adolescens, iis annis, quibus illa minora fuerant discenda. Denique dum hæc agit, saltem a vitiis illis arcebitur, quibus eam ætatem fere videmus infici. Nulla enim res melius occupat totum hominis animum, quam studia. Hoc certe lucrum contemni non debet. Cæterum ut demus his laboribus aliquid decedere robori corporis, mihi damnum hoc pulchre pensatum videtur ingenii lucro. Nam animus moderatis laboribus redditur vegetior. Et si quid hic periculi est, potest nostra cura vitari. Adhibendus est teneræ ætati doctor, qui blanditiis illiciat, non qui sævitia deterreat. Tum autem sunt quædam & cognitu jucunda, & puerilibus ingeniis quasi cognata, quæ discere ludus est potius quam labor. Quanquam non est adeo imbecillis puerorum ætas, quæ vel ob hoc ferundis laboribus magis est idonea, quod laborum sensu caret. D

Epilogus.

Proinde, si cogitaris quam non sit homo, qui literarum expers est, quam sit fugax hominum vita, quam lubrica in malum adolescentia, quam occupata juventus, quam sterilis senecta, tum quam paucis mortalium hæc contingat, non sines infanti tuo, in quo veluti renatus superstes eris, ullam ævi partem incultam abire, in qua parari queat aliquid, quod vel in omnem vitam magnum bonum adferat, vel a malis arceat.

Idem Argvmentvm Locvpletatvm Copia.

Post diu desperatam uxoris fœcunditatem, audio te patrem esse factum, & quidem prole mascula, quæ miram quandam, hoc est plane parentum indolem præ se ferat, quæ si modo quicquam ex hujusmodi notis indiciisque licet augurari, virtutem absolutam polliceri videatur. Itaque tibi in animo esse, puerum tantæ spei, simul atque grandiusculus erit factus, curare bonis literis initiandum, honestissimisque disciplinis erudiendum, saluberrimis Philosophiæ præceptis formandum & instruendum: Nimirum vis totus esse pater, & illum vis vere tuum esse filium, qui te non solum oris figura, corporisque lineamentis exprimat, verumetiam ingenii dotibus referat. Equidem ut amici non vulgaris felicitati ex animo gratulor, ita prudentiæ tuæ propositum magnopere probo.

Propositio.

Unum illud audacter quidem, sed tamen amanter admonuerim, ne vulgi vel judicium vel exemplum sequutus, committas, ut prima infantuli tui ætas citra omnem institutionis frugem effluat, ac tum demum ad discenda literarum admoveas elementa, quum jam & ætas minus tractabilis, & ingenium ad vitia propensius, ac fortassis vitiorum tenacissimorum vepribus occupatum. Quin tu mihi jam nunc virum aliquem circumspice, ut moribus incorruptis & commodis, ita doctrina neutiquam triviali præditum, cui puellum tuum veluti teneræ mentis nutritio in gremium tradas, quo literarum nectar, una cum ipso lacte combibat, pariterque filioli curam ex æquo nutricibus ac præceptori partiaris, ut illa corpusculum quam optimo vegetet succo, hic animum salubribus opinionibus & honestissimis imbuat disciplinis.

Neque enim arbitror convenire, ut vir unus omnium doctissimus, & idem prudentissimus, mulierculas istas audias, aut viros etiam excepta barba mulierculis simillimos, qui crudeli quadam misericordia, & inimica benevolentia, pueros ad ipsam usque pubertatem inter matercularum oscula, nutricum blanditias, ancillarum ac famulorum lusus ineptiasque parum castas, detinendos censent, ac prorsus a literis tanquam a venenis arcendos existimant, dictitantes primam ætatem, & rudiorem esse, quam ut disciplinarum sit capax, & teneriorem, quam ut studiorum laboribus sit idonea.

Divisio

Postremo levioris esse momenti, ætatis illius profectum, quam ut ea gratia sit aut faciendus sumptus, aut vexanda puerorum imbecillitas. Horum singula dum refello, quæso ut mihi paulisper animum attentum accommodes, reputans id quod res est, hæc scribi primum ab homine quo vix habes alium tui amantiorem, tum ea de re, qua non alia magis ad te pertinet. Quid enim filio carius, præsertim unico, in quem etiam vitam nostram cupiamus transfundere si liceat, non modo facultates? Proinde quis non videat eos perverse simul ac præpostere facere, qui in colendis agris, exstruendis ædificiis, alendis equis summam adhibent curam, ac viros prudentes multoque rerum usu callidos in consilium adhibent: in educandis formandisque liberis, quorum gratia cætera parantur omnia, tam nihil habent pensi, ut nec suum ipsorum consulant animum, nec cordatorum hominum exquirant sententias, sed perinde quasi ludicra res agatur, ineptis mulierculis, & e plebe quibuslibet homuncionibus auscultant? Quod non minus absurde fit, quam si quis de calceo magnopere sollicitus, pedem ipsum negligat, aut summo studio curet, ne quid vitii sit in veste, de corporis valetudine securus.

Non hic te remorabor vir optime locis communibus, quantum naturæ vis, quantum pietas, quantum divina lex, quantum humanæ constitutiones parentes debere volunt liberis, per quos quatenus licet effugimus mortalitatem, ac reddimur immortales. At quidam sibi parentis officium pulchre videntur implesse, si genuerint tantum, quum hæc sit minima portio pietatis, quam exigit patris cognomen. Ut vere sis pater, totus tibi curandus est filius, eique parti debetur prima ac præcipua cura, qua pecudibus antecellit, & ad numinis similitudinem proxime accedit. Quantam sollicitudinem matrum vulgus adhibet, ne infans evadat strabus aut

pætis oculis, ne buccis fluentibus, ne cervice inflexa, ne protuberantibus scapulis, ne tibiis varis, ne pedibus distortis, ne parum concinna corporis totius symmetria, quam ad rem præter alia fasciis etiam solent uti, ac mitellis quibus succingunt buccas. Habetur interim & lactis, & ciborum, & balneorum, & motus ratio, quibus prosperam corporis valetudinem pueris parari multis voluminibus Medici docuerunt, nominatim autem Galenus: nec hanc sedulitatem differunt in septimum aut decimum annum, sed mox exceptum ex uteri latebris ad hanc curam vocant. Et recte faciunt, siquidem neglecta infantia frequenter homines tradit morbidæ & afflictæ senectuti, si tamen huc pervenisse contingat. Quinetiam nondum edito fœtu, matrum tamen vigilat cura, non vescuntur quibuslibet cibis gravidæ, cavent ab incommodo corporis motu: & si quid forte in faciem inciderit, protinus avulsum manu ad secretam corporis partem applicant. Eo remedio fieri multis experimentis compertum est, ut deformitas quæ in conspicua corporis parte erat futura, lateat in occulta.

A

B

Nemo vocat hanc curam præproperam, quæ deteriori hominis portioni adhibetur: cur igitur ea pars qua proprie hominis vocabulum sortiti sumus, tot annis negligitur? An non absurde faciat, qui pileum exornet, neglecto impexo & scabioso capite? At multo absurdius est justam curam impendere corpori mortali, nullam habere rationem immortalitatis animi. Age si cui domi natus est pullus equinus, aut catulus aliquid generosioris indolis præ se ferens, an non protinus incipit illum ad usum fingere, quod eo magis facit ex animi sui sententia, quo sequacior est ad formantis voluntatem ætas tenera. Mature doces psittacum humanas sonare voces, non ignarus quo plus accesserit ætatis, hoc minus esse docilem, admonente hoc etiam vulgi proverbio: Psittacum vetulum negligere ferulam. Quale est autem vigilare in ave, cessare in filio? Quid agricolæ non inertes? Nonne protinus plantulas etiamnum teneras insitione docent exuere sylvestre ingenium, nec exspectant donec jam robur induruerit? Neque solum cavent ne surgat incurva, ne quid aliud vitii contrahat arbuscula, verumetiam si quid contractum est, emendare festinant, dum adhuc flexilis est, ac fingentis sequitur manum. Quod autem animal aut quæ planta respondet possessorum aut agricolarum votis & usibus, nisi nostra industria naturam adjuverit? Id quo fit tempestivius, hoc succedit felicius.

C

D

Mutis quidem animantibus plus præsidii ad genuinas functiones natura rerum parens adjunxit, at quoniam numinis providentia uni animantium homini rationis vim indidit, maximam partem reliquit institutioni: ut rectissime scripserit quidam, primum, medium, ac tertium, hoc est totius humanæ felicitatis caput ac summam esse, rectam institutionem ac legitimam educationem. Quo quidem elogio Demosthenes commendavit rectam pronunciationem, non ille quidem falso, sed recta institutio longe plus habet momenti ad sapientiam, quam pronunciatio ad eloquentiam. Fons enim omnis virtutis est diligens ac sancta educatio. Quemadmodum ad stultitiam ac malitiam primum, secundum, ac tertium est indiligens corruptaque institutio. Hæc præcipue nobis relicta est. Eadem est ratio cur cæteris animantibus natura tribuerit celeritatem, volatum, aciem oculorum, molem ac robur corporis, squamas, villos, pilos, laminas, cornua, ungues, venena, quibus & incolumitatem suam tueri queant, & sibi de victu prospicere, suosque fœtus educare: solum hominem mollem, nudum, & inermem producit, verum pro his omnibus mentem disciplinis habilem indidit, quod in hoc uno sint omnia, si quis exerceat. Et quo quodque animal minus est aptum disciplinis, hoc plus habet nativæ prudentiæ. Apes non discunt condere cellulas, colligere succum, conficere mel. Formicæ non instituuntur, ut æstate congerant in cavum, unde per hiemem victitent, sed hæc omnia naturæ aguntur instinctu. At homo nec edere, nec ingredi, nec fari novit, nisi doctus. Ergo si fœtus, aut nullos, aut insipidos gignit arbor citra curam insitionis, si canis nascitur inutilis ad venatum, si equus ineptus ad usum equestrem, si bos ineptus ad arandum, nisi nostra accesserit industria, quam efferum, quam inutile animal evadet homo, nisi studiose simul ac mature fingatur institutione?

E

F

Non hic recinam tibi nulli non decantatum exemplum Lycurgi, quo producente in spectaculum, catulus alter generosi generis, sed male educatus, cucurrit ad cibum, alter ex parentibus ignavis ortus, sed diligenter educatus relicto cibo ad feram insiliit. Efficax res est natura, sed hanc vincit efficacior institutio. Vigilant homines, ut habeant probum canem ad venatum, ut habeant strenuum equum ad proficiscendum, atque hic nulla videtur præcox diligentia: cæterum ut filium habeant, qui parentibus & ornamento sit & usui, in quem bonam domesticarum curarum partem transferant, cujus pietas ingravescentem ætatem foveat fulciatque, qui generi fidum patronum, qui uxori probum conjugem, qui Reipublicæ fortem & utilem civem præstet, aut nullam, aut seram adhibent curam? Cui conserunt? cui arant? cui exstruunt? cui terra marique venantur opes? Nonne liberis? At ista quid habent vel usus, vel decoris, si is cui hæc omnia cedunt, nesciat uti? Immo dico studio paratur possessio, possessoris nulla est cura. Quis parat citharam ignaro musices? Quis adornat insignem bibliothecam literarum rudi? Et tot opes parantur ei, qui rationem utendi nunquam didicit? Si ista bene educato comparas, instrumenta virtutum subministras, sin inculto agrestique ingenio, quid aliud quam nequitiæ scelerumque materiam suppeditasti? Quid hoc patrum genere vecordius cogitari potest? Curant ut filii corpus careat vitio, reddaturque ad vulgares actiones habile, at animum, cujus moderatione constat omnis honesta actio, negligunt. Ne commemorem interim, quod opes, dignitatem, auctoritatem, atque etiam prosperam valetudinem, quæ tam anxiis votis optant liberis suis, nulla res magis parit homini quam probitas & eruditio. Optant illis prædam, nec dant venabulum quo capiant. Quod est omnium præstantissimum, filio dare non potes, at his artibus potes illum instruere quibus ea parantur, quæ sunt optima. Jam hoc insigniter absurdum est, sed absurdius etiam quod domi canem habent vigilanter institutum, quod equum habent magna cura domitum atque edoctum, filium habent nulla honesta instructum disciplina. Agrum habent pulchre cultum, filium turpiter incultum. Domum habent ornamentis omnibus decoratam, filium habent ab omnibus veris ornamentis vacuum.

Ad hæc, qui juxta popularem existimationem, videntur eximie sapere, mentis excolendæ sollicitudinem, aut differunt in ætatem indocilem, aut prorsus non adhibent, & de fortuitis externisque bonis mire solliciti sunt, etiam priusquam edatur is, quem omnibus illis destinarunt dominum. Quid enim non videmus illos facere? Uxoris utero tumente jam tum accersitur genethliacus, sciscitantur parentes, masculus ne proditurus sit, an fœmina. Exquirunt fatum. Si Astrologus ex horoscopo dixit prolem in bello fore felicem, hunc, inquiunt, dicabimus aulæ regiæ. Si pollicebitur dignitates ecclesiasticas, huic, inquiunt, alicunde venabimur Episcopen, aut Abbatiam opimam. Hunc faciemus Præpositum aut Decanum. Hæc cura non videtur illis præpropera, quum antevertat ipsam nativitatem, & præpropera videtur quæ natorum fingendis animis adhibetur? Tam cito curas, ut filium habeas belli ducem, aut magistratum, & non simul curas, ut ille sit dux aut magistratus Reipublicæ salutaris? Ante tempus hoc agis, ut habeas filium Episcopum aut Abbatem, & non huc fingis, ut recte gerat Episcopi aut Abbatis munus? Imponis currui, nec doces gubernandi rationem. Admoves clavo, nec curas ut discat quæ nauclerum æquum est scire.

Denique in omnibus tuis possessionibus, nihil habes eo neglectius, quo nihil habes preciosius, & cui cætera parantur omnia. Nitent agri, nitet domus, nitent vasa, vestes, ac tota supellex, belle docti sunt equi, pulchre instructi famuli, solum filii ingenium squalet, sordet, horret. Nactus es de lapide, quod ajunt, emptum mancipium, barbarum ac vile, si rude est, observas ad quem usum sit idoneum, & ad artem aliquam mature instituis, seu culinariam, seu medicam, seu agricolationis aut dispensationis, solum filium velut ocio natum negligis. Habebit, inquiunt, unde vivat, verum non habebit, unde recte vivat. Vulgo quo quisque ditior est, hoc minus sollicitus est de liberorum institutione. Quid opus est, inquiunt, Philosophia, satis habebunt. Imo quo plus habent, hoc opus est majoribus Philosophiæ præsidiis. Quo major est navis, quoque plus vehit mercium, hoc magis desiderat nauclerum probe doctum. Quanto studio

A dio id agunt Principes, ut filiis quam amplissimam ditionem relinquant, nec ulli minus curant eos instituendos his artibus sine quibus non potest recte geri Principatus. Quanto plus confert, qui dat bene vivere, quam qui dat vivere. Minimum debent liberi parentibus, a quibus progeniti sunt tantum, non etiam ad recte vivendum educati. Celebratur Alexandri dictum, ni Alexander essem, Diogenes esse vellem. Id optimo jure reprehendit Plutarchus, quod hoc magis optare debuerit, Diogenis Philosophiam, quo latius imperabat. Sed turpior est illorum socordia, qui non modo non recte instituunt liberos, verumetiam ad nequitiam corrumpunt.

Hanc absurditatem quum Crates ille Thebanus perspiceret in hominum moribus, non injuria minitabatur se conB scensurum editissimum urbis locum, & inde quam maxime vocali clamore exprobraturum civitati publicam dementiam, hujusmodi verbis: *Quæ vos agit dementia miseri! Tam anxiam curam impenditis parandis pecuniis, ac possessionibus, & liberorum quibus ista paratis, nullam prorsus curam habetis?* Ut vix dimidiatæ matres sunt, quæ pariunt tantum nec educant, ita vix dimidiati patres sunt, qui quum corporibus liberorum necessaria ad luxum usque prospiciant, animos eorum nullis honestis disciplinis curant expoliendos. Arbores fortasse nascuntur, licet aut steriles, aut agresti fœtu, equi nascuntur, licet inutiles; at homines mihi crede, non nascuntur, sed finguntur. Prisci mortales qui nullis legibus, nullis disciplinis, vago concubitu vitam agebant in nemoribus, feræ verius erant quam homines. Ratio facit hominem, ea C locum non habet ubi affectuum arbitrio geruntur omnia. Si forma faceret hominem, & statuæ numerarentur in hominum genere.

Eleganter Aristippus Crasso cuidam ac diviti roganti, quid utilitatis adolescenti allatura esset eruditio, *vel illud*, inquit, *ne in theatro lapis lapidi insideat*. Venuste Philosophus alter, Diogenes ni fallor, meridie lucernam gestans, obambulabat per forum hominibus differtum, rogatus quidnam rei quæreret? *Hominem*, inquit, *quæro*. Sciebat illic esse turbam, sed pecudum, non hominum. Idem quum die quodam ex editiore loco concionem advocasset, clamans: *Adeste homines*. Jamque frequens hominum turba convenisset, nec aliud ille diceret, quam, *Adeste homines*, subirati quidam D reclamarunt: *Adsumus homines, dic si quid habes*. Tum ille: *Homines adesse volo, non vos, qui nihil minus estis quam homines*; eosque baculo abegit. Profecto verissimum est, hominem nec Philosophia, nec ullis disciplinis instructum, animal esse brutis aliquanto deterius. Siquidem pecudes naturæ duntaxat affectibus obsequuntur, homo nisi literis ac Philosophiæ præceptis formetur, in affectus plusquam ferinos rapitur. Nullum est animal efferatius aut nocentius homine, quem agit ambitio, cupiditas, ira, invidia, luxus, & libido. Proinde qui filium non illico curat optimis disciplinis imbuendum, nec homo est ipse, nec hominis filius.

An non abominandum ostentum habeatur animus humanus in corpore bestiæ? quemadmodum legimus apud E Circen homines veneficiis mutatos in leones, ursos, ac sues, ut in his tamen esset mens hominis, quod idem sibi usu venisse prodidit Apulejus, neque non credit D. Augustinus homines verti in lupos. Quis sustineret ejusmodi monstri pater appellari? Atqui monstrum admirabilius est, belluinus animus in humano corpore, & tali prole sibi placent homines plerique, qui sibi & populo videntur admodum sapere. Ursæ dicuntur massam informem edere, quamdiu lambendo fingunt formantque: verum nullus ursæ catulus tam informis est, quam homo nascitur rudis animo. Hunc nisi multo studio fingis ac formas, portenti pater eris, non hominis. Si filius nascatur turbinato capite, aut gibbo deformatus, aut loripes, aut senis in manu digitis, quam tibi disF plices, quam pudet non hominis sed monstri patrem appellari, cæterum animi tam prodigiosi non pudet?

Quam dejicit parentum animos, si quem pariat uxor stupidum, brutæque mentis infantem. Non enim sibi videntur hominem genuisse, sed ostentum, & nisi legum metus obstaret, neci darent quod natum est. Incusas naturam quæ partui tuo mentem hominis negarit, & ipse tua negligentia facis, ut filius humanæ mentis sit expers? At præstat esse brutæ mentis, quam improbæ. Imo præstat esse suem quam hominem indoctum, ac malum. Natura quum tibi dat filium, nihil aliud tradit, quam rudem massam. Tuæ partes sunt, obtemperantem & in omnia sequacem materiam in optimum habitum fingere. Si cesses, feram habes: si advigiles numen, ut ita loquar, habes. Statim ut nascitur infans, docilis est ad ea quæ sunt hominis propria. Itaque juxta Virgilianum oraculum: *Præcipuum jam inde a teneris impende laborem.* Mox tracta ceram dum mollissima est, finge argillam etiamnum udam: imbue liquoribus optimis testam, dum rudis est, tinge lanam dum a fullone nivea venit, nullisque maculis contaminata. Subindicavit hoc per quam festiviter Antisthenes, qui cum filium cujusdam suscepisset erudiendum, rogatus a parente quibus rebus esset opus, [1] *libro*, inquit, *novo, stylo novo, tabella nova.* Nimirum rudem ac vacuum animum requirebat Philosophus. Non potes habere rudem massam; nisi finxeris in hominis speciem, in ferarum monstrosas effigies sua sponte depravabitur. Hoc officium quum Deo naturæque debeas, etiamsi nulla spes sit ad te redituri fructus, tuo cum animo fac reputes quantum solatii, quantum utilitatis, quantum dignitatis parentibus adferant a teneris annis recte instituti filii.

Rursum in quæ probra, in quas calamitates parentes suos conjecerint perperam educati liberi. Nihil opus est, ut hic tibi ex priscorum annalibus exempla proferam, circumfer modo cogitationem tuam per tuæ civitatis familias, quam multa sese offerent undique? Scio tibi frequenter audiri hujusmodi voces: O me felicem, si orbus essem! O me fortunatam, si nunquam peperissem. Operosa rei est recte instituere liberos, fateor, sed nemo sibi nascitur, nemo nascitur ocio. Pater esse voluisti, pius pater sis oportet. Reipublicæ, non tibi tantum genuisti, aut ut Christianius loquar, Deo genuisti, non tibi.

Paulus scribit ita demum servari fœminas, si filios genuerint, itaque educaverint, ut perseverent in studio pietatis. A parentibus exiget Deus quicquid peccaverint filii. Proinde nisi mox honestis rationibus instituis quod natum est, primum in te ipsum injurius es, qui tua negligentia hoc tibi paras, quo nihil hostis hosti posset imprecari gravius, aut molestius. Dionysius Dionis profugi filium adolescentulum, in aulam pertractum deliciis effœminavit, hoc sciebat patri fore tristius, quam si ferro necasset. Paulopost adolescens quum a patre reverso ad pristinam probitatem urgeretur, e cœnaculo se præcipitem dedit. Verissime quidem dixit sapiens quidam Hebræus: *Filius sapiens lætificat patrem, filius stultus mæstitia est matri suæ.* At filius sapiens non modo voluptati est patri suo, verum est & ornamento, & subsidio, denique vita est patri suo. Contra filius stultus & improbus non solum mœrorem adfert parentibus, verum & probrum, & egestatem, & senium præmaturum, denique mortem conciliat iis, unde vivendi cœpit exordium. Itaque quid attinet commemorare? quotidie sunt in oculis exempla civium, quos liberorum perditi mores e divitiis ad mendicitatem redegerunt, quos filius in crucem actus, aut filia in lupanari prostans intolerabili excruciat atque exanimat ignominia.

Novi magnates eximios, quibus ex multis liberis vix unus superfit incolumis, alius abominanda lepra quam ὑποκορίζοντες scabiem Gallicam vocant, tabefactus, funus suum circumfert, alius in bibendi certamine crepuit, alius dum noctu scortatur personatus, misere trucidatus occubuit. Quid in causa? Quoniam parentes satis habent genuisse ac ditasse, educandi cura nulla est. Leges in eos sæviunt, qui fœtus suos exponunt, & in nemus aliquod objiciunt feris devorandos. At nullum crudelius est exponendi genus, quam quod natura dedit optimis rationibus ad honesta fingendum, id belluinis affectibus tradere. Si qua Thessala mulier esset, quæ malis artibus posset & conaretur filium tuum in suem aut lupum vertere, nonne putares nullum supplicium satis dignum illius scelere? At quod in illa detestaris, tu ipse studio facis. Quam immanis fera libido, quam vorax & insatiabilis bellua luxus, quam effera bestia temulentia, quam nocens animal ira, quam horribilis fera ambitio. His belluis exponit filium suum quisquis non a teneris statim unguiculis consuefacit amare quod honestum est, horrere turpitudinem: quin potius non solum objicit illum feris,

[1] Aut non bene cepit *Erasmus* verba Græca, aut ea data opera in alienum sensum detorsit. Vide *Diogenem Laertium* in Vit. Antisthenis Lib. VI. §. 3.

A feris, quod solent expositores maxime crudeles, verum quod est gravius, immanem ac perniciosam belluam in suum ipsius alit exitium.

Exsecrabile cumprimis genus hominum est, quod infantum corpus fascino vitiat, quid de parentibus sentiendum, qui sua negligentia pravaque educatione effascinant animum? Parricidæ vocantur, qui fœtus recens natos enecant, & corpus modo perimunt, quanto major impietas est necare mentem? Quid enim aliud est animæ mors quam stultitia, quam inscitia, quam malitia? Nec minus interim injurius est in patriam, cui quod quidem in ipso est tradit pestilentem civem. Impius est in Deum, a quo prolem in hoc accepit, ut ad pietatem institueret. Hinc perspicuum

B est, quam non leve, nec simplex flagitium admittant, qui negligunt teneræ ætatis institutionem.

Sed his quoque quemadmodum attigeram, peccant gravius, qui non solum non formant ad honesta, verumetiam teneram ac rudem infantuli testulam imbuunt ad nequitiam, doceturque vitia, priusquam norit, quid sit vitium. Quomodo modestus erit vir & fastus contemptor, qui repsit in purpura? Nondum potest prima rerum vocabula sonare, & jam intelligit quid sit coccus, jam poscit conchylium, jam scit quid sit scarus & mullus, & cum fastu rejicit plebejos cibos. Qui verecundus esse poterit quum adoleverit, qui infantulus ad impudicitiam fingi cœpit? Quo pacto liberalis evadet grandis, qui tantillus nummos & aurum mirari didicit? Qui temperabit a luxu juvenis, cujus palatum prius

C corrupimus, quam mores formare cœperimus? Si quod nuper repertum est vestis genus, ut quotidie vestiariorum ars velut olim Africa, parit aliquid novi monstri, hoc infanti addimus. Docetur sibi placere, & si tollatur, reposcit iratus. Quo pacto grandis oderit temulentiam, qui infans didicit esse vinosus?

Instillant illis verba vix Alexandrinis, ut ait ille, permittenda deliciis. Hujusmodi si quid reddidit puer, osculis excipiunt. Nimirum agnoscunt suos fœtus minime degeneres, quippe quum ipsorum vita nihil aliud sit quam exemplum nequitiæ. Haurit infans impudicas nutricum blanditias, & quasi manu, quod ajunt, fingitur lascivis contactibus. Videt patrem eximie potum, audit dicenda tacenda-

D que effutientem. Assidet immodicis ac parum pudicis conviviis, audit domum mimis, tibicinibus & psaltriis, ac saltatricibus perstrepentem. His moribus sic assuescit puer, ut consuetudo transeat in naturam.

Sunt nationes, quæ pueros adhuc a matre rubentes ad ferociam militarem formant. Discunt tueri torvum, discunt amare ferrum, discunt infligere plagam. Ab hujusmodi rudimentis traduntur præceptori, & miramur, si experimur illos ad virtutem indociles, qui vitia cum ipso statim lacte combiberunt? Sed audio quosdam ita patrocinantes suæ stultitiæ, ut dicant hac voluptate quæ capitur ex infantium lascivia, nutricationis pensari tædium? Quid ego audio?

E Gratius esse potest vero parenti, si quid exprimat puer turpiter factum, aut nequiter dictum, quam si blæsa lingula sententiam reddat salubrem, aut si quod aliud pie factum imitetur? Natura peculiariter addidit ætati primæ facilitatem imitandi, sed tamen aliquanto pronior est ad nequitiam quam ad honestatem æmulatio. An viro bono jucundior est turpitudo, quam virtus, præsertim in liberis? Eluis si quid sordium inciderit in cutem infantis, & tam fœdis maculis inficis illius animum? Nihil autem hæret tenacius, quam quod vacuis animis instillatur.

Quid habent obsecro, materni cordis fœminæ, quæ infantes suos usque ad annum pene septimum in sinu detinent, ac tantum non pro morionibus habent? Si usque adeo juvat

F ludere, quin simias ac Melitæas catellas sibi comparant? Pueri sunt, inquiunt, sunt, sed dici vix possit quantum habeant momenti ad totius vitæ rationem prima illa infantiæ rudimenta, quamque durum & intractabilem formatori reddat puerum mollis illa ac dissoluta educatio, quam indulgentiam appellant, quum re vera sit corruptio. An non in hujusmodi matres mire competeret malæ tractationis actio? Est enim plane veneficii genus, est parricidii genus. Dant pœnas legibus qui pueros effascinant, aut venenis lædunt infirma corpuscula: quid merentur istæ, quæ præcipuam infantis partem pessimis venenis corrumpunt? Levius est corpus quam animum occidere. Si puer inter strabos, balbos, aut claudos, educatur, contagio vitiatur corpus, vitia mentis occultius quidem, sed & celerius transiliunt, & altius insidunt animorum mala. Merito quidem Paulus Apostolus hoc honoris habuit Menandri versiculo, ut in Epistolis citarit: *Mores bonos colloquia corrumpunt mala.* Verum is nusquam est veracior quam in infantibus. Aristoteles rogatus a quodam, quibus rationibus efficere posset, ut equum haberet eximium? *Si inter generosos*, inquit, *equos educetur.*

Quod si nos nec pietas, nec ratio docere potest quantum sollicitudinis debeatur ætati primæ liberorum, saltem a brutis animantibus licebat exemplum petere. Non enim pigere debet ab his rem tanto usui futuram discere, unde tam multa frugifera jam olim didicit humanum genus, quando venarum incisionem monstravit hippopotamus, clysteris usum quem mire probant Medicorum filii monstravit ibis avis Ægyptia. Dictamum herbam extrahendis sagittis efficacem a cervis didicimus. Iidem docuerunt cancrorum esum adversus phalangiorum ictus esse remedio. Quin & lacertis magistris didicimus, dictamum adversus serpentium morsus habere solatium. Est enim huic animantium generi naturale bellum adversus serpentes, a quibus vulnerati deprehensi sunt ab ea herba medicinam petere. Chelidoniam hirundines indicarunt, & herbæ nomen dederunt. Cunilam bubulam contra serpentium ictus utilem docuit testudo. Mustela rutam nobis medicinis habilem commendavit. Ciconia origanum. Hederam morbis mederi monstrarunt apri. Serpentes docuere fœniculum oculorum aciem juvare. Lactucis nauseam stomachi restringi draco admonuit. Excrementa humana habere vim adversus aconitum pantheræ docuerunt, aliaque cum his innumera remedia didicimus a brutis animantibus. Insuper & artes non parum vitæ necessarias. Proscindendi arvi rationem monstrarunt sues. Luteas macerias temperare monstravit hirundo. Ne sim longior, pene nihil est ad hominum vitam utile, cujus natura nobis non proposuit in brutis exemplum, ut qui Philosophiam ac disciplinas non didicerunt, saltem ab his admoneantur officii sui. An non videmus quodque animal fœtus suos, non solum gignere, atque educare, verumetiam formare ad naturalem ipsorum functionem? Avis nascitur ad volatum, agnoscis huc institui fingique a parentibus. Videmus domi, ut feles præeant exerceantque catulos suos, ad murium & avicularum venatum, quod hinc illis victus sit. Ostendunt prædam etiamnum vivam, docent fugientem saltu prendere, denique docent vesci. Quid cervi? Nonne fœtus editos, protinus exercent cursu, & fugam meditari docent, ad prærupta ducunt, saltumque demonstrant, quod his artibus tuti sint adversus venatorum insidias? Memoratur elephantorum ac delphinum in educandis minoribus veluti pædagogica quædam disciplina. In lusciniis deprehendimus docentis ac discentis officia, majoris præeuntis, revocantis & corrigentis, minoris reddentis & corrigentis. Quemadmodum autem canis nascitur ad venatum, avis ad volatum, equus ad cursum, bos ad aratrum; ita homo nascitur ad Philosophiam & honestas actiones: atque ut unumquodque animantium facillime discit id ad quod natum est, ita homo quam minimo negocio percipit virtutis & honesti disciplinam, ad quam semina quædam vehementia naturæ vis insevit, modo ad naturæ propensionem accedat formatoris industria.

Quid autem absurdius, quam animalia rationis expertia scire ac meminisse suum erga fœtus officium, hominem qui rationis prærogativa a brutis secernitur, nescire quid debeat naturæ, quid pietati, quid Deo? Atqui brutorum genus nullum exspectat a sobole sua nutricationis aut institutionis præmium, nisi forte credere libet, quod ciconiæ parentes ætate defectos vicissim nutriunt, humerisque bajulant. At inter homines quoniam pietatis gratiam nulla solvit ætas, quod solatium, quod decus, quod præsidium sibi parat, qui filium recte curat instituendum? Natura tibi tradit in manus novale, vacuum quidem, sed soli felicis: tu per incuriam finis hoc vepribus ac spinis occupari, vix ulla industria in posterum evellendis. In exiguo grano, quam ingens latet arbor, quos fructus datura si erupit. Totus hic proventus perit, nisi semen in scrobem mittas, nisi teneram plantulam lignescentem cura foveas, nisi insitione quasi cicures. Et in planta cicuranda vigilas, in filio dormitas? Tota vero ratio felicitatis humanæ tribus potissimum

rebus constat, natura ratione & exercitatione. Naturam appello docilitatem ac propensionem penitus insitam ad res honestas. Rationem voco doctrinam, quæ monitis constat & præceptis. Exercitationem dico usum ejus habitus quem natura insevit, ratio provexit. Natura rationem desiderat, exercitatio nisi ratione gubernetur, multis periculis atque erroribus est obnoxia.

Vehementer igitur falluntur, qui satis esse putant nasci: nec minus errant, qui credunt tractandis rebus gerendisque negociis absque Philosophiæ præceptis parari sapientiam. Dic mihi quando evadet bonus cursor, qui strenue quidem currit, sed in tenebris, aut viæ ignarus? Quando erit bonus gladiator, qui clausis oculis sursum ac deorsum ventilat gladium? Philosophiæ præcepta, velut oculi sunt animi, & quodammodo prælucent, ut videas quid facto sit opus, quid secus. Multum quidem adfert utilitatis, diutinus variarum rerum usus, fateor, sed sapienti, bene agendi præceptis diligenter instructo. Supputa quid fecerint, quid passi sint per omnem vitam, qui sibi rerum experientia qualemcunque providentiam licet miseram compararunt, & cogita num tantum malorum optes filio tuo. Adde quod Philosophia, plus docet unico anno, quam annis triginta quantalibet rerum experientia: & tuto docet, quum plures experiendo calamitosi evadant, quam prudentes, ut non ab re veteres eum periculum facere dixerint, & periclitari qui rem experimento tentaret.

Age si quis filium suum cuperet Medicæ rei peritum esse, utrum mallet illum evolvere Medicorum libros, an experimento discere, quæ res veneno læderet, aut remedio juvaret? Quam infelix prudentia est, quum nauclerus crebris naufragiis didicit artem navigandi, quum Princeps assiduis bellis ac tumultibus, malisque publicis didicit gerere magistratum. Stultorum ista, nimioque constans prudentia est, malo ictos demum sapere. Magno discit, qui errando discit ne erret. Graviter Philippus Alexandrum filium admonuit, ut se docilem præberet Aristoteli, atque ab eo Philosophiam perdisceret, ne multa faceret, quæ jam ipsum fecisse pœniteret. Et tamen in Philippo prædicatur insignis ingenii dexteritas. Quid igitur a vulgaribus exspectandum censes? At ratio monstrat compendio, quid sequendum, quid vitandum sit, nec illa post acceptum malum monet, hoc male cessit, posthac cave, sed priusquam aggrediare, clamat: Hoc si feceris, & infamiam, & exitium tibi parabis.

Nectamus igitur hunc triplicem funiculum, ut & naturam ducat ratio, & rationem consummet exercitatio. Jam in cæteris animantibus perspicimus unumquodque hoc facillime discere, quod cujusque naturæ maxime proprium est, quodque primum est ad incolumitatis tutelam, ea sita est in vitandis iis quæ molestiam aut perniciem adferunt. Hic sensus inest & plantis, non solum animantibus. Siquidem videmus & arbores qua maris odor spirat, aut qua flat boreas, contrahere frondes ac ramos, & se ad auram clementiorem explicare. Quid autem est hominis maxime proprium? Juxta rationem vivere, unde & rationale animal dicitur, & ab alogis secernitur. Quid autem est homini perniciosissimum? Stultitia. Nullius igitur rei docilior erit quam virtutis, nec ab ulla re facilius discet abhorrere, quam a stultitia, si modo parentum industria naturam vacuam protinus occuparit. Sed audimus miras vulgi querimonias, quam puerorum natura proclivis sit in vitium, quam difficile pertrahatur ad amorem honesti. Præter meritum accusant naturam. Hujus mali pars maxima nostro vitio debetur, qui prius corrumpimus ingenia vitiis quam tradimus virtutes. Nec mirum, si illos parum dociles habemus ad honesta, quum jam docti sint ad nequitiam. Quis autem nescit ut priorem, ita difficiliorem esse laborem dedocendi, quam docendi?

Porro trifariam hic peccat hominum vulgus, vel quia prorsus negligunt liberorum institutionem, vel quia serius incipiunt illorum animos ad Philosophiam fingere, vel quia tradunt his a quibus discant dediscenda. Primi generis homines parentum indignos nomine demonstratum est, eosque minimum differre ab his qui natos infantes exponunt, meritoque plectendos legibus, quæ hoc quoque diligenter præscribunt, quibus rationibus sit instituenda pueritia, mox adolescentia. Secundum genus latissime patet, cum quo mihi nunc præcipue instituta est pugna. Tertium bifariam peccat, partim ignorantia, partim incuria. Atqui cum rarum ac turpe sit ignorare, cui equum aut fundum curandum committas, quanto turpius est nescire, cujus fidei tradas carissimam possessionum tuarum partem. Ibi discere studium est, quod parum ex te calles, consulis peritissimum quemque, hic nihil referre credis, cui committas filium. Non sine delectu servis sua quibusque partiris munia. Exploras quem agro colendo præficias, quem rei culinariæ destines, cui parteis œconomi deleges. At si quis est prorsus inutilis ad omnem functionem, tardus, piger, insulsus, lurco, huic committitur formandus puer, & quæ res summum artificem desiderat, famulorum infimo committitur. Quid lævum est, si hic homines non habent lævam mentem?

Sunt quos animus sordidus deterret a conducendo præceptore idoneo, & pluris conducitur equiso quam filii formator. Et tamen interim indulgetur sumptuosis conviviis, noctu dieque luditur damnosa alea, multum impenditur venatibus, & morionibus. In eo solo parci sordidique sunt, cujus gratia poterat excusari cæteris in rebus parsimonia. Utinam pauciores essent, qui plus impendunt putido scorto, quam educando filio. Res, inquit Satyricus, nulla minoris constabit patri quam filius. Non absurdum fortasse fuerit hic meminisse diarii, quod olim Cratetis nomine celebrabatur. Id ad hunc refertur modum: *Ponito coquo minas decem, medico drachmam, assentatori talenta quinque, consiliario fumum, meretrici talentum, Philosopho triobolum.* Quid huic præposteræ rationi deest, nisi ut addas liberorum formatori teruncium? Quanquam arbitror hic Philosophi nomine signari præceptorem. Aristippum quum quidam nummis beatus, sed mentis inops percontaretur, quantum mercedis posceret pro filio instituendo, atque ille poposcisset quingentas drachmas: immensum, inquit, postulas. Ista summa servum mercari licebit. Tum Philosophus perquam lepide: *At nunc*, inquit, *pro uno duos es habiturus, filium officiis utilem, & Philosophum filii doctorem.*

Jam si quis roget quempiam, velletne unius filii exitio, centum equos lucrifacere, si micam habeat sanæ mentis, respondebit, opinor, nequaquam. Cur igitur pluris constat equus, cur diligentius curatur, quam filius? Cur morio carius emitur, quam instituitur filius? Alibi sit locus frugalitati, hic esse frugalem non est parsimonia, sed dementia. Sunt rursus, qui non sine judicio deligunt liberis præceptorem, sed hoc precibus dant amicorum. Præteritur idoneus formandæ pueritiæ artifex, & adsciscitur inutilis, non ob aliud, nisi quia precibus amicorum commendatus est. Quid agis demens? In navigando nihil moraris affectum commendantium, sed eum admoves clavo, qui gubernandæ navis sit callentissimus: in filio in quo non ipse solum periclitatur, sed pater ac mater, tota familia, atque ipsa etiam Respublica, non idem adhibes judicii? Laborat equus, utrum adsciscis Medicum ex amicorum commendatione, an ex curandi peritia? Quid? an tibi filius equo vilior est? Imo, num tu tibi vilior es equo? Hoc quum turpe sit in mediocris fortunæ civibus, quanto turpius est in magnatibus? Unica cœna in aleam, pessimum scopulum, impingentes, naufragiumque facientes perdunt triginta millia, & sumptum vocant, si formando filio impendant mille.

Naturam nemo nec alii cuiquam, nec sibi dare potest, quanquam hic quoque nonnihil habet momenti parentum cura. Prima est, ut vir sibi deligat uxorem, bonam, ex bonis prognatam, probeque educatam, tum prospera corporis valetudine. Quum enim sit arctissima corporis animique cognatio, fieri non potest, quin altera res ab altera vel adjuvetur, vel lædatur. Proximum est, ut maritus si quando liberis procreandis dat operam, nec commotus, nec temulentus id faciat. Siquidem arcano quodam contagio affectiones illæ transeunt in fœtum. Non inscite id notasse videtur Philosophus quidam, qui quum conspiceret adolescentem parum sobrie sese gerentem, *Mirum*, inquit, *ni pater ebrius te proseminavit.* Equidem vehementer illud quoque reor ad rem facere, si pater ac mater quum omni quidem tempore, sed præcipue conceptionis ac gestationis, mentem habeant ab omni crimine liberam, beneque sibi consciam. Tali enim mente, nihil potest esse tranquillius, nihil lætius. Hinc ordiri decuit educationis sollicitudinem potius quam ab anno decimo, aut ut multi faciunt, a decimoseptimo. Tertium est, ut aut mater uberibus suis alat

infantem, aut si qua necessitas inciderit, quo minus id liceat, A nutrix deligatur, corpore salubri, lacte puro, moribus probis, nec temulenta, nec rixosa, nec impudica: hærent enim in adultam usque ætatem, tum corporum, tum animorum vitia ab ipsis vitæ crepundiis hausta. Hic etiam referre tradunt quos infantulus habeat collactaneos, quos collusores. Quartum, ut mature tradatur præceptori e multis selecto, omnium testimonio probato, multisque modis explorato.

Semel accurate peragenda est electio. πολυκοιρανίην damnat Homerus, & juxta Græcorum vetus adagium: *Multitudo Imperatorum Cariam perdidit.* Nec paucis exitium attulit subinde mutatus Medicus. Nihil inutilius, quam frequenter mutare præceptorem. Ad eum enim modum Penelopes tela texitur ac retexitur. B At ego novi pueros, qui ante annum duodecimum, plusquam quatuordecim præceptoribus usi sunt, idque parentum incogitantia. Nec interim cessabit cura parentum. Observabunt & præceptorem, & filium, nec sic ablegabunt ab se sollicitudinem, quemadmodum solent omnem filiæ curam in sponsum transferre, sed subinde reviset pater exploraturus ecquid profecerit, memor illorum quæ graviter simul ac prudenter dixit antiquitas, *frontem occipitio priorem esse*, & nihil citius pinguem reddere equum, quam oculum domini, nec ullum letamen agrum reddere fertiliorem, quam domini vestigium. De teneris loquor, nam adultiores expedit interdum procul ab oculis submovere, quæ res insitionis instar, C potissimum cicurare solet juvenum ingenia. Inter egregias Pauli Æmilii virtutes celebratur & illud, quod quoties licebat per Reipublicæ negocia, filiorum suorum exercitamentis soleret interesse. Nec Plinius nepos gravatus est subinde scholam invisere ob amici cujusdam filium, quem ad disciplinas alendum susceperat.

Jam quod de natura dictum est, non est simplex. Est enim natura speciei communis, velut hominis natura est, ratione uti. Sed est natura huic aut illi peculiaris, veluti quosdam Mathematicis disciplinis, alios Theologiæ, hos Rhetoricæ, aut Poeticæ, illos militiæ natos dicas. Tanta vi rapiuntur ad hæc studia, ut nulla ratione possint deterreri. Aut tam vehementer abhorrent, ut citius in ignem ituri sint, quam ad invisam disciplinam animum applicaturi. D Domestice novi quendam Græce Latineque perpulchre doctum, & omnibus liberalibus disciplinis eleganter instructum, quem Archiepiscopus cujus benignitate alebatur huc literis adegerat, ut inciperet audire juris Professores, reclamante natura. Hanc querimoniam cum apud me exponeret, nam idem nos habebat lectus, hortatus sum hominem, ut suo patrono morem gereret, fore levius quod initio durum esset, ac saltem aliquam temporis partem ei studio daret. Quum ille protulisset aliquot loca prodigiosæ inscitiæ, quæ tamen illi semidei Professores, magna cum auctoritate traderent auditoribus, respondi, ut illa contemneret, & quæ recte traderent, decerperet: quumque multis argumentis urgerem hominem. *Sic*, inquit, *sum affectus, ut quoties ad hæc studia me verto, videatur ensis perfodere pectus meum.* E Sic natos non arbitror adversus Minervam compellendos, ne quod dici solet, bovem ducamus ad ceroma, asinum ad lyram. Fortassis hujus propensionis licet & in parvulis notas quasdam deprehendere. Sunt qui ex horoscopo solent talia vaticinari, quorum judicio quantum sit tribuendum, æstimationem cuique suam liberam facio. Profuerit tamen hoc quam primum deprehendisse, quod ea facillime percipimus ad quæ nos natura composuit. Non arbitror prorsus esse vanum, ex oris reliquique corporis figura, habituque conjectare indolem; certe Aristoteles tantus Philosophus, non gravatus est περὶ τοῦ φυσιογνωμεῖν volumen edere, nec indoctum, nec inelaboratum. Ut commodior est navigatio, quum & æstus favet & ventus, ita facilius instituimur his, ad quæ nos F inclinat ingenii propensio. Virgilius commonstravit notas, quibus colligere possis bovem aratro idoneum, aut vaccam armento propagando aptam. Optima torvæ forma bovis. Docet, quibus signis deprehendas pullum equinum Olympicis certaminibus utilem futurum. *Continuo pecoris generosi pullus in arvis Ingreditur*, &c. Nam carmen agnoscis. Errant qui credunt naturam nullas homini notas addidisse, quibus colligi possit ingenium, peccant vero, qui datas non observant. Tametsi meo quidem judicio, vix ulla est disciplina, ad quam hominis ingenium non docile nascatur, si præceptionibus & exercitatione instituerimus. Quid enim non discat homo, quum elephantus institutione fiat funambulus, saltator ursus, & morio asinus? Quemadmodum igitur natura nemini sua in manu est, ita docuimus esse, in quo naturam aliquo pacto valeamus adjuvare.

Cæterum ratio & exercitatio tota nostræ est industriæ. Quantum valeat ratio, potissimum illud declarat, quod quotidie videmus machinis & arte tolli onera, quæ nullis alioqui viribus moveri poterant. Quantum autem habeat momenti exercitatio, satis arguit illud cum primis celebre prisci sapientis dictum, quod curæ ac meditationi tribuit omnia. Ac ratio quidem requirit docilitatem, exercitatio laborem. Sed labor, inquiunt, non convenit ætati teneræ, docilitas vero quæ tandem potest esse in pueris, qui vix dum sciunt se homines esse? Ad utrumque paucis respondebo, qui convenit, ut ætas habeatur indocilis ad literas, quæ jam moribus fingendis apta est? Verum ut sunt virtutum rudimenta, ita sunt & disciplinarum. Habet Philosophia suam infantiam, habet adolescentiam, habet maturitatem. Equinus pullus, qui jam tum præ se fert generosam indolem, non statim urgetur lupatis, ut armatum sessorem tergo vehat, mollibus exercitamentis discit meditari bellum. Vitulus aratro destinatus, non protinus oneratur veris jugis, nec urgetur acribus stimulis, sed ut eleganter docuit Maro, Primum *laxos tenui de vimine cyclos Cervici subnectunt, dehinc ubi libera colla Servitio assuerint, ipsis e torquibus aptos* jungunt pares, & cogunt *gradum conferre juvencos.*

Atque illis jam sæpe rota ducuntur inanes,
Per terram, & summo vestigia pulvere signant.
Post valido nitens sub pondere faginus axis
Instrepit, & junctos temo trahit æreus orbes.

Agricolæ norunt habere rationem ætatis in bubus, & exercitia pro modo virium attemperant, multo diligentius id faciendum est in liberis instituendis. Ad hæc naturæ providentia habilitatem quandam peculiariter insevit parvulis. Infans nondum idoneus est cui prælegas officia Ciceronis, aut Aristotelis ethica, aut Senecæ Plutarchive morales libellos, aut Epistolas Pauli, fateor, sed interim si quid indecore facit in convivio, monetur, & monitus se componit ad commonstratum exemplar. Ducitur in templum, discit flectere genua, componere manusculas, aperire caput, totumque corporis habitum ad religionem formare, jubetur silere quum peraguntur mysteria, ad altare vertere oculos. Hæc modestiæ pietatisque rudimenta prius discit puer quam fari novit, quæ quoniam inhærent in grandiorem ætatem, nonnullum profectum adferunt ad veram religionem. Primum nato nullum discrimen est inter parentes & alienos. Mox matrem discit agnoscere, deinde patrem. Eosdem paulatim discit & revereri, discit obtemperare, discit amare. Dediscit iracundiam, dediscit vindictam, jussus osculum dare, cui indignabatur, dediscit importunam garrulitatem. Discit assurgere seni, discit aperire caput ad imaginem crucifixi.

Qui putant hæc qualiacunque virtutis elementa nihil habere momenti ad probitatem, vehementer errant mea quidem sententia. Adolescens quidam reprehensus a Platone quod aleam luderet, questus est, quod ob tantillum malum tam acriter objurgaretur. Tum Plato, *ut leve malum sit*, inquit, *ludere aleam, grave tamen malum est assuevisse.* Ut igitur parvis malis assuevisse magnum est malum, ita pusillis bonis assuevisse, magnum est bonum. Atque harum rerum hoc docilior est ætas illa tenera, quod suapte natura flexilis est in omnem habitum, quod nondum ullis vitiis est occupata, quod gaudet etiam imitari, si quid praeeas. Quæ ut vulgo vitiis assuescit, priusquam intelligit, quid sit vitium, ita pari fere facilitate virtutibus poterit assuescere. Optimis autem rebus, optimum est protinus assuescere. Durat is habitus in quem vacuum ac tenerum animum finxeris. *Naturam expellas furca, tamen usque recurrit*, scripsit Flaccus. Scripsit, & quidem verissime, sed scripsit de arbore adulta. Proinde cordatus agricola statim plantulam in eam speciem componit, quam in arbore vult esse perpetuam. Protinus in naturam vertitur, quod omnium primum infuderis. Argilla nimium uda, formam impressam non retinet, cera tam mollis esse potest, ut inhabilis sit fingenti. At vix ulla est ætas tam tenera, quæ disciplinæ capax non sit.

Nulla,

Nulla, inquit Seneca, *ætas ad discendum sera est*; hoc an verum sit nescio, certe grandior ætas ad quædam discenda dura est. Illud extra controversiam est, nullam esse ætatem tam recentem, ut non sit habilis institutioni, præsertim earum rerum ad quas natura composuit hominem. Nam in hoc ipsum infantiæ peculiarem quandam, ut modo dicebam, imitandi libidinem addidit, ut quicquid audierint viderintve, gestiant æmulari, gaudeantque si quid sibi videntur assequuti. Simios quosdam esse dicas. Atque hinc prima ingenii docilitatisque conjectura. Proinde ut natus est homo, statim moribus discendis aptus est. Mox ut fari cœperit, habilis fit ad institutionem literarum. Cujus prior est ratio, ad id protinus addita est docilitas. Siquidem eruditio quanquam infinitas habet commoditates, tamen nisi virtuti famuletur, plus adfert mali quam boni. Merito rejecta est a doctis illorum sententia, qui putaverunt ætatem, minorem septem annis, non admovendam literis, cujus sententiæ auctorem plurimi crediderunt Hesiodum, quanquam Aristophanes Grammaticus ὑποθήκας, quo in opere id proditum est, negat esse Hesiodi. Insignis tamen scriptor fuerit oportet, qui talem edidit librum, ut eruditis etiam Hesiodum parentem referre videretur. Verum ut citra controversiam fuerit Hesiodi, nullius hominis auctoritas tantum apud nos valere debet, ut pigeat meliora sequi, si quis attulerit. Tametsi quicunque fuerunt hujus sententiæ, non hoc senserunt, totum hoc temporis usque ad annum septimum, oportere vacare omni cura institutionis, sed ante id ætatis pueros non esse vexandos labore studiorum, in quibus omnino tædia quædam devoranda sunt, velut ediscendi, reddendi, scribendique. Vix enim reperias ullum tam docile, tamque tractabile ac sequax ingenium, quod his rebus prorsum absque stimulis assuescat. Chrysippus nutricibus tribuit triennium, non ut interim vacetur ab institutione præsertim morum & linguæ, sed ut blandioribus rationibus virtuti literisque præparetur infans, vel a nutricibus vel a parentibus, quorum mores plurimum adferre momenti ad formandos pueros extra controversiam est.

Quoniam autem prima puerorum institutio est, ut discant explanate emendateque loqui, hic olim nutrices, ac parentes non mediocri erant adjumento. Hoc initium non modo plurimum habet momenti ad eloquentiam, verumetiam ad judicandum, & ad omnium disciplinarum cognitionem. Linguarum enim inscitia disciplinas universas aut exstinxit, aut depravavit, atque adeo Theologiam quoque, Medicinam, & Jurisprudentiam. Admirabilis fuit olim Gracchorum eloquentia, sed quam bona ex parte Corneliæ matri debebant, M. Tullii judicio. *Apparet*, inquit, *filios non tam in gremio educatos, quam in sermone matris*: gremium igitur illis maternum, erat prima schola. Quin & Lælia Caji patris elegantiam dictione referebat. Quid mirum? Rudis adhuc inter parentis complexus illius sermone tincta fuerat. Idem evenit hujus duabus sororibus Mutiæ & Liciniæ Caji neptibus. Nominatim autem laudatur Liciniæ in dicendo elegantia, quæ fuit L. Crassi filia, Scipionis cujusdam, ni fallor, conjunx. Quid multis? Tota domus, totaque gens usque ad nepotes ac pronepotes sæpe retulit majorum in dicendo elegantiam. Q. Hortensii filia sic exprimebat paternam eloquentiam, ut olim exstiterit illius oratio apud triumviros habita, non tantum, ut ait Fabius, in sexus honorem. Ad emendate vero loquendum non leve momentum habent & nutrices, & pædagogi, & collusores pueri. Quod enim ad linguas attinet, tanta est illius ætatis docilitas, ut intra paucos menses puer Germanus discat Gallice, idque insciens & aliud agens, nec unquam ea res succedit felicius, quam annis, quam maxime rudibus. Quod si id fit in lingua barbara & abnormi, quæ aliud scribit quam sonat, quæque suos habet stridores & voces vix humanas, quanto id facilius fuerit in lingua Græca seu Latina? Mithridates Rex duas & viginti linguas sic calluisse legitur, ut cuique genti citra interpretem propria lingua jus redderet. Themistocles intra anni spacium Persicam linguam perdidicit, quo commodius cum Rege colloqueretur. Si hoc præstat adulta ætas, quid non sperandum a puero?

Totum autem hoc negocium duabus potissimum rebus constat, memoria & imitatione. Imitandi naturale quoddam studium in pueris esse jam ante docuimus, memoriam porro vel tenacissimam tribuunt pueritiæ viri sapientissimi. Quod si diffidimus illorum auctoritati, abunde nobis fidem facit ipsa rerum experientia. Quæ pueri vidimus sic hærent animo, quasi heri vidissemus. Quæ hodie legimus senes, post biduum si denuo legamus nova videntur. Ad hæc, quotumquemque videmus, cui adulto feliciter successerit linguarum cognitio? Et si quibus successit cognitio, sonus & pronunciatio germana aut nullis, aut quam paucissimis contingit. Neque enim ad communem regulam vocanda sunt illa rarissima exempla. Nec ideo debemus pueros post exactum annum decimum sextum, ad linguarum cognitionem vocare, quod Cato senior sero didicit Latinas literas, Græcas vero septuagesimum agens annum. At Uticensis ille Cato superiore multo tum doctior, tum eloquentior, puer adhæsit pædagogo Sarpedoni.

Atque hic eo magis advigilandum, quod ætas illa, quoniam naturæ sensu potius quam judicio ducitur, pari facilitate, aut fortassis majore imbibit prava atque recta. Quin & recta facilius veniunt in oblivionem, quam dediscimus vitiosa. Deprehenderunt hoc, & admirati sunt Ethnicorum Philosophi: nec potuere causam pervestigare, quam Christiana Philosophia nobis prodidit, quæ docet hanc ad mala pronitatem insedisse nobis ex humanæ gentis principe Adamo. Quod ut falsum esse non potest, ita verissimum est maximam hujus mali partem manare ex impuro convictu pravaque educatione, præsertim ætatis teneræ, & in omnia flexilis. Proditum est literis, Alexandrum Magnum a Leonide pædagogo vitia quædam imbibisse puerum, quæ nec adultum jam atque etiam imperio sublimem deseruerunt. Proinde quamdiu apud Latinos viguit illa prisca morum integritas, puerilis ætas non committebatur mercenario formatori, sed ab ipsis parentibus & agnatis instituebatur, velut a patruis, avunculis, & avis, auctore Plutarcho. Existimabant enim hoc ad gentis decus in primis pertinere, si quam plurimos haberet eruditione liberali præstantes, quum hodie tota fere nobilitas fit in pictis sculptisque stemmatis, choreis, venatu, & alea. Primus omnium Sp. Carbilius, homo libertinæ conditionis, cujus patronus Carbilius omnium primus induxit exemplum divortii, traditur aperuisse scholam literariam.

Antehac hoc præcipuum habebatur pietatis officium, si cognatos quisque suos ad virtutem & eruditionem institueret. Nunc unum hoc curæ est, ut puero quæratur uxor bene dotata. Hoc perfecto, credunt se nihil jam debere pietati. Verum ut res humanæ pronæ sunt in deterius, delitiæ persuaserunt, ut hoc muneris pædagogo domestico committeretur, & ingenuus servo tradebatur instituendus. Qua quidem in re si delectus habebatur, hoc minus erat periculi, quod formator non solum in oculis parentum viveret, sed in illorum esset potestate, si quid delinqueret. Qui erant cordatissimi, aut emebant servos literatos, aut curabant literis erudiendos, ut liberorum suorum pueritiæ formandæ præficerent. At quanto consultius si ipsi parentes in hoc literas discerent, ut liberos suos doceant. Hac certe ratione duplex esset utilitas, quemadmodum duplex commoditas est, si Episcopus se pium virum præbeat quo possit quamplurimos ad pietatis studium inflammare.

Non omnibus vacat, inquies, & piget tanti laboris. Sed agedum vir præclare reputemus nobiscum, quantum temporis nobis pereat alea, compotationibus, spectaculis, & morionibus, & pudebit opinor, causari deesse ocium ei rei, quæ cæteris omnibus omissis erat agenda. Sufficit ad omnia munia tempus, si qua decet frugalitate dispensetur. Nobis vero brevis est dies, cujus majorem partem perdimus. Jam illud expende, quanta temporis portio datur amicorum frivolis interdum negociis. Si minus licet omnibus morem gerere, priores sane parteis debentur liberis. Quid autem laboris refugimus, ut liberis luculentum patrimonium, pulchreque constabilitum relinquamus, ut illis paremus quod his omnibus præstantius est, piget capere laborem, præsertim quum naturæ pietas, & profectus eorum qui nobis sunt carissimi, edulcet omnem molestiam? Id ni esset quando matres ferrent tam longa gestationis & nutricationis tædia? Leviter amat filium, quem piget erudire filium. Verum instituendi ratio fuit hoc nomine facilior priscis, quod eadem esset lingua literas callentium, & imperitæ multitudinis, nisi quod eruditi emendatius, elegantius, prudentius & copiosius dicebant. Fateor, ac plurimum compendii fore

ret ad eruditionem, si idem maneret hodie. Nec defuerunt qui priscum exemplum revocare conati sunt, velut apud Phrysios Canterii, apud Hispanos Elisabeta Regina Ferdinandi uxor, e cujus familia complures prodiere fœminæ eruditione juxta ac pietate mirabiles. Apud Anglos, vir clarissimus Thomas Morus, quem licet regiis negociis occupatissimum, non piget uxori filiabus ac filio præstare præceptorem, primum ad pietatem mox ad utriusque literaturæ peritiam. Id certe curandum erat, in his quos eruditioni destinavimus. Nec est periculum, ne populi linguam ignorent, eam perdiscent velint nolint hominum commercio. Quod si nemo sit domi qui literas norit, statim adsciscendus est artifex, sed exploratus tum moribus, tum eruditione. Stultum est in filio velut in Care, quod ajunt, periculum facere, sciat ne literas, & sit ne vir probus quem adhibuisti. In rebus aliis sit venia dormitanti, hic Argus sis oportet, atque oculis omnibus advigilandum est. In bello, ajunt, bis peccare non licet, hic ne semel quidem peccare fas est. Porro quo maturius puer tradetur formatori, hoc felicius succedet institutio.

Secunda propositio confutanda.

Hic scio causari quosdam, esse periculum ne studiorum labor reddat teneri corpusculi valetudinem imbecilliorem. Hic respondere poteram, etiamsi quid decederet robori corporis, hoc incommodi belle pensari tam eximiis animi bonis. Nec enim athletam fingimus, sed Philosophum, sed Reipublicæ gubernatorem, cui satis est adesse prosperam valetudinem, etiamsi non adsit Milonis robur. Fateor tamen nonnihil indulgendum ætati, quo vegetior evadat, verum multi stulte metuunt suis infantibus a literis, qui non metuunt multo gravius periculum ab immodico cibo, quo non minus læduntur ingenia parvulorum, quam corpora, ab eduliorum potusve generibus, quæ non congruunt ætati. Admovent infanteis suos variis ac prolixis conviviis, nonnunquam & in multam noctem productis, explent illos salsis & calidis usque ad vomitum interdum. Stringunt & onerant tenera corpuscula vestibus incommodis ad ostentationem, quemadmodum nonnulli simios ornant humano cultu, aliisque modis effœminant liberos suos, nec usquam tenerius metuitur illorum valetudini, quam quum de literis, hoc est de re maxime omnium salutifera, necessariaque cœptum est agi.

Quod de valetudine dictum est, idem pertinet ad formæ curam, quam ut fateor non omnino negligendam, ita nimis anxie curari parum viro dignum est. Nec huic aliunde morosius metuimus, quam a studiis, quum ea longe magis corrumpatur, ingurgitatione, temulentia, intempestivis vigiliis, pugnis ac vulneribus, postremo scelerata scabie, quam vix quisquam effugit adolescens intemperantius vivens. Ab his rebus potius arceant liberos suos quam a literis, qui tam misere metuunt illorum valetudini ac formæ. Quanquam id quoque nostra cura provideri potest, ut quam minimum sit laboris ac proinde minimum dispendii. Id fiet si nec multa, nec quælibet inculcentur teneris, sed optima tantum & ætati congrua, quæ jucundis capitur potius quam subtilibus. Deinde blanda quædam tradendi ratio faciet, ut ludus videatur non labor. Hic enim lenociniis quibusdam fallenda est ætas illa, quæ nondum intelligere potest quantum fructus, quantum dignitatis, quantum voluptatis in posterum sint allaturæ literæ. Id partim præstabit formatoris lenitas, comitasque, partim & ingenium ac solertia, qua varias arteis comminiscetur, quibus puero reddat jucundas literas, & a sensu laboris avocet. Nihil enim est inutilius, quam quum præceptoris mores efficiunt, ut prius odisse incipiant studia, quam intelligere possint quare sint amanda. Primus discendi gradus est præceptoris amor. Progressu temporis fiet, ut puer qui prius literas amare cœperat, propter doctorem, post doctorem amet propter literas. Nam quemadmodum munera pleraque vel hoc nomine gratissima sunt, quod ab his proficiscantur quos egregie caros habemus, ita literæ, quibus nondum judicio placere possunt, his tamen doctoris affectu commendantur. Rectissime dictum est ab Isocrate, eum plurimum discere, qui discendi cupidus est. Libenter autem ab his discimus quos diligimus. Sunt vero quidam tam inamœnis moribus, ut nec ab uxoribus amari queant, torvo vultu, tetrico convictu, irati videntur etiam tum quum sunt propitii, nihil possunt blande dicere, vix etiam arridere ridentibus, dicas plane Gratiis

A iratis natos. Hos vix idoneos judico, quibus equos indomitos formandos committas, tantum abest, ut imbecillem ac pene lactantem ætatem illis prodendam existimem. At hoc hominum genus quidam vel maxime credunt admovendum formandæ primæ ætati, dum torvitatem putant esse sanctitatem. Atqui non tuto fronti creditur, sub illa tetrica persona sæpenumero latent eviratissimi mores, nec inter pudicos commemorandum est, ad quæ dedecora nonnunquam illi carnifices terrore puerorum abutantur. Ne parentes quidem recte possunt educare liberos, si tantum metuantur. Prima cura est amari, paulatim succedit non terror, sed liberalis quædam reverentia, quæ plus habet ponderis quam metus.

B Quam igitur belle prospicitur his pueris, qui vix dum quadrimi mittuntur in ludum literarium, ubi præsidet præceptor ignotus, agrestis, ac moribus parum sobriis, interdum ne cerebri quidem sani, frequenter lunaticus, aut morbo comitiali obnoxius, aut lepræ, quam nunc vulgus scabiem Gallicam appellat. Neminem enim hodie tam abjectum, tam inutilem, tam nullius rei videmus, quem vulgus non existimet idoneum moderando ludo literario. Atque illi se regnum nactos rati, mirum quam ferociant, quod habeant imperium, non in belluas, ut inquit Comicus, sed in eam ætatem, quam oportebat omni lenitate foveri. Dicas non esse scholam, sed carnificinam, præter crepitum ferularum, præter virgarum strepitum, præter ejulatus ac singultus, præter atroces minas nihil illic auditur. Quid aliud C hinc discant pueri, quam odisse literas? Hoc odium ubi semel insedit teneris animis, etiam grandes facti abhorrent a studiis.

Multo etiam stultius est, quod quidam filios suos mittunt ad ebriosam mulierculam, ut legendi scribendique parent facultatem. Præter naturam est, fœminam in masculos habere imperium, tum nihil immitius eo sexu, si qua ira commoverit animum, & incalescit facillime, vix autem conquiescit, nisi vindicta satiata. Jam & monasteria, & fratrum, ita se vocant, collegia, quæstum hinc aucupantur, & in latebris suis erudiunt rudem ætatem, per homines fere parum doctos, seu potius perperam doctos, ut jam donemus illos esse pudicos & cordatos. Hoc D institutionis genus utcunque probant alii, me quidem auctore nullus id faciet, quisquis cupiet suum puerum liberaliter educatum. Oportet scholam aut nullam esse, aut publicam. Compendiarium quidem hoc est, quod vulgo fit. Facilius enim plures ab uno metu coguntur, quam unus ab uno liberaliter instituitur. Atqui non magnum est asinis aut bubus imperare, liberos liberaliter instituere, ut difficillimum est, ita pulcherrimum. Tyrannicum est metu premere cives, benevolentia, moderatione, prudentiaque continere in officio regium est. Diogenes quum ab Æginetis captus produceretur venum, præco rogavit hominem, quo titulo vellet commendari emptoribus? *Dic,* inquit, *si quis velit mercari hominem, qui sciat imperare li- E beris.* Ad hoc insolitum præconium risere multi. Quidam cui liberi parvuli erant domi, congressus est cum Philosopho, sciret ne vere quod profiteretur. Ait se scire. Brevi colloquio sensit non esse vulgarem quempiam, sed sub sordido pallio præclaram latere sapientiam. Emptum duxit domum suam, eique liberos suos formandos commisit.

Gallis literatoribus secundum Scotos nihil est plagosius. Hi moniti respondere solent, eam nationem, quemadmodum de Phrygia dictum est, non nisi plagis emendari. Hoc an verum sit, alii viderint; fateor tamen nonnihil in natione discriminis esse, sed multo magis in singulorum ingeniorum proprietate. Quosdam occidas citius, quam verberibus e- F mendes, at eosdem benevolentia blandisque monitis ducas quocunque velis. Hac indole fateor me puerum fuisse, quumque præceptor cui præ cæteris eram carus, quod diceret se nescio quid magnæ spei de me concipere, magis advigilaret, velletque tandem experiri, quam essem virgarum patiens, objecit commissum, de quo nec somniaram unquam, ac cæcidit. Ea res omnem studiorum amorem mihi excussit, adeoque dejecit puerilem animum, ut minimum abfuerit quin dolore contabescerem, certe mœrorem eum excepit febris quartana. Is ubi tandem intellexit errorem suum, deplorabat apud amicos: *Illud,* inquit, *ingenium pene*

prius

prius perdideram quam nossem. Erat enim vir nec stupidus, A nec indoctus, nec, ut arbitror, malus. Resipuit ille, sed mihi sero. Jam hinc mihi conjecta vir egregie, quam multa felicissima ingenia perdant isti carnifices indocti, sed doctrinæ persuasione tumidi, morosi, vinolenti, truces, & vel animi gratia cædentes, nimirum ingenio tam truculento, ut ex alieno cruciatu capiant voluptatem. Hoc genus homines lanios aut carnifices esse decuit, non pueritiæ formatores.

Nec ulli crudelius excarnificant pueros, quam qui nihil habent quod illos doceant. Hi quid agant in scholis, nisi ut plagis ac jurgiis diem extrahant? Novi Theologum quendam, & quidem domestice, maximi nominis, cujus animo nulla crudelitas satisfaciebat in discipulos, quum magistros B haberet strenue plagosos. Id existimabat unice & ad dejiciendam ingeniorum ferociam, & ad edomandam ætatis lasciviam pertinere. Nunquam agitabat convivium apud gregem suum, nisi quemadmodum Comœdiæ exeunt in lætam catastrophen, ita post cibum sumptum, unus aut alter protraheretur virgis lacerandus, & interim sæviebat & in immeritos, nimirum, ut assuescerent plagis. Ipse quondam adstiti proximus, quum a prandio ex more puerum evocarat, annos natum, ut opinor, decem. Recens autem a matre venerat in eum gregem. Præfatus est, illi matrem esse cum primis piam fœminam, ab ea sibi puerum studio se commendatum, mox ut haberet occasionem cædendi cœpit objicere nescio quid ferociæ, quum nihil minus præ se C ferret puer, & innuit illi cui collegii præfecturam commiserat, huic ex re satelles erat cognomen, ut cæderet, ille protinus dejectum puerum, ita cæcidit, quasi sacrilegium commisisset. Theologus semel atque iterum interpellavit, *satis est, satis est.* At carnifex ille fervore surdus, peregit suam carnificinam pene usque ad pueri syncopen. Mox Theologus versus ad nos, *nihil commeruit*, inquit, *sed erat humiliandus*, nam hoc verbo est usus: Quis unquam ad eum modum erudivit mancipium, imo quis asinum? Generosus equus melius popysmate & palpo domatur, quam scutica aut calcaribus. Quem si durius tractes, fit refractarius, fit calcitro, fit mordax, fit retrogradus. Bos, si nimium urgeas stimulis, jugum excutit, & stimulatorem impetit. D Sic tractandum est generosum ingenium, quemadmodum tractatur leonis catulus. Elephantos sola domat ars, non violentia, nec ullum animal tam ferum est, quod non mansuescat officio: nec ullum tam cicur, quod immodica sævitia non exasperetur. Servile est metu mali castigari, atqui publica consuetudo filios appellat liberos, quod hos deceat liberalis educatio, servili multum dissimilis: tametsi qui sapiunt hoc agunt potius, ut servi lenitate ac beneficiis exuant mancipii capillum, memores & illos esse homines non belluas.

Commemorantur admiranda exempla servorum in dominos, quos profecto tales non comperissent, si tantum verberibus subegissent. Servus si sanabilis est ingenii, melius E emendatur monitis, pudore & officiis, quam plagis: si insanabilis, ad extremam malitiam indurescit, & aut fuga compilat herum, aut necem illius aliqua molitur arte. Nonnunquam & suæ vitæ jactura domini sævitiam ulciscitur. Nullum autem animal formidabilius, quam homo, quem atrox injuria docuit suæ salutis contemptum. Proinde quod proverbio jactatur, unumquemque tot hostes habere quot servos, si verum est, dominorum iniquitati potissimum arbitror imputandum. Artis enim est, non fortunæ, imperare servis. Quod si cordatiores heri id dant operam, ut servos ita habeant ut serviant liberaliter, malintque pro servis habere libertos, quam absurdum est e natura liberis educatione reddere servos? Nec ab re Comicus ille senex F putat multum interesse inter patrem ac dominum. Dominus tantum cogit, pater pudore ac liberalitate consuefacit filium, ut sua sponte recte faciat, potius quam alieno metu, præsens atque absens sit idem, hoc qui nequit, inquit, fateatur se nescire imperare liberis. Atqui plus aliquanto discriminis esse debet, inter patrem ac dominum, quam inter Regem ac Tyrannum. Tyrannum submovemus a Republica, & filiis vel tyrannos adsciscimus, vel ipsi in eos tyrannidem exercemus. Quanquam in totum hoc vile servitutis nomen e vita Christianorum sublatum esse oportuit. Beatus Paulus Onesimum Philemoni commendat, non jam ut servum, sed ut pro servo fratrem carissimum. Et Ephesiis scribens monet heros, ut in servos remittant austeritatem ac minas, memores se potius conservos esse quam dominos, quod utrique communem dominum habeant in cœlis, qui non minus pœnas sumpturus est de dominis si quid peccent, quam de servis. Apostolus nec minaces vult esse dominos, nedum plagosos: non enim dicit, remittentes flagra, sed, remittentes minas: & nos liberos nostros nihil aliud quam cædi volumus, quod vix triremium præfecti, aut piratæ faciunt in remiges. De liberis autem quid præcipit idem Apostolus? Adeo non vult illos cædi serviliter, ut & a monitis atque objurgatione jubeat abesse sævitiam & amarulentiam. *Vos*, inquit, *patres nolite ad iracundiam provocare filios vestros, sed educate illos in disciplina & correptione Domini.* Qualis autem sit disciplina domini, facile perspiciet, qui consideraverit, qua lenitate, qua mansuetudine, qua caritate Dominus Jesus erudierit, tulerit, foverit, ac paulatim provexerit discipulos suos.

Humanæ leges patriam potestatem temperant, eædem & servis in heros permittunt actionem malæ tractationis, & unde hæc immanitas inter Christianos? Olim Auxon quidam eques Romanus filium dum virgis emendat immoderatius, occidit. Ea indignitas adeo commovit populum, ut hominem in forum protractum parentes ac liberi stilis confoderent, nihil reveriti dignitatem equestrem, quem Octavius Augustus ægre periculo subduxit. At quam multos hodie videmus Auxones, qui sævitia plagarum, lædunt puerorum valetudinem, eluscant eos, debilitant, nec raro necant. Virgæ nihil faciunt ad quorundam sævitiam, inversis virgis cædunt manubrio, colaphos ac pugnos impingunt teneris, aut quicquid forte proximum est arripiunt & illidunt. Narrant Jurisperitorum literæ, sutorem quendam dum discipulo ligneam calceorum formam impingit in occipitium, alterum oculum excussisse, obque id factum pœnas dedisse legibus. Quid de illis dicendum est, qui cruciatibus addunt abominandam contumeliam?

Nunquam eram crediturus, nisi & puerum & crudelitatis auctorem de proximo nossem. Puerum annos vix dum duodecim natum, cujus honestissimi parentes fuerant de præceptore benemeriti, tam immanibus modis tractarunt, ut vix Mezentius aut Phalaris ullus posset crudelius. Stercoris humani tantam vim impegerunt in os parvuli, ut exspuere non posset, sed bonam partem devorare cogeretur. Quis tyrannus unquam adhibuit hoc contumeliæ genus? πασσάμενος ἐπίτασσε, habet Græcum proverbium. Post tales epulas exercetur imperium. Puer nudus funibus sub alas immissis suspenditur, ut infame furti supplicium repræsentarent, quo non aliud apud Germanos execrabilius. Mox in pensilem sævitur undique virgis, propemodum usque ad necem. Nam quo magis inficiabatur puer, quod non commiserat, hoc magis intendebatur carnificina. Adde jam ipsum tortorem, pene supplicio formidabiliorem, oculi viperini, os angustum & corrugatum, vox acuta qualis fertur umbrarum, facies lurida, caput vertiginosum, minæ & convitia, quæ illi suggerebat splendida bilis, Tisiphonem quampiam diceres. Quid consequutum est? Mox puerum a suppliciis excipit morbus, magno & mentis & vitæ periculo. Ibi carnifex ultro occupat expostulationem, scribit patri, quamprimum abducat filium suum, se medicinam omnem consumpsisse frustra in deploratum puerum. Ubi corporis morbus utcunque remediis depulsus est, tamen animus adhuc sic erat attonitus, ut metueremus ne nunquam ad pristinum mentis vigorem rediturus esset. Neque hæc fuit unius diei sævitia, quamdiu vixit apud illum puellus, nullus præteribat dies, quo non semel atque iterum crudeliter vapularet. Scio, jamdudum suspicare, lector, enorme fuisse commissum, cui tam atrox adhibita est medicina. Dicam paucis. Reperti sunt & illius qui cæsus est & aliorum duorum libri atramento conspurcati, vestes conscissæ, & caligæ excrementis humanis contaminatæ. Is qui lusum hunc ludebat, puer erat ad omne scelus natus, qui post aliis facinoribus fidem fecit priorum, insani doctoris ex sorore nepos: jam tum præludens ad ea quæ facere solent in bello aut latrocinio milites, apud hospitem quendam educto

A e vase embolo, passus est vinum in solum defluere, ac velut officiosus admonuit se sentire vini odorem: cum altero sodali puero quotidie gladio decertabat, non joco, sed serio, ut jam agnosceres latronem, aut sicarium, aut quod his simillimum est, mercenarium militem futurum. Huic tametsi faveret ille formator, tamen metuens ne se mutuo confoderent pueri, cognatum ablegavit. Nam ex altero luculentam capiebat mercedem, erat autem ex isto numero Euangelicorum, quibus nihil dulcius est pecunia. Persuasum erat optimo viro parenti, puerum agere apud præceptorem sanctum amicum ac vigilantem, quum viveret apud fucatum carnificem, ac homini semi insano perpetuoque ægrotanti ministrum & assessorem ageret. Quum igitur æquior esset in eum qui sanguine propinquus erat, atque B item in alterum unde luculenta messis, in innoxium inclinavit suspicio, cui tantum tribuebatur malitiæ, ut suas ipsius vestes laceraret, conspurcaretque, quo vitaret suspicionem. Atqui puer ex utroque parente optimo natus, nullum unquam tam illiberalis ingenii specimen dederat, & hodie nihil est illius moribus ab omni malitia alienius, qui nunc omni metu liber rem omnem ut gesta est narrat ordine.

Talibus pædagogis honesti cives tradunt filios suos, quibus nihil habent carius, tales queruntur non reponi sibi mercedem opera dignam. Neque non senserat carnifex errorem suum, sed maluit constanter insanire, quam culpam agnoscere: & adversus hujusmodi non instituitur C malæ tractationis actio, nec in tam immanem sævitiam vigorem habet legum severitas. Nullis est ira implacabilior, quam iis qui morbo comitiali sunt affines. Quam multæ res irrepserunt in vitam Christianorum, nec Phrygibus nec Scythis dignæ, e quibus unum indicabo, non prorsus abhorrens ab hoc argumento. Qui primum adeunt scholas publicas, coguntur beanum exuere, barbaræ rei repertum est æque barbarum vocabulum. Missus est adolescens ingenuus ad discendas arteis liberales. Verum quam illiberalibus contumeliis initiatur? Primum macerant illi mentum veluti barbam derasuri, ad id adhibetur lotium, aut si quid lotio fœdius. Is liquor impingitur in os, nec licet exspuere. Molestis ictibus detrahuntur cornua, scilicet, D interdum coguntur multam aceti, aut salis vim ebibere, aut si quid aliud libuit effreni juvenum petulantiæ. Nam aggressuri ludum exigunt jusjurandum, illum omnibus imperatis pariturum. Tandem sublimem rapiunt, & dorso quoties libuit arietant in postem. Has tam agrestes contumelias nonnunquam excipit febris, aut spinæ dolor immedicabilis. Certe lusus insulsus exit in temulentum convivium. A talibus exordiis auspicantur liberalium artium studia. Atqui talibus auspiciis initiari decuit carnificem, tortorem, aut lenonem, aut animæ venalis Carem, aut remigem, non puerum Musarum & Gratiarum sacris destinatum. Mirum est ad eum modum insanire juvenes liberalibus studiis deditos, sed magis mirum est hæc a juventutis moderatoribus approbari. Tam E fœdis, tamque crudelibus ineptiis prætexitur nomen consuetudinis, quasi malæ rei consuetudo quicquam sit aliud, quam error inveteratus, hoc majore studio revellendus, quod jam ad plures serpsit. Sic durat & apud Theologos vesperiarum mos, nam rem absurdam absurdo signant nomine, scurris digniam citius quam Theologis. Verum eorum qui liberales profitentur disciplinas, oportet & jocos esse liberales.

Sed ad pueritiam redeo, cui nihil inutilius quam plagis assuescere, quarum enormitas facit, ut indoles generosior fiat intractabilis, abjectior veniat in desperationem, assiduitas facit, ut & corpus occallescat ad verbera, & animus obdurescat ad verba. Imo nec acrior objurgatio F frequenter est admovenda. Pharmacum sinistre adhibitum exacerbat morbum, non levat, & assidue adhibitum paulatim desinit esse pharmacum, nec aliud efficit, quam quod solet cibus insuavis parumque salubris. Hic quidam occinent nobis Hebræorum oracula: *Qui parcit virgæ, odit filium suum: & qui diligit filium suum, assiduat illi flagella.* Rursum: *Curva cervicem filii in juventute, & tunde latera illius dum infans est.* Ejusmodi castigatio fortasse congruebat olim Judæis. Nunc oportet Hebræorum dicta civilius interpretari. Quod si quis nos literis & syllabis urgeat, quid absurdius quam inflectere cervicem pueri, & tundere latera infantis, nonne credas taurum aratro, aut asinum clitellis institui, non hominem virtuti? Quod autem nobis præmium pollicetur? *Ne palpet*, inquit, *proximorum ostia.* Metuit filio paupertatem, ut extremum malorum. Quid hac sententia frigidius? Nostra virga sit liberalis admonitio, nonnunquam & objurgatio, sed mansuetudine condita, non amarulentia. Hoc flagellum assiduemus filiis nostris, ut recte instituti, domi habeant bene vivendi rationem, nec cogantur in rebus gerendis a vicinis emendicare consilium. Lycon Philosophus ostendit duos acerrimos stimulos excitandis puerorum ingeniis, pudorem ac laudem: pudor est justi probri metus, laus autem est omnium artium altrix. His stimulis urgeamus liberorum ingenia. Jam si placet ostendam & fustem, quo tundas tuorum latera. *Labor omnia vincit improbus*, ait Poetarum optimus: advigilemus, urgeamus, instemus, exigendo, repetendo, inculcando, hoc fuste tundamus infantium nostrorum latera. Primum discant amare mirarique probitatem ac literas, horrere turpitudinem & inscitiam. Audiant alios ob recte facta prædicari, alios ob male facta vituperari, ingerantur exempla eorum quibus eruditio summam gloriam, opes, dignitatem, & auctoritatem peperit. Rursus eorum, quibus improbi mores, nullisque disciplinis excultum ingenium, infamiam, contemptum, egestatem & exitium attulit. Hi nimirum sunt fustes digni Christianis, mansuetissimi Jesu discipulis.

Quod si nihil proficitur, nec monitis, nec precibus, nec æmulatione, nec pudore, nec laudibus, nec cæteris artibus, ipsam etiam virgarum castigationem, si res ita demum postulet, oportet & liberalem esse & verecundam. Nam hoc ipsum nudari ingenuorum corpora, præsertim multorum oculis, contumeliæ genus est. Tametsi Fabius in universum damnat receptam cædendi pueros ingenuos consuetudinem. Dixerit aliquis, quid fiet iis, qui nisi plagis ad studia compelli non possunt? Respondeo numero, quid faceres asinis ac bubus, si in scholam veniant? nonne rus abigeres, & alteros pistrino, alteros aratro dederes? Sunt enim homines non minus stivæ & pistrino nati, quam boves & asini. Sed interim, inquiunt, decrescit grex. Quid tum postea? Simul & quæstus. Hoc durum. Hinc igitur illæ lachrymæ. Carius est illis lucrum, quam puerorum profectus. Sed hujusmodi ferme est literatorum vulgus.

Fateor, quemadmodum Philosophi describunt sapientem, Rhetores Oratorem, qualem vix usquam invenias, ita longe proclivius esse præscribere qualem oporteat esse præceptorem, quam multos invenire qui ad præscriptam formam respondeant. Verum hanc oportebat esse publicam & profani magistratus, & ecclesiasticorum procerum curam, ut quemadmodum instituuntur, qui navent operam in bello, qui cantent in templis: ita multo magis instituantur, qui recte ac liberaliter forment liberos civium. Vespasianus e fisco suo dabat annua centena Latinis, Græcisque Rhetoribus. Plinius nepos etiam de privato suo in eundem usum ingentem summam erogavit. Quod si cessat publica cura, certe suæ quisque domi vigilare debet.

Quid facient, inquis, tenues, qui vix alunt suos liberos, tantum abest, ut talem educatorem possint conducere? Hic nihil habeo quod respondeam, nisi illud e Comœdia, *ut possumus, quando ut volumus non licet.* Nos instituendi rationem optimam tradimus, fortunam dare non possumus. Nisi quod hic quoque divitum benignitas debet bene natis ingeniis, sed angustia rei familiaris non valentibus exerere vim naturæ, succurrere.

Fateor præceptoris comitatem ita temperatam esse oportere, ne pudorem ac reverentiam excutiat familiaritatis comes contemptus, qualem fuisse prædicant Sarpedonem Catonis Uticensis pædagogum, qui comitate morum, summam gratiam, probitate parem auctoritatem apud puerum sibi conciliarat, nullo virgarum metu. Verum isti qui nihil aliud norunt, quam cædere, quid facerent si Cæsaris aut Regum liberos suscepissent instituendos, quos cædere fas non est? Dicent heroum filios eximendos ab hac formula. Quid ego audio? An civium filii minus sunt homines quam Regum? An suus cuique filius non æque carus esse debet, ac si e Rege natus esset? Si fortuna est hu-

mi-

milior, hoc magis opus est institutionis ac literarum præsidio, quo se tollant humo. Sin ampla, ad rem probe administrandam necessaria est Philosophia. Quid quod non pauci ex humili loco vocantur ad Principatum, interdum & ad summum Pontificiæ dignitatis culmen. Non omnes huc evadunt, tamen omnes huc educandi sunt.

Cum plagosis rixari desinam, si unum hoc adjecero. Eas leges ac magistratus a sapientibus viris damnari, qui tantum terrent pœnis, non etiam alliciunt præmiis, quique puniunt admissa, non item cavent ne quid admittatur puniendum. Idem sentiendum de vulgo pædagogorum, qui tantum verberant ob commissa, non instituunt animum ut nolit peccare. Exigitur lectio, si quid fallit puer, cæditur, id quum fiat quotidie, quo magis assuescat parvulus, existimant sese pulchre functos officio præceptoris. Atqui prius huc erat invitandus puer, ut amaret literas, ut vereretur formatoris animum offendere. Verum hisce de rebus fortasse plus satis alicui videbor disseruisse, & jure viderer, nisi tam graviter hic peccaretur fere ab omnibus, ut numquam satis dici possit.

Porro non parum adferet adjumenti, si qui puerum susceperit instituendum, animi inductione parentis affectum induat. Hoc pacto fiet, ut & puer discat libentius, & ipse minus sentiat ex labore tædii. Siquidem in omni negocio magnam difficultatis partem adimit amor. Quoniam autem juxta vetus proverbium: *Simile gaudet simili*, præceptor quodammodo repuerescat oportet, ut ametur a puero. Non placet tamen, quod extremæ ac pene decrepitæ ætatis senibus pueros tradunt in sinum literarum rudimentis imbuendos. Nam hi vere pueri sunt, non simulant, nec fingunt balbutiem, sed vere balbutiunt. Optarim ætatem virentem, a qua non abhorreat puer, & quam non pigeat quamvis personam sumere. Hic idem aget in formando ingenio, quod parentes ac nutrices facere solent in fingendo corpore. Quomodo docent primum infantem humanas sonare voces? Blæsa lingua sermonem ad puerilem balbutiem accommodant. Quomodo docent edere? Præmandunt ipsæ lacteam pultem, & commansam paulatim in os infantis inserunt. Quomodo docent ingredi? Inflectunt corpus, & suos passus ad infantis modulum contrahunt. Nec quovis pascunt cibo, nec plus infundunt, quam capere possit, ac sensim cum ætatis profectu ad solidiora provehunt. Primum cognata quæritur alimonia, non multum abhorrens a lacte, quæ tamen ipsa si copiosius immergatur in os, aut præfocat infantem, aut effusa vestem contaminat. Sensim ac paulatim infusa, juvat. Quod idem usu venire videmus vasculis angusti oris, si multum infundas, rebullit quod infunditur. Sin minutim, atque ut ita loquar stillatim, paulatim quidem ac sensim, sed tamen implentur. Ut igitur exiguis cibis ac subinde datis aluntur tenera corpuscula, itidem ingenia puerorum cognatis disciplinis, sed sensim ac ceu per lusum traditis, paulatim assuescunt majoribus, nec interim sentitur lassitudo, quod minutæ accessiones sic fallant laboris sensum, uti nihilo secus ad profectus summam conferant: quemadmodum narratur de quodam athleta, qui quotidie vitulum per aliquot stadia gestare assuetus, jam taurum factum nullo negocio gestavit. Non enim sentiebatur incrementum, quod unusquisque dies addebat oneri. Verum sunt qui postulant, ut illico pueri fiant senes, dum non habent rationem ætatis, sed ex suis viribus illorum ingenia metiuntur. Protinus instant acerbe, protinus exigunt plenam operam, protinus corrugant frontem, si minus puer exspectationi respondeat, & sic moventur, quasi cum adulto rem habeant, videlicet obliti se fuisse pueros. Quanto humanius est quod Plinius admonet quendam severiorem literatorem: *Memento*, inquit, *& illum adolescentem esse, & te fuisse*. At complures ita ferociunt in ætatem imbecillam, quasi nec se, nec discipulos meminerint homines esse.

Rogabis ut tibi commonstrem illa cognata ætatis genio, quæ statim instillanda sint parvulis. Primum linguarum usus, qui citra studium omne contingit infantibus, quum adultis ea facultas vix ingenti studio comparetur. Et huc, ut diximus, invitat infantulos nativa quædam imitandi voluptas, cujus vestigium aliquod videmus & in sturnis ac psittacis. Quid Poetarum fabulis amœnius? quæ sic voluptatis illecebra blandiuntur puerorum auribus, ut adultis quoque non modo ad linguæ cognitionem, verum etiam tum ad judicandum, tum ad dictionis copiam non parum adferant utilitatis. Quid libentius audiat puer, quam apologos Æsopicos, qui tamen per risum jocumque tradunt seria præcepta Philosophiæ, qui fructus est & in cæteris veterum Poetarum fabulis. Audit puer socios Ulyssis arte Circes versos in sues aliasque formas animantium. Ridetur narratio, & tamen interim discit puer, quod in morali Philosophia præcipuum est, eos qui non gubernantur recta ratione, sed affectuum arbitrio rapiuntur, non homines esse, sed belluas. Quid Stoicus diceret gravius? Et tamen idem docet ridicula fabula. In re manifesta, non te remorabor pluribus exemplis. Jam quid Bucolico carmine facetius? Quid Comœdia dulcius? quæ quum ἤθεσι constet, movet & imperitos, & pueros. At hic quanta Philosophiæ pars per lusum discitur? Adde his rerum omnium vocabula, in quibus mirum quam hodie cæcutiant etiam ii, qui pro præclare doctis habentur. Postremo sententias breves ac lepidas, quod genus fere sunt proverbia, & illustrium virorum apophthegmata, quibus olim solis Philosophia tradi solita est populo.

Jam apparet in ipsis interim infantibus, peculiaris quædam ad certas disciplinas proclivitas, velut ad Musicam, aut Arithmeticam, aut Cosmographiam. Nam ipse sum expertus, qui ad Grammatices, Rhetoricesque præceptiones vehementer tardi, ad subtiliores illas disciplinas valde dociles reperti sunt. In eam igitur partem est adjuvanda natura, in quam suapte sponte prona est. Minimus autem est in declivi labor, quemadmodum contra, *Nihil invita dices faciesve Minerva*. Novi puerum nondum fandi potentem, cui nihil erat dulcius, quam explicato volumine, legentis speciem repræsentare. Idque quum interdum multis horis faceret, nullo tædio capiebatur. Nec unquam tam acriter flebat, quin oblato volumine placaretur. Ea res parentibus spem bonam ostendebat fore ut aliquando vir doctus evaderet. Addebat & nomen nonnihil læti ominis. Nam Hieronymus dicebatur. Qualis autem nunc sit, nescio. Nam adolescentem non vidi.

Ad linguæ cognitionem plurimum habebit momenti, si inter bene loquaces educetur. Fabulas & apologos hoc discet libentius ac meminerit melius, si horum argumenta scite depicta pueri oculis subjiciantur, & quicquid oratione narratur, in tabula demonstretur. Idem æque valebit ad ediscenda arborum, herbarum, & animantium nomina; simul & naturas, præsertim eorum, quæ non ita passim sunt obvia, veluti rhinoceros, tragelaphus, onocrotalus, asinus Indicus, elephantus. Tabella habet elephantum, quem draco suo complexu stringit, primoribus pedibus cauda involutis. Arridet parvulo nova picturæ species, quid hic faciet præceptor? Admonebit ingens animal Græcis dici ἐλέφαντα, Latine similiter, nisi quod interdum ad Latinæ inflexionis formam dicimus elephantus elephanti. Ostendet quam Græci vocant προβοσκίδα, Latini manum, quod ea sibi porrigat cibum. Admonebit illud animal non respirare ore, quemadmodum nos, sed proboscide: ostendet dentes utrinque prominentes, unde ebur quod apud divites in precio est, simulque proferet pectinem eburneum. Deinde docebit apud Indos esse tam ingenti corpore dracones. Dracon autem esse vocem Græcam cum Latinis communem, nisi quod nos eam nostro more inflectimus, quum Græci dicant δράκοντος, quemadmodum λέοντος, unde fœmina Dracæna, sicuti Leæna. Admonebit inter hos dracones & elephantos esse genuinum atroxque bellum. Quod si puer erit discendi avidior, poterit alia multa commemorare de natura elephantorum ac draconum. Plerique gaudent pictis venationibus, hic quot species arborum, herbarum, avium, quadrupedum, per lusum disci possunt? Nec hic te remorabor exemplis, quum proclive sit ex uno conjicere omnia.

In deligendis his vigilabit institutor, ut quod judicabit maxime gratum pueris, maximeque cognatum & amabile, ac, ut ita dicam, florulentum, id potissimum proponat. Primæ ætatis ceu veris proventus flosculis blandum arridentibus, & jucunde virentibus herbis constat, donec virilis ætatis autumnus, maturis frugibus rumpat horrea. Ut igitur absurdum sit in vere maturam uvam quærere, in autumno rosam, ita præceptori observandum est, quid cui-

cuique congruat ætati. Jucunda & amœna pueritiæ conveniunt. Quanquam in totum a studiis oportet abesse tristitiam ac truculentiam. Fallor ni id veteres quoque significare voluerunt, qui Musis virginibus, formam insignem, citharam, cantus, choreas, ac lusus per amœna vireta tribuerunt, hisque Charitas addidere sodales: Studiorum profectum mutua animorum benevolentia potissimum constare, unde & humanitatis literas appellavere prisci.

Nihil autem vetat quo minus voluptati comes sit utilitas, & jucunditati juncta sit honestas. Atque hæc omnia tam frugifera nullo tædio discit puer. Quid enim obstat quo minus eadem opera discat aut lepidam ex Poetis fabellam, aut festivam sententiam, aut insignem historiolam, aut eruditum apologum, qua cantionem ineptam, plerumque & scurrilem, qua ridenda delirantium anicularum fabulamenta, qua meras mulierculararum imbibunt & ediscunt nugas? Quantum somniorum, quantum inanium ænigmatum, quantum inutilium næniarum de lemuribus, spectris, larvis, strigibus, lamiis, ephialtis, sylvanis ac dæmogorgonibus, quantum inutilium mendaciorum ex vulgaribus historiis, quantum deliramentorum, quantum nequiter dictorum, etiam viri memoria tenemus, quæ puelli a thattis, aviis, mammis, ac puellis colo assidentes, & inter complexus ac lusus audivimus?

Quantus autem esset ad eruditionem factus gradus, si pro his Siculis, ut ajunt, gerris vanioribus, nec frivolis tantum, sed noxiis quoque, ea quæ modo commemoravimus statim imbibissemus? Dices, quis doctus ad hæc tam minuta sese demissurus est? Atqui Aristoteles tantus Philosophus, non gravatus est in Alexandro fingendo literatoris obire munus. Chiron Achillis formavit infantiam, cui successit Phœnix. Heli sacerdos puerum Samuelem educavit. Et sunt hodie, qui vel lucelli, vel animi gratia, prope plus operæ sumunt in formando corvo aut psittaco. Sunt qui pietatis ergo longinquas juxta ac periculosas profectiones suscipiunt, aliosque labores propemodum intolerabiles. Quin ad hanc functionem, qua nihil potest esse Deo gratius, invitat nos pietas? Quanquam in his ipsis tradendis quæ commemoravimus, nec instantem, nec severum esse oportet formatorem, sed assiduum magis quam immodicum. Non offendit assiduitas, si moderata sit, si varietate simul & jucunditate condiatur, denique si sic tradantur hæc, ut absit laboris imaginatio, sed puer existimet omnia per lusum agi.

Hic ipse sermonis cursus nos admonet, ut paucis aperiamus, quibus modis fiat, ut puero dulcescant literæ, quod ante nonnulla ex parte cœpimus attingere. Sermonis facultas, ut dictum est, citra fastidium usu comparatur. Huic succedit scribendi legendique cura, quæ per se nonnihil habet tædii, cæterum id magna ex parte doctoris artificio tollitur, si blandis quibusdam illecebris condiatur. Reperias enim quosdam, qui diu hærent sudantque in noscitandis & connectendis literis, ac primis illis Grammatices rudimentis, quum ad majora sint celeri docilitate. Horum fastidio arte medendum est, cujus rei rationes aliquot commonstrarunt veteres. Quidam literarum formas, crustulis pueritiæ gratis exprimebant, ut ita quodammodo literas devorarent. Reddenti literæ nomen, præmiolum erat ipsa litera. Alii figuras elementorum ebore effingebant, ut his puellus luderet, aut si quid aliud esset, quo solet ætas illa peculiariter capi. Britanni jaculandi studio præcipue ducuntur, nec aliud prius suos docent infantes. Quidam itaque solertis ingenii pater, animadvertens in filio miram jaculandi voluptatem, bellissimum arcum ac sagittas perpulchras paravit, in omnibus tum arcu, tum sagittis erant depictæ literæ. Deinde scoporum vice, Græcarum primum, deinde Latinarum literarum figuras proposuit: ferienti ac literæ nomen pronuncianti, præter applausum, præmiolum erat cerasum, aut aliud quo gaudent parvuli. Ex eo lusu fructus est uberior, si duos tresve pares ad certaminis consortium adhibeas. Hic enim attentiores & alacriores facit victoriæ spes, ac metus ignominiæ. Eo commento factum est, ut puer intra pauculos dies ludendo, literarum omnium formas & sonos probe calluerit, quod literatorum vulgus, flagris, minis, & convitiis suis vix triennio possunt efficere. Mihi tamen non probatur in hujusmodi rationibus, quorundam nimis operosa industria, qui hæc per ludum laterunculorum aut aleæ adumbrant. Quum enim ipsi lusus superent puerorum captum, quomodo per eos discent literas? Hoc non est sublevare puerorum ingenia, sed labori laborem addere. Quemadmodum sunt machinæ quædam tam operosæ, ut moram adferant negocio peragendo. Hujus generis ferme sunt, quæ de arte memoriæ quidam ad quæstum aut ostentationem potius quam ad utilitatem excogitarunt. Nam ista memoriam corrumpunt potius. Optima memoriæ ars est, penitus intelligere, intellecta in ordinem redigere, postremo subinde repetere, quod meminisse velis. Et insitum est parvulis vincendi studium, & invidentiæ seminarium quoddam, deinde metus ignominiæ & laudis amor, præsertim iis qui sunt erectioris ingenii ac vividæ indolis. His affectibus abutetur formator ad studii profectum. Ubi nihil proficiet, precibus ac blandimentis, neque puerilibus præmiolis, ac laudibus, certamen cum æqualibus erit simulandum. Laudetur audiente segni sodalis. Acuet æmulatio, quem non potuit sola adhortatio. Non tamen expediet sic victori deferre palmam, quasi perpetua sit, sed interim ostendet victo spem, eam ignominiam vigilantia sarciendi, quod facere solent in bello duces. Nonnunquam permittendum est, ut puer existimet se vincere quum sit inferior. Postremo vicissitudine laudum ac vituperiorum alet in illis utilem, ut ait Hesiodus, contentionem.

Fortasse pigebit aliquem severioris ingenii, sic inter pueros ineptire. Sed eundem interim nec piget, nec pudet bonam diei partem cum catellis Melitæis, aut cum cercopithecis ludere, aut cum corvo psittacoque fabulari, aut cum morione nugari. His ineptiis res maxime seria agitur, & mirum est bonis viris hinc esse minus voluptatis, quum pietas ac spes amplissimi fructus & illa solet jucunda reddere, quæ per se sunt austera. Fateor Grammatices præceptiones initio subausteras esse, magisque necessarias esse quam jucundas. Verum his quoque bonam molestiæ partem adimet præcipientis dexteritas. Optima tantum primum ac simplicissima præcipienda sunt. Nunc quibus ambagibus ac difficultatibus excruciantur pueri, dum ediscunt literarum nomina, priusquam agnoscant figuras, dum in nominum ac verborum inflexionibus coguntur ediscere, quot casibus, modis ac temporibus eadem vox respondeat: veluti, musæ, genitivo & dativo singulari, nominativo & vocativo plurali. Legeris a legor, a legerim, & a legero. Quæ carnificina tum perstrepit in ludo, quum hæc a pueris exiguntur? Nonnulli literatores, ut ostentent eruditionem suam, solent his studiose nonnihil difficultatis addere. Quod vitium reddit omnium pene disciplinarum initia perplexa molestaque, præsertim in Dialectica. Quibus si commonstres commodiorem docendi viam, respondent se ad eum modum institutos, nec patiuntur quicquam melius esse pueris, quam ipsis pueris accidit. Vitanda est igitur omnis difficultas vel non necessaria, vel intempestiva. Mollius fit quod suo tempore geritur. Verum ubi jam devoranda est necessaria difficultas, ibi formandæ pueritiæ artifex, quantum potest probos & amicos Medicos studebit imitari, qui absinthiatum pharmacum porrecturi, ut inquit Lucretius, poculorum oras melle prælinunt, quo puer illectus dulcedinis voluptate salutiferam amaritudinem non reformidet, aut ipsi etiam pharmaco saccarum, aut aliud grati saporis admiscent. Quin & dissimulant esse pharmacum. Nonnunquam enim horrorem adfert sola imaginatio. Denique facile vincitur hoc tædium, si non simul & immodice, sed paulatim & ex intervallis tradantur. Quanquam non oportet plus satis diffidere puerorum viribus, si quid forte laboris si exhauriendum. Non valet robore puer, at valet assiduitate, valet habilitate naturæ. Non valet ut taurus, at valet ut formica. In quibusdam & elephantus a musca superatur. In eo quidque valet ad quod natura compositum est. An non videmus pueros tenellos mira agilitate totum cursitare diem, nec sentire lassitudinem? Idem si faciat Milo, fatigaretur. Quid in causa? Quia lusus ætati cognatus est, & lusum imaginantur, non laborem. Est autem in re quavis maxima molestiæ pars, imaginatio, quæ mali sensum adfert interdum, etiam ubi nihil est mali. Proinde quum hanc naturæ providentia parvulis ademerit, ut

ut quantum deest viribus, tantum hac parte subleventur, præceptoris, ut ante diximus, partes erunt, eandem multis rationibus excludere, studioque lusus personam inducere. Sunt & lusuum species non indignæ liberis, quibus subinde laxanda est studiorum intensio postquam eo perventum est, ut ad majora vocentur, quæ sine cura, laboreque percipi non possunt: quod genus sunt, tractare themata, vertere Latina Græce, aut Græca Latine, aut Cosmographiam ediscere. Sed omnium maxime contulerit, si puer consuerit diligere ac revereri præceptorem, amare mirarique literas, metuere ignominiam, capi laude.

Tertia propositio. Restat unus ille scrupulus, quem objicere solent ii, qui dicunt minorem esse profectum, qui tribus illis aut quatuor annis acquiritur puero, quam ut operæ precium sit, vel tantum capere laboris in docendo, vel tantum sumptus impendere. At isti quidem mihi videntur non tam consulere pueris quam facultatibus, aut doctori parcere. Verum ego patrem esse negarim, qui quum de formando filio res vertitur, anxiam sumptus rationem habet. Tum ridicula quædam clementia fuerit, quo præceptor nonnihil operæ lucri faciat, aliquot annorum jacturam in filio facere. Sit sane verum, quod non negat Fabius, post uno anno plus effici, quam primis illis tribus aut quatuor, quid est cur hoc qualecunque lucrum contemnamus in re multo preciosissima? Donemus esse perpusillum, tamen hoc præstabat agere puerum, quam aut omnino nihil, aut aliquid dediscendum discere. Quibus curis melius occupabitur illa ætas, simul atque fari cœperit, quæ non potest esse prorsus ociosa? Deinde quantulumcunque est quod prior ætas contulerit, majora tamen aliqua discet puer, eo ipso anno, quo minora forent discenda, nisi illa prius occupasset. *Hoc*, inquit Fabius, *per singulos annos prorogatum in summam proficit, & quantum in infantia præsumptum est temporis, adolescentiæ acquiritur.* Ne repetam quod primis illis annis quædam facile discuntur, quæ a grandioribus majore negocio percipiuntur. Facillime enim discitur quod suo tempore discitur. Demus illa esse pusilla, modo fateamur esse necessaria. Tametsi mihi quidem non adeo videtur exiguus ad eruditionem gradus, utriusque linguæ si non peritiam certe gustum assequutum esse, tum tot rerum vocabula, denique prompte legendi scribendique facultatem auspicatum esse. Non piget in rebus multo vilioribus occupare quicquid possumus quantumvis exigui lucelli, quod Græci, ni fallor, vocant πρὸ ὁδοῦ. Vigilans negociator, non assis aut teruncii compendium negligit, sic suo cum animo reputans, per se quidem exiguum est, sed accrescit ad summam, & pusillum pusillo frequenter additum cito reddit ingentem acervum. Fabri ærarii surgunt antelucano, quo diei partem veluti lucrifaciant. Agricolæ quædam diebus festis agunt domi, quo plus operæ cæteris diebus absolvant. Et nos in liberis quatuor annorum dispendium pro nihilo ducimus, quum neque tempore sit ullus sumptus preciosior, neque literis sit ulla melior possessio? Nunquam satis mature incipitur, quod nunquam absolvitur. Semper enim discendum quamdiu vivimus. Atqui cæteris in rebus, lucrum cessatione prætermissum, vigilantia sarciri potest. Ætas ubi semel avolarit, avolat autem quam ocyssime, nullis incantamentis revocari potest. Nugantur enim Poetæ, qui fontem memorant, e quo veluti repubescant grandævi: fallunt Medici, qui per nescio quam quintam essentiam pollicentur senibus repubescentiam. Hic igitur oportebat adhibere summam parsimoniam, quod ætatis jactura nulla ratione pensari queat.

Adde quod prima quæque vitæ pars optima creditur, quo parcius hæc est dispensanda. Hesiodus nec in summo, nec in imo probat parsimoniam, quod pleno dolio videatur præpropera, exhausto sera, proinde in medio parci jubet. At ætatis non oportet usquam abjici parsimoniam, & si ob id parcendum semipleno dolio, quod vinum in medio sit optimum, maxime parcendum est teneris annis, quæ vitæ pars est optima, si exerceas, sed eadem fugacissima. Agricola paulo diligentior, non committit ut ulla pars agrorum omnino cesset, & quæ gignendis frumentis apta non est, eam aut virgultis conserit, aut pascuis relinquit, aut oleribus instruit. Et nos optimam ævi partem, citra frugem omnem literariam effugere patiemur? Novalis recens vel in hoc aliqua fruge occupandus est, ne incultus ex se gignat zizania. Nam omnino aliquid gignat oportet. Itidem tenera mens infantis, nisi protinus frugiferis disciplinis occupetur, vitiis obducitur. Testa liquoris odorem, quo primum imbuta fuit diu reddit, atque ægre dediscit. Sed testam recentem ac vacuam, servare licet cui voles liquori. Mens aut bonam frugem gignit, si bonum semen injicias, aut si negligas, inutilibus ac mox revellendis occupatur. Non parum lucri fecit, qui damnum effugit. Nec exiguum ad virtutem momentum attulit, qui vitium exclusit.

Sed quid plura? Vis videre quanti referat, mature quis formetur ad eruditionem an secus? Contemplare, quantum prisci virenti etiamnum ætate præstiterint, & quam hodie nihil possunt qui in studiis consenuerunt. Elegias amorum admodum adolescens scripsit Ovidius. Quis idem nunc possit senex? Lucanus qualis fuerit adolescens, declarant illius monumenta. Unde id? quoniam non major sex mensibus, Romam deportatus, illico traditus est duobus clarissimis Grammaticis, Palæmoni & Cornuto. Sodales studiorum habuit, Salejum Bassum, & A. Persium, alterum historia, alterum satyra nobilem. Hinc nimirum illa in juvene tam omnibus numeris absoluta cyclopædia, tam admirabilis eloquentia, qui in carmine non minus Oratorem summum præstat, quam Poetam. Nec desunt hoc seculo felicis institutionis exempla, tametsi rariora, idque in utroque sexu. Cassandræ virginis ingenium celebravit Politianus. Quid autem Ursino puero undecim annos nato mirabilius? Nam hujus memoriam vir idem Epistola sane quam eleganti, seculorum memoriæ commendavit. Quotumquemque nunc reperias virum, qui duas Epistolas eodem tempore totidem notariis dictare possit, ut & in singulis quadrent sententiæ, nec usquam excidat solœcismus? Puer ille id præstitit in quinque, quum ex tempore darentur argumenta, & imparatus id faceret. Nonnulli quum hæc vident, existimantes rem esse viribus humanis majorem, tribuunt ea magicis artibus. Plane magicis artibus fit, sed efficax incantamentum est, mature tradi, docto, probo, & vigilanti præceptori. Ingens pharmacum est, ab eruditis & inter eruditos optima statim discere. Talibus magicis artibus Alexander Magnus adolescens etiamnum, præter eloquentiam omnes Philosophiæ partes absolverat, & nisi bellorum amor ac regnandi dulcedo ingenium hoc abripuisset, poterat inter summos Philosophos esse præcipuus. Iisdem artibus C. Cæsar tantum adolescens eloquentia Mathematicisque disciplinis valuit, tantum Imperatores plerique, tantum M. Tullius, Virgilius, & Horatius ætate virenti, tum doctrina, tum facundia præstiterunt, quod linguarum elegantiam apud parentes ac nutrices, disciplinas liberales, veluti Poeticen, Rhetoricen, Historiam, Antiquitatis notitiam, Arithmeticam, Geographiam, Ethicen, Politicen, ac rerum naturas rudibus statim annis ab eruditissimis didicerunt.

Quid nos porro? Pueros nostros ultra pubertatem domi detinemus, ac ocio, luxu, deliciisque corruptos, vix tandem in scholam publicam mittimus. Illic ut res bene cedat, degustant aliquid Grammatices, mox simul atque norunt inflectere voces, & suppositum apposito recte jungere, perdidicere Grammaticam, & ad perturbatam Dialecticen admoventur, ubi si quid etiam recte loqui didicerunt, dediscant oportet. Sed infelicior erat ætas, quæ me puero modis significandi, & quæstiunculis ex qua vi, pueros excarnificabat, nec aliud interim docens, quam perperam loqui. Nimirum, præceptores illi, ne puerilia docere viderentur, Grammaticen, Dialectices ac Metaphysices difficultatibus obscurabant, nimirum ut præpostere jam provectiores post majores disciplinas Grammaticen discerent: quod nunc videmus aliquot Theologis evenire cordatioribus, ut post tot laureas, post omnes titulos, ut jam illis liberum non sit quicquam nescire, ad eos libros redire cogantur, qui pueris solent prælegi. Non illos insector, præstat sero quam nunquam discere, quod cognitu necessarium est. Deum immortalem quale seculum erat hoc, quum magno apparatu disticha Joannis Garlandini adolescentibus, operosis ac prolixis commentariis enarrabantur? Quum ineptis versiculis, dictandis, repetendis, & exigendis magna pars temporis absumebatur? Quum ediscerettur Florista & Floretus? Nam Alexandrum inter

tolerabiles numerandum arbitror. Deinde quantum temporis peribat in Sophistica, in supervacaneis Dialecticorum labyrinthis? Ac ne sim prolixior, quam perturbate tradebantur omnes disciplinæ, quam moleste, dum quisque Professor ostentandi sui gratia, statim in initio ea infulciret discipulis, quæ sunt difficillima, nonnunquam & frivola. Nec enim statim præclarum quod difficile, veluti sinapis granum e longo mittere per foramen acus, difficillimum quidem est, sed ineptum: & nectere aut solvere nodos Cassioticos, res est operosæ quidem, sed ociosæ subtilitatis. Adde quod hæc traduntur interdum ab indoctis, aut quod deterius est, a perperam doctis, nonnunquam ab ignavis & improbis, quibus merces longe prior est discipulorum profectu. Hujusmodi quum sit vulgaris institutio, miramur paucis ante senectutem contingere plenam eruditionem? Optima pars ævi perit ocio, perit vitiis, quibus infecti minimam temporis portionem impendimus studiis, maximam amoribus, conviviis & lusibus. Et ad malam materiam adhibetur nihilo melior artifex, aut frivola docens, aut dediscenda. Et post hæc causamur ætatis imbecillitatem, nondum docile ingenium, exiguum profe- A ctum, aliaque permulta, quum re vera quicquid hoc est mali, sinistræ institutioni sit imputandum.

Non te traham sermone longiore. Tantum istam tuam prudentiam cæteris in rebus perspicacissimam, appellabo. *Epilogus.* Consideret quam cara sit possessio filius, quam varia, quamque operosa res eruditio, sed eadem quam præclara, quanta puerilis ingenii ad omnem institutionem habilitas, quanta humanæ mentis agilitas, quam facile discuntur quæ sunt optima quæque naturæ consentanea, præsertim si a doctis & comibus per lusum tradentur. Deinde quam tenaciter hæreant ea quibus vacuos ac rudes animos primum imbuimus, quæ eadem provectior ætas & percipit difficilius, & obliviscitur citius. Ad hæc quam carus & irreparabilis sumptus sit tempus, quantum valeat mature cœpisse, quantum suo quidque tempore agere, quantum possit assiduitas, quam bene minimorum accessione crescit acervus Hesiodius, quam fugax ætas, quam occupata juventa, quam indocilis senectus. Hæc si tecum expendes, nunquam committes, ut in filiolo, non dicam septennium, sed ne triduum quidem prætereat, in quo ad eruditionem qualicunque profectu vel præparari, vel instrui possit.

D I X I.



D E-

DESIDERIUS ERASMUS ROTERODAMUS DE STUDIO BONARUM LITERARUM.

DESIDERIUS ERASMUS
ROTERODAMUS
PETRO VITERIO,
LIBERALIUM DISCIPLINARUM PROFESSORI
EXIMIO,
S. D.



NEc tu rem istam, mi Petre suavissime, & perspicis acute, & graviter vereque judicas, plurimum referre, qua ratione, quoque ordine quid instituas, idque maximum habere momentum, cum cæteris in rebus omnibus, tum vero præcipue in bonarum studiis literarum. An non videmus ingentia pondera, si artem adhibeas, minimo tolli negocio, quæ nullis alioqui viribus moveri poterant? Quemadmodum & in bello non perinde refert, quantis copiis, quantisque viribus hostem adoriaris, ut quam probe instructo exercitu, quo consilio, quoque ordine pugnam capessas. Ac multo celerius quo tendunt, perveniunt ii, qui semitas compendiarias norunt, quam qui amnem, ut ait Plautus, ducem sequuntur, & vel contempto Pythagora τῆς λεωφόρου *ingrediuntur, vel variis etiam errorum ambagibus circumaguntur. Proinde rogas, ut tibi studiorum ordinem, ac viam, formamque præscribam, quam tu, veluti Thesei filum secutus, & in auctorum labyrinthis citra errorem versari queas, & ad eruditionis summam celerius emergere, vel magis aliorum studiis consulere, quos bonis literis instituis, quandoquidem ipse jam propemodum ad eruditionis fastigium pervenisti. Equidem pro mea certe virili non gravatim parebo homini tam amico, ut nefas sit quidvis etiam flagitanti negare, nedum rem tam honestam, tamque frugiferam. Quod si senseris nostrum hoc consilium tibi commodo fuisse, tui candoris erit, & aliis ad bonas literas enitentibus, digito viam indicare.*

DE

RATIONE STUDII.



RINCIPIO duplex omnino videtur cognitio, rerum ac verborum. Verborum prior, rerum potior. Sed nonnulli dum ἀνίπτοις, ut ajunt, ποσὶν ad res discendas festinant, sermonis curam negligunt, & male affectato compendio, in maxima incidunt dispendia. Etenim cum res non nisi per vocum notas cognoscantur, qui sermonis vim non callet, is passim in rerum quoque judicio cæcutiat, hallucinetur, deliret necesse est. Postremo videas nullos omnium magis ubique de voculis cavillari, quam eos qui jactitant sese verba negligere, rem ipsam spectare. Quapropter utroque in genere statim optima, & quidem ab optimis sunt discenda. Quid enim stultius, quam magno labore discere, quæ postea majori cogaris dediscere? Nihil autem facilius discitur, quam quod rectum ac verum est. At prava si semel inhæserint ingenio, dictu mirum quam non possint revelli.

Primum igitur locum Grammatica sibi vindicat, eaque protinus duplex tradenda pueris, Græca videlicet ac Latina. Non modo quod his duabus linguis omnia ferme sunt prodita, quæ digna cognitu videantur, verumetiam quod utraque alteri sic affinis est, ut ambæ citius percipi queant conjunctim, quam altera sine altera, certe quam Latina sine Græca. A Græcis auspicari nos mavult Quintilianus, sed ita, si his literis perceptis, non longo intervallo Latinæ succedant, sane utrasque pari cura tuendas esse monet, atque ita futurum, ut neutræ alteris officiant. Ergo utriusque linguæ rudimenta, & statim, & ab optimo præceptore sunt haurienda: qui si forte non contingat, tum (quod est proximum) optimis certe utendum auctoribus, quos equidem perpaucos, sed delectos esse velim. Inter Græcos Grammaticos, nemo non primum locum tribuit Theodoro Gazæ; proximum, mea sententia, Constantinus Lascaris sibi jure suo vindicat. Inter Latinos vetustiores Diomedes. Inter recentiores haud multum video discriminis, nisi quod Nicolaus Perottus videtur omnium diligentissimus, citra superstitionem tamen. Verum ut hujusmodi præcepta fateor necessaria, ita velim esse quantum fieri possit, quam paucissima, modo sint optima. Nec unquam probavi literatorum vulgus, qui pueros in his inculcandis complures annos remorantur.

Nam vera emendate loquendi facultas optime paratur, cum ex castigate loquentium colloquio convictuque, tum ex eloquentium auctorum assidua lectione, e quibus ii primum sunt imbibendi, quorum oratio præterquam quod est castigatissima, argumenti quoque illecebra aliqua discentibus blandiatur. Quo quidem in genere primas tribuerim Luciano, alteras Demostheni, tertias Herodoto. Rursum ex Poetis primas Aristophani, alteras Homero, tertias Euripidi. Nam Menandrum, cui vel primas daturus eram, desideramus. Rursum inter Latinos quis utilior loquendi auctor quam Terentius? purus tersus, & quotidiano sermoni proximus, tum ipso quoque argumenti genere jucundus adolescentiæ. Huic si quis aliquot selectas Plauti Comœdias putet addendas, quæ vacent 1 obscœnitate, equidem nihil repugno. Proximus locus erit Virgilio, tertius Horatio, quartus Ciceroni, quintus C. Cæsari. Sallustium si quis adjungendum arbitrabitur, cum hoc non magnopere contenderim, atque hos quidem ad utriusque linguæ cognitionem satis esse duco. Neque enim mihi placent, qui in evolvendis hunc in usum auctoribus, etiam quibuslibet, vitam omnem conterunt, prorsus infantem existimantes eum, quem ulla chartula suffugerit.

Ergo parata sermonis facultate, si non luxuriosa, certe casta, mox ad rerum intelligentiam conferendus est animus. Tametsi ex his etiam scriptoribus, quos expoliendæ linguæ gratia legimus, non mediocris obiter rerum quoque cogni-

1 Simile monitum de *Aristophane* addendum fuit, qui haud paullo obscoenior est quam *Plautus*, cujus *Casina* ferme sola a pueris legi non potest.

A tio percipitur, verum ex instituto omnis fere rerum scientia a Græcis auctoribus petenda est. Nam unde tandem haurias vel purius, vel citius, vel jucundius quam ab ipsis fontibus? Sed quo ordine disciplinæ discendæ sint, & ex quibus potissimum præceptoribus, id alias fortasse rectius ostendemus. Interim ad primæ ætatis studia revertamur. Ut igitur ex his auctoribus unde linguæ copiam petendam esse diximus, fructum capias & maturius, & uberiorem, Laurentium Vallam tibi censeo diligenter evolvendum, qui de Latini sermonis elegantia scripsit elegantissime. Hujus adjutus præceptionibus, ipse per te non pauca annotabis. Neque enim te velim per omnia velut addictum, Laurentianis servire præceptis. Adjuvabit hoc quoque, si figuras Grammaticas a Donato ac Diomede traditas edidiceris, si Carmi-
B nis leges ac formas omnes tenueris, si Rhetorices summam, hoc est, propositiones, locos probationum, exornationes, amplificationes, transitionum formulas in promptu habueris. Conducunt enim hæc non solum ad judicandum, verumetiam ad imitandum.

His itaque rebus instructus, inter legendum auctores, non oscitanter observabis, si quod incidat insigne verbum, si quid antique aut nove dictum, si quod argumentum, aut inventum acute, aut tortum apte, si quod egregium orationis decus, si quod adagium, si quod exemplum, si qua sententia digna quæ memoriæ commendetur. Isque locus erit apta notula quapiam insigniendus. Notis enim non solum variis erit utendum, verumetiam accommodatis, quo protinus quid rei sit, admoneant. Ad hæc si quis Dialecticen addendam statuet, non admodum refragabor, modo ab
C Aristotele eam discat, non ab isto loquacissimo Sophistarum genere, neque rursum ibi desideat, & velut ad scopulos (ut inquit Gellius) Sirenæos consenescat.

Verum illud interim memineris, optimum dicendi magistrum esse stilum. Erit hic igitur in carmine, in oratione libera, in omni argumenti genere diligenter exercendus. Neque negligenda memoria, lectionis thesaurus. Eam tametsi locis & imaginibus adjuvari non inficior, tamen tribus rebus potissimum constat optima memoria, intellectu, ordine, cura. Siquidem bona memoriæ pars est, rem penitus intellexisse. Tum ordo facit, ut etiam quæ semel exciderint, quasi postliminio in animum revocemus. Porro cura omnibus in rebus, non hic tantum, plurimum valet. Itaque quæ meminisse velis, ea sunt attentius, ac crebrius
D relegenda, deinde sæpius a nobis ipsis exigenda, ut si quid forte suffugerit, id restituatur. Illud minutius, sed tamen haud indignum quod admoneatur. Adjuvabit non mediocriter, si quorum necessaria quidem, sed subdifficilis erit memoria, veluti locorum quos tradunt Cosmographi, pedum metricorum, figurarum Grammaticarum, Genealogiarum, aut si qua sunt similia, ea quam fieri potest brevissime simul & luculentissime in tabulas depicta, in cubiculi parietibus suspendantur, quo passim & aliud agentibus sint obvia. Item si quædam breviter, sed insigniter dicta, velut apophthegmata, proverbia, sententias in frontibus atque in calcibus singulorum codicum inscribes, quædam annulis, aut poculis insculpes, nonnulla pro foribus, & in parietibus, aut vitreis etiam fenestris depinges, quo nusquam
E non occurrat oculis, quod eruditionem adjuvet. Hæc enim tametsi singula per se pusilla videntur, tamen in unum collata acervum, doctrinæ thesaurum lucro augent, haudquaquam negligendo τῷ εἰς ἄφενον σπεύδοντι, id est, his opibus properanti ditescere. Postremo illud non ad unum aliquid, sed ad omnia simul plurimum conducet, si frequenter alios quoque doceas. Nusquam enim melius deprehenderis quid intelligas, quid non. Atque interim nova quædam occurrunt commentanti, differentique, nihil non altius infigitur animo.

DE RATIONE INSTITUENDI DISCIPULOS.

Sed video te cupere, ut de docendi quoque ratione nonnihil attingamus. Age mos geratur Vlterio; quanquam video Fabium hisce de rebus diligentissime præcepisse, adeo

adeo ut post hunc de iisdem scribere prorsus impudentissimum esse videatur. Ergo qui volet instituere quempiam, dabit operam, ut statim optima tradat, verum qui rectissime tradat optima, is omnia sciat necesse est: aut si id hominis ingenio negatum est, certe uniuscujusque disciplinæ præcipua. In hoc non ero contentus decem illis, aut duodecim auctoribus, sed orbem illum doctrinæ requiram, ut nihil ignoret etiam qui minima parat docere. Erit igitur huic per omne scriptorum genus vagandum, ut optimum quemque primum legat, sed ita, ut neminem relinquat ingustatum, etiam si parum bonus sit auctor. Atque id quo cumulatiore fructu faciat, ante locos & ordines quosdam, ac formulas in hoc paratas habeat, ut quicquid usquam inciderit annotandum, id suo adscribat ordini. Sed hoc qua ratione fieri oporteat, in secundo de copia commentario demonstravimus. Verum si cui vel ocium, vel librorum copia defuerit, plurima Plinius unus suppeditabit, multa Macrobius & Athenæus, varia Gellius. Sed in primis ad fontes ipsos properandum, id est, Græcos & antiquos. Philosophiam optime docebit Plato, & Aristoteles, atque hujus discipulus Theophrastus, tum utrinque mixtus Plotinus. Ex Theologis secundum divinas literas, nemo melius Origene, nemo subtilius aut jucundius Chrysostomo, nemo sanctius Basilio. Inter Latinos duo duntaxat insignes in hoc genere, Ambrosius mirus in allusionibus, & Hieronymus in arcanis literis exercitatissimus. Quod si minus vacabit immorari singulis, omnes tamen censeo degustandos, quorum in præsentia catalogum texere, non est ratio. Certe propter Poetarum enarrationem, quibus mos est, ex omni disciplinarum genere sua temperare, tenenda est fabularum vis, quam unde potius petas, quam ab Homero, fabularum omnium parente? Tametsi Metamorphoses, ac Fasti Nasonis non leve momentum adferent, quanquam Latine scripti. Tenenda Cosmographia, quæ in historiis etiam est usui, nedum in Poetis. Hanc brevissime tradit Pomponius Mela, doctissime Ptolemæus, diligentissime Plinius. Nam Strabo non hoc tantum agit. Hic præcipua pars est observasse quæ montium, fluminum, regionum, urbium, vulgo recepta vocabula, quibus antiquis respondeant. Eadem debet esse cura in arborum, herbarum, animantium, instrumentorum, vestium, gemmarum nominibus, in quibus incredibile dictu, quam nihil intelligat literatorum vulgus. Horum notitia partim e diversis auctoribus, qui de re rustica, de re militari, de architectura, de re culinaria, de gemmis, de plantis, de naturis animantium conscripserunt, colligitur. Quanquam Julius Pollux ex professo de rerum vocabulis tradidit, quæ utinam tam accurate distinxisset, quam congessit copiose: partim ex etymologiis, partim ex his linguis, quæ prisci sermonis & incorrupti manifesta vestigia servant in hanc usque ætatem, cujusmodi lingua Constantinopolitanorum, Italorum, & Hispanorum, nam Gallorum oratio longius degeneravit. Tenenda antiquitas, quæ non modo ex vetustis auctoribus, verumetiam e nomismatis priscis, e titulis saxisque colligitur. Ediscenda & Deorum Genealogia, quibus undique refertæ sunt fabulæ, eam post Hesiodum felicius quam pro suo seculo tradidit Boccatius. Non ignoranda Astrologia, quod hanc passim suis figmentis aspergunt Poetæ, præsertim Hygini. Tenenda rerum omnium vis, atque natura, propterea quod hinc similia, epitheta, comparationes, imagines, metaphoras, atque alia id genus schemata solent mutuo sumere. In primis autem omnis tenenda est historia, cujus usus latissime patet, non tantum in Poetis. Jam si quis Prudentium, unum inter Christianos vere facundum Poetam volet enarrare, literas etiam arcanas calleat oportet. Postremo nulla disciplina est, nec militiæ, nec rei rusticæ, nec Musices, nec Architecturæ, quæ non usui sit iis, qui Poetas, aut Oratores antiquos susceperint enarrandos. Sed video jamdudum frontem contrahis. Næ tu inquis, immensum onus imponis etiam literatori. Onero sane, sed unum, ut quam plurimos exonerem. Volo ut unus evolvat omnia, ne singulis universa sint evolvenda.

Jam vero de formando puerorum ore, deque tradendis, ceu per lusum, jocumque literarum figuris, satis præcepit Fabius. Equidem post tradita elementa prima, malim ad usum loquendi statim vocari puerum. Etenim cum intra paucculos menses, quamvis barbaram linguam ætas ea sonet, quid vetat quo minus idem fiat in lingua Græca sive Latina? Verum id nec in magno puerorum grege locum habet, & domesticam præceptoris consuetudinem requirit. Quanquam in ludo quoque dabit operam, ut sive pluribus loquatur, sive seorsim uni, quam potest emendatissime dicat. Quædam obiter interpretetur, & ut imitentur, admoneat. Loquentes illos aliquoties collaudet si quid dictum erit aptius, aut emendet, cum errabunt. Ea res efficiet, ut illi quoque consuescant circumspectius & accuratius loqui, & præceptorem loquentem attentius observent. Juvabit & illud, si propositis præmiolis, aut pœnis, velut ex lege provocentur, ut ipsi quoque inter sese alius alium emendent. Porro præceptor eruditiores aliquot deliget, qui controversiam finiant. Neque fuerit inutile, ceu formulas aliquot proponere pueris quibus orationibus in lusu, quibus in congressu, quibus in conviviis uti debeant. Has sic oportet esse doctas, ut simul & faciles sint & jucundæ. Porro doctor ille diligens & doctus, acrique judicio, non gravabitur, collatis omnibus Grammaticorum præceptis, excerpere quædam, & simplicissima, quod quidem fieri potest, & brevissima, tum ordine quam maxime commodo.

Posteaquam ea tradidit, statim ad auctorem aliquem ad id accommodatissimum, ac loquendi scribendique consuetudinem vocentur. Hic præceptiones ante traditas ut incident, exemplaque diligenter inculcabit, quibus etiam addet nonnihil, velut jam tum ad majora præparans. Hinc jam thematiis exerceri debent. In quibus illud in primis cavendum, ne (quod fieri solet) aut sensu sint inepto, aut sermone insulso, sed argutam aliquam, aut venustam habeant sententiam, quæ tamen ab ingenio puerili non nimium abhorreat, ut interim aliud agentes, simul & aliquid discant, in gravioribus studiis usui futurum. Habeat igitur thema, quod pueris proponet, aut historiam memorabilem. Quod genus sunt illa: Mercelli præceps calor rem Romanam subvertit, Fabii prudens cunctatio restituit. Quanquam hic subest etiam sententia, nimirum præcipitata consilia parum feliciter evenire solere. Item, difficile judicatu sit, uter altero fuerit stultior, Crates qui aurum abjecit in mare, an Midas qui existimavit nihil auro melius esse. Item, Demostheni ac Ciceroni immodica eloquentia exitio fuit. Rursum, nulla laus Codri Regis meritis par esse potest, qui civium salutem propriæ vitæ dispendio redimendam putavit. Sed non magni negocii fuerit hujusmodi vim ex Historiographis, præcipue Valerio Maximo, colligere. Aut fabulam habeat, ut illud: Hercules expugnandis monstris immortalitatem sibi paravit. Musæ fontibus ac nemoribus unice gaudent, a fumosis urbibus abhorrent. Aut apologum, ut: Recte docuit cassita non esse committendum amicis negocium, quod per te possis conficere. Item: Manticam pectore propendentem vident omnes, eam, quæ a tergo pendet, videt nemo. Item: Sapiebat vulpes, quæ maluit muscas jam prope saturas retinere, quam his expunctis, vacuas ac sitientes admittere, quæ quicquid reliquum esset, sanguinis, epotarent. Aut apophthegma, ut: Longe dissentiebat a vulgo nostræ ætatis, qui maluit virum absque pecunia, quam pecuniam sine viro. Item: Jure Socrates contemnit eos, qui non edunt ut vivant, sed vivunt ut edant. Merito non probavit Cato eos, qui plus sapiunt palato, quam animo. Aut proverbium, ut: Ne sutor ultra crepidam. Et: Non cujuslibet est hominis Corinthum navigare. Ac nos quidem editis tot Chiliadibus, effecimus, ne difficilis esset horum inventio. Aut sententiam, ut: Nihil carius constat, quam quod precibus emitur. Et: Obsequium amicos, veritas odium parit. Et: Amici, qui procul absunt, amici non sunt. Aut rei cujuspiam insignem naturam, ut: Magnes ad sese ferrum attrahit, Naphtha ignem. Item: Palmæ ea est natura, ut pondere imposito, non modo non deprimatur ad terram, verumetiam sursum nitatur, & altius erigat sese. Item mirum Polypi ingenium, qui ad speciem subjecti soli mutat colorem, quo fallat insidias piscatoris. Aut figuram eximiam, puta gradationem. Divitiæ luxum pariunt, luxus saturitatem, saturitas ferociam, ferocia odium multorum,

torum, odium perniciem. Aut similitudinem, ut: Quemadmodum ferrum si exerceas, usu atteritur: si non exerceas, exeditur rubigine. Ita ingenium si exerceas, labore absumitur: si non exerceas, magis ocio, situque læditur. Aut allegoriam, ut: Non est addendus ignis igni, non est addendum oleum incendio. Aut commutationem, ut non ideo te talem judico, quod vehementer amem, sed ideo vehementer amo, quod talem judicarim. Aut distributionem: Stultior est, quam ut possit tacere, infantior, quam ut possit loqui. Simplicior est, quam qui possit mentiri: gravior, quam ut velit. Sed mihi sat est indicasse tantum. Aut exquisitam aliquam elegantiam. Cujus rei non est necesse ponere exemplum. Nihil autem
B obstat, quo minus plures commoditates in eandem incidant orationem, veluti sententia, historia, proverbium, & figura. Ergo præceptor, quem oportet assidue in bonis auctoribus obversari, hujusmodi ceu flosculos undiquaque colliget, eosque delectos proponet, aut etiam in eam formam demutabit, ut puerorum ingeniis sint accommodati.

Postquam his rebus ad aliquantam sermonis peritiam provectus erit puer, tum si videbitur, ad majora Grammatices præcepta revocetur, quæ per locos & ordines quosdam ita tradenda sunt, ut primo loco simplicissima proponantur, eaque paucis. Deinde utcunque adolescunt discentium ingenia, ita majora suis quæque locis oportebit subjicere. Is ordo cujusmodi sit, e Theodori Gazæ
C Grammatica exemplum sumas licebit. Nec in his tamen velim eos detineri longius, sed illico ad auctores graviores revocari. Præsertim si prius summam illam, de qua dixi, Rhetorices, ac figuras, & carminum formas teneant. Interim thematis quoque difficilioribus sint exercendi, in quibus delegendis ac narrandis, diligentem ac doctum præceptorem requiram. Qui si sit mediocris, modo sit idem modestus, non gravabitur hæc ab alio doctiore petere. Thematum autem formæ hujusmodi fere possunt esse. Nunc Epistolæ brevis argumentum, sed argutum, lingua vulgari proponat, Latine Græceve, aut utroque sermone tractandum. Nunc apologum, nunc narratiunculam non insipidam, nunc sententiam ex quatuor con-
D stantem partibus, utrique duarum simili aut ratione subjecta. Nunc argumentationem quinque tractandam partibus, nunc dilemma duabus, nunc expolitionem quam vocant, septem partibus explicandam. Aliquando tanquam ad Rhetorica præludentes, unum aliquod membrorum seorsum tractent. Cujusmodi progymnasmata scripsit Aphthonius. Aliquando laudem, vituperationem, fabulam, similitudinem, comparationem. Aliquando figuram, vel descriptionem, distributionem, sermocinationem, subjectionem, notationem. Aliquoties jubeantur carmen aliquod solvere. Aliquoties solutam orationem pedibus alligare. Interim Plinianam aut Ciceronis Episto-
E lam, verbis ac figuris imitentur. Nonnunquam eandem sententiam variatis verbis ac figuris sæpius efferant. Nonnunquam eandem Græce simul ac Latine metro & oratione prosa varient. Nonnunquam eandem quinque aut sex carminum generibus, quæ doctor præscripserit, explicent. Nonnunquam sententiam eandem per locos quam plurimos ac schemata diffingant. Plurimum autem fructus est in Græcis vertendis. Quare convenit eos, hoc in genere sæpissime ac diligentissime exerceri. Nam simul & exercetur ingenium in deprehendendis sententiis, & utriusque sermonis vis ac proprietas penitus inspicitur, & quid nobis cum Græcis commune sit, quid non, deprehenditur. Denique ad reddendam Græcanicam emphasim, o-
F mnes Latinæ linguæ opes excutias oportet. Hæc si initio pueris difficilia videbuntur, tum usu fient faciliora, tum præceptoris ingenium, ac studium, bonam negocii partem pueris adimet, indicatis quæ putet esse supra vires illorum.

Atque iis interim exercitamentis crebræ prælectiones auctorum misceantur, ut suppetat quod imitentur. Quanquam is, qui docet, proposito themate, simul verborum quoque & figurarum copiam debet indicare. Sub hæc ad inveniendi quoque laborem provocentur, ita propositis nudis argumentis, ut suo quisque Marte reperiat, quæ pertinebunt ad rem tractandam, ornandam, locuple-

A tandam. Et hic delectum ac varietatem requiram a præceptoris eruditi diligentia, gustum interim exhibebo. Sæpius argumentum Epistolæ proponet suasoriæ, dissuasoriæ, exhortatoriæ, dehortatoriæ, narratoriæ, gratulatoriæ, expostulatoriæ, commendatoriæ, consolatoriæ. Et uniuscujusque generis naturam locos ac formulas quasdam communes, dein argumento proposito, etiam peculiares indicabit. Aliquando ceu declamatorium thema dabit, in diversis generibus, puta si jubeat eos vituperare Julium Cæsarem, aut laudare Socratem, in genere demonstrativo. Item statim optima discenda. In opibus non esse felicitatem. Matrem proprio lacte nutrire debere quod peperit. Literis Græcis non esse dandam, aut esse dandam
B operam. Uxorem esse ducendam, aut non esse ducendam. Peregrinandum esse, aut non esse peregrinandum, in genere suasorio. Item M. Horatium indignum esse supplicio, in genere judiciali. Verum hanc palæstram primum ingredientibus non gravabitur is, qui docendi provinciam suscepit, primum indicare, quot propositionibus id argumentum tractari possit. Præterea propositionum ordinem demonstrabit, & quo pacto alia ex alia pendeat. Deinde quot rationibus unaquæque propositio fulciri debet, quot confirmationibus unaquæque ratio. Tum circumstantias ac locos, unde ista peti possint. Deinde quibus similibus, dissimilibus, exemplis, collationibus, sententiis, proverbiis, fabulis, apologis unaquæ-
C que pars locupletari queat. Ostendat & schemata, si qua insigniter videbuntur incidere posse, quæ vel acriorem, vel ampliorem, vel magis dilucidam, vel jucundiorem reddant orationem. Si quid erit amplificandum, rationem demonstret, sive per locos communes, sive per eas rationes, quas in quatuor formas distribuit Quintilianus. Quod si qui inciderint affectus, hi quoque quo pacto tractandi sint, admonebit. Quin & connectendi rationes præscribat, quis sit optimus futurus transitus. Ab exordio ad narrationem, a narratione ad divisionem, a divisione ad argumentationem, a propositione ad propositionem, a ratione ad rationem, ab argumentatione ad epilogum, aut perorationem. Ostendat & formulas aliquot, quibus
D ibi commode possint exordiri, aut etiam perorare. Postremo, si potest, locos aliquot in auctoribus indicet, unde valeant aliquid imitandum sumere, propter rerum affinitatem, id ubi septies, aut octies erit factum, jam incipient (quod ait Horatius) *sine cortice nare*, & satis erit nudum thema ministrasse, nec necesse fuerit, semper velut infantibus cibum præmansum in os inserere.

Nec mihi displicet illud exercitationis genus, quod apud antiquos in usu video fuisse, ut ex Homero, Sophocle, Euripide, Virgilio, aut etiam ex historiis aliquando legantur themata. Puta, ut Menelaus apud Trojanam concionem repetat Helenam. Aut, Phœnix suadeat Achilli, ut redeat in prælium. Aut, Ulysses suadeat Trojanis,
E ut Helenam reddant, potius quam bellum experiantur. Quo in genere exstant aliquot Libanii & Aristidis declamationes. Præterea, uti suadeat aliquis amicus Ciceroni ne conditionem ab Antonio oblatam accipiat, quod argumentum est apud Senecam; uti Phalaris suadeat Delphis, ut taurum æneum Deo suo consecrent. Ad hoc genus pertinent Epistolæ, quæ Phalaridis, ac Bruti nomine circumferuntur. In emendando collaudabit, si quid felicius inventum, tractatum, aut imitatum videbitur: si quid prætermissum, aut non suo loco positum, si quid nimium, aut remissius, si quid obscurius, aut etiam si quid parum eleganter dictum erit, admonebit. Et quo pacto mutari
F possit ostendet, ac mutari, & sæpius jubebit. Exstimulabit autem præcipue discentium animos, comparatione profectus, velut æmulatione quadam inter ipsos excitata.

Jam in prælegendis auctoribus nolim te facere, quod prava quadam ambitione vulgus professorum hodie facit, ut omni loco coneris omnia dicere, sed ea duntaxat, quæ explicando præsenti loco sint idonea, nisi si quando delectandi causa digrediendum videbitur. Quod si hujus quoque rei rationem a me requiris, hæc mihi quidem videbitur optima. Primo loco ad conciliandos auditores, laudes ejus, quem prælegendum sumit, paucis explicet. Deinde argumenti jucunditatem, utilitatemque ostendat.

Mox

Mox vocem argumenti, si forte (ut faciunt plerique) varios habeat usus, explicet, ac distinguat. Veluti Comœdiam (ut hoc exempli loco sumamus) Terentianam interpretaturus, in primis de auctoris fortuna, de ingenio, de sermonis elegantia paucis disserat. Deinde quantum habeat & voluptatis, & utilitatis Comœdiarum lectio: deinde quid significet ea vox, & unde ducta, & quot sint Comœdiarum genera, & quæ sint Comœdiæ leges. Deinceps quam potest & dilucide, & breviter summam explicet argumenti. Carminis genus diligenter indicet. Post ordinet simplicius, deinde singula fusius explicet. Ad hæc, si qua insignis elegantia, si quid prisce dictum, si quid novatum, si quid Græcanicum, si quid obscurius, aut longius redditum, si durior aut perturbatior ordo, si qua etymologia, si qua derivatio aut compositio scitu digna, si qua orthographia, si qua figura, si qui loci Rhetorici, si qua exornatio, si quid depravatum, diligenter admoneat. Tum loca similia ex auctoribus conferat, si quid diversum, si quid affine, si quid imitatum, si quid allusum, si quid aliunde translatum, aut mutuo sumptum, ut sunt pleraque Latinorum a Græcis profecta, ne id quidem taceat. Postremo ad Philosophiam veniat, & Poetarum fabulas apte trahat ad mores, vel tanquam exempla demonstret, ut Pyladis & Orestis, ad amicitiæ commendationem, Tantali fabulam ad avaritiæ detestationem. In his non mediocriter adjuvabit docentem Eustathius, Homeri interpres. Atque ita fiet (si modo sit ingenii dextri præceptor) ut etiam si quid inciderit, quod inficere possit ætatem illam, non solum non officiat moribus, verumetiam utilitatem aliquam adferat, videlicet animis partim ad annotationem intentis, partim ad altiores cogitationes avocatis. Veluti si quis prælecturus secundam Maronis Eclogam, commoda præfatione præparet, vel potius præmuniat auditorum animos ad hunc modum, ut dicat: Amicitiam non coire nisi inter similes, similitudinem enim esse benevolentiæ mutuæ conciliatricem, contra dissimilitudinem odii dissidiique parentem: quoque major ac verior stabiliorque similitudo fuerit, hoc firmiorem atque arctiorem esse amicitiam. Id nimirum sibi velle tot apud auctores proverbia. Boni ad bonorum convivia & invocati accedunt: &, simile gaudet simili: &, æqualis æqualem delectat: &, æqualem tibi uxorem quære: &, ut semper similem ducit Deus ad similem: &, semper graculus assidet graculo: &, similes habent labra lactucas: &, pares cum paribus facillime congregantur: &, cascus cascam ducit: &, balbus balbum rectius intelligit: &, cicada cicadæ cara, formica formicæ: &, Cretensis cum Ægineta. Contra tot dissimilitudinis adagia, nihil aliud sibi velle, quam inter eos, qui dissimili sunt fortuna, dissimili vitæ instituto, dissimilibus studiis, aut omnino non coire amicitiam, aut si coierit, non cohærere, citoque dirimi: atque ob id fieri, ut idiota studiosum literarum oderit, profanus sacerdotem, rusticus aulicum, juvenis senem. Atque in eodem genere, Epicureus Stoicum, Philosophus Jurisconsultum, Poeta Theologum, balbus eloquentem. Hinc geminorum gratiam fratrum, Amphionis & Zeti pene dissiliisse, quod alter lyræ studiosus esset, alter agris colendis gauderet: ac dissilierat, nisi Amphion abjecta lyra, fratris ingenio cessisset. Ob eandem causam insincera fuit Castoris & Pollucis amicitia, neque caruit infamia tentati parricidii, cum uterque eodem ex ovo essent prognati, ut jam magis esse gemelli non possent, quod alter pugil esset, alter equis delectaretur. Hinc male convenisse Remo cum Romulo, quod alter tristioribus ac severis esset moribus, alter blandior: unde & Romulo, pro Romo, mutatum nomen. Pessime convenisse Cain cum Abel, quod diverso vitæ genere caperentur. Summum autem amorem summæ similitudinis esse comitem, atque ideo fictum a Poetis, quemadmodum Narcissus, ante ab omni abhorrens consortio, simul atque suam ipsius imaginem in limpidissimo fonte conspexisset, protinus amore flagrantissimo cœpit ardere. Quid enim nostri similius, quam ipsa imago? Ergo cum doctus doctum amat, sobrius sobrium, modestus modestum, probus probum, nihil aliud amat uterque, quam suam ipsius in altero imaginem, hoc est seipsum, sed alio modo. Verum ea similitudo, siquidem sita est in bonis animi, quæ vere sunt bona, hoc est pietate, justitia, temperantia, tum ejusmodi nascitur amicitia, cujusmodi sunt eæ res, quibus amicitia conciliatur, hoc est honesta, vera, sincera, stabilis, æterna. Contra si in rebus corporeis ac fluxis, aut etiam turpibus, eam nec vere esse amicitiam, nec jucundam, nec diuturnam ostendet. Proinde Platonem duas finxisse Veneres, alteram cœlestem, alteram terrestrem. Duos item Cupidines, suæ utrumque matri respondentes. Cœlestem veras gignere formas, & hujus filium veros & honestos immittere amores. Inter bonos semper amorem esse mutuum, inter vulgares plerumque alterum amare, alterum odisse, alterum persequi, alterum fugitare. Id accidit fere propter ingeniorum vitæque dissimilitudinem. Quod quidem eleganter significat apud Poetas Cupido, qui nonnunquam hunc aurea cuspide figit, illum plumbea, illum ut amet, hunc ut abhorreat, atque hoc amicitiæ genere nihil esse potest infelicius. Ejus igitur amicitiæ male cohærentis, quasi simulachrum quoddam, in hac Ecloga proponit Virgilius. Corydon rusticus, Alexis urbanus. Corydon pastor, Alexis aulicus. Corydon indoctus (nam hujus carmina vocat incondita) Alexis eruditus. Corydon ætate provectus, Alexis adolescens. Corydon deformis, hic formosus. Breviter dissimilia omnia. Quare prudentis est amicum suis moribus aptum deligere, si velit amari mutuum. Hæc, inquam, si præfetur, tum autem locos demonstratorios, perperam & bucolice a rustico affectatos indicet, nihil opinor turpe veniet in mentem auditoribus, nisi si quis jam corruptus accesserit. Nam iste venenum non hinc hauserit, sed huc secum attulerit. Hoc exemplum verbosius exposui, quo facilius in cæteris item sibi quisque similia reperiat.

Jam in aggressu cujusque operis conveniet in genere demonstrare, quæ sit argumenti natura, & quid in eo potissimum sit spectandum. Velut in epigrammatis argutam brevitatem laudari. Tum jocandi rationes, quas Fabius & Cicero tradunt, indicabit. Hoc genus præcipue gaudere epiphonematis, commode in fine adjectis, quæ cogitationem velut aculeatam in animo lectoris relinquant. In Tragœdia præcipue spectandos affectus, & quidem fere acriores illos. Hi quibus rebus moveantur, paucis ostendet. Tum argumenta veluti declamantium. Postremo descriptiones locorum, temporum, rerum aliquoties, & argutas altercationes incidere, quæ nunc distichis, nunc singulis versibus, nunc hemistichiis absolvantur. In Comœdia cum primis observandum esse decorum, & vitæ communis imitationem, affectus esse mitiores, & jucundos magis quam acres. Decorum autem in primis spectari, non solum illud commune, ut adolescentes ament, lenones pejerent, blandiatur meretrix, objurget senex, fallat servus, jactet se miles, atque id genus alia, verum peculiare quoddam quod suo arbitratu aliis aliud affingit Poeta. Velut in Andria duos inducit senes, longe diverso ingenio. Simonem vehementem, ac submorosum, haud stultum tamen, nec improbum. Contra Chremetem civilem, ac semper placidum, ubique sibi præsentem, omnia quantum potest pacantem, at ita tamen lenem, ut minime stupidum. Duos item adolescentes dissimili natura, Pamphilum cordatum pro ratione ætatis, & consultabundum, sed acriorem, ut Simonis filium possis agnoscere. E diverso Charinum puerilem, ineptum, consiliique inopem. Rursum servos duos diversis moribus. Davum vafrum & consiliis abundantem, ac sperandi pertinacissimum auctorem. E regione Byrriam nullius consilii, tantum perpetuum desperationis auctorem hero. Ad eundem modum in Adelphis. Mitionem etiam in objurgando mitem, ac festivum. Demeam ctiam in blandiendo amarulentum. Rursum Æschinum propter urbanæ vitæ consuetudinem, & Mitionis fiduciam nihil non audentem, sed ita ut probum ingenium deprehendas, officiosum in fratrem, fidum in puellam. E diverso Ctesiphontem subrusticum ac timidum, propter earum rerum insolentiam. Syrum callidum, & audacem, nihilque non simulantem, ac dissimulantem, adeo ut sola ebrietas detexerit illius fucos. Dromonem stupidum, atque hebetem. Sed ista persequi non hujus est instituti, in præsentia satis est viam indicasse. In Eclogis admoneat esse aurei seculi, ac priscæ illius vitæ imaginem. Proinde quicquid illic

illic est sententiarum, similium, ac comparationum, a vita pastorali sumi: affectus sunt simplices, cantionibus, sententiis, ac proverbiis delectantur, superstitione & auguriis capiuntur. Ad eundem modum, quid proprium habeat carmen heroicum, quid historia, quid dialogus, quid apologus, quid satyra, quid oda, quid reliqua scripti genera curabit admonere. Tum quæ sint singulorum auctorum in singulis argumentis dotes, aut etiam vitia, non gravabitur indicare, quo jam tum assuescant adolescentes ei quod est in omni re præcipuum, judicio. Atque in hac parte præceptorem, præter artem & ingenium, adjuvabit etiam libellus Ciceronis de Claris Oratoribus, & Quintiliani, Senecæ, atque Antonii Campani de scriptoribus censuræ, neque non veteres interpretes, præcipue Donatus hac in re peculiariter occupatus.

Huc pertinet & consilii ratio, veluti quare M. Tullius in defensione Milonis finxerit sese timere. Et quare Virgilius tantopere laudibus vehat Turnum hostem Æneæ, & quare abdicatus Medicus apud Lucianum non lædit novercam, sed magis laudat, & in patrem acrior est quam in novercam. Sed id quoque in immensum patet. At judicabit aliquis hæc nimium habere negocii. Equidem præceptorem eruditum, longoque usu exercitatum volo esse. Is si continget, hæc etiam facile percipient pueri. Quod si qua initio erunt duriora, progressu & assuetudine mollescent. Optima certe sunt, nisi fallor, & optimis convenit statim assuescere, quanquam hæc non ubique omnia sunt inculcanda, ne tædio graventur ingenia discentium, sed ut inciderint insigniora. Neque vero minorem adhibeat

A curam præceptor in exigendo quæ commisit, quam in prælegendo. Est omnino labor hic docenti gravissimus, sed discentibus utilissimus. Nec ordinem exigat duntaxat, sed quicquid scitu dignum fuerit creditum, id assuescant bona cum fide reddere. Neque vero deterreat ab hac re difficultas, quæ vel menstruo temporis spacio vincitur. Mihi nunquam placuit, ut omnia dictata scribant adolescentes, fit enim hoc pacto, ut memoriæ cultus negligatur, nisi si qui pauca quædam notulis velint excipere, idque tantisper donec usu confirmata memoria, scripti non desiderent adminiculum.

Postremo tantum arbitror esse momenti in commoda docendi ratione, si modo diligens & eruditus contigerit præceptor, ut non dubitarim meo recipere periculo, me minore negocio, ac paucioribus annis adolescentes ad utriusque linguæ mediocrem etiam eloquentiam perducturum,

B modo dentur ingenia non omnino infelicia, quam isti literatores ad qualemcunque illam suam balbutiem vel infantiam potius provehunt suos. His igitur rudimentis puer in prima imbutus schola, deinde bonis avibus ad altiores disciplinas conferat sese, & quocunque se verterit, facile declarabit, quantopere referat ab optimis auspicatum fuisse. Hæc habui in præsentia mi carissime Petre, quæ tibi de Studii Ratione scriberem, ea si placent, utere: sin minus, sedulitatem certe nostram pro tuo candore boni consules. Tu modo perge ita ut instituisti, in bonas literas incumbere, ac Galliam tuam alioqui florentissimam, honestis etiam studiis illustra. Vale.



DESIDERII ERASMI ROTERODAMI DE LAUDE ARTIS MEDICÆ DECLAMATIO.

DESIDERIUS ERASMUS
ROTERODAMUS
D. HENRICO AFINIO
LYRANO,
INSIGNI MEDICO,
S. D.



UPER *dum bibliothecam recenseo, doctissime Afini, venit in manus oratio quædam, olim mihi nihil non experienti in laudem artis Medicæ declamata: continuo visum est orationem non optimam optimo dicare Medico, ut vel tui nominis lenocinio studiosorum centuriis commendetur. Erit hoc interim mei in te animi qualecunque documentum, donec dabitur aliud, nostra necessitudine dignius. Bene vale. Lovanii tertio Idus Mart. Anno* M D XVIII.

DE-

DECLAMATIO IN LAUDEM ARTIS MEDICÆ.



Uo sæpius est ars Medicinæ, meditatis A atque elaboratis orationibus hoc ex loco, apud plerosque vestrum prædicata, idque a viris singulari facundia præditis, auditores celeberrimi, hoc mihi sane minus est fiduciæ, me vel tantæ rei, vel aurium vestrarum exspectationi satisfacturum. Neque enim rem prope divinam, nostra facile assequetur infantia, neque vulgaris oratio de re toties audita, tædium possit effugere. Verum tamen ne salutari majorum instituto videar deesse, qui solenni encomio juventutis animos ad hujus præclaræ scientiæ studium, admirationem, amorem, excitandos, accendendos, inflammandosque censuerunt, experiar & ipse pro mea virili (siquidem me dicente adjutabit vestra tum attentio, tum humanitas, favore candido prosequens, quem B ad hoc muneris vestra adegit auctoritas) Medicæ facultatis dignitatem, auctoritatem, usum, necessitatem, non dicam explicare, quod prorsus infiniti fuerit negocii, sed summatim modo perstringere, ac veluti confertissimas locupletissimæ cujuspiam Reginæ opes, per transennam (ut ajunt) studiosorum exhibere conspectibus.

Cujus quidem ea vel præcipua laus est: primum, quod nullis omnino præconiis indiget, ipsa abunde per se vel utilitate vel necessitate commendata mortalibus: deinde, quod *Laus per comparationem.* toties jam a tam præclaris ingeniis prædicata, semper tamen novam laudum suarum materiam ingeniis etiam parum foecundis ex sese suppeditat, ut nihil necesse sit eam vulgato more invidiosis illis contentionibus, non sine cæterarum disciplinarum contumelia deprædicare. Quin illud magis metuendum, ne domesticas illius dotes, ne germa- C nam ac nativam amplitudinem, ne majestatem humana conditione majorem, mortalis oratio non assequatur. Tantum abest, ut vel aliena contumelia, vel ascititiis Rhetorum fucis, aut amplificationum præstigiis sit attollenda. Mediocrium est formarum, deformiorum comparatione, aut cultus lenociniis commendari. *Fides.* Res per se vereque præclaras, satis est vel nudas oculis ostendisse.

Jam primum enim (ut ad rem festinemus) reliquæ artes, quoniam nulla non magnam aliquam vitæ commoditatem attulit, summo quidem in pretio fuere, verum Medicinæ quondam tam admirabilis fuit humano generi inven- *Laus ab origine.* tio, tam dulcis experientia, ut ejus auctores, aut plane pro Diis habiti sint, velut Apollo, & hujus filius Æsculapius (sic enim refert Plinius, singula quosdam inventa Deorum numero addiderunt) aut certe divinis honoribus digni sint existimati, velut Asclepiades, quem Illyrici numinis instar D receptum, Herculi in honoribus æquarunt. Non quidem probo quod fecit antiquitas, affectum sane ac judicium laudo, quippe quæ recte & senserit & declararit, docto fidoque Medico nullum satis dignum præmium persolvi posse.

A difficultate. Etenim si quis secum reputet, quam multiplex in corporibus humanis diversitas, quanta ex ætatibus, sexu, regionibus, cœlo, educatione, studiis, usu varietas, quam infinita in tot millibus herbarum (ne quid interim dicam de cæteris remediis) quæ alibi aliæ nascuntur discrimina, tum quot sint morborum genera, quæ trecenta nominatim fuisse prodita scribit Plinius, exceptis generum partibus, quarum omnium quam nullus sit numerus, facile perpendet, qui tantum norit quot formas in se febris vocabulum complectatur, ut ex uno cætera æstimentur, exceptis his qui quotidie novi accrescunt, neque secus accrescunt, quam si E de composito cum arte nostra bellum suscepisse videantur: exceptis venenorum plus mille periculis, quorum quot species sunt, tot sunt mortis genera, totidem remediorum differentias flagitantia: exceptis casibus quotidianis, lapsuum, ruinarum, ruptionum, adustionum, luxationum, vulnerum, atque his consimilium, quæ prope cum ipso morborum agmine ex æquo certant. Denique qui cogitet, quanta sit in corporum cœlestium observatione difficultas, quæ nisi cognoris, sæpenumero venenum erit, quod in remedium datur. Ne quid interim commemorem, sæpe fallaces morborum notas, sive coloris habitum spectes, sive lotii signa rimeris, sive pulsus harmoniam observes, velut hoc a gentibus malis, ut hostem Medicum fallant & imponant. Tantum undique sese effundit difficultatum, ut mihi difficile sit omnes vel oratione prosequi. Sed ut dicere cœperam, has omnes rerum varietates studio persequi, obscuritates ingenio assequi, difficultates industria pervincere, ac penetratis terræ fibris, excussis undique totius naturæ arcanis, ex omnibus herbis, fruticibus, arboribus, animantibus, gemmis, ex ipsis denique venenis, cunctis humanæ vitæ malis, efficacia quærere remedia, atque horum opportunum usum, ex tot auctoribus, tot disciplinis, imo & ab ipsis sideribus petere: hæc, inquam, tam abdita rimari cura, tam ardua viribus animi adipisci, tam multa memoria complecti, tam necessaria ad salutem universi mortalium generis in commune proferre, nonne prorsus homine majus ac plane divinum quiddam fuisse videtur? Absit invidia verbis. Liceat id quod vero verius est ingenue prædicare.

Non me jacto, sed artem ipsam effero. Etenim si dare *A simili.* vitam proprium Dei munus est, certe datam tueri, jamque fugientem retinere, Deo proximum fateamur oportet. Quanquam ne prius quidem illud, quod nos soli Deo proprium esse volumus, Medicorum arti detraxit antiquitas, ut credula, ita gratissima. Nam Æsculapii quidem ope Tyndaridam, & post eum complures ab Orco in lucem redisse credidit. Asclepiades hominem exanimatum, elatum, comploratumque ab rogo domum vivum reduxisse legitur. Xanthus Historicus catulum leonis occisum, præterea & hominem, quem draco occiderat, vitæ redditum fuisse posteris prodidit, herba quam halin nominant. Ad hæc Juba in Africa quendam herba revocatum ad vitam testis est. Neque vero laboraverim, si sint apud quos hæc fide careant. Certe (quod agimus) admirationem artis tanto magis implent, quanto magis supra fidem veri sunt, & immensum esse fateri cogunt, id quod vero superest. Quanquam quantum ad eum attinet, qui vitæ redditur, quid refert, utrum anima denuo in artus relictos divinitus reponatur, an penitus in corpore sepulta, morbique victoris oppressa viribus, arte curaque Medici suscitetur atque eliciatur, jamque certo migratura retineatur? An non pene paria sunt, mortuum restituere, & mox moriturum servare? Atqui permultos nominatim recenset Plinius libro Historiæ mundanæ septimo, qui jam elati partim in ipso rogo, partim post dies complusculos revixerint. Miraculum est, quod paucis dedit casus. Et non magis mirandum, quod quotidie multis largitur ars nostra? Etiam si hanc Deo Opt. Max. debemus, cui nihil non debemus, ne quis hæc a me putet arrogantius dicta quam verius. Complurium morborum ea vis est, ut certa mors sint, nisi præsens adsit Medicus, veluti stupor is, qui mulieribus potissimum solet accidere, veluti syncopis profunda, paralysis, apoplexia. Neque desunt ulli vel seculo, vel genti sua in hanc rem exempla. Hic qui mortem ingruentem arte sua depellit, qui vitam subito oppressam revocat, nonne ceu numen quoddam dextrum ac propitium semper habendus est? Quot censes homines ante diem sepultos fuisse, priusquam Medicorum solertia, morborum vires & remediorum naturas deprehenderat? Quot hodie mortalium millia vivunt valentque, qui ne nati quidem essent, nisi eadem hæc ars, & tot nascendi discriminibus remedia, & obstetricandi rationem reperisset? Adeo statim in ipso vitæ limine, & pariens simul & nascens salutarem Medicorum opem miserabili voce implorat. Horum arti vitam debet, & qui nondum vitam accepit, dum per eam prohibentur abortus, dum mulieri seminis recipiendi retinendique vis confertur, dum pariendi facultas datur. Quod si vere dictum est illud: *Deus est juvare mortalem*, profecto mea sententia, aut nusquam locum habebit illud nobile Græcorum adagium: ἄνθρωπος ἀνθρώπου δαιμόνιον, aut in Medico fido proboque locum habebit, qui non juvat modo, verumetiam servat.

An non igitur ingratitudine ipsa videatur ingratior, ac ipsa

ipsa prope vita indignus, qui Medicinam alteram secundum Deum vitæ parentem, tutricem, servatricem, vindicem, non amet, non honoret, non suspiciat, non veneretur? Cujus præsidiis nunquam ulli non est opus. Nam reliquis quidem artibus, nec semper, nec omnes egemus. Hujus utilitate mortalium omnis vita constat. Nam fac abesse morbos, fac omnibus prosperam adesse valetudinem, tamen hanc qui poterimus tueri, nisi Medicus ciborum salutarium ac noxiorum discrimen, nisi totius victus, quam Græci diætam vocant, rationem doceat? Grave mortalibus est onus senecta, quam nihilomagis licet effugere, quam mortem ipsam. Atque ea Medicorum opera multis contingit, tum serius, tum multo etiam levior. Neque enim fabula est quinta, quam vocant, essentia, senio depulso hominem velut abjecto exuvio rejuvenescere, cum extent aliquot hujus rei testes. Neque vero par est, ut artem improbemus, quod hujus professione quidam imponunt incautis.

Præservativa.

Jam non corporis tantum, quæ vilior hominis pars est, curam gerit, imo totius hominis curam agit, etiamsi Theologus ab animo, Medicus a corpore sumit initium. Siquidem propter arctissimam amborum inter se cognationem & copulam, ut animi vitia redundant in corpus, ita vicissim corporis morbi animæ vigorem aut impediunt, aut etiam exstinguunt. Quis æque pertinax suasor abstinentiæ, sobrietatis, moderandæ iræ, fugiendæ tristitiæ, vitandæ crapulæ, amoris abjiciendi, temperandæ veneris, atque Medicus? Quis efficacius suadet ægroto, ut si vivere velit, & salutarem experiri Medici opem, prius animum a vitiorum colluvie repurget? Idem quoties vel diætetica ratione, vel ope pharmaceutica bilem atram minuit, labantes cordis vires reficit, cerebri spiritus fulcit, mentis organa purgat, ingenium emendat, memoriæ domicilium farcit, totumque animi habitum commutat in melius, nonne per exteriorem, ut vocant, hominem, & interiorem servat? Qui phreneticum, lethargicum, maniacum, sideratum, lymphatum restituit, nonne totum restituit hominem? Theologus efficit, ut homines a vitiis resipiscant: at Medicus efficit, ut sit qui possit resipiscere. Frustra ille Medicus sit animæ, si jam fugerit anima, cui paratur antidotus. Cum impium hominem subito corripit paralysis, apoplexia, aut alia quædam præsentanea pestis, quæ vitam prius adimat, quam vacet de castiganda cogitare vita, hunc qui restituit, alioquin infeliciter in suis sceleribus sepeliendum, nonne quodammodo tum corpus, tum animum ab inferis revocat? In eum certe locum reponit hominem, ut ei in manu jam sit, si velit, æternam mortem fugere. Quid sua dabit lethargico Theologus, qui suadentem non audiat? Quid movebit phreneticum, nisi Medicus prius atram bilem repurgarit? Pietas cæteræque virtutes, quibus Christiana constat felicitas, ab animo potissimum pendent, haud inficior. Cæterum quoniam is corpori illigatus, corporeis organis velit nolit utitur, fit ut bona pars bonæ mentis a corporis habitu pendeat. Permultos homines infelix corporis temperatura, quam Græci modo κρᾶσιν, modo σύστημα vocant, velut invitos ac reclamantes, ad peccandum pertrahit, dum animus insessor frustra moderatur habenas, frustra subdit calcaria, sed equum ferocientem in præcipitium sequi cogitur. Animus videt, animus audit, sed si oculos occuparit glaucoma, si aurium meatus crassius humor obsederit, frustra vim suam habet animus. Odit animus, irascitur animus, sed plerumque vitiosus humor mentis organa obsidens in causa est, ut oderis quem amore dignum judices, irascaris cui nolis irasci. Philosophiæ summam in hoc sitam esse fatetur Plato, si rationi pareant affectus: atque ad eam rem præcipuus est adjutor Medicus, hoc agens, ut ea pars hominis vigeat sapiatque, cujus arbitrio geruntur, quæcunque cum laude geruntur. Si hominis vocabulo censentur indigni, qui pecudum ritu rapiuntur cupiditatibus, hujus nominis dignitatem bona ex parte debemus Medicis. Id cum maximum sit in singulis ac privatis, quanto præclarius est beneficium, cum id præstatur in Principe? Nulla fortuna magis est obnoxia malis hujusmodi, quam felicissimorum Regum. Quos autem rerum tumultus ciet unius homunculi vitiatum cerebrum? Frustra reclament qui sunt a consiliis, furis ô Princeps, ad te redi, ni Medicus arte sua neque volenti, neque sentienti suam mentem reddiderit. Si Caligulæ fidus adfuisset Medicus, non usque ad pugionum ac venenorum scrinia in pernicem humani generis insanisset. Atque ob eam sane causam publica consuetudine receptum est apud omneis orbis nationes, ne Princeps usquam gentium agat absque Medicis.

A Proinde cordati Principes nulli unquam arti plus honoris habuerunt, quam Medicinæ. Quandoquidem Erasistratus (ut reliquos taceam) Aristotelis ex filia nepos, ob Antiochum Regem sanatum centum talentis donatus est a Ptolemæo hujus filio. Quin & divinæ literæ jubent Medico suum haberi honorem, non tantum ob utilitatem, verumetiam ob necessitatem, ut in cæteros benemeritos ingratitudo sit, si quis non agnoscat beneficium, in Medicum impietas: quippe qui tanquam beneficii divini adjutor, id arte sua tuetur, quod optimum nobis & carissimum largitus est Deus, videlicet vitam. Parentibus nihil non debemus, quod per hos

B vitæ munus accepisse quodammodo videmur. Plus mea sententia debetur Medico, cui toties debemus, quod parentibus semel duntaxat debemus, si tamen illis debemus. Pietatem debemus ei, qui hostem a cervicibus depulit: & Medico non magis debemus, qui pro nobis servandis cum tot capitalibus vitæ hostibus quotidie depugnat? Reges ceu Deos suspicimus, quia vitæ necisque jus habere creduntur, qui tamen ut possint occidere, certe vitam non aliter dare possunt, nisi quatenus non eripiunt, quemadmodum servare dicuntur latrones, si quem non jugulent, nec aliam tamen vitam dare possunt, quam corporis. At quanto propius ad divinam benignitatem accedit Medici beneficium, hominem jam inferis destinatum, arte, ingenio, cura, fideque

C sua, velut ex ipsis mortis faucibus retrahentis? Aliis in rebus profuisse sit officium, cæterum in certo corporis animique periculo servasse, plusquam pietas est.

Adde his quod quicquid in homine magnum est, eruditio, virtus, naturæ dotes, aut si quid aliud, id omne Medicorum arti acceptum feramus oportet, quatenus id servat, sine quo ne reliqua quidem queant subsistere. Si omnia propter hominem, & hominem ipsum servat Medicus, nimirum omnium nomine gratia debetur Medico. Si non vivit, qui vivit morbis obnoxius, & vitam salubrem aut reddit, aut tuetur Medicus, an non convenit hunc ceu vitæ parentem agnoscere? Si res exoptanda est immortalitas, hanc Medicorum

D industria quoad licet meditatur, quæ vitam in longum prorogat. Quid enim hic notissima referam exempla, Pythagoram, Chrysippum, Platonem, Catonem Censorium, Antonium Castorem, cumque his innumerabiles, quorum plerique Medicinæ observatione, vitam ab omni morbo liberam, neque fatiscente ingenii vigore, neque concussa memoriæ soliditate, neque fractis aut labefactatis sensibus, ultra centesimum annum prorogarunt? An non isthuc est immortalitatis quam speramus, hic jam nunc imaginem quandam exhibere? Christus ipse immortalitatis auctor ac vindex unicus, corpus assumpsit: mortale quidem illud, sed tamen nullis morbis obnoxium. Crucem non horruit, morbos hor-

Exempla.

E ruit. An non pulcherrimum fuerit, nos Principem nostrum in hoc quoque pro viribus imitari? Apostolos, quorum nemo fere non multam vixit ætatem, cæsos legimus, interfectos legimus, ægrotasse non legimus. Quocunque pacto hoc illis contigit, certe præstat idem ars Medicorum, quod illis præstitit sua felicitas. Nec enim audiendos arbitror, qui nobis non minus indocte, quam impudenter solent illud objicere: *Virtus in infirmitate perficitur*, somniantes Paulum gravi capitis dolori fuisse obnoxium, cum ille infirmitatem, vel animi tentationem, vel quod vero propius est, improborum hominum molestam insectationem appellet. Atque idem ille Paulus, inter Apostolicas dotes donum curationis recensuit.

F Jam auget & illud non levi argumento Medicinæ gloriam, quod & Cæsarearum legum majestas, & Pontificiarum auctoritas sese ultro Medicorum judicio submittit, velut in quæstionibus pubertatum, partuum ac veneficiorum. Item in quæstionibus aliquot ad matrimonium facientibus. O nova dignitas Medicinæ! Agitur de capite hominis, & judicis sententia pendet ex Medici præjudicio. Summi Pontificis pietas, si quid indulget in nonnullis, non aliter indulget, nisi Medicorum accedat calculus. Atque in decretis Romanus Pontifex, Episcopum eum qui delatus fuerat, tanquam fœdo immanique morbo obnoxius, ex Medicæ rei judicio censet aut amovendum dignitate, aut suo loco restituendum. Divus autem Augustinus ex Medicorum consilio

lio fieri jubet quod faciendum est, etiamsi nolit ægrotus. Idem honorem Medico debitum, hoc est artis & industriæ præmium, recte eripi scribit ab eo qui detinet, velut ab injusto possessore, & quod alienum est mala fide occupante. Quin ii quoque qui conceptis precaminibus, Dæmones impios e corporibus humanis exigunt, Medicos non raro in consilium adhibent, velut in his morbis, qui secretis rationibus, quædam sensuum organa spiritusque vitiant, & adeo Dæmoniacam speciem imitantur, ut nisi a Medicæ rei peritissimis discerni non queant, sive sunt crassiores aliqui Dæmones, ut fertur illorum varia natura, qui Medicam etiam opem sentiant, sive morbus adeo penitus intimis animi recessibus insidet, ut a corpore videatur alienus.

In cujus rei fidem dum ex innumeris mihi compertum exemplum refero, quæso ut me patienter audiatis. Panaceum celeberrimi nominis Medicum adolescens colui; is, me teste, quendam restituit, nomine Phlyarium, patria Spoletanum, qui ex vermibus in novum maniæ genus inciderat, ita [1] ut in morbo probe Teutonice loqueretur, quod (uti constabat) sanus nunquam potuerat. Quis imperitus rei Medicæ, non hunc Dæmoniacum vel dejerasset etiam? At is hominem facili paratoque remedio menti reddidit. Redditus sibi Teutonice nec loquebatur, nec intelligebat. Quod si quis hunc vere Dæmoniacum fuisse contendat, ea sane res vel maxime Medicorum illustrat artem, cui compertum est & Dæmones impios parere, quemadmodum in restituenda vita, ita & in exigendis spiritibus Divinæ virtutis tum ministræ, tum æmulæ. Neque vero deerant, qui factum hoc magicis artibus tribuebant, quorum ego calumniam, arti nostræ gloriæ laudique verto, per quam ea præstantur, quæ vulgus hominum humanis viribus præstari posse non credit.

Optimo igitur jure, priscis seculis, cum nondum sordidi quæstus & spurcæ voluptates vitiassent omnia, medendi ars inter omnes una, divinis ac summatibus viris, opulentissimis Regibus, clarissimis senatoribus præcipue cordi fuit, nec alia mortalium generi gratior. Siquidem Moses ille magnus, non alia ratione, quam artis Medicæ, cibos suos distinxisse creditur. Orpheus Græcorum vetustissimus, de viribus herbarum nonnulla prodidisse legitur. Homerus ipse, citra controversiam unicus ingeniorum fons, plurimus est, & in herbarum commemoratione, & in laude Medicorum. Is & Moly nobis depinxit, herbarum omnium, teste Plinio, laudatissimam, efficacem adversus veneficia. Cujus inventionem Mercurio tribuit, hac Ulyssem suum adversus Circes pocula præmuniens. Idem Nepenthes indicat in conviviis adhibendum, quod mœrorem tristitiamque discutiat. Porro Machaonem, Pæonem, Chironem, Podalirium, ut hac arte præstantes, sæpicule non sine honore commemorat, quorum arte non solum heroibus, verum ipsis etiam Diis subventum esse fingit. Illud videlicet subindicans, summis etiam Principibus Medicorum præsidiis opus esse, atque horum vitam Medicis in manu esse, qui in cæteros omneis jus vitæ ac necis habere videntur. Quid quod idem Poeta, libro Iliados undecimo, hujus artis professionem longe pulcherrimo nobilitavit elogio? cum ait, unum Medicum pluris habendum, quam cæterorum hominum permultos. Rursum alibi Medicum ita notat, ut dicat eum eruditum in omnibus, palam testans id quod res est, hanc artem non una aut altera disciplina, sed omnium artium cognitione circuloque, tum præter exactum judicium, multo etiam rerum usu constare. Pythagoras ille Samius, cui divinitatem quandam tribuebat antiquitas, de naturis herbarum nobile volumen reliquisse legitur. Atque ut Platonem, Aristotelem, Theophrastum, Chrysippum, Catonem Censorium, Varronem prætercam, quibus studio fuit, hanc artem suis vel studiis, vel negociis admiscere, Mithridatem Ponti Regem, non perinde regnum alioqui locupletissimum, non tam unius & viginti linguarum miraculum, quam rei Medicæ peritia nobilitavit, vereque magnum virum declaravit, qui artis hujus commentationes, & exemplaria, effectusque in arcanis reliquit, ut auctor est Plinius. Cujus & hodie nobile Theriacæ genus nomine celebratur. Nunc fere regium habetur, aleam ludere, venari, nugas agere. At olim populi Romani Principibus nihil magis erat curæ, quam ut ex longin-

A quo novis importandis herbis rem Medicam adjuvarent, neque populo illi tum orbis domino aliud erat munus gratius.

Quid quod Christus ipse disciplinarum omnium & auctor & princeps, sese non Jureconsultum, non Rhetorem, non Philosophum, sed Medicum professus est, dum de se loquens negat opus esse Medico iis, qui bene habeant, dum Samaritanus vulneribus oleum ac vinum infundit; dum sputum terræ mixtum illinit oculis cæci? Quid quod idem, hac potissimum commendatione, cum adhuc orbi esset ignotus, sese paulatim in animos atque affectus hominum insinuavit? Non auro, non imperiis, sed morborum remediis. Quod ille nutu fecit, nempe, Deus; hoc Medicus, pro virili sua, cura imitatur. Neque deest his quoque divina vis, nimirum B medendi viribus in hunc usum rebus a Deo inditis. Nec alio viatico magis instruxit Apostolos, mandans, ut hoc protinus officio sibi devincirent hospitem, *medentes*, inquit, *morbis illorum, & ungentes oleo*. Paulus ille magnus, dum Timotheo suo modicum vini præscribit usum, ad fulciendam stomachi imbecillitatem, nonne palam Medici partibus utitur? Sed quid hoc mirum in Apostolo, cum Raphael Angelus, Tobiæ cæcitati medicans, hinc nomen etiam invenerit, apud arcanarum rerum studiosos? O cœlestem, vereque sacram disciplinam, cujus cognomento divinæ illæ mentes insigniuntur.

Inter mortales alii alias artes vel discunt, vel profitentur, hanc unam oportebat ab omnibus disci, quæ nulli non est necessaria. Sed heu perversissima hominum judicia! Nemo C nescire sustinet, quis nummus legitimus sit, quis adulterinus, ne quid fallatur in re vilissima: nec scire studio est, quibus modis id quod habet optimum tueatur. In numismate non credit alienis oculis, in negocio vitæ ac sanitatis clausis quod dicitur oculis, sequitur alienum judicium. Quod si totius artis absoluta cognitio non potest nisi paucis contingere, qui totam vitam huic uni studio dedicarunt; certe partem eam, quæ ad tuendam valetudinem pertinet, non conveniebat quemquam nescire. Etiam si bona pars difficultatis, non ab ipsa arte, sed ab improborum Medicorum vel inscitia, vel ambitione proficiscitur.

Semper apud efferas etiam ac barbaras nationes sanctum ac venerabile fuit amicitiæ nomen. Atque is egregius habe-
D tur amicus, qui se fortunæ utriusque comitem sociumque præbet, quod vulgus amicorum velut hirundines æstate, rebus secundis adsint, rebus adversis, quemadmodum illæ ingruente bruma, devolant. At quanto sincerior amicus Me- *Simile*
dicus, qui Seleucidum avium exemplo, quas narrant nusquam a Casii montis incolis conspici, nisi cum illarum præsidio est opus adversus vim locustarum fruges vastantium, rebus integris ac lætis nusquam sese ingerit: in periculis, in his casibus, in quibus uxor ac liberi sæpe deserunt hominem, velut in phrenesi, phthiriasi, in peste, solus Medicus constanter adest, & adest non inutili officio quemadmodum plerique cæterorum, sed adest opitulaturus, adest pro capite periclitantis cum morbo dimicans, nonnunquam suo quo-
E que periculo. Et ô plusquam ingratos, qui talis amici officio servati, jam depulso periculo Medicum odisse possunt, ac non potius parentis vice colunt venerantürque. Vulgarem amicum, qui subinde salutat obvium, ad cœnam rogant, qui latus claudit, officio pensant, & talem amicum ubi desierint egere, aversantur? & ob hoc ipsum aversantur, quod intelligant illius officio nullam meritis parem gratiam rependi posse.

Quod si is optimus vir est, qui maxime prodest Reipublicæ, ars hæc optimo cuique viro discenda est. Siquidem inter munia profani magistratus non minima portio est, & haud scio an præcipua, dare operam, ut corpora civium bene habeant. Quid prodest depulisse hostem a mœnibus, si
F pestilentia intus grassans, plures tollit quam sublaturus erat gladius? Quid refert curasse ne cui pereat census, si perit prospera corporis valetudo? Prisci qui bonorum ordines digesserunt, primas tribuunt bonæ valetudini. Quid enim prodest incolumis possessio, nisi valet possessor? Proinde leges priscorum, cum nondum quæstus & ambitio corrupisset omnia, potissimum huc spectabant, ut corpora civium essent valida, robusta, beneque temperata. Ea res partim pendet a nativitate, partim ab educatione, partim ab exercitamentis, & victus ratione, nonnihil etiam ab ædificiorum modo. Nimirum Medici fungebantur officio, qui bene temperata cor-

[1] Fabula est, quam more Declamatorum fingit *Erasmus*: Declamatoribus enim, non multo minus quam Pictoribus & Poetis, *quidlibet audendi quondam fuit æqua potestas.*

corpora jungebant matrimonio, qui nutrices adhibebant integræ valetudinis, qui balnea publica, qui publica gymnasmata instituebant, qui ferebant leges sumptuarias, qui mutatis ædificiis, qui siccatis paludibus pestilentiam excludebant, qui in hoc vigilabant, ne quid esculentum aut poculentum venderetur, quod læderet corporum incolumitatem. Et hodie Principes fere nihil ad se pertinere credunt, si pro vinis vendantur venena, si tritico vitiato, si putribus piscibus tot morbi invehantur in publicum. Adeo nulla vitæ pars est, quæ citra Medicinæ præsidia recte possit administrari.

Ab utili. Jam vero si qui sint, qui rerum precia malint utilitate quæstuque metiri (licet hæc ars divinior est, quam ut hujusmodi rationibus sit æstimanda) ne hac quidem parte cuiquam aliarum cedit artium. Neque enim ulla magis fuit frugifera, & ad rem subito parandam æque præsentanea. Erasistratus cujus ante memini, a Rege Ptolemæo, Critobulus ab Alexandro Magno, præmiis ingentibus ac vix credendis donati leguntur. Quanquam quod tandem præmium non exiguum videatur, repensum servatori capitis, pro cujus unius salute tot hominum millia depugnabant? Quid ego nunc commemorem Cassios, Carpitanos, Aruncios, Albutios, quibus Romæ tum apud Principem, tum apud populum immodicum quæstum fuisse refert Plinius. Atque adeo quid nos hæc ex priscis ætatibus repetimus, quasi non hodie cuique complures succurrant, quos hæc ars ad Crœsi opes evexerit? Rhetorica, aut Poetica non alit, nisi insignem. Musicus ni præcellat, esurit. Jureconsulto tenuis proventus est, ni sit eximius. Sola Medicina quomodocunque doctum alit, ac tuetur. Innumeris disciplinis, infinita rerum cognitione constat res Medica, & tamen frequenter unum aut alterum remedium alit idiotam. Tantum abest, ut hæc ars sterilitatis damnari possit. Adde quod cæterarum artium non ubique paratus est quæstus. Rhetor frigebit apud Sarmatas. Juris Cæsarei peritus apud Britannos. Medicum quoquo terrarum sese contulerit, suus comitatur honos, suum sequitur viaticum, ut in nullam disciplinam verius competat vulgatissimum illud Græcorum proverbium: τὸ τέχνιον ἡ πᾶσα γῆ τρέφει. Sed hoc ipsum indignatur Plinius, aut certe apud hunc alii, quæstum esse Medicinæ professionem. Major est, fateor, hæc facultas, quam ut quæstui lucroque serviat. Sordidarum, id est artium. Sed nimis ingratum est, eam solam sua fraudare gratia, cui nulla par gratia rependitur. Egregius Medicus ceu numen quoddam servat gratis, servat & invitos. Sed impietas est, non agnoscere Numinis beneficium. Nihil ille moratur mercedem, tu tamen dignus, qui legibus mulcteris ob insignem ingratitudinem.

Confutatio. Jam haudquaquam me fugit, hanc egregiam artem & olim apud veteres audisse male, & hodie apud indoctos quosdam male audire. Catoni non placuit, non quod rem damnaret, sed quod ambitiosam Græcorum professionem non ferret homo mere Romanus. Isque tantum tribuit experientiæ, ut artem esse voluerit, sed idem universam Græcorum Philosophiam ex Urbe pellendam censuit. Existimabat homo durus, ad purgandum hominis corpus sufficere brassicam & crebros vomitus, & tamen ille ipse Medicorum hostis, observatione Medicinæ, in extremam usque senectutem robur infractum tutatus scribitur. Solis, inquiunt, Medicis summa occidendi impunitas est. At hoc nomine magis suspiciendi boni Medici, quibus cum in manu sit, non solum impune, verumetiam mercede occidere, tamen servare malunt. Quod possunt, facultatis est: quod nolunt, probitatis. Decantatur jam passim inter pocula temulentorum adagium: *Qui Medice vivit, misere vivit.* Quasi vero felicitas sit, distendi crapula, rumpi venere, turgescere cerevisia, sepeliri somno. Sed istos Sycophantas quid opus est oratione refellere, cum ipsi petulantiæ suæ satis magnas pœnas dent arti, mox podagra contorti, paralysi stupidi, desipiscentes ante tempus, cæcutientes ante senectutem, jamque prius vituperatæ Medicinæ, exemplo Stesichori, seram canunt palinodiam miseri. Et tamen his licet indignissimis, artis bonitas non gravatur esse præsidio quantum licet. Sunt qui mutuato ex vetere Comœdia scommate, vocent Medicos σκατοφάγυς. Quasi vero non isto nomine vel præcipue laudari mereantur, qui quo subveniant hominum calamitatibus, ex illa sua sublimitate sese ad hæc sordida dejiciant. Quod si Medicis tantum esset supercilii, quantum istis est procacitatis, liceret passim impune mori. Verum habet hoc ars nostra cum bonis Regibus commune, ut bene faciat, ac male audiat.

Quod si maxime sunt, ut sunt in hoc ordine, qui se pro Medicis gerunt, cum nihil minus sint, quam Medici; Si sunt, qui pro remediis venena ministrant, si sunt qui ob quæstum aut ambitionem ægrotis male consulunt, quid iniquius est, quam hominum vitia in artis calumniam detorquere? Sunt & inter Sacerdotes adulteri, inter Monachos homicidæ ac piratæ, sed quid hoc ad religionem per se optimam? Nulla tam sancta professio est, quæ non alat sceleratos aliquot. Votis quidem omnibus optandum, omnes Principes ejusmodi esse cujusmodi decet esse, quique censeantur hoc digni nomine. Nec tamen ideo damnandus est Principatus, quod nonnulli sub eo titulo prædones, Reique publicæ hostes agant. Optarim & ipse Medicos omnes vere Medicos esse, nec in his locum dari Græcorum proverbio: [1] πολλοὶ βυκένται, παῦροι δέτε γῆς ἀροτῆρες. Optarim ab omnibus eam præstari sanctimoniam, quam Hippocrates sacramento verbis solennibus concepto a Professoribus exigit. Neque tamen huc non enitendum est nobis, si a plerisque negligi conspicimus. Sed quoniam hujus argumenti tanta est ubertas, viri præstantissimi, ut difficillimum sit in eo dicendi finem invenire, ne non præstem, quod initio sum pollicitus, tempestivum arbitror, universas ejus laudes summatim complecti.

Epilogus. Etenim si permultas res sola commendat antiquitas, hanc artem primam omnium reperit necessitas. Si scientiam auctores illustrant, hujus inventio semper Diis attributa est. Si quid auctoritatis addit honos, non alia tam passim ac tam diu divinos honores meruit. Si magni fiunt, quæ summis viris probantur, hæc summos Reges, hæc Primates, non solum delectavit, verumetiam illustravit. Si difficilia quæ sunt, ea sunt & pulchra, nihil hac operosius, quæ tot disciplinis, tantarum rerum pervestigatione usuque constat. Si dignitate rem æstimamus, quid excellentius, quam ad Dei benignitatem proxime accedere? Si facultate, quid potentius, aut efficacius, quam totum hominem certo exitio periturum ipsi posse restituere? Si necessitate, quid æque necessarium atque id, sine quo nec vivere, nec nasci licet? Si virtute, quid honestius, quam servare genus humanum? Si utilitate, nullius usus neque major est, neque latius patet. Si compendio, aut hæc in primis frugifera sit oportet, aut ingratissimi mortales. Vobis igitur magnopere gratulor, eximii viri, quibus contigit in hoc pulcherrimo genere professionis excellere. Vos adhortor, optimi juvenes, hanc toto pectore complectimini, in hanc nervis omnibus incumbite, quæ vobis decus, gloriam, auctoritatem, opes est conciliatura, per quam vos vicissim amicis, patriæ, atque adeo mortalium generi, non mediocrem utilitatem estis allaturi. DIXI.

1 Multi qui boves aculeo pungunt, pauci vero aratores.

DE LAUDE MEDICINÆ

FINIS.

DECLAMATIO
LIBANII SOPHISTÆ
SUB PERSONA MENELAI
PRO CONCIONE TROJANORUM
HELENAM
REPETENTIS, NI REDDANT, ARMIS INJURIAM ULTURUM SE DENUNCIANTIS;

Latina facta

DESIDERIO ERASMO ROTERODAMO

INTERPRETE.

REVERENDO IN CHRISTO PATRI

NICOLAO RUTERIO,

Episcopo Atrebatensi, insignis ac florentissimæ Lovaniensis Academiæ Cancellario, Illustrissimi Archiducis Austriæ Philippi Consiliario, S. D. Desiderius Erasmus Roterodamus.



CUM nuper essem Declamationes aliquot Græcas nactus, Præsul amplissime, eisque vertendis periculum de me ipso facere statuissem, quantum in utriusque linguæ facultate fecissem operæ precium, circumspicienti mihi, cui potissimum hoc progymnasmatis consecrarem, tu primus, atque adeo solus, occurristi. Cui enim potius, etiam si nihil aliud, convenit studiorum nostrorum proventus appendere, quam hujus florentissimæ scholæ Cancellario, id est omnium studiorum moderatori, ac principi perpetuo: Huc igitur sponte eunti, multum & fiduciæ, & animi addidit, cum passim per ora mortalium volitans tuarum virtutum fama, tum præcipue hospitis mei Joannis Paludani, hominis doctissimi atque humanissimi pene quotidiana prædicatio, qui mihi totius animi tui simulachrum quoddam absolutum ita depinxit oratione, ut nullus Apelles corporis figuram penicillo expresserit evidentius. Atque inter innumera tua decora, illud in primis memorabile, quod cum perpaucis mortalium contigerit uni Principi diu placuisse, tu singulari quadam sapientia, raraque morum dexteritate, quatuor jam Burgundionum Ducibus, alii post alium, sic perpetuo placuisti, placesque. ut nullus inter Aulicos proceres tantundem gratia floreret, auctoritate polleret, sapientia prospiceret, consilio prodesset. Quum interim usu tam longo nihil unquam de tua sinceritate aula detriverit, tu semper aliquid de illius moribus emendaris. Nec minus insignis illa tua laus, quam ea quam uni Nestori tribuit Homerus, quod incorrupta tua in agendo integritas, simplex in dicendo libertas, semper fuit Principibus gratior, multitudini popularior, quam aliorum obsequiosa assentatio. Quid ego jam referam, toties obitas summa cum laude legationes, quæ quidem faciunt. ut apud exteros quoque longe lateque, solis instar, tui nominis splendor sit propagatus? Quid amplissimos honores, non tam fortunæ munera, quam virtutum tuarum præmia, quos omnes ita gessisti, gerisque, ut longe plus illis per te, quam tibi per illos, dignitatis accesserit: neque tam tu honoribus, quam te honores felices esse videantur? Verum hæc quidem quia sunt amplissima, deterrere poterant, nisi me illa rursus invitarent, quod audio te, ut literis ac pietate insigniter esse præditum, ita omnes, in quibus egregium aliquod probitatis, aut doctrinæ specimen eluceret, singulari semper amore complecti, effusissima beneficentia solere prosequi. Neque prorsus alium multis jam seculis exstitisse, qui pari, atque tu, studio, libertate, dimicatione, invidiæ contemptu, tum ecclesiæ, tum studiorum dignitatem, fortunasque tueretur. Adeo quicquid facultatis, vel tua tibi fortuna largita est, vel peperit industria, id totum ad ornandos, juvandos, provehendosque probos, ac doctos viros conferre gaudes. Hæc quidem, & cum his alia plurima ubi cognovissem, Pater humanissime, cum ultro mihi jamdudum ardebat animus, tum hospitis adhortatio, quasi currenti calcar accessit, ut tuam amplitudinem mihi quoquo modo demererer. Auxit insuper fiduciam, quod recordarer olim, ut refert Plutarchus, tenuem quendam ac plebejum hominem, donato prægrandi malo, magnam ab Artaxerxe Rege gratiam iniisse. Tum Maronem Augusti benevolentiam unico distichoredemisse: neque raro alias, summos viros exiguis munusculis impendio fuisse delectatos. Postremo quod eleganter scripsit Plinius, numinibus ipsis salsa mola litare eos, qui thura non habent. Quibus rebus fretus, ausus sum & ipse tuæ præcellentiæ, hos quasi tres flosculos, strenulæ vice, dono mittere, de Græcorum rosariis decerptos. Quandoquidem hoc nomine vel Pæstanas delicias vincunt Musarum hortuli, quod nullo mense non vernant. At primus quidem longe bellissimus, ac fragrantissimus in Latinum sermonem transplantatus est, de cultissimis areolis Libanii Sophistæ, cui doctorum hominum calculis, inter Atticistas præcipuus locus tribuitur. Ejus ille seminarium, hoc est argumentum, ab omniparis Homeri campis desumpsit, idque ex Antenoris oratione, libro Iliados tertio. Ubi refert Menelaum, atque Ulyssen, quum ad res repetendas Trojam venissent, apud se fuisse diversatos, & utriusque speciem ac dictionem, a se diligenter animadversam describit, confertque. Dialectos Attica est, quanquam nihil omnino Veneris Atticæ deest. In Menelai persona decorum mire servavit. Nam & Spartanam illam in dicendo simplicitatem libertatemque, quæ proverbio quoque locum fecit, scite adumbravit: tum velut ex Homerico archetypo, Regi summam animi magnitudinem appinxit, sed summa cum moderatione, neque non animi jucunditate conjunctam. Nam Priamum etiam laudat, a populo vero omnem criminis invidiam in unum Paridem confert: ac ne in hunc quidem quicquam atrocius aut rabiosius dicit. Porro bellum ita dissuadet, ut ipse jam de victoria securus, tantum ipsorum rebus consulere videatur. Denique breviloquentiam nominatim etiam effinxit, quam quidem, præterquam quod homini Laconi quasi gentilitia est, peculiariter in Menelao, cum subtilitate, elegantia, jucunditateque fuisse conjunctam Cicero, Fabius, & Gellius testantur, sed omnes eundem auctorem Homerum sequuti: cujus hæc verba sunt in eo loco, quem modo retulimus:

Nestor in consiliis & liber & gratiosus.

Libanii laus.

Homerus ingeniorum fons.

Ἀλλ' ὅτε δὴ μύθους, καὶ μήδεα πᾶσιν ὕφαινον
Ἤ τοι μὲν μενέλαος ἐπιτροχάδην ἀγόρευε
Παῦρα μὲν, ἀλλὰ μάλα λιγέως, ἐπεὶ οὐ πολύμυθος
Οὐδ' ἀφαμαρτοεπὴς, εἰ καὶ γένει ὕστερος ἦεν.

Quæ nos utcunque vertimus ad hunc modum:

Pene ad verbum.

Verum ubi consilia, & sermones texere cunctis
Cœpere, strictim est Menelaus pauca locutus,
Pauca, sed argute nimium: neque multiloquus, nec
In verbis errans, quamvis natu minor esset.

Porro altera Declamatio e Tragœdia sumpta est: tertia ex Iliados ultimo, ubi in comploratione Hectoris fere similia lamentatur Andromache: utraque autem ut incerto auctore, ita notæ multo inferioris. Quanquam res tota levicula est, sed in hac placuit primam hujus laboris aleam experiri, ne videlicet juxta Græcam parœmiam ἐν τῷ πίθῳ τὴν κεραμείαν, *id est,* In dolio figulariam, *sed potius* ἐν καρὶ τὸν κίνδυνον, *id est,* In Care periclitarer. *Secutus sum veterem illam M. Tullii regulam, ut in vertendo. sententias modo mihi putarim appendendas, non annumeranda verba. Tametsi novus interpres, religiosior esse malui, quam audacior. Verum quantum nostro conatu simus assecuti, aliorum esto judicium. Illud unum testamur, nimirum experimento docti, nihil esse difficilius, quam ex bene Græcis, bene Latina reddere. Quod si cognoverimus hæc nostra præludia, & quasi primitias, tibi non displicuisse: tum tuo judicio, tuaque auctoritate freti magno animo ad majora accingemur, jamque non flosculos, sed fruges de literariis segetibus collectas mittere audebimus. Vale Pater, ac Præsul amplissime, ac me, meaque studia in tuam clientelam adscribere dignare. Lovanii, Anno a Christo* M D III. XV. *Calendas Decembris.*

PRI-

DECLAMATIO
LIBANII SOPHISTÆ
SUB PERSONA* MENELAI,

Pro Concione Trojanorum Helenam & res repetentis, ni reddant, armis injuriam ulturum se denunciantis, Latina facta, Desiderio Erasmo Roterodamo interprete.



SI QUIDEM Paris, viri Trojani, vel ullam æqui bonique rationem habere voluisset, nihil in præsenti opus erat, neque concione, neque armis, neque legatione: sed tum nos domi rebus omnibus integris versaremur, tum vestræ vobis fortunæ in tuto consisterent. At posteaquam ille rectum posthabuit voluptati, appulimus, Trojani, non quo quempiam injuria violemus, sed uti quæ nostra ipsorum sunt recipiamus, utique si licebit.

Itaque Græcorum quidem exercitum e mœnibus, nimirum, conspicitis, ac multitudinem oppido quam ingentem, & apparatum haud mediocrem: nos tamen adeo cavendum nobis, prospiciendumque putavimus, ne quid præter æquum committeremus, ut quum 1 arma in promptu sint, verbis prius uti maluerimus: ut si quod jus est, id postulatione consequimur, protinus hinc facessamus: sin minus, tum vero quæ proxima sunt experiamur. Neque enim nostri est instituti, illico ad manus venire: neque rursum fieri potest, ut irrita legatione dimissi conquiescamus. Vobis jam in manu est, utrum malitis Paridis voluptatem vestræ ipsorum anteponere incolumitati, an cum Helena simul & bello liberari. Nam ad hunc usque diem raptionem uni Paridi imputamus: neque ullam injuriarum in nos partem, ad 2 communem Trojanorum populum auctorem referimus. Quanquam mox concilii præsentis exitus, aut hanc nostram confirmabit opinionem, aut certe palam faciet, facinus quidem proprium illius esse, cæterum consilium commune omnium. In hoc enim apparebit vos Alexandri factis communicare, si in dicendis sententiis illi ad gratiam obsecundabitis. Sin vero præter illius sententiam, quod æquum rectumque est, id statuere voletis, ita demum in eo crimen omne circumscribetur.

Breviloquentia Menelai Γνώμη

Ac mihi quidem ea semper fuit consuetudo, ne quibus omnino de rebus orationem in longum proferrem, idque adeo mihi recte videor facere. Nam pro causa minus æqua, ne exordiar quidem dicere. Bonis autem causis, & brevem orationem sufficere arbitror. Reor autem, etiam si alias verbosior esse consuessem, tamen in præsenti negocio oportere ad quam paucissima sermonem contrahi. Hoc enim vel ex omnibus unum est hujusmodi, ut nihil operosum, nihil magnum postulet, quum liceat adversarium simplici nudaque rogatione convincere.

Constitutio causæ.

Ac mihi jam per Jovem hospitalem, responde, Pari, an non tulisti, quæ ad te non pertinebant? Igitur restitue. Tulisti per injuriam? Igitur & pœnam debes. Videlicet e duobus alterum necesse est, aut doceas te nihil abstulisse, aut si fateris istud, desinas etiam velle defendere.

Attingit statum inficialem. Tractat jurisdicialem.

Quod autem me spoliaris iis, quæ mihi erant carissima, 3 ne dignaberis quidem inficiari. Audio enim te ex malefactis laudem quoque quærere. Id quum ita habeat, æqui honestique ratio dictabat, ut ab nostris temperares. Ad quæ tu quidem communi hospitúm lege admissus, plus quam hostilia reposuisti. Neque enim existimetis eum palam in nos structis insidiis rem tantam potuisse. Neque vero aut illum usqueadeo strenuum esse, aut nos in tantum oscitabundos, ac supinos, ut ille cum denunciatione talia facturus fuerit, nos autem si præscissemus ea fuerimus passuri. Sed quemadmodum res acta sit, audite. Paris enim eam, non ut habet, sed quatenus sibi judicavit conducere, eatenus forsitan vobis retulit, mendacio maleficium tegens. Nemo siquidem eorum qui peccarunt, culpam agnoscit. Quin potius modis omnibus verum pervertunt, pariter agentes, ut tum ex scelere plus commodi ferant: tum ex inficiatione probi, frugique habeantur.

Narratio.

Res igitur ex præparato confecta est ad hunc modum. Appulit in Laconicam Paris, cultu quidem ac specie non illiberali visendus: tum famulitium adducens, unde conjiceres eum haud quaquam de plebejorum esse sorte. Ut vero Spartam ingressus est, præter alia, præcipue mira in obvium quemque comitate utebatur, non mediocrem probitatem, atque modestiam adsimulans. Desiderabat autem hospitium. Quæ simul atque audissem, meas, inter alios, partes, potissimum esse ducens, 4 hospiti omnia suppeditare, familiam aperui, & ad ea quæ mihi sunt carissima, volens lubensque induxi, nempe uxorem & 5 filiam, nihil dum horum cogitans, Trojani, quæ post mihi acciderunt. Ratus enim Jovem ejus negocii præsidem, & conciliatorem esse, persuaseram mihi pari erga Deum religione futuros, & qui hospitem excepisset, & qui excipientis humanitatem fuisset expertus, multoque adeo majore hunc qui fuisset acceptus: nimirum quo plus commodi cepit is, qui beneficio adjutus est, præ hoc qui beneficium præstitit. Velut & in præsentia quanto putatis animo suspicimus & observamus Antenorem hunc virum excellentissimum, cui quam optime & cupimus & precamur, nihilque minus velimus quam ejusmodi quippiam in sua illi familia contingere. Itidem & tum hospitem justa comitate benignitateque prosequebar.

Antenori favet Græcus.

Prodeat 6 Paris, dicatque num qua re opus habuit, quam non acceperit: num quando diuturnam ipsius consuetudinem molestius ferre visi sumus: 7 nunquid seu magnum, seu parvum, non præberi sensit: nunc ubi parsimoniam nostram aut sordes animadvertit, quam damnarit: num quam in sese injuriam deprehendit. Si quid omnino his de rebus incusat, eloquatur, doceat, & nos vix millesimam partem eorum quibus eramus digni passos esse fatebimur. Verum haudquaquam possit, eoque nec assurgit. Nos itaque quum incustodite atque inobservanter ageremus, videlicet tanquam cum amico jam & familiari, nobisque nostra fiducia securitatem attulisset: id quod & reliquis erga quemlibet consuevit accidere: quod his in rebus fas jusque suadet, id omne, Trojani, diversam in partem transtulit: proque humanitate maleficium, pro hospitalitate malevolentiam, proque hospitio rapinam, pro honore contumeliam, pro fide crudelitatem reposuit: neque Deos metuens, neque eos quorum erat expertus benignitatem reveritus, ne vestra quidem causa pudescens, aut Priami patris, quem audimus religionis ac Numinum egisse curam, ac plane sollicitum fuisse, ut ne quid delinquere videretur.

* Est Declamatio 1. quæ est T. 1. *Libanii* p. 189. Ed. Parisiensis anni 1606. ubi etiam edita est hæc Erasmi interpretatio.

1 Habet *Libanius* ὅπλα παραστήσαντες, hoc est, *admotis armis*.

2 Phrasis Erasmi, *communis Trojanorum populus* non est Latina, sed merus Belgicismus. *Libanius* habet ἀπὸ τοῦ κοινοῦ τῶν Τρώων, hoc est, *a Republica Trojanorum*; qui, nimirum, publico consilio, rapiendam Helenam censuissent.

3 Οὐκ ἀξιώσεις ἀρνεῖσθαι, *non putabis tibi negandum esse*. Etymologiam verbi ἀξιόω frustra hic reddere voluit *Erasmus*.

4 Τῷ ξενίῳ Διῒ πάντα ὑπηρετεῖν, *obsequi per omnia Jovi hospitali*.

5 Ἐπὶ παῖδας, *ad liberos*, quod dicunt Græci & Latini de uno. Vide *A. Gellium* Lib. II. c. 13.

6 Τοῦ χρόνου προϊόντος, omissum ab *Erasmo*.

7 ἢ μικρὸν, ἢ μεῖζον ἀποστραφέντος, hoc est, *eum ulla in re aversatos sensit*.

Hæc omnia, atque his etiam plura, pro minimo ducens, uxorem meam rapuit, insuper & pecuniæ vim asportavit: ut de famulis interim, multisque præterea dicere supersedeam. Quorsum enim attinet, hæc persequi ad longum, apud eos qui ipsi liquido norunt? Namque ex iis quæ huc deportavit, satis ostendit, quantum rerum a nobis abstulisset: ne nunc quidem aliunde quam nostris damnis dives est. Quod si quis velit palam indignitatem negocii pernoscere, nihil alio quopiam mortalium eguerit, tantum ipsius Alexandri domum adeat, eumque ad hunc percontetur modum: Mulierculam istam, cedo, unde tandem nactus possides? Num quemadmodum pater tuus matri tuæ convixit, itidem tu quoque Helenam domi habes conjugii jure ductam? Nimirum aut facti pudens mentietur, aut vera loquens, maleficium confitebitur. Neque vero quenquam vestrum oportet offendi, si libera nostra videtur oratio. Primum: neque nos, quæ par est, consequemur, neque vos quæ oportet cognoscetis, nisi negocium, ut gestum est, ita narretur. Deinde hinc vel maxime licet perpendere quantum habeant indignitatis, quæ facta sunt. Etenim si ubi quispiam quæ passus est, ea palam exponit, commemoratione offenduntur ii qui fecerunt, quomodo consentaneum est eos affectos esse, qui rebus ipsis læsi sunt? Ad hæc autem ne fieri quidem potest, ut postulationem suam quis æquam esse demonstret, nisi facinoris auctorem nocentem ostendat. Videte igitur quam expedita, quamque æqua proponimus. Nam duæ profecto res sunt, quæ reum a causa liberant, aut si nihil omnino patravit, aut si quæ fecit, jure sunt facta. Quod si neque raptionem inficiari potis est, neque justam docere sustinet, profecto quod superest, per se liquet.

Quæ tandem igitur honesta ratio? Cepi, inquit, ac teneo, molestus ne sis. Atqui non satis est cepisse, neque tenere, Pari. Fit enim, ut & tollat quis unde non deceat, & possideat non sua. Neque enim ideo protinus jure quis possidet, quia rem nactus est, sed ita demum, si citra culpam. Eoque non simpliciter spectari convenit, si quid capiatur, sed longe magis quibus rationibus capiatur. Hinc enim & illud perpenditur. Vides impune non esse sacrilegis, res Deorum sustulisse. *[Ab exemplo.]* Cæterum si possedisse per se efficax esset ad defensionem, oporteret quicunque rem penes se esse fateantur a negocio liberari. Nunc, ut opinor, solum isthuc, ac præterea nihil, crimini vertendum est, si quis teneat in quæ jus non habet. Itaque non satis est per se manum injecisse, sed accedat necessum est, citra injuriam. *[A simili]* Neque enim si nunc Paris, exacto patre, & arrepto imperio, vestris fortunis dominari contenderet, rem honestam, aut tolerandam aggredi judicaretur. Imo neque Priamus hic tacite ferret, contumelia affectus, neque vos ejus rei testes: quin protinus omnes dignum qui lapidibus obrueretur haberetis, tanquam nefaria molientem. Proinde ne tu sic defende quia ceperis, sed injuriæ nihil esse admissum doce. *[Objectio.]* Nam æquitas, sive meo, sive Priami nomine consideretur, parem vim obtinet.

At hostes, inquit, sumus, nos qui [1] hanc orbis partem incolimus, & vos qui alteram. *[Confutatio.]* Res autem hostium jus est abigere, asportare, diripere sine vitio. Verum num & jus est, Pari, apud hostes hospitem agere, & accipere xenia, & humanitate juvari? Tu, scilicet, quæ tum desiderabas, ea consecutus es. At oportebat, vir egregie, te jam tum initio vitasse domum hominis, quicum tibi inimicitiæ intercedebant, ac nequaquam ab hostibus beneficia accipere, neque contubernalem fieri iis, quibus cum jam olim, ut tu quidem ais, simultate mutua dissidebas. An tum quidem, ut pro tempore commodis amicis utebaris, paulo vero post ut hostibus? Atqui medio quidem tempore nihil a nobis ortum est, quod animum tuum offenderit, neque quicquam habes quod expostules. Ergo si ab initio nos pro hostibus habebas, quin istud dicebas? Cur aliud tu præ te ferebas, quam habebas in animo? Sin postea mutato animo visum est nos lædere, dic [2] per Deum, quo nostro merito? Profecto nihil habes quod adferas: sed facinus omnium sceleratissimum, cum animo concepisses, ut hospes quidem ingressus es, discessisti vero tanquam hostis.

Deinde fraudem occultans speciosa vocabula maleficiis imponis. Verum haud ulli mortalium persuaseris. Qui sic? Non enim [3] verba naturæ consentanea sunt. Decet autem ut quæ dicuntur, cum natura respondeant. *[Verisimile.]* Si cum longis navibus, cumque armis relucenti exercitu advectus Lacedæmonem, si inimicitia palam denunciata, si manum contra tollens, si telo emisso, si arrepta lancea, fecit impetum experiens, vel fortuna, vel virtute favente vincere, cepit civitatem, corporum potitus est, eique in prædæ partem Helena cessit, habeat, fruatur. Desipimus nos, qui belli præmia crimen faciamus. Porro autem si omnia pacata, præ se ferens classem, apparatum, orationem, vultum, convictum, consuetudinem, finem intulit longe ab initiis diversum, sciat multum a furto distare victoriam, a bellica virtute, arte compositam fraudem. Illa enim virum præstantiorem declarat, hæc autem inferiores esse arguit eos, qui dolis assequi conentur, quod virtute nequeant. Atque ut inferiorum fortunæ ad eos qui sunt præstantiores transeant, neque ratione fortasse vacat, & belli jus permittit. Verum qui inimicitiam ne fateri quidem sint ausi, eos ultro meliorum fortunas invadere, hoc profecto cum injuria conjunctum est, & supplicio dignum.

Quod igitur indignissima passi, exercitum in agros vestros induximus, neque injuriæ auctores, sed ultores, & quod Paridi nihil superest, præter impudentiam, multis ex rebus perspicuum esse puto. *[Partis juridicialis quasi epilogo facto, transit ad suasoriam.]* Nos tamen lingua prius quam manibus utimur, idque plurimis de causis. Primum enim non statim ad arma ruere, magis autem verbis experiri, possis ne quod jus est obtinere, id est profecto homine dignius. Deinde non æquum arbitramur, quæ unus peccavit, horum nomine, ab universis pœnam sumere, quod tamen bello constituto necesse est accidere. Non enim ibi [4] vacat insontibus parcere, sed intereat necesse est, quisquis ceciderit. Hoc uti ne contingeret, neve quispiam in eas res præcipitaretur, quibus gravari nollet, non recusamus legatione, & suffragiis controversiam dirimere. Ad hæc autem non mediocre momentum in rebus bellicis adferre credimus, divinum favorem. Hunc vero videmus adesse, non iis qui plus audent, sed qui causa sunt meliore. Eamque ob rem animo moderantes, a legatione fecimus initium, ut siquidem hæc ad finiendam controversiam suffecerit, nulla præterea re sit opus: sin aliter, divino auxilio propter causæ æquitatem freti, ita demum ad secunda convertamur.

Utraque igitur considerate, atque conferentes cum disceptatione prælium, cum verbis arma, simul & ad præsentem felicitatem respicientes, & quæ ex illis incommoda proficisci soleant, perpendentes, id quod potius est eligite. Oportet enim, Trojani, in hujusmodi negocio neutiquam indiligenter consultare: cum illud non ignoretis, si semel peccatum sit, non fore vobis iterum de integro statuendi facultatem. Etenim ante susceptum bellum, integrum est, in illud omnino non incidere, atque utiliore consilio præsens incommodum evitare. At simul atque ad manus ventum est, ipsa sese mala in immensum propagant. Ac finem denique certantibus non moderatæ conditiones, sed victoria imponit. Videte igi-

[1] Quare non vertit ταύτην τὴν ἤπειρον, *hanc continentem?*

[2] Πρὸς Θεῶν, *per Deos.*

[3] Οὐ γὰρ τοῖς ῥήμασιν ἕπεται τῶν πραγμάτων ἡ φύσις: *verbis enim consentanea non est rerum natura*; hoc est, facta dissentiunt a dictis.

[4] Οὐ γὰρ ἔνεστι τηνικαῦτα τοὺς ἀναιτίους καὶ τοὺς φαυλοτέρους κρίνειν: *non licet enim illinc distinguere insontes a nequioribus.* Nam κρίνειν est hic pro διακρίνειν, ut sæpe alibi.

igitur, ne cum in præsentia licet decernere utilia, bellum decernatis, mox autem belli incommodis admoniti, rursum ad consultationem redire cupiatis, cum jam licere desierit. Maxime vero, etiam si nulla instaret dimicatio, nihilque periculi impenderet, tamen oportebat ipsum per se justum rectumque sequi. Nam qui hoc sunt animo, illis res solent ex sententia succedere. Nunc si vere rem reputaveritis, ne si velitis quidem, liberum sit vobis secus facere. An non videtis Achivorum copias per littus campumque effusas tanto numero, ut capiendæ multitudini, & regio ipsa videatur angusta? Hi quanquam pluribus ex oppidis delecti sunt, una tamen omnibus mens est, ad extremum usque injuria lacessitis adesse ad ultionem. Et tanta quidem sunt animi promptitudine ad rem gerendam, ut nullo jurejurando sit opus: tanta rursum jurisjurandi religione sunt astricti, quanta, vel si nolint, ad gnaviter agendum queant impelli. Jam quis usqueadeo vecors sit, qui non malit citra incommodum ea restituere, quæ tamen cum infortunio sit depensurus? An per Jovem, quod anceps sit eventus belli? Non per Deos, non est ullo modo incertus hujus exitus belli: quando ne illud quidem in dubio est, potiusne præmium æquitatis, quam iniquitatis: & an illam colentes honos, hujus vero auctores diversa consequantur. Etenim si de neutro istorum ambigitur, protinus indubitatum est & illud, utrorum melior sit causa, eos in certamine fore superiores. Porro de iis, qui vobis auxilio futuri sint, auguror enim sic cogitare nonnullos, quasi non paucos auxiliatores satis habituri, illud dico, quod etiam si reliquus exercitus omnis in ocio se contineret, vel unus hic Ulysses auxilia vestra in ludibrium verterit, multitudinem ingenio solertiaque reprimens.

Hæc neque bellum detrectans, neque negociorum cupiens dixerim. Plurima vero dicere proclive quidem, sed supervacaneum sit. Nam si his mentem non adhibebitis, nihil retulerit plura dixisse. Testor autem Jovemque hospitalem, cunctosque simul & Deos, & Dæmones, quicunque hanc incolunt regionem, quod & injuria priores lacessiti Ilium appulimus, & nunc quoque præoptamus verbis negocium conficere, neque nisi ab aliis adacti bellum sumus inituri.

DIXI.

* QVÆ DIXERIT MEDEA SVOS MACTATVRA FILIOS.

DECLAMATIO.

FUIT & mihi mea ars auxilio, ut accepta contumelia, non tantum angerer, sed & pœnas sumerem. Non amplius Rex Jason, non amplius [1] Corinthiorum potitur. Omnes opes subvertit corona, omnia velum perdidit, omnia conflagrarunt incendio. Et accedit ad calamitatis cumulum dementiæ genus, quod illi de me nihil etiam subolet. Quid igitur? Sufficere hæc putabimus, ac præterea nihil requiremus? Minime gentium, imo superest alia vindicandi ratio, superiore atrocior, nihil egens veneficiis, aut arte clancularia, verum animo præsenti, virilique, & dextera quæ facinus nullum refugiat. Sunt liberi mortalium omnium impiissimo, & vocatur pater. Hoc e filiis solatium, una cum ipsa appellatione illi adimamus. Haudquaquam me sinit quæ justa sunt expendere, meorum malorum, tum multitudo, tum magnitudo. Sed rationem ineunti mihi, pro quibus factis quem fructum receperim, omnia ad pœnam minora videntur. Æeta mihi pater erat, isque Scytharum Rex: tum virginitas & fama egregia, ac multi [2] inter finitimos proci: denique spes præsentibus bonis potiores. Appulit scelestus iste, neque Deos metuens, neque homines reverens. Atque erat omnibus malis circumvallatus, & necesse habebat invincibilia vincere, tauros ignem efflantes, armatam aciem e terra prosilientem, Draconem pervigilem. Ac dignus quidem erat, qui in his omnibus vinceretur, ut isto cadente victoria penes patrem meum esset potius, quam Æetæ regnum ludibrio haberet unius navigii dominus. At ego quicquid est proditorum scelere præcurrens, quicquid amentium stultitia superans, familiares pro hostibus, hostes familiarium loco habui. Et contra patriam, ab alienigenis stabam. Porro artem opposui naturæ ferarum. Exstinctus est ignis. Tauri jugum duxerunt. Cessit aratro solum longe durissimum. Sopitus apparuit Draco, id quod antea nunquam. [3] Manu tenebam adhuc trementem Jasonem. Ego porro super hæc omnia navem conscendi, multis magnisque persuasa pollicitationibus, sacramentis, meis ipsius beneficiis. Accepit benevolentiæ meæ argumentum & Jolcus, ubi Rex Pelias inimicus senex, ab iis quas genuerat discerptus est, juventutis spe, ultro se fraudi tradens. Et hujusmodi quidem mea in Jasonem, partim domi, partim in Græcia beneficia exstiterunt. Gratia vero cujusmodi? Corinthum vidit, & Creontis imperium, ac de Glauce audivit. Cæterum nulla habita ratione eorum quæ feceram, uxorem duxit, quum ex me liberos haberet. Me viva vidit nuptias. Atque illa omnia exciderunt animo, præque imperii cupiditate, mea merita neglecta sunt. Atqui ne ista quidem sufficiebant, insuper expulsa sum, contumelia affecta sum, [4] minis onerata sum. Hæc quidem justam indignandi caussam præbuerunt. Artem vero effugii tantum gratia tenebam, & hactenus suffecit. Incedamus jam & per reliqua, quaque licet eamus. Feri Medea filios, macta filios Jasonis, viri scelerati, impii patris, hospitis mali. Ne quid te rerum omnium revocet, non natura, non gestatio, non partus recordatio, non nutricatio, non vox, non forma. [5] Plectatur Jason in filiis: hi vero hostium nomine plagam recipiant. Non arripiant eos cognati Glaucæ, neque iram in illos evomant. Atrox quidem facinus, sed ad prius illud consequens. Contra naturam impie agemus? At istud olim ausæ sumus. Fratris cædes ad liberorum cædem deducit. Ejusdem est & hoc animi, ejusdem dexteræ. Obsecro filii, sub ensem venite, [6] hic in vos per me adigendus est. Enim vero si probus ille fuisset, nihil horum. Bonæ formæ, bona figura corporum, sed patris imaginem referunt. Id facit ut occidam lubentius. Ii quidem igitur mox jacebunt. Ego vero e sublimi medioque aere, scelestum aspiciam. Atque ille, gemens, & nihil non faciens, vociferabitur quidem, me vero nequaquam attinget. Ejusmodi draconum jugo freta vehar. Supra Athenarum vero urbem ingrediens, inde cruciatum spectabo.

FINIS.

QVÆ DIXERIT ANDROMACHE INTERFECTO HECTORE.

DECLAMATIO.

EVENIT quod timebam, & verba mea despiciens Hector ad optima hortatam esse cognovit. Admonueram ut sibi parceret. Ille vero contra, suam salutem vilem habuit. Ergo exstinctus est non meis, proh Dii, in manibus, verum ab Achille. Quod ille occubuit, hoc est, interisse Priamum, Hecubam, fratres, hunc ipsum puellum, me, civitatem

* Est 1. Ethopoeïa quæ est apud *Libanium* p. 138. ejusdem Voluminis.

1 Κορινθίων ἐπαιρόμενος πλούτῳ, *superbit divitiis Corinthiorum.*

2 Τῶν ἐν τέλει, *primorum, optimatum,* non *finitimorum,* nam τέλος non est ὅρος.

3 Ἐν χερσὶν ἦν τὸ δέρας τοῦ τρέμοντος, *in manibus erat pellis trementis*; hoc est, in manibus trementis adhuc Jasonis, propter magnitudinem periculi, quod evaserat.

4 Προυπηλακιζόμην, *ludibrio affecta sum,* non *minis onerata.*


5 Ζημιούσθω μὲν Ἰάσων τοῖς παισὶν οἱ δὲ τὴν παρὰ τῶν ἐχθρῶν διαφευγέτωσαν αἰκίαν: *mulctatus quidem Jason jactura liberorum; hi vero fugiant contumeliam ab hostibus inferendam.*

6 Τοῦτο εἰς ὑμᾶς ὁ πατὴρ ὠθεῖ δι᾽ ἐμοῦ: *hunc in vos pater per me adigit.* Opuscula autem hæc cum Græcis conferre obiter voluimus ut intelligat Lector, *Erasmo* non esse per omnia fidendum; quod in aliis etiam ejus versionibus facere licuisset. Sed nimiæ operæ res esset.

omnem. Ille tuebatur Ilium. A quo igitur posthac servabitur? Interierunt, occiderunt omnia, facta sum mulierum infelicissima. Quanta me felicitate, cujus gustum modo dederat, fortuna spoliavit. Erant mihi in Regiis pater ac mater, tum fratrum chorus, nitidaque ac lauta omnia. Accedebat ad hæc aliud maximum omnium, conjunx Hector, bellator insignis. Spectabar, beata dicebar. Et si quis adiens me Andromachen appellabat, cognominis vice adjiciebat, Imperatoris, victoris, fortunatam. Oportebat igitur in eadem fortuna pariter consenescere. At non passus est sævus iste Achilles, quem quidem in meum exitium produxit Thetis, patrem mihi ademit, trucidavit fratres, servitutem matri injecit. Deinde restituta est. Ac ne ea quidem superest. Et hæc gravia quidem, verum tu tolerabiles reddebas ærumnas Hector, atque unus præstabas omnia. A Et quibus eram orbata, ea rebar adesse per te. Sed occisus es, accepisti vulnus. Nos rapimur, perdimur, instant tristia. Impendet periculum, imminet incendium. Videre mihi videor Trojanos cædi, uxores per vim indigne tractari, liberos trahi, videre ferrum, videre flammam. Aperta est hostibus Troja, te haud amplius pro portis propugnante. Ah puer, forte prehensum te quispiam hostium, ad turrim adiget. Strenuus erat pater, a te pœnas repetent Græci. Me forsitan occidet alia vis. Atque in hoc quidem fortunatæ erimus. At nondum continget. Servitus me manet, & famulatus, plagæ, & in extremum usque ævi lachrymæ. Haud etiam scio an visura sim terram unde nobis hostis iste advenit. Mox etiam, quod acerbissimum est, concubitum cogar pati ejus qui interemit Hectorem.

LIBANII SOPHISTÆ DECLAMATIONVM

FINIS.



DE

DE PARABOLIS SIVE SIMILIBUS,

EX SELECTIS QUIBUSDAM AUCTORIBUS COLLECTIS LIBER;

AUCTORE DESIDERIO ERASMO ROTERODAMO.

DESIDERIUS ERASMUS ROTERODAMUS
CUM PRIMIS ERUDITO

PETRO ÆGIDIO

CELEBRATISSIMÆ CIVITATIS ANTVERPIENSIS A LIBELLIS,

S. D.



ULGARE quidem & crassum istud amicorum genus, Petre amicorum candidissime, quorum ut omnis vitæ, ita necessitudinis quoque ratio in corporibus sita est: si quando procul sejunctos agere contigerit, annulos, pugiunculos, pileolos, atque alia id genus symbola crebro solent invicem missitare: videlicet ne vel consuetudinis intermissione languescat benevolentia, vel longa temporum ac locorum intercapedine prorsus emoriatur. Nos vero quibus animorum conjunctione, societateque studiorum, omnis amicitiæ ratio constat, cur non potius animi xeniolis & literatis symbolis identidem alter alterum salutemus? Non quod ullum sit periculum, ne propter interruptam vitæ consuetudinem, frigus aliquod obrepat, neve tantis regionum intervallis semota corpora, copulam ac nexum solvant animorum: qui vel hoc arctius sibi conglutinari solent, quo vastioribus spaciis illa fuerint dirempta: verum ut si quid ex amicitiæ fructu detrahere videatur absentia, id hujusmodi pignoribus literariis, non sine fœnore sarciamus. Proinde nihil quidem vulgarium xeniorum ad amicum adeo non vulgarem, sed plurimas in uno libello gemmas mitto. Cur enim non sic appellem has ὁμοιώσεις, ex opulentissimo summorum auctorum mundo selectas? Nuper enim dum Aristotelem, Plinium ac Plutarchum locupletandis Adagiorum Chiliadibus relego, dum Annæum Senecam a mendis, quibus ille non contaminatus erat, sed prorsus exstinctus, repurgo, has obiter annotavi tibi munusculum haudquaquam ingratum futuras: sic enim augurabar, quod & te perspicerem ad orationis elegantiam natura compositum esse: & intelligerem non nitorem modo, sed universam prope sermonis dignitatem a metaphoris proficisci. Nihil autem aliud est παραβολὴ, quam Cicero collationem vocat, quam explicata metaphora. Cæterorum ornamentorum singula suam quandam ac peculiarem adferunt gratiam & commoditatem dictioni: metaphora sola cumulatius præstat universa, quam exornationes reliquæ singula. Delectare vis? nulla plus habet festivitatis. Docere studes? non alia probat vel efficacius, vel apertius. Flectere paras? nulla plus addit acrimoniæ. Studes copiæ? nusquam supellex locupletior. Placet Laconismus? nulla plus cogitationi relinquit. Sublimitatem affectas? hæc quidvis quantumvis attollit. Est quod velis extenuare? nulla magis dejicit. ἐνάργειαν captas ac lucem? nulla melius rem ob oculos ponit. Hac fere condiuntur Adagia, huic gratiam suam debent Apologi. hæc commendat Apophthegmata, hujus accessione conduplicatur sententiæ dos, adeo ut Solomon ille vir divinus, oracula sua non alio magis quam parabolarum titulo voluerit commendari. Tolle metaphoræ supellectilem ex Oratoribus, jejuna erunt omnia. Tolle parabolas e Prophetis & Euangelicis literis, magnam gratiæ partem detraxeris. At fortasse dicet aliquis: Belle hic munus suum ornat verbis: quasi vero magni sit negocii, similitudines nusquam non obvias adducere: verum nos non passim obvias sumpsimus, nec lapillos in littore sparsos collegimus: sed exquisitas aliquot gemmas ex abstrusis Musarum thesauris deprompsimus. Neque enim hæc a tonstrinis aut sordidis fori conciliabulis petuntur, quæ doctorum aures & oculos morentur. Ab intimis naturæ arcanis, e penitissimis disciplinarum adytis sunt eruenda, ab eloquentium Poetarum eruditis fabulis, a nobilium Historicorum monumentis. Qua quidem in re, ut duplex est difficultas, ita gemina laus debetur. Primum illud ipsum nonnihil est; pervestigasse quod sit egregium. Neque vero minus est, quod deprehenderis, id concinniter accommodare. Quemadmodum est aliquid, primum insignem reperisse gemmam: deinde nonnulla laus est, repertam apte sceptris aut annulis addidisse. Addam exemplum, quo res fiat dilucidior. Cicuta venenum est homini, vinum cicutæ: quod si cicutæ vinum admisceas, jam venenum multo præsentius & prorsus immedicabile reddis, propterea quod vis & impetus vini, veneni noxam citius ad vitalia membra perferat. Jam hoc ipsum rem naturæ tam abstrusam tenere, nonne pars est eruditionis, nec inelegans, nec injucunda? Age jam, si quis ad hunc usum accommodet ut dicat, adulationem amicitiæ præsentaneum esse venenum: verum ei rursum veneno venenum esse libertatem admonendi, quam Græci vocant παῤῥησίαν: quod si libertatem prius inficias, & ita commisceas cum adulatione, ut tum maxime aduleris amico, cum maxime videris objurgare, jam immedicabile malum esse: nullane hic ingenii laus esse videbitur? Non mediocris opinor: neque velim tamen aucupari gratiam, ubi nihil promerear. Quibus hic titulus præfertur ex Aristotele, Plinioque, in his mea est collationis inventio. Porro quæ ex Plutarcho, Senecaque desumpta testatur inscriptio, in his nihil mihi vindico, præter colligendi explicandique laborem, & si quid laudis meretur commoda brevitas. Neque vero me clam est, quantum similium pelagus possit e rerum omnium naturis, e tot disciplinis, e tot Poetis, e tot Historiographis, e tot Oratoribus aggregari. Verum quæ dementia sit, quod infinitum est, velle persequi? Gustum duntaxat dare voluimus, ut ingenia juvenum ad his similia conquirenda excitaremus. E Plutarcho complura recensuimus, partim quod is auctor Græcus est, partim quod in hoc genere sic excellit, ut cum hoc nemo vel eloquentissimorum jure conferri queat. E Seneca, quoniam in eo tum aliud agentes versabamur, non ita multa decerpsimus. Non alienum fuerit, hunc libellum Adagiis, aut si mavis, Copiæ commentariis, ceu coronidem adjungere, quod cum illis plurimum habeat affinitatis, & ad hanc vel in primis faciat. Epithalamium tuum, quo minus & absolutum sit & editum, famulus meus in causa fuit, qui Lovanii, me quidem imprudente, reliquit exemplum. Bene vale. Basileæ Anno a Christo nato MDXIIII. *Idibus Octobriis.*

PA-

EX PLUTARCHI MORALIBUS.



Qui adhortantur, & excitant ad Philosophiam, nec docent nec tradunt eam: perinde faciunt, ut ii qui præmungunt lucernam, nec infundunt oleum.

Ut quibus domi nihil est boni, in foro plerumque versantur, & obambulant: Sic quidam, quia nihil habeant quod privatim agant, ad publica administranda conferunt sese.

Ut qui animi causa navim ingreditur, ut spectet, aut in ea inambulet: deinde repente soluta, atque in altum revulsa, nauseans ac vomens frustra foras prospectat: Sic qui leviter, & quasi lusus gratia attingunt Rempublicam sed a semel suscepta non possunt sese explicare, negociorum undis secum hominem & invitum trahentibus.

Ut qui personatus in theatrum procedit histrio: Sic qui ad Rempublicam administrandam accedit, non ut civibus prosit, sed sibi gloriam comparet.

Qui sensim ac volentes descendunt in puteum, nihil læduntur: qui casu incidunt, valde turbantur: Sic qui certo consilio accedunt ad Rempublicam moderate ferunt: qui sese temere injiciunt, eos pœnitet.

Ut vinum primum servit, ac paret bibenti: at paulatim admixtum venis, rapit hominem, ac traducit in suos mores: Ita qui Rempublicam administrat, initio se populi moribus accommodat, post sensim eum ad sua trahit instituta.

Qui captat aves, earum voces imitatur, ut alliciat in laqueos: Sic ut multitudinem in tuam adducas sententiam, illius ingenio obsecundes & observias oportet.

In facie plus offendit nævus, aut verruca, quam in reliquo corpore grandes maculæ, aut cicatrices: Sic exigua delicta magna videntur in Principe, cujus vita in conspicuo est.

Ut mulieres laborantes citta, aut stomacho nauseantes, malos quosdam cibos ingerunt, ac paulo post revomunt: Sic populus per stultitiam, aut inopiam meliorum, quosvis etiam creat magistratus, ac eosdem paulo post abjicit.

Ut optimum vinum, si in vas sordidum & impurum infusum sit, perdit gratiam: Ita bona sententia, si a malo viro pi oficiscatur, aut si doctrina in malum virum inciderit.

Ut non satis est clavus, neque frenum, nisi adsit qui arte moderetur: Ita non sufficit eloquentia ad moderandum populum, nisi accesserit sermonis moderatrix ratio.

Dissimile. Qui navem gubernant, aliena voce, jussuque utuntur. Sed qui Rempublicam gubernant, in seipsis sapientiam habeant oportet, ut non sit opus aliena voce.

Ut qui obtuso freno conatur equum domare, excutitur, equo contemnente frenum: Sic qui populum vincere conatur, non satis instructus potentia, ab imperio deturbatur.

Qui plebem ludis, epulis, largitionibus regunt, similes sunt iis, qui bruta animalia pascunt, aut venantur. Musici levi chordarum tactu demulcent, non gravi pulsu. Sic oratio placida, citius quam aspera movet populum.

Ut longiore via potius utendum est, si modo sit tutior, quam breviore & periculosa: Sic ad opes, ad gloriam enitendum, ut serius contingant tuto, potius quam statim cum periculo.

Ut ignis non reddit fumum, si statim emicet flamma: Sic nec gloria est obnoxia invidiæ, si protinus elucescat: sed eos qui paulatim crescunt, sequitur invidia.

Ut hedera adhærens arborum ramis, ope aliena in altum erigitur: Sic obscuri, consuetudine potentium crescunt: deinde præfocant eos, a quibus sunt evecti in altum.

Quædam corpora lumen solis exceptum suo fulgore vicissim augent atque illustrant: Ita quidam aliorum favore commendati, vicissim suis dotibus eos commendant.

Non quævis arbor patitur complectentem se vitem, sed quædam præfocant eam, & exstinguunt: Ita ambitiosi quidam, juvenes ob invidiam premunt, ne quando emergant.

Gubernator optimos quærit nautas. Architecton doctissimos quærit ministros. Ita Princeps eos adsciscet amicos, qui ad Rempublicam administrandam maxime sint idonei.

Musicus chordas dissonantes non statim abjicit atque incidit: sed sensim intendens, aut remittens, ad concentum adducit: ita Princeps leniter debet emendare peccantes, non protinus tollere.

Jaculum, si in solidum aliquid inciderit, nonnunquam in mittentem retorquetur: Ita convicium in fortem & constantem virum tortum, recidit in convicium facientem.

Ut Rex mundi magna curat, parva relinquens fortunæ, quemadmodum dicit Euripides: Ita Princeps non nisi in gravibus & arduis negociis exercebitur.

Alexander Bucephalum jam senem ab aliis equis gestandum curare solebat, donec ad hostem ventum esset, ut integer ad pugnam veniret: Ita senum magistratuum utendum opera, ut eis adimatur quantum potest laboris, ad necessitatem usus illorum reservetur.

Gubernator quædam suis manibus facit, quædam per alios: & aliquando aliis ad clavum admissis, ipse in proram demigrat: Sic in Republica non debet unus occupare omnia munia, sed aliis vicissim dare locum. Rectius enim fieri, quæ multorum manibus peragantur.

Histrio, sic affectus ac mores addet fabulæ de suo, ut præscriptum tamen, & numeros non prætereat: Ita qui magistratum gerit, sic administret, ut præscriptum Regis non exeat.

Non est infirmior manus, quod in digitos sit dissecta, sed ad operandum agilior: Ita negotia multis communicata, in Republica plenius conficiuntur.

Ut qui non consueverunt neque cœnare, neque lavare, nisi ex præscripto Medici, ii nec sanitate fruuntur: Sic qui omnia ad Principis judicium refert, reddit eos dominos plus quam vellet civitas, ut nihil jam nec recte fieri possit, nisi Principis arbitrio.

Medici morbos quos non possunt prorsus tollere, ad summa corporis in apertum evocant: Sic magistratus si clam civitatis vitiis mederi non potest, ut quam minime Medicis ac pharmacis, hoc est, suppliciis egeat.

Medicus multo educto sanguine corrupto, paulum innoxii cibi ministrat: Sic Princeps sublatis multis malis ac nocentibus, levi gratia, & humanitate molestiam eam mitigabit.

Ut qui prærternavigatis sirtibus, juxta portum frangit navem, nihil magni fecit: Ita qui uno, atque altero magistratu recte gesto, in summo naufragium facit.

Ut Colossi seu statuæ male libratæ, sæpius subvertuntur: Ita nimius honor per invidiam evertit multos.

Ex alvearium strepitu ac tumultu, colligunt apes recte valere: contra ex quiete Rempublicam. *Dissimile.*

Ex festuca incensa, aut lucerna neglecta domi, nonnunquam conflagrat urbs tota: Sic ex privatis odiis ac dissidiis publica pernicies oritur.

Aer qui est in auribus, nisi tranquillus sit, & carens propria voce, sed tinnitu fuerit ac tumultu plenus, non exacte recipit ea quæ dicuntur: Sic ea pars, quæ Philosophia dicta, judicat, si quid intus obstrepat, & obtinniat, non recte judicabit, quæ foris accipiuntur.

Morbi corporis pulsu, & colore deprehenduntur: eorumque adventum calor & lassitudo prænunciant: At animi morbos plerique non intelligunt esse morbos. *Dissimile.*

Ut est initium sanitatis, sensus morbi: Ita correctionis initium, agnoscere culpam.

Ut difficillime sanantur, qui sui sensu carent in morbo, velut lethargici, ac phrenetici: Ita difficillime revocantur ad bonam mentem, qui non agnoscunt sua vitia.

Ut periculosior est tempestas, quæ non finit in portum appellere, quam quæ vetat navigare: Ita graviores animi motus, qui non sinunt hominem consistere, ratione perturbata, sed præcipitem auferunt in tempestates.

Qui corporis morbo laborant, quieti se tradunt, Medicum accersunt, abstinent: sed qui ægrotant animo, quo gravius ægrotant, hoc magis abhorrent a quiete, & a Medico. *Dissimile.*

Ut ex igni & terra veluti necessariis, compositus est mundus, juxta Platonem, terra soliditatem conferente, igni

calorem ac formam: Ita magna imperia non parantur, nisi misceatur cum fortuna virtus, & altera alteri sit auxilio.

Ut mundus non erat mundus, minutioribus corporibus adhuc sparsim volantibus, & elabentibus: solidioribus vero inter se depugnantibus, sed tempestatis, erroris, tumultus plena erant omnia: donec terra ex his accepta magnitudine, seipsam figeret, aliisque in se stabilem præberet sedem: Sic magna imperia plena tumultus, donec aucta potentia, etiam finitimis rebus stabilitatem præstat, ut terra cæteris elementis circumferentibus sese.

Ut navis multis ictibus compingitur, clavis, paxillis: deinde ad tempus aliquantum relinquitur, donec cohærescant clavi commissuræque: deinde tuto sulcat maria: Sic civitas multis sudoribus conditur, donec aucta tempore, tutam ac tranquillam vitam præbeat civibus.

Qui venantur bestias, induunt exuvium cervi: qui aucupantur aves, plumatis utuntur tunicis, caventque ne tauris appareant in veste purpurea, rubra, aut alba elephantis, quod hoc colore irritentur: Sic qui velit feram nationem cicurare, domareque, moribus ac vestitu semet illi ad tempus accommodet, necessum est.

Ut aeris circumfusi temperies elicit terræ fertilitatem: contra cœli inclementia vitiumque premit atque exstinguit: Ita favor & benignitas Principis, excitat honesta studia. Rursum tenacitas, & odium exstinguit arteis.

Ut cervis frustra sunt ingentia cornua, cum desit animus: Ita non satis est opibus pollere, nisi fortitudo accesserit.

Ut Cyclops exoculatus manus quoquo versum porrigebat, nullo certo scopo: Ita magnus Rex, cui desit prudentia, quidvis aggreditur ingenti rerum tumultu, sed nullo judicio.

Quemadmodum imperiti artifices, cum statuis exiguis magnas subdunt bases, magis conspicuam reddunt illarum exiguitatem: Ita fortuna si pusillo animo munus amplum addat, indicat & arguit magis animi humilitatem:

Ut ferrum si non utaris, obducitur rubigine: Sic animi vigor, nisi negociis tractandis exerceas.

Qui simul & Rempublicam tractat, & artem exercet sedentariam, perinde facit, atque ille qui mulierem ingenuam ac probam, detracta stola, datoque præcinctorio, in officina detineat.

Ut Herculem parum decebat, exuto leonis exuvio, vestis Milesia, cum serviret Omphalæ: Sic parum decorum civili viro, deposita quam gessit persona, ad ociosam, ac voluptariam vitam se conferre.

Ignis semel accensus facile servatur, exstinctus haud facile redaccenditur: Ita famam tueri facile est, exstinctam non facile est restituere.

Deliacum navigium, dum subinde sarcitur, & reconcinnatur, veluti perpetuum in multa secula redditur. Sic famæ semper aliquid adjiciendum, ne collabatur.

Canis ignotos allatrat, erga notos mitior, secundum Heraclitum: Sic invidia novos homines, & nuper evectos potissimum infestat, in notos jam mitior.

Flammam primum emicantem multus comitatur fumus: qui quidem evanescit, jam invalescente & explicante se flamma: Sic res egregias aggredientem initio multa premit invidia, donec aucta gloria invidiæ fumum discutiat. Nam fumus gloriæ invidia est.

Ut stultus qui adversis ventis & undis navigat, orta tranquillitate portum petit: Sic qui tum negocium relinquit, cum diu jam cum invidia luctatus, deinceps citra invidiam vivere possit.

Ut difficillimum ac periculosum est annosas arbores, quæ jam late sparsere radices, revellere loco, & alio transplantare: Ita Rempublicam longo tempore suis inveteratam institutis, ad aliam vitæ rationem traducere non licet citra maximos rerum motus.

Ut ferrum, aut æs usu splendescit: Sic exercendis negociis enitescit animi vigor.

Ut gaudent, qui a furiosis dominis aufugerunt: Sic gaudere debent senes, qui ætatis beneficio libidine non infestantur.

Ibin ajunt, ubi consenuit, jamque quod erat turbidum, exspirarit, magis aromatice olere: Sic gloria senum tranquillior, & consilia sedatiora.

Ut aqua vino admixta, reddit illud moderatius, & sobriæ Nymphæ Deum temulentum compescunt: Sic in Republica senes admixti, juvenum temeritatem & ambitionem reverentia sui reddunt moderatiorem.

Ut in scena δορυφόρημα tantum ostenditur, nec loquens quicquam, nec agens: Sic Princeps, qui vestitu, & titulo tantum Principem agit, nihil autem curat eorum, quæ vere sunt Principum officia.

Ut arcus tensus rumpitur: Sic animus remissus frangitur.

Ut cantor senex non omittit artem, nec abjicit lyram, sed leviores sequitur harmonias, & vocis fugitat contentionem, juvenibus aptiorem: Sic in senectute non oportet a Republica prorsus desistere, sed eligere negocia remissiora, quæ conveniant ætati. *Mistum.*

Athletæ abstinent a laboribus necessariis, ut in non necessariis valeant, nobis contra faciendum. *Dissimile.*

Qui equos domant, primum blandiuntur, ac mollissime tractant, ut assuescant freno: Sic populus lenitate subeundus.

Vestalibus tempus erat præstitutum: Primum, in quo discerent: Alterum, in quo exercerent: Tertium, in quo docerent. Idem fiebat in Sacerdotibus Ephesiæ Dianæ. Itidem faciendum iis, qui Rempublicam gerunt.

Arbores invidæ, vetulæque subnascentes arbusculas umbra sua premunt, nec sinunt efflorescere. Non sic faciendum senioribus magistratibus, sed invitandi potius, & adjuvandi juvenes. *Dissimile.*

Remedia statim mordent vel offendunt, postea conferunt salutem & voluptatem: Ita salubria monita initio sunt nonnihil amara, postea correcto jucundissima.

Insania alendi equos, non consequitur lenticulam, sed arva frumentifera: Sic adulatio non infestat pauperes, atque humiles, sed magnarum familiarum ac fortunarum ruina morbusque est.

Pediculi corpora exanima deserunt, utpote defecta sanguine quo alebantur: Sic adulatores rebus prosperis ac feracibus adsunt, aridas & steriles non attingunt.

Ut nummum exploras, num sit adulterinus, priusquam eo sit opus: Sic amicus probandus antequam eo sit opus.

Ut qui prægustando lethale venenum, in exitium conjiciunt sese: Sic qui amicum admittit, priusquam cognoverit, suo malo discit qualis sit.

Ut ignis omnium condimentorum est suavissimum, velut inquit Euenus: Ita amicitia omnem vitam condulcat, si admisceatur.

Ut adulterina splendorem ac nitorem tantum auri imitantur: Sic adulator gratiam, obsequium & hilaritatem amici.

Ut sylvestria semina, quæ spacio ac magnitudine accedunt ad triticum, haud facile repurgantur, nam per angusta foramina non excidunt, per ampla simul excidunt: Sic adulatio, quæ amicitiam imitatur, non facile ab amicitia rejicitur ac separatur.

Obsoniorum egregii artifices condimentis nonnihil austeri admiscent, quo dulcedinis tollant satietatem: Sic adulatores fictam quandam libertatem ac severitatem admiscent, ut nunquam magis adulentur, quam cum videntur objurgare ac libere loqui.

Ut difficile deprehenduntur bestiæ, quæ ad loci similitudinem mutant colorem: Sic eos assentatores haud facile deprehendas, qui ad omne vitæ institutum omnesque affectus sese accommodant.

Qui alunt belluam, primum accommodant se illius ingenio, & animadvertunt quibus rebus offendatur aut placetur, donec assuefacta fiat tractabilis: Sic adulator omnibus amici studiis & affectibus sese accommodat.

Ut præterfluens aqua nullo certo colore est, sed semper refert colorem subjecti soli: Ita adulator sui dissimilis est, pro re nata sese adaptans.

Simia dum hominem imitari conatur, sæpe capitur: Ast adulator idem faciens, alios capit & allicit. *Dissimile.*

Ut Circes poculis homines subito transformabantur in feras: Sic affectus repente alium reddunt hominem.

Ut speculum quicquid objicitur imitatur: Sic adulator.

Ut umbra quicquid agas, respondet & adest: Sic adulator quoquo te vertas sequitur.

Cha-

Chamæleon omnem imitatur colorem præterquam album: Sic adulator in turpibus nihil non imitatur, solum quod honestum est, imitari non potest.

Ut imperiti pictores, cum pulchra non queant assequi, rugis & verrucis exprimunt similitudines: Sic adulator refert intemperantiam, iracundiam amici.

Bene olet unguentum, bene olet & pharmacum: verum illud ad nihil utile, nisi ut delectet, hoc præter odorem majorem habet utilitatem: Sic adulator tantum jucundus, amicus etiam utilis & necessarius.

Pictura colores habet jucundos, sunt & pharmaca grati coloris: Sic amicus ideo delectat, ut juvet, adulator tantum delectat.

Medicus si res postulet, aliquando crocum & nardum injicit, & lavat suaviter, & pascit humaniter: Sic amicus aliquando blandus est.

Quidam tauris œstrum, canibus crotonem in aures immittunt: Sic adulator in aurem admissus, haud facile excutitur, sed transversum agit quo lubet.

Pictores illustrant lucida appositis umbris & obscuris: Sic adulator laudans diversa vitia in aliis in amico nutrit ac fovet quæ adsunt.

Ut Oratores aliquoties aliam personam loquentem faciunt vel fidei causa, vel ut invidiam fugiant: Sic adulator narrat, quæ ab aliis de amico audierit, etiamsi non audiit.

Palæstritæ corpus humiliant, ut alios dejiciant: Ita quidam seipsos vituperant, ut videantur admirari familiares.

Ut pictura est tacita Poesis: Ita silentio quoque laudat adulat, nempe vultu nutuque & obsequiis.

Ut qui venantur, facilius fallunt feras, si aliud agentes, hoc est, iter facientes, aut agricolantes, id faciant: Ita maxime laudat adulator, cum non apparet eum laudare.

Si ager laudando redderetur fertilior, non minus laudandus esset quam arandus aut stercorandus: Sic amicus si redditur laude melior, expedit aliquando laudare: sin minus, quorsum pertinet inutilis palpatio?

Ut Patroclus, in bellum proditurus, reliqua quidem Achillis arma sibi sumpsit, solam hastam, ut gravem ac prævalidam non attigit: Ita adulator omnia veri amici symbola imitatur, præter solam admonendi libertatem.

In Menandri Comœdia inducitur falsus Hercules, clavam gestans, non robustam, sed inanem ac levem: Sic adulatoris libertas mollis est & blanda.

Ut pulvinaria mulierum quanquam videntur reniti, ac resistere capitibus, cedunt magis & accommodant sese: Sic libertas adulatoris tumet quidem, sed in se recipit inclinantem.

Ut mel exulcerata mordet ac purgat, alioquin utile & dulce: Sic amici libertas non mordet, nisi si quid est vitiosum & corrigendum.

Qui in levibus nugis objurgat amicum, in gravibus rebus tacet, idem facit quod aliptes, sinens athletam inebriari & libidinari, circa lecythum duntaxat difficilis ac morosus.

Item quasi præceptor puerum de stilo ac tabula objurget, barbarismum aut solœcismum committentem dissimulet.

Item quasi malus Orator, nihil ad argumenta respondens: vocem aut codicillos indiligenter scriptos calumnietur.

Item perinde ac si quis hominis tuberibus ac fistulis laborantis, Medici smilio pilos & ungues secet: Ita adulator libertate utitur in iis, in quibus non est opus.

Ut sit quis merum, alioqui conferens adversus cicutam, admisceat illi, venenum reddit immedicabile, quod calore vim veneni protenus devehat ad cor: Ita adulator, intelligens libertatem esse remedium adversus adulationem, eam ipsam adulationi admiscet, quo magis sit noxia.

Uti Medicus dat operam, quo sanitatem tueatur & augeat: Ita facit amicus, at adulator ulcerosas titillat partes.

Sunt cibaria, quæ neque sanguini conferunt, neque spiritibus, neque nervis, neque medullis: sed pudenda tantum movent, ventrem inflant, corpus turgidum reddunt: Talis est adulatoris oratio, vitiosa tantum auget, & irritat, alioquin infrugifera.

Ubi corpus vitiosis inflatum humoribus, ibi adsunt bubones: Sic ubi irascitur, amat, odit amicus, id premit adulator.

Ut Tragœdiarum histrionibus choro opus & amicis concinentibus, theatroque applaudente: Sic qui gaudent adulatoribus, nihil agunt nisi sint qui applaudant.

Quemadmodum juxta Mathematicos superficies & lineæ nec inflectuntur, nec producuntur, neque moventur per se, cum res sint intelligibiles, sed inflectuntur, producuntur & migrant pariter cum ipsis corporibus: Ita adulator suopte quidem affectu non movetur, sed cum irato amico irascitur, cum gaudente ridet.

Animal in intimis vires habet maxime proprias: Sic amicus nihil ostentat, sed tum celat, cum maxime juvat.

Ut Medicus & non sentientem sanat: Sic amicus etiam si ignoretur, amicum juvat.

Ut mala pictura, fractis vestibus, rugis & angulis rem repræsentat: Sic adulator sudoribus, clamoribus amicum imitatur, nihil exhibens sincerum.

Simia cum nec domum possit servare more canis, nec onera gerere quemadmodum equus, nec arare sicuti boves, parasitatur ac risum movet: Sic adulator cum in seriis ac gravibus rebus nesciat esse usui, voluptatum minister est.

Quidam male pinxerat gallos gallinaceos, jussitque puero, ut veros gallinaceos procul abigeret a tabula, ne collatione deprehenderetur: Sic adulator veros amicos pro viribus abigit, ne ex illorum comparatione deprehendatur fictus amicus.

Pharmacum non adhibitum in loco, dolet absque fructu: Sic objurgatio non ut debet admota: Atque idem facit amicus cum molestia, quod adulator cum voluptate. Lædit enim uterque.

Qui lignum ob imperitiam rectum facere nesciunt, distorquent in diversam partem: Sic quidam fuga vitii in aliud vitium incidunt gravius.

Ut Medico carnem secante, manus concinnitatem quandam & elegantiam servat, abest autem saltatoria gesticulatio: Ita libertas admittit urbanitatem, servata gravitate. Adulator risibus, scurrilibusque jocis libertatem, veluti malis condimentis edulcat.

Ignavi canes apud mensam audent, in venatu minime: Sic ingenerosum est, cum sobrius libere loqui non audeas, inter pocula id facere.

Aqua delabitur ubicunque cavum ac declivem locum reperit: Sic adulator vehementer urget, si quid lapsus est amicus.

Ut pituita paulatim collecta, tum maxime apparet ac vincit, cum natura vincitur: Sic quidam amici potentes admonere non audent, nisi labantur, sed simulatque commutata fortunæ aura sunt humiles facti, tum objurgant.

Sanus fert si exprobres intemperantiam, libidinem, luxum, eadem non ferret ægrotans: Sic admonendus amicus cum desierit irasci, aut amare.

Nutrices pueros lapsos non objurgant ac puniunt, sed accurrentes erigunt, deinde objurgant: Sic amicus cum affligitur adjuvandus est & erigendus, postea monendus, & objurgandus, quod suo vitio in eam calamitatem inciderit.

Ut rupturæ & spasmata, tum demum moventur, cum corpus aliquo malo corripitur: Sic amici non ingenui felicibus adulantur, lapsos objurgant, & illorum infortunio fruuntur.

Oculo lippienti non est admovendum lumen: Nec animus affectu laborans, admittit gravem admonitionem, sed admiscenda laus est, ac sic medendum.

Qui in rebus leviculis acriter objurgat amicum perinde facit, ac si Medicus amarum & acre pharmacum ac sumptuosum in levissimis morbis passim admoveat.

Veluti si qui laborat hepatis vitio, Medico ostendat ungues exulceratos, inepte faciat: Ita qui gravibus laborans malis, de nugis consulat amicum.

Ferrum prius calore solutum ac mollitum, postea frigida durescit ac solidatur aqua: Sic amicus prius laude delinitus, mox libere admonebitur.

Ut bonus Medicus mavult morbo mederi somno cibo-

que quam scammonio, aut castorio: Sic amicus, pater, A
præceptor, magis studet laude corrigere, quam objurgatione si liceat.

Quemadmodum Medicus ubi secuit carnem, non statim deserit sectum, sed rigat ac lenit: Sic qui acrius objurgavit, debet reliqua vitæ consuetudine lenire eam molestiam.

Ut statuarii primum ictibus incidunt lapidem, postea poliunt atque æquant: Sic amicus objurgationem lenitate mitigabit.

Ut custos assidens puero, cavet & admonet, ne quid peccet: Sic ratio semper animo præsens non sinit usquam labi aut peccare.

Ut imperiti statuarii pulchram existimant statuam, quæ B
sit vastissima mole: Sic Reges nonnulli fastu & asperitate se egregios Principes videri putant.

Ut Colossi foris insignes, Deum aliquem repræsentant, intus pleni luto, clavis, sordibus: Ita Rex purpura, equis, auro, satellitio magnificus, in animo nihil habet, præter sordidos affectus & inscitiam.

Statuæ magnitudine moleque sua librantur, & consistunt: at Reges stulti subvertuntur.

Regula primum recta sit oportet, deinde quæ applicentur corrigat: Ita Princeps, primum ipse vitiis careat necesse est, deinde aliis leges præscribat.

Ut lapsus non potest erigere lapsum: Ita malus & stultus Princeps non potest emendare populum.

Ut Deus in cœlo pulcherrimum ac jucundissimum sui C
simulacrum constituit solem: Sic in Republica Principem, qui prudentia, justitia, benignitate se erga omnes repræsentet.

Ut Deus irascitur, qui fulmen ac tonitru imitantur, eosque in tartara præcipitat, ut Salmoneum: Sic superbis & elatis indignatur, qui magnitudinem æmulantur, non exprimunt bonitatem.

Ut canes ovium custodes excubias agunt, non sibi timentes, sed ovibus: Ita Rex non tam sibi debet timere, quam populo.

Sol jucundissimus est iis, qui ipsum possunt intueri: Ita Princeps iis qui amant justitiam.

Ut in magna tempestate, validissimo clavo, optimo D
gubernatore, plurimis fulturis opus est: Ita magnas & turbulentas res administranti summa opus est sapientia.

Ut in malis somniis nonnulla turbat animum ægritudo, sed præterea nihil efficiunt: Sic mali, sed impotentes non admodum lædunt.

Quemadmodum fulgur prius emicat, quam audiatur tonitru, quod sonitus auribus excipiatur, lumini visus occurrat, & sanguis prius apparet quam vulnus: Sic Princeps aliquando prius condemnat quam redarguatur delator.

In magno fluctu non sistitur navis, nisi pondus anchoræ retineat alto infixæ vado: Sic in magnis rerum procellis, summa ratio debet animum cohibere, ne ab affectibus au- E
feratur.

Sol cum maxime tollitur in altum, arduus ad polum septentrionalem, tum minimum movetur: Ita quo major est potestas, hoc magis coercenda est animi temeritas.

Qui morbo comitiali sunt obnoxii, frigore deprehenduntur. Nam illico capitis vertigine laborant: At indoctos si paululum evexerit fortuna, protinus arguit cujusmodi sint.

Ut non queas cognoscere vas integrum sit, nec ne, nisi liquorem infuderis: Sic nec hominem, nisi imperium commiseris.

Ut Medicus libentius sanat oculum, qui pro multis vi- F
det, multosque custodit: Sic Philosophus libentius Principis animum instruet, qui pro multis sollicitus est.

Non fodit puteos, qui fontes habet, aut novit: Sic non petit aliunde qualecunque consilium, qui ipse didicit Philosophiam.

Ixion Junonem amans, in nubem incidit: Sic quidam dum veram expetunt amicitiam, vulgarem ac falsam amplectuntur.

Inter Agathallos, & Acanthylides tantum est odium, ut si sanguis eorum vi misceatur, continuo separent se rursus, ac dissiliant: Sic inter patritios & plebem, etiam si quando pro rerum usu conjunguntur, durat tamen usque odium naturale.

Ut cantharides maxime læto tritico innascuntur, & rosis florentibus: Sic invidia maxime comitatur eos, qui virtute florent.

Uti sol si immineat hominis vertici, aut prorsum tollit umbram, aut minimam reddit: Sic ingens gloria exstinguit invidiam.

Ubi nullum lumen, ibi nulla umbra: Ita ubi nulla felicitas, ibi nulla invidia.

Qui invident amicorum felicitati, nolunt eos prorsus subverti, sed tamen gravantur illorum excellentia: ut qui vicini domum nolint omnino demoliri, sed satis habent, si detrahatur quod obscurat proximas.

Ut unguentum non solum delectat olfactum, verumetiam remedio est adversus male olentia: Sic in malis bonorum memoria consolatur.

Ut semel admissum intro hospitem, non facile expellas: Ita luctum receptum tua sponte non possis cum velis depellere.

Qui lippiunt aut alioqui laborant oculis, non sinunt alios *Dissimile.*
admoliri manum: At qui lugent, quibusvis sese tractandos exhibent, ut malum quo laborant, exacerbetur.

Ut mœstis conducit, si se ad lucem conferant e tenebris: Ita lugentibus, si a tristibus cogitationem ad læta transferant.

Quidam Homeri versus acephalos, id est, capite diminutos, & μειούρους, id est, cauda diminutos excerpunt, tam multa integra pulcherrimaque prætermittentes: Idem faciunt qui de paucis vitæ malis queruntur, dissimulatis tot commoditatibus.

Avari cum multa congerant, non fruuntur præsentibus, sublata deplorant: Sic qui lugent exstinctos, vivis non fruuntur.

Ut avis capta, si diutius alatur in carcere, etiam si dimittatur, studet eo redire: Sic animus diu versatus in hoc corpore, non facile revellitur: At puerorum animus lubentius evolat.

Quemadmodum igni si exstinctam subito facem admoveas, statim redaccenditur: Sic animus si statim evolet a corpore, facile redit in suam naturam.

Ut vestes videntur addere calorem homini, cum per se sint frigidæ, non addunt autem, sed eum qui est in corpore tuentur: Sic opes videntur dare jucundam vitam, cum ea proficiscatur ab animo, non a rebus externis.

Ut qui febri laborant, e diversis diversa capiunt, hoc est e calidis frigescunt, e frigidis calescunt: Sic & divitiæ molestiam adferunt stultis, & paupertas gaudium sapienti.

Ut fonti non deest humor, semper ex eo scatens: Sic probo viro semper adest gaudium, etiam si res externæ mutentur.

Ut honoratior est domus, si luceat ignis, quemadmodum inquit Homerus: Sic fortunæ commoda splendidiora, jucundioraque, si animi gaudio condecorentur.

Ut aromata pannos, ac laceras vestes, odoratas reddunt, contra byssus sudore infecta male olet: Sic quævis vita jucunda, si virtus accesserit: contra malitia etiam quæ splendida videntur, molesta reddit & intoleranda.

Quidam in foro felices videntur, domi moribus uxorum cruciantur: Sic divites foris felices apparent, intus malitia noctes diesque discruciat.

A prava uxore facile divortium feceris, malitia visceribus insidet, nec potes illi repudium scribere.

Ut ii quos dolentes sopor occuparit, tristia somniant: *Dissimile.*
Ita qui invidia, superstitione, avaritia laborant.

Ut uxor mala foris ob pudorem est modestior, domi sui similis est: Sic malitia apud alios premit sese, in somnis aperit. Nam tum incestat matrem, aut sororem, aut veneno tollit amicum.

Ut corpus non est capax voluptatum, nisi bene temperatum: Ita animus non capit veram voluptatem, nisi liber metu, ac cæteris affectibus.

Quemadmodum agricola sylvestribus securim aut ignem admovet, ac funditus exstirpat: vineas vero, atque oleas amputat cautim ac circumspecte, ne forte supervacua resecans, lædat & id quod sanum est: Sic Philosophus ex animo

mo juvenum libidinem, avaritiam, invidiam, penitus revellet. Cæterum pudorem immodicum cautim emendabit, ne simul omnem evellat verecundiam.

Nutrices sæpius extergentes sordes puerorum, aliquando carnem evellunt: Ita dum quædam vitia nimis anxie conamur emendare, lædimus.

Ut qui demoliuntur ædes templis vicinas, quæ contigua sunt ea sinunt, ne quid sacri quoque demoliantur: Sic quædam vitia caute sunt corrigenda, quæ cum virtutibus proxime cohærent.

Ut locus supinus ac mollis nihil expellit quod inciderit, nec potest avertere: Sic animus vitiosa præditus verecundia nulli pervius est, nisi turpibus affectibus.

Ut qui lucernam non ferunt, multo minus ferrent solem: Sic qui mediocribus rebus perturbantur, multo magis obstupescunt in magnis.

Ut amphoræ facile circumaguntur auribus: Ita quidam quovis sermone huc aut illuc impelluntur.

Viator qui semel in saxum impegerit, aut gubernator in rupem, non solum horret eadem, verumetiam similia: Sic qui vitium agnoscit suum, etiam a confinibus cavebit.

Ut manus eadem in varios dissecta digitos: Sic multorum caritas, eos unum reddit, discretos tamen.

Ut in corpore ex humidi, frigidi, calidi, sicci temperatura, optima fit constitutio: Sic ex fratrum concordia maxime floret genus.

Ut morbus in corpore non admittente quod proprium est, multarum noxiarum & absurdarum rerum gignit appetentiam: Ita calumnia suspicioque adversus cognatos & domesticos, malas & noxias aliorum necessitudines inducit.

Qui rejectis cognatis, peregrinos adsciscit amicos, perinde facit ac si quis amputato pede carneo, ligneum pedem addat.

Ut insaniat, qui fratris imaginem veneretur, corpus pulset ac verberet: Ita stultum sit amare in adoptivis nomen, verum fratrem abdicare, aut odisse.

Dissimile. Ut quæ glutino commissa sunt, si solvantur, facile reglutinantur; at si corpus rumpatur, haud facile coit: Sic inter alios amicitia dirupta facile coit, in fratribus semel dirupta, aut non coit, aut cicatricosa coit.

Armis perditis aut instrumentis, licet alia parare, corpus aliud parare non queas: Sic amicos alios invenies, fratres non item.

Ex eadem materia prima natura sunt elementa inter se diversissima pugnantissimaque: Sic aliquoties ex iisdem parentibus nascuntur fratres ingeniis dissimillimi.

Subduc materiam, exstinguetur ignis: Subduc occasionem, conquiescit odium sive invidia.

Ut civiles seditiones rectius in hostes transferimus: Sic rectius invidemus alienis, quam fratribus: etiam si sit optimum, omnino non invidere.

Ut in bilance, altera surgente, altera cedit ac deprimitur: Ita frater evecto ad majora fratri cedere debet, submittens sese, non repugnans.

Ut in numeris minores additi majoribus eos multiplicant, & vicissim multiplicantur ipsi: Sic frater observiens fratri evecto ad honores, & auget illius dignitatem, & vicissim ornatur illius splendore.

Ut in digitis, etiam qui scribere, aut canere nesciunt, tamen una cum illis moventur, & obsequuntur: Sic fratres fratribus magistratum administrantibus adesse convenit.

Ut feris bellum est cum iis quæ iisdem aluntur, cum cæteris pacem agunt: Sic invidia & æmulatio inter ejusdem artis professores. Nam pugili cum cursore convenit.

Ut convenit amantibus diversas amicas, in eandem depereuntibus male convenit: Sic dissident qui eadem ex re gloriam affectant.

Dissimile. Qui diversam ingrediuntur viam, non possunt sibi mutuo prodesse: At qui diversa vitæ ratione utuntur, adimunt invidiam, ac magis sibi invicem sunt auxilio.

Ut macula statim eluenda ne inhærescat, & difficilius eximatur: Ita dissensio fratrum illico tollenda, ne gignat odium.

Ut si buboni accedat febris, nihil est periculi: verum si sublato illo tamen morbus perseveret, videtur altius egisse radices: Sic fratrum dissensio, quæ cessat lite finita, causæ erat, non ipsorum: at si manet etiamdum negocio confe-

A cto, jam negocium prætextus erat, non causa, sed exulceratus animus in causa fuit.

Ut aqua in locos hiantes ac diductos influit, ac magis eos divellit: Ita quidam irritant fratrum dissidia.

Ut amici detestantur saxum, aut canem incurrentem qui eos dirimat: Sic exsecrari deberent homines caninos, qui maledicentia sua dirimunt necessitudinem, mutuamque benevolentiam.

Cassiteros, id est, stannum aut plumbum album, æs ruptum ferruminat, utrumque contingens propter affinitatem quam habet cum utroque: Ita amicus amicitiam ac benevolentiam diruptam reconciliare debet, utrique sese accommodans ex æquo.

B Ut non impletur vas quod semper effundit, nihil accipit: Ita non accipit sapientiam, qui semper loquitur, nunquam auscultat.

Erat porticus in Olympia, quam Septivocam vocant, quod pro una voce multas redderet: Ita locutulei quidam, vel uno provocati verbo sermonem immensum referunt.

Vascula inania maxime tinniunt: Ita quibus minimum inest mentis, hi sunt loquacissimi.

Ajunt semen quod statim effunditur, inutile esse ad genituram: Ita sermo garrulorum ad nihil conducit.

Ut ædium ostio carentium, & crumenarum absque vinculis nulla est utilitas: Ita multo magis oris claustro carentis, nullus est usus.

C Ut triticum inclusum in vase, mensura auctum invenitur, sed vitiatum: Sic garrulus accepto sermoni semper addit, & majorem eum reddit, sed fide jam carentem.

Qui abigat homines cesto Veneris, a Venere videatur alienus: Sic qui oratione molestus est, & reddit inimicos, a Musis est alienus, & utendi ignarus. Quandoquidem oratio ad conciliandos homines est reperta.

Ut monas non exit suum finem, sed semper in uno manet, unde & nomen habet. Dyas autem initium differentiæ infinitum, protinus enim per se duplicatur ad multitudinem: Ita sermo donec apud unum manet, vere arcanus est & secretus: quod si ad alterum transierit, jam spargitur in famam.

D Ut proclive non est avem e manu amissam recipere aut cohibere: Ita nec dictum semel ab ore profectum, propterea quod ab aliis volat ad alios.

Non ut navem arreptam fluctibus, anchora licet sistere: Ita verbum e portu velut in altum emissum. *Dissimile.*

Ut vas experiamur, aquam non vinum infundimus: Ita frivolum quiddam aliquando committendum amicis, quo silentii fidem experiamur, ut si effutiant, nihil sit periculi.

Ut puer glaciem nec retinere potest, nec vult amittere: Ita garrulus nec tacere potest quod accepit, nec potest oblivisci.

Jaculos & viperas proprii rumpunt fœtus: Sic garrulus vel cum sua pernicie premit arcana.

E Ægroti ob odium amari & grave olentis pharmaci, ipsum etiam cyathum oderunt: Sic qui tristia nunciant, & ipsi habentur invisi.

Ut pars corporis vitiata, attrahit etiam a vicinis vitiosos humores: Sic garruli lingua semper ardens & inflammata, secretorum aliquid undique colligit ad sese.

Ut rupes objicitur flumini ne se effundat: Ita ratio linguæ objicienda, ne temere diffluat.

Grues cum ex Cilicia devolant, lapillos in os sumunt, atque ita Taurum montem aquilis plenum tuto transvolant, idque noctu, ne vox prodat: Ita tutissimum ubique silentium.

F Ut egregius artifex jaculandi statim scopum petit: Ita sapit, qui pauca loquitur, sed ad rem.

Celtiberi ita ferrum temperant ac durant, ut infosso in terram quod est terreum auferatur ac repurgetur: Sic Laconicus sermo sublatione supervacui fit penetrantior.

Ut singula hastilia facile frangas, conjuncta non possis: Ita dissidentes facile superantur, concordes haud facile.

Non idem finis sermonis qui cursus, juxta Sophoclem: nam illic vincit qui prævenit, hic qui magis ad rem dixit, non qui celerius: imo vincit sæpe, qui posterior dicit. *Dissimile.*

Qui aliis interrogatis, ipsi præripiunt responsionem: Perinde faciunt ac si quem ab alio volentem osculari, priores occupent.

Ut ubi dolet, ibi manum habemus: Ita si quid delectat, ibi linguam habemus, id est, libenter ejus rei facimus mentionem.

Ut canes, si iram effuderint in lapidem aut saxum, mitiores sunt erga homines: Sic qui bilem in alienos evomuerit, placidior est erga suos.

Qui de natura queritur, quod quædam genuerit homini noxia, dissimulatis tot bonis: Perinde facit ac si quis Nilum calumnietur alioqui frugiferum Ægypto, quod crocodilum habeat aut aspidem: nec postea velit frui prognatis frugibus, sed tantum queratur de venenis quæ nutrit. Aut si quis in copiosa Oratoris oratione, quæ multis exuberet virtutibus, de pauculis voculis temere elapsis cavilletur.

B Plato vetat aquam a vicinis petere, nisi prius domi foderis usque ad terram, quam Ceramitidem vocant, repererisque non esse spem venæ: Ita prius excutiendum, ut parsimonia, aliave via tibi suppedites, priusquam a mensariis pecuniam mutuam petas.

Templum Ephesiæ Dianæ tutos reddebat obæratos a creditoribus: At multo magis frugalitas & parsimonia præbet asylum.

Lepus simul parit, & aliud alit, & rursum superfœtat: Ita fœnerator. Sic æs alienum, priusquam conceperit, parit. Nam dantes statim petunt, & ponentes tollunt & fœnerant, quod pro fœnore accipiunt.

Ut ignis invalescens, alia post alia corripit: Sic usura.

C Ut equus semel accepto freno, sessorem alium post alium fert: Sic qui semel inciderit in æs alienum, nunquam explicatur.

Qui in lutum inciderit, eum oportet aut surgere, aut manere: nam si se volvat, magis etiam inquinatur: Sic qui rem habet cum fœneratoribus.

Cholerici qui purgari nolunt sub tempus, collecta indies majore bile, postea graviter discruciantur: Sic qui sinunt fœnus accrescere, cum adest dies, graviter e capite laborant.

Qui dicunt, carebo domo, carebo famulitio ne debeam: Perinde faciunt ac si hydropicus dicat Medico, ego gracilis fiam & inanis: nam nihil refert quam gracilis sit, modo sanus.

D Ut pedem aut manum, si computruerit, data mercede resecamus: Ita domus aut famulitium abjiciendum, ut liberemur ære alieno, hoc est, ut liberi simus.

Ut in calamitatibus firmissimi, atque optimi amici adsunt utiliter: Sic & sermones optimi.

Ut nandi imperiti, dum volunt succurrere iis, qui præfocantur, ac merguntur, una cum illis merguntur, & nocent magis quam prosunt: Sic amici qui in rebus adversis tantum collachrymant amico.

Dissimile. Non quemadmodum in Tragœdiis: Ita nobis in calamitatibus opus est, qui comploret, & collachrymet.

Dissimile. Corpus oneris pondere premitur: at animus ex sese sæpenumero pondus addit rebus.

E Quæ natura sunt amara, his admixtis quibusdam dulcibus gratiam addimus: Ita res per se tristes ratione sunt alleviandæ.

Ut Cochleæ semper domum suam secum circumferunt: Ita quidam horrent peregrinas regiones.

Ut pueris cum terrentur personis, damus eas in manus, & versatas ostendimus inanes, ut discant non timere: Ita conveniet adhibita ratione, res specie terrificas excutere, ut cum viderimus non esse quod apparet, contemnamus.

Quemadmodum formicæ si semel antro, & apes si semel alvearibus ejici contingat, peregrinantur: Ita quidam si semel patriam exeant, exules se putant.

F Ut navis cui firma est anchora, in quovis portu potest conquiescere: Ita animus si accedat recta ratio, quovis in loco tranquille vivet.

Qui eos felices ducunt, qui per omnia vagantur maria terrasque: perinde faciunt, ac si quis stellas errones judicet fortunatiores fixis, quanquam illis quoque suus orbis est, in quo volvantur, nec soli licet suos egredi fines.

Ut qui decretum inferunt ad populum, adscribunt bona fortuna, ne nihil de suo videantur addidisse: Ita quidam alienis libris nugas adscribunt, quæ nihil ad rem pertinent.

Qui vinum habet acre & vapidum, nec ut vinum potest reddere, nec ut acetum: Ita Zenoni τὰ προηγμένα nec bona sunt, nec mala.

Primum homines invaserunt animalia noxia, post & oves & boves, postremo a nullo genere temperatum est: & Athenis primum calumniator aliquis supplicio affectus est, & recte, post hunc unus & alter, postremo nec a bonis est temperatum: Ita cum aperitur jus in malos, cavendum, ne postea in bonos recidat.

Pueri ludentes petunt ranas saxis, at illæ tactæ serio emoriuntur: Sic nos animi causa venamur, sed feræ serio occiduntur.

Ut non æque cernunt cicadæ & accipitres, neque similiter volant aquila & perdix: Ita non omnia, quæ rationis participia sunt, æque valent ratiocinandi acumine.

Ut os non secatur trama, nisi prius cinere & aceto præmollitum, nec ebur inflecti potest nisi zutho prius mollefiat: Sic fortuna non potest reddere vulneratos animo, nisi accesserit malitia.

Ut Medica terra diu retinet semina propter asperitatem, ut sero emergant: Ita morborum, ac dolorum causæ in hominibus aliquoties diu latent, donec voluptas in febrem erumpat.

Ut sapiens gubernator in tranquillitate tempestatem exspectat: Ita rebus tranquillis ad dolorem aliquem præparandus est animus.

Ut periculosa est secundum Hippocratem, summe bona corporis valetudo: Ita rebus maxime prosperis, metuenda diversa fortuna.

Ut deciduæ stellæ subito exstinguuntur: Ita quos fortuna subito in summa provexit, repente solent corruere.

Ut scarabei, ac vultures offenduntur unguentis, & Scytha juravit se malle equum hinnientem audire, quam citharœdum canentem: Ita non omnibus placent optima.

Ut Mathematici centro, ac spacio: Ita quidam omnem voluptatem ventre circumscribunt.

Ut Polypi non extendunt sua flagella, nisi ad esculenta: Sic quidam omnem felicitatem cibo, potuque metiuntur.

Ut major dolor obscurat minorem: Sic animi voluptas corporis delectationem.

Ut qui vehementi laborant fame, nec est quod edatur, suis ipsorum artubus vesci coguntur: Ita quidam præ fame gloriæ, seipsos laudare coguntur, si desit a quo laudentur.

Quemadmodum a piscibus Hyrcanis, nec boni quippiam exspectatur, nec mali: Sic Epicurei, nec turbari nos volunt Deorum metu, nec delectari benevolentia.

Si fieri potest, lippitudinem auferimus ab oculis, sin id non licet, non tamen eruimus oculum: Ita si superstitio tolli prorsus non potest, non tamen protinus credendum, nullos esse Deos.

Ut Principem simul & metuimus & amamus, ut infestum malis, bonis placidum: Sic & Deum.

Non quemadmodum quoties cum truculento agimus tyranno, animo sumus anxio: Sic in sacris mysteriis anxium, ac diffidentem oportet esse. *Dissimile.*

Qui navem fregit, tamen spe vehitur: nam fieri potest, ut corpus natans in terram deferatur: At qui excidit a Philosophia, totus periit. *Dissimile.*

Ut athletæ non ferunt coronam, nisi vicerint: Sic bonis viris præmia felicitatis non ante contingunt, quam peracto hujus vitæ certamine.

Ut austera remedia, sed necessaria, levant quidem ægrotantes, sed offendunt & inficiunt sanos: Sic acris objurgatio vitio medetur, probos offendit.

Stoici qui se dicunt invictos, improhibitos, & cætera, cum omnia secus patiantur, similes sunt navibus, quibus inscriptum est, ἔνπλοια, καὶ πρόνοια σώζουσα, καὶ θεραπεία, hoc est, splendidi ac magnifici tituli: at nihilo secius interim jactantur fluctibus, comminuuntur, ac subvertuntur.

Scarabei fugiunt unguenta, delectantur fœtoribus: Sic nonnullis pessima pro optimis placent.

Ut pauperiores aliquando donant munuscula ditioribus, quo plus recipiant: Sic indoctiores provocamus nonnullos, ut eruditiora vicissim illi respondeant.

Accensam lucernam nemo moleste fert, exstinctam dolent omnes: Ita nasci jucundum, mori inamabile.

Ut non satis est soli bonitas, nisi accedat & cultor idoneus, & semina: Ita non sufficit ingenii felicitas, nisi

nisi accedat doctor, & institutor egregius, & præcepta idonea.

Ut stilla cavat assiduitate saxum, ut ferrum contractatione atteritur: Ita assiduitas etiam durissima vincit.

Ut curruum rotæ vi inflexæ, nunquam ad pristinam rectitudinem queunt revocari, itidem histrionum baculi: Ita quædam ingenia sic consuetudine & institutione depravantur, ut corrigi non queant.

Ut terra quo melior est natura, hoc magis corrumpitur, si negligatur: Ita ingenia, nisi recte excolantur, quo sunt feliciora, hoc pluribus vitiis obducuntur.

Est terra quædam asperior, duriorque, quæ tamen culta protinus ferax reddatur: Sic ingenia duriora natura, institutione mansuescunt.

Nulla fere est arbor, quæ non sterilescat, ac tortuosa fiat, si cultura desit: Ita nullum tam felix ingenium quod non degeneret, citra rectam educationem.

Nullus equus recte sessori paret, nisi arte domitus: Ita nullum ingenium non ferox, nisi præceptis cicuretur, & educatione.

Nulla tam fera bellua, quæ non mansuescat cura: Ita nullum tam agreste ingenium, quod institutione non mitescat.

Ut molli materiæ facile sigillum imprimitur, si durescat, non item: Ita puerorum ingenia facile quamvis recipiant disciplinam: sin ætate durescant, non item.

Ut agricolæ vallos apponunt arbusculis, quo recte crescant: Ita qui instituit, addit monita, & præcepta ingeniis salubria, ne devaricent in vitia.

Qui diu in vinculis fuerunt, cum solvuntur, tamen claudicant adhuc, nec ingredi possunt: Ita diu vitiis assueti, etiam cum ea deserunt, quædam retinent vestigia.

Non satis est habere corpus sanum, verum & bonæ habitudinis, ac robustum sit, oportet: Sic ratio non solum pura debet esse, & a vitiis immunis, nisi sit & robusta.

Ut plures urbes prænavigasse pulchrum est, sed expedit unam incolere optimam: Ita quamplurima sunt cognoscenda, sequenda retinendaque optima.

Quemadmodum proci cum Penelope potiri non possent, stuprarunt illius ancillas: Ita qui Philosophiam non possunt assequi, aliis literis se contaminant.

Nutrices vagientibus pueris rursum apponunt papillam: Sic discipulus offensus correptione, rursum est laude sublevandus, ne deficiat.

Plantæ mediocri aqua aluntur, immodica suffocantur: Sic animus moderatis laboribus adjuvatur, immoderatis obruitur.

Ut sunt vices somni & vigiliæ, noctis & diei, tempestatis & serenitatis, belli & pacis: Ita labores levandi ocio & lusibus.

Lyram & arcum remittimus, quo melius possint tendi: Ita recreandus ocio animus, ut ad labores reddatur vegetior.

Ut Hierophantæ, quatenus licet, aperiunt mysteria: Sic de rebus arduis cautim & circumspecte judicandum.

Ut mysteria cum silentio spectantur: Ita quædam melius laudantur silentio, quam oratione.

Ut in lance momentum in utramque partem æque propensum est, & neutram inflectitur: Ita dubius animus.

Medici pharmacis amaris, dulce nonnihil admiscent, ut alliciant: Ita parentes objurgationis asperitatem lenitate debent mitigare.

Auriga non semper adducit habenas, sed aliquando remittit: Ita pueris nonnihil indulgendum.

Ut asparagus spinosus dulcissimum fert fructum: Ita ex duris initiis magna voluptas nascitur.

Qui prima virginum dissidia non ferunt ad tempus, idem faciunt quod ii, qui offensi labruscis, uvas maturas aliis relinquunt.

Sponsæ quæ statim offensæ moribus virorum, eos deserunt: perinde faciunt, ac si quis ictus ab apibus mel relinquat.

Vasa initio quavis occasione dissolvuntur, at tempore commissuris compactis, vix igni ferroque dissecantur: Ita prima conjugatorum consuetudo levi momento dirumpitur: sin coaluerit, longe firmior est.

Ignis facile accenditur in paleis, & pilis leporinis: sed idem mox exstinguitur, si nihil addas: Sic iræ amantium, aut nuper conjugatorum, si nemo se admiscuerit.

Qui venenis piscatur, facile interimit, & tollit piscem, sed corruptum & malum: Sic quæ philtris captant maritos, stupidos habent & inutiles.

Ut Circe non fruebatur iis, quos verterat in sues aut leones, sed Ulyssem sanum ultra omnes dilexit: Ita quæ veneficiis nactæ sunt maritos, insuavem cum illis vitam agunt, ob dementiam.

Quæ malunt dominari dementibus maritis, quam sanis ac prudentibus parere: perinde faciunt, ac si quis in itinere malit ducere cæcum, quam sequi videntem, & viæ gnarum.

Ut Pasiphae maluit tauri congressum, cum uxor esset Minois: Sic quædam nuptæ moderatis, ac severis viris, ad intemperantium amorem devergunt.

Ut qui in equum insilire non possunt ob imbecillitatem, docent ipsum inflectere genua: Sic quidam generosas ac potentes nacti uxores, non dant operam, ut ipsi meliores fiant, sed illas deprimunt.

Pro equi magnitudine temperamus frena: Ita pro uxoris dignitate moderanda gubernatio.

Luna cum soli conjungitur, tum obscuratur, & occultatur: cum abest, lucet: Contra proba uxor præsente marito, maxime conspici debet: eodem absente, maxime condi ac latere. *Dissimilia.*

Duabus vocibus simul sonantibus, gratior fit concentus: Ita quicquid fit in familia, fit quidem utriusque consensu, sed tamen arbitrio mariti.

Cum spirat Boreas, conatur vi vestem revellere, at homo magis astringit pallium: quod si sol tepido vento demulserit, jam sponte & tunicam abjicit: Sic uxor conans conviciis maritum a luxu revocare, magis irritat: si placide ferat & roget, magis efficit.

Ut inutile speculum auro gemmisque adornatum, nisi repræsentet similem imaginem: Ita inutilis uxor quantumvis opulenta, si viro mœsto sit hilaris, hilari mœsta.

Ut Geometræ negant moveri lineas & superficies sine corpore, sed una cum corporibus moveri: Sic uxor & in seriis, & ludicris, & risu, & lætis & tristibus, accommodabit se marito.

Ut qui non ferunt uxores secum edere, aut bibere, docent eas ingurgitare, maritis absentibus: Ita qui non communicant lusus, & jocos cum uxore, faciunt, ut alibi quærant, insciis viris.

Ut Rex Musicæ studiosus complures reddit Musicos, literarum studiosus doctos, aleator aleatores, rapax rapaces: Ita vir comptus similem efficit uxorem, voluptarius incontinentem, castus & sobrius castam & sobriam.

Ut sinistrarum partium ictus redundant in dexteras: Ita virum oportet uxoris incommodis commodisque commoveri, & contra.

Ut vincula ex commissura vires accipiunt: Sic ex consensu viri & mulieris, familiæ status.

Ut corpus nihil potest absque animo, nec animus recte valet, nisi corpore incolumi. Sic inter uxorem & maritum omnia sunt communia.

Ut vinum appellatur, etiam si major aquæ pars sit admixta: Ita domus mariti dicetur, etiamsi mulier plus contulerit.

Ut nemo sentit qua parte stringat calceus, nisi qui indutus est: Ita nemo novit ingenium mulieris, nisi qui duxit uxorem.

Quemadmodum febres ex occultis causis, ac sensim collectæ, magis metuuntur, quam quæ ex manifestis & gravibus causis sunt ortæ: Ita occultæ ac pusillæ, cotidianæque offensæ magis dirimunt benevolentiam conjugatorum.

Qui pronubæ Junoni rem divinam faciebant, exemptum fel abjiciebant ad altare: significantes a matrimonio bilem omnem procul esse oportere.

Ut vinum sic austerum, ut idem tamen sit utile ac jucundum, non amarum, velut aloe: Sic erit & materfamilias.

Quæ veretur ridere apud virum, ne videatur lasciva, nec agere quicquam ne audax: perinde facit, quasi nec ungeretur, ne videretur unguentis uti, nec lavaret faciem, ne fucis uti putetur.

Ut Orator neglectis fucis ac theatricis cultibus, rebus ipsis magis movet auditorem: Sic uxor non meretricio corporis cultu, sed moribus commendatur viro.

Ut tibicen per alienam vocem sonat: Ita mulier quædam non gravabitur per virum loqui.

Ut Philosophi colentes Principem, se reddunt nobiliores,

res, non illum: Sic uxores subdentes se viro, laudem consequuntur: conantes autem imperare, deterius audiunt, quam quæ subjiciuntur.

Imperium viri in uxorem non erit, cujusmodi est domini in rem possessam: sed cujusmodi est animi in corpus.

Ut humida miscentur omnibus partibus: Sic inter conjugatos omnia debent esse communia.

Ut ælurus unguentis efferatur, & in rabiem agitur: Ita quædam uxores insaniunt, si senserint in viris unguenta.

Qui ministrant elephantis, non sumunt lucidam vestem: qui tauris, purpuream non induunt: nam his coloribus efferantur. Tigrides tympanorum strepitum non ferunt: Ita uxor ab iis debet abstinere, quibus senserit maritum vehementer offendi.

Ut apicula per omnia circumvolitans, id quod est utile, domum adducit: Ita studiosus ex unoquoque quod ad mores confert, excerpit.

Ut corporis vitia graviora sunt, quæ faciunt ulcus: Ita quædam animi vitia ob id sunt graviora, quod vehementius perturbant: minus enim cruciat, si quis non credat esse Deos, quam si quis superstitiose timeat esse Deos.

Dissimile. Comicus venuste dixit de iis, qui lectos inaurant, ac deargentant, cum Dii nihil nobis gratis dederint, nisi somnum, cur id sibi magno volunt constare: At cum Dii somnum nobis dederint curarum, & laborum delinimentum, superstitiosus sibi illum reddit carnificinam.

Heraclitus dixit, vigilantibus unum communem esse mundum, sopitos in suum quemque discedere: At superstitiosus ne vigilans quidem communi cum aliis mundo fruitur, semper somniante cogitatione.

Dissimile. Polycrates tyrannus non erat formidabilis nisi Sami, Periander Corinthi. Desinebat metuere, qui illinc in liberam civitatem emigrasset: At superstitiosus non habet quo confugiat, ut metu liberetur.

Dissimile. Licet servis, quibus spes non est libertatis, ad Principis statuam confugere, venditionem postulare, mutare dominum si durius habiti sunt quam ferre possint: Superstitiosis nec hoc licet.

Si miserum est servire, multo miserrimum est servire iis, quos non possis effugere.

Dissimile. Latrones aut fugitivi, si aram aut statuam apprehenderint, in tuto sunt: At hic maxime trepidat superstitiosus.

Ut tigrides circumstrepentibus tympanis aguntur in rabiem: Ita quæ bonas mentes compescunt, feras & agrestes irritant & efferant.

Ut quibusdam minus mali fuit, non omnino videre, quam perperam videre, velut Herculi, qui filios videns pro hostibus occidit: Ita levius malum est, Deos omnino non credere, quam credere noxios.

Bion inquit, quemadmodum quicquid paxillo appenderis, id accipit sustinetque: Ita quibusdam quicquid suaseris admittunt, quicquid imposueris ferunt.

Dissimile. Gubernator videns insurgere tempestatem, Deorum auxilium implorat, nihilo segnius interim clavum moderans & antennam detrahens, at superstitiosus despondet animum.

Ut Arithmeticorum digiti aliquando valent multis millibus, aliquando nihil: Sic Regum amici aliquoties quidvis possunt, rursum mutata in fastidium gratia, nihil possunt.

Ut frequentius conveniturad spectaculum ubi nonnihil theatricæ stipis confertur: Ita disciplinæ a pluribus coluntur, quæ præter voluptatem ac dignitatem, emolumentum etiam & commoditatem adferunt.

Ut in tranquillitate corpus expeditum redditur adversus imminentem tempestatem: Ita tenui victu parcaque, ut Medici loquuntur, diæta utendum, ut si incidat opiparum convivium, possis enatare.

Ut in conviviis temperamus ab appositis cibis, quo locus sit lautitiis, quas exspectamus: Ita quotidiana parsimonia præmuniendi sumus.

Ut qui sacrum exhibent, ipsi nihil inde gustant: Ita quidam alios accipiunt, ipsi abstinentes.

Ut qui sacram pecuniam vertunt in usus belli, voluptatem transferunt ad necessitatem: Ita qui ad usum edunt ac bibunt.

Quidam fastiditis propriis uxoribus & formosis & amantibus, cum scorto mercede coeunt, gloriæ causa magis quam voluptatis: Ita quosdam cibi delectant vel ob idipsum quod rari sint, ac magno empti.

Ut axillarum titillatio risum gignit, sed insuavem & spasmo similem: Ita voluptates injucundæ, quas corpus ab animo exstimulatum non sponte capit.

Abominamur fœminas utentes veneficiis in nos, & amplectimur ciborum artifices.

Ut membrum scabiosum semper opus habet frictu: Ita cupiditas animi nunquam satiatur.

Ut Athenienses nunquam de pace consultabant nisi pullati, quemadmodum dicebat Demades: Ita nobis non venit in mentem moderatior victus, nisi jam febri æstuantibus, & admotis pharmacis.

Lysimachus ob sitim coactus se dedere Scythis, deinde cum frigidam bibisset aquam, Dii boni, inquit, quam brevis voluptatis causa quantam deposui felicitatem? Ita nobis cogitandum, postquam ob potatiunculam intempestivam aut Venerem, in longum morbum incurrimus.

Ut cicatrix admonet cavendum esse vulnus: Ita memoria præteritorum malorum reddit cautiores.

Ut pueriles querimoniæ facile conquiescunt: Ita leves cupiditates subducta materia facile sedantur.

Flosculorum odores per se parum efficaces, admixti oleo majorem vim habent: Ita morborum causæ, si in corpus incidant, jam humoribus collectis abundans.

Qui male affecto corpore, vitæ ratione morbum accersunt, ii quasi cœnum commovent.

Ut nautæ nimium onerantes navem, deinde in exhaurienda sentina laborant: Ita qui corpus onerant cibis, ac deinde clysteribus inaniunt.

Qui corpus ægre affectum ad balneas ac voluptates trahit; quasi putrem ac laceram navem deducit in mare.

Si ebrii comessatores irrumpant in domum luctu funestam, non solum nihil adferent hilaritatis, sed ejulatum potius excitabunt: Ita voluptates in corpore ægro offendunt quoque.

Ut nautæ sereno cœlo nonnihil laxant vela, cum est suspicio tempestatis, contrahunt; Ita corpori recte affecto nonnihil permittendum: contra si quid timebitur morbi, cautius agendum.

Homines tantum pingues, ac robusti durique, similes sunt gymnasiorum columnis, ut dixit Aristo.

Ut navibus sentinæ plenis onus detrahendum: Ita corporibus aggravatis subducendus cibus ac potus.

Qui ita corpus exinaniunt pharmacis, ut peregrinis rebus expleant, ac magis noxiis: perinde faciunt, ac si quis expulsis e civitate Græcis, inducat Persas aut Scythas.

Vestes quæ nitro similibusque rebus lavantur, magis atteruntur: Ita vomitus pharmacis extorti, magis offendunt.

Ut scelestæ mulieres abortum provocant, ut rursum impleantur ac voluptuentur: Ita quidam in hoc ipsum corpus evacuant pharmacis & clysteribus, ut denuo liceat ingurgitare.

Qui a præscripta vitæ ratione ne tantulum quidem audent discedere, ii ostrei vel stipitis potius vitam vivunt.

Ut ferrum crebris immersionibus consumitur: Ita corpus crebris permutationibus vitiatur, hoc est, si nunc immodicis laboribus intendatur, nunc voluptatibus liquefiat ac molliatur.

Nautæ a navigandi labore turpiter conferunt se ad voluptates, rursum a voluptatibus ad navigationem redeunt: Ita quidam a deliciis ad labores, a laboribus ad delicias summa vitæ inconstantia sese vertunt.

Qui viro malo addit opes & gloriam, is febricitanti ministrat vinum, bilioso mel, cœliacis obsonia, quæ morbum animi, hoc est, stultitiam augeant.

Ut qui morbo laborant, cibos purissimos & lautissimos fastidiunt & recusant, si quis edere compellat, iidem restituti bonæ valetudini, caseo quoque, aut cepe lubenter vescuntur: Ita stultis magnifica fortuna injucunda, sapientibus etiam humilis ac tenuis fortuna suavis.

Qui cibi duntaxat causa ad convivium accedunt, quasi vas adducunt implendum.

Qui in eadem vehuntur navi, & in iisdem militant tentoriis, sese mutuo ferant oportet: Sic qui versantur in Republica, at in conviviis non idem est necesse, nam illic periculum est commune, hic non item.

Qui

Qui rogant quid simus facturi, si non edamus, bibamus, & hujusmodi rebus utamur: perinde faciunt, quasi Danaides essent sollicitæ quid facturæ sint, si dolium impleatur.

Qui e servitute manumissi sunt, quæ dominis solent facere cum servirent, ea faciunt sibi ipsis, suoque arbitrio & præsidio: Sic nunc anima alit corpus multo labore, multis curis: postea facta libera, seipsam alet contemplatione veri, nec ab ea poterit avelli.

Ut corpus est instrumentum animæ: Sic anima est instrumentum Dei.

Ut graviora corporis vitia quæ in vulnus & in tumores erumpunt: Ita animi affectus, qui gravibus curis vitam reddunt molestam: ut vitium est ex atomis omnia nata credere: at non angit animum quemadmodum avaritia.

Dissimile. Non timet mare qui non navigat, non bellum qui non bellat, non latrones domi manens, non calumniatorem pauper, non invidiam privatus, non terræ motum qui est in Galatia, non fulmen qui est in Æthiopia: At superstitiosus omnia timet, terram, mare, aerem, cœlum, tenebras, lumen, strepitum, silentium, somnium.

Dissimile. Servi cum dormiunt, non timent heros, vincti obliviscuntur compedum in somno, ulcera, carcinomata, & gravissimi etiam cruciatus conquiescunt: Sola superstitio etiam dormientem infestat.

Dissimile. Tyrannum mutato solo licet effugere: qui Deum timet non est quo fugiat, quandoquidem nusquam non est Deus.

Dissimile. Licet servis postulare distractionem & mutare dominum: idem non datur superstitiosis, cum omnes Deos metuant.

Si miseri sunt qui duros nacti sunt dominos, quanto infeliciores, qui dominis serviunt vitiis, a quibus non possunt aufugere?

Sunt aræ servis, sunt statuæ, sunt asyla latronibus, ad quæ confugiant, & ubi tuto sint: at hic maxime timet superstitiosus.

Ut tigrides, si quis tympanis circumsonet, in rabiem agi dicuntur, adeo ut seipsas denique discerpant: Ita quosdam offendit, quod aliis addit animum, puta Musica, Eloquentia, &c.

Cum nauta videt imminere tempestatem, primum quidem Deos invocat, ut incolumi liceat in portum appellere, mox contrahit vela, atque omnia nihilo secius parat, quibus est opus: Ita nos debemus auxilio divino fidere, sed sic ut nostram quoque industriam adhibeamus.

Item arator ab Hesiodo jubetur Diis sacrificare, deinde aggredi: & miles primum invocat opem divinam, deinde armatur.

Ut tremunt, qui ursorum aut draconum lustra adeunt: Sic superstitiosi cum tractant divina, existimantes Deos semper paratos ad nocendum.

Qui Divos colunt metu alicujus mali, perinde faciunt ut ii qui tyrannos venerantur, ne noceant, quos oderunt animo.

Quidam dum stulte fugiunt latrones aut feras, in avia incidunt & in barathra, aut præcipitia: Sic quidam superstitionem ita fugiunt, ut incidant in impietatem, cum in medio sit pietas.

Ut qui e vinculis emittuntur, licentius vagantur, quam ii qui nunquam fuerunt in vinculis: Sic pueritia cum a præceptoris gubernatione solvitur.

Qui dimissi a pædagogis, suo relinquuntur arbitrio, non abjiciunt imperium, sed mutant principem, nam pro pædagogo jam rationi parent.

Qui in civitatem adscripti sunt, & hospites, multa damnant, ac moleste ferunt: at qui in ea a pueris sunt educati, quique assueverunt, probant: Sic qui Philosophiam a pueris imbiberunt.

Ut athletis amphotides adduntur contra plagas: Ita pueris focalibus magis est opus adversus pestilentem orationem.

Ut pejus sentiunt de homine, qui dicunt eum esse iracundum, perniciosum, quam qui negant eum vivere: Ita minus male sentiunt de Diis, qui negant ullos esse, quam qui dicunt esse morosos, noxios, irritabiles, ut faciunt superstitiosi.

Ut ager si non colatur, non solum infrugiferus manet, verumetiam multa sylvestria producit: Ita adolescens rationis capax, nisi præceptis honestis exerceatur, non solum non evadet bonus, sed ad multa vitia deflectetur.

Dissimile. In ludo sphæræ simul discunt & mittere & excipere commode: at in doctrina prius est bene accipere, quam mittere, quemadmodum concipere prius est, quam parere.

Ut aves subventaneos concipiunt fœtus: Sic inutilis oratio accepta, nec inhærens, sed protinus in auras dispergitur.

Vasa ad excipiendum quod infunditur, accommodant & inclinant sese: Sic qui discit, debet accommodare sese, ne quid effluat eorum, quæ utiliter dicuntur.

Vasorum malorum & putrium aures quibuslibet implentur potius quam necessariis: Ita quidam stultissima protinus discunt.

Qui equos recte alunt, eos docent parere freno: pueros qui volet instituere, primum assuefaciat ut dicto sint audientes.

Si quid in utres velis infundere boni, ventum atque aerem emoveas, oportet: Sic fastum ac tumorem eximas oportet ab animo ejus, quem velis docere.

Malus consiliarius omnia depravat assidens: Sic invidia nulla magis damnat, quam quæ sunt optime dicta.

Ut lumen: ita nec oratio ulli prodest, nisi volentibus accipere.

Ut œconomicis & amici prosunt & inimici, quemadmodum dixit Xenophon: Sic vigilans auditor & cordatus non solum bene dictis, verumetiam erratis aliorum fit eruditior.

Ut in alienis oculis nosmetipsos conspicimus: Sic in aliena dictione quid nos deceat aut dedeceat, contemplandum est.

Ut ad sacrum epulum, sic ad auditionem oportet placidum ac benevolum accedere, ut benedicta probes candide: aut si parum recte dicat, tacitus notes quam ob rem erraverit, & animi conatum certe probes.

Facile est demoliri, quod alius exstruxit: at difficillimum, idem aut melius aliquid exstruere: Ita aliorum orationem reprehendere in proclivi est, at eodem modo meliusve dicere, non est perinde facile.

Ut multa belli inania, juxta proverbium: Ita & auditionis, puta supercilium, acclamatio, strepitus, & id genus alia.

Quemadmodum in iis, quæ ad tibiam canuntur, multa fallunt ac suffugiunt auditorem errata: Ita in oratione phalerata, multa inepte dicta fallunt auditorem ob phaleras, & fucos orationis.

Qui coronas nectunt, bellissima quærunt, non utilissima: At apes etiam amarissimo thymo insidunt, atque inde mellificium colligunt: Sic oportet auditorem non flosculos orationis, voluptatis causa sectari, sed vim sententiarum, & utilitatem.

Non oportet hoc animo ad audiendum accedere, quo ad spectaculum, puta ut tantum delectemur, sed ut meliores efficiamur. *Dissimile.*

Non convenit, ut in tonstrina surgens, ad speculum contempleris teipsum, num recte sis curatus: Ab oratione discedens, non expendas, num melior sis factus, aut deterior ex auditione.

Ut balnei non purgantis: Ita nec sermonis ulla est utilitas.

Non sic ad audiendum est accedendum, ut velis inungi & oblini fucis, quo nitidior fias, sed gratiam habeas, si velut alveare acri fumo, sic ipse mordaci sermone purgeris animo, qui cæcutientiæ & lippitudinis est plenus.

Qui bibunt, ubi jam desierint sitire, tum poculi sculpturam contemplantur: Sic in oratione, primum animadvertendum, quam salutare sit quod dicitur, deinde si vacat, quid sit elegans aut nitidum, considerare licet.

Qui statim orationis ornatum requirit, perinde facit, ac si quis nolit antidotum bibere, nisi vas sit adductum ex Atticæ Veneris figulina: nec in hieme vestem induere, nisi quæ lanam habeat ovium Atticarum.

Ut qui ad convivium accessit, utitur appositis, nec aliud requirit: Ita discentem tacite audire oportet, donec qui dicit, perorarit, tum si lubeat, utilem aliquam quæstionem proponere.

Ut apud Homerum Ulysses ridetur a procis, quod panis frustula peteret, non enses, neque lebetes: Ita magis ridendi sunt, qui differenti minutulas ac frivolas quæstiunculas objiciunt.

Ut qui clave velit secare ligna, securi aperire ostium, utriusque usu sese privat: Sic qui dicentem alienis ac frivolis quæstiunculis perturbant, non solum nullum capiunt

fructum ex his quæ dicuntur, verumetiam mali viri opinionem, atque odium lucrifaciunt.

Ut morbus non celandus est, sed in publicum efferendus, quo sanari possit, ut dixit Heraclitus, sic inscitia non est tegenda.

Ut Tragœdia in theatris: Ita Philosophus in scholis est audiendus, nempe ad finem usque.

Dissimile. Qui pecuniam dat, quantum impartit alii, tantum sibi detrahit: At non idem fit in laude, & tamen hoc imaginantur maligni quidam, parcius impartientes laudem, quam pecuniam.

Ut qui maligne dant aliis, videntur ipsi parum habere: Ita qui parce & maligne laudant alios, videntur adhuc suas esurire ac sitire laudes.

Judex in causa nihil tribuens amori, tantum rem perpendit, ac secundum eam pronunciat: At in audiendis Philosophis, multis lapsibus candide favendum est. Unde veteres juxta Mercurii statuam, Gratiarum item ponere soliti sunt.

Ut juxta vias asperas ac salebrosas violæ flosculique nonnunquam occurrunt: Ita in oratione infacunda nonnunquam & sententiæ & figuræ incidunt dignæ quæ laudentur.

Ut hædera undevis ex se invenit, quo se alliget: Ita amor etiam iis capitur, quæ non amantem offendunt.

Ut amantes candide interpretantur vitia quædam: Ita debent & auditores dicentium.

Bonus conviva non existimat hoc tantum suarum esse partium, ut suaviter accipiatur, cura sumptuque alieno: sed debet commodum vicissim exhibere convivam: Sic auditor non tantum audit ociosus, dicente sollicito: sed vultu, oculis, applausu, favore, juvare oportet dicentem.

Ut in ludo sphæræ alterius est commode mittere, alterius scite excipere: Sic in audiendo convenit utrumque suo fungi officio, tum eum qui disserit, tum eum qui auscultat.

Qui castam ac Philosophicam orationem meretriciis ac sophisticis laudibus prosequuntur: perinde faciunt atque ii, qui athletam liliis aut rosis coronent: non lauro aut oleastro.

Ut non quævis corona quemvis decet victorem: Ita non quævis laus aut quivis honos quemcunque hominem.

Ut ridiculus sit cantor, qui rem gravem Lydiis efferat modis: Ita ridiculus qui de Diis, aut recte vivendo verba faciens, Rhetoricis lasciviat flosculis.

Non quemadmodum parasitus convicio tactus ab iis, a quibus alitur, ridet, ac nihil commovetur: Ita a Philosopho reprehensus, debet esse affectus, sed nec offendi oportet, nec impudenter negligere.

Ut caro quæ callo obduruit, non accipit vibices plagarum: Ita animus assuetudine peccandi non commovetur correptione licet acri.

Qui correptus statim fugit exosus admonitorem: perinde facit, ac si sectus a Medico continuo offensus aufugiat, non exspectans, ut obligetur, & oblinatur vulnus ac mitigetur. Nam is quod dolet jam passus, quod confert, non vult experiri.

Ut Telephi vulnus eadem hasta sanatum est, quæ vulnus inflixerat: Ita vulnus objurgationis ab eodem sanabitur, qui fecit.

Ut qui sacris initiantur, perferunt primos illos insultus, spe secuturæ dulcedinis, ac lucis: Idem faciendum iis, qui a Philosopho objurgantur.

Ut priusquam assuevimus, multa nos offendunt in homine, quæ postea assuetis sunt etiam jucunda: Sic in literis, in Philosophia, prima illa tædia toleranda sunt, donec usu fiant facilia jucundaque.

Ut vasa angusto ore difficilius recipiunt, sed retinent certius liquorem: Ita ingenia quæ tardius percipiunt, fere meminerunt tenacius.

Ut pulli involucres semper hiantes pendent de ore alieno: Sic quidam molesti sunt docenti, quod necessarium sit eis omnia mansa in os inserere, nihilque tradant ipsi sibi.

Ut quidam crebris diverticulis viam brevem reddunt longam: Sic nonnulli docentem crebris quæstiunculis nihil ad rem pertinentibus interpellantes, perpetuam interrumpunt doctrinam.

Quemadmodum ignavi, cibique avidi canes, domi ferarum pelles mordent, ac villos vellunt, feras ipsas in venatu non attingunt: Sic quidam præpostere studiosi, de nugis agunt, caput disciplinæ non attingunt.

Non ut vasa, itidem ingenia desiderant repletionem: sed satis est accensio, velut incitamentum in materia, quo vis inveniendi, & cupiditas veritatis incitetur. *Dissimile.*

Veluti si quis ignem petat a vicino, deinde illic luculento reperto foco desideat, maneatque: Ita quidam semper assident præceptori, nec accendunt ingenium suum, ut domi suo fruantur igni.

Quemadmodum juxta Philoxenum, suavissimæ sunt carnes, quæ non sunt carnes: & jucundissimi pisces, qui non sunt pisces: Ita maxime delectat admixta Philosophiæ Poesis, & Poesi admixta Philosophia.

Ut in obsoniis non solum sequimur voluptatem, sed etiam salubritatem: Sic in audiendis & legendis auctoribus.

Frustra clauduntur portæ civitatis, si una relinquatur aperta, per quam hostes irrumpant: Ita non satis est in cæteris temperatum esse, si auditus pateat perniciosis sermonibus.

Ut diligentius servanda est ea porta, qua via sit ad regiam: Ita cautius servandus auditus, quod maxime sit cum rationali animi parte conjunctus, & quod per eam admittitur, maxime potest vel juvare vel lædere.

Quidam amethystum adhibent in compotationibus adversus ebrietatem: Multo magis in audiendis Poetis præcepta sunt adhibenda ne quid inficiant animum.

Ut in his locis ubi multæ nascuntur herbæ ad remedium efficaces, in iisdem multæ nascuntur letales: Sic in Poetis, multa præclara, multa pestifera.

Ut Simonides dixit, stupidiores esse Thessalos, quam ut a se decipi possent: Ita qui feliciore sunt ingenio, citius a Poetis corrumpuntur.

Quemadmodum Ulysses auribus cera obturatis, Sirenum periculum præternavigavit: Ita nos si quid incidit blande fœdum in auctoribus, prætervehi oportebit.

Si multi inebrientur vino, non ob id incidendæ vites, ita ut fecit Lycurgus, sed propius admovendi fontes: Ita si multi abutuntur Poetica, non protinus abjicienda, sed adhibenda cautio, ut fiat salutaris.

Ut mandragora juxta vites nascens, vinum reddit lenius: Ita Philosophiæ ratio admota Poeticæ, moderatiorem efficit ejus cognitionem.

Quemadmodum in picturis plus movet color quam lineæ, propterea quod propius hominis formam repræsentet ille, magisque fallat: Ita mendacium admixta veri similitudine, magis allicit movetque, quam simplex oratio, quæ nihil habeat fuci.

Non ut invenire licet sacra sine tibiis & choro: Ita Poesim absque mendacio licet invenire. *Dissimile.*

Venenum admixtum cibis, pestilens sententia admixta rebus utilibus ac jucundis.

Ut fœdis animantibus scite effictis delectamur: Ita in Poesi, quia est rerum adumbratio, etiam mala recte efficta delectant.

Ut in parricidio, aut incestu depicto, artem modo laudamus ejus qui pinxit, rem ipsam detestamur: Itidem in Poetis elocutionem imitabimur, rem exsecrabimur.

Quædam per se non pulchra, quibusdam ob id bona sunt, quod apta: Ita laudantur in Poetis quædam, quod congruunt personæ, tametsi alioqui fœda. Demonides claudus precabatur, ut crepidæ, quas furto amiserat, quadrarent ad pedes ejus qui sustulisset.

Ut periculum sit, si omnes in idem inclinent latus navis, sed aliis alio inflectentibus, navis optime libratur: Sic seditio & dissensio inter Rhetores tutiorem reddit statum civitatis. Item dissensio Poetarum inter se facit, ut minus inficiant opinionem lectoris.

Quemadmodum Medici cantharidis, quæ letale venenum est, pedibus tamen & aliis ad remedium utuntur: Ita licet ex eadem Poesi decerpere, quo medearis illius veneno. Nam semper aliquid admiscent, quo significent se damnare quod narrant.

Qui omnia student exprimere: multa prava imitantur imprudentes, quemadmodum Aristotelis balbutiem, & Platonis incurvos humeros familiares exprimebant.

Non quemadmodum omnia religiose metuimus, ac reveremur in sacris: Ita oportet in auctoribus omnia venerari, sed audacter adhibito judicio probare quædam, quædam improbare. *Dissimile.*

Non sic est parendum Poetis aut Philosophis, quemadmo- *Dissimile.*

modum pueri obtemperant pædagogis, sed quemadmodum Cato puer parebat quidem pædagogo jubenti, sed rogabat quam ob causam id juberet: Ita fides habenda auctoribus, si causam idoneam reddiderint.

Quemadmodum in vite luxuriantibus foliis ac palmitibus sæpe fructus occultantur: Ita in Poematibus, figuris ac fabulis luxuriantibus, multa cognitu utilia fallunt adolescentem.

Quemadmodum in eisdem pascuis apis florem sequitur, capra fruticem, sus radicem, quadrupedia fructum: Sic in Poetis alius aliud quærit, hic historiam, ille sermonis ornamenta, ille probationes, ille præcepta vivendi.

Ut equis non in ipso cursu frenum injicimus, sed ante cursum: Sic qui propensi sunt ad iram aut libidinem, ante rationibus ac monitis refrenandi sunt, prius quam in periculum ventum.

Ut apis ex amarissimis floribus, & asperrimis spinis mel suavissimum ac lenissimum colligit: Sic ex turpibus ac sceleratis fabulis utcunque decerpi potest aliquid utilitatis.

Ut freno circumagitur equus, ut clavo navis: Ita oratione ducuntur homines.

Quemadmodum Medici pharmacum, ad unicum morbum repertum, ad omnes similes ac finitimos accommodant: Ita convenit auctorum dicta ad varios usus accommodare.

Ut qui vestes flagellant, corpus non attingunt: Sic qui generis vitium aut paupertatem exprobrant, non proprie tangunt ipsum hominem, sed externa calumniantur.

Ut qui subito e summis tenebris in lucem educitur, magnopere perturbatur, nisi paulatim lumini assueverit: Sic in Poetis prælegendis, Philosophorum opiniones inspergendæ in animos puerorum, ne postea ad tam diversas doctrinæ rationes perturbentur.

Frustra suber appenditur retibus ut natent, si plumbum annexum deorsum trahat, & in æquo teneat: Ita frustra præceptis bene vivendi instituimur, si malitia addita non sinit e stultitia emergere.

Ut in curatione non sentitur morbi levamen, nisi sincerus habitus inducatur: Sic in Philosophia non proficitur, nisi paulatim aliquid decedat de stultitia, donec in alium mentis habitum proficiat.

Dissimile. Non ut Cæneus subito e muliere factus est vir optando tantum: Sic repente ex improbo viro, probus evadit quispiam, ut qui cubitum abiit stultus surgat sapiens.

Ut ad lineam applicandus est lapis, non ad lapidem linea: Sic vita ad Philosophorum decreta corrigenda est, non ea sunt ad mores nostros trahenda.

Ut paulatim umbra remissa sentimus nos magis esse in lumine: Ita sensim imminuta stultitia, in sapientia proficimus.

Ut qui in immenso navigant mari, ex ipsa ventorum vi cursusque tempore conjiciunt se promovisse, etiam si nondum appareat portus, nusquam tamen consistunt, donec portum attigerint: Ita non conquiescendum in Philosophia, donec ad perfectum illum sapientis habitum perventum sit.

Ut qui paulum addit paulo, idque frequenter facit, ingentem acervum accumulat: Ita assiduitas ad bonam mentem parandam plurimum valet.

Dissimile. Qui subinde subsistit in via, minus proficit: At in Philosophia etiam relabimur in malitiam, intermisso ad honesta cursu, ceu navis retroacta æstu.

Dissimile. Planetæ juxta Mathematicos cum desinunt procedere figuntur: At in Philosophia subsistere non licet, sed assidue est progrediendum.

Ut statera non potest consistere, sed aut in hanc aut in illam vergit partem: Sic in Philosophia, qui non proficit ad bonam mentem, is revolvitur ad malam mentem.

In bello nunquam remittendæ sunt excubiæ: Ita semper adversum vitia nobis dimicandum.

Ut culmus primum in altum surgit impetu, deinde crebris geniculis intersecatur, postremo in summo venti flatibus laborat: Sic quidam initio fervent, deinde subinde subsistunt & offenduntur, in extremo deficiunt defatigati.

Ut qui leviter amant, gaudent quidem amico præsente, absentis facile obliviscuntur: at qui penitus amant, non sinunt abesse quod amant: Sic quidam facile avocantur a studio Philosophiæ negociis; at qui vere amant, omnium præ illa obliviscuntur, nihilque illis sine illa dulce esse potest.

Dissimile. Non quemadmodum unguentis cum adsunt delectamur, cum non adsunt non discruciamur: Ita oportet erga Philosophiam esse affectum.

Ut qui vehementer esurit aut sitit, nulla re potest avelli, donec sedaverit appetentiam: Sic omnia posthabenda sitienti sapientiam.

Quemadmodum grave est navim ingressis, cum terra discedit quam agnoscunt, & nondum apparet ad quam navigant: Sic Philosophantibus initio molestum a consuetis discedere commodis, cum nondum videant ad quam felicitatem Philosophia sit perductura.

In Philosophiæ studio ceu per metamorphosin quandam, quidam velut aves facti conferunt se ad contemplationem naturæ, quidam ceu catellæ ad rixas & morsus sophismatum & quæstiuncularum.

Quemadmodum Anacharsis dixit, Athenienses ad nihil aliud uti nummis, nisi ad numerandum: Ita quidam utuntur Philosophiæ præceptis tantum ut ostentent.

Ut apicula ex flosculis succum mellis colligit, cum alii non delectentur nisi colore & odore: Sic Philosophiæ studiosus & ex Poetis invenit, quod ad bene vivendum conducat, cum alii tantum voluptate deliniantur.

Qui in Platone & Demosthene nihil quærunt nisi puritatem Attici sermonis, quid aliud agunt quam ii, qui in pharmacis nihil amant nisi fragrantiam & nitorem, vim purgandi servandique negligunt?

Ut non medentur qui vendunt pharmaca: Ita non sunt Philosophi, qui quicquid e Philosophia sumpserint, id transferunt ad ostentationem.

Ut avis quicquid pabuli nacta est, in pullos transfert protinus, ipsi nihilo melius est: Ita quidam ideo discunt, ut statim doceant, ipsi nihilo meliores evadunt.

Ut verus amor erga mulierem non desiderat testem, sed sat habet si clam ea potiatur: Ita vir sapiens recti conscientia contentus. At qui ficte amant, ostentant & jactant.

Ut agricolæ lubentius vident spicas inclinatas quam erectas in altum: nam illas onustas fructu intelligunt, has inanes: Sic adolescentes priusquam profecerunt in Philosophia, tument: ubi doctrinæ fructum perceperint, submittunt sese.

Ut e vasis cum explentur liquore, aer expellitur: Sic qui profecerunt in Philosophia, veris implentur bonis, ac minus jam gloriantur barba & pallio, minusque severi sunt in alios, in seipsos duriores.

Ut initiantur homines clamore ac tumultu, deinde cum sacra fiunt, taciti ac venerabundi auscultant: Ita initia Philosophiæ tumultuosa sunt, tranquilla mysteria.

Ut in tempestate apparentibus geminis, nautæ in spem eriguntur: Ita post primam illam in Philosophia desperationem, lux veritatis oborta discutit eam diffidentiam.

Menedemus ajebat multos navigare Athenas, qui primum essent sapientes, deinde fieri Philosophos, id est, sapientiæ studiosos, deinde Rhetores, postremo idiotas: Sic in Philosophia quo magis profeceris, hoc minus turgebis fastu.

Qui dentibus laborant, protinus Medicum adeunt, malum exponunt; qui febre tenentur, accersunt; at phreneticus, nec accersit, nec admittit, ob morbi vehementiam: Ita qui vitia sua celant, nec admonentem patiuntur, de his nulla salutis spes est.

Ut qui laborant, non affectant haberi ulcerosi, sed magis fugiunt esse quam videri: Ita non est affectandum, ut videaris malus, sed magis abominandum ne sis talis, quam ne videaris.

Diogenes videns adolescentulum quendam in popina, ei pudore intro fugienti, quo interius, inquit, fugeris, hoc magis eris in popina: Ita vitiosi quo magis abdunt sese intra seipsos, hoc magis sunt id quod sunt, foras prodeant oportet, si cupiunt effugere seipsos.

Ut qui egent, hoc magis ac molestius egent, quo magis dissimulant egestatem: Sic qui vitiosi sunt, ac dissimulant ob fastum & arrogantiam, pejores sunt.

Ut equi jam mansuefacti, etiam si auriga non utatur habenis, tamen suapte sponte rectam pergunt ire viam: Sic affectus a ratione jampridem domiti & assuefacti, nec in somnis, nec in morbis sopita ratione, quicquam tentant turpe.

A Ut corpus aſſuefit, ne conniveant aut lachrymentur oculi, ne palpitet cor: Ita multo magis animus ne phantaſiis commoveatur.

Quemadmodum cum morbus in corporis parteis non ſuas transfertur, ſignum eſt morbi parantis abire: Sic cum offendimur, quibus conſuevimus delectari, indicium eſt futuræ ſanitatis.

Ut non eſt verus amor, qui caret zelotypia: Ita non amat vehementer virtutem, niſi qui ardet æmulatione recte factorum ab aliis.

Ut acer equus ſuapte ſponte facile currit: Ita qui ardet amore virtutis, non eget admonitore.

Ut amanti omnia placent in amato: Sic in eo, in quo virtutem amamus, etiam geſtum, inceſſum, & aſpectum imitari gaudemus.

B Ut qui vere amant, etiam balbutiem ac pallorem adamant in amatis: Sic admirator virtutis, non horret Ariſtidis exilium, nec Socratis paupertatem, ne Phocionis condemnationem.

Ut qui ſe comunt, adhibent ſpeculum: Sic geſturus negocium proponit ſibi laudatorum virorum exempla.

Olim ediſcebant nomina digitorum, iiſque adverſus terrores veluti remedio utebantur, ſingulis lente recitatis: Sic adverſus omneis animi perturbationes, exempla quædam optimorum virorum habenda ſunt in promptu.

Ut qui deſperat ſe fore divitem, largius impendit: at qui jam ſpe vicinus eſt opulento, is nec puſillum contemnit lucellum, & minimis parcit: Ita qui confidit ſe fore bonum virum, & minima vitia ſtudet corrigere, & nihil negligit, quod aliquo modo conducat ad bonam mentem.

C Qui ſepem, aut aggerem conſtruunt quævis congerunt, lignum, ſaxum, aut columnam a ſepulchro delapſam. At qui regiam ædificat, nihil temere componit: Sic vir bonus nullam vitæ partem negligit incompoſitam.

Diſſimile. Licet invenire regionem, ubi venena non ſint, quemadmodum affirmant de Creta: At non licet invenire Rempublicam, quæ non alat invidiam, contentionemque.

Ut priſcis ſatis erat ſi a feris non læderentur, poſteriores etiam in ſuum commodum vertere cœperunt, pellibus veſtiri, carnibus veſci, felle mederi: Sic nobis agendum eſt, ut ab inimicis non ſolum non lædamur, verumetiam adjuvemur.

D Non poteſt quævis arbor miteſcere, neque quælibet fera cicurari, proinde hæc quoque qua poſſunt in ſuum vertunt uſum: Sic qui ad amicitiam adduci non poſſunt, horum odio ad noſtrum commodum abutemur.

Aqua maris inutilis potui, ſed alit piſces, ſervit navigantibus: Sic in unaquaque re quod ineſt commoditatis, excerpendum eſt.

Prometheus, Satyrum cum primum videns ignem vellet amplecti, admonuit eum exurere contingentem, at oculis præbere lumen, calfacit, inquiens, & ſervit artibus. Sic eadem res, utcunque uteris, ita pernicioſa eſt, aut utilis.

E E corporis morbo quidam hoc excerpunt commodi, quod vacant negociis, quibus diſtringebantur: & quoſdam labores objecti reddidere validos: Sic quibuſdam exilium, paupertas, naufragium, occaſio fuit Philoſophandi.

Quemadmodum qui ſtomacho valent, & animantia ſaniſſima, ſaxa, ferrum, ſerpentes, & ſcorpios concoquunt, eaque in nutrimentum vertunt: contra valetudinarii, etiam pane & vino offenduntur: Sic ſtulti & amicitias perdunt, ſapientes etiam inimicitiis recte norunt uti.

Lynceus per quercum videt, inimicus etiam per famulum, per amicum perſpicit, quid agas.

F Ut vultures ad extincta corpora odore feruntur, ſana non ſentiunt: Sic inimicus, ſi quid deliqueris, ſtatim olfacit, atque eo confeſtim accurrit, ad recte facta ſtupidus.

Ut hoſtis ſemper imminens muris, in cauſa eſt ut vigilet, ac ſobria ſit civitas: Sic inimicus obſervans, quid agas, facit ut nihil agas, dicaſve temere.

Dionyſiaci ſæpe negligenter inter ſe canunt in theatris, verum cum certatur, tum multo diligentius agunt omnia: Sic accuratius gerit rem, qui ſcit vitam ſuam ab adverſario obſervari.

Abſurdum exiſtimant obprobrare cuipiam corporis vitium, a quo non ſis ipſe immunis: At multo magis ridiculum, animi vitium in alterum conjicere, quod in te recidat.

Quemadmodum Telephus, quoniam carebat amico, coactus eſt ab hoſte petere remedium ac medelam vulneris: Ita qui non habent liberos amicos, a quibus admoneantur, ſæpenumero ab inimicis audiunt ſua vitia.

Item ut Telephus non reſpexit hoſtem, cujus erat haſta, ſed ſalutem quam adferebat: Ita non oportet offendi inimici convicio, ſed ſi verum admonet, vertendum eſt ad vitæ correctionem.

Ut ille Theſſalum Prometheum volens occidere, gladio diſſecuit tuber, ac ſanavit: Ita ſæpenumero convitium per iracundiam dictum ab inimico, vitium animi vel ignotum nobis, vel neglectum ſanat.

Ut qui luctantur, non abſtergunt ſuum pulverem, ſed ſe mutuo contaminant ut mutuo cadant: Sic quidam accepto convicio, non id purgant, ſed obſervant quid viciſſim in illos poſſit torqueri.

Ut ſi vel inimicus oſtendat lutum adhærens veſti non rejicis in illum, ſed abſtergis: Ita ſi quis oſtendat maculam vitæ, non regerendum eſt convitium, ſed abſtergenda labes.

Ut inveterata conſuetudo etiam ſi lædat, tamen haud facile propellitur: Ita ſimultas invidiam, zelotypia mali memoriam in animo relinquit.

Quemadmodum a feris exorſi, didicimus & homines jugulare: Sic aſſueti inimicis male facere (quod juſtum exiſtimatur) niſi cavemus, diſcimus paulatim & erga quoſvis eadem facere.

Ut non eſt Corydalis abſque criſta: Ita non eſt ingenium abſque invidia innata.

Ut cupimus cloacas quam longiſſime ab ædibus noſtris abeſſe: Ita in inimicos vitiorum purgamenta rejicere profuerit.

Ut Onomademus noluit omneis tolli, qui diverſarum fuiſſent partium, ne ſublatis inimicis omnibus, cum amicis, inquit, incipiamus digladiari: Ita conſumptis in hoſtes hujuſmodi affectibus, magis comes ſumus erga amicos.

Ut agricolæ juxta allia & cepas, ſerunt roſas, quod quicquid eſt in illis moleſti odoris, in hæc tranſeat: Sic inimicus, ſi quid eſt in nobis mali animi, id totum in ſe recipiens, ac conſumens, reddit nos amicis jucundiores.

Perinde ac ſi mutilus, ac cæcus metuat, ne Briareus fiat centimanus, aut Argus centoculus: Ita quidam metuunt, ne plurium ſint amici, cum nec unum adhuc verum habeant amicum.

Ut mulier impudica cum multis ſe commiſcens, nullum certum habet amatorem: Ita qui multorum appetit amicitiam.

Ut puella in pratis alium poſt alium floſculum decerpens, ſemper novis arridentibus capitur, priores negligit: Sic qui multas inſtituit amicitias, ac mox ſaturatus alias quærit.

Ut fluvius in multos diductus rivos, fluit tenuis ac languidus: Sic benevolentia in multos diſtracta langueſcit, & evaneſcit.

Ut animantia quæ unicum pariunt fœtum, vehementius amant: Sic erga unum ardentior eſt benevolentia.

Quemadmodum muſcæ in popinis non manent, ſi deſit nidor: Ita vulgares divitum amici non perſeverant ſi non adſit utilitas.

Veluti qui nummum adulterinum: Ita qui amicum habet non exploratum, ubi ſenſerit improbum eſſe, cum privatur eo, gaudet: cum habet, optat effugere.

Ut malum cibum nec retinere poſſis citra noxam, nec rejicere ſine moleſtia: Ita malum amicum, ſi teneas, lædit, nec tamen abſque inimicitia, ac tumultu veluti bilem potes abjicere.

Ut rubo, ſpiniſque complectentibus nos diſcuſſis, ad vitem aut oleam tendimus: Ita non quemvis obvium oportet in amicitiam admittere, ſed ad idoneos, rejectis aliis, eundum eſt.

Ut Zeuxis lente pingebat, quod diu duraret: Ita diu explorandus amicus, qui ſit perpetuus futurus.

Ut diligenter compingitur navis, quæ ſit in tempeſtatibus præſidio futura, & agger variis caſibus oppoſitus: Ita diligenter probandus amicus, quo ſis uſurus ad omnia.

Quemadmodum lac coagulo concreſcit: Sic homines compinguntur, & unum fiunt amicitia.

Ut aliis venti ſecundi ſunt, aliis adverſi: Ita aliis fortuna favet, aliis adverſatur.

Ut

Ut Briareus centum manibus quinquaginta pascens ventres, nihilo felicior erat nobis, qui duabus unum administramus: Sic tantundem commoditatis capies e paucorum amicitia, quantum e multorum: pensatur enim incommodum, si pauci inserviunt, paucis est inserviendum.

Uti Creon filiam nihil adjuvit, sed eam complexus una cum illa periit incendio: Sic quidam felicibus amicis non fruuntur, cum infelicibus pereunt.

Ut bruta si vi commisceantur diverso generi, discedunt indignantia, & graviter ferentia: Sic inter similes placide coit, & cohæret amicitia.

Dissimile. Musica symphonia constat e diversis, puta gravibus & acutis inter se ratione compositis: At amicitia constat similibus.

Dissimile. Non ut Polypus se quibusvis locis: Ita nos debemus nos quorumlibet moribus accommodare.

Dissimile. Polypus superficiem, & colorem duntaxat mutat: At amicus vere similis esse debet amicis, & moribus, & affectibus, & studiis.

Dissimile. Non ut Proteus præstigiis sese in omnes vertebat formas, nec ullam habebat certam ac propriam: Sic oportet nullo certo vitæ instituto, cum studioso legere, cum palæstrita colluctari, cum venandi studiosis venari, cum bibosis simul inebriari, cum ambitioso ambire magistratum.

Ut qui propriam domum non habet, per multas domos vagatur: Ita qui certum vitæ institutum non sequitur, nunc in horum, nunc in illorum mores transit.

Ut prima materia quibuslibet formis variatur, cum propriam non habeat: Ita animus multorum amicitiæ subjectus.

Erungium herbam si uni capræ in os inseras, cum ipsa sistitur, tum omnes consistunt, donec pastor herbam eximat: Ita Principis mores mira vi in populum transfunduntur.

Ut Ixion Junonem persequens, in nubem incidit: Sic multi in fucatam, & vulgarem amicitiam incurrunt.

Ut lumen magis prodest iis qui vident, quam qui videntur: Sic gloria magis confert iis qui eam sentiunt, quam quibus contingit.

Ut gravius puniendus, qui letiferum venenum non in unum calicem, sed in fontem, unde bibunt omnes, injicit: Sic magis peccant, qui Principis corrumpunt ingenium, quam qui privati hominis.

Ut sacrificis honorem habet civitas, quod commune omnium bonum a Diis petant: Ita multo magis honorandus Principis præceptor bonus, qui talem fingit, ut omnibus sit utilis futurus.

Ut artifex lubentius faciat lyram, qua sciat Amphionis arte Thebanorum urbem condendam, quam eam qua Thales Lacedæmoniorum seditionem composuit: Ita Philosophus lubentius formabit ingenium Principis orbi profuturum.

Ut mendum quod induruit, ac diutius inhæsit, difficile tollitur: Ita vitia inveterata non facile corriguntur.

Ut liber post lituras iterum infectus non facile emaculatur, quod altius imbiberit atramentum: Ita animus sæpe in eadem relapsus vitia.

Veluti si quis cæcus in quempiam incidat, illum cæcum appellet, qui non vitaverit: Sic nos fortunam facimus cæcam, in quam nostrapte incidimus cæcitate.

Ut quemadmodum si sol non sit, per reliqua astra noctem ageremus: Ita quantum ad reliquos attinet sensus, nihil differremus a brutis, nisi ratio adsit.

Ut pictor ille spumam equi, quam arte nequibat exprimere, impacta in os equi spongia variis imbuta coloribus, casu expressit: Sic quædam casus conficit, quæ providentia, curaque nostra non possunt effici.

Ut non debet sumere citharam, qui canendi sit imperitus: Ita non debet imperium sumere, qui non sit prudentia præditus.

Ut Medici in vehementi fluxu pituitæ, non statim succurrunt pharmacis, sed foris admovent, quod tempore concoquat humorem, ac tum medentur: Ita in recenti dolore tacendum, donec tempore mitior admittat consolationem.

Ut in Democratia, cui sorte contigit imperium, eum oportet imperare: cui non contigit, eum oportet æquo animo ferre: Sic in vita hominum quod sors dederit, boni consulendum est.

Ut terræ foetus aliquando copiose proveniunt, aliquando A maligne. Et in animantibus aliquando foetura felix, aliquando sterilitas est: Et in mari aliquando tempestas, aliquando tranquillitas: Sic in vita varii fortunæ casus.

Ut suus cuique arbori fructus: Ita luctus non est alius fructus, quam lachrymæ.

Ut nemo miratur liquefactum, quod potuit liquescere, sectum quod erat sectile, exustum quod exustibile: Ita mirandum non est mortuum esse, qui erat mortalis.

Quemadmodum ex eodem luto licet fingere animantia, ac rursum confundere, atque continenter aliud ex alio facere: Sic natura ex eadem materia genuit majores nostros, his exstinctis, nos, deinde alios atque alios.

Quemadmodum mutua pecunia æquo animo reddenda B est: Sic vitæ munus, quam mutuo accepimus a Diis, citra querimoniam est reponendum.

Ut non qui multum cecinit, aut Rhetoricatus est aut gubernavit, laudatur, sed qui scite: Sic non qui diu vixit, sed qui bene.

Quemadmodum quod in tesseris cecidit, id arte & ratione quam potest optume disponendum: Ita quod in vita accidit, in optimam vertendum partem.

Sicut mensarii non gravatim reddunt deposita pignora, ut quæ in hoc ipsum acceperint, ut restituant: Sic nos quod a Diis accepimus.

Quemadmodum araneæ ex se telas texunt: Ita quidam ex seipsis comminiscuntur fabulas ac mendacia, cum ni-C hil subsit veri.

Quemadmodum iris nihil aliud est quam relucentia solis refracti in nubibus: Ita fabula quædam est veri repræsentatio.

Fumus initio ingens, facile evanescit: Sic gloria falso parta.

Ut fugitivis ab altaribus ac templis revulsis, nihil superest præter mortuorum sepulchra: Sic qui vera suaque gloria destituti, majorum imaginibus efferunt sese.

Non utimur aqua turbata nisi constiterit: Multo minus utendum est animo commoto, priusquam ad se redierit: Ita Socrates.

Si qua terra referta sit saltubus, feris & herbis sylvestri-D bus, multoque limo, protinus displicet imperito colono: At peritus agricola ex iis ipsis conjectat soli molliciem ac feracitatem, tantoque impensius dat operam ut eam repurget: Sic magnis ingeniis magna vitia solent innasci, quæ non convenit statim tollere, sed potius mederi: exspectanda ætas, donec ad frugem bonam reducatur.

Quemadmodum Ægyptii lege jubebantur exspectare, donec peperisset si qua gravida morbo fuisset correpta: Ita non facile abjicienda spes in hominum erratis.

Ut hyenæ fel, & phocæ coagulum, atque aliæ pessimarum ferarum partes adversus magnos morbos efficax habent remedium: Sic Deus pessimis tyrannis utitur nonnunquam ad correctionem vitiorum.

E Quemadmodum agricola non incidit spinam priusquam asparagum inde ceperit, & Libyes non ante incendunt sarmentum quam thus collegerint: Ita Deus non excidit genus Regum pestilens, priusquam hinc fructus aliquis bonus contigerit.

Cantharides & scorpii in se circumferunt sui veneni remedium: At ipsi peccato inest sua poena suppliciumque.

Ut pueri quidam admirantur ac felices judicant nebulones miseros cum in scena saltant, aureis induti: Sic stulti felices existimant divitiis onustos.

Ut qui diutina tabe conficiuntur non effugiunt mortem, sed lente moriuntur: Sic qui non statim puniuntur, non effugiunt poenam, sed longa ducuntur poena.

F Ut qui in carcere detinentur unde non sit effugium, tamen aliquando ludunt tesseris: Sic qui in vita voluptatibus utuntur cum sint scelerati.

Ut amnes quidam repente se condunt sub terram, nihilominus eo perferuntur quo tendunt: Ita numinum iræ licet occulte, tamen in extremas calamitates auferunt aliquando nocentes.

Ut qui æstuant febribus, æque calent, sive unam instraveris vestem, sive plureis, tamen in solatium illorum multitudo vestium tollitur: Sic observiendum, quibus mederi non possis.

Quemadmodum ischiacis Medici pollicem inurunt, &

cum alibi doleat, alibi admovent remedium: Sic Deus nonnunquam ut patres sanet, sævit in filios.

Ut scorpius non tantummodo putandus est habere aculeum cum ferit, sed semper est observandus: Ita malis prognati, etiamsi non peccent, tamen venenum habent.

Ut Medici quibusdam morbis occurrunt priusquam appareant: Ita Deus quædam punit ne fiant.

Qui vincit in certaminibus, præconem adhibet quo victor pronuncietur: Multo magis vera virtus alieno debet ore laudari, non suo.

Quidam fame coacti, cum deest quod edant, suis ipsorum artubus turpiter vescuntur: Sic quidam siti gloriæ, cum deest qui laudet, ipsi laudant seipsos non sine dedecore.

Ut qui inambulantes attollunt sese ac dilatant, fastuosi vocantur: at laudantur qui itidem faciunt in pugilum certamine aut in pugna, & vocantur fortes & invicti: Sic qui in rebus adversis erigit animum, fortis habetur & insuperabilis.

In tempestate qui confugiunt sub arborem, serenitate facta, ramos illius vellunt fugientes: Sic in rebus afflictis utimur præsidio quorundam, quos eosdem per invidiam affligimus in rebus prosperis.

Qui observant ne molesti sint lippientibus, umbram aliquam admiscent lumini: Sic quidam laudibus suis aliquid erratorum aut vituperationis adspergunt, ut invidiam effugiant.

Ut non invidetur his qui domum aut agrum magno emerunt, sed quibus gratis contigit: Ita nemo his invidet, qui gloriam magno sibi pararunt, sed quibus fortunæ favore contigit.

Quemadmodum jubemur aut omnino cavere locum pestilentem, aut si in eo sis, circumspecte agere: Sic aut omnino vitandum ne laudes teipsum, aut id cautim & circumspecte agendum.

Qui esuriunt, magis irritantur si conspexerint alios edentes: Sic magis inflammantur ad gloriam, qui gloriæ sunt avidi, cum alios audiunt laudari.

Non oportet titillare, qui natura proclives sunt ad risum: Ita non oportet laudare, qui gloriæ suapte sponte sunt appetentiores.

Pictores seponunt ad tempus opera sua, tum ex intervallo rectius judicaturi: nam assiduitas in causa est quo minus bene judicent: Sic nos rectius judicamus amicos, quos ex intervallo revisimus. Ac de nobis ipsis quoniam adsumus assidue, minus recte judicamus.

Qui se una cum ipsis ædibus incendunt, omnia intus tumultu complent, ut nec videre possint, nec dispicere quid sit utile: Sic ira commotus animus.

Dissimile. Navis deserta recipit gubernatorem, si quis velit in portum reducere: At animus ira percitus non admittit gubernatricem rationem aliunde, nisi intus ratio clavum arripiat.

Quemadmodum qui exspectant obsidionem, colligunt ac deponunt pecuniam, atque omnia parant sub hostium adventum: Ita adversus assultum iracundiæ præceptis Philosophiæ muniendus & instruendus est animus.

Ut in tumultu non audimus quid nobis dicatur: Ita irati non admittimus alienum consilium, nisi ratio loquatur intus, quæ tumultum animi compescat.

Ut munita tyrannis ab alienis tolli non potest, a familiaribus potest: Ita concitatus animus ex se præbet, quo solvatur ira.

Ut ferrum tenue & infirmum si denuo fodiatur, facile frangitur: Sic animus sæpe commotus ira, qualibet de causa commovetur.

Ut non magno negocio flamma exstinguitur in pilis leporinis, aut scyrpis, aut stipulis accendi cœpta, at non item si solida corripuerit: Sic ira primum gliscens facile vel joco, vel risu compescitur, cum videmus fumantem adhuc: quod si processerit, vix ullo negocio possit exstingui.

Ut nautæ præsentientes tempestatem, anchoris firmant naves: Ita priusquam ingruat tempestas iracundiæ, ratione firmandus est animus, & in diversum nitendum.

Amor levatur cantu, corollis, osculis. At ira si indulgeas exasperatur.

Ut prima tyrannidis solutio est, si reclametur, si non pareatur: Sic iræ statim est reclamandum.

Ut juxta sententiam Hippocratis morbus est periculosissimus, in quo ægrotus subinde mutat oris habitum, ac sui dissimillimus redditur: Ita nullus est animi morbus ira periculosior, quæ vultum, vocem, incessum sic immutat, ut idem alius esse videatur.

Lotis adducunt speculum: Id multo magis adhibendum irato.

Mare commotum cum algam & spumam ejectat, purgari dicitur, etiam si littus contaminat: At qui commotus ira, verba effundit amara, contumeliosa, primum inquinant ipsum a quo dicuntur, & famæ labem aspergunt.

Ut in febre, sic & in morbo linguam habere lenem ac teneram, bonæ spei signum est.

In febri linguæ scabricies ac sordes, signum est mali, non causa: In ira linguæ duricies, malorum maximorum est causa. *Dissimile.*

Ut tumor potissimum accidit ex plaga carnis: Sic molles & imbecilles animi maxime intumescunt ira, ut mulierum ac senum.

Barbari quidam ferrum inficiunt veneno, ut bis noxium sit: Sic quidam dictis instigant commotos.

Ut nutrices pueris dicunt, ne plora & accipies: Ita dicendum animo commoto, ne clama, ne festina, ac melius quæ vis consequeris.

Ut pater videns puerum volentem incidere quippiam, ipse arrepto ferro id facit: Ita ratio vindictam eripiens iræ, utiliter castigat.

Ut puer se vulnerat ob imperitiam, dum alium ferro quærit lædere: Ita iracundia sibi nocet sæpenumero, cum aliis nocere studet.

Qui nos docuit sagittare, non vetuit jaculari, sed vetuit ne aberremus a scopo: Ita non est interdicta punitio, sed in tempore & apte facienda.

Ut primis nunciis non statim creditur, quemadmodum Phocion Atheniensis, nunciata Alexandri morte, Si hodie, inquit, mortuus est, & cras & perendie mortuus erit: Ita non statim iræ fidendum dicenti, ille mihi fecit injuriam, sed proferenda fides in dies aliquot.

Ut per nebulam corpora: Sic per iracundiam res majores videntur.

Pigri remiges sereno cœlo desident in portu, deinde coguntur flantibus ventis navigare cum periculo: Sic qui non punit, cum est animo sedato, cogitur aliquando vel iratus punire.

Cibo juxta naturam utitur is qui esurit: At vindicta debet uti, qui nec sitit eam, nec esurit.

Ut assidua tussi concutitur & quassatur corpus atque exulceratur: Ita crebra ira animum exulcerat.

Ut luxus deprehenditur e cantu tibicinæ, e coronis projectis, ac similibus indiciis: Ita iracundum intelliges e servorum vultibus inustis.

Ut qui per inane ingrediuntur, quo magis innituntur, hoc magis peccant: Ita qui sui amantes sibi fidunt.

Non ut Medici bili medentur amaris: Ita oportet iracundiam medicari iracundia. *Dissimile.*

Ut minutæ literæ, si quis intendat, offendunt oculos: Sic qui res minutulas iracunde curat, morosior redditur ad majores.

Quemadmodum in œconomicis inquit Xenophon, suum habent locum vasa sacris parata, suum quæ cœnis, alibi quæ agriculturæ, seorsum quæ bello: Ita quisque inveniet in animo suo mala ab invidia profecta, a zelotypia, ab ignavia, ab avaritia.

Ut Lamias fabulæ narrant foris oculatas esse, domi oculis in vase reconditis, nihil videre: Ita quidam in alienis perspicaces sunt, ad sua cæcutiunt.

Ut quibus domi multum est malorum, gaudent apud alios versari: Ita animus sibi male conscius, sua horrens de alienis agit, & malitiam suam apud alios pascit.

Gallina sæpenumero pabulo apposito, in angulo scalpens ac verrens scobem, e stercore hordei granum unum depromere mavult: Sic curiosi prætermissis aut interruptis sermonibus innoxiis, si quid malum in cujusquam familia occultum est, id proverrunt in medium.

Ut taxatur in comœdiis Cleon, quod alibi manus haberet, alibi mentem: Ita multis in locis est curiosi hominis animus, nec habitat in domo.

Ut Sicyæ, quod est in corpore pessimum, id attrahunt: Sic

Sic curiosorum aures, quod est in hominum vita vitiosissimum, id libentissime audiunt.

Civitates portas habent quasdam nefastas, per quas educuntur nocentes ad supplicium capitis, ejiciuntur purgamenta, nihil autem infertur sacrum aut purum: Sic aures curiosorum non transeunt nisi homicidia, adulteria.

Ut nemo ferret, si quis Medicus, vel Æsculapius ultro accedens ad alienum morbum, percontaretur, num haberet fistulam in ano, aut num mulier haberet cancrum in pudendis, cum hæc curiositas sit salutifera, quod invocatus accederet. Multo magis ejiciendus curiosus, qui aliena mala non curat, sed retegit tantum, idque non accersitus.

Dissimile. Portitoribus indignamur, quod aliena scrutantur vasa, cum id lex eis permittat, & ni faciant, damnum facturi sint: Multo magis succensendum iis, qui suis omissis negotiis aliena perscrutantur.

Ut coci optant pecorum proventum, piscatores piscium: Sic curiosus malorum, novarum rerum commotionem, ut habeat quod venetur.

Ut fele prætercurrente, tollunt e medio obsonia: Ita apparente curioso, vertunt institutum sermonem, donec abierit, ut minus jam norit rerum quam cæteri.

Ut quidam insana libidine, neglectis formosissimis mulieribus quæ prostant, ad inclusam & sumptuosam penetrant etiam deformem: Sic curiosus contemptis præclaris spectaculis ac fabulis tam multis, alienas scrutatur Epistolas, alienas domos, non absque periculo nonnunquam.

Ut Simonides gratiarum scrinium semper inane repperit, mercedis semper plenum: Ita si curiosus post aliquantum tempus suam aperiat penum, inutilibus & insuavibus rebus plenam inveniet.

Quidam e Poetis eligunt deterrima, ut ex Homericis versibus acephalos, & μειούρους, tragicos syllogismos, & ab Archilocho obscœne dicta in mulieres: Sic curiosus pessima & insuavissima e cujusque vita decerpit.

Ut Philippus ex deterrimis hominibus conditam civitatem πονηρόπολιν appellavit: Sic curiosus malis undique congestis, thesaurum quendam inamabilem & inamœnum sibi in memoria construit.

Ut quidam neglectis pulchris picturis, prodigiosas ac monstrosas mirantur imagines, ut trioculos, carentes suris, cynocephalos: Sic curiosi malis alienis magis delectantur, quam honestis.

Ut venatores non sinunt canes quidvis olfacere, aut mordere, sed integros eos servant feræ: Sic oportet aures & oculos non sinere quovis vagari, sed rebus necessariis reservare.

Quemadmodum aquilæ & leones cum ambulant, introrsum vertunt ungues, ne conterantur, ac servant in prædam illorum aciem: Sic animi vigorem non convenit alienis rebus noscendis absumere, sed servare ad usum necessariorum.

Ut turpe est ingredi domum alienam, aut introspicere: Ita turpius est scrutari quid alii suæ domi faciant.

Ut admonuit Socrates cavendum ab iis eduliis, quæ illicerent ad edendum etiam non esurientes, & a potu qui ad bibendum invitaret etiam non sitientes: Sic fugienda sunt spectacula, sermonesque qui pelliciunt sui desiderio eos, ad quos nihil attinent.

Ut ulcus cruentat seipsum, dum scalpitur: Ita curiositas & sua mala studet cognoscere, & dolorem accersit cognoscendi libido sive pruritus.

Quemadmodum admonet Xenophon, ut in rebus prosperis maxime meminerimus honorare Deos, quo si quando inciderit necessitas, audacter eos possimus accersere, ceu jam benevolos & amicos: Sic dicta quæ morbis animi queant mederi, multo ante comparanda sunt: ut cum opus est, facile succurrant, jam familiaria.

Ut canes feroces ad omnem vocem irritantur, ad solam notam, ac familiarem mansuescunt: Sic animi morbi cum sæviunt, compesci non possunt, nisi dicta adsint nota familiariaque, quæ commotos corripiant.

Qui nauseant inter navigandum, existimant se melius habituros, si ex scapha in liburnicam, aut in triremem demigrarint: At nihil agunt, cum secum circumferant timiditatem ac bilem: Ita frustra vertunt genus vitæ, qui morbos animi secum adferunt.

Qui laborant adversa valetudine, iis omnia sunt molesta, fastidiunt cibos, incusant Medicos, succensent amicis, at restituta sanitas omnia reddit jucunda: Sic animo ægroto quævis vita insuavis, animo sano nullum vitæ genus non jucundum.

Ut calceus ad pedis formam torquetur, non contra: Sic vitæ genus cuique est ejusmodi, cujusmodi sunt animi affectus.

Ut frustra puro haurias vase e fonte turbido: Ita non potes aliis jucundus esse, aut rebus obeundis accommodus, nisi purgaveris animum malis affectibus.

Plato confert hominis vitam ludo tesserarum: quid jactu cadat, non est in nobis situm: at quod cecidit, recte disponere in nobis est: Sic eventus in nobis non est, quod obvenit, id in bonum vertere nostri muneris est.

Ut corpus ægrotum nec æstum ferre potest, nec frigus: Ita animus ægrotus prosperis atque adversis rebus juxta offenditur.

Ut apis ex amarissimo thymo, suavissimum mel colligit: Ita sapiens ex tristissimis rebus aliquid excerpit utilitatis.

Ut qui canem lapide petens, novercam percussit, ne sic quidem, inquit, male: Ita quod præter exspectationem evenit, in bonam partem vertendum est.

Ut Medicus curans eos qui dentibus cruciantur, non tam contristatur aliorum malis, quam sua bona valetudine gaudet, sed placidus eis apparet: Sic qui cupit alienæ mederi iracundiæ, non debet ipse simul commoveri, sed placide tractare animum ægrotum.

Febricitantibus amara videntur omnia, at ubi conspexerimus alios eadem non fastidientes, jam non cibum, sed nos ipsos incipimus accusare: Sic desinemus incusare negocia, si viderimus alios eadem hilariter ac lubenter obeuntes.

Sicyæ quod est pessimum attrahunt: Sic quidam suis bonis non fruuntur, sed malis expendendis discruciantur.

Ut Chius ille vina optima emebat aliis, ipse vappam potabat: Sic qui omnia sua depravant, nec suis ipsorum bonis fruuntur. Hujus servus interrogatus, quid ageret dominus, cum adsint inquit bona, quærit mala.

Si pueris unum lusum auferas, reliquis omnibus abjectis plorant: Sic quidam si quid obtigerit dispendii, protinus irati, reliqua omnia commoda sibi reddunt injucunda.

Ut quidam alienas picturas, statuas, poemata diligenter aspiciunt, ac singula excutiunt per ocium, sua neglectui habent: Sic multi alienas fortunas magis admirantur, suas oderunt.

Quemadmodum adulteri alienas uxores adamant, suas contemnunt: Sic quidam aliorum bonis magis delectantur, sua elevant, aut etiam negligunt.

Ut vincti beatos judicant solutos, soluti liberos, liberi cives, hi rursum divites, hi Satrapas, Satrapæ Reges, Reges Deos, tonare propemodum ac fulgurare cupientes: Sic qui semper expendit, quanto sit aliis inferior, nunquam sua contentus est sorte.

In Olympiis non licet vincere, delecto adversario: Sic in vita quæcunque obtigit fortuna, cum ea luctandum est.

Ut floridum aulæum aliquando multa tegit sordida: Sic splendor & strepitus potentum multas obtegit calamitates.

Ut quibusdam cum foris, in foro, aut in curia conspicui sint ac splendidi, domi morosa uxor contristat omnem vitam: Sic regno, ac divitiis multa adsunt occulta mala.

Ut velis utendum pro navis magnitudine: Ita cupiditates pro facultate sunt moderandæ.

Qui bove venatur leporem, & aratro jaculatur, & sagena captat cervos, si non assequitur, non potest accusare fortunam, sed suamipsius stultitiam: Sic qui conantur quod non queant efficere, non debent incusare fortunam, sed suam dementiam.

Bos

Bos ad aratrum adhibendus, equus ad currus, ad venatum canis, ut inquit Pindarus: Sic quisque debet eam vitæ rationem capessere, ad quam natura sit appositus.

Qui studeat Plato esse doctrina, dormire cum beata vetula, ut Euphorion: cum Alexandro potare, ut Medius: dives esse, ut Ismenias, virtute præcellens, ut Epaminondas, doleatque quod unus non sit hæc omnia: perinde facit, ac si moleste ferat, quod non sit leo montanus, & idem Melitæa catella in sinu viduæ divitis.

Ut qui cursu certant, non discruciantur, cum vident coronas athletarum, sed suis oblectantur: Ita te non oportet aliena felicitate discruciari, sed tua gaudere B sorte.

Ut plures sunt qui lavare velint, quam qui velint inungi: Ita ad magis ardua, magisque præclara pauciores confluunt.

Qui dolent, quod non excellant in omnibus, etiam diversissimis: perinde faciunt, ac si quis moleste ferat, quod vinea non ferat ficus, quodque olea non ferat botros.

Ut feris aliis aliunde victus: Sic hominibus aliis aliunde vivendi ratio, alius philosophatur, alius militat.

Ut muscæ a levibus locis veluti speculis dilabuntur, asperis & cavis insident: Sic quidam bonorum obliti, tristium memoriam urgent, ac premunt.

Ut est locus in Olyntho Thraciæ, in quem si scarabeus inciderit, non possit exire, sed distorquens sese C immoritur: Sic quidam malorum suorum memoriæ immoriuntur.

Ut in pictura quæ splendida sunt, oculis sunt objicienda, celanda si qua mala quæ deleri non queant: Sic in vita, bonorum contemplatione, obscuranda malorum memoria.

Ut in Musica graves acutis sic miscentur, ut concentum efficiant: Ita bonis & malis utendum in vita, ut ex utrisque vivendi ratio temperetur.

Ut Grammaticus non solum vocalibus utitur, sed & consonantibus, tenuibus, aspiratis, gravibus, longis, ut modulata sit oratio: Sic in vita nihil purum.

Ut Musici duriores harmonias aliis obscurant modulatio- D nibus: Sic in vita si quid accidit præter animi sententiam, meliorum collatione est obscurandum.

Ut flamma excitata vento, major est ac vehementior, sed parum durabilis ac constans: Sic vehemens cupiditas ob metum adjunctum, incertam habet voluptatem.

Gubernator etiam si multum conducit tamen non potest sedare ventos & undas: At ratio, ac mentis habitus non solum animi motus componit, verum & corporis morbos sæpe levat.

Ut qui per febrim aut epialum, horrent atque æstuant, E gravius afficiuntur iis, qui eadem foris patiuntur: Sic fortunæ res, quod foris adveniant, minus discruciant, quam ea quæ sunt animi.

Ut si fons ipse turbidus sit, quicquid inde fluxerit non potest esse purum: Sic animus si sit infectus malis affectibus, omnia vitiat quæ accedunt, contra si purus & tranquillus.

Ut qui thus tundunt, etiam si purgentur, tamen odorem in multum tempus referunt: Ita animus diu diversatus in honestis negotiis, diu servabit jucundam memoriam, qua fretus, contemnet eos, qui vitam ut miseram deplorant.

Ut multa agrestia subnascentia in agro, mala quidem F ipsa sunt, sed tamen signa felicis atque uberis soli, si quis excolat: Sic animi affectus per se mali, arguunt ingenium non malum, si accedat recta institutio.

EX SENECA.

Ut qui se meminerunt inquilinos esse, & in conducto habitare, & modestius se gerunt, & minus gravatim exeunt: Ita qui intelligunt domicilium corporis ad breve tempus a natura commodatum esse, & vivunt temperantius, & libentius moriuntur.

Ut felicior est, quem ventus acrior cito in portum pertulit, quam quem venti segnes, & longa tranquillitas lentissimo tædio delassarunt: Ita fortunatior, quem festinata mors statim his vitæ malis eximit.

Quemadmodum navigantibus terræque urbesque recedunt: Sic rapidissimi temporis cursu primum pueritiam abscondimus, deinde adolescentiam, deinde senectutis optimos annos.

Ut qui serius exivit, cursus celeritate penset ac sarciat oportet: Ita qui serius ad bonam vitam aut literas accessit, diligentia reparet necesse est, superioris cessationis jacturam.

Animalia quædam circa cubilia confundunt vestigia, ne queant inveniri: Sic nobis celandum bonum nostrum, quo tutius sit.

Ut in aperto posita & exposita negliguntur ac prætereuntur, abstrusa petuntur insidiis: Ita qui valde latet, & a vulgo semotus est, in hujus vitam inquirunt homines.

Demetrius vitam perpetuo tranquillam, & sine ullis fortunæ incursionibus, mare mortuum vocavit.

Ut sol minora obscurat lumina: Ita ad virtutem reliqua commoda nihil habent momenti.

Ut nihil adfert momenti nimbus in mare decidens: Ita fortunæ incommoda nihil movent sapientem.

Poma quædam suaviter acerba sunt, & in vino nimium veteri delectat & ipsa amaritudo: Sic amicorum defunctorum memoria mordet animum, sed non sine voluptate.

Supra modum deditus vino, fecem quoque exsorbet: Sic admodum vitæ avidus, qui ne extrema quidem senecta vult mori.

Ut in eundem amnem nemo bis descendit: Sic ob rapidum cursum vitæ homo ad singula momenta alius est.

Ut latronum genus, quod Ægyptii Philistas vocant, in hoc amplectuntur ut strangulent: Sic voluptates dum blandiuntur necant.

Jumenta quorum in aspero indurata est ungula, quamlibet patiuntur viam, in palustri pascuo saginata cito subteruntur: Sic animus duris rebus assuetus, minus offenditur.

Ut alia vestis magis sapientem decet quam alia, cum nullam oderit: Sic magis congruit hoc aut hoc loco vivere.

Alia remedia cum administrantur, tristia, post sanitatem denique delectant: Philosophia pariter salutaris est & dulcis. *Dissimile.*

Robora in rectum quamvis flexa revocabis. Curvatas trabes calor explicat, & aliter natæ in id finguntur, quod usus noster exigit. Quanto magis animus accipit formam flexibilis, & omni humore obsequentior?

Quemadmodum stultus est, qui equum empturus, non ipsum inspicit, sed stratum ejus ac frenos: Sic stultissimus, qui amicum adsciturus, eum e vestitu aut opibus æstimat.

Ut grando illisa tectis dissultat, magno quidem fragore, verum nulla noxia: Sic insultus fortunæ nihil potest in sapientem.

Ut præstigiatorum fraudes fallunt & cum voluptate: Sic sophisticis argutiis capi ridiculum est, non periculosum.

In labyrintho properantes ipsa implicat velocitas: Sic qui vitæ commodis student, magis involvuntur incommodis.

Navis in fluvio magna, in mari parva est: Sic mediocres alibi, alibi videntur insignes.

Avis quæ pluma tantum tenetur, minimo dispendio potest aufugere: Sic opes non debent nos remorari a studio sapientiæ.

Serpens etiam pestifera dum frigore torpet, tute tractatur, non quod desit venenum, sed quod non possit explicare: Sic quibusdam ad eximiam malitiam vires desunt, non animus.

Ut Phœnix non nisi quingentesimo anno nascitur: Ita insignium virorum rarus est proventus.

Non faciunt equum meliorem aurei freni: Nec hominem meliorem fortunæ ornamenta.

Radii solis etsi contingunt terram, tamen ibi sunt unde mittuntur: Sic sapientis animus, tametsi versatur hic, tamen apud suam originem est.

Qui

Qui nimium incitatus fertur, non ubi vult sistit sese, sed longius effertur quam velit: Sic nimia in dicendo celeritas temere rapitur.

Ut segetem nimia sternit ubertas, rami onere franguntur: Sic animos immoderata rumpit felicitas.

Flamma nec premi potest, nec quiescere: Sic animus nativo impetu fertur ad honesta.

Semen licet exiguum, tamen locum nactum idoneum vires suas explicat, & ex minimo in maximos actus diffundit: Sic ratio sapientiæ paucis constat verbis, in opere crescit.

Vinum quod in dolio placuit, non fert ætatem, quod recens durum est & asperum, postea placet: Sic adolescentia durior maturescit, & ad frugem pervenit.

Qui multis negociis distrahitur, veluti lacus est ad quem a multis concurritur, qui eum & exhauriunt & turbant.

Non est admirationi una arbor, ubi sylva tota in altum surrexit: Sic non animadvertitur una sententia, cum passim omnia referta sunt sententiis, sed si raro incidat.

Ignis qui valentem materiam occupavit aqua, & interdum ruina exstinguendus est: ille qui alimentis deficitur, sua sponte subsidit: Sic facilis est mors senum.

Gladiator tota pugna timidissimus, cum moriendum est, fortiter adversario jugulum præstat, & errantem gladium sibi attemperat: Sic mors admota etiam imperitis animum dedit, ut præsentem fortiter ferant, qui cum procul abesset, formidabant.

Magnus gubernator & scisso navigat velo, & si exarmavit, tamen reliquias navigii aptat ad cursum: Sic in corpore parum felici ac deficiente, tamen fortis animus sui similis est.

In navi quæ sentinam trahit, uni aut alteri rimæ obsistitur: sed ubi pluribus locis laxari cœperit, succurri non potest navigio dehiscenti: Ita in senili corpore aliquatenus fulciri potest imbecillitas: verum ubi totum collabi cœperit, nihil agitur remediis.

Ut putri & ruinam minanti ædificio non adhibentur fulturæ, sed circumspiciendum ut exeas: Ita defecto corpore demigrandum e vita.

Ut si quis varia spargat, necesse est ut aliqua proveniant: Sic omnia tentanti quædam succedunt.

Una tussis non facit phthisim, sed in morem adducta: Ita error non statim gignit animi morbum.

Ut ægrotus non quærit Medicum disertum, sed sanandi peritum: Sic a Philosopho non requirimus orationem phaleratam.

Philosophus etiam eloquens, perinde est quasi si bonus gubernator etiam formosus sit.

Ut in corporibus morbus segnicie & lassitudine præsentitur: Sic infirmus animus, priusquam opprimatur malis, præsumptione quatitur.

Ut semina bona, si in solum bonum inciderint, similia origini proveniunt, eadem humus sterilis ac palustris necat: Sic Philosophiæ præcepta, si in bonum aut pravum animum inciderint.

Non continuo melior gubernator, cui pulchrius aut majus sit navigium: Ita non est melior vir, cui fortuna splendidior.

Ex congiario epulo, aut visceratione, tanto minus redit ad singulos, quanto in plures distribuitur: non idem accidit in bonis animi, quæ tota ad singulos perveniunt, nec communicatione minuuntur.

Ut plus debet Neptuno, qui merces preciosissimas deportavit: Sic plus debet Principi, qui tranquillitatem, & pacem publicam non in voluptatibus, sed honestissimis studiis consumit.

Canis quicquid excepit, protinus devorat, & semper ad spem futuri hiat: Ita quod exspectantibus fortuna projecit, id sine ulla voluptate demittimus, statim ad rapinam alterius erecti.

Ut libri quos non evolvas, situ cohærescunt: Ita memoria evanescit, nisi subinde renoves.

Lana quosdam colores statim imbibit, quosdam non nisi sæpius macerata & recocta: Sic alias disciplinas ingenia cum accepere, protinus præstant: Philosophia nisi alte descendit, & diu sedit, non colorabit animum.

In aquam demissa quædam, cum sint rectissima, speciem curvi, præfractique visentibus reddunt: Ita si de rebus perperam judicamus, nostrum est vitium, non rerum.

Quærimus nonnunquam eos, quibuscum stamus: Ita quidam quod sciunt, se scire nesciunt.

Quemadmodum perniciosior hostis fugientibus: Sic gravius est incommodum si cedas, ac des terga.

Quomodo fabula, sic vita: non quam diu, sed quam bene acta sit, refert.

Ut ictum quem prævideris, commodius excipis: Sic præcogitatum malum minus offendit.

Ut histrio non est felicior, quod in scenis adornatus, Rex aut Deus videatur: Sic nec homo fortunæ muneribus, quandoquidem suis bonis æstimatus, nihil est.

Ut pumilio, etiam si in monte consistat, pusillus est, Colossus etiam in puteo magnus: Ita sapiens in quacunque fortuna suis bonis magnus est, stultus & in summa fortuna humilis.

Quemadmodum reus paribus sententiis absolvitur: Sic sapiens ubi paria maleficiis merita sunt, magis meminit benefactorum, quam injuriarum.

Illud venenum quod serpentes sine sua pernicie continent, in alienam effundunt: At malitia maximam sui veneni partem bibit ipsa.

Creditori præter sortem extra ordinem numeramus, beneficiorum autem usum esse gratuitum judicamus, & illa crescunt mora, tantoque plus solvendum est, quanto tardius.

Ut post malam etiam segetem serendum, ut post naufragium tentantur maria, ut fœneratorem a foro non fugat coactor: Ita beneficium denuo collocandum etiam si semel incideris in hominem ingratum.

Fucata facies nec diu nec multis imponit: Ita simulatio, non nisi ad tempus, & paucos decipit.

Ut umbra nos vel invitos comitatur: Ita gloria virtutem sequitur, etiam fugientem.

Ut umbra aliquando antecedit, aliquando sequitur: Sic quibusdam statim contigit fama, quibusdam post mortem, denique ea quo longius sequitur, hoc major esse solet.

Ut nec mundus crescit, nec sol, nec luna, nec mare: Ita pares sunt omnes sapientes.

Ut oculi diutino morbo difficiles facti, quovis solis radio offenduntur: Sic vitia, multa & assidua contracta temulentia durant & sobriis.

Ut dolium effervescente vino rumpitur, & quod in imo est, eruitur in summa: Sic ebrietas abditissima pectoris profert.

Quemadmodum onerati mero, non continent cibum: Ita nec arcanum redundante vino.

Ut æque mortuus est, qui conditus est in odoribus, & qui trahitur unco: Ita æque sunt infelices, & qui voluptatibus indulgent, & qui ambitiosis negociis vacant.

Ut bonus artifex e quavis materia simulacrum fingit: Ita sapiens quamvis fortunam sapienter administrabit.

Ut initia morborum quamvis levia serpunt: Ita si vitia & affectus vel levissimos semel admittas, crescunt & augescunt.

Ut quædam feræ etiam domitæ, tamen subito ad feritatem nativam recurrunt: Ita nunquam bona fide vitia mansuescunt.

Ut nullum animal nec mite, nec ferum paret rationi, qua caret: Sic nullus affectus.

Qui sibi comparatione deteriorum bonus videtur, perinde est ac si quis ad claudos respiciens suam miretur velocitatem.

Ut e diversis vocibus constat chorus: Ita variarum disciplinarum mixtura constat eruditio.

Qui imitatur auctores, dabit operam, ut similis illis sit, quemadmodum filius similis est patri, non quemadmodum imago picta.

Ut e diversis numeris constat unus, summam illorum in se complectens: Sic e diversis conflatur eruditio, jam tua, non aliorum.

Cibus innatans stomacho, onus est, non cibus, idem mutatus, in vires & sanguinem transit: Sic quæ legeris, si solida durant in memoria, aliena manent: si abeunt in ingenium, tum reddunt eruditiorem.

Apes e variis varios colligunt succos, sed eos suo spiritu mutant ac digerunt, alioqui non facturæ mel: Sic evolvendi sunt auctores omnes, sed quod legeris in tuos usus transformandum.

Alibi diligenter expenditur, non quid habeat quisque, sed quid habeat suum: Itidem hominem suis propriis bonis oportet æstimare.

Ut egregius artifex, non in una materia artifex est: Sic sapiens in quavis fortuna se bene gerit.

B Quemadmodum fures alienis poculis ansas mutant, ne possint agnosci: Ita nonnulli de alienis inventis paululum quiddam immutant, ac sibi usurpant, & detractis aut additis pauculis verbis, existimant suum videri posse, quod est alienum.

Ut sydera contrarium mundo iter intendunt: Ita sapiens adversus opinionem omnium vadit.

Cum potentes imperio editi, & consensu servientium validi, nocere intendent: tam citra sapientem omnes eorum impetus deficient, quam quæ nervo tormentisve in altum exprimuntur, cum extra visum exierunt, citra cœlum tamen flectuntur.

C Adjice illos, qui non aliter, quam quibus difficilis somnus, versant se, & hoc atque illo modo componunt, donec quietem lassitudine inveniant, statum vitæ suæ formando, subinde in eo novissime manent, in quo illos non mutandi odium, sed senectus ad novandum pigra deprehendit.

Nihil ergo magis præstandum est, quam ne pecorum ritu sequamur antecedentium gregem, pergentes non quo eundum est, sed quo itur.

Ut in magna strage alius alium trahit in ruinam: Ita in publico errore, alius alium secum trahit ad perniciem.

Ut qui in ludo versantur gladiatorio, cum iisdem vivunt ac pugnant: Ita vulgus hominum inter sese dimicat, & alius alium spoliat vel amicissimum.

D Ut feræ mutuo laniatu vivunt: Ita quisquis potentior malo inferioris ditescit ac crescit.

Ut qui per spinosa ingrediuntur loca, suspensis pedibus eant necesse est: Ita de rebus frivolis, aut molestis loquenti, breviter est transiliendum ad uberiora, gratioraque.

Ut qui spinas habet in pedibus, ubique spinas calcat: Ita sterili ingenio omnis materia sterilis est.

Ut qui in alieno habitant, multis anguntur incommodis, semperque de aliqua domicilii parte queruntur: Ita animus nunc de capite, nunc de pedibus, nunc de stomacho, nunc aliud de alio queritur, significans se non esse in suo domicilio, sed unde brevi sit emigrandum.

E Ut montium proceritas minus apparet procul intuentibus, ubi accesseris, tum apparet quam sint in arduo: Ita nemo prospicit quam excelsus sit animus Philosophi, quantumque supra res omneis humanas emineat, nisi propius contempleris, & imitatione ad illum accesseris.

Quemadmodum spiritus noster clariorem sonum reddit, cum illum tuba, per longi canalis angustias tractum, patenti ore novissime effudit: Sic sensus nostros clariores arcta carminis necessitas efficit, eadem negligentius audiuntur, minusque percutiunt, quamdiu soluta oratione dicuntur. Potest trahi & huc, ut si quis dicat famam virtutis clariorem existere, si diu rebus adversis oppressa, tandem emerserit.

F Ut qui in solem venit, licet non in hoc venerit, coloratur: & qui in unguentaria taberna resederunt, & paulo diutius commorati sunt, odorem loci secum ferunt: Ita qui cum sapiente consuetudinem habent, etiam si non hoc agant, tamen redduntur meliores.

Tempestas minatur antequam surgat, crepant ædificia antequam corruant, prænunciat fumus incendium: At subita est ex homine pernicies, & eo diligentius tegitur, quo propius accedit.

Ut in corpore latet animus, unde vim & impetum sumant omnia: & mysteria, quæ est sacrorum pars optima, non patent nisi initiatis: Ita Philosophiæ præcepta nota sunt omnibus, id vero quod in ea est optimum, latet.

A Ut quosdam uxor magno ambitu ducta torquet: Ita quidam magnis laboribus accersunt, magno futura malo.

Ut puerorum, dum primum discunt scribere, digiti tenentur, & aliena manu per literarum simulacra ducuntur, post jubentur imitari propositum: Sic primum animus ad præscriptum adjuvetur oportet, donec incipiat per se philosophari.

Ut minuta quædam animalia, cum mordent, non sentiuntur, tumor indicat morsum, & in ipso tumore nullum vulnus apparet: Ita bonorum consuetudinem prodesse non deprehendis, sed profuisse.

Ut primum est expurganda bilis, unde nascitur insania, deinde monendus homo, alioqui qui furiosum admoneat, quomodo debet procedere, quomodo se gerere in publico, furiosior sit ipso furioso: Sic primum animus est liberandus falsis opinionibus, postea tradenda præcepta Philosophiæ.

Ut qui ex claro sole redierunt in umbram, his caligant oculi: Ita qui a divinorum contemplatione, ad humana recidunt.

Ut Medici vetant admoveri remedia, cum morbus in accessu est, ac sævit, sed cum se remittit: Ita ad primos illos iræ aut doloris motus, non est adhibenda consolatio, vel admonitio, sed ubi tempore cœperint esse leviores.

Ut apparatus scenæ, quia commodato datus est, statim redditur, & sine querela: Ita quicquid in vita contigit magnificum, sive serius, sive mox a fortuna repetatur, æquo animo reddemus, si his tanquam commodatitiis utimur.

Ut qui variis tempestatibus, huc & illuc jactatus est, nec tamen pervenit, non multum navigavit, sed multum jactatus est: Sic qui diu vixit, nec profecit ad bonos mores, non diu vixit, sed diu fuit.

Generosus equus melius gestabit sarcinam quam ignavum jumentum, nemo tamen imponit: Ita magna ingenia sunt quidem & ipsa idonea functioni munium, sed indigna quæ tam sordidis occupationibus onerentur.

Ut sydera mundi, si vel paulum subsistant, aut aberrent, summo id omnium malo fiat: Ita Principi cessare non licet, quod si facit, magna rerum humanarum pernicie fit.

EX LUCIANO, XENOPHONTE, AC DEMOSTHENE.

Ut histriones Herculem in scenis, aut Agamemnonem repræsentantes personati, auro amicti, torvum tuentes, & late hiantes, tenuem & exilem edunt vocem: Ita quidam in dialogis faciunt Platonem, aut magnos viros loquentes, quorum pondus non possint ingenio tueri.

Bona fabula aliquando exsibilatur, vitio histrionis male agentis: Ita bona oratio displicet, si quis parum apte referat.

Ut Momus tauri opificem Deum carpsit, quod non præposuisset oculos cornibus, ubi maxime erat opus: Ita perperam faciunt, qui coronas in vertice ponunt, cum sub naribus magis adponi conveniat, ut plurimum voluptatis ex odore possint haurire.

Ut non omnes insaniunt, qui Phrygiam audiunt tibiam, sed hi duntaxat, quos Rhea corripuit: Ita non commoventur Philosophiæ laudibus, nisi qui ad eam natura sunt propensi.

Quod tibiæ sunt ignaris Musices: hoc opes his, qui nesciunt uti.

Ut qui primo Musicen discunt: citharas aliquot perdunt & obterunt: Ita magno Reipublicæ malo administrat magistratum, qui rudis accedit & imperitus.

Ut bilanx in eam vergit partem, unde plus accipit: Sic quidam nunc huic, nunc illi favent, qui plurimum det, non cujus causa sit optima.

EX ARISTOTELE, PLINIO, THEOPHRASTO.

Ex omni genere curiositas hominum signa collegit instantis tempestatis: At multo magis conveniebat hac uti diligentia in consultationibus, ut observatis experimentis conjiciant, quid malorum ex unoquoque perperam instituto consequatur.

Ut cœlo quamvis sereno, nubecula quamlibet parva ventum procellosum dabit: Sic rebus admodum pacatis, ex minimo dissidio, gravissimi rerum motus subito exoriuntur.

Ut

Ut ranæ ultra solitum vocales tempestatem significant imminentem: Ita cum plurimum valet apud Principes oratio malorum, bonis tacentibus, tum instat rerum perturbatio.

Echinus præsentiens tempestatem, aut affigit sese, aut arena saburrat: Ita cum imminet fortunæ tumultus, animus est Philosophiæ præceptis confirmandus.

Ut imperiti tempestatem non sentiunt nisi sero, suoque malo, contra prudentes agricolæ prospiciunt, caventque: Ita vulgus hominum improvidum suo malo discit, cum interim vir sapiens procul prævisum malum vitet: ut Democritus metente fratre ardentissimo æstu, monuit ut reliquæ segeti parceret, raperetque desecta sub tectum, paucis mox horis sævo imbre vaticinatione approbata.

Quemadmodum non raro fit, ut cœlo maxime sereno sævus imber subito cooriatur: Ita rebus maxime prosperis ac lætis, sæpenumero gravissima rerum incidit perturbatio.

Cum æstate vehementius tonuerit quam fulserit, ut inquit Plinius, ventos denunciat: Ita ubi quis vehementer inclamat in aliorum vitia, ipse non perinde lucens morum integritate, indicium est animi magis ambitionis vento tumescentis, quam solidi pii.

Delphini tranquillo mari lascivientes, flatum qua veniunt parte denunciant: Ita cum exultant improbi, tolluntque sese, rerum humanarum tempestatem instare significant.

Dissimile. Sol, luna, stella, mare, terra, arbores, herbæ, bruta, & in his apes, formicæ, conchæ, denique lucernæ, tempestatem præsentiunt: Solus homo sua mala non præsentit, neque prospicit.

Cum bruta solitum naturæ morem relinquunt, tempestatis indicium est, hoc est cum mergi fugiunt maria aut stagna, cum absconduntur formicæ aut ova progerunt, lumbrici e terra fugiunt, tempestatis præsagium est: Ita cum audent facinorosi, tacent integri, sapit vulgus, desipiunt Principes, Sacerdotes pro terrenis digladiantur, perniciem humanæ vitæ significat.

Ut Pyrites gemma non aperit vim igneam, nisi si atteras, tum enim digitos adurit: Ita quorundam malitiam non sentias, nisi cum illis consuetudinem aut commercium habueris: aut non sentias Philosophiæ vim, nisi exercueris: Ita succina attritu vim attrahendi & odorem produnt.

Ut scarabeum, aut viperam, aut araneam in gemma redditam & imitatam a natura (nam id videmus esse factum in nonnullis) non horremus, sed amplectimur, effigie delectati: Sic vitiorum erudita pictura delectamur in Historicis ac Poetis.

Quemadmodum gemma Chalazias, etiam si in ignem conjiciatur, tamen nativum frigus suum retinet: Ita quidam sic frigent ad literas ac virtutem, ut nullis exemplis aut hortatibus inflammare possis.

Sicut Alexander Magnus vetuit ne quis se pingeret præter unum Apellem, aut ne quis se fingeret ære præter Lysippum, aut gemma sculperet præter Pyrgotelem, summos videlicet artifices: Ita non convenit Christum a quovis prædicari, aut virtutem a quovis laudari.

Ut gemma minutula quædam res est, sed ingentibus tamen saxis anteponitur: Sic homo pusillus, sed ingenio valens: aut sic Philosophia seu virtus ostentatione minimum quiddam est, sed precio maximum.

Ut æra Corinthia casus fecit, & pictoribus illis, equi & canis spumam, quas ars assequi non potuit, casus expressit: Ita multa forte obtingunt, quæ nullo consilio potueris efficere.

Nemo tam insanus, ut vel e Neronis capedine, quam Plinius trecentis sestertiis æstimat, venenum bibere malit, quam e Samio vasculo vinum innoxium: Ita qui sapit, malit salubria præcepta vivendi qualicunque sermone proposita, quam pestiferas opiniones ab eloquentissimo scriptore haurire.

Vitrum mire crystallum imitatur, res vilissima, rem longe preciosissimam: Ita assentatio amicitiam imitatur, res pessima longe optimam.

Ut crystalli fragmenta sarciri nullo modo possunt: Ita difficillimum eos reconciliare, qui ex arctissima familiaritate in mutuum odium venerint.

Ut natura gemmas altissime recondidit, vilia passim obvia sunt: Ita quæ sunt optima, paucissimis nota sunt, nec nisi summo studio eruuntur.

Ut succina paleas ad se trahunt; magnes ferrum, chrysocolla aurum: Ita quisque adsciscit sibi suis aptum moribus.

Ut indomita vis adamanti, unde & nomen additum gemmæ, adeo ut nec calescat igni, nec ferro cedat: quin magis ictum ita respuens, uti ferrum simul & incudes dissiliant: Sic sapientis animus adversus omnem fortunæ sævientis impetum invictus.

Quemadmodum adamas adversus omnia invictus, hircino sanguine, eoque calido ac recenti maceratus, malleo frangitur: Ita quædam ingenia nulla vi pervincas, blanditia emollienda sunt.

Adamas una re mollescit ad ictus ferri, alias indomitus: Ita nullum est ingenium tam ferum, quod non aliqua ratione queat expugnari.

Quemadmodum si ferrum inter adamantem ponas & magnetem, diverso nisu nunc huc, nunc illuc fertur: Ita dubius animus nunc ad honesta rapitur, nunc ad diversa trahitur affectibus.

Ut adamas si juxta magnetem ponatur, non patitur abstrahi ferrum, aut si admotus magnes apprehenderit, adamas e diverso rapit atque aufert: Ita pecuniæ studium dissidet cum Christiana pietate, & modis omnibus avocat, nec sinit adhærescere Christo.

Sicuti Nero Princeps gladiatorum pugnas smaragdo spectabat: Ita quidam malunt divorum imagines quam ipsos divos animo contemplari.

Uti ferrum aut chalybs cætera quidem duritie rigoreque superat, ab adamante vincitur: Ita res quidem potens est amor in liberos, sed hunc quoque superat pietas in Deum.

Ut adamas si frangi contingat malleis, in minutissimas dissilit crustas, adeo ut vix oculis cerni queant: Ita arctissima necessitudo siquando contingat dirimi, in summam vertitur simultatem: & ex arctissimis fœderibus, si semel rumpantur, maxima nascuntur diffidia. Aut supra modum incandescit semel victa lenitas.

Sicut animantia quædam etiam corporis partes amputant, ob quas periclitari sese sciunt, veluti fiber: Ita sapientis est aliquando facultatum jactura, vitæ consulere.

Quemadmodum in opalo gemma, multarum gemmarum dotes eminent, nempe carbunculi tenuior ignis, amethysti fulgens purpura, smaragdi virens mare, cunctaque hæc pariter incredibili mixtura lucentia, ita multorum virtutes in uno hoc eminent: aut in Sacris Literis simul invenitur, quicquid apud ullos Ethnicos scriptores placere potest.

Opalum gemmam indiscreta similitudine adulterant Indi, experimentum in sole tantum: Ita virtutes quædam vitia sic imitantur, ut difficillimum sit dignoscere, nisi ad summam lucem proferantur.

Carbunculi ignis & nomen & speciem habent, cum ignem non sentiant, unde & apyroti dicti: Ita quidam pietatis opinionem & imaginem obtinent, cum a re sint alienissimi.

Anthraciti carbunculorum generi peculiare est, ut conjectus in ignem, velut intermortuus exstinguatur, contra aquis perfusus, exardescat: Ita quosdam contraria movent: si exhorteris, magis languescunt: si dehorteris, magis accenduntur: si bene merearis, redduntur inimici: sin male, pluris te faciunt.

Iris gemma non nisi in opaco reddit colores arcus cœlestis, nec ita ut ipse habeat in se, sed parietibus illidat, in sole coloribus caret: Ita quidam varia virtutum simulacra præ se ferunt, sed in obscuro, & quod in se non habent, tamen in aliorum animis veluti repræsentant ac gignunt.

Ut his gemmis summum est precium, quæ non modo varietate colorum delectant oculos & nares odore, verumetiam ad remedia sunt efficaces: Sic his libris summum est precium, qui non solum habent orationis illecebras, verum & salubribus præceptis nos liberant animi vitiis.

Ut quidam gemmas quasdam secum ubique circumferunt adversus morbos, maleficia, ebrietatem, tonitrua, rui-

ruinas, cæteraque mala: Ita quædam Philosophiæ decreta semper ad manum habenda adversus incursuros animi morbos, libidinem, iracundiam, ambitionem, avariciam, & his consimiles.

Draconites nec poliri potest, nec artem admittit, alioqui elegans ac translucens: Ita Divina Scriptura suum habet nitorem, nec artificium Philosophiæ aut Rhetorices admittit.

Quædam gemmæ aceto maceratæ nitescunt, pleræque melle decoctæ: Ita quosdam meliores reddit acris objurgatio, quosdam admonitio blandior.

Facilius insculpes gemmis quæ voles, si terebra ferveat: Ita magis movebit Orator, si non solum acriter dicas, seu ferveat, & amet id quod laudat, oderit quod vituperat.

In Chio Dianæ facies est in sublimi posita, cujus vultus intrantibus tristis, exeuntibus exhilarata videtur: Ita sordidi quidam adeuntem amicum tristes accipiunt, timentes ne quid petat, aut ne sumptum id ferat conviva: at alacres dimittunt abeuntem.

Ut ingentes obelisci magno quidem negocio statuuntur & collocantur ob immensum molis pondus, sed collocati semel, infinitis durant seculis: Ita arduum est virtutis aut sapientiæ parare famam, sed parata nunquam intermoritur.

Ut ingentia pondera, quæ nullis hominum viribus tolli possunt, machinis facile tolluntur: Ita quod vi nequeas efficere, ratione & arte facile efficias.

Ut obeliscis prægrandibus tantum ferme substernitur intra terram, quantum exstat, ut immoti consistant: Ita semper mansuræ famæ magna firmaque fundamenta sint oportet.

Stulte Reges Ægyptiorum operam populi ac pecunias in substruendis pyramidibus consumebant, quæ nihil habebant præter stultam & ociosam ostentationem, cum idem in rebus utilibus fieri potuerit: Ita quidam elaborant in difficillimis cæterum infrugiferis, hoc ipsum præclarum existimantes, quod in laborioso negocio versantur.

Sicut pyramis quam Rhodope meretricula Æsopi conserva construxit pecunia corporis quæstu collecta, majori miraculo famaque fuit quam cæteræ Regum pyramides: Ita vehementius miramur, si quid recte faciunt, a quibus tale nihil exspectabatur: veluti si quis Hollandum videat peritum equitem: aut frugalem Anglum, aut Theologum eloquentem.

Ut labyrinthos non oportet ingredi sine filo, quo securus possis redire: Ita non est suscipiendum negocium, nisi prius perspecta ratione, qua te possis inde rursus explicare.

Ut in admirandis operibus, sed inutilibus, major est laus artificis, cujus arte res confecta est, quam Regis, cujus impendio: Ita belli gloria maxima ex parte penes militem est conductitium, quorum industria geritur res, minima pars ad Reges redit, qui aliena etiam pecunia militem conducunt.

Ut Dianæ Ephesiæ templum viginti annis a tota Asia tot Regum impendio, tot artificum ingeniis confectum, Herostratus obscurus homo nocte una poterat exurere: Ita facillimum est urbes egregias bello demoliri, at ædificare difficillimum.

Quemadmodum ædificia in palustri solo posita, nec terræmotu quatiuntur, nec hiatu absorbentur: Ita humilis fortuna non est maximis malis obnoxia.

Sicut echo non sonat nisi cum reddit acceptam vocem: Ita nonnulli quicquid in ipsos dicitur, in alterum regerunt, aut non habent quod dicant, nisi dicta referant aliena.

Ut Olympiæ porticus vocem acceptam arte septies reddit, unde heptaphonon oppidani vocant: Ita quosdam si uno tangas convitio, sexcenta regerunt: aut si paucis ad loquendum provoces, garriendi finem non faciunt.

Uti magnes non quidvis ad se trahit, sed ferrum duntaxat, cum sint alia multo leviora: Ita quorundam oratio non movet omnes, sed jam propensos ad id quod illi suadent.

Ut quidam magnetes ferrum attrahunt, at theamedes, qui in Æthiopia nascitur, ferrum abigit, respuitque: Ita est Musices genus, quod sedet affectus, est quod incitet.

Uti magnes occulta quadam & incognita vi ferrum ad se trahit: Ita sapientia secreta quadam ratione trahit ad se animos hominum.

Ut equus strigosus imputatur non equi culpæ, sed equisonibus: Ita populus male moratus Episcopis aut Principibus.

Ut magnes ad se trahit omne ferrum, sed Æthiopicus magnetem quoque alium ad se rapit: Ita Rex populum quo lubet, cogit: At ingens aliquis Rex etiam Regibus cæteris vim facit.

Gagates aqua infusa incenditur, oleo restinguitur: Ita quidam quo magis roges, magis frigescunt: si negligis, ultro cupiunt. Aut sunt quos officiis alienes, neglectu provoces ad amorem.

Ut lapis e Scyro fluctuat integer, sidit comminutus: Sic res discordia pessum eunt, concordia sustinentur.

Siphnius lapis oleo excalfactus durescit, alioqui mollissimus: Ita quosdam benefactis reddas deteriores.

Quemadmodum de Carthaginensibus dictum est, quod ad tecta pice, ad vina calce uterentur: Ita quidam præpostere rebus utuntur, amicis asperi, supplices inimicis. Carthaginenses pice linebant parietes, cum vasa picari soleant, & musta calce condiebant. Auctor Plinius.

Calx aquis accenditur: Ita quosdam contraria movent.

Gypso madido statim utendum, quod celerrime siccetur: Ita statim fingenda literis ac moribus ætas rudis, priusquam durior non admittat fingentis manum.

Gypsum etiam si jam induruit, tamen tundi rursum & in farinam resolvi potest: Simulatque semel induruit ingenium adolescentis ætate vitiisque, non potest refingi. *Dissimile.*

Ut vitrum quia pellucidum, nihil celat: Ita quidam nihil tegere, nihil dissimulare norunt, quicquid in animo est, id protinus omnibus palam est.

Ut iis qui cæcutientibus sunt oculis, quivis locus obscurus est, propterea quod caliginem secum in oculis circumferunt: Ita parum eruditis, omnis liber, ac stilus difficilis est, & obscurus.

Sicut ignis in omnibus officinis omnium artium & operum est instrumentum: Ita sine caritate nihil recte geritur.

Ut vitrum copia viluit, alioqui nec auro nec argento cessurum: Ita Sacerdotes ob turbam minoris fiunt, magno in precio futuri, si singulæ civitates singulos haberent Sacerdotes, ut olim.

Sicut primum pictura cœpit ab umbris & lineis, deinde monochromata, mox accessit lumen & umbræ una cum colorum varietate, donec ad summam artificii pervenit admirationem: Ita virtus in nobis non statim absoluta nascitur, sed paulatim quotidianis auctibus ad summum perducitur.

Ut non est optima imago, quæ materia testatur opes locatoris, aut artem pictoris, sed quæ rem proxime repræsentat: Ita optima est eloquentia quæ non ostentat ingenium dicentis, sed rem aptissime ostendit.

Ut Zeuxis picturus Junonem, Agrigentinis omnibus virginibus inspectis, quinque præcipuas elegit, ex quibus quod esset in unaquaque præcipuum, imitaretur: Ita e plurimis optimi nobis ad exemplum vitæ, aut dicendi proponendi sunt, nec in his tamen reddenda sunt omnia, sed optima.

Ut non quivis pictor quavis in parte artis valet, sed hic in Diis exprimendis præcipuus, alius in vultibus reddendis, alius in lineis excelluit, alius in colorum mixtura, alius in symmetria: Sic qui virtutem profitentur, aliis dotibus enitent alii, item in eloquentia seu literis.

Qui ex balneo calent, vehementius frigescunt, & aqua frigidior esse solet, quæ prius caluit: Ita vehementius sese oderunt, qui prius fuerunt amici, & sceleratiores sunt qui a pia vita ad impiam se transtulerunt.

Ut hieme media Alcyones summa fruuntur tranquillitate,

tate, & hanc etiam aliis communicant: Ita cum maxime sævit fortuna, tum maxime animi tranquillitate fruuntur pii, & hanc in alios quos possunt transfundunt.

Cum asinus ipse sit ἀμυσότατος, ex ossibus tamen hujus optimæ fiunt tibiæ, ut ait Æsopus apud Plutarchum: Ita divites quidam ipsi indocti, tamen pecunia sua suppeditant ingenium studiosis.

Plutarchus testatur se vidisse in Africa corvos, qui lapillos in aquam aggesserint, donec aqua eo surgeret, ut contingi posset: Idem narrat de cane conjiciente lapillos in amphoram oleariam: Ita nobis quod viribus diminutum erit, ingenio supplendum est.

Formicæ triticum arrodunt ea parte, qua germinare incipit, ne sibi reddatur inutile: Sic potentes quo ministris perpetuo utantur, premunt, ne si emerserint tædio servitutis, relinquant aulam.

Bucephalus Alexandri Magni equus, quoties nudus esset, equisonem in tergum admittebat, ornatus Regiis phaleris neminem ferebat nisi Regem ipsum, in reliquos omneis ferociebat: Ita quidam tenues quemvis ferunt, divites facti despiciunt vulgares.

Ut Timanthes qui Iphigeniam pinxit, cæterorum affectus expressit, Agamemnonis autem vultum velo obtexit: Ita quædam melius relinquuntur suo cuique judicio æstimanda, quam verbis explicantur.

Ut laudatur in hoc Timanthes, quod in omnibus ejus operibus plus semper intelligitur, quam pingitur: Ita optimum orationis genus, in quo plurima cogitationi relinquuntur, pauca narrantur, & plus inest sensuum, quam verborum.

Notatus Protogenes, alioqui summus in pictura artifex, quod nesciret manum tollere de tabula: Ita quidam scriptores immodica diligentia peccant, quibus nihil unquam satis emendatum videtur.

Quemadmodum Protogenes pictor Apellem ex unica linea cognovit, nunquam alioqui visum: Ita ex unico responso ingenium & prudentiam viri deprehendet, qui sit ipse sapiens.

Ut Apelles pictor queri solitus est, perisse diem in quo non duxisset lineam: Ita Christianus dolebit, si quo die non evasit seipso melior in pietate.

Ut signa quædam argillacea summo in pretio fuerunt, ob admirationem artis: Ita nonnunquam res humiles ac nihili, ingenium Oratoris commendat.

Ut gypsum, aut argilla dum est uda, in quamvis imaginem facile sequitur fingentis manum: Ita rudes animi ad omnem disciplinam sunt idonei.

Ut quod majore negocio chalybi aut marmori insculpseris, durat diutius: Ita quod majore studio discimus, nunquam obliviscimur.

Ut illud opus est laudatissimum, in quo simul & ars commendat materiam, & materia vicissim artem: Ita liber est optimus, in quo & argumenti utilitas commendat eloquentiam, & auctoris facundia commendat argumentum.

Accius Poeta cum esset ipse admodum brevis, tamen in æde Camœnarum maxima forma statuam sibi posuit: Ita quidam re viles & humiles ambitione fucoque dilatant sese.

Ut Perillus qui Phalaridi taurum donavit æneum suo periit invento: Sic aliquoties malum consilium in caput auctoris redundat.

Ut Philosophus missa lingua victimæ, rem simul & optimam & pessimam misit: Sic opes optimæ sunt si recte utaris, pessime si secus.

Ut non ipse solum magnes attrahit, verumetiam aliud ferrum ad se trahit ferrum magneti affrictum: Ita contagio vis virtutis, aut improbitatis pernicies, ab alio in alium transit.

Ut a Seribus mollissima vellera, & ab iisdem durissimum ferrum mittitur: Sic a quibusdam diversa proficiscuntur.

Ut carboni semel exstincto suffocatoque, si denuo flagret, major est vis: Ita semel sopitum odium, si rursum excandescat acrius est.

Sicuti terra quæ auri aut argenti venas habet, in cæteris fere sterilis esse consuevit: Ita qui congerendo student auro, ejusque metalla jam conceperunt in animo, nullam bonæ rei frugem producere consueverunt.

Raro auri & argenti vena reperitur, nisi alia non procul sit, unde & Græci nomen indidere: Ita nulla virtus solitaria est, sed alia aliam adjungit.

Argentum cum sit candidum, nigras tamen ducit lineas, ut stannum: Ita quorundam alia species est, alia facta.

In argento vivo omnia natant, excepto auro, nam hoc unum ad se trahit: Ita nihil incidit animo avari, præter lucrum: disciplinæ, literæ, probitas in summo fluitant, non descendunt in pectus.

Ut rem eandem diversa specula varie reddunt, pro forma speculorum diversa: Sic idem factum, diversi varie interpretantur, pro animorum varietate, quod huic magnum est, illi parvum: quod huic pulchrum, illi fœdum erit.

Ut speculum non reddit imaginem, nisi substernas vitro stannum, aut æs, aut aurum, aut simile quippiam solidum, quod imaginem non sinat perfluere: Ita non nisi in animis solidis, & vera virtute nixis, relucet imago veri.

Ut sunt quidam fontes, qui potu pecudum, atque etiam hominum cutem & pilos tingunt albo, nigrove: Ita relucet etiam in ipso hominis vultu & fronte, quod ajunt, quibus præceptis imbutus sit, & quibus ex auctoribus hauriat vitæ rationem.

Gallus Phrygiæ fluvius, si modice bibas, medetur corporis malis, si immodice, lymphatum animum agit: Ita si Philosophiæ literas modice attingas prosunt, sin totum te illi addixeris studio, sanitatem mentis auferunt, & inanis gloriæ furore quodam præcipitem agunt.

In Bœotia, ad Trophonium Deum juxta flumen Orchomenon, duo sunt fontes, quorum alter memoriam, alter oblivionem adfert: Ita fere magno alicui bono magni mali periculum est vicinum.

Ut qui sapiunt, non statim e quovis bibunt fonte, propterea quod alii salutem adferunt, alii perniciem, nonnulli furorem: Ita non est tutum quemvis librum evolvere, quod ex aliis haurias affectum animi bonum, ex aliis libidinem aut ambitionis insaniam trahas.

Qui biberint ex Clitorio lacu, iis vini tædium oboritur: Ita qui semel gustarint Poeticen, abhorrent a Philosophiæ præceptis, aut contra: sive qui se mundanis voluptatibus ingurgitant, abhorrent ab honestis illis, ac veris oblectamentis.

Apud Troglodytas lacus est, qui ter in die fit amarus aut salsus, ac rursum dulcis, totiesque etiam nocte, unde & insanus dictus: Sic quidam inæquales, nunc asperi, nunc sunt blandi, aliquando profusi, mox sordidi, jam vehementer amant, jam supra modum oderunt.

Periculosiores sunt fontes, qui lympidis aquis blandientes oculis, tamen perniciem adferunt, minus formidandi, qui ipsa specie testantur aquas esse fugiendas: Ita difficilius vitantur mala, quæ boni prætextu fallunt.

Sicuti terra quæ venas aquarum occultat, nebulam quandam exhalat ante solis ortum, longius intuentibus: Ita qui vere boni sunt & eruditi, etiam si non ostentent, tamen semper aliquid ex se produnt, unde qui observet, deprehendere possit subesse vim boni.

In Narniensi agro terra imbre fit siccior, æstu humescit, unde Cicero jocatur illic ex imbre pulverem, ex siccitate fieri lutum: Ita quosdam admonitio reddit deteriores.

Garus ambusta & infusa medetur malis, sed si interim Garum non nomines: Ita quædam beneficia, beneficia non sunt, si commemores.

Terra quæ gignit salem, nihil aliud gignit: Sic ingenia fœcunda in literis, in cæteris fere rebus non perinde valent.

Fons in quo nitrum nascitur, nec aliud quicquam gignit, nec alit: Ita sapientiæ studium, totum hominis animum sibi vendicat.

Spongiis adeo tenues sunt sensuum notæ, ut multi dubitent animalia sint, nec ne: Ita quorundam is cultus est, is sermo, ea vita, ut dubites Christiani sint, an Ethnici.

Sicut sal modice cibis aspersus condit, & gratiam saporis addit: Ita si paulum antiquitatis aut joci admiscueris, oratio fiet venustior, si plus satis, nihil insuavius.

Quemadmodum echeneis sive remora piscis perpusillus (est autem magnæ limaci similis) quamvis magnam navim velis ac remis incitatam subito sistit: Ita scortulum aliquoties adamatum ingentes animi ad honesta impetus retinet alligatque.

Torpedo piscis haud nocet nisi contactu, sed virus suum etiam ab ære per linum, & arundinis internodia ad piscatoris manum mire transmittit: Sic improbi ac pestilentes haud nocent, si nihil cum illis habeas commercii, verum quacunque consuetudine contacti morum venena afflant.

Lepus piscis homini certissimum est venenum, & homo vicissim illi, adeo ut vel digitulo contactus, statim emoriatur: Ita hostes mutuam utrinque perniciem dant, & accipiunt.

In nassam facilis illapsus est, sed exitus difficilis: Sic declive iter in vitia, reditus ad meliorem frugem non perinde facilis.

Murena fuste non potest interimi, ferula protinus: Ita quosdam leve incommodum exanimat, ut convicium, qui gravissimas fortunæ procellas infracto tulerunt animo.

Murena non in capite, sed in cauda animam habet: Ita quod carissimum est, non ibi recondendum, ubi statim periculis sit obnoxium.

Ut pisces in mari nati educatique, nihil tamen sapiunt salis marini: Ita quidam inter barbaros geniti & educati, longe absunt ab omni barbarie.

Ut Magi, verbis etiam non intellectis, prodigiosa quædam efficiunt: Ita Sacerdotes nonnulli precibus non intellectis, bona tamen fide pronunciatis, Deum conciliant ac movent.

Ut Apion Homerum ab inferis evocatum, nihil aliud interrogavit, quam quibus parentibus genitus esset: Sic quidam gravissimorum virorum concilio convocato, de meris nugis consulunt.

Ut Magi prodigiosa quædam promittunt, iisque promissis vulgus credulum alliciunt: Ita Principes maximarum rerum spes ostentant, ut sibi reddant addictos.

Ut in Magicis artibus vulgus hoc magis admiratur, quo minus percipiunt rationem, cur illa aut illa tam absurda præscribantur: Ita quidam magis admirantur stilum aut carmen quod non intelligunt.

Quemadmodum Medici quo doctiores videantur, diversas rerum species ex diversis mundi partibus petitas, inter se commiscent: Ita quidam ostentatores orationem parum eruditam videri credunt, nisi jus Cæsareum ac Pontificum, Poetas, Oratores, Philosophos, Sophistas simul commiscuerint, & pluribus auctoribus ac literis consarcinaverint, quam Mithridaticum ferunt fuisse concinnatum. Id constabat quinquaginta quatuor diversis rerum generibus.

Ut periculosum est Dæmones evocare, propterea quod si quid erratum fuerit, magno conantis discrimine fiat. Nam ajunt Tullum Hostilium ictum fulmine, quod ex Numæ libris Jovem devocare conatus, quædam parum rite fecisset: Ita periculosum est cum Principibus habere commercium, aut cum morosis potentibus, quod offensi re qualibet levi, funditus subvertant hominem.

Quemadmodum Magi sibi conscii fucum esse quod promittunt prodigiosis quibusdam ac præscriptis cærimoniis dementant ac territant infirmiores: Ita quidam Sacerdotes cum procul absint a vera pietate, cærimoniis involvunt indoctos, quo plebem sibi magis habeant obnoxiam.

Ut auguria & auspicia non valent nisi iis, qui quærunt & observant: Ita præcepta Philosophiæ non mutant nisi hos qui meliores fieri student, & hoc animo ad legendum accesserint.

Crocodilus invictum alioqui & perniciosum animal, tamen Tentyritas adeo metuit, ut ad vocem etiam expavescat: Ita tyranni cum omnes contemnant, tamen eruditorum literas subtiment.

Ut quorundam hominum etiam adspectus fascinum habet: Ita sunt quorum omnis vitæ consuetudo mores inficit.

Ut Psylli non solum ipsi non læduntur a serpentibus, verum ex aliis venenum exsugunt: Ita vere Philosophus non modo ipse non tangitur vitiis, sed aliorum quoque morbis, oratione, vitaque sua medetur.

Semel icti a scorpio, nunquam postea vespis, crabronibus, aut apibus feriuntur: Ita nullum est incommodum, quod non commoditatis aliquid habeat adjunctum.

Ut qui a cane rabido morsi sunt, non solum rabiunt ipsi, verumetiam alios contagio inficiunt: Ita qui pestilentem alicunde imbiberint opinionem, & alios suis inficiunt colloquiis.

Ut efficacissima remedia nata sunt ex morbis pessimis: Ita bonæ leges ex malis prognatæ sunt moribus.

Sicut ex vipera, crocodilo, cæterisque nocentissimis bestiis Medici remedia quædam adversus venenorum noxam ac morbos efficacia quærunt: Ita animadversio in nocentes, multos vel arcet, vel revocat a facinoribus.

Crocodilus anceps animal, nunc in terris agit, nunc in aquis: in terra ponit ova, in aqua prædatur & insidiatur: Ita quidam simul & aulici sunt, & ecclesiastici, utrobique pestilentes.

Chamæleon quia pavidissimum animal, subinde colorem mutat: Ita qui viribus non pollent, ad varias artes confugiant necesse est.

Lynces clarissime omnium animantium cernunt, sed mira illis oblivio rei ab oculis semotæ: Ita quidam acri ingenio, sed obliviosi.

Quædam remedia tristiora sunt ipso morbo, ut satius sit oppetere mortem, quam his aucupari salutem: velut sugere sanguinem e vulnere recenti gladiatorum morientium: Ita quandoque satius est ferre injuriam, quam majore incommodo ulcisci: ferre pacem, etiamsi parum commodam aut æquam, quam bellum cum immensis malis suscipere.

Scorpius letale venenum habet, aconitum letalius, tamen hoc in potu datum adversus scorpiorum ictus remedium habet: Ita dum venenum cum veneno colluctatur, servatur homo: Itidem duorum pestilentium civium discordia, nonnunquam Reipublicæ saluti est.

Aconitum etiam contactu necat: Ita quorundam convictus protinus inficit, aut si vel tantillum cum illis inceptes commercii.

Olim in Capitolio certabant quadrigæ Latinis feriis, victor absinthium bibebat: Ita salubria magis quærenda sunt quam jucunda.

Sorba quæ magis blandiuntur specie, venenum habent: Ita blandiores amici magis cavendi, quam tristes atque asperi.

Empetron herba, Latine calcifraga, quo propius abest a mari, hoc minus est salsa: quo longius, hoc amarior est: Ita quidam apud Gallos Germaniam spirant, apud Germanos Galliam, & quo longius absunt hoc magis referunt eam gentem.

Ut optima remedia maxime perniciem adferunt, nisi apte sumantur: Ita Christi Sacramenta salutaria recte sumentibus, letalia indigne accipientibus.

Herbæ salutares consuetudine perdunt medendi vim: Ita admonitio si assidua fit, non emendat assuetum jam objurgationibus.

Ut qui ante venenum sumunt antidotum, non læduntur veneno: Sic qui salubribus opinionibus ac decretis confirmarint animum, non inficientur oratione malorum, si forte in eos inciderint.

Ut Mithridati quotidie sumenti venenum, consuetudine factum est innoxium: Ita mala quibus assueveris, non offendunt.

Ut suus cuique morbus videtur atrocissimus: Ita suum cuique incommodum maxime dolet.

Ut herba moly difficile quidem effoditur, sed ad remedia præter cæteras efficax est: Ita quæ præclara sunt non contingunt nisi magno negocio.

Ut inter salutares herbas nascuntur & venena: Ita ex auctoribus quæ recte dixerint sunt excerpenda.

Ut elleborum concitatis intus omnibus, ipsum in primis

mis exit: Ita dux fortis adhortatus suos inter primos prodit in hostem, velut inquit Herophilus, auctore Plinio.

A

Ut elleborum si parcius sumas, magis offendit quod inhæreat visceribus, inficiatque corpus: sin copiosius, erumpat celerius: Ita non est objurgandus amicus, nisi ea vehementia, quæ vitio liberet illius animum. Nam levior expostulatio contristat amicitiam nullo fructu.

Uti elleborum tametsi efficax, tamen Medici vetant dari senibus, aut pueris, aut exilibus: Ita admonitio sic est temperanda, ut ferre possit quem velis emendare, nec solum spectandum est vitium, sed natura quoque ejus cujus vitio studeas mederi.

Ut vulgus ineptum magno labore, magnoque impendio remedia ab extremis Indis, aut Æthiopibus petunt, cum in hortis nobis nascatur, quo morbis mederi possimus: Ita præsidia beatæ vitæ magno molimine foris quærimus, in imperiis, in opibus, in voluptatibus, cum in animo sit, quod nos beatos efficiat.

B

Climenos herba ita morbo medetur, ut sterilitatem adferat etiam in viris: Ita quidam malum aliquod ita profligant, ut aliud diversum admittant.

Minor vis inest in radicibus herbarum salubrium cum semen maturescit: Ita deterior fit ingenii naturæque vis, quoties liberis gignendis datur opera.

Herbam canariam canis ita mandit, ut homo non cernat nisi depastam & percussus a serpente aliam quandam petit, sed eam non decerpit inspectante homine: Ita quidam disciplinas a se repertas celant, ne prosint & aliis.

C

Lotos quam Latini fabam Græcam vocant, ramenta ligni habet amarissima, fructum dulcissimum: Ita conatus ad summam virtutem durus est, fructu nihil suavius.

Ut vitis refugit brassicam, quercus abhorret ab olea, multo magis autem a nuce juglande. (Nam vitis cum omnia complectatur, solam brassicam declinat, quercus si in scrobem oleæ depacta fuerit, emoritur: eadem & juxta nucem juglandem inarescit.) Sic inter quasdam nationes naturale dissidium est, ut nullo pacto queant coalescere concordia: ut inter hos fere, quos Mare aut Alpes dirimerunt.

Ut Damocrates Medicus Considiæ mulieri, omnem curationem austeram recusanti, lac caprarum dedit, quas lentisco pascebat: Sic iis qui prorsus a tetricis Philosophiæ præceptis abhorrent, fabellæ quædam amoeniores proponendæ, sed quæ Philosophiam resipiant.

D

Ferula solis asinis gratissimum est pabulum, cæteris animantibus præsentaneum venenum: Ita sæpe quod alios offendit, aliis voluptati est.

Hedera pota nervis nocet, eadem foris adhibita prodest: Sic Philosophiam si penitus imbibas, nocet ad pietatem, si leviter & veluti foris admoveas, prodest ad eruditionem.

Arundinis radix contrita & imposita, filicis stirpem corpore extrahit. Item arundinem filicis radix: Ita vicissim & pecuniæ studium eximit animis amorem sapientiæ, & sapientia studium pecuniæ.

E

Rhododaphnes arboris folia quadrupedibus venena sunt, hominibus præsidia adversus serpentes: Ita divinæ literæ sobriis ac prudentibus salutarem præbent alimoniam, stultis autem & impiis hæreseos, & majoris impietatis ministrant occasionem.

Ut quod nulla vi efficias, id aliquoties fit herbæ succo, si modo quam oportet adhibeas: Ita quosdam magis permoveris apta quam violenta oratione.

Vino modico nervi & oculi juvantur, eodem copiosiore læduntur: Sic literis modice gustatis adjuvatur vita, eadem læditur, si quis immodice incumbat.

F

Sicuti vina & poma subacerba, vetustate mitescunt, dulcescuntque: Sic ætatis insolentia longo rerum usu mitigatur.

Chamæleon herba mutat foliorum colores, cum terra in qua nascitur: hic nigra, illic viridis, alibi cyanea, alibi crocea, & aliis, aliisque coloribus: Ita convenit hominem pro loco, in quo agit, vitæ habitum commutare.

Quemadmodum heliotropium herba, semper in eam spectat partem, qua sol est, & eo condito, florem contrahit: Sic nonnulli ad Regis omnes nutus obsecundant, & in quodcunque viderint illum esse propensum, in id feruntur & ipsi.

Adianton herbam etiam si perfundas aqua, aut immergas, tamen siccæ similis est: Ita in virum bonum non hæret contumelia, aut infamia, etiam si quis infamare conetur.

Ut in rerum natura quæ spectatissime florent celerrime marcescunt, veluti rosæ, lilia, violæ, cum alia durent: Ita in hominum vita quæ florentissima sunt, citissime vertuntur in diversum.

Ut rosa, flos unus omnium longe gratissimus, de spinis nascitur: Sic e tristibus, & asperis laboribus fructus capitur jucundissimus.

Crocum gaudet calcari, premendoque melius provenit: unde juxta semitas, & fontes lætissimum est: Ita virtus adversis exercita rebus, lætius emicat.

Ut nihil insidiosius melle venenato: (nam sunt quædam hujusmodi) Ita nihil magis cavendum quam blandus hostis.

Urtica sine aculeis adurit, ac vulnerat sola lanugine, soloque contactu: Ita quidam non aperta vi, sed clanculum nocent.

Quemadmodum urtica, si cunctanter attingas ac timide, adurit: sin premas tota manu, non adurit: Ita pecunia, si cautim circumspectimque tractes, inficiet: sin contemptim ac neglectim innoxia est.

Ut radix, quam Medici vulgo Rebarbarum vocant, cum sit biliosa, tamen peculiari quadam vi bilem pellit: Ita fit nonnunquam, ut amor pellat amorem, ceu clavus clavum, ira iram, & dolor dolorem.

Ut est quædam venenorum contraria natura, sic ut sæpenumero venenum veneno pellatur: Sic vitium vitio pellitur, & malus malo objicitur.

Ut tutissimum est in trifolio cubare, quod in hac herba negent serpentem aspici: Ita in his versandum libris, in quibus nulla venena timentur.

Quemadmodum panace herba, una contra morbos omneis habet remedium: Ita Christi mors una adversum omneis cupiditates noxias efficax est.

Ut nepentes herba, ab Homero prædicata, addita poculis, omnem convivii tristitiam discutit: Ita bona mens insita nobis, omnem vitæ sollicitudinem abolet.

Ut acetum acre quidem gustu, sed adversus serpentium ictus mire valet: Ita præcepta Philosophiæ austera quidem illa, minimeque blanda, sed contra pestiferas animi cupiditates remedium adferunt præsentaneum.

Medici vetant uti Halicaccabo, quanquam dentibus firmandis prodest, si ejus succo colluantur: propterea quod periculum est, ne si diutius id fiat, delirationem gignat, & plus adferat incommodi quam commodi: Ita non est utendum his literis, quæ sic linguam expoliunt, ut mores inficiant: aut non convenit sequi, quæ sic augent rem, ut famam lædant.

Sicuti nasturtium ad Venerem quidem reddit segniorem, sed animi vim acuit: Ita Philosophiæ studium corporis curam ac vigorem traducit, ut hoc plus sapiat homo in rebus æternis, quo magis stupet ad ista corporea, crassaque.

Quemadmodum in superioris Libyæ populis, quoniam mulieres communes sunt, ut in Politicis testatur Aristoteles, filios juxta similitudinem formarum partiuntur: Ita confusis operum titulis, stili similitudinem, & orationis phrasin oportet spectare.

Ut qui Comœdos audiunt, non ob hoc audiunt, ut ipsi Comœdi fiant, sed ut voluptatem capiant: Ita nunc permulti concionantem audiunt, non ut imitatione meliores fiant, sed uti delectentur.

Ut Pharmacopolæ bracteis aureis tegunt remedia quædam, quo pluris vendant: Ita quidam lenocinio verborum nihil ad rem pertinentium, rem commendari putant.

Sicut unda undam perpetuo propellit: Ita dies diem trudit.

Ut a currente flumine tantum habes, quantum hauris: Ita ex annis semper euntibus nihil accipis, nisi quod in res duraturas collocaris.

Luna semel exstincta subinde renascitur, & ubi consenuit rejuvenescit: At homo nec renascitur mortuus, nec repubescit senex. *Dissimile.*

Post hiemem denuo recurrit ver: At post senectam nulla recurrit juventa.

Sol post occubitum redit novus, homo non item. *Dissimile.*

Ut stultum sit relictis fontibus consectari rivulos: Ita ineptum

eptum est, relictis Euangeliis, Lyræ, & similium somnia sequi.

A

Ut maximi Medici, minores quoque morbos optime sanant: Ita doctissimi præceptores, & minima optime docent.

Ut lamiæ domi cæcutientes, foris nihil non vident: Ita quidam in alienis negociis plus satis oculati, in suis parum perspiciunt.

Ut impendio malignus sit, qui fontem scatentem obtegat, aut solem obradiantem prohibeat, aut lumen recuset de suo lumine accendere, aut viam monstrare gravetur: Ita vehementer sit inhumanus, qui prodesse nolit citra ullum suum incommodum.

Ut equæ conspecta in aquis forma sua, aguntur in rabiem, auctore Columella: Ita quidam nimium admirantes sua, ad insaniam usque redduntur insolentes.

B

Ut bonaso cornua oneri sunt tantum, nulli autem usui, adeo sunt in se reflexa: Ita Sophistæ Dialecticen habent, sed qua neminem revincere possint, adeo est intorta.

Pardus odoris gratia allectas feras invadit, atque occidit: Ita quidam blandiloquentia irretitos fallunt, ac perdunt. Sic Principum aulæ habent, nescio quid blandum, quod invitet in perniciem.

Qui tigridis catulos rapuit, bene secum agi putat, si vel unum insequenti matri auferat impune: Ita qui alienam invasit possessionem, etiam si cogatur reddere, lucrum tamen facit, si vel portionem aliquam retineat.

In pantheris quod speciosissimum esse oportuit, id celandum est, ut placeat, reliquo corpore maculis picturato: Ita in quibusdam omnia placent, præter vitam, quod est totius negocii caput.

C

Ut Tarandi cutis ferro impenetrabilis: Ita quosdam nihil queas dictis lædere.

Hyene sicut & Ichneumon, nunc mas est, nunc fœmina: Ita quidam sui dissimiles, nunc fortia loquuntur, nunc mollia, nunc Philosophi sunt, nunc nepotes, nunc amici, nunc inimici.

Ut Aspalacus non nisi apud Bœotios vivit ubi nascitur, alio translatus perit: Ita quidam peregre vivere non possunt, nulla instructi arte.

Chamæleon quoniam aura pascitur non cibo, semper hianti est ore: Ita qui gloriolis & auris aluntur popularibus, semper aliquid captant quod famam augeat.

D

Amphisbena serpens utrinque caput habet, & utralibet corporis parte pro cauda utitur: Ita quidam ancipites, nunc hac, nunc diversa ratione se tuentur, & cum est commodum ad ecclesiasticam libertatem confugiunt, cum visum est, Principum prætextu rem gerunt, canonum obliti.

Porphyrius serpens venenum habet, sed quoniam edentulus est, sibi habet: Ita quidam male cogitant, sed quod desit facultas, nemini nocent.

Ut palma quia cortice sit cultellato, difficilis quidem est adscensu, sed fructum habet dulcissimum: Itidem eruditio & virtus aditum habent difficilem, sed fructum dulcissimum.

E

Sicuti mundus undique teres, ac rotundus sibi constat: Ita sapiens nihil extra se quærit, seipso contentus.

Ut stultissimum est, cum hujus mundi, in quo nati sumus, naturam cognoscere non possimus, alios innumerabiles mundos foris quærere: Ita absurdum est neglectis rebus domesticis, de alienis esse sollicitum & curiosum.

Sicuti Deus cum nihil non videat, nihil tamen videnti similis est: Ita Princeps nihil ignorare debet, multa dissimulare.

Ut Deus plurimum sapiens, & intelligens minimum loquitur: Ita sapiens non nisi necessaria loquetur.

Sicut ex contrariis elementis mira harmonia temperatus est mundus: Ita diversis hominum studiis constat Respublica.

F

Ut Deus quo nihil est melius, minime apparet: Ita quod est in homine optimum, nempe mens bona, maxime latet.

Ut unus Deus administrat universa, sed qui sit optimus ac sapientissimus: Ita Monarcha res sit saluberrima, si detur Deo similis.

Ut orbium diversus in contraria nisus, motum omnium temperat: Ita senum contatio, juvenum in Republica fervorem, ac præcipitantiam moderatur.

Ut sol non alius est pauperi, alius diviti, sed omnibus communis: Ita Princeps personam spectare non debet, sed rem.

Ut idem sol ceram liquefacit, & lutum indurat: Ita eadem oratio alios reddet meliores, alios deteriores, pro ingeniorum varietate.

Quemadmodum Luna quo propior est Soli, hoc minus habet luminis: Ita plus fructus ac dignitatis est iis, qui procul absunt a magnis Principibus.

Uti Solis defectus magnam mortalium perniciem trahit: Ita Regis error etiam levis, magnam tamen in rebus humanis gignit perturbationem.

Sicut Mercurius quam minimo spacio discedit a Sole, licet alioqui vagus & errabundus: Ita non oportet longius ab honesto discedere sapientem.

Ut cometes novus apparens, aut magnum bonum, aut ingens malum portendit mortalibus: Ita novus Princeps salutem adfert rebus humanis si bonus est, maximam pestem, si malus.

Ut plures apparere Soles prodigium est: Ita plures esse Monarchas, aut Imperatores.

Ut Luna quod luminis accepit a Sole, mundo refundit: Ita donum a Deo acceptum, in commodum aliorum est conferendum.

Ut Castoris & Pollucis faces si solitariæ appareant, dirum est ostentum: sin geminæ, salutare: Ita non oportet potentiam esse sejunctam a sapientia, alioqui pestilentem.

Ut Saturnus qui ex septem erronibus summum tenet locum, tardissime circumagitur: Ita qui in summa constituti sunt potestate, quam minime præcipites oportet esse.

Ut stellæ subito natæ, subito item evanescunt, aut decidunt: Ita qui repente subvehuntur ad summos honores, cito præcipitari solent.

Ut canicula pestilens est omnibus sydus: Ita Principis mali potestas omnibus nocet.

Luna præcipue movet inferiora, non quod efficacior, sed quia propior: Ita multum habet momenti ad res conficiendas vicinitas.

Ut bruta fulmina montes feriunt irrito ictu: Ita stulta potentia suas vires, in quod nihil opus est consumit.

Ut Africæ Auster serenus est, Aquilo nubilus, præter aliarum regionum naturam: Ita quidam cum regione mutant ingenium ac mores.

Sicuti nec Ægyptus ob calorem, nec Scythia ob rigorem sentit fulmina: Ita vel ingens potentia, vel extrema fortunæ humilitas, tutum reddit a contumeliis.

Ut autumno aut vere maxime fulgurat, minus hieme aut æstate: Ita mediocris fortunæ celsitudo, ictibus obnoxia est.

Ut quædam fulmina æs ac ferrum liquefaciunt, ne cera quidem confusa: Ita Divina vis, aut Regia potestas in obsistentes sævit, mollibus parcit & cedentibus.

Ut non solum stultum est, verumetiam periculosum evocare fulmina: Ita dementia est Reges ad se accersere, qui non nisi magno nostro malo provocantur.

Uti fulmen quodcunque animal protinus occidit excepto homine: Ita fortunæ procellæ indoctos, ac brutos protinus animo dejiciunt, sapientem non item.

Qui in altis sunt specubus, a fulmine non feriuntur: Ita infima fortuna tutissima est.

Sicut aliquando tonat sine fulgetris, idque tonitru terrorem habet, periculo vacat: Ita quorundam minæ terrent, non nocent.

Hypanis fluvius, Scythicorum amnium princeps, per se purus & dulcis, circa Callipodas Exampeo fonte amaro inficitur, atque ita dissimilis sui in mare conditur: de quo quidem est illud Solini elogium: Qui in principiis eum norunt, prædicant: qui in fine experti sunt, non injuria execrantur: Ita quidam initio blandi & amici, postea longe dissimiles sui reperiuntur.

Ut attagen alias vocalis, captus obmutescit: Ita quibusdam servitus adimit vocem, qui liberi loquebantur. Aut sponte loquuntur, aut canunt nonnulli, si cogas, reticescunt.

Memoria similis reti; quod majora continet, minuta transmittit.

Ut arbor excisa repullulat, evulsa non refruticatur: Ita malum si penitus tollatur, non renascitur.

Ut avibus pennas accidimus, ne longius avolent: Ita quibusdam opes & auctoritatem, ne se tollant in altum.

Ut

Ut accisæ pennæ tempore renascuntur: Ita nisi assidue premas, renascitur potentia. A

Ut qui Chirurgi manus horrent, diæta curantur: Ita qui asperiora non ferunt remedia, levioribus remediis sunt corrigendi.

Ut si Venerem suam Apelles, aut si Protogenes Hialysum illum suum cœno oblitum videret, magnum acciperet dolorem: Ita si quis conspiciat eum corruptum, quem ad bonos mores instituisset: aut ignominiis affectum, quem ornasset honoribus, iniquo animo ferret.

Ut mulieres ob hoc ipsum bene olent, quia nihil olent, & in quibusdam delectat cultus neglectus: Ita Theologica oratio hoc ipso videtur ornatior, quod ornamenta neglexit.

Ut magis est probanda Medicina, quæ vitiosas corporis partes sanat, quam quæ exurit: Ita melior est magistratus qui cives improbos corrigit, quam qui tollit e medio. B

Ut apud Jureconsultos etiam qui frigidam suffundunt, simili notantur infamia: Ita culpandus qui ad turpia hortatur, non is solum qui turpia facit.

Ut qui parant statuam facere: prius rude quoddam simulacrum fingunt e trunco: postea dolant ac poliunt: Ita qui orationem aut librum instituit.

Ut callus tempore factus adimit sensum: Ita diutina mali consuetudo facit, ut levius feramus.

Ut natura non est eadem omnibus locis, neque flatuum, nec maris, nec pluviæ, nec arborum, nec animantium: Ita non oportet hominem ubivis eundem esse, sed cum loco ac tempore variari. C

Ut Euripus in Eubœa septies in die defluit, ac toties refluit mira celeritate. At idem tribus diebus unoquoque mense stat immotus, septima, octava, nonaque luna: Ita quidam inæquales sibi, aut nimium præcipites sunt, aut nimium lenti, in utramque partem plus satis vehementes.

Ut æstum maris, auctus aut detrimenta lunæ magis sentiunt imbecilliora corpora: Ita rebus contrariis vehementius commovetur animus, minus sibi constans, & affectibus vitiatus.

Ut conchylia crescente luna augescunt, decrescente macrescunt: Ita stultus a fortuna pendens, nunc magnus est, nunc pusillus, nunc elatus, nunc supplex, utcunque Rhamnusia mutaverit sese. D

Ut aqua maris in imo dulcior est quam in summo: Ita quo altius penetres in Philosophiam, hoc minus habet amaritudinis.

Tradunt Physici veteres, solem marinis aquis pasci, lunam dulcibus: Ita sapientes amara quærunt, modo utilia: stulti quæ delectant modo, sectantur.

Quidam fluvii per medios lacus erumpunt, ut illis non misceantur, sed iidem eadem aquarum magnitudine post multa passuum millia exeunt, qua fuerant in[illegible]: Ita si in vitiosam incideris civitatem, ita ad tempus utendum hospitio, ut idem exeas qui veneris.

In Asphaltite Judææ lacu, item in Aritissa Armeniæ Majoris nihil mergi potest: Ita quidam quicquid commiseris, in propatulo gerunt, neque quicquam celare possunt. E

Ut aqua marina ad potum inutilis, melius sustinet navem quam fluvialis dulcis & potui aptior: Ita suum unaquæque res usum habet, si quis utatur ad id quod oportet.

In Dodona Jovis fons cum sit gelidus, & immersas faces exstinguat, si admoveris exstinctas, accendit: Ita Christus si cupiditatibus flagrantem attigerit, sedat ac refrigerat: si dejectum & exanimatum, erigit & animosum reddit.

Lyncestis aqua, quæ vocatur Acidula, non secus ac vinum temulentos reddit: Ita quosdam etiam sua paupertas & inscitia reddit feroces & improbos. Eadem enim vitia e diversis nascuntur causis, ut ex scientia arrogantia, eadem ex ignorantia. F

Tirrhenus lapis quamvis grandis innatat, comminutus sidit: Ita concordia sustinemur, discordia pessum imus.

Ut oleum infusum tranquillat mare, & lucem addit: Ita Philosophia componit animi motus, & ignorantiæ caliginem discutit.

Ut ad naphtham (id est, bituminis genus) etiam procul visam ignes transiliunt ob naturæ cognationem: Ita ingenia literis nata, statim eas arripiunt.

Ajunt ignem Chimeræ montis semper ardentis, aqua accendi, fœno restingui: Ita quosdam quo magis ores, minus commoveas: si dehorteris, ultro volunt.

Ut aquæ salinæ, pluvia incidente, dulciores sunt cæteris aquis: Ita meliores solent esse, quos e diversa vita mutaverit divinæ gratiæ influxus, veluti Paulus.

Ut canes Melitæi potissimum in deliciis sunt opulentis ac potentibus fœminis: Ita Principes effœminati deliciis, plurimi faciunt adulatores, & ad gratiam omnia tum loquentes, tum facientes.

Ut sunt flumina quædam, quæ cum eadem sint, diversis locis diversa sortiuntur nomina: Ita quædam res in alio homine, variis nominibus mutantur: velut fastus in Principe splendor appellatur, in privato superbia.

Sicuti quo directius nos ferit sol radiis suis, hoc minor est umbra nostri: quo obliquius, hoc magis increscit umbra corporis: Ita quanto plus quisque assequutus est veræ sapientiæ, hoc minus magnifice de se sentit: quo longius abest ab ea, hoc se magis dilatat stultissima persuasione sapientiæ.

Ut inter tot hominum millia nullæ facies sunt per omnia similes, nec ullæ voces: Ita suum cuique ingenium est, suus cuique mos.

Tradunt in Albania nasci homines glauca oculorum acie, qui noctuarum ritu, plus noctu quam interdiu cernant: Ita quidam plus sapiunt in rebus facinorosis, quam in bonis ac præclaris: aut in sordidis potius quam in egregiis.

Ut Psylli in Africa, Marsi in Italia, non solum ipsi non læduntur a serpentibus, verumetiam contrectatu ac saliva medentur aliis periclitantibus: Ita Philosophis non satis esse debet, si ipsi non corrumpantur vitiosis affectibus, verum oportet oratione aliis quoque cupiditates noxias eximere.

Ut homini semper adest remedium adversus serpentium virus, nempe saliva, qua contacti ceu ferventi perfusi aqua, fugiunt, emoriuntur etiam si in fauces penetraverit: Sic adversus omnes pestiferas cupiditates præsens remedium semper nobiscum circumferimus, si modo noverimus uti. Id ab animo petatur oportet.

Qui fascino utuntur, laudando necant arbores, sata, pueros: Ita adulator laudando perdit.

Sunt qui adspectu effascinant hominem: Ita invidus oculus perniciem adfert rebus lætis: Nec satis tutus Regum oculus, si quid habeas egregie pulchrum.

Qui effascinant, in oculis geminam habere pupillam dicuntur: Ita qui uruntur invidia alienæ felicitatis, non eam intuentur oculo simplici, sed quicquid vident, sinistre interpretantur.

Est Indiæ gens dicta Pandorum, quæ in pueritia cano sit capillitio, in senecta nigrescunt capilli: Ita nonnulli primis annis sobrii ac modesti, grandiores jam ad nugas & ineptissimas voluptates abjiciunt sese, & quasi puerascunt.

Sicuti fœminæ quæ maturius pariunt, citius senescunt, velut in Calingis Indiæ gente, quinquennes pariunt, sed octavum non excedunt annum: Ita præcocia ingenia cito deficiunt.

Ut Androgyni sic utrosque imitantur, ut neutrum sint nec mares, nec fœminæ: Ita quidam dum & Theologi volunt esse & Rhetores, a neutris agnoscuntur.

Ut mare gravida, minus laborat & in gestatione, & in partu: Ita si rem honestissimam animo conceperimus, minore negocio consequemur, quam stulta quædam oblectamenta. Et qui mundi præmia sequuntur, minore dolore margaritum illud Euangelicum sibi parare poterunt.

Agrippæ qui vocantur, quoniam præpostere nascuntur: hoc est, pedibus primum emergentibus, malis auspiciis in vitam ingredi creduntur, magnoque humani generis malo, ut Marcus Agrippa, & Nero: Ita qui per nefas ac simoniam irrumpunt in imperium, aut episcopatum (uti vocant) magnam pestem adducunt sibi suisque.

Ut nonnullæ mulieres ex viris quibusdam non concipiunt, aliis adjunctæ, fœcundæ fiunt. Ita sunt qui apud quosdam præceptores indociles, aliis traditi doctoribus proficiunt: quod sint ut corporum, ita & ingeniorum cognationes, ac diffidia.

Ut horologii umbram progressam sentis, progredientem non sentis, & fruticem aut herbam crevisse apparet, non apparet crescere: Ita & ingeniorum profectus, quoniam minutis constat auctibus, ex intervallo sentitur.

Ut elephanti cum nare non possint, tamen amnibus impense delectantur, circaque illos vagari gaudent: Ita quidam cum literas nesciant, tamen inter eruditos versari gaudent.

Dracones exsugentes sanguinem elephantorum, occidunt eos, & ipsi vicissim inebriati opprimuntur ac commoriuntur: Ita sæpenumero in bello, pars utraque & perimit & perit, damnum dat & accipit.

Bonasus animal, quoniam cornibus inutiliter implexis non potest lædere, fugiens fimum reddit: cujus contactus insequentes ut ignis aliquis comburit: Ita nonnulli quoniam coram non audent congredi, a tergo sparsis probris contaminant hominem.

Sicuti leo citius sævit in virum quam in fœminam, pueros non nisi summa fame coactus attingit, simplicibus ac prostratis parcit: Ita potentes infirmioribus debent ignoscere, vires in alios experiri, quos vincere pulchrum sit.

Ut lascivia simiarum febrim excutit leoni: Ita inimici convitium aut contumelia, nonnunquam excussa desidia, veternoque, ad honesti studium nos acuit.

Leonis catuli informes nascuntur, vix ingrediuntur semestres, non moventur nisi bimestres: Ita quæ egregia futura sunt, sero proveniunt, & lentis auctibus absolvuntur.

Leo cunctis formidatum animal, cantum ac cristam galli formidat: Ita summi Principes infimorum convicia nonnunquam timere coguntur.

Injecto in oculos sago, leo sine ullo negocio capitur, alioqui inexpugnabilis: Ita facillimum est potentissimum etiam domare, modo cognitum sit illius ingenium.

Camelus non gaudet potu, nisi prius obturbata conculcatione aqua: Ita quibusdam nihil placet in literis, nisi barbaria conspurcatum.

Ut camelopardalis sive nabis, collo refert equum, pedibus & cruribus bovem, capite camelum, maculis tigrim, aut pardum: Ita quidam inæquales sibi varias hominum formas exprimunt: si cultum inspicias, sanctum aliquem existimes, si orationem audias, Satrapam loqui putes: si vitam expendas, nebulonem invenies: si scripta, bubulcum.

Rhinoceros cornu gerit in naribus: Ita quorundam sales dentati sunt & aculeati.

Catoblepas & basiliscus solo adspectu necant, maxime si oculos intueare: Ita tyranni nonnulli solo oculorum conjectu nonnullos ad laqueum adigunt. Aut formosa mulier & impudica perimit intuitu.

Ut basiliscus sibilo fugat omnes serpentes: Ita quidam adeo sunt pestilentes, ut alii ad illos collati, boni videantur, atque ultro cedant.

Lupis quos cervarios vocant, etiam in fame surrepit oblivio cibi, si modo respexerint, ac protinus alium quærunt: Ita nonnullis mox excidit, quod modo instituerant narrare, si interjectis verbis aliquot animum illorum alio devocaris.

Aspis pestilentissimum malum non vagatur, nisi cum compare, ea interfectorem pertinacissime persequitur: Ita tyranni filium, aut alium tyrannidis successorem adjungunt, ne desit ultor, si quid acciderit.

Crocodilus patitur Trochilum aviculam carpere escam e faucibus suis, non illius amore, sed sua ipsius causa. Repurgat enim rostro suo os illius: Ita tyranni etiam si quid alicui concedunt, semper ad suum referunt commodum.

Crocodilus terribilis est in fugaces, fugax contra insequentes: Ita quidam si concedas ac metuas, tum ferociunt: si strenue contemnas & obsistas, statim concedunt.

In aspidis ictu nullum est remedium, nisi ut partes contactæ amputentur: Ita quædam vitia sola morte sanari possunt.

Inevitabile malum esset aspis, nisi natura hebetes addidisset oculos: Ita quidam essent pestilentissimi, si pravæ cupiditati accederet & ingenii vis, ut rationem quoque nocendi possint excogitare.

Dictamum herba sagittas educit e corpore, hanc cervi monstravere: Ita Philosophiæ ratio, fortunæ jacula eximit animo.

Dissimile. Cervi pastu dictami excutiunt corpore sagittas, a phalangio percussi cancrorum esu sibi medentur: lacertæ a serpentibus icti, herba quadam se refovent: hirundines vexatis pullorum oculis chelidonia succurrunt: testudo cunilæ pastu vires adversus serpentes reficit: mustela in murium

A venatu rutæ se confirmat: ciconia origano, hedera apri sibi medentur in morbis, item cancrorum esu: anguis fœniculi succo abjicit exuvium: draco vernam nauseam sylvestris lactucæ succo restinguit: pantheræ adversus aconitum, hominis excrementis sibi medentur: elephas chamæleonte fronde (nam similis est animanti color) devorata: ursi cum mandragoræ mala degustavere, formicas lambunt: cervus venenatis pabulis herba cynare resistit: palumbes, graculi, merulæ, perdices, lauri folio annuum fastidium purgant: Idem faciunt columbæ, turtures, gallinacei, herba quæ vocatur helxine: anates, anseres, cæteræque aquaticæ, herba siderite, grues & similes, junco palustri: corvus occiso chamæleonte, qui etiam victori nocet,

B lauro infestum virus exstinguit, breviter nullum est animal, quod non intelligat sua remedia. Solus homo nescit, unde vel corporis vel animi remedia petere debeat.

Hyæna vocem humanam imitatur, & nomen alicujus ediscit, quem evocatum lacerat: Ita quidam obsequio blandiuntur, donec in perniciem trahant.

Panthera sic avida est excrementorum hominis, ut si in vase suspendantur altius quam ut possit attingere, enecet sese, defatigati porrectu corporis: Ita nonnullis quod est fœdissimum, id dulcissimum est.

Fibri Pontici genitalia sibi ipsis amputant membra in venatu, quod ob hoc se peti intelligant: Ita prudentis est aliquando abjicere rem, ob quam periclitatur.

C Cervi cum arrexere aures, acerrimi auditus sunt, cum remisere, surdi: Ita Principes si quid est quod placeat, id procul etiam percipiunt: si quid secus, quantumvis clames, non intelligunt.

Cervi cum sua cornua cogantur abjicere, tamen occultant ea, præcipue dextrum, ne medicamenti vis aliis sit usui: Ita divites nonnulli, cum ipsi divitiis uti non queant, haud tamen sinunt alios frui.

Uti chamæleon non alio pascitur alimento, quam aeris, & idcirco ore est semper hiante: Ita quosdam aura popularis alit, neque quicquam captant præter inanes laudes & gloriam.

Chamæleon qui subinde mutat colorem, omnem imitatur, præter rubrum & candidum: Ita adulator nihil

D non imitatur in amico, præter ea quæ honesta sunt.

Tarandus omnium arborum & fruticum, locorumque in quibus latitat, colorem villis etiam imitatur: Ita tutior erit, qui ad quamcunque gentem se contulerit, ejus ritus ac mores imitetur.

Hystrix non jaculatur spinas suas, nisi cum provocatur, aut urgetur: At scurra in quemvis sua dicta torquet. *Dissimile.*

Ursus informes gignit catulos, eos lambendo format: Ita rudem ingenii fœtum diutina cura expoliri convenit.

Uti canis properans in enitendo, cæcos parit catulos: Ita præcipitata opera non possunt esse absoluta.

Ut ignavi canes omnibus ignotis allatrant: Ita barbari

E quicquid non intelligunt, carpunt ac damnant.

Ut muti quidam canes, prius mordent quam latrant, sunt enim & hujusmodi, quos aliquot ipse vidi: Ita quidam prius lædunt quam expostulent.

Asinæ per omnem gignunt vitam: cum homo tam mature desinat parere: Ita facilior ac perpetuus proventus rerum vilium, egregia raro contingunt.

Nullum est animal quod impensius amet suos fœtus, quam asinus & simia: Ita indocti suas commentatiunculas præter alios amplectuntur.

Mulus ex equo & asina conflatus, nec equus est, nec asinus: Ita quidam dum & aulici esse volunt, & ecclesiastici, neutrum sunt.

F Muli calcitratus vino crebro inhibetur, mulieris petulantia vino provocatur. *Dissimile.*

Simia catulos fere complexu necat: Ita nonnulli parentes immodico erga liberos affectu, & indulgentia corrumpunt illos.

Ut est regio quæ careat venenis, veluti Creta: Ita non est Respublica aut aula, quæ careat invidia. *Dissimile.*

Creta nullum habet venenum, præter phalangium, id est aranei genus: Ita non est monasterium tam sanctum, quod immune sit ab obtrectationis & invidentiæ malo.

Angues in Syria erga indigenas venenum non habent, nec eos petunt, exteros cum cruciatu exanimant: Ita insulares

lares in suos fatis humani, in alienigenas immitissimi sunt.

Indicæ testudines, meridiano tepore blandiente, gaudent toto dorso per tranquilla fluitare, donec oblitis sui, solis vapore siccetur cortex, ut mergi nequeant, jamque invitæ natent opportunæ venantium prædæ: Ita quidam spe magnarum rerum allecti, in Principum aulas sese conjiciunt, & adeo deliniuntur aulæ deliciis, donec imprudentes eo redigantur, ut non possint etiam si velint, in suum ocium sese recipere.

Mugiles si caput condiderint, putant se totos occultari: Ita quidam si sua vitia dissimularint ipsi, putant ab aliis non animadverti, qui mos idem & pueris est.

Alutarium piscem semper sequitur piscis nomine sargus, qui illo cœnum fodiente excitatum devorat pabulum: Ita sunt qui se misceant alienis negociis, ut eis laborantibus, fructum ipsi præripiant.

Scombri in aquis sulphureum habent colorem, extra aquas similem cæteris: Ita divites in suo regno Diis pares, & cæteris longe præstantiores videntur, in morte nihil ab aliis differunt.

Ut echeneis licet exiguus piscis, navem velis citatam remoratur: Ita animum ad honesta properantem puella quæpiam nonnunquam revocat, ac retardat affixa.

Sicuti Polypus quicquid brachiis attigerit, suctu tenet & attrahit: Ita difficillimum est evellere de manibus quorundam, si quid nacti fuerint.

Polypus stupidum alioquin animal, in captandis conchis incredibili utitur solertia: Ita quidam ad solum quæstum suum sapiunt, alibi pecudes meræ.

Uti sæpenumero Polypus dum conchæ carnem captat, ipse capitur ac tenetur: Ita sæpius dum aliis nocere studemus, nos ipsos in periculum adducimus.

Ut echinus semper in spinis ingreditur, quod spinas secum circumferat: Ita quibusdam in omni negocio acerbitas est, propterea quod animo secum adferant asperitatem, etiam si res ipsa nihil habeat incommodi.

Ut cancri in metu utroqueversum pari celeritate ingrediuntur: Ita cum res exigit, vertendi sunt in diversum mores.

Minimi cancri, quos pinnoteras vocant, quo tutiores sint, inanium concharum testis se condunt, & cum accreverint, migrant in capaciores: Ita quidam majorum suorum titulis tuentur sese, cum suis diffidant virtutibus.

Ut uniones tametsi in mari nascuntur, tamen plus habent cognationis cum cœlo, cujus faciem reddunt: Ita pius ac generosus animus magis a cœlo pendet, unde ducit originem, quam a terra, in qua vivit.

Rhombus, & squatina, & rhaia, & pastinaca cum tardissimi sint piscium, tamen sæpe reperiuntur habentes in ventre mugilem omnium velocissimum, solertia & ingenio capientes: Ita quidam arte superant longe potentiores opibus aut viribus.

Trochus piscis ipse se init, & ex sese concipit: Ita quidam ingenii felicitate ipsi literarum semina infundunt sibi, quos αὐτοδιδάκτους vocant Græci.

Struthiocamelus avium maxima, sed stolidissima: Nam ubi collum occultarit frutice, latere sese existimat: Ita quidam ingenti mole corporis onusti, minimum habent ingenii.

Ut Phœnix nunquam est nisi unica, & ea vix credita cuiquam: Ita rerum optimarum summa raritas est.

Aquila avium rapacissima, non oppetit morbo, neque senio, sed fame: Ita avarus quo magis accedit ætas, hoc magis cruciatur habendi studio, & minus potest uti partis.

Aquilarum pennæ quoque aliarum avium pennis admixtæ, eas devorant: Ita tyrannis penitus insita vis est spoliandæ plebis, ut mortui quoque aliquid auferant.

Vultures triduo futura cadavera præsentiunt, eoque advolant: Ita quidam captatores, multis etiam annis morti divitum imminent.

Vultures ipsi nihil occidunt, sed ab aliis occisa invadunt: Ita nonnulli alienis fruuntur sudoribus.

Cybindus avis bellum internicinum gerit cum aquila, adeo ut cohærentes sæpenumero prendantur: Ita fit aliquoties, ut dum mutuum in se odium pertinaciter exercent Principes, utrique subvertantur, tertio quopiam invadente.

Coccyx ova subdit in nidis alienis: Ita quidam alienas uxores faciunt matres.

Coccycis pullus ubi adoleverit cum sit nothus, tamen legitimos devorat, unaque matrem ipsam: Ita quidam magna indulgentia, stultoque amore quorundam educati subvertunt eos.

Pavo non explicat pennas nisi laudatas: Ita quidam putant se non habere quod habent, nisi sint qui mirentur.

Galli sæpius in pugna commoriuntur: Ita quidam mutuis dissidiis conficiunt sese.

Gallus victor illico cantu superiorem sese testatur: Ita quidam sua facinora jactant ipsi, & suarum laudum ridiculi sunt tibicines.

Uti ciconias nemo advenire sentit, sed advenisse: nemo discedere, sed discessisse, quod noctu clanculumque faciant utrumque: Ita juventutem nemo intelligit discedere, sed discessisse: & senectutem non sentimus advenire, sed advenisse.

Apud Thessalos capitale est occidere ciconiam, non ob aliud nisi quod serpentes interficit: parcitur & apud Britannos milviis, quod urbem raptis extis pecudum repurgent: Ita quibusdam honos habendus, non quod ipsi digni sint, sed quod illorum opera nobis sit usui.

Ciconia tametsi demigrat, tamen reversa, semper eosdem repetit nidos: Ita non oportet amicorum ob intermissam vitæ consuetudinem oblivisci, sed memoriam illorum semper nobiscum circumferre.

Ciconiæ quoties convolant in campum, quem Pythonis comen vocant (is est locus in Asia) quæ ultima omnium advenerit, eam lacerant, atque ita discedunt in una omnium cessatione castigata: Ita multitudinis vitia, unius insigni supplicio sunt vel sananda, vel arcenda.

Coturnici veneni semen gratissimus est cibus: Ita quidam maledicentia & virulentis dictis impendio delectantur.

Ut hirundines sub hominum tectis nidulantur, & tamen non assuescunt nec fidunt homini: Ita quidam amicos semper habent suspectos, præsertim insulares.

Hirundo æstate advolat, instante hieme avolat: Ita infidus amicus rebus lætis præsto est, commutata fortuna deserit amicum.

Seleucides aves nunquam conspiciuntur a Casii montis incolis, nisi cum illarum præsidio est opus, adversus locustas vastantes fruges, nec unde veniant, quove abeant cognitum: Ita quidam nunquam apparent, nisi cum nostro egent auxilio: nec visunt amicos, nisi cum urget necessitas aliqua.

Lusciniis tantum est canendi studium, ut certantes emoriantur, spiritu citius deficiente quam cantu: Ita nonnulli literarum immodico amore valetudinem exstinguunt, & dum a nullo vinci volunt eruditione, pereunt in ipso conatu.

Ut halcyones etiam media hieme mare tranquillum præstant, non sibi solum, sed aliis quoque: Ita sapiens turbatissimis rebus non solum ipse tuebitur animi tranquillitatem, sed alios concitatos componet ac sedabit.

Ut halcyones videre rarissimum est, sed quoties apparent, tranquillitatem vel faciunt, vel denunciant: Ita Abbates & Episcopi raro deberent prodire in Principum aulas, sed rerum motus, & bellorum tempestates auctoritate sua compositituri.

Columbo in volatu pernicitas, sed dum plaudit in aere sibi placens, implicatis strepitu pennis, capitur ab insidiante alicubi accipitre: Ita multi dum ostentant suas vires magis quam utuntur, obliti sui, præda fiunt inimicis.

Apodes aviculæ, aut pendent volatu, aut jacent, propterea quod pedibus careant: Ita quidam in utramque partem nimis vehementes, aut nimium tumultuantur negociis, aut toti torpent ocio: nil medium est.

Taurus avis cum sit pusilla, tamen boum vocem imitatur: Ita nonnulli cum re sint exigui, tamen loquuntur Reges ac Satrapas.

Arrodunt hominis cibum mures, vivunt sub eodem tecto, nec tamen assuescunt homini: Ita quidam amici parum

rum sinceri, nec relinquunt sibi commodique causa, nec amant tamen aut fidunt.

Sicuti picis mirum est studium imitandi verba hominis, adeo ut in conatu nonnunquam emoriantur: Ita nonnullis dulce ediscere preculas & psalmos, eosque subinde sonare, cum non intelligant.

Ut ova plena sidunt, inania fluitant: Ita qui veris virtutibus aut literis est præditus, minus ostentat se quam qui secus.

Si fœmina inter aves saliat fœminam nascuntur quidem ova, sed ex quibus nihil nascatur: Ita consilium quod animo conceperis, non accedente ratione, frivolum est & inutile. Ova sic nata, Hyponemia, hoc est, subventanea vocant: dicuntur & Zephyria, quæ vento concipiuntur: Sic evanidum est, quicquid imaginatione, non certo judicio instituitur.

Serius eduntur, quæ diutius victura sunt: Ita diu premendum opus, quod semper legi velis.

Quo majus est animal, hoc minus est fœcundum, minuta numerosi fœtus sunt, adeo ut Acanthis minima avicula duodenos pariat pullos: Ita quæ minus valent pondere, numero sunt pensanda.

Salamandra non nisi magnis imbribus provenit, serenitate deficit: Ita quidam non apparent, nisi statu civitatis bello aut seditione turbato, iidem rebus pace compositis emoriuntur.

Salamandræ tantus est rigor, ut ignem contactum non aliter quam glacies exstinguat: Ita quidam citius hominem ad torporem adduxerint, quam ipsi ad honesta inflammentur.

Ut talpæ quod parum aut nihil cernant, liquidius audiunt: Ita natura paria facit, dum quibus corporis formam negavit, his animi vigorem confert.

Uti culices ad dulcia non advolant, sed acria petunt: Ita quidam maledicis & infestivis sermonibus vehementius delectantur.

Non omnem escam amant pisces, sed alius alia delectatur: unde piscatores gnari quam quisque maxime appetit, fallunt ea potissimum objecta: Ita adulator deprehenso hominis ingenio, quibus rebus deliniatur, a quibus abhorreat, quod illi gratissimum esse intellexerit, hoc potissimum eum captat.

Sicuti capreæ & coturnices venenis saginantur: Ita quidam aluntur maledictis & obtrectationibus.

Ut inter animantium genera occulta quædam sunt dissidia, cum nulla appareat dissidii ratio, velut araneæ & serpenti, formicis ac soricibus, trochilo & aquilæ, aliisque compluribus: Ita sunt qui illam aut illam oderint gentem, cum nesciant quamobrem oderint. Quidam odere Rhetoricen, aut Græcas literas, cum hoc ipsum ignorent quod oderunt.

Ut in culice non minus admiranda naturæ vis est quam in elephante: Ita sapiens in maximis pariter ac minimis negociis, magnum virum ostendit: aut ingenii vis etiam in ludicro atque humili argumento elucet.

Apis cum minimum sit insectum, tamen admirabile facit opus, & mira ratione politiam moderatur. Ita in pusillis corporibus summa nonnunquam ingenii vis.

Apes exteriora tectoria faciunt ex succis amarioribus, quod dulcissimum est, in intimis recondunt: Ita Theologia insipidis quibusdam allegoriarum corticibus obtegit sapientiam, quo profanos arceat.

Ut apes non quidvis ex omnibus colligunt, sed aliunde Metyn, aliunde Pissoceron, aliunde Propolin, aliunde Rhithacen, aliunde sobolem, aliunde mel: Ita non omnia petenda ex eodem auctore, sed ex unoquoque sumendum, quod habet utilissimum: Ex Poetis & Oratoribus, verborum splendor: E Dialecticis, argutia disserendi: E Philosophis cognitio naturæ: E Theologis, præcepta vivendi.

Cum ad omnia advolent apes, tamen nullis nocent floribus: Ita virtus, & literæ sic ab aliis sumuntur, ut nihilo deterior sit is, qui communicavit.

A floribus marcidis apes abstinent: Ita non attingendus liber, qui putidas habet sententias. Aut nihil attingendum, quod non sit elegans & succulentum.

Apes fucis, ad opus & fœtum calore confovendum, utuntur, ubi cœperint mella maturescere, tum expellunt ac trucidant: Ita ab inimicis quoque sumendum, si quo pacto per occasionem prodesse possint.

Si fuco alas ademeris, & in alveum rejicias, is cæteris item fucis alas adimit: Ita qui in Monachorum tracti nassam, semel amiserint vitæ libertatem, alios quoque quos possunt pertrahunt, ne melior sit aliorum conditio.

Apes peragunt opus suum non statis diebus, sed quoties cœli commoditas invitat: Ita suo quæque tempore rapienda est occasio.

Rex apum solus aculeum non habet, aut certe non utitur, ad hæc grandior est corpore, & specie decentior, sed alis quam cæteræ minoribus: Ita Principem oportet esse clementissimum, & a sua civitate nusquam avolare longius.

Rex ipse quidem non operatur, sed obambulans, ac circumvolans alios velut exhortatur: Ita Princeps non opera, sed consilio & jussu prodesse debet suis.

Ut fuci cum ipsi non mellificent, tamen illarum insidiantur laboribus: Ita sunt qui nihil ipsi excudant, sed aliorum vigiliis elaborata furto sibi vendicant.

Ut apis amisso aculeo, jam nec nocere potest, exarmata, nec prodesse ad mellificium: Ita mortales qui nocere norunt, iidem norunt prodesse.

Cum maxime fervent apum inter se prælia, tum jactu pulveris, aut fumo tota res componitur: Ita gravissimi rerum motus inter Principes, affinitate aut simili re quapiam nugacissima finiuntur.

Ter novenis crabronum ictibus interfici hominem existimant: Ita offensa tametsi per se non capitalis, tamen sæpius iterata capitalem parit inimicitiam.

Damnatur bombicina vestis seu multitium, quod pellucens non tegat corpus, cum in hunc usum sit reperta vestis: Ita ridenda facundia, quæ rem non explicat, sed involvit, cum in hoc repertus sit homini sermo.

Ut aranearum telas corvi perrumpunt, muscæ implicantur: Ita leges plebeculam vexant, a potentibus violantur impune.

Scorpius venenum in cauda gerit, & oblique ferit: Ita quidam in fine virus effundunt suum, & dissimulanter lædunt.

Muta cicada pro miraculo est, quod ipsum genus sit garrulum, sunt autem hujusmodi in agro Rhegino: Sic magis admiramur constantiam & silentium in fœmina, quod ipsum genus mutabile sit & loquax.

Muscæ & alia nonnulla insecta suctu vivunt, ideoque eis pro lingua est fistula: Ita quosdam videas bibones, qui potu vivant, a cibo abhorreant.

Ut lampyrides non sunt conspicuæ, nisi noctu aut in obscuro: Ita quidam non sunt illustres, nisi inter humiles & idiotas, obscurantur autem inter egregios.

Industrium animal formica, sed non laborat nisi sibi: Ita nonnulli mortales sibi duntaxat consulunt, & suum modo negocium agunt.

Ut Indicæ formicæ aurum e cavernis erutum servant tantum, non fruuntur: Ita dives avarus nec fruitur ipse suis opibus, & aliis invidet illarum usum.

Hirudo & quoddam pediculi genus cui non est exitus cibi, quod insatiabile sit, suctu sanguinis intumescens rumpitur denique: Sic avarus copia sua præfocatur.

Uti pyralis ultro advolans lucernis, adustis alis collabitur, ac perit: Sic quidam ipsi sibi accersunt perniciem.

Ut cochleæ lente ingrediuntur, nec quicquam attingunt aut usquam sese movent, nisi cornibus prætentarint: Ita sapientem oportet esse contabundum, minimeque præcipitem, & pedetentim aggredi, gustu quodam prius sumpto.

Quemadmodum apud Myconios non est indecorum calvitium, quod illic omnes calvi nascantur: Ita apud Italos (ut hos exempli causa nominem) non est turpe pecuniæ studium, quo nemo non tenetur apud illos.

Sunt qui propius admota non cernunt, quæ longius absunt, vident: Ita nonnulli plus sapiunt in rebus alienis, quam in his quæ ad se pertinent.

Quibus majora sunt corda, timidissima sunt, maximeque bruta: Nam asino maximum est, & in Paphlagonia perdicibus bina sunt corda, cum animi sit conceptaculum

culum & fons: Ita quidam quo magis abundant insignibus, hoc minus habent rei: veluti si doctor indoctus latissimo utatur pileo aut epomide.

Animantia quibus longa sunt crura, iisdem longum sit collum oportet: Ita qui magno strepitu student vivere, longius rapiant necesse est, unde suppetat sumptus.

Chamæleon maximum habet pulmonem, & nihil aliud intus: Ita quidam præter ostentationem, & ventosam jactantiam, nihil habent.

Simia cum imitetur hominem, tamen animal est omnium deformissimum: Ita si quis affectet quod optimum est, nisi feliciter affectet, incidit in id, quod est pessimum.

Ut a vitiis corporis quidam invenere cognomen, velut a distortis cruribus Vari, a tumidis labris Chilones, a naso prægrandi Nasones: Sic nonnulli malefactis sibi famam pariunt, ac nobilitantur.

Infantes qui celerius loquuntur, tardius ingredi incipiunt: Ita qui ad dicendum promptior est, ad rem gerendam minus est paratus.

E voce agnoscimus hominem, facie non conspecta, nam sua cuique vox: Ita ex oratione licet hominis vitam conjectare.

Vultures unguentorum odore fugantur, ad cadavera advolant: Ita quidam a rebus honestis abhorrent, ad fœda rapiuntur.

Sicut unguentis & vinis: ita & libris precium addit antiquitas.

Ex majoribus cedris, quæ florent, non ferunt fructum: quæ frugiferæ sunt, non florent: Ita nonnunquam quibus adest dicendi lepos, non adest sapientia, quibus suppetit rerum utilium cognitio, deest eloquii venustas.

Ut palmæ arboris ramus, imposito onere non deflectitur in terram cæterarum more, sed renititur, & ultro adversus sarcinæ pondus erigit sese: Ita viri fortis animus, quo plus negociis premitur, quoque magis sævit fortuna, hoc est erectior.

In Campania vites populos amplexæ, ipsa æquabant cacumina, adeo ut vindemiator rogum ac tumulum exciperet: Ita qui in arduis versantur negociis, periculi meminisse debent.

Quemadmodum vitis tametsi arbor omnium nobilissima, tamen arundinum, aut vallorum, aut arborum infrugiferarum eget sustentaculis: Ita potentes & eruditi inferiorum egent opera.

Ut vallus aliquoties frondibus suis vitem amplexam strangulat: Ita nonnunquam adminiculi gratia obiter asciti, subvertunt & opprimunt potentiorem.

Ut vitis nisi amputes, late sese spargit, brachiis suis omnia complectens & implicans: Ita Princeps ambitiosus semper aliquid e proximis suo adjungit imperio, nisi subinde vindicetur.

Sicut Aminæa vina senio fiunt meliora: Ita quidam in juventa solutiores aut asperiores, ætate & usu rerum fiunt mitiores.

Contra Apiana vina, & alia quædam initio dulcia, austeritatem accipiunt ab annis: Ita quidam ætate fiunt inhumaniores.

Sicuti Maroneum vinum, cujus meminit Homerus, vicies tanto aquæ mixtum, tamen vigorem suum servat: Ita sapiens nullis solvitur voluptatibus.

Ut vino non est aliud corporis viribus utilius, si recte utaris: nec eodem est quicquam perniciosius, si modus absit: Ita Philosophia salutaris res est, si modice adhibeas, pestilentissima, si ejus studio temulentus, a communis vitæ muniis reddaris alienus.

Sicuti vina languidiora vappescunt ætate: Ita desipiscunt ingenia vulgaria, eximia etiam ad extremam durant ætatem.

Vina non modo soli sui referunt saporem, verumetiam arborum aut fruticum vicinorum: Ita non solum exprimimus eos, unde progeniti sumus, sed & eos quorum consuetudine sumus usi.

Sicuti imitatitia vina, quæ frugibus conficiuntur apud quosdam, hactenus assequuntur vini vim, quod inebriant, non tamen perinde reficiunt cordis vigorem: Ita quidam quod in Poetis est vitii, id assequuntur, nempe obscœnitatem, cæterum eloquentiam, venustatem, eruditionem non possunt exprimere.

Oliva sero provenit, sed fructum habet egregium. Salix statim adolescit, sed sterilis est: Ita præcox ingenium.

Negant ullum animal venenatum fame aut siti emori: Ita pestilentes homines domi habent, unde se pascant, & suo aluntur veneno.

Persica ob idipsum pluris venibant, quod non durarent, nisi in triduum: Ita avidius rapiendum, quod cito prætervolat, ut juventa.

Caprifici ficus nunquam maturescit, sed tamen gignit vermiculos, qui devolantes ad veram ficum, perfosso ficorum cortice, maturitatem illis tribuant: Ita sunt qui ipsi nihil queant egregium facere, sed tamen aliquo pacto stimulant alios, ut id faciant.

Ut aquæ laus est, si nihil sapiat (nam vitiosæ signum est sapor aut succus:) Ita a cæteris quidem requirimus eloquentiam: Theologus hoc ipso laudatur, quod infans est, & a Musis alienus.

Fere non convenit odori & sapori, ut ficis quibus nihil dulcius, nullus est odor, & cotoneis plurimum odoris, sapor autem asperrimus: Ita vix in eodem invenias homine blandiloquentiam, & beneficentiam, ac fidem.

Ut laurus tota viret perpetuo: Ita doctrinæ fama non senescit, neque marcescit. Lauri baccæ amaræ quidem sunt, sed saluti conferunt: Ita Philosophiæ præcepta, salutaria magis quam blanda sunt aut jucunda.

Vina vasis infusa e taxo factis, mortifera sunt: Ita salutaris alioquin eruditio, si inciderit in hominem pestilentem, moribus illius redditur noxia.

Fraxinum campestrem in tantum horrent serpentes, ut nec matutinas, nec vespertinas illius umbras quamvis longissimas, unquam attingant: & si gyro frondibus hujus arboris claudatur ignis, & serpens, citius in ignem fugiet, quam in fraxinum: Ita nihil convenit vitiis & studio sapientiæ, sed cujus umbra quisquis se continuerit, tutus erit ab hujus vitæ venenis.

Tilia cum habeat corticem ac folia dulcia, tamen fructum ejus nullum animal attingit: Ita quorundam oratio blanda, grataque & composita, sententiarum nullus fructus.

Uti buxus semper quidem viret, sed alioqui & odore noxia, & semen habet omnibus invisum animantibus: Ita quidam præter orationis gratiam, nihil adferunt non fugiendum.

Rhododendri frondes jumentis, capris, & ovibus venenum est, idem homini contra serpentium venena remedio: Ita quod stultis perniciem adfert, ut res adversæ aut eruditio, id sapiens vertit in suum bonum.

Ut arborum aliæ gaudent montibus, aliæ vallibus, aliæ siccis locis, aliæ riguis & aquosis: Ita non omne vitæ genus homini convenit. Sunt quæ quovis proveniunt loco: Ita sunt horarum omnium homines, accommodati ad mores omnium.

Sunt arbores aliquot, quæ post solstitium invertunt sua folia, ut ulmus, tilia, olea, populus alba, salix: Ita vulgus procerum, simul atque Princeps vitæ genus diversum commutarit, vertunt & ipsi vultum, cultum, orationem, & omnia.

Sorbo folia universa decidunt, cum cæteris arboribus paulatim id accidat: Ita quidam subito nudantur, aut profundunt, aut genus vitæ commutant, cum sensim id fieri oporteat.

Ficus non floret, cum fructus habeat dulcissimos: Ita quidam benefaciunt nihil pollicitantes.

Morus novissima omnium germinat, & tamen parit inter primas: Ita qui tempus idoneum opperiuntur rei conficiendæ, etiam si serius cœperint, tamen maturius conficiunt.

Ut arbores quædam belle florent, verum nullum adferunt fructum: Ita quorundam puerorum indoles magnam vitæ frugem pollicetur, qui simulatque adoleverint,

rint, ad ineptissimas conversi voluptates, fallunt exspectationem omnium.

Salix ante maturitatem abjicit semen, unde & Homerus frugiperdam vocat: Ita quædam ingenia præcocia citius prosiliunt ad docendum, aut scribendum, quam oportet.

Cupressi semina adeo minuta sunt: ut quædam oculis cerni non possint, & tamen in eo tanta est arbor tam procera: Ita ratio minimum quiddam est & occultum, sed eadem maxima est, si prodeat, & vim suam explicet.

Stolonibus amputatis, omnia celerius adolescunt in arbore, nimirum alimentis in unam collatis stirpem: Ita animus levatus supervacuis negociis, plus efficit in studiis honestis, tota mentis vi in idem intenta.

Vitis nisi subinde amputetur, ipsa sua fœcunditate gracilescit & perit: Ita cohibendum est immoderatum studium felicibus ingeniis, ne parum moderato labore consumantur.

In vite quicquid per amputationem adimitur materiæ, id fructibus additur: Ita qui reciderit curas supervacaneas rerum sordidarum, plus valebit in rebus seriis & gravibus: Aut quo minus est verborum, hoc graviores sententiæ.

Ut in inserendo calamus altius depressus, tardius fert, sed durat fortius: Ita præstat sic rem aggredi, ut firmior sit ac durabilior, potius quam ut præsens spectes lucellum.

Arbor per se infrugifera, tamen insitione discit ferre fructus: Ita pravum ingenium institutione ad bonam frugem potest demutari.

Arbor suapte natura non nisi unicum fœtum gignit, insitione eadem diversi generis fructibus oneratur: Ita qui naturam suam sequitur, semper idem est: qui arte ducitur, sui similis est.

Ut noctuæ aves inauspicatæ noctu gementes (nam hæc illis vox est) mortalium invident quieti: Ita virulenta lingua semper aliquid spargit, quo concordiam hominum disturbet.

Ut ager ferax, sed quem oporteat multo impendio colere, non multum juvat colonum: Sic homo quæstuosus, sed idem sumptuosus, haud multum reponit hæredi profuturum.

Ut in re rustica non satis est teipsum bonum esse colonum, sed magni refert cujusmodi habeas & vicinum: Sic in vita non satis est, si teipsum integrum virum præstes, sed refert cum quibus habeas consuetudinem.

Ut in loco pestilenti quoque qui assuevere, durant: Ita incommoda parum lædunt assuetos.

Ut loci salubritas incolarum colore deprehenditur: Ita muneris sanctitas eorum arguitur vita, qui in eo versantur: veluti qui versantur in cærimoniis, cum sint nequissimæ vitæ, declarant eas ad pietatem nihil conducere.

Ut nihil minus expedit, quam agrum optime colere: Ita sæpenumero inutilissimum est, nimis esse in negocio diligentem.

Diligentes agricolæ terram prius notulis quibusdam deprehendunt & explorant, priusquam illi credant sementem: Ita explorandus amicus, ante quam committas arcanum.

Uti faba & lupinum non exhaurit, sed stercorat agrum in quo alitur: Ita gratus meliorem reddit fortunam ejus a quo beneficio adjuvatur, & refert quod accepit.

Fœnum Græcum, quo tractatur pejus, hoc provenit melius: Ita liberi quidam, quanto habueris indulgentius, tanto minus valent: neglecti vero & vexati evadunt in viros.

Uti salicis semen ante maturitatem abjectum, non solum ipsum nihil gignit, verumetiam fœminis sterilitatis est medicamentum, hoc est, efficit ne concipiant: Ita sermones istorum qui prius docent quam vere sapiant, non solum ipsos non reddunt meliores, verumetiam auditores suos inficiunt & reddunt indociles.

Novella vitis copiosius gignit vinum, sed vetustior melius: Ita plura loquuntur juvenes, sed utiliora senes.

Ex arboribus quæ vehementer fœcundæ sunt, eo celerius senescunt: Ita raro sunt vivaces egregio præditi ingenio, & optima quæque mortalium fugacissima sunt.

Solent arbores protinus emori, si quando præter solitum fœcundæ fuerint: Ita fortuna præter morem blanda ac favens exitium imminere sæpenumero significat.

Est apud Indos herba quædam præcipui odoris referta minutis serpentibus, quarum ictu protinus moriendum sit: Ita habent Principum quorundam aulæ quod allectet, sed occultant letale venenum, ni caveas.

Apud eosdem est spina, cujus succus inspersus oculis, cæcitatem adfert omnibus animantibus: Magis autem excæcat homines, si quid adspergas de pulvere auri in oculos.

Ut in arboribus robustiores sunt partes Aquiloni oppositæ, quam quæ Austrum aut Zephyrum spectant: Ita fortiores ac firmiores sumus in his, in quibus nos duris casibus exercuit fortuna.

Cedrus & juniperus si oleo perungas, nec tineas sentiunt, nec cariem: Ita semel imbutus divini Spiritus succo animus, nullam hujus mundi sentit corruptelam.

Arbores infœcundæ firmiores sunt fœcundis: Ita robustius est corpus his qui nihil pariunt in literis, quam qui sese laboribus exhauriunt.

Ut quercus & aliæ quædam arbores sub terra defossæ duriores redduntur ac durabiliores: ita qui diu premuntur adversa fortuna, diutius florent.

Cupresso non innascuntur cerastæ propter amaritudinem, nec buxo propter duriciem: Ita pestis adulationis fugit severa ac tristia ingenia, mollia captat & facilia.

Juglans crepitu prænunciat se frangi, ut fugere liceat priusquam fiat ruina: Ita quidam non lædunt, nisi prius ostendant se infensos: alii prius læserunt quam expostulent.

Abies adeo cohæret glutino, ut prius scindatur qua solida est, quam qua glutino ferruminata: Ita post reditum in gratiam firmior debet esse amicitia, & arctius cohærent, quos copulavit mutuæ benevolentiæ glutinum, quam quos natura conjunxit.

Hedera complexu necat arbores: Ita fortuna prospera dum blanditur, strangulat & perdit.

Ut quædam terræ mergam (ea est candida medulla) in se continent, qua stercorentur ac pinguescant: Ita ingenium probum secum habet, unde fiat melius.

Nihil projectius excrementis animantium, & tamen in stercorandis agris præcipuum habent usum: Ita nulla res est tam nihili, quæ non aliqua prosit, si noris uti.

Cracca leguminis genus est adeo gratum columbis, ut ea semel gustata, negent illos postea ab eo loco profugere: Ita qui semel aulæ mel & honorem degustarint, nunquam ab aula possunt avelli.

Orobanche ciceri infesta est & ervo, ut æra tritico, hordeo festucaque vocatur ægilops, lenti securidaca: atque hæ quidem omnes complexu necant: Ita quorundam amicitia pestilens est magis quam inimicitia.

Ajunt Asiæ & Græciæ balneatores, cum velint turbam pellere, carbonibus injicere semen æræ, quod id faciat vertigines: Ita Philosophi quoties volunt a suis libris submovere vulgus indoctum, Mathematicos quosdam numeros & figuras admiscent, ut ex iis oborta vertigine capitis librum abjiciant.

Arator nisi incurvus sit, prævaricatur, ut dicebant antiqui: Ita miles nisi impius sit, parum est miles.

Uti boni agricolæ est nosse terram suam quam colit: Ita præceptor diligens in primis studeat cujusque indolem & ingenium cognoscere: neque enim eadem sunt omnibus adhibenda.

Uti novales licet alternis interquiescant annis, tamen eam cessationem ubertate compensant: Ita relaxatio ingeniorum mediocris facit, ut ad studia reversi, plus efficiamus vigore animi, licet breviore temporis spacio.

Nilus famem adfert Ægyptiis, si vel parum exunda-

darit, hoc est minus duodecim cubitis, vel plus satis, hoc est ultra octodecim: Ita pariter obstat ad bonam mentem fortuna vel nimium secunda, vel nimium maligna, hic egestate vexans, illic deliciis avocans ab honesto.

Ut Heliotropium ac lupinum circumaguntur cum sole, & quocunque se moverit ille, eodem deflectunt & haec cacumen: Ita proceres aulici quocunque Regis ingenium vergit, eo propendent omnes.

Siculi quasdam arbores foecunditas & luxuries enecat: Ita quosdam perdit immoderatus rerum successus.

Ager nimium stercoratus aduritur, non stercoratus alget: Ita moderata lectione vegetandum erit ingenium: nam lectione saginatur animus non aliter quam arvum stercore.

Sicuti utilius est crebro stercorari agrum quam multum: Ita plus habet fructus assidua lectio quam avida.

Ut pulegium ipso brumae die floret, cum marcent omnia: Ita rebus pessime vexatis, regnant mali: quorum in pace nullus est respectus.

Ut cibi, potus, coelique novitas offendit, etiamsi mutes in paria, aut in aliquanto meliora: Ita praestat ferre Principem, aut magistratus pristinos, quam novos adsciscere, quod omnis rerum novatio non careat perturbatione.

Ut hominem vehementer aegrotum, vel lunae deliquium, vel ventus asperior, vel maris decessus, aut hujusmodi quaepiam levis rerum commutatio tollit e medio: Ita animos imbecilles & affectibus corruptos quaevis offensa perturbat, cum qui firmis sunt animis, istiusmodi non sentiant.

Ut plus est periculi corporibus nostris vere & autumno ob mutationem: Ita novitas omnis offendit ac laedit Rempublicam.

Ut qui coguntur secare, malunt aere secare quam ferro, quod hoc pacto vulnus sit sanabilius: Ita qui cogitur objurgare quempiam, ita moderabitur orationem, ut ipsa in se nonnihil admisceat occultae medelae.

Ut pternionibus & ambustis frigida pariter atque calida aqua medetur: Ita quaedam errata diversa ratione tolli possunt, severitate & lenitate, subducta benignitate, & addita beneficentia.

Ut perniones & facit, & tollit frigus: item ignis ambusta sanat: Ita amici objurgationis oratio, dolori quem fecit, eadem medetur.

Sicuti scorpius si post ictum admoveatur vulneri, venenum ad se retrahit: Ita nihil est tam noxium, quin secum adferat remedium sui mali, si quis modo uti noverit.

Ut celerius inebriantur, qui dilutum bibunt, quam qui merum: Ita citius inficiunt animum, quae sobrietatis aliquid habent admixtum, quam quae simpliciter obscoena sunt. Nam a vehementer obscoenis refugit animus: contra illa blandiuntur aliqua virtutis specie.

Ut qui vino caecutiunt, aut alioqui laborant oculis, plures se videre res credunt, cum unam videant: Ita qui ob imperitiam verum non perspiciunt in auctoribus, multas ac varias inducunt sententias: unde illud apud juris male consultos, vel dic, toties repetitum.

Sicuti vinum alios hebetiores reddit, alios acutiores, alios elingues facit, alios loquaculos pro corporum habitu: Ita eadem stultitia & ignorantia veri quosdam incitat ad studium pecuniae, quosdam ad voluptates.

Ut sol lutum indurat, ceram liquefacit: Ita eadem oratio ab eodem dicta, hunc emolliet ad poenitudinem erratorum, hunc irritabit ad contumaciam.

Ut vinum dilutius magis provocat vomitum quam vel aqua simplex, vel vinum merum: Ita intolerabilior est nequitia pietatis simulatione condita, quam simplex & aperta malitia.

Ut magis humectat ventrem, magisque sitim pellit humor, qui sensim infunditur, quam qui universim hauritur: Ita magis cohibent a petendo, munera paulatim data dispensataque, quam si semel dones universa.

Sicuti laboriosius est inanem jactare manum, quam saxo aut plumbo libratam: Ita molestius est in nihili re-

A bus operam sumere, quam in arduis versari negociis.

Ut qui locis aequalibus ambulant, magis defatigantur quam qui inaequalibus: Ita laboriosius est semper eadem aut similia repetere, quam in variis versari negociis.

Ut citius fatigatur, qui quam longum sit iter nescit: Ita minore taedio rem gerit, cui negocii ratio modusque praecognitus sit.

Ut morbus ad vicinum serpit contagio, sanitas ad aegrotantem non item: Ita ex consuetudine malorum facile boni corrumpuntur, at non contra.

Ut oscitant permulti quod oscitantem conspiciant, & micturiunt quod mejentem viderint: Ita quidam nullo

B certo judicio ad suscipienda negocia permoventur, sed quidvis in aliis imitantur ac referunt.

Ut aromatum, florum, similiumque odor gratior sentitur e longinquo quam e proximis: (offendunt enim nonnunquam naribus admota, quae procul delectabant) Ita sunt, quae si leviter attingas, placeant: sin excutias accuratius, & propius inspicias, gratiam amittunt: quod genus sunt Poetarum fabulae, aut Gentilium historiae.

Ut aromata tum vehementius fragrant, cum moventur ac teruntur franguntur ve: Ita virtutis fama latius spargitur cum exercetur negociis & rebus adversis.

Ut cibi male olentes, non videntur male olere his qui ederint: Ita spurcae Scotistarum & Sophistarum literae

C cum alios melioribus imbutos literis vehementer offendant, ac nauseam moveant, eos qui nugas istiusmodi imbiberunt, nihil offendunt, imo bellae videntur & elegantes.

Ut panthera bene olet, sed non nisi bestiis, quas ad se trahit, hominibus non item olet: Ita Scotus bonis ingeniis gravis est, stupidis istis & bardis quovis aromate gratior.

Ut qui hircosi sunt, gravius olent, cum se unguentis obleverint: Ita foedior est nequitiae fama, si eam doctrinae celebritas reddat magis conspicuam, latiusque traducat in hominum fabulas.

Ut diameter sive dimetiens sic ab angulo ad angulum

D mediam figuram dividit, ut utrinque spacium relinquat aequale: Ita judex in neutram partem debet esse propensior.

Uti sol quo magis in alto est, hoc minores jacit umbras, quo terrae propinquior, hoc majores, puta mane ac vesperi: Ita virtus quo major est & excelsior, hoc minus videri cupit, minusque sese ostentat, contra qui minus ipsa re valent, magisque sese dilatant ostentatione.

Ut majore cum voluptate cantionem audimus notam quam ignotam, etiam si melior sit: Ita iis literis impensius vulgus delectatur, quas didicit.

Ut in Diapason tantus est concentus, ut vox eadem

E esse videatur: Ita veri amici unus sunt animus. Aut sic adulator per omnia subservit ad orationem divitis, ut unum loquentem dicas, non duos.

Ut suavius est antiphonum, quam si vox omnino sit eadem: Sic jucundior amicus, ita concors, ut tamen nonnihil dissideat, quam adulator per omnia observiens.

Ut vasa paria quorum alterum plenum sit, alterum inane, pulsata concentum faciunt διὰ πασῶν: Ita bene convenit inter divitem benignum, & pauperem indigum.

Ut quae praeclara sunt, vix multo cultu proveniunt,

F contra cepe, allium, & quaedam hujusmodi vilia, etiam reposita, aut suspensa proferunt sese: Ita quae sunt egregia non nisi multo contingunt labore: quae mala, passim obvia sunt.

Sicuti vulgo dicunt aquilonem noctu exortum, nunquam ad tertium durare diem: Ita rerum motus qui non ex altis initiis, sed facili causa subitaque proficiscuntur, facile sedantur & conquiescunt in Republica.

Ut venti desituri vehementissime spirare solent: Ita mortales cum maxime efferunt sese, veluti Julius Pontifex, tum proximi exitio solent esse.

Sicuti aquilo initio vehemens, desinit lenior: contra auster initio lenior, desinit vehementior: Ita qui praecipi-

cipites magno impetu rem aggrediuntur, frigescunt in progressu. Contra qui consilio suscipit, magis ac magis accenditur operis progressu.

A

Ut qui acrius cupiunt perspicere, alterum occludunt oculum: Ita judex rectius intelliget justum, si nullius personæ respectu devocetur.

Sicuti lusciosi non cernunt nisi proxime admota, contra senes non nisi longiuscule dissita: Ita quidam diverso laborant morbo. Nam hic negligit amicorum res neque curat, nisi quod proprie ad suum pertinet negocium, contra alii suarum rerum negligentes, in alienis tantum sapiunt.

Ut eodem halitu, sed aliter emisso calfacimus, ac refrigeramus: Ita eadem oratione aliter pronunciata movebitur affectus, aut frigebit.

Sicuti vehementius titillat tactus, & jucundius movet frictus alienus, quam noster: Ita jucundius est laudari ab his qui nobis nulla cognatione aut familiaritate conjuncti sunt.

Non ut ex sapientissimis parentibus stultissimi plerumque nascuntur filii: Ita a doctis præceptoribus indocti discipuli, a probis educatoribus alumni improbi. Nam illic corporum est propagatio, hic animorum. *Dissimile.*

Quod oleum est muscis, formicis, fereque reliquis insectis: id est, adulatio stultis Principibus. Siquidem oleo peruncta moriuntur illa: hi assentatione & obsequio palponum in exitium trahuntur ipsi & trahunt Rempublicam.

Uti sol hominem tingit nigrore, cum linum candefaciat: Ita factum idem huic infamiam conciliabit, illi gloriam & laudem pariet.

Sicuti qui morbo laborant regio, iis mel cæteris dulcissimum, amarum est: Sic sapientiæ præcepta piis jucunda, tristia sunt iis qui pravis affectibus corrupti sunt.

DESIDERII ERASMI ROTERODAMI PARABOLARUM SIVE SIMILIUM, EX PLUTARCHI MORALIBUS, SENECA, LUCIANO, XENOPHONTE, DEMOSTHENE, ARISTOTELE, PLINIO, THEOPHRASTO,

FINIS.



COL-

COLLOQUIA
FAMILIARIA;

AUCTORE

DESIDERIO ERASMO
ROTERODAMO.

DESIDERIUS ERASMUS ROTERODAMUS,

OPTIMÆ SPEI PUERO

JOHANNI ERASMIO FROBENIO

S. D.



Vicit libellus tibi dicatus exspectationem nostram, Erasmi mellitissime: tuum erit videre, ne fallas exspectationem nostram. Ille sic adamatur, sic rapitur, sic teritur manibus studiosæ juventutis, ut & patri tuo fuerit subinde typis excudendus, & mihi novis accessionibus identidem locupletandus; dicas & illum * Ἐράσμιον quempiam esse, deliciasque Musarum sacra colentium. Quo magis adnitendum erit, ut tu quoque sis, quod diceris, hoc est, ut literis & morum probitate sis omnibus bonis carissimus. Vehementer autem pudendum fuerit, si, cum tam multos hic libellus & Latiniores reddiderit, & meliores, tu commiseris, ut ad teipsum non redierit eadem utilitas, quæ per te pervenerit ad omnes. Cumque tam multi sint adolescentes, qui tibi nomine Colloquiorum gratias agunt; nonne merito censeatur absurdum, si tua culpa factum videatur, quo minus mihi possis eodem nomine gratias agere? Accrevit libellus ad justam voluminis magnitudinem; tibi quoque conandum est, ut quantum accrescit ætas, tantum accedat & honestæ eruditioni & morum integritati. Sustines non vulgarem exspectationem: cui respondere necessarium, vincere pulcherrimum fuerit: certe fallere sine summo dedecore non potes. Nec hoc dico, quod hactenus pœniteat profectus tui, sed ut currenti calcar addam, quo curras alacrius; præsertim cum eam ætatem ingressus sis, qua non alia continget felicior, ad imbibenda literarum ac pietatis semina. Fac igitur, ut hæc colloquia vere tua dici possint. Dominus Jesus servet istam ætatem tuam puram ab omnibus inquinamentis, semperque ad meliora provehat. Vale. Basileæ Kalend. August. Anno M D XXIV.

* Ἐράσμιον] Hoc est, *amabilem*: simul allusum ad nomen Auctoris.

INDEX COLLOQUIORUM.



DE-

COLLOQUIA FAMILIARIA.

In primo congressu.



Non temere docet [1] quidam, ut salutemus libenter. Comis enim & blanda salutatio sæpe conciliat amicitiam, inimicitiam diluit; certe mutuam benevolentiam alit augetque. Quidam usque adeo [2] Demeæ sunt, ingenioque agresti, ut vix salutati resalutent.

Nonnullis hoc vitii conciliavit educatio verius, quam natura.

Urbanitatis est salutare obvios, aut eos qui nos adeunt, aut quos adimus ipsi colloquendi gratia. Item operis aliquid agentes, cœnantes, oscitantes, singultientes, sternutantes, tussientes. In ructu crepituve ventris salutare, hominis est plus satis urbani.

Sed incivilius etiam eum salutare, qui reddit urinam, aut alvum exonerat.

Salve pater, salve matercula, salve mi frater, salve præceptor observande, salve multum mi patrue, salve dulcissime nepos.

Urbanum est, addere cognationis aut affinitatis titulum, nisi cum habent aliquid odii: tum enim præstat abuti minus quidem propriis, sed plausibilioribus: Veluti cum novercam salutamus matrem: privignum, filium: vitricum, patrem: sororis maritum, fratrem: fratris uxorem, sororem. [3] Idem in ætatis aut officiorum titulis faciendum. Gratius enim fuerit, si senem, patrem, aut virum eximium salutes, quam ætatis cognomine: etiamsi olim honoris causa dicebatur, [4] ὦ γέρον. Salve præfecte, salve tribune. Non autem, salve caligarie, aut calcearie. Salve adolescens, salve juvenis. Senes ignotos adolescentulos filiorum cognomento salutant, adolescentes vicissim illos patres aut dominos.

Blandior salutatio inter amantes.

Salve { mea Corneliola. / mea vita. / mea lux. / meum delicium. / meum suavium. / mel meum. / mea voluptas unica. / meum corculum. / mea spes. / meum solatium. / meum decus. }

Honoris gratia, aut secus.

Salve here. Ohe, salve tu quoque bone vir. Salve vir ornatissime, clarissime. Salve etiam atque etiam literarum decus. Salve plurimum amicorum optime. Salve mi [5] Mæcenas. Salve patrone singularis. Salve vir spectatissime. Salve unicum hujus ætatis ornamentum. Salve Germaniæ delicium. Salvete quotquot estis una salute omnes. Salvete pariter omnes. Salvete belli homunculi. Salve, congerro lepidissime. Salve vini pernicies. Resp. Salve & tu, gurges, helluoque placentarum. Salve multum, virtutis omnis antistes. Resp. Salve tantundem totius probitatis exemplar. Salve anicula annos nata quindecim. Resp. Salve puella annorum octoginta. Bene sit tibi cum tuo calvitio. Resp. Bene tibi cum lacero naso. Ut salutaris, ita resalutaberis. Si male dixeris, pejus audies. Salve iterum atque iterum. Resp. Et tu salve perpetuum. Salve plus millies. Resp. Equidem malim salvere semel. Salve quantum vis. Resp. Et tu quantum mereris. Salvere te jubeo. Resp. Quid si nolim? Equidem ægrotare malim, quam tua salute salvere.

Salva sit tua { Sanctitas. / Amplitudo. / Celsitudo. / Majestas. / Beatitudo. / Sublimitas. } magis vulgo recepta sunt, quam probata doctis.

In tertia persona.

Sapidus Erasmo suo salutem dicit.
Sapidus Beatum suum plurima salute impartit.

Alia Forma.

Salvus sis Crito. Bene tibi sit vir optime. Resp. Et tibi melius. [6] Pax tibi frater: Christiana salutatio est, a Judæis profecta, neque tamen repudianda. Similis est, Bona vita. Ave præceptor. Resp. Equidem malim habere, quam avere. [7] χαῖρε. Resp. [8] Memento te Basileæ esse, non Athenis. Resp. Cur tu igitur audes Romane loqui, quum Romæ non sis?

Bene precandi Formulæ.

Et bene precari, salutationis genus est.

Gravidæ.

Faxit Deus ut feliciter parias: ut maritum pulchra prole facias parentem. Faxit illa Virgo mater, ut feliciter fias mater. Precor ut hic tumor uteri feliciter subsidat. Velint superi, ut non majore molestia elabatur, quam illapsum est, quicquid hoc est, oneris quod gestas. Donet tibi Deus felix puerperium.

Convivis.

Sit felix convivium. Bene sit universo cœtui.
Precor omnia læta vobis omnibus.
Deus bene fortunet vestrum convivium.

Sternutanti.

Sit faustum ac felix. Servet te Deus. Sit salutiferum. Bene vertat Deus.

Auspicanti quippiam.

Sit felix & faustum Reipublicæ. Bono sit omnibus quod instituis. Bene vertat quod agis. Bene fortunet Deus tuos labores. Faveant superi tuis conatibus. Quæso ut quod instituisti, superis bene fortunantibus, feliciter absolvas. Bene fortunet Christus opt. max. quod in manibus est. Feliciter cedat quod instituisti. Feliciter exeat quod aggressus es. Rem sanctam aggressus es, precor ut felix sit exitus, ac prosperum numen aspiret pulcherrimis cœptis. Christus bene cœpta secundet. Prospere succedat quod auspicatus es. Deum opt. maximumque precor, ut istud consilium quam est honestum, tam sit & felix. Bonis avibus cœpta res, melioribus exeat. Precor ut bonis avibus Italiam adeas, melioribus redeas. Opto tibi felicem cursum, & recursum feliciorem. Faxit Deus, ut itinere hoc feliciter peracto, brevi tibi prosperum reditum gratulemur. Contingat tibi feliciter & navigare, & renavigare. Sit iter lætum, reditus lætior. Utinam ista profectio tibi succedat ex animi tui sententia. Utinam tibi tam jucunda sit ista profectio, quam nobis erit interim molestum tui desiderium. Bonis auspiciis solvas ancoram. Precor ut ex utriusque votis succedat hoc iter. Precor ut hic contractus commodo, bonoque sit utrisque. Precor ut hoc matrimonium voluptati sit omnibus nobis. Sospitet te Jesus opt. max. Superi propitii te nobis incolumem restituant. Servet te Deus animæ dimidium meæ.

1 *Quidam*] In præceptis *Dionys. Catonis* ad Filium.

2 *Demeæ sunt*] Demea, *Terentio* senex, durus, ac difficilis: unde proverbialiter austeros, *Demeas* vocamus.

3 *Idem*] Quod ab Hor. in Sat. præcipi videmus: *Frater, pater adde: Ut cuique est ætas, ita quemque facetus adopta.*

4 Ὦ γέρον] Honorificum est, quando munus sonat senatoris. non meram ætatem provectiorem.

5 *Mæcenas*] Gr. *Μαικήνας*. Vir equestris ordinis, ortus sanguine Regio, familiarissimus fuit Augusto Cæsari; & singularis fautor doctorum virorum, & inprimis Poetarum: inde factum ut nomen ejus in proverbium abierit pro litteratorum patrono. *Martialis:*

Sint Mæcenates, non deerunt Flacce Marones.

Adi Mæcenatis vitam a *J. Henr. Meibomio* conscriptam.

6 *Pax tibi*] Hebræi aliique populi orientales hac formula salutandi & bene precandi utebantur: qua omne prosperitatis genus iis exoptabant, quos salutabant. Jud. 19. 20. 1 Sam. 25. Est etiam locutio qua timentibus animum addimus. Gen. 43. 23.

7 Χαῖρε.] Imperativus a *χαίρω, gaudeo, delector*: aliquando est salutantis, aliquando valedicentis.

8 *Memento te Basileæ esse, &c.*] Allusum est ad id quod refert Cicero ex Lucilio de Scævola ridente Albutium græcizantem Romæ, libro 1. de finibus.

meæ. Opto tibi reditum incolumem. Precor ut hic annus A
tibi lætis auſpiciis ineat, lætioribus procedat, lætiſſimis
exeat, ac ſæpius recurrat ſemper felicior. RESP. At ego
viciſſim tibi multa ſecula feliciſſima precor, ne tu gratis ſis
nobis bene precatus. Precor ut hic dies tibi candidus illu-
xerit. Precor ut hic ſol tibi felix ſurrexerit. RESP. Tan-
tundem tibi reprecor. Sit felix exortus hujus diei, & ſit u-
trique noſtrum proſperrimus. Opto tibi noctem proſperam
pater. Precor tibi noctem placidam. Contingat tibi felix
ſomnus. Det Deus placidam quietem. Det ſomnum abſque
ſomniis. Faxit Deus, ut aut placide dormias, aut feliciter
ſomnies. Sit tibi fauſta nox. RESP. At ego tibi, quando
gaudere ſoles lucro, pro una fauſta mille precor fauſtiſſimas.

Vale, in digreſſu.

Valete omnes. Bene vale. Cura ut quam rectiſſime va- B
leas. Valetudinem tuam cura diligenter. Jubeo te bene va-
lere. Jam me tempus alio vocat, tu valebis. Valeto quam
optime. Vale [1] pancratice, aut ſi mavis [2] athletice. Vale
ut dignus es. Vale ut meritus. In hoc biduum valebis. Si
me dimittis, valebis in craſtinum. Numquid vis? Eſt aliud
quod me velis? RESP. Nihil, niſi ut proſpere valeas. Da
operam ut ſis proſpera valetudine. Age curam valetudinis
tuæ. Habe curam ſalutis tuæ. Fac ut proximo congreſſu
te lætum ac nitidum videamus. Jubeo te curare cuticulam.
Cura ut ſit mens ſana in corpore ſano. Da operam, ut totus
valeas, tum corpore, tum animo. RESP. Dabitur quidem
opera. Valebis tu quoque. Tibi viciſſim precor proſperam
valetudinem. C

Salutare per alium.

Frobenium jubebis meo nomine ſalvere plurimum:
Eraſmiolum item mea cauſa ſalutabis diligenter. Tum
matri Gertrudi quam potes officioſiſſime ex me ſalutem
dicito. Dic me omnibus omnia læta precari. Salutabis
mihi ſodalitatem diligenter. Amicos omnes meis verbis
ſalutato. Uxori ſalutem ex me annunciabis. Fratri tuo in
literis tuis meo nomine ſalutem adſcribes. Mei vice ſalu-
tabis affinem meum. Num quid tuis mandas per me? RESP.
Ut recte valeant. Eſtne quod velis ad tuos perferri me nun-
cio? RESP. Multam ſalutem omnibus, ſed præcipue pa-
tri. Sunt quos per me tuo nomine velis ſalutatos? RESP.
Omnes qui de me percontabuntur. Salutem quam mihi ab D
amicis attuliſti, illis multo cum fœnore referes. Quorum
nomine mihi ſalutem attuliſti, hos omneis mea gratia viciſ-
ſim ſalutabis accurate. In amicis ſalutandis ſis quæſo mihi
vicarius. Salutaſſem generum meum per litteras, ſed tu mi-
hi apud illum Epiſtolæ vice fueris. Heus heus, quo prope-
ras? RESP. Recta Lovanium. RESP. Reſiſte paulliſper,
eſt quod tibi mandem. RESP. Atqui pediti non convenit
ſarcina. Quid rei eſt? RESP. Ut Goclenium, Rutgerum,
Joannem Campenſem, totumque chorum [3] trilinguem mi-
hi ſalutes. RESP. Si nihil aliud imponis ſarcinæ præter ſa-
lutes, facile perferam. RESP. Atqui ne gratis iſtud facias,
precor ut tibi quoque eunti ac redeunti ſalus ſit comes. E

Reducem quomodo ſalutare oporteat.

Salvum te advenire gaudemus. Soſpitem adeſſe volupe
eſt. Te nobis redditum eſſe, voluptati eſt. Gratulamur
tibi felicem reditum. Gratia ſuperis quod nobis incolumis
redieris. Quo moleſtius fuit nobis tui deſiderium, hoc red-
ditus conſpectus tui jucundior eſt. Gratulamur & tibi, &
nobis, quod vivus ac valens nobis reſtitutus ſis. Hoc redi-
tus tuus eſt nobis jucundior, quo minus exſpectatus. RESP.
Ego viciſſim lætor, quod incolumis vos incolumes offende-
rim. Quod te ſalvum repererim, vehementer gaudeo.
Non viderer mihi rediſſe ſalvus, niſi vos ſalvos repériſſem.
Nunc demum mihi videor ſoſpes, cum vos incolumes ac
pulchre valentes conſpicio. F

Percontandi Forma in primo congreſſu.

GEORGIUS, LIVINUS.

GE. EX qua tandem corte aut cavea nobis ades? LI.
Quid ita? GE. Quia male ſaginatus. Quia macie
pelluces totus, ariditate crepitas. Unde prodis? LI. E col-
legio [4] Montis acuti. GE. Ergo ades nobis onuſtus literis.
LI. Imo pediculis. GE. Pulchre comitatus advenis. LI.
Sane, nec tutum eſt nunc viatorem ire incomitatum. GE.
Agnoſco ſodalitium ſcholaſticum. Ecquid novarum rerum
affers e Lutetia? LI. Illud in primis, quod ſcio, tibi vide-
bitur incredibile: Lutetiæ Beta ſapit, & Quercus concio-
natur. GE. Quid tu narras? LI. Hoc quod audis. GE.
Quid ego audio? LI. Hoc quod narro. GE. Monſtri ſi-
mile. Oportet illic fungos & lapides eſſe auditores, ubi ta-
les concionentur. LI. Atqui ſic res habet. Nec audita nar-
ro, ſed comperta. GE. Oportet igitur illic plurimum ſa-
pere homines, ſi ſapit Beta & Quercus. LI. Recte con-
jectas.

Alia.

GE. Valeſne? LI. Contemplare vultum. GE. Quin
potius lotium jubes? An me putas medicum? Non rogo,
quid valeas, nam facies ipſa loquitur te belle valere, ſed
quomodo tibi placeas. LI. Corpus quidem belle habet,
ſed animo male eſt. GE. At non valet, qui iſthac parte la-
borat. LI. Sic res habent meæ: Corpus valet, ſed ægrotat
crumena. GE. Facile iſti morbo medebitur mater. Ut va-
luiſti uſque? LI. Varie, ut ſunt res mortalium. GE. Satin'
recte vales? Salvane res? Satin' ſalvæ res? Fuiſtine ſemper
proſpera valetudine? LI. Proſperrima, gratia ſuperis. Ego
Dei beneficio perpetuo belliſſime valui. Semper proſpera
valetudine ſum uſus. Hactenus bona valetudine fui, fauſta,
incolumi, felici, proſpera, ſecunda, integra, [5] baſilica,
athletica, pancratica valetudine. GE. Faxint ſuperi ut iſt-
huc ſit perpetuum ac proprium. Lætus iſthuc audio. Vo-
luptatem mihi nuncias. Eſt iſthuc mihi auditu perquam
jucundum. Sermonem iſtum ex te audire ſupra modum
gaudeo. Iſthuc haud invitus audio. Oppido lætor iſthuc
audire ex te. Ut idem ſemper facias, opto. Ut ad iſtum mo-
dum quam diutiſſime valeas, opto. Tibi gratulor, mihi
gaudeo. Gratia ſuperis. Gratiam habeo ſuperis. LI. Equi-
dem pulchre valeo, ſi tu vales. GE. Nihil interim moleſtiæ
fuit? LI. Nihil, niſi quod veſtra conſuetudine frui non li-
cuit. GE. Quo pacto vales? LI. Recte, pulchre, belle,
perbelle, belliſſime, perpulchre, feliciter, commode, mi-
nime male. Valeo ut volo potius, quam ut mereor: [6] baſi-
lice, pancratice, athletice. GE. Exſpectabam ut diceres
etiam, taurice.

Male valere.

GE. Rectene vales? LI. Vellem quidem. Non ad-
modum ex ſententia. Equidem utcunque valeo. Sic ſatis.
Valeo ut poſſum, quando ut volo non licet. Ut ſoleo. Ita
ut ſuperis viſum eſt. Non optime ſane. Sic ut antehac pe-
jus nunquam. Valeo ut ſolitus ſum. Valeo ut ſolent, qui-
bus cum medicis res eſt. GE. Ut vales? LI. Secus quam
vellem. GE. Qua valetudine es? LI. Haud ſane commo-
da, incommoda, perquam incommoda, infelici, parum
proſpera, parum ſecunda, mala, adverſa, infauſta, imbe-
cilli, dubia, mediocri, vix mediocri, longe alia quam vel-
lem, tolerabili, qualem optem hoſtibus meis. GE. Rem
mihi ſane quam acerbam narras. Prohibeant ſuperi. Aver-
tat Deus. Bona verba. Hic cupiam te vanum eſſe. Bono ſis
animo oportet. Forti infractoque ſis animo. Multum ju-
vat animus in re mala bonus. Fulciendus eſt animus ſpe for-
tunæ ſecundioris. Quid morbi eſt? Quod mali genus eſt?
Quis te morbus habet? Quo morbo teneris? Quid habes
morbi? Quis te tenet morbus? LI. Neſcio, & hoc laboro
periculoſius. GE. Verum. Nam ad ſanitatem gradus eſt,
noviſſe morbum. Nulloſne conſuluiſti medicos? LI. Equi-
dem permultos. GE. Quid reſpondent? LI. Id quod [7] ad-
vocati Demiphoni apud Comicum, alius negat, alius ait,
alius deliberandum cenſet. In hoc conſentiunt omnes, me
miſerum eſſe. GE. Quam pridem habet te hoc mali? Diu
eſt quod teneris iſto morbo? Quantum temporis eſt quod te
malum hoc corripuit? LI. Dies plus minus viginti. Ferme
menſis eſt. Jam tertius eſt menſis. Mihi quidem ſeculum
videtur, quod ægrotare cœpi. GE. Adnitendum cenſeo ne
mor-

1 *Pancratice*] Pro eo, quod eſt firma eſſe valetudine: nam in *Pancratiaſtis* robur corporis potiſſimum ſpectabatur: ſic dict. Ἀπὸ τοῦ πάντα κρατεῖν, a vincendo ſcil. curſu, diſco, ſaltu, lucta & pugilatu; vel quia utebantur παντὶ κράτει, *omni genere virium.*

2 *Athletice*] Athletice valere, eſt optime & firmiſſime valere; ut Athleta ſeu luctator, & ad luctationem inſtitutus; qui athletico robore contra adverſarios exercendo ſe munit. Vide adhortationem *Menodoti* ad bonarum artium ſtudia, in hoc Tom. 1. Operum *Eraſmi.*

3 *Trilinguem*] Græce, Latine, Vernacule ſcientem.

4 *Montis acuti*] Gall. *Montaigu*, hoc eſt Belg. *Scherpen-heuvel.*

5 *Baſilica*] Regalis, excellens, ſplendida. Quid ſit *pancratica* & *athletica*, dictum ſupra.

6 *Baſilice*] Id eſt, magnifice, ſplendide, ut Reges, qui diligentius curant valetudinem. Vox Plautina.

7 *Advocati Demiphoni*] Vid. *Terent.* Phorm. Act. II. ſ. 4.

morbus fiat familiaris. L I. Jam nimium aſſuevit. G E. Num eſt hydrops? L I. Negant. G E. Num dyſenteria? L I. Non arbitror. G E. Num febris? L I. Opinor febris eſſe ſpeciem, ſed novam, ut nunc novi ſubinde morbi exoriuntur, antehac incogniti. G E. At plus ſatis erat veterum. L I. Ita viſum eſt naturæ nimium novercæ. G E. Quoto die recurrit dolor? L I. Quoto die narras? imo quotidie, ſæpius: quam [1] Euripus. G E. Papæ! malum abominandum. Unde contraxiſti morbum? Unde ſuſpicaris hoc eſſe collectum mali? L I. Ex inedia. G E. At non ſoles uſque adeo ſuperſtitioſus eſſe, ut te jejunio maceres. L I. Non erat religio, ſed inopia. G E. Quænam? L I. Quia non dabatur cibus. E frigore natum arbitror. E putribus ovis morbum ortum ſuſpicor. E vino plus ſatis diluto. E crudis malis contracta eſt ſtomachi cruditas. G E. Vide ne ex immodico aut intempeſtivo ſtudio conciliaris hoc mali, aut ex potatione largiore, aut Venere parum moderata. Quin accerſis medicum? L I. Timeo ne citius morbum augeat, quam adimat. Metuo ne pro remedio det venenum. G E. Deligendus eſt igitur cui tuto fidas. L I. Si moriendum eſt, malo ſemel mori, quam tot pharmacis excarnificatus. G E. Fac igitur ut ipſe tibi ſis medicus. Si diffidis homini medico, precor ut ſit tibi medici vice Deus. Sunt qui tecti cuculla Dominicali aut Franciſcana revaluerunt. L I. Idem fortaſſis eveniſſet, ſi lenonis pallio tecti fuiſſent. Verum iſta diffidenti nihil conducunt. G E. Fide igitur, ut reviviſcas. Alii morbo levati ſunt, nuncupatis alicui divo votis. L I. At ego cum divis non paciſcor. G E. Proinde tu vel a Chriſto, cui fidis, pete ſanitatis beneficium. L I. At ego, an beneficium ſit, neſcio. G E. An non beneficium eſt, liberari morbo? L I. Nonnunquam mori felicius eſt. Ab illo nihil peto, niſi ut, quod ſcit optimum eſſe, mihi largiatur. G E. Sume quod alvum dejiciat. L I. Jam ſua ſponte cita eſt. G E. Ciendus eſt alvus. Movendus eſt alvus. L I. Imo ſiſtendus eſt magis, nam plus ſatis profluit.

Alia.

G E. Fuitne tibi hoc iter fauſtum & commodum? L I. Sic ſatis: niſi quod nihil uſquam tutum eſt a latronibus. G E. Hic eſt belli ludus. L I. Eſt, ſed ſceleratiſſimus. G E. Pedes advenis, an eques? L I. Partim pedeſtri itinere, partim vehiculo, partim equo, partim navigio. G E. Quo in ſtatu ſunt res Gallicæ? L I. Sane turbulento. Magnæ bellorum minæ ſunt. Quid mali allaturi ſint hoſtibus, neſcio: certe Galli jam ipſi non dicendis malis affliguntur. G E. Unde proficiſcuntur iſti bellorum tumultus? L I. Unde, niſi ex ambitione Monarcharum. G E. At horum prudentia conveniebat ſedari rerum humanarum tempeſtates. L I. Sedant illi quidem, ſed ut Auſter mare. Perſuadent ſibi ſe Deos eſſe, ſuaque cauſa mundum hunc eſſe conditum. G E. Imo princeps Reipublicæ gratia conſtituitur, non Reſpublica principis cauſa. L I. Imo non deſunt Theologi, qui [2] frigidam ſuffundant, & ad hos tumultus [3] claſſicum canant. G E. Iſtos ego ſtatuerem in prima acie. L I. At illi ſibi cavent [4] poſt principia. G E. Iſta publica fatis curanda relinquamus. Tuæ res quo tandem in ſtatu ſunt? L I. Optimo, felici, mediocri, tolerabili. G E. Quo pacto ſe res habent tuæ? num ex voto? L I. Imo ſupra votum, ſupra meritum, ſupra ſpem. G E. Satin' ex ſententia? Satin' ſalva omnia? Satin' proſpera omnia? L I. Res in pejore ſtatu eſſe non poteſt. Pejore in loco negocium non poteſt eſſe. G E. Non cepiſti igitur quod captabas? non contigit præda quam venabaris? L I. Venabar equidem, ſed irata [5] Delia. G E. Nihil reliquum eſt ſpei? L I. Spei permultum, ſed rei nihil. G E. Epiſcopus nihil oſtendit ſpei? L I. [6] Tota plauſtra, totaſque ſpei naves, ſed præterea nihil. G E. Nihil adhuc miſit? L I. Promiſit quidem largiter, at ne teruncium quidem miſit. G E. Ergo ſpe alendus eſt animus. L I. Sed hac non ſaginatur venter. Qui ſpe aluntur, pendent, non vivunt. G E. Attamen hoc eras ad iter expeditior, quod nihil eſſet oneris in [7] zona. L I. Fateor; atque etiam tutior. Nulla enim ſunt arma certiora adverſus latrones. Sed ego malim & onus, & periculum. G E. Nihilne tibi ademptum eſt in via? L I. Mihi ne? Quæſo, quid eripias nudo? Aliis citius periculum erat a me. Licuit mihi [8] vacuo viatori per totum iter canere & eſurire. Num quid vis? G E. Quo nunc hinc abis? L I. Recta domum, ſalutaturus penates jamdiu non viſos. G E. Precor ut illic offendas omnia læta. L I. Utinam ita velint ſuperi. Nihil interim exſtitit novi domi noſtræ? G E. Nihil, niſi quod reperies auctam familiam. Nam tua catulla peperit tibi catulum abſenti. Tua gallina peperit tibi ovum. L I. Bene nuncias. Grata nuncias. At ego tibi pro iſthoc nuncio polliceor [9] euangelium. G E. Quodnam? ſecundum Matthæum? L I. Non, ſed ſecundum Homerum. En, accipe. G E. Tibi ſerva tuum euangelium. Mihi ſaxorum ſatis eſt domi. L I. Ne ſperne munuſculum: Aëtites eſt, qui gravidis admotus in nixu, maturat partum. G E. Quid ais? Eſt mihi ſane gratiſſimum. Diſpiciam unde poſſim hoc donum penſare. L I. Abunde penſatum puta, ſi boni conſulueris. G E. Imo nihil accidere potuit magis in tempore: nam uxori meæ jampridem tumet uterus. L I. Illud igitur abs te ſtipulabor, ut ſi maſculum ediderit, me ſuſceptorem aſciſcas. G E. Polliceor; ac tuum indetur puero nomen. L I. Quod utriſque bene vertat. G E. Imo nobis omnibus.

Perſonæ:

MAURITIUS, CYPRIANUS.

M A. Rediſti nobis obeſior ſolito. Rediſti procerior. C Y. At equidem mallem prudentior, aut doctior. M A. Imberbis abieras, rediſti barbatulus. Contraxiſti tibi abſens nonnihil ſenii. Quid ſibi vult hic pallor? quid macies? quid frons caperata? C Y. Ut eſt fortuna, ſic eſt corporis habitus. M A. Num adverſa? C Y. Nunquam mihi quidem alias ſecunda, ſed nunquam, quam nunc, reflavit odioſius. M A. Doleo vicem tuam. Dolet mihi tua calamitas. Sed quid iſthuc mali eſt? C Y. Univerſæ pecuniæ naufragium feci. M A. In mari? C Y. Non, ſed in littore nondum navem ingreſſus. M A. Ubinam? C Y. In littore Britannico. M A. Bene habet quod ipſe nobis vivus enataſti. præſtat pecuniæ jacturam facere, quam vitæ. Levius eſt pecuniæ diſpendium, quam famæ. C Y. Vita famaque incolumi, periit pecunia. M A. Vita ſarciri nullo pacto poteſt, fama ægre poteſt, pecunia facile alicunde ſarcietur. Qui malum hoc accidit? C Y. Neſcio, niſi quod ſic erat in fatis meis. Sic viſum eſt ſuperis. Sic libuit [10] genio meo malo. M A. Vides igitur, doctrinam ac virtutem tutiſſimas eſſe divitias, quæ nec eripi poſſunt, nec gravant circumferentem. C Y. Pulchre tu quidem philoſopharis, ſed interim ego ringor.

Alia. Perſonæ:

CLAUDIUS, BALBUS.

C L. Gratulor tibi reduci, Balbe. B A. Et ego tibi ſuperſtiti, Claudi. C L. Gratulor tibi in patriam reverſo. B A. Imo gratulare magis e Gallia profugo. C L. Quid ita? B A. Quia illic bellis fervent omnia. C L. Quid Muſis cum Marte? B A. Atqui illic ne Muſis quidem parcitur. C L. Tu igitur feliciter elapſus es. B A. At non ſine periculo. C L. Totus alius nobis rediſti. B A. Qui ſic? C L. Ex Hollando verſus es in Gallum. B A. Quid? an capus eram quum hinc abirem? C L. Veſtis indicat te mutatum ex Batavo in Gallum. B A. Hanc metamorphoſin malim, quam in gallinam. Sed ut cuculla non facit monachum, ita nec veſtis Gallum. C L. Jam ne calles Gallice? B A. Sic ſatis. C L. Quo pacto didiciſti? B A. A magiſtris haudquaquam mutis. C L. Quibus? B A. A mulierculis, quo-

1 *Euripus*] Rapidum fretum inter Eubœam & Bœotiam, alterno curſu, ſepties die, & ſepties nocte, fluctibus invicem verſis, adeo immodice fluens, ut ventos etiam, & plenis velis navigia fruſtretur. Hinc *Euripus homo*, adag. in inconſtantes & qui moribus inæqualibus ſunt. Vide *Chil.* 1. *Cent.* IX, 62.

2 *Frigidam ſuffundere*] Eſt clanculum inſtigare. Tranſlatum ab officinis ærariis, ubi fabri ſubinde frigidam in ignem aſpergunt, quo ignis ſit vehementior. Vide *Chil.* 1. c. X, 51.

3 *Claſſicum canere*] Pro diſſidium excitare. Nam *claſſicum canere*, eſt ſignum dare, quo milites pugnam ineant.

4 *Poſt principia*] Quaſi extra telorum jactum. Sumptum a bello: ubi ſummum periculum eſt iis, qui in prima ſtant acie.

5 *Delia*] Diana venationis Dea.

6 *Tota plauſtra*] Græci ὅλας ἁμάξας. Nam *plauſtrum* eſt, quo onera & moles vehuntur. Vide *Chiliad.* 1. cent. 8. prov. 7.

7 *Zona*] Ζώνη, cingulum, a ζωννύω, *cingo*. In ſpecie eſt zona lata, & ea quæ capacitatem habet, in qua æra ſeu pecuniam ferebant veteres, viatores, milites, &c.

8 *Vacuo viatori*] Alluſum ad illud Juvenalis:

Cantabit vacuus coram latrone viator.

9 *Euangelium*] Jocus eſt in ambiguo: nam *Euangelium* dicitur munus quod datur rem lætam nuntianti.

10 *Genio meo malo.*] Hunc Græci Ἀλάστορα nuncupant. Adito *Plutarchum*, de Animi Tranquillitate, & *Steph. Clericum*, Quæſtione Sacra. V.

A quovis [1] turture loquacioribus. CL. In tali ludo facile discimus loqui. Sonasne probe sermonem Gallicum? BA. Imo & Latinum sono Gallice. CL. Numquam igitur scribes bona carmina. BA. Cur ita? CL. Quia periit tibi syllabarum quantitas. BA. Mihi satis est qualitas. CL. Quid? estne Lutetia immunis a pestilentia? BA. Non est, sed perpetua non est: aliquando remittit sese, mox recrudescit, nonnumquam intermittitur, deinde recipit sese. CL. Non sat erat malorum ubi bellum est? BA. Erat, nisi secus esset visum superis. CL. Annonæ caritatem istic esse oportet. BA. Imo penuriam. Omnium rerum illic inopia est, præterquam sceleratorum militum. Bonorum virorum illic est mira vilitas. CL. Quid accidit Gallis, ut bellum suscipiant cum Aquila? BA. Quia movet illos exemplum [2] scarabæi, B qui non cessit aquilæ. In bello nemo sibi non videtur Hercules. CL. Non te remorabor diutius. Alias latius nugabimur, quum erit utrique commodum. Nunc alio me vocant negociola quædam.

Domestica Confabulatio. Persona:

PETRUS, MIDA puer, JODOCUS.

PE. HEus heus puer, nemon' huc prodit? MI. Hic opinor effringet fores. Familiarem oportet esse. O lepidum caput! Quid adfers mi Petre? PE. Me ipsum. MI. Næ tu rem haud magni precii huc attulisti. PE. Atqui magno constiti patri meo. MI. Credo pluris quam revendi possis. PE. Cæterum Jodocus estne domi? MI. Incertus sum; sed visam. PE. Quin tu potius abi, & roga ipsum an velit nunc esse domi. MI. Abi tu potius, sisque tibi ipsi [3] Mer- C curius. PE. Heus Jodoce, num es domi? JO. Non sum. PE. Impudens, non ego audio te loquentem? JO. Imo tu impudentior. Nuper [4] ancillæ tuæ credidi te non esse domi, & tu non credis mihi ipsi? PE. Æquum dicis, par pari relatum. JO. Equidem ut [5] non omnibus dormio, ita non omnibus sum domi. Tibi posthac semper ero. PE. Sed tu mihi videre [6] cochleæ vitam agere. JO. Qui sic? PE. Quia perpetuo domi latitas, nec usquam prorepis. Non secus atque [7] claudus sutor, jugiter domi desides. Tu tibi domi situm contrahis. JO. [8] Est quod agam domi; foris nihil est negocii. Et si quid esset, tamen hoc cœlum me dies aliquot a publico cohibuisset. PE. At nunc sudum est, & invitat ad deambu- D landum. Vide ut blanditur. JO. Si prodeambulare lubet, non recuso. PE. Plane videtur hoc utendum cœlo. JO. Asciscendus est unus aut alter congerro. PE. Fiet, modo dicas quos velis. JO. Quid si Hugonem? PE. Haud multum interest inter Hugonem & nugonem. JO. Age, Placet. PE. Quid si Alardum? JO. Homo minime mutus est. Quod auribus diminutum est, lingua pensat. PE. Si videtur, Nevium adjungemus. JO. Si quidem dabitur illius copia, nunquam erit fabularum inopia. Placent confabulones, superest ut locum dispicias amœnum. PE. Ego vero tibi locum ostendam, ubi nec nemoris umbram, nec pratorum smara- E gdinum virorum, nec fontium vivas scatebras desiderabis. Dices dignam Musis sedem. JO. Magnifice polliceris. PE. Nimium affixus es libris. Nimium assides libris. Immodico studio te ipsum maceras. JO. Malim studio macrescere, quam amore. PE. At non ideo vivimus, ut studeamus: sed ideo studemus, ut suaviter vivamus. JO. Mihi vero vel immori chartis dulce est. PE. Equidem immorari probo, im-

1 *Turture loquacior.*] Adag. in garrulos impendio loquaces. Vide Chil. I. Cent. V. 30.

2 *Scarabæus*] Belg. *een schalbyter, torr.* Insecti genus, teneras habens pennas crusta tectas, stercore potissimum sese alens. Proverbium est, *scarabæus aquilam quærit*: cum scil. imbecillior longe potentiori malum molitur.

3 *Mercurius*] Id est, nuntius & interpres.

4 *Ancillæ credidi*] Allusum est ad id, quod Cicero refert de Ennio & Nasica. Lib. II. de Oratore.

5 *Non omnibus dormio*] Non omnibus dormire dicuntur, qui non omnibus inserviunt, neque per omnia gerunt morem. Hinc natum Adag. cum Galba quispiam convivio Mæcenatem excepisset, sentiretque jam e nutibus hominem inflammatum in uxorem suam; sensim dimisit caput, perinde quasi dormiret: at cum interea famulus quispiam ad mensam accedens, vinum clam tolleret; ibi jam vigil & oculatus: *Infelix*, inquit, *an nesciebas me soli Mæcenati dormire.* Vide Chil. I. Cent. VI. 4.

6 *Cochleæ vitam*] Cochleæ vita, de iis, qui ut plurimum domi sedent. Vide Chil. IV. Cent. IV. 57.

7 *Claudus sutor*] Plautinum est Aulul. sc. I. act. I.

8 *Est quod agam domi*] Allusum est ad carmen Homeri, Hymn. in Mercur.

Οἴκοι βέλτερον εἶναι. Ἐπεὶ βλαβερὸν τὸ θύρηφι.
Domi melius est esse: quoniam noxium quod foris.

mori non probo. Ecquid voluptati fuit hæc deambulatio? JO. Me quidem vehementer oblectavit.

Alia. Persona:

ÆGIDIUS, LEONARDUS.

ÆG. QUo noster Leonardus? LE. Ad te ibam. ÆG. Istud quidem facis insolens. LE. Quam ob rem? ÆG. Quia jam annus est, quod nos non inviseris. LE. Malo in hanc peccare partem, ut desiderer, quam ut obtundam. ÆG. Imo boni amici nulla est apud me satietas. Imo quo crebrius venies, hoc mihi venies gratior. LE. Quid interim agitur domi tuæ? ÆG. Multa sane quæ nolim. LE. Non miror. Sed jamne peperit uxor? ÆG. Jamdudum, & quidem gemellos. LE. Quid ego audio? ÆG. Sic res habet: atque illi jam denuo tumet uterus. LE. Isthoc pacto solet augeri familia. ÆG. Sed utinam fortuna sic augeret pecuniam, ut uxor familiam. LE. Jamne elocasti filiam? ÆG. Nondum. LE. Vide ne parum tutum sit virginem tam grandem detinere domi. Quærendus est gener aliquis. ÆG. Nihil opus. Jam proci complures illam ambiunt sponsam. LE. Quid igitur superest, nisi ut e multis deligas, qui tibi maxime sit accommodus? ÆG. Omnes ejusmodi sunt, ut nesciam quem cui præferam: sed abhorret a nuptiis filia. LE. Quid ais? Atqui, ni fallor, jamdudum nubilis est. Jamdudum est apta viro, matura conjugio. Jampridem est tempestiva viro. ÆG. Quidni, annum egressa jam decimum septimum? Major annis duodeviginti. Annum jam agens undevigesimum. Annos nata decem & octo. LE. Cur abhorret igitur a matrimonio? ÆG. Ait se velle Christo nubere. LE. Sane multas habet ille sponsas. An malo genio nupsit, quæ caste vivit cum marito? ÆG. Mihi quidem non videtur. LE. Quis Deus hunc affectum afflavit filiæ? ÆG. Nescio, sed abduci ab hoc proposito nullis rationibus potest. LE. Vide ne sint incantatores, qui instigent & allectent. ÆG. Novi ego istos plagiarios. Sedulo arceo hoc hominum genus ab ædibus meis. LE. Quid igitur est in animo? Morem geres animo puellæ? ÆG. Equidem obluctabor quoad licebit. Nihil non experiar, quo mutem illius sententiam. Quod si pertendet, ut cœpit, non pugnabo cum illius animo, ne forte videar [9] θεομαχεῖν, vel potius [10] μοναχομαχεῖν. LE. Religiose tu quidem loqueris. Sed etiam atque etiam fac explores virginis constantiam, ne post facti pœniteat, cum mutare non erit integrum. ÆG. Equidem adnitar pro mea virili. LE. Quid rerum gerunt filii? ÆG. Natu maximus jamdudum maritus est, brevi pater futurus. Minimum ablegavi Lutetiam. Nam hic nihil aliud quam ludebat. LE. Quid eo? ÆG. Ut Magister nobis redeat stultior, quam exierat. LE. Bona verba. ÆG. Medius jam cœpit initiari sacris. LE. Precor ut bene vertat omnibus.

Alia. Persona:

MOPSUS, DROMO.

MO. QUid fit? Quid agitur Dromo? DR. Sedetur. MO. Video. Sed quomodo se res habent tuæ? DR. Ut solent iis, quibus superi sunt parum propitii. MO. Isthuc ominis avertat Deus. Quid agis? DR. Equidem ocium ago. Id quod vides, nimirum nihil. MO. [11] Præstat ociosum esse, quam nihil agere. Ego te fortassis occupatum seriis negociis interpello. DR. Imo maxime vacuum. Jam enim me ceperat ocii tædium, & congerronem desiderabam. MO. Fortassis impedio, interrumpo, interturbo tua negocia. DR. Imo tædium ocii discutis. MO. Da veniam si te parum in tempore interpellavi. DR. Imo ipso in tempore advenis. Opportune te huc attulisti. Optatus ades. Interventus tuus est mihi vehementer gratus. MO. Fortassis aliquid seriæ rei inter vos agitur, cui nolim esse impedimento. DR. Imo [12] lupus, quod ajunt, ades in fabula. Nam de te sermo erat. MO. Facile crediderim: nam mihi huc venienti mire tinniebat auris. DR. Utra? MO. Læva. Unde conjicio nihil magnifice de me fuisse prædicatum. DR. Imo nihil non honorificum. MO. Vanum igitur fuerit oportet. Sed quid est bonæ rei? DR. Ajunt te venato-

9 *Θεομαχεῖν*] Id est, cum Deo pugnare.

10 *Μοναχομαχεῖν*] Id est, cum Monachis pugnare. Finxit ad formam verbi μονομαχεῖν, quod est singulari certamine congredi.

11 *Præstat ociosum*] Attilii facete dictum apud Plin. lib. I. Epist. *Ociosum esse*, est esse in ocio litterario, quod honestum, jucundum & fructuosum est; *Quam nihil agere*, quam multis rebus inanibus implicari.

12 *Lupus ades in fabula*] Prov. cum de improviso intervenit is, de quo mentio. Vide Chil. III. Cent. VIII. 57. & Chil. IV. Cent. V. 50.

natorem esse factum. Mo. Imo jam [1] intra casses meos A est præda quam venabar. Dr. Quænam? Mo. Lepida puella quam perendie ducturus sum: vosque oro ut meas nuptias vestra præsentia dignemini honestare. Dr. Quænam est sponsa? Mo. Aloisia Chremetis filia. Dr. Egregium spectatorem formarum! Tuis oculis adlubuit illa, nigro capillitio, simis naribus, ore prælargo, ventre prominulo? Mo. Desinite. Mihi eam duxi, non vobis. Non sat est, quod [2] suo regi pulchra est regina? Ita demum mihi illa placebit, si vobis non admodum placeat.

Alia.

SYRUS, GETA.

Sy. Opto tibi multam felicitatem. Ge. Et ego tibi conduplicatum opto, quicquid optas mihi. Sy. Quid B agis rei? Ge. Confabulor. Sy. Quid? confabulare solus? Ge. Ut vides. Sy. Fortasse tecum. Proinde tibi videndum, ut cum homine probo fabuleris. Ge. Imo cum lepidissimo congerrone confabulor. Sy. Quo? Ge. Apulejo. Sy. Istud quidem nunquam non facis. Sed [3] amant alterna Camœnæ. Tu perpetuo studes. Ge. Non est ulla studiorum satietas. Sy. Verum, sed [4] est tamen modus quidam. Non omittenda quidem sunt studia, sed tamen intermittenda nonnunquam. Non abjicienda sunt, sed relaxanda. Nihil suave quod perpetuum. [5] Voluptates commendat rarior usus. Tu nihil aliud quam studes. Perpetuo studes. Continenter incumbis literis. Indesinenter inhæres chartis. Studes noctes ac dies. Nunquam non studes. Assiduus es C in studio. Jugiter intentus es libris. Nullum facis studendi finem, neque modum. Nullam studiis tuis requiem intermisces. Nunquam studendi laborem nec intermittis, nec remittis. Ge. Age, tuo more facis. Rides me ut soles. Nunc ludis tu quidem me. Salse me rides. Satyricum agis. [6] Naso me suspendis adunco. Non me fallit tuum scomma. Nunc plane joco mecum agis. Sum tibi risui. Rideor abs te. Pro delectamento me habes. Nunc me ludos deliciasque facis. Eadem opera assue mihi auriculas asini. Ipsi codices pulvere situque obducti loquuntur, quam sim immodicus in studio. Sy. Emoriar, ni loquor ex animo. Dispeream, si quid fingo. Ne vivam, si quid simulo. Loquor id quod sentio. Quod res est dico. Serio loquor. D Ex animo loquor. Non secus sentio, quam loquor.

Cur non visis?

Ge. Quid causæ est, quod tam diu nos non inviseris? Quid rei est, quod nos tam raro visis? Quid accidit, quod tanto tempore nos non adieris? Quare tam rarus es salutator? Quid sibi vult, quod nos tam diu non conveneris? Quid obstitit quo minus visas nos frequentius? Quid impedimento fuit, quo minus jam diu feceris nobis tui videndi copiam?

Non licuit per occupationes.

Sy. Non licuit per ocium. Volui quidem, at non licuit mihi per mea negocia. Hactenus non sinebant negocia, ut te viserem. Non patiebantur undæ negociorum, E quibus involvebar, ut te salutarem. Occupatior fui, quam ut potuerim. Tam variis distringebar curis, ut mihi non fuerit liberum adire te: vix ipsi mihi fuit copia mei, sic me totum molesta quædam negocia possidebant. Negociis meis imputabis, non mihi. Non defuit voluntas, sed vetuit necessitas. Hactenus non vacavit. Hactenus non contigit ocium. Hactenus non fuit vacuum. Non licuit per valetudinem. Non licuit per tempestatem. Ge. Equidem accipio tuam excusationem, sed hac lege, ne sæpius utaris. Excusatio tua justior est, quam vellem, si quidem valetudo fuit in causa. Hac lege mihi purgatus eris, si quod cessatum est, officio farcias: si superiorem cessationem crebra visitatione penses. F Sy. Tu nihil moraris istiusmodi officia nimium vulgaria. Amicitia nostra firmior est, quam ut sit officiis istis vulgaribus alenda. Satis crebro visit, qui constanter amat. Ge. Male sit istis curis quæ te nobis adimunt. Quid imprecer istis negociis, quæ talem amicum nobis invident. Pessime sit isti febri, quæ nos tam gravi desiderio torsit tui. Male pereat ista febris, te quidem incolumi.

Mandandi ac pollicendi.

JACOBUS, SAPIDUS.

Ja. Quæso ut hæc res tibi cordi sit. Etiam atque etiam rogo ut hoc negocium tibi sit curæ. Hac in re velim ut totum Sapidum exseras. Si me amas, causam hanc tractabis diligenter. Hac in re quæso ut advigiles. Curabis hanc rem mea causa diligenter. Si vere is es, quem semper esse te mihi persuasi, fac ut sentiam hac in causa quanti me facias. Sa. Desine; ego tibi hoc effectum reddam, & quidem propediem. Eventum præstare non possum: illud polliceor, mihi nec fidem, nec studium defuturum. Curabo diligentius, quam si mea res ageretur: quamquam meam esse duco, quæ sit amici. Faciam ut in me quidvis desideres citius, quam fidem ac diligentiam. Tu fac in utramque dormias aurem: ego tibi hoc confectum dabo. Tu quietus esto, in me recipio provinciam omnem. Gaudeo, mihi datam occasionem, qua declarem animum in te meum. Equidem oratione nihil polliceor, sed re præstabo, quidquid est amici sinceri, & ex animo bene volentis. Nolim te lactare vana spe. Illud efficiam, ut dicas hoc negocii mandatum amico.

Successus.

Sa. Res successit opinione melius. Fortuna votis utriusque favit. Si fortuna tibi nupsisset, non potuisset esse obsequentior. Res tua & ventis, & amne secundo processit. Vicit etiam vota nostra fortunæ faventis afflatus. Opinor te litasse Rhamnusiæ, cui sic ex sententia cadunt omnia. Plus impetravi quam fuissem ausus optare. Ventis per omnia secundis hic cursus nobis peractus est. Res omnis cecidit ex sententia. Pulchre nobis cecidit hæc alea. Opinor volasse noctuam, adeo feliciter exiit nobis parum sapienter institutum.

Gratiarum actio.

Ja. Equidem & gratiam habeo, & habiturus sum, quoad vivam, maximam. Pro isto tuo in me officio pares agere gratias vix possim, referre nequaquam. Video quantum debeam tuo in me studio. Nihil miror, neque enim tu quicquam novi fecisti, & hoc magis debeo. De isthoc tuo in me officio, amo te mi Sapide, ut par est, maxime Quod hac in causa præstiteris amicum minime aulicum, & habetur a me gratia, & semper habebitur. Quod meum negocium tibi cordi fuerit, amo te, & habeo gratiam. Isthoc officio gratiam inisti apud me maximam. Pergratum est, quod causam meam egeris bona fide. Ex omnibus officiis, quæ tu plurima in me contulisti, hoc est longe gratissimum. Referre gratiam parem nequaquam possum: agere accuratius inter nos supervacaneum sit: quod unum possum, habebo dum vixero. Isthoc beneficio fateor tibi me magnopere devinctum esse. Hoc nomine plus tibi debeo, quam unquam solvendo esse queam. Hoc beneficio arctius me tibi devinxisti, quam ut possim dissolvere. Obligatiorem me tibi reddidisti, quam ut nomen meum e tuo diario possim unquam expungere. Hoc officio me sic tuum reddidisti, ut nullum mancipium æque sit in rebus heri sui. Hac re me tibi devinctiorem reddidisti, quam ut unquam æs alienum possim resolvere. Plurimis nominibus tibi debeo, sed non alio plus quam hoc. Pro mediocribus beneficiis agendæ sunt gratiæ: hoc majus est, quam ut conveniat verbis gratias agere.

Responsio.

Sa. Aufer mihi ista. Major est nostra necessitudo, quam ut vel tu mihi, vel ego tibi pro ullo officio debeam gratias agere. Non contuli hoc in te beneficium, sed retuli. Mihi quidem abunde relatam gratiam arbitror, si gratum est quod feci sedulo. Non est cur mihi gratias agas, si pro tot tuis in me beneficiis non vulgaribus hoc officioli rependi. Equidem nihil laudis mereor: ingratissimus habendus, si defuissem amico. Quicquid est in rebus meis, quicquid mea cura præstari potest, hoc tam tuum esse ducito, quam id quod est maxime tuum. Videor mihi beneficium accepisse, quod nostrum officium boni consulis. Pro tantillo officio mihi tam accurate gratias agis, quasi non multo majora tibi debeam. Sibi bene facit, qui bene facit amico. Qui bene meretur de amico, non dat beneficium, sed fœnerat. Si ex animo probas officium in te meum, fac utare sæpius. Ita credam tibi gra-

1 *Intra casses*] Alludit ad Ovidianum: *Incidit in casses præda petita meos.*
2 *Suo regi pulchra*] Vid. proverb. *Suum cuique pulchrum.*
3 *Amant alterna Camœnæ*] Hemistichium Eclogæ Virgilianæ. 3. 59.
4 *Est tamen modus*] Sic Horatius:
Est modus in rebus, sunt certi denique fines.
Quos ultra citraque nequit consistere rectum.
5 *Voluptates commendat*] Horatianum est.
6 *Naso suspendere*] Persius de Horatio, qui vafre tecteque rideat:
Callidus exterso populum suspendere naso.

gratum esse quod feci, si quoties desiderabis operam meam, non roges, sed imperes quod voles.

Alia in congressu.

ARNOLDUS, CORNELIUS.

AR. Salve multum, Corneli, jam toto seculo desiderate. Co. Salve & tu, sodalis exoptatissime. AR. Jam desperabamus reditum tuum. Ubi tamdiu peregrinatus es? Co. Apud inferos. AR. Non admodum veri dissimile dicis, adeo nobis redisti squalidus, macilentus ac pallidus. Co. Imo ab Hierosolymis adsum tibi: non a profundis Manibus. AR. Quis Deus, aut quis ventus te illuc adegit? Co. Quæ res adigit alios innumeros? AR. Stultitia, ni fallor. Co. Igitur hoc convicii non in me solum competet. AR. Quid illic venabare? Co. Ut miser essem. AR. Isthuc licebat domi. Estne illic, quod tu putes spectatu dignum? Co. Ut ingenue fatear tibi, propemodum nihil. Ostenduntur quædam monumenta vetustatis, quorum mihi nihil non videbatur commentitium, & excogitatum ad alliciendos simplices & credulos. Imo nec hoc arbitror illos certo scire, quo loco sita fuerit olim Hierosolyma. AR. Quid igitur vidisti? Co. Magnam ubique barbariem. AR. Nihilo sanctior redis? Co. Imo multis partibus deterior. AR. Nummatior ergo? Co. Imo nudior leberide. AR. An non pœnitet igitur tam longinquæ peregrinationis frustra susceptæ? Co. Nec pudet, quia tam multos habeo stultitiæ meæ sodales: nec pœnitet, quia frustra jam sit pœnitere. AR. Nihil ergo fructus refers e tam difficili peregrinatione? Co. Multum. AR. Quid tandem? Co. Quia posthac vivam suavius. AR. An quia jucundum est meminisse laborum actorum? Co. Est isthuc quidem nonnihil, sed non in hoc sunt omnia. AR. Estne aliud præmium? Co. Est sane. AR. Quod? effare. Co. Magna voluptate, quoties libebit, & ipse me afficiam, & alios mentiendo, quoties itinerarium meum recitabo in conciliabulis aut in conviviis. AR. Profecto non tu procul aberras a scopo. Co. Deinde non minus capiam voluptatis, quum alios audiam mentientes de rebus, quas nec audierunt unquam, nec viderunt. Idque faciunt tanta confidentia, ut quum narrent [1] Siculis gerris vaniora, tamen sibi etiam persuadeant se vera loqui. AR. Mira voluptas. Non omnino tibi periit oleum & opera, quod ajunt. Co. Imo hoc arbitror aliquanto consultius, quam quod faciunt isti, qui paullo pecuniæ conducti proficiscuntur in militiam, omnium scelerum scholam. AR. Sed illiberalis est voluptas, ex mendaciis voluptatem capere. Co. Verum hoc aliquanto liberalius, quam obtrectatione vel delectare, vel delectari, aut alea tempus & rem perdere. AR. Cogor equidem [2] pedibus in tuam ire sententiam. Co. Verum est & alius fructus. AR. Quis? Co. Si quis erit amicus egregie carus, affinis huic insaniæ, eum admonebo domi maneat: ut nautæ solent ejecti naufragio, monere navigaturos, quid periculi sit vitandum. AR. Utinam mihi monitor adfuisses in tempore! Co. Quid? num similis morbus te quoque corripuit? Num afflavit & te hujus mali contagium? AR. Visi Romam & Compostellam. Co. Deum immortalem, quanto mihi solatio est, te contigisse stultitiæ meæ socium! Quæ Pallas isthuc tibi misit in mentem? AR. Non Pallas, sed ipsa Moria, præsertim cum domi haberem uxorem integra adhuc ætate, liberos aliquot, & familiam, quæ pendebat ex me, & opera mea quotidiana alitur. Co. Oportuit fuisse seriæ rei quippiam quod te a carissimis tuis distraxerit. Narra obsecro. AR. Pudet dicere. Co. Non apud me, qui, ut scis, eodem tenear malo. AR. Compotabamus aliquot vicini. Ubi vino incaluerat animus, erat qui prædicabat, sibi esse in animo salutare divum Jacobum: erat alter qui divum Petrum. Illico non defuit unus aut alter, qui spondèrent se comites fore. Tandem visum est, ut omnes irent simul. Ego, ne viderer parum commodus compotor, pollicitus sum & ipse. Mox agitari cœptum, utro potius iremus, Romam, an Compostellam. Factum est senatusconsultum, ut bonis auspiciis utroque postridie proficisceremur omnes. Co. O grave decretum, dignius quod vino inscriberetur quam æri. AR. Ac mox ingens obambulat patera; quam ubi suo quisque ordine ebibisset, votum factum est inviolabile. Co. Nova religio; sed num omnibus contigit reditus incolumis? AR. Omnibus præterquam tribus, quorum unus in profectione moriens, mandavit nobis ut suis verbis salutem diceremus Petro & Jacobo. Alter periit Romæ, jussitque ut suo nomine salutaremus uxorem ac liberos. Tertium reliquimus Florentiæ, valetudinis plane deploratæ. Opinor jam esse apud superos. Co. Adeone pius erat? AR. Imo nugator maximus. Co. Unde igitur isthuc suspicare? AR. Quia peram habebat indulgentiis largissimis distentam. Co. Audio: sed iter est longum in cœlum, nec satis, ut audio, tutum, ob latrunculos qui obsident regionem aëris mediam. AR. Verum: sed ille sat erat munitus diplomatibus. Co. Qua lingua descriptis? AR. Romana. Co. In tuto est igitur? AR. Est, nisi forte incidat in genium aliquem qui Latine nesciat; tum esset illi redeundum Romam, & novum diploma impetrandum. Co. Bullæ venduntur illic & mortuis? AR. Maxime. Co. Sed interim illud mihi monendus es, ne quid effutias incogitantius: jam enim [3] corycæis plena sunt omnia. AR. Ego vero nihil elevo indulgentias, sed combibonis mei stultitiam rideo, qui quum esset alioqui nugator nugacissimus, salutis suæ proram, ut ajunt, ac puppim in membrana collocavit potius, quam in correctis affectibus. Sed quando fruemur illa voluptate quam modo prædicabas? Co. Quum erit commodum, adornabimus compotatiunculam aliquam, vocabimus nostri ordinis homines, ibi certabimus mentiendo, nosque affatim mutuis mendaciis oblectabimus. AR. Age fiat.

Alia. Personæ:

PAMPHAGUS, COCLES.

PA. Ut parum prospiciunt oculi, aut Coclitem veterem compotorem meum video. Co. Imo nihil te fallunt oculi tui: vides sodalem ex animo tuum. Nulla cuiquam erat spes reditus tui, qui tot annos abfueris, ignaris omnibus quæ te terrarum haberet regio. Sed unde? dic, quæso. PA. Ab Antipodibus. Co. Imo ab insulis, opinor, Fortunatis. PA. Gaudeo quod agnoveris sodalem tuum: nam verebar ne sic domum redirem, quemadmodum rediit Ulysses. Co. Quonam pacto rediit ille? PA. Nec ab uxore est agnitus. Solus canis jam vetulus, mota cauda dominum agnovit. Co. Quot annos ille domo abfuerat? PA. Viginti. Co. Tu plures abfuisti; nec tamen fefellit me tua facies. Sed quis isthuc narrat de Ulysse? PA. Homerus. Co. Oh, ille, ut ajunt, pater est omnium fabularum. Fortassis uxor interim adsciverat taurum alium, & idcirco non agnovit Ulyssem suum. PA. Imo nihil illa castius: sed Pallas addiderat Ulyssi senium, ne posset agnosci. Co. Qui tandem agnitus est? PA. E tuberculo, quod habebat in digito pedis: id animadvertit nutrix jam admodum anus, dum illi pedes lavat. Co. O curiosam lamiam! Et tu miraris, si ego te agnovi ex isto tam insigni naso? PA. Nihil me pœnitet hujus nasi. Co. Nec est cur pœniteat, cum organum tibi sit ad res tam multas utile. PA. Ad quas? Co. Primum ad exstinguendas lucernas erit cornu vice. PA. Perge. Co. Deinde si quid hauriendum erit e cavo profundiore, fuerit loco promuscidis. PA. Papæ! Co. Si manus erunt occupatæ, licebit uti vice paxilli. PA. Etiamne amplius? Co. Conducet excitando foculo, si defuerit follis. PA. Belle narras. Quid præterea? Co. Si lumen officiat scribenti, præbebit umbraculum. PA. Ha ha he: est præterea quod dicas? Co. In bello navali præbebit usum harpagonis. PA. Quid in bello terrestri? Co. Erit loco clypei. PA. Quid deinde? Co. Findendis lignis erit cuneus. PA. Probe. Co. Si præconem agas, erit tuba: si classicum canas, cornu: si fodias, ligo: si metas, falx: si naviges, ancora: in popina fuerit fuscina: in piscando hamus. PA. O me felicem! nesciebam me circumferre tam ad multa conducibilem supellectilem. Co. Sed quis interim terrarum angulus te habuit? PA. Roma. Co. At qui fieri potuit, ut in tanta luce nemo te sciret vivum? PA. Imo nusquam magis latent boni viri; adeo ut sæpe clarissima luce neminem videas in frequenti foro. Co. Redis igitur nobis onustus sacerdotiis. PA. Venatus equidem sum sedulo: at parum favit Delia. Nam complures illic piscantur hamo, quod dici solet, aureo. Co. Stultum piscandi genus. PA. Et tamen pulchre suc-

[1] *Siculis gerris vaniora*] Siculæ gerræ seu nugæ, res leviculæ dicuntur. Ausonius: *misi itaque ad te frivola, gerris Siculis vaniora.* Vide *Festum*, in *Gerra.*

[2] *Pedibus in sententiam tuam ire*] Hoc est, sententiam illam comprobare. Vide Adag. Chil. 2. Cent. 7. prov. 12.

[3] *Corycæis*] Id est, observatoribus. Vide proverb. *Corycæus auscultavit.* Ubi scil. quis id quod agit, conatus dissimulare, tamen a curiosis deprehenditur.

succedit nonnullis. Sed non omnibus feliciter cadit hæc alea. Co. An non insigniter stulti sunt, qui plumbum commutant auro? PA. Sed non intelligis, in plumbo sacro venas auri subesse. Co. Quid igitur? redisti nobis nihil aliud quam Pamphagus? PA. Non. Co. Quid igitur? PA. Lupus hians. Co. Felicius redeunt, qui asini redeunt sacerdotiorum sarcina graves. Cur mavis sacerdotium, quam uxorem? PA. Quia mihi placet ocium. Arridet Epicurea vita. Co. At mea sententia suavius vivunt, quibus est lepida puella domi, quam complectantur quoties libet. PA. Sed adde, nonnunquam quum non libet. Amo voluptatem perpetuam. Qui ducit uxorem, uno mense felix est: cui contigit opimum sacerdotium, in omnem usque vitam fruitur gaudio. Co. Sed tristis est solitudo; adeo ut nec Adam suaviter victurus fuerit in Paradiso, nisi Deus illi adjunxisset Evam. PA. Non deerit Eva, cui sit opulentum sacerdotium. Co. Sed voluptas non est voluptas, quæ cum mala fama, malaque conscientia conjuncta est. PA. Verum dicis: & idcirco mihi in animo est, confabulatione librorum, solitudinis tædium fallere. Co. Istis quidem sodalibus nihil jucundius. Sed redisne ad tuam piscationem? PA. Redeo, si liceat parare novam escam. Co. Aureamne, an argenteam? PA. Utramlibet. Co. Bono animo es: pater suppeditabit. PA. Nihil illo tenacius. Nec crediturus est denuo, quum intellexerit, mihi sortem etiam periisse. Co. Verum ista lex est aleæ. PA. Sed ille non delectatur hac alea. Co. Si pernegabit ille, commonstrabo tibi unde possis, quantum voles pecuniæ sumere. PA. Tu vero mihi voluptatem narras: age monstra; jam cor mihi salit. Co. In promptu est. PA. Nactus es thesaurum aliquem? Co. Si nactus essem, mihi nactus essem, non tibi. PA. Si queam corradere centum ducatos, revixerit spes. Co. At ego tibi commonstro unde possis haurire centum millia. PA. Quin tu igitur me beas? Ne diutius eneca. Dic, unde? Co. [1] Ex Asse Budæi. Illic reperias innumeras [2] myriades, sive auream malis monetam, sive argenteam. PA. Abi quo dignus es cum tuo joco: illinc tibi resolvam, quod debuero pecuniæ. Co. Resolves, sed quod illinc tibi numeraro. PA. Age, novi [3] nasum tuum. Co. At mihi præ te nasus est nullus. PA. Imo nihil te nasutius. Nihil es nisi nasus. Co. Ludis in re seria. Hac in re ringi possim citius, quam ridere. Res gravior est quam ut ridere libeat. Tu si hic esses, non luderes. PA. Sum tibi ludibrio. Illudis mihi, & illudis me. Joco me tractas in re neutiquam jocosa. Co. Minime rideo; id, quod res est, dico. Non rideo quidem; imo rem ipsam dico. Serio loquor. Ex animo loquor. Simpliciter loquor. Vera loquor. PA. Ita tibi semper [4] stet in capite pileum, ut ista tu simpliciter loqueris. Sed cesso abire domum, cogniturus quo in statu sint illic omnia? Co. Offendes nova permulta. PA. Credo; sed utinam omnia ex animi sententia. Co. Isthuc optare licet omnibus; sed hactenus obtigit nemini. PA. Hoc quoque commoditatis adferet utrique nostrum sua peregrinatio, quod dulcior erit posthac domus. Co. Nescio: nam video, quosdam septies illo recurrere. Adeo scabies illa sine fine solet prurire, si quem semel invaserit.

Alia. Militaria.

HANNO, [5] THRASYMACHUS.

HA. Unde redis nobis [6] Vulcanus, qui Mercurius hinc abieras nobis? TH. Quos Vulcanos aut quos Mercurios mihi narras? HA. Quia alatus videbare quum abires, nunc claudicas. TH. Sic a bello rediri solet. HA. Quid tibi cum bello, homo quovis [7] dama fugacior? TH. Spes prædæ reddiderat fortem. HA. Multum igitur refers manubiarum? TH. Imo [8] zonam inanem.

A HA. Tanto minus gravare sarcina. TH. Atqui sceleribus onustus redeo. HA. Gravis profecto sarcina, si verum dicit [9] Propheta, qui peccatum appellat plumbum. TH. Plus illic scelerum & vidi, & patravi, quam unquam antehac in omni vita. HA. Ecquid igitur arridet vita militaris? TH. Nihil neque scelestius, neque calamitosius. HA. Quid igitur in mentem venit istis, qui nummo conducti, nonnulli gratis, currunt ad bellum, non aliter quam ad convivium? TH. Ego nihil aliud conjectare possim, quam illos agi malis furiis, seseque totos malo dæmoni, ac miseriæ devovisse, nec aliud quam hic [10] manes suos anticipare. HA. Ita quidem videtur. Nam ad res honestas vix
B ullo precio conduci queant. Sed expone nobis, quomodo gestum sit prælium, & utro sese inclinarit victoria. TH. Tantus erat strepitus, tumultus, tubarum bombi, cornuum tonitrua, hinnitus equorum, clamor virorum, ut neque videre potuerim quid gereretur, adeo ut vix scirem ubi essem ipse. HA. Unde igitur cæteri, qui ex bello veniunt, sic depingunt singula, quid quisque dixerit aut gesserit, quasi nusquam non adfuissent ociosi spectatores? TH. Ego credo istos mentiri splendide. In tentorio meo quid gestum sit, scio: quid in prælio, prorsus ignoro. HA. An ne hoc quidem scis, unde tibi venerit claudicatio? TH. Vix; ita me Mavors posthac male amet: suspicor aut saxo, aut equi calce læsum genu. HA. At ego scio. TH.
C Scis? an tibi narravit aliquis? HA. Non, sed divino. TH. Dic igitur. HA. Quum fugeres pavidus, collapsus humi offendisti in silicem. TH. Dispeream, nisi rem acu tetigisti. Adeo verisimile est quod divinasti. HA. Abi domum, & uxori narra tuas victorias. TH. Illa mihi occinet haud suave encomium, qui nudus redeam. HA. Sed unde restitues, quod rapuisti? TH. Jam pridem restitui. HA. Cui? TH. Scortis, [11] œnopolis, & iis qui me vicerunt alea. HA. Satis militariter. Par est, ut quod male partum est, pejus dispereat. Verum a sacrilegiis, opinor, temperatum est. TH. Imo illic erat [12] sacrum nihil. Nec profanis parcitum est, nec fanis. HA. Quo pacto sarcies? TH. Negant oportere sarciri, quod in bello commissum sit: jure fit, quod illic fit. HA. Jure belli fortassis. TH. Tenes.
D HA. At istud jus summa est injuria. Te non patriæ pietas, sed prædæ spes pertraxit in bellum. TH. Fateor; & arbitror paucos illuc ire sanctiore proposito. HA. Est aliquid, insanire cum multis. TH. Concionator e suggesto pronuntiavit, bellum esse justum. HA. Suggestum illud non solet mentiri. Sed ut justum sit Principi, non continuo justum est tibi. TH. Audivi ex [13] Rabbinis, quod licet sua cuique arte vivere. HA. Præclara ars, incendere domos, diripere templa, violare sacras virgines, spoliare miseros, occidere innoxios. TH. Lanii conducuntur ad mactandum bovem; cur nostra ars reprehenditur, quod conducimur ad mactandos homines? HA. Non eras sollicitus, quonam esset migratura anima tua, si contigisset in
E bello cadere? TH. Non admodum. Bona spes habebat animum meum. Nam divæ Barbaræ me semel commendaram. HA. Receperat illa tutelam tui? TH. Sic mihi visa est annuere capite aliquantulum. HA. Quando isthuc tibi visum est? mane? TH. Non, sed a cœna. HA. Sed tum, ut arbitror, etiam arbores tibi visæ sunt ambulare. TH. Ut hic divinat omnia! Sed præcipua spes erat [14] in divo Christophoro, cujus imaginem quotidie contemplabar. HA. In tentoriis? Unde illic divi? TH. Carbone pinxeramus illum in velo. HA. Nimirum haudquaquam [15] ficulnum, ut ajunt, præsidium erat carbonarius ille Christophorus. Sed extra jocum, non video qui possis expiari a tantis flagitiis, nisi te conferas Romam. TH. Imo novi viam breviorem. HA. Quam? TH. Ibo ad Dominicales; illic paullo
F transigam cum commissariis. HA. Etiam de sacrilegiis?

1 *Ex asse Budæi*] Est liber, præfixum habens hunc titulum.

2 *Myriades*] Myrias, Græcum est, & est numerus decem millium.

3 *Nasum*] Nasus hic sumitur pro sagacitate, acrimonia & dicacitate: ita *Habere nasum* eum dicimus, qui venusta quadam & scita irrisione alium deridet. Hinc & *Nasuti*, dicuntur dicaces, & qui docte alios norunt irridere. Martialis: *Nasutus sis usque licet, sis denique nasus.*

4 *Stet in cap.*] Proverb. est in eos qui diversum sentiunt ab iis quæ dicunt, id est, præpostere stet pileum. Belg. *Soo moet u de muts staan.*

5 *Thrasymachus*] Id est, audax in pugna, nomen aptum militi, ex *θρασὺς, audax, & μάχομαι, pugno.*

6 *Vulcanus*] Fingitur claudus: Mercurius alatus.

7 *Dama*] Genus capræ sylvestris, animal timidum; quod licet vere fera non sit, raro tamen, teste Plin. mansuescit. Virg. *Cum canibus timidi venient ad pocula damæ.*

8 *Zonam inanem*] Vide proverb. *Zonam perdidit.* Milites enim quidquid haberent, in zona secum portabant.

9 *Propheta*] Vide Ezech. 22. 18, 20. Zach. 5. 7, 8.

10 *Manes anticipare*] Mortem sc. ante occupare & prævenire.

11 *Oenopolis*] Id est, vinorum venditoribus, cauponis.

12 *Nihil sacrum*] Allusum est ad prov. *Οὐδὲν ἱερὸν*, tametsi deflexerit in alium sensum.

13 *Rabbinis*] Rabbinos vocant Hebræi, quos nostri *Magistros nostros.* Itaque eo nomine intelligendi Theologi.

14 *In D. Christophoro*] Dicitur Christophorus humeris gestasse Christum per aquas. Christophoros cum hoc disticho sæpe pictos videas: *Christophori sancti faciem quicunque tuetur, Illo, nempe, die non morte mala morietur.*

15 *Ficulnum præsid.*] Id est, parum utile & validum, nullius momenti & contemnendum. vide Chiliades.

TH. Etiamsi Christum ipsum spoliassem, ac decollassem etiam; tam largas habent indulgentias, & auctoritatem componendi. HA. Bene habet, si vestram compositionem Deus ratam habuerit. TH. Imo magis metuo, ne diabolus non habeat ratam. Nam Deus natura placabilis est. HA. Quem tibi sacerdotem deliges? TH. Cui cognovero quam minimum esse frontis ac bonæ mentis. HA. Ne non habeant [1] similes labra lactucas. Ab illo purus abibis ad corpus dominicum? TH. Quid ni? Posteaquam semel [2] effudero sentinam in illius cucullam, ego me exoneravero sarcina: ipse viderit, qui absolvit. HA. Qui scis, an absolvat? TH. Scio. HA. Quonam indicio? TH. Quia manum imponit capiti, admurmurans nescio quid. HA. Quid si reddat tibi omnia peccata tua, quum manum imponit, hæc admurmurans: *Absolvo te ab omnibus benefactis, qua nulla inte comperio: & restituo te tuis moribus, talemque dimitto, qualem accepi*? TH. Viderit ille quid dicat: mihi satis est, quod me credo absolutum. HA. Sed isthuc tuo periculo credis. Fortasse non fuerit satis Deo, cui debes. TH. Unde tu mihi obvius, qui mihi conscientiam e serena, nubilam redderes? HA. Felix occursus: Bona avis est obvius amicus, qui bene moneat. TH. Nescio quam bona, certe parum suavis.

Herilia.

[3]RABINUS, SYRUS.

RA. Heus heus furcifer, jamdudum raucesco clamore, nec tu tamen expergisceris: videre mihi vel [4] cum gliribus certare posse. Aut ocius surge, aut ego tibi fuste somnum istum excutiam. Quando crapulam hesternam edormieris? Non te pudet, somnium hominis, in multam lucem stertere? Qui frugi sunt famuli, solent exortum solis antevertere, curareque ut herus surgens reperiat omnia parata. Ut ægre divellitur a nido tepefacto cuculus! Dum scalpit caput, dum distendit nervos, dum oscitat, tota abit hora. SY. Vixdum diluxit. RA. Credo; tibi. Nam tuis oculis adhuc multa nox est. Tibi nox adhuc est concubia. SY. Quid me jubes facere? RA. Fac ut luceat foculus: verre pileum ac pallium: exterge calceos & crepidas. Inversas caligas primum intus purga scopis, mox foris. Deinde suffitum aliquem facito purgando aëri. Accende lucernam. Muta mihi lineum indusium, ac ad ignem fumi expertem, sicca lotum. SY. Fiet. RA. Atqui move te ocius. [5] Jam hæc fecisse oportuit. SY. Moveo. RA. Video, sed nihil promoves. [6] Ut incedit testudo! SY. Non possum [7] simul sorbere & flare. RA. Etiam sententias loqueris, carnifex? Tolle matulam. Compone lecti stragulas, revolve cortinas. Verre pavimentum. Verre solum cubiculi. Adfer aquam lavandis manibus. Quid cessas, asine? Annus est priusquam accendas candelam. SY. Vix reperio scintillam ignis. RA. Sic heri condidisti. SY. Nec follem habeo. RA. Ut responsat nebulo, quasi qui te habeat, careat folle. SY. Quam imperiosum habeo dominum! vix hujus jussis decem expediti famuli fecerint satis. RA. Quid ait cessator? SY. Nihil; omnia recte. RA. Non ego te audio murmurantem? SY. Equidem precor. RA. Credo, Pater noster inversum, precationem, opinor, Dominicam præpostere. Quid gannis de imperio? SY. Precor tibi ut fias Imperator. RA. Et ego tibi, ut fias homo ex caudice. Sequere me ad templum usque. Mox domum recurrito, lectos concinnato. Hæc confusa suo quæque loco digerito. Fac ut niteat tota domus. Matulam defricato. Hæc sordida submoveto ab oculis, fortassis invisent me quidam aulici. Si quid sensero prætermissum, vapulabis largiter. SY. Hic sane novi benignitatem tuam. RA. Proinde cave, si sapis. SY. At interim de prandio nulla mentio. RA. Vah, ut hic mentem habet furcifer! Non prandeo domi. Itaque sub horam decimam ad me transcurrito, deducturus me eo, ubi sum pransurus. SY. Tibi quidem prospectum, sed hic interim nihil est quod edam. RA. Si non est quod edas, est quod esurias. SY. Nemo fit esuriendo satur. RA. Est panis. SY. Est, sed ater, & furfuraceus. RA. Delicias hominis! Te quidem fœnum esse oportuit, si pabulum detur te dignum. An postulas, ut te asinum, tantum placentis saginem? Si fastidis panem citra obsonium, adde porrum, aut si mavis, cepe.

Alia.

RA. Est tibi abeundum in forum. SY. Tam procul? RA. Non sunt nisi sex passus; tibi pigro sunt bis mille. Consulam autem tuæ pigritiæ. Eadem legatione multa conficies negocia: tu supputa in digitos, ut memineris. Primum deflectes ad vestiarium, ac thoracem [8] undulatum, si jam perfectus est, ab eo recipies. Hinc quæres Cornelium [9] veredarium. Is plerumque est in Cervo; ibi potitat. Rogabis, si quid habet literarum ad me, & ad quem diem sit profecturus. Deinde convenies mercatorem pannarium: rogabis meis verbis, ne quid sollicitus sit quod pecuniam non miserim ad diem præscriptum; numerabitur propediem. SY. Quando? [10] ad calendas Græcas? RA. Rides ganeo; imo ante calendas Martias. In reditu deflectes ad lævam, & ex bibliopolis disces, si quid advectum sit novorum libellorum e Germania. Cognosce qui sint, & quanti venales. Post hæc rogabis Goclenium, ut mihi dignetur esse conviva, alioqui cœnaturo soli. SY. Etiam convivas vocas? non habes domi unde vel murem pascas. RA. Proinde tu, confectis cæteris, abi ad macellum, & eme nobis armum ovillum: eum curabis eleganter assum. Audin' hæc? SY. Plura quam vellem. RA. At vide, ut memineris. SY. Vix potero dimidium. RA. Etiam hic stas, cessator? Jam rediisse oportuit. SY. Quis possit unus tot rebus obeundis sufficere? Deduco ac reduco. Sum illi a scopis, a matula, a pedibus, a manibus, a poculis, a libellis, a rationibus, a jurgiis, a legationibus: postremo non videor illi sat occupatus, nisi sim & coquus.

Alia.

RA. Profer ocreas: nam equitandum est. SY. En adsunt. RA. Probe quidem abs te curatæ: totæ albent situ. Opinor nec extersas, nec unctas hoc anno, adeo rigent præ siccitate. Exterge subuvido panno: mox unge ad ignem diligenter, ac macera, donec mollescant. SY. Curabitur. RA. Ubi calcaria? SY. Adsunt. RA. Verum, sed obducta rubigine. Ubi frænum & ephippia? SY. Sunt in promptu. RA. Vide ne quid desit, aut ne quid ruptum, aut mox rumpendum; ne quid nobis sit in mora, cum erimus in cursu. Propera ad sellarium, & hoc lorum cura farciendum. Reversus inspice soleas, sive calceos equorum, num qui clavi desint, aut vacillent. Quam macilenti sunt equi, quamque strigosi! Quoties absterges, aut pectis illos in anno? SY. Imo quotidie. RA. Nimirum res ipsa loquitur. Jejunant, opinor, nonnunquam totum triduum. SY. Minime. RA. Negas tu quidem, sed aliud dicturi sint equi, si loqui liceat: quamquam satis loquuntur ipsa macie. SY. Curo sedulo. RA. Cur igitur tu habitior equis? SY. Quia non pascor fœno. RA. Hoc igitur restat. [11] Adorna manticam celeriter. SY. Fiet.

Monitoria Pædagogica.

PÆDAGOGUS, PUER.

PÆ. Tu mihi videre non in aula natus, sed in caula, adeo moribus es agrestibus. Puerum ingenuum decent ingenui mores. Quoties alloquitur te quispiam, cui debes honorem, compone te in rectum corporis statum, aperi caput. Vultus sit nec tristis, nec torvus, nec impudens, nec protervus, nec instabilis, sed hilari modestia temperatus: oculi verecundi, semper intenti in eum, cui loqueris: juncti pedes, quietæ manus. Nec vacilles alternis tibiis, nec sint gesticulosæ manus, nec mordeto labrum, nec scabito caput,

1 *Similes labra lact.*] Ubi similia similibus contingunt. Natum adagium ab asino carduos pascente, quæ lactuca, asininis labris digna fuit. Adi Chiliadas.

2 *Effudero sentinam*] Metaphora a navibus desumpta: pro, omnia facinora.

3 *Rabinus*] Syrus servi nomen, ex omnibus Comœdiis: & Cicero, Judæorum & Syrorum gentem servituti natam, adserit. Rabbi tamen, aut Rabbinus, non herum, sed magistrum Hebraice sonat, nec eam vocem *Erasmus* adhibuit, nisi καταχρηστικῶς.

4 *Cum glirib.*] Alludit ad proverb. *glire somnolentior*. Hinc Martial. *Tota mihi dormitur hiems, & pinguior illo Tempore sum, quo me nil nisi somnus alit.*

5 *Jam hæc fecisse*] Terentianum est.

6 *Ut incedit testudo*] Alludit ad proverb. *Testudine tardior*.

7 *Simul sorbere & flare*] Commode utemur hoc adagio; si quando significabimus negotia quædam id genus esse, ut simul tractari non queant. Plautinum est.

8 *Undulatum*] Sic dicti quod ad undularum similitudinem sit pictus: ut & *cymatilis*, a fluctu.

9 *Veredarium*] Quem vulgo cursorem, aut postam vocamus, quod a *veredo*, equo cursus velocissimi.

10 *Ad calendas Græcas*], Id est, nunquam: quia Græci calendas non habent ut Latini, sed νυμηνίας, seu novilunia: & ad lunæ recursus Græci solvebant usuras. Huc itaque respexit Augustus, cum diceret, ad Græcas calendas soluturos; quos nunquam reddituros mutuum significabat.

11 *Adorna Manticam*] Mantica, perula viatoria, qua scil. iter facientes, viaticum, aliave necessaria, circumferunt.

put, nec fodito aures. Vestis item ad decorum componatur, ut totus cultus, vultus, gestus, & habitus corporis ingenuam modestiam, & verecundam indolem præ se ferat. Pu. Quid si mediter? Pæ. Fac. Pu. Siccine satis? Pæ. Nondum. Pu. Quid si sic? Pæ. Propemodum. Pu. Quid si sic? Pæ. Hem satis est; isthuc tene. ne sis inepte loquax aut præceps. Nec vagetur animus interim, sed sis attentus quid ille dicat. Si quid erit respondendum, id facito paucis, ac prudenter, subinde præfatus honorem, nonnunquam & addito cognomento honoris gratia: atque identidem modice flectas alterum genu, præsertim ubi responsum absolveris. Nec abeas, nisi præfatus veniam, aut ab ipso dimissus. Nunc age, specimen aliquod hujus rei nobis præbe. Quantum temporis abfuisti a maternis ædibus? Pu. Jam sex ferme menses. Pæ. Addendum erat, domine. Pu. Jam sex ferme menses, domine. Pæ. Non tangeris desiderio matris? Pu. Nonnunquam sane. Pæ. Cupis eam revisere? Pu. Cupio, domine, si id pace liceat tua. Pæ. Nunc flectendum erat genu. Bene habet. Sic pergito. Cum loqueris, cave ne præcipites sermonem, aut hæsites lingua, aut palato immurmures, sed distincte, clare, articulate consuescito proferre verba tua. Si quem præteribis natu grandem magistratum, sacerdotem, doctorem, aut alioqui virum gravem, memento aperire caput, nec pigeat inflectere genu. Itidem facito cum præteribis ædem sacram, aut imaginem crucis. In convivio sic te præbebis hilarem, ut semper memineris quid deceat ætatem tuam: postremus omnium admoveto manum patinæ. Si quid datur lautius, recusato modeste: si instabitur, accipe, & age gratias: mox decerpta portiuncula, quod reliquum est, illi reddito, aut alicui proxime accumbenti. Si quis præbibet, hilariter illi bene precator, sed ipse bibito modice. Si non sitis, tamen admoveto cyathum labiis. Arride loquentibus: ipse ne quid loquaris, nisi rogatus. Si quid obscœni dicetur, ne arride, sed compone vultum, quasi non intelligas. Ne cui obtrectato, ne cui temet anteponito, ne tua jactato, ne aliena despicito. Esto comis etiam erga tenuis fortunæ sodales. Neminem deferto. Ne sis lingua futili. Ita fiet, ut sine invidia laudem invenias, & amicos pares. Si videris convivium esse prolixius, precatus veniam, ac salutatis convivis, subducito te a mensa. Vide ut horum memineris. Pu. Dabitur opera, mi præceptor. Nunquid aliud vis? Pæ. Adito nunc libros tuos. Pu. Fiet.

De Lusu.

NICOLAUS, HIERONYMUS, COCLES, PÆDAGOGUS.

Ni. JAmdudum & animus, & cœlum, & dies invitat ad ludendum. Hi. Invitant quidem hæc omnia, sed solus præceptor non invitat. Ni. Subornandus orator quispiam, qui veniam extorqueat. Hi. Apte quidem dictum, extorqueat. Nam citius 1 clavam extorseris e manu Herculis, quam ab hoc ludendi veniam. At olim illo nemo fuit ludendi avidior. Ni. Verum; sed jam olim ille oblitus est, se fuisse puerum. Ad verbera facillimus est & liberalis; hic parcissimus, idemque difficillimus. Hi. Attamen protrudendus est aliquis legatus, non admodum verecundæ frontis, quem non illico protelet suis sævis dictis. Ni. Eat qui volet; ego carere malo, quam rogare. Hi. Nemo magis accommodus ad hanc legationem, quam Cocles. Ni. Nemo profecto. Nam perfrictæ frontis est, ac bene linguax. Deinde sensum hominis pulchre callet. Hi. I Cocles, ab omnibus magnam initurus gratiam. Co. Equidem experiar sedulo. Verum si non successerit, ne conferte culpam in oratorem vestrum. Hi. Bene ominare: si te satis novimus, impetrabis. Abi orator, redibis exorator. Co. Eo. Bene fortunet legationem meam Mercurius. Salve præceptor. Pæ. Quid sibi vult nugamentum hominis? Co. Salve præceptor observande. Pæ. Insidiosa civilitas. Satis jam salveo. Dic quid velis. Co. Totus discipulorum tuorum grex orat ludendi veniam. Pæ. Nihil aliud quam luditis, etiam absque venia. Co. Scit tua prudentia, vigorem ingeniorum excitari moderato lusu, quemadmodum nos docuisti ex 2 Quintiliano. Pæ. Sane ut isthuc tenes, quod pro te facit. Laxamento opus est iis, qui vehementer laborant: vobis qui segniter studetis, & acriter luditis, fræno magis opus est, quam laxatis habenis. Co. Adnitimur pro viribus. Et si quid hactenus cessatum est, post diligentia sarcietur. Pæ. Oh sartores! Quis erit fidejussor aut sponsor, isthuc futurum? Co. Ego capitis mei periculo non dubitem esse sponsor. Pæ. Imo culi periculo potius. Scio quam non sit tutum tibi credere, tamen hic periculum faciam, quam sis bonæ fidei. Si dederis verba, posthac nequicquam mecum egeris. Ludant, sed gregatim in campis. Ne divertant ad compotationes, aut alia nequiora. Mature se recipiant domum ante solis occubitum. Co. Fiet. Exoravi, quamquam ægre. Hi. O lepidum caput; omnes amamus te plurimum. Co. Sed interim cavendum ne quid peccemus, alioqui de meo tergo dependendum foret. Fidejussi vestro omnium nomine. Quod si quid accidat, non est quod me posthac utamini legato. Hi. Cavebitur. Sed quod lusus genus potissimum placet? Co. De hoc in campo consultabimus.

Pila.

Ni. Nulla res melius exercet omnes corporis partes, quam pila palmaria, sed aptior hiemi, quam æstati. Hi. Nullum anni tempus nobis parum accommodum est ad ludendum. Ni. Minus sudabitur, si ludamus reticulo. Hi. Imo reticulum piscatoribus relinquamus; elegantius est palma uti. Ni. Age, nihil moror: sed quanti certabimus? Hi. Talitro; sic parcetur pecuniæ. Ni. At ego malo fronti parci, quam pecuniæ. Hi. Et mihi frons carior est pecunia. Aliquo periculo certandum est, alioqui friget ludus. Ni. Sic res habet, ut dicis. Hi. Utra pars prior evicerit tres lusus, ei victa pendet sextam drachmæ partem: sed hac lege, ut quicquid e victoriis collectum fuerit, insumatur in convivium, ad quod pariter vocentur omnes. Ni. Placet lex, & rata esto. Superest igitur, ut sortiamur partes. Nam sumus ferme pares omnes, ut non admodum referat, quis cui conjungatur. Hi. Tu tamen me longe peritior es. Ni. Ut sim, sed tu felicior. Hi. Etiam hic valet fortuna? Ni. Illa nusquam non regnat. Hi. Age, fiat sortitio. Euge, bene cecidit: contigere quos volebam. Ni. Et nos nostræ sodalitatis non pœnitet. Hi. Agedum, simus viri. Amat victoria curam. Suum quisque locum gnaviter tueatur. Tu mihi consiste a tergo, excepturus pilam si me transvolet. Tu isthic observa repulsurus huc ab adversariis revolantem. Hi. Ne musca quidem hac prætervolarit impune. Hi. Agite bonis avibus; mittite pilam in tectum. Qui miserit nihil præfatus, frustra miserit. Ni. Hem, accipe igitur. Hi. Mittito. Si miseris extra lineas, aut infra suprave tectum, vestro damno fuerit, aut certe nobis fraudi esse nolim. Tu sane parum commode mittis. Ni. Tibi quidem, at nobis commode. Hi. Ut miseris, ita remittam. Par pari referam. Sed præstat ingenue legitimeque ludere. Ni. In ludo pulchrum est arte vincere. Hi. Fateor; atque etiam in bello. Sed habet utraque pars suas leges. Et sunt artes illiberales. Ni. Credo, plures septem. Signa terminum testula, aut rudere, aut, si mavis, pileo tuo. Hi. Tuo malim. Ni. Rursus accipe pilam. Hi. Mitte. Pone notam. Ni. Habemus duos terminos satis longinquos. Hi. Utcumque; sed tamen vincibiles. Ni. Plane vincibiles, si nemo repugnet. Hi. Euge priorem metam prætercurrimus. Vicimus quindecim. Heus, præbete vos viros: viceramus & hic, si tu tuo constitisses loco. Sumus igitur pares. Ni. Non diu futuri. Vicimus triginta, vicimus quadraginta quinque. Hi. Sestertia? Ni. Non. Hi. Quid igitur? Ni. Numeros. Hi. Quo pertinent numeri, si nihil est quod numeres? Ni. Noster hic ludus est. Hi. Præpropere tu quidem ante victoriam canis triumphum. Vidi qui vincerent ab hoc numero qui nihil habebant. Varia est ut Martis, ita lusus alea. Habemus triginta. Jam rursum pares sumus. Ni. Nunc serio res agitur. Euge, successit; habemus potiores. Hi. Non diu habituri. Dixin'? Rursum æquali fortuna sumus. Ni. Diu nutat fortuna, velut anceps, utris velit addicere victoriam. O fors fortuna, si nobis faveris, dabimus tibi maritum. Euge, audivit votum. Penes nos est hujus certaminis victoria. Pone notam cretaceam, ne excidat. Hi. Jam appetit vespera, & sudatum est satis: præstat a ludendo desistere, ne quid nimis. Supputemus lucrum. Ni. Nos evicimus tres drachmas, vos duas. Restat igitur una ad compotatiunculam. Sed interim quis solvet precium pilarum? Hi. Omnes

1 *Clavam extorseris*] Proverbium de re difficillima.

2 *Quintiliano*] Verba sunt Quintiliani lib. 8. Inst. Orator. *Alenda ingenia atque indulgentia quadam enutrienda.*

ex æquo, pro sua quisque portione. Nam lucrum exilius est, quam ut inde possit aliquid decidi.

Ludus Globorum Missilium.

ADOLPHUS, BERNARDUS, ARBITRI.

AD. TU toties apud me gloriatus es, te mirum quendam esse artificem in certamine mittendorum globorum. Age, libet experiri, qui vir sies. BE. Nihil detrecto: huc si quid libet. Nunc tu plane, quod dici solet, in planiciem provocas equum. AD. Et tu senties me non esse asinum. BE. Placetne monomachia, ut unus cum uno congrediatur, an mavis adjungi socios periculi? AD. Malo 1 μονομαχεῖν, ne qua pars victoriæ decidatur alteri. BE. Isthuc & ipse malo, ut laus in solidum sit mea. AD. Hi spectatores erunt, & arbitri. BE. Recipio. Sed quod erit victori bravium, aut quæ victo pœna? AD. Quid si victo amputetur auricula? BE. Imo testium alter exsecetur potius. Non est magnificum certare pro pecunia. Tu Germanus es, ego Gallus; decertemus pro suæ uterque gentis gloria. Si vicero, tu ter exclamabis, *Floreat Gallia:* si victus, quod absit, fuero, totidem verbis celebrabo tuam Germaniam. AD. Age, placet conditio. BE. Adsit fortuna. Quando periclitantur hoc ludo duæ maximæ nationes, sint æquales sphæræ. AD. Nosti saxum illud prominens, haud procul a porta? BE. Novi. AD. Ea erit meta, & hæc linea. BE. Esto: sed sint, inquam, pares globi. AD. Minus discernas ovum ab ovo, aut ficum a ficu. Sed mea non refert, utrum malis; elige. BE. Mitte. AD. Heus, tu mihi non brachium, sed 2 balistam habere videris, ita torques globum. BE. Satis momordisti labrum, satis rotasti brachium; tandem mitte. O vires Herculeas! sed tamen vinco. AD. Nisi sceleratus ille laterculus obstitisset, præverteram te. BE. Consiste in sphæræ tuæ vestigio. AD. Non utar dolo malo. Cupio virtute, non fraude vincere, quandoquidem de gloria certamen est. Bene vertat. BE. Ingens profecto jactus. AD. Ne ride, prius quam viceris. Adhuc pene sumus pares. BE. Nunc res agitur. Uter prior metam contigerit, is vicerit. AD. Vici, canta. BE. Sed definiendum erat, quoto ludo constaret victoria. Nam primo nondum incaluerunt vires. AD. Definiant arbitri. AR. Tertio. BE. Placet. AD. Quid ais? Agnoscis ne victorem? BE. Tibi fortuna magis aspiravit: viribus & arte non tibi cessero. Sed quod arbitri pronunciaverint, id sequar. AR. Germanus vicit; & hoc gloriosior est victoria, quod talem artificem vicerit. AD. Nunc canta, Galle. BE. 3 Sum raucus. AD. Hoc Gallis novum non est: sed tamen coccyssa. BE. Floreat Germania ter. AD. Imo ter hoc erat canendum. BE. Contraximus siticulam; eamus ad compotatiunculam: ibi perficietur cantio. AD. Non recuso, si ita videtur arbitris. BE. Ita commodius est. Melius canet Gallus colluto gutture.

Ludus sphæra per annulum ferreum.

GASPAR, ERASMIUS.

GA. AGe, nos auspicabimur. Victo succedet Marcolphus. ER. Sed quod erit victori præmium? GA. Victus ex tempore faciet & recitabit distichon in laudem victoris. ER. Accipio legem. GA. Vis ne sortiamur uter prior incipiat? ER. Esto tu Prior, si libet; ego malim esse Abbas. GA. Hoc tua conditio potior est quod tibi nota est area. ER. 4 Versaris in tua arena. GA. In hac exercitatior sum, quam in libris. Tamen istud perquam exigui momenti est. ER. Æquum est, ut tantus artifex, in hoc certamine mihi largiare nonnihil. GA. Imo isthuc abs te peterem justius: sed parum est honesta precaria victoria. Is demum vincit, qui suo Marte vincit. Ita sumus pares, ut non melius commissus fuerit olim 5 cum Bitho Bacchius. ER. Tua sphæra commodior est mea. GA. Et tua vola vincit meam. ER. Ludito legitime, absque technis, ac dolo malo. GA. Dices, tibi rem esse cum homine probo. ER. Sed prius audire cupio hujus sphæristerii plebiscita. GA. Quaternio ludum absolvit. Qui hanc lineam præterierit, in damno est; reliquos limites si transilias, sine fraude fiet. Qui globum suo loco moverit, perdit jus feriendi. ER. Intelligo. GA. En occlusi tibi portam. ER. Sed isthinc te excutiam. GA. Id si feceris, cedam tibi hujus certaminis palmam. ER. Bona fide? GA. Optima. Non enim potes alia via, nisi sic mittas sphæram tuam in parietem, ut resiliat in meam. ER. Id experiar. Quid ais, bone vir? Nonne depulsus es? GA. Fateor: utinam tam sapiens esses, quam es felix. Sed isthuc centies tentanti, vix semel successerit. ER. Imo si quid audes deponere pignoris, nisi tertio quoque experimento successerit, vinces. Sed interim redde pactum præmium. GA. Quodnam? ER. Distichon. GA. Reddam. ER. Et quidem ex tempore. Quid arrodis unguem? GA. Habeo. ER. Recita clare. GA. Clarissime.

Plaudite victori juvenes hic quotquot adestis:
Nam me qui vicit, doctior est nebulo.

Nonne distichon habes? ER. Habeo: sed quale abs te allatum est, tale tibi referetur.

Saltus.

VINCENTIUS, LAURENTIUS.

VI. LIbet ne decertare saltu? LA. Ludus iste non convenit pransis. VI. Quam ob rem? LA. Quia ventris saburra gravat corpus. VI. Non admodum sane, qui pransi sint in pædagogio. Nam ibi plerumque cœnaturiunt, prius quam absolverint prandium. LA. Quod igitur saliendi genus placet? VI. Auspicemur ab eo quod est simplicissimum, a saltu locustarum, sive magis ranarum, utraque tibia, sed junctis pedibus. Qui longissime promoverit cingulum, coronam feret. Hujus ubi erit satietas, aliud atque aliud genus experiemur. LA. Equidem nullum recusabo genus, nisi quod geritur cum periculo tibiarum: nolim mihi rem esse cum chirurgis. VI. Quid si certemus unica tibia? LA. Iste ludus est 6 Empusæ, valeat. VI. Hastæ innixum salire, cum primis est elegans. LA. Liberalius est certare cursu. Siquidem hoc certaminis genus apud Virgilium proposuit & 7 Æneas. VI. Verum; sed idem proposuit & cæstuum certamen; quo non delector. LA. Designa stadium. Hoc loco sit carcer, quercus ista sit meta. VI. Sed utinam adesset Æneas, qui proponat & præmia victori. LA. Victori abunde magnum præmium est gloria. VI. Victo potius dandum erat præmium, solatii gratia. LA. Sit igitur victo præmium, ut lappa coronatus redeat in urbem. VI. Equidem non recusarim, si tu præcedas tibia canens. LA. Est ingens æstus. VI. Nec mirum, quum sit solstitium æstivum. LA. Præstiterat natare. VI. Mihi non placet ranarum vita. Animal sum terrestre, non amphibion. LA. Sed tamen hoc exercitamenti genus olim cum primis habebatur liberale. VI. Imo etiam utile. LA. Ad quid? VI. Si fugiendum sit in bello, ibi potissimum valent, qui sese cursu pedum & natatu exercuerunt. LA. Artem narras haudquaquam aspernandam. Neque enim minus laudis est aliquando bene fugere, quam fortiter pugnare. VI. Sum plane rudis & imperitus natandi, nec sine periculo versamur in alieno elemento. LA. Sed assuescere oportet: nemo nascitur artifex. VI. At ego istius generis artifices permultos audio natasse, sed non enatasse. LA. Experieris primum innixus suberi. VI. Nec suberi fido magis quam pedibus: si vobis cordi est natatio, spectator esse malo, quam certator.

Confabulatio Pia.

ERASMUS, GASPAR.

ER. UNde nobis prodis? E popina quapiam? GA. Bona verba. ER. E sphæristerio? GA. Ne hoc quidem. ER. Ex œnopolio? GA. Nequaquam. ER. Quando non assequor divinando, dic ipse. GA. Ex æde Virgini matri sacra. ER. Quid illic tibi negocii est? GA. Salutem dixi nonnullis. ER. Quibus? GA. Christo, ac divis aliquot. ER. Religiosior tu quidem es, quam pro ætate. GA. Imo nullam ætatem non decet religio. ER. Si cupiam esse religiosus, patiar mihi injici cucullam. GA. Atque ego idem facerem, si, quantum caloris adfert, tantumdem pietatis adferret cuculla. ER. Ajunt

1 *Singulari certamine congredi.*

2 *Balista*] Vel potius *ballista*, a βάλλω, jaculor: est machina seu instrumentum, quo lapides aut telum aliquod βάλλομεν, seu ejaculamur.

3 *Sum raucus*] Allusit ad gallos gallinaceos, quibus natura adest vox rauca, qui proprie dicuntur *coccyssare*, unde & Galli vulgo vocant gallum, *un cocq.*

4 *Versaris in tua arena*] Id est, in tua ipsius arte. Sumptum a gladiatoribus solitis in arena digladiari. Neque vero parvi referebat horum, nota an ignota dimicarent arena.

5 *Cum Bitho Bacchius*] Bithus & Bacchius nobile par gladiatorum fuit, pares arte, pares audacia. Proinde quoties duo æqualiter improbi contendunt inter sese, ita ut neuter alteri velit concedere, dicemus *Bacchium cum Bitho commissum*, Horat.

6 *Empusa*] Spectrum est apud Aristophanem quod apparet unica tibia, unde & Græci nomen dedere. Belg. *hinckelen.* Galli *sauter a clochepied.*

7 Æneid. Lib. v. ℣. 67. & seqq.

Ajunt vulgo, pueros angelicos in satanam verti, ubi consenuerint. GA. Sed ego proverbium isthuc ab auctore Satana natum arbitror. Imo vix existimo, senem esse vere pium, nisi qui a teneris annis assueverit. Nihil felicius discitur, quam quod ab ipsa statim pueritia discitur. ER. Quid igitur est religio? GA. Est purus cultus numinis, & observatio praeceptorum illius. ER. Quae sunt illa? GA. Longum est, sed ut in summa dicam, in rebus quatuor est sita. ER. In quibus? GA. Primum, ut recte pieque sentiamus de Deo, de scripturis divinis: atque ut illum non vereamur modo, tanquam dominum, verum etiam amemus ex intimis affectibus, ut patrem beneficentissimum. Secundum, ut summa cura tueamur innocentiam; ea est, ne quem laedamus. Tertium, ut teneamus caritatem, hoc est, ut de omnibus, quantum datur, bene mereamur. Quartum, ut servemus patientiam. Ea praestat, ut mala nobis illata, si mederi nequeamus, patienter toleremus, non ulciscentes, nec malum malo referentes. ER. Nae tu probus es concionator. Sed praestas ista, quae doces? GA. Equidem adnitor pro mea virili. ER. Qui potes pro virili, cum sis puer? GA. Meditor pro viribus, & quotidie mecum ineo rationem: si quid cessatum fuerit, corrigo: illud praeter decorum, hoc dictum petulantius, hoc factum incircumspectius, hoc taceri praestiterat, illud omissum. ER. Quando subducitur ista ratio? GA. 1 Ferme sub noctem, aut si quando magis vacat. ER. Sed age, dic mihi, quibus studiis totum transigis diem? GA. Nihil celabo tam fidum sodalem. Mane, simul atque sum expergefactus, (id fere fit ad sextam, aut quintam,) pollice signum crucis pingo in fronte & in pectore. ER. Quid deinde? GA. Auspicor initium diei, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. ER. Pie sane. GA. Mox paucis saluto Christum. ER. Quid illi narras? GA. Ago gratias, quod eam noctem mihi voluerit esse prosperam, precorque ut diem itidem illum totum mihi bene fortunet, ad ipsius gloriam, & animae meae salutem: utque is, qui est vera lux occasum nesciens, sol aeternus, omnia vivificans, alens, exhilarans, dignetur illucescere menti meae; ne usquam impingam in ullum peccatum, sed ipsius ductu perveniam ad vitam aeternam. ER. Haud inauspicatum diei exordium. GA. Deinde salutatis parentibus, quibus secundum Deum primam debeo pietatem, cum tempus est, confero me ad ludum literarium, sed ut per templum, si commodum est, sit mihi transitus. ER. Quid illic? GA. Rursus tribus verbis saluto Jesum, ac divos divasque omnes, sed nominatim Virginem matrem, tum eos quos habeo mihi peculiares. ER. Nae tu mihi probe legisse videris illud Catonis; *Saluta libenter*. Non sat erat mane salutasse, nisi mox denuo salutares? An non vereris ne molestus sis immodico officio? GA. Amat Christus subinde appellari. ER. Sed ineptum videtur alloqui, quem non vides. GA. Nec eam mei partem video, qua illi loquor. ER. Qua? GA. Animo. ER. Sed ociosum est salutare non resalutantem. GA. Resalutat frequenter arcano afflatu. Denique abunde resalutat, qui dat quod petitur. ER. Quid hic ab illo flagitas? Nam video tuas salutationes esse petaces, cujusmodi fere sunt mendicorum. GA. Sane non procul aberras a scopo. Precor enim ut, qui puer duodecim annos natus, sedens in templo docuit ipsos doctores, cuique pater coelitus emissa voce dedit auctoritatem docendi mortalium genus, quum diceret: 2 *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacitum est, ipsum audite*: quique est aeterna sapientia summi patris, illustrare dignetur ingenium meum ad perdiscendas honestas literas, quibus utar ad ipsius gloriam. ER. Quos autem habes divos tibi peculiares? GA. Ex apostolis Paulum, ex martyribus Cyprianum, ex doctoribus Hieronymum, e virginibus Agnetem. ER. Quae res istos tibi conciliavit? electio, an casus? GA. Sortito obvenerunt. ER. Atqui istos nihil aliud quam salutas? An ab his quoque mendicas aliquid? GA. Precor ut me suis suffragiis Christo commendent, efficiantque ut illius munere aliquando contingat in ipsorum venire contubernium. ER. Sane rem non vulgarem petis. Quid tum postea? GA. Ad ludum propero, & quod is locus postulat, toto ago pectore. Sic enim imploro Christi praesidium, quasi citra illius opem nihil efficiat

1 Monitum & institutum hoc fuit Pythagoreorum, de quo vide Aurea Carmina ℣. 40. & seqq. ad quos versus lege quae habet *Hierocles*. Si transferatur ab Ethica Ethnica ad Religionem Christianam, longe est utilissimum.

2 *Hic est filius meus dilectus*] Matth. 3. vers. 17. & Matth. 17. vers. 5.

A nostrum studium: sic studeo, quasi ille nihil auxilii sit laturus nisi graviter laboranti. Ac modis omnibus do operam, ne merito vapulem, ne quid dicto factove vel praeceptorem offendam, vel sodales meos. ER. Probus es, quum ista cogitas. GA. Quum dimissus a ludo domum propero, rursus, si licet, per aedem sacram iter facio, rursusque tribus verbis saluto Jesum. Si quid est obsequii praestandum parentibus, obeo. Quod si quid etiam superest temporis, mecum aut cum sodali repeto quod praelectum est in schola. ER. Nae tu perparcus es temporis. GA. Nec mirum, si parcus sum rei, ut multo preciosissimae, ita irrecuperabilis. ER. At Hesiodus docet, in medio parcendum esse: in principio properam, in fine seram esse parsimoniam. GA. Recte Hesiodus 3 de vino; sed aetatis nulla est intempestiva parsimonia.
B Dolium si sinas, non exhauritur. At aetas nunquam non defluit, sive dormias, sive vigiles. ER. Fateor: sed quid deinde rei geritur? GA. Adornata parentibus mensa, recito consecrationem; deinde prandentibus ministro, donec jubeor & ipse prandium sumere. Actis gratiis, si quid vacat, lusu quopiam honesto laxo animum cum sodalibus, donec hora revocat in ludum a lusu. ER. Ac rursum salutatur Jesus? GA. Salutatur, si commodum est. Sin est cur aut non vacet, aut non sit tempestivum, tamen praeteriens templum, cogitatiuncula saluto. Rursus in ludo totis viribus hoc agitur, quod locus postulat. Domum reversus, idem ago quod ante prandium. A coena suavibus fabulis memet oblecto: mox prosperam noctem precatus parentibus ac familiae,
C mature me confero ad nidum: illic flexis ante lectum genibus, mecum, ut dixi, reputo, quibus studiis is dies peractus sit. Si quid est gravioris admissi, Christi clementiam imploro ut ignoscat, polliceorque meliora: si nihil est, ago gratias illius beneficentiae, quod me servarit ab omni vitio. Deinde me totum illi toto pectore commendo, ut me protegat ab insidiis mali genii, & ab obscoenis somniis. His factis, lectum ingressus, frontem ac pectus signo crucis imagine, ac me compono ad somnum. ER. Quo pacto te componis? GA. Nec pronus cubo, nec supinus, sed primum lateri dextro innitens, brachiis ita transversim seu decussatim complicatis, ut pectus muniant figura crucis, dextra manu sinistro admota humero, laeva dextro. Ita dormio suaviter, donec aut expergiscar ipse, aut exciter. ER. Sanctulus es,
D qui ista possis. GA. Imo stultulus es, qui ista dicas. ER. Laudo institutum, si queam assequi. GA. Velis tantummodo. Nam ubi assueveris pauculos menses, erunt haec etiam suavia; adeo vertentur in naturam. ER. Sed nihil audio de sacris. GA. Nec hac parte mihi desum, diebus praecipue festis. ER. In his quomodo te geris? GA. Primum omnium excutio meipsum, num qua labe peccati sit animus contaminatus. ER. Id si comperias, quid tum? subducis te ab altari? GA. Nequaquam corpore, sed animo me submoveo, ac veluti procul stans, nec audens attollere oculos ad patrem Deum quem offendi, tundo pectus meum, dicens illud
E ex Euangelio cum publicano: 4 *Domine propitius esto mihi peccatori*. Deinde, si sensero quempiam offensum a me, eum curo placandum e vestigio, si licet: sin minus, statuo in animo, mihi, cum primum licebit, reconciliare proximum. Si quis offendit me, remitto vindictam, doque operam, ut qui laesit, agnoscat errorem suum, & resipiscat. Sin ejus rei nulla spes est, vindictam omnem Deo relinquo. ER. Istuc durum est. GA. An hoc durum, condonare levem noxiam fratri tuo, cujus ignoscentia tibi mutua sit frequenter opus: quum Christus omnia commissa nostra nobis semel condonarit, & quotidie condonet? Imo mihi videtur haec non esse liberalitas in proximum,
F sed foeneratio apud Deum: perinde quasi conservus ex pacto remittat conservo tres drachmas, ut ipsi dominus condonet talenta decem. ER. Perpulchre tu quidem philosopharis, si modo certum sit quod ais. GA. An postulas aliquid certius Euangelica cautione? ER. Non est aequum. Sed sunt qui se non credant esse Christianos, nisi quotidie Missam, ut appellant, audierint. GA. Horum institutum equidem non damno; praesertim in his qui abundant ocio, quive totos dies occupantur profanis negociis. Tantum illos non approbo, qui superstitiose sibi persuaserunt, diem fore parum faustum, nisi fuerint eum auspicati a Missa:

3 Oper. & Dier. v. 368.

4 *Domine*] Lucae 18. cap. 4.

A a Missa: & statim a sacro se conferunt, vel ad negociationem, vel ad prædam, vel ad aulam: ubi si, quod per fas nefasque gerunt, successerit, Missæ imputant. Er. Suntne qui sic desipiant? Ga. Magna pars hominum. Er. Sed redi ad sacrum. Ga. Si licet, adsto vicinus altari sacro, quo percipere queam ea quæ sacrificus recitat, præsertim Epistolam & Euangelium. Ex his aliquid conor decerpere, quod infigam animo meo: id mecum aliquamdiu rumino. Er. Nihil interim oras? Ga. Oro, sed cogitatione magis quam strepitu labiorum. Ex his, quæ recitat sacerdos, arripio precandi occasionem. Er. Dic istud explanatius: nam non satis assequor quid velis. Ga. Dicam. Finge recitari Epistolam, 1 *Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi.* B Ad hæc verba sic mecum loquor Christo: Utinam vere sim azymus, purus ab omni fermento malitiæ. Sed tu, Domine Jesu, qui solus es ab omni malitia purus ac sincerus, largire ut indies & ipse magis ac magis expurgem vetus fermentum. Rursum, si forte legatur Euangelium 2 de seminante semen suum, sic oro mecum: Felix ille, qui meretur esse terra bona: precorque, ut me ex terra parum frugifera, sua benignitate faciat terram bonam, sine cujus beneficio nihil omnino bonum est. Sint hæc exempli causa dicta: nam singula persequi prolixum sit. Sed, si contingat sacrificus mutus, quales multos habet Germania; aut non detur adesse propius altari, fere libellum paro, in quo descriptum sit ejus diei Euangelium & Epistola; inde ipse aut pronuncio, aut oculis lego. C Er. Intelligo: sed quibus cogitationibus potissimum transmittis hoc tempus? Ga. Ago gratias Jesu Christo pro ineffabili caritate, quod genus humanum sua morte redimere dignatus est; & oro, ne patiatur suum sacrosanctum sanguinem pro me frustra fusum esse, sed suo corpore semper pascat animum meum, suo sanguine vivificet spiritum meum, ut paulatim adolescens virtutum auctibus, efficiar idoneum membrum corporis illius mystici, quod est ecclesia: nec unquam deficiam ab illo sanctissimo fœdere, quod in extrema cœna distributo pane, & porrecto poculo, pepigit cum discipulis suis electis, & per hos cum omnibus, qui per baptismum in societatem illius insiti sunt. D Quod si sensero vagari cogitationem, lego psalmos aliquot, aut aliud quippiam pium, quod animum ab evagando cohibeat. Er. Habes in hoc psalmos certos? Ga. Habeo; sed quos non ita mihi ipsi indixi quin omittam, si cogitatio quæpiam incidat, quæ magis reficiat animum meum, quam illa psalmorum recitatio. Er. Quid de jejunando? Ga. Cum jejunio mihi nihil est negocii. Sic enim me docuit Hieronymus, non esse valetudinem atterendam jejuniis, donec corpus ætate robur justum collegerit. Nondum autem egressus sum annum decimum septimum. Sed tamen si sensero opus, prandeo, cœnoque parcius, quo me præbeam alacriorem studiis pietatis per diem festum. Er. Posteaquam cœpi semel, expiscabor omnia. Quomodo affectus E es erga conciones? Ga. Optime. Ad has non minus religiose accedo, quam ad sacram synaxim. Et tamen deligo, quos audiam. Sunt enim quos præstat non audisse. Quod si talis contingit, aut si nemo contingit, tempus hoc transigo sacra lectione: lego Euangelium & Epistolam cum interpretatione Chrysostomi aut Hieronymi, aut si quis alius occurrit pius ac doctus interpres. Er. Sed magis afficit viva vox. Ga. Fateor; & audire malo, si detur concionator tolerabilis: sed non videor omnino caruisse concione, si Chrysostomum aut Hieronymum scripto loquentem audiero. Er. Non opinor. Sed quid te delectat confessio? Ga. Magnopere: nam confiteor quotidie. Er. Quoti- F die? Ga. Sic est. Er. Alendus est igitur tibi proprie sacerdos. Ga. Sed illi confiteor, qui vere solus remittit peccata, cui est potestas universa. Er. Cuinam? Ga. Christo. Er. An istud sat esse putas? Ga. Mihi quidem sat esset, si sat esset Proceribus ecclesiæ & consuetudini receptæ. Er. Sed quos tandem appellas ecclesiæ Proceres? Ga. Pontifices, Episcopos, Apostolos. Er. Et inter hos annumeras Christum? Ga. Is est omnium sine controversia 3 colophon. Er. Et hujus receptæ confessionis auctor? Ga. Is quidem auctor est omnis boni: sed an ipse instituerit hanc confessionem, qualis nunc est in usu ecclesiæ, Theologis excutiendum relinquo: mihi puero & idiotæ sufficit majorum auctoritas. Hæc est certe præcipua confessio: nec est facile confiteri Christo. Non confitetur illi, nisi qui ex animo irascitur suo peccato. Apud illum expono, deploroque, si quid admisi gravius; clamo, lachrymor, ploro, meipsum exsecror, illius imploro misericordiam: nec finem facio, donec sensero peccandi affectum penitus expurgatum e medullis animi, & succedere tranquillitatem aliquam & alacritatem, condonati criminis argumentum. Atque ubi tempus invitat, ut adeam sacrosanctam mensam corporis & sanguinis dominici, confiteor & sacerdoti, sed paucis, & non nisi ea quæ certo videntur crimina: aut ejusmodi, ut vehemens suspicio sit crimen esse. Neque vero protinus arbitror esse piaculum, hoc est, enorme crimen, quod admittitur adversus quaslibet constitutiones humanas, nisi contemptus accesserit malitiosus. Imo vix arbitror crimen capitale, cui non sit adjuncta malitia, hoc est, perversa voluntas. Er. Laudo, quod sic es religiosus, ut tamen superstitiosus non sis. Hic quoque puto locum esse proverbio, 4 *Nec omnia, nec passim, nec quibuslibet.* Ga. Deligo mihi sacerdotem, cui credam arcana pectoris. Er. Isthuc est sapere. Sunt enim permulti, quod compertum est, qui, quod accipiunt in confessionibus, effutiunt. Sunt improbi quidam & impudentes, qui percontantur a confitente, quæ præstiterat tacuisse. Sunt indocti & stolidi, qui ob sordidum quæstum præbent aurem verius quam animum, cum nec dijudicent inter noxiam & recte factum, nec docere possint, nec consolari, nec consulere. Hæc sic habere, frequenter audivi ex multis, & ipse partim expertus sum. Ga. Et ego nimium. Proinde deligo mihi virum non indoctum, gravem, spectatæ integritatis, linguæ continentis. Er. Profecto felix es, qui ita mature sapere cœperis. Ga. Denique illa prima mihi curarum est, ne quid committam, quod cum periculo credam sacerdoti. Er. Nihil melius, siquidem possis cavere. Ga. Nobis quidem difficillimum est, sed, auxiliante Christo, facile est. Primum est, ut adsit bona voluntas. Eam mihi subinde renovo, præsertim diebus dominicis. Deinde subduco meipsum pro viribus ab improborum consortio; & sodalibus integerrimis me adjungo, quorum convictu fiam melior. Er. Recte tibi consulis. 5 *Corrumpunt enim mores bonos colloquia prava.* Ga. Ocium ceu pestem quandam fugio. Er. Nec mirum: nam nihil malorum non docet ocium. Sed ut nunc sunt hominum mores, solus vivat oportet, qui velit abesse a malorum consortio. Ga. Non omnino vanum est quod dicis. *Plures enim mali,* 6 ut Græcus ille sapiens dixit. Sed ex paucis optimos deligo. Et probus sodalis nonnunquam sodalem reddit meliorem. Vito lusus, qui provocant ad nequitiam: utor innoxiis. Comem me præbeo omnibus: sed familiarem non nisi bonis. Quod si quando incidero in malos, aut corrigo blande monendo, aut dissimulo, toleroque: si videor non profecturus, certe cum primum licet, memet ab illis suffuror. Er. Nunquamne titillavit animum tuum libido capiundæ cucullæ? Ga. Nunquam; sed crebro sollicitatus sum a quibusdam, ab hoc seculo, velut a naufragio, ad portum monasteriorum vocantibus. Er. Quid ego audio? Captabant prædam? Ga. Miris technis adorti sunt & me, & parentes. Sed mihi stat sententia, non addicere me vel matrimonio, vel sacerdotio, vel instituto monachorum, aut ulli vitæ generi, unde post me non queam extricare, priusquam mihi fuero pulchre notus. Er. Quando isthuc erit? Ga. Fortasse nunquam. Sed ante annum vigesimum octavum nihil statuetur. Er. Cur ita? Ga. Quia audio passim tam multos sacerdotes, monachos, & maritos deplorantes, quod sese temere præcipitarint in servitutem. Er. Cautus es, qui capi nolis. Ga. Interim tria mihi curæ sunt. Er. Quænam ista? Ga. Ut proficiam in probitate morum. De-

1 *Expurgate vetus fermentum*] Verba Pauli sunt 1 *Cor.* 5. 7.

2 *De seminante*] Luc. 8. 5.

3 *Colophon*] Præcipuus & caput. A Κολοφὼν, *fastigium*, *apex*. summa manus, finis. A Colophone Jonica urbe vox orta existimatur, quod, quum inprimis equestribus certaminibus excellerent, certam sibi victoriam illi pollicerentur, quibus Colophonius accessisset equitatus, & ideo *summitatem* & *finem* significat.

4 *Nec omnia, &c.*] Οὔτε πάντα, οὔτε πάντῃ, οὔτε παρὰ πάντων. Admonet Adag. in muneribus accipiendis, non solum verecundiam adhibendam esse, verum etiam delectum. Sunt enim quædam, quæ neutiquam decorum sit accipere. Est item locus, est tempus, quo pulchrum sit recusare munus oblatum.

5 Interpretatio est senarii *Menandri*: φθείρουσιν ἤθη χρηστὰ ὁμιλίαι κακαί, quem Paulus ipse habet 1 Cor. xv, 33.

6 Bias, de quo vide *Laërtium* in ejus vita, Lib. 1. §. 87.

Dein, si id nequeam, certe tuear illibatam innocentiam ac famam. [A] Postremo, paro mihi bonas literas ac disciplinas, in quovis vitæ genere futuras usui. ER. Sed interim a poetis abstines? GA. Non in totum, sed castissimos quosque potissimum lego. Quod si quid inciderit parum verecundum, prætercurro, quemadmodum Ulysses obturatis auribus Sirenas prænavigavit. ER. Sed cui interim studiorum generi te potissimum addicis? Medicinæ, Juri Cæsareo aut Pontificio, an Theologiæ? Nam linguæ, bonæ litteræ, Philosophia, pariter conducunt ad omnem professionem. GA. Nondum ulli me plane addixi, sed ex omnibus gustum aliquem capio, ne cujusquam plane sim rudis: utque, degustatis singulis, certius eligam, cui sim accommodus. Medicina ubivis terrarum certissimum viaticum est: [B] Juris prudentia viam aperit ad dignitates: Theologia mihi cum primis placeret, nisi me mores quorundam, & morosæ inter ipsos contentiones offenderent. ER. Non facile labitur, qui sic pedetentim incedit. Complures hisce temporibus abstinent a Theologia, quod vereantur, ne vacillent in fide catholica, cum videant nihil non vocari in quæstionem. GA. Ego, quod lego in sacris literis & in symbolo, quod dicitur Apostolorum, summa fiducia credo, nec ultra scrutor. Cætera permitto Theologis disputanda ac definienda, si velint. Si quid tamen receptum est usu populi Christiani, quod non plane pugnet cum sacris literis, hactenus servo, ne cuiquam sim offendiculo. ER. Quis Thales te docuit istam Philosophiam? GA. Fuit mihi admodum puero con- [C] suetudo domestica cum integerrimo viro [1] Joanne Coleto. Nostin' hominem? ER. Quidni? tanquam te. GA. Is eam ætatem hujusmodi præceptiunculis imbuit. ER. Non invidebis, si me præbeam æmulum instituti tui? GA. Imo isthoc nomine mihi futurus es multo carior. Scis enim similitudine morum conglutinari familiaritatem ac benevolentiam. ER. Verum; sed non inter competitores ejusdem magistratus, quum simili laborent morbo. GA. Nec inter ejusdem sponsæ procos, quum pariter laborent amore. ER. Sed extra jocum, experiar imitari rationem istam. GA. Precor ut tibi vertat quam optime. ER. Fortassis assequar te. GA. Utinam & præcurras. Sed interim non operiar te; quin ipse quotidie meipsum superare contendo: sed tamen adni- [D] tere, si potes, ut antevertas.

Venatio.

PAULUS, THOMAS, VINCENTIUS, LAURENTIUS, BARTHOLUS.

PA. [2] T*Rahit sua quemque voluptas.* mihi placet venatio. TH. Placet & mihi: sed ubi canes, ubi venabula, ubi casses? PA. Valeant apri, ursi, cervi & vulpes; nos insidiabimur cuniculis. VI. At ego laqueos injiciam locustis. Insidiabor gryllis. LA. Ego ranas captabo. BA. Ego papiliones venabor. LA. Difficile est sectari volantia. BA. Difficile; sed pulchrum: nisi pulchrius esse ducis sectari lumbricos aut cochleas, quia carent alis. LA. Equidem [E] malo insidiari piscibus; est mihi hamus elegans. BA. Sed unde parabis escam? LA. Lumbricorum ubique magna est copia. BA. Est, si tibi velint prorepere e terra. LA. At ego mox efficiam, ut multæ myriades prosiliant. BA. Quo pacto? incantamentis? LA. Videbis artem. Imple hanc situlam aqua. Hos juglandium summos cortices virentes confractos, immittito. Hac aqua perfunde solum. Nunc observa paulisper. Vides emergentes? BA. Rem prodigiosam video. Sic olim, opinor, exsiliebant armati ex satis serpentis dentibus. Sed plerique pisces delicatioris & elegantioris sunt palati, quam ut esca tam vulgari capiantur. LA. Novi quoddam insecti genus, quo talibus insidiari soleo. [F] BA. Tu vide an possis imponere piscibus; ego ranis facessam negocium. LA. Quomodo, reti? BA. Non; sed arcu. LA. Novum piscandi genus. BA. At non injucundum. Videbis, & fateberis. VI. Quid si nos duo micemus digitis? PA. Ignavum est ac rusticum lusus genus. Ad focum desidentibus magis convenit, quam in campo versantibus. VI. Quid si certemus nucibus? PA. Nuces admodum pueris relinquamus; nos grandiusculi sumus. VI. Et tamen nihil aliud adhuc, quam pueri sumus. PA. Sed quibus decorum est ludere nucibus, iisdem non indecorum est equitare in arundine longa. VI. Tu igitur præscribito lusus genus, sequar quocunque vocaris. PA. Et ego futurus sum omnium horarum homo.

Euntes in ludum literarium.

SYLVIUS, JOHANNES.

SY. CUr adeo curris, Johannes? JO. Cur lepus, ut ajunt, pro canibus? SY. Quid hoc proverbii est? JO. Quia nisi adfuero in tempore, ante recitatum catalogum, actum est de pelle mea. SY. Hac quidem ex parte nihil est periculi. Modo præterita est quinta. Inspice horologium, manus nondum attigit punctum, quod horam ab hora æquis spatiis dirimit. JO. At ego vix habeo fidem horologiis: mentiuntur nonnunquam. SY. At mihi fide, qui campanæ vocem audivi. JO. Quid loquebatur? SY. Horam esse quintam. JO. Sed est & aliud, unde magis etiam timeam. Reddenda est memoriter hesterna lectio, satis prolixa. Vereor ut possim. SY. Commune periculum narras. Nam & ipse vix satis teneo. JO. Et nosti præceptoris sævitiam. Omnis illi noxia capitalis est. Nec magis parcit nostris natibus, quam si corium esset bubulum. SY. Verum is non aderit in ludo. JO. Quem igitur vicarium constituit? SY. Cornelium. JO. Strabum illum? Væ nostris natibus. Is vel Orbilio plagosior est. SY. Verum dicis; & ideo non raro sum illius brachio precatus paralysin. JO. Non est pium, imprecari præceptori. Nobis potius cavendum, ne incidamus in illius tyranni manus. SY. Reddamus inter nos vicissim, altero recitante, altero codicem inspiciente. JO. Pulchre mones. SY. Fac præsenti sis animo. Nam metus officit memoriæ. JO. Facile deponerem pavorem, si non adesset periculum. At in tanto discrimine quis possit esse securus animo? SY. Fateor; attamen non agitur de capite, sed de parte diversa.

Alia.

CORNELIUS, ANDREAS.

CO. SCite tu quidem pingis, sed charta tua perfluit. Charta subhumida est, ac transmittit atramentum. AN. Quæso ut appares mihi pennam hanc. CO. Deest mihi gladiolus scriptorius. AN. En tibi. CO. Hui quam obtusus! AN. Accipe coticulam. CO. Utrum amas scribere cuspide duriuscula, an molliore? AN. Attempera ad manum tuam. CO. Ego molliore soleo. AN. Quæso ut mihi describas ordine figuras elementorum. CO. Græcas an Latinas? AN. Latinas primum conabor imitari. CO. Suppedita chartam. AN. Accipe. CO. Sed meum atramentum dilutius est, subinde infusa aqua. AN. At meum linteolum prorsus exaruit. CO. Immunge; nisi mavis immejere. AN. Imo potius rogabo alicunde. CO. Præstat habere domi, quam rogare commodato. AN. Quid est scholasticus absque calamo & atramento? CO. Quod miles absque clypeo & gladio. AN. Utinam mihi essent articuli tam celeres. Equidem non possum dictantis vocem scribendo assequi. CO. Prima cura sit, ut bene scribas: proxima, ut celeriter. *Sat cito, si sat bene.* AN. Belle: sed istam cantionem cane præceptori, quum dictat, *Sat cito, si sat bene.*

Agendi gratias, Formula.

PETRUS, CHRISTIANUS.

PE. GRatum mihi fecisti, quod aliquoties ad me scripseris. Habeo gratiam, quod ad me crebrius scripsisti. Amo te, quod interdum ad me literas dare non dedignatus es. Habeo gratiam, quod crebris literis me viseris. Ago tibi gratias, qui literarum fasciculis nos oneraris. Maxima tibi a me habetur gratia, qui nos aliquando literis lacessiveris. Pergratum mihi fecisti, quod nos dignatus sis tuis literis. Debeo tibi pro tuis humanissimis ad me literis. Magni beneficii loco duco, quod non es gravatus ad me scribere.

Responsio.

CH. Imo meum est deprecari culpam impudentiæ, qui non veritus sim tibi homini tum occupatissimo, tum doctissimo, meis illiteratis literis obstrepere. Agnosco solitam tuam humanitatem, qui meam audaciam boni consulueris: Verebar ne quid offendissent te meæ literæ, quod nihil omnino responderes. Non est quod agas gratias; mihi plus satis est, si sedulitatem meam accepisti in bonam partem.

Nova rogandi, Formula.

PE. Nihilne novarum rerum adfertur e patria? Num quid novi de nostratibus accepisti? Quid novi? Ecquid novarum

1 *Joh. Coleto*] Plurimæ ad hunc Erasmi Epistolæ exstant; ut & illius ad Erasmum. Fuit autem natione Anglus.

2 *Trahit sua*] Hemistichium Virg. ex Bucol. Ecl. 11,

varum rerum apportas? Num quid novi fertur? Num quæ A res novæ e patria nunciantur?

Responsio.

CH. Novi quidem permultum, at nihil veri. Novarum quidem rerum satis, at nihil comperti. Nova permulta, at explorati nihil. Non parum novi; at veri non multum. Nihil adfertur novi. Novarum rerum nihil prorsus accepi. Certi nihil, novi nonnihil. Rumores adferuntur permulti, sed dubii. Plurima est fama, at rerum nihil, firmi nihil. Si vana te capiunt, adferunt tota plaustra mendaciorum. Fabularum totos modios apporto. Tantum mendaciorum adfero, quantum vix una navis vehat. PE. Exonera te quamprimum, ne succumbas tanto oneri. CH. Nihil habeo præter ea quæ jactantur in tonstrinis, in vehiculis, & in navibus. B

An accepisti literas? Formula.

PE. Nihilne literarum accepisti? Num aliquas e patria recepisti literas? Nullæ tibi sunt redditæ literæ? Num quid scriptorum accepisti? Num quas accepisti epistolas? Ecquas ab amiculis accepisti literas? Nihil epistolarum advolavit e Gallia?

Responsio.

CH. Literarum nihil accepi. Ne pilum quidem literarum accepi. Ne tantulum quidem adfertur literarum. Nemo literam ad me. Ne verbum quidem a quoquam redditur. Tantum literarum accepi jam diu, quantum vides in oculo meo. Equidem pecunias, quam literas malim. Argentum accipere malim, quam epistolas. Nummos recipere malim, quam epistolia. Nihil moror literas; modo C veniat argentum. Equidem numerari malo mihi, quam scribi.

Credo, Formula.

PE. Facile credo. Haud difficile creditu est. Credi istud perfacile potest. Istud tibi quis non credat? Admodum incredulus fuerit, qui hoc non tibi credat. Profecto habeo tibi fidem. Istius rei mihi facile fidem facis. Credo tibi vel injurato. Verisimile dicis. Adferunt tamen nonnihil solatii literæ. At ego alterutrum malim, quam neutrum.

Utilitatis, Formula.

CH. Quorsum spectant literæ sine pecunia? Ad quid tandem inanes conducunt literæ? Quorsum valent, ad D quid conferunt, faciunt, prosunt, proficiunt literæ vacuæ? Cui gratæ, cui acceptæ literæ sine nummis? Quid emolumenti adferunt literæ inanes? Cui bono sunt ociosæ literæ? Quid juvant? Cui sunt usui? Ad quid conducibiles sunt? Quid secum adferunt momenti? Cui rei sunt utiles inanes epistolæ?

Responsio.

PE. Podici tergendo utiles, idoneæ, accommodæ. Conducunt natibus tergendis. Si usum nescis earum, ad anum expurgandum valent. Ad nates tergendas. Ad posticum purgandum. Conferunt ad eam corporis partem mundandam, quæ semet identidem inquinat. Valent convestiendis scombris. Involvendo thuri sunt accommodæ. Quid? E valentne amiculi? Quid uxor agit tua? CH. Recte: eam apud matrem reliqui, & quidem prægnantem.

Bene precandi.

PE. Bene & tibi & illi vertat: tibi, quod pater: illi, quod mater futura sit. Adsit Deus. Ut utrique vestrum faustum, felixque sit, precor, optoque. Quæso, oro superos omneis, ut incolumis prolem vobis dignam pariat, & pulchra te faciat prole parentem. Laudo te, quod virum te præstiteris. Gaudeo te virum præstitisse. Gallum te esse declarasti, at non Cybeles. Abi; virum te judico. CH. Ludis; idque facis tuo more. Age age, est tibi jus apud me loquendi quælibet. Audio, te patriam nuper revisisse. PE. Sic est factum. Nam diutiuscule jam abfueram; non ferebam tam diutur- F num patriæ desiderium. Non poteram a parentum conspectu abesse diutius. Torquebat me diutinum amicorum desiderium. CH. Pie fecisti: humanus es, qui ista cogites. Ducimur enim omnes admirabili quodam amore ejus regionis, quæ nos aluit atque edidit. Et,

Nescio qua natale solum dulcedine cunctos
Ducit, & immemores non finit esse sui.

Dic, quæso, quonam in loco illic offendisti omnia?

Nova omnia, Formula.

PE. Nihil non novum. Mutata omnia. Novata singula. Universa nova. Vide quam repente tempus res mutet humanas. Videbar mihi in alium venire mundum. Vixdum decennium abfueram, & non secus omnia admirabar, quam Epimenides somniatorum princeps, vix tandem expergefactus. CH. Quænam ista est fabula? Quid isthuc est fabulæ? PE. Dicam equidem, si vacat. CH. Nihil fuerit jucundius. PE. Sellam igitur una cum pulvino mihi poni jube. CH. Recte admones; nam sedens commodius mentieris. PE. Fabulantur historici de Epimenide quodam Cretensi, qui deambulandi gratia solus urbem egressus, cum, subita pluviæ vi compellente in quandam speluncam ingressus, obdormisset, quadraginta septem perpetuos annos somnum continuarit.

Non credo, Formula.

CH. Quid narras? incredibile dictu. Non verisimile dicis. Somnium mihi narras. Non fit mihi simile veri. Monstri simile narras. Non pudet tam improbæ vanitatis? Digna fabula quæ addatur veris narrationibus Luciani. PE. Imo rem narro a gravissimis proditam auctoribus: nisi forte tibi parum spectatæ fidei est Aulus Gellius. CH. Mihi vero quæ scribit ille, [1] folia Sibyllæ sunt omnia. PE. Quid tandem Theologum tot annos somniasse reris? Nam Theologum fuisse proditum est. CH. Audire gestio.

Responsio.

PE. Quid aliud, quam quæ postea prodidit Scotus, & hujus farinæ sodales? Sed bene cum Epimenide actum est, qui vel tandem ad se redierit: multi Theologi nunquam expergiscuntur a suis somniis. CH. Age, facis ut poeta dignum est: sed perge mentiri. PE. Epimenides igitur somno solutus, e spelunca prodit, circumspicit, mutata videt omnia, sylvas, ripas, flumina, arbores, agros, breviter nihil non novum. Accedit ad urbem, percontatur, manet illic aliquandiu, neque novit quenquam, neque a quopiam agnitus est. Alius hominum cultus, nec idem vultus, mutatus sermo, diversi mores. Nec miror hoc Epimenidi post tantum annorum evenisse, cum mihi idem propemodum evenerit, qui pauculos annos abfuissem. CH. Quid uterque parens, vivuntne? PE. Vivunt ambo, & valent utcumque, senio, morbo, denique bellorum calamitate confecti. CH. est humanæ vitæ comœdia. Hæc est fatorum lex inevitabilis. PE. Cœnabis hodie domi? CH. Foris cœnaturus sum. Foris cœnandum est mihi. PE. Apud quem? CH. Apud socerum meum, apud generum meum, apud nurum meam, apud affinem meum. Affines dicuntur qui non sanguinis, sed matrimonii conjunctione copulati sunt. PE. Quæ sunt igitur usitata vocabula affinitatum? CH. Maritus & uxor, nota sunt nomina.

Socer	uxoris meæ pater est mihi.
Gener	filiæ meæ maritus.
Socrus	uxoris meæ mater.
Nurus	filii mei uxor.
Levir	mariti frater.

Levir dicitur ab uxore, ut Helena Hectorem levirum vocat, quod esset nupta Paridi.

Fratria	Fratris mei uxor.
Glos	mariti soror.
Vitricus	matris meæ maritus.
Noverca	patris mei uxor.
Privignus	uxoris aut mariti filius.
Privigna	filia alterutrius.
Rivalis	qui amat eandem.
Pellex	quæ amat eundem:

ut, Thraso rivalis est Phædriæ, & Europe pellex est Junoni.

Cras mecum prandeas.

PE. Ago gratias. Laudo te. In crastinum igitur te ad cœnam voco. Cras ergo ut mecum cœnes, oro. Cras igitur mecum prandeas, rogo. Cras igitur te mihi convivam volo.

Timeo ne non possim.

CH. At vereor, ne non licuerit. Ut possim, metuo. Veniam, si quidem licebit. At metuo, ne non queam.

Quare.

PE. Cur non licebit? Qui sic? Quid ita? Quam ob rem? Quo pacto? Quid causæ? Quid obstiterit, quo minus possis? Domi

[1] *Folia Sibyllæ*] Eandem vim obtinet Juvenalis illud:
Credite me vobis folium recitare Sibyllæ.
Id est, rem indubitatam. Ductum Adag. a Cumana Sibylla, cujus oracula cum primis celebrantur.

Domi me esse oportet.

CH. Tum quidem mihi domi manendum est. Ut domi nocte sim, necesse est. Tum certe foris esse non licebit. Cras mihi quoquam ire foras, liberum non erit. A prandio abesse mihi integrum non erit. Aliquot ipse convivas eo die operior. Aliquot amiculi constituere ea nocte domi nostræ cœnare. Ipsi mihi convivæ sunt ea nocte tractandi, alioqui lubens venirem. Ni id esset, haud gravatim facerem. Quod ni esset, haud me tibi difficilem præberem. Non excusarem, si liceret. Non paterer bis rogari, si queam. Parce rogare; vel invocatus adessem, si quo pacto liceret. Haud gravate tibi obsequerer, si possim. Frustra rogas eum, cui non est liberum; frustra item rogaturus, si liberum esset. Nunc ut maxime cupiam, non possum: tunc supervacaneum esset rogare volentem. PE. Vel perendie apud me sis, oportet. Saltem perendino die ad cœnam venias, necesse est. Quarto abhinc die non gravaberis mihi præbere convivam. Die Jovis proximo non potes effugere, quin venias.

Non possum promittere.

CH. Non possum polliceri. Affirmare istud tibi non possum. Promittere certum nequeo. Veniam, ubi utrique nostrum videbitur commodissimum.

Diem dicere debes.

PE. Diem igitur mihi constituas volo, ad quem mecum sis cœnaturus. Diem igitur assignes, oportet. Diem igitur promittas, necesse est. Diem certum mihi præfiniri, præscribi, præstitui, constitui cupio. Ad certum diem condicito. Diem mihi dicas velim.

Nolo te præscire.

CH. Equidem non soleo dicere diem amicis. Cum quibus mihi parum convenit, iis soleo diem dicere. Præscium te esse nolim. Præscire te nolo. De improviso te opprimam. Inopinato te opprimam. Te nec opinantem oppressero. Te nihil suspicantem oppressurus sum. Non exspectatus adfuero. Adoriar te nec opinantem. Veniam ultroneus, & insperatus conviva.

Præscire volo.

PE. Biduum præscire volo. Biduum præscius esse cupio. Præmoneto biduo prius, quam venias. Fac me biduo ante certiorem. CH. Si me urges, dico tibi diem Sybariticum, ne desit apparandi spacium. PE. Quid hoc verbi est? CH. Sybaritæ convivas invitabant in annum proximum, ut utrinque esset justus apparatus. PE. Valeant Sybaritæ cum suis molestis conviviis: ego congerronem voco, non satrapam.

Tuo malo optas.

CH. Equidem tuo detrimento. Tuopte quidem malo. In damnum tuum istud optas. Incommodo istud precaris tuo. PE. Quid ita? Quam ob rem? CH. Ego instructus accedam. Ego munitus veniam. Aggrediar te paratus. Instructus multa fame accedam; tu vide ut vulturem expleveris. Parabo ventrem, ac dentes exacuam; tu vide quibus modis lupum exsatures. PE. Age ad hoc certamen te provoco. Age fac pro viribus, pro virili, si quid potes. CH. Veniam, sed non incomitatus. PE. Tanto venies gratior. Sed quo comite venies? CH. Umbra. PE. Nec secus possis, si modo luce venias. CH. Sed umbram adducturus sum dentatam unam atque alteram, ne tu me vocaris impune. PE. Age ut libet, modo ne larvas adducas. Sed explana, si libet, quid sibi velit *umbræ* vocabulum. CH. Apud eruditos *umbræ* vocantur, qui ipsi non vocati comitantur eum, qui vocatus est ad convivium. PE. Talium umbrarum adduc quantum voles.

Ea lege promitto.

CH. Veniam quidem, at hac lege, ut tu postridie ejus diei vicissim apud me cœnes. Faciam eo quidem pacto, ut deinde mihi quoque sis conviva. Ea lege cœnam condico, ut tu rursum mihi sis conviva. Spondeo futurum, sed hac exceptione, si tu postero die itidem apud me sis. Recipio tibi facturum me. Do fidem futurum, his quidem legibus, ut tu mecum postridie prandeas. PE. Age fiat. Esto. Sit ita ut vis. Si jubes, faciam. Novi Gallorum magnificentiam. Non vis gratis apud me cœnare, nisi vices retuleris. At isto quidem pacto redire solent in orbem convivia. Sic nascitur conviviorum longa periodus. Hac vicissitudine fiunt sine fine reciproca convivia. CH. Nihil suavius, si minimum

A accedat apparatui quotidiano. Cæterum ego te detineo, alio fortassis iturum. PE. Imo ego te, opinor. Sed cras latius & familiarius confabulabimur. Verum crastino die plura nugabimur. Interim fac valeas. Interim cura ut bene valeas. Interim valebis.

Quo is? Formula.

CH. Quo tu nunc abis? Quo tu nunc properas? Quo tu tam celeri gradu tendis? Quonam te confers? Quo nunc iter est?

Eo domum, Formula.

PE. Domum me recipio. Domum revertor. Domum repeto. Domum me confero. Viso quid domi agatur. Accerso medicum. Rus hinc concedo. Constitui ad hanc horam cum viro quodam gravissimo colloqui. Statui hac hora
B congredi cum viro gravissimo. CH. Quonam? PE. Cum 1 Curione multiloquo. CH. Precor igitur tibi præsentem Mercurium. PE. Quid opus Mercurio favente? CH. Quia res erit cum linguaci. PE. Atqui hac gratia magis conveniebat, mihi Memoriam precari propitiam. CH. Quid ita? PE. Quia patientissimis auribus opus erit potius, quam strenua lingua. At auris Memoriæ dicata est. CH. Quanam iturus es? Qua ibis? PE. Hac ad sinistram, hac, illac, per forum. CH. Comitabor igitur te. Assectabor, ac deducam te ad diverticulum usque. PE. Non patiar te circumagi. Nolim te tantum laboris mea causa capere. Isthuc officii serva cum erit usus, nunc nihil opus est. Ne mea gratia facias viæ tuæ dispendium. CH. Mihi quidem compendium
C est, frui tantisper amico. Nihil habeo quod agam, & non sum piger, ni tibi sim molestus comes. PE. Nemo jucundior assecla. At non sinam, ut mihi claudas lævum latus: non admittam, ut mihi sinister ambules. Hic te superis commendo. Nolo te longius comitem. Ulterius nolo me comiteris.

Commendandi Formula.

CH. Tu me Curioni magnopere commendato. Fac me Curioni multiloquo quam commendatissimum facias. Me Curioni commendatum quam diligentissime curato. Jube ut me sibi commendatissimum habeat. Ego me illi per te commendatum facio. Me tibi etiam atque etiam commendo. Me tuæ humanitati quam possum diligentissime commendo. Recommendo pro commendo, barbaris relinqui-
D to. Vide ne pauca cum multiloquo loquaris. Vide ne cum multiloquo sis pauciloquus.

Obsequii.

PE. Vis me tibi morem gerere? Vis me tibi obsequi? Vis tibi obsecundem? Te igitur imitari me jubes? Quandoquidem ita vis, faciam libentissime. Ne sis mihi diutius in mora, imo ne uterque alteri. CH. Sed priusquam abeas, quæso te, ne graveris me docere quo pacto his sit utendum, in mora, in causa, in culpa; qui soles elegantiæ studiosus esse. Quare age, doce obsecro, dissere amabo.

In culpa, In causa, In mora.

E PE. Mos gerendus est tibi. Non est culpa in me, non est culpa in te. Mora est in te. In te causa est, grammatice quidem dicitur; at multo elegantius.

In culpa.

Non sum in culpa. Culpa non est mea. Vaco culpa. Quod nihil proficis, tua desidia in causa fuit, non præceptor, non pater tuus. In culpa omnes estis. Utrique in culpa estis. Utrique culpandi estis. Ambo accusandi estis. Ambo in culpa estis. Incidisti in morbum tuo ipsius vitio, tua ipsius culpa. Itidem dicuntur in vitio esse, quibus culpa debet imputari: & in crimine esse, qui culpandi sunt: & in damno esse, qui damno afficiuntur. Hoc genus sermonis
F non temere licet invertere, Damnum in illo est, vitium in illo est.

In causa.

Quo minus ad te scripserim, morbus in causa fuit. Quod rarius ad te scripserim, mea negocia in causa fuerunt, non negligentia. Quid in causa fuit? Quid causæ fuit? Ego non sum in causa. Quod nullas a me literas acceperis, tabellarius in causa fuit. Quod tam macilentus es, amor, non studium, in causa est. Hoc est causæ.

1 *Curione multiloquo*] Respicit ad Curionem Tribunum plebis, quem ad dicendum paratissimum Cæsari in civile bellum Pompejanum, non segnes stimulos addidisse Lucanus notat, ut & ejusdem loquacitatem: *Hos signa petentes audax venali comitatur Curio lingua.*

A

In mora.

Non ero vobis in mora. Quidnam nobis in mora fuit? Tu nobis in mora fuisti. Tu semper in mora es. Quid te remoratum est? Quis te remoratus est? Habes quod petebas; tuum est, memoriæ insculpere. Habes assectatiunculæ tuæ præmium. Vale, mi Christiane. CH. Vale in crastinum & tu, mi Petre.

In occursu.

CH. Salve multum, jucundissime Augustine. AV. Salve tantundem, mi humanissime Christiane. Felix sit tibi hujus diei exortus. Prosper sit tibi hic dies. Quid tandem agitur? CH. Suaviter, ut nunc res nostræ sunt. Et cupio omnia quæ vis. AV. Merito te amo. Amo te. Amandus es. Benigne dicis. Comis es. Habeo gratiam.

B

Irascor tibi, formula.

CH. At ego nonnihil tibi succenseo. At ego tibi subirascor. Verum ego tibi sum subiratus. Atqui ego sum in te stomachosior. Atqui nonnihil est, vel habeo, quod tibi succenseam.

Quæ causa? formula.

AV. Quidnam est istud, obsecro? Quid ita? Quam ob rem tandem, oro? Quid admisi sceleris? Quid commerui? Promereor bona, aut laudem: Commereor mala, aut pœnam: illud in bonam hoc in malam partem sumitur. Demeremur eum, quem nobis beneficio reddimus obnoxium.

Quia non curas me.

C

CH. Quod nulla mei tibi cura sit. Quod nihil nos respicis. Quod tam raro nos revisas. Quod nihil nos cures. Quod me plane negligis. Quod nostri curam videris abjecisse. AV. At nihil est causæ, cur succenseas. At præter meritum meum. At immerito succenses. Neque enim mea culpa accidit, quod te rarius visam. Dabis veniam occupationibus meis, per quas mihi non licet toties, quoties cupio, te revisere. CH. Ita demum tibi ignoscam, si hodie apud me cœnes. Ea conditione purgatus mihi eris, si vesperi ad cœnam venias. AV. Haud iniquas pacis leges præscribis Christiane; quare haud invitus faciam. Equidem faciam volens. Istud quidem fecero perlubenter. Haud gravate faciam. Hic sane non me præbebo difficilem. Nihil hac re fecero libentius. Animo faciam lubenti. CH. Laudo tuam facilitatem, & hac in re, & in cæteris omnibus. AV. Sic soleo amicis obsequi, præsertim non iniqua petentibus. Ridiculum: an tu me recusaturum putabas oblatum, quod ultro etiam erat rogandum?

D

Ne fallas me, formula.

CH. Age, at cave ne me deluseris. Cave fallas. Cave spem frustra foveam. Cave luseris exspectantem. Cave mihi verba dederis. Vide ne me frustra habeas. Vide ne me vana spe lactes. AV. Nihil opus jurejurando. In cæteris, in aliis time perfidiam; hac in re non fallam. Sed heus tu, cave quicquam paraveris præter quotidiana: mea causa diem festum nolo. Scis me convivam minime edacem, bibacem multo minus. Nosti enim me convivam non multi cibi, sed joci plurimi. CH. Curabitur diligenter. Ego te Pythagorica cœna excipiam, aut fortasse frugaliore. AV. Imo Diogenica, si me delectare voles. CH. Certe 1 Platonica cœna te excipiam, in qua multum sit literatarum fabularum, cibi minimum, cujus voluptas duret etiam in posterum diem: alioqui qui prolixe fuerit acceptus, fortassis eo die suaviter afficitur, sed postridie dolet caput, crudus est stomachus. Apud Platonem qui cœnabat, unam voluptatem capiebat ex apparatu facili, fabulisque philosophicis: alteram postridie, quod nec capitis gravedinem, nec stomachi cruditatem sentiret. Ita prandebat etiam suaviter ex condimento cœnæ pridianæ. AV. Placet, fiat ut mones. CH. Tu vide omnes curas tuas, ac rugas etiam istas domi relinquas. Huc præter nugas & risum nihil adferas: &, ut inquit Juvenalis,

E

Protinus ante meum, quicquid dolet, exue limen.

F

AV. Quid? literas mecum venire non vis? Musas meas mecum adducam, nisi quid aliter censes. CH. Tetricas Musas una cum negociis domi claudas. Blandas Camœnas omnes, deinde sales tuos, dicteria, scommata, facetias, lepores, ridicula omnia tecum adducito. AV. Ita fiet. Exporrigemus frontem. Bellos homunculos agemus. Ridebimus affatim. Curabimus cutem. Indulgebimus genio. Genialiter cœnabimus. Epicureos agemus. Bonum vultum faciemus, &, erimus boni socii, inelegantium elegantiæ sunt, qui suam habent linguam sibi peculiarem. CH. Quo nunc properas? AV. Ad generum meum. CH. Quid illuc? quid eo? quid illo? AV. Audio nescio quid turbæ inter eos natum, ut redigam eos in gratiam, ut reducam in concordiam, ut pacem inter eos componam. CH. Benigne facis, quanquam nihil te opus esse arbitror: nam ipsi inter se melius hoc bellum composuerint. AV. Fortassis & induciæ jam indictæ sunt: noctu de pacis legibus agetur. Sed nunquid me aliud vis? CH. Vocabo te per puerum meum. AV. Ubi voles, domi ero. Bene vale. CH. Bene sit tibi. Fac hic ad quintam horam adsis. Heus Petre, accerse ad cœnam Augustinum, qui mihi hodie, ut scis, cœnam condixit. PE. Eo. Salve Poeta. Cœna jamdudum parata est, te herus exspectat domi; ubi voles, accedas. AV. Venio. Salve, mi Christiane. CH. Bene factum quod venisti. Gaudeo te advenisse. Gratulor mihi quod venisti. Nondum quinta sonuit, credo. PE. Imo jamdudum præterita est. Haud longe sexta abest. Instat hora sexta. Mox sextam audies. AV. Parvi refert, an post quintam venerim, nec ne, modo ne post cœnam. Nam post festum venire, miserum est. At quorsum tantus apparatus? Quorsum tot epulæ? Num me lupum existimas? Num tibi lupus videor? Num me vulturem putas? CH. Non vulturem, sed tamen nec cicadam, ut rore vivas. Nihil est luxus. Mundities mihi semper placuit, sordes detestor. Nec Apitius mihi placet, nec Diogenes. Præstat aliquid superesse, quam deesse. Si præter cicer nihil apponeretur, & fuligo forte illapsa in ollam condiret legumen, quid tum ederetur? Nec omnia sapiunt omnibus. Itaque mihi placet moderata varietas. AV. Non tu metuis leges sumptuarias? CH. Imo peccavi frequenter in diversum. Nihil nobis opus lege Faunia. Satis nos docet frugalitatem ipsa tenuitas. AV. Haud ita convenerat. Longe aliter pollicitus es. CH. Age, inepte, nec ipse conventa servas. Convenerat enim, ne quid præter nugas inferres. Quin hæc missa faciamus. Lavemus, ac discumbamus. Heus tu puer, cape guttum ac patinam, linteum ex humero suspende, ministra aquam, quid cessas? Lava, Augustine. AV. Lava tu prior. CH. Bona verba: hoc anno perpetuo illotus cœnare mallem. AV. Ridiculum: non honoratiori, sed turpiori ante alios lavandum est: lava igitur ut immundior. CH. Tu es urbanus plus satis. Es urbanior quam sat sit, quam par est. Quorsum attinet ista urbanitas? Hujusmodi cærimonias ineptas mulierculis relinquamus, quæ nunc & ab aulicis fastidiuntur, unde tamen olim profectæ sunt. Lavetis terni aut quaterni simul. Ne teramus tempus hujusmodi moris. Ego nulli designabo locum; sumat sibi quisque quem volet. Qui delectatur igni, hic commodius accumbet. Qui offenditur luce, deligat hunc angulum. Quem delectat prospectus, hic sedeat. Agite, satis morarum. Accumbite. Ego domi sum; vel stans cœnabo, si lubeat, vel obambulans. Cessatis? At interim cœna corrumpitur. AV. Vivamus nunc, curemusque cuticulam. Simus nunc Epicurei. Nihil nobis cum fronte Stoica. Valeant curæ. Absit omnis livor, exulet obtrectatio. Sit mens læta, frons hilaris, sermo lepidus. CH. Quinam sunt isti Stoici atque Epicurei, Augustine? AV. Stoici Philosophorum quoddam genus est triste, severum, jejunum, qui hominis summum bonum, honesto nescio quo, metiuntur. Epicurei his longe diversi, felicitatem hominis voluptate terminant. CH. Tu igitur cujas es tandem? Stoicus, an Epicureus? AV. Zenonem laudo, at Epicurum vivo. CH. Quod tu joco dicis, Augustine, id serio factitant hodie non pauci, pallio tantum & barba Philosophi. AV. Imo isti vel Asotos superant luxu. CH. Heus, Dromo, ades huc. Tuo munere fungere, consecra cœnam. PE. *Quidquid appositum est, & quidquid apponetur, felix ac sacrum esse jubeat, qui sua benignitate pascit universa.* Amen. CH. Appone epulas. Quid cunctamur capum hunc discerpere? quid trepidamus hunc gallum lacerare? AV. Ego Herculem præstabo, ac belluam hanc conficiam. Utrum mavis de ala, an de poplitibus? CH. Utrum vis, nihil mea refert. AV. In hoc genere alis primæ partes tribuuntur, in cæteris poplites lautiores putat vulgus. CH. Tu multum laboris mea causa capis. Tu permultum laborem mea causa sumis. Tu omnibus ministras; ipse nihil edis. Ego tibi hanc alam ministrabo: at ea lege, ut dimidium mihi restituas. AV. Itane

1 *Platonica cœna*] Timothei verba sunt: τὸν Πλάτωνα καὶ δειπνεῖν μᾶλλον εἰς ὑστεραίαν, ἢ τὴν παροῦσαν ἡμέραν.

A ne agitur? At istud est tibi ministrare, non mihi. Tibi serva: ego enim sum impudentior, quam cui ministrari quicquam debeat. CH. Probe facis. AV. Eho, tu lupo cibum ministras? Vulturem invitas? CH. At jejunas, non cœnas. AV. Imo me uno nihil edacius. CH. Imo mendacius nihil. Proinde agito ac si domi sis tuæ. AV. Istud jam plane mihi persuasi. Istud jam in animum induxi. Sic stat sententia. Consilium est istud facere. CH. Quid tibi hoc vinum placet? Quid hoc villi delectat? AV. Mihi quidem perplacet. Me certe vehementer juvat. Me satis delectat. Me non mediocriter juvat. CH. Utrum mavis? rubrum, an candidum?

Non refert, quo sit colore.

AV. Equidem utroque juxta delector. Nihil refert quo sit colore, modo sapor placeat. Non laboro quantum oculis placeat vinum, modo palatum juvet. Nihil me movet B aspectus, si sapor placeat. Parvi refert quo sit colore, quem habeat colorem, si sapiat bene. Non cupio oculos pascere, si palato satisfacere queat, modo palatum juvare possit. Nihil moror colorem, modo gratus sit sapor. CH. Credo. Atqui sunt cœnaticæ Philosophiæ cum primis periti, qui negant vinum esse probandum, nisi quod placeat quatuor sensibus: oculis, colore: naribus, odore: palato, sapore: auribus, fama & nomine. AV. Ridiculum; quid fama conducit ad potum? CH. Tantum, ut multi non stupidi palati, vehementer probarint villum Lovanio vernaculum, quum crederent esse 1 Belnense. AV. Fortasse jam larga potatione palatum obsurduerat. CH. Imo nondum attigerant poculum. C Tamen judicium tuum audire cupio, hominis his in rebus peritissimi. AV. Album nostrates rubro præferunt, quod rubrum paulo sit acerbius, & alterum exilius quidem, sed illud mitius, &, ut arbitror, salubrius. CH. Habemus & subrubrum, & flavum, & purpureum. Hoc mustum est hornum. Hoc bimum est, si quem capit vetustas. Habemus & quadrimum: sed jam vapescit ac desipiscit senio. Ætate vigor evanuit. AV. Luculli divitias audio. CH. Heus puer, ubi cessas? Nos hic plane negligis: non vides quanta sit hic siccitas? Quid si hoc rerum statu incendium contingeret, quo restingueremus? Dato singulis plenos cyathos. Augustine, quid habes, quod parum es hilaris? Quid accidit tibi quod sedes tristior? Quid est tibi, quod minime gaudes? D Aut doles, aut carmina condis. Tu nunc Chrysippum agis, Melissa tibi opus est. AV. Quam hic mihi fabulam narrat? CH. Chrysippus adeo fertur intentus fuisse suis argutiis logicis, ut ad mensam etiam fame periturus fuerit, nisi ancilla Melissa cibum in os ingessisset. AV. Ille vero indignus erat, qui servaretur. Sed si te offendit taciturnitas, placetque convivium vocalius, est quo id efficias. CH. Memini. Recte admones: liberalius bibendum: largius, copiosius, meracius oportet bibere.

Rem attigisti.

AV. Rem acu tetigisti. Recte judicas. Scopum attigisti. Nam; 2 *Fœcundi calices quem non fecere disertum?* CH. E Perdocte tu quidem, Augustine, ut omnia, sed quoniam in sermonem vinarium, quando in mentionem incidimus vinorum, libet interrogare, quonam consilio veteres illi Bacchum, quem vini auctorem videri volebant, Poetarum deum dixerint. Quid enim illi temulento deo cum Poetis, Musarum virginum cultoribus? AV. Quæstio, ita me Bacchus amet, poculis digna: verum quorsum tuæ quæstiones spectent, satis intelligo. CH. Quorsum, amabo? AV. Astute de vino disputationem injicis Gallica techna, quam didicisse Parisiis te suspicor, nimirum quo minus interim absumatur vini. Abi, virum te judico; non frustra in tanta schola versatus es. CH. Accipio tua dicta; referam paria scommata ubi erit commodum. Sed ad rem. AV. Dissolvam F ubi bibero: siquidem absurdum fuerit sicco palato de quæstione vinosa disputare. Præbibo tibi, Christiane. Propino tibi hunc scyphum dimidiatum. CH. Accipio abs te libenter. Sit saluti. Prosit. AV. Jam accingor, ut me missum facias. Ego meo more præpostere faciam. Quod Baccho pueritiæ effigiem tribuerint, id habet mysterii, quod vinum potum curas & sollicitudines animis nostris eximit, hilaritatemque quandam inducit. Quare senibus quoque ipsis juventam quandam reddere videtur, dum & hilariores facit & formosiores: id quod Horatius, cum multis in locis, tum præcipue his versibus aperte testatur:

3 *Ad mare cum veni, generosum & lene requiro,*
Quod curas abigat, quod cum spe divite manet.
In venas animumque meum, quod verba ministret,
Quod me Lucanæ juvenem commendet amicæ.

Nam quod huic Poetas dicarunt deo, id significatum voluisse suspicor, quod vinum & ingenium excitat, & facundiam ministrat: quæ duo Poetæ sunt aptissima. Unde frigent carmina quæ scribuntur aquæ potoribus. Est quidem igneus suapte natura Bacchus, sed adhibitis Nymphis redditur temperantior. Habes quod quærebas? CH. Nihil unquam audivi verisimilius dici ab homine Poeta. Dignus es qui bibas gemma. Heus puer, tolle hanc patinam, atque appone cætera. AV. Puerum habes admodum inurbanum. CH. Est veterator nequissimus. AV. Cur non instituis alio pacto? CH. Difficile est, canem vetulum loris assuescere. Difficillimum est, veteratoris mutare mores. Vetulus canis non facile assuescit loro. Me quidem dignus est. Dignum patella operculum.

Si cognoscerem quid te oblectet, tibi ministrarem. Formula.

AV. Decerperem tibi quidpiam, si palatum tuum tenerem. Ministrarem tibi, si gula tua mihi satis cognita esset. Apponerem tibi, si, quid potissimum juvaret, scirem. Si nossem ingenium palati tui, essem tibi structor. Equidem tantundem palato, quantum animo sapio. CH. Palatum habes eruditissimum. Nihil tuo palato doctius. Nec eo te puto inferiorem, de cujus singulari peritia testatur Satyricus:

4 *Ostrea callebat primo deprendere morsu,*
Et semel aspecti dicebat littus echini.

AV. Et tu mihi, Christiane, ut par pari referam, ipsum audivisse Epicurum, aut 5 in schola Catiana institutus videris. Quid enim tua gula aut sapientius, aut fastidiosius? CH. Si oratoriam æque artem ut culinariam callerem, nec Cicero ipse me vinceret. AV. Equidem si alterutra carendum esset, culinariam, quam rhetoricam mallem. CH. Subscribo tuo judicio: graviter, acute, vereque judicas. Quid enim oratorum confert loquacitas, nisi quod aures ociosas inani voluptate demulcet? Culinaria tum palatum, tum ventrem, tum totum hominem, quantus est, pascit, ac reficit. *Concedat laurea lingua*, inquit Cicero: at utraque concedat culinæ. Nunquam mihi Stoici illi magnopere placuerunt, qui omnia ad suum, nescio quod, *honestum* referentes, cutis ac palati nullam rationem habendam putant. Dici non potest, quanto Diogene sapientior Aristippus mihi fuisse videtur. AV. Ego Stoicos cum suis jejuniis contemno. Epicurum magis laudo ac probo, quam Diogenem illum Cynicum, qui crudis oleribus, ac simplici aqua victitabat. Quare nihil miror, si Alexander rex fortunatissimus, se Alexandrum, quam Diogenem esse maluit. CH. Nec ego sane, quamlibet vilis homuncio, cum Diogene meam Philosophiam commutarem: fortassis & Catius tuus facere recusaret. Melius nostri temporis Philosophi sentiunt, qui contenti Stoicorum more disputare, vivendo ipsum etiam Epicurum vincunt. At ego quidem rem in primis præclaram Philosophiam puto, si parce adhibeatur. Nimium philosophari non laudo. Est enim res perquam jejuna, sterilis atque tristis. Ubi in calamitatem, aut ægritudinem incidi, tum demum ad Philosophiam, tanquam ad medicam confugio. Ubi convalui; rursum illi vale renuncio. AV. Tuam rationem probo. Belle philosopharis. Salve igitur Philosophe non e Stoa, sed e culina. CH. Quid tandem habes, Erasmi, quod parum sis hilaris? Quid sibi vult corrugata frons? quid silentium? An mihi succenses, quod te frugaliore cœna acceperim? ER. Imo tibi sum iratus, quod tantum impendii mea causa sit factum. Interminatus erat Augustinus, ne sua causa diem festum faceres: vis nos posthac redire nunquam. Nam talem cœnam dare solent ii, qui unam duntaxat dare constituissent. Quos tandem convivas videris accepisse? Non amiculis; sed satrapis cœnam parasse videris. An nos helluones esse credis? Hoc non est dare cœnam, sed triduanam saturitatem. CH. Etiam tu pergis esse Demea? Cras ut lubet disputa; hodie Mitionem te præbeas, oro. De impendio cras sobrii disputabimus: nunc nil nisi meras nugas audire libet. AV. Christiane, utrum de bubulis an de ovilis

1 *Belnense*] Gallice *vin de Beaune*, quæ urbs est Ducatus Burgundiæ.
2 *Fœcundi*] Horat. Lib. I. Epist. 5.

3 *Ad mare cum veni*] Versus sunt Horatii lib. I. Epist. xv. ad Valam.
4 *Ostrea*] Juvenalis Sat. IV. ✝. 143.
5 *In schola Catiana*] Catius Epicureus fuit, sub cujus persona præcepta culinaria tradit *Horatius* lib. II. Serm. Sat. IV.

lis carnibus mavis? CH. Bubulis quidem magis delector, at ovillas magis salutares arbitror. Ita ingenium est hominum, ut perniciosissima quæque appetant vehementissime. Av. Galli suillas carnes mirum in modum amant. CH. Galli amant, quæ parvo constant. Av. Hac una in re Judæus sum: nam nihil æque odi atque carnes suillas. CH. Nec injuria, quid enim insalubrius? Ego in hoc non cum Gallis, sed cum Judæis sentio. ER. At ego ovillas pariter amo, & suillas: sed diversa ratione. Nam ovillis, quod amem, libenter vescor. Suillas præ amore non attingo, ne quid offendam. CH. Bellus homo es, Erasmi, ac festivus. Equidem mirari mecum soleo, unde tanta in palatis humanis diversitas. Nam, ut Horatiano [1] carmine utar:

Tres mihi convivæ prope dissentire videntur,
Poscentes vario multum diversa palato.

ER. Quamquam, ut ait [2] Comicus, *Quot homines, tot sententiæ, & suus cuique mos*; tamen nemo me adduxerit, ut credam plus ingeniis inesse varietatis quam palatis. Ita vix duos reperias, quos eadem juvent. Permultos vidi, qui butyri ac casei ne olfactum quidem ferrent. Sunt quibus carnes nauseæ sint: alius elixis, alius assis abstinet. Multi aquam vino præferunt. Et quod incredibile est, vidi hominem, qui nec pane, nec vino uteretur. CH. Et quibus tandem miser ille victitabat? Quibus vescebatur? ER. Cæterorum nihil fastidiebat, non carnes, non pisces, non olera, non poma. CH. Vis ut istud tibi credam? ER. Si lubet. CH. Credo, at ea lege, ut vicissim mihi mentienti fidem sis habiturus. ER. Age faciam: modo verecunde mentiaris. CH. Quasi vero sit quicquam tuo commento impudentius. ER. Quid dicet frons tua, si hominem tibi commonstrem? CH. Macilentum quempiam ac monogrammum esse oportet. ER. Imo diceres Athletam. CH. Polyphemum potius. ER. Hoc tibi mirum videri demiror, cum multi sint, quibus pisces vento durati sint panis loco: nonnullis hoc præstent herbarum radices, quod nobis panis. CH. Credo; sed perge mentiri. ER. Quendam in Italia, cum illic agerem, videre memini, qui nullo neque cibo, neque potu adjutus; somno saginabatur. CH. Ut nihil pudet? Non possum illud Satyricum non dicere:

Tunc immensa [3] cavi spirant mendacia folles.

Tu Poetaris. Tu nunc Poetam agis. Nam, Mentiris, dicere, mihi religio est. ER. Mentiar, si non [4] Plinius auctor certissimus scripsit, ursum quatuordecim dies solo somno mirum in modum saginari: quo tamen ita alte premitur, ut ne vulneribus quidem queat excitari. Imo, quo magis mireris, addam quod Theophrastus scribit, per id tempus ursorum carnes coctas quoque, si asserventur, reviviscere. CH. Vereor ne Parmeno ille Terentianus ista non contineat: *Mihi facile fidem facis.* Ministrarem tibi de cervinis carnibus, si satis essem urbanus. ER. Unde tibi nunc venatio? Unde ferina? CH. Midas, homo hominum, qui vivunt, liberalissimus, nostrique amantissimus, mihi misit dono: dono quidem, sed sic ut ego minoris emam sæpenumero. ER. Qui sic? CH. Quia famulis plus dandum, quam daretur in macello vendenti. ER. Quæ res cogit hoc facere? CH. Tyrannus omnium violentissimus. ER. Quis iste? CH. Mos. ER. Profecto tyrannus iste frequenter iniquissimas leges obtrudit mortalibus. CH. Idem suo more rudius tertius hunc cervum venatus est. Quid tu, qui soleas istius studii esse amantissimus? Av. Equidem hoc studio plane relicto, jam præter literas nihil venor. CH. At mihi videntur literæ quovis cervo fugaciores. Av. Duobus tamen potissimum canibus assequimur, admiratione scilicet, atque improbitate laboris. Nam & admirari plurimum, discendi ardorem ministrat; &, ut facundissimus [5] Poeta scripsit,

Labor omnia vincit Improbus.

CH. Amanter admones, Augustine, ut soles: propterea non desistam, non conquiescam, non defatigabor donec consequar. Av. Carnes cervinæ sunt nunc admodum tempestivæ. [6] Meminit Plinius de hoc animante quiddam admirabile. CH. Quidnam, obsecro? Av. Quoties arrexere aures, acerrimi esse auditus: at contra cum remisere, surdos. CH. Istud ipsum mihi sæpenumero evenit. Nam si quando fiat sermo de recipiendis aureis, nihil tam auritum. Hic enim cum Pamphilo illo Terentiano aures arrigo. Ubi de numerando verba fiunt, illico demitto. Av. Laudo te, facis ut te decet. CH. Vis de his leporinis clunibus. Av. Tibi sumito. CH. An de tergo mavis? Av. Hoc animal præter ilia & clunes nihil habet appetendum. CH. Vidistine unquam leporem candidum? Av. Sæpenumero. Plinius in Alpibus candidos reperiri scribit, quibus hibernis mensibus nivem pro cibatu esse sit creditum. An verum sit, [7] Plinius ipse viderit. Quod si leporis cutem candidam reddit nix, stomachum habeat candidum necesse est. CH. Mihi verisimile non fit. Av. Accipe magis admirandum, at fortasse tibi non inauditum. Idem utramque vim singulis inesse testatur, maris & fœminæ, ac fœmellas sine mare æque gignere. Istud ipsum multi asseverant, præsertim venandi studiosi. CH. Est ita ut dicis. Sed hos cuniculos, si placet tentemus, quia pinguiusculi sunt ac tenelli. Ministrarem illi Nymphæ, si propius assiderem. Augustine, istius tibi vicinæ curam age, si libet: calles enim quo gestu sit ministrandum istis Veneribus. Av. Teneo quid dicas, nasute. CH. Quid? te anserinæ carnes delectant? Av. Me quidem non mediocriter juvant, ut sum minime fastidiosus. At hic anser, nescio quo pacto, nihil me juvat: nihil enim in vita vidi siccius: siccior est pumice, aut etiam noverca Furii illius, in quem [8] Catullus multum jocatur. Ligneus mihi videtur. Et, me hercule, quantum suspicor, veteranus miles immodicis excubiis sese maceravit. Ajunt enim anserem inter omnia animalia longe esse vigilantissimum. Et profecto, nisi conjectura fallor, hic anser ex eorum numero est, qui, canibus una cum excubitoribus somno sopitis, Romanum olim Capitolium defenderunt. CH. Verisimile (ita me Deus amet) dicis: nam ex eo seculo relictum arbitror. Av. Hæc quoque gallina aut parcum saginatorem habuit, aut amavit, aut certe zelotypa vixit; quo quidem morbo hoc animantis genus maxime laborat. Hic capus longe melius pinguit. Vide curæ quid faciant. Quod si ex Theodorico nostro Gallo, faceremus capum, multo citius pinguesceret. TH. Non sum gallus. Av. Fateor, non es gallus Cybeles, neque gallus gallinaceus, at forte Gallus gallaceus. CH. Quid hoc verbi est? Av. Hoc ænigma tibi conjectandum relinquo, ego Sphingem præstiti, tu Oedipus esto. CH. Dic mihi bona fide, Augustine, nulla tibi cum Gallis unquam fuit necessitudo? Nihilne affinitatis tibi cum Gallis contraxisti? Nullum fuit commercium? Av. Nihil, nihil sane. CH. Tanto es nequior. Av. Sed cum Gallabus nonnihil. CH. Libetne de [9] jecore anserino, quod apud veteres in deliciis cum primis habebatur? Av. Non sum rejecturus, quod a tua manu venerit. CH. Non est quod exspectes Romanas delicias. Av. Quas? CH. Carduos, cochleas, testudines, colubros, fungos, boletos, tubera. Av. Istis omnibus ego vel rapam præferam. Liberalis es, benignus es, Christiane. CH. Has perdices nemo attingit, ne columbos quidem. Cras est dies jejunii ab Ecclesia indicti; adversus hanc esuriem munite vos. Onerate saburra navim adversus imminentem tempestatem. Bellum instat; instruite ventrem commeatu. Av. Utinam isthuc verbi tacuisses, hilariores surrexissemus a cœna. Miseros nos reddis ante tempus. CH. Quid ita? Av. Quia minus anguem odi, quam pisces. CH. At non tu solus. Av. Quis hoc tædii nobis invexit? CH. Quis commonstravit aloën, absinthium, & scammonium dare in remediis? Av. Sed ista dantur ægrotis. CH. Sic hæc dantur nimium recte valentibus. Aliquando præstat ægrotare, quam plus satis valere. Av. At mihi videtur minus oneris olim impositum Judæis. Equidem ab anguillis & porcis facile temperarim, modo liceat capis & perdicibus expleri. CH. In plerisque non res, sed animus nos discernit a Judæis. Illi manum abstinebant a certis cibis, velut ab immundis & animum inquinaturis. Nos cum intelligamus omnia munda esse mundis, tamen carni lascivienti, velut equo ferocienti pabulum subducimus, quo magis dicto sit audiens spiritui. Nonnunquam immoderatum suavium rerum usum abstinentiæ molestia castigamus. Av. Audio: sed eadem opera defendi posset circumcisio præputii.

1 *Ep.* II. *Ep.* II, 61.
2 *Phorm. Act.* II. *S.* IV, 14.
3 *Cavi spirant mendacia folles*] *Juvenalis* Sat. VII, 111.
4 *Plinius* Lib. 8. cap. 36.
5 *Virgilius* Georgic. I, 145.
6 *Meminit Plinius* Lib. 8. cap. 32.
7 *Plinius* Libro eodem, c. 55.
8 *Catullus* In epigrammate, cujus initium, *Furi cui neque servus*, &c.
9 *Jecore anserino* Vide Plin. lib. 10. cap. 22.

tii. Moderatur & illa coitus pruritum, & cruciatum adfert. Si omnes itidem abhorrerent a piscibus atque ego, vix a parricida tam atrox supplicium exigerem. Ch. Quorundam palato gratior est piscium, quam carnium esus. Av. Congruunt igitur his, qui gulæ serviunt, non valetudini. Ch. Equidem audivi quondam apud [1] Æsopos & Apitios præcipuum luxum in piscibus fuisse. Av. Qui conveniunt igitur deliciæ cum supplicio? Ch. Non omnibus sunt murænæ, aut scari, aut acipenseres. Av. Ergo tenues soli discruciantur, quibus satis male est, etiam cum vesci licet carnibus. Fit enim non raro, ut cum licet vesci per Ecclesiam, non liceat per crumenam. Ch. Durum, mehercle, interdictum. Av. Quod si interdictus carnium esus divitibus, vertitur in delicias; &, si pauperibus sæpe non licet vesci carnibus, etiam cum licet, ac ne piscibus quidem, qui fere carius emuntur; cui igitur bono erit interdictum? Ch. Omnibus: nam tenuibus cochleis aut ranis licebit vesci, aut cepe, porrumve arrodere. Mediocres detrahent nonnihil quotidianis obsoniis. Quod si quid divites deliciabuntur hac occasione, suæ gulæ imputent, non incusent Ecclesiæ constitutionem. Av. Pulchre dixti: sed interim a tenuibus, qui summis sudoribus alunt familiam, & procul absunt ab amnibus ac lacubus, exigere carnium abstinentiam, est indicere famem, aut [2] βουλιμίαν magis. Atqui si quid [3] Homero credimus, longe miserrimum mortis genus est, perire fame. Ch. Sic visum est Homero cæco, at apud Christianos miser non est, qui bene moritur. Av. Esto sane: sed tamen durum est a quoquam exigere, ut moriatur. Ch. Nec hoc animo Pontifices interdicunt esum carnium, ut intereant homines, sed ut vel affligantur moderate, si deliquerunt; vel subducto lætiore pabulo, corpora minus ferociant adversus spiritum. Av. Istuc ipsum efficiet moderatus carnium esus. Ch. Sed in tanta corporum varietate certus carnium modus præscribi non potest, cibi genus potest. Av. Sunt & pisces, & qui multum addant alimenti: sunt carnes, quæ minimum. Ch. Sed in genere plus alunt carnes. Av. Age dic mihi, si quo tibi foret iter, utrum malles equum alacriorem ac sublascivum, an morbidum, qui subinde collabens sessorem dejiciat in terram? Ch. Quorsum istud? Av. Quia piscium esus, corruptis humoribus, corpora nostra reddit magnis morbis obnoxia, ut jam spiritui non possint subservire. Ch. Quibus morbis? Av. Podagræ, febri, lepræ, morbo regio. Ch. Qui scis? Av. Credo medicis: id malim, quam experiri. Ch. Id fortassis in paucis accidit. Av. Equidem arbitror in pluribus. Porro, quoniam animus agit per organa materialia corporis, quæ malis aut bonis humoribus afficiuntur, vitiatis instrumentis, non potest, ut vult, exerere vim suam. Ch. Scio medicis magnopere damnatum esse piscium esum; sed secus visum est majoribus nostris, quibus obtemperare religiosum est. Av. Religiosum erat & olim, non violare sabbatum: sed prius erat, [4] servare hominem sabbato. Ch. Suæ quisque saluti consulat. Av. Imo, si Paulo volumus auscultare, [5] nemo, quæ sua sunt, quærat, sed quisque quæ alterius. Ch. Sed unde hic novus Theologus in convivio? Unde novus hic ac subitus Magister noster? Av. Quia mihi male convenit cum piscibus. Ch. Quid igitur? An non abstines a carnibus? Av. Abstineo, sed obmurmurans, nec sine meo magno malo. Ch. [6] Charitas omnia suffert. Av. Verum; sed eadem quam minimum exigit. Si suffert omnia, cur non ferunt nos his vesci cibis, quos [7] indulsit libertas Euangelica? Cur hi, a quibus Christus toties amorem sui stipulatus est, patiuntur tot hominum & corpora periclitari morbis capitalibus, & animas æternæ damnationis periculo, ob rem nec interdictam a Christo, nec per se necessariam? Ch. Ubi aliud suadet necessitas, cessat humanæ constitutionis vigor, cessat & voluntas nomothetæ. Av. At non cessat offendiculum infirmorum. Non cessat scrupulus meticulosæ conscientiæ. Postremo non satis constat, quibus limitibus finiatur ista necessitas. An quum cœperit ichthyophagus agere animam? Sero morienti porriguntur carnes. An cum totum corpus habet epialus? Non tanti erat cibo-

A rum delectus. Ch. Quid igitur tu velles præscribi? Av. Scio, si quis mihi credat Ecclesiasticæ rei dictaturam. Ch. Quid isthuc verbi est? Av. Si summus essem Pontifex, hortarer omneis ad perpetuam vitæ sobrietatem, sed præcipue sub diem festum. Cæterum jus facerem cuique vescendi quibus vellet, pro corporis salubritate, dum moderate & cum gratiarum actione: daremque operam uti hoc, quod detraheretur observationibus hujusmodi carnalibus, accresceret ad studium veræ pietatis. Ch. Nimirum istud mea quidem sententia tanti est, ut te faciamus Pontificem. Av. Rides: sed tamen cervix hæc sufficeret vel triplici coronæ sustinendæ. Ch. At interim vide, ne ista scribantur inter articulos Parisiensium. Av. Imo quicquid dictum est scribetur in vino, sicuti par est, dicta inter pocula. Sed satis

B jam Theologiæ in convivio. In cœna sumus, non in Sorbona. Ch. Quid vetat dici Sorbonam, ubi bene sorbetur? Av. Sorbeamus igitur, non disputemus; ne nobis a sorbis dicatur Sorbona, non a sorbendo. Ch. Agite, hospites humanissimi, quæso ut cœnulam nostram, licet tenuem, æqui bonique consulatis. Præbete vos hilares, ac lubentes, quamvis convivium tenue sit & frugale: ego vestra facilitate fretus, familiariter vos vocare sum ausus. Et est sane vester mihi adventus, conspectusque non modo gratissimus, verumetiam jucundissimus. Convivæ. Cœna tua, Christiane optime, multis modis elegans, lautaque nobis videtur. Quod excusas, id unum habet accusandum. Non magnificentior fuit, quam sat est. Siquidem hoc convivium opiparum in primis ac lautum judicarim, quod primum sim-

C plicibus epulis, deinde hilaritate, risu, jocis, salibus sit conditum: quæ omnia nostro convivio non defuerunt. Ch. Verum de convivarum numero hic mihi quiddam in mentem venit, quos neque pauciores tribus, neque plures novem esse oportere scripsit Varro. [8] Tres enim sunt Charites, id est, Gratiæ, humanitatis ac benevolentiæ præsides: & novem sunt Musæ, honestiorum studiorum duces. At hic decem convivas esse video, virginibus exceptis. Av. Nihil convenientius accidere potuit. Nos sumus Varrone ipso paulo sapientiores. Nam tres puellas lepidissimas, tanquam tres Charites adhibuimus. Deinde quia a novem Musarum choro Apollo abesse nunquam credendus est, jure decimum adjecimus convivam. Ch. Poetice dixisti. Si mihi laurus adesset, laurea corona caput tuum cingerem,

D fieresque Poeta laureatus. Av. Si malva coronatus essem, malvatus. Tantum honoris mihi non arrogo. Honor hic major est, quam ut mihi conveniat. Haud equidem tali me dignor honore. Ch. Vultisne singuli tantundem mea causa facere, quantum vestra sum facturus? Co. Volumus, ac lubentes quidem. Ch. Ebibetis igitur ordine suum quisque calicem; a me exemplum capietis. Tibi hoc primum propino, Mida. Midas. Accipio abs te libenter. Pro quo vulgus, præstolor, dicit. Equidem non recuso. Nihil tua causa recusabo. Ch. Tu inde cæteris propina. Mi. Erasmi; præbibo tibi dimidiatam pateram. Er. Precor ut sit tibi bono. Sit tibi bonum atque commodum. Prosit tibi. Proficiat, durius dicitur. Ch. Sed cur cessat patera? Cur

E non obambulat? Defecit nos vinum? Ubi sunt oculi tui, furcifer? Vola, adfer ejusdem generis sextarios duos. Puer. Erasmi, salve; quidam pro foribus te conventum expetit. Er. Quisnam est; Pu. Mori famulum se dicit; herum ejus ex Britannia advenisse; cupere ut se visas, quandoquidem prima luce iter parat in Germaniam. Er. Christiane, subducatur ratio: nam mihi quidem abeundum. Ch. Rationem, Erasmi doctissime, hujus cœnæ ego confecero. Non est quod calculum frustra teras: gratiam habeo, qui dignatus sis nostro adesse convivio. Sed avocari te molestum est, nondum peracta fabula. Er. Quid superest, nisi ut dicam, Valete & plaudite? Ch. Age, boni consulemus, quando tu non ab equo ad asinos, sed ab amicis ad amicissimos pro-

F peras. Er. Ego pariter tibi gratias ago, quod pro tua humanitate ad hoc convivium longe suavissimum me vocaris. Valete, sodales optimi. Bibite non segniter, & vivite suaviter. Ch. Heus Dromo. Sedetis jamdudum ociosi omnes.

1 *Æsopos*] Vide Horatium Sat. Lib. II. 8. 3.
2 *Βουλιμίαν*] Βουλιμία est *ingens fames.*
3 *Homero*] Ὀδυσσ. M.
4 *Servare hominem*] Verba habentur Luc. VI, 9.
5 Vide 1 Cor. X, 24.
6 *Charitas omnia suff.*] Verba habentur 1 Corinth. 13. 7.
7 *Indulsit libertas*] Vide Paul. 1 Corinth. 6. Et 1 Cor. 10. 25, & Col. 2. 16.

8 *Tres enim sunt Char.*] Citat Gell. libro 13. cap. 18. ex Satyris Menippæis M. Varronis, Convivarum numerum incipere oportere a Gratiarum numero, & progredi ad Musarum: id est, proficisci a tribus, & consistere in novem. ut cum paucissimi convivæ sunt, non pauciores sint tribus: cum plurimi, non plures quam novem. Nam multos, inquit, esse non convenit, quod turba plerumque est turbulenta.

Libetne cuiquam quicquam amplius? Con. Nihil omnino. Strenue munus nostrum administravimus. Ch. Tolle igitur hæc, ac bellaria appone. Muta quadrulas, atque orbes. Tolle cultrum meum, qui humi decidit. Pyra vino perfunde. Adsunt mora præcoqua, etiam domi nostræ nata. Co. Tanto erunt suaviora, quod vernacula. Ch. En pruna cerea, en Damascena, rarum apud nos spectaculum. En mitia mala. En mali novum genus, cujus matrem ego hisce manibus consevi. Nuces, castaneæ, omne deliciarum, quas horti nostri benigne effundunt, genus. Av. Sed flosculi desunt. Ch. Isti Gallici sunt apparatus, qui magnificentiam eam potissimum amant, quæ minimo constat. Nobis non est ea mens, aut ingenium. Av. Non apud Gallos tantum reperies, quibus ea placeant quæ minimo constant. B Ch. Sed heus tu, Augustine, num tu credis te hic immunem bibisse? Egone te meis immunem tinxero poculis? At interim propinatori tuo dimidium scyphi debes. Av. Is jamdudum me missum fecit. Is mihi hujus debiti gratiam fecit. Ch. Unde ille sibi vindicat tantum auctoritatis? Vix Romanus Pontifex hoc vinculi relaxet. Nosti priscam conviviorum legem, 1 ἢ πῖθι, ἢ ἄπιθι. Av. Remittendi jurisjurandi jus habet, cui factum est, & cujus intererat servari. Ch. Sed omnium convivarum interest, servari leges inviolabiles. Av. Age, quando hæc est Germanorum religio, exsorbebo quod reliquum est. Sed quid tibi rei mecum est? Ch. Impendium reddas oportet unus nomine omnium. Quid expalluisti? Ne verere, perfacile poteris. Fac quod C sæpe fecisti, ut aliqua elegantia doctiores a cœna surgamus: neque enim clam te est, veteres illos in secundis mensis hilariora quædam disputare solitos. Age igitur, quibus & quot modis hæc oratio potest enunciari, *Indignum auditu*?

Indignum Auditu, Formula.

Av. Dixti pulchre. per posterius supinum: Auditu minime est dignum. Indignum est audiri. Haud dignum est quod audiatur. Et, ut audiatur, indignum. Levius est, quam quod audiri debeat. Vix operæ precium est referre. Non tanti est ut audiatur. Ineptius est, quam quod audiatur. Non est operæ precium narrare. Ch. Quot modis hæc sententia verti potest, *Magno mihi constat*?

Variandi ratio hanc orationem, Magno mihi constat. D

Av. His verbis, impendo, insumo, impertio, constat. ut: Multum in te docendo insumpsi laboris. Plurimum ea in re operæ insumpsi. Non minus pecuniæ quam curæ in eam rem impendi. Non parum insumpsi pecuniæ, temporis permultum, laboris plurimum, ingenii nonnihil. Multum lucubrationis impendi. Multis vigiliis hæc res mihi constat, multo sudore, multa opera, plurimo labore, sumptu ingenti, pecunia magna. Pluris mihi constat quam credas. Minoris mihi constat uxor, quam equus meus. Ch. At quid sibi vult, Augustine, quod verbo isti, *Constat*, modo ablativum, modo genitivum casum apponis? Av. Quæstionem perutilem ac late patentem movisti. Verum ne convivas E loquacitate mea premam, paucissimis absolvam. Sed cupio singulorum hac de re audire sententiam, ne cuiquam, ut dixi, sim molestus. Ch. Quidni cupiant idem vel puellæ? Av. Illæ sane nihil aliud quam audient. Accingar igitur, grammatica bene fortunante. Scis verba emendi, ac vendendi, aliaque esse consimili significatu, quibus apponantur hi genitivi soli, tanti, quanti, pluris, minoris, tantidem, quantivis, quanticunque: at ita, si substantiva non apponantur: quæ si accedant, utraque in ablativum casum vertuntur. Quod si precium certum apponatur, pones in ablativo. Si per adjectivum substantive positum, in ablativo pones, nisi per adverbia loqui malis. Ch. Quænam verba F sunt, de quibus præcipis? Av. Hæc fere sunt, emo, mercor: redimo, id est, aut captum, aut perditum: vendo, venundo: revendo, id est, rursus vendo, quod mihi venditum erat. Veneo, id est, vendor: cujus præteritum venivi vel venii: supinum, venum: hinc venalis. Ab illo, id est, vendo, vendibilis manat. Mereo, pro inservio, & stipendium facio. Comparo, id est, emo vel committo. Commuto, muto, permuto. Cambire 2 penitus barbarum in hoc sensu. Æstimo, taxo, indico, pro æstimo, censeo. Liceor, liceris: licitor, licitaris: addico. Distrahor, id est, circumferor ut veneam. Metior pro æstimo, aut taxo. Constat, pro emitur. Conducere, locare. Fœnero, ad fœnus do. Fœneror, ad fœnus accipio. Paciscor, pactus sum. Pango, pepigi, id est, pactum facio. Ch. Da exemplum.

Vendendi & emendi, Formula.

Av. Quanti istum agrum in singulos annos locas? Respondebimus: Vigenis libris Francicis. Hui, nimio locas. Imo locavi olim multo pluris. At ego tanti non conducam. Si conduxeris minoris, peream. Imo jam vicinus tuus Chremes agrum obtulit, ac rogat. Quanti? Tantidem quantum tu petis. At multo meliorem. Mentiris. Facio, ut solent qui licentur. Tu ipse tanti posside. Quid liceris, vel licitaris, quum nihil sis empturus? Quanticunque addixeris, solvam optima fide.

Alterum exemplum.

Congrum istum, Syra, quanti vendis? Decem obolis. Nimio, turpissima. Imo minimo: nulla tibi vendet minoris. Emoriar, si non tanti mihi constat, aut certe non multo minoris. Mentiris venefica, quoniam duplo vis vendere, aut triplo. Et centuplo, si queam: sed fatuos non invenio. Quid si liciter teipsam? Quanti æstimas te? Ut lubet. Quanti me liceris? Quanti indicas te? Dic, quanti te taxas? Quanti teipsam inscribis? Decem scutatis. Hui, tanti? Eho, an tu minoris me æstimas? Ego olim non semel pluris in unam noctem sum conducta. Credo; at nunc non paulo minoris æstimo quam piscem. Abi in malam rem, ganeo; tantidem te æstimo, quanti tu me. Qui te teruncio emerit, nimio emerit. Aut pluris emar, aut non vendar. Si magno venire cupis, larva tibi opus est, nam rugæ istæ non sinunt, ut carius vendaris. Ei, qui tanti me nolit, non sum venalis. Ego ne culmo quidem te emero. Constiti pluris.

Tertium exemplum.

Auctioni hodiernæ interfui. Ain' tu? Licitatus sum vectigalia. Quanti tandem? Decem millibus. Hui, tanti? Ne mireris; erant qui multo pluris licitarentur, pauci qui minoris. Cui tandem addicta sunt vectigalia? Chremeti uxoris tuæ summo & maximo amico. Sed divina, quanti sunt addicta. Decem. Imo quindecim. Deus bone, ego mihi hominem ipsum cum tota familia dimidio addictum nolim! At ille uxorem tuam duplo emptam cupit. Animadvertistine in his orationibus, ubicunque adsit substantivum precii, id in ablativo poni, cæteris aut in genitivo positis, aut in adverbium mutatis? Comparativum nunquam audisti sine substantivis, exceptis illis duobus, pluris & minoris. Sunt & alia verba, de quibus sumus loquuti, non admodum dissimilia, sum, facio, habeo, duco, æstimo, pendo, quæ idem fere significant: fio itidem. Junguntur autem his fere genitivis, multi, parvi, magni, pluris, plurimi, minoris, minimi, maximi, tanti, quanti, flocci, pili, nihili, nauci, hujus, & si qua sunt his similia. Ch. Da exempla.

Æstimandi formula.

Av. Scis quanti te semper fecerim. Tanti fies apud homines, quanti virtutem facies. Præceptores meos semper feci plurimi. Aurum hac tempestate magni venditur, literæ nihili, sive pro nihilo ducuntur. Aurum minoris habeo, quam credas. Tuas minas flocci facio. Promissa tua duco minimi. Non pili te facio. Si tanti sapientia penderetur, quanti pecunia, nemo auro egeret. Pluris apud nos fit aurum sine sapientia, quam sapientia sine auro. Hoc pluris te habeo, quod doctus sis. Minoris hic fies, quod mentiri minime calleas. Hic multi fiunt, qui nigrum in candida vertunt. Hoc mihi pluris es, quod literas amas. Tanti apud omnes eris, quantum possidebis. Tanti ubique habeberis, quantum habebis. Non quanti habearis, sed quanti sis, interest. Tanti Christianum meum facio, quanti alium neminem. Inveniuntur & alia verba cum his genitivis & ablativis, quæ natura sua non significant emtionem, aut aliquid simile. Petrus osculum puellæ scutato emit. Sit illi faustum; nolim ego basiare tanti. Quanti luditis? Quanti cœnastis? Quosdam sexcentis sestertiis cœnasse legimus: at Galli sæpenumero liardo cœnitant. Faustus quanti docet? Parvo: at pluris, quam Delius. Quanti igitur? Undeviginti aureis. Non discam mentiri tanti. Phædria apud Terentium & rem & seipsum perdidit. At nolim ego amare tanti. Quidam magno dormiunt. Demosthenes pluris siluit, quam alii loquebantur. Æqui bonique consulas oro. Est & aliud verborum genus, quæ accusativum una cum genitivo aut ablativo casum exigunt: quæ sunt: Accuso, id

1 *Aut bibe, aut abi.*
2 Unde barbare *littera cambii.* Est Italicum verbum *cambiare*, hoc est, permutare.

A id est, objicio crimen, aut culpo etiam absentem. Incuso, culpo extra judicium. Arguo, reprehendo. Insimulo, impingo suspicionem culpæ. Postulo, in jus voco. Accerso, defero, damno, condemno, pronuncio illum esse in culpa. Admoneo, commonefacio. Ch. Exempli causa.

Accusandi Formula.

Av. Scipio accusatus est ambitus, aut de ambitu. Arguis me impudentiæ, ipse impudentissimus. Lepidus postulatus est repetundarum. Accersitus est capitis. Si hominem insimulabis avaritiæ, male audies. Admoneto eum pristinæ fortunæ. Mortales ipso vocabulo suæ conditionis admonentur. Commonefacito Lepidum promissi. Sunt pleraque quæ accusativum geminum admittant: Doceo te literas.
B Exorat te veniam. Dedocebo te istos mores. Poposcit me mutuum. Hic ejus rei mihi admonendus es, quod in his secundum accusativum etiam passiva obtinent, in aliis genitivus manet. A me doctus est literas. Postulant me furti. Postulor furti. Accusas me sacrilegii. Accusor sacrilegii. Scio te nondum expletum. Scio animo tuo nondum esse satisfactum. Quando enim tantus elegantiarum helluo satietur? Sed convivis parcendum est, quos hæc non omnes perinde delectant. A cœna inter deambulandum, id quod rationi deerit, persolvemus, nisi quid aliud censes. Ch. Fiat ex tua sententia. Agamus gratias benignitati divinæ, deinde paulisper deambulaturi. Mi. Pulchre dicis. Nihil enim hoc vespertino cœlo amœnius, nihil salubrius. Ch.
C Petre, adesdum. Tolle suo quæque ordine, ac vinum cyathis infunde. Pe. Jubesne agi gratias? Ch. Age. Pe. Græce mavis, an Latine? Ch. Utroque modo. Pe. Gratias agimus tibi Pater cœlestis, qui tua ineffabili potentia condidisti omnia, tua inscrutabili sapientia gubernas universa, tua inexhausta bonitate cuncta pascis ac vegetas: largire filiis tuis, ut aliquando tecum bibant in regno tuo nectar illud immortalitatis, quod promisisti ac præparasti vere diligentibus te, per Jesum Christum: Amen. Ch. Dic eadem Græce, ne cæteri, quod dicas, intelligant. Pe. Εὐχαριστοῦμέν σοι, πάτερ οὐράνιε, ὁ τῇ ἀῤῥήτῳ σου δυνάμει κτίσας τὰ πάντα, ὁ τῇ ἀνεξερευνήτῳ σου σοφίᾳ κυβερνῶν ἅπαξάπαντα, ὁ τῇ ἀνεξαντλήτῳ σου χρηστότητι ἕκαστα τρεφόμενός τε καὶ αὐξάνων· χαρίζου
D τοῖς υἱοῖς σου τὸ μετά σου ποτὲ πιεῖν τὸ τῆς ἀθανασίας νέκταρ, ὃ ὑπέσχου καὶ ἡτοίμασας τοῖς ἀληθῶς ἀγαπῶσι σε, διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ, τοῦ υἱοῦ του, τοῦ κυρίου ἡμῶν, τοῦ μετά σου ζῶντος, καὶ βασιλεύοντος ἐν ἑνότητι τοῦ πνεύματος ἁγίου, εἰς τοὺς αἰῶνας· ἀμήν. 1 Ch. Habeo vobis, hospites candidissimi, gratiam, qui ad hoc conviviolum venire dignati sitis; oro, æqui bonique consulatis. Co. Nos vicissim gratiam referre volumus, non tantum habere. Proinde ne multis agantur gratiæ. Quin potius surgamus, & exspatiemur. Av. Ducamus nobiscum virgines; nam eo minus molesta erit deambulatio. Ch. Recte sentis. Ne desint nobis flosculi, si forte locus flores non habebit. Utrum mavis nostris in hortis 2 more Poetico reptare, an foris ad amnem exspatiari? Av. Habent quidem horti tui amœnitatis permultum, verum eam voluptatem matutinis deambula-
E tionibus serva. At sole inclinato amnium aspectus oculos mirum in modum juvat. Ch. Antecede igitur, Augustine, ut Poeta dignum est: latus tuum claudam. Av. Bone Deus, quantum comitum, quantam pompam nobiscum ducimus! Dici non potest, Christiane, quantum mihi placeam. Satrapes mihi videor. Ch. Age, nunc promissum præsta. Solve quod recepisti. Av. Quid me potissimum vis dicere? Ch. Ego quondam in Pollionis oratione cum multa, tum illud in primis solebam admirari, quod tam facile, tam crebro, tam venuste orationem verteret: quæ res non modo singularis ingenii, verum etiam multi usus mihi videtur. Av. Haud injuria istud in Pollione admiratus es, Christiane. Ille enim tum hac in re divinam quandam vim obtinet,
F quam quidem illi cum ingenii dexteritate quadam, tum plurimo & dicendi, & legendi, & scribendi usu contigisse opinor, potius quam ratione aliqua, aut præceptione. Ch. At ego rationem aliquam istius rei, si fieri potest, exspecto.

1 Latine: *Gratias agimus tibi, Pater Cœlestis, qui nullis verbis exprimenda potentia tua omnia condidisti, qui cuncta prorsus inscrutabili tua sapientia gubernas, qui singula, inexhausta tua bonitate alis & auges. Largire filiis tuis ut aliquando tecum bibamus immortalitatis nectar; quod promisisti & parasti vere amantibus te, per Jesum Christum Filium tuum, Dominum nostrum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus Sancti, in secula: Amen.*

2 *More Poetico reptare*] Alludit ad carmen *Horatii* in Epist. ad Tibullum: *An tacitum sylvas inter reptare salubres,*

Av. Ita ut dixi, res habet. Verum quia te tantopere video velle, quantum potero morem geram, easque ratiunculas, quas in Pollionis orationibus mihi visus sum animadvertere, ut potero, reddam. Ch. Age percupio.

Brevis de copia præceptio.

Av. Accingor. Principio res ipsa puris, electis ac Latinis verbis efferenda est: quod ipsum posse, non mediocris artificis est. Sunt enim permulti, qui nescio quo modo copiam & varietatem orationis affectant, cum ne semel quidem rem possint apte explicare. Isti, tanquam semel balbutisse sit parum, balbutiem suam aliis atque aliis modis reddunt balbiorem, tanquam ipsi secum certamen susceperint, ut, quam barbarissime dici possit, dicant. Itaque inepti synonyma quædam congerunt, adeo interdum inter se dissidentia, ut ipsa mirentur, quo pacto convenerint. Quid enim absurdius, quam hominem pannosum, cui ne una quidem, quam sine pudore possit induere, sit vestis; eum tamen subinde suos pannos mutare, ac mendicitatem suam pro opibus ostentare? At nihilo minus ridiculi videntur isti varietatis affectatores, qui cum barbare semel dixerint, repetunt idem multo barbarius, demum iterum atque iterum indoctius. Hoc est non oratione, sed solœcismis abundare. In primis igitur, ut dixi, res ipsa aptis atque electis verbis est explicanda. Deinde mutatoriis verbis utendum, si qua, quæ idem efficiant, reperiantur: reperiuntur enim permulta. Demum ubi propria deficient, translatitiis erit utendum, si modo verecunda sit translatio. Ea quoque ubi deerunt, si per activa dixisti, ad passiva revertendum erit, quæ nobis totidem orationes reddunt, quot ex activis constabant. Postea verba, si licebit, aut in nomina verbalia, aut in participia commutabimus. Postremo, ubi modo adverbia in nomina, modo nomina in alias atque alias partes commutaverimus, per contrarium dicemus: aut affirmativam orationem in negativam commutabimus, aut retrorsum: aut certe quod pronunciative dictum, per interrogationem efferemus. Nunc exempli causa hanc sententiam sumamus.

Literæ tuæ magnopere me delectarunt.

Literæ.

Epistola, epistolium, scripta, schedæ, literulæ.

Magnopere.

Mirum in modum, miris modis, majorem in modum, mirandum in modum, supra modum, plurimum, non mediocriter, summopere, maximopere.

Me.

Animum meum, pectus meum, oculos meos, cor meum, Christianum.

Delectarunt.

Voluptate affecerunt, recreaverunt, exhilararunt, voluptati fuerunt, oblectarunt, voluptate perfuderunt, mellitissimæ fuerunt, jucundissimæ, &c. Habes materiam; tuum erit componere. Experiamur igitur. Faciamus periculum. Ch. Tuæ literæ magnopere me delectarunt. Tua epistola mirifice nos exhilaravit. Av. Verte activum in passivum, alia erit facies: ut: Dici non possit, quam tuis sim scriptis exhilaratus.

Item per alia verba idem efficientia.

Tuis ex literis incredibilem cepi voluptatem. Ex epistola celsitudinis tuæ plurimum voluptatis accepi. Non mediocrem lætitiam tua mihi scripta attulerunt. Gaudio tua me scripta, quantus eram, perfuderunt. Hic non ita liceret mutare in passiva, nisi in illo postremo, perfusus gaudio, quod usitate dicitur; Capiebatur a me voluptas, allatum est gaudium, non perinde usitate dixeris.

Per Afficio.

Singulari voluptate literæ tuæ me affecerunt.

Muta in Passivum.

Tuis scriptis incredibili sum affectus voluptate. Non parum gaudiorum tuum nobis epistolium peperit.

Per Sum, & Nomina Adjectiva.

Tuæ mihi literæ multis modis jucundissimæ fuerunt. Fuit tua illa epistola sane quam gratissima.

Per Nomina Substantiva.

Ineffabili voluptati tua nobis epistola fuit. Incredibili jucunditati fuerunt tuæ literæ.

Com-

Commuta in Negationem.

Tua scripta non mediocri lætitiæ fuere. Nihil in vita tuis literis accidit jucundius.

Quamquam hac ratione aliquoties jam usi sumus, quæ non est negligenter prætereunda. Nam quoties multum, plurimum, singulariter, significare volumus, per contrarium verbum idem efficiemus: ut, Vehementer te amat Henricus. Haud vulgariter te amat. Multum me juvat vinum: haud parum juvat. Est vir singulari ingenio. Est vir ingenio non vulgari. Est homo doctrina admiranda. Est homo non contemnenda doctrina. Thomas est summo apud suos loco natus: Non infimo loco natus. Augustinus eloquentissimus fuit: Non ineloquens fuit. Carneades orator fuit nobilis, non ignobilis, non obscurus. Et id genus similia, quæ nunquam non usu veniunt: sed admonuisse rem clarissimam satis est. Nec te lateat, bifariam nos hujusmodi orationum genere uti, modestiæ causa, præsertim si de nobis ipsis loquamur. Tum etiam amplificandi gratia. Nam non ingratum, pro valde grato: non vulgariter, pro singulariter, recte & venuste dicimus.

Modestia causa.

Ego literis meis nonnullam doctrinæ sum opinionem consecutus. Semper curavi, ut in literaria gloria non postremas parteis tenerem.

De amplificatione superiora sunt exempla; nunc ad nostra revertamur. Nihil tua epistola unquam evenit gratius. Nulla res majori unquam voluptati fuit, quam tua scripta. Nulla unquam ex re tantundem cepi voluptatis, quantum ex tuis literis amantissimis.

Hoc modo singulæ orationes superiores poterunt variari per interrogationem. Quid tuis literis in vita jucundius esse potuit? Quid epistola illa tua nobis evenit dulcius? Quid ita oblectavit unquam, ut proximæ tuæ literæ?

Hoc modo rursum singulas fere orationes variare licebit. CH. Quid deinde fiet? AV. Jam paulo liberius totam orationem vertemus, ut unam dictionem pluribus verbis circumloquamur. CH. Dic exempli causa. AV. Quod modo per nomen incredibile, modo per adverbium incredibiliter, dictum erat, unam dictionem aliquot verbis commutabimus. Literis consequi nequeam, quantum tuis literis sim delectatus. Et mihi scriptu, & tibi creditu perdifficile fuerit, quantæ jucunditati tua mihi scripta fuerint. Explicare prorsum nequeo, quam sim tuis literis gavisus. Et item in infinitum. Rursum alio pacto. Nam hactenus & per negationem, & per interrogationem, postremo per infinitas orationes variavimus. Nunc per subjunctivas sive conditionales variabimus, hoc modo: Moriar, si unquam quicquam fuit tuis literis aut optatius, aut dulcius. Peream, si ulla res majori voluptati fuit, quam tuæ literæ. Ita me Deus amet, ut nihil in vita tuis literis accidit jucundius. Et item alia multa in hunc modum excogitare licebit. CH. Quid deinde? AV. Nunc ad translationes, similitudines, & exempla fugiendum est.

Translatio est in his.

Accepi literas tuas, quæ mellitæ fuerunt. Nihil nisi meræ deliciæ tua mihi scripta videntur. Mera voluptas sunt tuæ literæ. Et hujusmodi plurima. Sed cavendum ne obsoletis aut durioribus translationibus utamur, quale est illud:

1 *Juppiter hibernas cana nive conspuit Alpes:*

2 Et quale est illud: *Cœna tuorum scriptorum me suavissimis epulis refecit.*

Comparatio a simili.

Tua scripta omni vel ambrosia, vel nectare suaviora fuere. Literæ tuæ quovis melle mihi fuere dulciores. Epistola humanitatis tuæ, & siliquam omnem, & mel Atticum, & saccharum omne, nectar ambrosiamque Deorum longe superavit. Hic quidquid dulcedinis nobilitatum est, in medium adduci potest.

Ab exemplo.

Nunquam adducar, ut credam Hero Leandri sui literas aut majore voluptate, aut pluribus osculis accepisse, quam tuas accepi. Vix crediderim, aut Scipionem eversa Carthagine, aut Paulum Æmilium capto Perseo, magnificentiorem egisse triumphum, quam ego, simulac suavissima tua scripta tuus mihi tabellarius reddidit. Hujusmodi tum ex fabulis, tum ex historiis infinita possunt inveniri. E Physica vero sumuntur rerum similitudines, quarum quam plurimarum naturas memoriter tenere necesse est. Nunc si libet, in alia sententia tentemus.

1 Horat. Sat. Lib. II. S. v, 41.
2 *Et quale*] Apud Furium, de quo Gell. lib. 18. cap. 11.

Nunquam dum vivam tui ero immemor.

Semper, dum vivam, tui meminero. Quoad vivam, nunquam me tui capiet oblivio. Prius vivere desinam, quam tui meminisse.

Per comparationem.

Si umbram corpus poterit effugere, & hic animus tui quibit oblivisci. Tui memoriam ne Lethæus quidem amnis poterit abolere.

Præterea per ἀδύνατον, aut more Poetico, per contraria.

Dum juga montis aper, fluvios dum piscis amabit: Ante leves ergo, &c. quæ non est multi negocii excogitare. Verum ne immodici videamur his in præsentia contenti simus. Alias, si voles, copiosius hac de re colloquemur. CH. Ego te, Augustine, jam plane exhaustum putabam: sed tu præter exspectationem novum thesaurum indicasti, quem si pergas explicare, nox ante occupaverit, quam tibi eadem de re desint verba. AV. Si ego hoc, mediocri & doctrina & ingenio præsto, 3 quantum Ciceronem ipsum valuisse credis, qui cum Roscio histrione certasse legitur? Sed sol nos relinquit. Humescit cœlum, præstat imitari aviculas, tectoque ac lecto nos condere. Proinde vale, mi Christiane suavissime, in crastinum. CH. Tu itidem bene valeas Augustine omnium doctissime.

Convivium Religiosum.

EUSEBIUS, TIMOTHEUS, THEOPHILUS, CHRYSOGLOTTUS, URANIUS.

EV. Cum omnia nunc vernent & rideant in agris, demiror esse, qui fumosis urbibus delectentur. TI. Non omnes capiuntur aspectu florum, aut pratorum vernantium, aut fontium amniumve: aut, si capiuntur, est aliud quod magis juvet. Ita voluptas voluptate, veluti clavus clavo, pellitur. EV. Tu mihi fortasse fœneratores narras, aut his simillimos negociatores avaros. TI. Istos quidem, sed non solos, ô bone, imo cum his innumeros alios, usque ad ipsos sacerdotes ac monachos, qui fere quæstus gratia malunt in urbibus, iisque frequentissimis, versari, dogma secuti non Pythagoricum aut Platonicum, sed cæci cujusdam mendici, cui dulce erat premi turbis hominum, quod diceret, illic esse quæstum, ubi esset populus. EV. Valeant cæci cum suo quæstu: nos Philosophi sumus. TI. Et Socrates Philosophus urbes præferebat agris, quod esset discendi cupidus, & urbes haberent unde disceret. In agris esse quidem arbores & hortos, fontes & amnes, qui pascerent oculos, cæterum nihil loquerentur, ac proinde nihil docerent. EV. Est nonnihil quod dixit Socrates, si solus obambules in agris. Quanquam mea sententia non est muta rerum natura, sed undiquaque loquax est, multaque docet contemplantem, si nacta fuerit hominem attentum ac docilem. Quid aliud clamitat illa tam amœna naturæ vernantis facies, quam opificis Dei sapientiam bonitati parem? Sed Socrates, in eo secessu, quam multa docet Phædrum suum, ac vicissim ab eo discit? TI. Si tales adessent aliquot, nihil esse possit amœnius rusticatione. EV. Libet igitur hujus rei periculum facere? Est mihi prædiolum suburbanum, non amplum, sed nitide cultum; eo vos in crastinum diem ad prandium voco. TI. Plures sumus; exederemus totum prædium tuum. EV. Imo totum convivium apponetur herbaceum, ex dapibus, ut 4 inquit Flaccus, inemptis apparatum. Vinum ipse locus suppeditat; pepones, melones, ficos, pira, mala, nuces, ipsæ pene arbores porrigunt, quemadmodum fit in insulis Fortunatis, 5 si Luciano credimus. Accedet fortassis e corte gallina. TI. Age, non recusamus. EV. At suam quisque umbram secum adducat, quam volet. Ita cum sitis quatuor, æquabimus numerum Musarum. TI. Fiet. EV. Unum illud vos præmonitos volo, sibi quisque condimentum suum adferet. Ego cibos duntaxat apponam. TI. Quod condimentum narras? piper an saccharum? EV. Imo aliud vilius, sed suavius. TI. Quodnam? EV. Famem. Eam dabit hodie cœna tenuis; cras acuet stomachum ambulatiuncula. Et hoc quoque commodi rusculo meo debebitur. Verum ad quam horam libet prandere? TI. Ad decimam, prius-

3 Vide *Macrobium*, Lib. III. Saturnalium Cap. 14.
4 *Inquit Flaccus*] In Epod. II, 48. *Dapes inemptas apparet.*
5 *Si Luciano*] In vera historia.

priusquam invalescat æstus solis. Ev. Curabitur. Pu. Here, adsunt convivæ pro foribus. Ev. Bonæ fidei est, quod venistis; sed bis gratum est quod venistis mature, una cum umbris vestris longe gratissimis. Sunt enim quidam inciviliter civiles qui convivatorem mora sua torquent. Ti. Eo maturius venimus, ut esset ocium lustrandi, visendique regiam istam tuam, quam audimus undique miris deliciis variam, nusquam non testari domini sui ingenium. Ev. Regiam spectabitis tali dignam Rege. Mihi certe nidulus est, quavis regia gratior. Et si regnat, qui libere vivit ex animi sui sententia, hic plane regno. Sed præstat, opinor, interim, dum culinæ præfecta parat olusculum, & adhuc moderatus est solis calor, visere hortos nostros. Ti. Est alius præter hunc? Nam hic sane mire cultus blandissimo aspectu statim ingredientes salutat, & comiter excipit. Ev. Hinc igitur decerpat sibi quisque flosculos ac frondes aliquot, ne quid offendat domus pædor. Non idem odor æque gratus omnibus. Quare sibi quisque deligat. Ne parcite. Nam quicquid hic nascitur, pene publicum esse patior. Neque enim unquam clauditur ostium hujus vestibuli, nisi noctu. Ti. En tibi in ostio Petrus. Ev. Hunc ego malo janitorem, quam Mercurios, Centauros, aliaque portenta, quæ quidam pingunt in foribus suis. Ti. Isthuc homine Christiano dignius est. Ev. Nec mutum habeo janitorem; tribus linguis alloquitur ingredientem. Ti. Quid loquitur? Ev. Quin ipse legis? Ti. Intervallum aliquanto longius est, quam ut prospectus oculorum assequatur. Ev. En tibi perspicillum, quod te vel Lynceum reddet. Ti. Latina video: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Matthæi cap. XIX. Ev. Nunc lege Græca. Ti. Græca video quidem, at illa non vident me: quare lampadem hanc trado Theophilo, qui nunquam non cantillat Græca, Th. 1 Μετανοήσατε, καὶ ἐπιστρέψατε. Ch. Hebræa mihi sumam; וְצַדִּיק בֶּאֱמוּנָתוֹ יִחְיֶה 2 Ev. An vobis videtur incomis janitor, qui statim monet ut avertamur a vitiis, & convertamus nos ad studium pietatis? Deinde vitam non contingere ex operibus Mosaicis, sed per fidem Euangelicam? Postremo, servandis Euangelicis præceptis iter esse ad immortalem vitam? Ti. Et ecce mox ad dextram ingressus ostendit sacellum perquam elegans. In altari Jesus Christus, suspiciens in cœlum ad Patrem & Spiritum sanctum illinc prospicientes, atque eodem dextram porrigens, læva velut invitat & allectat prætereuntem. Ev. Nec is elinguis nos excipit: vides Latina? *Ego sum via, veritas, & vita.* Græca: ἐγώ εἰμι τὸ ἄλφα, καὶ τὸ ὠμέγα. Hebr. לְכוּ בָנִים שִׁמְעוּ לִי יִרְאַת יְהוָה אֲלַמֶּדְכֶם 3 Ti. Læto nimirum omine nos salutavit dominus Jesus. Ev. Sed ne videamur inciviles, fortassis par est, ut illum resalutemus, precemurque, ut, quando ex nobis ipsi nihil possumus, ille sua inæstimabili bonitate non sinat nos unquam aberrare a via salutis, sed, abjectis 4 umbris Judaicis, & hujus mundi præstigiis, per veritatem Euangelicam perducat nos ad vitam æternam: hoc est, ipse per se trahat nos ad se. Ti. Æquissimum est, & ipsa loci species nos invitat ad precandum. Ev. Multos hospites allicit hujus horti amœnitas: sed ita fere apud omnes invaluit consuetudo, ut nemo prætereat Jesum insalutatum. Hunc ego, vice fœdissimi Priapi, custodem posui, non solum horti mei, sed omnium quæ possideo, denique corporis pariter atque animi. Adest, ut videtis, fonticulus saluberrimis aquis non inamœne scatens, utcunque repræsentans unicum 5 illum fontem, qui cœlesti latice refocillat omnes laborantes & oneratos, & ad quem anhelat anima delassata malis hujus mundi, non aliter quam juxta 6 Psalmistam, cervus æstuans siti, gustatis serpentium carnibus. Hunc gratis haurire licet, quisquis sitit. Nonnulli & religionis gratia sese adspergunt. Quidam etiam bibunt, non sitis, sed religionis causa. Video vos invitos avelli ab hoc loco. Sed interim hora monet, ut visamus hunc cultiorem hortum, quem in quadrum cingunt muri regiæ meæ. Si quid erit visendum intus, a prandio spectabitis, quum solis æstus nos, veluti cochleas, domi cohibebit horis aliquot. Ti. Papæ, Epicureos hortos mihi videre videor. Ev. Totus hic locus voluptati dicatus est, sed honestæ; pascendis oculis, recreandis naribus, reficiendis animis. Nihil hic nascitur præter odoratas herbas, nec eas quaslibet, sed eximias duntaxat. Unumquodque genus suas habet areas. Ti. Nec herbæ mutæ sunt apud te, quantum video. Ev. Probe dicis: alii domus habent opulentas, ego loquacissimam habeo, ne quando solus videri possim: id magis etiam dices, ubi totam videris. Ut herbæ sunt velut in turmas digestæ, ita singulæ turmæ singula habent vexilla cum inscriptione. Velut Amaracus hic, *Abstine*, inquit, *sus; non tibi spiro.* Cum enim sit suavissimæ fragrantiæ, sues tamen hoc odore vehementer offenduntur. Itidem singula genera habent suos titulos, aliquid indicantes, quod ad peculiarem ejus herbæ vim pertinet. Ti. Nihil adhuc vidi hoc fonticulo festivius, qui medius velut arridet herbis omnibus, ac refrigerium illis pollicetur adversus æstum. Sed alveolus hic, qui tanta gratia totam aquam ostendit oculis hominum, hinc atque hinc æquis spatiis hortum dirimens, in quo sese utrinque herbæ velut in speculo contemplari gestiunt, num marmoreus est? Ev. Bona verba; unde huc marmor? E contusis cæmentis factitium marmor est: coloris candor additus est incrustamento. Ti. Quo tandem sese condit tam amabilis rivus? Ev. Vide incivilitatem humanam. Posteaquam hic satis exhilaravit oculos nostros, proluit culinam, ejusque sordes secum defert in cloacam. Ti. Crudele, ita me Deus bene amet. Ev. Crudele, ni & in hunc usum parasset æterni numinis benignitas. Tum crudeles sumus, cum fontem Divinæ scripturæ longe hoc amœniorem, recreandis simul ac purgandis animis nostris datum, conspurcamus vitiis nostris, pravisque cupiditatibus, abutentes tam ineffabili dono Dei. Nam hac aqua non abutimur, si partimur in varios usus, in quos illam dedit is, qui nihil non affatim suppeditat usibus humanis. Ti. Verissima sunt quæ narras: sed cur tibi virent etiam horti septa manu facta? Ev. Ne quid hic non vireat. Quidam rubra malunt, quod is color additus virentibus gratiam adjungat. Hic mihi magis arridet, ut est sua cuique sententia, etiam in hortis. Ti. Sed horti per se amœnissimi jucunditatem propemodum obscurant ambulacra tria. Ev. In his vel studeo, vel obambulo solus, aut cum amiculo confabulans, vel cibum capio, si videtur. Ti. Columnæ paribus intervallis sustinentes ædificium innitens, miraque colorum varietate blandientes, suntne marmoreæ? Ev. Ex eodem marmore, quo factus est hic alveus. Ti. Lepida profecto impostura. Vel dejerassem esse marmor. Ev. Quare cave, ne vel credas, vel dejeres quicquam temere. Non raro fallit species. Quod opibus deest, arte sarcimus. Ti. Non tibi sat erat hortus tam nitidus, tam excultus, nisi pingeres insuper alios hortos? Ev. Non capiebat omnes herbarum species unus hortus. Præterea bis delectamur, cum pictum florem cum vivo decertantem videmus, & in altero miramur artificium naturæ, in altero pictoris ingenium, in utroque benignitatem Dei, qui in usum nostrum largitur hæc omnia, nulla in re non mirabilis pariter & amabilis. Postremo non semper viret hortus, non semper vivunt flosculi. Hic hortus etiam media bruma viret, & adblanditur. Ti. At non spirat. Ev. Sed rursum non eget cultura. Ti. Tantum pascit oculos. Ev. Verum; sed hoc perpetuo facit. Ti. Habet suum & pictura senium. Ev. Habet; nobis tamen est vivacior, & illi fere gratiam addit ætas, quam nobis detrahit. Ti. Utinam hic vanus esses. Ev. In hoc ambulacro, quod spectat occidentem, sole fruor oriente: in hoc, quod spectat orientem, apricor interdum: in hoc quod spectat austrum, sed patet ad septentrionem, recreor ab æstu solis. Obambulabimus, si videtur, quo spectetis propius. En vernat ipsum etiam solum: habent enim & tessellæ colorum gratiam, & flosculis pictis adblandiuntur. Hoc nemus quod videtis hoc toto pariete depictum, exhibet mihi varium spectaculum. Primum quot videtis arbores, tot videtis arborum genera, singulis ad nativam imaginem non pessime expressis. Quot cernitis aves, tot videtis avium species, præcipue si quæ sint rariores, & insigni re quapiam nobiles. Nam anseres, gallinas, & anates quid attinet pin-

1 *Μετανοήσατε*] Id est, *resipiscite, convertite vos.* Actor. 3. vers. 19.

2 וְצַדִּיק] Id est, *Justus autem in fide sua vivet.* Abacuc. 2. vers. 4. & Gal. 3. 11.

3 לְכוּ] Id est, *venite filii, obedite mihi, timorem Domini docebo vos,* Psal. XXXIV, 12.

4 *Umbris Judaicis*] Idem intelligit ac quod antea *opera Mosaica* vocavit; hoc est, meros ritus sine ulla animi sanctimonia.

5 *Illum fontem*] Respicit ad id quod Christus mulieri Samaritanæ suggessit: Joh. 4. vers. 14. *Quisquis biberit ex aqua quam ego ei dabo, non sitiet in æternum: sed aqua illa quam ego,* &c.

6 *Psalmistam*] Psal. 42. vers. 2.

gere? Inferne sunt quadrupedum species, aut earum avium, quæ vivunt humi, more quadrupedum. Ti. Mira varietas, nec quicquam est otiosum. Nihil est quod non aut agat, aut loquatur aliquid. Quid nobis narrat noctua, pene latitans sub frondibus? Ev. Attice loquitur Attica. 1 σωφρόνει inquit, οὐ πᾶσιν ἵπταμαι. Jubet nos consulto agere, quod non omnibus feliciter cedat inconsulta temeritas. Hic aquila discerpit leporem frustra obtestante scarabeo. Adstat scarabeo trochilus, & ipse capitalis inimicus aquilæ. Ti. Hæc hirundo quid gerit ore? Ev. Herbam chelidoniam. Nam hac restituit pullis exoculatis visum. Agnoscitis herbæ figuram? Ti. Quodnam hoc novum lacertæ genus? Ev. Non est lacerta, sed chamæleon. Ti. Est hic ille longo nomine celebratus chamæleon? Belluam esse credidi leone majorem, quem vincit etiam vocabulo. Ev. Hic ille est semper hians, & semper jejunus chamæleon. Hæc arbor est caprificus, apud quam solam sævit, alias innoxius. Nam venenum habet, ne contemnas hiantem bestiolam. Ti. At non mutat colorem. Ev. Verum; quia non mutat locum: ubi mutarit locum, videbis & colorem alium. Ti. Quid hic sibi vult tibicen? Ev. Nonne vides in proximo camelum saltantem? Ti. Video novum spectaculum, camelus cinædus est, & simius choraules. Ev. Sed his singulatim ac per ocium contemplandis alias dabitur vel totum triduum; nunc satis erit veluti per transennam vidisse. In hac regione depictum est ad nativam effigiem, quicquid est insignium herbarum: quodque jure miremini, hic venena quantumvis præsentanea, tuto non solum spectantur, verum etiam contrectantur. Ti. En scorpius, rarum in hisce regionibus malum, sed frequens Italiæ. Quanquam color mihi parum respondere videtur in pictura. Ev. Qui sic? Ti. Quia magis nigrent apud Italos, iste pallidior est. Ev. An non agnoscis herbam in cujus folium incidit? Ti. Non satis. Ev. Nec mirum. Nec enim nascitur in hortis nostratibus. Aconitum est. Ei veneno tanta vis est, ut scorpius ad hujus contactum stupescat, pallescatque, seseque vinci patiatur. Sed offensus veneno, a veneno petet remedium. Videtis in propinquo utrumque genus hellebori. Si scorpius sese potuerit explicare a folio aconiti, & album helleborum contingere, recipiet pristinum vigorem, diversi veneni contactu solvente torporem. Ti. Actum est igitur de isto scorpio; nam is se nunquam explicabit ab aconiti folio. Etiam loquuntur hic scorpii? Ev. Et quidem Græce. Ti. Quid ait? Ev. 2 Εὗρε Θεὸς τὸν ἀλιτρόν. Hic præter herbas videtis omne serpentium genus. En vobis basiliscus, oculis igneis, ipsis etiam nocentissimis venenis formidabilis. Ti. Et is loquitur aliquid. Ev. *Oderint*, inquit, *dum metuant*. Ti. Plane regia vox. Ev. Imo nihil minus regium, sed tyrannica vox est. Hic pugnat lacerta cum vipera. Hic dipsas insidiatur, tecta putamine ovi struthiocameli. Hic videtis politiam totam formicarum, ad quarum imitationem nos vocat 3 Hebræus ille sapiens, atque etiam Flaccus noster. Hic videtis formicas Indicas, quæ aurum egerunt, ac servant. Ti. Deum immortalem, cui possit obrepere tædium in hoc theatro versanti? Ev. Alias, inquam, licebit vel ad satietatem usque spectare. Nunc procul tantum spectate tertium parietem. Is habet lacus, amnes & maria, & in his quicquid est insignium piscium. Hic est Nilus, in quo delphinum illum videtis, hominum amatorem, cum crocodilo depugnantem, quo non alius hostis homini capitalior. In ripis ac littoribus videtis ea quæ sunt ἀμφίβια, ut cancri, phocæ, fiber. Hic est polypus 4 captator, captus a concha. Ti. Quid loquitur? 5 αἱρῶν αἱροῦμαι. Mire pictor fecit aquam pellucidam. Ev. At hoc erat illi faciendum, aut nobis opus erat aliis oculis. In proximo est alter polypus, summa æquoris aqua velificans, liburnicarum gaudens imagine. Videtis torpedinem prostratam in arena concolori, quam hic tuto vel manu contigeris. Sed alio properandum est. Hæc pascunt oculos, at ventrem non explent: properemus ad reliqua. Ti. Etiamne amplius? Ev.

A Mox videbitis quid nobis præbeat posticum. Hic videtis hortum satis spatiosum, in duas divisum partes: in altera est quicquid est herbarum esculentarum, in qua regnant uxor & famula mea: in altera, quicquid est medicarum, præsertim insignium. Ad lævam est pratum liberum, præter virorem graminum nihil habens: septum est sepe perpetua, e spinis implexis, sed vivis, contexta: illic nonnunquam vel ambulo, vel lusito cum sodalibus. Ad dexteram est pomarium, in quo cum erit otium, videbitis plurimas arbores peregrinas, quas paulatim doceo nostro cœlo assuescere. Ti. Papæ, næ tu vincis vel ipsum 6 Alcinoum. Ev. Hic aviarium est in confinio adhærens ambulacro superiori, quod videbitis a prandio: videbitis formas varias, variasque linguas audietis. B Nec minus varia sunt ingenia. Inter quasdam cognatio est & mutuus amor, inter nonnullas simultas irreconciliabilis. Sunt autem omnes adeo cicures & mansuetæ, ut si quando cœno illic, aperta fenestra, devolent in mensam, cibumque vel e manibus capiant. Si quando ingredior, in ponticulo pensili, quem videtis, fabulans cum amico, assident, auscultant, insident humeris aut brachiis, adeo dedidicerunt timere, quia sentiunt neminem lædere. In extremo pomario apum regnum est. Nec illud sane spectaculum inamœnum. In præsentia non sinam vos amplius contemplari, quo sit quod vos posthac revocet tanquam ad novum spectaculum. A prandio cætera vobis ostendam. Puer. Uxor & famula clamitant, corrumpi prandium. C Ev. Jubeto illas esse æquanimes; nos jam accurremus. Lavemus, amici, ut puris manibus & animis ad mensam accedamus. Etenim si ethnicis quoque religiosa erat mensa, quanto magis oportet esse sacram Christianis, quibus habet imaginem quandam illius sacrosancti convivii, quod dominus Jesus postremum egit cum suis discipulis. Et ob id receptum est, abluere manus, ut si quid odii, livoris, aut turpitudinis alicui forsitan resideat in animo, id ejiciat ante, quam accedat ad cibum capiendum. Sic enim opinor & corpori salubriores esse cibos, si sumantur animo defæcato. Ti. Istud verissimum esse credimus. Ev. Quoniam hoc exemplum nobis ab ipso Christo traditum est, ut ab hymno cibum auspicaremur (nam id arbitror, quod frequenter in D Euangelio legimus, illum 7 benedixisse, aut gratias egisse Patri, prius quam cibum frangeret:) & rursum hymno finiremus: si videtur, recitabo vobis hymnum quem divus Chrysostomus miris laudibus prædicat in Homilia quadam, dignatus etiam interpretari. Ti. Imo ut velis, rogamus. Ev. *Benedictus Deus qui me pascis a juventute mea, qui cibum præbes omni carni; reple lætitia & gaudio corda nostra, ut affatim quod satis est habentes, abundemus in omne opus bonum, in Christo Jesu Domino nostro; cum quo tibi gloria, honor & imperium, cum sancto Spiritu, in omne ævum.* Ti. Amen. Ev. Nunc accumbite, ac suam quisque umbram sibi adjungat. Caniciei tuæ debetur primus locus, Timothee. Ti. Verbo dignitatem universam meam complexus es. E Hoc solo nomine sum cæteris anteponendus. Ev. Cæterarum dotium æstimator est Deus; nos ea sequimur, quæ videmus. Sophroni, adhære corpori tuo. Tu Theophile & Eulali, dextrum mensæ latus occupate. Chrysoglottus & Theodidactus occupabunt lævum. Uranius & Nephalius, quod superest. Ego hunc angulum tuebor. Ti. Non patiemur: hospiti debetur primus locus. Ev. Tota domus hæc mea est, simulque vestra: quod si mihi permittitur jus in regno meo, is locus debetur hospiti, quemcunque sibi delegerit. Nunc utinam Christus ille exhilarator omnium, & sine quo nihil vere suave est, dignetur huic nostro interesse convivio, suaque præsentia exhilarare animos nostros. Ti. Spero dignabitur. Sed ubi F sedebit jam omnibus locis occupatis? Ev. Utinam ille se misceat omnibus & patinis, & poculis, ut nihil illum non sapiat, sed potissimum illabatur animis nostris. Id quo magis dignetur, & nos tanti hospitis reddamur capaciores, si molestum non est, auscultabitis paululum e sacra lectio-

1 *Σωφρόνει*] Id est, *prudens esto, non omnibus volo.* Vide proverb. de noctua Atheniensium.

2 *Εὗρε Θεός*] Id est, *reperit Deus nocentem.*

3 *Hebræus*] Ait nempe Salomon Prov. 6. vers. 6. *Abi ad formicam ô piger, aspice vias ejus & sape*, &c.

4 *Polypus*] Adscribitur polypo pisci rapacitas, tenacitasque: quod quicquid brachiorum flagellis nactus fuerit, suctu attrahat ac retineat. Hinc Plaut. Aulul. *Novi ego istos polypos, qui ubi quicquid tetigerint, tenent.*

5 *Αἱρῶν αἱροῦμαι*] Id est, *captans capior.*

6 *Alcinoum*] Alcinoi Regis horti, apud Homerum commendantur: qui fuit Rex Phæacum, diligens cultor hortorum: nam de eo Hom. ait, quod haberet:

Ὄγχνη ἐπ' ὄγχνῃ γηράσκει, μῆλον δ' ἐπὶ μήλῳ,
Αὐτὰρ ἐπὶ σταφυλῇ σταφυλή, σῦκον δ' ἐπὶ σύκῳ.

7 *Benedixisse, &c.*] Ita inter alia de Christo legitur, Matth. 15. vers. 36. *Accepit septem panes & pisces, & gratias egit*, &c. Hinc Paulus Rom. 14. *Qui edit, Domino edit: gratias enim agit Deo.*

lectione, sed ita, ut interim nihilo secius admoveatis manus ovis & lactucis, si libet. Ti. Id faciemus libenter, sed auscultabimus libentius. Ev. Is mos mihi multis nominibus videtur amplectendus, quod hac ratione vitentur inanes fabulæ, præbeaturque materia confabulationis frugiferæ. Multum enim ab illis dissentio, qui putant non esse lætum convivium, nisi quod scateat ineptis ac lascivis fabulis; quod perstrepat obscœnis cantiunculis. Vera hilaritas nascitur e pura sinceraque conscientia: atque hi sermones vere læti sunt, quos semper & dixisse juvet, aut audisse, & semper delectet meminisse: non quorum mox pudeat, quique conscientiam pœnitudine discrucient. Ti. Utinam ista tam perpenderemus omnes, quam sunt vera. Ev. Hæc præterquam quod certam & insignem habent utilitatem, etiam jucunda fiunt, ubi vel mensem unum assueveris. Ti. Nihil igitur consultius, quam optimis assuescere. Ev. Recita, puer, distincte & clare. Puer. [1] *Sicut divisiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini: quocunque voluerit, inclinabit illud. Omnis via viri recta sibi videtur, appendit autem corda Dominus. Facere misericordiam & judicium, magis placet Domino, quam victima.* Ev. Sit hoc satis. Præstat enim pauca avide discere, quam multa cum tædio devorare. Ti. Præstat sane, sed non hic tantum. Plinius scripsit, Officia Ciceronis [2] nunquam de manibus deponenda: & sunt sane digna, quæ cum ab omnibus, tum præcipue ab his qui destinati sunt administrandæ Reipublicæ, ad verbum ediscantur, mea quidem sententia: sed hunc Proverbiorum libellum semper dignum arbitratus sum, qui semper nobis circumferatur. Ev. Quoniam sciebam prandium fore dilutum & insipidum, idcirco hanc procuravi nobis condituram. Ti. Nihil hic est non lautissimum; & tamen si nihil esset præter [3] betas, absque pipere, vino & aceto, talis lectio condiret omnia. Ev. Mihi tamen plus adderet gratiæ, si, quod audio, penitus intelligam. Atque utinam adesset aliquis vere Theologus, qui ista non intelligeret solum, verum etiam saperet. Nobis idiotis nescio an fas sit hisce de rebus confabulari. Ti. Ego vero puto vel nautis esse fas, modo absit definiendi temeritas. Fortasse & Christus, qui pollicitus est sese adfuturum, ubicunque duo convenirent de ipso tractantes, adspirabit nobis tam multis. Ev. Quid si igitur partiamur inter nos novem tres sententias? Convivæ. Non displicet, modo a convivatore incipiat ordo. Ev. Non detrectarem provinciam sed vereor ne hic vos pejus accipiam, quam cibis accipio. Age, necubi videar difficilis convivator, omissis variis conjecturis, quæ in hunc locum congerunt interpretes, mihi videtur hic esse sensus moralis: alios mortales posse flecti monitis, increpationibus, legibus ac minis: Regis animum, quoniam neminem metuit, si repugnes, magis irritari. Et idcirco quoties principes vehementer contendunt aliquid, suo animo relinquendos: non quod semper velint optima, sed quod illorum stultitia malitiave Deus nonnunquam abutatur ad emendandos eos qui deliquerunt. Quemadmodum vetuit resisti [4] Nabuchodonosori, quod illius ministerio decrevisset castigare populum suum. Fortassis illud est quod ait Job cap. xxxiv. *Qui regnare facit hominem hypocritam, propter peccata populi.* Atque huc fortasse pertinet quod ait David, deplorans peccatum suum Psalm. li. *Tibi soli peccavi, & malum coram te feci.* Non quod Reges non peccent ingenti populi malo, sed quod non habeant hominem, cujus auctoritate condemnentur; quum Dei judicium nemo, quamlibet potens, possit effugere. Ti. Non displicet interpretatio. Sed quid sibi volunt *divisiones aquarum*? Ev. Adhibita est similitudo, quæ rem explanet. Violenta res & impotens est Regis animus concitatus, nec huc aut illuc duci potest, sed impetu suo fertur, velut œstro divino percitus: quemadmodum mare sese spargit in terras, ac subinde cursum mutat, contemptis agris, ædificiis, & quicquid obstat, alicubi se condit sub terras: cujus impetum si coneris inhibere, aut alio deflectere, nihil agas. Idem accidit in magnis fluminibus, veluti fabulæ quoque narrant de Acheloo. Minus au-

1 *Sicut divisiones aquarum*] Locus desumtus ex Salomonis Proverbiis, cap. 21. vers. 1. 2. 3. Agitur ibi primo de Divina providentia circa ea, quæ a voluntate humana pendent.

2 *Nunquam de manibus*] Vide Plinium in præfatione ad Vespasianum Cæsarem.

3 *Betas*] Alludit ad illud Martialis: *Ut sapiant fatua fabrorum prandia beta: O quam sæpe petet, vina piperque coquus.*

4 Apud Jerem. xxvii. & xxviii.

A tem mali capitur, si commode obsecundes, quam si violenter repugnes. Ti. Nihil igitur remedii adversus malorum Regum impotentiam? Ev. Fortasse primum fuerit, leonem in civitatem non recipere: proximum, sic auctoritate senatus, magistratuum ac civium moderari potentiam illius, ut non facile erumpat in tyrannidem. Sed omnium potissimum, dum adhuc puer est, & se principem esse nescit, sanctis præceptis formare pectus illius. Prosunt & preces ac monita, sed blanda ac tempestiva. Extrema ancora est, votis fatigare Deum, ut Regis animum inclinet ad ea, quæ Christiano Rege digna sunt. Ti. Quid ais, idiota? Si baccalaureus essem Theologiæ, minime puderet istius interpretationis. Ev. An vera sit, nescio; mihi satis est, quod

B sensus non sit impius, aut hæreticus. Morem gessi voluntati vestræ. Nunc, ut decet in conviviis, vicissim audire cupio. Ti. Si quid defertis his quoque canis, mihi videtur hoc dictum & ad abstrusiorem sententiam accommodari posse. Ev. Credo; & audire cupio. Ti. Rex intelligi potest vir perfectus, qui domitis carnis affectibus, solo Divini spiritus impetu ducitur. Porro qui sit hujusmodi, hunc non convenit fortassis humanis legibus in ordinem cogere; sed suo domino, cujus spiritu agitur, relinquendus est: nec judicandus est ex hisce rebus, quibus imbecillitas imperfectorum utcumque provehitur ad veram pietatem: sed si quid secus facit, dicendum est cum Paulo Rom. xiv. *Dominus assumsit illum: domino suo stat, aut cadit.* Item illud:

C *Spiritualis homo omnia dijudicat, ipse vero a nemine judicatur.* 1 Corinth. ii. Talibus igitur nemo præscribat, sed Dominus qui præscripsit terminos mari & amnibus, habet cor sui Regis in manu sua, & quocumque voluerit, inflectit illud. Quid enim opus est præscribere illi, qui suapte sponte præstat meliora, quam exigunt humanæ leges? aut quæ temeritas sit, illum hominem constitutionibus adstringere, quem certis argumentis constat Divini spiritus afflatu gubernari? Ev. Tu vero, Timothee, non solum canos habes capillos, sed pectus etiam habes eruditionis canitie venerabile. Atque utinam inter Christianos, quos omneis oportebat esse Reges hujusmodi, plures reperirentur hoc digni cognomine. Sed jam satis est ovatum, & oleribus prælusum: jubete hæc tolli, & apponi quod superest. Ti.

D Nobis affatim satisfactum est hac ovatione, etiamsi nihil præterea successerit vel supplicationis, vel triumphi. Ev. Verum, quoniam, adspirante Christo, sicut opinor, successit res in prima sententia, velim ut umbra tua nobis enarret alteram, quæ mihi videtur aliquanto obscurior. Sophron. Si boni voletis consulere quicquid dixero, sedulo dicam quod mihi videtur. Alioqui qui fieri potest, ut rebus obscuris lucem adferat umbra? Ev. Equidem recipio futurum omnium nomine; & tales umbræ lucem suam habent aptiorem oculis nostris. Soph. Idem docere videtur quod Paulus. Diversis vitæ rationibus contenditur ad pietatem. Alii placet sacerdotium, alii cælibatus, alii conjugium,

E alii secessus, alii respublica, pro varietate corporum & ingeniorum. Rursus alius vescitur quibuslibet, alius distinguit inter cibum & cibum; alius judicat inter diem & diem; alius judicat omnem diem. In his Paulus vult unumquemque suo frui affectu citra contumeliam alterius. Nec oportet quemquam ex hujusmodi judicare, sed judicium deferre Deo, qui expendit corda. Fit enim sæpenumero, ut vescens gratior sit Deo, quam non vescens, & diem festum violans acceptior sit Deo, quam is qui videtur observare: & matrimonium hujus gratius sit oculis Dei, quam multorum cælibatus. Dixi umbra. Ev. Utinam mihi sæpe contingat cum talibus umbris colloqui. Rem, ni fallor, non acu, quod a-

F junt, sed lingua tetigisti. Sed adest qui cælebs vixit, non de numero beatorum, qui se castraverunt propter regnum Dei: sed hic castratus est vi, quo magis placeret ventri, donec & hunc & escas destruxerit Deus. Capus est ex corte nostra. Elixis magis delector. Jus est non inelegans: quod in eo natat, lactucæ sunt selectissimæ. Sumat sibi quisque, quod gratum est animo. Sed ne quid vos fallam, succedet huic, assi nonnihil, mox bellaria, deinde fabulæ catastrophe. Ti. Sed interim excludimus uxorem e convivio. Ev. Ubi vos venietis comitati vestris, accumbet & mea. Nunc quid aliud esset, quam muta persona? & illa suavius garrit mulier inter mulieres, & nos liberius philosophamur. Alioqui periculum sit, ne nobis accidat, quod

A accidit Socrati, cui quum essent convivæ Philosophi, quibus magis placerent hujusmodi fabulæ, quam cibus, & in longum proferretur disputatio, Xanthippe commota, mensam subvertit. Ti. Nihil minus a tua metuendum arbitror. Est enim mulier moribus placidissimis. Ev. Mihi certe talis, ut commutare non cupiam, etiamsi liceat: atque hoc nomine mihi vel præcipue videor fortunatus. Nec enim mihi placet eorum sententia, qui fortunatum putant, uxorem habuisse nunquam: magis arridet quod ait sapiens Hebræus, *ei bonam sortem obtigisse, cui obtigit uxor bona.* Ti. Sæpe nostro vitio malæ sunt uxores, vel quia tales deligimus, vel quia tales reddimus; vel quia non, ut oportet, formamus & instituimus. Ev. Vera prædicas: sed interim B exspecto tertiæ sententiæ enarrationem, & jam mihi dicturire videtur θεόπνευστος Theophilus. Th. Imo mihi animus erat in patinis; dicam tamen, quando licet impune. Ev. Etiam cum gratia licebit errare; vel sic præbebis occasionem inveniendi. Th. Mihi videtur eadem sententia, quam protulit Dominus apud Osee Prophetam cap. vi. *Misericordiam volui, & non sacrificium, & scientiam Dei plus quam holocausta.* Cujus vivus & efficax interpres est dominus Jesus in Euangelio Matthæi c. ix. Quum enim convivium agitaret in domo Levi, qui erat publicanus, isque multos sui ordinis, suique quæstus homines invitasset ad convivium, Pharisæi qui tumebant religione Legis, cum ea præcepta negligerent, unde tota Lex pendebat & Prophetæ; quo C discipulorum animos alienarent a Jesu, rogabant illos, cur Dominus admisceret se convivio peccatorum; a quorum consortio abstinebant Judæi, qui volebant haberi sanctiores, & si quando contigisset cum ejusmodi congredi, reversi domum, abluebant corpus. Quumque discipuli rudes adhuc non haberent quod responderent, Dominus & pro se & pro discipulis respondit: *Non est opus*, inquit, *medico valentibus, sed male habentibus.* Euntes autem discite, quid est, *Misericordiam volo, & non sacrificium. Non enim veni vocare justos, sed peccatores.* Ev. Pulchre tu quidem collatione locorum rem explicas, id quod in divinis literis præcipuum est: sed discere velim, quid appellet *sacrificium*, quid *misericordiam*. Nam qui consistit, ut aversetur sa- D crificia Deus, quæ sibi tot præceptis jusserat exhiberi? Th. Quomodo Deus aversetur sacrificia, docet ipse nos apud Esaiam cap. i. Sunt enim quædam præscripta Judæis in lege, quæ significant magis sanctimoniam, quam præstant: quod genus sunt, dies festi, sabbathismi, jejunia, sacrificia. Et sunt quæ semper præstanda sunt, quæ suapte natura bona sunt, non quia jussa. Judæos autem aversatur Deus, non quod observarent legis ritus, sed quod his stulte tumidi, negligerent ea quæ Deus maxime vult præstari a nobis: ac madentes avaritia, superbia, rapinis, odio, livore, cæterisque vitiis, existimabant Deum ipsis multum debere, quod diebus festis versarentur in templo, quod immolarent victimas, quod abstinerent a cibis vetitis, quod E illi nonnunquam jejunarent: umbras amplectebantur, rem negligebant. Quod autem ait, *Misericordiam volo, & non sacrificium*, opinor ex idiomate sermonis Hebræi dictum, pro eo quod erat, misericordiam volo potius quam sacrificium: quemadmodum illud interpretatur [1] Salomon, quum ait: *Facere misericordiam & judicium, magis placet Domino quam victima.* Porro, omne officium, quod impenditur sublevando proximo, Scriptura *misericordiam* vocat, & *eleemosynam*, quæ & ipsa nomen duxit a *miserendo*. Victimas appellari puto, quicquid pertinet ad cærimonias corporales, & aliquid habet affine cum Judaismo; quod genus sunt delectus ciborum, vestitus præscriptus, jejunium, sa- F crificium, preces veluti pensum absolutæ, quies diei festi. Hæc enim ut pro tempore non sunt omnino negligenda, ita Deo fiunt ingrata, si quis observationibus hujusmodi confisus, negligat misericordiam, quoties fratris necessitas exigit officium charitatis. Habet speciem sanctimoniæ etiam, colloquia vitare malorum. Sed hoc cessare debet, quoties aliud suadet caritas proximi. Obedientia est, quiescere diebus festis, sed impium sit, ob religionem diei, sinere fratrem perire. Itaque servare diem dominicum, victima est, ut ita loquar: reconciliari fratri, misericordia est. Porro judicium, quamquam potest ad potentes referri, qui frequenter vi opprimunt imbecilles, tamen mihi videtur non absurdum, si respondeat illi quod est apud Osee: *Et scientiam Dei plus quam holocausta.* Non servat legem, qui non servat juxta mentem Dei. Judæi sublevabant asinum in foveam collapsum sabbathis; & Christum calumniabantur, qui servaret totum hominem in sabbatho. Hic erat præposterum judicium, & aberat scientia Dei; nesciebant enim, quod ista propter hominem essent instituta, non homo [2] propter illa. Sed hæc impudenter dicere viderer, nisi vestro jussu dicerem. Malim ex aliis rectiora discere. Ev. Ista mihi videntur adeo dicta impudenter, ut existimem dominum Jesum loqui per organum oris tui. Sed interim dum largiter pascimus animos nostros, ne negligantur collegæ. Th. Quinam? Ev. Corpora nostra, nonne collegæ sunt animorum? Hoc enim malim, quam instrumenta, vel domicilia, vel sepulcra. Ti. Hoc nimirum est affatim refici, ubi totus homo reficitur. Ev. Video vos segniter attingere: quare, si videtur, jubebo proferri assa, ne pro lauto convivio longum præbeam. Videtis hujus prandioli summam. Armus est ovillus, sed exquisitus, capus, & perdices quatuor. Has solas a mercatu sumsi, reliqua suppeditat hoc prædiolum. Ti. Epicureum prandium video, ne dicam Sybariticum. Ev. Imo vix Carmeliticum. Sed quale quale est, boni consuletis. Animus certe purus est, si parum lautum est convivium. Ti. Adeo non est muta tua domus, ut non solum parietes, sed & cyathus loquatur aliquid. Ev. Quid tibi loquitur? Ti. *Nemo, nisi a seipso, læditur.* Ev. Cyathus patrocinatur vino. Nam vulgus febrim, aut capitis gravedinem e potu contractam, imputare solet vino, quum ipsi sibi malum accersierint, immodice bibendo. Soph. Meus Græce loquitur: [3] ἐν οἴνῳ ἀλήθεια. Ev. Admonet non esse tutum sacerdotibus aut Regum famulis, indulgere vino; quod vinum fere transferat in linguam, quicquid latebat in corde. Soph. Apud Ægyptios, olim nefas erat sacerdotibus bibere vinum, cum nondum illis mortales sua committerent arcana. Ev. Nunc licet quidem omnibus bibere vinum; an expediat nescio. Eulali, quid libelli profers e crumena? perquam elegans videtur; nam foris etiam totus aureus est. Eulalius. Sed idem intus plus quam gemmeus est. Sunt epistolæ Paulinæ, quas ut unicas delicias meas semper mecum circumfero: quas ideo profero, quod ex occasione sermonis tui, venit in mentem locus quidam, qui me nuper diu torsit, nec adhuc satis sibi facit animus. Is est in epistolæ prioris ad Corinthios cap. vi. *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. Omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestatem.* Primum, si Stoicis credimus, nihil est utile, quod non idem honestum. Quomodo igitur Paulus distinguit id quod licet, ab eo quod expedit? Certe scortari aut inebriari non licet, quomodo igitur licent omnia? Quod si Paulus de certo genere rerum loquitur, quarum omnium vult esse licentiam, non possum satis ex ipso loci tenore divinare, quodnam sit illud genus. Ex iis quæ mox huic loco subjiciuntur, conjicere licet eum loqui de ciborum delectu. Quidam enim abstinebant ab idolothytis, quidam a cibis per Mosen interdictis. Et de idolothytis agit cap. viii. Rursus cap. x. velut explicans hujus loci sententiam, ait: *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt: omnia mihi licent, sed non omnia ædificant. Nemo quod suum est quærat, sed quod alterius. Omne quod in macello venit, manducate.* Hoc quod hic subjicit Paulus, congruere videtur cum eo quod supra dixerat, *Esca ventri, & venter escis, & hunc & has destruet Deus.* Quod autem respexit hic etiam ad Judaicum ciborum delectum, indicat clausula cap. x. *Sine offensione estote Judæis & Gentibus & ecclesiæ Dei, sicut & ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant.* Nam quod ait, *Gentibus*, pertinere videtur ad idolothytum: quod ait, *Judæis*, referri videtur ad delectum ciborum: quod ait, *ecclesiæ Dei*, pertinet ad infirmos ex utraque gente collectos. Licebat igitur vesci quibuslibet cibis, & omnia munda mundis. Verum incidit casus, ut non expediat. Quod omnia licebant, libertatis erat Euangelicæ: sed caritas ubique spectat quid con-

1 *Salomon*] Prov. 21. idem loquendi modus 1 Sam. 15. 22. dixit Samuel: *an tam delectatur Jehova holocaustis, & sacrificiis, quam quum auditur vox Domini? Ecce obedire præstat sacrificiis, & auscultare præstat arietum adipi.* Sic & Jerem. 7. 22. Non prohibet quidem Deus sibi offerri victimas, eas enim præceperat; sed non solas.

2 *Propter illa*] Sabbathum, respondit Pharisæis Christus, propter hominem factum est; non homo propter sabbathum. Marc. 2. vers. 4.

3 *Ἐν οἴνῳ ἀλήθεια*] Id est, *in vino veritas.*

conducat ad salutem proximi, eoque frequenter abstinet & a licitis, malens obsecundare commodo proximi, quam sua uti libertate. Sed hic mihi geminus obstrepit scrupulus: primum, quod in sermonis contextu nihil præcedat aut sequatur, quod cum hoc sensu cohæreat. Nam objurgarat Corinthios, quod essent seditiosi, quod scortationibus, adulteriis, atque etiam incestis impuri, quod litigarent apud judices impios. Cum his qui cohæret, *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt?* Et in his quæ sequuntur, redit ad causam impudicitiæ, quam repetierat & ante, intermisso negotio litium. *Corpus autem*, inquit, *non fornicationi, sed Domino, & Dominus corpori.* Verum hunc quoque scrupulum possum utcumque discutere, quod paulo superius in catalogo vitiorum meminisset & idololatriæ: *Nolite errare; neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri.* Porro esus idolothytorum vergebat ad speciem idololatriæ. Et ideo mox subdit. *Esca ventri, & venter escis:* significans pro necessitate corporis, pro tempore licere vesci quibuslibet, nisi aliud suaserit caritas proximi: sed impudicitiam semper & ubique detestandam esse. Quod vescimur, necessitatis est, quæ tolletur in resurrectione mortuorum: Quod libidinamur, malitiæ est. Sed alterum scrupulum non queo dissolvere, quomodo ad hæc quadret illud, *Sed ego sub nullius redigar potestatem.* Ait enim, sibi potestatem esse omnium, se tamen in nullius potestate fore. Si is dicitur esse in potestate aliena, qui ne offendat, abstinet, idem capite nono de se prædicat: *Quum liber essem ab omnibus, omnium me servum feci, ut omnes lucrifacerem.* Hoc, opinor, offensus scrupulo, sanctus Ambrosius, putat hunc esse germanum Apostoli sensum, ut viam præstruat illi, quod ait cap. IX. sibi quoque potestatem esse faciendi, quod cæteri faciebant vel Apostoli, vel pseudapostoli, sumendi victum ab his, quibus prædicabat Euangelium. Sed ab hoc, tametsi licebat, temperabat, quod sic expediret Corinthiis, quos de tam multis & insignibus vitiis objurgabat. Porro quisquis accipit, fit quodam modo obnoxius ei a quo accipit, & aliquid decedit de vigore auctoritatis. Siquidem qui accipit, minus libere objurgat: & qui dedit, non perinde fert objurgari ab eo, cui benefecit. In hoc igitur Paulus abstinuit ab iis quæ licebant, ut consuleret Apostolicæ libertati, quam in hoc volebat nulli esse obnoxiam, ut liberius, ac majore cum auctoritate reprehenderet illorum vitia. Mihi sane non displicet Ambrosiana sententia. Attamen si quis mallet hunc locum ad cibos accommodare, mea sententia, quod ait Paulus, *Sed ego sub nullius redigar potestatem*, sic accipi posset: Tametsi nonnunquam abstineam a cibis immolatitiis, aut lege Mosaica vetitis, ut consulam saluti proximi ac profectui Euangelico; tamen animus meus liber est, qui scit sibi licere vesci cibis quibuslibet pro necessitate corpusculi. At pseudapostoli conabantur hoc persuadere, quosdam cibos per se impuros esse, nec abstinendum per occasionem, sed semper ab his temperandum, tanquam natura malis, nec aliter quam abstinemus ab homicidio, & adulterio. Hoc quibus erat persuasum, redacti erant sub alienam potestatem, & exciderant ab Euangelica libertate. Solus, quod quidem meminerim, Theophylactus sententiam inducit ab his omnibus diversam: *Licet vesci quibuslibet cibis, sed non expedit immodice. Nam ex luxu nascitur impudicitia.* Hic sensus, quamquam impius non est, tamen mihi non videtur hujus loci germanus esse. Ostendi quæ me torqueant: vestræ caritatis erit, me ex his scrupulis eximere. Ev. Næ tu probe tuo respondes nomini. Qui sic novit proponere quæstiones, non opus habet alio qui dissolvat. Sic enim proposuisti dubitationem tuam, ut ego dubitare desierim. Tametsi Paulus in ea epistola, quoniam multa simul decrevit agere, sæpe ab uno argumento in aliud devolvitur, & rursum quod intermiserat, repetit. Ch. Nisi vererer, ne vos mea loquacitate avocem a capiendo cibo, & si crederem fas esse tam sacris colloquiis admiscere quicquam ex profanis auctoribus, proponerem, & ipse quiddam, quod hodie legentem me non torsit, sed unice delectavit. Ev. Imo profanum dici non debet, quicquid pium est, & ad bonos mores conducens. Sacris quidem literis ubique prima debetur auctoritas, sed tamen ego nonnunquam offendo quædam vel dicta a veteribus, vel scripta ab ethnicis, etiam Poetis, tam caste, tam sancte, tam divinitus, ut mihi non possim persuadere, quin pectus illorum, cum illa scriberent, numen aliquod bonum agitaverit. Et fortasse latius se fundit spiritus Christi, quam nos interpretamur. Et multi sunt in consortio sanctorum, qui non sunt apud nos in catalogo. Fateor affectum meum apud amicos: non possum legere librum Ciceronis de Senectute, de Amicitia, de Officiis, de Tusculanis quæstionibus, quin aliquoties exosculer codicem, ac venerer sanctum illud pectus, afflatum cœlesti numine. Contra, cum hos quosdam recentiores lego de republica, œconomica, aut ethica præcipientes, Deum immortalem, quam frigent præ illis, imo quam non videntur sentire quod scribunt, ut ego citius patiar perire totum Scotum, cum aliquot sui similibus, quam libros unius Ciceronis, aut Plutarchi: non quod illos in totum damnem, sed quod ex his sentiam me reddi meliorem, cum ex illorum lectione surgam, nescio quomodo, frigidius affectus erga veram virtutem, sed irritatior ad contentionem. Quare ne verere, quicquid istuc est, proponere. Ch. Cum plerique libri M. Tullii, quos scripsit de Philosophia, divinitatis quiddam spirare videntur, tum ille quem senex scripsit de Senectute, plane mihi videtur 1 κύκνειον ᾆσμα, quemadmodum Græcis est in proverbio. Eum hodie relegi, atque hæc verba, quoniam præ cæteris arridebant, edidici: *Quod si quis Deus mihi largiatur, ut ex hac ætate repuerascam, & in cunis vagiam, valde recusem: nec vero velim quasi decurso spacio, a calce ad carceres revocari. Quid enim habet hæc vita commodi, quid non potius laboris? Sed non habeat sane: habet certe tamen aut satietatem, aut molestiam. Non libet enim mihi deplorare vitam, quod multi, & hi docti, sæpe fecerunt. Nec me vixisse pœnitet, quoniam ita vixi, ut frustra me natum non existimem. Et ex vita ista discedo, tanquam ex hospitio, non tanquam e domo. Commorandi enim natura diversorium nobis, non habitandi dedit. O præclarum illum diem, quum ad illud animorum concilium cœtumque proficiscar, & cum ex hac turba & colluvione discedam.* Hactenus Cato. Quid ab homine Christiano dici potuit sanctius? Utinam talia essent colloquia monachorum omnia, vel cum sacris virginibus, quale fuit illud ethnici senis colloquium cum ethnicis adolescentibus. Ev. Jam aliquis causabitur colloquium esse confictum a Cicerone. Ch. Isthuc mea non magni refert, sive hoc laudis tribuatur Catoni, qui talia senserit, dixeritque: sive Ciceroni, cujus animus sententias tam divinas cogitatione complexus sit, cujus calamus res egregias pari facundia depinxerit. Quamquam equidem arbitror, & Catonem, etiamsi non dixit eadem, tamen similia dicere solitum in colloquiis. Nec enim tam impudens erat M. Tullius, ut alium Catonem finxerit, quam fuerit: & in dialogo parum meminerit decori, quod in primis spectandum est in hoc scripti genere, 2 præsertim quum ejus viri memoria recens adhuc hæreret animis ejus ætatis hominum. Th. Vehementer probabile est quod narras: sed dicam quid mihi venerit in mentem, te recitante. Sæpenumero mecum admiratus sum, quum omnes optent longævitatem, & mortem exhorreant, tamen vix quenquam comperiri tam felicem, non dico senem, sed provectioris ætatis hominem; quin rogatus, an si detur, velit repuerascere, usurus per omnia iisdem bonis ac malis, quæ illi jam contigissent in vita, responderit idem quod Cato dicit; præsertim si recolat animo, quicquid annis retroactis seu triste, seu lætum obtigisset. Nam frequenter & suavium rerum recordatio, vel cum pudore vel cum conscientiæ molestia conjuncta est, ut animus ab his etiam recolendis non minus abhorreat, quam a tristibus. Id opinor nobis indicarunt sapientissimi Poetæ, qui scribunt, tum demum animas capi desiderio corporum relictorum, posteaquam ex amne Lethæo longa biberint oblivia. Ur. Est istuc profecto dignum admiratione, & mihi quoque compertum in nonnullis. Verum illud quam mihi blandiebatur; *Nec me vixisse pœnitet!* At quotusquisque Christianorum sic moderatur vitam suam, ut hujus senis vocem sibi possit usurpare? Vulgus homi-

1 Κύκνειον ᾆσμα] Id est, *Cygnea cantio.* Vide Chiliades. Senilem atque jam morti vicinam eloquentiam significat, quæ nonnullis singularis obvenit atque eximia. Vel convenit in eos, qui extrema senectute facundius scribunt.

2 Caveant adolescentes ne propterea putent significari Catonem illum Prætorium, æqualem *Ciceroni.* Vel sola inscriptio libri *Ciceronis* doceat agi de Catone Censorio. Quod non monerem, nisi hac in re, ut in aliis multis, errasset consarcinator notarum, quæ Variorum dicuntur. *Recens memoria* Catonis Censorii dicitur, ævo *Ciceronis*, inter cujus natales & mortem Catonis non intercesserat sæculum.

num existimat, se non frustra vixisse, si per fas nefasque congestas divitias relinquant morientes. At Cato ideo non putat se frustra natum, quod integrum & sanctum civem præstiterit reipublicæ, quod incorruptum magistratum, quod posteritati quoque virtutis & industriæ suæ monumenta reliquerit. Jam illo quid dici potuit divinius? *Discedo tanquam ex hospitio, non tanquam e domo.* Hospitio tantisper uti licet, donec hospes jubeat exire. E domo sua nullus facile pellitur. Et tamen hinc quoque sæpenumero propellit vel ruina, vel incendium, vel alius casus quispiam. Ut horum nihil accidat, tamen senio collabens ædificium, admonet esse demigrandum. NEPHALIUS. Non minus elegans est quod apud Platonem loquitur Socrates, *animam humanam in hoc corpore velut in præsidio positam esse, unde fas non sit discedere injussu Imperatoris, nec diutius in eo immorari, quam visum sit ei qui collocavit.* Illud significantius est in Platone, quod pro *domo* dixerit *præsidium*: siquidem in domo tantum commoramur, in præsidio destinati sumus functioni, quam nobis delegavit Imperator noster: non abludens a nostris literis, quæ vitam hominis nunc militiam, nunc certamen esse dicunt. UR. At mihi quidem oratio Catonis pulchre congruere videtur cum oratione Pauli, qui scribens Corinth. 2. cap. v. cœlestem mansionem, quam exspectamus post hanc vitam, οἰκίαν vocat, & οἰκητήριον, hoc est, domum, sive domicilium. Cæterum hoc corpusculum appellat *tabernaculum*, Græce σκῆνος. *Nam & qui sumus*, inquit, *in hoc tabernaculo, ingemiscimus gravati.* NEPH. Nec abludit a sermone Petri 2. I. *Justum autem*, inquit, *arbitror, quamdiu sum in hoc tabernaculo, suscitare vos in commonitione; certus quod velox est depositio tabernaculi mei.* Quid autem aliud clamat nobis Christus, Matth. XXIV. Marc. XIII. & Luc. XXI. quam ut sic vivamus ac vigilemus, tanquam illico morituri? sic incumbamus honestis rebus, tanquam semper victuri? Jam illud quum audimus, *O præclarum diem!* nonne videmur audire Paulum ipsum Philipp. 2. loquentem, *Cupio dissolvi, & esse cum Christo?* CH. Quam felices sunt, qui tali animo mortem exspectant! Sed in oratione Catonis, quamquam præclara est, tamen fiduciam aliquis taxare posset, ut ab arrogantia profectam, quam multum oportet abesse ab homine Christiano. Proinde mihi nihil unquam legisse videor apud Ethnicos, quod aptius quadret in hominem vere Christianum, quam quod Socrates paulo post bibiturus cicutam, dixit Critoni: *An opera*, inquit, *nostra sit probaturus Deus, nescio: certe sedulo conati sumus, ut illi placeremus. Est mihi tamen bona spes, quod ille conatus nostros sit boni consulturus.* Vir ille sic diffidit factis suis, ut tamen ob animi propensam voluntatem obtemperandi voluntati divinæ, bonam spem conceperit, fore, ut Deus pro sua bonitate, boni consulturus esset, quod studuisset bene vivere. NEPH. Profecto mirandus animus in eo qui Christum ac sacras literas non noverat. Proinde quum hujusmodi quædam lego de talibus viris, vix mihi tempero, quin dicam, *Sancte Socrates, ora pro nobis.* CH. At ipse mihi sæpenumero non tempero, quin bene ominer sanctæ animæ [1] Maronis & Flacci. NEPH. At ego quot vidi Christianos, quam frigide morientes! Quidam fidunt in his rebus, quibus non est fidendum: quidam ob conscientiam scelerum & scrupulos, quibus indocti quidam obstrepunt morituro, pene desperantes exhalant animam. CH. Nec mirum, eos sic mori, qui per omnem vitam tantum philosophati sunt in cærimoniis. NEPH. Quid isthuc verbi est? CH. Dicam, sed illud etiam atque etiam præfatus, me non damnare, imo vehementer probare sacramenta & ritus Ecclesiæ; sed quosdam vel improbos vel superstitiosos, vel, ut mollissime dicam, simplices & indoctos, qui docent populum hisce rebus fidere, prætermissis his quæ nos vere reddunt Christianos. NEPH. Nondum satis intelligo quorsum eas. CH. Faxo ut intelligas. Si vulgus Christianorum spectes, nonne prora & puppis vitæ illis in cærimoniis est? In baptismo quanta religione repræsentantur prisci ritus Ecclesiæ? Commoratur infans extra fores templi, peragitur exorcismus, peragitur catechismus, suscipiuntur vota, abjuratur Satanas cum pompis & voluptatibus suis; tandem ungitur, consignatur, salitur, tingitur; datur negocium susceptoribus, ut puerum curent instituendum. Illi dato nummo redimunt libertatem. Et jam puer Christianus dicitur, & est aliquo modo. Mox rursus ungitur, tandem discit confiteri, sumit Eucharistiam, consuescit quiescere diebus festis, audire sacrum, jejunare nonnunquam, abstinere a carnibus. Et hæc si servat, habetur absolute Christianus. Ducit uxorem, accedit aliud sacramentum: initiatur sacris, rursus ungitur & consecratur, mutatur vestis, dicuntur preces. Atque hæc quidem omnia, quod fiunt, probo: sed quod hæc fiunt magis ex consuetudine, quam ex animo, non probo: quod nihil aliud adhibetur ad Christianismum, vehementer improbo. Siquidem magna pars hominum dum his fidit, nihilo secius interim per fas nefasque congerit opes, servit iræ, servit libidini, servit livori, servit ambitioni: sic tandem venitur ad mortem. Hic rursus cærimoniæ paratæ. Adhibetur confessio semel atque iterum, additur unctio, datur Eucharistia, adsunt cerei sacri, adest crux, adest aqua sacra, adhibentur indulgentiæ; expromitur, aut illic etiam emitur morienti diploma Pontificis; ordinantur parentalia magnifice celebranda, fit rursus stipulatio solennis; adest qui clamet ad aurem morientis; imo nonnunquam occidit ante tempus, si contingat, ut sæpe fit, vocalior, aut bene potus. Hæc ut recte adhibentur, præsertim quæ nobis tradidit Ecclesiastica consuetudo, ita sunt alia quædam reconditiora, quæ nobis hoc præstant, ut cum alacritate spiritus, ut cum Christiana fiducia migremus hinc. EV. Pie tu quidem ista vereque concionaris, sed interim nullus admovet manum cibis. Caveat quisque ne se fallat. Ego prædixi, nihil exspectandum præter secundas mensas, easque rusticanas; ne quis sibi promittat Phasides aves, aut Attagenas, aut Attica bellaria. Hæc amoveto, puer; &, quod restat, apponito. Videtis non copiæ, sed inopiæ nostræ cornu. Hic est proventus hortulorum quos vidistis. Ne parcite, si quid arridet. TI. Tanta varietas est, ut vel ipso recreemur adspectu. EV. Atqui ne plane contemnatis frugalitatem meam, hæc patina exhilarasset Hilarionem monachum Euangelicum, comitatum vel centum monachis illius seculi. Paulo vero atque Antonio, vel menstruus commeatus esse potuisset. TI. Imo nec Petrus ille princeps Apostolorum fastidisset, opinor, cum apud Simonem coriarium diversaretur. EV. Imo nec Paulus opinor, cum coactus egestate, sutoriam nocturnis horis exerceret. TI. Debemus benignitati divinæ. Sed ego malim esurire cum Petro ac Paulo, modo quod deesset corporis alimoniæ, abundaret in delicias animi. EV. Imo discamus a Paulo, & abundare, & penuriam pati. Cum deerit, gratias agamus Jesu Christo, qui nobis suppeditet & frugalitatis & patientiæ materiam. Quum superarit, gratias agamus illius munificentiæ, qui nos sua liberalitate invitet ac provocet ad amorem sui: ac modice parceque fruentes iis, quæ largiter præbuit divina benignitas, pauperum memores simus, quibus Deus deesse voluit, quod nobis superest; ut utrisque per alteros sit occasio virtutis. Siquidem nobis largitur, unde subvenientes egestati fraternæ, misericordiam ipsius promereamur: & illi nostra liberalitate recreati, gratias agunt Deo pro bona mente nostra, nosque precibus suis illi commendant. Et recte venit in mentem. Heus, puer; dic uxori, ut ex assis, quæ superant, mittat Gudulæ nostræ. Est vicina quædam gravida, tenui fortuna, sed animo beatissima. Maritus nuper decessit, homo profusus & ignavus, qui nihil uxori reliquit, præter liberorum gregem. TI. Christus jussit dare omni petenti; id si facerem, intra mensem ipsi mihi mendicandum esset. EV. Opinor Christum sentire de his, qui petant necessaria. Nam qui petunt, imo qui flagitant, vel extorquent potius magnas summas, quibus exstruant cœnationes Lucullianas, aut, quod pejus est, quibus alant luxum ac libidinem suam, iis negare, quod petunt, eleemosyna est: imo rapina est largiri male usuris, quod debebatur præsenti necessitati proximorum. Unde mihi videntur vix excusari posse a peccato capitali, qui sumptibus immodicis aut exstruunt, aut ornant monasteria seu templa, quum interim tot viva Christi templa fame periclitentur, nuditate horreant, rerumque necessariarum inopia discrucientur. Quum essem apud Britannos, vidi tumbam divi Thomæ gemmis innumeris sum-

1 Eximiis, ut opinor, sententiis moralibus, quæ in utriusque Scriptis occurrunt, permotus bene ominatur hic *Erasmus*, de salute *Virgilii* & *Horatii*, sed, ne alia memorem, turpissimorum utriusque & versuum & amorum erat oblitus, nec recordabatur utrumque fuisse Epicureum; quorum hominum si *Sanctæ animæ* dicendæ sint, nescio quis non erit Sanctus.

A summique precii onustam, præter alia miracula divitiarum. Ego malim ista quæ superflua sunt, elargiri in usus pauperum, quam servare satrapis, aliquando semel omnia direpturis; ac tumbam ornare frondibus ac flosculis: id opinor gratius esset illi sanctissimo viro. Cum essem apud Insubres, vidi monasterium quoddam ordinis Cartusiani, non ita procul a Papia: in eo templum est, intus ac foris, ab imo usque ad summum, candido marmore constructum, & fere quicquid inest rerum, marmoreum est, velut altaria, columnæ, tumbæ. Quorsum autem attinebat tantum pecuniarum effundere, ut pauci monachi solitarii canerent in templo marmoreo, quibus ipsis templum hoc oneri est, non usui, quod frequenter infestentur ab hospitibus: qui non ob aliud eo se conferunt, nisi ut spectent templum illud
B marmoreum. Atque illic cognovi, quod stultius etiam est, illis legata in singulos annos tria millia ducatorum in structuram monasterii. Et sunt, qui putent esse nefas, eam pecuniam in pios usus avertere, præter mentem testatoris: maluntque demoliri, quod instaurent, quam non ædificare. Hæc quoniam insignia sunt, visum est commemorare: quanquam sunt passim in templis nostris exempla permulta similia. Hæc mihi videtur ambitio, non eleemosyna. Divites ambiunt sibi monumentum in templis, in quibus olim nec divis locus erat. Curant se sculpendos ac pingendos, additis etiam nominibus ac beneficii titulo: atque hisce rebus bonam templi partem occupant, olim opinor postulaturi, ut ipsorum cadavera in ipsis reponantur altaribus.
C Dicet aliquis; An horum munificentiam existimas rejiciendam? Nequaquam, si templo Dei dignum sit, quod offerunt. Sed ego si Sacerdos aut Episcopus essem, hortarer crassos illos aulicos, aut negociatores, ut, si vellent sua peccata redimere apud Deum, ista clanculum effunderent in subsidium eorum, qui vere pauperes sunt. Isti putant perire pecuniam, quæ sic frustulatim, & clanculum in præsentem egestatem tenuium sublevandam dissipatur, cujus nullum exstet apud posteros monumentum. Ego puto nullam melius collocari ea, quam ipse [1] Christus sibi vult imputari certissimus debitor. TI. An non putas recte collocari, quod datur monasteriis? EV. Et his darem nonnihil, si dives essem, sed darem ad necessitatem, non ad luxum: tum
D his, inter quos sentirem vigere studium veræ religionis. TI. Multi judicant non admodum belle collocari, quod datur istis mendicis publicis. EV. Et istis nonnihil dandum est aliquando, sed cum delectu. At mihi consultum videatur, si singulæ civitates suos alerent, nec ferrentur errones huc & illuc circumcursitantes, præsertim validi, quibus opus suppeditandum sentio potius, quam pecuniam. TI. Quibus igitur potissimum dandum censes, quantum, & quatenus? EV. Hoc mihi ad unguem describere difficillimum sit. Primum animum adesse oportet, qui cupiat omnibus subvenire. Deinde pro mea tenuitate, quod possum, impertio, quoties sese offert occasio: præsertim his, quorum & paupertas & integritas mihi nota est: hortor & alios ad benefi-
E centiam, si me defecerint facultates. TI. Sed permittisne nobis hic in tuo regno libere loqui? EV. Imo liberius quam si domi vestræ sitis. TI. Non probas in templis sumptus immodicos; & has ædes multo minoris ædificare poteras. EV. Equidem arbitror, has intra mundiciem consistere, aut, si mavis, elegantiam: certe absunt a luxu, ni fallor. Ædificant magnificentius, qui mendicato vivunt. Et tamen hi ipsi horti mei quales quales sunt, vectigal pendunt egenis: & quotidie sumptibus aliquid detraho, in me meosque frugalior, quo possim esse in pauperes munificentior. TI. Si istum animum obtinerent omnes, permulti melius haberent, quos nunc egestas gravat indignos & ex adverso multi minus essent obesi, digni quos egestas doceat sobrie-
F tatem ac modestiam. EV. Fortasse sic res habet. Sed vultisne ut hæc insipida bellaria, re quapiam suavi condiamus? TI. Plus satis est deliciarum. EV. At ego hinc depromam, quod ne saturi quidem fastidiatis. TI. Quid est? EV. Codex est Euangeliorum, ut, quod lautissimum habeo, vobis depromam in fine convivii. Recita, puer, ab eo loco, ubi proxime destitisti. PUER. [2] *Nemo potest duobus Dominis servire: aut enim unum odio habebit, & alterum diliget: aut unum sustinebit & alterum contemnet. Non potest*

1 *Christus sibi vult imputari*] Respicit auctor ad verba Christi, Matth. 25.

2 *Nemo potest*, &c.] Locus Matth. 6. vers. 24. 25.

is Deo servire & mammonæ. Ideo dico vobis, ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori quid induamini. Nonne anima plus est quam esca, & corpus plus quam vestimentum? EV. Redde codicem. In hoc loco mihi Jesus Christus videtur bis idem dixisse. Etenim pro eo quod prius dixit, *odio habebit*, mox ponit, *contemnet:* & pro eo quod prius posuerat, *diliget*, mox vertit, *sustinebit:* commutatis personis existit eadem sententia. TI. Non satis assequor quid velis. EV. Demonstremus igitur ratione mathematica, si videtur. In priore parte pro uno pone A, pro altero B: rursus in posteriore pro uno pone B, pro altero A, verso ordine. Aut enim A odio habebit, & B diliget: aut B sustinebit, & A contemnet. Nonne hic palam est, A bis odio haberi, & B bis diligi? TI. Perspicuum est. EV. Atqui hæc conjunctio, *aut*, præsertim repetita, habet emphasim sententiæ contrariæ, aut certe diversæ. Alioqui nonne absurde diceretur, *Aut Petrus me vincet, & ego cedam, aut ego cedam, & Petrus me vincet?* TI. Lepidum, ita me Deus amet, sophisma. EV. At tum demum mihi videbitur lepidum, si hoc ex vobis didicero. TH. Animus somniat ac parturit mihi nescio quid: si jubetis, quicquid est, proferam in medium, vos eritis vel oniropoli, vel obstetrices. EV. Quanquam vulgo mali ominis habetur, somniorum meminisse in convivio, & parum sit verecundum, coram tot viris, fœtum eniti: tamen nos istud somnium, sive mavis partum animi tui, libenter excipiemus. TH. Mihi videtur in hoc sermone res commutari potius, quam persona. Et hanc vocem, unum & unum, non referri ad A & B, sed utraque pars refertur ad utrumlibet, ut utrumcunque delegeris, ei jam opponatur, quod significatur per alterum. Quasi dicas: aut excludes A, & admittes B: aut A admittes, & excludes B. Hic videtis manente persona, rem esse translatam. Atque hoc ita dictum est de A, ut nihil referat, si idem enuncies de B, hoc pacto: aut B excludes, & admittes A; aut admittes B, & excludes A. EV. Sane argute tu quidem problema nobis explicuisti, neque quisquam mathematicus melius depinxisset in pulvere. SOPH. Illud me magis movet, quod prohibet esse sollicitos de crastino, quum Paulus ipse [3] laborarit manibus, victus parandi causa; atque idem acriter increpet ociosos, & ex alieno vivere gaudentes, admonens ut laborent, ac manibus operentur quod bonum est, ut sit unde tribuant aliquid necessitatem patienti. An non pii sanctique labores sunt, quibus maritus tenuis alit uxorem sibi carissimam, dulcesque liberos? TI. Ista quæstio, mea sententia, variis modis dissolvi potest. Primum, ut ad illa tempora potissimum pertineat: Apostolis ob Euangelii prædicationem late vagantibus, eximenda erat sollicitudo victus undecunque suppeditandi, quibus non vacabat opera manuaria cibum quærere, præsertim cum nullam artem scirent, præter piscationem. Nunc alia ratio temporum est, & ocium amplectimur omnes, laborem fugimus. Altera dissolvendi ratio est: Christus non interdixit industriam, sed sollicitudinem. Et sollicitudinem intellexit, juxta vulgarem hominum affectum, qui nulla de re magis anxii sunt, quam de parando victu, ut omnibus rebus omissis, hoc solum agant, huic uni curæ sint addicti. Id propemodum indicat ipse Dominus, cum negat *eundem duobus dominis servire posse. Servit* enim qui toto pectore addictus est. Præcipuam igitur curam vult esse Euangelii propagandi, non solam. Ait enim: *Primum quærite regnum Dei, & hæc adjicientur vobis.* Non dicit solum, *quærite*, sed, *primum quærite.* Cæterum in voce [4] *crastini*, puto hyperbolen esse, quum significet, in longinquum; qui mos est avaris hujus mundi, ut posteris etiam anxie parent & quærant. EV. Accipimus tuam interpretationem: sed quid sibi vult, quod ait, *Ne solliciti sitis animæ vestræ, quid edatis.* Corpus veste tegitur, at non edit anima. TI. *Animam*, ut opinor, hic *vitam* appellat. Ea periclitatur, si cibum subduxeris: non item,

3 *Laborarit manibus*] Verba Pauli exstant 2 Thess. 3. 8. 11. 12. *Neque gratis panem edimus acceptum a quoquam, sed cum labore & ærumna nocte dieque operantes, ne cui vestrum oneri essemus.* Et paulo post: *Audivimus quosdam ambulare inter vos inordinate, nihil agentes; sed inaniter satagentes. Iis autem qui sunt istiusmodi mandamus & precamur per dominum nostrum Jesum Christum, ut cum quiete operantes, suo pane vescantur.*

4 Vers. 34. ejusdem cap. VI. Matthæi. Ostenderunt Interpretes voce מחר *mahhar*, quæ solet verti αὔριον, *cras*, non diem tantum crastinum, sed quodvis tempus futurum significare. Vide præsertim *H. Grotium* ad Matth. VI. 11.

A i:em, si vestem detraxeris, quæ magis datur pudori, quam necessitati. Etsi quem affligit nuditas, non statim occidit: at inedia certissima mors est. Ev. Non satis video, quomodo cohæreat cum hac sententia, quod adjecit: *Nonne anima plus est quam esca? & corpus plus est quam vestimentum?* Nam si vita magni precii est, tanto magis advigilandum ne pereat. Ti. Hoc argumentum non adimit nobis sollicitudinem, sed auget. Ev. At non hoc sentit Christus, quod interpretaris; sed hoc argumento nobis addit fiduciam de Patre. Si Pater benignus gratis & de suo dedit id quod carius est; etiam adjiciet id quod vilius est. Qui dedit animam, non negabit alimoniam: qui dedit corpus, adjiciet alicunde vestem. Illius igitur benignitate freti, non est quod discru- B ciemur sollicitudine curaque rerum infimarum. Quid igitur superest, nisi ut utentes hoc mundo, tanquam non utamur, totam curam ac studium nostrum transferamus in amorem rerum cœlestium, atque rejecto mammona, imo toto Satana cum omnibus suis præstigiis, uni Domino, toto & alacri pectore serviamus, qui non destituet filios suos. Sed interim nullus attingit bellaria. His certe cum gaudio vesci licet, quæ non magna cura nobis domi proveniunt. Ti. Abunde satisfactum est corpusculo. Ev. Vellem equidem & animo. Ti. Atque uberius etiam animo. Ev. Hæc igitur tolle, puer; ac labrum appone. Lavemus, amici; ut si quid forte commissum est in hoc convivio, purgati, canamus hymnum Deo. Perficiam, si videtur, quod cœperam ex Chrysostomo. Ti. Rogamus. Ev. *Gloria tibi, domine;* C *gloria tibi, sancte; gloria tibi, rex; quoniam dedisti nobis escas, imple nos gaudio & lætitia in Spiritu sancto, ut inveniamur in conspectu tuo acceptabiles; nec pudefiamus, quando reddes unicuique secundum opera sua.* Puer. Amen. Ti. Profecto pius & elegans est hymnus. Ev. Hunc divus Chrysostomus non dedignatur etiam interpretari. Ti. Quonam loco? Ev. In Matthæum, homilia LVI. Ti. Non omittam quin hodie legam. Sed illud unum interim ex te cupio discere, cur ter optamus Christo gloriam, idque triplici cognomine, *domini, sancti*, & *regis*? Ev. Quoniam illi debetur omnis gloria. Sed nobis triplici nomine potissimum est glorificandus: Quod suo sacrosancto sanguine redemerit nos a tyrannide Diaboli, sibique asseruerit; unde & *dominum* illum vocamus. Deinde, quod non contentus gratis condonasse no- D bis omnia peccata, per spiritum suum contulit nobis & justitiam suam, ut sectemur ea quæ sunt sanctimoniæ. Atque ob id *sanctum* eum vocamus, quod sit sanctificator omnium. Postremo, quod ab eodem speramus præmium regni cœlestis, ubi ille jam sedet ad dexteram Dei Patris, & hinc nobis *rex* dicitur. Atque hanc totam felicitatem illius erga nos, gratuitæ bonitati debemus, quod pro domino, vel tyranno potius Diabolo, Dominum habemus Jesum Christum: pro immunditia & sordibus peccatorum, innocentiam ac sanctimoniam: pro gehenna, gaudia vitæ cœlestis. Ti. Pia profecto sententia. Ev. Quoniam nunc primum vos hic accepi E convivio, non dimittam vos absque xeniis, sed talibus, qualis fuit apparatus. Heus, puer; profer apophoreta nostra. Sive sortiri placet, sive sibi quisque malit deligere, minimum refert; ejusdem fere precii sunt omnia, hoc est, nullius. Non enim sunt sortes Heliogabali, ut huic obveniant equi centum, illi totidem muscæ. Sunt libelli quatuor, horologia duo, lucernula, & theca cum calamis Memphiticis. Hæc arbitror magis convenire vobis, quam opobalsamum, aut dentifricium, aut speculum, si vos novi satis. Ti. Adeo bella sunt omnia, ut nobis difficilis sit electio: ipse magis pro tuo arbitratu distribuito; sic gratius etiam erit quicquid obtigerit. Ev. Hic libellus in membranis habet pro- F verbia Salomonis: sapientiam docet, & auro pictus est, quod aurum habeat sapientiæ symbolum. Hoc dabitur cano nostro, ut, juxta doctrinam Euangelicam, habenti sapientiam detur sapientia, & exuberet. Ti. Certe curabitur ut minus egeam. Ev. Sophronio congruet horologium, huc ex extrema Dalmatia profectum, ut vel sic commendem munusculum meum. Novi enim, quam ille sit parcus temporis, quam nullam omnino portionem rei preciosissimæ sinat abire sine fructu. Soph. Imo pigrum admones diligentiæ. Ev. Hic libellus habet in membranis Euangelium secundum Matthæum; gemma tegi merebatur, nisi nullum esset illi scrinium aut theca carior, quam pectus hominis. Illic igitur recondito, Theophile, quo magis hoc sis, quod diceris. Th. Efficiam ne prorsus male collocasse videaris tuum munus. Ev. Hic sunt epistolæ Pauli, quas tu lubenter tecum circumfers, Eulali; qui Paulum semper habere soleas in ore: nec haberes in ore, nisi esset in pectore: posthac commodius erit etiam in manibus oculisque. Eul. Istuc non est dare munus, sed dare consilium. Porro bono consilio nullum est munus preciosius. Ev. Lucernula conveniet Chrysoglotto, anagnostæ insatiabili, &, ut M. Tullius inquit, librorum helluoni maximo. Ch. Bis habeo gratiam: primum pro munere non vulgariter eleganti: deinde, quod somniculosum admones vigilantiæ. Ev. Theca calamaria debetur Theodidacto, felicissime πολυγράφῳ: atque hos ego calamos felicissimos esse judico, quibus celebrabitur gloria Domini nostri Jesu Christi, tali præsertim artifice. Theodidact. Utinam & pectus suppeditare possis, quemadmodum suppeditas instrumenta. Ev. Hic codex habet aliquot Plutarchi libellos de moribus, sed selectos, & a quodam Græcæ literaturæ peritissimo non inscite descriptos; in quibus tantum reperio sanctimoniæ, ut mihi prodigio simile videatur, in pectus hominis ethnici, tam Euangelicas potuisse venire cogitationes. Hic dabitur Uranio juveni & φιλέλληνι. Superest horologium; id cedat nostro Nephalio, parcissimo temporis dispensatori. Neph. Habemus gratiam, non solum pro munusculis, verum etiam pro testimoniis. Nam isthuc non tam est distribuere xenia, quam elogia. Ev. Imo ego vobis habeo gratiam duplici nomine. Primum, quod nostram exilitatem boni consulitis. Deinde, quod eruditis juxta ac piis sermonibus refecistis animum meum. Ego vos quomodo acceptos dimittam, nescio; certe vos relinquam meliores ac doctior. Scio, vobis non esse cordi fistulas, aut moriones, ac multo minus aleam. Quare, si videtur, fallemus horulam spectandis reliquis regiæ meæ miraculis. Ti. Istuc eramus abs te flagitaturi. Ev. Apud bonæ fidei promissorem, non est opus flagitatore. Hanc aulam æstivam opinor vos jam satis contemplatos. Habet triplicem prospectum, &, quoquo versum deflectas oculos, occurrit viror hortorum gratissimus. Vitreis fenestris volubilibus, si videatur, licet excludere cœlum, si nebulis aut ventis sit incommodius: licet & densis valvis foris admotis, ac tenuibus intus, excludere solem, si quid offendat æstus. Hic quum prandeo, videor in horto prandere, non in domo. Nam & parietes virentes, suos habent inspersos flosculos; sunt & picturæ non invenustæ. Hic Christus supremam compotationem agitat cum electis discipulis. Hic natalitia celebrat Herodes [1] funesto convivio. Hic [2] Euangelicus ille dives epulatur splendide, mox descensurus ad inferos. Lazarus repellitur a foribus, mox excipiendus sinu Abrahæ. Ti. Hoc argumentum non satis agnoscimus. Ev. Cleopatra est cum Antonio luxu decertans: jam unionem ebibit, alteri manum admovit detractura. Hic pugnant Lapithæ. Hic Alexander Magnus hasta transverberat Clitum. Hæc exempla nos admonent sobrietatis in convivio, & a crapula luxuque deterrent. Nunc adeamus bibliothecam, non illam quidem multis instructam libris, sed exquisitis. Ti. Locus hic plane divinitatem quandam præ se fert, adeo nitent omnia. Ev. Hic videtis præcipuam partem opum mearum. Nam in mensa nihil vidistis nisi vitreum ac stanneum; nec est in tota domo vas ullum argenteum, præter unum poculum inauratum, quod ob amorem ejus, qui dono dedit, religiose servo. Hæc sphæra pensilis totum orbem ponit ob oculos. Hic in parietibus singulæ regiones fusiore spacio depictæ sunt. In reliquis parietibus videtis insignium auctorum imagines; nam omneis depingere fuerat infinitum. Christus primum habet locum, porrecta manu sedens in monte. Capiti [3] imminet Pater, dicens: *Ipsum audite.* Spiritus sanctus expansis alis multa luce complectitur illum. Ti. Opus, ita me Deus bene amet, Apelle dignum. Ev. Adjunctum est bibliothecæ musæion quoddam angustum, sed elegans; quod submota tabula ostendit foculum, si quid offenderit frigus. In æstate videtur solidus paries. Ti. Hic mihi gemmea videntur omnia. Est & mira odoris gratia. Ev. Hoc mihi præcipue studio est, ut niteat domus, & bene oleat. Utraque res minimo constat. Ha-

1 Matth. XIV, 6.
2 Luc. XVI, 1.
3 Matth. XVII, 5.

Habet bibliotheca suum ambulacrum pensile, spectans in hortum, & huic adhæret sacellum. Ti. Locus numine dignus. Ev. Nunc adeamus illa tria ambulacra, quæ imminent iis quæ vidistis ad hortum domesticum spectantia. In his superioribus utroque prospectus est, sed per fenestras, quæ possunt occludi, præsertim in his parietibus qui non spectant hortum interiorem, quo domus sit tutior. Hic ad lævam, quia plus est lucis, & paries raris fenestris interruptus, ordine depicta est tota vita Jesu, ex narratione quatuor Euangelistarum, usque ad missum Spiritum sanctum, & primam prædicationem Apostolorum ex Actis. Additæ sunt & locis notæ, ut agnoscat spectator, juxta quod stagnum, aut in quo monte res gesta sit. Additi sunt tituli, paucis verbis subnotantes totum argumentum: velut illud quod dicitur a Jesu, *Volo, mundare*. Ex adverso respondent figuræ & vaticinia Veteris Testamenti, præsertim e Prophetis & Psalmis, qui nihil aliud habent, quam Christi vitam, & Apostolorum, aliter narratam. Hic nonnunquam obambulo mecum fabulans, & animo contemplans illud ineffabile consilium Dei, quo per Filium suum restituere voluit genus humanum. Nonnunquam adest uxor comes, aut amicus quispiam, qui rebus piis delectetur. Ti. In hac domo cui posset obrepere tædium? Ev. Nulli qui didicerit secum vivere. In summa ora picturæ, velut extra ordinem, addita sunt capita Pontificum Romanorum cum suis titulis. Ex adverso capita Cæsarum, ob memoriam historiæ. In utroque cornu prominet pensile cubiculum, ubi liceat interquiescere, & unde spectare liceat pomarium, & aviculas nostras. Hic in extremo angulo prati, videtis aliud ædificiolum, ubi cœnamus nonnunquam æstivis mensibus, & ubi curatur, si quem forte e familiaribus corripuerit morbus, ob contagium formidabilis. Ti. Quidam negant hujusmodi morbos esse vitandos. Ev. Cur ergo vitant foveam, aut venenum? An hoc minus timent, quia non vident? Nec basilisci venenum videtur, quod afflat oculis. Ubi res poscat, non dubitem pro necessariis venire in vitæ discrimen. Sine causa subire vitæ periculum, temeritas est: alios in vitæ periculum adducere, crudelitas. Sunt & alia quædam non injucunda spectatu: ea mandabo uxori, ut ostendat. Manete hic vel totum triduum, & hanc domum putate esse vestram. Pascite oculos, pascite animos. Nam me negocia quædam alio vocant. Est equitandum in pagos aliquot vicinos. Ti. Ob rem pecuniariam? Ev. Ego tales amicos non relinquerem pecuniæ gratia. Ti. Fortassis venatio parata est alicubi. Ev. Plane venatio est: sed aliud venor quam apros aut cervos. Ti. Quid igitur? Ev. Dicam. In uno pago decumbit amicus quidam non sine periculo vitæ. Nam corpori metuit medicus, ego magis metuo animæ illius. Siquidem mihi videtur parum recte compositus ad emigrandum, sicut dignum est Christiano: huic adero meis hortatibus, ut sive moriatur, sive revalescat, bono ipsius fiat. In altero dissidium acre natum est inter duos, non malos quidem illos, sed tamen pervicacis ingenii viros. Quod si exasperetur, vereor ne plures secum trahat in consortium simultatis. Adnitar totis viribus ut hos redigam in gratiam. Nam utrique sum veteri necessitudine junctus. Hæc sunt quæ venor. Quod si venatio successerit ex animi sententia, simul hic celebrabimus ἐπινίκια. Ti. Pia venatio. Precamur, ut tibi 1 pro Delia, Christus adspiret. Ev. Hanc prædam ego malim, quam obvenire mihi hæreditate bis mille ducatos. Ti. Mox rediturus? Ev. Non nisi tentatis omnibus: quare certum tempus non possum præscribere. Vos interim meis perinde ac vestris fruamini, & valete. Ti. Dominus Jesus te feliciter deducat, ac reducat.

De incomparabili heroe Johanne Reuchlino in divorum numerum relato.

POMPILIUS, BRASSICANUS.

Po. Unde nobis petasatus? Br. E Tubinga. Po. Nihilne istic rei novæ? Br. Equidem demiror usque adeo mortales omnes teneri siti quadam rerum novarum. At ego Lovanii 2 Camelum quendam audivi concionantem, fugiendum quidquid esset novum. Po. Vocem Camelo dignam. Dignus erat homo, si tamen homo fuit, qui nunquam mutet veteres calceos, aut putre subligar, semper vescatur putribus ovis, nec aliud bibat quam vappam. Br. At idem, ne sis inscius, non usque adeo delectatur rebus veteribus, ut malit jus pridianum quam recens. Po. Sed omisso Camelo, dic si quid adfers novi. Br. Adfero quidem, sed, ut ille ajebat, malum. Po. Atqui istuc ipsum olim erit vetus. Ita fieri necesse est, ut si omnia vetera sint bona, omnia nova mala, quæcunque nunc bona sunt, fuerint olim mala; & quæ nunc sunt mala, sint olim futura bona. Br. Ita videtur juxta decretum Cameli. Immo consequitur, ut qui olim adolescens fuit malus fatuus, quia recens; idem nunc sit bonus fatuus, quia senuit. Po. Sed age prome quidquid est. Br. Egregius ille trilinguis eruditionis phœnix Joannes 3 Reuchlinus vita defunctus est. Po. Rem certam narras? Br. Certiorem quam vellem. Po. Sed quid istuc mali, relicta posteris honestissimi nominis immortali memoria, ab hujus vitæ malis demigrare in consortium beatorum? Br. Quis istuc tibi indicavit? Po. Res ipsa. Nec enim potest aliter mori, qui sic vixit. Br. At magis etiam isthuc diceres, si scias, quod ego. Po. Quidnam, obsecro? Br. Non est fas referre. Po. Quam ob rem? Br. Quia qui credidit, stipulatus est arcani silentium. Po. Eadem lege committe & mihi: recipio tibi silentium optima fide. Br. Quamquam ista fides me jam sæpenumero fefellit; tamen age, committam: præsertim cum res sit ejus generis, ut expediat etiam esse notam bonis omnibus. Est Tubingæ quidam instituti Franciscani, vir omnibus habitus eximiæ sanctimoniæ, præterquam ipsi. Po. Magnum dicis argumentum veræ sanctimoniæ. Br. Agnosceres hominem, & fatereris verum, si nomen ederem. Po. Quid, si divinem? Br. Licet. Po. Admove aurem. Br. Quid opus, cum simus soli? Po. Ita mos est. Br. Is ipse est. Po. Est homo certissimæ fidei Mihi Sibyllæ folium erit quidquid ille dixerit. Br. Audi igitur totum dialogum bona fide. Ægrotabat noster Reuchlinus, satis quidem periculose, sed ita ut bona spes esset fore, ut revalesceret; vir dignus qui nunquam senesceret, ægrotaret aut moreretur. Mane visebam meum Franciscanum, ut animi mei molestiam oratione sua leniret. Nam ægrotabam una cum ægrotante amico, quem amabam ut patrem. Po. Phy! quis illum usquam non amavit, nisi vir pessimus? Br. Hic Franciscanus meus, Brassicane, inquit, emove penitus ex animo mœrorem omnem: Reuchlinus noster desiit ægrotare. Quid? inquam, an subito revaluit? nam ante biduum non admodum læta promittebant medici. Tum ille, Revaluit, inquit, sed ita, ut posthac non sit illi formidanda valetudo adversa. Noli flere, (nam videbat erumpentes lacrymas,) prius quam audias rem omnem. Sex dies sunt, quod hominem non inviseram, sed tamen quotidianis precibus illius salutem Domino commendabam. Hodierna nocte cum me a matutinis hymnis in strato composuissem, blandus quidam minimeque gravis somnus obrepsit. Po. Nescio quid læti mihi præsagit animus. Br. Non est tibi læva mens. Visus sum mihi, inquit, consistere ad ponticulum quendam, per quem transitus erat in pratum quoddam longe amœnissimum. Adeo blandiebatur oculis graminum & frondium plus quam smaragdinus viror, sic arridebant incredibili colorum varietate flosculorum stellulæ; sic spirabant omnia, ut quod erat pratorum citra rivum, quo dirimebatur felicissimus ille campus, nec vivere, nec virere videretur, sed mortua, inamœna, putidaque omnia. Atque interim dum totus sum in eo spectaculo, commodum præterierat Reuchlinus; præteriens Hebraice precatus est pacem. Jam medium pontis transierat prius quam sentirem: parantem accurrere, respiciens vetuit. *Nondum fas*, inquit. *Quinto abhinc anno nos sequeris. Interim eorum quæ aguntur, testis ac spectator assistito.* Heic ego: Nudus erat, inquam, Reuchlinus, an vestitus? solus, an comitatus? Vestium, inquit, nihil habebat, præter unam candidissimam: Damascenam esse dixisses, candore mire lucido: pone sequebatur puer incredibili specie, alatus: suspicabar, illius esse genium bonum. Po. Sed nullusne comitabatur genius malus? Br. Imo aliquot, ut Franciscanus ille arbitrabatur. Procul, inquit, a tergo sequebantur aves aliquot pennis cætera nigris, nisi quod explicatu alarum gilvas verius, quam candidas plumas ostenderent. Picæ, inquit, videri poterant colore & vo-

1 *Pro Delia*] Respicit ad adagium *Delia annuente* vel *irata venari*. Diana vero cognominata *Delia* a patria, Delo, ubi Latona mater eam pepererat.

2 *Camelum*] Camelum dixit detracta litera *pro* Carmelita.

3 *Reuchlinus*] Est hic Joannes Reuchlinus, teste Gualterio, discipulus Joannis a Lapide, Professor Tubingensis, domo Phorcensis, vixit circa annum 1500.

voce, nisi quod singulæ sedecim picas æquarent magnitudine corporis, nihilo minores vulturibus, cristam gestantes vertice, rostris & unguibus aduncis, ventre prominente. Harpyiæ videri poterant, si tres modo fuissent. Po. Quid moliebantur istæ furiæ? Br. Procul, inquit, obstrepebant heroi Reuchlino, & impetituræ videbantur, si licuisset. Po. Qui minus licuit? Br. Quia versus Reuchlinus, objecta manu crucis imaginem exprimens, Abite, inquit, quo dignum est, malæ pestes. Satis sit vobis negotium facessere mortalibus: in me jam, immortalibus adscriptum, nihil habet juris vestra dementia. Vix ea dixerat, inquit Franciscanus, mox aberant fœdissimæ volucres, sed relicto fœtore, ad quem collatum oletum videri posset samsucinum, aut foliatum. Dejerabat se citius vel ad inferos descensurum, quam sustineret iterum afflari tali thymiamate. Po. Male sit illis pestibus. Br. Sed audi cætera quæ narravit mihi Franciscanus. Dum hæc intentus contemplor, inquit, jam ponti vicinus erat divus Hieronymus, qui Reuchlinum hisce verbis compellabat: *Salve, collega sanctissime. Datum est hoc mihi negotium, ut te exceptum deducam in consortium cœlitum, quod tuis sanctissimis laboribus destinavit divina benignitas.* Simulque vestem protulit, qua Reuchlinum induit. Tum ego, Dic, inquam, mihi, quo cultu, quave specie videbatur Hieronymus? Eratne tam senilis, quam illum pingunt? aut cucullam habebat, [1] aut galerum, ac pallium cardinalitium, aut leonem comitem? Ad hæc ille: Nihil, inquit, istiusmodi. Species erat amœna, quæ sic ætatem testabatur, ut nihil haberet squaloris, dignitatis plurimum. Quorsum autem illic opus erat comite leone, quem illi pictores adjunxerunt? vestem gerebat ad talos usque demissam; crystallum diceres pellucidum. Ejusdem erat formæ, quam Reuchlino tradidit. Tota undique picta erat linguis triplici colorum varietate. Quædam pyropon præ se ferebant, nonnullæ smaragdum, tertiæ sapphirum. Pellucebant omnia, nec mediocrem gratiam addebat ordo. Po. Conjicio id fuisse insigne trium linguarum, quas calluerunt. Br. Non est dubium. Nam & fimbriæ, ut ajebat, trium linguarum literis, triplici colore distinctis, visebantur inscriptæ. Po. Num incomitatus aderat Hieronymus? Br. Incomitatus, inquis? Totus ille campus obsidebatur myriadibus Geniorum, nec aliter oppleverant aerem totum, quam videmus in solis radiis, volitare minuta corpuscula, quæ vocant ἄτομα, si tamen a re tam humili huc ducenda est comparatio. Neque cœlum videre licuisset, neque campum, nisi pellucerent omnia. Po. Euge, Reuchlino gratulor. Quid deinde factum est? Br. Hieronymus, inquit, honoris gratia complexus dextrum Reuchlinum, deduxit in medium pratum. Ibi collis erat in medio prominens. In hujus vertice uterque alterum blando osculo complexus est. Atque interea vasto hiatu cœlum superne diduxit sese, majestatem quandam inenarrabilem exhibens, sic ut ad eam speciem, cætera pene sorderent, quæ tamen antea videbantur esse mirifica. Po. Non possis aliquam imaginem nobis depingere? Br. Qui possim ego, qui non vidi? Is qui vidit, negavit se ullis vocibus vel somnium rei posse depingere: tantum hoc ajebat, se vel millies mori paratum, si liceat iterum eo spectaculo, quamlibet exiguo momento frui. Po. Quid tandem? Br. Ex hiatu cœli demissa est ingens columna igne pellucido, sed amœno: per eam in complexu duæ sanctissimæ animæ subvectæ sunt in cœlum, choris angelicis tanta melodia delinientibus omnia, ut Franciscanus neget, se unquam ejus voluptatis meminisse posse, quin erumpant lacrymæ. Secuta est mira fragrantia. Ubi somnus reliquit hominem, si tamen ille somnus dicendus est, erat dementi similis; non credebat, sese esse in cellula sua; requirebat pontem ac pratum suum; nec aliud loqui, nec aliud cogitare poterat. Seniores ejus collegii, ubi senserunt rem non esse fabulosam, (nam compertum est eadem hora terris excessisse Reuchlinum, qua visio viro illi sanctissimo apparuit;) concordibus animis egerunt gratias Deo, qui benefacta piorum præmiis amplissimis remuneratur. Po. Quid igitur superest, nisi ut sanctissimi viri nomen adscribamus calendario sanctorum? Br. Id ego facturus eram, etiam si nihil tale vidisset Franciscanus, & quidem aureis literis, proxime divum Hieronymum. Po. Emoriar, nisi idem facturus sum in codice meo. Br. Quin & in meo larario stabit aureus inter divos selectos. Po. Stabit & in meo vel gemmeus, si suppetat animo facultas. Br. Ponetur & in bibliotheca, Hieronymo proximus. Po. Addetur & meæ. Br. Imo si grati volent esse, idem facient omnes, qui colunt & amant linguas ac bonas literas, præsertim sacras. Po. Dignus est videlicet. Sed nihil te movet ille scrupulus, quod nondum relatus est in numerum divorum, auctoritate Romani Pontificis? Br. Quis canonizavit (sic enim vocant) divum Hieronymum? quis Paulum? quis Virginem matrem? Utrorum memoria sanctior apud pios omnes? horum quos insignis pietas, quos ingenii, vitæque monumenta commendant affectibus omnium; an Catharinæ Senensis, quam in divarum numerum retulisse fertur Pius, ejus nominis secundus, in gratiam ordinis & urbis? Po. Vera prædicas. Ille demum verus cultus est, qui sponte cœlo dignis meritis defunctorum exhibetur, quorum beneficia perpetuo sentiuntur. Br. Quid igitur? Putas tu hujus viri mortem deplorandam? Diu vixit, si quid ea res facit ad felicitatem hominis. Reliquit nunquam intermoritura virtutis suæ monumenta. Benefactis consecravit nomen suum immortalitati. Nunc exemptus malis, cœlo fruitur, & cum Hieronymo confabulatur. Po. At multa passus est in vita. Br. Sed plura passus est divus Hieronymus. Felicitas est, ob bona pati a malis. Po. Fateor certe; ob optima a pessimis multa perpessus est Hieronymus. Br. Quod olim fecit Satanas per Scribas & Pharisæos in Dominum Jesum, hoc & nunc facit per Pharisaicos quosdam in optimos quosque viros, ac de genere mortalium suis vigiliis bene merentes. Nunc ille metit optimam messem pro semente, quam fecit. Interim nostræ partes erunt, illius memoriam habere sacrosanctam; illius nomen ferre laudibus; ac subinde illum salutare verbis hujusmodi: *O sancta anima, sis felix linguis, sis felix linguarum cultoribus, faveto linguis sanctis, perdito malas linguas, infectas veneno gehennæ.* Po. Ita faciam, ac sedulo prædicabo cæteris, ut idem faciant. At non dubito, multos futuros, qui precatiunculam aliquam desiderent, quandoquidem hoc receptum, qua sanctissimi herois memoriam celebrent. Br. Hoc dicis, quod isti *Collectam* appellant? Po. Scilicet. Br. Hanc paraveram & ante mortem. Po. Recita, quæso. Br. *Amator humani generis Deus, qui donum linguarum, quo quondam Apostolos tuos ad Euangelii prædicationem per Spiritum tuum Sanctum cœlitus instruxeras, per electum famulum tuum Joannem Reuchlinum mundo renovasti: da, ut omnibus linguis, omnes ubique prædicent gloriam Filii tui Jesu, ut confundas linguas pseudoapostolorum, qui conjurati substruunt impiam turrim Babel, tuam gloriam obscurare conantes, dum suam student attollere: cum uni tibi debeatur omnis gloria, cum Jesu Filio tuo unigenito, Domino nostro, & Spiritu Sancto, in æterna sæcula, Amen.* Po. Elegans profecto & pia precatio: dispeream nisi mihi quotidie dicetur. Et hunc occursum mihi felicem duco, qui rem tam lætam ex te didicerim. Br. Isto gaudio diu fruere, ac vale. Po. Vale tu quoque. Br. [2] Valebo, sed non coquus.

Proci & Puella.

PAMPHILUS, MARIA.

Pa. Salve crudelis, salve ferrea, salve adamantina. Ma. Salve tandem & tu Pamphile, quoties & quantum voles, & quocunque libet nomine. Sed interim mihi videris oblitus nominis mei; Maria vocor. Pa. At Martiam dici oportuit. Ma. Quid ita, quæso? Quid mihi cum Marte. Pa. Quia quemadmodum illi Deo pro ludo est, homines interficere; ita & tibi: nisi quod tu Marte crudelior, occi-

1 Imperiti, nimirum, non ita multum ante *Erasmi* ætatem, ex putidis fabulis, existimabant *Hieronymum* fuisse Romanæ Ecclesiæ Cardinalem; quod commentum non semel risit *Erasmus*, in scholiis ad *Hieronymi* Opera.

2 *Valebo, sed non coquus*] Quum candidatus quidam, qui coci filius habebatur, coram Cicerone ab alio quopiam suffragium peteret, Cicero cavillans, *Ego quoque*, inquit, *tibi favebo*. Jocus autem est in dictione ambigua *quoque* & *coce*: quod ad pronunciationem attinet. Unde liquet olim alium fuisse sonum harum literarum q & c quam nunc est. Quod si fuisset diversus, non erat jocus ex voce plura significante. Nunc litera c aliud sonat præcedens a, o, u, quam e, i, y, quod idem fit in Græcis, quum ejus varietatis nulli vetusti grammatici meminerint, quod equidem sciam. Et Fabius in primo libro disputat, q & k, redundare; non redundarent autem, si quid aliud sonarent quam c, nisi quod c apponitur respiratio, quam rejiciunt q & k. Ceterum u adjunctum q, evanescit; alioqui cotidie & quotidie non solum differrent scriptura, verum etiam sono, quod secus esse, licet ex Fabii verbis colligere cap. de orthographia. Porro jocus Ciceronis ad quem hic alluditur, refertur apud *Quintilianum* libro sexto, capite De risu.

occidis etiam amantem. Ma. Bona verba. Ubinam strages ista mortalium, quos ego occidi? Ubi sanguis interfectorum? Pa. Unum cadaver vides exanime, si modo me vides. Ma. Quid ego audio? Mortuus loqueris, & obambulas? utinam mihi nunquam occurrant umbræ formidabiliores! Pa. Ludis tu quidem; tamen interim miserum exanimas, & crudelius occidis, quam si confoderes telo. Nunc longo cruciatu excarnificor miser. Ma. Eho, dic, quot gravidæ ad tuum occursum abortierunt? Pa. Atqui pallor arguit exsanguem magis, quam ulla sit umbra. Ma. Atqui iste pallor tinctus est viola. Sic palles ut cerasum maturescens, aut uva purpurascens. Pa. Satis procaciter rides miserum. Ma. Atqui si mihi non credis, admove speculum. Pa. Non optarim aliud speculum; nec arbitror esse clarius ullum, quam in quo me nunc contemplor. Ma. Quod speculum mihi narras? Pa. Oculos tuos. Ma. Argutor, ut semper tui similis es! Sed unde doces esse exanimem te? An cibum capiunt umbræ? Pa. Capiunt, sed insipidum, qualem ego. Ma. Quibus igitur vescuntur? Pa. Malvis, porris, & lupinis. Ma. Atqui tu non abstines a capis & perdicibus. Pa. Verum; sed interim nihilo plus sapiunt palato meo, quam si malvis vescerer, aut betis absque pipere, vino & aceto. Ma. O te miserum! & tamen interim obesulus es. An & loquuntur exanimes? Pa. Sic ut ego, voce perquam exili. Ma. Atqui nuper cum audirem te conviciantem rivali tuo, vox non erat admodum exilis. Sed obsecro te, num etiam ambulant umbræ? num vestiuntur? num dormiunt? Pa. Etiam coeunt, sed suo more. Ma. Næ tu suavis nugator es. Pa. Sed quid dices, si argumentis Achilleis evincam, & me esse mortuum, & te esse homicidam? Ma. Absit omen, Pamphile, sed aggredere sophisma. Pa. Primum illud mihi donabis, opinor, mortem nihil aliud esse, quam abductionem animæ a corpore. Ma. Largior. Pa. Sed ita, ut ne reposcas, quod dederis. Ma. Non fiet. Pa. Tum haud inficiaberis, eum qui alteri adimit animam, homicidam esse. Ma. Accedo. Pa. Concedes & illud, quod a gravissimis auctoribus dictum, tot seculorum suffragiis comprobatum est, animam hominis non illic esse ubi animat, sed ubi amat. Ma. Istuc explana crassius; non enim satis assequor quid velis. Pa. Et hoc sum infelicior, quod istuc non æque sentis atque ego. Ma. Fac ut sentiam. Pa. Eadem opera fac ut sentiat adamas. Ma. Equidem puella sum, non lapis. Pa. Verum; sed adamante durior. Ma. Sed perge colligere. Pa. Qui corripiuntur afflatu divino, nec audiunt, nec vident, nec olfaciunt, nec sentiunt, etiamsi occidas. Ma. Audivi sane. Pa. Quid conjectas esse in caussa? Ma. Dic tu, Philosophe. Pa. Nimirum, quoniam animus est in cœlis, ubi habet quod vehementer amat, & abest a corpore. Ma. Quid tum postea? Pa. Quid tum, dura? Illud consequitur, & me esse mortuum, & te esse homicidam. Ma. Ubi est igitur anima tua? Pa. Illic ubi amat. Ma. Quis autem ademit tibi animam? Quid suspiras? Dic libere; dices impune! Pa. Crudelissima quædam puella, quam ego tamen, ne mortuus quidem odisse possum. Ma. Humanum ingenium. Sed cur illi vicissim non adimis suam animam, par pari, quod ajunt, referens? Pa. Nihil me felicius, siquidem liceat facere permutationem, sic ut illius animus vicissim demigret in pectus meum, quemadmodum meus animus totus demigravit in corpus illius. Ma. At licetne mihi tecum vicissim sophistam agere? Pa. Sophistriam. Ma. Num fieri potest, ut idem corpus sit animatum, & exanime? Pa. Non eodem quidem tempore. Ma. Cum abest anima, tum mortuum est corpus? Pa. Est. Ma. Nec animat nisi cum adest? Pa. Esto sane. Ma. Qui fit igitur, ut cum ibi sit ubi amat, animet tamen corpus unde demigravit? Quod si animat, etiam cum amat alibi, quomodo vocatur exanime corpus, quod animatum est? Pa. Argutare tu quidem satis sophistice; sed me talibus pedicis non capies. Anima quæ moderatur utcumque corpus animantis, improprie dicitur anima, cum revera sint tenues quædam animæ reliquiæ, non aliter quam odor rosarum manet in manu, etiam rosa submota. Ma. Difficile est, ut video, vulpem capere laqueo. Sed illud responde; Nonne agit, qui occidit? Pa. Maxime. Ma. Et patitur qui occiditur? Pa. Scilicet. Ma. Qui fit igitur, ut cum qui amat, agat; quæ amatur, patiatur; occidere dicatur, quæ amatur, cum amans potius occidat seipsum? Pa. Imo contra;

A qui amat, patitur: quæ amatur, agit. Ma. Istuc nunquam evinces apud Areopagitas Grammaticos. Pa. At evincam apud Amphictyones Dialecticos. Ma. Verum ne graveris & illud respondere. Volens amas, an nolens? Pa. Volens. Ma. Cum igitur liberum sit non amare, videtur homicida sui, quisquis amat; præterque jus accusat puellam. Pa. Atqui puella non ideo occidit, quod amatur, sed quod non amat mutuum. Occidit autem quisquis servare potest, nec servat. Ma. Quid si juvenis amet inconcessa, hoc est, uxorem alienam, aut virginem Vestalem, num illa amabit mutuum, ut servet amantem? Pa. Sed hic juvenis amat, quod amare fas piumque est, atque etiam æquum & bonum, & tamen occiditur. Quod si leve est homicidii crimen, & veneficii ream peragam. Ma. Istuc prohibeant superi. An B Circen quampiam ex me facies? Pa. Aliquid & ista crudelius. Nam porcus aut ursus esse malim, quam id quod nunc sum, exanimis. Ma. Quo tandem veneficii genere perdo homines? Pa. Fascino. Ma. An igitur vis, ut posthac abs te deflectam noxios oculos? Pa. Bona verba. Imo magis affecte. Ma. Si mihi sunt oculi fascinatores, qui fit, ut non contabescant & cæteri, quos obtueor? Itaque suspicor, fascinum istud esse in tuis oculis, non in meis. Pa. Non sat tibi erat jugulare Pamphilum, ni insultes insuper? Ma. O lepidum mortuum! Sed quando parabuntur exsequiæ? Pa. Opinione tua celerius, ni tu succurras. Ma. Egon' rem tantam possum: Pa. Potes vel mortuum ad vitam revocare, idque minimo negotio. Ma. Si quis mihi C porrigat panacen. Pa. Nihil opus herbis, tantum redama. Quid autem facilius, imo quid æquius? Non aliter absolveris ab homicidii crimine. Ma. Apud quod tribunal peragar rea? Areopagitarum? Pa. Non; sed apud tribunal Veneris. Ma. Ajunt Deam esse placabilem. Pa. Imo nullius ira perinde formidabilis. Ma. Habet fulmen? Pa. Non. Ma. Habet tridentem? Pa. Nequaquam. Ma. Habet hastam? Pa. Minime; sed est Dea maris. Ma. Non navigo. Pa. Sed habet puerum. Ma. Non est formidabilis ætas. Pa. Vindicem ac pervicacem. Ma. Quid is mihi faciet? Pa. Quid faciet? Prohibeant omnes superi. Nolim enim illi malum ominari, cui bene volo. Ma. Tamen effare; nulla mihi superstitio est. Pa. Dicam ergo. Si hunc D spreveris amantem, non omnino mutuo indignum amore, nisi fallor, ille fortasse jussu matris, immittet tibi pessimo veneno tinctum jaculum, ut in sordidum aliquem deperreas, qui te tamen non redamet. Ma. Supplicium narras abominandum. Ego sane vel mori præoptarim, quam perdite amare deformem, nec amore mutuo respondentem. Pa. Atqui nuper hujus mali fuit exemplum insigniter editum in puellam quandam. Ma. Ubi locorum? Pa. Aureliæ. Ma. Quot anni sunt? Pa. Quot anni? Vix sunt menses decem. Ma. Puellæ quod erat nomen? Quid hæres? Pa. Nihil; novi tanquam te. Ma. Quin igitur edis nomen? Pa. Quia non placet omen. Utinam alio quovis nomine dicta fuisset! Idem habebat nomen, quod tu. Ma. Pater quis erat? Pa. Vivit adhuc inter Jureconsultos præ- E cipui nominis, re splendida. Ma. Adde nomen. Pa. Mauricius. Ma. Cognomen. Pa. Aglajus. Ma. Vivitne mater? Pa. Nuper reliquit superos. Ma. Quo morbo periit? Pa. Quo morbo rogas? mœrore. Et pater, tametsi vir cum primis fortis, periclitabatur. Ma. Licetne scire matris quoque nomen? Pa. Maxime. Sophronam nemo non novit. Sed quid sibi vult ista percunctatio? An me putas apologum comminisci? Ma. Egon' de te suspicarer hoc? Hæc suspicio pronior est in sexum nostrum. Sed narra, quid acciderit puellæ. Pa. Puella erat honesto loco nata, ut dixi, re lauta, forma perquam eleganti: quid multis? digna principe marito. Hujus nuptias ambiebat procus quidam, illi non F dissimilis. Ma. Quo nomine? Pa. Hei mihi, offendor omine; Pamphilus & ille dictus est. Illa nihil non tentantem pertinacissime sprevit. Juvenis dolore contabuit. Nec ita multo post, illa deperire cœpit in quendam, simium verius quam hominem. Ma. Quid ais? Pa. Adeo perdite, ut satis dici non queat.. Ma. Tam elegans puella, tam deformem? Pa. Vertice acuminato, raro capillitio, eoque lacero & impexo, furfure ac lendibus oppleto: plerumque cranii cutem nudaverat alopecia; oculis refugis, naribus simis ac sursum hiantibus, ore sparso, dentibus putridis, balbutiente lingua, mento scabioso; scapulas deformabat gib-

bus; venter prominulus, crura vara. MA. Thersiten quempiam mihi depingis. PA. Imo ajunt illi non fuisse nisi unam auriculam. MA. Altera perierat illi fortasse in bello. PA. Imo in pace. MA. Quis hoc ausus est? PA. Dionysius carnifex. MA. Fortasse formæ infelicitatem pensabat res ampla domi. PA. Imo decoxerat, ac plus quam animam debebat. Cum hoc marito tam insignis puella nunc degit ætatem, ac subinde vapulat. MA. Rem miseram narras. PA. Sed veram. Sic visum est Nemesi, juvenis spreti contumeliam ulcisci. MA. Ego citius optarem exstingui fulmine, quam talem ferre maritum. PA. Ergo ne provoca Nemesim, & amantem redama. MA. Siquidem istuc satis est, redamo. PA. Sed optarim istum amorem esse perpetuum ac proprium conjugem ambio, non amicam. MA. Neque me id fugit; sed diu deliberandum est in eo, quod semel cœptum rescindi non potest. PA. Apud me quidem nimium diu deliberatum est. MA. Vide autem, ne tibi imponat amor, non optimus consultor. Nam cæcum esse ferunt. PA. Sed oculatus est, qui ex judicio nascitur. Non ideo mihi talis videris, quod amem te, sed ideo te amo, quod talem te conspexerim. MA. At vide ne non satis me perspectam habeas. 1 Si calceum induisses, tum demum sentires, qua parte te urgeret. PA. Jacienda est alea, quanquam ego multis auguriis colligo, rem melius cessuram. MA. Etiam augur es? PA. Sum. MA. Quibus igitur auguriis colligis? An volavit noctua? PA. Illa volat stultis. MA. An a dextris advolavit jugum columbarum? PA. Nihil istiusmodi. Sed mihi jam annis aliquot perspecta est probitas tuorum parentum: ea primum avis est non pessima, e bonis prognatam esse. Neque me clam est, quam salubribus monitis, quam sanctis exemplis apud hos sis instituta. Et plus est bene institui, quam bene nasci. Habes alterum augurium. Ad hæc meis majoribus non omnino malis, ni fallor, jam olim cum tuis, amicitia non vulgaris intercedit: quin & nos inter nos a teneris, quod ajunt, unguiculis noti sumus, nec male convenit geniis nostris. Jam ætas inter nos, res, dignitas, nobilitas, inter utriusque parentes pene paria sunt. Demum, quod est in amicitia præcipuum, tui mores mihi videntur non pessime quadrare ad meum ingenium. Potest enim per se præclarum esse, quod tamen non sit aptum. Quam mei vicissim tuo congruant, nescio. Hæ videlicet aves (mea lux) mihi promittunt fore inter nos felix, perpetuum, ac lætum jucundumque connubium, modo ne tuus animus mali ominis cantionem nobis occinat. MA. Quam cantilenam optas? PA. Ego præcinam; Sum tuus: tu succine; Sum tua. MA. Brevis quidem cantiuncula; sed longum habet epiphonema. PA. Quid refert, quam longum, modo lætum? MA. Adeo mihi es invisus, ut nolim te committere, cujus in posterum pœniteat. PA. Desine male ominari. MA. Fortassis alia tibi videbor, ubi morbus aut ætas hanc formam immutarit. PA. Nec hoc corpus, ô bona, semper erit æque succulentum. Sed ego non contemplor tantum istud undique florens & elegans domicilium; hospitem magis adamo. MA. Quem hospitem? PA. Animum istum tuum, cujus decor semper cum ætate crescet. MA. Næ tu plus quam lynceus es, si istum perspicis per tot tectoria. PA. Animum animo perspicio. Ad hæc, in communibus liberis subinde repubescemus. MA. Sed interim perit virginitas. PA. Verum. Sed eho, dic mihi, si tibi esset elegans pomarium, optares illic nihil unquam gigni præter flores: an malles, delapsis floribus, videre arbores maturis pomis gravidas? MA. Ut argutatur! PA. Saltem illud responde, utrum est elegantius spectaculum; vitis humi jacens, & computrescens; an amplexa palum aut ulmum, eamque purpureis uvis degravans? MA. Responde tu mihi vicissim; utrum spectaculum amœnius: rosa nitens & lactea in suo frutice; an decerpta digitis, ac paullatim marcescens? PA. Ego rosam existimo feliciorem, quæ marcescit in hominis manu, delectans interim & oculos & nares, quam quæ senescit in frutice: nam & illic futurum erat, ut marcesceret: quemadmodum felicius est vinum, quod bibitur ante quam acescat. Quanquam non statim marcescit flos puellæ, si nupserit: imo video multas, quæ ante nuptias pallebant, languebant, ac velut extabescebant, ex congressu viri sic enituisse, ut tum demum florere cœperint. MA. Attamen favorabilis ac plausibilis apud omneis est virginitas. PA. Elegans quidem res puella virgo; sed quid juxta naturam prodigiosius anu virgine? Nisi matri tuæ defluxisset flos ille, nos istum flosculum non haberemus. Quod si, ut spero, non sterile fuerit nostrum conjugium, pro una virgine multas dabimus. MA. Attamen ajunt, rem Deo gratissimam esse castitatem. PA. Et ideo castam puellam mihi cupio nubere, ut cum illa caste vivam. Magis erit animorum quam corporum conjugium. Gignemus Reipublicæ, gignemus Christo, quantulum aberit hoc matrimonium a virginitate? Et fortasse olim sic convivemus, quemadmodum vixit cum Maria Joseph. Sed interim discemus virginitatem. Non enim statim pervenitur ad summum. MA. Quid ego audio? Violanda virginitas, ut discatur? PA. Quid ni? Quemadmodum paullatim bibendo vinum parcius, discimus esse abstemii. Uter tibi videtur temperantior, qui in mediis deliciis accumbens abstinet, an qui semotus ab his, quæ provocant intemperantiam? MA. Arbitror eum fortius temperantem, quem parata copia non potest corrumpere. PA. Utri verius debetur laus castitatis? eine qui semet exsecat; an qui membris integris, tamen abstinet a Venere? MA. Equidem posteriori, meo calculo, tribuerim laudem castitatis, priori dementiam. PA. An qui voto adstricti abjurant matrimonium, nonne quodam modo exsecant sese? MA. Videtur. PA. Jam non est virtus non coire. MA. An non est? PA. Sic accipe. Si per se virtus esset, non coire, vitium esset coire. Nunc incidit, ut vitium sit non coire, coire virtus. MA. Quando hoc incidit? PA. Quoties ab uxore jus suum petit maritus, præsertim si prolis amore quærit complexum. MA. Quid, si lasciviat? non est fas negare? PA. Fas est monere, vel rogare potius blandius, ut temperet: pernegare instanti, fas non est. Quanquam hac quidem in parte, raras audio querelas maritorum de suis uxoribus. MA. At dulcis est libertas. PA. Imo gravis est sarcina virginitas. Ego tibi rex ero, tu mihi regina: imperabimus familiæ nostro arbitratu: an tibi videtur ista esse servitus? MA. Vulgus conjugium capistrum vocat. PA. Sed ipsi vero capistro digni sunt, qui sic vocant. Dic mihi quæso, an non animus tuus est alligatus corpori? MA. Videtur. PA. Non aliter quam avicula caveæ. Et tamen consule illum, an cupiat esse liber. Negabit, opinor. Quam ob rem? Quia libenter est alligatus. MA. Res est utrinque modica. PA. Tanto tutior. Eam tu domi augebis parsimonia, quæ non sine caussa dicta est, *magnum vectigal*; ego foris industria. MA. Innumeras curas secum adferunt liberi. PA. Sed iidem innumeras voluptates, ac sæpenumero multo cum fœnore reponunt parentibus officium. MA. Misera quædam res est orbitas. PA. An nunc orba non es? Quid autem opus in re dubia male ominari? Dic mihi, utrum malles nunquam nasci, an nasci moritura? MA. Equidem malim nasci moritura. PA. Sic miserior est orbitas, quæ prolem nec habuit, nec habitura est: quemadmodum feliciores sunt, qui vixerunt, quam qui nec nati sunt, nec nascentur unquam. MA. Qui sunt isti, qui non sunt, nec erunt? PA. Quanquam qui recusat ferre casus humanos, quibus omnes ex æquo sumus obnoxii, sive plebeji sumus, sive reges, is e vita migret oportet; & tamen quidquid acciderit, tu non feres nisi dimidium, ego majorem portionem in me transferam. Ita si quid acciderit læti, gemina fiet voluptas: si quid mali, societas adimet dimidium ægritudinis. Mihi vero, si fata vocent, dulce fuerit vel immori tuis complexibus. MA. Facilius ferunt homines, quod juxta communes naturæ leges accidit, sed video, quanto plus molestiarum adferant nonnullis parentibus, liberorum mores, quam mortes. PA. Istius rei ne quid accidat, maxima ex parte in nobis situm est. MA. Qui sic? PA. Quoniam fere boni nascuntur ex bonis, quod ad indolem attinet. Neque enim e columbis nascuntur milvii. Dabimus igitur operam, ut ipsi boni simus. Deinde curabimus liberos nostros ab ipso statim lacte, sanctis præceptis & opinionibus imbuendos. Plurimum refert, quid infundas rudi testulæ. Ad hæc curabimus, ut domi habeant exemplum vitæ, quod imitentur. MA. Difficile est quod narras. PA. Nec mirum; quia pulcrum est: atque ob hoc ipsum, tu quoque difficilis es. At tanto studiis acrioribus huc enitemur. MA. Habebis sequacem materiam; tu vide, ut me formes, fingasque. PA. Sed interim pronuncia tria verba. MA. Nihil facilius; sed verba simul atque semel evolarint, non

1 *Si calceum*] Alludit ad dictum Pauli Æmilii, repudiata uxore,

non revolant. Dabo consilium utrique commodius. Ages cum tuis ac meis parentibus, ut utrorumque voluntate res transigatur. PA. Ambire me jubes; tu potes tribus verbis rem certam reddere. MA. An possim, nescio: mei juris non sum. Nec sine majorum auctoritate olim coibant conjugia. Verum, utcunque est, arbitror auspicatius fore nostrum conjugium, si parentum auctoritate coeat. Et vestrum est ambire, nobis decorum non est. Gaudet enim rapi virginitas, etiamsi nonnunquam vehementius amemus. PA. Non pigebit ambire, modo ne me frustretur tuum unius suffragium. MA. Non frustrabitur, bono animo esto, mi Pamphile. PA. Tu mihi heic religiosior es, quam vellem. MA. Imo tu tuum ipsius suffragium apud te prius expende. Nec affectum istum tuum adhibe in consilium, sed rationem. Quod affectus decernit, temporarium est: quod autem dictat ratio, perpetuo solet placere. PA. Næ tu pulcre philosopharis; itaque parere certum est tuis consiliis. MA. Non pœnituerit obsequii. Sed heus tu, incidit interim scrupulus, qui meum animum male habet. PA. Valeant scrupuli. MA. Vin' me nubere mortuo? PA. Nequaquam; sed revixero. MA. Amovisti scrupulum. Bene vale, mi Pamphile. PA. Istuc tu cura. MA. Precor tibi lætam noctem. Quid suspiras? PA. Lætam noctem ais? Utinam largiare quod precaris. MA. Ne quid præpropere; adhuc tua messis in herba est. PA. Nihilne tui mecum auferam? MA. Hunc pastillum, qui tibi cor exhilaret. PA. Adde saltem osculum. MA. Cupio tibi virginitatem integram & illibatam tradere. PA. An osculum aliquid decerpit virginitati? MA. Vis igitur ut aliis quoque largiar oscula? PA. Nequaquam: mihi servari volo mea oscula. MA. Tibi servo. Quanquam est aliud, cur in præsentia nec ausim dare osculum. PA. Quid istuc? MA. Ais tuum animum pene totum demigrasse in corpus meum; in tuo quam minimum superesse: vereor itaque ne in osculo hoc ipsum, quod in te superest, transiliat in me, tuque jam totus fias exanimis. Accipe igitur dextram, mutui amoris symbolum, ac bene vale. Tu gnaviter rem gere. Ego interim Christum comprecabor, ut, quod agitur, utrique nostrum velit esse felix ac faustum.

Virgo [1] Μισόγαμος.

EUBULUS, CATHARINA.

EV. GAudeo tandem finitam esse cœnam, ut liceat hac frui deambulatione, qua nihil amœnius. CA. Et me jam tædebat sessionis. EV. Quam vernat, quam arridet undique mundus! Hæc nimirum est illius adolescentia. CA. Sic est. EV. At cur tuum ver non æque arridet? CA. Quam ob rem? EV. Quia subtristis es. CA. An videor alio vultu quam soleo? EV. Vis ostendam te tibi. CA. Maxime. EV. Vides hanc rosam, sub imminentem noctem, foliis contractioribus? CA. Video. Quid tum postea? EV. Talis est vultus tuus. CA. Bella collatio. EV. Si mihi parum credis, in hoc fonticulo contemplare teipsam. Quid sibi tandem volebant & inter cœnandum ista tam crebra suspiria? CA. Desine percunctari, quod tua non refert scire. EV. Imo mea refert maxime, qui non possum esse hilaris, nisi te quoque videam hilarem. Ecce autem iterum suspirium, hui quam ex imo pectore ductum! CA. Est quod angat animum, sed effari non est tutum. EV. Mihi non dices, qui te cariorem habeo sorore propria? Mea Catharina, ne verere quidquid est rei; tuto depones his auribus. CA. Ut tuto dicam, vereor ne frustra dicam non auxiliaturo. EV. Qui scis? Si non re ipsa, fortassis consilio consolandoque juvero. CA. Non possum eloqui. EV. Quid istuc est rei? odisti me? CA. Sic odi, ut mihi minus carus sit meus germanus: & tamen animus non fert ut eloquar. EV. Fateberis igitur, si divinaro? Quid tergiversaris? Promitte, alioqui non omittam urgere. CA. Age, promitto. EV. Prorsus ego non video quid tibi desit ad summam felicitatem. CA. Utinam vera prædicares! EV. Primum adest ipse flos ætatis. Nam, nisi fallor, agis annum jam decimum septimum. CA. Sic est. EV. Nondum igitur, ut opinor, discruciat te metus senectæ. CA. Nihil minus. EV. Adest forma nulla parte non felix; est & istud præcipuum Dei donum. CA. De forma qualis qualis est, nec glorior, nec queror. EV. Tum color & habitudo corporis indicat te esse prospera valetudine, nisi quid est morbi occultioris. CA. Nihil istiusmodi, gratia Deo. EV. Fama est integra. CA. Ita confido. EV. Adest ingenium isto dignum corpore, felicissimum, & quale mihi optem ad liberales disciplinas. CA. Si quod est, Dei munus est. EV. Nec deest morum amabilis gratia, quam in felicissimis etiam formis non raro desideramus. CA. Optarim equidem mores me dignos. EV. Multorum animos dejicit generis infelicitas: tibi parentes sunt & bene nati, & probi, & re lauta, & tui amantissimi. CA. Hinc nihil queror. EV. Quid multis? Ego mihi ex omnibus puellis, quas habet hæc regio, non delegerim aliam sponsam, quam te, si quod sidus mihi prosperum affulgeret. CA. Nec ego deligerem alium sponsum, si placeret ullum conjugium. EV. Et tamen magnum quiddam esse debet, quod sic discruciat animum tuum. CA. Est omnino non leve. EV. Non ægre feres, si divinem? CA. Jam pollicita sum. EV. Expertus novi, quanta crux sit amor. Age fatere; nunc promisisti. CA. Amor est in caussa, sed non ejus generis, cujus tu suspicare. EV. Quod genus tu mihi narras. CA. Divina. EV. Equidem consumpsi omnem divinationem meam. Et tamen non omittam hanc manum, donec extorsero quid sit. CA. Ut violentus es! EV. Depone in sinum meum, quidquid istuc est curæ. CA. Quando sic urges, dicam. Jam inde a teneris annis me mirus quidam affectus habebat. EV. Quis, obsecro? CA. Ut adjungerer collegio sacrarum virginum. EV. Ut fieres monacha? CA. Sic habet. EV. Hem! pro thesauro carbones. CA. Quid ais, Eubule? EV. Nihil, mea lux; tussiebam: sed perge dicere. CA. Huic animo meo semper pertinacissime restitere parentes. EV. Audio. CA. Ego contra precibus, blanditiis, lacrymis oppugnabam parentum pietatem. EV. Res mira. CA. Tandem cum ego nullum facerem finem orandi, obsecrandi, obtestandi, lacrymandi, polliciti sunt, ubi pervenissem ad annum decimum septimum, sese obtemperaturos voluntati meæ, si modo tum idem perstaret animus. Venit is annus, manet idem animus, parentes tamen contra promissum pernegant: hoc est quod discruciat animum meum. Aperui morbum meum: tu nunc medicum age, si quid potes. EV. Primum illud dabo consilium, suavissima virgo, ut modereris affectibus tuis; & si id non continget quod vis, id velis quod possis. CA. Emoriar, nisi, quod volo, assequar. EV. Et unde cepisti istum fatalem affectum? CA. Olim admodum puella, ducta sum in quoddam virginum collegium; circumducebamur, ostendebantur omnia: placebant virgines vultibus nitentibus, videbantur angelæ: in templo nitebant omnia, atque etiam fragrabant, nitebant horti cultissimi. Quid multis? nihil non arridebat, quocunque vertebam oculos. Accedebant ad hæc blandissima virginum colloquia. Unam atque alteram illic reperi, quicum olim infantula lusitare consuevi. Ex eo tempore cœpit animus ardere ejus vitæ desiderio. EV. Non sum improbaturus sacrarum virginum institutum: quamquam non omnia conducunt omnibus: sed habita tui genii ratione, quem mihi videor ex vultu, moribusque tuis collegisse, suaserim, ut nubas marito tui simili, tuæque domi novum instituas collegium; cujus maritus agat patrem, tu matrem. CA. Emoriar citius, quam virginitatis propositum deseram. EV. Res est egregia virginitas, si pura sit: sed nihil necesse est, ut hac gratia dedas te in collegium, unde non possis postea eximi. Licet apud parentes virginitatem tueri tuam. CA. Licet, at non perinde tuto. EV. Imo, ut ego arbitror, aliquanto tutius, quam apud illos crassos, semper cibo distentos monachos. Nec enim castrati sunt, ne tu sis insciens. Patres vocantur, ac frequenter efficiunt, ut hoc nomen vere competat in ipsos. Olim nusquam virgines honestius vivebant, quam apud parentes, nec alium habebant patrem, quam Episcopum. Sed obsecro, dic mihi, quod tibi collegium ex omnibus delegisti, cui te addicas in servitutem? CA. Chrysercium [2]. EV. Agnosco, ædibus paternis vicinum. CA. Recte. EV. Atqui pulcre novi totum hoc sodalitium, dignum vero ob quod patrem, ac matrem, & cognatam tibi honestamque familiam repudies! Nam ille patriarcha jam pridem & ætate, & vino, & natura delirus est, nec illi quidquam jam sapit præter vinum. Habet duos sodales se dignos, Joannem & Jodocum. Quorum Joannes, ut fortasse vir malus non est, ita nihil habet viri, præter barbam; eruditionis ne pilum quidem, prudentiæ non multo plus. Jodocus adeo stupidus est, ut nisi veste sacra commendaretur, obambularet publicitus in cu-

1 Μισόγαμος] Abhorrens a nuptiis: a μισέω, odi, & γάμος, nuptiæ.

2 Gaudanum.

A cuculla fatui, cum auriculis ac tintinnabulis. CA. Mihi videntur viri boni. Ev. Melius istos novi, quam tu, mea Catharina. Isti fortasse sunt tibi patroni apud parentes, ut efficiant te proselytam suam. CA. Jodocus maxime favet. Ev. O fautorem! sed fac istic nunc esse viros doctos ac bonos, cras erunt indocti ac mali; & quicunque obtigerint, tibi erunt ferendi. CA. Offendunt me in ædibus paternis crebra convivia; nec semper virginea sunt quæ illic dicuntur inter conjugatos. Et aliquoties fit, ut osculum negare non possim. Ev. Qui vitare studet quidquid offendit, is e vita migret oportet. Ita sunt aures assuefaciendæ, ut audiant omnia, nec tamen nisi bona transmittant in animum. Parentes, opinor, permittunt tibi cubiculum peculiare. CA. Maxime. B Ev. Eo te subducas licebit, si quod convivium acciderit turbulentius: &, dum illi potant ac nugantur, tu confabulare cum sponso tuo Christo; ora, psalle, gratias age. Non te inquinabit domus paterna, sed tu reddes eam puriorem. CA. Attamen tutius est esse in sodalitio virginum. Ev. Non improbo castum sodalitium, nolim tamen te falli falsa imaginatione. Ubi illic versata fueris aliquandiu, ubi propius inspexeris, fortassis non perinde nitebunt omnia, ut tibi quondam nitere videbantur. Nec omnes virgines sunt, mihi crede, quæ velum habent. CA. Bona verba. Ev. Imo bona verba sunt, quæ vera sunt: nisi fortasse elogium, quod nos hactenus judicavimus esse Virgini matri proprium, ad plures transiit, ut dicantur & a partu virgines. CA. Abominor. Ev. Quin insuper, nec alioqui inter C illas virgines sunt omnia virginea. CA. Non? Quam ob rem, obsecro? Ev. Quia plures inveniuntur, quæ mores æmulentur Sapphus, quam quæ referant ingenium. CA. Istuc quid sit, non satis intelligo. Ev. Atque ideo hæc verba facio, ne quando intelligas, mea Catharina. CA. Attamen animus eo fertur: atque hinc colligo hunc spiritum a Deo proficisci, quod tot jam annis perseverat, & indies fit acrior. Ev. Imo mihi hoc nomine suspectus est iste tuus spiritus, quod sic repugnant optimi parentes. Afflasset & illorum animos Deus, si pium esset, quod moliris. Sed istum spiritum hausisti ex illis nitoribus, quos admodum puella vidisti, ex blandis virginum alloquiis, ex affectu erga veteres sodales; ex cultu sacro, ex cærimoniis sane quam speciosis, D ex improbis hortatibus stultorum monachorum: & qui in hoc te venantur, ut largius potent. Sciunt patrem esse liberalem, ac benignum: aut illum habebunt convivam, sed hac lege, ut secum adferat vinum, quod decem strenuis potoribus sat sit: aut ipsi potabunt apud illum. Quare tibi fuerim auctor, ne quid novi tentes invitis parentibus, in quorum potestate nos Deus esse voluit. CA. In hoc negotio pium est contemnere patrem, & matrem. Ev. Christi caussa pium est alicubi negligere patrem, & matrem: neque enim pie faciat, qui Christianus patrem ethnicum, cujus omne vitæ præsidium pendeat a filio, deserat, sinatque perire fame. Si nondum esses professa Christum in baptismo, & parentes vetarent te baptizari, pie faceres, si Christum præferres im- E piis parentibus. Aut si nunc parentes adigerent ad impietatem aut turpitudinem, contemnenda esset illorum auctoritas. Sed quid hoc ad collegium? Et domi Christum habes. Natura dictat, Deus approbat, Paulus hortatur, leges humanæ sanciunt, ut filii obediant parentibus: & tu te subduces ab auctoritate parentum optimorum, ut pro vero patre, te dedas facticio; & pro vera matre, tibi adsciscas alienam: aut potius, ut pro parentibus tibi dominos ac dominas adsciscas? Nam parentibus ita es obnoxia, ut tamen te liberam esse velint. Unde & liberi vocantur filii familias, quod absint a conditione servorum. Nunc te pro libera tendis ultro servam reddere. Christiana clementia maxima ex parte sub- F movit omnem illam veterum servitutem, nisi quod in paucis regionibus adhuc resident vestigia. At inventum est sub prætextu religionis, novum servitutis genus, ut nunc sane in plerisque monasteriis vivitur. Nihil ibi licebit, nisi ex præscripto: quidquid obvenerit tibi, illis accrescet: si quo pedem moveris, retraheris e fuga, perinde quasi parentem veneno necaveris. Quoque sit evidentior servitus, commutant vestem, quam dedere parentes, & ad exemplum priscum eorum, qui olim servos essent mercati, commutant nomen in baptismo inditum, ac pro Petro sive Joanne, vocant Franciscum aut Dominicum, aut Thomam. Petrus dedit nomen Christo, & Dominico initiandus, vocatur Thomas. Si militaris servus abjiciat vestem a domino datam, videtur abdicasse dominum; & nos applaudimus illi, qui vestem accipit, quam Christus omnium Dominus non dedit: & ob hanc mutatam gravius punitur, quam si centies abjiciat vestem imperatoris ac domini sui, quæ est mentis innocentia. CA. Atque hoc ipsum ajunt eximii meriti, si quis se sponte dedit in hanc servitutem. Ev. Ista vero doctrina Pharisaica est. Paulus contra docet, ut qui liber vocatus sit, ne velit fieri servus, sed potius operam det, ut fiat liber. Atque hoc infelicior est servitus, quod pluribus dominis tibi serviendum sit, quod plerumque stultis & improbis, quod incertis, ac subinde novis. Illud mihi responde. Emancipant te leges a jure parentum? CA. Nequaquam. Ev. Licetne igitur tibi emere aut vendere fundum invitis parentibus? CA. Minime. Ev. Unde igitur tibi jus, ut te ipsam dedas nescio quibus, invitis parentibus? An non tu illis carissima, maximeque propria es possessio? CA. In negotio pietatis cessant naturæ leges. Ev. Negotium pietatis potissimum agitur in baptismo: heic tantum agitur de veste mutanda, deque genere vitæ, quod per se neque bonum est, neque malum. Jam illud mihi considera, quantum commoditatum simul amittas cum libertate. Nunc tibi liberum est in tuo cubiculo legere, orare, psallere, quantum & quando gratum est animo tuo. Quod si tædet cubiculi, licet audire cantiones ecclesiasticas, adesse sacris, audire sacras conciones: & si quam videris matronam, aut virginem egregie probam, ex ejus colloquio fieri meliorem: si quem virum insigni probitate præditum, ex eo discere, quod te reddat meliorem: licebit & concionatorem deligere, qui purissime Christum doceat. Has res omneis, ex quibus præcipuus est profectus ad veram pietatem, amittis semel addicta collegio. CA. Sed interim non ero monacha. Ev. Adhuc te movent nomina? Rem ipsam perpendito. Illi jactant obedientiam. Nunc ea laus tibi deerit, si obedias parentibus tuis, quibus Deus jubet obediri? si Episcopo tuo, & pastori tuo? Num paupertatis, cum in parentum manibus sint omnia? Quanquam olim in sacris virginibus præcipue laudabatur a sanctis viris liberalitas in pauperes: eam præstare non poterant, si nihil possidebant. Porro castitati tuæ nihil decedet, etiamsi vivas apud parentes. Quid igitur superest? Velum, linea vestis ex intima versa in extimam, cærimoniæ quædam quæ per se nihil faciant ad pietatem, neque quemquam commendant oculis Christi, qui spectat animi puritatem. CA. Nova prædicas. Ev. Sed verissima. Cum non sis emancipata a jure parentum, cum tibi jus non sit vendendi vestem aut agrum, quo modo tibi jus facis dedendi te in servitutem alienam? CA. Jus parentum, ut ajunt, non impedit ingressum religionis. Ev. In baptismo nonne professa es religionem? CA. Sum.. Ev. Nonne religiosi sunt quicunque sequuntur præcepta Christi? CA. Maxime. Ev. Quæ est igitur ista nova religio, quæ facit irritum, quod & naturæ lex sanxit, & vetus lex docuit, & Euangelica lex comprobavit, & Apostolica doctrina confirmavit? Istuc decretum non est a Deo proditum, sed in monachorum senatu repertum. Sic definiunt quidam & matrimonium esse ratum, quod inscîis, aut etiam invitis parentibus inter puerum & puellam per verba de præsenti (sic enim illi loquuntur) contractum est. Atqui istud dogma nec naturæ sensus approbat, nec veterum leges, nec Moyses ipse, nec Euangelica, aut Apostolica doctrina. CA. An igitur putas mihi non esse fas nubere Christo, nisi comprobantibus parentibus? Ev. Jam, inquam, nupsisti Christo, & illi nupsimus omnes. Quæ bis nubit eidem viro? Tantum agitur de loco, de veste, de cærimoniis. Ob has res non arbitror esse contemnendum jus parentum. Et videndum est, ne, dum paras nubere Christo, nubas aliis. CA. At isti prædicant nihil esse sanctius, quam heic contemnere parentes. Ev. Ab istis igitur doctoribus exige, ut proferant aliquem e sacris libris locum, qui hoc doceat; quod si non poterunt, jubeto eos ebibere calicem [1] vini Belnensis; hoc poterunt. Ab impiis parentibus ad Christum confugere pietatis est. Sed a piis ad monachismum, hoc est, (quod non raro usui venit) a probis ad improbos, quæ, rogo, pietas est? Quanquam & olim ad Christum a paganismo conversus, idololatris parentibus de-

1 *Vini Belnensis*] Belna Burgundiæ urbs, vulgo *Beaulne*, amni accolis Boursoize adjacet. Quibusdam Cæsaris Bibracte. Ager ejus pinguis & optimæ notæ; vites habet toto orbe nominatissimas & vino haud vulgari nobilissimas.

debebat obsequium, quatenus citra pietatis jacturam fieri poterat. CA. Damnas igitur hoc totum vitæ institutum? Ev. Nequaquam. Verum quemadmodum nemini suadere velim, ut quæ se in hoc vitæ genus conjecit, luctetur emergere: ita non dubitem hortari puellas omneis, præsertim indolis generosæ, ne se temere eo præcipitent, unde post sese non possint explicare; præsertim cum in ipsis collegiis sæpe gravius periclitetur virginitas, ac domi præstare valeas, quidquid ibi præstatur. CA. Urges tu quidem multis ac magnis argumentis, tamen hic affectus meus eximi non potest. Ev. Si non persuadeo, quod tamen optarim, saltem illud fac memineris, Eubulum monuisse. Interim pro meo in te amore precor, ut tuus iste affectus felicior sit meo consilio.

Virgo pœnitens.

EUBULUS, CATHARINA.

Ev. Tales janitrices mihi semper optarim. CA. Et ego semper tales pulsatores. Ev. Sed vale, Catharina. CA. Quid ego audio? Valebo prius quam salveam? Ev. Non huc veni, ut te viderem lacrymantem. Quid sibi vult, quod protinus me conspecto, lacrymis suffusi sunt oculi? CA. Quo fugis? mane, mane, inquam, sumam alium vultum, & ridebimus affatim. Ev. Quas aves heic video? CA. Est illius collegii patriarcha. Ne subducito te; jam perpotarunt; accumbe paullisper; illo digresso confabulabimur nostro more. Ev. Age obtemperabo tibi, quæ mihi noluisti. Nunc soli sumus, narra totam fabulam, malim enim ex te cognoscere. CA. Ex tot amicis, quos putabam sapere plurimum, nunc sentio nullum fuisse, qui mihi prudentius ac senilius consilium dederit, quam tu omnium natu minimus. Ev. Dic quo modo expugnasti parentum affectum? CA. Primum improbis hortatibus monachorum, ac monacharum: deinde etiam meis precibus ac blandimentis labefactatus matris est animus: pater nullo pacto quibat perpelli. Tandem omnibus admotis machinis, & hic victus & oppressus est potius, quam assensit. Id factum est inter pocula: minitabantur homini malum exitium, si Christo suam sponsam pernegaret. Ev. O improbitatem stolidorum! Quid fit deinde? CA. Servor triduo domi clam: interim semper aderant mulieres aliquot ejus collegii, quas illi *Conversas* vocant, hortatibus suis addentes animum, ut persisterem in sancto proposito; ac sollicite caventes, ne qua cognatarum, aut sodalium adiret me, quæ mentem videretur mutatura. Interim adornabantur vestes, aliaque quæ ad convivium attinebant. Ev. Tibi quid interim erat animi? Num vacillabas? CA. Non, sed passa sum quiddam tam horrendum, ut malim emori decies, quam iterum perpeti. Ev. Quæso, quid istuc erat? CA. Non possum effari. Ev. Quod mihi dixeris, amico tuo dixeris. CA. Promittis silentium? Ev. Id præstiturus eram, etiam si nulla fuisses stipulata. Quasi vero me nondum noris? CA. Apparuit mihi spectrum horribili specie. Ev. Is nimirum erat genius tuus malus, qui te eo instigabat. CA. Prorsus opinor fuisse cacodæmonem. Ev. Dic mihi, quæ species erat? Estne talis, qualis pingitur? rostro adunco, longis cornibus, harpyiarum unguibus, prælonga cauda? CA. Tu ludis. At ego malim mihi terram dehiscere, quam denuo tale videre spectrum. Ev. Interim aderant illæ mulieres hortatrices? CA. Non; nec unquam illis indicavi, tametsi valde sciscitantibus quid esset mali, cum me totam exanimatam offenderent. Ev. Vis tibi dicam quid fuerit? CA. Si quidem potes. Ev. Illæ mulieres incantaverant te, vel potius excantaverant tibi cerebrum. Sed interim tu persistebas in ea sententia? CA. Maxime; nam ajebant id multis accidere, qui se consecrant Christo: verum si primo illo congressu superetur tentator, post tranquilla fore omnia. Ev. Qua pompa producta es? CA. Adornant me toto mundo meo: demittunt capillos: itaque non aliter quam nuptura sponso. Ev. Crasso monacho: hem! male sit huic tussi. CA. Ex ædibus paternis clara luce deducor ad collegium, multis ad spectaculum concurrentibus. Ev. O scitos histriones, ut norunt agere suas fabulas simplici popello! Quot dies egisti in illo sancto virginum collegio? CA. Ferme duodecim. Ev. Sed quæ res verterat animum tuum tam pertinacem? CA. Non dicam quid sit, sed aliquid magni fuit. Post sex ab ingressu dies, accerso matrem, obtestans, obsecrans, si me vivam vellet, ut me eximeret ab eo collegio. Illa reluctatur ani-

A

mo meo, & hortatur ad constantiam. Post accerso patrem. Ille etiam objurgat, addens se ægre vicisse suos affectus; ut vicissim nunc vincerem animum meum, nec hoc dedecus conciliarem sibi, quod resiluissem ab instituto. Tandem ubi video me nihil proficere, respondeo parentibus, me, si ita jubeant, in gratiam illorum morituram. Nam hoc mihi certum esse, nisi mature eximerer. Hoc audito, reduxerunt domum. Ev. Bene habet, quod mature resilieris, prius quam servitutem æternam esses professa. Sed nondum audio, quæ res mutarit animum tuum tam subito. CA. Hoc nemo mortalium ex me scit hactenus, nec tu scies. Ev. Quid si divinem? CA. Nec divinabis, sat scio: & si divines, non dicam. Ev. Tametsi conjecto. Verum interim periit sumtus.

B

CA. Plus quam quadraginta coronati. Ev. O comessatores nuptiales! Gaudeo tamen periisse pecuniam te nobis incolumi; posthac ausculta melioribus consiliis. CA. Ita faciam, &, cum piscatore, icta sapiam.

Uxor 1 *Μεμψίγαμος sive conjugium.*

EULALIA, XANTHIPPE.

Ev. Salve multum, exoptatissima mihi Xanthippe. XA. Salve tantundem, mihi carissima Eulalia. Videre mihi solito formosior. Ev. Itane statim me scommate excipis? XA. Non profecto, sed ita mihi videris. Ev. Fortasse nova vestis commendat formam. XA. Recte conjectas. Nihil jam diu vidi elegantius. Suspicor pannum esse Britannicum. Ev. Lana Britannica est, tinctura Veneta. XA. Mol-

C

lities byssum superat. Quam vero blandus purpuræ color! Unde tibi tam egregium munus? Ev. Unde decet honestas matronas accipere, nisi a maritis suis? XA. O te felicem, cui talis contigit sponsus! At ego vellem me nupsisse fungo, cum meo nuberem Nicolao. Ev. Quid ita quæso te? tam cito male convenit inter vos? XA. Nec unquam conveniet cum tali. Vides quam sim pannosa; sic patitur uxorem suam incedere: dispeream, nisi sæpe pudet me prodire in publicum, cum video quam cultæ sint aliæ, quæ multo pauperioribus nupsere maritis. Ev. Matronarum ornatus non est in vestibus, aut reliquo corporis cultu, quemadmodum docet 2 divus Petrus Apostolus, (nam id audivi nuper in concione,) sed in castis ac pudicis moribus, & in

D

ornamentis animi. Meretrices coluntur oculis multorum. Nos satis cultæ sumus, si placeamus uni marito. XA. Sed interim ille bonus vir, tam in uxorem parcus, strenue prodigit dotem, quam ex me non mediocrem accepit. Ev. Quibus rebus? XA. Quibus ipsi visum fuerit; vino, scortis, alea. Ev. Bona verba. XA. Atqui sic res habet. Deinde cum mihi temulentus ad multam noctem redit domum diu exspectatus, destertit noctem totam, nonnunquam & lectum convomens, ut ne quid addam. Ev. St! teipsam dehonestas, cum dehonestas maritum. XA. Emoriar, nisi mallem dormire cum scropha, quam cum tali marito. Ev. Non tu tum illum excipis jurgio? XA. Ita ut dignus est: sentit me non esse mutam. Ev. Quid ille contra? XA. Ini-

E

tio reclamabat sævissime, credens fore ut me sævis verbis protelaret. Ev. Nunquamne rixa incruduit usque ad verbera? XA. Semel duntaxat eo incaluerat utrinque contentio, ut minimum res abfuerit a pugna. Ev. Quid ego audio? XA. Librabat fustem, sævis interim clamoribus intonans, ac dira minitans. Ev. Non ibi metuebas tu? XA. Imo ego vicissim corripiebam tripodem: si contigisset me digito, sensisset mihi non deesse manus. Ev. Novum clypei genus. Deerat colus lanceæ vice. XA. Sensisset sibi cum viragine rem esse. Ev. Ah mea Xantippe, non ita decet. XA. Quid decet? Si ille me non habet pro uxore, nec illum habitura sum pro marito. Ev. 3 At Paulus docet,

F

uxores oportere subditas esse viris cum omni reverentia. Et 4 Petrus nobis exemplum proponit Saræ, quæ maritum suum Abraham *dominum* appellabat. XA. Audivi ista. Sed idem Paulus docet, ut viri diligant uxores suas, sicut 5 Christus dilexit sponsam suam Ecclesiam. Meminerit ille officii sui, ego meminero mei. Ev. Sed tamen ubi res in eum statum devenit, ut alteri cedendum sit, æquum est uxorem marito cedere. XA. Si modo ille maritus est appellandus,

1 *Μεμψίγαμος*] Conquerens de conjugio. *Μέμψις questus* vel ipsa querendi actio; *μέμφομαι queror*, *γάμος nuptia*.

2 *Divus Petrus Apostolus*] 1 Petr. 3. 3.

3 *At Paulus docet*] Eph. 5. Col. 3.

4 *Petrus*] 1 Petr. 2.

5 *Christus*] Eph. 5. 25.

landus, qui me habet pro ancilla. Ev. Sed dic, mea Xanthippe, postdesiit minitari verbera? XA. Desiit, & sapuit, alioqui vapulasset. Ev. Sed tu non desiisti rixari cum illo? XA. Nec desinam. Ev. Quid ille interea? XA. Quid? nonnunquam dormit, somnium hominis; interdum nihil aliud quam ridet; aliquoties arripit testudinem, in qua vix tres haбet fides; eam quantum potest pulsans, mihi vociferanti obstrepit. Ev. Ea res male urit te? XA. Sic ut dici vix possit. Aliquando vix tempero a manibus. Ev. Mea Xanthippe, permittis mihi ut liberius loquar apud te? XA. Permitto. Ev. Idem jus erit tibi apud me. Hoc certe postulat nostra necessitudo, ab ipsis pene incunabulis inter nos inita. XA. Vera narras, nec ulla sodalium unquam carior fuit animo meo. Ev. Qualisqualis est tuus maritus, illud cogita, non esse jus permutandi. Olim immedicabilibus dissidiis remedium extremum erat divortium: nunc hoc in totum ademtum est; usque ad extremum vitæ diem ille tuus sit maritus oportet, & tu illius uxor. XA. Superi male faxint, qui jus hoc nobis ademerunt. Ev. Bona verba: 1 sic visum est Christo. XA. Vix credo. Ev. Sic habet. Nunc nihil superest, nisi ut uterque ad alterius mores, & ingenium accommodando sese, concordiæ studeatis. XA. An ego possum illum refingere? Ev. Non minimum momenti est in uxoribus, quales sint mariti. XA. Pulcre convenit tibi cum tuo? Ev. Nunc tranquilla omnia. XA. Ergo turbarum nonnihil erat initio. Ev. Nihil unquam tempestatis; sed tamen, ut fit inter homines, nonnunquam nubeculæ quædam oboriebantur, quæ poterant gignere tempestatem, nisi commoditate morum fuisset occursum. Habet suos quisque mores, & est sua cuique sententia: &, si verum fateri volumus, sunt sua cuique vitia: quæ si usquam, certe in matrimonio novisse oportet, non odisse. XA. Recte mones. Ev. Fit autem frequenter, ut dissiliat benevolentia mutua inter maritum & uxorem antequam alter alteri satis notus sit. Id est in primis cavendum. Semel enim orta simultate, ægre sarcitur gratia, præsertim si res ad atrocia convicia processerit. Quæ glutino committuntur, si statim concutias, facile distrahuntur: cæterum ubi siccato glutino semel cohæserint, nihil firmius. Proinde in initio nihil non faciendum, ut inter uxorem & maritum coalescat confirmeturque benevolentia. Id maxime fit obsequio, morumque commoditate. Nam benevolentia quæ sola formæ gratia conciliatur, ferme temporaria est. XA. Sed narra nobis, obsecro, quibus artibus pertraxeris maritum ad tuos mores. Ev. Dicam in hoc, ut imiteris. XA. Si queam. Ev. Facillimum erit, si velis, nec adhuc serum est. Nam & ille juvenis est, & tu puella; ac nondum annus, opinor, expletus est a nuptiis. XA. Vera prædicas. Ev. Dicam igitur, sed taciturae. XA. Maxime. Ev. Illa prima mihi cura fuit, ut in omnibus essem jucunda marito, ne quid esset quod illius animum offenderet: observabam affectum ac sensum illius; observabam & tempora, & quibus rebus deliniretur, quibus irritaretur; quemadmodum facere solent ii, qui elephantos ac leones cicurant, aut similia animantia, quæ vi cogi non possunt. XA. Tale animal mihi domi est. Ev. Qui adeunt elephantos, non gestant vestem candidam; nec puniceam, qui tauros: quod his coloribus compertum sit ea animantia efferari. Quemadmodum & tigres tympanorum sonitu sic aguntur in rabiem, ut seipsas dilanient. Et qui tractant equos, habent voces, habent poppysmata & palpum, aliaque quibus ferocientes mitigent. Quanto magis decet nos his artibus uti erga maritos, quibuscum nobis, velimus nolimus, per omnem vitam est tectum ac lectus communis? XA. Perge quod cœpisti. Ev. His animadversis, attemperabam me illi, cavens ne quid offensæ nascere-tur. XA. Quinam id poteras? Ev. Primum in cura rerum domesticarum, quæ peculiaris est provincia matronarum, advigilabam, non solum cavens, ne quid esset prætermissum, verum etiam ut omnia congruerent ad illius sensum, in rebus etiam minutissimis. XA. Quibus? Ev. Puta, si maritus hoc aut illo cibo peculiariter delectetur, si cibus placeat hoc aut illo modo coctus, si lectus hoc aut illo modo stratus. XA. At quo pacto attemperares te ei, qui domi non esset, aut esset ebrius? Ev. Mane; isthuc ibam. Si quando maritus videbatur admodum tristis, nec esset appellandi tempus, nequaquam ridebam ac nugabar, quemadmodum nonnullæ mulieres solent; sed sumebam & ipsa vultum submœstum ac sollicitum. Quemadmodum enim speculum, si probum est, semper reddit imaginem intuentis: ita decet matremfamilias ad affectum mariti congruere, ne sit alacris illo mœrente, aut hilaris illo commoto. Quod si quando commotior erat, aut blando sermone leniebam, aut silentio concedebam iracundiæ, donec ea refrigerata tempus se daret vel purgandi, vel admonendi. Idem faciebam, si quando plus æquo potus redibat domum; nec id temporis nisi jucunda loquebar illi; tantum blanditiis pertrahebam ad lectum. XA. Infelix vero uxorum conditio, si iratis, ebriis, & quidquid libet patrantibus maritis tantum obsequentur. Ev. Quasi vero hoc non sit mutuum obsequium. Coguntur & illi multa ferre in moribus nostris. Est tamen tempus, cum in re seria fas est uxori monere virum, si quid est alicujus momenti: nam ad levia præstat connivere. XA. Quod tandem? Ev. Cum erit animo vacuo, nec commotus, nec sollicitus, nec potus, tum absque testibus blande monendus vel rogandus potius, ut in hoc aut illo melius consulat rei, aut famæ, aut valetudini suæ. Atque hæc ipsa admonitio leporibus ac facetiis erit condienda. Nonnunquam præfatione ab illo stipulari soleo, ne mihi succenserit, si quid stulta mulier admonerem, quod ad illius honorem, aut valetudinem, aut salutem facere videretur. Ubi monuissem quæ volebam, amputavi sermonem illum, & ad alia jucundiora deflectebam. Est enim fere hoc nostrum vitium, mea Xanthippe, ut semel exorsæ loqui, finem facere nequeamus. XA. Ajunt. Ev. Illud in primis cavebam; ne præsentibus aliis, maritum objurgarem, aut ne quid querelarum domo efferrem. Facilius sarcitur, si quid inter duos commissum est. Quod si quid exstiterit ejus generis, ut nec ferri possit, nec uxoris admonitione sanari, civilius est, ut uxor querelam deferat ad parentes & cognatos mariti, quam ad suos, & ita querelam temperet, ne videatur odisse maritum: sed vitium potius mariti. Nec tamen effutiat omnia; ut hic quoque tacitus agnoscat, & amet uxoris civilitatem. XA. Philosopham esse oportet, quæ ista præstet. Ev. Imo talibus factis maritos ad similem civilitatem invitabimus. XA. Sunt quos nulla civilitate corrigas. Ev. Equidem non arbitror; sed fac esse. Primum illud cogita; maritus ferendus est, qualisqualis est. Præstabilius igitur est ferre vel sui similem, vel paullo commodiorem factum nostra civilitate, quam nostra sævitia pejorem indies. Quid si proferam maritos, qui simili civilitate correxerunt sponsas suas? Quanto magis decet nos idem præstare adversus maritos? XA. Narrabis igitur exemplum meo marito dissimillimum. Ev. Est mihi familiaritas cum homine quodam nobili, docto, singularique morum dexteritate. Is duxerat puellam virginem, annos natam decem & septem, ruri in parentum ædibus perpetuo educatam, ut nobiles fere gaudent habitare ruri, ob venatum & aucupium. Rudem volebat ille, quo facilius illam ad suos mores fingeret: cœpit eam instituere literis ac musica, paullatimque assuefacere, ut redderet ea quæ audisset in concione, cæterisque rebus formare quæ post essent usui futuræ. Hæc quoniam erant nova puellæ, quæ domi suæ fuerat in summo otio, & inter famulorum colloquia lususque educata, cœperunt esse tædio. Detrectabat obsequium, & cum maritus urgeret, illa sine fine flebat, nonnunquam & in terram abjiciebat sese, occipitium illidens solo, quasi mortem optans. Earum rerum cum nullus esset finis, maritus dissimulato stomacho, invitabat uxorem, ut animi relaxandi gratia una proficiscerentur rus ad ædes soceri. Ibi lubens obtemperabat uxor. Eo cum ventum esset, maritus reliquit uxorem apud matrem & sorores, ipse cum socero prodibat venatum. Ibi submotis testibus denarrat socero, se sperasse jucundam vitæ sociam; nunc habere perpetuo lacrymantem, ac sese discruciantem, nec ullis monitis sanabilem: orat, ut sibi adsit in medendo filiæ morbo. Socer respondet; Se semel illi tradidisse filiam: quod si illa non obtemperaret verbis, uteretur suo jure, & verberibus eam emendaret. Tum gener, Novi, inquit, jus meum; sed malim eam tua vel arte, vel auctoritate sanari, quam ad hoc extremum remedium venire. Socer pollicitus est se curaturum. Post unum atque alterum diem captat tempus ac locum, ut solus esset cum filia: ibi vultu ad

1 *Sic visum est Christo*] Christus Matth. 19. 8. Divortia Israelitarum quæ levibus & variis de caussis fiebant, Deo non quidem præcipiente sed tolerante, plane abrogavit.

ad severitatem composito, incipit commemorare, quam illa esset infelici forma, quam non amabilibus moribus, quam sæpe metuisset, ne nullum illi posset invenire maritum. At ego meo maximo labore, inquit, talem inveni tibi, qualem nulla non optaret sibi, quantumvis felix. Et tamen tu, non agnoscens quid pro te fecerim, nec intelligens, te talem habere maritum, qui, nisi esset humanissimus, vix te dignaretur habere in ancillarum numero, rebellas illi. Ne longum faciam, sic incanduit patris oratio, ut vix videretur manibus temperare. Est enim vir ingenio mire vafro, qui citra personam omnem posset quamvis agere comœdiam. Ibi puella partim metu, partim veritate commota, accidit ad patris genua, rogans ut præteritorum vellet oblivisci, se in posterum memorem fore officii sui. Ignovit pater, pollicitus se quoque fore patrem amantissimum, si, quod polliceretur, præstaret. XA. Quid deinde? EV. Puella digressa a colloquio parentis, rediit in cubiculum, offendit maritum solum; accidit illi ad genua, & ait: Marite, hactenus non novi neque te, neque meipsam, posthac videbis me aliam factam; tantum obliviscere superiorum. Hanc vocem maritus excepit osculo, & omnia pollicitus est, si illa persisteret eo animo. XA. Quid? perstitit? EV. Usque ad mortem: neque quidquam erat tam humile, quod illa non alacris ac volens obiret volente marito. Tantus amor inter eos natus est & confirmatus. Post annos aliquot puella crebro sibi gratulata est, quod contigisset tali marito nubere; qui nisi contigisset, eram, inquit, omnium mulierum perditissima. XA. Talium maritorum non minus rara est copia, quam alborum corvorum. EV. Jam si molestum non est, referam tibi quiddam de marito, commoditate uxoris correcto, quod nuper accidit in hac ipsa civitate. XA. Nihil est quod agam, & perquam grata mihi est tua confabulatio. EV. Est vir quidam non postremæ nobilitatis; is, ut solet hoc hominum genus, plerumque venabatur. Ruri incidit in puellam quandam pauperrimæ muliercula filiam: in eam cœpit deperire, homo jam provectioris ætatis. Atque hujus gratia frequenter pernoctabat foris. Prætextus erat venatio. Uxor hujus, mulier insigni probitate, nescio quid suspicans, pervestigavit furta mariti sui: & eo profecta, nescio quo, adiit casam illam rusticanam; expiscata est de toto negotio, ubi dormiret, unde biberet, quis esset apparatus convivii. Nihil erat ibi supellectilis, sed mera paupertas. Abiit matrona domum, ac mox rediit, secum adducens lectum commodum & apparatum; vasa aliquot argentea; addidit pecuniam, admonens, ut si quando rediret ille, tractarent eum civilius, dissimulans interim sese uxorem esse, ac sororem esse simulans. Post dies aliquot redit eo furtim maritus; videt auctam supellectilem, & apparatum lautiorem. Rogat unde is nitor insolitus: ajunt, matronam quandam honestam illi cognatam hæc advexisse, ac mandasse ut honestius posthac acciperetur. Illico tetigit animum illius suspicio, uxoris hoc esse factum. Reversus domum, rogat num illic fuisset: illa non negat. Rogavit, & quo tandem consilio misisset eo supellectilem. Mi vir, inquit, assuetus es vitæ commodiori. Videbam illic te durius accipi; putabam esse officii mei, ut quando ita tibi cordi est, lautius illic habereris. XA. O matronam nimium bonam! Ego citius pro lecto substravissem illi fasciculum urticarum ac tribulorum. EV. Sed audi finem. Vir, perspecta tanta probitate, tantaque mansuetudine conjugis suæ, nunquam deinde usus est furtivo concubitu, sed domi semet oblectavit cum sua. Scio tibi notum esse Gilbertum Batavum. XA. Novi. EV. Is, ut scis, florenti ætate duxit uxorem jam provectiorem ac vergenti ætate. XA. Dotem fortasse duxit, non uxorem. EV. Sic est. Is fastidiens uxoris, adamabat mulierculam, cum qua se subinde oblectabat foris. Raro domi prandebat, aut cœnabat. Quid tu heic eras factura? XA. Quid? Ego illi adamatæ involassem in capillos, & maritum exeuntem ad illam, perfudissem lotio, ut sic unctus iret ad convivium. EV. At quanto hæc prudentius? Invitabat mulierculam domum suam, comiter accipiebat. Ita maritum quoque sine veneficiis domum pertraxit. Et si quando foris cœnabat cum illa, misit eo missum aliquem elegantiorem, jubens ut suaviter viverent. XA. Ego malim mori, quam esse lena mei mariti. EV. Verum interim rem ipsam expende. Nonne hoc multo satius erat, quam si sævitia sua prorsus alienasset maritum, ac totam ætatem in jurgiis exegisset? XA. Fateor minus esse mali, sed ego non possem. EV. Unum adjiciam, atque ita discedam ab exemplis. Hic vicinus noster, vir probus & integer, sed paulo iracundior, quodam die pulsaverat uxorem suam, fœminam laudatissimam. Ea se recepit in intimum conclave, atque illic lacrymans, atque singultiens, decoquebat animi ægritudinem. Aliquanto post per occasionem eodem ingressus est maritus; reperit uxorem flentem. Quid, inquit, heic lacrymas, ac singultis, puerorum more? Tum illa prudenter; Quid? inquit, an non hoc satius, ut heic deplorem malum meum, quam si in via vociferer, quemadmodum solent aliæ mulieres? Hoc dicto tam uxorio, fractus ac victus hominis animus, data dextra pollicitus est uxori, se posthac nunquam in illam conjecturum manus: nec fecit. XA. Ego idem impetravi a meo diversa ratione. EV. Sed interim est inter vos bellum perpetuum. XA. Quid igitur velles me facere? EV. Primum mussanda est tibi omnis injuria mariti, & animus illius officiis, comitate, mansuetudine paullatim est conciliandus: aut vinces tandem, aut certe multo commodiore uteris, quam nunc uteris. XA. Ille ferocior est, quam ut ullis officiis mansuescat. EV. Eja, ne dixeris. Nulla est fera tam immanis, quin officiis cicuretur; ne desperes in homine. Fac periculum menses aliquot; me accusa, nisi senseris consilium hoc tibi fuisse bono. Sunt etiam quædam vitia, ad quæ tibi connivendum est. Illud ante omnia tibi cavendum censeo, ne quid rixæ moveas in cubiculo, aut in lecto: sed curandum est, ut illic omnia sint festiva ac jucunda. Etenim si is locus, qui diluendis offensis, farciendæque gratiæ consecratus est, lite aut ægritudine quapiam profanetur; jam sublatum est omne remedium benevolentiæ reconciliandæ. Sunt enim fœminæ quædam tam morosæ, ut in ipso etiam coitu querantur ac rixentur, eamque voluptatem, quæ diluere solet ex animis virorum, si quid inerat molestiæ, morum fastidio reddant insuavem; pharmacum ipsum vitiantes, cum licuisset mederi offensis. XA. Istud mihi frequenter accidit. EV. Atqui tametsi semper est cavendum uxori, ne qua re molesta sit viro, tamen id maxime studere debet, ut in eo congressu se viro præbeat modis omnibus commodam & jucundam. XA. Viro! mihi cum bellua res est. EV. Mitte male loqui: fere nostra culpa viri mali sunt. Sed ut ad rem redeam: qui versantur in priscis fabulis Poetarum, narrant Venerem (eam faciunt deam connubii præsidem) habere cestum arte Vulcani confectum: in eo intextum esse quidquid est amatorii medicamenti: eo se cingit, quoties congressura est cum marito. XA. Fabulam audio. EV. Verum: sed audi, quid sibi velit fabula. XA. Dic. EV. Illud docet, uxorem omnem curam adhibere oportere, ut in congressu connubiali jucunda sit marito, quo recalescat ac redintegretur amor ille maritalis; & discutiatur ex animo, si quid erat offensionis aut tædii. XA. Sed unde nobis cestus ille? EV. Nihil opus veneficiis aut incantamentis. Nullum incantamentum efficacius, quam morum probitas cum suavitate conjuncta. XA. Ego tali marito blandiri non possum. EV. At hoc tua refert, ut desinat esse talis. Si Circes artibus posses maritum vertere in suem aut ursum, faceres? XA. Nescio. EV. Nescis? An malles habere suem maritum, quam hominem? XA. Equidem malim hominem. EV. Age, quid si Circes artibus posses ex temulento reddere sobrium, ex prodigo frugalem, ex cessatore diligentem; nonne faceres? XA. Plane facerem; sed unde mihi istæ artes? EV. Atqui istas artes habes in te, si modo velis adhibere. Tuus, velis nolis, sit oportet. Quo meliorem eum reddideris, hoc magis consulueris tibi. Tu tantum oculos habes defixos in illius vitia; eaque tibi exaggerant odium; & hac ansa tantum arripis illum, qua teneri non potest. Illa potius contemplare, quæ bona sunt in illo; & hac ansa prehende illum, qua teneri potest. Antequam illi nuberes, tempus erat expendendi, quid haberet malorum. Oportebat enim non oculis solum, verum etiam auribus maritum deligere: nunc medendi tempus est, non accusandi. XA. Quæ mulier unquam auribus cepit maritum? EV. Oculis capit, quæ nihil aliud spectat, quam corporis formam: auribus, quæ diligenter observat, quid fama de illo prædicet. XA. Pulcre mones, sed sero. EV. At non serum est studere corrigendo marito. Ad eam rem conducet, si quid pignoris ex te natum fuerit viro. XA. Jam natum est. EV. Quando? XA. Jam pridem.

Ev. Quot menses sunt? Xa. Ferme septem. Ev. Quid ego audio? Tu nobis [1] trimestris foetus jocum renovas? Xa. Nequaquam. Ev. Ita necesse est, si tempus a nuptiarum die supputas. Xa. Imo ante nuptias fuerat mihi cum eo colloquium. Ev. An ex colloquio nascuntur pueri? Xa. Forte solam nactus, coepit alludere, titillans axillas, ac latera, quo me provocaret ad risum. Ego non ferens titillationem, me resupinabam in lectum; ille incumbens figebat oscula, nec satis scio quid egerit praeterea: certe paucis post diebus uterus coepit intumescere. Ev. I nunc, & maritum contemne; qui si lusitans gignit liberos, quid faciet cum serio rem aget? Xa. Suspicor & nunc me gravidam esse. Ev. Euge contigit felici fundo bonus cultor. Xa. Hac in parte plus praestat, quam vellem. Ev. Ista querela tibi cum paucis uxoribus est communis. Sed inter vos intercesserat pactum connubiale? Xa. Intercesserat. Ev. Levius igitur peccatum est. Estne proles mascula? Xa. Est. Ev. Illa vos rediget in gratiam, si tu vel paullulum temet accommodes. Quid alii praedicant de tuo marito sodales, & quibuscum habet commercium foris? Xa. Praedicant eum esse moribus commodissimis, comem, liberalem, amicum amico. Ev. Et ista mihi bonam spem faciunt, illum fore qualem volumus. Xa. At mihi uni talis non est. Ev. Sed tu te illi praebeto, qualem dixi, meque pro Eulalia, voca Pseudolaliam, nisi tibi quoque talis esse coeperit. Quin & illud cogita, illum adhuc juvenem esse, nondum opinor egressum annos viginti quatuor: nondum novit, quid sit esse patremfamilias. Jam non est tibi cogitandum de divortio. Xa. At frequenter cogitavi. Ev. Verum ea cogitatio, si quando tibi inciderit in mentem, primum reputa tecum quam nihili res sit foemina divulsa a viro. Summum decus matronae est, morigeram esse suo conjugi. Ita natura comparatum est, ita voluit Deus, ut [2] mulier tota pendeat a viro. Tantum cogita id quod res est: maritus est, alius non potest obtingere. Deinde veniat in mentem puellus ille duobus communis. Quid de illo statues? Auferes tecum? fraudabis maritum sua possessione? Relinques apud illum? spoliabis teipsam eo, quo nihil habes carius? Postremo dic mihi, habesne quae tibi male velint? Xa. Habeo novercam germanam; praeterea socrum huic simillimam. Ev. Adeo tibi male volunt? Xa. Cuperent exstinctam. Ev. Et istae tibi fac ut in mentem veniant. Quid enim illis possis facere gratius, quam si videant te divulsam a marito, viduam, imo plus quam viduam vivere? Nam viduis licet alteri nubere. Xa. Equidem probo tuum consilium, sed taedet diutini laboris. Ev. At reputa quantum laborum sumseris prius, quam hunc psittacum docueris quaedam humana verba sonare. Xa. Plurimum profecto. Ev. Et piget operam sumere in fingendo marito, qui cum perpetuo suaviter degas aetatem? Quantum laboris sumunt homines, ut equum sibi commodum reddant? & nos pigebit adlaborare, ut maritis utamur commodioribus? Xa. Quid faciam? Ev. Jam dixi. Cura ut domi niteant omnia, ne quid sit molestiae, quod illum exigat ex aedibus. Tu te illi comem praebe, semper interim memor reverentiae cujusdam, quam uxor debet marito. Absit tristitia; sed absit & petulantia: nec putida sis, nec lasciva. Sit apparatus domi lautus. Nosti palatum mariti: quod illi suavissimum est, id coquito. Quin etiam iis, quos ille amat, comem & affabilem te praebeto. Hos frequenter ad convivium voca. In convivio facito, ut laeta plenaque hilaritatis sint omnia. Denique si quando ille vino laetior pulsabit suam testudinem, tu voce accinito. Sic assuefacies maritum manere domi, & minues impensas. Sic enim ille cogitabit tandem; Nae ego insigniter insanio, qui foris magna rei famaeque jactura victitem cum scorto, cum domi habeam uxorem multo lepidiorem, meique amantiorem, apud quam nitidius ac lautius accipi liceat. Xa. An credis successurum, si tentem? Ev. Me vide. Ad me recipio. Interim & maritum tuum aggrediar; admonebo & illum sui officii. Xa. Laudo consilium: at vide ne quid hujus rei suboleat ipsi; [3] misceret coelum terrae. Ev. Ne metue. Ita per ambages temperabo sermonem, ut ipse mihi narret, quid inter vos sit turbarum. Hoc facto, meo more tractabo illum blandissime, & ut spero, tradam eum tibi commodiorem. De te per occasionem mentiar, quam amanter de illo sis locuta. Xa. Christus bene fortunet quod agimus. Ev. Aderit, modo ne desis tibi.

MILITIS, ET CARTHUSIANI.

Mi. Salve, mi frater. Ca. Salve & tu, germane carissime. Mi. Vix te agnosco. Ca. Adeone consenui intra biennium? Mi. Non: sed caput rasum, nova vestis faciunt, ut mihi videaris aliud quoddam animal. Ca. Itane non agnosceres uxorem tuam, si tibi occurreret induta nova veste? Mi. Non, si tali. Ca. At ego te probe agnosco, cui non solum vestis mutata est, verum etiam facies, totusque corporis habitus. Quot coloribus pictus es? Nulla avis aeque variat plumas suas. Tum quam omnia secta, quam nihil juxta naturam aut morem communem! Adde tonsum verticem, barbam semirasam, silvam, quae supra labrum superius est, perplexam, nec aliter hinc & hinc prominentem, quam solent in felibus pili longiores. Nec una cicatrix foedavit vultum; ut [4] Samius quispiam literatus videri possis, de quo jocus est proverbii. Mi. Sic decet redire e bello. Sed dic mihi erat heic tanta bonorum medicorum inopia? Ca. Quam ob rem? Mi. Quia nulli commiseris sanandum cerebrum tuum prius, quam in hanc servitutem te praecipitem dares. Ca. Itane videor insanisse? Mi. Maxime. Quid erat necesse heic te sepeliri ante tempus, cum esset unde commode viveres in mundo? Ca. An nunc non videor tibi in mundo vivere? Mi. Non, per Jovem. Ca. Dic quam ob rem? Mi. Quia non licet ambulare quo velis. Huic loco velut caveae includeris: adde rasuram, vestem prodigiosam, solitudinem, piscium perpetuum esum, ut mirer teipsum non verti in piscem. Ca. Si verterentur homines in omnia quibus vescuntur, tu jam pridem porcus esses. Nam suilla soles delectari. Mi. Non dubito quin jam dudum poeniteat te instituti: paucos enim comperio, quos non capiat poenitudo. Ca. Hoc illis usu venit, qui se in hoc vitae genus velut in puteum praecipitant: ego descendi sensim & consulto, prius explorato me ipso, perspectaque tota hujus vitae ratione, jam annos natus viginti octo, qua aetate sibi quisque notus esse potest. Quod ad locum attinet, tu quoque loco angusto concluderis, si totius mundi consideres amplitudinem. Nec refert quam spatiosus sit locus, modo nihil desit ad vitae commoditatem. Multi raro aut nunquam exeunt civitatem, in qua nati sunt: qui si vetarentur exire, magnopere sibi displicerent, & incesseret illis mira libido relinquendae civitatis, hic affectus vulgaris est; quo ego careo. Imaginor, heic totum esse mundum, & haec tabula mihi totum terrarum orbem repraesentat, quem ego cogitatione jucundius simul & tutius perambulo, quam is qui navigavit ad novas insulas. Mi. Heic tu propemodum dicis verum. Ca. Rasuram damnare non potes, qui volens tondearis, utique commoditatis gratia. Mihi rasura, si nihil aliud, certe reddit caput purius, ac fortasse salubrius. Venetiae quam multi patricii totum etiam caput radunt? Quid autem habet prodigiosum vestis? Nonne tegit corpus? Ad duplicem usum adhibetur vestis, ut depellatur injuria coeli, eaque velet quae pudor jubet tegi. An non hos usus praebet haec vestis? Sed offendit color; quis color magis decet omnes Christianos, quam is qui datus est omnibus in baptismo? Dictum est tibi quoque; Accipe vestem candidam. Haec itaque vestis admonet me, quid promiserim in baptismo; nimirum innocentiae perpetuum studium. Porro solitudinem si vocas turbae fugam; hoc exemplum est non nostrum, sed veterum Prophetarum, atque etiam Philosophorum Ethnicorum, & quibuscunque bonae mentis cura fuit; imo Poetae, Astrologi, ac similibus artibus dediti,

1 *Trimestris foetus*] Allusit ad proverbialem versum, qui est apud Suetonium: τοῖς ἐυτυχῦσι καὶ τρίμηνα παιδία. Felicibus etiam trimestres filii. Verba Suetonii sunt: *Patrem Claudii Caesaris Drusum, olim decimum, mox Neronem praenomine, Livia, cum Augusto gravida nupsisset, intra mensem tertium peperit: fuitque suspicio ex vitrico per adulterii consuetudinem procreatum. Statim certe vulgatus est versus:* τοῖς ἐυτυχῦσι, &c.

2 *Mulier tota pendeat*] Eph. 5. 22. 23. 24. *Uxores propriis viris subjicite vos ut Domino: quoniam vir est caput uxoris, ut & Christus est caput ecclesiae. Itaque sicut ecclesia se subjicit Christo, ita & uxores se suis viris subjiciunto in omnibus.*

3 *Misceret coelum terrae*] Proverbialis hyperbole est, pro eo, quod est: *Omnia perturbaret.* De vehementi perturbatione dictum est proverbium. Juvenalis:

Licet & mare coelo confundas, homo sum.

4 *Samius*] Proverbium in cicatricosos & stigmatum plenos convenit. Inde autem dictum, quod cum Samii captivis Atheniensium inussissent noctuam, Athenienses vicissim Samiis inurebant Samaenam, quam in collectaneis opinor dictam σάμαιν. Id erat genus navis lato ventre, a prora veluti suillum rostrum praeferens. Alii tamen aliam originem ostendunt. Vide *Chiliades*.

ti, quoties aliquid magni ac supra vulgus hominum moliuntur, secessum quærere solent. Cur autem voces hanc solitudinem? Unius amiculi confabulatio pellit solitudinis tædium. Heic habeo sodales omnium rerum plus quam sedecim. Ad hæc intervisunt amici crebrius quam vellem, aut expedit; & tibi videor in solitudine vivere? Mi. At non semper licet cum his confabulari. Ca. Nec semper expedit. Atque hoc jucundior est confabulatio, quod voluptatis gratiam augeat interrupta copia. Mi. Non pessime conjectas. Nam mihi quoque suaviores sunt carnes revoluto Pascha post quadragesimam. Ca. Nec interim tamen, cum maxime videor solus, desunt mihi confabulones, longe festiviores ac suaviores istis vulgaribus congerronibus. Mi. Ubi sunt? Ca. Vides heic codicem Euangelicum? in hoc mecum fabulatur ille, qui, olim additus facundus comes in via duobus discipulis proficiscentibus in Emauntem, effecit, ut non sentirent itineris laborem, sed sentirent dulcissimum cordis ardorem, inhiantes mellitis illius sermonibus. In hoc mihi loquitur Paulus, in hoc Esaias, cæterique Prophetæ. Heic mecum confabulatur dulcissimus ille Chrysostomus, heic Basilius, heic Augustinus, heic Hieronymus, heic Cyprianus, cæterique non minus eruditi quam facundi doctores. An nosti ullos tam amœnos confabulones, quos cum his conferas? An in tali sodalitio, quod mihi nunquam non adest, reputas obrepere posse solitudinis tædium? Mi. Mihi frustra loquerentur non intellecturo. Ca. Jam quid refert quibus rebus hoc corpusculum alatur? cui minimo satis sit, si juxta naturam vivamus. Uter nostrum habitior? tu, qui vesceris perdicibus, phasianis, & capis; an ego, qui vivo piscibus? Mi. Si tibi esset uxor, ut mihi est, minus haberes succi. Ca. Et ideo sufficit quilibet cibus, & quantumvis exiguus. Mi. Sed interim agitas vitam Judaicam. Ca. Bona verba: Christianam, si non assequimur, certe sequimur. Mi. In veste, cibo, preculis, cæterisque cærimoniis ponitis fiduciam, neglecto studio pietatis Euangelicæ. Ca. Quid alii faciant, non est meum judicare: ego his rebus nequaquam confido, minimumque tribuo; sed in animi puritate & in Christo colloco fiduciam. Mi. Cur igitur observas? Ca. Ut mihi pax sit cum fratribus meis; & ne cui quoquo modo sim offendiculo. Nolim autem offendere quenquam ob hujusmodi res leviculas, quas nihil est negotii servare. Ut sumus homines quacunque veste tecti; minutissimarum etiam rerum similitudo aut dissimilitudo conciliat aut dirimit concordiam. Rasum caput, aut vestis color, per se quidem non commendat me Deo. Sed quid diceret populus, si comam alerem, aut tuam istam vestem sumerem? Reddidi tibi rationem mei consilii: nunc quæso ut mihi vicissim tui consilii rationem reddas, dicasque, ubi cessarint omnes boni medici, cum relicta domi uxore juvencula & liberis, proficisceretis in militiam, vili salario conductus ad jugulandos homines, idque tui quoque capitis periculo. Neque enim tibi res erat cum fungis aut papaveribus, sed cum armatis viris. Utrum vero putas infelicius, jugulare Christianum hominem ob mercedulam, a quo nunquam sis læsus, an te ipsum simul, & corpus, & animam, in æternum exitium mittere? Mi. Fas est occidere hostem. Ca. Fortassis est, si impetat patriam tuam. Tum pium videri potest, pugnare pro liberis & uxore, pro parentibus & amicis, pro aris & focis, pro tranquillitate publica. Quid istuc ad tuam militiam mercenariam? Ego, si periisses in hoc bello, non redemissem animam tuam vitiosa nuce. Mi. Non? Ca. Non, ita me Christus bene amet. Jam utrum existimas durius, obedire bono viro, quem nos *Priorem* vocamus, qui vocet ad preces, ad sacram lectionem, ad doctrinam salutarem, ad psallendum Deo: an obedire barbaro cuipiam Centurioni, qui sæpe magnis ac nocturnis itineribus vocet quo lubet, ac revocet; qui bombardarum ictibus objiciat, qui jubeat te stare loco aut occisurum, aut occidendum? Mi. Minus narras, quam res habeat, malorum. Ca. Si quid ego deflexero a disciplina hujus instituti, pœna est admonitio, aut aliud leve quiddam: tibi, si quæ committas adversus leges imperatorias, aut pendendum est, aut nudo inter intentatas in te lancearum cuspides eundum. Nam plecti capite, beneficium est. Mi. Non possum refragari veris. Ca. Jam cultus iste satis indicat, te non multum nummorum referre domum. Mi. Nummorum mihi jam pridem ne pilus quidem fuit, imo multum æris alieni conflavi. Proinde huc deflexi, ut me instruas viatico. Ca. Utinam huc deflexisses, cum properares in sceleratam istam militiam! Sed unde tanta nuditas? Mi. Rogas unde? Quidquid ex salario, quidquid ex prædationibus, sacrilegiis, rapinis, furtis parare licuit, id totum absumebatur in vina, scorta, & aleam. Ca. O te miserum! Et interim uxorcula, cujus gratia Deus jussit relinqui patrem & matrem, domi mœrebat deserta cum parvis liberis. Et interea tibi videbaris vivere in tantis miseriis, in tantis sceleribus? Mi. Hoc fallebat sensum malorum, quod innumeros haberem malorum socios. Ca. Quin illud vereor, ne uxor te non agnoscat. Mi. Qui sic? Ca. Quia sic cicatrices pinxerunt tibi novam faciem. In fronte quam fossam habes? Videtur tibi exsectum fuisse cornu. Mi. Imo si rem nosses, gratulareris mihi hanc cicatricem. Ca. Quam ob rem? Mi. Minimo minus aberat, quin perierim. Ca. Quid erat mali? Mi. Cuidam tendenti rupta est balista chalybea; ejus fragmentum insiliit in frontem. Ca. Et in bucca cicatricem habes palmo longiorem. Mi. Hoc vulnus accepi in pugna. Ca. Bellica? Mi. Non: inter aleam ortum est dissidium. Ca. Jam & in mento video nescio quid gemmarum. Mi. Nihil est. Ca. Suspicor tibi contractam scabiem, quam vocant Hispanicam. Mi. Recte divinas, mi frater. Tertium ea laboravi usque ad vitæ periculum. Ca. Unde hoc mali accidit tibi, ut sic incurvus incedas, quasi esses nonagenarius, aut quasi messor quispiam, aut quasi delumbatus esses fuste? Mi. Morbus ita contraxit nervos. Ca. Næ heic magnificam passus es metamorphosin. Antehac eras eques, nunc ex centauro factus es animal semireptile. Mi. Hæc nimirum est alea Martis. Ca. Imo hæc est insania tuæ mentis. Quas vero manubias uxori tuæ, liberisque tuis referes domum? lepram? Nam ista scabies nihil aliud est, quam lepræ species; nisi quod ideo non vitatur, quia multorum est communis, præcipue nobilium: at ob hoc ipsum magis debebat vitari. Nunc istud malum adfricabis iis, qui tibi debuerant esse carissimi: & ipse per omnem vitam putre cadaver circumferes. Mi. Quæso te, frater, ut desinas: satis malorum est, etiamsi non accedat objurgationis molestia. Ca. Quotam autem malorum partem commemoravi? Ista corporis duntaxat sunt. Jam animam vero qualem reportas, quanta scabie putrem, quot vulneribus sauciam? Mi. Tam puram refero, quam est *cloaca* Parisiis in via, quæ dicitur vulgo *Mauberti*, aut latrina publica. Ca. Vereor ne multo pejus oleat apud Deum & angelos ejus. Mi. Sed jam rixæ satis est; dic aliquid de farciendo viatico. Ca. Mihi nihil est quod dem, experiar quid velit Prior. Mi. Atqui si quid daretur, essent tibi paratæ manus: nunc multæ obstant difficultates, quando numerandum est aliquid. Ca. Quid alii faciant, ipsi viderint: mihi nec ad accipiendum, nec ad dandum sunt manus. Verum de his a prandio; nunc tempus monet, ut accumbamus.

PSEUDOCHEI, ET PHILETYMI.

Ph. Unde tibi scatet tanta mendaciorum vis? Ps. Unde suppetunt araneæ fila? Ph. Non est igitur artis, sed naturæ. Ps. A natura profecta sunt semina; ars & usus auxere facultatem. Ph. Non te pudet? Ps. Non magis quam coccycem suæ cantionis. Ph. At tibi in manu est mutare cantionem tuam; & in hoc est homini data lingua, ut vera prædicet. Ps. Imo ut conducibilia. At non semper expedit vera dicere. Ph. Ita nonnunquam conducit habere manus furaces. Et hoc vitium esse tuo cognatum, testatur etiam populare proverbium. Ps. Utrumque vitium honestis nititur auctoribus: illud habet Ulyssem tantopere laudatum ab Homero; hoc Mercurium etiam Deum, si Poetis credimus. Ph. Cur igitur vulgus execratur mendaces; fures etiam subiguntur in crucem? Ps. Non ideo quod mentiantur, aut furentur, sed quod inscite mentiantur aut furentur; vel quia præter naturam, vel quia non satis callentes artem. Ph. Estne scriptor quispiam, qui tradit artem mentiendi? Ps. Bonam artis partem monstravere tui Rhetores. Ph. Hi quidem tradunt artem bene dicendi. Ps. Verum; sed bona pars bene dicendi est, scite mentiri. Ph. Quid est scite mentiri? Ps. Vis definiam? Ph. Volo. Ps. Est ita mentiri, ut lucro sit, nec deprehendi possis. Ph. At quotidie deprehenduntur multi. Ps. Isti non sunt artifices absoluti. Ph. Es igitur tu absolutus artifex? Ps. Propemodum. Ph. Experire an me possis mentiendo fallere. Ps. Et te quo-

que possim, vir optime, si libeat. Ph. Dic igitur aliquod mendacium. Ps. At jam dixi. Non deprehendisti? Ph. Non. Ps. Age, fac sis attentus. Nunc incipiam mentiri. Ph. Sum attentus: dic aliquid. Ps. At jam iterum mentitus sum, te non deprehendente. Ph. Equidem nihil adhuc audio mendacii. Ps. Audisses, si calleres artem. Ph. Proinde commonstra tu. Ps. Primum appellavi te virum optimum. An non istuc est insigne mendacium, cum ne bonus quidem sis; &, si bonus esses, optimus dici non possis, cum sint innumeri te meliores. Ph. Heic plane fefelleras. Ps. Jam fac periculum, an possis alterum mendacium ex te deprehendere. Ph. Non possum. Ps. Heic desidero ingenium, quod alibi præstas. Ph. Fateor; ostende tu. Ps. Cum dicerem, nunc incipiam mentiri, nonne magnifice mentiebar, cum tot annos assueverim mentiri, & paullo ante quam hoc dicerem, essem mentitus? Ph. Mirum præstigium. Ps. Sed nunc saltem monitus arrige aureis, ut deprehendas mentientem. Ph. Arrexi; dic. Ps. Imo jam dictum est, & tu meum mendacium es imitatus. Ph. Tu mihi persuadebis, quod nec aures habeam, nec oculos. Ps. Cum homini sint aures immobiles, ut nec arrigi possint, nec demitti, mentiebar te arrecturum aures. Ph. Talibus mendaciis plena est omnis hominum vita. Ps. Non talibus tantum, ô bone. Nam hæc ludicra sunt: sunt quæ rem adferant. Ph. Turpius est lucrum ex mendacio, quam ex lotio. Ps. Verum est, inquam; sed iis qui mentiendi nesciunt artem. Ph. Quam igitur tu calles artem? Ps. Non æquum est, ut te gratis doceam: numera; & audies. Ph. Non emo malas artes. Ps. Donas igitur gratis fundum tuum? Ph. Non sic insanio. Ps. At ago ex hac arte mea certiores capio fructus, quam tu ex tuo fundo. Ph. Manebit tibi ars tua; tantum profer specimen, ut intelligam non omnino vanum esse quod dicis. Ps. Accipe igitur specimen. Multis multorum negotiis memet admisceo: emo, vendo, recipio, sumo mutuo, accipio depositum. Ph. Quid tum postea? Ps. Atque heic potissimum capto eos, a quibus non facile deprehendar. Ph. Quos? Ps. Stupidos, obliviosos, incogitantes, longe semotos, & mortuos. Ph. Certum est mortuos neminem redarguere. Ps. Si quid cui vendo in diem, diligenter annoto in libellis rationum. Ph. Quid deinde? Ps. Ubi reddenda est pecunia, plus imputo mercium emptori, quam acceperit. Is si incogitans est, aut obliviosus, mihi certum est lucrum. Ph. Quid si deprehendat? Ps. Profero librum rationalem. Ph. Quid si is doceat & evincat, se non accepisse quod imputas? Ps. Reclamo quantum possum. Nam in hac arte prorsus inutilis est pudor. Denique extrema ancora est, ut aliquid comminiscar. Ph. Quid palam deprehensus? Ps. Nihil est facilius, erravit famulus; aut, ipse lapsus sum memoria. Scitum est, multas simul miscere rationes: heic facilius est imponere. Exempli caussa: sunt quædam dispuncta, quod soluta sit pecunia: sunt alia pro quibus nihil numeratum est. Hæc in posterioribus codicillis misceo, sic ut nihil dispungam. Ubi supputatur, contendimus, & vinco plerumque, vel perjurio. Est & hoc artis: fere rationem ineo cum accincto ad iter, & imparato. Nam mea mihi semper parata sunt. Deponitur aliquid apud me, servo clam apud me, nec reddo. Longum est prius quam rescifcat ille, ad quem res missa est. Tandem si non licebit inficiari, dico mihi perisse: aut contendo me misisse, quod non misi: incuso aurigas. Postremo, si vitare non possum, quin reddam, reddo accisum. Ph. Bella vero ars! Ps. Nonnunquam eodem nomine bis accipio pecuniam, si liceat: primum domi, deinde illic quo proficiscor: & nusquam non sum. Interim tempus inducit oblivionem, confunduntur rationes, aliquis moritur, aut suscipit longinquam peregrinationem: ut omnia pessime cadant, saltem interim usus sum aliena pecunia. Nonnullos etiam capto specie benignitatis, ut faveant mentienti, sed semper de alieno: de meo nec matri darem teruncium. Quanquam autem in singulis videatur lucrum exiguum, ex multis tamen (multis enim memet, ut dixi, misceo) nascitur acervus haud quaquam pœnitendus. Porro ne deprehendar, cum multæ sint technæ, tum illa præcipua: omneis omnium epistolas, quas possum, intercipio, resigno ac lego. Si quid obfuturum suspicor, premo: aut si reddo, reddo meo tempore. Ad hæc inter longo semotos intervallo, mendaciis meis sero simultatem. Ph. Quis istinc usus? Ps. Geminus. Primum, si non præstatur quod alterius nomine promisi, & quo nomine munus etiam accepi; nam fumos hujusmodi magno vendo: fingo, per illum aut illum stetisse, quo minus perfectum sit. Ph. Quid si neget ille? Ps. Is procul abest, puta Basileæ; ego polliceor in Anglia: deinde fit, ut orta simultate neuter alteri credat, si quid incuset. Habes specimen artis. Ph. At istam artem, nos crassiores, solemus vocare *furtum*, qui ficum vocamus ficum, & scapham scapham. Ps. O hominem juris Cæsarei rudem! An licet intendere actionem furti ei qui suppressit depositum, aut qui abjurat mutuum, aut simili techna imposuit? Ph. Oportuit. Ps. Proinde vide prudentiam artificum. Ex his plus est lucri, aut certe tantundem; & minus est periculi. Ph. Male sit tibi cum tuis technis ac mendaciis. Non enim libet dicere, Vale. Ps. Tu ringere cum tua pannosa veritate; ego interim suaviter agam cum meis furtis ac mendaciis, dextro Ulysse ac Mercurio.

Naufragium.

ANTONIUS, ADOLPHUS.

An. Horrenda narras. Est istuc navigare? Prohibeat Deus, ne mihi quidquam unquam tale veniat in mentem. Ad. Imo quod hactenus memoravi, lusus merus est, præ his quæ nunc audies. An. Plus satis malorum audivi: inhorresco te memorante, quasi ipse periculo intersim. Ad. Imo mihi jucundi sunt acti labores. Ea nocte quiddam accidit, quod magna ex parte spem salutis ademit nauclero. An. Quid obsecro! Ad. Nox erat sublustris, & in summo malo stabat quidam e nautis in galea, sic enim vocant, opinor; circumspectans, si quam terram videret: huic cœpit adsistere sphæra quædam ignea: id nautis tristissimum ostentum est, si quando solitarius ignis est; felix, cum gemini. Hos vetustas credidit Castorem & Pollucem. An. Quid illis cum nautis, quorum alter fuit eques, alter pugil. Ad. Sic visum est Poetis. Nauclerus qui clavo assidebat, Socie, inquit, (nam eo nomine se mutuo compellant nautæ;) videsne, quod sodalitium tibi claudat latus? Video, respondit ille; & precor ut sit felix. Mox globus igneus delapsus per funes, devolvit sese usque ad nauclerum. An. Num ille exanimatus est metu? Ad. Nautæ assuevere monstris. Ibi paullisper commoratus, volvit se per margines totius navis: inde per medios foros dilapsus evanuit. Sub meridiem cœpit magis ac magis incrudescere tempestas. Vidistine unquam Alpes? An. Vidi. Ad. Illi montes verrucæ sunt, si conferantur ad undas maris. Quoties tollebamur in altum, licuisset lunam digito contingere: quoties demittebamur, videbamur, dehiscente terra, [1] recta ire in Tartara. An. O insanos qui se credunt mari! Ad. Nautis frustra luctantibus cum tempestate, tandem nauclerus totus pallens nos adiit. An. Is pallor præsagit aliquod magnum malum. Ad. Amici, inquit, desii esse dominus navis meæ; vicere venti; reliquum est ut spem nostram collocemus in Deo, & quisque se paret ad extrema. An. O vere Scythicam concionem! Ad. In primis autem, inquit, exoneranda est navis; sic jubet necessitas durum telum: præstat consulere vitæ, dispendio rerum, quam simul cum rebus interire. Persuasit veritas: projecta sunt in mare plurima vasa plena preciosis mercibus. An. Hoc erat vere jacturam facere. Ad. Aderat Italus quidam, qui legatum egerat apud Regem Scotiæ; huic erat scrinium plenum vasis argenteis, anulis, panno, ac vestimentis sericis. An. Is nolebat decidere cum mari? Ad. Non; sed cupiebat aut perire cum amicis opibus suis, aut simul cum illis servari. Itaque refragabatur. An. Quid nauclerus? Ad. Per nos, inquit, liceret tibi cum tuis perire solum: sed æquum non est, ut nos omnes tui scrinii caussa periclitemur, alioqui te una cum scrinio dabimus in mare præcipitem. An. Orationem vere nauticam. Ad. Sic Italus quoque jacturam fecit, multa mala precans & superis & inferis, quod suam vitam elemento tam barbaro credidisset. An. Agnosco vocem Italicam. Ad. Paullo post venti nihilo mitiores facti nostris muneribus, rupere funes, disjecere vela. An. O calamitatem! Ad. Ibi rursus nos adit nauta. An. Concionaturus? Ad. Salutat: Amici, inquit, tem-

1 *Recta ire in Tartara*] Alludit ad versus Ovidii Trist. Lib. 1. El. 2.

Me miserum quanti montes volvuntur aquarum?
Jam jam tacturos sidera summa putes.
Quanta diducto subsidunt æquore valles?
Jam jam tacturas Tartara nigra putes.

A tempus hortatur ut unusquisque Deo se commendet, ac morti se præparet. Rogatus a quibusdam nauticæ rei non imperitis, ad quot horas se crederet posse tueri navem, negavit se posse polliceri quidquam, sed ultra tres horas non posse. AN. Hæc concio durior etiam erat priore. AD. Hæc ubi locutus est, jubet incidi funes omnes, ac malum usque ad thecam, cui inseritur, incidi serra, ac simul cum antennis devolvi in mare. AN. Cur hoc? AD. Quoniam sublato aut lacero velo erat oneri, non usui: tota spes erat in clavo. AN. Quid interea vectores? AD. Ibi vidisses miseram rerum faciem: nautæ canentes, Salve Regina, implorabant matrem Virginem, appellantes eam stellam maris, reginam cœli, dominam mundi, portum salutis, aliisque multis titulis illi blandientes, quos nusquam illi tribuunt sacræ literæ.

B AN. Quid illi cum mari, quæ nunquam, opinor, navigavit? AD. Olim Venus agebat curam nautarum, quia nata 1 credebatur ex mari: ea quoniam desiit curare, suffecta est huic matri non virgini, Virgo mater. AN. Ludis. AD. Nonnulli procumbentes in tabulas, adorabant mare, 2 quidquid erat olei effundentes in undas, non aliter illi blandientes, quam solemus irato principi. AN. Quid ajebant? AD. O clementissimum mare, ô generosissimum mare, ô ditissimum mare, ô formosissimum mare; mitesce, serva, hujusmodi multa occinebant 3 surdo mari. AN. Ridicula superstitio. Quid alii? AD. Quidam nihil aliud quam vomebant; plerique vota nuncupabant. Aderat Anglus quidam, qui promittebat montes aureos Virgini Walsamgamicæ, si vivus attigisset terram.

C Alii multa promittebant ligno crucis, quod esset in tali loco; alii rursum quod esset in tali loco. Idem factum est de Maria virgine, quæ regnat in multis locis; & putant votum irritum, nisi locum exprimas. AN. Ridiculum: quasi divi non habitent in cœlis. AD. Erant qui se promitterent fore Carthusianos. Erat unus qui polliceretur se aditurum divum Jacobum, qui habitat Compostellæ, nudis pedibus & capite, corpore tantum lorica ferrea tecto, ad hæc cibo emendicato. AN. Nemo meminit Christophori? AD. Unum audivi non sine risu, qui clara voce, ne non exaudiretur, polliceretur Christophoro, qui est Lutetiæ in summo templo, mons verius quam statua, cereum tantum, quantus esset ipse.

D Hæc cum vociferans quantum poterat, identidem inculcaret, qui forte proximus assistebat illi notus, cubito tetigit eum, ac submonuit: *Vide quid pollicearis: etiamsi rerum omnium tuarum auctionem facias, non fueris solvendo.* Tum ille voce jam pressiore, ne videlicet exaudiret Christophorus: *Tace*, inquit, *fatue; an credis me ex animi sententia loqui? Si semel contigero terram, non daturus sum illi candelam sebaceam.* AN. O crassum ingenium! suspicor fuisse Batavum. AD. Non; sed erat Zelandus. AN. Miror nulli in mentem venisse Paulum Apostolum, qui ipse olim navigaverit, & fracta navi 4 desilierit in terram. Is enim haud ignarus mali, 5 didicit miseris succurrere. AD. Pauli nulla erat mentio. AN. Precabantur interim? AD.

E Certatim. Alius canebat, *Salve Regina*; alius, *Credo in Deum*. Erant qui peculiares quasdam preculas habebant, non dissimiles magicis, adversus pericula. AN. Ut afflictio facit religiosos! rebus secundis, nec Deus, nec divus quisquam nobis venit in mentem. Quid tu interea? Nulli divorum nuncupabas vota? AD. Nequaquam. AN. Cur ita? AD. Quia non paciscor cum divis. Quid est enim aliud quam contractus juxta formulam, 6 *Do, si facias*: aut, *Faciam, si facias: Dabo cereum, si enatem: Ibo Romam, si serves.* AN. At implorabas alicujus divi præsidium? AD. Ne id quidem. AN. Quam ob rem autem? AD. Quia spaciosum est cœlum. Si cui divo commendaro meam salutem, puta sancto Petro, qui fortasse primus audiet, quod

F adstet ostio: prius quam ille conveniat Deum, prius quam exponat caussam, ego jam periero. AN. Quid igitur faciebas? AD. Recta adibam ipsum patrem, dicens, *Pater noster, qui es in cœlis.* Nemo divorum illo citius audit, aut libentius donat quod petitur. AN. Sed interea non reclamabat tibi conscientia? Non verebaris appellare *Patrem*, quem tot sceleribus offenderas? AD. Ut ingenue dicam, deterrebat nonnihil conscientia; sed mox recipiebam animum, ita mecum cogitans: *Nullus est pater tam iratus filio, quin si videat eum periclitantem in torrente aut lacu, capillis arreptum ejiciat in ripam.* Inter omneis nullus se tranquillius agebat, quam mulier quædam, cui erat infantulus in sinu, quem lactabat. AN. Quid illa? AD. Sola nec vociferabatur, nec flebat, nec pollicitabatur: tantum complexa puellum precabatur tacite. Interea dum navis subinde illideretur vado, nauclerus metuens ne tota solveretur, rudentibus eam cinxit a prora & a puppi. AN. O misera præsidia! AD. Interim exoritur quidam sacrificus senex, annos natus sexaginta; nomen erat Adamus: is abjectis vestibus usque ad indusium, abjectis etiam ocreis & calceis, jussit ut omnes itidem pararemus nos ad natandum. Atque ita stans in medio navis, concionatus est nobis ex 7 Gersone quinque veritates de utilitate confitendi; hortatus omneis ut se quisque præpararet & vitæ & morti. Aderat & Dominicanus quidam: His confessi sunt qui volebant. AN. Quid tu? AD. Ego videns omnia plena tumultus, tacite confessus sum Deo, damnans apud illum meam injustitiam, & implorans illius misericordiam. AN. Quo migraturus, si sic perisses? AD. Hoc committebam judici Deo. Neque enim volebam esse mei ipsius judex: tamen bona quædam spes interim habebat animum meum. Dum hæc aguntur, redit ad nos nauta lacrymabundus. Paret, inquit, se quisque; nam navis non erit nobis usui ad quartam horæ partem. Jam enim locis aliquot convulsa, hauriebat mare. Paullo post nauta renunciat nobis, se videre procul turrim sacram, adhortans, ut divi, quisquis esset ejus templi præses, auxilium imploraremus. Procumbunt omnes, & orant ignotum divum. AN. Si nomine compellassetis eum, fortassis audisset. AD. Erat ignotum. Interim nauclerus quantum potest, eo navim dirigit jam laceram, jam undique combibentem undas; ac plane dilapsuram, ni rudentibus fuisset succincta. AN. Dura rerum conditio. AD. Eo provecti sumus, ut ejus loci incolæ prospicerent nos periclitantes; ac procurrentes catervatim in extremum litus, sublatis togis, & galeris in lanceas impositis, invitabant ad sese; ac jactatis in cœlum brachiis, significabant se deplorare nostram fortunam. AN. Exspecto quid evenerit. AD. Jam mare totam navim occuparat, ut nihilo tutiores essemus futuri in navi, quam in mari. AN. Heic ad sacram ancoram confugiendum erat. AD. Imo ad miseram. Nautæ scapham exonerant aqua, ac dimittunt in mare. In hanc omnes sese conantur conjicere, nautis magno tumultu reclamantibus, scapham non esse capacem tantæ multitudinis; arriperet sibi quisque quod posset, ac nataret. Res non patiebantur lenta consilia: alius arripit remum, alius contum, alius alveum, alius situlam, alius tabulam; ac suo quisque præsidio nitentes, committunt se fluctibus. AN. Quid interim accidit illi mulierculæ, quæ sola non ejulabat? AD. Illa omnium prima pervenit ad litus. AN. Qui potuit? AD. Imposueramus eam repandæ tabulæ, & sic alligaveramus, ut non facile posset decidere: dedimus illi tabellam in manum, qua vice remi uteretur: ac bene precantes exposuimus in fluctus, conto protrudentes, ut abesset a navi, unde erat periculum: illa læva tenens infantulum, dextra remigabat. AN. O viraginem! AD. Cum jam nihil superesset, quidam avulsit ligneam statuam Virginis matris, jam putrem atque excavatam a soricibus; eamque complexus, cœpit natare. AN. Scapha pervenit incolumis? AD. Nulli prius periere. Porro triginta sese in eam conjecerant. AN. Quo malo fato id factum est? AD. Prius quam posset se liberare a magna navi, illius vacillatione subversa est. AN. O factum male! Quid tum? AD. Ego, dum aliis consulo, pene perieram. AN. Quo pacto? AD. Quia nihil superat aptum natationi. AN. Illic subera fuissent usui. AD. In eo rerum articulo maluissem

1 *Credebatur ex mari*] Vide Theogoniam *Hesiodi*. Eodem spectat Ausonii carmen:

Orta salo, suscepta solo, patre edita cœlo,
Æneadum genitrix hic habito alma Venus.

2 *Quidquid erat olei*] Ea natura est olei, ut lucem adferat, ac tranquillet omnia, etiam mare, quo non aliud elementum implacabilius. Plin. l. 2. c. 103.

3 *Surdo mari*] Respicit ad proverbium, *surdo narrare fabulam.*

4 *Desilierit in terram*] De Pauli e mari ejectione in insulam Melitam legatur cap. 27. Act. Apost.

5 *Haud ignarus*] Respicit auctor ad Virgilianum illud:

Non ignara mali miseris succurrere disco.

6 *Do si facias*] Formulæ sunt contractuum, quos Jureconsulti vocant, *innominatos.*

7 *Gersone*] Est hic ille Joannes Gerso, Universitatis Parisiensis Cancellarius, Petri Alliacensis discipulus, qui Concilio Constantiensi interfuit, & inter alia librum de utilitate confitendi composuit. Lugduni in Galliis obiit anno 1429.

A vile suber, quam candelabrum aureum. Circumspicienti tandem venit in mentem de ima mali parte: eam quoniam solus eximere non poteram, adscisco socium: huic ambo innixi, committimus nos mari, sic ut ego dextrum cornu tenerem, ille lævum. Dum sic jactamur, sacrificus, ille concionator nauticus, medium injecit se in humeros nostros. Erat autem ingenti corpore. Exclamamus, *Quis ille tertius? Is perdet nos omneis.* Ille contra placide, *Sitis*, inquit, *bono animo; sat spacii est. Deus aderit nobis.* An. Cur ille tam sero cœpit esse natator? Ad. Imo futurus erat in scapha, una cum Dominicano: nam omnes hoc honoris illi deferebant; sed quanquam erant invicem confessi in navi, tamen obliti nescio quid circumstantiarum, rursus ibi in ora navis confitentur, & alter alteri manum imponit: B interim scapha perit: nam hæc mihi narravit Adamus. An. Quid actum est de Dominicano? Ad. Is, ut idem narrabat, implorata divorum ope, abjectis vestibus, nudum se commisit natationi. An. Quos divos invocabat? Ad. Dominicum, Thomam, Vincentium, & nescio quem Petrum, sed in primis fidebat Catharinæ Senensi. An. Christus illi non veniebat in mentem? Ad. Ita narrabat sacrificus. An. Melius enatasset, si non abjecisset sacram cucullam: ea deposita, qui potuit illum agnoscere Catharina Senensis? Sed perge narrare de te. Ad. Dum adhuc volveremur juxta navim, arbitrio fluctuum huc & illuc se volventem, clavus illisus fregit femur ejus qui tenebat lævum cornu. Sic ille revulsus est; sacrificus pre- C catus illi requiem æternam, successit in locum illius, adhortans me, ut magno animo tuerer cornu meum, ac strenue moverem pedes. Interim potabamus multum aquæ salsæ. Adeo Neptunus nobis non balneum tantum salsum, sed potionem etiam salsam temperarat, quanquam sacrificus ei rei monstraret remedium. An. Quod, obsecro? Ad. Quoties unda nobis occurreret, ille opposuit occipitium, ore clauso. An. Strenuum senem mihi narras. Ad. Ubi jam aliquandiu sic natantes nonnihil promovissemus, sacrificus, quoniam erat miræ proceritatis, Bono, inquit, es animo; sentio vadum. Ego non ausus tantum sperare felicitatis, Longius, inquam, absumus a litore, quam ut vadum sperandum sit. Imo, inquit, sentio pedibus ter- D ram. Est, inquam, fortassis e scriniis aliquod, quod huc devolvit mare. Imo, inquit, scalptu digitorum plane sentio terram. Cum adhuc aliquandiu natassemus, ac rursus sentiret vadum, Tu fac, inquit, quod tibi videtur factu optimum, ego tibi cedo malum totum, & vado me credo; simulque exspectato fluctuum decessu, pedibus sequutus est quanto potuit cursu. Rursus accedentibus undis, utraque manu complexus utrumque genu, obnitebatur fluctui, occultans sese sub undis, quemadmodum solent mergi & anates: rursus abeunte fluctu promicabat & currebat. Ego videns hoc illi succedere, sum imitatus. Stabant in arena, qui porrectis inter se prælongis hastilibus, fulcie- E bant sese adversus impetum undarum, viri robusti, & fluctibus assueti, sic ut ultimus hastam porrigeret adnatanti. Ea contacta, omnibus in litus se recipientibus, tuto pertrahebatur in siccum. Hac ope servati sunt aliquot. An. Quot? Ad. Septem: verum ex his duo soluti sunt tepore, admoti igni. Am. Quot eratis in navi? Ad. Quinquaginta octo. An. O sævum mare! saltem decimis fuisset contentum, quæ sufficiunt sacerdotibus. Ex tanto numero tam paucos reddidit? Ad. Ibi experti sumus incredibilem gentis humanitatem, omnia nobis mira alacritate suppeditantes, hospitium, ignem, cibum, vestes, viaticum. An. Quæ gens erat? Ad. Hollandica. An. Ista nihil humanius, cum ta- F men feris nationibus cincta sit. Non repetes, opinor, posthac Neptunum. Ad. Non, nisi mihi Deus ademerit sanam mentem. An. Et ego malim audire tales fabulas, quam experiri.

Diversoria.

BERTULPHUS, GUILIELMUS.

Be. Cur ita visum est plerisque biduum aut triduum commorari Lugduni? Ego semel iter ingressus, non conquiesco donec pervenero, quo constitui. Gv. Imo ego admiror quenquam illinc avelli posse. Be. Quam ob rem tandem? Gv. Quia illic locus est, unde non poterant avelli socii Ulyssis, illic Sirenes. Nemo domi suæ tractatur melius, quam illic in pandocheo. Be. Quid fit? Gv. Ad mensam semper adstabat aliqua mulier, quæ convivium exhilararet facetiis ac leporibus. Et est illic mira formarum felicitas. Primum adibat materfamilias, quæ salutabat, jubens nos hilares esse, & quod apponeretur, boni consulere. Huic succedebat filia, mulier elegans, moribus ac lingua adeo festivis, ut possit vel ipsum Catonem exhilarare. Nec confabulantur ut cum hospitibus ignotis, sed veluti cum olim notis ac familiaribus. Be. Agnosco Gallicæ gentis humanitatem. Gv. Quoniam autem illæ non poterant adesse perpetuo, quod essent obeunda munia domestica, reliquique convivæ consalutandi, continenter adstabat puellula quædam ad omneis jocos instructa: una satis erat omnium jaculis excipiendis: hæc sustinebat fabulam, donec rediret filia. Nam mater erat natu grandior. Be. Sed qualis erat tandem apparatus? Nam fabulis non expletur venter. Gv. Profecto lautus; ut ego mirer, illos tam vili posse accipere hospites. Rursus peracto convivio, lepidis fabulis alunt hominem, ne quid obrepat tædii. Mihi videbar domi esse, non peregre. Be. Quid in cubiculis? Gv. Illic nusquam non aderant aliquot puellæ, ridentes, lascivientes, lusitantes: ultro rogabant, si quid haberemus vestium sordidarum: eas lavabant, ac lotas reddebant. Quid multis? Nihil illic vidimus præter puellas ac mulieres, nisi in stabulo: quanquam & huc frequenter irrumpebant puellæ. Abeuntes complectuntur, tantoque affectu dimittunt, ac si fratres essent omnes, aut propinquæ cognationis. Be. Fortassis isti mores decent Gallos; mihi magis arrident Germaniæ mores, utpote masculi. Gv. Mihi nunquam contigit videre Germaniam: quare te quæso, ne gravere commemorare, quibus modis accipiant hospitem. Be. An ubique sit eadem tractandi ratio, nescio: quod ego vidi, narrabo. Advenientem nemo salutat, ne videantur ambire hospitem. Id enim sordidum & abjectum existimant, & indignum Germanica severitate. Ubi diu inclamaveris, tandem aliquis per fenestellam æstuarii (nam in his degunt fere usque ad solstitium æstivum) profert caput, non aliter quam e testa prospicit testudo. Is rogandus est, an liceat illic diversari. Si non renuit, intelligis dari locum. Rogantibus ubi sit stabulum, mota manu commonstrat. Illic licet tibi tuum equum tractare tuo more. Nullus enim famulus manum admovet. Si celebrius est diversorium, ibi famulus commonstrat stabulum, atque etiam locum equo minime commodum. Nam commodiora servant venturis, præsertim nobilibus. Si quid causseris, statim audis; *Si non placet, quære aliud diversorium.* Fœnum in urbibus ægre ac perparce præbent, nec multo minoris vendunt, quam ipsam avenam. Ubi consultum est equo, totus commigras in hypocaustum, cum ocreis, sarcinis, luto, id est unum omnibus commune. Gv. Apud Gallos designant cubicula, ubi sese exuant, extergant, calfaciant, aut quiescant etiam, si libeat. Be. Heic nihil tale. In hypocausto exuis ocreas; induis calceos; mutas, si voles, indusium; vestes pluvia madidas suspendis juxta hypocaustum; ipse te admoves, ut sicceris. Est & aqua parata, si libeat lavare manus, sed ita munda plerumque, ut tibi post alia quærenda sit aqua, qua lotionem eam abluas. Gv. Laudo viros nullis deliciis effœminatos. Be. Quod si tu appuleris ad horam a meridie quartam, non cœnabis tamen ante nonam, nonnunquam & decimam. Gv. Quam ob rem? Be. Nihil apparant nisi videant omnes, ut eadem opera ministretur omnibus. Gv. Quærunt compendium. Be. Tenes. Itaque frequenter in idem hypocaustum conveniunt octoginta aut nonaginta, pedites, equites, negociatores, nautæ, aurigæ, agricolæ, pueri, fœminæ, sani, ægroti. Gv. Isthuc vere cœnobium est. Be. Alius ibi pectit caput, alius abstergit sudorem, alius repurgat perones aut ocreas, alius eructat allium. Quid multis? Ibi linguarum ac personarum non minor est confusio, quam olim in turri Babel. Quod si quem conspexerint peregrinæ gentis, qui cultu dignitatis nonnihil præ se ferat, in hunc intenti sunt omnes defixis oculis, contemplantes, quasi novum aliquod animantis genus adductum sit 1 ex Africa; adeo ut postea quam accubuerint, reflexo in tergum vultu, continenter adspiciant, nec dimoveant oculos, cibi immemores. Gv.

1 *Ex Africa*] In proverbium abiit: semper Africa novi aliquid apportat. Quod quidem ideo dicebatur, quod in siticulosa regione ad unum aliquem rivum plurimæ ferarum species bibendi gratia convenire cogantur: inibique varia mixtura violentæ Veneris, varias monstrorum formas, subindeque novas nasci.

Gv. Romæ, Lutetiæ ac Venetiæ nemo quidquam miratur. Be. Nefas est interim tibi quidquam petere. Ubi jam multa est vespera, nec sperantur plures adventuri, prodit famulus senex, barba cana, tonso capite, vultu torvo, sordido vestitu. Gv. Tales oportebat Cardinalibus Romanis esse a poculis. Be. Is circumactis oculis tacitus dinumerat, quot sint in hypocausto, quo plures adesse videt, hoc vehementius accenditur hypocaustum, etiamsi alioqui sol æstu sit molestus. Hæc apud illos præcipua pars est bonæ tractationis, si sudore diffluant omnes. Si quis non assuetus vapori, aperiat rimam fenestræ, ne præfocetur, protinus audit, *Claude*. Si respondeas, *Non fero*: audis, *Quære igitur aliud diversorium*. Gv. Atqui mihi nihil videtur esse periculosius, quam tam multos haurire eundem vaporem, maxime resoluto corpore, atque heic capere cibum, & horas complures commorari. Jam enim omitto ructus alliatos, & ventris flatum, halitus putres: multi sunt qui morbis occultis laborant, nec ullus morbus non habet suum contagium. Certe plerique scabiem habent Hispanicam, sive, ut quidam vocant, Gallicam, cum sit omnium nationum communis. Ab his, opinor, non multo minus esse periculi, quam a leprosis. Jam tu divina, quantum discriminis sit in pestilentia. Be. Sunt viri fortes, ista rident ac negligunt. Gv. Sed interim multorum periculo fortes sunt. Be. Quid facias? Sic assueverunt: & constantis est animi non discedere ab instituto. Gv. Atqui ante annos viginti quinque, nihil receptius erat apud Brabantos, quam thermæ publicæ: eæ nunc frigent ubique. Scabies enim nova docuit nos abstinere. Be. Sed audi cætera. Post redit ille barbatus Ganymedes, ac linteis insternit mensas, quot putat esse satis illi numero. Sed ô Deum immortalem, quam non Milesiis! cannabea diceres ex antennis detracta. Destinavit enim unicuique mensæ convivas, ut minimum octo. Jam quibus est notus mos patrius, accumbunt, ubi cuique libitum fuerit. Nullum enim discrimen inter pauperem & divitem, inter herum ac famulum. Gv. Hæc est illa vetus æqualitas, quam nunc e vita submovit tyrannis. Sic opinor vixisse Christum cum suis discipulis. Be. Postquam accubuerunt omnes, rursum prodit torvus ille Ganymedes, ac denuo dinumerat sua sodalitia: mox reversus apponit singulis pinacium ligneum, & cochleare ex eodem argento factum, deinde cyathum vitreum; aliquanto post, panem: eum sibi quisque per otium repurgat, dum coquuntur pultes. Ita nonnunquam sedetur ferme horæ spacio. Gv. Nullus hospitum interim efflagitat cibum? Be. Nullus; cui notum sit regionis ingenium. Tandem apponitur vinum, Deus bone, quam non fumosum! Non aliud oportebat bibere Sophistas; tanta est subtilitas & acrimonia. Quod si quis hospes, etiam oblata privatim pecunia, roget ut aliunde paretur aliud vini genus, primum dissimulant, sed eo vultu, quasi interfecturi: si urgeas, respondent; Heic diversati sunt tot Comites & Marchiones, neque quisquam questus est de vino meo: si non placet, quære tibi aliud diversorium. Solos enim nobiles suæ gentis habent pro hominibus, & horum insignia nusquam non ostentant. Jam igitur habent offam, quam objiciant latranti stomacho: mox magna pompa veniunt disci. Primus ferme habet offas panis madefactas jure carnium, aut, si dies est pisculentus, jure leguminum. Deinde aliud jus: post aliquid carnium recoctarum, aut salsamentorum recalfactorum. Rursus pultis aliquid, mox aliquid solidioris cibi, donec probe domito stomacho, apponant carnes assas aut pisces elixos, quos non possis omnino contemnere: sed heic parci sunt, & subito tollunt. Hoc pacto totum convivium temperant, quemadmodum solent actores fabularum, qui scenis admiscent choros; ita isti alternis miscent offas ac pultes. Curant autem, ut extremus actus sit optimus. Gv. Et hoc est boni Poetæ. Be. Porro piaculum sit, si quis interim dicat, *Tolle hunc discum: nemo vescitur*. Desidendum est usque ad præscriptum spacium, quod illi clepsydris, ut opinor, metiuntur. Tandem prodit ille barbatus, aut pandocheus ipse, vestitu minimum a famulis differens; rogat, ecquid animi nobis sit. Mox adfertur vinum aliquod generosius. Amant autem eos qui bibunt largius, cum nihilo plus solvat ille, qui plurimum hauserit vini, quam qui minimum. Gv. Mirum gentis ingenium. Be. Cum nonnunquam sint, qui duplo plus absumant in vino, quam solvant pro convivio. Sed antequam finiam hoc convivium, dictu mirum quis sit ibi strepitus ac vocum tumultus, postquam omnes cœperunt incalescere potu. Quid multis? Surda omnia. Admiscent se frequenter ficti moriones; quo genere hominum cum nullum sit magis detestandum, tamen vix credas, quantopere delectentur Germani; illi cantu, garritu, clamore, saltatione, pulsu faciunt, ut hypocaustum videatur corruiturum, neque quisquam alterum audiat loquentem. At interea videntur sibi suaviter vivere: atque illic desidendum est volenti nolenti, usque ad multam noctem. Gv. Nunc tandem absolve convivium. Nam me quoque tædet tam prolixi. Be. Faciam. Tandem sublato caseo, qui vix illis placet, nisi putris ac vermibus scatens; prodit ille barbatus, adferens secum pinacium escarium, in quo creta pinxit aliquot circulos ac semicirculos: id deponit in mensa, tacitus interim ac tristis; Charontem quempiam diceres. Qui agnoscunt picturam, deponunt pecuniam, deinde alius, atque alius, donec expleatur pinacium. Deinde notatis qui deposuerunt, supputat tacitus: si nihil desit, annuit capite. Gv. Quid si quid supersit? Be. Fortasse redderet, & faciunt hoc nonnunquam. Gv. Nemo reclamat iniquæ rationi? Be. Nemo qui sapit. Nam protinus audiret, *Quid tu es hominis? Nihilo plus solves quam alii*. Gv. Liberum hominum genus narras. Be. Quod si quis ex itinere lassus, cupiat mox a cœna petere lectum, jubetur exspectare, donec cæteri quoque eant cubitum. Gv. Videor mihi videre civitatem Platonicam. Be. Tum suus cuique nidus ostenditur, & vere nihil aliud quam cubiculum: tantum enim ibi lecti sunt, & præterea nihil quo utaris, aut quod fureris. Gv. Illic munditiès est. Be. Eadem quæ in convivio: lintea forte lota ante menses sex. Gv. Quid interim fit de equis? Be. Ad eandem disciplinam tractantur, ad quam homines. Gv. Sed est eadem ubique tractatio? Be. Alicubi civilior est, alicubi durior quam narravi: verum in genere talis est. Gv. Quid si ego tibi nunc narrem, quibus modis hospites tractentur in ea parte Italiæ, quam Longobardiam vocant, rursus in Hispania; deinde in Anglia, & in Walia? Nam Angli partim Gallicos, partim Germanicos mores obtinent, ut ex his duabus gentibus mixti. Wali se prædicant [1] αὐτόχθονας Anglos. Be. Quæso te, ut narres. Nam mihi nunquam contigit eas adire. Gv. In præsentia non est otium. Nam nauta jussit, adessem ad horam tertiam, nisi vellem relinqui; & habet sarcinulam: alias dabitur opportunitas ad satietatem usque garriendi.

Adolescentis, & Scorti.

Lucretia, Sophronius.

Lv. EUge mi lepidissime Sophroni, tandem nobis redditus es? Nam mihi videris abfuisse sæculum. Prima fronte vix te agnoscebam. So. Quam ob rem, mea Lucretia? Lv. Quia pro imberbi nobis redisti barbatulus. Quid rei est, meum corculum. Nam videre solito torvior. So. Cupio tecum seorsim colloqui familiarius. Lv. Au, au, non solæ sumus, [2] mea mentula? So. Secedamus in locum secretiorem. Lv. Age, concedamus in cubiculum interius, si quid libet. So. Nondum hic locus mihi videtur satis secretus. Lv. Unde iste novus pudor? Est mihi museion, ubi repono mundum meum, locus adeo obscurus, ut vix ego te visura sim, aut tu me. So. Circumspice rimas omnes. Lv. Rima nulla est. So. Nullus est in propinquo, qui nos exaudiat? Lv. Ne musca quidem, mea lux. Quid cunctaris? So. Fallemus heic oculos Dei? Lv. Nequaquam: ille perspicit omnia. So. Et angelorum? Lv. Illorum oculos non licet effugere. So. Qui fit igitur ut non pudeat homines id facere coram oculis Dei ac testibus sanctis angelis, quod puderet facere in conspectu hominum? Lv. Quid hoc novæ rei est? venisti huc concionaturus? Indue cucullam Franciscanam, conscende suggestum, & audiamus te, barbatule. So. Nec istud gravarer facere, si te queam ab isto vitæ genere revocare, non solum turpissimo, verum etiam miserrimo. Lv. Quam ob rem, ô bone? victus alicunde parandus est, sua quemque alit ars, hoc est nostrum opificium, hic fundus noster. So. Optarim, mea Lucretia, ut excussa paullisper ista animi temulentia, rem ipsam mecum con-

1 Αὐτόχθονας] Id est, indigenas.

2 Defenditur hic locus in Dissertatione de Colloquiorum utilitate, quæ eorum calci subjecta est.

A consideres. Lv. Serva concionem tuam in aliud tempus; nunc vivamus, mi Sophroni. So. Tu quæstus gratia facis, quidquid facis. Lv. Non multum aberrasti a scopo. So. Nihil decedet tuo lucro; dabo quadruplum, ut auscultes tantum. Lv. Dic quæ voles. So. Primum illud mihi responde: Habesne, quæ tibi male volunt? Lv. Non unam. So. Et quas tu vicissim odisti? Lv. Ut merentur. So. Proinde si possis illis facere rem gratam, faceresne? Lv. Citius miscerem illis toxicum. So. Atqui cogita nunc, an illis quidquam potueris facere gratius, quam quod vident te vivere hanc vitam dedecorosam, ac miserrimam. Quid autem poteras facere molestius iis, qui tibi bene volunt? Lv. Sic erat fatum meum. So. Jam quod esset solet omnium difficillimum iis, qui deportantur in insulas, aut relegantur ad ex-
B tremos orbis barbaros, hoc tu tibi tuapte sponte sumsisti. Lv. Quidnam est istud? So. An non sponte renuntiasti omnibus affectibus, patri, matri, fratribus, sororibus, amitæ, materteræ, cæterisque quoscunque tibi natura conjunxit? Nam & illos tui pudet, nec tu sustines in illorum venire conspectum. Lv. Imo feliciter commutavi affectus meos: pro paucis enim nunc habeo plurimos, quorum tu es unus, mihi fratris loco semper habitus. So. Mitte jocos, ac rem ipsam, ut habet, expende serio. Quæ tam multos habet amicos, ea nullum habet amicum, mihi crede, Lucretia. Nam qui ad te commeant, non habent te pro amica, sed pro matula potius. Vide quo te ipsam dejeceris, misera. Christus te tam caram habuit, ut te suo sanguine rede-
C merit, ut te cœlestis hæreditatis consortem esse voluerit; & tu te facis cloacam publicam, ad quam commeant quilibet sordidi, impuri, scabiosi, suamque spurcitiam in te repurgant. Quod si nondum ejus lepræ contagium, quam vocant scabiem Hispanicam, attigit te, non diu poteris effugere. Quod si fiat, quid te infelicius, etiam si cætera essent secunda, puta res & fama? quid aliud eris, quam vivum cadaver? Matri gravabaris esse morigera; nunc servis lenæ turpissimæ. Parentis audire monita tædebat, heic sæpe tibi vapulandum est ab ebriis & insanis scortatoribus. Pigebat aliquid operis facere domi, quo victum quæreres; heic quos tumultus, quæ pervigilia sustines! Lv. Unde nobis hic concionator novus? So. Jam mihi & illud fac cogites; Iste formæ flos, qui tibi conciliat amatores, brevi defluxerit.
D Quid tum facies, misera? Quod sterquilinium te fuerit abjectius? Fies ex meretrice lena. Non omnibus contingit ista dignitas: & si contingat, quid sceleratius, aut quid diabolicæ malitiæ vicinius? Lv. Vera sunt, mi Sophroni, propemodum, quæ dicis, omnia. Sed unde tibi ista nova sanctimonia, qui soleas esse nugator omnium nugacissimus? Nemo te uno frequentius aut intempestivius huc commeabat. Audio te fuisse Romæ. So. Fui. Lv. Atqui [1] inde solent redire deteriores. Quo pacto tibi diversum accidit? So. Dicam: quia non eodem animo, modoque Romam adii. Cæteri fere ideo eunt Romam, ut redeant deteriores: & ad
E eam rem ibi suppetunt affatim occasiones. Ego cum probo viro profectus sum, cujus hortatu pro lagena, libellum mecum attuli, Novum Testamentum ab Erasmo versum. Lv. Ab Erasmo? Ajunt illum esse sesquihæreticum. So. Num & huc pervenit illius viri nomen? Lv. Nullum celebrius apud nos. So. Vidistin' hominem? Lv. Nunquam; sed optarim vidisse, de quo tam multa audivi mala. So. Fortassis a malis. Lv. Imo a viris reverendis. So. A quibus? Lv. Non expedit dicere. So. Quam ob rem? Lv. Quia si tu effutires, & res permanaret ad illos, meo quæstui non minima portio decederet. So. Ne metue; lapidi dixeris. Lv. Admove aurem. So. Inepta, quid opus est admota aure, cum simus
F soli? an, ne Deus exaudiat? Prô Deum immortalem, video te piam meretricem, quæ mendicos subleves eleemosyna. Lv. At ego ex istis mendicis plus capio lucri, quam ex vobis divitibus. So. Spoliant matronas bonas, ut effundant in meretrices malas. Lv. Sed perge de libro. So. Faciam, & præstat. Ibi me docuit Paulus, qui nescit mentiri, [2] quod nec scorta, nec scortatores regni cœlestis hæreditatem consequentur. Hoc ubi legissem, sic cœpi cogitare apud me: modica res est, quam exspecto ex hæreditate paterna, & tamen malim renuntiare scortis omnibus, quam a patre exhæredari: quanto magis cavendum est, ne me exhæredet pater cœlestis? Et adversus exhæredantem aut abdicantem patrem, aliquod præsidium porrigunt humanæ leges: adversus exhæredantem Deum, nihil est suffragii. Itaque mihi protinus interdixi omnem scortorum usum. Lv. Si quidem possis continere. So. Bona continentiæ pars est, ex animo continentem esse velle. Postremo superest extremum mali remedium, uxor. Romæ in pœnitentiarii sinum totum Augiæ stabulum effudi: is multis prudenter hortatus, ad puritatem animi & corporis, ad sacram lectionem, ad crebras preces, ad vitæ sobrietatem: pro pœna nihil aliud indixit, quam ut flexis genibus ad summum altare dicerem psalmum, *Miserere mei Deus:* &, si mihi suppeteret pecunia, darem egenti cuipiam Carolinum unum. Admiranti mihi quod pro tot scortationibus tantillum pœnæ infligeret, satis facete respondit; *Fili*, inquit, *si vere pœnitet, si vitam commutas, nihil moror pœnam: sin perges, ipsa libido tandem abs te plus satis pœnarum exiget, etiamsi sacerdos non indicat. Me vide lippum, tremulum, incurvum: at olim talis eram, qualem te hactenus fuisse prædicas:* Sic ego resipui. Lv. Ergo, ut video, perdidi meum Sophronium. So. Imo lucrifecisti. Nam ante perierat, nec sibi amicus, nec tibi. Is nunc te vere amat, ac tuam sitit salutem. Lv. Quid igitur suades, mi Sophroni? So. Ut quam primum te subducas ab ista vita. Adhuc puella es; quod contractum est labis, potest elui. Aut nube marito; nos aliquid ad dotem conferemus; aut confer te in collegium aliquod sacrum, quod lapsas recipit: aut commutato loco, dedas te in familiam alicujus honestæ matronæ. Ad horum quodlibet offero tibi operam meam. Lv. Amabo te, mi Sophroni, circumspicito; sequar tuum consilium. So. Sed interim hinc te submoveto. Lv. Hui tam cito? So. Cur non potius hodie quam cras, si dilatio damnum habet, mora periculum? Lv. Quo me vertam? So. Colliges omnem mundum tuum; eum trades mihi vesperi: famulus clam deferet ad fidelem matronam: aliquanto post ego te producam, veluti deambulandi gratia; apud eam matronam latitabis meo sumtu, donec tibi prospexero: id fiet brevi. Lv. Age mi Sophroni, trado me totam in tuam fidem. So. Gaudebis olim facto.

Convivium Poeticum.

HILARIUS, LEONARDUS, CRATO, CONVIVÆ, MARGARETA, CARINUS, EUBULUS, SBRULIUS, PARTHENIUS: Mus servus Hilarii.

HI. *Levis apparatus, animus est lautissimus.* LE. *Cœnam sinistro es auspicatus omine.* HI. *Imo absit omen triste. Sed cur hoc putas?* LE. *Jambi cruenti haud congruunt convivio.* CR. Euge, certum est adesse Musas, effluunt carmina imprudentibus.

HI. *Si rotatiles trochæos mavelis, en accipe:*
Vilis apparatus heic est, animus est lautissimus.

Quamquam & jambi olim ad rixas ac pugnas nati, post didicerunt omni servire materiæ. O pepones! habetis pepones in horto nostro natos. En lactucas sessiles, succo tenerrimo, suo nomine respondentes. Has delicias quis sanus non præferat apris, murænis, & attagenis? CR. Si licet in convivio Poetico vera loqui, quas tu lactucas vocas, betæ sunt. HI. Hoc omen avertant superi. CR. Sic res habet, vide figuram. Tum ubi succus lacteus? ubi molles aculei? HI. Facis ut addubitem. Heus accerse huc famulam. Margareta, Tisiphone, quid tibi venit in mentem, ut pro lactucis nobis apponeres betas? MA. Data opera feci. HI. Quid ais, venefica? MA. Volebam experiri, an inter tot Poetas esset, qui lactucam dignosceret a beta: nam scio te non posse dignoscere. Dicite mihi bona fide, quis animadvertit esse betas? CO. Crato. MA. Facile divinabam non fuisse Poetam. HI. Si quid tale posthac designaris, ego te pro Margareta vocabo Bliteam. CO. Ha ha hæ. MA. Istæ nomenclaturæ nec obesiorem me reddunt, nec macilentiorem; sæpe vicies in die mihi commutat nomen: ubi quid cupit eblandiri, vocat me Galateam, Euterpen, Calliopen, Callirrhoen, Melissam, Venerem, Minervam. Quid non? Ubi quid stomachatur, repente fio Tisiphone, Megæra, Alecto, Medusa, Baucis, aut aliud, quidquid illi suggesse-

1 *Inde solent redire*] Hinc Baptista Mantuanus:
Roma vale, vidi: satis est vidisse: revertar,
Cum leno aut meretrix, scurra, cinædus ero.

2 *Quod nec scorta*] Verba Pauli sunt Eph. 5. vers. 5. *Nam hoc nostis nullum scortatorem aut impurum habere hæreditatem in regno Christi & Dei.*

A gesserit 1 splendida bilis. Hi. Abi hinc cum tuis betis, Blitea. Ma. Quorsum attinebat huc evocare? Hi. Ut redires unde veneras. Ma. Vetus dictum est, *Proclivius est evocare cacodæmonem, quam abigere.* Co. Ha ha hæ, apposite. Ut tibi res habet, Hilari, opus est aliquo carmine magico, quo illam hinc abigas. Hi. Habeo in promtu:

2 Φεύγετε, κανθαρίδες· λύκος ἄγριος ὔμμε διώκει.

Ma. Quid ais, Æsope? Cr. Cave tibi, Hilari: impinget colaphum. sic abegisti tuo Græco carmine. O magum egregium? Hi. Quid tu credis, Crato, esse hanc? Ego tali carmine abegissem decem magnos cacodæmones. Ma. Pili non facio tuos versus Græcanicos. Hi. Adhibendus est igitur, ut video, 3 bombus magicus, aut, si nec hic sufficiet, Mercurii caduceum. Cr. Mea Margareta, B scis Poetarum genus esse afflatum, non ausim dicere furiosum: rogo te, ut istam rixam in aliud tempus proroges: nosque hac cœna, vel mea caussa, suaviter tractes. Ma. Quid mihi cum istius versiculis? Sæpenumero cum est eundum ad macellum, non habet quod numeret, & interim cantillat versiculos. Cr. Sic sunt Poetæ. Sed age fac sodes, quod dico. Ma. Equidem faciam in tuam gratiam, quoniam novi te probum, qui nunquam contriveris cerebrum tuum in ejusmodi deliramentis: ac demiror, quo fato in hunc incideris chorum. Cr. Unde id conjectas? Ma. Quia nasus obesior, & oculi nitentes, & corpus succulentum. Nunc mihi hujus nasum contemplare, & risum Sardonium. Cr. Sed obsecro, meum suavium, ut istam iram mihi condones. Ma. Abeo; nec postulo, ut quisquam cæterorum hoc nomine mihi gratias agat. Hi. C Abiitne jam? Ma. Non tam procul, quin audiat te. Mu. Jam est in culina, secum nescio quid murmurans. Cr. Famulam habes minime mutam. Hi. Ajunt bonam famulam oportere tribus dotibus esse præditam, ut sit fidelis; ut sit deformis; ut sit ferox, quam vulgo *malam* vocant. Fidelis non diminuit rem, deformem non ambiunt proci, ferox facile tuetur jus heri sui. Nam aliquoties opus est non solum lingua, verum etiam manibus. Hæc mea e tribus duas habet virtutes, deformis juxta ac mala; de fide dubito. Cr. Linguam audivimus, sed ego metuebam tibi a manibus. Hi. Admovete manus peponibus, de lactucis actum est. Etenim si nunc juberem apponi lactucas, sat scio carduos apponeret. Sunt & melones, si quis hoc genere magis capitur. En D fici recentes: modo decerptos a matre, testatur lac in pedunculo. A ficis solet aqua sumi, ne quid obliment stomachum. en habetis e limpidissimo fonticulo vivam ac frigidissimam, utilem & vino diluendo. Ch. At ego nescio, utrum utro diluam, vinum aqua, an aquam vino; adeo mihi hoc vinum videtur haustum ex eodem fonticulo Musarum. Hi. Tale vinum conducit acuendis ingeniis Poetarum, vos crassi crassis delectamini. Cr. Utinam Crassus essem ille beatus! Hi. Ego malim esse Codrus, aut Ennius. Quandoquidem mihi contigit habere convivas tam multos, tamque insigniter eruditos, non committam, ut nihilo doctior eos dimittam. Est locus in prologo Eunuchi, qui multos torquet. Nam plerique codices sic habent:

E *Sic existimet, sciat.*
Responsum, non dictum esse, quia læsit prior,
Qui bene vertendo, & eas describendo male. &c.

In his verbis desidero sensum argutum, ac Terentio dignum. Nec enim ideo læsit prior, quia male vertit Græcas fabulas: sed quia Terentianas carpserat. Ev. Juxta vulgo jactatum proverbium, *Qui pessime canit, primus incipiet.* Cum essem Londini apud 4 Thomam Linacrum, virum sic in omni genere Philosophiæ doctissimum, ut nihilo secius has Grammaticorum minutias ad unguem calleat, ostendit mihi codicem mira vetustate, in quo sic habebatur scriptum:

Sic existimet, sciat,
F *Responsum, non dictum esse, quale sit: prius*
Qui bene vertendo, & eas describendo male,
Ex Græcis bonis, Latinas fecit non bonas:
Idem Menandri phasma nunc nuper dedit.

Sic autem ordinandus est sermo, ut 5 *quale sit*, indicet subjiciendum exemplum prioris dicti. Minitabatur se vicissim reprehensurum aliquid in fabulis ejus, a quo fuerat reprehensus. Atque hic negat videri debere *convicium*, sed *responsum*. Qui *lacessit*, jacit dictum; qui regerit lacessitus, *respondet*. Hujus rei promittit exemplum, *quale sit*, quod Græcis dicitur, οἷον. Latinis; *quod genus*, aut *veluti*, sive *videlicet*, aut *puta*. Deinde subjicit reprehensionem, in qua, *prius* adverbium, respondet ad alterum adverbium veluti diversum, quod sequitur, *nuper*: quemadmodum pronomen, *qui*, respondet ad dictionem, *idem*. Veteres enim Lavinii fabulas in totum damnat, quoniam jam exciderant ex hominum memoria. In his quas nuper dedisset, certa notat loca. Mihi videtur hæc germana lectio, verusque Comici sensus, nisi quid dissentit senatus populusque Poeticus. Co. Imo pedibus omnes in tuam discedimus sententiam. Ev. At ego vicissim a vobis quiddam leve ac facillimum discere cupiam; quo pacto metiendus sit hic versiculus:

Ex Græcis bonis, Latinas fecit non bonas.

Micate digitis. Hi. Opinor more veterum elidi, *s*, ut secundo loco sit anapæstus. Ev. Accederem, nisi casus auferendi desineret in, *is*, natura longam. Itaque submota consonante, nihilo minus manet longa vocalis. Hi. Vera prædicas. Cr. Si quis illiteratus & ignotus ingrederetur, plane crederet nos inter nos micatione digitorum, rusticorum ludum renovare. Le. Nos, quantum video, frustra micamus digitis: tu, si potes, expedi. Ev. Videte, quantula res nonnunquam torquet homines etiam eruditos; præpositio, *ex*, pertinet ad finem carminis præcedentis:

Qui bene vertendo, & eas describendo male, ex
Græcis bonis, Latinas fecit non bonas.

Ita nihil est scrupuli. Le. Sic est, per Musas. Ca. Quandoquidem cœpimus micare digitis, velim ut aliquis mihi versum hunc ex 6 Andria, digerat in suos pedes:

Sine invidia laudem invenias, & amicos pares.

Nam mihi sæpe tentanti non successit. Le. *Sine in*, jambus est: *vidia*, anapæstus: *laudem in*, spondeus: *venias*, anapæstus: *& ami*, rursus anapæstus. Ca. Habes jam pedes quinque, & supersunt tres syllabæ, quarum prima est longa: ut nec jambum facere possis, aut tribrachyn. Le. Profecto vera prædicas. Hæremus in vado; quis nos expediet? Ev. Nemo melius, quam qui induxit in hoc vadum. Age Carine, ne cela, si quid habes inter candidos amiculos. Ca. Nisi me fallit memoria, videor mihi quiddam tale legisse apud Priscianum, qui docet apud Latinos Comicos, *v*, consonantem perinde elidi ut vocalem, quemadmodum frequenter in hac dictione, *enimvero*, sic ut pars *enie*, faciat anapæstum. Le. Itaque metire nobis. Ca. Faciam. *Sine inidi*, proceleusmaticus est: nisi mavis elidi, *i*, per synæresin: ut cum Virgilius, *aureo*, ponit in fine carminis heroici, pro *auro*. quod si placet, erit primo loco tribrachys. *dia lau*, spondeus est; *d'inveni*, dactylus: *as & a*, dactylus: *micos*, spondeus: *pares*, jambus. Sb. Carinus nos explicuit ex hoc sane vado. Sed est in eadem scena 7 locus, quem haud scio an quisquam animadverterit. Hi. Obsecro profer. Sb. Illic hunc in modum loquitur Simo:

Sine ut eveniat, quod volo,
In Pamphilo ut nihil sit moræ, restat Chremes.

Hi. Quic heic te offendit? Sb. Cum, *Sine*, sit minitantis, nihil heic sequitur, quod faciat ad minas: Proinde suspicor a Poeta scriptum fuisse,

Sin eveniat quod volo;

ut *Sin*, respondeat ad *Si*, quod præcessit,

Si propter amorem uxorem nolit ducere.

Proponit enim senex duas partes inter se diversas: Si Pamphilus ob amorem Glycerii recusat nuptias, erit quod cum illo expostulem: sin ille non recusarit, tum mihi restat exorandus Chremes. Porro hyperbaton longius fecit interpellatio Sosiæ, & stomachus Simonis in Davum. Hi. Mus, porrige mihi codicem. Cr. Committis tu muri codicem?

1 *Splendida bilis*] Allusit ad illud Horat. *Sive aliud nomen, jussit quod splendida bilis*, id est, insania.

2 Φεύγετε] Hoc carmen *Plinius* indicat usurpari solere in magicis remediis, id est, *Fugite cantharides, lupus crudelis vos persequitur.* Cantharis, insecti genus, venenum habens lethale.

3 Legendum *rhombus*, quæ figura in Magicis adhibebatur, ut docebit vel *Rob. Stephani* Thesaurus Linguæ Latinæ. Ineptiunt qui *bombum* conantur interpretari.

4 *Thomam Linacrum*] Linacer hic sub Henrico VIII. Angliæ Rege felicissime medicinam professus, etiam in grammaticalibus admodum desudavit. Exstat ipsius opusculum de Emendatione structuræ.

5 At recentiores, eædemque accuratiores Editiones habent *quia*, ostenduntque quis sit loci sensus; quas & de sequentibus consule.

6 Act. 1. Sc. 1, ℣. 39.

7 Vers. 138.

Hi. Tutius, quam vinum. Dispeream nisi verum dixit Sbrulius. Pv. Trade mihi codicem, ut ostendam alium scrupulum. In prologo [1] Eunuchi versus hic non constat:

Habeo alia multa, quæ nunc condonabuntur.

Quanquam enim Comici Latini præcipue sumunt sibi multam libertatem in hoc genere carminis, tamen nusquam memini illos senarium claudere spondeo: nisi forte legendum est, *condonabitur*, [2] ἀπροσώπως, aut *condonabimus*, mutato numero personæ. Ma. O mores vere Poeticos! In ipso limine convivii micant digitis, & librum adhibent. Lusus & literas præstat servare in mensas secundas. Cr. Non omnino pessimum consilium dat Margareta; obtemperabitur: placato stomacho revocabimus lusum, interim digitis micabimus in disco. Hi. Videte luxum Poeticum. Habetis triplex ovorum genus, elixa, assa, frixa: omnia recentissima sunt, intra biduum nata. Pa. Ego butyri esum non fero: si frixa sunt oleo, perplacebunt. Hi. Abi, puer, disce ex Margareta, in utro frixa sint. Mv. In neutro, inquit, Hi. Nec in butyro, nec oleo? In quo igitur? Mv. In lixivio, ut ait. Cr. Qualis percunctatio, talis responsio. Quid negotii est dignoscere butyrum ab oleo? Ca. Præsertim his, qui tam facillime discernunt lactucam a beta. Hi. Habetis ovationem, sequetur aliquando triumphus. Heus, puer, circumfer oculos. Nihilne vides heic deesse? Mv. Permulta. Hi. Hæc ova desiderant condimentum, quo temperetur calor. Mv. Quod vis? Hi. Dic ut ex contusis vitis claviculis mittat nobis succum. Mv. Dicam. Hi. Quid huc redis inanis? Mv. Negat e clavis succum exprimi solere. Le. O famulam! Sb. Certe fabulis condiemus ova nostra. In Epodis Horatianis offendi locum quendam, non depravatum, quod ad scripturam attinet, sed depravate interpretatum, nec [3] a Mancinello solum, cæterisque recentioribus, verum etiam ab ipso Porphyrione. Locus est in carmine, quo canit [4] palinodiam [5] Canidiæ veneficæ:

Tuusque venter [6] Pactumejus, & tuo
Cruore rubros obstetrix pannos lavit,
Utcunque fortis exilis puerpera.

Existimant enim omnes heic, *exilis*, nomen esse, cum sit verbum. Adscribam verba Porphyrionis, si tamen illius esse credendum est: *Exilem autem*, inquit, *sub illa specie, quasi puerperio facta sit deformis: per exilitatem corporis maciem naturalem dicit.* Pudendus lapsus, si vir tantus non sensit metri legem reclamare huic sensui. Neque enim quartus locus admittit spondeum. Verum Poeta jocatur illam vere peperisse, quanquam non diu languisset, ac decubuisset a partu, sed statim exsiliisset e lecto, quemadmodum solent quædam fortes puerperæ. Hi. Habemus tibi gratiam Sbruli, qui tam laute condieris ova nostra. Le. Isti non dissimile est, quod legitur in primo Odarum libro, [7] odæ initium est: *Tu ne quæsieris.* Sic autem habet constans lectio: *Neu Babylonios Tentaris numeros, ut melius quidquid erit pati.* Hunc locum ita transiliunt veteres interpretes, quasi nihil habeat scrupuli: solus Mancinellus sentiens orationem imperfectam, jubet addi, *possis.* Sb. Habes aliquid de hac re compertius? Le. Nescio, sed mihi videtur Horatius Græci sermonis idioma reddidisse, quod nullus Poetarum facit libentius aut frequentius: nam Græcis est familiare, [8] aparemphaton adjungere huic dictioni ὡς & ὥστε. Sic Horatius, *ut pati*, pro, ut patiaris. Quanquam quod divinat Mancinellus, non est prorsus absurdum. Hi. Mihi vehementer arridet quod dicis. Curre, Mus, & adfer si quid est reliquum. Cr. Quid istud est novarum deliciarum? Hi. Hic

A est cucumis sectus in laminulas: hoc est, jus ex coctis intestinis cucurbitæ; conducit lubricandis intestinis. Sb. O cœnam vere medicam! Hi. Boni consulite. Mox aderit gallina ex corte nostra. Sb. Commutabimus tibi nomen, & pro Hilario vocabimus Apicium. Hi. Age nunc, ridete quantum voletis; cras fortasse serio laudabitis hanc cœnam. Sb. Qui sic? Hi. Cum senseris tibi probe conditum esse prandium. Sb. Fame? Hi. Scilicet. Cr. Scis, Hilari, quid provinciæ te vellem suscipere? Hi. Sciam, si dixeris. Cr. Chorus canit hymnos quosdam non indoctos, sed per indoctos multis locis depravatos: eos cuperem tua opera nobis restitui. Ut autem exemplum proferam, ita canimus:

Hostis Herodes impie,
Christum venire quid times?

B Ordo dictionis unius inversus, geminum vitium invexit carmini. Nam *hostis*, cum trochæum efficiat, nullum habet locum in carmine jambico: & *Hero*, spondeus, non recipitur in sede secunda. Nec dubium est quin versus ita primum scriptus sit: *Herodes hostis impie.* Jam epithetum, *impie*, mollius cohæret cum *hostis*, quam cum *Herodes*. Porro quoniam *Herodes* dictio Græca est, η vertitur in ε, in casu vocandi, ut, Σωκράτης, ὦ Σώκρατες: quemadmodum & in Ἀγαμέμνων, ω mega, recti casus, vertitur in ο micron. Rursum ita canimus hymnum:

Jesu corona virginum,
Quem mater illa concepit,
Quæ sola virgo parturit.

C Dubium non est, quin, *concipit*, sit pronuntiandum. Nam temporis hypallage gratiam etiam addit sermoni. Ridiculum autem est nos offendi in *concipit*, cum sequatur, *parturit.* Hi. Istius generis & ipse permulta offendi, nec pigebit olim huic rei aliquot dierum opellam dare. Nam mihi videtur Ambrosius in hoc carmine non parum habere gratiæ: adeo fere finit dimetrum dictione trisyllaba, & cæsuram fere collocat in fine dictionis. Id crebrius apud eum fit, quam ut casus videri possit. Si quæritis exemplum: *Deus creator*, heic est penthemimeris, accinitur, *omnium: Polique rector*, accinitur, *vestiens: Diem decoro*, accinitur, *lumine: Noctem soporis*, accinitur, *gratia.* Sed adest gallina satis obesa, quæ mihi totis decem annis peperit ova, & exclusit

D pullos. Cr. Indigna erat quæ necaretur. Ca. Si licet aliquid admiscere de studiis severioribus, habeo, quod proponam. Hi. Modo ne nimium sit tetricum. Ca. Non est. Cœpi nuper legere Senecæ epistolas, & in ipso statim portu, quod ajunt, impegi. Locus est in prima epistola: *Et si volueris*, inquit, *attendere, magna vita pars elabitur male agentibus, maxima nihil agentibus, tota aliud agentibus.* In hac sententia affectat nescio quid argutiæ, quod ego non satis assequor. Le. Divinabo, si voles. Ca. Maxime. Le. Nemo perpetuo peccat. Et tamen luxu, libidine, ambitione, cæterisque vitiis, magna vitæ pars perit: sed multo major vitæ portio perit nihil agentibus. Porro *nihil agere* dicuntur, non qui vivunt in otio, sed qui rebus frivolis & nihil ad

E felicitatem conducentibus occupantur. Inde proverbium, *Satius est cessare, quam nihil agere.* Sed tota vita perit aliud agentibus. *Aliud agere* dicitur, qui non est attentus ad id, quod agit. Perit igitur tota vita, quoniam dum vacamus vitiis, aliud agimus: dum vacamus frivolis, aliud agimus: dum studemus Philosophiæ, quoniam id facimus supine & oscitanter, aliud agimus, parum attenti, velut ad rem minime seriam. Hæc interpretatio si parum arridet, numeretur hæc sententia Senecæ inter eas, quas in hoc scriptore damnat [9] A. Gellius, ut frivole argutas. Hi. Mihi sane satis arridet: (Sed interim strenue ad gallinam. Nolim vos falli, nihil præterea parati est.) quadrat enim ad id quod præcessit: *Turpissima est jactura, quæ per negligentiam fit.* Id autem de-

F clarat hac trimembri sententia. At paullo post videor mihi videre mendum: *Mortem non prospicimus.* Magna pars ejus jam præteriit. Nam legendum arbitror, *Mortem prospicimus.*

1 Vers. 17.

2 *Impersonaliter.*

3 *A Mancinello*] Est hic Antonius Mancinellus Veliternus, cujus lucubrationes & commentaria in plures Historicos & Poetas adhuc exstant: in quibus licet quandoque errores committat, in eo nihilominus laude sua non est fraudandus quod aliis glaciem fregerit, industria non pœnitenda.

4. *Palinodiam*] Palinodiam canere, est diversum ab his, quæ prius dixeris dicere, & in contrarium vertere sententiam. Translatum a Stesichori Lyrici Poetæ facto. Is enim, cum Helenam carmine vituperasset, oculis orbatus est. Intelligens autem ex Achille, Helenæ jussu nunciante, cæcitatis causam, protinus Palinodiam cecinit, Helenamque prius vituperatam laudavit: itaque visum recepit. Sonat Græce παλινῳδία, quasi dicas recantationem.

5 Vers. 50.

6 *Pactumejus*] Vide Lubini in hos versus Paraphrasin. Bontius vero ultimum versum sic explicat: Quotiescunque tu exsilis, & e lecto surgis fortis puerpera, id est, nunquam.

7 Od. XI. Lib. I.

8 *Infinitivum.*

9 *A. Gellius*] Verba A. Gellii sic sonant: *de Annæo Seneca partim existimant, ut de scriptore minime utili, cujus libros attingere nullum operæ pretium sit: quod oratio ejus vulgaris videatur & protrita; res atque sententiæ aut inepto inanique impetu sint, aut ut levi & quasi dicaci argutia; eruditio autem vernacula & plebeja, nihilque ex veterum scriptis habens neque gratiæ neque dignitatis. Alii vero elegantiæ in verbis parum esse non inficias eunt; sed & rerum, quas dicat, scientiam doctrinamque ei non deesse dicunt, & in vitiis morum objurgandis severitatem gravitatemque non invenustam.* Noct. Attic. Lib. XII. c. 2.

mus. Prospicimus enim quæ procul absunt, cum mors magna ex parte præterierit nobis. LE. Si sibi permittunt Philosophi, ut aliquando divertant in prata Musarum, fortasse non videbitur absurdum, si nos aliquando vel animi gratia divertamus in illorum regionem. HI. Quid ni? LE. Cum nuper relegerem librum Aristotelis, quem inscripsit περὶ τῶν ἐλέγχων, quorum argumentum est Rhetoribus cum Philosophis magna ex parte commune, comperi insignes errores interpretum. Neque dubitandum est, quin heic qui Græce nesciunt, in multis locis egregie delirarint. Aristoteles enim proponit hujusmodi genus ambigui, quod nascitur ex voce, quæ eadem declarat diversa: ὅτι μανθάνουσιν οἱ ἐπιστάμενοι. τὰ γὰρ ἀποστοματιζόμενα μανθάνουσιν οἱ γραμματικοί· τὸ γὰρ μανθάνειν ὁμώνυμον, τό, τε ξυνιέναι χρώμενον τῇ ἐπιστήμῃ, καὶ τὸ λαμβάνειν τὴν ἐπιστήμην. Id verterunt in hunc modum: *Quoniam discunt scientes: Nam secundum os grammatici discunt: Discere enim æquivocum, ad intelligere eum qui utitur disciplina, & accipere disciplinam.* HI. Visus es mihi nunc Hebraice loqui, non Latine. LE. Estne quisquam vestrum, qui audivit heic ullam vocem æquivocam? HI. Nullam. LE. Quid igitur stultius, quam, id velle vertere, quod verti non poterat? Neque enim quemadmodum Græcis μανθάνειν, sonat, μαθεῖν, & μαθητεύειν ita Latinis *discere*, doctrinam accipere, aut tradere, quanquam an hoc sit verum, nescio: magis arbitror sic, μανθάνειν esse anceps apud Græcos, quemadmodum *cognoscere* apud Latinos. Cognoscit enim qui novit; & cognoscit judex, qui discit caussam. Sic, opinor, Græcis μανθάνειν dicitur præceptor, qui exigit prælecta pueris, & pueri quibus prælegitur. Quam vero venuste reddidit, τὰ γὰρ ἀποστοματιζόμενα μανθάνουσιν οἱ γραμματικοί. *Nam secundum os grammatici discunt*, cum vertere debuerit, *Nam grammatici quæ dictant, docent.* Hic interpretis erat aliud exemplum supponere, quod non eadem verba, sed eandem rei speciem exhiberet. Quanquam hoc loco suspicor etiam in Græca scriptura nonnihil esse mendæ; scribendum autem, ὁμώνυμον τῷ τε ξυνιέναι καὶ τῷ λαμβάνειν. Paulo post subjicit aliud exemplum ambigui, quod nascitur non ex vario vocis ejusdem significatu, sed ex diversa connexione: τό, βούλεσθαι λαβεῖν με τοὺς πολεμίους, *Velle me accipere pugnantes.* Sic enim vertit, pro eo quod erat, *Velle me capere hostes.* Et, si legas βούλεσθε, sermo fit dilucidior: *Vultis me capere hostes?* Nam pronomen potest præcedere verbum, *capere*, & potest sequi. Si præcedat, hic erit sensus: *Vultis ut ego capiam hostes?* Si sequatur, erit hic: *Vultis ut hostes me capiant?* Subjicit ejusdem generis aliud exemplum, ἆρα ὅ τις γινώσκει, τοῦτο γινώσκει. id est, *An quod quis novit, hoc novit:* Ambiguitas est in τοῦτο. Id si sumatur accusandi casu, sensus erit: *Quidquid alicui cognitum est, id illi cognitum esse.* Sin nominandi casu, sensus hic erit: *Quam rem quis intelligit, ea intelligit*, quasi cognosci non possit, nisi quod vicissim cognoscat. Rursus aliud subjicit, ἆρα ὅ τις ὁρᾷ, τοῦτο ὁρᾷ; ὁρᾷ δὲ τὸν κίονα· ὥστε ὁρᾷ ὁ κίων. *an quod quis videt, id videt? sed videt columnam; columna igitur videt.* Rursus in τοῦτο est ambiguitas, quam prius indicavimus. Verum hæc utcunque reddi poterant Latinis auribus: quod sequitur, nullo modo reddi poterat: ἆρα ὃ σὺ φὴς εἶναι, τοῦτο σὺ φὴς εἶναι; φὴς δὲ λίθον εἶναι· σὺ ἄρα φὴς λίθος εἶναι. Quod illi sic reddiderunt: *Putas quod tu dicis esse, hoc tu dicis esse? dicis autem lapidem esse, tu ergo lapis dicis esse.* Obsecro, quis omnino sensus humanus ex his verbis percipi possit? Ambiguitas enim partim pendet ex idiomate Græci sermonis, quæ est in majore ac minore: quanquam in majore est & alia ambiguitas, in duabus dictionibus ὃ & τοῦτο, quæ si capiantur nominandi casu, sensus erit: *Quidquid te dicis esse, hoc tu es.* Sin accusandi, sensus erit: *Quamcunque rem tu dicis esse, eam dicis esse.* & ad hunc sensum subsumit, λίθον φὴς εἶναι. Sed ad priorem colligit, σὺ ἄρα φὴς λίθος εἶναι. Græci sermonis proprietatem semel ausus est imitari [1] Catullus:

Phaselus iste, quem videtis, hospites,
Ait fuisse navium celerrimus.

Sic enim ferebatur hic versus in antiquioribus editionibus. Hoc ignorato, necesse est multis modis delirare eos, qui in hæc loca scribunt commentarios. Ne id quidem quod inibi continenter sequitur, Latino potest esse perspicuum: Καὶ ἆρά ἐστι σιγῶντα λέγειν; διττὸν γάρ ἐστι, τὸ σιγῶντα λέγειν· τό, τε τὸν λέγοντα σιγᾶν, καὶ τὸ τὰ λεγόμενα· Id reddiderunt hunc in modum: *Et putas, est tacentem dicere? Duplex enim est, tacentem dicere, & hunc dicere tacentem, & quæ dicuntur.* An non hæc Sibyllæ foliis obscuriora? MI. Mihi nec Græca satis liquent. LE. Exponam pro mea divinatione: *An possibile est tacentem dicere?* Hæc interrogatio duplicem habet sensum; quorum alter est falsus & absurdus, alter esse potest verus. Nam fieri non potest, ut qui loquitur, non dicat ea quæ loquitur, hoc est, ut loquendo taceat: sed fieri potest, ut is qui loquitur, taceat eum qui loquitur. Quanquam hoc exemplum recidit in alteram formam, quam paullo post subjicit. Rursum illud admiror: quod mox in genere ambiguitatis, quæ nascitur ex pluribus dictionibus conjunctis, mutarint Græci vocem *sæculi* in literas, ἐπίστασθαι τὰ γράμματα. cum Latini codices habeant, *scire sæculum.* Heic enim duplex sensus nascitur, vel ut ipsum sæculum sciat aliquid, vel ut aliquis sciat sæculum. Verum hoc mollius est in αἰῶνα sive in κόσμον, quam in γράμματα. Nam literæ dicuntur absurde scire quippiam. Verum nihil absurdi sit, si quis dicat, aliquid nostro sæculo notum esse; aut aliquem nosse suum sæculum. Jam aliquanto post, ubi proponit exemplum ambigui ex accentu, non veritus est interpres pro verbis Homeri supponere Virgiliana, cum eadem fuerit necessitas in illo exemplo, *Quidquid dicis esse, hoc est.* Ex Homero refert Aristoteles, οὗ καταπύθεται ὄμβρῳ. Si οὗ adspiretur ac circumflectatur, sonat, *Cujus computrescit pluvia:* sin οὐ sit exile & acutum, sonat, *Non computrescit pluvia.* Atque hoc quidem sumtum est ex Iliad. ψ. Alterum est, Διδόμεν δέ οἱ εὖχος ἀρέσθαι. accentu collocato super penultimam, sonat, *concede illi:* sin super primam, δίδομεν, sonat, *damus.* At Poeta non sentit Jovem dicere, *concedimus illi:* sed Jupiter mandat ipsi somnio, ut illi, ad quem mittitur, concedat potiri voto. Dictum est enim διδόμεν pro διδόναι. Pro his duobus Homericis subjecerunt hæc ex nostris Poetis, velut illud ex Odis Horatii:

[2] *Me tuo longas pereunte noctes*
Lydia dormis.

Etenim si accentus sit in, *Me*, correpto: &, *Tu* sit grave, unica dictio est, *Metuo*, id est, timeo. Quanquam hæc ambiguitas pendet non solum ex accentu, verum etiam ex compositione. Alterum supposuerunt ex Virgilio:

Heu quia nam tanti cinxerunt æthera nimbi!

Quanquam hæc quoque ex compositione nascitur ambiguitas. HI. Sunt ista quidem arguta, dignaque cognitu, Leonarde: sed interim vereor, ne cui convivium hoc sophisticum videatur magis, quam poeticum: alias, si videbitur, vel totum diem venabimur Elenchos in Elenchis. LE. Hoc est, in luco ligna, in mari quæremus aquam. HI. Ubi est meus Mus? MU. Adest. HI. Mone Margaretam, ut tradat bellaria. MU. Adeo. HI. Rursum ades vacuus? MU. Negat se de bellariis cogitasse, & ait satis diu sessum esse. HI. Vereor ne si diutius heic philosophemur, illa nobis mensam subvertat, quemadmodum Xanthippe Socrati: consultius est igitur ut bellaria sumamus in horto: ibi simul & ambulabimus & liberi nugabimur. Interea sibi quisque decerpat ex arbore quod lubet. CO. Placet consilium. HI. Est illic fonticulus quovis vino suavior. CA. Qui fit, ut hortus tuus magis niteat, quam aula? HI. Quia heic versor frequentius. Si quid arridet hic, ne parcite nostris opibus hortensibus. Jam sic satis videtur deambulatum, quid si considamus huc sub tilia, & Musas cieamus? PA. Age fiat. HI. Thema suppeditet hortus ipse. PA. Si præcesseris, sequemur. HI. Age faciam. Præpostere facit, cui variis deliciis niteat hortus, cum animum habeat nullis disciplinis, nullis virtutibus excultum. LE. Credemus adesse Musas, si reddideris eandem sententiam carmine. HI. Hoc mihi longe proclivius, prosam orationem vertere carmine, quam argentum commutare auro. LE. Dic igitur.

HI. *Cui renidet hortus undiquaque flosculis,*
Animumque nullis expolitum dotibus
Squalere patitur, is facit præpostere.

Habetis carmen Musis [3] & Apolline nullo. Sed elegans fuerit, si singuli hanc sententiam diverso genere carminis red-

1 Carm. IV.

2 *Me tuo longas*] Exstant versus libro I. Carm. Od. 25.

3 *Et Apolline nullo*] Allusit ad illud Martial. *Musis & Apolline nullo, Quod scribis versus, hoc Ciceronis habes.*

datis. LE. Qui vicerit, quid præmii feret? HI. Hunc calathum onustum malis, aut prunis, aut cerasis, aut mespilis, aut piris, aut si quid aliud magis adblanditur? LE. Quis erit arbiter certaminis? HI. Quis nisi Crato? Et idcirco solus non certabit, quo magis auscultet. CR. Vereor ne talem sitis habituri judicem, qualem olim habebant coccyx & luscinia, inter se de canendi gloria decertantes. HI. Sat est, si places omnibus. CO. Placet arbiter; incipe Leonarde.

LE. *Cui tot deliciis renidet hortus,*
Herbis, floribus, arborumque fetu,
Et multo & vario; nec excolendum
Curat pectus & artibus probatis,
Et virtutibus, is mihi videtur
Lævo judicio, parumque recto. DIXI.

HI. Carinus arrodit unguem; exspectamus aliquid elaboratum. CA. Nulla adest Musa:

Cura cui est, ut niteat hortus flosculis ac fetibus,
Negligenti excolere pectus disciplinis optimis:
Hic labore, mihi ut videtur, ringitur præpostero.

HI. Non frustra arrosus est unguis. EV. Quoniam ordo me vocat, ne nihil adferam:

Qui studet, ut variis niteat cultissimus hortus
Deliciis, patiens animum squalere, nec ullis
Artibus expoliens, huic est præpostera cura.

HI. Non est, cur exstimulemus Sbrulium. Nam ille sic scatet versibus, ut plerumque vel imprudens effundat carmina.

SB. *Cui vernat hortus cultus & elegans,*
Nec pectus ullis artibus excolit,
Præpostera is cura laborat.
Sit ratio tibi prima mentis.

PA. *Quisquis accurat variis ut hortus*
Floribus vernet, neque pectus idem
Artibus sanctis colit, hunc habet præpostera cura.

HI. Nunc experiamur, cui hortus suppeditet plures sententias. LE. Quid ni faciat tam dives? Vel hoc rosetum mihi suggeret quod dicam. Ut brevis est rosæ nitor, ita fugax est juventus: properas carpere rosam, prius quam marcescat: magis adnitendum est, ne sine fructu tibi effluat juventus. HI. Thema satis aptum carmini. CA. Ut inter arbores suus cuique fetus est, ita inter homines suæ cuique dotes sunt. EV. Ut terra si excolatur, varias opes gignit in usus humanos, neglecta spinis ac vepribus obducitur: ita hominis ingenium si excolatur optimis studiis, plurimas edit virtutes: sin negligas, variis occupatur vitiis. SB. Hortus quotannis colendus est, ut niteat: animus semel excultus honestis studiis, perpetuo floret ac vernat. PA. Ut amœnitas hortorum non avocat animum ab honestis studiis, sed ad hæc invitat potius; ita quærendi sunt lusus ac joci, qui non absunt a literis. HI. Euge, video examen sententiarum. Nunc ad versus: sed antequam id aggrediamur, mea sententia, fuerit exercitatio nec inelegans, nec infrugifera, si primam sententiam toties reddamus Græcis versiculis, quoties reddidimus Latinis. Heic auspicabitur Leonardus, jam olim familiaris Musis Græcanicis. LE. Ineptiam, si jubes. HI. Jubeo atque impero.

LE. Ὧ κῆπός ἐστιν ἄνθεσιν γελῶν καλοῖς,
Ὁ δὲ νοῦς μάλ' αὐχμῶν τοῖς καλοῖς μαθήμασιν,
Οὐκ ἔστι κόμψος, οὗτος οὐκ ὀρθῶς φρονεῖ,
Περὶ πλείονος ποιῶν τὰ φαῦλ' ἢ κρείττονα.

Ego præsulem egi; succedet qui volet. HI. Carinus. CA. Imo Hilarius. LE. Sed video Margaretam intervenire: adfert nescio quid deliciarum. HI. Si id fecerit, me fefellerit mea furia. Quid adfers? MA. Sinapi, quo condiatis vestra bellaria. An non pudet heic garrire in multam noctem, & postea vos Poetæ multa blateratis in loquacitatem fœminarum? CR. Haud male monet Margareta: jam tempus est, ut suum quisque nidum adeat, alias in hoc pulcerrimo certaminis genere, vel solidum diem consumemus. HI. Sed cui addicis præmium? CR. In præsentia quidem mihi ipsi addico. Nullus enim vicit præter unum me. HI. Qui vicisti, qui non certaveris? CR. Vos certastis, at non decertastis. Ego, quod nemo vestrum potuit, vici Margaretam. CA. Hilari, æquum postulat; auferat calathum.

Inquisitio de fide.

AULUS, BARBATIUS.

AV. [1] PUerorum est cantilena, *Saluta libenter*: Verum haud scio, an mihi fas sit tibi dicere salutem. BA. Equidem malim qui det salutem, quam qui dicat. Sed quam ob rem istuc ais, Aule? AV. Quam ob rem? Quia, si scire vis, oles aut sulphur, aut fulmen Jovis. BA. Sunt & Vejoves, sunt bruta fulmina, multum etiam origine dissidentia a fatidicis. Nam, ut suspicor, tu de anathemate sentis. AV. Rem conjectas. BA. Audivi quidem horrenda tonitrua; fulminis ictum non sensi. AV. Qui sic? BA. Quia nihilo pejus concoquo, neque irrequietius dormio. AV. Sed hoc periculosius solet esse malum, quia non sentitur. Verum hæc bruta fulmina, quæ tu vocas, feriunt [2] montes & maria. BA. Feriunt, sed irritis ictibus. Est & fulgur e vitro, seu vase æreo. AV. Certe territat & hoc. BA. Verum, sed pueros. Solus Deus habet fulmen, quo feriat animam. AV. Quid si Deus est in suo vicario? BA. Utinam sit! AV. Imo multi demirantur te jam dudum non esse quovis carbone atriorem. BA. Finge me talem. Atqui tanto magis erat optanda salus perdito, si placet Euangelica doctrina. AV. Optanda quidem, at non dicenda. BA. Cur ita? AV. Quo pudescat ictus fulmine, ac resipiscat. BA. Si sic nobiscum egisset Deus, perieramus omnes. AV. Quam ob rem? BA. Quia cum essemus inimici Dei, cultores idolorum, militantes in castris Satanæ, hoc est, modis omnibus excommunicatissimi, tum ille maxime nobiscum confabulatus est per Filium suum, suoque colloquio nos restituit in vitam, cum essemus mortui. AV. Ista quidem vere narras. BA. Imo male ageretur cum omnibus ægrotis, si medicus fugeret alloquium, quoties ingens morbus gravat miserum: imo cum maxime conveniebat adesse medicum. AV. At ego metuo, ne tu mihi citius adfles aliquid tui mali, quam fiat ut tuo morbo medear; nonnunquam usu venit, ut pro medico fiat palæstrites, qui visit ægrotum. BA. Ita quidem usu venit in corporum morbis; verum in animi malis est tibi parata antidotus adversus omne contagium. AV. Quænam? BA. Adamantinum propositum, non divelli a sententia semel infixa. Deinde cur palæstram metuis, ubi res verbis agitur? AV. Est aliquid quod dicis, si modo spes sit profectus. BA. Proverbio dicitur, *Donec spirat homo, sperandum esse*: Et juxta Paulum, [3] Caritas nescit desperare, quia sperat omnia. AV. Non pessime mones, atque hac spe puto mihi fas esse tecum miscere sermonem aliquantisper: ac, si pateris, medicum agam. BA. Licet. AV. Vulgo sunt invisi percunctatores. Et tamen in medicis probantur, qui percunctantur de singulis. BA. Percunctare a cœlo usque ad terram, si libet. AV. Experiar; modo fidem des te responsurum ex animo. BA. Do; modo sciam qua de re velis percunctari. AV. De symbolo Apostolorum. BA. Audio militare verbum, nec recuso haberi pro hoste Christi, si quid heic fefellero. AV. Credis in Deum Patrem omnipotentem, qui condiderit cœlum & terram? BA. Et quidquid cœlo terraque continetur, atque etiam mentes angelicas. AV. Cum Deum dicis, quid sentis? BA. Sentio mentem esse quandam æternam, quæ nec initium habuerit, nec finem sit habitura, qua nihil esse potest nec majus, nec sapientius, nec melius. AV. Ista quidem satis pie. BA. Quæ nutu suo omnipotenti condidit quidquid est rerum visibilium aut invisibilium: quæ sapientia mirabili moderatur ac gubernat universa, sua bonitate pascit ac servat omnia, atque hominum genus collapsum gratuito restituit. AV. Sunt quidem ista tria præcipua in Deo: sed quid fructus capis ex istorum cognitione? BA. Cum omnipotentem cogito, me totum illi submitto, ad cujus majestatem nihil est hominum aut angelorum sublimitas. Deinde plena fiducia credo, quod ab illo factum tradunt sacræ literæ, simulque futurum, quidquid ille promisit, quando nutu, quidquid vult, potest, quantumvis homini videatur impossibile. Ita fit, ut meis viribus diffisus, totus ab illo pendeam, qui potest omnia. Ubi sapientiam illius intueor, nihil tribuo meæ sapientiæ, verum credo omnia rectissime justissimeque ab eo fieri, etiamsi juxta sensum humanum videantur absurda aut iniqua. Cum bonitatem con-

1 In præceptis *Dionysii Catonis.*
2 *Montes & maria*, &c.] Refert Plinii verba ex Lib. 11. c. 43.
3 Vide 1 Cor. XIII, 7.

considero, video nihil esse in me, quod illius gratuitæ beneficentiæ non debeam: & nullum arbitror esse tantum crimen, quod ille nolit ignoscere resipiscenti: neque quidquam esse, quod ille non sit largiturus cum fiducia petenti. Av. Num satis esse putas, quod credis illum esse talem? Ba. Nequaquam, sed sincero affectu totam fiduciam ac spem in illum unum transfero, detestans Satanam omnemque idololatriam, & quidquid est artium magicarum. Illum solum adoro, nihil ille nec præferens, nec æquans; non angelum, non parentes, liberos, non uxorem, non principem, non opes, non honores, non voluptates: paratus & vitam illius caussâ perdere, si jusserit; certus eum non posse perire, qui se totum illi tradiderit. Av. Nihil igitur colis, nihil times, nihil amas, nisi unum Deum? Ba. Si quid veneror, si quid metuo, si quid amo præter eum, ejus caussa amo, metuo, colo, omnia ad illius gloriam referens, semper illi gratias agens, sive læta contingunt, sive tristia: sive mori datur, sive vivere. Av. Sana quidem est hactenus tua oratio. De secunda persona quid sentis? Ba. Sciscitare. Av. Credis Jesum fuisse Deum & hominem? Ba. Maxime. Av. Qui fieri potuit, ut idem sit Deus immortalis, & homo mortalis? Ba. Istud illi facile fuit efficere, qui quidquid vult, potest. Et ob divinam naturam, quam eandem habet cum Patre, quidquid magnitudinis, sapientiæ, & bonitatis attribuo Patri, idem tribuo & Filio: quidquid debeo Patri, debeo & Filio: nisi quod ita visum est Patri, ut per Filium conderet ac donaret nobis omnia. Av. Cur igitur sacræ literæ Filium frequentius appellant *Dominum*, quam *Deum*? Ba. Quia, *Deus*, auctoritatis, hoc est, principatus est nomen, quæ Patri præcipue convenit: qui simpliciter principium est omnium, atque ipsius etiam Deitatis fons. *Dominus*, redemtoris & assertoris vocabulum est. Quanquam & Pater redemit per Filium, & Filius Deus est, sed ex Deo Patre. Solus autem Pater a nullo est, & in personis divinis principem locum obtinet. Av. Ergo & in Jesu collocas tuam fiduciam? Ba. Quidni? Av. Sed Propheta maledictum dicit, qui fidit in homine. Ba. Sed huic uni homini [1] data est omnis potestas in cœlo & in terra: [2] ut in nomine ejus flectatur omne genu, cœlestium, terrestrium, & inferorum. Quanquam nec in hoc fiduciæ speique meæ sacram, ut ajunt, ancoram figerem, ni Deus esset. Av. Cur eum Filium appellat? Ba. Ne quis somniet esse creaturam. Av. Cur unicum? Ba. Ut discernat naturæ Filium, a filiis adoptivis, cujus cognominis honorem nobis etiam impartit, ut neminem præter hunc alium exspectemus. Av. Cur eum qui Deus erat, hominem fieri voluit? Ba. Ut homines homo reconciliaret Deo. Av. Credis conceptum citra virilem operam, opificio Spiritus sancti, ac natum ex incorrupta Virgine Maria, de illius substantia sumto mortali corpore? Ba. Maxime. Av. Cur sic nasci voluit? Ba. Quia sic decebat nasci Deum; sic decebat nasci, qui nostræ conceptionis ac nativitatis sordes purificaret. Hominis Filius nasci voluit Deus, ut nos in illum renascentes, efficeremur Filii Dei. Av. Credis illum versatum in terris, ea gessisse miracula, ea docuisse, quæ prodita sunt literis Evangelicis? Ba. Certius quam te credo esse hominem. Av. Non sum inversus Apulejus, ut suspiceris asinum latere sub hominis specie. Sed credis hunc eundem esse Messiam illum, quem delinearant figuræ legis, quem promiserant oracula Prophetarum, quem tot sæculis exspectarant Judæi? Ba. Nihil habeo persuasius. Av. Credis hujus doctrinam ac vitam sufficere ad perfectam pietatem? Ba. Admodum. Av. Credis eundem vere comprehensum a Judæis, vinctum, colaphis & alapis cæsum, consputum, irrisum, flagellatum sub Pontio Pilato, ac denique suffixum in crucem, atque inibi mortuum? Ba. Maxime. Av. Credis illum ab omni lege peccati cujuscunque fuisse immunem? Ba. Quid ni? Agnum absque macula. Av. Credis illum sua sponte hæc omnia perpessum? Ba. Imo libenter, atque etiam sitienter, sed ex voluntate Patris. Av. Cur Pater Filium suum unicum, innocentem, sibique carissimum, hæc tam atrocia pati voluit? Ba. Ut hac victima nos nocentes sibi reconciliaret, in illius nomen collocantes fiduciam ac spem nostram. Av. Cur Deus passus est sic collabi totum humanum genus? Et, si passus est, non patuit alia via sarciendi ruinam nostram? Ba. Hoc mihi persuasit, non humana ratio, sed fides, nulla ratione potuisse fieri melius, neque ad salutem nostram utilius. Av. Cur hoc mortis genus illi potissimum placuit? Ba. Quia juxta mundum erat probrosissimum: quia diri lentique cruciatus: quia conveniebat illi, qui porrectis in omnem mundi plagam membris, omneis orbis nationes invitaret ad salutem, & homines terrenis curis affixos evocaret ad cœlestia. Denique ut referret nobis serpentem æneum, quem Moses suspenderat in stipite, ut quicunque defigerent in illum oculos, sanarentur a vulnere serpentum: fidemque Prophetæ liberaret, qui prædixerat, [3] *Dicite in nationibus, regnavit a ligno Deus.* Av. Cur & sepeliri voluit, idque tam accurate, oblitus myrrha & unguentis, inclusus novo monumento e solido vivoque saxo exciso, obsignato ostio, adhibitis etiam custodibus publicis? Ba. Quo magis constaret, esse vere mortuum. Av. Cur non statim revixit? Ba. Hac ipsa de caussa. Etenim si mors fuisset ambigua, fuisset & ambigua resurrectio: sed hanc voluit esse certissimam. Av. Credis hujus animam descendisse ad inferos? Ba. Hanc particulam non fuisse quondam additam, nec in symbolo Romano, nec in symbolo Orientalium ecclesiarum, [4] testis est Cyprianus, nec recensetur apud Tertullianum vetustissimum scriptorem: Ego tamen & hoc firmiter credo: Vel quia congruit cum prophetia Psalmi; [5] *Non derelinques animam meam in inferno:* & rursus; *Domine, eduxisti ab inferno animam meam:* Vel quia Petrus Apostolus in epistolæ prioris (de cujus auctore nunquam fuit dubitatum) capite tertio scripsit hunc in modum; *Mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu*: in quo & his, qui in carcere erant, spiritu veniens prædicavit. Verum, ut credo descendisse ad inferos, ita non credo illic aliquid esse passum: descendit enim, non ut illic cruciaretur, sed ut nobis frangeret regnum Satanæ. Av. Nihil adhuc impium audio: sed mortuus est, ut nos peccato mortuos revocaret ad vitam. Cæterum cur revixit? Ba. Tribus potissimum de caussis. Av. Quibus? Ba. Primum, ut nobis certam spem faceret resurrectionis. Deinde, ut sciremus, eum immortalem esse, nec unquam moriturum, in quo præsidia salutis nostræ collocavimus. Postremo, ut nos quoque per pœnitentiam mortui peccatis, per baptismum una cum illo sepulti, per gratiam ejus revocemur ad vitæ novitatem. Av. Credisne, quod idem corpus, quod mortuum fuit in cruce, quod revixit in sepulcro, quod visum & contrectatum est discipulis, subvexerit in cœlum? Ba. Maxime. Av. Cur voluit relinquere terras? Ba. Ut illum omnes spiritualiter amaremus, neque quisquam in terris sibi Christum proprie vindicaret, sed omnes ex æquo tolleremus animos in cœlum, scientes illic esse caput nostrum. Etenim, si nunc homines tantopere sibi placent ob vestis colorem ac figuram, cumque sic quidam ostentent sanguinem, aut præputium Christi, & lac matris Virginis: quid credis futurum, si mansisset in terris vestitus, comedens, loquens? Quæ dissidia parassent ista corporis peculiaria? Av. Credis illic immortalitate donatum, assidere dextrum Patri? Ba. Quid ni? ut rerum omnium dominum, & totius regni paterni consortem. Hoc ipse discipulis promiserat futurum, atque hoc spectaculum exhibuit Stephano martyri suo. Av. Cur hoc exhibuit? Ba. Ne nos ulla in re trepidaremus, gnari quam potentem patronum ac dominum habeamus in cœlis. Av. Credis illum eodem corpore rediturum, ut judicet vivos & mortuos? Ba. Quam habeo certum, esse hactenus peracta, quæ Prophetæ de Christo prædixerant; tam habeo certum, fore, quidquid in posterum voluit nos exspectare. Prior adventus exhibitus est juxta vaticinia Prophetarum, quo venit humilis, ut nos institueret ac servaret. Exhibebitur & secundus, quo veniet sublimis in gloria Patris: ante cujus tribunal sisti cogentur omnes homines cujuscunque nationis, cujuscunque status, sive reges, sive plebeji, sive Græci, sive Scythæ: nec solum hi, quos adventus ille deprehendet vivos, verum etiam omnes, qui ab initio mundi usque ad illud tempus mortui fuerint, subito reviviscent, & suo quisque corpore conspiciet judicem. Aderunt & Angeli beati, tan-

1 *Data est omnis*] Locus exstat Matthæi 28. vers. 18.
2 *Ut in nomine*] Vide Philipp. 2. versiculis. 10, 11.

3 Respicitur ad Psalm. xcv, 10. Quemadmodum citatur a *Justino* Martyre Apol. 11. & aliis Patribus. Sed jam omnes norunt addita esse verba *a ligno*, ab aliquo male feriato Christiano.
4 *Cypriano* olim tribuebatur explicatio Symboli, quæ est *Ruffini* Aquilejensis, exstatque & iv Tomo Operum Hieronymi.
5 *Non derelinques*, &c.] Ps. xvi.

tanquam famuli fideles: aderunt & dæmones judicandi. Tum e sublimi pronuntiabit illam inevitabilem sententiam, quæ diabolum, cum his qui illi adhæserunt, tradet æternis suppliciis, ut postea nulli possint nocere: pios transferet in consortium regni cœlestis, tutos ab omni molestia: quanquam hujus adventus diem nobis ignotum esse voluit. Av. Nihil adhuc audio morbi. Veniamus igitur ad tertiam personam. Ba. Ut videtur. Av. Credis in Spiritum sanctum? Ba. Credo hunc esse verum Deum, una cum Patre & Filio. Credo hoc Spiritu afflatos fuisse, qui nobis Veteris ac Novi Testamenti libros tradiderunt, sine cujus ope nemo pervenit ad salutem. Av. Cur appellatur *Spiritus*? Ba. Quia quemadmodum corpora nostra vivunt halitu, ita tacito sancti Spiritus afflatu vivificantur animi nostri. Av. An non licet Patrem vocare *Spiritum*? Ba. Quid ni? Av. An non igitur confunduntur personæ? Ba. Non. Nam Pater *Spiritus* dicitur, quod sit incorporeus; id quod omnibus personis est commune juxta naturam divinam; sed tertia persona dicitur *Spiritus*, quod alicunde spiret, & per animos sese transfundat insensibiliter, velut a terra seu fluviis spirant auræ. Av. Cur personæ secundæ tribuitur nomen *Filii*? Ba. Ob perfectam naturæ & voluntatis similitudinem. Av. Est Filius similior Patri, quam Spiritus sanctus? Ba. Non, juxta naturam divinam; nisi quod hoc magis refert proprietatem Patris; quod ab ipso quoque procedat Spiritus sanctus. Av. Quid igitur prohibet Spiritum sanctum appellari Filium? Ba. Quia cum divo Hilario nusquam hunc lego genitum, nec hujus lego Patrem; Spiritum & procedentem lego. Av. Cur in Symbolo solus Pater dicitur Deus? Ba. Quod hic, ut dixi, simpliciter sit auctor omnium quæ sunt, ac totius Deitatis fons. Av. Dic clarius. Ba. Quoniam nihil nominari potest, cujus origo non manat a Patre. Siquidem hoc ipsum quod Filius ac Spiritus sanctus Deus est, Patri acceptum referunt. Præcipua igitur auctoritas, hoc est, originis ratio, est in Patre solo, quod unus ille a nullo est. In Symbolo tamen sic accipi potest, ut Dei nomen non sit personæ proprium, sed in genere positum, quod mox per Patris, Filii, & Spiritus sancti vocabulum distinguatur in unum Deum: quæ naturæ vox comprehendit Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, hoc est, tres personas. Av. Credis in sanctam Ecclesiam? Ba. Non. Av. Quid ais? non credis? Ba. Credo sanctam Ecclesiam, quæ est corpus Christi, hoc est, congregatio quædam omnium per universum orbem, qui consentiunt in fide Euangelica, qui colunt unum Deum Patrem, qui totam suam fiduciam collocant in ejus Filio, qui eodem hujus Spiritu aguntur; a cujus consortio resecatur quisquis admittit crimen lethale. Av. Cur horres dicere; *Credo in sanctam Ecclesiam*? Ba. Quia sic me docuit divus Cyprianus, in solum Deum esse credendum, in quo simpliciter omnem fiduciam reponimus. Ecclesia vero proprie dicta, quanquam non constat nisi ex bonis, tamen ex hominibus constat, qui ex bonis possunt fieri mali, qui falli possunt & fallere. Av. Quid sentis de communione sanctorum? Ba. Hic articulus omnino non attingitur apud Cyprianum; cum ille nominatim indicet, quid in quibus Ecclesiis plus habeatur aut minus. Sic enim ille connectit; *Sequitur namque post hunc sermonem, sanctam Ecclesiam, remissionem peccatorum, hujus carnis resurrectionem.* Ac nonnullis videtur hæc pars non esse diversa a superiore, sed explicare & infigere quod modo dictum erat, sanctam Ecclesiam: ut nihil aliud sit *Ecclesia*, quam unius Dei, unius Euangelii, unius fidei, unius spei professio, ejusdem Spiritus, eorundem Sacramentorum participatio: breviter, talis quædam communio bonorum omnium inter omnes pios, qui fuerunt ab initio mundi usque ad finem, qualis est membrorum corporis inter ipsa societas; sic ut aliorum benefacta subveniant aliis, donec viva sunt membra corporis. Cæterum extra societatem hanc ne propria quidem benefacta conducunt cuiquam ad salutem, nisi reconcilietur sanctæ congregationi: & ideo sequitur; *Remissionem peccatorum:* quia extra Ecclesiam non est ulla peccatorum remissio, quantumvis homo maceret se pœnitentia, aut exerceat opera misericordiæ. In Ecclesia, inquam, non hæreticorum, sed sancta; hoc est, Spiritu Christi congregata, est remissio peccatorum per baptismum: &, post baptismum, per pœnitentiam & claves Ecclesiæ datas. Av. Ista sunt adhuc sani hominis. Credisne futuram carnis resurrectionem? Ba. Frustra crederem cætera, si hoc, quod est omnium caput, non crederem. Av. Quid sentis, cum dicis *carnem*? Ba. Corpus humanum, humana anima animatum. Av. Num unaquæque anima recipiet suum corpus, quod exanime reliquerat? Ba. Idem hoc, unde demigrarat. Et ideo in symbolo [1] Cypriani additum est, *Hujus carnis*. Av. Qui fieri potest, ut corpus jam toties ex aliis in alia versum, possit idem reviviscere? Ba. Qui potuit quidquid vult, ex nihilo creare; an huic difficile sit, quod ex sua forma mutatum est, in pristinam naturam restituere? Non anxie disputo, quibus modis id fiat: mihi satis est, quod qui promisit hoc futurum, sic verax est, ut mentiri non possit; sic potens est, ut quidquid velit, nutu valeat efficere. Av. Quid opus erit tum corpore? Ba. Ut totus homo glorificetur cum Christo, qui heic totus afflictus erat pro Christo. Av. Quid sibi vult, quod addit; *Et vitam æternam*? Ba. Ne quis suspicetur nos sic revicturos, quemadmodum sub vernum tempus reviviscunt ranæ, rursus morituræ. Nam heic duplex mors est: corporis, bonis ac malis omnibus communis; & animi. Mors autem animi peccatum est. At post resurrectionem piis erit æterna vita, tum corporis, tum animi. Nec enim corpus erit amplius obnoxium morbis, senio, fami, siti, dolori, lassitudini, morti, aut ulli incommodo; sed [2] spirituale factum, spiritus arbitrio movebitur: nec animus deinceps ullis vitiis aut doloribus sollicitabitur, sed sine fine fruetur summo bono, qui est Deus. Contra, impios mors æterna possidebit, tum corporis, tum animi. Nam & corpus habebunt ad æternos cruciatus immortale, & animum peccatorum stimulis semper afflictum absque spe veniæ. Av. Credis hæc ex animo, ac serio? Ba. Sic, inquam, ut mihi minus certum sit, te mecum colloqui. Av. Ego cum essem Romæ, non omneis reperi æque sincere credentes. Ba. Imo si excutias, reperies & alibi multos, quibus hæc non æque persuasa sunt. Av. Cum in tam multis & arduis consentias nobiscum, quid obstat quo minus totus sis noster? Ba. Istud ex te audire cupio. Nam ipse mihi videor orthodoxus, etiamsi vitam meam nolim præstare, tametsi sedulo conor, ut professioni respondeat. Av. Unde igitur tantum bellum inter vos & orthodoxos? Ba. Exquire. Sed heus medice, si non pœnitet hujus procemii, sumes nobiscum prandiolum, & a prandio per otium percunctaberis de singulis; præbebo brachium utrumque: inspicies excrementa, tum crassiora, tum liquidiora. Denique facies, si videbitur, totius hujus pectoris anatomiam, quo certius de me judices. Av. At religio est tecum mensam habere communem. Ba. Atqui id solent medici, quo melius observent, quid affectent aut peccent ægroti. Av. Sed vereor ne videar favere hæreticis. Ba. Imo nihil est sanctius, quam favere hæreticis. Av. Qui sic? Ba. Nonne [3] Paulus optavit anathema fieri pro Judæis plusquam hæreticis? An non favet ille, qui studet ut quis ex malo fiat bonus, ex mortuo vivus? Av. Maxime. Ba. Sic igitur fave; nec erit quod metuas. Av. Nunquam audivi ægrotum commodius respondentem. Age, duc me ad prandium. Ba. Medice accipieris, & ut decet apud ægrotum; & sic curabimus corpuscula cibo, ut nihilo secius animus idoneus sit ad disputandum. Av. Fiat bonis avibus. Ba. Imo malis pisciibus fiet: nisi forte nunc oblitus es esse diem Veneris. Av. Id quidem est præter symbolum nostrum.

[4] Γεροντολογία, sive Ὄχημα.

Eusebius, Pampirus, Polygamus, Glycion.

Ev. Quas novas aves heic ego video? Nisi me fallit animus, aut parum prospiciunt oculi, video tres veteres congerrones meos considentes, Pampirum, Polygamum, & Glycionem. Certe ipsi sunt. Pa. Quid tibi vis cum tuis vitreis oculis, fascinator? Congredere propius, Eusebi. Po. Salve multum exoptate Eusebi. Gl. Bene sit tibi vir optime. Ev. Salvete vos omnes una salute, pariter mihi carissima capita. Quis Deus, aut casus Deo felicior, nos conjunxit? Nam nemo nostrum vidit alium annis,

1 Aut potius *Ruffini*, ut antea diximus.
2 *Spiritus arbitrio movebitur*] Respicit auctor ad locum Pauli 1 Cor. 15.44. *Seritur corpus animale, suscitatur corpus spirituale. Est corpus animale & est corpus spirituale.*
3 *Paulus optavit anathema*] Locus exstat ad Rom. 9. vers. 3.
4 *Γεροντολογία*] Id est, senile colloquium; ὄχημα, vehiculum.

nis, opinor, jam quadraginta. Mercurius caduceo suo non potuisset melius nos in unum contrahere. Quid heic agitis? PA. Sedemus. Ev. Video; sed qua de caussa? Po. Operimur currum, qui nos devehat Antverpiam. Ev. Ad mercatum? Po. Scilicet, sed spectatores magis, quam negotiatores: quanquam aliis aliud est negotii. Ev. Et nobis eodem est iter. Verum quid obstat, quo minus eatis? Po. Nondum convenit cum aurigis. Ev. Difficile genus hominum. Sed vultisne, ut illis imponamus? Po. Liberet, si liceret. Ev. Simulemus nos velle simul abire pedites. Po. Citius credant cancros volaturos, quam nos tam grandes, pedibus hoc iter confecturos. GL. Vultis rectum verumque consilium? Po. Maxime. GL. Illi potant: id quo faciunt diutius, hoc plus erit periculi, necubi nos dejiciant in lutum. Po. Admodum diluculo venias oportet, si sobrium aurigam velis. GL. Quo maturius perveniamus Antverpiam, nobis quatuor solis currum stipulemur. Contemnendum censeo tantillum pecuniæ. Hoc damni multis commoditatibus pensabitur, sedebimus commodius, ac mutuis fabulis suavissime transigemus hoc iter. Po. Recte suadet Glycion; ut in vehiculo quoque jucundus comes pro vehiculo sit. Quin & juxta Græcorum proverbium, liberius loquemur, non [1] de plaustro, sed in plaustro. GL. Transegi; conscendamus. Vah, nunc mihi libet vivere, posteaquam ex tanto intervallo videre contigit mihi carissimos olim sodales. Ev. Ac mihi videor repubescere. Po. Quot annos supputatis, ex quo Lutetiæ conviximus? Ev. Arbitror haud pauciores quadraginta duobus. PA. Tum videbamur omnes æquales. Ev. Ita ferme eramus, aut si quid erat discriminis, perpusillum erat. PA. At nunc quanta inæqualitas! Nam Glycion nihil habet senii, & hujus avus videri queat Polygamus. Ev. Profecto sic res habet. Quid rei in caussa? PA. Quid? aut hic cessavit ac restitit in cursu, aut ille antevertit. Ev. Ohe, non cessant anni, quantumvis cessent homines. Po. Dic bona fide, Glycion, quot annos numeras? GL. Plures quam ducatos. Po. Quot tandem? GL. Sexaginta sex. Ev. O vere [2] Τιθωνοῦ γῆρας, quod ajunt. Po. Sed quibus tandem artibus remoratus es senectutem? Nam neque canities adest, neque rugosa cutis: vigent oculi, nitet utrinque dentium series; color vividus est, corpus succulentum. GL. Dicam artes meas; modo tu vicissim narres nobis artes tuas, quibus senectutem accelerasti. Po. Recipio, me facturum. Dic igitur, quo te contulisti relicta Lutetia? GL. Recta in patriam. Illic commoratus fere annum, dispicere cœpi de deligendo vitæ genere; quam ego rem non leve momentum habere credo ad felicitatem: circumspiciebam quid cuique succederet, quid secus. Po. Miror, tibi tantum fuisse mentis, cum Lutetiæ nihil fuerit te nugacius. GL. Tum ferebat ætas. Et tamen, ô bone, non heic meo Marte rem omnem gessi. Po. Mirabar. GL. Prius quam quidquam aggrederer, adii quendam e civibus natu grandem, longo rerum usu prudentissimum, totiusque civitatis testimonio probatissimum, ac meo quidem judicio etiam felicissimum. Ev. Sapiebas. GL. Hujus usus consilio, duxi uxorem. Po. Pulcre dotatam? GL. Dote mediocri, ac plane, juxta proverbium, [3] τὴν κατ' ἐμαυτόν. Nam & mihi res erat mediocris. Ea res mihi plane cessit ex animi sententia. Po. Quot annos tum eras natus? GL. Viginti ferme duos. Po. O te felicem! GL. Non totum hoc fortunæ debeo, ne quid erres. Po. Qui sic? GL. Dicam. Alii prius diligunt quam deligant, ego judicio delegi quam diligerem: & tamen hanc magis duxi ad posteritatem, quam ad voluptatem. Cum ea vixi suavissime annos non plures octo. Po. Reliquit orbum? GL. Imo superest quadriga liberorum; Filii duo, Filiæ totidem. Po. Privatusne vivis, an Magistratu fungeris? GL. Est mihi munus publicum; poterant contingere majora: verum hoc mihi delegi, quod tantum haberet dignitatis, ut me vindicaret a contemtu; cæterum minime molestis negotiis obnoxium. Ita nec est, quod quisquam objiciat, me mihi vivere; & est unde nonnunquam & amicis dem operam. Hoc contentus, nihil unquam magis ambii. Verum sic gessi magistratum, ut illi ex me dignitas accreverit. Hoc ego pulcrius duco, quam ex muneris splendore dignitatem mutuo sumere. Ev. Nihil verius. GL. Sic inter cives meos consenui, carus omnibus. Ev. Isthuc vero difficillimum est, cum non abs re dictum sit; *Qui neminem habet inimicum, eum nec amicum habere quemquam: & felicitatis semper invidiam esse comitem.* GL. Insignem felicitatem comitari solet invidia: mediocritas tuta est. Et hoc mihi perpetuum studium fuit, ne quid mei commodi ex aliorum incommodis compararem. Illam quam Græci vocant [4] ἀπραξίαν, quantum licuit, amplexus sum. Nullis negotiis ingessi memet; sed præcipue continui me ab his, quæ sine offensa multorum suscipi non poterant. Itaque si juvandus erit amicus, sic illi benefacio, ut hac de caussa nullum mihi parem inimicum. Et si quid ortum fuerit simultatis alicunde, aut purgatione lenio, aut officiis exstinguo, aut dissimulatione patior intermori: a contentione semper abstineo: quæ si inciderit, malo rei, quam amicitiæ facere jacturam. In cæteris Mitionem quendam ago: nulli lædo os, arrideo omnibus, saluto ac resaluto benigniter: nullius animo repugno, nullius institutum aut factum damno, nemini me præfero: patior suum cuique pulcrum esse. Quod taceri velim, nemini credo. Aliorum arcana non scrutor; & si quid forte novi, nunquam effutio. De his qui præsentes non sunt, aut taceo, aut amice loquor, ac civiliter. Magna pars simultatum inter homines nascitur ex linguæ intemperantia. Alienas simultates nec excito, nec alo; sed ubicunque datur opportunitas, aut exstinguo, aut mitigo. His rationibus hactenus vitavi invidiam, ac benevolentiam civium meorum alui. PA. Non sensisti gravem cælibatum? GL. Mihi quidem nihil accidit acerbius in vita unquam uxoris morte; ac vehementer optassem illam una mecum consenescere, liberisque communibus frui: sed quando aliter visum est superis, judicavi sic magis expedire utrique: neque caussam putavi, cur me inani luctu discruciarem, præsertim cum is nihil prodesset defunctæ. Po. Nunquamne incessit libido repetendi matrimonii, præsertim cum istud tibi feliciter cessisset? GL. Incessit: sed liberorum caussa duxeram uxorem, liberorum caussa rursus non duxi. Po. At miserum est cubare solum totas noctes. GL. Nihil est difficile volenti. Tum cogita, quantas etiam habeat commoditates cælibatus. Quidam omni ex re decerpunt si quid est incommodi; qualis fuisse videtur Crates ille, cujus titulo fertur epigramma, vitæ mala colligens. Nimirum his placet illud, [5] *Optimum non nasci*. Mihi magis arridet [6] Metrodorus, undequaque decerpens si quid inest boni. Sic enim fit vita dulcior. Et ego sic induxi animum, ut nihil vehementer vel oderim, vel expetam. Ita fit, ut si quid obtingat boni, non efferar, aut insolescam: si quid decedat, non admodum crucier. PA. Næ tu Philosophus es, vel ipso Thalete sapientior, si quidem istud potes. GL. Si quid ægritudinis obortum est animo, ut multa fert hujusmodi vita mortalium, protinus ejicio ex animo, sive sit ira ex offensa, sive quid aliud indigne factum. Po. At sunt quædam injuriæ, quæ vel placidissimo moveant stomachum: tales sunt frequenter & famulorum offensæ. GL. Nihil ego patior residere in animo meo. Si mederi queam, medeor: sin minus, sic cogito; Quid proderit me ringi re nihilo melius habitura? Quid multis? Patior, ut hoc mox impetret a me ratio, quod paullo post tempus esset impetraturum. Certe nullus est tantus animi dolor, quem patiar mecum ire cubitum. Ev. Nihil mirum, si tu non senescis, qui tali sis animo. GL. Atque adeo ne quid reticeam apud amicos, cum primis cavi, ne quid flagitii committerem, quod vel mihi, vel liberis meis probro esse posset. Nihil enim irrequietius animo sibi male conscio. Quod si quid culpæ ad-

1 *De plaustro*] *De plaustro* loqui dicitur, qui quælibet in quemvis opprobria jacit, palam ac libere conviciando: nam libertas veteris comœdiæ, non solum civium primates, verum etiam Deos nominatim taxabat. Quoniam autem hujusmodi fabulæ in plaustris agebantur, inde natum adagium est. Vide *Chiliades*.

2 Τιθωνοῦ γῆρας] Id est, Tithoni senecta: de longæva, sed florida senectute. Vide proverbium.

3 Τὴν κατ' ἐμαυτόν] Id est, pro mea sorte. Vide proverbium Pittaci: *Æqualem tibi ducito.* Adagium monet, ne quis cupiditate aut ambitione allectus, se potentiorem ducat uxorem: nam ejusmodi ferme connubia infauspicato cedere.

4 Ἀπραξίαν] Ἀπραξία est otium, sive abstinentia a negotiis. Hinc versus proverbialis: Ἀνάπαυσίς ἐστι τῶν κακῶν ἀπραξία.

5 *Optimum non nasci*] Vide proverbium. Respicit auctor ad celebria duo epigrammata Græca; unum Posidippi, vel ut aliis placet, Cratetis Cynici, quo vitæ humanæ innumerabilia incommoda recenset: alterum Metrodori, quo e diverso ejusdem commoditates proponit. Ausonii autem versus huc spectant: *Optima Grajorum sententia, quippe homini ajunt; Non nasci esse bonum, aut natum cito morte perire.*

6 *Metrodorus*] Qui e diverso respondet Crateti, & vitæ humanæ elogium composuit.

A admissum est, non eo cubitum prius, quam me Deo reconciliaro. Veræ tranquillitatis seu, ut Græce dicam, 1 εὐθυμίας fons est, bene convenire cum Deo. Nam qui sic vivunt, his nec homines magnopere nocere possunt. Ev. Num quando te cruciat metus mortis? Gl. Nihilo magis quam macerat dies nativitatis. Scio moriendum: ista sollicitudo fortassis adimat mihi aliquot vitæ dies, 2 certe nihil possit adjicere. Itaque totam hanc curam superis committo: ipse nihil aliud curo, quam ut bene suaviterque vivam. Non potest autem suaviter, nisi qui bene. Pa. At ego senescerem tædio, si tot annos degerem in eadem urbe, etiamsi 3 Romæ contingat vivere. Gl. Habet quidem loci mutatio voluptatis nonnihil: longinquæ vero peregrinationes, ut prudentiam addunt fortassis, ita plurimum habent periculorum.
B Mihi videor tutius 4 totum orbem obire in tabula geographica, neque paulo plus videre in historiis, quam si viginti totos annos, ad Ulyssis exemplum, per omneis terras mariaque volitarem. Habeo prædiolum, quod abest ab urbe non plusquam duobus millibus passuum: ibi nonnunquam ex urbano fio rusticus: atque ibi recreatus, redeo novus hospes in urbem: nec aliter saluto ac salutor, quam si renavigassem ex insulis nuper inventis. Ev. Non adjuvas valetudinem pharmacis? Gl. Nihil mihi rei cum medicis. Nec incidi venam unquam, nec devoravi catapotia; nec hausi potiones. Si quid oboritur lassitudinis, moderatione victus, aut rusticatione propello malum. Ev. Nihil ne tibi cum studiis? Gl. Est.
C Nam in his est præcipua vitæ oblectatio: verum his oblecto me, non macero. Siquidem vel ad voluptatem studeo, vel ad utilitatem vitæ, non autem ad ostentationem. A cibo sumto aut pascor literatis fabulis, aut lectorem adhibeo: nec unquam incumbo libris ultra horam: tum surgo, &, arrepta testudine, paulisper obambulans in cubiculo, vel cantillo, vel repeto mecum quid legerim: &, si in promptu est congerro, refero: mox ad librum redeo. Ev. Dic mihi bona fide, nullane sentis incommoda senectutis, quæ feruntur esse plurima? Gl. Somnus aliquanto deterior est, nec perinde tenax memoria, nisi si quid infixero. Liberavi fidem meam. Exposui vobis magicas artes meas, quibus alo juventutem meam: nunc referat nobis pari fide Polygamus, unde tantum collegerit senii.
D Po. Equidem nihil celabo tam fidos sodales. Ev. Narrabis etiam tacituris. Po. Cum agerem Lutetiæ, quam non abhorruerim ab Epicuro, nostis ipsi. Ev. Sane meminimus; sed arbitrabamur te mores eos una cum adolescentia Lutetiæ relicturum. Po. Ex multis quas illic adamaram, unam mecum abduxi domum, eamque gravidam. Ev. In ædes paternas? Po. Recta; sed mentitus eam esse conjugem cujusdam amici mei, qui mox esset venturus. Gl. Id credidit pater? Po. Imo rem olfecit intra quatriduum. Mox sæva jurgia. Nec tamen interim temperabam a conviviis, ab alea, cæterisque malis artibus. Quid multis? Cum pater non faceret objurgandi finem, negans se tales gallinas alere velle domi; ac subinde minitans abdicationem;
E verti solum, & cum gallina mea gallus alio demigravi: ea mihi genuit aliquot pullos. Pa. Unde res suppetebat? Po. Nonnihil furtim dabat mater, ac præterea conflatum est æris alieni plus satis. Ev. Reperiebantur tam fatui, ut tibi crederent? Po. Sunt qui nullis credant libentius. Pa. Quid tandem? Po. Tandem ubi pater serio pararet abdicationem, intercesserunt amici, ac bellum hoc his legibus composuerunt, ut nostratem uxorem ducerem, cum Galla divortium facerem. Ev. Erat uxor? Po. Intercesserant verba futuri temporis, sed accesserat congressus præsentis temporis. Ev. Qui licuit igitur ab illa divertere? Po. Post rescitum est, meæ Gallæ Galium esse maritum, unde pridem se subduxerat.
F Ev. Ergo nunc habes uxorem? Po. Non, nisi præter hanc octavam. Ev. Octavam? Non sine augurio dictus es 5 Polygamus. Fortassis steriles omnes decessere. Po. Imo nulla non reliquit aliquot catulos domi meæ.

A Ev. Ego malim totidem gallinas, quæ mihi ponerent ova domi. Non tædet Polygamiæ? Po. Adeo tædet, ut si hæc octava moreretur hodie, perendie ducerem nonam. Imo hoc me male habet, quod non liceat habere binas, aut ternas, cum unus gallus gallinaceus tot gallinas possideat. Ev. Equidem haud miror, gallinacee, si parum pinguisti, quoque tantum senii tibi collegeris. Nihil enim æque accelerat senectutem, quam immodicæ atque intempestivæ compotationes, impotentes amores mulierum, & salacitas immoderata. Sed quis alit familiam? Po. Ex obitu parentum accessit res mediocris, & gnaviter laboratur manibus. Ev. Descivisti igitur a literis? Po. Plane ab equis, quod ajunt, ad asinos; ex 6 heptatechno factus 7 monotechnus faber.
B Ev. Miser, toties tibi ferendus erat luctus, toties cælibatus? Po. Nunquam vixi cælebs ultra dies decem, semperque nova nupta veterem luctum expulit. Habetis bona fide vitæ meæ summam. Atque utinam Pampirus narret nobis suæ quoque vitæ fabulam, qui satis belle portat ætatem. Nam, ni fallor, me duobus aut tribus annis est grandior. Pa. Dicam equidem, si vobis audire vacat tale somnium. Ev. Imo volupe fuerit audire. Pa. Ubi domum redissem, statim Pater senex urgere cœpit, ut aliquod vitæ genus amplecterer, unde nonnihil quæstus accederet rei familiari: ac post longam consultationem placuit negotiatio. Po. Miror hoc vitæ genus arrisisse potissimum. Pa. Eram natura sitiens cognoscendi res novas, varias regiones, urbes, linguas ac mores hominum.
C Ad id maxime videbatur apposita negotiatio. Quibus ex rebus nascitur & prudentia. Po. Sed misera, videlicet quæ plerumque magnis malis sit illis emenda. Pa. Sic est. Itaque Pater numeravit sortem satis amplam, ut dextro Hercule, ac bene fortunante Mercurio negotiationem auspicarer. Simulque ambiebatur uxor cum amplissima dote, sed ea forma, quæ vel indotatam commendare poterat. Ev. Successit? Pa. Imo priusquam redirem domum, periit & sors & usura. Ev. Naufragio fortassis. Pa. Plane naufragio. Nam impegimus in scopulum quavis 8 Malea periculosiorem. Ev. In quo mari occurrit iste scopulus, aut quod habet nomen? Pa. Mare non possum dicere, sed scopulus
D plurimorum infamis exitiis, Latine dicitur *alea*; quo modo vos Græci nominetis, nescio. Ev. O te stultum! Pa. Imo stultior Pater, qui tantam summam crederet adolescenti. Gl. Quid deinde factum est? Pa. Nihil actum: sed cœpi cogitare de suspendio. Gl. Adeon' erat Pater implacabilis? Nam res sarciri potest, & venia datur ubique 9 protopiro? multo magis 10 Pampiro debebatur. Pa. Verum fortasse narras; sed interim miser excidi ab uxore. Nam parentes puellæ, simul atque cognoverunt hæc auspicia, renunciarunt affinitatem. Et amabam, ut qui perditissime. Gl. Miseret me tui. Sed quid interim consilii tentatum est? Pa. Id quod solet in rebus desperatis. Pater abdicabat, perierat res, perierat uxor; undique audiebam, gurges, nepos, helluo.
E Quid plura? Serio mecum deliberabam, an suspenderem me, an aliquo conjicerem memet in monasterium. Ev. Crudele consilium. Scio utrum elegeris, mitius mortis genus. Pa. Imo quod mihi tunc visum est crudelius; adeo mihi displicebam totus. Gl. Atqui complures eo se dejiciunt, ut suavius vivant. Pa. Corraso viaticulo, furtim me subduxi procul a patria. Gl. Quo tandem? Pa. In Hiberniam. Illic factus sum Canonicus ex horum genere, qui extime linei sunt, intime lanei. Gl. Apud Hibernos igitur hibernasti? Pa. Non, sed duos menses apud hos versatus, navigavi in Scotiam. Gl. Quid te offendit apud illos? Pa. Nihil, nisi quod institutum illud mihi videbatur mitius, quam pro meritis ejus, qui non uno suspendio dignus erat. Ev.
F Quid in Scotia designatum est? Pa. Illic ex lineo factus sum pelliceus apud Carthusios. Ev. Homines plane mundo mortuos. Pa. Ita mihi visum est, cum audirem illos canentes. Gl. Quid? canunt etiam mortui? Quot menses apud

1 *Εὐθυμίας*] *Εὐθυμία* est animi tranquillitas.

2 *Certe nihil possit adjicere*] Matth. 6. ℣. 27. *quis ex vobis sollicite cogitando potest apponere ad staturam suam cubitum unum.*

3 *Romæ contingat*] Magnum quippe hoc in orbis capite. Hinc Horatius: *Romæ nutriri mihi contigit atque doceri.*

4 *Totum orbem obire*] Secundum illud Propertii:

Cogor & e tabula pictos ediscere mundos,
Qualis & hæc docti sit positura Dei.
Quæ tellus sit lenta gelu, quæ putris ab æstu:
Ventus in Italiam qui bene vela rigat.

5 *Multarum nuptiarum.*

6 *Heptatechno*] Id est, septem artium perito: tot enim numerantur artes liberales.

7 *Monotechnus*] Unius tantum artis peritus.

8 *Malea periculosiorem*] De Malea promontorio naufragiis infami vide proverbium, *Maleam legens.*

9 *Protopiro*] Vide proverb. *συγγνώμη πρωτοπείρῳ*, id est, primum experienti ignoscendum. Vel *venia primum experienti*, hoc est, ignoscendum iis, qui rudes novo quodam in negotio incipiunt, si quid per imperitiam peccarint.

10 *Pampiro*] Alludit ad nomen, nam Græce significat, *omnia expertus.*

apud illos egisti Scotus? Pa. Propemodum sex. Gl. O constantiam! Ev. Quid illic offendit? Pa. Quia mihi visa est vita segnis ac delicata. Deinde multos illic reperi non admodum sani cerebri, ob solitudinem, ut arbitror. Mihi parum erat cerebri; verebar ne totum periret. Po. Quo deinde devolasti? Pa. In Galliam. Illic reperi quosdam totos pullatos, ex instituto divi Benedicti, qui colore vestis testantur se lugere in hoc mundo; & inter hos, qui pro summa veste cilicium ferrent reti simile. Gl. O gravem corporis macerationem! Pa. Heic egi menses undecim. Ev. Quid obstitit, quo minus illic maneres perpetuo? Pa. Quia plus illic reperi cærimoniarum, quam veræ pietatis. Præterea audieram esse quosdam his multo sanctiores, quos Bernardus ad severiorem disciplinam revocasset, pulla veste mutata in candidam, apud hos vixi menses decem. Ev. Heic quid offendebat? Pa. Nihil admodum. Nam hos reperi sat commodos sodales. Sed movebat me Græcorum proverbium; 1 δεῖ τὰς χελώνας ἢ φαγεῖν, ἢ μὴ φαγεῖν. Itaque decretum erat aut non esse monachum, aut insigniter esse monachum. Acceperam esse quosdam Brigidenses, homines plane cœlestes; ad hos me contuli. Ev. Quot menses illic egisti? Pa. Biduum, nec id sane totum. Gl. Usque adeo placuit hoc vitæ genus? Pa. Non recipiunt, nisi qui mox obstringat se professioni. At ego nondum adeo insaniebam, ut facile me præberem capistro, quod nunquam liceret excutere. Et quoties audiebam canentes virgines, cruciabat animum uxor erepta. Gl. Quid deinde? Pa. Ardebat animus amore sanctimoniæ, nec usquam satisfiebat animo meo. Tandem obambulans incidi in quosdam præferentes crucem. Hoc signum mihi protinus arrisit; sed remorabatur electionem, varietas: alii gestabant albam, alii rubram, alii viridem, alii versicolorem, alii simplicem, alii duplicem, nonnulli quadruplicem, alii alia atque alia figura variatam. Ego ne quid intentatum relinquerem, omnes ferme formas gessi. Verum ipsa re comperi, longe aliud esse circumferre crucem in pallio seu tunica, quam in corde. Tandem fessus inquirendo sic mecum cogitabam: ut semel omnem sanctimoniam assequar, petam terram sanctam, ac redibo domum sanctimonia onustus. Po. Num eo profectus es? Pa. Maxime. Po. Unde suppetebat viaticum? Pa. Demiror istud nunc denique tibi venire in mentem ut rogares, ac non multo ante percunctatum fuisse. Sed nosti proverbium, 2 τὸ τέχνιον πᾶσα γῆ τρέφει. Gl. Quam artem circumferebas? Pa. 3 Chiromanticam. Gl. Ubi eam didiceras? Pa. Quid refert? Gl. Quo præceptore? Pa. Eo, qui nihil non docet, ventre. Prædicebam præterita, futura, præsentia. Gl. Et sciebas? Pa. Nihil minus: sed divinabam audacter, idque tuto, videlicet prius accepto pretio. Po. An ars tam ridicula poterat alere te? Pa. Poterat, & quidem cum duobus famulis. Tantum est ubique fatuorum & fatuarum. Attamen cum Hierosolymam adirem, addideram me in comitatum cujusdam magnatis prædivitis, qui natus annos septuaginta, negabat se æquo animo moriturum, nisi prius adisset Hierosolymam. Ev. Ac domi reliquerat uxorem? Pa. Atque etiam liberos sex. Ev. O senem impie pium! Atque illinc redisti sanctus? Pa. Vis verum fatear? Aliquanto deterior, quam iveram. Ev. Sic, ut audio, excussus est religionis amor. Pa. Imo magis incanduit. Itaque reversus in Italiam, addixi me militiæ. Ev. Itane religionem venabaris in bello? quo quid esse potest sceleratius? Pa. Erat sancta militia. Ev. Fortassis in Turcas. Pa. Imo sanctius quiddam, ut tum quidam prædicabant. Ev. Quidnam? Pa. Julius secundus belligerabatur adversus Gallos. Porro militiam mihi commendabat etiam multarum rerum experientia. Ev. Multarum, sed malarum. Pa. Ita post comperi. Et tamen heic durius vixi, quam in monasteriis. Ev. Quid tum postea? Pa. Jam mihi vacillare cœpit animus, utrum ad negotiationem intermissam redirem, an religionem fugientem persequerer. Interim venit in mentem, utrumque alteri posse conjungi. Ev. Quid? ut simul esses & negotiator & monachus? Pa. Quid ni? Nihil religiosius ordinibus mendican-

1 *Oportet testudines edere, aut non edere.* Vide Chiliades.

2 Τὸ τέχνιον πᾶσα, &c.] *Artem quævis alit terra.* Proverbialis sententia, qua significatum est certissimum viaticum esse eruditionem, aut artificium aliquod. Nam hæc neque eripi possunt a latronibus, neque gravant circumferentem, quocunque terrarum abeas te comitantur.

3 *Chiromanticam*] G. χειρομαντεία, divinatio ex inspectione manus.

A tium: & tamen nihil similius negotiationi. Volitant per omnes terras ac maria, multa vident, multa audiunt: penetrant omneis domos, plebejorum, nobilium, atque regum. Ev. At non cauponantur. Pa. Sæpe nobis felicius. Ev. Quod genus ex his delegisti? Pa. Omnes formas expertus sum. Ev. Nulla placuit? Pa. Imo perplacuerant omnes, si licuisset statim negotiari. Verum perpendebam mihi diu sudandum in choro, priusquam crederetur mihi negotiatio. Jamque cogitare cœpi de venanda Abbatia: sed primum, non omnibus heic 4 favet Delia, & sæpe longa est venatio. Itaque consumtis hunc in modum annis octo, cum esset nuntiata mors patris, domum reversus, ex consilio matris duxi uxorem, & ad veterem negotiatio-

B nem redii. Gl. Dic mihi, cum tam subinde novam vestem sumeres, ac velut in aliud animal transformareris, qui potuisti servare decorum? Pa. Qui minus quam hi qui in eadem fabula nonnunquam aliam atque aliam sumunt personam? Ev. Dic nobis bona fide, qui nullum vitæ genus non expertus es, quod omnium maxime probas? Pa. Non omnibus omnia congruunt: mihi nullum magis arridet, quam hoc quod secutus sum. Ev. Multa tamen incommoda habet negotiatio. Pa. Sic est. Sed quando nullum vitæ genus omnibus caret incommodis, hanc Spartam, quæ contigit, orno. Verum nunc superest Eusebius, qui non gravabitur apud amicos vitæ suæ scenam aliquam explicare. Ev. Imo totam fabulam, si videtur: nam habet actus non multos. Gl. Erit magnopere gratum. Ev. Ubi re-

C dissem in patriam, annum apud me deliberavi quodnam vitæ genus amplecti vellem; simulque me ipsum exploravi, ad quod genus essem propensus aut idoneus. Interim oblata est *Præbenda*, quam vocant, satis opimi proventus: accepi. Gl. Vulgo male audit hoc vitæ genus. Ev. Mihi, ut sunt res humanæ, satis exoptandum videtur. An mediocrem felicitatem esse putatis, subito velut e cœlo dari tot commoda, dignitatem, ædes honestas, beneque instructas, annuos reditus satis amplos, sodalitium honorificum, deinde templum, ubi, si libeat, vaces religioni? Pa. Illic me luxus offendebat, & concubinarum infamia; tum quod plerique istius generis odere literas. Ev. Ego non specto quid agant alii, sed quid mihi sit agendum: & melioribus me adjungo, si non possum alios meliores reddere. Po. In isto

D genere vixisti perpetuo? Ev. Perpetuo, nisi quod interim quatuor annos primum egi Patavii. Po. Quam ob rem? Ev. Hos annos ita partitus sum, ut sesquiannum darem studio Medicinæ, reliquum tempus Theologiæ. Po. Cur id? Ev. Quo melius & animum & corpus meum moderarer, nonnunquam & amicis consulerem. Nam & concionor nonnunquam, pro mea sapientia. Sic hactenus satis tranquille vixi, contentus unico sacerdotio, nec prætérea quidquam ambiens, recusaturus etiam si offeratur. Pa. Utinam liceret discere, quid agant cæteri nostri sodales, quibuscum tum familiariter viximus? Ev. De nonnullis possum com-

E memorare quædam; sed video nos non procul abesse a civitate: quare, si videtur, conveniemus in idem diversorium: ibi per otium de cæteris conferemus affatim. *Huiguitio auriga.* Unde tam miseram sarcinam nactus es, lusce? *Henricus auriga.* Imo quo tu defers istud lupanar, ganeo? *Hug.* Debueras istos frigidos senes alicubi effundere in urticetum, ut calescerent. *Hen.* Imo tu istum gregem cura ut præcipites alicubi in profundam lamam, ut refrigerentur; nam calent plus satis. *Hug.* Non soleo præcipitare sarcinam meam. *Hen.* Non? Atqui nuper vidi te sex Carthusienses dejecisse in cœnum sic, ut pro candidis emergerent nigri: tu interim, quasi re bene gesta, ridebas. *Hug.* Nec injuria;

F dormiebant omnes, ac multum ponderis addebant currui meo. *Hen.* At mei senes egregie sublevarunt currum meum, per totum iter perpetuo garrientes. Nunquam vidi meliores. *Hug.* Non soles tamen talibus delectari. *Hen.* Sed hi seniculi boni sunt. *Hug.* Qui scis? *Hen.* Quia per eos ter bibi per viam cerevisiam insigniter bonam. *Hug.* Ha ha hæ. Sic tibi boni sunt.

4 *Favet Delia*] Alludit auctor ad adagium, *irata Delia venari.* Allegoria sumta a venatoribus, quibus, secundum Ethnicorum opinionem, pulchre succedebat venatio, si faveret illis Delia, sive Diana: (Delia nomen gentile, a patria Delo) minus autem, si iisdem irasceretur.

[1] ΠΤΩΧΟΠΛΟΥΣΙΟΙ.

CONRADUS, BERNARDINUS, PASTOR, PANDOCHEUS[2], UXOR.

Co. Atqui pastorem decet hospitalitas. PAS. Pastor sum ovium; non amo lupos. Co. At non perinde fortassis odisti lupas. Sed quo tandem merito sic abhorres a nobis, ut ne tecto quidem digneris? Neque enim te gravabimus cœna. PAS. Dicam, quia si conspiceretis in ædibus meis gallinam aliquam, aut pullos gallinaceos, cras in concione traducerer apud populum. Hanc soletis referre gratiam communicati hospitii. Co. Non omnes sumus istiusmodi. PAS. Sitis cujusmodi voletis; ego vix sancto Petro fiderem, si tali cultu veniret ad me. Co. Si ita stat sententia, saltem indica diversorium aliud. PAS. Est in hoc vico diversorium publicum. Co. Quod habet signum? PAS. In tabula pensili, videbitis canem os inserentem in ollam: hoc agitur in culina. Ad abacum rationalem sedet lupus. Co. Signum inauspicatum. PAS. Fruamini. BE. Quod genus Pastoris hoc est? per illum liceret perire fame. Co. Si non melius pascit oves, quam nos, oportet esse parum obesas. BE. In malis rebus, opus est bono consilio. Quid fiet? Co. Perfricanda frons est. BE. Nimirum inutilis est pudor, cum urget necessitas. Co. Admodum; sanctus Franciscus aderit nobis. BE. Pro fortuna. Co. Non exspectabimus [2] Pandochei responsum pro foribus, sed recta irrumpemus in ipsum vaporarium, nec facile patiemur nos ejici. BE. O facinus impudens! Co. Hoc satius, quam noctem agere sub dio, ac perire frigore. Interim depone pudorem in sacculo, cras resumturus, ubi videbitur. BE. Scilicet, sic res ipsa suadet. PAN. Quod animantium genus hic video? Co. Servos Dei, filios sancti Francisci, vir optime. PAN. An Deus talibus servis delectetur, nescio: ego mihi nolim multos esse domi. Co. Quam ob rem? PAN. Quia ad edendum & bibendum plusquam viri estis, ad laborandum nec manus habetis, nec pedes. Ohe vos estis filii sancti Francisci? Soletis prædicare eum esse virginem, & ille habet tot filios? Co. Spiritus filii sumus, non carnis. PAN. Infelix genitor ille. Nam quod in vobis pessimum est, animus est: corpore nimium valetis, planeque melius habetis ista parte, quam expediat nobis, qui alimus uxorem, & filias. Co. Tu forte suspicaris nos esse ex eorum genere, qui degenerant a progenitoris instituto: nos sumus Observantes. PAN. Ego igitur observabo, ne quid adferatis detrimenti. Nam istud genus ego odi pessime. Co. Quam ob rem, te quæso? PAN. Quia circumfertis dentes, nec circumfertis pecuniam. Hoc genus hospitum mihi est ingratissimum. Co. An laboramus vobis. PAN. Vultis ostendam vobis quo modo laboretis? Co. Ostende. PAN. Inspicite picturam vobis proximam ad lævam: illic videtis vulpem concionantem, sed a tergo anser collum profert e cuculla. Rursum videtis lupum absolventem confessum, sed prominet pars ovis occultatæ sub veste. Videtis simiam assidentem ægroto in veste Franciscana; altera manu præfert crucem, alteram habet in crumena ægrotantis. Co. Non inficiamur hac veste nonnunquam tegi lupos, vulpes, ac simias; sed fatemur etiam sæpe tegi porcos, canes, equos, leones, ac regulos: quin eadem vestis tegit multos bonos viros. Vestis ut neminem reddit meliorem, ita nullum reddit deteriorem. Proinde iniquum est, quenquam ex veste æstimare: alioqui tua vestis, qua nonnunquam uteris, esset exsecranda, quæ multos tegit fures, homicidas, veneficos & adulteros. PAN. De veste cedam, si numeretis. Co. Rogabimus Deum pro te. PAN. Ego vicissim pro vobis, operam opera pensans. Co. Atqui non ab omnibus accipiendum. PAN. Cur vobis religio est contingere pecuniam? Co. Quia pugnat cum professione nostra. PAN. Itidem cum mea professione pugnat, admittere gratuitum hospitem. Co. At nos cogit regula, non contingere pecuniam. PAN. At mea regula diversum præcipit. Co. Ubi est tua regula? PAN. Lege versus istos:

Hospes, in hac mensa fuerint cum viscera tensa,
Surgere ne properes, ni prius annumeres.

Co. Nos non erimus tibi sumtui. PAN. At qui mihi non sunt sumtui, ne quæstui quidem sunt. Co. Deus abunde pensabit, si quid officii nobis præstiteris. PAN. Istis verbis non alo familiam. Co. Abdemus nos in angulum vaporarii, neque cuiquam erimus molesti. PAN. Non fert tales homines hoc vaporarium. Co. Itane nos ejicis, fortassis hac nocte devorandos a lupis? PAN. Lupus lupinam non est, ut nec canis caninam. Co. Crudelis esses, si hoc faceres Turcis: quales quales sumus, homines sumus. PAN. Surdo canitis. Co. Tu molliter foves corpus tuum, nudus recubans post vaporarium; & nos extrudis frigore nocturno perituros, etiam si parcant lupi. PAN. Sic vixit Adam in paradiso. Co. Vixit, sed innocens. PAN. Et ego innocens. Co. Fortassis detracta syllaba prima. At vide, si tu nos nunc extrudis e paradiso tuo, ne Deus te non recipiat in suum. PAN. Bona verba. UX. Mi vir, tot tua malefacta saltem hoc beneficio pensa: patere hos hac nocte tecto nostro uti: sunt viri boni, senties quæstum hinc fieri uberiorem posthac. PAN. Ecce deprecatricem; suspicor convenire inter vos; nec admodum lubens audio hoc elogium a muliere, viri boni. UX. Hau: non ita est, sed cogita quoties peccaris alea, temulentia, rixis, pugnis; saltem hac eleemosyna redime tua peccata, nec ejicias hos, quos optaris tibi adesse morienti. Scurras & fanniones recipis sæpenumero; & hos extrudis? PAN. Unde ista concionatrix nobis? Abi tu, & cura rem culinariam. UX. Id quidem fiet. BE. Mitescit, & sumit indusium lineum, spero fore recte. Co. Et mensam insternunt pueri. Bene habet, quod nulli veniunt hospites; alioqui nobis erat exsulandum. BE. Feliciter cecidit, quod e proximo oppidulo retulimus nobiscum lagunculam vini, & agni coxam assam: alioqui hic, ut video, ne fœnum quidem impartisset nobis. Co. Jam accubuere pueri: adjungamus nos in mensæ partem, sic tamen, ne cui incommodemus. PAN. Vobis imputandum arbitror, quod hodie nullum habeo convivam, præter domesticos & vos inutiles. Co. Nisi frequenter hoc accidit, imputa nobis. PAN. Frequentius quam vellem. Co. Noli laborare; vivit adhuc Christus, qui non deseret suos. PAN. Audivi vos dici Euangelicos: & Euangelium prohibet per viam circumferri peram aut panes: vos manicas habetis pro pera, ut video: nec panes modo circumfertis, verum etiam vinum, & delicias carnium. Co. Fruere nobiscum, si libet. PAN. Meum vinum ad istud collatum, vappa est. Co. Gusta & de carnibus; nobis enim superest. PAN. O felices mendicos! uxor mea nihil hodie coxit, præter caules & laridum rancidum. Co. Communicemus, si videtur, nostros apparatus. Nam nostra nihil refert, quibus vescamur. PAN. Cur igitur non circumfertis caules & vappam? Co. Quoniam hæc nobis obtrudere maluerunt, apud quos hodie pransi sumus. PAN. Gratis pransi? Co. Maxime. Imo gratias etiam egerunt, & abeuntes his apophoretis onerarunt. PAN. Unde venitis? Co. E Basilea. PAN. Hui, e tam longinquo? Co. Sic est. PAN. Quod tandem genus hominum estis vos, qui sic oberratis sine jumento, sine crumena, sine famulitio, sine armis, sine commeatu? Co. Vides qualecunque vestigium Euangelicæ vitæ. PAN. Mihi videtur erronum vita, qui vagantur cum reticulo. Co. Tales errones erant Apostoli: talis erat & Dominus Jesus. PAN. Nostis artem chiromanticam? Co. Nihil minus. PAN. Unde igitur suppetit victus? Co. Ab eo, qui promisit. PAN. Quis ille? Co. Qui dixit, [3] *Nolite esse solliciti; hæc omnia adjicientur vobis.* PAN. Promisit, sed quærentibus regnum Dei. Co. Id facimus pro virili. PAN. Apostoli clarebant miraculis, sanabant ægrotos: proinde non mirum illis ubique suppetisse victum: vos nihil tale potestis. Co. Possemus, si similes essemus Apostolis, & si res posceret miraculum. At miracula data sunt ad tempus incredulis; nunc nihil opus, nisi pia vita. Et sæpe felicius est ægrotare, quam valere: sæpe felicius mori, quam vivere. PAN. Quid igitur vos facitis? Co. Quod possumus, pro sua quisque dote divinitus donata consolamur, exhortamur, admonemus, corripimus; ubi se dederit occasio: nonnunquam & concionamur, sicubi comperimus Pastores mutos: si non datur prodesse, damus operam ne quem lædamus moribus & lingua. PAN. Utinam cras velis nobis concionari! Nam dies est apud nos festus. Co. Cui divo? PAN. Antonio. Co. Fuit is quidem vir bonus; sed unde dies festus? PAN. Dicam: Abundat hic vicus subulcis, propter vicinum nemus glandiferum. Et persuasum est, Antonio delegatam curam ejus pecoris: & ideo colunt illum, ne sæ-

1 ΠΤΩΧΟΠΛΟΥΣΙΟΙ] Quasi dicas divites mendicos; a πτωχὸς mendicus & πλούσιος dives.

2 *Pandocheus*] Caupo. A *Pandochium*, diversorium seu taberna, quæ hospites quosvis recipit, a *πᾶς, omnis*, & *δέχομαι, recipio*.

3 *Nolite esse solliciti*] Verba Christi sunt Matth. 6. ℣. 25.

sæviat neglectus. Co. Utinam vere colerent illum! Pan. Quo pacto? Co. Sanctissime coluit divos, quisquis imitatus est. Pan. Totus hic vicus cras perstrepet compotationibus, saltationibus lusibus, rixis & pugnis. Co. Sic Ethnici quondam colebant Bacchum suum. Miror autem, si sic cultus Antonius, non sævit in homines ipso pecore stultiores. Qualem habetis Pastorem? mutum, ac malum? Pan. Qualis sit aliis, nescio: mihi optimus est: nam hic potat totos dies: neque quisquam plures adducit, aut meliores combibones, magno meo bono. Atque adeo demiror illum nunc abesse. Co. Nos experti sumus parum commodum. Pan. Quid audio? salutastis hominem? Co. Ambivimus apud illum hospitium; ille non aliter quam lupos abegit a limine, & huc jussit abire. Pan. Ha, ha, nunc intelligo. Hinc est, quod noluit adesse, quod sciret vos heic futuros. Co. Estne mutus? Pan. Mutus? Nemo illo vocalior in vaporario; ac strenue boat in templo: concionantem nunquam audivi. Sed quid pluribus opus? vos ipsi sensistis, ut intelligo, non esse mutum. Co. Estne peritus sacrarum literarum? Pan. Ait se peritissimum: sed quidquid talium rerum didicit, didicit in secreta confessione, sic ut fas non sit proferre apud alios. Quid multa? Dicam in summa, qualis est populus, talis est Sacerdos, & plane nacta est suum patella operculum. Co. Fortasse non dabit locum concionaturo. Pan. Dabit, ad me recipio; sed hac lege, ne quid in illum jaculere, quemadmodum plerique soletis. Co. Rei malæ assueverunt, qui hoc solent: ego clam admoneo Pastorem, si quid offendit: quod superest, Episcoporum est munus. Pan. At tales aves huc raro devolant. Equidem video vos esse viros bonos. Sed quid sibi vult ista vestium varietas? Nam plerique hoc ipso judicant vos esse malos, quod sic vestiamini. Co. Unde id? Pan. Nescio, nisi quod tales multi comperiantur. Co. Multi hoc ipso judicant nos esse sanctos, quod sic vestiamur: peccant utrique; sed tamen humanius peccant, qui ex veste bene de nobis suspicantur, quam qui male. Pan. Esto sane. Sed quæ tandem utilitas tot discriminum? Co. Quid tu censes? Pan. Mihi quidem nulla videtur, nisi in pompis, aut in bellis; in pompis enim circumferuntur variæ personæ, Sanctorum, Judæorum, Ethnicorum: has ex diverso cultu dignoscimus. In bellis autem hoc præstaret cultuum varietas, ut suum quæque vexillum copiæ sequerentur, neque fieret ordinum confusio. Co. Pulcre dicis, & hæc vestis est militaris: alius alium ducem sequimur; sed omnes militamus sub uno Cæsare Christo. Verum in veste tria spectanda sunt. Pan. Quæ? Co. Necessitas, usus & decorum. Cur sumimus cibum? Pan. Ne pereamus fame. Co. Sic aliquando sumenda vestis, ne pereamus frigore. Pan. Fateor. Co. Hoc melius præstat hæc vestis, quam tua: tegit enim & caput, & collum, & scapulas, unde plurimum est periculi. Usus postulat varia vestium genera. Equitaturo convenit brevis, quiescenti longa; in æstate tenuis, in hieme densa. Sunt Romæ, qui singulis diebus ter commutant vestem: mane sumunt duplicatam pellibus, sub meridiem accipiunt simplicem, rursus sub noctem aliquanto crassiorem. Verum non omnibus suppetunt mutatoria: proinde hæc vestis reperta est, una ad plurimos usus accommoda. Pan. Qui sic? Co. Si flat Boreas, aut si fervet Sol, adducimus cucullam: si calor offendit, demittimus in tergum: si quiescendum est, demittimus vestem: si ambulandum, subducimus, aut succingimus etiam. Pan. Non pessime sapuit, quisquis hoc invenit. Co. Est autem hoc ad bene vivendum præcipuum, ut homo consuescat esse paucis contentus, alioqui si deliciis aut affectibus indulgere cœperimus, nullus erit finis. At nulla vestis inveniri potuit, quæ una tot commoditatibus subserviret. Pan. Assentior. Co. Nunc decorum inspiciamus. Dic mihi bona fide, si tu sumeres uxoris tuæ vestem, nonne dicerent omnes te facere præter decorum? Pan. Dicerent me insanire. Co. Quid tu diceres, si illa sumeret vestem tuam? Pan. Fortasse nihil mali dicerem, sed contunderem eam bonis fustibus. Co. Atque nihil refert, qua veste utaris. Pan. Heic plurimum refert. Co. Nec mirum. Nam & Ethnicorum leges puniunt virum ac fœminam, si [1] diversi sexus cultum sumserint. Pan. Nec injuria. Co. Age, quid si senex octogenarius sumeret sibi vestitum adolescentis quindecim annos nati; aut contra, si juvenis sumeret vestem senis, nonne dicant omnes, rem esse fustuario dignam? Aut si anus coleretur ad modum adolescentulæ, & contra? Pan. Admodum. Co. Itidem, si laicus sumat cultum sacerdotis, contra sacerdos laici. Pan. Uterque faceret indecore. Co. Quid si privatus sumeret ornamentum Principis, aut sacerdos privatus Episcopi, num faceret indecore? Pan. Scilicet. Co. Quid si civis sumeret cultum militis; plumas, cæteraque stultitiæ Thrasonicæ insignia? Pan. Rideretur. Co. Quid si inter milites, Anglus gestaret crucem albam, Helvetius rubram, Gallus nigram? Pan. Faceret impudenter. Co. Quid itaque miraris nostrum hunc cultum? Pan. Quid intersit inter privatum & Principem, inter virum ac fœminam, scio: quid intersit inter monachum ac non monachum, nescio. Co. Quid interest inter pauperem & divitem? Pan. Fortuna. Co. Et tamen indecorum esset, si pauper imitaretur cultum divitis. Pan. Verum, ut nunc ferme coluntur divites. Co. Quid inter fatuum & sapientem? Pan. Aliquanto plus quam inter divitem & tenuem. Co. Nonne moriones aliter vestiuntur, quam qui sapiunt? Pan. Nescio quid vos deceat, attamen vester cultus non multum abest ab illorum cultu, si quis addat auriculas & tintinnabula. Co. Hoc plane deest: & sumus hujus mundi moriones, si modo vere sumus quod profitemur. Pan. Quid vos sitis, nescio: illud scio, multos esse moriones, gestantes auriculas & tintinnabula, qui plus sapiant iis, qui gestant pilea suffulta pellibus, epomides, reliquaque sapientum insignia. Itaque mihi stultissimum videtur, sapientiam profiteri veste potius, quam ipsa re. Vidi quendam plusquam morionem, qui gestabat vestem usque ad talos demissam, epomidem Magistri nostri: aderat & vultus, qui videri posset gravis Theologi: disputabat apud omneis non sine specie gravitatis: magnatibus autem non minus erat jucundus, quam quivis alius morio, cum stultitiæ genere superaret omneis. Co. Quid igitur tu postulas? ut Princeps, qui ridet morionem, commutet cum illo vestem? Pan. Fortassis hoc postularet aliquando decorum, quod tu proponis, si libeat repræsentare veste quidquid est in animo. Co. Urges tu quidem, sed tamen arbitror non sine caussa vestem suam additam morionibus. Pan. Ob quam? Co. Ne lædantur a quoquam, si quid imprudenter dixerint, aut fecerint. Pan. Non dicam interim, quod ista res quosvis irritat potius ad lædendum, adeout frequenter e stultis fiant insani. Nec video cur, cum bos cornupeta, qui occiderit hominem, aut canis, aut sus, qui occiderit infantem, afficiantur supplicio; morio qui sceleratiora commiserit, præsidio stultitiæ sinatur vivere: illud expeto, cur vos distinguamini cultu a cæteris? Nam si quævis caussa sufficit ad diversum cultum, oporteret pistorem aliter vestiri quam piscatorem, calcearium aliter quam vestiarium, aliter pharmacopolam quam œnopolam, aliter aurigam quam nautam. Vos, si sacerdotes estis, cur secus vestimini quam reliqui sacerdotes? Si laici, cur a nobis differtis? Co. Olim monachi nihil aliud eramus, quam purior pars laicorum: & hoc intererat inter monachum & alium laicum, quod nunc interest inter frugalem & probum virum, suis manibus alentem familiam, & inter [2] Snaphanum ex prædationum reditu jactantem sese: post Romanus Pontifex addidit nobis suos honores: vestis ex nobis nacta est dignitatem, quæ nunc nec laicorum est, nec sacerdotum; sed tamen hujus, qualis qualis est, non puduit aliquando Cardinales & summos Pontifices. Pan. At tandem decorum illud unde sumitur? Co. Nonnunquam ex ipsa rerum natura, nonnunquam ex consuetudine mortalium & opinione. Nonne judicarent omnes absurdum, si quis tergore bubulo sic vestiretur, ut cornua prominerent in capite, & cauda traheretur humi? Pan. Ridiculum sane. Co. Rursum si quis vestem haberet, quæ faciem ac manus tegeret, pudenda ostenderet? Pan. Multo absurdius. Co. Ob id notati sunt ab Ethnicis quoque scriptoribus, qui multicia sumerent fœminis etiam indecora. Verecundius enim est nudum esse, qualem te offendimus in vaporario, quam uti veste pellucente. Pan. Ego puto totum hoc de cultu pendere a consuetudine ac persuasione mortalium.

1 *Diversi sexus cultum*] Ita & Tiberius apud Tacitum Annal. libro III. Damnabat vestes viris & mulieribus promiscuas. Imo Deus ipse Deut. 22. 5.

2 *Snaphanum*] Sic Germani vocant prædonum genus subito ex arcibus adorientium viatorem, mitigato vocabulo. Dicti autem a scloporum genere quod facile nitrato pulvere oneratur & exploditur, ideoque ad subitas excursiones aptissimum; Belg. *een Snaphaan*.

Co. Qui sic? Pan. Non multi sunt dies, quod heic diversati sunt, qui se prædicarent peragrasse varias regiones nuper inventas, & quas in priscorum cosmographorum picturis desideramus. Hi se narrabant pervenisse ad insulam quandam cœli temperatissimi, ubi summi dedecoris loco habebatur tegere corpus. Co. Isti fortassis belluarum ritu vivebant. Pan. Imo, ut ajebant, humanissimam agebant vitam. Degebant sub Rege; eum comitabantur ad opus mane, non amplius quam horam, etiam singulis diebus. Co. Quid operis faciebant? Pan. Evellebant radicum genus, quod illis tritici loco est, & tritico cum gratius, tum salubrius, quo peracto redeunt ad suum quisque negotium, & quod cujusque libitum est animo, faciunt. Sancte educant liberos, vitant & puniunt flagitia, sed nullum acerbius quam adulterium. Co. Quo supplicio? Pa. Fœminis ignoscitur; datur hoc sexui: cæterum viris adulterii convictis hæc pœna est, ut per omnem vitam in publicum prodeant, membro pudendo velo obtecto. Co. O grave supplicium! Pa. Atqui consuetudo persuasit illis, hoc esse quovis supplicio gravius. Co. Ubi contemplor quid possit persuasio, propemodum assentior tibi. Etenim si quis vellet furem, aut homicidam afficere extrema ignominia, nonne satis esset, si præcideret illi interulam supra nates, si partes pudendas turpiter prominentes lupinis pellibus convestiret; caligas diversis coloribus variegaret: vestem, quæ thoracem tegit ac brachia, totam conscinderet, veluti rete faciens e veste, scapulas & pectus nudaret; barbam partim demeteret novacula, partim demitteret, partim intorqueret; capillos tonderet, adderet pileum undique sectum, cum ingenti fasciculo plumarum, ac sic juberet prodire in publicum? Nonne magis traduceret hominem, quam si morionis cucullam adderet cum auriculis prælongis ac tintinnabulis? Et tamen sic ultro sese ornant milites, ac sibi placent: & reperiunt quibus hoc pulcrum videatur, cum nihil possit esse insanius. Pa. Imo non desunt honesti cives, qui hoc pro viribus æmulentur. Co. Atqui si quis nunc conetur Indorum æmulari cultum, qui plumis avium vestiuntur, nonne pueris omnibus videretur insanire? Pa. Prorsus. Co. Atqui quod nos miramur, etiam longe insanius est illo. Proinde ut verum est, nihil esse tam absurdum quod non commendet assuetudo: ita negari non potest, in vestibus esse quoddam decorum, quod apud sanos & cordatos semper decorum est: ac rursus indecorum, quod apud omneis qui sapiunt, indecorum videri debet. Quis enim non ridet, quoties videt fœminas onustas longa vestis coronide, quæ nobilitatem generis caudæ longitudine metiuntur? Quanquam hoc non pudet imitari quosdam Cardinales duntaxat in palliis. Et tamen res est adeo violenta, *consuetudo*; ut non sit huic aut illi liberum mutare quod receptum est. Pa. Satis de consuetudine. Sed dic tu mihi quid sentias, utrum existimes satius, monachos non differre a cæteris cultu, an differre? Co. Equidem arbitror simplicius & Christianius, non æstimari quemquam ex cultu, modo sit honestus ac decorus. Pa. Cur igitur vos non abjicitis cucullas? Co. Cur Apostoli non statim vescebantur cibis quibuslibet? Pa. Nescio: dic tu. Co. Quoniam obstabat invicta consuetudo. Quod enim penitus infixum est animis hominum, multoque usu confirmatum inveteravit, ac velut in naturam abiit, subito tolli sine magna pernicie tranquillitatis humanæ non potest: sed ita paullatim submovendum est, quemadmodum ille revulsit pilos caudæ equinæ. Pan. Tolerarem, si monachorum omnium esset unus cultus: tot discrimina quis ferat? Co. Hoc malum usus invexit, qui nihil non invehit. Benedictus non commentus est novum cultum, sed is quo tum utebatur cum suis, erat cultus laici simplicis ac probi. Nec Franciscus invenit novam formam, sed hæc erat vestis pauperum ac rusticorum. Posteriores additis quibusdam verterunt rem in superstitionem. Nonne videmus & hodie quasdam anus tenentes sui seculi cultum, qui magis est diversus a cultu horum temporum, quam meus cultus abest a tuo? Pan. Videmus. Co. Itaque cum hunc cultum vides, vides reliquias prisci seculi. Pan. Ergo nihil habet aliud sanctimoniæ cultus vester? Co. Nihil prorsus. Pan. Quidam jactant istos cultus præmonstratos divinitus a diva Virgine matre. Co. Ista sunt hominum somnia. Pan. Sunt qui desperent se posse a morbo revalescere, ni vestiantur cultu Dominicano: imo, qui [1] ne sepeliri quidem velint, nisi in veste Franciscana. Co. Ista qui suadent, aut captatores sunt, aut fatui: qui credunt, superstitiosi. Deus non minus dignoscit nebulonem in veste Franciscana, quam in militari. Pan. At minor est plumarum varietas in avibus, quam in vobis cultus. Co. An non itaque pulcrum est imitari naturam? sed pulcrius vincere. Pan. Utinam vinceretis & rostrorum varietate! Co. Sed age, varietati quoque patrocinabor, si pateris. Nonne aliter vestitus Hispanus, aliter Italus, aliter Gallus, aliter Germanus, aliter Græcus, aliter Turca, aliter Saracenus? Pan. Scilicet. Co. Et in eadem regione quanta varietas vestium, etiam in ejusdem sexus, ætatis, & ordinis hominibus? Quanto alius cultus Veneto, alius Florentino, alius Romano? Atque hæc intra unam Italiam. Pan. Credo. Co. Hinc nata est & nostra varietas. Dominicus sumsit cultum a probis agricolis ejus Hispaniæ partis, in qua vixit: Benedictus a rusticis ejus Italiæ partis, in qua vixit: Franciscus ab agricolis diversæ partis: atque idem de cæteris. Pan. Proinde quantum video, vos nihilo estis sanctiores nobis, nisi sanctius vixeritis. Co. Imo pejores vobis, qui parum pie viventes, gravius offendamus animos simplicium. Pan. Est igitur aliqua spes de nobis, qui nec patronum habemus, nec cultum, nec regulam, nec professionem? Co. Habes, ô bone; vide ut serves: quære a susceptoribus tuis, quid professus sis in baptismo, quam vestem illic acceperis. Et humanam regulam desideras, qui regulam Euangelicam professus sis? Desideras hominem Patronum, qui Patronum habeas Jesum Christum? Cum duceres uxorem, nihil professus es? Cogita quid debeas conjugi, quid liberis, quid familiæ; & senties, te plus habere sarcinæ, quam si Francisci regulam professus esses: Pan. Credisne ullum Pandocheum ingredi cœlum? Co. Quid ni? Pan. Multa fiunt, ac dicuntur in hac domo, quæ parum respondent Euangelio. Co. Quæ? Pan. Alius bibit plus satis, alius obscœne loquitur, quidam rixantur, quidam obtrectant: denique an cætera sint casta, nescio. Co. His occurrendum est, quantum potes: si non potes, certe ne alas quæstus caussa hæc mala, neve accersas. Pan. Nonnunquam parum bonæ fidei sum in vino. Co. Qui sic? Pan. Ubi sensero illos plus satis incalescere, largiter aquam admisceo. Co. Istud quidem levius est, quam si quibuslibet vendas vinum periculosis medicamentis infectum. Pan. Dic mihi serio, quot dies fuisti in hoc itinere? Co. Mensem ferme. Pan. Quis interim vos curat? Co. Nonne bene curantur, qui habent uxorem, liberos, parentes, & cognatos? Pan. Sæpenumero. Co. Tu non habes nisi unam uxorem, nos centum: tu non nisi unicum patrem, nos centum: tu non nisi unicam domum, nos centum: tu non nisi paucos liberos, nos innumeros: tu non nisi paucos cognatos, nos infinitos. Pan. Qui sic? Co. Quia latius se porrigit cognatio Spiritus, quam carnis. Et ita nobis pollicitus est Christus, & experimur verum quod pollicitus est. Pan. Næ tu mihi præbuisti sat lepidum convivam: emoriar, nisi malim hanc confabulationem, quam Pastoris mei compotationem. Cras dignaberis aliquid dicere populo. Et si posthac continget te hac facere iter, scito tibi heic paratum locum. Co. Quid si alii veniant? Pan. Non erunt ingrati, modo tui similes. Co. Meliores, uti spero. Pan. Verum inter tam multos malos, quomodo dignoscam bonos? Co. [2] Dicam paucis, sed in aurem. Pan. Dic. Co. Pan. Meminero; & faciam.

Abbatis & Erudita.

[3] ANTRONIUS, MAGDALIA.

An. Quam heic ego supellectilem video? Ma. An non elegantem? An. Nescio quam elegantem, certe parum decoram & puellæ, & matronæ. Ma. Quam ob rem? An. Quia librorum plena sunt omnia. Ma. Tu tantus natu, tum abbas, & aulicus, nunquam vidisti libros in ædibus heroinarum? An. Vidi, sed Gallice scriptos: heic video Græcos, & Latinos. Ma. An soli Gallice scripti libri docent sapientiam? An. Sed decet hoc heroinas, ut habeant quo delectent otium. Ma. An solis heroinis licet sapere, & suaviter vivere? An. Male connectis, sapere & suaviter vive-

1 *Ne sepeliri quidem velint*] Vide & *Erasmi* librum *de Lingua*.

2 *Dicam paucis*] Simili joco Reuchlinus claudit opus de verbo mirifico.

3 *Antronius*] Alludit ad proverbium, ἀντρώνιος ὄνος. Olim dicebatur, qui deformi prægrandique mole corporis esset, cæterum ingenio stupido bardoque. *Antron* autem civitas erat Thessaliæ, nomen inde sortita, quod cavernis & specubus abundaret. Illic ajunt asinos insigni magnitudine quondam fuisse, unde proverbium increbuit.

A

vivere: non est muliebre sapere: heroinarum est suaviter vivere. MA. Nonne omnium est bene vivere? AN. Opinor. MA. Qui potest autem suaviter vivere, qui non vivat bene? AN. Imo qui potest suaviter vivere, qui vivat bene? MA. Ergo tu probas eos, qui vivunt male, modo suaviter? AN. Arbitror illos bene vivere, qui vivunt suaviter. MA. Sed ista suavitas unde proficiscitur; e rebus extrariis, an ex animo? AN. E rebus extrariis. MA. O subtilem Abbatem, sed crassum Philosophum! Dic mihi, quibus rebus tu metiris suavitatem? AN. Somno, conviviis, libertate faciendi quæ velis, pecunia, honoribus. MA. Verum, si istis rebus Deus addiderit sapientiam, num vives suaviter? AN. Quid appellas sapientiam? MA. Hoc est, si intelligeres hominem non esse felicem, nisi bonis animi; opes, ho-

B

nores, genus, neque feliciorem reddere, neque meliorem. AN. Valeat ista quidem sapientia. MA. Quid si mihi suavius sit legere bonum auctorem, quam tibi venari, potare, aut ludere aleam; non videbor tibi suaviter vivere? AN. Ego non viverem. MA. Non quæro, quid tibi sit suavissimum, sed quid deberet esse suave. AN. Ego nolim meos monachos frequentes esse in libris. MA. At meus maritus hoc maxime probat. Sed quam ob rem tandem non probas hoc in monachis tuis? AN. Quoniam experior illos minus morigeros: responsant ex Decretis, ex Decretalibus, ex Petro & Paulo. MA. Imperas igitur quæ pugnant cum Petro & Paulo? AN. Quid illi doceant, nescio: sed tamen non amo mona-

C

chum responsatorem: neque velim quenquam meorum plus sapere, quam ego sapiam. MA. Istud ita vitari possit, si tu des operam, ut quam plurimum sapias. AN. Non est otium. MA. Qui sic? AN. Quia non vacat. MA. Non vacat sapere? AN. Non. MA. Quid obstat? AN. Prolixæ preces, cura rei domesticæ, venatus, equi, cultus aulæ. MA. Itane ista tibi sunt potiora sapientia? AN. Nobis sic usu venit. MA. Jam illud mihi dicito, si quis Jupiter hanc potestatem tibi daret, ut posses & monachos tuos, & te ipsum vertere in quodcunque animal velles, an illos in porcos verteres, te ipsum in equum? AN. Nequaquam. MA. Atque sic vitares, ne quis plus te uno saperet. AN. Mea non magni referret, quod genus animantis essent monachi, modo ipse essem

D

homo. MA. An hominem esse censes, qui nec sapiat, nec velit sapere? AN. Mihi sapio. MA. Et sibi sapiunt sues. AN. Videre mihi sophistria quæpiam, ita argutaris. MA. Non dicam quid tu mihi videaris. Sed cur hæc displicet supellex? AN. Quia fusus & colus sunt arma muliebria. MA. Nonne matronæ est, administrare rem domesticam, erudire liberos? AN. Est. MA. An rem tantam existimas administrari posse sine sapientia? AN. Non arbitror. MA. At hanc sapientiam docent me libri. AN. Ego domi habeo sexaginta duos monachos, tamen nullum librum reperies in meo cubiculo. MA. Bene itaque prospectum est monachis illis. AN. Feram libros, non fero Latinos. MA. Quapropter? AN. Quia non convenit ea lingua fœminis. MA. Exspecto caussam. AN. Quia parum facit ad tuendam illarum pudi-

E

citiam. MA. Ergo nugacissimis fabulis pleni [1] libri Gallice scripti, faciunt ad pudicitiam? AN. Aliud est. MA. Dic istud, quidquid est, aperte. AN. Tutiores sunt a Sacerdotibus, si nesciant Latine. MA. Imo isthinc minimum est periculi vestra opera. Quandoquidem hoc agitis sedulo, ne sciatis Latine. AN. Vulgus ita sentit, quia rarum & insolitum est, fœminam scire Latine. MA. Quid mihi citas vulgum, pessimum bene gerendæ rei auctorem? Quid mihi consuetudinem, omnium malarum rerum magistram? Optimis assuescendum: ita fiet solitum, quod erat insolitum: & suave fiet, quod erat insuave: fiet decorum, quod videbatur indecorum. AN. Audio. MA. Nonne decorum

F

est, fœminam in Germania natam discere Gallice? AN. Maxime. MA. Quam ob rem? AN. Ut loquatur cum his, qui sciunt Gallice. MA. Et mihi putas indecorum, si discam Latine, ut quotidie confabuler cum tot auctoribus, tam facundis, tam eruditis, tam sapientibus, tam fidis consultoribus? AN. Libri adimunt multum cerebri fœminis, cum alioqui parum illis supersit. MA. Quantum vobis supersit nescio; certe mihi quantulumcunque est, malim in bonis studiis consumere, quam in precibus sine mente dictis, in pernoctibus conviviis, in exhauriendis capacibus pateris. AN. Librorum familiaritas parit insaniam. MA. An colloquia combibonum, scurrarum & sannionum tibi non pariunt insaniam? AN. Imo depellunt tædium. MA. Qui fiat igitur, ut tam amœni confabulones mihi pariant insaniam? AN. Sic ajunt. MA. At aliud ipsa loquitur res. Quanto plures videmus, quibus immodica potatio & intempestiva convivia, quibus temulenta pervigilia, quibus impotentes affectus pepererunt insaniam? AN. Ego sane nollem uxorem doctam. MA. At ego mihi gratulor, cui contigerit maritus tui dissimilis. Nam & illum mihi, & me illi cariorem reddit eruditio. AN. Immensis laboribus comparatur eruditio, ac post moriendum est. MA. Dic mihi, vir egregie, si cras tibi moriendum esset, utrum malles mori stultior an sapientior? AN. Si citra laborem contingeret sapientia. MA. Sed nihil homini citra laborem contingit in hac vita: & tamen quidquid paratum est, quantisvis laboribus comparatum est, heic relinquendum est: cur pigeat nos in re omnium pretiosissima sumere laboris aliquid, cujus fructus nos in alteram quoque vitam comitatur? AN. Frequenter audivi vulgo dici, fœminam sapientem, bis stultam esse. MA. Istuc quidem dici solet; sed a stultis. Fœmina quæ vere sapit, non videtur sibi sapere; contra, quæ, cum nihil sapiat, sibi videtur sapere, ea demum bis stulta est. AN. Nescio quomodo fit, ut quemadmodum clitellæ non conveniunt bovi, ita nec literæ mulieri. MA. Atqui negare non potes, quin magis quadrent clitellæ bovi, quam mitra asino, aut sui. Quid sentis de Virgine matre? AN. Optime. MA. Nonne versabatur in libris? AN. Versabatur; at non in istis. MA. Quid igitur legebat? AN. Horas canonicas. MA. Ad quem usum? AN. Ordinis Benedictini. MA. Sit ita sane. Quid Paula & Eustochium? nonne versabantur in sacris libris? AN. Verum istuc nunc rarum est. MA. Sic olim rara avis erat Abbas indoctus, nunc nihil vulgatius: olim Principes & Cæsares eruditione non minus quam imperio præminebant. Neque tamen usque adeo rarum est, quam tu putas: sunt in Hispania, sunt in Italia non paucæ mulieres adprime nobiles, quæ cum quovis viro queant contendere: sunt in Anglia Moricæ, sunt in Germania Bilibaldicæ & Blaurericæ. Quod nisi caveritis vos, res eo tandem evadet, ut nos præsideamus in scholis Theologicis, ut concionemur in templis, occupabimus mitras vestras. AN. Ista Deus avertat. MA. Imo vestrum erit hoc avertere. Quod si pergetis ut cœpistis, citius anseres concionaturi sint, quam vos mutos pastores ferant. Videtis jam inverti mundi scenam: aut deponenda est persona, aut agendæ sunt suæ cuique partes. AN. Unde incidi in hanc fœminam? Si quando vises nos, ego te suavius accipiam. MA. Quibus modis? AN. Saltabimus, bibemus affatim, venabimur, ludemus, ridebimus. MA. Mihi quidem jam nunc ridere libet.

Epithalamium Petri Ægidii.

ALYPIUS, BALBINUS, MUSÆ.

AL. Deum immortalem! quod ego novum spectaculum heic video? BA. Aut tu vides quod nusquam est, aut mei parum prospiciunt oculi. AL. Atqui mirum spectaculum est & amabile. BA. Eneeas: dic, ubi vides? AL. Ad lævam in hoc colle nemoroso. BA. Collem video. AL. Non vides puellarum chorum? BA. Quid tibi venit in mentem, ut nos ad istum modum ludos facias? Ego ne [2] muscam quidem puellam usquam conspicor. AL. Tace: prodeunt e nemore. Papæ, qui nitor, quæ gratia! non humanum est hoc spectaculum. BA. Quæ hunc agitant intemperiæ? AL. Agnosco; novem sunt Musæ, cum tribus Gratiis; demiror quid agant; nunquam vidi cultiores aut magis alacres: omnes sunt redimitæ lauro; & suum quæque gerit organum! Porro Gratiæ quam amabiliter sibi hærent! quam decet nullo adstricta cingulo vestis, ac liberis diffluens laciniis! BA. At ego nunquam audivi quemquam magis delirantem, quam te. AL. Imo neminem vidisti me feliciorem. BA. Cur heic solus habes oculos? AL. Quia non bibisti ex fonte Musarum: nam his solis conspicuæ sunt Musæ. BA. Ego affatim hausi e fonte Scoti. AL. Non ille fons est Musarum, sed lacus ranarum. BA. Non potes efficere, ut & ipse videam hoc spectaculi? AL. Possem, siquidem adesset laurus: nam li-

1 *Libri Gallice scripti*] Sic est, plurimos Galli libros obtruserunt orbi, fabulis amatoriis refertos, lascivoque stylo conscriptos. Illi sua lingua *Romans*, de quorum origine exstat elegantissimus *P. D. Huetii* libellus, indigitant.

2 Imitatio est *Plauti*, apud quem legimus Truculenti Act. II. S. II. 29. *musca nulla fœmina est in ædibus.*

liquor e fonte limpido, ramo lauri adſperſus, oculos reddit (A) hujuſmodi ſpectaculorum perſpicaces. Ba. Ecce laurus: ecce fonticulus. Al. Commodum profecto. Ba. Adſperge. Al. Intende: videſne? Ba. Quantum antea. Adſperge rurſus. Al. Jamne vides? Ba. Tantundem. Adſperge copioſius. Al. Jam vides, opinor. Ba. Imo vix te video. Al. Miſer, quam penitus oculos tuos obſedit τὸ σκότος! Hæc ars vel aurigæ daret oculos. Verum non eſt quod crucieris: præſtiterit fortaſſe non videre, ne tali præmio videas Muſas, quali Actæon vidit Dianam. Periculum enim eſſet, ne te vertant in hiſtricem, aut aprum ſilveſtrem, aut porcum, aut camelum, aut ranam, aut graculum. Efficiam tamen ut audias, modo ne obſtrepas. Jam huc deflectunt viam: occurramus. 1 Χαίρετε, τρισπόθητοι θεαί. Mv. 2 Καὶ σὺ μάλα χαῖρε, φιλόμουσε. (B) Al. Quid vellicas? Ba. Non præſtas quod promiſeras. Al. An non audis? Ba. Audio; ſed velut aſinus lyram. Al. Loquar igitur Latine. Quonam eſt iter tam cultis, tamque alacribus? Num inviſitis Lovanienſium Academiam? Mv. Bona verba. Al. Quam ob rem? Mv. Quis nunc illic nobis locus, ubi tot porci obgrunniunt, obrudunt aſini, obblactiunt cameli, obſtrepunt graculi, obgarriunt picæ? Al. Atqui ſunt & illic quibus veſtrum numen eſt venerandum. Mv. Scimus: eoque poſt annos aliquot illuc commigrabimus. Nondum revoluta ſeculorum periodus diem illum fatalem advexit. Erit enim qui illic nobis amœnum exſtruet domicilium, vel templum potius, quo vix alibi magnificentius ac ſanctius. (C) Al. Non eſt fas ſcire quiſnam tantum decus invecturus ſit noſtræ ditioni? Mv. Tibi fas eſt, noſtrorum ſacrorum myſtæ. Non dubium eſt, quin tibi notum ſit toto orbe celebre Buſlidianorum nomen. Al. Heroicum genus nominaſti, & ornandis ſummorum Principum aulis natum. Quis enim non veneratur magnum illum Franciſcum Buſlidium Beſontinæ Eccleſiæ præſulem, qui unus non unum Neſtorem præſtitit 3 Philippo maximi Maximiliani filio, Caroli, qui major futurus eſt, patri? Mv. O felices nos, niſi fata virum illum terris invidiſſent! Quantus erat ille Mæcenas honeſtorum ſtudiorum, quam candidus fautor ingeniorum! Sed reliquit fratres duos, Ægidium, admirabili judicio prudentiaque virum, & Hieronymum. (D) Al. Hieronymum novimus, omni literarum genere perpolitum, omni virtutum genere decoratum. Mv. Nec cum fata longævum eſſe patientur, tametſi nemo dignior eſt immortalitate. Al. Unde iſta noſtis? Mv. Apollo nobis denarravit. Al. Quænam eſt iſta fatorum invidia, ut optima quæque protinus ſubducant? Mv. Id quidem non eſt hujus temporis philoſophari: ſed 4 Hieronymus heic ſumma cum laude moriens, univerſas opes ſuas deſtinabit inſtituendo 5 Lovanii collegio, in quo gratis & publicitus tres linguas eruditiſſimi viri profitebuntur. Ea res magnum ornamentum adjunget & ſtudiis, & Caroli gloriæ. Tum non illibenter verſabimur Lovanii. Al. Quo nunc igitur eſt iter? Mv. Antverpiam. (E) Al. Muſæ & Gratiæ ad mercatum? Mv. Nequaquam; imo ad nuptias. Al. Quid virginibus cum nuptiis? Mv. Ad tales nuptias non eſt indecorum ire virgines. Al. Quas igitur nuptias narras? Mv. Sanctas, puras, caſtas, ad quas non puderet ipſam adire Palladem, & arbitror adfuturam. Al. Non eſt fas ſcire ſponſi nomen & ſponſæ? Mv. Arbitror tibi non ignotum eſſe candidiſſimum illum 6 juvenem & omnibus politioris literaturæ deliciis expolitiſſimum, Petrum Ægidium. Al. Gemmam nominaſti, non hominem. Mv. Ei nubet Cornelia, virguncula vel ipſo digna Apolline. Al. Ille quidem veſtri cultor eximius a teneris annis fuit. Mv. Huic igitur canemus Epithalamium. Al. Et ſaltabunt Gratiæ? Mv. Non modo ſaltabunt, verum etiam duo candidiſſima pectora, indiſſolubilibus mutuæ benevolentiæ nodis copulabunt, ut nihil unquam inter illos poſſit incidere vel iræ, vel tædii. Illa perpetuum nihil audiet, niſi, *Mea lux:* ille viciſſim nihil, niſi *Anime mi.* Atque huic jucunditati ne ſenectus quidem quidquam detrahet, imo potius adjunget aliquid. Al. Demirarer, ſi, qui ſic vivunt, poſſint ſeneſcere. Mv. Recte mones: nam maturitas erit potius, quam ſenectus. Al. Atqui novi permultos, quibus intra menſes treis, iſtæ verborum blanditiæ longe in diverſum verſæ ſunt, & in convivio pro lepidis jocis volitabant diſci & quadrulæ: Maritus pro, *Anime mi*, audiebat, *Fungus, lagena, ſpongia:* uxor, *Scropha, Acco, Vomica.* Mv. Vera prædicas: ſed iſtiuſmodi nuptiæ Gratiis iratis coierant; heic perpetuo morum jucunditas alet mutuam benevolentiam. Al. Narras tu quidem raram matrimonii felicitatem. Mv. Tam raras virtutes, rara decet felicitas. Al. Quid? coibunt nuptiæ abſque Junone & Venere? Mv. Juno quidem non aderit, rixoſa Dea, & cui raro bene convenit cum ſuo Jove. Ne Venus quidem illa terreſtris & ebrioſa; verum altera illa cœleſtis, quæ conciliat formas animorum. Al. Proinde ſterile matrimonium mihi narras. Mv. Nequaquam; imo feliciſſime fœcundum. Al. Quid illa cœleſtis gignit, niſi animos? Mv. Imo addit & corpora, ſed ipſis animis morigera, perinde quaſi gemmeo myrothecio indas opobalſamum. Al. Ubinam eſt ea? Mv. En tibi procul adventat. Al. Video: Deum immortalem, qui fulgor, quæ formæ majeſtas! ad hanc quidem altera Venus invenuſta eſt. Mv. Vides quam modeſti Cupidines, nequaquam cæci, quemadmodum illi, quibus altera dementat animos mortalium, ſed oculatiſſimi: nec habent inſanas faces, ſed ignes placidiſſimos; nec habent plumbeas cuſpides, quibus immittunt odium amantis, ac miſeros animos amore non mutuo diſcruciant. Al. Plane matrem referunt. O felicem illam domum, & ſuperis egregie caram! Cæterum licetne audire Epithalamium carmen, quod illi deſtinaſtis? Mv. Imo rogamus, ut libeat audire.

CLIO.

Candida laurigero nubit Cornelia Petro,
Auſpiciis adſint numina dextra bonis.

MELPOMENE.

Contingat illis turturum concordia,
Cornicula vivacitas.

THALIA.

Ille caritate Gracchum Tiberium præceſſerit,
Qui ſua vitam antepoſuit conjugis Cornelia.

EUTERPE.

Illa caritate ſuperet conjugem Admeti ducis,
Qua volens mortem mariti morte mutavit ſua.

TERPSICHORE.

Ille non flagret leviore flamma,
Attamen fato meliore, quam olim
7 Plancius rapta ſocia gravatus
Eſſe ſuperſtes.

ERATO.

Illa non flagret leviore flamma,
Attamen longe meliore fato,
Caſta quam ſanctum deamavit olim
Porcia Brutum.

CALLIOPE.

Sponſum moribus undiquaque ſanctis,
Nec Naſica probatus antecellat.

URANIA.

Uxor moribus undiquaque caſtis
Vincat 8 Sulpitiam Paterculanam.

POLYHYMNIA.

Laudetur ſimili prole puerpera,
Accreſcat domui res ſimul & decus,
Sed livore vacet; ſi fieri poteſt,
Factis egregiis debita gloria.

Al. Prorſus inviderem illi Petro Ægidio, niſi tantus eſſet hominis candor, ut ipſe nemini poſſit invidere. Mv. Sed jam tempus eſt, ut cœptum carpamus iter. Al. Nunquid eſt

1 *Χαίρετε*] Id eſt, Avete optatiſſimæ Deæ.

2 *Καὶ σύ*] Id eſt, Et tu multum ſalve, Muſarum amator.

3 *Philippo maximi Maximiliani filio*] Eſt hic Philippus vigeſimus nonus Hollandiæ Comes, filius Maximiliani Cæſaris & Mariæ, Caroli Bellicoſi filiæ. In Hiſpania Joannam Ferdinandi Regis filiam uxorem duxit: & ita jure matrimonii regni Hiſpanici, adminiſtrationem adeptus, anno ſexto decimi quinti ſæculi in civitate Burgenſi obiit, relictis duobus filiis Carolo & Ferdinando & quatuor filiabus.

4 *Hieronymus*] Hieronymus hic Buſlidius in oppido Arlunenſi, vulgo Arlon, ducatus Lucemburgici natus eſt.

5 *Inſtituendo Lovanii*] Præter celeberrimum omnium artium & facultatum Lovanii ſunt ſupra viginti præclara collegia a diverſis illuſtri fama viris, optimis legibus inſtituta. Excellunt autem inter hæc Pædagogia Lilii, Caſtri, Porci, Falconis, ubi philoſophiam ſtudioſi docentur. Nec cedit his Collegium Trilingue, ita dictum quod peculiariter in tribus primariis linguis Latina, Græca & Hebraica inſtituuntur, ab Hieronymo Buſlidio inſtitutum.

6 Ad eum multæ exſtant *Eraſmi* Epiſtolæ.

7 Vide *Valer. Maximum* Lib. III. c. 6.

8 *Sulpitia*] Sulpitia Paterculi filia, uxor Fulvii Flacci, quæ ob pudicitiam e centum matronis lecta fuit ad dedicandum Romæ Veneris ſimulacrum. Meminit T. Livius.

est quod interim velitis renuntiari Lovanium? MV. Ut nostro nomine salutes amicos omnes candidos, ac nostri studiosos, sed præ cæteris vetustissimum nostri chori cultorem Joannem Paludanum, Jodocum Gaverium, Martinum Dorpium, & Joannem Borsalum. AL. Id quidem fiet diligenter. Quid cæteris? MV. Dicam in aurem. AL. Res non est magni sumtus, itaque fiet quam primum.

Exorcismus, sive Spectrum.

THOMAS, ANSELMUS.

TH. Quid est bonæ rei, quod tecum rides tam suaviter, quasi thesaurum nactus sis? AN. Non procul aberrat a scopo tua divinatio. TH. At non imparties sodali quidquid istuc est boni? AN. Imo jam dudum optabam mihi dari quempiam, in cujus sinum effunderem hoc meum gaudium. TH. Age igitur, imparti. AN. Audivi modo fabulam lepidissimam, quam jures esse comicum figmentum, nisi mihi locus, personæ, totaque res esset tam nota, quam tu notus es mihi. TH. Audire gestio. AN. Nostine Polum Fauni generum? TH. Maxime. AN. Is est & auctor, & actor hujus fabulæ. TH. Facile crediderim. Nam ille vel absque persona possit quamvis agere fabulam. AN. Sic est. Nosti, opinor, & prædium quod habet non ita procul a Londino? TH. Phy: non semel illic compotavimus. AN. Agnoscis igitur viam utrinque arboribus pari digestis intervallo septam. TH. Ad lævam ædium partem, altero fere balistæ jactu. AN. Tenes. Alterum viæ latus habet alveum siccum, dumis ac vepribus obsitum: e ponticulo iter est in apertam planiciem. TH. Memini. AN. Jam pridem vagabatur rumor ac fabula per ejus loci rusticos, juxta ponticulum hunc observari spectrum quoddam, cujus subinde exaudirentur miserandi ejulatus: suspicabantur animam esse cujuspiam, quæ diris cruciatibus torqueretur. TH. Quis auctor erat istius rumoris? AN. Quis, nisi Polus? Hoc procemium præstruxerat suæ fabulæ. TH. Quid isti venit in mentem, ut ista confingeret? AN. Nescio; nisi quia sic est hominis ingenium; gaudet hujusmodi commentis ludere stultitiam populi. Dicam quid nuper designarit hujus generis. Simul equitabamus aliquammulti [1] Richemondam; inter quos erant quos tu diceres cordatos homines. Cœlum erat mire serenum, nec ulla usquam nubecula suffuscatum. Ibi Polus intentis in cœlum oculis, signavit totam faciem ac scapulas imagine crucis; & vultu ad stuporem composito, ita secum: *Deum immortalem, quid ego video?* Rogantibus qui proxime equitabant, quid videret, rursus obsignans se majore cruce: *Avertat*, inquit, *clementissimus Deus hoc ostentum!* Cum instarent aviditate cognoscendi, ille defixis in cœlum oculis, ac digito commonstrans cœli locum, *Nonne*, inquit, *videtis illic immanem draconem, igneis armatum cornibus, cauda in circulum retorta?* Cum negarent se videre, atque ille jussisset, oculos intenderent, ac locum subinde commonstraret, tandem unus quispiam, ne videretur parum oculatus, affirmavit se quoque videre. Hunc imitatus est unus item atque alter: pudebat enim non videre quod tam esset perspicuum. Quid multis? Intra triduum rumor hic totam Angliam pervaserat, tale portentum apparuisse. Mirum autem, quantum fama popularis addidit fabulæ. Nec deerant qui, quid sibi vellet hoc ostentum, interpretarentur serio. Horum stultitia ille qui commentus fuerat argumentum, magna cum voluptate fruebatur. TH. Agnosco hominis ingenium. Sed redi ad spectrum. AN. Interea commodum divertit ad Polum Faunus, quidam sacerdos, ex eorum genere, quibus non satis est appellari Latine regulares, [2] nisi Græce cognomen idem accinatur, parochus vici illic alicunde vicini. Is sibi non vulgariter videbatur sapere, præsertim in rebus sacris. TH. Intelligo; repertus est actor fabulæ. AN. Super cœnam ortus est sermo de rumore spectri. Cum Polus sentiret Fauno rumorem hunc non solum auditum esse, verum etiam creditum; cœpit hominem obtestari, vir doctus ac pius succurreret animulæ tam dira patienti: & si quid dubitas, inquit, explora rem, obambula ad decimam juxta ponticulum illum, & audies miserum ejulatum: adjunge tibi quem voles comitem; ita & tutior audies, & certior. TH. Quid deinde? AN. Cœna peracta, Polus ex more abit venatum, aut aucupatum. Faunus obambulans, cum jam tenebræ sustulissent certum de rebus judicium, tandem audit miserandos gemitus: hos Polus artifex mire effingebat, abditus illic in vepreto, adhibita ad id olla fictili: quo vox e cavo redditа, lugubrius quiddam sonaret. TH. Hæc fabula, ut video, vincit [3] phasma Menandri. AN. Magis istuc dices, si totam audieris. Faunus domum se recepit, narrare cupiens quid audisset. Polus alia via compendiaria jam anteverterat. Ibi Faunus narrat Polo, quod erat actum, & aliquid etiam affingit, quo res esset admirabilior. TH. Poterat interim Polus tenere risum? AN. Ille ne? Vultum habet in manu. Dixisses rem serio agi. Tandem Faunus vehementer obtestante Polo, suscepit negotium exorcismi, ac totam eam noctem agit insomnem, dum dispicit quibus modis rem aggrederetur tuto: nam sibi quoque misere metuebat. Primum itaque congesti sunt exorcismi efficacissimi, & additi novi nonnulli per viscera beatæ Mariæ, per ossa beatæ Werenfridæ. Deinde delectus est locus in planitie vicina vepreto, unde vox exaudiebatur: circumductus est circulus satis amplus, qui crebras haberet cruces, variasque notulas. Hæc omnia peragebantur verbis conceptis. Adhibitum est vas ingens, plenum aquæ consecratæ. Addita est in collum sacra stola, quam vocant, unde pendebat initium Euangelii secundum Joannem. In loculis habebat cerulam, a Romano Pontifice quotannis consecrari solitam, quæ vulgo dicitur *Agnus Dei*. His armis olim se muniebant adversus noxios dæmones, prius quam illis Francisci cucullа cœpit esse formidabilis. Hæc omnia procurata sunt, ne, si spiritus malus esset, impetum faceret in exorcistam. Nec tamen ausus est se solum huic circulo committere: sed decretum est, adhibendum esse sacerdotem alterum. Ibi Polus metuens, ne, si nasutior adjunctus fuisset, proderetur fabulæ mysterium, adjungit parochum quendam ex vicinia, cui rem totam aperit: sic enim postulabat actio fabulæ; & erat is qui a tali ludo non abhorreret. Postridie rebus omnibus rite præparatis, sub horam decimam Faunus cum parocho circulum ingreditur. Polus, qui præcesserat, e vepreto gemit miserabiliter. Faunus auspicatur exorcismum. Interim Polus clam per tenebras subducit se in villam proximam. Illinc adducit aliam personam fabulæ: nec enim poterat nisi per multos agi. TH. Quid faciunt? AN. Conscendunt equos nigros, ignem occultum secum ferunt. Ubi non procul abessent a circulo, ignem ostentant, quo metu Faunum abigerent e circulo. TH. Quantum operæ sumsit Polus ille, ut falleret! AN. Sic est homo. Verum ea res propemodum pessime cesserat illis. TH. Qui sic? AN. Nam equi subito prolato igne consternati, parum abfuit quin & se præcipitarent, & sessores. Habes primum actum fabulæ. Ubi reditum est in colloquium, Polus velut ignarus omnium, rogat quid esset actum. Ibi Faunus narrat sibi conspectos duos teterrimos cacodæmones, in nigris equis, oculis igneis, ac naribus spirantes ignem; qui tentassent ingredi circulum, verum efficacibus verbis abactos in malam rem. His rebus cum accrevisset animus Fauno, postero die summo cum apparatu redit in circulum: cumque diu multis obtestationibus provocasset spectrum, Polus rursum cum collega suo procul ostendit sese ex equis atris horrendo fremitu, quasi cuperent irrumpere in circulum. TH. Nihil habebant ignis? AN. Nihil; nam id male cesserat. Sed audi aliud commentum. Ducebant longum funem: eo leviter per humum tracto, dum hinc atque hinc uterque se proripit, velut abacti exorcismis Fauni, Sacerdotem utrumque, una cum vase quod habebant aquæ sacræ plenum, provolvunt in terram. TH. Hoc præmii tulit pro sua actione parochus? AN. Tulit: & tamen maluit hoc perpeti, quam deserere cœptam fabulam. His ita gestis, ubi re-

1 *Richemondam*] Designat auctor primariam urbem comitatus Richmondschire, qui pars Eboracensis agri, solstitialem occasum spectantis.

2 *Nisi Græce*] Ludit: alioqui *Canonici* non dicuntur a regula, sed a præbenda, quam nunc vocant. Nam *canon* aliquando est certus cibi potusve modus, qui dabatur militibus.

3 *Phasma Menandri*] Donati verba sunt: *Phasma est nomen fabulæ Menandri in qua noverca superducta adolescenti, virginem quam ex vicino quodam conceperat, furtim eductam, cum haberet in latebris apud vicinum proximum, hoc modo secum habebat assidue nullo conscio. Parietem qui medius inter domum mariti & vicini fuerat, ita perfodit, ut in ipso transitu sacrum locum esse simularet. Cumque transitum intenderet sertis & fronde felici, rem divinam sæpe faciens, evocabat ad se virginem. Quod cum animadvertisset adolescens, primum aspectu pulchræ virginis, velut numinis visu perculsus, exhorruit: unde Phasma est nomen fabulæ. Deinde paulatim re cognita exarsit in amorem puellæ: ita ut remedium tantæ cupiditatis, nisi ex nuptiis non reperiretur. Ita ex commodo matris ac virginis & ex voto amatoris consensuque patris, nuptiarum celebratione finem accipit fabula.*

reditum est ad colloquium, deprædicat apud Polum Faunus, quanto fuisset in periculo, & quam fortiter utrumque cacodæmonem suis verbis profligasset: jamque certam conceperat fiduciam, nullum esse tam noxium aut impudentem dæmonem, qui posset in circulum irrumpere. Th. Faunus ille non multum abest a [1] fatuo. An. Nihil adhuc audisti. Hucusque progressa fabula, commodum supervenit Poli gener: nam ejus filiam duxerat natu maximam, juvenis, ut scis, ingenio mire festivo. Th. Scio, nec abhorrens ab hujusmodi jocis. An. Abhorrens? Nullum ille vadimonium non desereret, si talis vel spectanda, vel agenda esset fabula. Huic socer rem omnem denarrat; atque illi delegat partes, ut animam agat. Sumit ornatum, ac lubens; convolvit se linteo, quemadmodum apud nos solent funera: habet prunam vivam in testa, quæ per linteum reddebat speciem incendii. Sub noctem itum est ad locum, ubi hæc agebatur fabula. Audiuntur miri gemitus. Faunus expedit exorcismos omnes. Tandem procul inter vepretum ostendit sese anima, subinde ostentans ignem, ac misere suspirans. Hanc cum Faunus obtestaretur, ut eloqueretur quisnam esset, subito prosilit e vepreto Polus ornatu cacodæmonis, fictoque fremitu: Nihil, inquit, tibi juris est in hanc animam; mea est: ac subinde procurrit usque ad oram circuli, velut impetum facturus in exorcistam; moxque velut submotus verbis exorcismi, & vi aquæ sacræ, quam illi multam adspersit, retrocessit. Tandem abacto pædagogo dæmone, nascitur dialogismus Fauni cum anima. Percunctanti, & obtestanti, respondit se esse animam hominis Christiani. Rogata, quo nomine vocaretur, respondit, Faunus; Faunus, inquit, idem mihi nomen est. Jamque ex communi nomine res cœpit illi magis esse cordi, ut Faunus Faunum liberaret. Cum Faunus multa percunctaretur, ne diutina confabulatio proderet fucum, subducebat sese anima, negans sibi fas esse diutius colloqui, quod tempus urgeret, quo cogeretur abire, quo liberet dæmoni: pollicita tamen est sese postridie redituram, hora qua fas esset. Rursus convenitur in ædibus Poli, qui choragus erat fabulæ. Ibi denarrat exorcista, quid esset gestum, nonnulla etiam admentiens, quæ sibi tamen persuadebat esse vera. Adeo favebat negotio quod agebatur. Jam hoc compertum erat, scilicet, animam esse Christianam, quæ sub inclementissimo dæmone diris cruciatibus vexaretur. Huc omnis conatus intenditur. Verum in exorcismo proximo ridiculum quiddam accidit. Th. Obsecro, quidnam? An. Cum Faunus evocasset animam, Polus, qui dæmonem agebat, prorsus sic assiliit, quasi intra circulum irrupturus: cumque contra Faunus pugnaret exorcismis, multamque vim aquæ aspergeret, tandem exclamat dæmon, se ne pili quidem facere ista omnia: *Rem*, inquit, *habuisti cum puella; mei juris es.* Id cum Polus joco diceret, tamen forte fortuna verum dixisse visus est: nam exorcista hoc dicto tactus, illico recepit se in centrum circuli, & nescio quid immussavit in aurem parocho. Id Polus sentiens, recepit sese; ne quid audiret, quod audire fas non esset. Th. Sane Polus religiosum ac verecundum agebat dæmonem. An. Sic est; reprehendi poterat actio, quod parum meminisset decori. Exaudivit tamen parochi vocem, indicentis satisfactionem. Th. Quam? An. Ut ter diceret precationem Dominicam; ex hoc conjiciebat, illum ter habuisse rem eadem nocte. Th. Hoc sane regularis ille præter regulam. An. Homines sunt, & lapsus erat humanus. Th. Perge; quid deinde factum? An. Jam Faunus ferocior redit ad oram circuli, & ultro provocat dæmonem. At ille jam timidior refugiebat. Fefellisti me, inquiens: si sapuissem, non monuissem te. Persuasum est hoc multis, quæ semel Sacerdoti confessus sis, prorsus abolita esse e memoria dæmonis, ne possit opprobrare. Th. Jocum plane ridiculum narras. An. Sed, ut aliquando finiam fabulam, diebus aliquot hunc in modum colloquium habitum est cum anima. Summa huc evasit. Roganti exorcistæ, num qua via posset e cruciatu liberari; respondit illa, posse, si pecunia, quam reliquisset fraude partam, restitueretur. Ibi Faunus, Quid, inquit, si per bonos viros dispensaretur in pios usus? Respondit, & hoc profuturum. Heic exhilaratus exorcista, summa diligentia percunctatus est, quanta esset summa. Illa dixit ingentem; quod illi erat bonum atque commodum. Indicavit & locum, sed procul dissitum, ubi thesaurus heic defossus esset. Præscripsit in quos usus vellet impendi. Th. In quos? An. Ut tres susciperent peregrinationem, quorum unus adiret limina Petri, alter iret salutatum Jacobum Compostellanum, tertius oscularetur pectinem Jesu, qui est Treviris. Deinde per aliquot monasteria magna vis psalteriorum, ac missarum perageretur. Quod superesset, ipse pro suo arbitratu dispensaret. Jam totus erat in thesauro Fauni animus; illum toto pectore devorarat. Th. Vulgaris morbus est, quanquam hoc nomine peculiariter male audiunt Sacerdotes. An. Ubi nihil esset omissum, quod ad pecuniæ negotium pertineret, exorcista submonitus a Polo, cœpit animam de curiosis artibus percunctari, de alcumistica, deque magia. Et ad hæc anima quædam respondit pro tempore, cæterum pollicita, se plura indicaturam, simul atque illius opera liberata fuisset a pædagogo dæmone. Sit hic, si videtur, tertius fabulæ actus. In quarto Faunus cœpit ubique serio prædicare rem prodigiosam, nihil aliud crepare in colloquiis, in conviviis, polliceri monasteriis magnifica quædam: & omnino nihil jam humile loquebatur. Adiit locum, reperit signa, non ausus tamen est effodere thesaurum, quod anima injecisset scrupulum, ingenti periculo facturum, si prius, quam essent peractæ missæ, thesaurus attingeretur. Jam multis nasutioribus subolebat fucus. Cum tamen ille nusquam non deprædicaret suam stultitiam, clam admonitus est ab amicis, præsertim ab Abbate suo, ne qui hactenus habitus esset vir prudens, nunc diversum de se specimen daret omnibus. Ille tamen nullius oratione potuit commoveri, quo minus crederet rem esse seriam: adeoque penitus hæc imaginatio occupavit animum hominis, ut præter spectra & malos genios nihil somniaret, nihil loqueretur. Abierat mentis habitus in ipsam faciem, quæ sic pallebat, sic erat extenuata, sic dejecta, ut larvam esse diceres, non hominem. Quid multis? minimum aberat a vera dementia, ni celeri remedio succursum fuisset. Th. Nimirum hic erit extremus actus fabulæ. An. Eum tibi reddam. Polus & hujus gener hujusmodi technam commenti sunt. Effinxerunt epistolam raris literis descriptam; idque non in chartis vulgaribus, sed in his, in quibus aurifices reponunt bracteas auri, subrubentibus, ut scis, luto. Epistolæ sententia hæc erat: *Faunus dudum captivus, nunc liber, Fauno liberatori suo optimo salutem æternam. Non est, mi Faune, cur te diutius in hoc negotio maceres; respexit Deus animi tui piam voluntatem; & illius merito me liberavit a suppliciis: ego nunc feliciter ago inter Angelos. Te manet locus apud Divum Augustinum, qui proximus est Apostolorum choro. Ubi veneris ad nos, agam tibi gratias coram. Interim cura ut vivas suaviter. Datum e cœlo empyreo, Idibus Septembribus, anno millesimo quadringentesimo nonagesimo octavo, sub sigillo anuli mei.* Hæc epistola clam posita est in altari, ubi facturus erat rem divinam Faunus. Ea peracta subornatus est, qui eum submoneret de re, quasi casu deprehensa. Nunc eam circumfert epistolam, & ostentat ceu rem sacram: nihilque credit certius, quam eam e cœlo perlatam ab Angelo. Th. Istud non est liberasse hominem insania, sed mutasse insaniæ genus. An. Sic est profecto, nisi quod nunc insanit suavius. Th. Antehac non soleo multum tribuere fabulis, quæ vulgo feruntur de spectris; sed posthac multo minus tribuam: suspicor enim ab hominibus credulis, & Fauni similibus, multa pro veris prodita literis, quæ simili artificio sunt adsimulata. An. Ego pleraque hujus generis esse credo.

[1] Respicit ad alterum nomen Fauni, qui non minus *Fatuus*, quam Faunus vocabatur. Vid. *Ger. Joan. Vossius* in Etymologico, ad voces *Fatuus* & *Faustus*.

Alcumistica.

PHILECOUS, LALUS.

Ph. Quid est novæ rei, quod sic Lalus apud se ridet, ac pene in cachinnos solvitur, subinde signans se cruce? Interpellabo felicitatem hominis. Salve multum, amicissime Lale. Videre mihi admodum felix. La. Atqui felicior ero, si te impartiam hoc gaudio. Ph. Fac igitur quam primum me bees. La. Nosti Balbinum? Ph. Senem illum eruditum, ac vitæ etiam laudatæ? La. Sic est ut dicis; sed nullus est mortalium, qui sapiat omnibus horis, aut qui sit undiquaque perfectus. Habet hoc vir ille inter multas egregias dotes nævi; jam olim insanit in artem, quam vocant alcumisticam. Ph. Haud tu quidem nævum narras, sed

sed insignem morbum. La. Utcunque est, ille toties delusus ab hoc hominum genere, tamen dudum mirifice passus est sibi dari verba. Ph. Quo pacto? La. Adiit illum Sacerdos quidam: salutavit honorifice: mox sic exorsus est: Doctissime Balbine, mirabere fortassis, quod ignotus sic interpellem te, quem scio nunquam non sanctissimis studiis occupatissimum. Annuit Balbinus: qui mos est illi; nam verborum est mire parcus. Ph. Prudentiæ narras argumentum. La. Verum alter prudentior sic pergit. Ignosces tamen huic meæ importunitati, si cognoris caussam, cur te adierim. Dic, inquit Balbinus, sed paucis, si potes. Dicam, inquit ille, quanto potero compendio. Scis, vir omnium doctissime, esse varia mortalium fata: ego nescio, utro in numero me ponam, felicium an infelicium. Etenim si meum fatum altera ex parte contemplor, videor mihi pulcre felix; sin ex altera, nihil me infelicius. Urgente Balbino, ut rem conferret in compendium; Finiam, inquit, doctissime Balbine. Id erit mihi facilius apud virum, cui totum hoc negotium sic notum est, ut nulli notius. Ph. Rhetorem mihi depingis, non alcumistam. La. Mox audies alcumistam. A puero mihi, inquit, contigit hæc felicitas, ut artem omnium maxime expetendam discerem: illam, inquam, totius Philosophiæ medullam alcumisticam. Ad nomen alcumistices nonnihil experrectus est Balbinus, gestu duntaxat: cæterum gemitu jussit ut pergeret. Tum ille: Sed ô me miserum, inquit, qui non inciderim in eam viam, quam oportuit. Cum Balbinus rogasset, quasnam vias diceret: Scis, inquit, optime, (quid enim te fugit, Balbine, virum undiquaque doctissimum?) duplicem esse hujus artis viam, alteram, quæ dicitur *longatio*: alteram, quæ dicitur *curtatio*. At mihi malo quodam fato contigit in longationem incidere. Balbino sciscitante, quod esset discrimen viarum: Impudentem me, inquit, qui hæc apud te loquar, cui sciam hæc omnia sic esse nota, ut nulli notiora. Itaque supplex huc ad te accurri, ut misertus nostri, digneris impartire nobis viam illam felicissimam curtationis. Quo peritior es hujus artis, hoc potes minore negotio communicare nobis. Noli tantum Dei donum celare fratrem dolore periturum. Ita te Jesus Christus semper majoribus locupletet dotibus. Cum hic non faceret obtestandi finem, Balbinus fateri coactus est, se prorsus ignorare, quid esset *longatio* aut *curtatio*; jubet exponat ipse vim harum vocum. Tum ille; Quanquam, inquit, scio me loqui peritiori; tamen, quando ita jubes, faciam. Qui totam ætatem in hac arte divina contriverunt, duabus rationibus vertunt rerum species; altera, quæ brevior est, sed plusculum habet periculi: altera quæ longior est, sed eadem tutior. Ego mihi videor infelix qui hactenus sudarim in ea via, quæ meo animo non arridet, neque quemquam nancisci potui, qui alteram, cujus amore depereo, vellet indicare. Tandem Deus immisit in mentem, ut te adirem, virum non minus pium quam doctum. Doctrina tibi præstat, ut facile possis dare quod peto: pietas commovebit, ut velis opitulari fratri, cujus salus tibi in manu est. Ne longum faciam, cum hujusmodi sermonibus veterator ille amovisset a se suspicionem fuci; fidemque fecisset, sibi viam alteram esse perspectissimam: jam pridem pruriebat Balbino animus. Tandem non temperans sibi, Valeat, inquit, illa *curtatio*, cujus ego ne nomen quidem unquam audivi, tantum abest ut teneam: dic mihi bona fide, *longationem* tenes exacte? Phy, inquit ille, ad unguem; sed displicet longitudo. Cum Balbinus rogasset, quantum temporis requireretur: Nimium, inquit; totus pene annus; sed interim tutissima est. Ne labora, inquit Balbinus, etiamsi toto biennio sit opus, modo fidas arti tuæ. Ut rem in pauca conferam, convenit inter eos ut negotium aggrederentur clam in ædibus Balbini: hac lege, ut ille suppeditaret operam, Balbinus sumtum; lucrum ex æquo ac bono divideretur: quanquam impostor modestus, ultro totum lucrum, quod provenisset, Balbino deferebat; utrinque juratum est de silentio, quod faciunt qui mysteriis initiantur. Jam illico numeratur pecunia, unde artifex mercaretur ollas, vitra, carbones, reliquaque quæ ad instruendam officinam pertinent. Ibi noster alcumista suaviter in scorta, aleam & compotationes decoquit eam pecuniam. Ph. Hoc nimirum est vertere rerum species. La. Urgente Balbino, ut rem aggrederetur: An non tenes, inquit, illud, *Dimidium facti, qui bene cœpit, habet?* Magnum est bene præparare materiam. Tandem cœpit adornari fornax. Hic rursus erat opus novo auro, velut illecebra venturi auri. Siquidem ut piscis non capitur absque esca, ita aurum alcumistis non provenit, nisi pars auri admisceatur. Interea Balbinus totus erat in supputationibus: subducebat enim, si uncia pareret quindecim, quantum esset lucri rediturum ex unciis bis mille: tantum enim decreverat insumere. Cum hanc quoque pecuniam decoxisset alcumista, jamque mensem unum atque alterum multum operæ simulasset circa folles & carbones, roganti Balbino, ecquid procederet negotium; primum obmutuit: urgenti tandem respondit, *Sicut solent res præclara, quæ semper difficiles habent aditus.* Caussabatur erratum in emendis carbonibus: quernos enim emerat, cum abiegnis esset opus, aut colurnis. Ibi perierant aurei centum; nec eo segnius reditum est ad aleam. Data nova pecunia, mutati carbones. Jamque majore studio res cœpta est, quam antea; quemadmodum in bello milites, si quid secus accidit, quam vellent, virtute sarciunt. Cum menses jam aliquot ferbuisset officina, & exspectaretur fœtus aureus, ac ne mica quidem auri esset in vasis, (jam enim & illud omne decoxerat alcumista) inventa est alia caussatio, nimirum vitra, quibus usus fuerat non fuisse temperata sicut oportuit. Etenim ut non ex quovis ligno Mercurius fingitur, ita non quibuslibet vitreis conficitur aurum. Quo plus erat impensum, hoc minus libebat desistere. Ph. Sic solent aleatores; quasi non multo satius sit hoc perdere, quam totum. La. Sic est. Dejerabat alcumista, nunquam sibi sic impositum fuisse: nunc errore deprehenso cætera fore tutissima, & hoc dispendii, magno cum fœnore sarturum sese. Mutatis vitreis, tertia instaurata est officina. Admonebat alcumista, rem felicius successuram, si Virgini matri, quæ, ut scis Paraliis colitur, mitteret aliquot aureos dono: artem enim esse sacram, nec absque favore numinum rem prospere geri. Id consilium vehementer placuit Balbino homini pio, ut qui nullum prætermitteret diem, quin perageret rem divinam. Suscepit religiosam profectionem alcumista, nimirum in proximum oppidulum, atque illic votivam pecuniam decoxit in ganeis. Reversus domum, nunciat sibi summam esse spem, negotium ex animi sententia successurum, adeo divam Virginem votis suis visam annuere. Ubi multo jam tempore sudatum esset, ac ne mica quidem auri nasceretur usquam, expostulanti Balbino respondit, sibi nihil unquam tale accidisse in vita, toties artem experto, nec satis posse conjectare quid esset in caussa. Quum diu divinatum esset, tandem illud venit in mentem Balbino, num quo die prætermisisset audire sacrum, aut dicere preces horarias, quas vocant: nam nihil succedere his omissis. Ibi impostor, rem, inquit, acu tetigisti. Me miserum, semel atque iterum id admissum est per oblivionem, & nuper a prolixo convivio surgens, oblitus sum dicere salutationem Virginis. Tum Balbinus, Non mirum, inquit, si res tanta non succedit. Recipit artifex se pro prætermissis sacris duobus, duodecim auditurum, & pro unica salutatione, decem repositurum. Cum alcumistam prodigum subinde defecisset pecunia, nec suppeterent petendi caussæ, tandem hanc technam commentus est: rediit domum admodum exanimatus, ac voce lamentabili, Perii, inquit, funditus, Balbine, perii; actum est de capite meo. Obstupuit Balbinus, & tanti mali caussam avebat cognoscere. Subodorati sunt, inquit, aulici quod egimus; nec aliud exspecto, quam ut mox deducar in carcerem. Ad hanc vocem expalluit etiam serio Balbinus. Nam scis, apud nos capitale esse, si quis alcumisticam exerceat absque Principis permissu. Pergit ille: Non, inquit, metuo mortem; utinam illa contingat! metuo quiddam crudelius. Roganti quid hoc esset: Rapiar, inquit, aliquo in turrim: illic per omnem vitam cogar his laborare, quibus non libet. An ulla mors est, quæ non potior esse debeat, quam talis vita? Ibi res ventilata est consultatione. Balbinus, quoniam callebat artem Rhetoricam, pulsavit omnes status, si qua periculum vitari posset. Non potes, inquit, inficiari crimen? Nequaquam, ait ille. Inter regios satellites res sparsa est: & habent argumenta, quæ dilui non possint. Ne defendi quidem factum poterat ob legem manifestam. Cum multis in medium adductis, nihil videretur firmi præsidii, tandem alcumista, cui jam opus erat præsenti pecunia: Nos, in-

inquit, Balbine, lentis consiliis agimus; atqui res poscit præsens remedium. Jam arbitror adfuturos, qui me abripiant in malam rem. Denique cum nihil occurreret Balbino, tandem alcumista, Nec mihi quidquam occurrit, inquit, nec quidquam superesse video, nisi ut fortiter peream: nisi forte hoc placet, quod unum superest, utile magis quam honestum, nisi quod durum est telum necessitas. Scis, inquit, hoc hominum genus avidum esse pecuniæ; eoque facilius corrumpi posse, ut sileant. Quamvis durum sit illis furciferis dare quod profundant, tamen, ut nunc res sunt, nihil video melius. Idem visum est Balbino; ac numerat aureos triginta, quibus redimeret silentium. Ph. Miram Balbini liberalitatem mihi prædicas. La. Imo in re honesta citius dentem extudisses ab eo, quam nummum. Sic prospectum est alcumistæ, cui nihil erat periculi, nisi quod non haberet quod daret amicæ. Ph. Demiror Balbino in tantum nihil esse nasi. La. Heic dumtaxat naso caret, in cæteris nasutissimus. Rursum nova pecunia instruitur fornax, sed præmissa ad Virginem matrem precatiuncula, ut cœptis faveret. Jam totus exierat annus, dum, illo nunc hoc, nunc illud caussante, luditur opera, & perit impensa. Interim exstitit casus quidam ridiculus. Ph. Quisnam? La. Alcumista furtivam consuetudinem habebat cum uxore cujusdam aulici: maritus concepta suspicione cœpit hominem observare. Tandem cum illi nunciatum esset, sacrificum esse in cubiculo, præter exspectationem rediit domum, pulsat ostium. Ph. Quid facturus homini? La. Quid? nihil suave: aut occisurus erat, aut exsecturus. Ubi maritus instans minitaretur, se vi effracturum ostium, ni aperiret uxor, magnopere trepidatum est, & circumspicitur præsentaneum aliquod consilium. Nec erat aliud, quam quod ipsa dabat res. Abjecit tunicam, ac per fenestram angustam dejecit sese, non absque periculo, nec sine vulnere, ac fugit. Scis tales fabulas illico spargi. Itaque permanavit & ad Balbinum. Neque id fore non divinarat artifex. Ph. Heic itaque medius tenetur. La. Imo felicius elapsus est hinc, quam e cubiculo. Audi technam hominis. Nihil expostulabat Balbinus, sed nubilo vultu satis indicabat se non ignorare, quod vulgo ferebatur. Noverat ille, Balbinum esse virum pium, in nonnullis, pene dixerim superstitiosum. Et qui tales sunt, in quamvis magno peccato facile condonant supplici. Itaque data opera injicit mentionem de successu negotii, queritans non perinde succedere, ut solet, aut vellet: addebat se vehementer mirari, quid esset in caussa. Ibi per occasionem commotus Balbinus, qui alioqui videbatur destinasse silentium, & erat qui facile commoveretur: Non est, inquit, obscurum quid obstet; peccata obstant, quo minus succedat, quod a puris pure tractari convenit. Ad hanc vocem artifex procubuit in genua, subinde tundens pectus, & vultu voceque lacrymabili: Verissimum, inquit, dixisti, Balbine: Peccata, inquam, obstant: sed mea peccata, non tua: non enim pudebit me turpitudinem meam apud te, velut apud Sacerdotem sanctissimum, confiteri. Vicerat me carnis infirmitas, pertraxerat me Satanas in laqueos suos. Et ô me miserum! e sacrifico factus sum adulter. Non tamen omnino periit hoc munus, quod misimus Virgini matri. Perieram certo exitio, ni illa succurrisset. Jam maritus effringebat fores, fenestra erat arctior quam ut possem elabi: in tam præsentaneo periculo venit in mentem sanctissimæ Virginis; procidi in genua, obtestatus sum, si gratum fuisset munus, ut opitularetur. Nec mora, repeto fenestram (sic enim urgebat necessitas) & satis amplam reperi ad effugium. Ph. Credidit ista Balbinus? La. Credidit? Imo etiam ignovit, & admonuit religiose, ne se præberet ingratum beatissimæ Virgini. Numerata est rursus pecunia danti fidem se posthac rem sacram pure tractaturum. Ph. Quis tandem finis? La. Perlonga est fabula: sed ego paucis absolvam. Cum ejusmodi commentis diu lusisset hominem, neque mediocrem pecuniarum vim ab eo extorsisset, tandem venit illo qui nebulonem a puero noverat. Is facile divinans illum idem agere apud Balbinum, quod nusquam non egerat, clam aggreditur illum; exponit qualem artificem domi suæ foveret, monet ut quam primum ableget hominem, ni mallet ipsum aliquando compilatis scriniis fugere. Ph. Quid heic Balbinus? videlicet curavit hominem conjiciendum in carcerem? La. In carcerem? Imo numeravit viaticum, obtestans per omnia sacra, ne, quod accidisset, effutiret. Et sapuit, mea quidem sententia, qui hoc maluerit, quam esse fabula conviviorum, & fori; deinde venire in periculum confiscationis. Nam impostori nihil erat periculi, artis tantum tenebat, quantum asinus quivis; & in hoc genere favorabilis est impostura. Quid si furti crimen intentasset, a suspendio tutum reddebat unctio; neque quisquam lubens gratis alat talem in carcere. Ph. Miseresceret me Balbini, nisi ipse gauderet deludi. La. Nunc mihi properandum est in aulam: alias referam his etiam multo stultiora. Ph. Cum vacabit, & audiam lubens, & fabulam fabula pensabo.

1 HIPPOPLANUS.

Aulus, Phædrus.

Av. Deum immortalem, 2 ὡς σεμνοπροσωπεῖ noster Phædrus, & subinde in cœlum suspicit! Adoriar. Quid accidit novæ rei Phædre? Ph. Quam ob rem istud interrogas, Aule? Av. Quoniam e Phædro mihi videris factus Cato; tanta est in vultu severitas. Ph. Non mirum, amice; modo confessus sum peccata mea. Av. Phy, jam desino mirari: sed dic age, bona fide confessus es omnia? Ph. Omnia quæ quidem in mentem veniebant, unico dumtaxat excepto. Av. Cur unum hoc reticuisti? Ph. Quia nondum potuit mihi displicere. Av. Oportet esse peccatum suave. Ph. An peccatum sit, nescio: sed tamen, si vacat, audies. Av. Audiam equidem lubens. Ph. Scis quanta sit impostura apud nostros in his qui vendunt, aut locant equos? Av. Plus scio quam vellem, non semel ab illis delusus. Ph. Nuper incidit mihi iter, cum satis prolixum, tum etiam accelerandum. Adeo quendam ex illis, quem dixisses ejus generis minime malum; & intercedebat mihi cum homine nonnihil etiam amicitiæ. Narro mihi rem esse seriam; opus esse præstrenuo equo: si unquam præbuisset se mihi bonum virum, nunc præstaret. Ille pollicetur sese sic mecum acturum, ut ageret cum fratre suo carissimo. Av. Fortassis & fratri impositurus. Ph. Inducit in stabulum, jubet ut eligam ex omnibus equis quemcunque vellem. Tandem unus plus cæteris arridebat. Ille probat judicium meum, dejerans eum equum frequenter a multis expetitum esse; se eum maluisse servare amico singulari, quam ignotis addicere. Conventum est de pretio: numeratur pecunia præsens, conscendo. Mira alacritate gestiebat equus in egressu; dixisses feroculum esse: nam erat obesulus & pulchellus. Ubi jam equitassem sesquihoram, sensi plane lassum, ne calcaribus quidem impelli posse. Audieram tales ab illis ad imposturam ali, quos e specie judicares insignes, cæterum laboris impatientissimos. Ego continuo mecum, Captus sum. Age, par pari referam, ubi rediero domum. Av. Quid heic consilii capiebas eques absque equo? Ph. Id quod res dabat: deflexi in proximum vicum, illic clam apud quendam mihi notum deposui equum, & conduxi alterum: profectus sum quo destinaram; reversus sum, reddo conductitium equum, reperio meum sophistam, ut erat, obesum & pulcre requietum: eo vectus, redeo ad impostorem; rogo ut in stabulo suo alat dies aliquot, donec repetiero. Percunctatur quam commode me gesserit: Ego vero dejero per omnia sacra, me nunquam in vita conscendisse tergum equi felicioris; volasse potius quam ambulasse, nec tam longo itinere unquam sensisse lassitudinem, nec pilo factum ob laborem macriorem. Hæc cum illi persuasissem esse vera, tacitus secum cogitabat, equum illum alium esse, quam hactenus suspicatus esset. Itaque priusquam abirem, rogabat num mihi venalis esset equus: primo negabam: quod si incideret iter denuo, non facile fore nancisci similem: attamen nihil esse mihi tam carum, quod non esset venale pretio largo, etiamsi quis me ipsum, inquam, cuperet emtum. Av. Næ tu pulcre Cretensem agebas cum Cretensi. Ph. Quid multis? Non dimittit me, nisi pronunciata equi indicatura. Indicavi non paullo pluris quam emeram. Digressus ab homine, mox suborno, qui mihi partem agat hujus fabulæ, pulcre instructum atque edoctum: is ingressus domum, inclamat locatorem, ait sibi opus esse insigni equo, & laboris egregie patienti. Alter ostendit multos, & pessimum quemque maxime prædicat; solum illum quem mihi vendiderat, quoniam existimabat vere talem qualem prædicaveram, non laudat. At alter illico rogat, num & ille venalis esset, nam descripseram illi formam

1 Hippoplanus] Qui imponit in vendendis equis.
2 Ὡς σεμνοπροσωπεῖ] Id est, severitatem vultu præfert.

A mam equi, & locum indicaram. Locator primum obticescere, atque alios ambitiose prædicare. Cum iste cæteris utcunque probatis, semper ageret de uno illo, tandem locator apud se; Plane fefellit me judicium de illo equo, siquidem hic peregrinus statim agnovit hunc inter omnes. Cum instaret ille, tandem hic, Venalis est, inquit, sed pretio fortasse deterreberis. Non est, inquit ille, magnum pretium, si rei dignitas respondeat: indica. Indicavit aliquanto pluris, quam indicaram ipsi, captans & hoc lucri. Tandem convenit de pretio, datur arrha satis magna, nempe regalis aureus, ne qua suspicio incideret simulatæ emtionis. Emtor jubet equo dari pabulum; se mox ait rediturum, & abductum, dat etiam stabulario drachmam. Ego simul atque cognovi, B pactionem esse firmam, sic ut rescindi non posset, rursus ocreis & calcaribus armatus redeo ad locatorem, anhelus clamo. Adest ille; rogat quid velim. Illico, inquam, adornetur equus meus: Nam e vestigio proficiscendum est ob rem maxime seriam. Atqui modo, inquit, mandabas ut aliquot dies alerem equum tuum. Verum, inquam, sed præter exspectationem objectum est negotium, idque regium, quod nullam patitur dilationem. Heic ille: eliges ex omnibus quem voles; tuum habere non potes. Rogo quam ob rem? Quoniam venditus est, inquit. Ibi ego simulata magna perturbatione: Prohibeant, inquam, superi, quod dicis. Hoc objecto itinere non venderem eum equum, etiam si quis numeret quadruplum. Incipio rixam, clamo me perditum. C Tandem incaluit & ille; Quid opus, inquit, his jurgiis? Indicasti equum, ego vendidi: si numero pretium, nihil habes quod mecum agas, sunt in hac urbe leges: ad exhibendum equum me non potes compellere. Cum diu clamassem, aut equum exhiberet, aut emtorem, tandem iratus numerat pretium. Emeram quindecim aureis, æstimaram viginti sex. Ille æstimarat triginta duobus. Cogitabat apud se, præstat hoc lucri facere, quam equum reddere. Abeo dolenti similis, ac vix placatus etiam data pecunia. Ille rogat ut boni consulam; se aliis in rebus pensaturum hoc incommodi. Sic impositum est impostori. Habet equum nullius pretii. Exspectat ut, qui arrham dedit, veniat numeratum pecuniam. At nemo venit, nec unquam venturus.
D Av. Interim nunquam tecum expostulavit? Ph. Qua fronte, aut quo jure id faceret? Convenit quidem semel atque iterum, conquestus est de fide emtoris. Verum ego ultro expostulavi cum homine, dicens illum eo malo dignum, qui præpropera venditione tali equo me spoliarit. Hoc est crimen tam bene collocatum, mea sententia, ut non possim inducere animum confiteri. Av. Ego mihi statuam poscerem, si quid tale designassem? tantum abest, ut confessurus sim. Ph. An ex animo loquaris, nescio; mihi tamen addis animum, quo magis lubeat talibus facere fucum.

[1] ΠΤΩΧΟΛΟΓΙΑ.

[2] Irides, [3] Misoponus.

E Ir. Quam ego huc novam avem video advolare? Agnosco faciem, sed vestis non convenit. Aut ego prorsus hallucinor, aut hic est Misoponus. Audendum est: compellabo hominem, quamlibet pannosus. Salve, Misopone. Mi. Iridem video. Ir. Salve, Misopone. Mi. Tace, inquam. Ir. Quid? an salvere non vis? Mi. Non isto quidem nomine. Ir. Quid accidit? an non es idem qui fueras? An cum veste mutatur & nomen? Mi. Non; sed vetus receptum est. Ir. Quis tum eras? Mi. Apitius. Ir. Ne te pudeat veteris sodalis, si quid melioris obtigit fortunæ: non diu est quod eras ordinis nostri. Mi. Concede huc sodes, & audies rem omnem. Non pudet ordinis vestri, sed pudet F primi ordinis. Ir. Quem ordinem narras? Franciscanorum? Mi. Nequaquam, ô bone, sed decoctorum. Ir. Næ tu istius ordinis sodales habes quam plurimos. Mi. Eram re lauta; prodegi strenue; ubi res defecit, nullus agnoscebat Apitium. Profugi pudore, verti me ad vestrum collegium: hoc malui quam fodere. Ir. Sapuisti. Sed unde subito novus nitor corporis? Nam de veste mutata non perinde miror. Mi. Quam ob rem? Ir. Quia Dea Laverna multos subito ditat. Mi. An suspicaris me furto parasse rem? Ir. Hoc fortassis ignavius. Rapina igitur. Mi. Non per vestram [4] Peniam, neque furto, neque rapina. Sed de nitore corporis prius expediam, quod tibi videtur mirabilius. Ir. Nam apud nos eras totus ulcerosus. Mi. Nimirum sum usus amicissimo medico. Ir. Quonam? Mi. Non alio quam me ipso, nisi si quem arbitraris mihi me ipso amiciorem. Ir. Atqui nesciebam te callere rem medicam antehac. Mi. Totum illum ornatum ipse pigmentis affixeram, thure, sulphure, resina, visco, linteis, cruore. Ubi visum est, quod affixeram, detraxi. Ir. O impostorem! nihil te videbatur miserabilius. Poteras in tragœdia sustinere personam Job. Mi. Sic tum ferebat egestas; quanquam fortuna nonnunquam & cutem mutare solet. Ir. Dic igitur de fortuna. Repertus est thesaurus aliquis? Mi. Non; sed repertus est quæstus vestro paulo commodior. Ir. Qui potuisti facere quæstum, cum non suppeteret sors? Mi. Artem quævis terra alit. Ir. Intelligo. Dicis artem incidendi loculos. Mi. Bona verba. Dico artem alcumisticam. Ir. Vix quindecim dies sunt, quod nos reliquisti, & artem assequutus es, quam alii vix multis annis perdiscunt? Mi. Nactus sum viam compendiariam. Ir. Quam, obsecro? Mi. Ars vestra conflaverat mihi quatuor ferme aureos; bona quadam fortuna incidi in veterem congerronem, qui nihilo felicius rem administrarat quam ego. Compotabamus: cœpit, ut fit, narrare suas fortunas: paciscor hac lege, ut ille biberet immunis, mihi communicaret artem. Communicavit bona fide: ea nunc vectigal est mihi. Ir. Non licet discere? Mi. Tibi vel gratis impartiam, ob pristinum sodalitium. Scis nusquam non inveniri plurimos hujus artis avidissimos. Ir. Audivi, & credo. Mi. In horum familiaritatem quacunque occasione memet insinuo, jacto artem. Ubi sensero [5] larum hiantem, escam paro. Ir. Quo pacto? Mi. Ultro eos moneo, ne temere credant ejus artis professoribus. Nam plerosque esse impostores, id agentes præstigiis suis, ut exhauriant loculos incautorum. Ir. Istuc procemii parum accommodum tuo negotio. Mi. Imo illud etiam addo, ne quid mihi ipsi credant, ni rem certam oculis ac manibus deprehenderint. Ir. Miram artis fiduciam mihi narras. Mi. Jubeo illos adesse, dum peragitur metamorphosis: jubeo attentos esse: quoque minus dubitent, jubeo ut ipsi manibus rem omnem peragant, me procul spectante, nec digitum admovente: liquefactam materiam jubeo ut purgent ipsi, aut aurifici purgandam deferant: prædico quantum argenti aurive sit eliquandum: denique quod eliquatum est, jubeo ut pluribus aurificibus deferant ad Lydium lapidem explorandum. Reperiunt pondus prædictum, reperiunt purgatissimum aurum aut argentum: nihil enim refert, nisi quod minore periculo mihi quidem res tentatur in argento. Ir. Proinde nihil habet ars tua fuci? Mi. Imo merus fucus est. Ir. Nondum video præstigium. Mi. Faxo ut videas. Primum paciscor de mercede; eam nolo mihi numerari, nisi prius edito artis experimento. Trado illis pulvisculum, quasi hujus vi conficiatur totum negocium. Rationem conficiendi pulveris non communico, nisi magna mercede redemerint. Exigo jusjurandum, ne proferant arcanum artis intra sex menses cuiquam mortalium aut immortalium. Ir. Nondum audio fucum. Mi. Fucus omnis est in uno carbone in hoc parato. Excavo carbonem; in eum infero liquefactum argentum, quantum prædico reddendum: post infusum pulverem, sic instruo vas, ut non solum inferne & a lateribus cingatur prunis, verum etiam superne: persuadeo hoc esse artis. Inter carbones, qui superne imponuntur, unum admisceo, qui tegit argentum, aut aurum. Id vi caloris liquefactum defluit in reliquam materiam, quæ liquescit, puta stannum, aut æs: repurgatione facta invenitur quod admixtum est. Ir. Ars expedita: sed quomodo fallis, si alter rem agat suis manibus? Mi. Cum is me præscribente perfecit omnia, priusquam moveatur vas alcumisticum, accedo tandem, & circumspicio, ne quid forte sit omissum. Ajo mihi videri superne deesse unum atque alterum carbonem, clam appono meum; fingo me eum tollere ex acervo reliquorum, aut illic ante sic positum, ut nulli possit agnosci, & illum fallere. Tollo. Ir. Cæterum cum illis absque te periculum facientibus non succedit, quid adfers?

1 *Πτωχολογία*] Id est, sermo de mendicis; a *πτωχὸς*, *mendicus*, & *λόγος*, *sermo*.

2. *Irides*] Irides vox patronymica, quasi dicas *Iri filium*. Nota autem est *Iri* Ithacensis mendici, asseclæ procorum Penelopes paupertas: ita ut in proverbium abierit, *Iro pauperior*. Ab Ulysse domum reverso interfectus est pugno.

3 *Misoponus*] Osor laborum; ex *μισῶ*, *odi*, & *πόνος*, *labor*.

4 *Penia*] Paupertas. Dea apud Aristophanem.

5 *Larum hiantem*] *Larus hians* dicebatur, ubi quis avidus inhiaret prædæ. Est enim *larus* avis avida, voraxque.

A Mi. Mihi nihil est periculi, jam numerata pecunia. Aliquid comminiscor, aut ollam fuisse insinceram, aut carbones vitiosos, aut ignem parum scite temperatum. Denique pars est artis, quam profiteor, non diu hærere in eodem loco. Ir. An tantus est proventus istius artis, ut te possit alere? Mi. Et quidem splendide: posthac tu quoque, si sapis, relinques istam miseriam, & nostro accedes ordini. Ir. Imo citius illud agam, ut te revocem in nostrum ordinem. Mi. Ut volens repetam quod semel effugi, ac deseram bonum, quod inveni? Ir. Habet hoc nostra professio, dulcescit assuetudine. Proinde cum multi sint, qui deficiant ab instituto divi Francisci, aut Benedicti; quem unquam vidisti, qui diutius versatus in ordine nostro defe- B cerit? Nam tam paucis mensibus vix gustare poteras, quid esset mendicitas. Mi. Is gustus me docuit, esse rem omnium miserrimam. Ir. Cur igitur nemo deficit? Mi. Fortasse quia natura miseri sunt. Ir. Ego hanc miseriam ne cum regum quidem fortuna commutarim. Nihil enim regno similius, quam mendicitas. Mi. Quid ego audio; nihil nivi similius, quam carbo. Ir. Dic mihi, qua re potissimum beati sunt reges? Mi. Quia faciunt quod animo collubitum est. Ir. Ista libertas, qua nihil suavius, nemini regum magis adest, quam nobis. Nec dubito, quin multi reges sint, qui nobis invideant. Sive bellum est, sive pax, nos tuto vivimus: non describimur ad militiam, non vocamur ad munia publica, non censemur: cum populus expila- C tur exactionibus, nullus inquirit in vitam nostram: si quid admissum est etiam atrocius, quis dignetur in jus vocare mendicum? Etiam si pulsamus hominem, pudet pugnare cum mendico. Regibus nec in pace, nec in bello licet suaviter agere: & quo majores sunt, hoc plures metuunt. Nos, veluti Deo sacros, etiam religione quadam metuit vulgus offendere. Mi. Sed interim sordescitis in pannis, & casulis. Ir. Quid ista faciunt ad veram felicitatem? Extra hominem sunt, quæ narras. His pannis debemus nostram felicitatem. Mi. At vereor ne vobis brevi peritura sit felicitatis istius bona pars. Ir. Qui sic? Mi. Quia jam hoc mussant civitates, ne mendicis liberum sit quo libet evagari, sed unaquæque civitas suos alat mendicos, & in his, qui D valent, adigantur ad laborem. Ir. Cur hoc moliuntur? Quia comperiunt ingentia facinora sub mendicitatis prætextu perpetrari. Deinde non minimam perniciem ex vestro ordine nasci. Ir. Istiusmodi fabulas frequenter audivi. Id fiet ad Calendas Græcas. Mi. Fortasse citius, quam velles.

Convivium Fabulosum.

POLYMYTHUS, GELASINUS, EUTRAPELUS, ASTÆUS, PHILYTHLUS, PHILOGELOS, EUGLOTTUS, LEROCHARES, ADOLESCHES.

Po. UT non decet civitatem bene institutam esse sine legibus ac principe, ita nec convivium oportet E 1 ἄναρχον esse καὶ ἄνομον. Ge. Istuc vero perplacet, ut unus totius populi nomine respondeam. Po. Heus puer, adfer huc talos; horum suffragiis decernetur regnum, cuicumque faverit Jupiter. Ev. Euge, Eutrapelo favit Jupiter. Non fuere sortes cæcæ; non poterat magis idoneus eligi, etiamsi per singulas tribus viritim collecta fuissent puncta. Vulgo jactatur proverbium non tam vanum, quam parum Latinum, *Novus Rex, novus Lex.* 2 Νομοθέτει γοῦν, ὦ βασιλεῦ. Evt. Quod felix faustumque sit huic convivio: Primum edico, ne quis heic proferto præter ridiculas fabulas. Cui deerit fabula, drachma multator; ea pecunia in vinum insumitor. Atqui in legitimis fabulis etiam ex tempore conficta habentor, modo servetur 3 τὸ πιθανὸν, καὶ τὸ πρέπον. Si nulli defuerit fabula, duo, quorum alter lepidis- F simam, alter frigidissimam fabulam dixerit, vini pretium pendunto. Convivator a vini sumtu immunis esto; ciborum sumtum unus suppeditato: hujus rei si quid inciderit controversiæ, Gelasinus arbiter ac judex esto. Hæc si vos sciveritis, rata sunto. Qui legi parere noluerit, abito: sic tamen ut postridie ad compotationem redire jus fasque sit. Ge. Legem a rege latam nostris suffragiis ratam esse volumus. Sed unde proficiscetur fabularum circulus? Evt. Unde, nisi a convivatore? As. Licetne, rex, dicere tria verba? Evt. An tu credis nefastum esse convivium? As. Jureconsulti negant legem esse, quæ non sit æqua. Evt. Assentior. As. At tua lex æquat optimam fabulam pessimæ. Evt. Ubi voluptas quæritur, ibi non minus laudis promeretur, qui pessime dixit, quam qui optime, eo quod non minus delectet. Velut inter cantores nemo voluptati est, nisi qui aut insigniter bene cecinerit, aut egregie male. Nonne plures rident audito coccyce, quam audita luscinia? Heic mediocritas laudem non habet. As. At cur plectuntur qui laudem auferunt? Evt. Ne nimia felicitas provocet illis Nemesim aliquam, si simul & laudem auferrent & immunitatem. As. Per Bromium, Minos ipse nunquam tulit legem æquiorem. Phily. Nullam feres legem de modo bibendi? Evt. Dispecta re, sequar exemplum Agesilai Lacedæmoniorum regis. Phily. Quid is fecit? Evt. Is cum tempore quodam symposiarchus talorum arbitrio delectus esset; rogante architriclino, quantum cuique vini juberet apponi: Si largior, inquit, vini copia parata est, dato cuique quantum poposcerit: si malignior, omnibus ex æquo distribuito. Phily. Quid sibi voluit Lacon ille cum hæc diceret? Evt. Hoc agebat, ut neque temulentum, neque rursum querulum esset convivium. Phily. Qui sic? Evt. Quia sunt qui gaudent largius bibere, sunt qui gaudent parcius: reperiuntur & abstemii, qualis dicitur fuisse Romulus. Itaque si nulli datur vinum nisi poscenti, primum nemo compellitur ad bibendum; & tamen nihil desiderant, quibus grata est largior potatio. Ita fit ut nemo tristis sit in convivio. Rursus, si parcior copia vini distribuitur æquis portionibus in singulos, satis habent qui bibunt moderatius: neque quisquam in æqualitate potest obmurmurare, quando qui largius erat hausturus, æquo animo componit sese ad temperantiam. Hoc exemplum si placet, utar. Volumus enim hoc convivium fabulosum esse, non vinosum. Phily. Quid igitur bibebat Romulus? Evt. Idem quod bibunt canes. Phily. An non istud indignum rege? Evt. Nihilo magis quam quod Reges spirant aere cum canibus communi: nisi quod illud interest; Rex non bibit eandem aquam, quam biberet canis: sed aerem quem efflavit rex, haurit canis; & vicissim quem efflavit canis, haurit rex. Plus gloriæ tulisset Alexander ille magnus, si cum canibus bibisset. Nihil enim pejus regi, qui tot hominum millibus vigilat, quam vinolentia. Cæterum Romulum abstemium fuisse, declarat apophthegma non infestiviter ab illo dictum. 4 Etenim cum quidam, videns illum abstinere a vino, dixisset: *Vinum vile futurum, si omnes biberent quemadmodum ille: Imo*, inquit, *tum arbitror fore carissimum, si biberent omnes vinum quemadmodum ego. Bibo enim quantum libet.* Ge. Utinam heic adesset noster Joannes Botzemus Canonicus Constantiensis, qui nobis Romulum quendam referret! nam & is abstemius non minus est, quam dicitur; alioqui comis ac festivus conviva. Po. Age, si simul potestis, non dicam sorbere & flare, quod 5 Plautus ait esse difficile, sed edere & audire, quod est perfacile, bonis avibus auspicabor fabulandi munus. Si parum erit lepida fabula, scitote Batavam esse. Opinor aliquot vestrum auditum Macci nomen. Ge. Non ita diu est quod periit. Po. Is cum venisset in civitatem quæ dicitur Leydis, ac vellet novus hospes innotescere joco quopiam, (nam is erat homini mos;) ingressus est officinam calcearii: salutat. Ille cupiens extrudere merces suas, rogat nunquid vellet. Macco conjiciente oculos in ocreas ibi pensiles, rogat sutor num vellet ocreas. Annuente Macco, quærit aptas tibiis illius; inventas alacriter protulit, &, ut solent, inducit illi. Ubi jam Maccus esset eleganter ocreatus, Quam belle, inquit, congrueret his ocreis par calceorum duplicatis soleis. Rogatus an & calceos vellet, annuit. Reperti sunt, & additi pedibus. Maccus laudabat ocreas, laudabat calceos. Calcearius tacite gaudens, succinebat illi laudanti, sperans pretium æquius, posteaquam emptori tantopere placeret merx. Et jam erat nonnulla contracta familiaritas. Heic Maccus: Dic mihi, inquit, bona fide, nunquamne usu venit tibi, ut, quem sic ocreis & calceis ad cursum armasses, quemadmodum nunc armasti me, abierit non numerato pretio? Nunquam, ait ille. Atqui si forte, inquit, veniat usu,

1. *Sine magistratu & sine lege.*
2. *Leges fer, ô Rex.*
3. Τὸ πιθανόν] Id est, *verisimile.* τὸ πρέπον, id est, *decorum.*

4 *A Gellii* Noct. Atticis L. XI, c. 14. Sed hinc liquet Romulum abstinuisse quidem a nimio vini potu, cum voluit, sed non fuisse prorsus abstemium.

5 Mostellariæ Act. III. S. II. ℣. 104.

usu, quid tu tum faceres? Consequerer, inquit calcearius, fugientem. Tum Maccus, Serione ista dicis, an joco? Plane serio, inquit alter, loquor; & serio facerem. Experiar, ait Maccus. En pro calceis præcurro, tu cursu sequere. Simulque cum dicto conjecit se in pedes. Calcearius e vestigio consecutus est, quantum poterat: clamitans, Tenete furem, tenete furem. Ad hanc vocem cum cives undique prosiliissent ex ædibus, hoc commento cohibuit illos Maccus, ne quis manum injiceret; ridens ac vultu placido, Ne quis, inquit, remoretur cursum nostrum; certamen est de cupa cervisiæ. Itaque jam omnes præbere sese certaminis spectatores. Suspicabantur autem calcearium dolo clamorem eum fingere, ut hac occasione anteverteret. Tandem calcearius cursu victus, sudans & anhelus domum rediit. Maccus tulit brabeum. GE. Maccus iste effugit quidem calcearium, at non effugit furem. PO. Quam ob rem? GE. Quia furem ferebat secum. PO. Forte tum non erat ad manum pecunia, quam postea resolvit. GE. Verum erat actio furti. PO. Ea quidem post intentata est, sed jam magistratibus aliquot innotuerat Maccus. GE. Quid attulit Maccus? PO. Quid attulit, rogas? in caussa tam vincibili? Magis periclitatus est actor, quam reus. GE. Qui sic? PO. Quia gravabat illum actione calumniæ, & intendebat legem Rhemiam, quæ dictat, ut, qui crimen intenderit, quod probare non possit, pœnam ferat quam laturus erat reus, si convictus fuisset. Negabat se contrectasse rem alienam invito domino, sed ultro deferente, nec ullam pretii mentionem intercessisse. Se provocasse calcearium ad certamen cursus; illum accepisse conditionem; nec habere quod queratur, cum esset cursu superatus. GE. Hæc actio non multum abest [1] ab umbra asini. Quid tandem? PO. Ubi satis risum est, quidam e judicibus vocavit Maccum ad cœnam, & numeravit calceario pretium. Simile quiddam accidit Daventriæ me puero. Erat tempus illud, quo regnant piscatores, frigent lanii. Quidam adstabat ad fenestram fructuariæ, sive Græce mavultis, *oporapolidis*, fœminæ vehementer obesæ, oculis intentis in ea quæ proposita venum erant: illa ex more invitavit, si quid vellet: & cum videret hominem intentum ficis: Vis, ait, ficos? sunt perquam elegantes. Cum ille annuisset, rogat quot libras vellet: Vis, inquit, quinque libras? Annuenti, tantum ficorum effudit in gremium. Dum illa reponit lances, ille se subducit, non cursu, sed placide. Ubi prodisset acceptura pecuniam, vidit emptorem abire, insequitur majore voce, quam cursu. Ille dissimulans pergit quo cœpit ire: tandem multis ad fœminæ vocem concurrentibus, restitit. Ibi in populi corona agitur caussa: risus oboritur: emptor negabat se emisse, sed quod ultro delatum fuisset, accepisse: si vellet experiri apud judices, se compariturum. GE. Age, narrabo fabulam, tuæ non admodum dissimilem fortasse, nec inferiorem, nisi quod hæc non habet auctorem perinde celebrem atque est Maccus. Pythagoras totum mercatum dividebat in tria hominum genera: quorum alii prodiissent ut venderent, alii ut emerent: hoc utrumque genus ajebat sollicitum esse, proinde nec felix: alios non ob aliud venire in forum, quam ut spectent quid illic proferatur, aut quid agatur: hos solos esse felices, quod vacui curis, gratuita voluptate fruerentur. Atque ad hunc modum dicebat Philosophum versari in hoc mundo, quemadmodum illi versarentur in mercatu. Verum in nostris emporiis quartum hominum genus obambulare solet, qui nec emunt, nec vendunt, nec otiosi contemplantur; sed observant sollicite si quid possint involare. Atque in hoc genere reperiuntur quidam mire dextri, dicas esse Mercurio favente natos. Convivator dedit fabulam cum coronide, ego dabo cum proœmio. Nunc accipite quod nuper accidit Antverpiæ. Sacrificus quidam receperat illic mediocrem summam pecuniæ, sed argenteæ. Id impostor quidam animadverterat. Adiit sacrificum, qui gestabat in zona crumenam nummis turgidam: salutat civiliter; narrat sibi datum negotium a suis, ut vici sui parocho mercaretur novum pallium sacrum, quæ summa vestis est Sacerdoti, rem divinam peragenti. Rogat, hac in re commodaret sibi tantillum operæ, ut secum iret ad eos, qui vendunt hujusmodi pallia, quo videlicet ex modo corporis ipsius, sumeret majus aut minus; nam sibi videri staturam ipsius cum parochi magnitudine vehementer congruere. Hoc officium, cum leve videretur, facile pollicitus est sacrificus. Adeunt ædes cujusdam. Prolatum est pallium, sacrificus induit, venditor affirmat mire congruere. Impostor cum nunc a fronte, nunc a tergo contemplatus esset sacrificum, satis probavit pallium; sed caussatus est a fronte brevius quam par esset. Ibi venditor, ne non procederet contractus, negat id esse pallii vitium, sed crumenam turgidam efficere, ut ea parte offenderet brevitas. Quid multa? Sacrificus deponit crumenam: denuo contemplantur. Ibi impostor averso sacrifico, crumenam arripit, ac semet in pedes conjicit. Sacerdos cursu insequitur, ut erat palliatus, & Sacrificum venditor. Sacrificus clamat, *Tenete furem:* venditor clamat, *Tenete Sacrificum:* impostor clamat, *Cohibete Sacrificum furentem:* & creditum est, cum viderent illum sic ornatum in publico currere. Itaque dum alter alteri in mora est, impostor effugit. EUT. Dignus qui non simplici suspendio pereat, tantus artifex. GE. Nisi jam pendet. EUT. Utinam non solus, sed una cum illo qui talibus portentis favent in perniciem Reipub. GE. Non favent gratis. [2] Catena est, quæ demissa in terras pertingit ad Jovem. EUT. Ad fabulas redeundum. AS. Ad te redit ordo, si fas est regem in ordinem cogere. EUT. Non cogar; imo volens veniam in ordinem; alioqui tyrannus essem, non rex, si leges, [3] quas aliis præscribo, recusem. AS. Veruntamen ajunt principem esse supra leges. EUT. Istuc non omnino falso dictum est, si principem accipias summum illum principem, quem tum vocabant *Cæsarem.* Deinde si sic accipias superiorem legibus, quod alii coacti utcunque servant, illum suapte sponte multo cumulatius præstare. Quod enim animus est corpori, hoc est bonus princeps Reipublicæ. Quid opus erat addere, *bonus*, quando malus princeps non est princeps: quemadmodum spiritus impurus, qui invasit corpus hominis, non est animus. Sed ad fabulam; & arbitror convenire, ut rex regiam fabulam adferam. [4] Ludovicus Galliarum rex, ejus nominis undecimus, cum rebus domi turbatis peregrinaretur apud Burgundiones, occasione venationis nactus est familiaritatem cum Conone quodam homine rustico, sed animi simplicis ac sinceri. Nam hoc genus hominibus delectantur monarchæ. Ad hujus ædes frequenter diverterat rex ex venatu; & ut plebejis rebus nonnunquam delectantur magni principes, apud eum magna cum voluptate vescebatur rapis. Mox ubi Ludovicus restitutus, jam rerum potiretur apud Gallos, submonuit Cononem uxor, ut regem veteris hospitii commonefaceret; adiret illum, & rapas aliquot insignes illi dono adferret. Tergiversatus est Conon, se lusurum operam: principes enim non meminisse talium officiorum. Sed vicit uxor. Deligit Conon rapas aliquot insignes, accingitur itineri. Verum ipse per viam captus illecebra cibi, paullatim devoravit omnes, una dumtaxat excepta insigniter magna. Ubi Conon prorepsisset in aulam, qua rex erat iturus, statim agnitus est a rege, & accersitus. Ille magna cum alacritate detulit munus; rex majore cum alacritate accepit; mandans cuidam e proximis ut diligenter reponeretur inter ea, quæ haberet carissima. Cononem jubet secum prandere: a prandio egit Cononi gratias; & cupienti repetere rus suum, jussit pro rapa numerari mille coronatos aureos. Hujus rei fama cum ut fit, per omne regis famulitium esset pervagata, quidam ex aulicis dono dedit regi equum non inelegantem. Rex intelligens illum provocatum benignitate quam præstiterat Cononi, captare prædam; vultu majorem in modum alacri, accepit munus; & convocatis primoribus consultare cœpit, quo munere pensaret equum tam bellum; tamque pretiosum. Interim, qui donarat equum, spes opimas animo concipiebat, sic cogitans:

1 *Ab umbra asini*] Vide Chiliades. Origo adagii ad Demosthenem refertur: qui defendens quendam in causa capitali coram judicibus parum attentis, hujusmodi fabulam intertexuit. Juvenis iter faciens, cum nullibi æstum meridianum effugeret, sub asino resedit. Cæterum id agaso non sinebat, clamans asinum locatum non asini umbram. Alter asseverabat esse conductam. Post acerrimam rixam in jus ambulant. Demosthenes hæc proloquutus repente e tribunalibus descendit. Rogatus a judicibus ut reliquum fabulæ enarraret, respondit: De umbra asini libet audire, viri caussam de vita periclitantis audire gravamini.

2 *Catena est*] Alludit ad catenam auream Homeri, de qua Iliados θ, sub initium.

3 *Quas aliis præscribo*] Hinc Pittacus apud Ausonium: *Pareto legi quisquis legem sanxeris.*

4 *Ludovicus Galliarum*] Est hic Ludovicus, qui patri Carolo in imperium successit, homo callidus & insidiosus. Obiit apud Turones Plessiaci ann. 1483.

Si sic pensavit rapam donatam a rustico; quanto munificentius pensaturus est equum talem, oblatum ab aulico? A Cum regi veluti de re magna consultanti, alius aliud responderet, diuque vana spe lactatus esset captator; tandem rex: Venit, inquit, in mentem, quod illi donem: & accersito ex proceribus quopiam, dicit in aurem, ut adferat id quod reperiret in cubiculo (simulque locum designat) serico diligenter obvolutum. Adfertur rapa: eam, ut erat obvoluta, rex sua manu donat aulico; addens, sibi videri bene pensatum equum cimelio, quod sibi constitisset mille coronatis. Digressus aulicus dum tollit linteum, pro thesauro reperit, non carbones, quod ajunt, sed rapam jam subaridam. Ita captator ille captus, risui fuit omnibus. As. Jam si permittis, rex, B ut plebejus loquar regalia, referam quod ex tua fabula venit in mentem de eodem Ludovico. Nam ut ansa ansam, ita fabula trahit fabulam. Quidam famulus, cum vidisset pediculum repentem in veste regia, flexis genibus, ac sublata manu, significat, se nescio quid officii præstare velle. Ludovico præbente se, sustulit pediculum, & clam abjecit. Rogante rege quid esset, puduit fateri. Cum instaret rex, fassus est fuisse pediculum. Lætum, inquit, omen est; declarat enim me esse hominem, quod hoc genus vermiculorum peculiariter infestet hominem, præsertim in adolescentia. Jussitque pro officio numerari coronatos quadraginta. Post dies aliquammultos alter quidam, qui viderat illi feliciter cessisse tam humile officium; nec animadvertens, C plurimum interesse, ex animo facias quid, an arte; simili gestu aggressus est regem, ac rursus illo se præbente, simulabat se tollere quiddam e veste regia, quod mox abjiceret. Cum urgeret rex tergiversantem, ut diceret quid esset, mire simulato pudore, tandem respondit esse pulicem. Rex intellecto fuco, Quid, inquit, an tu me facies canem? Jussit tolli hominem, ac pro captatis quadraginta coronatis, infligi quadraginta plagas. Phily. Non tutum est, ut audio, cum regibus facetiis ludere. Quemadmodum enim leones se nonnunquam placide præbent fricandi, iidem, ubi lubitum est, leones sunt, & jacet collusor; itidem favent principes. Sed adferam tuæ fabulæ fabulam non dissimilem, ne recedamus interim a Ludovico, cui pro delectamento D erat, [1] corvos hiantes fallere. Dono acceperat alicunde decem millia coronatorum. (quoties autem principibus obtigit nova pecunia, venantur omnes officiarii, & captant aliquam prædæ partem; id non fugiebat Ludovicum.) Cum igitur ea pecunia exprompta esset in mensa, quo magis irritaret spem omnium, sic loquutus est circumstantibus: Quid? an non videor vobis rex opulentus? Ubi collocabimus tantam pecuniæ vim? Donatitia est, donari vicissim convenit. Ubi nunc sunt amici, quibus pro suis in me officiis debeo? Adsint nunc, priusquam effluat hic thesaurus. Ad hanc vocem accurrere permulti: nemo non sibi sperabat aliquid. Rex cum vidisset aliquem maxime inhiantem, & jam oculis devorantem pecuniam; ad eum conversus, E Amice, inquit, quid tu narras? Ille commemorabat se diu aluisse falcones regios, summa fide, nec sine gravibus impendiis: alius aliud adferebat; suum quisque officium verbis quantum poterat exaggerabat, idque non sine mendaciis. Rex omnes benigne audiebat, & singulorum orationem comprobabat. Hæc consultatio dilata est, in longum tempus, quo diutius spe metuque torqueret omnes. Adstabat inter hos primus Cancellarius; nam & hunc jusserat acciri. Is cæteris prudentior, non prædicabat officia sua, sed agebat spectatorem fabulæ. Ad hunc tandem conversus rex: Quid, inquit, narrat meus Cancellarius? Solus ille nihil petit; nec prædicat officia sua. Ego, inquit Cancellarius, plus accepi a benignitate regia, quam promeruerim: F nec ulla de re magis sollicitus sum, quam ut regiæ in me munificentiæ respondeam; tantum abest ut velim flagitare plura. Tum rex: Unus igitur, inquit, omnium non eges pecunia? Ne egerem, inquit alter, jam tua præstitit benignitas. Ibi rex versus ad alios: Næ ego sum, inquit, regum omnium magnificentissimus, qui tam opulentum habeam Cancellarium. Heic magis accensa spes est omnibus, futurum ut pecunia cæteris distribueretur, quandoquidem ille nihil ambiebat. Ad hunc modum, ubi satis diu lusisset rex, coegit Cancellarium, ut totam eam summam domum auferret. Moxque versus ad cæteros jam mœstos, Vobis, inquit, erit alia exspectanda occasio. Phi. Fortasse frigidius videbitur quod narraturus sum; proinde deprecor doli mali suspicionem, fucive; ne videar de industria ambiisse immunitatem. Adiit eundem Ludovicum quidam, petens ut munus, quod forte vacabat in eo pago in quo habitabat, juberet in ipsum transferri. Rex audita petitione, expedite respondit, *Nihil efficies*; videlicet amputans omnem spem impetrandi quod petebatur. Petitor item, mox actis regi gratiis, discessit. Rex ex ipsa fronte colligens hominem esse non omnino sinistri ingenii, suspicansque illum non intellexisse, quid respondisset, jubet eum revocari. Redit. Tum rex, Intellexeras, inquit, quid tibi responderim? Intellexi. Quid igitur dixi? *Me nihil effecturum.* Cur igitur agebas gratias? Quoniam, inquit, est, domi quod agam: proinde magno meo incommodo persequuturus eram heic spem ancipitem: nunc beneficium interpretor, cito negasse beneficium; meque lucratum quidquid eram perditurus, si vana spe lactatus fuissem. Ex eo responso rex conjectans hominem minime segnem, ubi pauca percunctatus esset, Habebis, inquit, quod petis, quo mihi bis gratias agas; simulque versus ad officiarios, Expediantur, inquit, huic sine mora diplomata, ne heic diu suo damno hæreat. Eug. Non deest quod referam de Ludovico, sed malo, de nostro Maximiliano: Qui ut nequaquam solitus est defodere pecuniam, ita clementissimus erat in eos, qui decoxerant; modo nobilitatis titulo commendarentur. Ex hoc hominum genere cum cuidam juveni vellet opitulari, mandavit illi legationem, ut a civitate quadam, titulo nescio quo, peteret centum millia florenorum. Talis autem erat titulus, ut si quid impetratum esset dexteritate legati, pro lucro duci posset. Legatus extorsit millia quinquaginta; Cæsari reddidit triginta. [2] Cæsar lætus insperata præda, dimisit hominem, præterea nihil inquirens. Interea quæstores & rationales olfecerant plus acceptum fuisse quam exhibitum. Interpellant Cæsarem, ut accerseret hominem. Accitus est: venit illico. Tum Maximilianus: Audio, inquit, te accepisse millia quinquaginta. Fassus est. Non exhibuisti nisi triginta millia. Fassus est & hoc. Reddenda est, inquit, ratio. Promisit se facturum; ac discessit. Rursum cum nihil esset actum, interpellantibus officiariis, revocatus est. Tum Cæsar, Nuper, inquit, jussus es reddere rationem. Memini, inquit ille; & in hoc sum. Cæsar suspicans, illi rationem nondum satis esse subductam, passus est illum sic abire. Cum sic eluderet, officiarii vehementer instabant; clamitantes, non esse ferendum, ut ille tam palam illuderet Cæsari. Persuaserunt, ut accersitus juberetur ibi præsentibus ipsis exhibere rationem. Annuit Cæsar. Accitus venit illico, nihil tergiversatus. Tum Cæsar, Nonne, inquit, pollicitus es rationem? Pollicitus, respondit ille. Jam, inquit, opus est: en adsunt qui excipient; nec est diutius tergiversandi locus. Assidebant officiarii, paratis ad id codicillis. Ibi juvenis sat dextre; Non detrecto, inquit, rationem, invictissime Cæsar, verum hujusmodi rationum non sum admodum peritus, ut qui nunquam reddiderim: isti qui assident, talium rationum sunt peritissimi, si vel semel videro quemadmodum illi tractent hujusmodi rationes, ego facile imitabor. Rogo jubeas illos vel exemplum edere, videbunt me docilem. Cæsar sensit dictum hominis, quod non intelligebant hi, in quos dicebatur, ac subridens, Verum, inquit, narras; & æquum postulas. Ita juvenem dimisit. Subindicabat enim, sic illos Cæsari solere reddere rationem, quemadmodum ipse reddiderat; nimirum ut bona pecuniæ portio penes ipsos remaneret. Le. Nunc tempus est, ut ab equis, quod ajunt, ad asinos descendat fabula; a regibus ad Antonium sacrificum Lovaniensem, qui Philippo cognomento Bono fuit in deliciis. Hujus viri feruntur multa vel jucunde dicta, vel jocose facta, sed pleraque sordidiora. Nam plerosque lusus suos condire solitus est unguento quodam, quod non admodum eleganter sonat, sed pejus olet. Deligam unum ex mundioribus. Invitarat unum atque alterum bellum homunculum forte ob-

1 *Corvos hiantes fallere*] Horatius de Corano Nasicæ socero, qui, spe testamenti ostentata, moriens nihil nisi plorare reliquit, hunc versum habet: *Plerumque recoctus Scriba ex quinque viro corvum delusit hiantem.* Corvum autem deludit hiantem, qui captatorem suum arte frustratur.

2 *Cæsar lætus insperata*] Est hic ille Maximilianus, qui vivente patre Frederico III. Romanorum Rex factus, eidem successit Ex Maria Burgunda Philippum patrem Caroli V. suscepit, Anno uno sexagenario minor Neostadii obiit anno 1519.

obvios in via. Cum rediisset domum, reperit culinam frigidam, nec erat nummus in loculis; quod illi nequaquam erat insolens. Heic opus erat celeri consilio. Subduxit se tacitus: & ingressus culinam fœneratoris, quicum illi erat familiaritas, quod frequenter ageret cum illo; digressa famula, subduxit unam ex ollis æneis una cum carnibus jam coctis, ac veste tectam deferebat domum: dat coquæ: jubet protinus effundi carnes & jus in aliam ollam fictilem, simulque fœneratoris ollam defricari donec niteret. Eo facto mittit puerum ad fœneratorem, qui deposito pignore drachmas duas a fœneratore sumat mutuo, sed accipiat chirographum, quod testaretur talem ollam missam ad ipsum. Fœnerator non agnoscens ollam, utpote defrictam ac nitentem, recipit pignus, dat chirographum, & numerat pecuniam; ea pecunia puer emit vinum. Ita prospectum est convivio. Tandem cum appararetur prandium fœneratori, desiderata est olla. Heic jurgium adversus coquam. Ea cum gravaretur, constanter affirmavit, neminem eo die fuisse in culina præter Antonium. Improbum videbatur hoc suspicari de sacrifico. Tandem itum est ad illum exploratum, an apud illum esset olla: [1] ne musca quidem olla reperta. Quid multis? Serio flagitata est ab illo olla, quod solus ingressus esset culinam, quo tempore desiderata est. Ille fassus est sumsisse commodato ollam quandam, sed quam remisisset illi, unde sumserat. Id cum illi pernegarent, & incaluisset contentio; Antonius adhibitis aliquot testibus, Vide te, inquit, quam periculosum est cum horum temporum hominibus agere sine chirographo: intenderetur mihi propemodum actio furti, ni manum haberem fœneratoris. Et protulit syngrapham. Intellectus est dolus: fabula magno cum risu per totam regionem dissipata est, ollam oppignoratam ipsi cujus erat. Hujusmodi dolis libentius favent homines, si commissi sint in personas odiosas, præsertim eos qui solent aliis imponere. AD. Næ tu nobis mare fabularum aperuisti, nominato Antonio: sed unam dumtaxat, eamque brevem referam, quam audivi nuperrime. Agitabant simul convivium aliquot belli, ut dicunt, homunculi; quibus nihil prius in vita, quam ridere. Inter hos erat Antonius, atque alter item, & ipse celebris hoc genere laudis, ac velut æmulus Antonii. Porro quemadmodum inter Philosophos, si quando conveniunt, proponi solent quæstiunculæ de rebus naturæ; ita heic statim nata est quæstio, quænam esset hominis pars honestissima. Alius divinabat oculos, alius cor, alius cerebrum, alius item aliud: & suæ quisque divinationis rationem adferebat. Antonius jussus dicere sententiam, dixit os sibi videri partem omnium honestissimam; & addidit caussam nescio quam. Tum alter ille, ne quid ipsi conveniret cum Antonio, respondit, eam partem qua sedemus, sibi videri honestissimam. Cum id videretur omnibus absurdum, attulit hanc caussam, quod is diceretur vulgo honoratissimus, qui primus consideret: hoc honoris competere parti quam dixisset. Applausum est huic sententiæ, & risum est affatim. Placuit homo sibi de hoc dicto; visusque est in eo certamine victus Antonius. Dissimulavit Antonius, qui non ob aliud detulerat ori primam honestatis laudem, nisi quod sciret illum velut æmulum suæ gloriæ, diversam partem nominaturum. Post dies aliquot cum rursus uterque vocatus esset ad idem convivium, ingressus Antonius offendit æmulum cum aliis aliquot confabulantem, dum adornatur cœna: & aversus emisit clarum ventris crepitum ante faciem alterius. Ille indignatus, Abi, inquit, scurra, ubinam didicisti mores istos? Tum Antonius, Etiam indignaris inquit? Si te salutassem ore, resalutasses: nunc te saluto parte corporis, vel te judice, omnium honestissima, & scurra vocor. Sic recuperavit prius amissam gloriam Antonius. Diximus omnes, nunc superest ut pronuntiet judex. GE. Id faciam, sed non prius, quam suum quisque cyathum ebiberit. En auspicor: sed lupus in fabula. PO. Haud lævum omen adfert [2] Levinus Panagathus. *Levi.* Quid actum est inter tam lepidos congerrones? PO. Quid aliud? Certatum est fabulis, donec lupus intervenires. *Levi.* Huc igitur adsum, ut perficiam fabulam: volo vos omnes cras apud me prandere prandium Theologicum. GE. Scythicum promittis convivium. *Levi.* [3] Αὐτὸ δείξει. Nisi fatebimini hoc fuisse vobis fabuloso convivio jucundius, non recuso dare pœnas in cœna. Nihil jucundius, quam cum serio tractantur nugæ.

1 Prava imitatio loci Plautini, quem attulimus ad Epithalamium *P. Ægidii.*

2 *Levinus Panagathus*] Levinus seu Livius Belgis *Lieven* quasi dicas, dilectus, adamatus. Flandris præcipue & Zelandis familiare nomen. πανάγαθος autem Græcis omnino bonus, optimus: a πᾶς omnis & ἀγαθὸς bonus.

PUERPERA.

EUTRAPELUS, FABULLA.

EV. Salva sit optima Fabulla. FA. Salve multum, Eutrapele. Sed quid tandem novæ rei accidit, quod nunc salutator insolens adveneris, quem hoc triennio toto nemo nostrum vidit? EV. Dicam; forte præteriens has ædes, vidi cornicem obvinctam candido linteo: demirabar quid esset caussæ. FA. Adeone hospes es in hac regione, ut ignores hoc esse symbolum puerperii in ædibus? EV. Eho, an non prodigium est videre cornicem albam? Sed extra jocum, sciebam maxime: verum suspicari non potui, te puellam vixdum ingressam decimum sextum annum, tam mature didicisse difficillimam artem gignendi liberos, quam ægre discunt quædam ante annos triginta. FA. Ut tu semper es quod diceris, [4] Eutrapele? EV. Ut nunquam deest Fabullæ fabula! Demiranti igitur commodum occurrit Polygamus. FA. Is qui nuper extulit uxorem decimam? EV. Is ipse; sed quod te fugit, opinor, rursum tam ambitiose procum agit, quasi hactenus vixerit cælebs. Hic percunctanti quid accidisset novæ rei, Muliebre corpus, inquit, in his ædibus per medium sectum est in duo. Ob quod, inquam, facinus? Si verum est, inquit, quod rumore populari jactatur, heic materfamilias sustinuit deglubere maritum suum: simulque cum risu subduxit sese. FA. Homo crasse facetus. EV. Ego me protinus intro conjicio, tibi felicem partum gratulaturus. FA. Salutem mihi gratulare, si voles, Eutrapele; felicem partum tum gratulaberis, cum quod enixa sum videris de se præbere specimen boni viri. EV. Pie tu quidem & vere, mea Fabulla. FA. Nullius Fabulla sum, nisi Petronii. EV. Uni quidem Petronio paris; at non uni vivis, opinor. Cæterum hoc quoque gratulor, quod puerum enixa es. FA. Sed quas ob caussas felicius judicas peperisse masculum, quam fœminam? EV. Quin tu potius, Fabulla Petronii, (jam enim vereor, mea, dicere) illud mihi expedis, quas ob caussas vos magis gaudetis peperisse masculos, quam fœminas? FA. Quid aliæ sentiant, nescio; ego nunc me gaudeo peperisse masculum, quia sic visum est Deo: si maluisset ille puellam, maluissem & ipsa. EV. An putas Deo tantum esse otii, ut etiam parturientibus obstetricetur? FA. Quid agat ille potius, Eutrapele, quam ut propagatione servet quod condidit? EV. Quid agat, ô bona? Imo, ni Deus esset, non arbitror suffecturum tot negotiis. Exsulat [5] Christiernus Danorum rex, pius Euangelii fautor: [6] Franciscus Galliarum rex hospes est Hispaniarum, nescio quam ex ipsius animi sententia, vir certe dignus meliore fortuna: [7] Carolus molitur monarchiæ proferre pomœria: [8] Ferdinandus rerum suarum satagit in Germania: [9] Bulimia pecuniarum urget aulas omnes: periculosos motus [10] concitant agricolæ, nec tot stragibus ab instituto deterrentur: populus meditatur anarchiam: periculosis factionibus collabitur ecclesiæ domus: hinc atque hinc distrahitur illa Jesu tunica inconsutilis. Vinea Domini non ab uno jam apro vastatur; simulque periclitatur sacerdotum cum decimis auctoritas, Theologorum dignitas, monachorum majestas: nutat confessio, vacillant vota, labascunt leges Pontificiæ: vocatur in discrimen eucharistia, exspectatur An-

3 *Αὐτὸ δείξει*] Id est, ipsa res indicabit.

4 *Eutrapele*] Ab εὐτράπελος, *facetus, dicax*, ab εὖ & τρέπω, *verto.*

5 *Christiernus Danorum*] Est hic Christiernus seu Christianus secundus, qui anno 1523. cum uxore Isabella Caroli V. sorore & quinque parvis liberis thesauro regio secum ablato Hafniæ navem conscendit & viginti navibus se in Hollandiam contulit, cum tamen regnum facile tueri posset: plebs enim illi addictissima. Reversus in Daniam a Frederico primo quatuordecim annos captivus detentus in insula Alsena: postmodo jure suo cedens privatus obiit anno 1559.

6 *Franciscus Galliarum*] Cum captus esset a Carolo V. in Paviensi prælio.

7 *Carolus molitur monarchia*] Certe a longo tempore non major Carolo V. princeps: utpote qui maximorum regnorum & nobilissimarum provinciarum possessor per Europam, Africam & Asiam victricia arma circumtulit.

8 *Ferdinandus rerum*] Est hic Ferdinandus Caroli V. frater primum annitente fratre in Regem Romanorum electus, postmodo & hoc mortuo Cæsar.

9 *Bulimia*] Summa fames.

10 *Concitant agricolæ*] Rusticorum ille tumultus, præcipuo instigatore Thoma Munzero, in Franconia, Suevia vicinisque regionibus, quo omne & infandum nefas perpetratum, refertur ad annum 1525.

Antichristus; totus orbis parturit nescio quid magni mali.
Interim superant & imminent Turcæ, nihil non populatu-
ri, si successerit quod agunt: & tu rogas quid agat potius?
Imo tempus arbitror, ut suo quoque regno prospiciat in
tempore. FA. Quod hominibus videtur maximum, id for-
tasse videtur Deo nullius momenti. Sed ab hac fabula Dei
personam, si vis, secludamus. Dic quæ te caussæ moveant,
ut felicius existimes peperisse catulum, quam catellam. EV.
Piæ mentis est, hoc judicare optimum, quod dedit Deus
citra controversiam optimus. Verum si Deus tibi daret po-
culum crystallinum; nonne maximas ageres gratias? FA.
Agerem. EV. Quid si idem daret vitreum; num pares age-
res? Sed vereor ne tibi molestiam adferam pro solatio, hæc
apud te philosophans. FA. Imo Fabullæ nihil est jam a fa-
bulis periculi. Jam quartam hebdomadem decumbo: sa-
tisque valeo vel ad luctam. EV. Quin igitur e nido provolas?
FA. Vetuit rex. EV. Qui rex? FA. Imo tyrannus. EV. Qui
quæso? FA. Syllaba dicam, mos. EV. Heu quam iste rex
multa præter æquum exigit! Pergamus igitur philosopha-
ri de crystallo, & vitro. FA. Marem, uti conjicio, natura
præstantiorem, ac firmiorem judicas, quam fœminam. EV.
Sic arbitror. FA. Nimirum viris auctoribus. Num igitur
viri vivaciores sunt, quam fœminæ? Num a morbis im-
munes? EV. Nequaquam, sed in genere viribus antecel-
lunt. FA. Sed ipsi rursus superantur a camelis. EV. Imo
prior creatus est masculus. FA. Prior conditus est Adam,
quam Christus. Et solent artifices in posterioribus se ipsos
vincere. EV. At Deus mulierem viro subjecit. FA. Non
statim melior est qui imperat: & nuptam subjicit, non fœ-
minam: ac rursus nuptam ita subjicit, ut cum utrique sit po-
testas alterius, mulierem tamen velit viro morem gerere,
non ut præstantiori, sed ut ferociori. Dic, Eutrapele, uter
infirmior, qui cedit alteri, an cui ceditur? EV. Tibi quidem
heic cedam, si mihi declararis, quid senserit Paulus, scri-
bens Corinthiis, cum viri *caput* dicit esse *Christum*, [1] *mulieris
caput virum*: rursus, cum virum dicit imaginem & gloriam
Dei; mulierem gloriam viri. FA. Istud expediam, si mihi
declararis, an solis viris datum sit esse membra Christi. EV.
Absit: id quidem datum est omnibus hominibus per fidem.
FA. Qui fit igitur, ut caput unum cum sit, non habeatur o-
mnibus membris commune? deinde, cum Deus hominem
fingeret ad imaginem sui, utrum hanc imaginem expresse-
rit in corporis figura, an in animi dotibus? EV. In animi do-
tibus. FA. At in his quid tandem habent viri nobis præcel-
lentius? In utro sexu plures sunt temulentiæ, rixæ, pugnæ,
cædes, bella, rapinæ & adulteria? EV. At soli viri bellum
gerimus pro patria. FA. Sed iidem sæpius deserto loco tur-
piter fugitis: nec semper pro patria, sed frequentius pro sor-
dido salariolo deseritis uxorem, & liberos, & pejores gladia-
toribus, ultro corpora vestra traditis in servilem necessita-
tem vel moriendi, vel occidendi. Jam ut maxime jactes
mihi virtutem bellicam; nemo vestrum, si semel esset ex-
pertus quid sit parere, non mallet decies in acie stare, quam
subire semel, quod nobis toties est experiendum. In bello
non semper venitur ad manus, & si venitur, non in quavis
exercitus parte discrimen est. Tui similes disponuntur in
acie media, alius est in subsidiis, alius tuto sedet [2] post prin-
cipia; denique plurimos servat deditio & fuga: nobis comi-
nus cum morte conflictandum est. EV. Ista non nunc pri-
mum audio; verum suntne hæc vera quæ dicuntur? FA. Ni-
mirum vera. EV. Visne igitur, Fabulla, ut marito tuo per-
suadeam, ne posthac te contingat? Nam eo pacto tuta fue-
ris ab isto discrimine. FA. Equidem nihil malim, si possis.
EV. Quid præmii feret otator hic, si persuaserit? FA. Dabo
decem linguas bubulas fumo duratas. EV. Istas malim, quam
decem linguas lusciniarum. Non rejicio conditionem: ve-
rum contractum hunc ratum esse nolim prius, quam inter-
cesserit stipulatio. FA. Addatur, si libet, & si qua est alia cau-
tio. EV. Id fiet ex animi tui sententia post mensem exactum.
FA. Quin potius nunc fit ex animi mei sententia? EV. Di-
cam: quia vereor ne post mensem non sit eadem animi tui
sententia. Itaque & tibi solvendum esset duplex præmium,
& mihi duplex esset sumenda opera, persuadendi, ac dissua-
dendi. FA. Age, fiat ut voles. Sed interim perge demonstra-
re, quare viri sexus sit præstantior fœmineo. EV. Video te

1 *Mulieris caput virum*] Exstat locus Pauli 1 Cor. 11. vers. 3. 7.
2 *Post principia*] Alludit ad dictum Thrasonis in Eunucho Terentii, Act. 4. Scen. 7.

A meditatam hanc monomachiam: quam ob rem in præsen-
tia quidem consultius arbitror tibi concedere. Congrediar
alias, sed armatus, nec absque subsidiario milite. Nam ubi
lingua res geritur, ne septem quidem viri pares sunt uni fœ-
minæ. FA. Nimirum hoc telo armavit nos natura: quan-
quam ne vos quidem elingues estis. EV. Fortassis: sed ubi
puellus? FA. In conclavi proximo. EV. Quid illic? coquit
olus? FA. Nugator, apud nutricem est. EV. Quam mihi
nutricem narras? an est alia nutrix, quam ea quæ mater est?
FA. Quid ni? vulgo fit. EV. Pessimum mihi nominas au-
ctorem rei bene gerendæ *vulgum*, Fabulla. Vulgo peccant,
vulgo luditur alea, vulgo commeatur ad fornices, vulgo
fraudatur, potatur, insanitur. FA. Sic amicis visum est: cen-
suerunt enim, parcendum huic ætati tam teneræ. EV. At-
B qui si natura dedit vires ad concipiendum, haud dubie dedit
& ad lactandum. FA. Probabile quidem est. EV. Dic mi-
hi, nonne sentis, esse dulcissimum matris vocabulum? FA.
Sentio. EV. Itaque si fieri posset, patereris aliam mulierem
esse matrem tui partus? FA. Minime gentium. EV. Cur
igitur volens plusquam dimidiatum matris nomen transfers
in fœminam alienam? FA. Bona verba, Eutrapele; non di-
vido filium; sola, totaque sum mater. EV. Imo heic tibi,
Fabulla, reclamat in os ipsa natura. Cur terra dicitur omni-
um parens? an quod gignat tantum? imo multo magis quod
nutriat ea quæ genuit. Quod aqua gignit, in aquis educa-
tur. In terra nullum animantis aut plantæ genus nascitur,
quod eadem terra succo suo non alat: nec est ullum animan-
tis genus, quod non alat suos fœtus. Ululæ, leones, & vi-
C peræ educant partus suos; & homines suos fœtus abjiciunt?
Obsecro te, quid crudelius iis qui prolem educationis tædio
dicuntur exponere; FA. Abominanda dicis. EV. Atqui
non perinde factum abominantur homines. [3] An non expo-
sitionis genus est, infantulum tenerum, adhuc a matre ru-
bentem, matrem spirantem, matris opem ea voce implo-
rantem, quæ movere dicitur & feras, tradere mulieri, for-
tassis nec corpore salubri, nec moribus integris, denique cui
pluris sit pecuniæ pauxillum, quam totus infans tuus? FA.
Delecta est mulier salubri corporis temperatura. EV. Hoc
medici certius judicent, quam tu. Sed finge heic illam tibi
vel parem, vel aliquanto, si vis, superiorem: an nihil inter-
esse censes, utrum infans tenellus cognatum illum & fami-
D liarem hauriat succum, & calore jam assueto foveatur, an
alienis cogatur assuescere? Triticum in aliud solum jactum,
degenerat in avenam, aut siliginem: vitis in alium collem
translata, mutat ingenium: plantula revulsa a parente terra,
flaccescit, ac velut emoritur; eoque quantum fieri potest,
cum terra nativa transferunt. FA. Imo narrant plantas trans-
latas & insitas, exuere silvestre ingenium, & fructus edere
generosiores: EV. At non protinus ut natæ sunt, ô bona.
Veniet & olim hoc tempus, si Deus voluerit, ut adolescen-
tem tuum ableges ab ædibus, literis jam ac severioribus
disciplinis imbuendum, quæ functio patris est potius, quam
matris. Nunc ætas tenera fovenda est. Porro cum ad salu-
E britatem firmitatemque corporis plurimum refert qualis sit
alimonia, tum vero præcipue quo succo tenerum illud ac
molle corpusculum imbuatur. Nam heic quoque locum
habet illud Flacci dictum, *Quo semel est imbuta recens serva-
bit odorem Testa diu*. FA. De corpore non ita multum labo-
ro, modo sit animus qualem optamus. EV. Pie tu quidem,
sed parum Philosophice. FA. Quam ob rem? EV. Cur tu
igitur quoties concidis olus, quereris aciem cultri retusam
esse, & jubes exacui? Cur acum rejicis obtusa cuspide, cum
ea res non adimat artem? FA. Non deest ars, sed obstat in-
strumentum parum idoneum. EV. Cur quibus est opus ocu-
lorum acie, vitant lolium & cæpas? FA. Quia vitiant ocu-
F los. EV. Nonne animus est qui cernit? FA. Est; nam nihil
vident exanimes. Sed quid agat faber, vitiata securi? EV.
Agnoscis igitur corpus esse mentis organum? FA. Apparet.
EV. Et fateris, vitiato corpore non agere animum, aut in-
commodius agere? FA. Non dissimile veri dicis. EV. Age
vi-

3 *An non expositionis*] Apud Gellium lib. 12. cap. 1. Favorinus Philoso-
phus ita differit de hac materia matri puerperæ inter alia: *Oro te*, inquit,
*mulier sine eam totam integram esse matrem filii sui: quod est enim hoc con-
tra naturam imperfectum atque dimidiatum matris genus. peperisse, ac sta-
tim ab sese abjecisse? aluit in utero sanguine suo nescio quid, quod non vide-
ret; non alere nunc suo lacte quod videat, jam viventem, jam hominem,
jam matris officia implorantem? An tu quoque*, inquit, *putas naturam fœ-
minis mammarum ubera quasi quosdam nævulos venustiores, non liberorum
alendorum, sed ornandi pectoris causa dedisse?*

videor mihi nactus ingenium Philoſophicum. Finge igitur animum hominis demigrare in corpus galli gallinacei; num ederet vocem quam nunc edimus? Fa. Nequaquam. Ev. Quid obſtaret? Fa. Quia deſunt labra, dentes, & lingua ſimilis: nec epiglottis, nec tres adſunt cartilagines, a tribus motæ muſculis, ad quos pertinent nervi a cerebro demiſſi, nec fauces, nec os ſimile. Ev. Quid ſi in corpus ſuis? Fa. Grunniret ſuillo more. Ev. Quid ſi in corpus cameli? Fa. Caneret, ut canit camelus. Ev. Quid ſi in corpus aſini, quod evenit Apulejo? Fa. Ruderet, opinor, ut aſinus. Ev. Nimirum fatetur hoc ille, cum cuperet inclamare Cæſarem, contractis quantum potuit labris, vix O ſonuit; Cæſarem nullo pacto potuit exprimere. Idem cum fabulam auditam, ne excideret, deſcribere cuperet, damnavit cogitationem tam aſininam, cum ungulas intueretur ſolidas. Fa. Et merito. Ev. Ergo lippientibus oculis, minus videt animus: oppletis ſordibus auribus, minus audit: ubi cerebrum occupat pituita, minus olfacit: ubi ſtupet membrum, minus ſentit: ubi malis humoribus vitiata eſt lingua, minus guſtat. Fa. Negari non poteſt. Ev. Non ob aliud, niſi quia vitiatum eſt organum. Fa. Arbitror. Ev. Nec inficiaris, plerumque vitiari cibo potuque. Fa. Fateor; ſed quid iſtuc ad bonam mentem? Ev. Proinde quid lolium ad perſpicaces oculos? Fa. Quia vitiat organum animi. Ev. Probe reſpondes. Verum illud expedi: unde fit quod alius alio celerius intelligit, ac tenacius meminit? alius alio citius iraſcitur, aut moderatius odit? Fa. Sic conditus eſt animus. Ev. Non ſic elaberis. Unde fit, ut qui prius fuit ingenio celeri, felici memoria, poſtea fiat obliviosus ac tardus, ſive plaga, ſive caſu, ſive morbo, ſive ſenio? Fa. Tu nunc mihi videre ſophiſtam agere. Ev. Proin tu contra fac agas ſophiſtriam. Fa. Opinor hoc te velle dicere; quod animus quemadmodum cernit & audit per oculos & aures, ita per organa quædam intelligit, meminit, amat, odit, iraſcitur & placatur. Ev. Recte conjectas. Fa. Quæ tandem ſunt iſta organa? & ubi ſunt? Ev. Oculos ubi ſunt vides. Fa. Et aures, & nares, & palatum ubi ſit, ſcio. Et toto corpore contactum eſſe video, niſi cum ſtupor occupat membrum. Ev. Amputato pede, tamen intelligit animus. Fa. Intelligit; itidem & manu. Ev. At qui vehementem plagam accipit in tempus capitis, aut in occipitium, concidit mortuo ſimilis, omnique ſenſu ſuo vacat. Fa. Iſtuc aliquoties vidi. Ev. Ex hoc colligis, intra cranium eſſe intellectus, voluntatis ac memoriæ organa, minus quidem craſſa, quam ſunt aures & oculi, ſed tamen materialia. Quandoquidem & ſpiritus, quos habemus in corpore ſubtiliſſimos, corporales ſunt. Fa. An iſta quoque vitiantur cibo potuque? Ev. Maxime. Fa. Cerebrum procul abeſt a ſtomacho. Ev. Ita ſumma fumarii pars abeſt a foco; tamen illi ſi inſideas, ſenties vaporem. Fa. Non experiar. Ev. At ſi mihi non credas, ſciſcitare e ciconiis. Itaque refert qui ſpiritus, qui vapores a ſtomacho ſubvolent in cerebrum & in organa mentis. Nam hi ſi crudi ſint ac frigidi, recidunt in ſtomachum. Fa. Næ tu mihi metam diſtillatoriam deſcribis, qua ex floribus herbiſque ſuccum exhalantem excipimus. Ev. Haud ita male conjectas. Nam hepar, cui fel adhæret, ignis loco eſt; ſtomachus patella; cranium ſummæ metæ colophon, atque adeo, ſi vis, naſus fiſtulæ plumbeæ vice fungatur. Itaque ex hoc mutuo fluxu ac refluxu humorum, naſcitur fere quidquid eſt morborum, ut varie delabitur varius humor, nunc in oculos, nunc in ſtomachum, alias in ſcapulas, interim in cervicem, aliove. Quoque magis intelligas; Cur, qui vino immodico ſeſe ingurgitant, ſunt male memores? Qui cibis aluntur ſubtiliorum ſpirituum, minus torpent ingenio? Cur coriandrum memoriam emendat? Elleborus mentem purgat? Cur expletio vehemens epilepſiam adducit, quæ ſtuporem adfert ſimul omnibus ſenſibus, quemadmodum & ſomnus profundus? Denique, ut immodica ſitis aut inedia ingenii memoriæque vim elidit in pueris; ita cibus immodicus in pueris gignit ingenii ſtuporem, ſi credimus Ariſtoteli, nimirum igniculo mentis velut obruto ingeſta materia. Fa. Eſtne igitur corporeus animus, ut a rebus corporalibus afficiatur? Ev. Animi rationalis natura non corrumpitur quidem ipſa, ſed organis vitiatis impeditur illius vis & actio: velut artifex fruſtra valet arte, ſi deſtituatur idoneis inſtrumentis. Fa. Quanta, quave ſpecie eſt animus? Ev. Ridicule percunctaris de magnitudine aut figura, cum fatearis

A incorporeum. Fa. Ego corpus intelligo, quod ſentitur. Ev. Imo quæ non ſentiuntur, perfectiſſima ſunt, veluti Deus & Angeli. Fa. Audio Deum & Angelos ſpiritus appellari; at ſpiritum ſentimus. Ev. Hac voce literæ Sacræ ob rudes homines balbutiunt, mentem ſignificantes puram ab omni commercio rerum ſenſibilium. Fa. Quid igitur intereſt inter Angelum & animum? Ev. Hoc ipſum quod inter limacem & cochleam, aut, ſi mavis, teſtudinem. Fa. Corpus igitur domicilium eſt animi magis, quam inſtrumentum. Ev. Nihil vetat inſtrumentum, adjunctum dici domicilium. Atque hac quidem de re variant Philoſophorum ſententiæ. Sunt qui dicant corpus eſſe veſtem animæ, ſunt qui domicilium, ſunt qui inſtrumentum, ſunt qui harmoniam. Horum quodcunque B dixeris, conſequitur actiones animi, corporis affectionibus impediri. Primum, ſi quod veſtis eſt corpori, idem corpus eſt animo; quantum ad corporis valetudinem faciat veſtis, declaravit Hercules: ne quid de coloribus, aut pilorum pelliumque generibus referam. Cæterum an eadem anima ſufficiat pluribus corporibus deterendis, quemadmodum corpus multas deterit veſtes, viderit Pythagoras. Fa. Non incommodum foret, ſi juxta Pythagoram liceret, ut veſtibus, ita corporibus mutatoriis uti: ſic ut menſibus hibernis ſumeretur corpus obeſum, craſſæque texturæ; æſtivis, rarius & gracilius. Ev. Atqui parum, opinor, eſſet commodum; ſi quemadmodum multis veſtibus detritis, tandem & corpus deterimus; ita multis corporibus C detritis, tandem & anima ſeneſceret, deficeretque. Fa. Non ſane. Ev. Jam quemadmodum ad corporis ſalubritatem, agilitatemque refert, qua veſte ſit amictum; ita refert quod corpus circumferat anima. Fa. Profecto ſi corpus veſtis eſt animæ, video multos homines admodum varie cultos. Ev. Sic eſt. Et tamen nonnulla pars hujus rei ſita eſt in nobis, quam commode veſtiatur anima. Fa. Valeat igitur veſtis, dic aliquid de domicilio. Ev. Atqui ne, quod dico, tibi videatur commentum, Fabulla, ipſe dominus Jeſus [1] ſuum corpus *templum* appellat: Et Petrus Apoſtolus ſuum corpus [2] *tabernaculum* appellat. Nec defuerunt, qui corpus dixerunt *animæ ſepulcrum*, σῶμα dictum arbitrantes D quaſi [3] σῆμα: alii [4] *carcerem* mentis appellarunt, nonnulli *præſidium*, velut arcem munitam. Quorum animus eſt undequaque purus, in templo habitat. Qui non tenentur amore rerum corporalium, horum animus agit in tabernaculo, libenter exſiliturus, ſi vocet Imperator. Qui prorſus excæcati ſunt vitiis ſpurciſſimis, ut nunquam adſpirent ad auram libertatis Euangelicæ, horum animus jacet in ſepulcro. Cæterum, qui moleſte luctantur cum vitiis, nec adhuc poſſunt quod volunt, horum animus habitat in carcere, ſubinde clamans ad liberatorem omnium, [5] ***Educ de carcere animam meam, ut confiteatur nomini tuo, Domine.*** Qui graviter pugnant cum Satana, vigilantes & excubantes adverſus inſidias illius, qui circumit, ut leo, quærens quem devoret; horum E animus verſatur in præſidio, unde injuſſu Imperatoris non licet diſcedere. Fa. Si corpus eſt animi domicilium, plurimos video, quorum animus male habitet. Ev. Sic eſt, videlicet in ædibus perſtillantibus, opacis, ventis omnibus obnoxiis, fumoſis, pituitoſis, laceris, ac ruinoſis, denique putribus & infectis. Et tamen Cato primam felicitatis partem judicat, bene habitare. Fa. Tolerabilis res, ſi liceret in aliud immigrare domicilium. Ev. Emigrare non licet, niſi cum evocat locator. Verumtamen ſi non licet emigrare, licet arte curaque noſtra domicilium animi commodius reddere, quemadmodum in ædibus mutantur feneſtræ, attollitur ſolum, incruſtantur aut conveſtiuntur tabulatu parietes, ſitus igni ſuffituque purgatur. Id in ſenili corpore jam- F que ruinam minitante difficillimum eſt. Plurimum autem conducit, ſi puerile corpus ab ipſo protinus ortu, ſicut oportet, curetur. Fa. Tu quidem matrem ac nutricem medicam eſſe jubes. Ev. Plane jubeo, quod attinet ad delectum ac moderationem cibi, potuſque, motus, ſomni, bal-

1 *Suum corpus templum*] Verba Chriſti inter alia ubi corpus vocat templum allegorica hac reſponſione, exſtant Joan. 2. verſ. 19. *Deſtruite templum hoc & intra triduum excitabo illud.*

2 *Tabernaculum*] Quum ſciam cito futurum, ut deponam tabernaculum meum. Verba Petri 2 Epiſtol. 1. verſu 13. 14.

3 Vid. *Clementem* Alexandrinum Stromat. Lib. III. p. 433.

4 Adi *Senecam* Cap. XI. ad Helviam, & Epiſt. cxx.

5 *Educ de carcere*] Verba ſunt Davidis Saulum fugientis & ſpeluncæ ſe abdentis, Pſalmo 142. verſ. 8.

neorum, unctionum, frictionum, vestitus. Quam multos A esse censes, qui gravissimis morbis ac vitiis obnoxii sunt, epilepsiæ, gracilitati, imbecillitati, surditati, fractis lumbis, distortis membris, infirmo cerebro, stupori mentis, non ob aliud, nisi quod a nutricibus indiligenter curati sunt? Fa. Demiror, te non pro pictore factum fuisse Franciscanum, qui tam belle concioneris. Ev. Ubi te Claranam videro, tum ego tibi Franciscanus concionabor. Fa. Ego sane libens scire cupiam, quid sit anima, de qua tam multa audimus, dicimusque, cum nemo viderit. Ev. Imo nemo non videt, cui sunt oculi. Fa. Video pictas animas infantuli specie. Verum cur non adduntur alæ, quemadmodum Angelis? Ev. Quoniam delabentibus e cœlo fractæ sunt B alæ, si qua Socraticis fabulis habenda fides. Fa. Quo modo igitur subvolare dicuntur in cœlum? Ev. Quoniam fides & caritas faciunt, ut illis renascantur alæ. Has alas petebat ille, pertæsus domicilium sui corporis, dum clamat, 1 *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo & requiescam?* Nec enim alias alas habet anima, cum sit incorporea; nec ullam habet speciem, quæ corporis oculis sit conspicua; sed certius cernuntur ea quæ videmus animo. Credisne Deum esse? Fa. Maxime. Ev. At nihil minus videri potest, quam Deus. Fa. Videtur in rebus conditis. Ev. Itidem videtur animus ex actione. Si quæris, quid agat in corpore vivo, contemplare corpus exanime. Cum vides hominem sentire, cernere, audire, moveri, intelligere, meminisse, ratio- C cinari; certius vides animam adesse, quam nunc vides hunc cantharum: potest enim falli sensus unus; tot argumenta sensuum non fallunt. Fa. Proinde, si non potes ostendere animam, sic illam notis quibusdam pinge, quasi mihi velis describere Cæsarem, quem nondum vidi. Ev. Aristotelis definitio in promptu est. Fa. Quæ? Nam ajunt istum esse probum rerum omnium depictorem. Ev. Anima est actus corporis organici, physici, vitam habentis in potentia. Fa. 2 Cur actum vocat potius, quam iter aut viam? Ev. Non heic cavetur aurigis aut equitibus, sed animæ ratio definitur. Et *actum* vocat formam, cujus natura est agere, cum materiæ ratio sit pati. Omnis autem corporis motus naturalis ab animo proficiscitur. Est autem varius corporis motus. Fa. Intelligo. Sed cur addit organici? Ev. Quoniam D anima nihil agit, nisi per organa, hoc est, instrumenta corporis. Fa. Cur addit *physici*? Ev. Quia Dædalus frustra fingeret tale corpus. Ideoque addit, *vitam habentis in potentia*. Forma non agit in quidvis, sed in materiam capacem. Fa. Quid si Angelus immigraret in corpus hominis? Ev. Ageret quidem, sed non per organa naturalia, nec vitam daret corpori, si abesset anima. Fa. Habeone jam totam animæ rationem? Ev. Habes Aristotelicam. Fa. Equidem accepi celebrem esse Philosophum; & vereor ne sapientum centuriæ mihi scribant hæreseos dicam, si quid refrager. Alioqui quidquid adhuc dixit de anima hominis, competit in asinum & bovem. Ev. Imo in scarabeum quoque & limacem. Fa. Quid igitur interest inter animam bovis E & hominis? Ev. Qui dicunt animam nihil aliud esse, quam harmoniam qualitatum corporis, faterentur non ita multum interesse, videlicet harmonia soluta, perire animas utriusque. Ne ratione quidem distinguitur bovis ab hominis anima, sed quod boum minus sapit, quam hominum? quemadmodum videre est & homines, qui minus sapiunt quam bos. Fa. Næ isti bubulam habent mentem. Ev. Attamen illud ad te pertinet, quod pro testudinis qualitate, modulatior est harmonia. Fa. Fateor. Ev. Nec parvi refert ex quo ligno, quave figura sit facta testudo. Fa. Verisimile dicis. Ev. Nec ex quorumlibet animantium intestinis fiunt canoræ fides. Fa. Audivi. Ev. Atque hæ quidem ex aëris circumfusi madore aut siccitate laxantur, contra- F huntur, nonnunquam & rumpuntur. Fa. Istuc vidi non semel. Ev. Heic igitur potes opem præstare non vulgarem infantulo tuo, ut animus illius testudinem habeat bene temperatam, minimeque vitiatam, ne laxa sit segnitie, ne stridula sit iracundia, ne rauca sit temulentia. Nam hos affectus inserit in nobis nonnunquam educatio, victusque ratio. Fa. Admonitionem accipio; sed exspecto quo pacto tuearis Aristotelem. Ev. Ille quidem descripsit in genere animam animantem, vegetantem ac sentientem. Anima dat vitam, sed non protinus animal est, quod vivit. Vivunt enim & senescunt, & emoriuntur arbores, at non sentiunt: quamquam his quoque nonnulli sensum tribuunt stupidum. In adhæsis vix deprehenditur sensus, in spongia deprehenditur ab avulsoribus, in arboribus materiarum cæsores sensum comperiunt, si quid illis credimus. Ajunt enim, si palma ferias truncum arboris, quam velis cædere, quemadmodum fere solent materiarii, difficilius arbor inciditur, ut semet contraxit metu. Quod autem vivit, ac sentit, animal est. Nihil autem prohibet esse vegetabile, quod non sentit, veluti fungi, betæ, caules. Fa. Ista si vivunt utcunque, si sentiunt utcunque, si moventur cum adolescunt; quid prohibet eadem dignari animalis cognomine? Ev. Non ita visum est majoribus, neque nobis fas est ab illorum placitis discedere, ac ne refert quidem ad hoc, quod nunc agimus. Fa. Atqui non feram eandem esse animam scarabei & hominis. Ev. Non est eadem, ô bone, sed ratio quadantenus communis est. Animat, vegetat, sensibile reddit corpus tuum anima tua. Idem agit scarabei anima in suo corpore. Nam quod quædam aliter, aut aliud agit anima hominis, quam scarabei, partim in caussa est materia. Non canit; non loquitur scarabeus, quia caret organis ad hæc idoneis. Fa. Illud igitur dicis, si anima scarabei demigraret in corpus hominis, idem ageret quod agit anima humana. Ev. Imo ne si mens quidem angelica, quemadmodum dixi. Nihil autem interest inter Angelum & animam humanam, nisi quod hominis anima in hoc condita est, ut agat corpus humanum naturalibus organis instructum; quemadmodum anima scarabei non movet, nisi corpus scarabei: Angelus non in hoc conditus est, ut animet corpus, sed ut absque corporalibus organis intelligat. Fa. Num idem potest anima? Ev. Potest quidem a corpore semota. Fa. Non est igitur sui juris, dum est in corpore. Ev. Non profecto: nisi si quid accidat præter communem naturæ cursum. Fa. Verum tu mihi pro una anima plures animas effudisti, animantem, vegetantem, sensibilem, intelligentem, memorem, volentem, irascentem, concupiscentem. Mihi satis erat una. Ev. Ejusdem animæ diversæ sunt actiones: ex his varia sortiuntur cognomina. Fa. Non satis assequor quod dicis. Ev. At faciam ut assequaris. Tu in cubiculo es uxor, in officina es textrix aulæorum, in taberna es aulæorum venditrix, in culina es coqua, inter famulos & famulas es domina, inter liberos es mater: & tamen hæc omnia es eadem in domo. Fa. Satis tu quidem pingui Minerva philosopharis. Sic igitur est animus in corpore, quemadmodum ego in domo? Ev. Sic. Fa. Atqui dum ego texo in officina, non coquo in culina. Ev. Neque enim tu es anima tantum, sed anima corpus circumferens: corpus autem non potest simul pluribus inesse locis: anima quoniam est forma simplex, sic est in toto corpore, ut in singulis corporis partibus sit tota, quamvis non idem agat per omnes partes, nec eodem modo per quomodolibet affectas. Nam sapit ac meminit in cerebro, irascitur in corde, concupiscit in hepate, audit in auribus, cernit in oculis, olfacit in naribus, gustat in palato & lingua, sentit in omnibus partibus corporis, quæ nervaceum aliquid habent adjunctum. Neque enim sentit in pilis, nec summis unguibus: ac ne pulmo quidem per se sentit, nec hepar, fortasse nec lien. Fa. Proinde in quibusdam partibus animat tantum ac vegetat. Ev. Ita videtur. Fa. Si in uno homine facit hæc omnia eadem anima, consequitur, ut fœtus in utero materno statim ut augescit, quod est vitæ signum, simul & sentiat, & intelligat; nisi forte unius hominis initio plures sunt animæ, deinde de cæteris cedentibus, una peragit omnia. Ita ut primum homo fuerit planta, mox animal, postremo homo. Ev. Quod dicis, fortasse non absurdum videatur Aristoteli. Nobis probabilius est, simul cum vita infundi rationalem animam; sed quæ, velut igniculus, immersa materiæ supra modum humidæ, nondum queat exserere vires suas. Fa. Animus igitur illigatus est corpori, quod agit movetque? Ev. Non aliter quam testudo domui, quam circumfert. Fa. Eam movet quidem, sed sic, ut simul moveatur; quemadmodum gu-

1 Ps. LV. 7.

2 *Cur actum*] Actus Græcis est hoc loco ἐντελέχεια, vocabulum Philosophis peculiare: sed Fabulla detorquet ad Jurisconsultos, qui distinguunt inter iter, actum & viam. Actus enim illis spatium in agris. Minimus actus, teste Boëthio, quatuor pedibus in latitudinem, centum & viginti in longitudinem protenditur. Quadratus ex omni latere centum viginti pedibus concluditur: duplicatus ducentos quadraginta pedes explicat. Adito de significatu & discrimine vocum *actus, iter* & *via, Ægid. Menagium*, de Amœnitatibus Juris Civilis, c. XXXVI.

A gubernator flectit navem quo vult, sed ipse interim cum navi movetur. Ev. Imo quemadmodum sciurus volvit caveam rotatilem, mobilis interim & ipse. Fa. Sic & afficit anima corpus, ac vicissim afficitur? Ev. Sane quod ad operationes attinet. Fa. Ergo quod ad naturam pertinet, par est anima morionis, animæ Solomonis. Ev. Nihil absurdum. Fa. Itaque pares sunt & Angeli, quandoquidem carent materia, quæ parit, ut ais, inæqualitatem. Ev. Jam satis philosophiæ. Quin potius hæc Theologos torqueant: nos hoc agamus, quod cœpimus. Si tota mater esse vis, cura corpusculum infantuli tui, quo posteaquam sese explicuit ex vaporibus mentis igniculus, bonis & commodis organis utatur. Quoties audis puerum tuum vagientem, crede illum hoc abs te flagitare. Cum vides in pectore duos istos veluti fonticulos B turgidos, ac lacteo liquore vel suapte sponte manantes, crede naturam admonere te tui officii. Alioqui cum infans jam fari meditabitur, ac blanda balbutie te mammam vocabit, qua fronte hoc audies ab eo, cui mammam negaris, & ad conductitiam mammam relegaris, perinde quasi capræ aut ovi subjecisses? Ubi jam erit fandi potens, quid si te pro matre vocet semimatrem? Virgam expedies, opinor. Atqui vix semimater est, quæ recusat alere, quod peperit. Potior genituræ pars est nutricatio teneri puelli. Alitur enim non solum lacte, sed & fragrantia materni corporis; requirit eundem liquorem jam notum & familiarem, quem hausit in corpore, & unde coaluit. Atque ego quidem sum in hac sententia, ut existimem in pueris ex lactis natura & indolem vitiari, non aliter quam in frugibus & plantis, terræ succus C mutat ingenium ejus quod alit. An putas temere vulgo dici, *Iste malitiam cum lacte nutricis imbibit?* Ne illud quidem opinor, quod a Græcis dici solet, *Ut nutrices*: cum significant aliquem male pasci: paullulum enim præmansi in os inserunt infantis, maximam partem deglutiunt ipsæ. Proinde ne peperit quidem, quæ quod enixa est, mox abjicit. Istuc enim abortire est, non parere. Et in tales fœminas mihi competere Græcorum videtur etymologia, qui μήτης dici putant a μὴ τηρεῖν hoc est, a *non servando*. Nam prorsus conductitiam nutricem infantulo adhuc a matre tepenti adsciscere, genus est expositionis. Fa. Accederem, ni delecta esset mulier, in qua nihil desideres. Ev. Ut nihil referat, quod lac bibat mollis infantia, quam salivam cum præ- D manso cibo deglutiat; ut talis contigerit nutrix, qualem haud scio an ulla reperiatur; an putas ullam esse, quæ nutricationis omne tædium devorare possit, quemadmodum mater? sordes, assessiones, vagitus, morbos, servandi nunquam satis diligentem curam? Si est quæ pariter amet ut mater, erit quæ pariter curet. Quin & illud fiet, ut segnius amet te filius, nativa illa caritate velut in duas matres distracta: nec tu simili pietate duceris erga filium, ut jam grandior minus libenter sit obtemperaturus jussis tuis; & tu frigidius illius curam habitura, in cujus moribus fortasse videbis nutricem. Præcipuus autem discendi gradus est, mutuus inter docentem ac discentem amor. Ergo si nihil decesserit illi nativæ pietatis fragrantiæ, facilius illi instillabis præcepta recte vi- E vendi. Neque enim heic parum valet mater, vel ob hoc, quod materiam tractet mollissimam, & in omnia sequacem. Fa. Ut video, non tam facilis est res peperisse, quam vulgus existimat. Ev. Si mihi parum habes fidei, en tibi Paulus aperte de muliere loquens: *Salva*, inquit, 1 *fiet per liberorum generationem*. Fa. Salva est igitur quæ peperit? Ev. Nequaquam; sed addit, *si liberi permanserint in fide*. Nondum absolvisti genitricis munus, nisi primum tenerum corpusculum filii, mox animum æque mollem, recta educatione finxeris. Fa. Atqui istuc matribus in manu non est, ut filii perseverent in pietate. Ev. Fortassis; sed tantum habet momenti vigilans admonitio, ut Paulus existimet matribus im- F putandum, si liberi degenerent a piis moribus. Denique, si præstiteris quod in te situm est, Deus opem suam conjunget cum tua diligentia. Fa. Mihi quidem, Eutrapele, tua persuasit oratio, si queas idem persuadere parentibus & marito. Ev. Istuc ad me recipio, modo tu me tuo juves suffragio. Fa. Polliceor. Ev. Sed licetne videre puellum? Fa. Licet maxime. Heus Syrisca, voca nutricem una cum infante. Ev. Scitus admodum puer. Vulgo dicitur, *veniam deberi primum experienti*. At tu prima statim experientia summam artis expressisti. Fa. Non est sculptilis imago, ut arte sit opus. Ev. Verum; sed fusile sigillum est. Utcunque res habet, felicissime cecidit: utinam pari felicitate cadant imagines, quas intexis aulæis! Fa. At tu contra felicius pingis, quam gignis. Ev. Sic visum est naturæ cum omnibus paria facere. Quam sollicita est natura, ne quid pereat! Duos homines in uno repræsentavit: nasus & oculi patrem referunt; frons ac mentum matrem exprimunt.. An tu posses hoc tam carum pignus alienæ fidei concredere? Mihi bis crudeles videntur esse, quæ id facere sustinent. Quandoquidem non solum faciunt id infantis, quem ablegant, periculo; verum etiam suo; propterea quod in his lac aversione corruptum, sæpenumero periculosos morbos parit. Itaque fit, ut dum unius formæ corporis consulunt, parum consulant duorum corporum vitæ: dumque cavent, ne contingat præproperum senium, conjiciunt sese in mortem præproperam. Quod est inditum puero nomen? Fa. Cornelius. Ev. Hoc erat nomen avi paterni. Utinam virum integerrimum & moribus nobis referat! Fa. Dabitur opera, quod quidem in nobis erit. Sed heus Eutrapele, unum quiddam obnixe te rogarim. Ev. Imo puta me tuum esse mancipium; imperabis & impetrabis quæ voles. Fa. Proinde non prius te manumittam, quam hoc mihi beneficium cœptum absolvas. Ev. Quodnam? Fa. Ut præscribas mihi primum, quibus rationibus queam infantis valetudini consulere: deinde cum erit firmior, quibus rudimentis ad pietatem præparandus sit rudis animus. Ev. Id faciam lubens, pro mea quidem sapientia; sed proximo colloquio: nunc orator adeo maritum ac parentes. Fa. Precor exorator ut fies.

Peregrinatio Religionis ergo.

MENEDEMUS, OGYGIUS.

Me. Quid hoc novæ rei? Nonne Ogygium vicinum meum video, jam totos sex menses non visum cuiquam? Interisse rumor erat. Ipsus est, nisi prorsus hallucinor. Adibo ac salvere jubebo. Salvus sis, Ogygi. Og. Salve & tu, Menedeme. Me. Quæ regio te nobis reddidit incolumem? Nam tristis rumor heic sparserat, te navigasse Stygiam paludem. Og. Imo, gratia superis, sic interim valui, ut vix unquam antehac melius. Me. Ita semper vanitatis coarguas ejusmodi rumores. Sed quid istuc ornatus est? obsitus es conchis imbricatis, stanneis ac plumbeis imaginibus oppletus undique, culmeis ornatus torquibus; brachium habet ova serpentum. Og. Visi divum Jacobum Compostellanum, & hinc reversus, Virginem Parathalassiam apud Anglos percelebrem: quin potius hanc revisi: nam ante annos tres inviseram. Me. Animi gratia ut arbitror. Og. Imo religionis caussa. Me. Istam, opinor, religionem docuerunt te Græcæ literæ. Og. Mater uxoris voto sese obstrinxerat, ut si filia peperisset masculum vitalem, ego divo Jacobo præsens præsenti salutem dicerem & gratias agerem. Me. Salutasti divum tuo dumtaxat, & socrus nomine? Og. Imo totius familiæ verbis. Me. Equidem arbitror nihilo minus salutis futurum fuisse familiæ, etiamsi Jacobum insalutatum reliquisses. Sed obsecro, quid respondit agenti gratias? Og. Nihil, sed offerenti munus, visus est arridere, & capite leviter annuere; simulque porrexit hoc imbricatum putamen. Me. Cur ista potius donat, quam alia? Og. Quoniam his abundat, suggerente vicino mari. Me. O benignum divum, qui & obstetricatur parturientibus, & operam dat hospitibus! Verum quodnam istuc novum vovendi genus, ut otiosus aliis laborem imponat aliquis? Si tu te voto adstringeres, ut si quod ageres feliciter cederet, ego jejunarem bis in hebdomade, an credis me facturum quod vovisses? Og. Non credo, etiam si tu ipse tuo nomine vovisses. Nam tibi divis os oblinere ludus est. At socrus est; mos gerendus erat. Nosti mulierum affectus, & mea quoque referebat. Me. Si non præstitisses votum, quid erat periculi? Og. Non poterat me divus vocare in jus, fateor: sed poterat in posterum esse surdus ad vota mea, aut tacitus aliquid calamitatis immittere in meam familiam. Nosti principum mores. Me. Dic mihi, quid valet agitque vir optimus Jacobus? Og. Multo frigidius solito. Me. Quid est in caussa? senium? Og. Nugator, scis divos non senescere. Verum hæc nova persuasio, quæ late per orbem divagatur, facit infrequentius salutetur solito: & si qui veniunt, salutant tantum, nihil aut quam minimum donant, dictitantes eam pecuniam rectius collocari in egenos. Me. Impia persuasio! Og. Itaque tantus Apostolus, qui solebat totus gemmis & auro fulgere,

1. *Fiet per liberorum generationem*] Locus exstat 1 Tim. 2. 15.

nunc stat ligneus, vix sebaceam habens candelam. Me. Si verum est, quod audio, periculum est, ne reliquis divis idem veniat usu. Og. Imo circumfertur epistola, quam hac de re scripsit ipsa Virgo Maria. Me. Quæ Maria? Og. Quæ cognomen habet a lapide. Me. Apud Rauracos, ni fallor. Og. Ea est. Me. Lapideam igitur divam mihi narras. Sed cui scripsit? Og. Nomen ipsa indicat epistola. Me. Per quam missa est? Og. Haud dubie quin per Angelum, qui posuerat scriptam in suggesto, unde concionatur is ad quem scripta est. Et ne quid fraudis suspiceris, videbis epistolam [1] *αὐτόγραφον*. Me. Itane agnoscis manum Angeli, qui est virgini ab epistolis? Og. Quid ni? Me. Quo tandem argumento? Og. Legi [2] Epitaphium Bedæ, quod ab Angelo insculptum est: elementorum figuræ per omnia congruunt. Legi & syngrapham divo [3] Ægidio missam: congruunt. An non hæc satis arguunt rem? Me. Fasne est inspicere? Og. Fas, si dejeres te taciturum. Me. Oh! lapidi dixeris. Og. Jam sunt & lapides hoc nomine infames, quod nihil celent. Me. Muto igitur dicito, si lapidi parum fidis. Og. Hac lege recitabo: tu fac utramque arrigas aurem. Me. Arrexi. Og. Maria mater Jesu Glaucopluto S. D. Quod Lutherum sequutus strenue suades, supervacaneum esse invocare divos, a me quidem isto nomine bonam magnamque inisti gratiam, scito. Nam antehac tantum non enecabar improbis mortalium opplorationibus. Ab una postulabantur omnia, quasi filius meus semper infans esset, quia talis fingitur, pingiturque in sinu meo, ut ex nutu matris adhuc pendeat, neque quidquam ausit negare petenti, videlicet metuens, ne si quid neget roganti, ego vicissim ipsi negem mammam sitienti. Et nonnunquam ea petunt a Virgine, quæ verecundus juvenis vix auderet petere a lena, quæque me pudet literis committere. Interim negotiator lucri caussa navigaturus in Hispaniam, committit mihi pudicitiam suæ concubinæ. Et virgo Deo sacra, abjecto velo fugam adornans, deponit apud me famam integritatis suæ, quam ipsa tendit prostituere. Occlamat mihi miles impius, & ad lanienam conductus, *Beata virgo da prædam opimam.* Occlamat aleator, *Fave diva; pars lucri tibi decidetur.* Et si parum faveat alea, me conviciis lacerant, maleque precantur, quæ non adfuerim sceleri. Occlamat, quæ quæstui turpi semet exponit, *Da proventum uberem.* Si quid negem, illico reclamat, *Ergo ne sis mater misericordiæ.* Aliorum vota non tam impia sunt, quam inepta. Clamat innupta: *Maria, da mihi formosum ac divitem sponsum.* Clamat nupta: *Da mihi bellos catulos.* Clamat gravida: *Da mihi facilem partum.* Clamat anus: *Da diu vivere sine tussi sitique.* Clamat senex delirus: *Da repubescere.* Clamat Philosophus: *Da nodos insolubiles nectere.* Clamat sacerdos: *Da sacerdotium opimum.* Clamat Episcopus: *Serva meam ecclesiam.* Clamat nauta: *Da prosperos cursus.* Clamat præfectus: *Ostende mihi filium tuum antequam moriar.* Clamat aulicus: *Da vere confiteri in mortis articulo.* Clamat rusticus: *Da tempestivam pluviam.* Clamat rustica: *Serva gregem & armentum incolume.* Si quid renuo, illico sum crudelis. Si relego ad filium, audio: *Vult ille quidquid tu vis.* Itane ego sola & mulier, & virgo, dabo operam navigantibus, belligerantibus, negotiantibus, ludentibus aleam, nubentibus, parturientibus, satrapis, regibus & agricolis? Atqui quod dixi, minimum est præ his quæ patior. Sed his negotiis nunc multo minus gravor: quo quidem nomine tibi gratias agerem maximas, nisi commodum hoc, incommodum majus secum traheret: plus est otii, sed minus est honorum, minus est opum. Ante salutabar: *Regina cœlorum, Domina mundi:* nunc vix a paucis audio, *Ave Maria:* Ante vestiebar gemmis & auro, abundabam mutatoriis, deferebantur aurea gemmeaque donaria: nunc vix tegor dimidiato palliolo, eoque corroso a muribus. Proventus autem annui vix tantum est, ut alam miserum æditunm, qui accendat lucernulam aut candelam sebaceam. Atque hæc tamen poterant ferri, ni majora etiam moliri diceceris. Huc tendis, ut ajunt, ut quidquid usquam est divorum, exigas ex ædibus sacris. Etiam atque etiam vide quid agas. Non deest aliis divis quo suam ulciscantur injuriam. Ejectus e templo Petrus potest tibi vicissim occludere regni cœlestis ostium. Paulus habet gladium. Bartholomæus cultro armatus est; Gulielmus sub pallio monachi totus armatus est, non sine gravi lancea. Quid autem agas cum Georgio, & equite & cataphracto, hasta simul & gladio formidabili? Nec inermis est Antonius; habet sacrum ignem. Sunt item & cæteris sua vel arma, vel mala, quæ quibus volunt, immittunt. Me vero quantumvis inermem, non tamen ejicies, nisi simul ejecto filio, quem ulnis teneo. Ab hoc non me patiar divelli: aut hunc una mecum extrudes, aut utrumque relinques, nisi mavis habere templum sine Christo. Hæc te scire volui: tu cogita, quid mihi respondendum censeas. Nam mihi plane res cordi est. Ex æde nostra lapidea, Calendis Augusti, anno filii mei passi 1524. Virgo lapidea mea manu subscripsi. Me. Minax profecto ac formidabilis epistola. Cavebit, opinor, Glaucoplutus. Og. Si sapit. Me. Quam ob rem non eadem de re scripsit huic optimus ille Jacobus? Og. Nescio, nisi quod longius abest, & his temporibus intercipiuntur omnes epistolæ. Me. Sed quis Deus te redegit in Angliam? Og. Ventus illuc invitabat mire secundus, atque id propemodum eram pollicitus divæ Parathalassiæ, me post biennium ipsam revisurum. Me. Quid petiturus ab illa? Og. Nihil novi, nisi illa vulgaria, familiam incolumem, rem uberiorem, longævam lætamque vitam in hoc seculo, & perennem felicitatem in futuro. Me. Non poterat eadem præstare Virgo mater apud nos? Habet Antverpiæ templum longe augustius, quam in Parathalasso. Og. Haud nego posse, verum aliis in locis alia largitur; sive sic visum est animo illius, sive, ut est benigna, semet in hoc, nostris affectibus accommodat. Me. De Jacobo frequenter audivi: sed obsecro te, describe mihi regnum istius Parathalassiæ. Og. Equidem expediam quam potero paucissimis. Celeberrimum nomen est per universam Angliam, nec temere reperias in insula, qui speret res suas fore salvas, qui illam quotannis aliquo munusculo pro facultatum modulo salutarit. Me. Ubi habet? Og. Ad extremum Angliæ finem, inter Occidentem & Septentrionem, haud procul a mari, passuum fere tribus millibus: Vicus est vix alia re victitans, quam commeantium frequentia. Collegium est Canonicorum, sed quibus a Latinis *regulæ* cognomen additur; medium genus inter monachos, & canonicos, quos *seculares* appellant. Me. Amphibios mihi narras; quod genus est fiber. Og. Imo & crocodilus. Sed omissis cavillis, tribus verbis expediam quod vis. In odiosis canonici sunt, in favorabilibus monachi. Me. Adhuc mihi quidem ænigma refers. Og. Quin addam Apodixim mathematicam. Si Romanus Pontifex fulmine feriat omnes monachos, tum canonici fuerint, non monachi: Sin idem permittat omnibus monachis uxorem ducere; tum fuerint monachi. Me. O novos favores: utinam abducant & meam! Og. Sed ut ad rem: Collegium hoc vix alios habet proventus, quam ex liberalitate Virginis. Nam majora quidem donaria servantur. Cæterum si quid est nummorum, aut levioris pretii, cedit in alimoniam gregis & præfecti, quem illi *Priorem* vocant. Me. Probæ vitæ? Og. Non illaudatæ; pietate diviores, quam annuo censu. Templum est nitidum & elegans; verum in eo non habitat Virgo, sed illud honoris gratia cessit filio. Illa suum habet templum, ut dextra sit filio. Me. Dextra? Quo igitur spectat filius? Og. Bene mones. Cum occidentem spectat, dextram habet matrem: ubi se vertit ad Solis exortum, sinistra est. Nec heic tamen habitat; nondum enim ædificium est absolutum, & locus est undique perflabilis, patentibus ostiis, patentibus fenestris; & in propinquo est Oceanus ventorum pater. Me. Durum ubi igitur habet illa? Og. In eo templo, quod inabsolutum dixi, est sacellum angustum, ligneo tabulatu constructum, ad utrumque latus, per angustum ostiolum admittens salutatores. Lumen est exiguum, nec fere nisi ex cereis; fragrat odor naribus gratissimus. Me. Hæc omnia congruunt religioni. Og. Imo si introspicias, Menedeme, dicas divorum esse sedem, adeo gemmis, auro, argentoque nitent omnia. Me. Accendis animum, ut eo me conferam.

Og.

1 *Αὐτόγραφον*] Id est, ab ipsa scriptam: quemadmodum oracula dicuntur *αὐτόφωνα*, ab ipso Deo reddita voce. Virgil. *Ipsa canas oro.*

2 *Epitaphium Bedæ*] Beda hic natione Britannus, ob eruditam modestiam Venerabilis cognominatus. Exstant ejus plurima ingenii monumenta insignia. Sub Joanne sexto Pontifice claruit. Corpus, Volaterrano teste, Genuæ conditum: Ibidemque Epitaphium, secundum quosdam, ab Angelo insculptum.

3 *Ægidio missam*] Narratur de Carolo Magno, qui quum desperaret veniam admissorum, S. Ægidius impetravit syngrapham ab Angelo, continentem hunc versiculum:

Ægidii merito Caroli peccata remitte.

A Og. Haud pœnituerit itineris. Me. Nihil eſt illic olei ſacri? Og. Inepte. Oleum iſtud non reſudat niſi e ſepulcris divorum, velut Andreæ & Catharinæ. Maria ſepulta non eſt. Me. Erravi, fateor. Sed abſolve fabulam. Og. Quo latius ſe ſpargat religio, alia aliis locis oſtenduntur. Me. Et fortaſſe ut uberior ſit largitio, juxta illud. *Fit cito per multas præda petita manus.* Og. Et nuſquam non præſto ſunt myſtagogi. Me. Ex canonicis? Og. Nequaquam: illi non adhibentur, neque per occaſionem religionis alienentur a religione, ac dum obſervant virginem, parum ipſi conſulant ſuæ virginitati. Tantum in intimo ſacello, quod dixi conclave divæ Virginis, adſtat altari canonicus quidam. Me. In quem uſum? Og. Ut recipiat ſervetque quod da-
B tur. Me. An dant qui nolint? Og. Minime; ſed nonnullos pius quidam pudor huc adigit, ut dent adſtante quopiam, non daturi ſi teſtis abeſſet: aut largius dant aliquanto, quam erant daturi. Me. Affectum humanum dicis, & mihi non inexpertum. Og. Imo vero ſunt quidam adeo dediti ſanctiſſimæ Virgini, ut dum ſimulant ſeſe munus imponere altari, mira dexteritate ſuffurentur, quod alius poſuerat. Me. Fac nullum adſtare; an non in tales illico fulminaret Virgo? Og. Qui magis id faceret Virgo, quam ipſe Pater æthereus, quem non verentur nudare ſuis ornamentis, vel perfoſſo templi pariete? Me. Non ſatis mihi conſtat, utrum magis debeam admirari, illorumne impiam confidentiam, an Dei lenitatem. Og. Ad latus itaque Septentrionale, porta
C quædam eſt, non templi, ne quid erres, ſed ſepti, quo tota clauditur area templo adjacens. Ea oſtiolum habet perpuſillum, quale videmus in valvis nobilium, ut qui velit ingredi, primum tibiam periculo exponere cogatur, deinde caput etiam ſubmittat. Me. Profecto tutum non fuerit ad hoſtem ingredi per tale oſtiolum. Og. Recte conjectas. Narrabat myſtagogus olim virum equeſtris ordinis, equo inſidentem, per hoc oſtium elapſum e manibus inimici, qui jam fugienti imminebat. Ibi miſer deſperans ſui, ſubita cogitatione ſalutem ſuam commendavit divæ Virgini, quæ erat in proximo. Nam ad hujus aram fugere decreverat, ſi valva patuiſſet. Et ecce rem inauditam. Subito totus eques erat intra ſepta templi, altero fruſtra foris inſaniente. Me. Et fa-
D ciebat tam admirandæ narrationis fidem? Og. Maxime. Me. Id quidem non admodum facile apud te hominem Philoſophum. Og. Oſtendebat in oſtio laminam cupream clavis affixam, quæ habebat imaginem equitis ſervati, eoque cultu quo tum Anglica gens utebatur, quem & in vetuſtioribus picturis videmus: quæ ſi non mentiuntur, frigebant id ætatis tonſores, & qui pannos tingunt ac texunt. Me. Qui ſic? Og. Quia barbatus erat non aliter quam capræ; & univerſa veſtis nullam habebat rugam, adeoque non erat major corpore, ut strictu corpus ipſum redderet anguſtius. Erat & altera lamina, cellæ figuram ac magnitudinem referens. Me. Jam dubitare fas non erat. Og. Subter oſtiolum erat cratis ferrea, quæ peditem tantum tranſmitteret. Non con-
E veniebat, ut equus poſt eum calcaret locum, quem prior eques Virgini conſecraſſet. Me. Et merito. Og. Hinc ad Orientem eſt ſacellum prodigiis plenum: eo me confero. Excipit alius myſtagogus. Illic oravimus paulliſper. Mox exhibetur nobis articulus humani digiti, e tribus maximi: exoſculor: deinde rogo, cujus ſint reliquiæ. Ait, Sancti Petri. Num Apoſtoli, inquam? Ajebat. Deinde contemplans magnitudinem articuli, qui gigantis videri potuerit: Oportuit, inquam, Petrum fuiſſe virum prægrandi corpore. Ad hanc vocem e comitibus quidam in cachinnum ſolutus eſt: id certe moleſte tuli. Nam ſi is ſiluiſſet, æditiuus nos nihil celaſſet reliquorum. Eum tamen utcunque placavi-
F mus, datis aliquot drachmis. Ante ædiculam erat tectum, quod ajebat hiberno tempore, cum nix obtexiſſet omnia, eo ſubito fuiſſe delatum e longinquo. Sub eo tecto putei duo ad ſummum pleni: fontis venam ajunt eſſe ſacram divæ Virgini; liquor eſt mire frigidus, efficax medicando capitis ſtomachique doloribus. Me. Si frigida medetur doloribus capitis & ſtomachi, poſthac & oleum exſtinguet incendium. Og. Miraculum audis, ô bone: alioqui quid eſſet miraculi, ſi frigida ſedaret ſitim? Me. Et iſta ſane eſt una pars fabulæ. Og. Affirmabant eum fontem derepente proſiliiſſe e terra juſſu ſanctiſſimæ Virginis. Ego cuncta diligenter circumſpiciens, rogabam quot eſſent anni, quod ea domuncula fuiſſet eo deportata: dixit aliquot ſecula. Alio-
A qui parietes, inquam, non præ ſe ferunt aliquid vetuſtatis. Non repugnabat. Ne columnæ quidem hæ ligneæ: Non negabat eſſe nuper poſitas, & res ipſa loquebatur. Deinde hæc, inquam, tecti culmea arundineaque materia videtur eſſe recentior. Aſſentiebatur. Ac ne trabes quidem hæ, inquam, tranſverſæ, nec ipſa tigna quæ culmos ſuſtinent, videntur ante multos annos poſita. Annuebat. Atqui cum jam nulla caſæ pars ſupereſſet; unde igitur conſtat, inquam, hanc eſſe caſulam illam e longinquo delatam? Me. Obſecro quomodo ſeſe ab hoc nodo expediebat æditiuus? Og. Scilicet incunctanter ille oſtendit nobis pervetuſtam urſi pellem tignis affixam; ac propemodum irriſit noſtram tarditatem, qui ad tam manifeſtum argumentum non haberemus oculos.
B Itaque perſuaſi, & tarditatis culpam deprecati, vertimus nos ad cœleſte lac beatæ Virginis. Me. O matrem filii ſimillimam! ille nobis tantum ſanguinis ſui reliquit in terris; hæc tantum lactis, quantum vix credibile eſt, eſſe poſſe uni mulieri uniparæ, etiamſi nihil bibiſſet infans. Og. Idem cauſſantur de cruce Domini, quæ privatim ac publice tot locis oſtenditur, ut ſi fragmenta conferantur in unum, navis onerariæ juſtum onus videri poſſint; & tamen totam crucem ſuam bajulavit Dominus. Me. An non tibi quoque mirum videtur? Og. Novum fortaſſe dici poſſit, mirum nequaquam, cum Dominus, qui hæc auget pro ſuo arbitrio, ſit omnipotens. Me. Pie tu quidem interpretaris: at ego vereor ne multa talia fingantur ad quæſtum. Og. Non arbitror
C Deum paſſurum, ſi quis ipſum ad iſtum irrideat modum. Me. Imo cum a ſacrilegis ſpoliatur & mater & filius & pater & ſpiritus, ne tantulum quidem ſeſe commovent interdum, ut vel nutu, vel crepitu deterreant ſceleſtos. Tanta eſt numinis lenitas. Og. Sic eſt: ſed audi reliqua. Id lac ſervatur in altari ſummo; in cujus medio Chriſtus, ad dextram mater, honoris gratia. Lac enim matrem repræſentat. Me. Conſpicuum eſt igitur. Og. Videlicet incluſum cryſtallo. Me. Liquidum igitur. Og. Quid liquidum mihi narras, cum fuſum ſit ante annos mille quingentos? Concretum eſt; dicas cretam tritam, alboque ovi temperatam. Me. Quin igitur nudum oſtentant? Og. Ne contaminetur virorum oſculis lac virgineum. Me. Probe dicis. Nam ſunt,
D opinor, qui os admoveant nec purum, nec virgineum. Og. Ubi nos videt myſtagogus, accurrit, lineam veſtem induit, ſacram ſtolam addidit cervici, procubuit religioſe, & adoravit: mox nobis lac ſacroſanctum oſculandum porrexit. Heic in extremo altaris gradu religioſe procubuimus & ipſi; Chriſtoque primum ſalutato, Virginem oratiuncula tali, quam in hoc ipſum pararam, appellavimus: *Virgo parens, quæ tuis virgineis uberibus lactare meruiſti cœli terræque dominum filium tuum Jeſum, optamus, ut illius ſanguine purificati, proficiamus & nos ad felicem illam infantiam columbinæ ſimplicitatis; quæ neſcia malitiæ, fraudis ac doli, lac Euangelicæ doctrinæ concupiſcit aſſidue, donec proficiat in virum perfectum, in menſuram plenitudinis Chriſti, cujus felici conſor-*
E *tio frueris in æternum, cum Patre & Spiritu Sancto Amen.* Me. Pia ſane deprecatio. Quid illa? Og. Viſus eſt uterque annuere, niſi me fallebant oculi. Nam ſubſilire videbatur ſacrum lac, & candidior aliquanto affulgebat euchariſtia. Interim myſtagogus ad nos acceſſit, tacitus quidem, ſed ta[?]ellam porrigens, qualem apud Germanos afferunt, qui in pontibus [1] telos exigunt. Me. Equidem ſæpenumero male precatus ſum illis petacibus tabellis, cum per Germaniam iter facerem. Og. Dedimus drachmas aliquot, quas ille obtulit Virgini. Mox per interpretem ejus linguæ pulcre peritum, & juvenem blandæ cujuſdam eloquentiæ (nomen erat, ni fallor, Robertus Aldriſius) percunctatus ſum,
F quam potui civiliſſime, quibus argumentis cognitum haberet, hoc eſſe lac Virginis. Id ego ſane pio ſtudio ſcire cupiebam, quo poſſem impiis quibuſdam hæc omnia ridere ſolitis, os obturare. Primum myſtagogus obducta fronte obticuit: juſſi ut interpres inſtaret; ſed blandius etiam. Ille vero blandiſſime, adeo ut ſi matrem ipſam nuper puerperam talibus verbis appellaſſet, non fuerit ægre latura. At myſtagogus tanquam afflatus numine quopiam, nos intuens oculis ſtupentibus, ac velut horrore vocem blaſphemam exſecrantibus. Quid opus, inquit, iſta percunctari, cum habeatis tabulam authenticam? Et omnino videbatur nos ut hæreticos ejecturus, niſi drachmæ deliniſſent hominis fe-

1 *Telos*] Τίλος. Id eſt, tributum, ſive vectigal. Belg. *Tol*.

A rociam. Me. Quid vos interim? Og. Nos? quid censes? Non aliter quam fuste icti, aut fulmine tacti, nosmet illinc subduximus, suppliciter audaciæ veniam comprecati: sic enim convenit in rebus sacris. Inde proficiscimur ad ædiculam, hospitium divæ Virginis. Huc euntibus aperit sese quidam hierophanta ex illis Minoribus; nosque veluti noscitans intuetur: aliquantulum progressis occurrit alius, itidem contemplans nos: post etiam tertius. Me. Fortasse cupiebant te pingere. Og. At ego longe diversum suspicabar. Me. Quid istuc? Og. Sacrilegum quempiam suppilasse non nihil ex mundo sacræ Virginis, & in me suspicionem intentam esse. Itaque sacellum ingressus, tali precatiuncula saluto matrem Virginem: *O sola fœminarum omnium mater & virgo, mater felicissima, virgo purissima; nunc te puram impuri visimus, salutamus, donariolis nostris utcunque colimus: utinam donet nobis Filius tuus, ut sanctissimos tuos mores imitantes, mereamur & nos per Spiritus Sancti gratiam spiritualiter Dominum Jesum intimis animi visceribus concipere, semelque conceptum nunquam amittere. Amen.* Simulque exosculatus aram, deposui drachmas aliquot, & abii. Me. Quid heic Virgo? Nullone nutu dedit signum auditæ precatiunculæ? Og. Lumen, ut dixi, erat ambiguum, & illa stabat in tenebris ad dextrum latus altaris. Postremo me sic dejecerat oratio prioris mystagogi, ut non auderem oculos attollere. Me. Istius igitur profectionis non erat admodum lætus exitus. Og. Imo multo lætissimus. Me. Reddidisti animum: nam mihi quoque [1] cor in genua deciderat, ut tuus loquitur Homerus. Og. A prandio repetimus templum. Me. Audebas, suspectus sacrilegii? Og. Fortasse; sed ipse mihi suspectus non eram. Nescit pavorem mens sibi bene conscia. Trahebat me tabulæ visendæ cupiditas, ad quam mystagogus nos relegarat. Eam diu quæsitam tandem invenimus: verum in alto defixam, ut non a quibuslibet oculis legi posset. Mihi tales sunt oculi, ut nec lynceus dici possim, nec omnino lusciosus. Itaque legentem Aldrisium oculis obiter assectatus sum, nec illi satis fidens in re tanta. Me. Excussa est omnis dubitatio? Ev. Puduit me mei, qui subdubitassem; adeo res tota illic ponebatur ob oculos, nomen, locus, res ut erat ordine gesta: breviter, nihil omissum. Dictus est Gulielmus Lutetiæ natus, vir pius cum alias, tum præcipue religiosus in conquirendis toto orbe divorum reliquiis. Is peragratis regionibus plurimis, monasteriis ac templis undique lustratis, tandem pervenit Constantinopolim. Nam hujus Gulielmi frater illic agebat Episcopum. Is jam adornantem reditum, admonuit esse virginem quandam Deo dicatam, quæ lac haberet virginis matris: abunde felicem futurum si vel precario, vel pretio, vel arte portionem aliquam posset nancisci. Nam cæteras reliquias omnes, quas hactenus collegerat, nihil esse ad tam sacrum lac. Ibi Gulielmus non conquievit, donec exorat dimidium ejus lactis. Eo thesauro plus quam Crœsus sibi videbatur. Me. Quid ni? & quidem præter spem. Og. Recta domum properat: in itinere morbus occupat. Me. Ut nihil est in rebus humanis, nec diu, nec undiquaque felix! Og. Ubi videt periculum, accersit clam Gallum, fidissimum ejus peregrinationis comitem. Et religiose stipulatur silentium: committit illi lac, ea lege, ut si incolumis domum redeat, deponat eum thesaurum in ara divæ Virginis, quæ colitur [2] Lutetiæ in Augusto templo, utrinque Sequanam præterlabentem intuens: & amnis ipse videtur honoris gratia decedere numini Virginis. Ut rem in pauca conferam, sepultus est Gulielmus; alter properat, & hunc morbus corripit. Is desperans sui, tradit Anglo comiti lac, sed multis obtestationibus adstricto, ut faceret quod fuerat ipse facturus. Moritur hic; recipit ille, & in aram deponit lac, canonicis ejus loci præsentibus, qui tum

1 *Cor in genua*] Ex Iliados ο, *Τάρβησαν. πᾶσιν δὲ παραὶ ποσὶ κάππεσε θυμός*. Id est, *Expaverunt: omnibus autem in pedes decidit animus.*

2 *Lutetiæ in Augusto*] Designat auctor templum cathedrale Lutetiæ, Mariæ sacrum, cujus descriptionem Merula exhibet, Cathedrale D. Virginis, jactis a Philippo Augusto fundamentis anno 1191. serio ædificari cœptum est anno 1257. Joanne Kalensi Latomo, regnante Ludovico ex Galliæ miraculis præcipuum, columnis 130. sustinetur. Longitudo passuum 174. Latitudo 60. altitudo 100. Chorus lapide cinctus; historiis ex V. & N. T. insculptis, quas anno 1351. absolutas inscriptio loquitur. In ambitu habet sacella 45. ferreis calathris munita. Universim portæ 11. In fronte tres biforæ statuis 28. Regum insignes. Ad latera turres videntur seu moles verius campanariæ, altitudine 35. cubitorum. Campana maxima, cui a Maria Virgine cognomen, viginti viros flagitat pulsanda: sonitus sereno cœlo per septem leucas auditur.

temporis adhuc dicebantur *Regulares*, quales adhuc sunt apud Divam [3] Genovefam. Ab his impetravit lactis dimidium. Id delatum in Angliam, tandem in Parathalassium detulit, huc vocante mentem illius afflatu spiritus. Me. Pulcre certe sibi constat hæc narratio. Og. Imo ne qua residere posset dubitatio, adscripta erant nomina Episcoporum a suffragiis, qui lac illud invisentibus non absque munusculo, tantum impartierunt relaxationis, quantum ex suo dimenso largiri possunt. Me. Quantum id est? Og. Dierum quadraginta. Me. Etiam apud inferos dies est? Og. Certe tempus est. Me. Ubi totum hoc dimensum semel fuerint elargiti, non superest quod largiantur? Og. Minime. Subscatet enim subinde quod dent, ac plane diversum quiddam accidit heic atque in dolio Danaidum. Illud enim B cum continenter impleatur, semper tamen inane est: hinc si semper haurias, nihilo tamen minus est in dolio. Me. Si centum hominum millibus largiantur quadraginta, singuli tantundem habent? Og. Tantundem. Me. Et si qui ante prandium acceperunt quadraginta, rursus sub cœnam poscerent quadraginta, præstone esset quod daretur? Og. Imo si hora eadem decies. Me. Utinam mihi tale scriniolum esset domi; non optarim nisi tres drachmas, modo sic scateant. Og. Quin optas ut totus fias aureus, tantundem accepturus ex voto. Verum ad fabulam redeo. Addebatur & illud pii cujusdam candoris argumentum: lac Virginis, quod aliis compluribus in locis ostendebatur, satis quidem esse venerandum; hoc tamen cæteris esse venerabilius; C quod illa abraderentur a saxis, hoc ex ipsis Virginis uberibus effluxisset. Me. Unde id constabat? Og. Oh! narrarat hoc Virgo Constantinopolitana, quæ lac dederat. Me. Et illi fortasse communicarat divus Bernadus. Og. Sic arbitror. Me. Cui natu grandi contigit gustare lac ex eadem mamma, quam suxit puer Jesus. Unde miror, illum mellifluum dici potius, quam lactifluum. Sed quomodo lac Virginis dicitur, quod non fluxit ex uberibus? Og. Fluxit & illud, sed saxo, cui forte lactans insidebat, exceptum concrevit; deinde volente Deo sic multiplicatum est. Me. Recte. Perge. Og. His itaque peractis, dum paramus abitum, obambulantes interim, & si quid offerretur spectatu dignum circumspectantes, rursum adsunt mystagogi, limis D intuentur, digito subnotant, accurrunt, abeunt, recurrunt, nutant, videbantur compellaturi si fuisset audaciæ satis. Me. Nihil ibi metuebas? Og. Imo faciem illis obverti, sic arridens & intuens, quasi ad compellandum invitarem. Tandem unus aggressus, rogat quod mihi nomen esset? edo. Num is essem qui ante biennium affixisset votivam tabellam literis Hebraicis? Fatebar esse me. Me. Scribis Hebraice? Og. Minime; sed isti quidquid non intelligunt, Hebraicum vocant. Mox accersitus, ut conjicio, venit illius collegii [4] πρῶτος ὕστερος. Me. Quod istuc dignitatis nomen est? Non habent Abbatem? Og. Non. Me. Cur ita? Og. Quia nesciunt Hebraice. Me. Non Episcopum? Og. Nequaquam. Me. Quam ob rem? Og. Quia Virgo pauperior etiamnum est, quam ut emat pedum ac mitram nimio venalem. Me. Non saltem Præpositum? Og. Ne id E quidem. Me. Quid obstat? Og. Quia Præpositus dignitatis est nomen non sanctimoniæ. Et ideo canonicorum collegia nomen Abbatis rejiciunt, Præpositi libenter amplectuntur. Me. Atqui πρῶτον ὕστερον ante hac audivi nunquam. Og. Næ tu magnopere rudis es grammatices. Me. ὑστερόπρωτον novi in tropis. Og. Tenes. Hic qui Priori proximus est, Prior est posterior. Me. Subpriorem dicis. Og. Is me salutavit satis humaniter. Narrat quantopere sudatum sit a multis, ut versus eos legerent: quot frustra extersa perspicilla. Quoties advenisset aliquis vetustus Theologiæ, aut Juris doctor, adductus est ad tabellam: alius dicebat esse literas Arabicas, alius ficticias: tandem F repertus est qui legeret titulum. Is descriptus erat verbis ac literis Romanis; sed majusculis. Græci versus erant descripti Græcis majusculis; quæ prima specie videntur referre majusculas Latinas. Rogatus descripsi sententiam carminum Latine, verbum verbo reddens. Hujus opellæ cum præmio-

3 *Divam Genovefam*] Digitum intendit Erasmus in templum Petri & Pauli, quod Lutetiæ videre est, anno 499. a Clodoveo ædificatum, hortatu Genovefæ, quæ ibi sepulta anno 521. prius Canonicorum Secularium, post a Ludovico Crasso Regularium factum. Turris anno 1483. fulmine conflagravit.

4 *Πρῶτος ὕστερος*] Id est, *primus & posterus.*

miolum oblatum constanter recusarem, affirmans nihil esse tam arduum, quod in Virginis sanctissimæ gratiam non essem cupidissime facturus, etiamsi literas juberet illinc perferre Hierosolymam. Me. Quid opus te grammatophoro, cum illi tot Angeli adsint a manibus atque a pedibus? Og. Ille protulit e crumena ligni fragmentum defectum e trabe, in qua Virgo mater visa est consistere. Odor mirus, protinus arguebat esse rem oppido sacram. Ego vero tam insigne munus pronus & nudato capite, summa cum veneratione terque quaterque exosculatus, reposui in crumenam. Me. Licetne videre? Og. Per me quidem licebit. Cæterum si jejunus non es, aut si nocte proxima fuit tibi res cum uxore, non suaserim ut videas. Me. Ostende: nihil periculi. Og. En tibi. Me. O te beatum isto munere! Og. Ego, ne sis insciens, non permutarim hoc tantillum fragmentulum cum universo auro Tagi: includam auro, sed sic ut per crystallum pelluceat. Tum Hysteroprotus ubi me videt tam religiose gestientem eo munusculo, judicans non indignum, cui majora quoque committerentur? rogat, num quando vidissem secreta Virginis. Ea vox me nonnihil commovit; non tamen ausus sum percunctari, quæ diceret secreta Virginis. Siquidem in rebus tam sacris, etiam linguæ lapsus non vacat periculo. Nego me vidisse, sed videndi cupidissimum esse dico. Inducor jam velut afflatus numine: accenditur una atque altera tæda cerata: ostenditur imaguncula, nec magnitudine, nec materia, nec opere præcellens, sed virtute pollens. Me. Moles non multum habet momenti ad edenda miracula. Vidi Christophorum Lutetiæ, non hamaxiæum aut colossæum, sed monti justo parem; nullis tamen illic miraculis nobilem, quod quidem audierim. Og. Ad pedes Virginis est gemma, cui nondum apud Latinos aut Græcos nomen inditum: Galli a buffone dederunt nomen, eo quod buffonis effigiem sic exprimat, ut nulla ars idem possit efficere. Quoque majus est miraculum, pusillus est lapillus; non prominet buffonis imago, sed in ipsa gemma velut inclusa pellucet. Me. Fortassis imaginantur buffonis similitudinem, quemadmodum in secta filicis stirpe imaginamur aquilam. Et quemadmodum pueri, quid non vident in nubibus? dracones ignem spirantes, montes igni candentes, armatos concurrentes. Og. Imo ne sis nesciens, nullus buffo vivus, evidentius exprimit seipsum, quam illic erat expressus. Me. Hactenus pertuli fabulas tuas; posthac alium quære, cui persuadeas de buffone. Og. Nihil mirum est, Menedeme, te sic affectum esse. Nec mihi quisquam persuasurus erat, etiamsi totus ordo Theologorum asseverasset, nisi his oculis, hisce, inquam, oculis vidissem, intuitus essem, comperissem. Sed interim mihi videris satis incurius rerum naturalium. Me. Quam ob rem? Quia non credo volare asinos? Og. An non vides, quam ludat artifex natura in omnium rerum coloribus ac formis exprimendis, cum aliis quidem in rebus, sed præcipue in gemmis? deinde quam admirandas vires gemmis illis indiderit, prorsus incredibiles, ni cominus experientia faceret nobis fidem? Dic mihi, crediturus eras chalybem intactum a magnete attrahi, & rursus ab eodem depelli sine contactu, nisi vidisses oculis? Me. Profecto nunquam, etiam si decem Aristoteles mihi dejerassent. Og. Ne protinus igitur fabulosum clames, si quid audis nondum experimento compertum. In [1] ceraunia fulminis videmus imaginem, in [2] pyropo vivum ignem; in [3] chalazia grandinis & speciem & rigorem, etiamsi conjicias in medium ignem: in [4] smaragdo profundas ac pellucidas maris undas: [5] carcinias, cancri marini speciem imitatur: [6] echites, viperæ: [7] scarites, scari piscis; [8] hieracites, accipitris; [9] geranites, gruis collum effictum exhibet; [10] ægophthalmus, caprinum oculum ostendit: est qui suillum, est qui tres simul hominis oculos: [11] lycophthalmus, lupi pingit oculum, quatuor coloribus, rutilo & sanguineo, in medio nigrum candido cingitur: [12] cyameam nigram si aperias, fabam in medio reperies; [13] dryites, truncum arboris effingit, & ligni in modum ardet quoque: [14] cissites & [15] narcissites hederam pingit: [16] astrapias, fulminis radios e medio candido seu [17] cyaneo jaculatur; [18] phlegontites, incendium intus ostendit, quod non exeat: in [19] anthracitide videas scintillas quasdam discurrere: [20] crocias, croci colorem reddit; [21] rhodites rosæ; [22] chalcites, æris; [23] aëtites, aquilam exprimit, cauda candicante: [24] taos, pavonis picturam habet; [25] chelidonia, aspidis: [26] myrmecites, innatam habet formicæ repentis imaginem: [27] cantharias, scarabeum totum exprimit: [28] scorpites, scorpium mire depingit. Sed quid ego hæc persequor, quæ sunt innumera; cum nulla sit naturæ pars vel in elementis, vel in animantibus, vel in plantis, quam illa veluti lasciviens non expresserit in gemmis? Miraris in hac gemma buffonem expressum? Me. Miror naturæ tantum esse otii, ut sic ludat omnium rerum imitatione. Og. Voluit exercere curiositatem humani ingenii, nosque vel sic ab otio propellere. Et tamen quasi nihil sit, quo fallamus tædium temporis, insanimus in moriones, in alcas, in præstigiarum ludibria. Me. Verissima prædicas. Og. Addunt quidam non leves, hoc gemmarum genus si admoveas aceto, innatare motis etiam membris. Me. Cur buffonem addunt Virgini? Og. Quia hæc spurcitiem omnem, virulentiam, fastum, avaritiam & quidquid est terrenarum cupiditatum, vicit, calcavit, extinxit. Me. Væ nobis, qui tantum buffonum geramus in pectore! Og. Puri erimus, si sedulo colamus Virginem. Me. Quomodo gaudet coli? Og. Gratissimum illi cultum præstiteris, si fueris imitatus. Me. Numero dixisti, sed istuc perdifficile est. Og. Est sane, sed idem pulcherrimum. Me. Age, perge quod cœperas. Og. Deinde commonstrat aureas argenteasque statuas. Hæc, inquit, mere aurea est, hæc argentea inaurata: addit singulis pondus, pretium, ac doni auctorem. Cum ad singula mirabundus gratularer Virgini tam beatam opulentiam; mystagogus, Quoniam, inquit, video te pium spectatorem, non arbitror æquum, ut te quidquam celem; videbis quæ Virginis sunt secretissima; simulque depromit ex ipso altari mundum rerum admirabilium; cujus singulas partes si pergam recensere, dies hic non suffecerit narrationi. Sic illa sane peregrinatio mihi felicissime cessit. Expletus sum affatim spectaculis & hoc inæstimabile donum mecum aufero, pignus ab ipsa Virgine datum. Me. Nullumne fecisti periculum, quid valeat lignum tuum? Og. Feci: in diversorio quodam ante triduum, reperi quendam mente captum, cui jam parabantur vincula; lignum hoc suppositum est illius cervicali, clam ipso; obdormiit somno profundo pariter ac prolixo: mane surrexit integræ mentis. Me. Non fuerat phrenesis, sed [29] parœnia fortasse. Huic malo solet mederi somnus. Og. Cum libebit jocari, Menedeme, fac aliam tibi quæras materiam; in divos jocis ludere, nec pium est, nec tutum. Imo vir ipse narrabat sibi in somnis apparuisse mulierem admiranda specie, quæ poculum ipsi porrexerit. Me. Elleborum opinor. Og. Istuc incertum est; illud certissimum, hominem mentis esse com-

po-

1 *Ceraunia*] Seu Ceraunius lapis, *λίθος κεραύνιος*, qui a fulmine distringitur. Belg. *Blixem, of Dondersteen.*

2 *Pyropo*] *Pyropus*, sic dictus, ab igneo flammeove rubore. Gr. *πυρωπός*. Belg. *Robijn.*

3 *Chalazia*] *Chalazias*, gemma, quæ grandinum colorem & figuram habet, adamantinæ duritiæ, a *χάλαζα*, *grando.*

4 *Smaragdo*] *Smaragdus*, gemma est, virore oculos satians. Belg. *Esmaraude.*

5 *Carcinias*] *Carcinias*, gemma, sic dicta, a *καρκίνος*, *cancer.*

6 *Echites*] *Echites*, gemma colore viridi subobscuro, quandam viperæ similitudinem referens. ab *ἔχις*, *vipera.*

7 *Scarites*] *Scarites*, gemma, scari piscis refert colorem. Plinius lib. 37. cap. 10, 11.

8 *Hieracites*] Gemma a colore accipitris sic dicta. a Gr. *ἱέραξ*, *accipiter.*

9 *Geranites*] Lapis, a gruis collo sic dictus. a Gr. *γέρανος*, *grus.*

10 *Ægophthalmus*] Gemma, ab *αἶξ*, *capra*, & *ὀφθαλμὸς*, *oculus*. Th... *ὄπτομαι*, *video.*

11 *Lycophthalmus*] Ex *λύκος*, *lupus*, & *ὀφθαλμός.*

12 *Cyamea*, gemma sic dicta, a *κύαμος*, *faba.*

13 *Dryites*] Lapis seu gemma, sic dicta, a *δρῦς*, *quercus*, seu *arbor.*

14 *Cissites*] Gemma sic dicta, a *κισσὸς*, *hedera.*

15 *Narcissites*] Gemma quæ narcissi colorem habet; venis hederæ distincta.

16 *Astrapias*] Gemma sic dicta, ab *ἀστράπτω*, *fulguro.*

17 *Cyaneus*] Idem quod cæruleus, quod scil. cyani gemmæ colorem referat.

18 *Phlegontites*] Seu phlegontis, gemmæ species, a *φλέγω*, *uro.*

19 *Anthracitis*] gemma sic dicta, ab *ἄνθραξ*, *carbo.*

20 *Crocias*] A croco herba. Belg. *Saffraen.*

21 *Rhodites*] *Ῥόδον*, *rosa.*

22 *Chalcites*] A *χαλκὸς*, *æs.*

23. *Aëtites*] Ab *ἀετὸς*, *aquila.*

24 *Taos*] A Gr. *ταὼς*, *pavo.*

25 *Chelidonia*] Gemmæ nomen, a *χελιδὼν*, *hirundo.*

26 *Myrmecites*] A *μύρμηξ*, *formica.*

27 *Cantharias*] A *κάνθαρος*, *scarabeus.*

28 *Scorpites*] Gemma, a *σκορπίος*, *scorpius.*

29 *Parœnia*] Id est, deliratio ex vino.

potem. ME. Præteristi [1] Thomam Cantuariensem Archiepiscopum? OG. Minime gentium. Nulla peregrinatio religiosior. ME. Audire gestio, nisi molestum est. OG. Imo te quæso, ut audias: Cantium dicitur ea pars Angliæ, quæ Galliam & Flandriam spectat. Hujus metropolis est Cantuaria. In ea sunt duo monasteria pene contigua; utrumque Benedictinos habet. Id quod habet divi Augustini titulum, videtur antiquius: hoc quod nunc appellatur divi Thomæ, sedes Archiepiscopi fuisse videtur, ubi cum paucis electis monachis vitam ageret; quemadmodum & hodie præsules habent ædes ecclesiæ contiguas, sed ab ædibus reliquorum canonicorum semotas. Olim enim fere tum episcopi, tum canonici monachi erant. Id arguunt manifesta rerum vestigia. Templum autem divo Thomæ sacrum, tanta majestate sese erigit in cœlum, ut procul etiam intuentibus religionem incutiat. Itaque nunc suo splendore vicini luminibus officit, & locum antiquitus religiosissimum velut obscurat. Turres sunt ingentes duæ, procul veluti salutantes advenas, miroque nolarum æneарum boatu longe lateque regionem vicinam personantes. In vestibulo templi, quod est ad Austrum, stant saxo sculpti tres armati, qui manibus impiis virum sanctissimum trucidarunt: addita sunt gentis cognomina, Tusci, Fusci, Berri. ME. Cur tantum honoris habetur impiis? OG. Videlicet idem honoris habetur iis, quod habetur Judæ, Pilato, Caiphæ, cohorti militum sceleratorum, quos operose sculptos vides in auratis altaribus. Adduntur cognomina, ne quis posthac usurpet gloriæ caussa. Ingeruntur oculis, ne quis aulicus posthac injiciat manus vel in episcopos, vel in possessiones Ecclesiæ. Nam tres illi satellites a peracto facinore, versi sunt in rabiem; nec reddita mens est, nisi implorato Thomæ sanctissimi favore. ME. O perpetuam martyrum clementiam! OG. Ingressis aperit sese spatiosa quædam ædificii majestas. Ea pars quoslibet recipit. ME. Nihilne illic visendum? OG. Nihil præter structuræ molem, & libros aliquot columnis affixos, in quibus est Euangelium Nicodemi, & sepulcrum nescio cujus. ME. Quid deinde? OG. Cancelli ferrei sic arcent ingressum, ut conspectum admittant ejus spatii, quod est inter extremam ædem & chori, quem vocant, locum. Ad hunc conscenditur multis gradidus, sub quibus testudo quædam aperit ingressum ad latus Septemtrionale. Illic ostenditur altare ligneum divæ Virgini sacrum, pusillum, nec ulla re visendum, nisi monumento vetustatis, luxum hisce temporibus exprobrante. Illic vir pius dicitur extremum vale dixisse Virgini, cum mors immineret. In ara est cuspis gladii, quo præfectus est vertex optimi præsulis, ac cerebrum confusum, videlicet quo mors esset præsentior. Hujus ferri sacram rubiginem amore martyris religiose sumus exosculati. Hinc digressi subimus cryptoporticum: ea habet suos mystagogos: illic primum exhibetur calvaria martyris perforata, reliqua tecta sunt argento, summa cranii pars nuda patet osculo. Simul ostenditur plumbea lamina, Thomæ Acrensis titulum habens insculptum. Pendent ibidem in tenebris indusia cilicina, cingula, subligariaque, quibus antistes ille subigebat carnem suam, ipso adspectu horrorem incutientia, nobisque mollitiem ac delicias nostras exprobrantia. ME. Fortassis & monachis ipsis. OG. Istac de re nec affirmare possum, nec negare; nec refert quidem mea. ME. Vera narras. OG. Hinc redimus in chori locum. Ad latus Septemtrionale reserantur arcana: dictu mirum, quantum ossium illinc prolatum sit, calvaria, menta, dentes, manus, digiti, integra brachia: quibus omnibus adoratis, fiximus oscula; nec erat futurus finis, nisi qui mihi tum comes erat ejus peregrinationis parum commodus, interpellasset ostentandi studium. ME. Quis iste? OG. Anglus erat, nomine Gratianus Pullus, vir eruditus ac pius, sed minus affectus erga partem hanc religionis, quam ego volebam. ME. Viclevita quispiam, opinor. OG. Non arbitror; etiamsi libros illius legerat, incertum unde nactus. ME. Is offendit mystagogum? OG. Prolatum est brachium adhuc carnem habens sanguinolentam; hujus osculum exhorruit, ac vultu quoque tædium quoddam præ se ferebat. Mox sua recondidit mystagogus. Hinc spectavimus altaris tabulam & ornamenta, mox quæ sub altari fuerant recondita, opulenta omnia: diceres Midam & Crœsum fuisse mendicos, si spectares vim auri atque argenti. ME. Heic nihil osculorum? OG. Non, sed aliud votorum genus tetigit animum meum. ME. Quodnam? OG. Suspirabam domi meæ nihil esse talium reliquiarum. ME. Sacrilegum votum. OG. Fateor; & supplex veniam precatus sum a divo, priusquam pedem efferrem templo. Post hæc ducimur in sacrarium. Deus bone, quæ illic pompa vestium holosericarum, quæ vis candelabrorum aureorum! Ibidem vidimus pedum divi Thomæ. Videbatur arundo lamina argentea obvestita, minimum erat ponderis, nihil operis, nec altius quam usque ad cingulum. ME. Nulla crux? OG. Nullam vidi. Ostensum est pallium, holosericum quidem, sed crasso filo, nullo auro gemmisve insigne. Aderat & sudarium, sudoris ex collo contracti, manifestasque sanguinis notas retinens. Hæc vetustæ frugalitatis monumenta libenter sumus exosculati. ME. Ista non ostenduntur quibuslibet? OG. Nequaquam, ô bone. ME. Unde tibi tantum est habitum fidei, ut nihil arcani celaretur? OG. Erat mihi nonnihil notitiæ cum R.P. [2] Gulielmo Waramo Archiepiscopo; is me tribus verbis commendavit. ME. Ex multis audio virum singulari præditum humanitate. OG. Quin potius dicas ipsam esse humanitatem, si noris. Jam ea doctrina, ea morum sinceritas, ea vitæ pietas, ut nullam absoluti præsulis dotem in eo desideres. Ab his igitur deducimur ad superiora. Nam post altare summum, rursus velut in novum templum ascenditur. Illic in sacello quodam ostenditur tota facies optimi viri inaurata, multisque gemmis insignita. Heic casus quidam inopinatus pene totam illam felicitatem interturbavit. ME. Exspecto quid mali dicas. OG. Heic minimum iniit gratiæ comes meus Gratianus. Is a precatiuncula rogavit mystagogum assessorem: Heus, inquit, bone pater, verumne est quod audio, Thomam dum viveret, fuisse benignissimum erga pauperes? Verissimum, inquit ille; cœpitque multa de illius erga tenues beneficentia commemorare. Tum Gratianus: Non arbitror eum affectum in illo mutatum esse, nisi forte in melius. Assensus est mystagogus. Rursum ille: Cum igitur vir sanctissimus tam liberalis fuerit in egenos, cum [3] adhuc pauper esset, & ipse [4] præsidiis pecuniarum egeret, ob corpusculi necessitatem; an non putas æquo animo laturum nunc, cum tam opulentus sit, nec ullius egeat, si qua mulier paupercula, domi habens liberos famelicos, aut filias ob dotis inopiam de pudicitia periclitantes, aut maritum morbo decumbentem, omnibusque præsidiis destitutum, precata veniam, detrahat ex his tantis opibus aliquam particulam sublevandæ familiæ, velut a volente sumens vel dono, vel mutuo? Ad hæc cum nihil responderet assessor capitis aurei; Gratianus, ut est vehemens, Ego, inquit, plane confido sanctissimum virum etiam gavisurum, quod mortuus quoque suis opibus sublevaret inopiam pauperum. Ibi mystagogus corrugare frontem, porrigere labra, Gorgoneis oculis nos obtueri: nec dubito, quin sputo, conviciisque nos ejecturus fuerit e templo, nisi cognovisset nos ab Archiepiscopo commendatos. Equidem utcunque placavi blandis verbis iram hominis, negans Gratianum quidquam horum ex animo loqui, sed suo more ludere, simulque drachmas aliquot deposui. ME. Ego sane tuam pietatem vehementer adprobo. Verum mihi nonnunquam serio venit in mentem, quo colore possint excusari a crimine, qui tantum opum insumunt templis exstruendis, ornandis, locupletandis, ut nullus omnino sit modus. Fateor in sacris vestibus, in vasis templi, deberi cultui solemni suam dignitatem: volo & structuram habere majestatem suam. Sed quorsum attinent tot bapti-

ste-

1 *Thomam Cantuariensem*] Designat Thomam, ab Angliæ Rege exsilio mulctatum & postmodo circa annum 1164. capitali supplicio affectum: dein inter Divos relatum. Ejus festum semper recurrit III. Kal. Januar.

2 *Gulielmo Waramo*] Vixit hic Gulielmus Warham tempore Henrici octavi Angliæ Regis, cui cum aliquot aliis a secretis fuit. Angliæ Cancellarius & Cantuariensis Archiepiscopus, summo in honore defunctus est anno 1532. XI. Kal. Sept. paulo antequam Henricus clandestinas nuptias cum Anna Bullenia celebravit. Ei dicavit *Erasmus* suum *Hieronymum*, laudesque ejus, in Præfationibus, non semel deprædicat.

3 *Adhuc pauper*] Erat enim hic Thomas Beckettus patre Gisberto Becketto, matre peregrina e Syria oriunda, Londini natus, parentibus admodum tenui re constitutis. Irrepserat vero in familiam Theobaldi Cantuariensis Archiepiscopi: ab hoc (nescitur ob quas causas) ad Archidiaconatum Cantuariensem promotus, & tandem etiam liberorum Regiorum, ejusdem opera, institutor factus & mox Cancellarius, postremo Archiepiscopatum Cantuariensem post obitum Theobaldi est adeptus. Occisus est aunn CIↃ CLXXII. die 29. Decembris.

4 *Præsidiis pecuniarum*] Quippe apud Pontificem Romanum biennium, apud Regem Galliarum quinquennium, cum ex Anglia discessisset, quasi ex eleemosynis sustentatus est.

A steria, tot candelabra, tot statuæ aureæ? quorsum organorum, quæ vocant, immensi sumtus? nec unicis interim contenti sumus: quorsum ille musicus hinnitus, magno censu conducendus, cum interim fratres & sorores nostræ, vivaque Christi templa situ fameque contabescant? Og. In his quidem nemo vir pius ac prudens modum non desiderat: verum quoniam hoc vitium ex immodica quadam pietate nascitur, favorem promeretur, præsertim quoties in mentem venit diversus morbus istorum, qui templa suis opibus spoliant. Ista fere donantur a potentibus ac Monarchis, deterius peritura in aleam ac bellum. Et si quid hinc alienes, primum habetur pro sacrilegio: deinde contrahunt manus suas qui dare solent, insuper & invitantur ad rapinam. Igitur harum rerum magis illi custodes sunt, quam domini.

B Denique malim videre templum sacra supellectile luxurians, quam, ut sunt quædam, nuda, sordida, stabulis equorum similiora quam templis. Me. At legimus olim laudatos Episcopos, quod vasa sacra divendiderunt, eaque pecunia subvenerunt egenis. Og. Laudantur & hodie, sed laudantur tantum; imitari nec licet, nec libet, opinor. Me. Remoror tuam narrationem. Nunc exspecto fabulæ catastrophen. Og. Accipe; paucis expediam. Inter hæc prodiit summus ille mystagogus. Me. Quisnam? Abbas loci? Og. Mitram habet, census habet abbaticos; solo nomine caret, & *Prior* dicitur, ob id, quod Archiepiscopus Abbatis loco est. Nam antiquitus quisquis erat ejus ditionis Archiepiscopus, idem erat & monachus. Me. Equidem vel camelus appellari sustineam, si census esset Abbate dignus.

C Og. Mihi quidem visus est vir pius juxta & prudens, neque Scoticæ Theologiæ rudis. Is nobis aperuit thecam, in qua reliquum sancti viri corpus quiescere dicitur. Me. Vidisti ossa? Og. Id quidem fas non est; nec liceret, nisi admotis scalis: sed auream thecam theca contegit lignea: ea funibus sublata, opes nudat inæstimabiles. Me. Quid audio? Og. Vilissima pars erat aurum: gemmis raris ac prægrandibus collucebant, nitebant ac fulgurabant omnia: quædam superabant ovi anserini magnitudinem. Ibi multa cum veneratione circumstabant aliquot monachi: sublato tegumento adoravimus omnes. Prior candida virga demonstrabat contactu singulas gemmas, addens nomen Gallicum, pretium & auctorem doni. Nam præcipuas Monarchæ [1] dono miserant. Me. Oportuit illum esse præditum insigni

D memoria. Og. Recte conjectas, quamquam juvat & exercitatio; frequenter enim hoc agit. Hinc reducit in cryptoporticum. Illic domicilium habet Virgo mater, sed subobscurum, semel atque iterum ferreis cancellis circumsepta. Me. Quid metuit? Og. Nihil, opinor, nisi fures. Nec enim unquam vidi quidquam [2] divitiis onustius. Me. Cæcas mihi divitias narras. Og. Admotis lucernis vidimus plusquam regale spectaculum. Me. Vincit opibus Parathalassiam? Og. Specie longe superat, abstrusa novit ipsa. Hæc non ostenditur nisi magnatibus aut præcipuis amicis. Postremo reducimur in sacrarium: illic detractum est scri-

E nium nigro contectum corio, depositum est in mensam; apertum est; mox omnes flexis genibus adorarunt. Me. Quid inerat? Og. Fragmenta quædam linteorum lacera, pleraque mucci vestigium servantia. His, ut ajebant, vir pius extergebat sudorem a facie sive collo, pituitam a naribus, aut si quid esset, similium sordium, quibus non vacant humana corpuscula. Ibi meus Gratianus rursum non optimam iniit gratiam. Huic & Anglo, & noto, nec mediocris auctoritatis viro, Prior benignus unum e linteolis obtulit dono, credens se munus longe gratissimum offerre. Sed Gratianus heic parum gratus, non sine fastidii significatione, digitis contrectavit unum, & contemtim reposuit, porrectis labiis, veluti poppysmum imi-

F tans. Nam hic illi mos erat, si quid offenderet, quod

1 *Dono miserant*] Inter alios Ludovicus VII. Galliarum Rex eo peregrinatum veniens anno 1179. septennium post Thomæ trucidationem, gemmam ingentis pretii, quam Regalem Franciæ appellabant, (auctor ad id respicit cum dicit, *addens nomen Gallicum, pretium & auctorem doni*) obtulit cum scypho aureo magni ponderis. Eodem tempore idem centum vini dolia monachis annuatim concessit. Postea Henricus Octavus, cum Pontificiam religionem aboleret, prædictam gemmam annulo insertam pollice gestavit.

2 *Quidquam divitiis onustius*] Cum Henricus Octavus Angliæ Rex a. 1538. res Ecclesiasticas invaderet ex spoliis solius monumenti Thomæ Cantuariensis arcæ duæ repletæ sunt, tam capaces, ut singulis efferendis vix octo robusti homines sufficerent, cum nihil auro vilius inde exportaretur.

tamen contemnendum esse judicaret. Meum animum simul & pudor, & timor discruciabant. Prior tamen, ut est homo non stupidus, dissimulabat hoc factum, nosque post oblatum vini poculum humaniter dimisit. Cum rediremus Londinum. Me. Quid oportuit, cum jam non procul abesses a littore tuo? Og. Sic est: sed ego littus illud perquam lubens fugi, magis infame fraudibus ac rapinis, quam ullæ sunt Maleæ naufragiis. Dicam quod proxima vidi trajectione. Complures a littore Caletiensi scalmo devehebamur ad navem majorem. In his erat Gallus quidam juvenis, pauper ac pannosus. Ab hoc exigunt dimidium drachmæ. Tantum enim extorquent a singulis ob brevissimam vectationem. Ille excusabat paupertatem: isti per jocum explorant scilicet, ac detractis calceis inter suppactas soleas reperiunt decem aut duodecim drachmas: eas eripiunt palam, ridentes, & conviciis ludentes in sceleratum Gallum. Me. Quid juvenis? Og. Quid aliud? Flebat. Me. Num ex auctoritate faciebant ista? Og. Prorsus eadem, qua furantur sarcinas hospitum, qua tollunt crumenas, si quando datur opportunitas. Me. Mirum est istos tantum audere facinus, tot testibus consciis. Og. Sic assueverunt, ut recte fieri putent. Spectabant e majore navi complures, in cymba aderant aliquot Angli negotiatores, qui frustra obmurmurabant. Illi velut in re faceta gloriabantur, deprehensum sceleratum Gallum. Me. Ego istos maritimos fures ludens ac jocans subigerem in crucem. Og. Atqui talibus scatet utrumque littus. Heic mihi conjecta, *Quid domini faciant, ausint cum talia fures?* Proinde posthac quaslibet ambages malim, quam illud compendium. Ad hæc quemadmodum ad inferos facilis descensus, sed reditus difficillimus; ita per hoc littus ingressus non admodum facilis, exitus difficillimus est. Hærebant Londini nautæ aliquot Antverpienses: cum illis decreveram me mari committere. Me. Habet ea regio nautas adeo sanctos? Og. Ut simia semper est simia, fateor, ita nauta semper est nauta: verum si ad hos conferas qui rapto vivere didicerunt, angeli sunt. Me. Meminero, si quando me quoque libido ceperit eam insulam invisendi. Sed in viam redi, unde te deduxi. Og. Ergo Londinum petentibus haud procul a relicta Cantuaria, occurrit via vehementer cava simul & angusta, præterea declivis, sic utrinque abrupto aggere, ut non possis effugere: nec vitari potest, quin hac facias iter. Ad ejus viæ lævum latus, est mendicabulum aliquot seniculorum: ab iis procurrit aliquis, simulatque sentiunt advenientem equitem: conspergit aqua sacra, mox offert calcei summam partem obvinctam æreo circulo, in quo vitrum est gemmæ specie. Exosculati dant nummulum. Me. In ejusmodi via malim mendicabulum seniculorum, quam gregem valentium latronum. Og. Gratianus equitabat mihi sinister, propior mendicabulo: conspersus est aqua, tulit utcunque. Ubi porrigeretur calceus, rogabat quid sibi vellet. Ait calceum esse S. Thomæ. Incanduit homo: & ad me versus. Quid, inquit, sibi volunt hæ pecudes, ut osculemur calceos omnium bonorum virorum? Quin eadem opera porrigunt osculandum sputum, aliaque corporis excrementa? Miserebat me seniculi, datoque nummulo consolatus sum tristem. Me. Mea sententia, non omnino præter caussam incanduit Gratianus. Si calcei soleæque servarentur, ut argumentum frugalis vitæ, non improbarem: cæterum impudens mihi videtur, soleas, calceos, & subligaria cuiquam osculanda obtrudere. Nam si quis id sua sponte faciat ex ingenti quodam pietatis affectu, venia dignum arbitror. Og. Præstabat ista non fieri, ne quid dissimulem: verum ex his rebus quæ subito corrigi non possunt, soleo si quid inest boni decerpere. Delectabat interim animum meum illa contemplatio, virum bonum esse similem ovi; malum, noxiæ bestiæ. Vipera postea quam periit, mordere quidem non potest, odore tamen sanieque inficit: ovis cum vivit, lacte nutrit, lana vestit, fœtura ditat: mortua porrigit utile corium; totaque esculenta est. Itidem viri feroces, & huic mundo dediti, dum vivunt, omnibus incommodi sunt, mortui strepitu nolarum, ambitiosa sepultura molesti sunt vivis, nonnunquam & successorum inaugurationibus, hoc est, novis exactionibus: probi vero nulla non ex parte magnam omnibus de se præbent utilitatem. Velut hic divus, dum in vivis esset, exemplo, doctrina, monitis ad pietatem invitabat, consola-

A batur destitutos, sublevabat egenos: ac mortui pene major utilitas. Exstruxit hoc locupletissimum templum, sacerdotum ordini per universam Angliam plurimum auctoritatis conciliavit. Hoc denique calcei fragmentum alit egenorum conventiculum. Me. Est quidem ista pia contemplatio, sed demiror te, cum isto sis animo, nunquam invisisse 1 antrum Sancti Patricii, de quo prodigiosa quædam vulgo jactant, nec mihi satis verisimilia. Og. Imo nulla heic tam prodigiosa potest esse narratio, quin res ipsa superet. Me. Ergo illuc quoque penetrasti? Og. Enavigavi paludem vere Stygiam, descendi in fauces Averni: vidi quidquid apud inferos geritur. Me. Bearis me si non gravaberis referre. Og. Sit hoc colloquii nostri procemium, satis, B ut arbitror, prolixum. Eo domum, ut jubeam adornari cœnam: nam adhuc impransus sum. Me. Cur impransus? num religionis gratia? Og. Minime: sed invidiæ caussa. Me. Num invides ventri tuo? Og. Imo rapacibus cauponibus qui cum nolint quod æquum est apponere; tamen non verentur ab hospitibus quod iniquum est exigere: eos sic ulcisci soleo. Si spes datur cœnæ lautioris vel apud notum, vel apud pandocheum paullo minus sordidum, in prandio laborat mihi stomachus. Sin prandium obtulit fortuna quale volo, sub cœnam incipit dolere stomachus. Me. Non pudet videri parcum ac sordidum? Og. Menedeme, qui talibus in rebus pudoris impendium faciunt, crede mihi, male collocant sumtum. Ego meum pudorem aliis usibus servare C didici. Me. Jam sitio reliquum fabulæ, quare me in cœna exspecta convivam; ibi narrabis commodius. Og. Equidem habeo gratiam, quod ultro temet offers convivam, cum multi vehementer rogati pernegent: sed hæc tibi conduplicabitur gratia, si hodie domi cœnes. Nam mihi tempus hoc sumetur salutandæ familiæ. Cæterum habeo consilium utrique nostrum commodius. Cras mihi, uxorique meæ domi tuæ adornato prandium, tum vel usque ad cœnam proferentur fabulæ, donec te fateaaris jam esse saturum: & si voles, ne in cœna quidem te destituemus. Quid scabis caput? Tu para; nos bona fide veniemus. Me. Malim inemtas fabulas. Verum age, prandiolum dabitur, sed insipidum, nisi tu bonis fabulis condias. Og. Sed heus tu, nonne titillat D te animus, ut has peregrinationes obeas? Me. Fortasse titillabit, ubi tu peroraveris: nunc ut affectus sum, sat habeo stationes obire Romanas. Og. Romanas, qui Romam nunquam videris? Me. Dicam. Sic domi obambulo, ingredior conclave, curoque ut salva sit filiarum pudicitia. Rursus hinc in officinam; contemplor quid agant famuli famulæque: inde in culinam, circumspiciens si quid opus sit admonitu: hinc alio atque alio, observans quid agant liberi, quid uxor, sollicitus ut omnia sint in officio. Hæc mihi sunt stationes Romanæ. Og. At ista pro te curaret divus Jacobus. Me. Ut ipse curem ista, præcipiunt Sacræ literæ; ut divis committam, nusquam legi præceptum.

2 ΙΧΘΥΟΦΑΓΙΑ.

E Lanio, Salsamentarius.

La. Dic mihi, insulsissime Salsamentarie; nondum emisti restim? Sa. Restim, Lanio? La. Ita, restim. Sa. Cui tandem rei? La. Cui, nisi suspendio? Sa. Emant alii; me nondum usque adeo tædet hujus vitæ. La. At brevi tædebit. Sa. In vatem ipsum ista vertat Deus aliquis potius. Sed quid est mali? La. Si nescis, dicam. Instat tibi tuisque plane Saguntina, quod ajunt, fames, ut res prorsus sit vobis ad laqueum reditura. Sa. Bona verba, Lanio. Ista sint hostibus nostris. Unde nobis ex Lanio repente prodisti Pythius quispiam, ut divines tantam calamitatem? La. Non est divinatio; ne tibi blandiaris; res ipsa adest in foribus. Sa. Enecas: ede rem, si quid habes. La. Edam tuo magno maF lo. A Romano senatu venit edictum, ut posthac liberum sit cuique vesci quibus velit. Quid igitur tibi tuoque ordini restat, nisi bulimia cum putribus salsamentis? Sa. Per me quidem vel limacibus, vel urticis vescatur, qui volet. At num interdictum est cuiquam ne vescatur piscibus? La. Non, sed data potestas vescendi carnibus, quibus fuerit collibitum. Sa. Sive vana prædicas, tu potius dignus es suspendio: sive vera, tibi potius parandus funis. Nam mihi posthac spero quæstum uberiorem. La. Imo proventum uberrimum, sed esuritionis usque ad saturitatem: aut, si mavis audire lætiora, posthac longe mundius vives, neque, quod soles, cubito nasum emunges pituitosum, & scabie fruticantem. Sa. Ohe, venimus ad summum; cæcus convicia jacit in luscum: quasi vero quidquam apud laniones purius sit ea parte corporis, quæ dicitur semper lotione superior. Utinam verum esset quod annuncias; at vereor, ne me conjicias in falsum gaudium. La. Tibi quidem nimium vera nuncio. Sed unde tibi quæstum promittis uberiorem? Sa. Quoniam eo video recidisse mores hominum, ut quod vetitum sit, impotentius appetant. La. Quid tum postea? Sa. Quia plures abstinebunt ab esu carnium, ubi permissa est vescendi potestas, nec ullum erit lautum convivium absque piscibus, quemadmodum apud priscos fieri consuevit. Itaque carnium esum permissum gaudeo; utinam & piscium esus esset interdictus! avidius his vescerentur homines. La. Pium me hercule votum? Sa. Hoc optarem, si, quod tu facis, nihil aliud spectarem quam pecuniæ lucrum, cujus amore tu crassam istam & carnivoram animam diis manibus devovisti. La. Salsus es totus, cum insulsa sit oratio. Sa. Quæ ratio commovit Romanos, ut tot sæculis observatam legem carnariam relaxarint? La. Nimirum hoc ipsa res jam dudum illis persuasit. Reputant id quod est, per salsamentarios inquinari civitatem, infici terram, flumina, aerem, & ignem, & si quod aliud est elementum: corrumpi corpora mortalium: ex piscium enim esu corpus impleri putribus humoribus: hinc febres, tabes, podagræ, epilepses, lepræ, & quid non malorum? Sa. Dic igitur mihi, Hippocrates, cur in civitatibus bene institutis vetitum est intra mœnia mactare tauros ac sues? Rectius etiam consuleretur saluti civium, si nec pecudes jugularentur. Cur laniis describitur certus locus; ne si passim vivant, totam urbem reddant pestilentem? An est ullum fœtoris genus corrupto animantium cruore sanieque pestilentius? La. Aromata mera sunt, si ad piscium putorem conferas. Sa. Tibi quidem, opinor, aromata mera sunt: at non idem visum magistratibus, qui vos urbe submovent. Porro quam suaviter oleant vestræ istæ lanienæ, declarant ii qui naribus obturatis prætereunt: declarant vulgo, qui malunt habere vicinos decem lenones, quam unum lanionem. La. At vobis ad abluenda putria salsamenta, nec lacus, nec amnes toti sufficiunt: vereque, quod dici solet, inaniter aquam consumitis. Semper enim piscis piscem olet, etiamsi unguentis oblinas. Quid autem mirum, mortuos sic olere; cum plerique vivi mox, ut capti sunt, oleant? Carnes muria conditæ servantur multos in annos, adeo non putentes, ut aromaticum quiddam redoleant. Rursus vulgari sale conditæ, durant absque fœtore. Duratæ fumo ventove nihil molesti odoris contrahunt. Hæc omnia si pariter adhibeas pisci, nihil aliud quam piscem olebit. Vel hinc conjice, nullum esse putorem cum piscium fœtore conferendum; quod ab his putrefit etiam ipse sal, in hoc a natura datus, ut a rebus arceat putrefactionem, dum genuina vi claudit constringitque, simul & excludens quod extrinsecus noxam afferre possit, & humores intus, unde putrefactio poterat oriri, desiccans: in solis piscibus sal non est sal. Nostras ædes fortassis aliquis delicatior præteriens obturat nares; at nemo sustinet in cymba sedere, in qua vestra sunt salsamenta. Viatori si quando occurrunt plaustra onusta salsamentis, quæ ibi fuga? quæ narium obturatio? quæ sputa? quæ excreatio? Et si qua fieri possit, ut salsamenta pura in urbem adveherentur, quemadmodum nos mactatorum boum carnes apportamus, lex non dormiret: nunc quid facias iis, quæ putria sunt etiam cum comeduntur? Et tamen quoties videmus ab Agoranomis damnatas merces vestras conjici in flumen, vobis indicta mulcta? Id vero sæpius etiam fieret, nisi illi corrupti per vos magis spectarent privatum commodum, quam publicam salutem. Nec hac tantum parte nocetis reipublicæ, sed impia conspiratione vetatis, ne aliunde pisces recentiores advehantur in civitatem. Sa. Quasi vero nullus unquam viderit mulcta percussum lanionem, quod porcum insincerum, & linguæ maculis lepræ vitium profitentem vendiderit, aut quod ovem aquis cœnove suffocatam, aut alioqui verminantes armos, lo-

1 *Antrum sancti Patricii*] Hic ille Patricius Hibernorum Apostolus, qui anno 430. circa Honorii Augusti tempora in Hiberniam venit, regnante apud Hibernos Lagerio Nelli filio. Erat autem natione Britannus in Cluydsalia natus, Martino Turonensi affinitate conjunctus, & Germani discipulus, a Cælestino surrogatus defuncto Palladio. Tanto successu Euangelium prædicavit, ut longe maximam partem ad Christianismum converterit.

2 *Ἰχθυοφαγία*] Id est, Piscium esus, ab *ἰχθὺς, piscis*, & *φάγω, comedo*.

lotione & circumlito recenti cruore vitium dissimularit. La. Atqui nullum ex nobis tale exstat exemplum, quale nuper ex vobis: ex unica anguilla crusto panis incocta, periere novem convivæ. Talibus obsoniis vos instruitis mensas civium. Sa. Casum narras, qui nemini vitari possit, si fortuna velit. At vobis pene quotidianum est pro cuniculis altiles feles vendere; pro leporibus canes, si per auriculas & pedes hirsutos liceret. Quid autem commemorem artocrea ex humanis carnibus confecta? La. Tu quod in me damnabas, casus & hominum vitia, mihi opprobras; tueantur ista qui committunt: ego quæstum cum quæstu confero. Alioqui damnentur & olitores, quod interdum imprudentes pro caule vendant cicutam, aut aconitum: damnentur & pharmacopolæ, quod interdum pro remediis, porrigunt venena. Nulla est ars tam inculpata, quin isthæc incidant mala. Vos cum omnes officii numeros impleveritis, venenum est quod venditis. Si torpedinem, si hydrum, si leporem marinum retibus admixtum cum cæteris venderetis, casus esset, non crimen: nec magis imputari poterat vobis, quam medico, qui nonnunquam occidit ægrum, quem curat. Ferri poterat hoc malum, si mensibus dumtaxat hibernis extruderetis vestra purulenta; rigor temporis mitigaret pestilentiam. Nunc æstatis incendio putrem additis materiam; autumnum, per se nocentem, redditis nocentiorem. Cumque jam se renovat annus, & humoris conditi sese rursus proferunt, non absque corporum periculo, ibi vos totos menses duos tyrannidem occupatis, & anni renascentis infantiam, accersito senio vitiatis. Cumque hoc meditetur natura, ut corpora succis insalubribus repurgata, novis succis repubescant, vos ingeritis meros putores, merasque sanies; &, si quid est in corporibus vitii, augetis, malum malo adjicientes, & bonos insuper corporis succos corrumpentes. Tolerari poterat hoc quoque, si tantum corpora vitiaretis: nunc quoniam ex ciborum differentiis vitiantur animorum organa, fit, ut ipsi vitientur animi. Tales fere videas homines istos pisculentos, quales sunt ipsi pisces; pallent, olent, stupent, muti sunt. Sa. O novum Thaletem! Quid igitur sapiunt qui betis victitant? nimirum quantum ipsæ betæ? Quid sapiunt qui boves, & oves, & capras devorant? nimirum quod boves, oves, & capræ? Vos hœdos pro deliciis venditis, & tamen hoc animal, ut est morbo comitiali obnoxium, ita gignit eundem morbum in his qui gaudent esu carnium. An non præstabat salsamentis placare latrantem stomachum? La. Quasi solum hoc mentiti sint rerum naturalium scriptores. Et si maxime verum sit, quod narrant; corporibus morbo obnoxiis sæpe quæ per se optima sunt, pessima sunt: Hecticis ac phthisicis vendimus hœdos, non vertiginosis. Sa. Si piscium esus tantam perniciem adfert rebus mortalium, cur nobis præsulum ac principum sententia licet toto anno nostras merces divendere, vobis bonam anni partem indictæ sunt feriæ? La. Istuc quid mea refert? Fortassis hoc procuratum est a malis medicis, quo quæstus ipsis esset uberior. Sa. Quos malos medicos mihi commemoras, cum nulli sint piscibus hostes æque capitales? La. Ne quid erres, bone, non faciunt hoc studio vestri, nec amore piscium, cum ab his nulli religiosius abstineant: suum agunt negotium. Quo plures tussiunt, languent, ægrotant, hoc illis annona benignior est. Sa. Medicis heic non patrocinabor; ipsi suam vicem ulciscentur, si quando in casses illorum incideris. Mihi pro mea caussa sufficit veterum sanctimonia vitæ, probatissimorum auctoritas, Episcoporum majestas publica Christianarum gentium consuetudo; quos omnes si damnabis insaniæ, malo cum illis insanire, quam cum laniis esse sobrius. La. Tu recusas patronus esse medicis; ego nolim esse criminator aut censor veterum, publicæve consuetudinis. Ista venerari soleo, non incessere. Sa. Isto quidem nomine cautus es verius, quam pius lanio; nisi te prorsus non novi. La. Meo judicio sapiunt, qui cavent, ne quid habeant rei cum his, qui fulmen habent in manibus. Attamen quid ex meis Bibliis, quæ populari lingua versa nonnunquam lego, sentiam, non tacebo. Sa. Ut nunc fies ex lanione Theologus! La. Arbitror primos illos homines simul atque ex uda argilla prodierunt, fuisse corpore salubri ac succulento. Id declarat illorum vivacitas. Deinde Paradisum fuisse locum multo commodissimum situ, cœloque saluberrimo. Tali loco talia corpora, vel aëris haustu, herbarum, arborum acflorum undique adspirantium fragrantia, citra cibum ullum potuisse vivere; præsertim cum ultro citra sudorem hominis affatim tellus effunderet omnia, nec morbus esset ullus, nec senium. Cultus enim talis horti voluptas erat verius, quam labor. Sa. Adhuc verisimilia prædicas. La. Ex tam vario horti feracissimi proventu, nihil interdictum est præter unicam arborem. Sa. Verissimum est. La. Idque non ob aliud, nisi ut per obedientiam agnoscerent dominum & conditorem suum. Sa. Recte. La. Quin & illud arbitror, recentem terram omnia progenuisse feliciora, meliorisque succi, quam nunc gignit senescens ac propemodum effœta. Sa. Esto. La. Idque præcipue in Paradiso. Sa. Haud dissimile veri. La. Illis igitur vesci, voluptatis erat, non necessitatis. Sa. Audivi. La. Et abstinere a laniandis animantibus, humanitas erat, non sanctitas. Sa. Nescio. Animantium esum a diluvio permissum lego, prius interdictum non lego. Quorsum autem attinebat permittere, si jam permissus erat? La. Quare non vescimur ranis? Non quia vetitæ, sed quoniam abhorremus. Qui scis, an Deus illic admonuerit, quem cibum requireret humana fragilitas, non quem permitteret? Sa. Non sum ariolus. La. Atqui in ipso statim conditi hominis initio [1] legimus; *Dominemini piscibus maris, & volatilibus cæli, & universis animalibus quæ moventur super terram.* Quis usus dominii, si vesci non licet? Sa. O crudelem herum! Itane devoras servos & ancillas, tuos liberos & uxorem? Quin eadem opera vesceris matula tua, cujus dominus es? La. Sed audi vicissim, insulse salsamentarie: E cæteris usus est, nec est inane dominii nomen. Equus vehit me tergo, camelus gestat sarcinas: e piscibus vero quis usus, nisi vescaris? Sa. Quasi vero non sint innumera ex piscibus remedia. Deinde multa sunt in hoc tantum condita, ut delectent hominem contemplantem, & in conditoris admirationem rapiant. Forte non credes delphinos hominem tergo vehere. Denique sunt pisces, qui nobis prædicant imminere tempestatem, velut echinus. An non talem servum optares domi tuæ? La. Verum ut hoc largiamur, ante diluvium non fuisse fas vesci cibis, præterquam terræ frugibus; nihil magni erat abstinere ab iis quæ non requirebat corporis necessitas, & habebant laniandi crudelitatem: illud fateris, animantium esum initio permissum ob humanorum corporum imbecillitatem. Frigus induxerat diluvium: & hodie videmus in regionibus frigidis nasci homines cæteris edaciores: ac terræ proventum vel exstinxerat, vel corruperat inundatio. Sa. Esto. La. Et tamen a diluvio præteribant annum ducentesimum. Sa. Credo. La. Cur igitur Deus, quod illis robustis citra exceptionem permisit, post imbecillioribus ævique contractioris adstrinxit ad certa animantium genera, quemadmodum præcepit Moses? Sa. Quasi meum sit eorum quæ Deus gerit, rationem reddere! Arbitror tamen hoc tum fecisse Deum, quod solent heri, qui contrahunt indulgentiam in servos, ubi vident illos abuti lenitate dominorum. Sic equo plus satis ferocienti subducimus fabas & avenam, parcoque fœno pascimus, frenoque & calcaribus asperioribus subigimus. Excusserat hominum genus omnem reverentiam, in tantamque licentiam sese effuderat, quasi nullus omnino Deus esset. Hic inventi sunt legis cancelli, cærimoniarum repagula, minarum ac præceptorum frena, quo vel sic resipiscerent. La. Quin igitur manent hodie legis illius repagula? Sa. Quia sublata est carnalis servitutis asperitas, posteaquam per Euangelium adoptati sumus in filios Dei: detractum est præceptis, ubi contigit uberior gratia. La. Cum Deus appellet suum testamentum sempiternum, cumque Christus [2] negarit se solvere legem, sed consummare; qua fiducia posteriores ausi sunt bonam legis partem abrogare? Sa. Gentibus ea lex data non erat; & ideo visum est Apostolis, eas non onerare circumcisionis molestia, ne, quod Judæi faciunt & hodie, in corporalibus observationibus constituerent salutis spem potius, quam in fiducia & caritate erga Deum. La. Omitto gentes. Quæ scriptura manifeste docet, Judæos si professionem Euangelicam fuerint amplexi, manumissos esse a Mosaicæ legis servitute? Sa. Quoniam id fore prædictum erat a Prophetis, qui promittunt testamentum novum, &

1 *Legimus*] Locus exstat Genes. 1. vers. 28.
2 *Negarit se solvere*] Verba Christi exstant Matth. 5. vers. 17.

A & cor novum, inducuntque Deum abominantem festos Judæorum dies, aversantem illorum victimas, detestantem jejunia, rejicientem donaria, desiderantem populum circumciso corde. Confirmavit illorum promissa Dominus ipse, qui porrigens discipulis corpus & sanguinem suum, appellat testamentum novum. Si nihil aboletur de veteri, cur hoc dicitur novum? Ciborum Judaicum delectum, non exemplo quidem, sed sententia sua abrogavit Dominus, cum negat hominem inquinari cibis qui mittuntur in stomachum, & 1 per secessum repurgantur. Docet 2 idem Petrum conspecta visione; imo Petrus ipse cum Paulo cæterisque vescens cibis communibus, a quibus lex præceperat temperari. Agit hoc ubique 3 Paulus in suis epistolis; B nec dubitatur, quin quod hodie sequitur populus Christianus, ab Apostolis veluti per manus traditum ad nos denique pervenerit. Itaque non tam manumissi sunt Judæi, quam a legis superstitione velut a lacte consueto quidem & familiari, sed jam intempestivo depulsi. Neque lex abrogata est, sed ea pars jussa est cedere, quæ jam erat otiosa. Frondes & flores pollicentur fructum exoriturum: is ubi gravat arborem, nemo flores desiderat. Neque quisquam deplorat perisse filii sui pueritiam, ubi jam ad ætatem maturam pervenit. Neque quisquam requirit lucernas & funalia, ubi se terris deprompsit sol. Nec habet quod quæratur pædagogus, si filius jam puber suam libertatem sibi vendicat, ac pædagogum in sua vicissim habet potestate. Pignus desinit esse pignus, ubi promissa sunt exhibita. Sponsa C priusquam deducatur ad sponsum, epistoliis ab illo missis sese consolatur; exosculatur munuscula ab illo venientia, picturas illum referentes amplectitur: cæterum ubi jam ipsius sponsi data est copia, præ hujus amore negligit illa prius adamata. At Judæi primum ægre divellebantur a consuetis, velut si puer assuetus lacti, jam grandis mammam inclamet, cibum solidum fastidiens. Itaque propemodum vi depulsi sunt ab illis vel figuris, vel umbris, vel temporariis solatiis, quo se jam totos convertant in eum, quem lex illa promiserat & adumbrarat. LA. Quis exspectarat tantum Theologiæ a salsamentario? SA. Soleo pisculentum commeatum suppeditare nostræ civitatis Dominicano collegio: itaque fit, ut illi frequenter prandeant apud me, ego nonnunquam apud illos. Ex eorum conflictationibus D hæc decerpsi. LA. Næ tu dignus es, qui ex salsamentario fias piscium recentium venditor. Verum illud expedi: Si Judæus esses, (neque mihi satis liquet an sis) & immineret ex fame certum vitæ periculum, vescereris carne suilla, an mortem præoptares? SA. Quid facturus essem, scio: quid mihi faciendum esset, nondum intelligo. LA. Deus utrumque vetuit, non occides, & non vesceris 4 carne suilla. In tali casu, utrum præceptum utri par est cedere? SA. Primum non constat, an hoc animo Deus vetuerit vesci suilla, ut mortem vellet oppeti potius quam esu vitæ consuli. Nam ipse Dominus excusat David, qui contra 5 Legis præceptum comederit sacros panes. Et in exsilio Babylonico multa non observata sunt a Judæis, quæ Lex præscripserat. E Proinde censerem eam legem, quam ipsa quoque natura tulit, eoque perpetua est & inviolabilis, debere potiorem haberi ea, quæ neque semper fuit, & post erat abroganda. LA. Cur igitur laudati sunt 6 fratres Macchabæi, qui maluerunt duris cruciatibus exanimari, quam carnem gustare suis? SA. Opinor, quoniam hic esus a Rege præscriptus complectebatur totius patriæ legis abnegationem; quemadmodum circumcisio, quam Judæi gentibus obtrudere conabantur, continebat totius legis professionem, non aliter quam arrha data ad universum contractum præstandum obligat. LA. Itaque si crassior illa Legis pars post exortam Euangelii lucem recte sublata est, quo consilio nunc videmus vel eadem, vel his graviora revocari, præsertim cum Dominus jugum suum appellet suave, & Petrus in Actis Apostolorum, Judæorum Legem appellet duram, quam nec ipsi ferre potuerint, nec patres ipsorum? Sublata est circumcisio, sed successit baptismus, duriore prope dixerim conditione. Illa differebatur in octavum diem, & si quis interim casus intercepisset puerum, votum circumcisionis pro circumcisione imputabatur: nos pueros vixdum a latebris uteri materni egressos, in frigidam aquam, quæque diu in alveo saxeo constitit, non enim dicam, computruit, totos immergimus, & si vel primo die, atque adeo in ipso partus ostio perierit, nulla parentum aut amicorum culpa, deditur miser æternæ damnationi. SA. Sic ajunt. LA. Sublatum est sabbatum; imo non sublatum est, sed translatum in diem dominicum. Quid refert? Paucorum dierum jejunia indixit Lex Mosaica; nos illis quantum addidimus numerum! In delectu ciborum quanto liberiores Judæi nobis; quibus licebat vel totum annum vesci ovibus, capis, perdicibus & hœdis? Illis nullum vestis genus erat interdictum, præter eam quæ esset lana linoque contexta. Nunc præter tot vestium præscriptas, & interdictas formas & colores, accessit capitis rasura, eaque varia: ne commemorem interim confessionis onus, & constitutionum humanarum sarcinas, decimationes non simplices, adstrictum arctioribus vinculis matrimonium, novas affinitatis leges, aliaque permulta, quæ faciunt, ut hac parte non paullo commodior videatur fuisse Judæorum, quam nostra conditio. SA. Erras tota via, Lanio: Christi jugum non æstimatur ad istam regulam, quam imaginaria. Pluribus adstringitur Christianus & adstringitur ad difficiliora, denique ad pœnam graviorem: sed his adjuncta copiosior vis fidei & caritatis, facit ea suavia, quæ natura sunt gravissima. LA. Atqui cum olim Spiritus, specie linguarum ignearum e cœlo delapsus, copiosissimo dono fidei & caritatis locupletarit credentium pectora, cur detractum est legis onus, velut imbecillibus ac sub iniqua sarcina periclitantibus? Cur Petrus jam afflatus Spiritu, vocat onus intolerabile? SA. Detractum est ex parte, ne Judaismus, ut cœperat, obrueret Euangelii gloriam, & ne Legis odio, gentes alienarentur a Christo; inter quas erant infirmi plurimi, quibus instabat duplex periculum: alterum, ne crederent, sine legis observatione neminem posse salutem consequi: alterum, ne potius haberent in paganismo manere, quam Mosaicæ legis jugum accipere. Horum imbecilles animos oportebat velut esca quadam libertatis allicere. Rursus quo mederentur illis, qui negabant ex Euangelii professione salutis esse spem, citra legis observationem, circumcisionem, sabbatismos, delectus ciborum, aliaque id genus aut prorsus sustulerunt, aut in aliud verterunt. Porro quod Petrus negat se Legis onus portare potuisse, non est referendum ad eam personam, quam tum gerebat, cum illi jam nihil esset intolerabile, sed ad crassos & infirmos Judæos, qui non sine tædio arrodebant hordei tunicam, nondum gustata spiritus medulla. LA. Satis tu quidem crasse disseris. Atqui mihi videtur & hodie non minus esse caussarum, cur observationes istæ carnales hactenus tolli debeant, ut arbitrariæ sint, non obligatoriæ. SA. Qui sic? LA. Nuper in linteo quodam amplissimo vidi totum F orbem depictum: illic didici quantula esset mundi portio, Christi religionem pure sincereque profitens: nimirum Europæ particula vergens ad Occidentem: rursus altera, vergens ad Septemtrionem: tertia tendens, sed procul, ad Meridiem: ad Orientem vergentis quartæ postrema videbatur Polonia. Reliquus orbis aut Barbaros habet, non ita multum a brutis animantibus differentes, aut schismaticos, aut hæreticos, aut utrumque. SA. At non vidisti totum illud litus Austrinum, & sparsas insulas Christianis insignibus notatas? LA. Vidi; didicique illinc avectas prædas; Christianismum inductum non audivi. Cum igitur tam

1 *Per secessum*] Verba Christi leguntur Matth. 15. vers. 11. 16. 17. Non quod ingreditur in os polluit hominem, sed quod egreditur ex ore polluit hominem. Jesus autem dixit, adhuc & vos intelligentia caretis? Nondum intelligitis, quicquid ingreditur in os in ventrem cedere & in latrinam ejici?

2 *Idem Petrum*] De hac visione, in qua Petrus conspexit cœlum apertum & vas descendens ad se continens quævis quadrupedia terræ, feras, reptilia & volucres cœli, mentionem facit Lucas Actor. 10. vers. 10. 11. 12. 13. 14. 15.

3 *Paulus in suis epistolis*] Vide Rom. 14. vers. 14. 20. 1 Cor. 10. vers. 25. Col. 2. v. 16. 17. 20. 21. 22. 1 Tim. 4. v. 3. & sequent. Tit. 1. v. 15. 1 Cor. 8. v. 8.

4 *Vesceris carne suilla*] Exstat interdictum Lev. 11. vers. 7. Et suem ne comeditote, quia habet quidem scissam ungulam, & bifidata est fissura ungulæ, sed ruminis cibum non ruminat. Immunda est vobis. Idem repetitur Deut. 14. vers. 7.

5 *Legis præceptum*] Licebat enim illis sacris seu faciei, facierum & propositionis & propositiis panibus vesci solis sacerdotibus. Exod. 29. vers. 33. Lev. 8. v. 31. Num. 23. v. 9. Matt. 12. v. 4. nempe ad innuendum solos credentes vivo illo pane Christo ad vitam æternam pasci. David tamen quique cum illo erant, quando fame laboraret, & alii panes desiderarentur, porrigente Achimelecho sacerdote, comederunt. Urgens necessitas factum excusavit. 1 Sam. 21. v. 3. 4. 5. 6. Matth. 12. v. 4.

6 *Fratres Macchabæi*] Historiam legere est 1 Macchab. 7. v. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10.

A tam ampla sit messis, videtur hoc esse consultissimum ad religionem Christianam propagandam; quemadmodum Apostoli sustulerunt onus legis Mosaicæ, ne gentes resilirent: ita nunc ad illiciendos etiam imbecilles, tolli quarundam rerum obligationes, sine quibus initio servatus est orbis, & nunc servari posset, modo adsit fides & caritas Euangelica. Rursus audio videoque plurimos esse, qui in locis, vestibus, cibis, jejuniis, gesticulationibus, cantibus, summam pietatis constituunt; & ex his proximum judicant, contra præceptum Euangelicum. Unde fit, ut cum omnia referantur ad fidem & caritatem, harum rerum superstitione exstinguatur utrumque. Procul enim abest a fide Euangelica, qui fidit hujusmodi factis, & procul abest a caritate Christiana, qui ob potum aut cibum, quo recte quis
B uti potest, exasperat fratrem, pro cujus libertate mortuus est Christus. Quam amarulentas contentiones videmus inter Christianos? quam inimicas calumnias ex veste aliter cincta tinctave, ex cibo quem porrigunt aquæ, & quem porrigunt pascua? Hoc malum si ad paucos serpsisset, contemni poterat. Nunc videmus universum orbem ob hæc dissidiis exitialibus concuti. Hæc & hujusmodi si tollerentur, & nos majori concordia viveremus, neglectis cærimoniis, ad ea tantum contendentes quæ docuit Christus, & reliquæ nationes citius amplecterentur religionem cum libertate conjunctam. SA. Extra Ecclesiæ domum non est salus. LA. Fateor. SA. Extra Ecclesiam est, quisquis non agnoscit Pontificem Romanum. LA. Non reclamo. SA. Sed
C hunc non agnoscit, qui illius præscripta negligit. LA. Atque ideo spero futurum, ut hic Pontifex nomine Clemens, animo pietateque clementissimus, quo magis omnes nationes ad Ecclesiæ sodalitatem alliciat, omnia mitiget, quæ hactenus visa sunt aliquot populos a Romanæ sedis fœdere alienare; potiusque habeat Euangelii lucrum, quam suum in omnibus jus persequi. Audio quotidie veteres querimonias de annatis, de condonationibus, de dispensationibus, deque reliquis exactionibus, de gravatis Ecclesiis: sed arbitror hunc ita moderaturum omnia, ut posthac impudens sit, qui pergat queri. SA. Utinam idem facerent omnes Monarchæ! Nihil addubito quin res Christiana nunc in arctum coacta, felicissime sit proferenda, si gentes barbaræ
D senserint se vocari non ad servitutem humanam, sed ad libertatem Euangelicam; nec ad rapinam expeti, sed ad felicitatis & sanctimoniæ consortium. Ubi coaluerint, & in nobis mores vere Christianos compererint, ultro plus offerent, quam ab eis ulla vis queat extorquere. LA. Id brevi futurum auguror, si pestilens 1 Ate, quæ duos potentissimos orbis Monarchas funesto bello commisit, abierit 2 ἐς κόρακας. SA. Atque ego demiror jam dudum non esse factum, 3 cum Francisco nihil fingi possit humanius, & Carolo Cæsari arbitror a præceptoribus instillatum, ut quo per fortunam plus accesserit imperii finibus, hoc ipse plus addat clementiæ benignitatisque. Ad hæc, habere solet & ætas ea peculiarem facilitatis ac mansuetudinis dotem. LA. Nihil est quod in utroque desideres. SA. Quid igitur remo-
E ratur publicum orbis votum? LA. Adhuc jureconsulti de finibus ambigunt: & scis, comœdiarum tumultus semper desinere in nuptias: itidem principes suas finiunt tragœdias: sed in comœdiis subito coëunt nuptiæ; hic inter magnos magnis moliminibus res agitur. Et præstat aliquanto serius obduci cicatricem, quam mox interim ulcus erumpere. SA. An credis istas nuptias esse firma concordiæ vincula? LA. Vellem quidem: sed ex his video fere nasci maximam bellorum partem; & si quod bellum ortum fuerit, dum affinis adest affini, latius se spargit incendium, & difficilius componitur. SA. Fateor, & agnosco verissimum esse quod dicis. LA. Sed æquumne tibi videtur, ut ob Jureconsulto-
F rum rixas & contractuum moras, totus orbis tantum perpetiatur mali? Nunc enim nihil usquam tutum est, & pessimis licet plurimum, dum neque bellum est, neque pax. SA. De principum consiliis non est meum dicere. Verum si quis me faciat Cæsarem, scio quid sim facturus. LA. Eja, facimus te Cæsarem, simulque Romanum Pontificem; si

1 *Ate*] Dea Homerica, quæ dissidia serit inter Deos & homines. Litæ tardæ, Ate velox.

2 *Ἐς κόρακας*] Id est, in malam rem.

3 *Cum Francisco*] De diutino bello inter Carolum V. Cæsarem & Hispaniarum Regem ac Franciscum Valesium ejus nominis primum Galliarum Regem consulantur Thuanus, Berthault, Paulus Jovius, Mariana, Paradinus, Alonso de Ulloa aliique neoterici.

libet. Quid facis? SA. Fac me potius Cæsarem & Regem Galliæ. LA. Age, esto utrumque. SA. Protinus concepto pacis voto, edicerem per universam ditionem meam inducias, dimissis copiis, denuntians pœnam capitis, si quis vel gallinam alterius attigerit. Ita pacatis rebus meo commodo, vel, ut melius dicam, publico, transigerem de ditionis finibus, aut de conjugii conditionibus. LA. Habesne firmiora fœderis vincula, quam matrimonium? SA. Arbitror. LA. Imparti. SA. Si Cæsar essem, sic absque mora transegissem cum Rege Gallorum: Frater, malus quispiam genius bellum hoc inter nos excitavit; neque tamen inter nos certamen fuit de capite, sed de ditione. Tu quod in te fuit, fortem ac strenuum bellatorem præstitisti. Fortuna mihi favit, teque ex Rege fecit captivum. Quod accidit tibi, mihi potuit accidere; & tua calamitas omnes nos admonet humanæ conditionis. Experti sumus, quam hoc certaminis genus utrique sit incommodum. Age, diverso genere inter nos conflictemur. Dono tibi vitam, dono libertatem; pro hoste recipio te in amicum. Sit omnium præteritorum malorum oblivio; redi ad tuos gratis ac liber; habe tibi tua; esto bonus vicinus; & posthac geratur unum hoc certamen inter nos, uter alterum fide, officiis ac benevolentia vincat; neque certemus uter altero latius regnet, sed uter sanctius administret suam ditionem. In priori conflictu fortunati laudem tuli: heic qui vicerit, longe splendidius auferet decus. Mihi quidem hæc clementiæ fama plus adferet veræ laudis, quam si universam Galliam meæ ditioni adjunxissem. Et tibi gratitudinis opinio plus decoris conciliabit, quam si me tota Italia depulisses. Noli invidere mihi laudem quam affecto; ego vicissim tuæ sic favebo; ut huic amico libenter sis debiturus. LA. Profecto sic possit adstringi Gallia, imo totus orbis. Etenim si conditionibus iniquis, ulcus hoc obducatur verius, quam sanetur, vereor ne mox per occasionem rupta cicatrice, pus vetus erumpat majore cum malo. SA. Quam magnificam, quamque plausibilem gloriam hæc humanitas per universum orbem pararet Carolo? Quæ natio se non lubens tam humano, tamque clementi principi submitteret? LA. Egisti Cæsarem sat feliciter; nunc age Pontificem. SA. Perlongum sit singula persequi: dicam compendio. Sic agerem, ut universus orbis intelligeret esse principem ecclesiæ, qui nihil aliud sitiret quam Christi gloriam, & salutem omnium mortalium. Ea res vere mederetur invidiæ pontificii nominis, & solidam ac perennem pararet gloriam. Sed interim ab asino, quod ajunt, delapsi, multum aberravimus ab instituto. LA. Ego te mox reducam in viam. Ais igitur obligare Pontificum leges, omnes qui sunt in ecclesia? SA. Ajo. LA. Ad pœnam gehennæ? SA. Ajunt. LA. Etiam Episcoporum? SA. Sic arbitror; in sua cujusque ditione. LA. Etiam Abbatum? SA. Hæreo: nam hi certis conditionibus accipiunt administrationem; nec possunt suos gravare constitutionibus, nisi ex auctoritate totius ordinis. LA. Quid si Episcopus iisdem conditionibus accipiat suam functionem? SA. Addubito. LA. Quod Episcopus constituit, Pontifex potest rescindere? SA. Opinor. LA. Quod Pontifex decrevit, nemo potest abrogare? SA. Nemo. LA. Unde igitur audimus rescissas Pontificum sententias, hoc titulo, quod parum recte fuerint edocti; & priorum constitutiones a posterioribus antiquatas, quod a pietate delirarent? SA. Ista subrepticia sunt ac temporaria. Nam & in Pontificem, ut hominem, cadit ignorantia personæ factive. Cæterum quod ex auctoritate concilii universalis proficiscitur, cœleste oraculum est, & pondus habet par Euangeliis, aut certe proximum. LA. Licetne de Euangeliis dubitare? SA. Bona verba; ne de conciliis quidem rite in Spiritu Sancto congregatis, peractis, editis & receptis. LA. Quid si quis dubitet, an hæc competant in concilium, quod objicitur, quemadmodum audio Basiliense concilium a nonnullis rejici, nec omnibus probari Constantiense? loquor de his, qui nunc habentur orthodoxi; ne quid dicam de proximo concilio Lateranensi. SA. Dubitent qui velint, suo periculo; ego nolo dubitare. LA. Petrus igitur habuit auctoritatem condendi novas leges? SA. Habuit. LA. Habuit & Paulus cum cæteris Apostolis? SA. Habuerunt in suis quisque ecclesiis, a Petro, seu Christo commissis. LA. Et Petri successoribus par est potestas cum ipso Petro? SA. Quid ni? LA. Tantundem igitur honoris debetur rescripto Romani Pontificis, quan-

quantum epistolis Petri; & tantundem constitutionibus Episcoporum, quantum epistolis Pauli? SA. Equidem arbitror etiam amplius deberi, si præcipiant, & legem ferant cum auctoritate. LA. Sed fasne est dubitare, an Petrus & Paulus scripserint afflatu Divini Spiritus? SA. Imo, hæreticus sit qui dubitet. LA. Idem censes de rescriptis & constitutionibus Pontificum & Episcoporum? SA. De Pontifice censeo; de Episcopis ambigo, nisi quod pium est, de nullo perperam suspicari, ni res ipsa palam clamitet. LA. Cur Spiritus citius patitur errare Episcopum, quam Pontificem? SA. Quia gravius est a capite periculum. LA. Si tantum valent præsulum constitutiones, quid sibi vult quod Dominus in Deuteronomio tam rigide comminatur, ne quis quid addat aut adimat legi? SA. Non addit legi, qui latius explicat quod latebat, qui ea suggerit quæ spectant ad legis observationem: neque detrahit, qui pro viribus audientium legem dispensat, alia promens, alia celans pro ratione temporis. LA. Num obligabant Pharisæorum ac Scribarum constitutiones? SA. Non arbitror. LA. Cur ita? SA. Quia docendi habebant auctoritatem, non condendi leges. LA. Utra potestas videtur amplior, condendi leges humanas, an interpretandi divinas? SA. Condendi humanas. LA. Mihi secus videtur. Etenim cui jus est interpretandi, hujus sententia pondus habet legis divinæ. SA. Non satis assequor quod dicis. LA. Dicam explanatius. Lex divina jubet subvenire parenti; Pharisæus interpretatur hoc esse datum patri, quod missum est in corbonam, eo quod Deus sit pater omnium. Nonne huic interpretationi cedit lex divina? SA. Ista quidem falsa interpretatio est. LA. Sed posteaquam illis semel tradita est interpretandi auctoritas, unde mihi constabit, cujus sit vera interpretatio, maxime si ipsi inter se dissentiant? SA. Si minus satisfecit tibi sensus communis, sequere præsulum auctoritatem; id tutissimum est. LA. Ergo Pharisæorum & Scribarum auctoritas devoluta est ad Theologos & Concionatores? SA. Est. LA. Sed nullos audio frequentius inculcantes, Audite, ego dico vobis, quam eos qui nunquam versati sunt in palæstris Theologicis. SA. Audies omnes candide, sed cum judicio, modo ne simpliciter insaniant. Tum enim oportet populum cum sibilo surgere, quo suam agnoscant dementiam. Cæterum quibus contigit titulus Doctoris, his oportet fidere. LA. Verum in his quoque comperio nonnullos multo rudiores ac stultiores illis, qui prorsus sunt illiterati, & inter doctissimos miram video controversiam. SA. Elige quæ sunt optima; inexplicata aliis relinquito, ea semper amplectens, quæ procerum & multitudinis consensus approbavit. LA. Scio istuc esse tutius. Sunt igitur & constitutiones iniquæ, quemadmodum sunt interpretationes falsæ? SA. An sint, alii viderint; arbitror esse posse. LA. Annas & Caiphas habebant potestatem condendi leges? SA. Habebant. LA. Num horum quavis de re constitutiones obligabant ad pœnam gehennæ? SA. Nescio. LA. Puta Annam constituisse, ne quis reversus a foro sumeret cibum, nisi loto corpore: qui illotus caperet cibum, num crimen gehenna dignum admitteret? SA. Non arbitror, nisi contemtus publicæ potestatis crimen exacerbaret. LA. An omnia præcepta Dei obligant ad pœnam gehennæ? SA. Non opinor. Nam Deus prohibuit omne peccatum, quamlibet veniale, si Theologis habenda fides. LA. Fortassis & veniale pertraheret in gehennam, nisi Deus sua misericordia sublevaret imbecillitatem nostram. SA. Non est absurdum dictu; affirmare non ausim. LA. Cum Israelitæ exsularent in Babylone, præter alia plurima quæ lex præscripsit, in multis fuit omissa circumcisio. An omnes hi perierunt? SA. Deus novit. LA. Si Judæus clam fame periclitans vesceretur carne suilla, committeretne crimen? SA. Mea quidem sententia, necessitas excusaret factum: quandoquidem ore Domini defensus est David, quod contra legis præceptum comederit panes sacros, quos appellant *propositionis*: nec solum comedit ipse, sed & fugæ comites profanos iisdem pavit. LA. Si quem ea necessitas constringeret, ut aut pereundum sit fame, aut furtum committendum, utrum eligeret, mortem an furtum? SA. Forsitan in eo casu furtum futurum non esset. LA. Hem quid audio? ovum non est ovum? SA. Præsertim si caperet animo reddendi, placandique dominum, cum primum liceret. LA. Quid si pereundum esset homini, nisi falsum testimonium ferat adversus proximum? utrum eligendum? SA. Mors. LA. Quid si commisso adulterio, possit servare vitam? SA. Potior erit mors. LA. Quid si simplici stupro possis effugere mortem? SA. Moriendum potius, ut ajunt. LA. Cur heic ovum non desinit esse ovum; præsertim si nulla fiat vis aut injuria? SA. Fit injuria corpori puellæ. LA. Quid si perjurio? SA. Moriendum. LA. Quid si simplici nullique noxio mendacio? SA. Docent præoptandam mortem. At ego crediderim gravi necessitate, aut ingenti proposita utilitate mendacium hujusmodi aut nullum esse crimen, aut levissimum, nisi quod aperta fenestra periculum est, ne discamus & perniciosis mendaciis assuescere. Finge incidisse casum, ut innoxio mendacio possit servare & corpora & animas totius patriæ suæ: utrum eliget vir pius? fugiet mendacium? LA. Quid alii sint facturi, nescio: ego vel quindecim Homerica mendacia non verear dicere, moxque labeculam illam abstergerem aqua sacra. SA. Idem ego facerem. LA. Igitur non quidquid Deus præcipit aut interdicit, obligat ad pœnam gehennæ. SA. Non videtur. LA. Modus igitur obligationis non est ab auctore legis tantum, sed ex materia. Quædam enim cedunt necessitati, quædam non cedunt. SA. Sic videtur. LA. Quid si sacerdos periclitetur de vita, servandus, si ducat uxorem, utrum eliget? SA. Mortem. LA. Cum divina lex cedat necessitati, cur hæc lex humana [1] Terminum agit, nulli dignans concedere? SA. Non lex obstat, sed votum. LA. Quid si quis vovisset visere Hierosolymam, nec id posset, nisi certo vitæ dispendio? non ibit? an morietur? SA. Morietur, ni voti relaxationem impetrarit a Pontifice Romano. LA. Cur alterum votum relaxatur, alterum minime? SA. Quia alterum solemne, alterum privatum. LA. Quid est solemne? SA. Quod solet fieri. LA. An non igitur solemne & alterum quod quotidie fit? SA. Fit, sed privatim. LA. Proinde monachus si privatim apud Abbatem profiteretur, non esset votum solemne? SA. Nugaris. Ideo facilius relaxatur votum privatum, quia minore offendiculo solvitur, & is qui facit, hoc animo facit, ut si commodum sit, mutet sententiam. LA. Hoc igitur animo vovent, qui privatim profitentur perpetuam castimoniam? SA. Deberent. LA. Perpetuum igitur, & non perpetuum? Quid si Carthusianum monachum hic constringat casus, ut aut vescendum sit carnibus, aut moriendum? utrum eliget? SA. Docent medici, nullas esse carnes tam efficaces, quin idem efficiat aurum potabile & gemmæ. LA. Utrum igitur conducibilius, gemmis & auro succurrere periclitanti, an earum rerum pretio multos de vita periclitantes servare, & ægroto dare pullum gallinaceum? SA. Hæreo. LA. Atqui piscium aut carnium esus, non est ex eorum numero, quæ vocant substantialia. SA. Carthusianos suo judici relinquamus. LA. Dicamus in genere. Diligenter, frequenter, multisque verbis inculcatur in lege Mosis sabbatismus. SA. Verum. LA. Utrum igitur succurram urbi periclitanti, violato sabbato, an non? SA. At interim me vis esse Judæum? LA. Volo, & quidem recutitum. SA. Istum nodum secuit ipse Dominus: Sabbatum enim hominis caussa est institutum, non contra. LA. Ista lex igitur valebit in omnibus humanis constitutionibus? SA. Valebit; nisi quid obstet. LA. Quid si conditor legis non hoc animo ferat legem, ut quemquam obliget ad pœnam gehennæ, imo ne ad reatum quidem ullum, sed constitutionem nihilo plus velit habere ponderis, quam exhortationem? SA. O bone, non est in manu conditoris, quantum obliget lex? Usus est sua potestate ferendo legem; cæterum ad quid obliget, aut non obliget, id Deo in manu est. LA. Cur igitur audimus quotidie parochos nostros e suggesto clamantes, *Cras jejunandum sub pœna damnationis æternæ*; si nobis non constat, quomodo lex obliget humana? SA. Id faciunt, quo magis terreant contumaces: nam ad hos arbitror ea verba pertinere. LA. Sed interim an contumaces talibus dictis territent, nescio: certe infirmos vel in scrupum, vel in periculum conjiciunt. SA. Difficile est utrisque consulere. LA. Eadem autem est vis consuetudinis & legis? SA. Aliquanto major est consuetudinis. LA. Proinde tametsi non adest animus consuetudinem inducentibus, injiciendi laqueum cuiquam, tamen ob-

1 *Terminum*] Ex Ovidii lib. 2. Fastorum aliisque nota est fabula, quomodo nempe Terminus, Dei loco habitus, quia post exactum Saturnum litigia rusticorum diremisset, solus cunctorum Deorum ne Jovi quidem cedere voluerit.

obligat volentes nolentes? SA. Arbitror. LA. Onus imponere potest, tollere non potest? SA. Admodum. LA. Jam itaque vides, opinor, quantum sit periculi, novas leges ab hominibus ferri, si nulla necessitas urgeat, aut nulla magna invitet utilitas. SA. Fateor. LA. Dominus cum ait, *Nolite omnino jurare*; num quemvis jurantem obnoxium facit gehennæ? SA. Non arbitror. Consilium est enim, [1] non præceptum. LA. At istud unde mihi liquet, cum vix aliud accuratius aut severius interdixerit, quam ne juremus? SA. Disces a doctoribus. LA. [2] Et Paulus cum dat consilium, non obligat ad gehennam? SA. Nequaquam. LA. Cur ita? SA. Quia non vult injicere laqueum infirmis. LA. Est igitur in manu condentis legem, obstringere ad gehennam, aut non obstringere. Et sanctum est cavere, ne quibuslibet constitutionibus illaqueemus imbecilles. SA. Est. LA. Et, si Paulus heic cautionem adhibuit, multo magis sacerdotibus adhibenda; de quibus incertum, quo spiritu agantur. SA. Fateor. LA. Atqui paulo ante negabas esse in manu conditoris, quatenus obstringeret lex. SA. Jam consilium est, non lex. LA. Nihil est facilius, quam commutare vocabulum. Noli furari, præceptum est? SA. Est. LA. Noli omnino resistere malo? SA. Consilium est. LA. At hoc posterius magis habet speciem præcepti, quam illud prius. Saltem hoc est Episcopis in manu, utrum velint esse præceptum, quod instituunt, an consilium? SA. Est. LA. At istud paulo ante fortiter negabas. Etenim qui non vult suam constitutionem quemquam ad ullum crimen adstringere, nimirum vult eam esse consilium, non præceptum. SA. Verum; sed non expedit hoc scire vulgus, ne protinus clamitent esse consilium, quod servare non libet. LA. At quid interim facies tot infirmis conscientiis, tam misere confusis tuo silentio? Verum age, dic mihi, nullisne notis docti deprehendere possunt, utrum consilii vim habeat constitutio, an præcepti? SA. Possunt, sicut audivi. LA. Non licet scire mysterium? SA. Licet, nisi velis effutire. LA. Ah pisci dixeris. SA. Cum nihil audis, nisi hortamur, ordinamus, mandamus, consilium est: cum audis, jubemus, districte præcipimus, præsertim si accedant minæ excommunicationis, præceptum est. LA. Quid si debeam pistori meo, cumque solvendo non sim, fugere malim quam conjici in carcerem; num pecco criminaliter? SA. Non arbitror: nisi desit solvendi voluntas. LA. Cur igitur excommunicor? SA. Istud fulmen territat improbos, non adurit innocentes. Scis enim & apud priscos Romanos fuisse leges diras ac minaces, sed in hoc ipsum tantummodo latas; qualis illa fertur e duodecim tabulis, de dissecando corpore debitoris: [3] cujus ideo nullum exstat exemplum, quod non in usum, sed ad terrorem esset prodita. Jam ut fulmen non agit in ceram aut linum, sed in æs: ita tales excommunicationes non agunt in miseros, sed in contumaces. Et tamen, ut ingenue dicam, in hujusmodi frivolis adhibere fulmen a Christo traditum, propemodum esse videtur, quod veteres dicebant, in lente unguentum. LA. Num idem jus patrisfamilias in sua domo quod Episcopo in sua diœcesi. SA. Arbitror, pro portione. LA. Et hujus præscripta similiter obligant? SA. Quid ni? LA. Edico, ne quis vescatur cæpis: quomodo periclitatur apud Deum, qui non paruerit? SA. Ipse viderit. LA. Posthac non dicam meis, præcipio; sed admoneo. SA. Sapies. LA. Verum perspicio vicinum meum proximum esse periculo, & arreptum clam admoneo, ut sese subducat ab ebriosorum & aleatorum commercio: ille monitorem aspernatus, perditius incipit vivere, quam antea: num heic illum obstringit admonitio? SA. Videtur. LA. Igitur neque consulendo, neque exhortando fugimus laqueum. SA. Imo non adfert laqueum admoni-

A tio, sed admonitionis argumentum. Etenim si frater admonitus, ut crepidis uteretur, negligeret; nullo crimine teneretur. LA. Non heic percunctabor, quantum obligent præscripta medicorum. Votum obstringit ad pœnam gehennæ? SA. Maxime. LA. Omne? SA. Omnissimum; modo sit licitum, legitimum ac liberum. LA. Quid appellas liberum? SA. Quod nulla extorsit necessitas. LA. Quid est necessitas? SA. Est metus cadens in constantem virum. LA. Etiam in Stoicum? quem [4] si fractus illabatur orbis, impavidum ferient ruinæ. SA. Istum Stoicum mihi ostende, & respondebo. LA. Sed extra jocum; num famis aut infamiæ metus, cadit in constantem virum? SA. Quid ni? LA. Si B filia nondum emancipata clam nubat insciis parentibus, nec passuris si sciant; legitimum erit votum? SA. Erit. LA. An sit, nescio: certe si qua sunt, hoc est unum ex illorum numero, quæ licet vera sint, tamen ob scandalum imbecillium silenda sunt. Quid si virgo quæ ex auctoritate parentum contraxit matrimonium cum sponso, clam & invitis parentibus, voto semet addicat collegio sanctæ Claræ; eritne licitum & legitimum? SA. Si fuerit solemne. LA. Num solemne est, quod in agro fit in obscuro monasteriolo? SA. Sic habetur. LA. Si eadem domi, paucis testibus voto profiteatur perpetuam corporis integritatem, non erit legitimum? SA. Non. LA. Quam ob rem? SA. Quia sanctius votum obstat. LA. Eadem puella si vendat agellum, valebit contractus? SA. Non C opinor. LA. Et valebit si seipsam dederit in potestatem alienam? SA. Si se Deo dicaverit. LA. An non & votum privatum dicat hominem Deo? Et qui suscipit sanctum conjugii sacramentum, nonne se dicat Deo? Et quos Deus jungit, dicant se diabolo? De solis conjugibus dixit Dominus, *Quos Deus junxit, homo ne separet*. Ad hæc, cum adolescens vix dum pubescens, aut puella simplex, minis parentum, sævitia tutorum, improbis instinctibus monachorum, blanditiis & odiis protruditur in monasterium; num liberum est votum? SA. Si sint doli capaces. LA. Ea ætas maxime capax est doli, ut cui facillime possis imponere. Quid si proponam in animo, diebus Veneris abstinere a vino, perinde obstringit propositum ut votum? SA. Non arbitror. LA. Quid igitur interest inter certum propositum, & votum tacita cogi- D tatione conceptum? SA. Animus obligandi. LA. Negabas ante, heic valere animum. Propono si queam; & voveo, sive queam, sive non queam? SA. Habes. LA. Habeo nebulas in pariete depictas, hoc est, nihil. Est igitur & in proposito dispicienda materiæ ratio? SA. Opinor. LA. Et ut illic a legis, ita heic a voti nomine cavendum? SA. Recte. LA. Si Romanus Pontifex statueret, ne quis jungat matrimonium intra septimum propinquitatis gradum, admitteret crimen, qui duceret cognatam gradu sexto? SA. Opinor; certe periclitaretur. LA. Quid si Episcopus suis ediceret, ne quis haberet rem cum uxore, nisi die Lunæ, Jovis & Sabbati; committeret crimen, qui clam aliis diebus uteretur uxore? SA. Arbitror. LA. Quid si ediceret, ne quis bulbis vescere- E tur? SA. Quid istuc ad pietatem? LA. Quia bulbi provocant libidinem. Quod de bulbis dico, idem dictum puta de erucis. SA. Hæreo. LA. Quid hæres? Unde est humanis legibus obligandi vis? SA. Ex dictis Pauli, [5] *Obedite præpositis vestris*. LA. Hinc igitur obligat omneis Episcoporum ac magistratuum constitutio? SA. Modo sit æqua, justa, & legitime lata. LA. Sed istius rei quis erit judex? SA. Ipse qui condidit. Nam ejus est interpretari, cujus est condere legem. LA. Ergo citra delectum est obediendum quibuslibet constitutionibus? SA. Opinor. LA. Quid, si præpositus stultus & impius, ferat legem impiam & iniquam? ipsius judicio standum erit; & populus, cui nullum est judicandi jus, obtemperabit? SA. Quorsum attinet ea somniare, quæ non F fiunt? LA. Qui subvenit parenti, non subventurus nisi lex cogeret, num implevit legem? SA. Non arbitror. LA. Qui sic? SA. Primum non satisfacit animo ejus, qui condidit legem: deinde voluntati impiæ addit hypocrisin. LA. Qui jejunat, non jejunaturus nisi præciperet ecclesia, num satisfacit legi? SA. Mutas & auctorem legis, & materiam. LA. Confer igitur Judæum sic jejunantem diebus præscriptis, ut, ni lex hunc adigat, non sit jejunaturus, cum Christiano servante jejunium ab hominibus indictum, haud qua-

1 Matth. v, 34.
2 1 Cor. vii, 25.
3 *Cujus ideo nullum*] Verba Agellii sunt lib. 20. cap. 1. *Tertiis nundinis capite pœnas dabant debitores, aut trans Tiberim peregre venum ibant. Sed eam capitis pœnam sanciendæ fidei gratia, horrificam atrocitatis ostentu novisque terroribus metuendam reddiderunt. Nam si plures forent, quibus reus esset judicatus, secare si vellent atque partiri corpus addicti sibi hominis permiserunt. Et quidem verba ipsa legis dicam, ne existimes invidiam me istam forte formidare.* TERTIIS, *inquit*, NUNDINIS. PARTIS. SECANTO. SI. PLUS. MINUS. VE. SECUERUNT. SE. FRAUDE. ESTO. *Nihil profecto immitius, nihil immanius; nisi, ut reipsa apparet, eo consilio tanta immanitas pœnæ denunciata est, ne ad eam unquam perveniretur. Addici namque nunc & vinciri multos videmus; quia vinculorum pœnam deterrimi homines contemnunt. Dissectum esse antiquitus neminem equidem neque legi neque audivi. Quoniam sævitia ista pœnæ contemni non quita est.*

4 *Si fractus illabatur orbis*] Retulit verba ex Flacci Carm. Lib. iii. Od. iii, 8.
5 *Obedite præpositis vestris*] Verba Pauli exstant ad Rom. 13. vers. 1.

quaquam servaturo si legem tollas: aut si mavis, Judæum abstinentem a carne suilla, & Christianum abstinentem a carnibus & lactariis die Veneris. SA. Infirmitati nonnihil reluctanti legi, puto paratam esse veniam; certo proposito legem aversanti & obmurmuranti non item. LA. Atqui fateris leges divinas non semper obligare ad pœnam gehennæ? SA. Quid ni fatear? LA. Nec audes fateri esse legem humanam, quæ non obligat ad eandem pœnam, sed hominem relinquis in ancipiti? Videris igitur aliquanto plus tribuere legibus hominum, quam Dei. Mendacium & obtrectatio suapte natura sunt mala, & a Deo prohibita; & tamen fateris esse aliquod mendacii & obtrectationis genus, quod non obliget ad pœnam gehennæ; nec audes eum qui quomodocunque vescitur carnibus in die Veneris, liberare a pœna gehennæ. SA. Non est meum quemquam absolvere aut damnare. LA. Si divinæ leges & humanæ pariter obstringunt, quid igitur interest inter has & illas? SA. Nimirum quod qui violat legem humanam, immediate peccat adversus hominem, (si mihi concedis scholasticorum flosculis uti) mediate adversus Deum; qui violat legem divinam, contra. LA. Quid refert, utrum prius miscueris acetum, an absynthium, cum mihi utrumque sit ebibendum? Aut qui refert, utrum lapis a me vulnerato repercussus feriat amicum, an ordine verso? SA. Hoc didici. LA. Et si ex materia circumstantiisque sumitur obligandi modus in utrisque legibus; quid interest inter auctoritatem Dei, & hominum? SA. Impia percunctatio. LA. Attamen multi credunt plurimum interesse. Deus tulit legem per Mosen, nec licet violare: idem fert leges per Pontifices, aut certe Concilium; quid interest inter has & illas? Lex Mosis per hominem, leges nostræ per homines. Et videntur minus ponderis habere quæ Deus tulit per unum Mosen, quam quæ Spiritus Sanctus edit per frequens Episcoporum & Eruditorum concilium. SA. De Spiritu Mosis dubitare non licet. LA. Paulus in Episcoporum vicem venit. Quid igitur interest inter Pauli præcepta, & cujuslibet Episcopi? SA. Quia sine controversia Paulus scripsit afflatus Spiritu. LA. Hæc scriptorum auctoritas quousque se porrigit? SA. Arbitror non ultra Apostolos, nisi quod conciliorum est inviolata auctoritas. LA. Quare de Pauli Spiritu dubitare non licet? SA. Quia obstat Ecclesiæ consensus. LA. De Episcopis dubitare licet? SA. De his nihil temere suspicandum, nisi res ipsa palam clamitet quæstum, aut impietatem. LA. Quid de conciliis? SA. Non licet, si fuerint rite & per Spiritum Sanctum congregata, peractaque. LA. Est igitur aliquod concilium, in quod ista non competunt? SA. Esse potest. Quod ni esset, Theologi nequaquam adderent hanc exceptionem. LA. Videtur igitur & de conciliis dubitari posse. SA. Non arbitror, posteaquam fuerint Christianarum gentium judicio consensuque recepta comprobataque. LA. Posteaquam excessimus pomœria, quibus Deus voluit circumscribi sacrosanctam illam & inviolabilem Scripturæ auctoritatem, videtur mihi & aliud esse discrimen legum divinarum & humanarum. SA. Quod? LA. Leges divinæ sunt immutabiles, nisi si quæ sint ejus generis, ut significandi coërcendive gratia videantur ad tempus datæ, quas & Prophetæ desituras juxta carnalem sensum prædixerunt, & Apostoli jam omittendas docuerunt. Deinde, inter leges humanas exsistunt nonnunquam iniquæ stultæque & pestilentes; unde & abrogantur vel auctoritate superiorum, vel consentiente neglectu populi. Tale nihil est in legibus divinis. Rursus humana lex suapte sponte cessat, ubi cessarit caussa propter quam lata est: veluti si constitutio juberet singulos quotannis aliquid conferre in structuram templi, templo absoluto cessat rigor legis. Ad hæc, lex ab hominibus lata, non est lex, nisi fuerit utentium consensu comprobata. Lex divina nec expendi debet, nec potest abrogari. Quanquam & Moses legem laturus, suffragia populi collegit, non quod hoc esset necesse, sed ut illos magis haberet obnoxios. Impudens enim est, legem contemnere, quam tuo suffragio comprobaris. Postremo cum leges hominum, quæ fere corporalia præscribunt, pædagogi sint ad pietatem, cessare videntur, ubi quis profecit ad spiritus robur, ut jam talibus cancellis non egeat, modo pro virili vitetur scandalum infirmorum, non malitiose superstitiosorum. Velut si pater præscribat filiæ impuberi, ne bibat vinum, quo tutior sit illius virginitas usque ad nuptias; cum adoleverit, jamque viro tradita fuerit, non tenetur præcepto patris. Multa leges habent instar pharmacorum; ea vero mutantur & cedunt pro re nata, ipsis etiam medicis approbantibus; qui si semper iisdem uterentur remediis a veteribus proditis, plures occiderent quam sanarent. SA. Multa tu quidem congeris, quorum nonnulla placent, aliqua displicent, quædam non intelligo. LA. Si lex Episcopi quæstum evidenter oleat, hoc est, statuat, ut singuli parochi bis in anno emant aureo ducato jus absolvendi a casibus, quos vocant Episcopales, quo plus extorqueat a suis; obtemperandum censes? SA. Censeo, sed interim clamandum adversus legem iniquam, exclusa semper seditione. Sed unde hic mihi percunctator lanio? Tractent fabrilia fabri. LA. Hujusmodi quæstionibus sæpe torquemur in conviviis, interdum diatriba fervescit ad pugnam & sanguinem. SA. Pugnent qui volent: ego censeo leges majorum esse reverenter suscipiendas, & observandas religiose, velut a Deo profectas; nec esse tutum, nec esse pium, de potestate publica sinistram concipere aut serere suspicionem. Et si quid est tyrannidis, quod tamen non cogat ad impietatem, satius est ferre, quam seditiose reluctari. LA. Ista quidem ratione fateor bene consultum rebus eorum, qui dignitate pollent; & tecum sentio, nec illis invideo. Cæterum lubens audiam rationem, qua consulatur & populi vel libertati, vel commodis. SA. Deus non destituet populum suum. LA. Verum ubi interim illa libertas Spiritus, quam Apostoli promittunt ex Euangelio, quam Paulus toties inculcat clamans, *Regnum Dei non est esca & potus*; 1 *& quod filii non simus sub pædagogo, nec amplius serviamus elementis hujus mundi*; aliaque innumera: si tanto pluribus constitutionibus onerantur Christiani quam Judæi, & si arctius obligant hominum leges, quam pleraque a Deo tradita præcepta? SA. Dicam, Lanio. Non in hoc est Christianorum libertas, ut liceat illis facere quæ velint, liberis a constitutionibus humanis: sed quod ex fervore Spiritus ad omnia prompti, lubentes & alacres ea faciunt quæ præscribuntur, nimirum, filii potius quam servi. LA. Expedite: sed erant & sub lege Mosaica filii, & sunt sub Euangelio servi; atque adeo vereor ne maxima pars hominum; siquidem servi sunt, qui lege coacti suum officium faciunt. Quid igitur discriminis inter novam & veterem? SA. Meo judicio, multum interest. Quod vetus sub involucris docuit, nova sub oculos posuit: quod illa sub ænigmatibus prædixit, hæc dilucidius ostendit: quod illa subobscure promisit, hæc exhibuit maxima quidem ex parte: illa tradita erat uni genti, hæc ex æquo docet omnes salutem: illa paucis Prophetis & eximiis viris impertiit insignem illam & spiritualem gratiam; hæc omne donorum genus largiter effudit in omnium ætatum, sexuum & nationum homines, linguas, sanationes, prophetias, miracula. LA. Ubi nunc igitur ista; SA. Cessarunt, non interierunt: vel quia non est opus, jam evulgata Christi doctrina; vel quia plerique titulo tantum Christiani, fide, quæ est miraculorum architectrix, caremus. LA. Si propter incredulos ac diffidentes opus est miraculis, talium nunc plena sunt omnia. SA. Est incredulitas simpliciter errans, qualis erat Judæorum 2 obmurmurantium Petro, quod Cornelii familiam recepisset ad Euangelii gratiam: qualis erat gentium, quæ religionem, quam a majoribus acceperant, putabant esse salutiferam, & Apostolorum doctrinam esse superstitionem peregrinam: hi conspectis miraculis conversi sunt. Nunc qui diffidunt Euangelio, tanta luce per universum orbem coruscante, non simpliciter errant, sed excæcati malis affectibus nolunt intelligere, ut bene agant: hos nulla miracula reducerent ad mentem meliorem. Et sanandi tempus nunc est, puniendi post futurum est. LA. Quanquam multa dixisti satis probabiliter, tamen mihi propositum est, non fidere salsamentario; sed adibo Theologum quendam eximie doctum: quidquid is de singulis pronunciaverit, cœlestis oraculi vice fuerit. SA. Quis iste? Pharetrius? LA. Ille simpliciter delirat & ante annos, dignus qui concionetur deliris aniculis. SA. Bliteus? LA. An ego tam loquaci sophistæ credam? SA. 3 Amphicolus? LA. Nunquam ei credam in

1 *Et quod filii*] Vide Paulum ad Galat. 2. v.4.5. & Gal.3. v.23.24.25.
2 *Obmurmurantium*.] Historia exstat Actor. 11. v. 1. 2. 3.
3. Legendum videtur *amphibolus*, ἀμφίβολος, hoc est, *dubius*, *ambiguus*, qualis solvendis quæstionibus parum aptus; nisi forte scripserit ἀμφίχωλος, *utrimque claudus*, quod metaphorice idem sonat; nam ἀμφίκωλος quid hic esse possit, nescio.

A in solvendis quæstionibus, cui meo malo credidi carnes meas. An ille bona fide solvat problemata, qui pessima fide nondum solvit pecuniam? SA. [1] Lemantius? LA. Non utor cæcis ad indicandam viam. SA. Quis igitur? LA. Si scire vis, Cephalus est, vir trium linguarum, & omnis politioris literaturæ perpulchre gnarus, tum in sacris voluminibus & vetustis Theologis diu studioseque versatus. SA. Dabo rectius consilium. Eas ad inferos; illic invenies Rabbinum Druinum, qui Tenedia bipenni dissecabit omnes tuas quæstiunculas. LA. Tu præi, quo mihi viam appares. SA. Sed extra jocum: Estne verum, quod narras, datam potestatem vescendi carnibus? LA. Ludebam, te ut urerem. Et, si Romanus Pontifex id vellet maxime, ordo salsamentariorum moveret seditionem. Deinde mundus est plenus
B Pharisaicis hominibus, qui non alia re sibi possunt vindicare sanctimoniam, nisi talibus observatiunculis: hi nec paterentur sibi detrahi jam partam gloriam, nec sinerent minoribus plus esse libertatis quam ipsis fuit. Ne in lanionum quidem rem esset, permitti liberum quarumlibet rerum esum. Tum enim varius esset eventus nostræ negotiationis; nunc certius est lucrum, & minus aleæ, minusque laborum. SA. Verissima prædicas; sed eadem incommoditas ad nos rediret. LA. Gaudeo tandem inventum aliquid, in quo salsamentario cum lanione conveniat. Jam ut incipiam & ipse serio loqui, quemadmodum fortassis expediret populum Christianum paucioribus constitutiunculis obstringi, præsertim si quæ non multum, aut nihil conducunt ad pietatem, ne
C dicam officiunt: ita non libet ab istis stare, qui omnes omnium hominum constitutiones rejiciunt, neque flocci faciunt. Imo ob hoc ipsum multa faciunt, quia præceptum est ne faciant. Attamen demirari non possum in plerisque rebus præpostera mortalium judicia. SA. Idem nec ego satis admirari possum. LA. Cœlum terræ miscemus, si quid periculi suspicamur, ne quid decedat ponderis sacerdotum constitutionibus auctoritatique: & dormitamus, cum imminet evidens periculum, ne tantum tribuamus hominum auctoritati, ut auctoritati Divinæ minus tribuatur quam oportet. Sic a Scylla declinamus, ut non metuamus Charybdim, malum exitialius. Debetur Episcopis suus honos; quis negat? præsertim si agunt quod dicuntur. Sed impium est, honores soli Deo debitos, transferre in homines, & dum impense
D reveremur hominem, parum revereri Deum. Honorandus Deus in proximo, venerandus in proximo; sed interim adhibenda cautio, ne Deus per hanc occasionem suo fraudetur honore. SA. Itidem videmus multos in tantum fidere corporalibus cæremoniis, ut his freti, negligant ea quæ sunt veræ pietatis; suis meritis arrogantes quod est divinæ largitatis, & ibi consistentes, unde gradus erat ad perfectiora, & ex his rebus proximum calumniantes, quæ per se nec bonæ sunt, nec malæ. LA. Quin in eadem re cum duo sunt, quorum alterum altero præstantius, semper deterioris est nobis potior ratio. Corpus, & quæ corporis sunt, ubique pluris fiunt, quam ea quæ sunt animi. Et hominem
E occidisse, pro gravi crimine ducitur, ut est: at pestifera doctrina, vipereis instinctibus corrupisse mentem hominis, ludus est. Si sacerdos alat capillitium, aut vestem sumat hominis profani, rapitur in carcerem, acriter punitur: si bibat in lupanari, si scortetur, si ludat aleam, si vitiet alienas uxores, si nihil attingat sacræ lectionis, tamen columna est ecclesiæ. Non excuso mutatam vestem, sed accuso præposterum judicium. SA. Imo si non persolvat pensum precum horariarum, paratum est anathema; si fœneretur, si simoniam admittat, impune est. LA. Si quis videat Carthusianum aliter vestitum, aut vescentem carnibus, quam exsecratur, quam horret, quam timet, ne terra dehiscens & spectatorem & spectatum absorbeat! idem si videat eum
F temulentum, mendacibus verbis in famam aliorum debacchantem, manifestis dolis imponentem tenui vicino, nemo perinde abominatur. SA. Veluti si quis videat Franciscanum enodi cingulo cinctum, aut Augustinensem non corio, sed lana cinctum, aut discinctum Carmelitam, aut cinctum Rhodiensem: rursus si percalceatum Franciscanum, aut semicalceatum Cruciferum: nonne concitaret Tyria (quod dici solet) maria? LA. Imo nuper apud nos ex duabus fœminis, quarum utramque dixisses prudentem, altera

[1] Fictum nomen ἀπὸ τῆς λήμης, hoc est, *a lippitudine*.

abortiit, altera concidit syncope, quod conspicerent Canonicum quendam sacris virginibus præfectum, in propinqua vicinia, sed tamen in publico, obambulare, qui vestem lineam non haberet tectam nigro pallio. At eædem crebro viderant aves ejusmodi comessantes, cantillantes, saltitantes, non addam cætera, nec ullam sentiebant nauseam. SA. Sexui fortasse debetur venia. Opinor tibi notum Polythrescum. Is ægrotabat periculose: phthisis erat. Medici diu suaserant, ut vesceretur ovis & lactariis; sed frustra: eodem cohortabatur Episcopus. Ille cum esset vir non indoctus, & Theologiæ baccalaureus, videbatur citius emoriturus, quam utriusque medici consilio morem gesturus. Ita visum est medicis & amicis ut falleretur; parata est sorbitio ex ovis & lacte caprino: dictum est lac amygdalinum. Ille lubens comedit, & idem aliquot diebus faciens, cœpit habere meliuscule, donec puella quædam fucum prodidit. Ibi cœpit quod comederat revomere. At idem superstitiosus in lacte, nulla religione commotus est, quo minus abjuraret pecuniam mihi debitam. Nam chirographum simpliciter exhibitum clam ungui sciderat. Delatum est jusjurandum; ego illi cessi. Is vero tam non gravatim recepit, ut optare videretur quotidianas ejusmodi delationes. Quid hoc judicio perversius? Peccabat adversus mentem ecclesiæ, qui heic non obtemperarit sacerdoti & medicis: & in perjurio manifesto firmam habebat conscientiam, tam infirmus in lacte. LA. Heic mihi succurrit fabula, quam nuper Dominicanus quidam narravit in concione frequentissima, quo sermonis amaritudinem (nam in die parasceves exponebat mortem Domini) jucundiore narratione dilueret. Virginem sacram oppresserat adolescens: uteri tumor arguit factum, convocatus est virginum chorus, præsedit Abbatissa. Accusata est. Inficiali statui non erat locus. Argumentum erat necessarium. Confugit ad statum qualitatis, nisi mavis translationis. Oppressa sum a valentiore. At saltem exclamasses. Fecissem, inquit, sed in dormitorio nefas est solvere silentium. Sit hæc fabula; modo fateamur hoc stultiora geri permulta. Nunc dicam quod his oculis vidi. Nomen hominis locique silebitur. Habebam affinem Priorem, Abbati proximum, ordinis Benedictini, sed ex eorum numero qui non vescuntur carnibus, nisi extra locum, quem appellant magnum refectorium. Habebatur doctus, & ipse volebat haberi, annos natus fere quinquaginta. Certare poculis, & hilarescere vino, erat illi quotidianum. Duodecimo quoque die adibat thermas publicas: illic dabatur opera purgandis renibus. SA. Erat unde id fieret? LA. Possidebat annuos sexcentos florenos. SA. O paupertatem optabilem! LA. Ex vino & Venere incidit in phthisin. Desperantibus medicis, Abbas imperabat esum carnium, addens illud terribile verbum, *sub pœna inobedientiæ*. Ille vix adigi potuit, ut moriens gustaret carnes, a quibus tot annis non abhorruerat. SA. Prior tali Abbate dignus. Divino tamen, quos dicas: nam eandem fabulam & ab aliis audire memini. LA. Divina. SA. Nonne Abbas est prægrandi obesoque corpore, lingua subblæsa? Prior humiliore statura, sed erecta, gracili vultu? LA. Divinasti. SA. Accipe par pari relatum. Audies quod nuper ipse vidi, cuique non interfui solum, verum etiam propemodum præfui. Erant duæ monachæ, quæ visebant cognatos suos. Ubi venissent quo volebant, famulus per oblivionem reliquerat codicem precum juxta consuetudinem ordinis & loci in quo vivebant. Deum immortalem, quanta illic perturbatio! Non audebant cœnare, nisi dictis precibus vespertinis, nec sustinebant ex alio codice dicere quam ex suo. Interim tota domus cœnaturiebat. Quid multis? Cantherio recurrit famulus: sub multam noctem adfert relictum codicem. Dicuntur preces, vixque ad decimam cœnavimus. LA. Hactenus nihil audio quod sit magnopere reprehendendum. SA. Nimirum dimidium dumtaxat audisti fabulæ. Inter cœnandum cœperunt illæ virgines hilarescere vino: tandem risu soluto, jocis parum pudicis perstrepuit convivium; sed nemo licentius egit, quam illæ, quæ nisi dictis ex ordinis forma precibus, cœnare noluerunt. A convivio, lusus, choreæ, cantilenæ, reliqua non audeo commemorare. Sed plane vereor, ne quid ea nocte patratum sit parum virgineum, nisi me fallebant procemia, lascivi lusus, nutus & suavia. LA. Istam perversitatem non tam imputo virginibus, quam sacerdotibus, earum curam gerentibus. Sed age, fabulam fabula pensa-

bo, quin potius audies oculatam historiam. Hisce diebus A aliquot conjecti sunt in carcerem, quod ausi sint die Dominico panem coquere, cum forte deesset. Equidem non damno factum, sed excutio judicium. Aliquanto post die Dominico, qui vulgo *Palmarum* dicitur, forte erat cur vicus propinquus mihi esset adeundus. Ibi tum ad horam diei ferme quartam a prandio, obvium habeo ridiculumne dicam, an miserandum spectaculum; arbitror nulla Bacchanalia plus habuisse turpitudinis. Alii vacillabant huc illuc vino, non aliter quam navis destituta rectore jactatur ventis & fluctibus. Erant qui complexi brachium alterius sustinebant lapsantem, sed ipsi parum firmi: alii subinde cadebant, ægreque surgebant: nonnulli quernis frondibus erant coronati. SA. Magis conveniebat pampineis; tum addendi B thyrsi. LA: Senior quidam Silenum agens, sarcinæ in morem sublimis gestabatur humeris, eo gestu quo solent olim efferri cadavera, pedibus eo porrectis quo ibant, nisi quod pronus bajulabatur, ne vomitu præfocaretur supinus. Is misere convomebat suras & calcaneos extremorum bajulorum. Nec inter bajulos quisquam erat sobrius; plerique ridebant, sed sic, ut facile diceres mentem abesse. Bacchi furor habebat omnes. Atque hac pompa civitatem ingressi sunt, idque clara luce. SA. Unde collegerant eam insaniam? LA. In vico propinquo vinum paulo vilius venditur, quam in urbe: eo se contulerant aliquot combibones, quo vilius insanirent, sed largius. Non enim minus impensum est pecuniæ, sed plus contractum est dementiæ. Hi si gustassent ovum, velut admisso parricidio pertracti fuissent in carce- C rem: cum præter omissam sacram concionem, præter neglectas preces vespertinas, in die tam sacro, tantum intemperantiæ publicitus esset admissum, nemo puniit, nemo detestatus est. SA. Atqui ne istuc tantopere mireris, in mediis urbibus, in popinis templo proximis, diebus quamlibet festis potatur, cantatur, saltatur, pugnatur tanto strepitu, tantoque tumultu, ut nec sacrum peragi, nec sacra concio possit exaudiri. Iidem si eodem tempore consuissent calceum, aut si in die Veneris gustassent suillam, capitis accerserentur. Et tamen dies Dominicus ob hoc potissimum est institutus, quo vacaret audire doctrinam Euangelicam: & ideo vetitum consuere calceos, ut sit otium concinnandis animis. An non hæc mira judiciorum perversitas? LA. Prodigiosa. Jam in ipso jejunii præscripto, cum duo sint; D alterum abstinentia cibi, alterum delectus cibi; nemo nescit prius illud præcepti divini, aut certe juxta præceptum divinum esse; alterum vero non solum humanum, verum etiam propemodum pugnans cum Apostolica doctrina, utcunque hóc excusamus: tamen heic quoque præpostero judicio cœnare vulgo impune est, gustasse cibum ab homine vetitum, a Deo permissum, & item ab Apostolis, capitale est. Jejunium tametsi non constat esse certo præceptum ab Apostolis, tamen illorum exemplis ac literis commendatum est: at interdictum ciborum esum, quos Deus creavit 1 ad vescendum cum gratiarum actione, ut tueamur apud judicem Paulum, quot lemmatis est opus? Et tamen toto E passim orbe cœnatur affatim, nullus offenditur: si valetudinarius gustet pullum gallinaceum, periclitatur Christiana religio. In Anglia vulgus Quadragesimæ tempore, justam cœnam apparat alternis diebus, nemo miratur: si febri periclitans tentet attingere jus pulli, plus quam sacrilegium admissum videtur. Apud eosdem in Quadragesima, quo jejunio ut nihil antiquius, ita nihil sanctius habitum est apud Christianos, impune cœnatur, ut dixi: si tentes idem extra Quadragesimam die Veneris, nemo feret. Si quæras, quam ob rem? allegant patriæ consuetudinem. Exsecrantur eum qui regionis negligit consuetudinem: & ipsi sibi ignoscunt, qui negligant vetustissimam totius ecclesiæ consuetudinem. SA. Nec probandus est, qui sine caussa negligit F consuetudinem patriæ, in qua vivit. LA. Nec ego criminor eos, qui Quadragesimam cum Deo ventreque partiuntur, sed indico præposterum de rebus judicium. SA. Cum dies Dominicus præcipue legatur institutus, quo populus simul conveniret ad audiendum sermonem Euangelicum: qui non audit missam, abominabilis est: qui negligit concionem, malens pila ludere, purus est. LA. Quantum flagitium admissum existiment, si quis sumat Eucharistiam illotis faucibus? quam nihil trepidant, cum idem faciunt illoto animo, perversisque cupiditatibus sordidato? SA. Quam multi sunt sacerdotes, qui citius mortem oppetant, quam sacrificent calice & patina nondum ab Episcopo consecrata; aut quam sacrificent veste quotidiana? At inter hos qui sic affecti sunt, quam multos videmus, qui non verentur ad sacram mensam accedere, noctis proximæ crapula adhuc temulenti? Quanta trepidatio, si forte contigerint corpus Domini, ea manus parte, quæ sacro oleo contacta non fuit? Quin eadem religione dispicimus, ne profanus animus offendat Dominum? LA. Vasa sacra non attingimus, & piaculum admissum arbitramur, si id forte acciderit; & interim viva templa Sancti Spiritus, quam securi violamus? SA. Humana constitutio vetat, ne nothus, claudus, aut luscus recipiatur ad sacra ministeria. Hic quam sumus difficiles? & tamen interim passim recipimus indoctos, aleatores, temulentos, milites & homicidas. Dicunt, Latent nos animorum morbi. De occultis non loquor, de his loquor quæ magis in propatulo sunt, quam vitia corporis. LA. Sunt & Episcopi, qui ex functionibus nihil sibi vindicant, præter rationes, aliaque sordida: concionandi munus, quæ prima dignitas est Episcopi, cedunt quamlibet sordidis; haud quaquam facturi, nisi præpostero judicio tenerentur. SA. Qui festum diem violat ab Episcopo quopiam institutum, rapitur ad pœnam. Et satrapæ quidam, qui tot constitutionibus Pontificum & conciliorum, tot fulminibus fortiter contemptis, impediunt canonicas electiones, opprimunt immunitates Ecclesiasticorum, ne his quidem parcentes domibus, quæ fovendis senibus, ægrotis & egenis ex piorum hominum eleemosynis institutæ sunt: abunde Christiani sibi videntur, si sæviant in levissimarum rerum prævaricatores. LA. Præstat satrapas missos facere; loquique de salsamentis & carnibus. SA. Assentior; redeamus igitur ad jejunium & pisces. Audivi Pontificum leges nominatim excipere pueros, senes, ægrotos, invalidos, gravem laborem sustinentes, gravidas, lactantes, ac vehementer tenues. LA. Idem & ipse frequenter audivi. SA. Rursus audivi præcellentem quendam Theologum, opinor Gersoni nomen esse, hoc addere, si quis exstiterit caussæ paris momenti, cum his quæ Pontificum leges nominatim excipiunt, similiter cessare vigorem præcepti. Sunt enim corporum peculiares habitus, qui reddunt capitaliorem inediam, quam morbus evidens; & sunt vitia, morbive, qui non apparent, cum revera plus habeant discriminis. Proinde qui sibi notus est, nihil opus habet consulere sacerdotem; quemadmodum infantes non consulunt sacerdotem, quia causa eximit illos a lege. Et qui pueros, aut vehementer senes, aut alioquin invalidos adigunt ad jejunium, aut esum piscium, bis peccant, primum adversus fraternam caritatem; deinde adversus mentem Pontificum, qui nolunt eos involvi lege, quibus observata perniciem adferret. Christus quidquid instituit, ad sanitatem animi & corporis instituit. Nec ullus Pontifex sibi vindicat tantam potestatem, ut sua constitutione quemquam adigat ad vitæ discrimen. Veluti, si quis ex inedia vespertina contrahat insomniam, & ob insomniam periclitetur paraphrenesi, simul & adversus Ecclesiæ mentem, & adversus Dei voluntatem homicida est sui. Principes quoties commodum est, edita lege minantur supplicium capitale. Quid illis liceat, non definio: illud dicam, tutius facerent, si non infligerent mortem corporis, nisi ob caussas in Divinis literis expressas. In odiosis Dominus longius avocat ab extrema linea, velut a perjurio, vetans omnino jurare, in homicidio prohibens irasci: nos ob humanam constitutionem ad extremam homicidii lineam impellimus, quam vocamus necessitatem. Imo quoties apparet causa probabilis, caritatis est ultro hortari proximum ad ea quæ postulat corpusculi imbecillitas. Et, si nulla apparet causa, tamen Christianæ caritatis est benigne interpretari, quod recto animo fieri potest, nisi qui comedit, præ se ferat manifestum Ecclesiæ contemtum. Contumaciter ac seditiose vescentes, recte punit magistratus profanus: at quid quisque domi suæ pro corpusculi sanitate comedat, medicorum est curare, non magistratuum. Quod si quorum improbitas hinc quoque concitet tumultum; ipsi seditionis accersantur, non is qui servivit valetudini, nec divina, nec humana lege violata. Heic certe non in loco prætexímus auctoritatem Pontificum, quorum tanta est humanitas, ut ubi cognorint causam

1 *Ad vescendum*] Locus exstat apud Paulum 1 Tim. 4. ℣. 3. 4. Ubi hanc ciborum prohibitionem doctrinam Dæmoniorum nuncupat.

A sam haud absurdam, ultro invitent ad ea quæ postulat valetudo, diplomatis arment adversus malorum obtrectationes. Denique per universam Italiam patiuntur in certis macellis vendi carnes, nimirum illorum saluti consulentes, quos illa lex non adstringit. Quin & in concionibus sacris audivi Theologos paulo minus Pharisaicos dicere, Nihil est quod vereamini cœnæ tempore sumere panem unum, & heminam vini cervisiæve, propter imbecillitatem humani corporis. Si tantum sibi sumunt auctoritatis, ut pro cœna cœnulam indulgeant validis, idque contra præceptum ecclesiæ, quæ jejunium indixit, non cœnulam; cur non audent justam cœnam permittere iis, quorum imbecillitas hoc requirit, & Pontifices expressis caussis declararunt sibi placere? Dicatur zelus, si quis durius tractet corpus suum: **B** nam sibi quisque notus est: at ubi pietas, ubi caritas istorum, qui contra legem naturæ, contra legem Dei, contra sensum legis Pontificiæ, fratrem imbecillem, spiritu promtum, corpusculo infirmum, ad mortem adigunt, aut morbum morte duriorem? LA. Suggerit mihi tua commemoratio quiddam, quod ante biennium vidi. Erotem nosti, virum jam natu grandem, videlicet sexagenarium: valetudine plus quam vitrea, tum quotidianis morbis, iisque atrocissimis, gravissimisque studiorum laboribus sic afflicta, ut vel Milonem possint dejicere: ad hæc occulta quadam naturæ proprietate, vel a puero sic & abhorrens a piscium esu, & impatiens inediæ, ut nunquam id tentarit absque capitis discrimine: postremo diplomatis Pontificum abunde communitus adversus Pharisaicas linguas. Is nuper eo vocantibus ami- **C** cis, inviserat civitatem Eleutheropolim, non omnino suo nomini respondentem. Erat autem Quadragesimæ tempus: datus est unus atque alter dies amicorum affectibus. Interim vescebatur piscibus, ne quem offenderet, cum haberet præter necessitatem a Pontifice diploma, per quod licebat vesci quibuslibet. Jam præsentiebat morbum imminentem, quem habebat familiarem, sed morte crudeliorem: parat abitum, & res urgebat, nisi maluisset ibi decumbere. Ibi quidam suspicantes illum hoc maturius abire, quod non ferret esum piscium, effecerunt, ut Glaucoplutus vir apprime doctus, & primæ in ea Republica auctoritatis, Erotem invitaret domum suam ad jentaculum. Eros jam turbæ satur, quam in publico diversorio vitare non poterat, assensus est; sed hac lege, ne quis esset apparatus præter ova duo; quæ **D** stans ubi comedisset, equum conscenderet. Promissum est ita fore. Ubi eo venit, paratus erat pullus gallinaceus. Eros indigne ferens, præter ova nihil attigit; & abrumpens convivium, conscendit equos, deducentibus eruditis aliquot. Ejus pulli nidor nescio quo modo pervenerit ad sycophantas. Ab his rumor sparsus est tam atrox, ac si decem homines fuissent veneno necati. Nec ea civitas modo perstrepuit hac fabula; sed eodem ferme die rumor ad alias civitates transvolarat, quæ aberant itinere tridui. Atque, ut fit, rumor aliquid veris addiderat; Erotem, ni propere fugisset, accersendum fuisse ad magistratum. Hoc ut erat falsissimum, ita verum erat, Glaucoplutum magistratui expostulanti satisfecisse. Jam Eros sic affectus, ut dixi, si vel in publico carnibus vesceretur, quis deberet offendi? Et tamen **E** in eadem civitate totam Quadragesimam; sed præcipue diebus festis, bibitur usque ad insaniam, clamatur, saltatur, pugnatur, luditur alea proxime templum, ut sacra concio non possit audiri; & nullum est offendiculum. SA. Mira judiciorum perversitas. LA. Accipe fabulam huic non dissimilem. Jam ferme biennium est, quod idem Eros valetudinis ergo viseret Ferventiam; ego officii gratia comitatus sum. Divertit in ædes veteris amici; cujus crebris literis fuerat evocatus. Is est vir præpotens, & illius ecclesiæ procerum unus. Ventum est ad pisces; rursus Eros cœpit periclitari: agmen morborum erat, febris, cephalalgia, vomitus, calculus. Hospes tametsi videret graviter periclitantem amicum, non **F** ausus est tamen carnium micam dare amico. Quam ob rem? Videbat tot caussas cur liceret, viderat diploma, sed metuebat linguas hominum. Et jam eo profecerat morbus, ut frustra daturus fuerit. SA. Quid Eros? Novi hominis ingenium: emoriatur citius, quam amicum ulla gravet invidia. LA. Inclusit se cubiculo, triduum victitavit suo more. Prandium erat ovum unum, potus aqua sacchara decocta. Simul atque se remiserat febris, conscendit equum, secum deferens commeatum. SA. Quem? LA. Lac amygdalinum in laguncula, & uvas passas in crumena. Ubi domum rediit, tum [1] aperuit sese calculus, totumque mensem decubuit. Et tamen hunc quoque abitum, sævus, sed vanus carnium rumor sequutus est, & Lutetiam usque perlatus, non sine frequenti splendidorum mendaciorum comitatu. Quod tu remedium arbitraris idoneum talibus offendiculis? SA. Ut in illorum capita cuncti suas matulas effundant, & si forte occurrant, obturatis naribus prætereantur, quo vel sic agnoscant suam vesaniam. LA. Certe hanc Pharisaicam impietatem oportebat acrius Theologorum conviciis flagellari. De hospite vero illo quid censes? SA. Mihi vir prudens videtur, qui norit quam frivolis de caussis, quantas tragœdias interdum excitet populus. LA. Sit hoc sane prudenter factum, & boni viri metum civiliter interpretemur: at quam multi sunt, qui cum in simili casu fratrem mori patiantur, ecclesiæ consuetudinem & populi scandalum prætexunt: cæterum in vita palam dedecorosa, quam agunt in comessationibus, in amoribus, in luxu, in otio, in summo contemtu sacrorum studiorum, in rapinis, simoniis & fraudibus, nihil formidant populi scandalum! SA. Omnino tales sunt quidam. Quod isti pietatem appellant, immanis & impia crudelitas est. Sed illi mihi videntur crudeliores, qui non ex occasione relinquunt hominem in periculo, sed inventis periculis veluti laqueis, impellunt multos in corporis animique manifestum discrimen, præsertim nulla publica auctoritate pollentes. LA. Exspecto quid dicas. SA. Ante annos triginta [2] vixi Lutetiæ in collegio, cui cognomen [3] ab aceto. LA. [4] Sapientiæ vocabulum audio. Quid vero narras? Vixit salsamentarius in eo collegio tam acido? Non mirum igitur, si tantum tenet quæstionum Theologicarum. Nam illic, ut audio, parietes ipsi mentem habent theologicam. SA. Sic est, ut dicis; ego tamen præter corpus pessimis infectum humoribus, & pediculorum largissimam copiam, nihil illinc extuli. Verum ut pergam, quod cœpi. In eo collegio tum regnabat Joannes Standoneus, vir in quo non damnasses affectum, sed judicium omnino desiderasses. Etenim quod ipse memor adolescentiæ, quam cum extrema paupertate transegerat, rationem habebat pauperum, vehementer probari debet. Et si juvenum inopiam hactenus sublevasset, ut honestis studiis suppeteret rerum usus, non ad lasciviam exuberaret copia, laudem merebatur. Cæterum quod rem aggressus est cubitu tam duro, victu tam aspero parcoque, vigiliis ac laboribus tam gravibus, ut intra annum prima experientia multos juvenes, felici indole præditos, ac spem amplissimam præ se ferentes, alios neci dederit, alios cæcitati, alios dementiæ, nonnullos & lepræ, quorum aliquot ipse novi, certe nullus omnium non periclitatus est; quis non intelligat esse crudelitatem in proximum? Nec his contentus, addidit pallium & cucullam, ademit in totum esum carnium. Et hujus generis plantaria transtulit in longinquas regiones. Quod si quisque tantum permittat suis affectibus, quantum ille permisit, futurum est ut istorum similes totum occupent mundum. Siquidem a talibus initiis primum orta sunt monasteria, quæ nunc minitantur Pontificibus & Monarchis. In proximi ad pietatem resipiscentis lucro gloriari pium est; in veste aut cibo gloriam quærere, Pharisaicum est: proximorum inopiam sublevare, pietas est; prospicere ne liberalitate bonorum abutantur ad luxum, disciplina est. Cæterum in morbos, in delirationem, in mortem his rebus impellere fratrem, crudelitas est, parricidium est. Ab-

1 *Aperuit sese calculus*] Hic Eros ipse Erasmus: & procul dubio, ut & ex vita ipsius liquet, vera sunt, quæ hic sub ficto nomine narrantur. Quod ad pisces attinet, solebat solo illorum odore offendi. Porro tenerrimæ valetudinis, sæpius cephalalgia, febri & calculo laborabat.

2 *Vixi Lutetiæ in collegio*] Eadem narratiuncula sub salsamentarii nomine se ipsum designat Erasmus: utpote qui, ut in vita ejus offendes, ab Episcopo Cameracensi Henrico a Bergis Lutetiam studiorum gratia, promisso annuo stipendio, est amandatus, ante annos triginta circumcirca quam hæc scriberet. Colloquia enim hæc exaravit jam senex.

3 *Ab aceto*] Designat procul dubio collegium Montis-acuti Lutetiæ, ubi diu vixit. Sed quandoquidem promissum stipendium ab Episcopo Cameracensi non transmitteretur, Bergas ad Episcopum reversus est. Postmodo denuo reversus Lutetiam, ob sævientem per aliquot annos continuam pestem, identidem in Belgicam reverti coactus est. Laborabat enim Lutetia, cum Erasmus ibi studiis operam daret, peste, ut dictum. Præterea ex putridis ovis & infecto cubiculo in dicto Montis-acuti collegio gravem morbum conceperat, a quo tandem Bergis revaluit.

4 *Sapientiæ*] Alludit ad jocum Plautinum, *Habetne acetum in pectore?* De acri ingenio dicimus.

A eſt fortaſſe voluntas occidendi, at non abeſt homicidium.
Quæ igitur iſtis debetur venia? Nimirum quæ medico,
qui per inſignem imperitiam occidit ægrotum. Dicet ali-
quis; Nullus illos cogit ad hoc vitæ genus: ſponte veniunt,
rogant admitti, & liberum eſt abire pertæſis. O Scythicam
reſponſionem! Itane poſtulant, ut adoleſcentes rectius per-
ſpiciant quid ipſis conveniat, quam vir doctus, rerum uſu
tritus, & ætate provectus? Sic ſeſe excuſet lupo, qui fame-
licum oſtenſa eſca pellexit in retia. An qui vehementer eſu-
rienti apponat cibum inſalubrem aut lethiferum etiam, ita
ſemet excuſabit pereunti? Nemo te coëgit edere, volens
ac lubens devoraſti quod erat appoſitum. Nonne is jure re-
ſpondeat? Tu non cibum dediſti, ſed venenum. Telum in-
B gens neceſſitas, grave tormentum fames. Auferant igitur
illa magnifica verba, *Libera erat electio.* Imo magnam vim
admovet, quiſquis talibus utitur tormentis. Nec ea ſævitia
tantum perdidit tenues; ſuſtulit non paucos divitum filios,
& generoſam indolem depravavit. Ætatem laſcivientem
moderatis rationibus cohibere, paternum eſt. Cæterum in
medio hiemis rigore datur poſtulantibus paululum panis,
potus jubetur e puteo peti, qui aquam habet peſtilentem, pe-
ſtiferam alioqui, etiamſi nihil haberet præter rigorem matu-
tinum. Novi multos, qui valetudinem ibi contractam, nec
hodie poſſunt excutere. Erant aliquot cubicula humili ſolo,
putri gypſo, vicinia latrinarum peſtifera. In his nullus un-
quam habitavit, niſi aut mors, aut morbus capitalis fuerit
C conſequutus. Omitto nunc miram flagrorum carnificinam,
etiam in innoxios. Sic ajunt dediſci ferociam; ferociam ap-
pellant indolem generoſiorem, quam ſtudio frangunt, ut
eos reddant habiles monaſteriis. Quantum ibi devorabatur
ovorum putrium! quantum vini putris hauriebatur! ſunt for-
taſſis hæc jam correcta, ſed ſero, videlicet iis qui perierunt,
aut corpus circumferunt infectum. Neque vero hæc com-
memoro, quod male velim illi collegio, ſed operæ pretium
eſſe judicavi monere, ne ſub umbra religionis, humana ſæ-
vitia corrumpat ætatem imperitam ac teneram. Jam quan-
tum ibi diſcatur civilitatis aut veræ pietatis, in præſentia
non excutio. Quod ſi viderem malitiam exuere quicunque
cucullam induunt, hortarer omnes ad cucullam. Nunc alia
res eſt; proinde non ſunt ad hoc vitæ genus [1] frangendi ſpi-
D ritus ſuppullulantis ætatis, ſed animus magis ad pietatem e-
ducandus. Mihi vix contigit ullum ingredi monaſterium
Carthuſianorum, quin illic offenderim unum atque alterum
aut ſimpliciter mente captum, aut delirantem. Verum jam
dudum tempus eſt, ut a tam longa digreſſione redeamus ad
inſtitutum. LA. Imo nullum eſt digreſſionis diſpendium;
rem ipſam egimus: niſi ſi quid tibi forte ſuccurrit, quod ad-
jiciendum putes iis, quæ diſſerta ſunt de conſtitutionibus
humanis. SA. Mihi quidem nec humanum præceptum im-
plere videtur, qui negligit hoc præſtare, quod ſpectavit is qui
præcepit. Etenim qui feſtis diebus tantum abſtinet ab ope-
ribus manuariis, nec interim vacat ſacris, aut audiendis con-
E cionibus, violat feſtum diem, negligens id, cujus gratia fe-
ſtus dies inſtitutus eſt. Ideo enim interdictum eſt opus bo-
num, ut fieret melius. Jam vero qui pro ſolitis operis vacant
popinis, ſcortis, temulentiæ, pugnis & aleæ, bis violant
idem feſtum. LA. Opinor & precum ſacrarum penſum,
in hoc præſcriptum ſacerdotibus & monachis, ut hac exer-
citatione conſueſcerent ſuſtollere mentem in Deum; & ta-
men qui penſum hoc non abſolvit, periclitatur. Qui tantum
ore demurmurat voces, nec curat animum ad ea quæ ſonat
colligere, imo ne literas quidem ſtudet diſcere, ſine quibus
quæ ſonat, intelligi non poſſunt, vir bonus habetur, ac ſibi
quoque videtur. SA. Ego multos novi ſacerdotes, qui pia-
culum inexpiabile putant, aliquam partem precum omi-
F ſiſſe, aut per errorem dixiſſe de diva Virgine, cum dicen-
dum eſſet de ſancto Paulo. At iidem pro nihilo ducebant
aleam, ſcortum ac temulentiam, quæ divinis pariter &
humanis legibus vetita ſunt. LA. Nec paucos ego comperi,
qui citius mortem oppetiſſent, quam vel caſu guſtato cibo,
aut dum os proluunt delapſis in ſtomachum aliquot aquæ

[1] *Frangendi ſpiritus*] Digitum videtur auctor intendere in tutorem Petrum Winkelium ejuſque fratrem, qui re non admodum bene geſta adoleſcentem Eraſmum, abhorrentem a monachatu, in monaſterium Canonicorum Regularium juxta Delfos vulgo dictum *Syon* detrudere ſtuduerant. Quod cum nec minis nec precibus poſſent perficere, tandem per Cornelium quendam, quicum Daventria commune habuerat cubiculum Eraſmus, eo adductus eſt, ut monaſterium in *Emaus* ſive *Steyn* prope Goudam intraverit.

guttis ſacrificaſſent: at iidem fatebantur eſſe ſibi cum qui-
buſdam ſimultatem, quos, ſi daretur opportunitas, occide-
rent; nec verebantur cum hoc animo ad ſacram Chriſti
menſam accedere. SA. Atqui ut jejuni ſacrificent, homi-
nis præceptum eſt: ut deponant iras priuſquam accedant
ad ſacram menſam, Dei præceptum. LA. Jam vero de per-
jurio quam præpoſtere judicamus! Infamis habetur, qui
jurejurando confirmavit ſe diſſolviſſe æs alienum, ſi con-
vincatur non diſſolviſſe: nec perjurium objicitur ſacerdoti,
qui palam impudice vivit, cum jurejurando publice pro-
feſſus ſit caſtitatem. SA. Quin iſtam cantionem canis E-
piſcoporum vicariis, qui coram altari dejerant, ſe compe-
riſſe omnes, quos offerant initiandos, idoneos ætate, ſcien-
tia & moribus, cum aliquoties inter hos vix duo treſve ſint
tolerabiles, plurimi vix ad ſtivam idonei? LA. Vocatur
ad pœnam, qui commotus aliqua cauſſa pejerat; & non
puniuntur, qui tertio cuique verbo admiſcent perjurium.
SA. Iſti non jurant ex animo. LA. Eodem colore patroci-
neris licebit ei, qui hominem occidit non ex animo. Pe-
jerare nec joco, nec ſerio fas eſt. Et atrocius crimen foret,
ſi quis joco necaret hominem, quam ſi commotus ira. SA.
Quid ſi quis ad eandem trutinam expendat jusjurandum
Principum, quo inaugurantur? LA. Et iſta cum ſint ma-
xime ſeria, tamen quoniam velut ex more fiunt, non ha-
bentur pro perjuriis. Eadem eſt querimonia de votis. Ma-
trimonii votum eſt juris ſine controverſia divini; & tamen
dirimitur per monaſticæ vitæ profeſſionem ab hominibus
repertam. SA. Cum nullum votum religioſius ſit, quam
baptiſmi; tamen qui veſtem mutat aut locum, perinde
quaſi patrem veneno necarit, perquiritur, rapitur, ſtringi-
tur, nonnunquam & occiditur propter honorem ordinis.
At quorum tota vita pugnat ex diametro cum profeſſione
baptiſmi, quippe qui toti ſerviunt mammonæ, ventri, &
hujus mundi pompis, habentur in pretio, nec his objicitur
voti violati crimen, nec exprobratur, nec vocantur apo-
ſtatæ, ſed habentur pro Chriſtianis. LA. Simile vulgi ju-
dicium eſt de benefactis ac malefactis, deque præſidiis bea-
titudinis. Quanta infamia ſequitur puellam lapſam? at lon-
ge gravius crimen eſt lingua mendax & obtrectatrix, &
animus odio livoreque corruptus. Ubi non gravius puni-
tur quamvis leve furtum, quam adulterium? Nemo lu-
bens cum eo conſuetudinem habet, qui ſemel furti adſper-
ſus eſt infamia: cum eo qui coopertus eſt adulteriis, pul-
chrum eſt habere familiaritatem. Spiculatori publico, qui
ſtipendio conductus ſervit legibus, quemadmodum & ju-
dex ipſe, nemo dignetur locare filiam, & non deteſtamur
affinitatem militis, qui toties invitis parentibus, & vetante
nonnunquam magiſtratu, ſubduxit ſeſe ad bellum merce-
narium, tot ſtupris, tot raptibus, tot ſacrilegiis, tot homi-
cidiis, aliiſque facinoribus impurati, quæ vel in ipſa mili-
tia, vel in profectione ad bellum, & reditu a bello commit-
ti ſolent: hunc generum adſciſcimus, hunc quovis carnifi-
ce pejorem adamat virgo, & interpretamur etiam nobilita-
tem, quæſitam ſcelere. Qui nummum tollit, pendet; qui
fraudata moneta publica, qui monopoliis, qui uſuris, qui
mille technis ac fraudibus tam multos ſpoliant, inter præci-
puos habentur. SA. Qui uni cuipiam venenum porrigunt,
ut venefici dant pœnas legibus; qui vinis infectis, aut oleo
vitiato, populum inficiunt, impune faciunt. LA. Novi
quoſdam monachos adeo ſuperſtitioſos, ut exiſtiment ſeſe
eſſe in manu diaboli, ſi vel caſu ſacra veſtis abſit: nec me-
tuunt ab unguibus diaboli, ſi mentiantur, ſi calumnientur,
ſi inebrientur, ſi invideant. SA. Iſtiuſmodi licet inter nos
idiotas complures videre: non credunt domum tutam a vio-
lentia cacodæmonis, niſi paratam habeant aquam conſe-
cratam, frondes ſacras ac cereum; & non metuunt ſuis æ-
dibus, in quibus quotidie tot modis provocatur Deus, &
colitur diabolus. LA. Quam multi ſunt qui magis fidunt
præſidio Virginis matris, aut Chriſtophori, quam ipſius
Chriſti! Matrem colunt imaginibus, candelis, & cantiun-
culis; Chriſtum impia vita fortiter offendunt. Nauta cum
periclitatur, Chriſti matrem, aut Chriſtophorum, aut
quemvis divorum citius invocat, quam ipſum Chriſtum.
Et Virginem ſe credunt habere propitiam, quod illi ſub no-
ctem cantiunculam non intellectam canunt, *Salve regina*,
ac non potius metuunt, ne illa ſe putet irrideri talibus can-
tiunculis; cum totus dies, magnaque noctis pars, illis tranſ-
iga-

igatur obscœnis sermonibus, temulentiis, & factis non referendis. SA. Ita militi periclitanti citius in mentem venit Georgius aut Barbara, quam Christus. Porro cum nullus sit cultus divis gratior, quam imitatio factorum, quibus ipsi Christo placuerunt, hanc partem fortiter contemnimus. Et Antonium nobis egregie faventem fore credimus, si illi porcos aliquot sacros alamus, sique ipsum cum suo porco, igni & tintinnabulo pictum habeamus in foribus ac lateribus ædium: nec metuimus quod magis erat metuendum, ne ille male velit ædibus, in quibus regnant ea vitia, quæ vir sanctus semper fuit detestatus. Virgini annumeramus rosariola, & salutatiunculas; quin potius annumeramus in illius gratiam coërcitum animi tumorem, repressam libidinem, condonatam injuriam? Hujusmodi cantiunculis delectatur Christi mater, his officiis demerueris utrumque. LA. Itidem morbo periclitanti citius in mentem venit sanctus Rochus aut Dionysius, quam Christus unica salus hominum. Quin & hi qui Sacras literas interpretantur e suggesto, quas nemo sine Spiritus afflatu vel intelligere recte, vel docere potest utiliter, malunt invocare Virginis matris auxilium, quam ipsum Christum, aut Christi Spiritum. Et in hæreseos suspicionem vocatur, qui mutire audet adversus hanc consuetudinem, quam vocant laudabilem. Atqui laudabilior erat veterum consuetudo, quam obtinuerunt Origenes, Basilius, Chrysostomus, Cyprianus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, qui Spiritum Christi identidem invocant, Virginis auxilium nusquam implorant. Nec in eos stomachantur, qui tam sanctam consuetudinem, & ex Christi & Apostolorum doctrina, & sanctorum Patrum exemplis desumtam ausi sunt immutare. SA. Similis error habet complures monachos, qui sibi persuadent, Benedictum esse propitium, donec gestent illius cucullam & pallium; quanquam non arbitror eum virum unquam gestasse tam laciniosam, magnoque emtam vestem; nec verentur illius iram, quod in vita nihil habeant cum illo commune. LA. Francisci germanus est, qui vestem cinericiam & canabeum cingulum non abjicit: vitam confer; nihil pugnantius. De plerisque loquor, non de omnibus. Atque hic sermo per omnes ordinum & professionum formas circumferri potest. Ex corruptis judiciis nascitur præpostera fiducia, & ex iisdem nascuntur præpostera scandala. Prodeat Franciscanus coriacea zona cinctus, qui casu funem suum perdiderit: aut Augustinensis laneum gestans cingulum: aut discinctus, qui cingi soleat: quæ futura est abominatio! quantum periculum, ne mulieres ad hoc spectaculum abortiant! Et ex hujusmodi nugis, quanta fraternæ caritatis ruptura? quam acerba odia? quam virulentæ obtrectationes? Adversus hæc clamat Dominus in Euangelio, nec minus graviter Paulus Apostolus; adversus eadem clamandum esset Theologis & Concionatoribus. SA. Esset sane; sed in his multi sunt, quibus expedit talem esse populum; imo tales esse Principes, tales Episcopos. Et sunt rursus, qui nihilo plus sapiunt in his, quam populus; aut si quid sapiunt, dissimulant, suo ventri consulentes potius, quam Jesu Christo. Itaque fit, ut populus undique corruptus præposteris judiciis, ibi fidat, ubi præsens est periculum; ibi trepidet, ubi nihil est periculi, ibi conquiescat unde progrediendum erat; eo proficiat unde erat recedendum. Ab his male structis si quid tentes convellere, clamant excitari seditionem: quasi seditio sit, si quis vitiosum corporis habitum, quem imperitus medicus diu foverit, ac propemodum verterit in naturam, conetur eximere pharmacis melioribus. Verum abrumpenda est querimonia, quæ finem non habet. Et periculum sit, si senserit populus hoc nostrum colloquium, ne novum suscitent proverbium, quod hæc curæ sint salsamentario & lanioni. LA. Istis ego regeram vetus proverbium; *Sæpe etiam est olitor valde opportuna loquutus.* Nuper cum ista dissererem super cœnam, malis auspiciis aderat quidam pannosus, pediculosus, luridus, vietus, exsuccus, facie cadaverosa; cranium vix habebat tres pilos: quoties loquebatur, claudebat oculos: ajebant Theologum esse. Is me vocabat discipulum Antichristi, aliaque permulta balbutiebat. SA. Quid ibi tu? mutus? LA. Ego illi precabar micam sobriæ mentis in tam putido cerebro, si tamen ullum habebat cerebrum. SA. Juvaret & istam audire fabulam ordine. LA. Audies, si die Jovis veneris ad prandium. Habebis vitulinam crusto incoctam, contusam, adeoque teneram, ut possis vel exsugere. SA. Polliceor, hac lege, si die Veneris apud nos prandeas: efficiam ut intelligas salsamentarios non semper vesci putribus salsamentis.

FUNUS.

MARCOLPHUS, PHÆDRUS.

MA. Unde nobis Phædrus? num ex antro Trophonii? PH. Cur istuc rogas? MA. Quia præter morem tristis, horridus, squalidus, torvus; in summa, 1 nihil minus quam quod diceris. PH. Si, qui diutius versantur in officinis fabrorum ærariorum, aliquid nigroris sibi contrahunt; quid miraris, si ego tot dies versatus apud duos ægrotantes, morientes, & sepultos, solito sum mœstior; præsertim cum uterque mihi fuerit egregie carus? MA. Quos mihi narras sepultos? PH. Nosti Georgium Balearicum? MA. Nomine duntaxat, de facie non novi. PH. Alterum scio tibi prorsus ignotum esse. Is erat Cornelius Montius, quicum mihi plurimis jam annis intercessit arctissima necessitudo. MA. Mihi nunquam contigit adesse morienti. PH. Mihi sæpius quam vellem. MA. Sed estne mors res tam horrenda, quam vulgo prædicant? PH. Iter ad mortem durius, quam ipsa mors. Quod si quis horrorem illum & imaginationem mortis excutiat animo, magnam mali partem sibi detraxerit. Breviter, quidquid est cruciabile, vel in ægrotatione, vel in morte, longe tolerabilius redditur, si quis se totum tradat voluntati divinæ. Nam quod attinet ad sensum mortis, cum jam animus distrahitur a corpore, arbitror aut nullum esse, aut perquam stupidum esse sensum, quod natura, priusquam huc veniatur, consopiat, ac stupefaciat omnes partes sensibiles. MA. Nascimur absque sensu nostri. PH. Sed non absque sensu matris. MA. Cur non itidem emorimur? Cur Deus mortem voluit esse tam cruciabilem? PH. Nativitatem voluit esse gravem ac periculosam matri, quo carius haberet quod peperisset: mortem autem unicuique voluit esse formidabilem, ne passim homines sibi mortem consciscerent. Etenim cum videamus & hodie tam multos sibi manus adferre; quid censes futurum, si mors nihil haberet horribile? Quoties vapulasset servus, aut etiam filius adolescens, quoties uxor indignaretur marito, quoties perisset res, aut aliud accidisset, quod ægre esset animo, protinus ad laqueum, ad gladium, ad flumen, ad præcipitium, ad venenum currerent homines. Nunc mortis acerbitas vitam nobis reddit cariorem; præsertim cum medici non queant mederi semel vita defuncto. Quanquam ut non omnibus eadem est nascendi sors, ita non est eadem omnibus mortis ratio. Quosdam cita mors protinus liberat; alii lenta morte contabescunt. Lethargici, quemadmodum & ab aspide percussi, somno consopiti, citra sensum sui moriuntur. Illud observavi, nullum esse mortis genus tam acerbum, quin perferatur, si quis obfirmato animo decrevit exire. MA. Utrius mors visa est Christianior? PH. Mihi quidem Georgii visa est honorificentior. MA. Etiamne mors habet ambitionem suam? PH. Ego nunquam vidi duos tam dispari morte morientes. Si vacat audire, depingam excessum utriusque: tuum erit judicare, utra mors sit optabilior homini Christiano. MA. Imo te rogo, ne graveris narrare. Nam ipse nihil audiero cupidius. PH. Ergo de Georgio prius audi. Ubi mors jam certa sui signa dederat, medicorum chorus, qui diu curarant ægrotum, dissimulata vitæ desperatione, cœperunt mercedem poscere. MA. Quot erant medici? PH. Aliquando decem, interim duodecim, cum paucissimi, sex. MA. Satis erat ad occidendum vel valentem. PH. Numerata pecunia clam submonuerunt proximos, non procul abesse mortem: curarent ea, quæ pertinerent ad animæ salutem; nam de corporis incolumitate nihil esse spei. Per amicos intimos blande submonitus est & ægrotus, ut corporis curam Deo committeret; ea tantum curaret, quæ pertinerent ad feliciter hinc emigrandum. His auditis, mira torvitate Georgius oculos intendit in medicos, velut indigne ferens, quod ab illis destitueretur. Illi responderunt, se medicos esse, non deos; quod artis erat, præstitisse: cæterum adversus fatalem necessitatem nullam valere medicinam. His actis abeunt in proximum cubiculum. MA. Quid? morantur etiam accepta mercede? PH. Inter illos nihil convenerat de morbi genere: alius ajebat hydropem, alius tympani-

1 *Nihil minus*] Quia *Phædrus* Græcis sonat *hilarem*.

panitem, alius apostema in intestinis, alius aliud atque aliud malum: totoque hoc tempore, quo tractabant ægrotum, acerrime disceptarunt de morbi genere. MA. O felicem interim ægrotum! PH. Eam litem ut tandem finirent, per uxorem postularunt, ut finerent exanimati corporis anatomiam fieri: id esse honorificum, & solere vel honoris gratia fieri in magnatibus: deinde rem eam fore saluti multis, idque ad meritorum ipsius cumulum accessurum: postremo pollicentur suo sumtu se commercaturos triginta missas, cessuras in commodum mortui. Id ægre quidem, sed tandem blanditiis uxoris ac propinquorum impetratum est. His actis subduxit sese statio medicorum. Negant enim fas esse, ut qui vitæ solent opitulari, mortis sint spectatores, aut exsequiis intersint. Mox accitus est Bernardinus, vir, ut scis reverendus, Franciscanorum custos, qui confessionem exciperet. Vix peracta est confessio, jam aderat in ædibus turba quatuor ordinum, quos vulgus appellat Mendicantium. MA. Tot vultures ad unum cadaver? PH. Deinde vocatus est parochus, qui hominem inungeret, sacrumque symbolum corporis Dominici porrigeret. MA. Religiose. PH. Verum ibi minimum abfuit, quin inter parochum & monachos cruenta pugna fuerit orta. MA. Apud lectum ægroti? PH. Et quidem spectante Christo. MA. Quid excitavit tantos tumultus subito? PH. Parochus ubi cognovit ægrotum fuisse confessum Franciscano, negavit se vel unctionis sacramentum, vel eucharistiam, vel sepulturam impartiturum, ni suis auribus audisset ægroti confessionem: se parochum esse, sibi pro sua ovicula reddendam Domino rationem: id non posse, si solus ignoraret arcana conscientiæ. MA. Nonne visus est æquum dicere? PH. Non illis quidem. Nam strenue reclamabant omnes, præsertim Bernardinus & Vincentius Dominicanus. MA. Quid adferebant? PH. Magnis conviciis incessebant parochum, subinde vocantes eum asinum, dignumque qui pastorem ageret porcorum. Ego, inquit Vincentius, sum sacræ Theologiæ baccalaureus formatus, mox licentiandus, atque etiam doctoris titulo insigniendus; tu vix legis Euangelium; tantum abest, ut possis excutere secreta conscientiæ. Quod si libet esse curiosum, exquire, quid agat uxor & manzares tui domi, aliaque permulta, quæ me pudet referre. MA. Quid ille? mutus ad hæc? PH. Mutus? Imo diceres cicadam ala correptam. Ego, inquit, baccaleureos multo te meliores nectam e stipulis fabarum. Auctores & principes ordinum vestrorum, Dominicus & Franciscus, ubi didicerunt Philosophiam Aristotelicam, aut argumenta Thomæ, aut speculationes Scoti? aut ubi donati sunt titulo baccalaureorum? Irrepsistis in mundum adhuc credulum, sed pauci, humiles, quidam etiam docti ac pii: nidulabamini in agris ac vicis, mox in opulentissimas quasque civitates, & in florentissimam civitatis partem demigrastis. Tot sunt agri qui pastorem alere non possunt; ibi locus erat vestræ operæ: nunc nusquam adestis, nisi in ædibus divitum. Jactatis nomen Pontificum; at vestra privilegia nihil valent nisi cum cessat Episcopus, pastor, aut hujus vicarius. In meo templo nullus vestrum concionabitur, me pastore incolumi. Non sum baccalaureus: nec sanctus Martinus erat, & tamen agebat Episcopum. Si quid mihi deest doctrinæ, a vobis non petam. An creditis, etiamnum mundum esse tam stupidum, ut ubicunque viderit vestem Dominici aut Francisci, putet adesse illorum sanctimoniam? Num vestra refert, quid agam domi meæ? Quid vos agatis in latebris vestris, quomodo tractetis sacras virgines, etiam populus novit. Jam quam nihilo sint vel feliciores vel puriores divitum domus, quas frequentatis, omnibus & lippis & tonsoribus notissimum est. Cætera, Marcolphe, non audeo referre: omnino patres illos reverendos minime reverenter tractavit. Nec erat futurus finis, ni Georgius manu mota signum dedisset, se velle quidpiam dicere. Ægre impetratum est, ut rixa tantisper consilesceret. Tum ægrotus, Sit pax, inquit, inter vos; tibi parocho denuo confitebor. Deinde pro strepitu nolarum, pro cantionibus funeralibus, pro cenotaphio, pro sepultura numerabitur tibi pecunia, priusquam exeas hanc domum, neque committam ut ulla in parte de me queri possis. MA. Num parochus recusavit tam æquam conditionem? PH. Non; tantum obmurmuravit nonnihil de confessione, quam ægroto remisit. Quid opus est, inquit, iisdem repetendis fatigare tum ægrotum, tum sacerdotem? Si in tempore mihi confessus fuisset, fortassis sanctius condidisset suum testamentum: nunc vos videritis. Hæc æquitas ægroti pessime habebat monachos, indigne ferentes eam prædæ partem decidi parocho. Et tamen intercessi, fecique ut lis sopiretur. Parochus unxit ægrotum, dedit corpus Domini, & numerata summa discessit. MA. Sequuta est igitur eam tempestatem tranquillitas? PH. Imo tempestatem hanc sævior tempestas protinus excepit. MA. Obsecro quid caussæ? PH. Audies. Confluxerant in ædes quatuor ordines Mendicantium; his adjunxit sese quintus Cruciferorum. Adversus hunc ceu nothum, quatuor illi magno tumultu coorti sunt: rogabant ubi vidissent unquam plaustrum quinque rotarum? aut qua fronte vellent esse plures Mendicantium ordines, quam sint Euangelistæ? Eadem, inquiunt, opera adducite huc mendicos omnes e pontibus ac triviis. MA. Quid ad hæc Cruciferi? PH. Vicissim rogabant quomodo tum incessisset plaustrum ecclesiæ, cum nullus esset ordo Mendicantium; deinde cum unus esset, postea tres? Nam Euangelistarum, inquiunt, numerus nihilo plus habet affinitatis cum nostris ordinibus, quam cum alea, quæ undique quatuor ostendit angulos: Augustinenses quis allegit in ordinem Mendicantium, aut quis Carmelitas? Quando mendicavit Augustinus, aut quando Helias? Nam hos faciunt suorum ordinum auctores. Hæc aliaque multa fortiter quidem illi detonabant; sed soli, quatuor exercituum impressionem non ferentes, cesserunt, dira tantum minitantes. MA. Heic saltem effulsit tranquillitas. PH. Imo syncretismus ille in quintum ordinem versus est in pugnam gladiatoriam. Franciscanus ac Dominicanus contendebant, nec Augustinenses, nec Carmelitas esse germane mendicos, sed nothos ac supposititios. Hæc rixa sic incruduit, ut plane vererer, ne veniretur ad manus. MA. Hæccine ferebat ægrotus? PH. Non hæc acta sunt apud lectum: sed in atrio, quod cubiculo adhærebat: voces tamen omnes ad ægrotum permanabant: neque enim mussabant, sed plenis tibiis res agebatur: & scis, alioqui in ægrotis aurium sensum esse acutiorem. MA. Quis tandem exitus belli? PH. Ægrotus per uxorem denuntiavit ut silerent paulisper, se compositurum hoc dissidium. Itaque rogavit, ut tum quidem temporis Augustinenses & Carmelitæ discederent; hoc illos nullo suo damno facturos. Nam tantundem, inquit, cibi mittetur eis domum, quantum heic daretur remanentibus. In funere vero jussit omnes ordines adesse, etiam quintum, atque ut æqua pecuniæ portio divideretur singulis; ad commune tamen convivium non adhiberentur, ne quid turbæ posset oriri. MA. Virum œconomicum mihi narras, qui vel moriens norit tot rerum undas componere. PH. Phy! multis annis gesserat militiæ ducem. Ibi quotidianum est hujusmodi tumultus suboriri inter cohortes. MA. Erat igitur re splendida? PH. Admodum. MA. Sed male parta, ut fit, rapinis, sacrilegiis, extorsionibus. PH. Ita quidem vulgo faciunt duces; nec ausim dejerare, hunc fuisse ab illorum moribus alienum. Si tamen satis hominem novi, magis auxit rem, ingenii dexteritate, quam violentia. MA. Qui sic? PH. Callebat arithmeticam. MA. Quid tum postea? PH. Quid tum? apud Principem supputabat militum triginta millia, cum vix essent septem millia. Deinde multis militibus nihil numerabat. MA. Næ tu mihi magnificam narras arithmeticam. PH. Deinde bellum arte ducebat, solitus simul & ab hostium & amicorum vicis & oppidis pecuniam stipulari menstruam: ab hostibus, ne paterentur hostilia: ab amicis, ut illis liceret cum hoste pacisci. MA. Agnosco morem vulgatum militum. Sed absolve narrationem. PH. Bernardinus igitur & Vincentius cum aliquot sui ordinis sodalibus remanserunt apud ægrotum; ad reliquos missus est commeatus. MA. Satin' inter eos conveniebat, qui remanserunt in præsidio? PH. Non usquequaque. Grunniebant nescio quid, de prærogativis diplomatum: sed ne non perageretur fabula, dissimulatum est. Heic jam proferuntur cautiones testamentariæ, fiuntque stipulationes accitis testibus, de iis, quæ inter ipsos ante transegerant. MA. Istæc audire gestio. PH. Dicam summatim: nam perlonga est fabula. Superest uxor annos nata duodequadraginta, mulier sane proba cordataque: filii duo, alter annum natus undevigesimum, alter decimumquintum: filiæ totidem, sed impuberes utraque. Testamento sic cautum erat, ut uxor, quoniam per-

perpelli non poterat ut fieret monacha, sumeret pallium Beghinæ, id est, medium genus inter monachas & laïcas: filius natu major, quoniam nec is induci potuit, ut fieret monachus; MA. Vulpes anus non capitur laqueo. PH. Mox ab exsequiis patris properaret Romam, ibique ex relaxatione Pontificis factus ante legitimam ætatem sacerdos, totum annum singulis diebus sacrificaret in templo Vaticano pro anima patris; & sacros gradus in Laterano, singulo quoque Veneris die, genibus perreptaret. MA. Suscepit hæc libenter? PH. Ne dicam dolo, ut asini solent sarcinas impositas. Filius minor dicaretur S. Francisco, filia major S. Claræ, minor Catharinæ Senensi. Hoc tantum potuit obtineri: nam Georgii mens erat, quo magis sibi Deum haberet obnoxium, quinque superstites partiri in quinque Mendicantium ordines: & acriter quidem adlaboratum est; sed ætas uxoris, filiique majoris, nec minis, nec blanditiis cessit. MA. Exhæredandi genus. PH. Universa hæreditas sic erat divisa, ut detractis de solido impendiis funeralibus, uncia cederet uxori, cujus dimidia victitaret ipsa, dimidium cederet loco, cui se foret addictura; unde si mutato consilio recederet, tota pecunia resideret penes eum gregem; altera uncia decideretur filio, cui tamen statim numeraretur viaticum, & quod satis esset emendo diplomati, parandoque victui annuo Romæ. Qui si mutata sententia recusaret initiari sacris ordinibus, illius uncia divideretur inter Franciscanos, & Dominicanos. Et id ne fiat, vereor; adeo videbatur adolescens a sacris abhorrere. Duæ unciæ cederent monasterio, quod excepisset filium natu minorem: binæ item monasteriis, quæ excepissent puellas; sed hac lege, ut si illi detrectarent eam vitam profiteri, omnis tamen pecunia penes illos maneret incolumis. Jam una rursus uncia decideretur Bernardino, tantundem Vincentio: dimidium unciæ Carthusianis, pro communione bonorum operum omnium, quæ toto fierent ordine. Uncia & semis quæ superaret, distribueretur occultis pauperibus, quos beneficio dignos judicassent Bernardinus, & Vincentius. MA. Debebas Jureconsultorum more dicere, quos vel quas. PH. His igitur verbis stipulati sunt, recitato testamento: Georgi Balearice, vivus & sanæ mentis approbas hoc testamentum, quod dudum ex animi tui sententia condidisti? *Approbo.* Et hæc est tua suprema, & immutabilis voluntas? *Est.* Meque, & hunc Vincentium baccalaureum, instituis ultimæ tuæ voluntatis exsecutores? *Instituo.* Jussus est denuo subscribere. MA. Qui potuit moriens? PH. Bernardinus rexit ægroti manum. MA. Quid subscripsit? PH. *Sanctum Franciscum, & sanctum Dominicum iratos habeat, qui tentarit hinc aliquid immutare.* MA. At non metuebant actionem testamenti inofficiosi? PH. Ista actio non habet locum in his quæ Deo dicantur; neque quisquam libenter cum Deo litem suscipit. His peractis uxor & liberi, datis dextris ægroto, jurant se servaturos quod recepissent. Post hæc cœptum est agi de pompa funerali, non sine contentione. Tandem hæc vincit sententia, ut ex quinque ordinum singulis adessent novem, in honorem quinque voluminum Mosis, & Angelorum in novem choros digestorum. Suam quisque ordo crucem præferret, canerentque funebres nænias. Ad hæc præter cognatos conducerentur triginta (tot nummis erat venditus Dominus) daduchi pullati, & honoris gratia ploratores duodecim (hic est numerus ordini Apostolico sacer) comitarentur: a feretro sequeretur equus Georgii pullatus, sic ad genua alligata cervice, ut herum humi requirere videretur. Stragula hinc atque hinc ostenderent insignia. Similiter & unaquæque tæda & pulla vestis haberet insignia. Reponeretur autem corpus quidem ipsum ad dextram altaris summi in tymbo marmoreo, qui promineret a solo pedes quatuor; ipse in summo recumberet, Pario sculptus marmore, totus armatus a vertice usque ad calcaneum; nec deesset galeæ sua crista: crista erat onocrotali collum: nec clypeus lævo brachio, in quo insignia hæc erant, tria capita apri silvestris aurea, in planitie argentea: nec lateri gladius inaurato capulo, nec baltheus inauratus ac gemmeis distinctus bullis, nec pedibus aurea calcaria: erat enim eques auratus: sub pedibus haberet leopardum. Oræ sepulcri titulum haberent tali viro dignum. Cor autem separatim recondi volebat in sacello divi Francisci. Intestina mandavit parocho, honorifice sepelienda in sacello quod est Virgini matri sacrum. MA. Funus nimirum honorificum, sed nimio con-

A stans. Venetiæ vel cerdoni cuipiam plus haberetur honoris minimo impendio. Feretrum elegans dat sodalitas, & unum comitantur aliquando sexcenti monachorum, tunicis palliisve vestiti. PH. Vidimus & nos, risimusque istas pauperum ineptas glorias. Incedunt fullones & coriarii superne, inferneque cerdones, & medio monachi; chimæras esse diceres: nec heic alia res erat, si vidisses. Cautum est & illud Georgio, ut Franciscanus, & Dominicanus, inter sese sorte decernerent, utris primus cederet locus in pompa: post hos cæteri quoque sortirentur, ne quid hinc oriretur tumultus. Parochus & hujus clerici locum tenerent infimum, hoc est, primum. Nec enim aliud erant passuri monachi. MA. Non

B acies tantum, sed & pompas ille callebat ordinare. PH. Cautum est & illud, ut funebre sacrum, quod apud parochum fieret, modulato musicorum concentu perageretur, honoris gratia. Dum hæc aliaque tractantur, inhorruit ægrotus, deditque signa certissima, supremum tempus adesse. Adornatur igitur extremus fabulæ actus. MA. Nondum finis? PH. Recitatur diploma Pontificis, in quo promittebatur criminum omnium abolitio, totusque purgatorii metus adimebatur. Ad hæc justificabantur omnia illius bona. MA. Rapto parta? PH. Certe jure belli ac more militari. Sed forte aderat Philippus Jureconsultus uxoris frater, is in diplomate notavit locum secus positum, quam oportuit, & injecit suspicionem falsi. MA. Haudquaquam in tempore dissimu-

C landum erat, etiamsi quid inesset erroris, & nihilo pejus habuisset ægrotus. PH. Assentior. Et ægrotus sic hac re perturbatus est, ut minimum abesset a desperatione. Ibi Vincentius fortem virum præbuit; jussit Georgium quieto esse animo, sibi esse potestatem corrigendi supplendique, si quid in diplomatibus vel erratum esset, vel omissum. Quod si te, inquit, fefellerit diploma, ego jam nunc hanc animam pro tua suppono anima, ut tua petat cœlos, mea dedatur orco. MA. Accipitne Deus tales animarum permutationes? Et, si accipit, num satis cautum videbatur Georgio tali pignore? Quid, si Vincentii anima vel absque permutatione debebatur inferis? PH. Quod gestum est, narro. Hoc certe perfecit Vincentius: ægrotus visus est animum recipere. Mox recitantur cautiones, quibus

D Georgio promittebatur societas omnium operum, quæ fierent per quatuor ordines, & quintum Carthusiensium. MA. Ego metuerem, ne deprimerer ad inferos, si tantum sarcinæ bajulandum esset. PH. De bonis operibus loquor: ea non aliter gravant animam subvolaturam, quam plumæ avem. MA. Mala igitur opera sua quibus legant? PH. Militibus Germaniæ conductitiis. MA. Quo jure? PH. Jure Euangelico: Habenti dabitur. Simulque recitatus est numerus missarum & psalteriorum, quæ defuncti animam essent comitatura. Erat autem immensus. Post hæc iterata est confessio, dataque benedictio. MA. Ita efflavit animam? PH. Nondum. Strata est humi storea juncis contexta, sic ut ab initio convoluta cervicalis speciem ex sese face-

E ret. MA. Quid nunc futurum est? PH. Eam consperserunt cinere, sed raro; ibi deposuere corpus ægroti. Instrata est tunica Franciscana, sed prius consecrata preculis & aqua lustrali. Cuculla supposita est capiti: nam tum indui non poterat: una cum illa suppositum est diploma cum cautionibus. MA. Nova mortis species. PH. Atqui confirmant, dæmoni nullum esse jus in eos qui sic moriuntur. Sic ajunt præter alios mortuum S. Martinum & Franciscum. MA. Sed huic morti illorum vita responderat. Obsecro quid tum postea? PH. Porrecta est ægroto crucis imago & candela cerea. Ad crucem porrectam dixit ægrotus: Soleo in bellis tutus esse meo clypeo; nunc hunc clypeum opponam hosti meo: & exosculatus admovit humero læ-

F vo. Ad ceream vero sacram, Olim, inquit, hasta valui in bellis: nunc hanc hastam vibrabo adversus hostem animarum. MA. Satis militariter. PH. Has postremas voces edidit. Nam mox linguam mors occupavit, simulque cœpit animam agere. Bernardinus a dextris imminebat morienti, Vincentius a sinistris, uterque pulcre vocalis. Alter ostendebat imaginem sancti Francisci, alter Dominici. Cæteri sparsi per cubiculum demurmurabant psalmos aliquot voce lugubri. Bernardinus magnis vociferationibus percellebat aurem dextram, Vincentius sinistram. MA. Quid occlamabant? PH. Hujusmodi ferme Bernardinus: Georgi Balearice, si nunc quoque probas ea, quæ sunt acta inter nos,

fle-

flecte caput in dextrum: flexit. Vincentius contra; Ne quid trepides, Georgi; habes Franciscum & Dominicum propugnatores. Esto securus. Cogita quantum habeas meritorum, quod diploma; denique memineris meam animam pro tua oppignoratam, si quid esset periculi; hæc si sentis & probas, flecte caput in lævum: flexit. Rursus simili clamore, Si hæc sentis, inquiunt, preme manum meam: tum manum pressit. Ita huc & illuc flectendo capite & premendis manibus transactæ sunt horæ ferme tres. Cum jam inciperet oscitare Georgius, ibi Bernardinus erectus pronuntiavit absolutionem: quam perficere non potuit, quin Georgius efflasset animam. Hæc sub noctis medium: mane peracta anatomia. MA. Quid mali repertum est in corpore? PH. Recte mones; nam exciderat. Fragmentum plumbi inhærebat diaphragmati. MA. Unde id? PH. Uxor narrabat, illum quondam ictum sphærula bombardica. Hinc conjectabant medici plumbi liquefacti particulam resedisse in corpore. Mox corpus lacerum utcunque convestitum est amictu Franciscano. A prandio sepultura peracta est, ea pompa qua decretum erat. MA. Nunquam audivi mortem operosiorem, nec funus ambitiosius. Verum istam opinor fabulam nolis evulgari. PH. Quam ob rem? MA. Ne quid irritentur crabrones. PH. Nihil est periculi. Etenim si pia sunt quæ narro, etiam ipsorum interest hæc scire populum: sin minus, quotquot inter illos boni sunt, mihi gratias agent, qui hæc prodiderim, quo, pudore correcti quidam, desinant similia facere; deinde simplices caveant, ne in similem pertrahantur errorem. Sunt enim & apud istos cordati vereque pii, qui frequenter apud me questi sunt, paucorum vel superstitione, vel improbitate totum ordinem reddi apud bonos invidiosum. MA. Recte tu quidem, & fortiter. Sed nunc aveo scire, quomodo decesserit Cornelius. PH. Ut vixit nulli molestus, ita mortuus est. Habebat febrem anniversariam, quæ statis temporibus singulis annis recurreret. Ea tum, sive quia gravabat ætas (nam annum excesserat sexagesimum:) sive aliis de caussis, solito magis urgebat hominem, & visus est ipse præsentire diem fatalem imminere. Itaque quatriduo prius, quam moreretur, erat Dominicus dies; templum adiit, confessus est suo parocho, audivit publicam concionem & sacrum: a sacro, reverenter accepto pignore corporis Dominici, domum se recepit. MA. Non usus est medicis? PH. Unicum duntaxat consuluit, sed non minus bonum virum, quam bonum medicum: ei Jacobo Castrutio nomen est. MA. Novi. Nihil illo sincerius. PH. Is respondit, suam quidem operam amico non defuturam, sed sibi videri plus esse præsidii in Deo, quam in medicis. Cornelius hanc vocem non minus alacriter accepit, quam si certissimam vitæ spem ostendisset. Itaque tametsi semper pro suis facultatibus fuisset perbenignus in pauperes, tum quidquid decidi poterat uxoris & liberorum necessitati, impartiebatur in egenos; non istos ambitiose mendicos, & nusquam non obvios, sed in probos, qui pro viribus industria laborandi cum paupertate pugnabant. Rogabam hominem ut decumberet, & sacerdotem ad sese accerseret potius, quam tenue corpusculum defatigaret. Respondit, hoc sibi semper studio fuisse, ut amicos suos sublevaret potius, si posset, quam gravaret officiis, nec se sui dissimilem esse velle in morte. Ne decubuit quidem nisi postremum diem, & noctis partem, qua reliquit terras. Interim ob corpusculi lassitudinem baculo nitebatur, aut sedebat in cathedra; raro componebat se lectulo, sed vestitus & erecto capite. Hoc tempore aut mandabat aliquid de curandis egenis, maxime notis aut vicinis, aut legebat e libris sacris, quæ provocant hominis erga Deum fiduciam, quæque illius in nos caritatem declarant. Si per lassitudinem ipse minus poterat, audiebat amicum prælegentem. Frequenter miro affectu hortabatur familiam ad mutuum amorem & concordiam, atque studium veræ pietatis; sollicitosque de morte ipsius amantissime consolabatur. Identidem admonebat suos, ne quid æris alieni præteriretur indissolutum. MA. Non condiderat testamentum? PH. Jam pridem sanus ac valens id curarat. Negabat enim esse testamenta, quæ fierent ab agentibus animam, sed deliramenta potius. MA. Nihil legarat monasteriis aut egenis? PH. Ne teruncium quidem. Ego, inquit, pro mea portione dispensavi facultatulas meas; nunc ut earum possessionem aliis trado, ita trado &

A dispensationem. Et confido meos sanctius dispensaturos, quam ipse feci. MA. Non accersebat ad sese pios homines, quemadmodum fecit Georgius? PH. Ne unum quidem: præter familiam & duos intime amicos nullus aderat. MA. Demiror quid senserit. PH. Negabat se morientem pluribus molestum esse velle, quam fuisset nascens. MA. Exspecto finem istius fabulæ. PH. Mox audies. Venit dies Jovis. Ille stratum non reliquit, sentiens extremam corpusculi lassitudinem. Accitus parochus impartiit extremam unctionem ac rursus porrexit corpus Domini sed citra confessionem. Negabat enim quidquam scrupuli resedisse in animo. Ibi parochus agere cœpit de sepultura, qua pompa, quove loco sepeliri vellet. Sepeli, inquit, me, quomodo B sepelires infimæ sortis Christianum: nec mea refert, ubi seponas hoc corpusculum, æque inveniendum in extremo die ubicunque condideris. Pompam funeris nihil moror. Mox injecta mentio de sonitu campanarum, de tricenariis, & anniversariis, de diplomate, de communione meritorum emenda. Tum ille; Mi pastor, nihilo pejus habebo, etiamsi nulla sonet campana. Si me vel uno funebri sacro dignaberis, plus satis erit. Aut si quid aliud est, quod ob publicam ecclesiæ consuetudinem citra scandalum infirmorum omitti vix potest, id tuo permitto arbitratui. Nec est animus, cujusquam vel preces commercari, vel meritis quemquam suis spoliare. Satis meritorum exuberat Christo: & confido totius ecclesiæ preces ac merita mihi, si modo C vivum sum membrum, profutura. In duobus diplomatibus mihi tota spes est. Alterum est peccatorum meorum, quod princeps pastorum Dominus Jesus abolevit, affigens illud cruci; alterum quod ipse suo sacro sancto sanguine scripsit & obsignavit, quo nos certos reddidit de salute æterna, si totam fiduciam nostram in ipsum transferamus. Absit enim ut instructus meritis ac diplomatibus provocem Dominum meum, ut in judicium veniat cum servo, certus quod in conspectu ejus non justificabitur omnis vivens. Ergo ab illius justitia appello ad ejusdem misericordiam, quoniam immensa est & ineffabilis. His dictis abiit parochus. Cornelius, veluti magna spe salutis concepta, gaudens & alacer, jubet sibi quæ- D dam recitari e sacris voluminibus, quæ confirmant spem resurrectionis & præmia immortalitatis: velut illud ex Esaia de morte Ezechiæ dilata, una cum cantico: deinde cap. 15. epistolæ Pauli ad Corinth. prioris: de morte Lazari ex Joanne: sed præcipue historiam Christi passi ex Euangeliis. Quam hic animo devorabat singula, ad quædam suspirans, ad alia compositis manibus gratias agens, ad quædam hilarescens ac gestiens, ad nonnulla preculas quasdam breves ejaculans! A prandio cum paululum temporis obdormisset, jubet recitari caput ex Euangelio Joannis duodecimum, usque ad historiæ finem. Heic dixisses hominem plane transfigurari, afflarique novo spiritu. Jam dies vergebat ad vesperam; accersit uxorem ac liberos: E ibi erecto quantum licuit corpusculo, sic affatus est suos: Carissima conjux, quos Deus ante conjunxerat, idem nunc separat, sed corporibus dumtaxat, idque ad breve tempus: curam, caritatem, pietatem, quam antehac partiri soles in me & dulcissima pignora, totam in istos transfer. Ne putaris, te ullis modis posse magis demereri vel Deum, vel me, quam si istos, quos Deus dedit nobis conjugii fructum, sic educes, foveas & instituas, ut Christo digni habeantur. In hos igitur conduplica pietatem tuam, & meam portionem in te translatam existima. Id si feceris, ut facturam confido, non erit cur videantur orphani. Quod si re- F petas matrimonium. Ad hanc vocem uxor erupit in fletum, cœpitque dejerare, se nunquam de repetendis nuptiis cogitaturam. Heic Cornelius: Soror in Christo mihi carissima, si Dominus Jesus largiri dignabitur tibi propositum istud ac robur spiritus, ne desis dono cœlesti. Erit enim hoc tibi pariter ac liberis commodius. Sin alio vocabit carnis infirmitas, scito, quod mors mea te liberat a jure conjugii, sed non liberat a fide, quam meo tuoque nomine debes curandis communibus liberis. Quod ad matrimonium attinet, utere libertate quam tibi permisit Dominus. Tantum hoc te rogo moneoque, ut virum tibi deligas iis moribus, tuque te illi talem præbeas, ut possit vel suapte bonitate ductus, vel tua commoditate provocatus, amare privignos. Proinde cave, ne cui voto te obstringas. Serva te liberam

Deo

Deo & liberis nostris; quos sic institues ad omnem pietatem, ut caveas, ne se cuipiam addicant instituto, donec per ætatem & rerum usum constiterit, ad quod vitæ genus sint idonei. Deinde versus ad liberos, exhortatus est ad studium pietatis, ad obediendum matri, ad mutuam inter ipsos caritatem & concordiam. His peroratis, dedit osculum uxori; liberis, facto signo crucis, precatus est bonam mentem, & Christi misericordiam. Post hæc intuens omnes qui aderant, *Sub crastinam*, inquit, *auroram Dominus, qui diluculo revixit, pro sua misericordia dignabitur hanc animulam ex hujus corpusculi sepulcro, eque hujus mortalitatis tenebris evocare in lucem suam cœlestem. Nolo teneram ætatem excubiis inanibus fatigari. Cæteri quoque vicissim dormiant: mihi satis est unum adesse vigilem, qui recitet sacram lectionem.* Transacta nocte sub horam quartam, cunctis præsentibus jussit recitari psalmum totum, quem Dominus orans recitavit in cruce. Eo finito, jussit exhiberi cereum, & crucem, & cereum accipiens, dixit: *Dominus illuminatio mea & salus mea; quem timebo?* crucem exosculatus dixit: *Dominus protector vitæ meæ; a quo trepidabo?* Mox manus super pectus in supplicantis gestum composuit, & oculis in cœlum erectis dixit, *Domine Jesu, accipe spiritum meum.* Et protinus clausit oculos veluti dormiturus, simulque levi flatu emisit spiritum: dixisses illum obdormisse, non exspirasse. MA. Nunquam audivi mortem minus operosam. PH. Talis fuerat in omni vita. Uterque fuit amicus. Fortasse non æque dijudico, uter decesserit Christianius: tu qui integer es, rectius dispicies. MA. Ita faciam, sed per otium.

E C H O.

Juvenis, Echo.

Jv. Cupio paucis te consulere, si vacat. Ec. Vacat. Jv. Et si venio tibi gratus juvenis. Ec. Venis. Jv. Sed potesne mihi & de futuris dicere verum, Echo? Ec. [1] Ἔχω. Jv. Et Græce nosti? quid istuc novi? Ec. Novi. Jv. Qualia tibi videntur Musarum studia? Ec. [2] Δῖα. Jv. Censes igitur terendos auctores, qui conducunt ad bonas literas? Ec. Teras. Jv. Quam igitur mentem habent isti, qui hæc studia linguis traducunt suis? Ec. Suis. Jv. Sed utinam harum cultores similiter essent & pietatis studiosi! Ec. O si! Jv. Nunc quorundam improbitas omnes reddit invisos. Ec. [3] Ἴσως. Jv. Et multis hominum, peccatum confertur in nomen eruditionis. Ec. [4] Ὄνοις. Jv. Atqui vulgo videntur non infimi. Ec. Fimi. Jv. Quid facere censes eos qui terunt ætatem in sophistico doctrinæ genere? Ec. Nere. Jv. Fortassis telas aranearum. Ec. Harum. Jv. At Penelopes telas texunt ac retexunt. Ec. Texunt. Jv. Cui suades ut me dem vitæ instituto; Ec. Tuto. Jv. Erit auspicatum si uxorem duxero? Ec. Sero. Jv. Quid, si mihi veniat usu, quod his qui incidunt in uxores parum pudicas, parumque frugiferas? Ec. Feras. Jv. Atqui cum talibus morte durior est vita. Ec. Vita. Jv. Siccine in rebus humanis dominari fortunam? Ec. Unam. Jv. Magis fortasse expedit, ut aliquis præ conjugio monachi institutum eligat. Ec. Ligat. Jv. Quid superest remedii, ubi quem adstrinxerit jam nodus insolubilis? Ec. Bilis. Jv. Attamen miserum est homines vivere solos. Ec. [5] Ὅλως. Jv. Cujusmodi censes horum temporum plerosque monachos? Ec. [6] Ἄχος. Jv. Quid igitur istos movet, qui suspiciunt illos ut semideos? Ec. [7] Δέος. Jv. Quid captant plerique qui ambiunt sacerdotium? Ec. Otium. Jv. Præterea nihil habet sacerdos? Ec. [8] Κέρδος. Jv. Quid bonæ rei contigit illis, qui fiunt Episcopi? Ec. [9] Κόποι. Jv. At nulli magis vivunt in otio. Ec. Scio. Jv. Quæ res illos admonere poterit, ut intelligant, quantum sustineant onus. Ec. [10] Ὁ νοῦς. Jv. Ergo res præclara est sacerdotium, si quis se in eo gerendo qualem oportet præbeat? Ec. Beat. Jv. Quid fructus erit, si me conferam in aulam eorum, qui præcellunt monarchica dignitate? Ec. [11] Ate. Jv. At non paucos video qui solent illinc sibi præclaram felicitatem ariolari. Ec. [12] Λάφοι. Jv. At interim dum incedunt holosericati, vulgo videntur homines magnifici. Ec. Fici. Jv. Foris igitur aureos, intus ficulneos homines dicis, si quis inspiciat cominus? Ec. Minus. Jv. Nihil igitur præclari sunt, quos pro diis veneramur byssinos. Ec. [13] Σῖνος. Jv. Nec militare genus magno æstimabis fortasse. Ec. Asse. Jv. Magnum quiddam pollicentur qui e sideribus & futura prædicunt Astrologi. Ec. [14] Λόγοι. Jv. At strenue laborant Grammatici. Ec. [15] Εἰκῇ. Jv. Non placent, opinor, leguleji homines semper famelici. Ec. [16] Λύκοι. Jv. Qualis ero, si fiam opifex? Ec. Fæx. Jv. Itane nihil præterea adferunt artes boni aut mali? Ec. Ali. Jv. Fuerone beatus, si perseveravero in bonis literis? Ec. Eris. Jv. Sed quæ res dabit, ut adsit pietas? Ec. Ætas. Jv. Decem jam annos ætatem trivi in Cicerone. Ec. [17] Ὄνε. Jv. Unde tibi subit me asinum dicere? Ec. E re. Jv. Fortassis hoc dicis, non sic huic incumbendum, ut alios relinquam. Ec. Inquam. Jv. Non placet igitur is, qui se per omnem vitam tantum in hoc torqueat, ut fiat Ciceronianus? Ec. [18] Ἄνους. Jv. Quid superest natu grandibus, quorum ætas ad hæc discenda non est tempestiva? Ec. Stiva. Jv. Facundior esses, opinor, si longius abessem. Ec. Essem. Jv. Non me delectant sermones dissyllabi. Ec. Abi. Jv. Cœpi prior; video non posse vitari, quin posterior desinas. Ec. Sinas. Jv. Jam igitur tibi videor satis instructus ad ea probe gerenda quæ sunt in vita. Ec. Ita. Jv. Proinde si me voles abire, dicito. Ec. Ito.

[19] Π Ο Λ Υ Δ Α Ι Τ Ι Α,

DISPAR CONVIVIUM.

Spudus, Apitius.

SP. Heus heus, Apiti. AP. Non audio. SP. Heus, inquam, Apiti. AP. Quis hic est tam molestus interpellator? SP. Est seriæ rei quiddam, quod te volo. AP. At ego ad rem seriam propero. SP. Quonam? AP. Ad cœnam. SP. Hac ipsa de re tecum volebam agere. AP. Non vacat nunc actoribus operam dare, ne actum agam. SP. Nihil feceris dispendii; comitabor te quo properas. AP. Age dic, modo tribus verbis. SP. Magno studio molior convivium, in quo nulli displiceam convivarum, placeam omnibus. Ejus artis quoniam tu principatum tenes, ad te velut ad oraculum confugio. AP. Responsum accipe, & quidem juxta veterum morem [20] ἔμμετρον, *Nulli ut displiceas, nullum invitare memento.* AP. Atqui solemne est epulum; multos excipiam oportet. AP. Quo plures invitaris, hoc pluribus displiceas oportet. Quæ fuit unquam tam bene vel conscripta, vel acta fabula, ut toti placuerit theatro? SP. Sed age, Comi delicium Apiti, subleva me tuo consilio; habebo te posthac numinis loco. AP. Sit igitur hoc primum consilium; Ne conare, quod fieri non potest. SP. Quidnam? AP. Ut convivator omnibus placeas. Tanta est palatorum varietas. SP. At saltem ut paucioribus displiceam. AP. Voca paucos. SP. Non licet. AP. Voca pares, & ingeniis congruentes. SP. Ne id quidem mihi liberum est. Vitari non potest, quin & multos vocem, & dissimiles, denique nec ejusdem linguæ, neque nationis homines. AP. Næ tu mihi vere convicium narras, non convivium, in quo facile possit talis exoriri lusus, qualem Hebræi narrant accidisse in structura Babel, ut petenti frigidum, aliquis porrigat calidum. SP. Opitulare, te quæso; gratum experieris ac memorem. AP. Age, quando electio non est tui arbitrii, in re mala dabo bonum consilium. Haud parvi refert ad hilaritatem convivii, quo quisque loco sedeat. SP. Verissimum. AP. Ea res ut tibi cedat prospere, fac ut sortibus distribuantur accubitus. SP. Pulcre mones. AP. Deinde ne sic paulatim a summo ad imum procedant patinæ, ut sigma literæ vel serpentis potius imaginem pingant, aut ultro citroque reciprocent, quemadmodum olim in conviviis myrtus tradi solet. SP. Quid igitur? AP. Sed ad singulas convivarum tetradas, appone patinas ternas, sic ut quarta media promineat, quemadmodum pueri tribus nuci-

1 Ἔχω] Id est, possum.
2 Δῖα] Id est, sacra, divina.
3 Ἴσως] Id est, scilicet, fortasse.
4 Ὄνοις] Id est, asinis.
5 Ὅλως] Id est, omnino.
6 Ἄχος] Id est, dolorem, pestem,
7 Δέος] Id est, timor.
8 Κέρδος] Id est, lucrum.
9 Κόποι] Id est, labores.
10 Ὁ νοῦς] Id est, mens.
11 Ἄτη] noxa.
12 Λάφοι] Id est, stupidi. Vide *Chiliades*.
13 Σῖνος] Id est, noxa.
14 Λόγοι] Id est, fabulæ, verba.
15 Εἰκῇ] Id est, frustra, temere.
16 Λύκοι] Id est, lupi.
17 Ὄνε] Id est, asine.
18 Ἄνους] Id est, amens.
19 Πολυδαιτία] A πολὺς multus & δαίτη epulum.
20 Ἔμμετρον] Id est, *metricum*, numeris constans.

A nucibus imponunt quartam: in singulis sit aliud atque aliud cibi genus, quo quisque quod libet eligat. Sp. Placet. Sed quoties mutabo patinas? Ap. Quot partibus constat oratio Rhetorica? Sp. Quinque, ni fallor. Ap. Quot actibus constat fabula? Sp. Apud Horatium legi, *Ne sit quinto productior actu.* Ap. Toties mutabis patinas, ut proœmium sit jusculentum, conclusio vel epilogus ex variis bellariorum generibus conflatus. Sp. Quem probas in patinis ordinem? Ap. Eundem quem Pyrrhus in acie. Sp. Quid ais? Ap. Quemadmodum in oratione, ita nec in convivio decet procœmium esse elaboratum. Rursus epilogus varietate commendetur potius, quam apparatu. In tribus itaque mediis servanda Pyrrhi disciplina, ut in utroque cornu sit aliquid eximium, in media acie vulgarior apparatus. Hoc pacto fiet, ut nec sordidus videare, nec fastidiosa copia sis molestus. Sp. Satis expedite de cibis; superest, ut, quomodo bibendum, doceas. Ap. Nulli omnium cyathum appones, sed pueris dato negotium, ut ubi percunctati didicerint, quo quisque vini genere delectetur, alacriter ad nutum cuique quod volet porrigant. Ea ex re duplex erit commodum. Nam & parcius bibetur, & jucundius; non solum ob id, quia subinde recens dabitur potus, verum etiam quod nemo bibet nisi sitiens. Sp. Optimum profecto consilium. Sed qui fieri poterit, ut hilarescant omnes? Ap. Id ut fiat, partim in te situm est. Sp. Quinam? Ap. Tenes illud: *Ante omnia vultus accessere boni.* Sp. Quorsum istud? Ap. Ut convivas comiter excipias, fronteque hilari compelles, sermonem ad cujusque ætatem, affectum, ac mores attemperans. Sp. Accedam, ut dicas melius. Ap. Nosti linguas. Sp. Propemodum omnium. Ap. Ut sua quemque lingua subinde appelles, utque convivium fabulis amœnioribus hilarescat, varias misce materias de rebus, quarum quisque libenter meminit, & nullius dolore audiuntur. Sp. Quas dicis hujusmodi materias? Ap. Sunt peculiares ingeniorum differentiæ, quas ipse melius perspicies; ego generatim attingam aliquot. Senes gaudent ea memorare, quæ multorum fugiunt memoriam, admiratores temporum, in quibus ipsi floruerunt. Matronis dulce est refricari memoriam ejus temporis, cum a procis ambirentur. Nautæ, quique diversas ac longinquas mundi regiones inviserunt, libenter ea narrant, quæ, quia nemo vidit, mirantur omnes; est & ante actorum malorum, juxta proverbium, jucunda recordatio, si modo ejus sint generis, ut cum probro conjuncta non sint, veluti militiæ, profectionum, naufragiorumque discrimina. Postremo, de sua cuique arte grata est confabulatio, deque hisce rebus, quarum usu callet. Hæc sunt ferme generalia; peculiares affectus singulatim describi non queant: sed exempli caussa: Est aliquis laudis appetentior, alius vult haberi doctus, alius gaudet videri dives: est hic loquacior, ille pauciloquus, nonnullos reperies tetricos, alios contra blandiores. Sunt qui nolint videri senes, cum sint: sunt rursus qui volunt haberi grandiores quam sint: affectantes hoc esse mirandi, quod belle portant ætatem: sunt fœminæ quæ sibi de forma placent, sunt aliæ putidulæ. His cognitis affectibus, haud difficile est miscere sermones unicuique gratos, vitatis his quæ mœrorem afferunt. Sp. Næ tu perpulcre tenes artem convivatoriam! Ap. Phy! si tantundem temporis & operæ mihi consumtum esset in utroque Jure, Medicina ac Theologia, quantum impensum est huic arti, jam dudum & inter Jureconsultos, Medicos ac Theologos doctoris & titulum & lauream tulissem. Sp. Credo. Ap. Sed heus tu, ne quid erres, heic cavendum est, ne fabulæ sint nimium prolixæ, aut ne exeant in temulentiam. Quemadmodum enim vino nihil jucundius, si modice sumseris; contra nihil molestius, si supra quam sat est hauseris: ita usu venit in fabulis. Sp. Vera prædicas. Sed huic incommodo quodnam ostendis remedium? Ap. Ubi senseris suboriri [1] τὴν ἄοινον μέθην, per occasionem interseca sermonem, & argumentum diversum intersere. Frustra, opinor, te monerem, ne cui suus dolor in convivio refricetur; utcunque Plato judicat, in conviviis, quibusdam vitiis esse medendum, vino discutiente tristitiam, & offensæ memoriam abolente. Verum illud te monitum oportuit, ne nimium crebro salutes convivas; tametsi probo, ut interdum obambulans, nunc hos, nunc illos comiter appelles: oportet enim convivatorem bonum, motoriam agere fabulam. Nihil autem incivilius, quam ibi commemorare, quod cibi genus sit, qua coctum arte, quanti emptum. Idem de vino dictum puta. Quin extenuandum etiam modice quod apponitur. Alioqui nimis diligens extenuatio apparatus, idem agit quod ostentatio. Satis est bis aut ad summum ter dixisse, *Boni consulite.* Si parum lautus est apparatus, animus certe lautissimus est. Interdum sales adspergendi sunt, sed qui nihil habeant dentis. Profuerit & illud, subinde sua quemque compellare lingua, sed paucis. Dicendum erat initio, quod mihi nunc tandem venit in mentem. Sp. Quidnam? Ap. Si non placet sortito dare locos, cura ut tres ex omnibus eligas natura festivos, minimeque mutos, quorum unum collocabis in capite mensæ, alterum e regione, tertium in medio, qui silentium ac tristitiam cæterorum discutiant. Quod si perspexeris convivium vel silentio tristius esse, vel clamoribus tumultuosum, aut etiam ad rixas tendere. Sp. Hoc crebro fit apud nos: quid tum faciendum? Ap. Accipe rem mihi multo usu compertam. Sp. Exspecto. Ap. Inducito duos mimos, sive γελωτοποιοὺς, qui sine voce ridiculum aliquod argumentum gesticulatione repræsentent. Sp. Cur sine voce? Ap. Ut par sit omnium voluptas, aut nihil loquantur, aut lingua loquantur omnibus æque ignota, gestibus loquentes, omnes pariter intelligent. Sp. Quod argumentum mihi narras, non satis intelligo. Ap. Sunt innumera, puta uxorem decertantem cum marito de principatu, aut simile quippiam e media vita. Quo magis erit ridicula saltatio, hoc plus erit omnibus voluptatis. Hos oportet esse semifatuos; alioqui qui plane fatui sunt, quædam interdum effutiunt imprudentes, quæ lædunt. Sp. Ita tibi precor semper propitium Comum, ut mihi dedisti fidele consilium. Ap. Addam coronidem, quin potius repetam, quod initio dixeram, ne nimium sis anxius, ut placeas omnibus, non heic tantum, sed in omni vita; atqui ita fiet, ut citius placeas omnibus; optimum enim in vita, *Ne quid nimis.*

De Rebus ac Vocabulis.

BEATUS, BONIFACIUS.

Be. Salvus sit Bonifacius. Bo. Etiam atque etiam salvus sit Beatus. Sed utinam essemus uterque quod dicimur, tu dives, ego formosus. Be. Itane parum tibi videtur, habere nomen magnificum? Bo. Mihi quidem minimi momenti, nisi res adsit. Be. At plerique mortales aliter affecti sunt. Bo. Fieri potest ut mortales sint isti; homines esse non credo. Be. Et homines sunt, ô bone, nisi putas etiam nunc sub humana specie camelos & asinos obambulare. Bo. Hoc citius crediderim, quam homines esse, qui pluris nomen faciant, quam rem. Be. In certis rerum generibus, fateor, plerique malunt rem quam nomen; in multis contra. Bo. Hoc quid sit, non satis assequor. Be. Atqui penes nos ipsos exemplum est. Tu Bonifacius diceris, & habes quod diceris: sed si esses alterutro spoliandus, utrum malles habere malam faciem, an pro Bonifacio dici Cornelius? Bo. Equidem malim vel Thersites dici, quam habere prodigiosam faciem: an bonam habeam, nescio. Be. Item ego si dives essem, & aut res, aut nomen esset deponendum, malim Irus dici, quam re spoliari. Bo. Assentior vera loquenti. Be. Idem usu veniet, opinor, in his qui sunt prospera valetudine, aut aliis corporis præditi commodis. Bo. Probabile est. Be. At quam multos videmus, qui mallent nomen eruditi piique viri, quam esse docti bonique! Bo. Plurimos istiusmodi novi. Be. An non apud hos plus habet momenti nomen, quam res? Bo. Videtur. Be. Jam si quis nobis adesset Dialecticus, qui scite definiret, quid sit Rex, quid Episcopus, quid Magistratus, quid Philosophus; fortassis & heic inveniremus, qui mallent nomen, quam rem. Bo. Ita profecto, si Rex est, qui legibus & æquitate populi commodum spectat, non suum: si Episcopus, qui totus invigilat gregi Dominico: & si Magistratus est, qui ex animo consulit Reipublicæ, & si Philosophus est, qui neglectis fortunæ commodis, tantum studet bonæ menti parandæ. Be. Heic vides, quantum hujus generis exemplorum possim aggerere. Bo. Sane plurimum. Be. An hos omnes negabis esse homines? Bo. Vereor, ne nos ipsi citius nomen hominis amittamus. Be. At si homo est animal rationale; quantum abest hoc a ratione, ut in corporis commodis verius quam bonis, & in externis, quæ fortuna dat simul & eripit cum libet, rem malimus, quam nomen:

[1] Τὴν ἄοινον μέθην] Id est, *sine vino ebrietatem.*

men: in veris animi bonis nomen pluris faciamus, quam rem? Bo. Præposterum mehercule judicium, si quis attendat. Be. Eadem autem est ratio in contrariis. Bo. Exspecto quid dicas. Be. Idem judicandum de nominibus rerum fugiendarum, quod dictum est de vocabulis expetendarum. Bo. Apparet. Be. Magis enim horrendum est esse tyrannum, quam tyranni nomen: & si malus Episcopus, juxta sententiam Euangelicam, fur est & latro, non tam hæc nomina sunt nobis detestanda, quam ipsa res. Bo. Convenit sane. Be. Tu de cæteris similiter colligito. Bo. Prorsus intelligo. Be. Nonne fatui nomen aversantur omnes? Bo. Et quidem maxime. Be. Nonne fatuus esset qui aureo piscaretur hamo, qui vitrum anteponeret gemmis, qui cariores haberet equos quam uxorem ac liberos? Bo. Is esset quovis [1] Corœbo stultior. Be. An non tales sunt qui procurrunt in militiam, spe lucri non admodum magni, corpus & animam exponentes periculo: qui student congerendis opibus, cum animum habeant omnium bonarum rerum egenum: qui vestes & ædes exornant, cum animus neglectus ac squalidus jaceat: qui corporis valetudinem anxie tuentur, animam tot capitalibus morbis laborantem negligunt: denique qui fugacissimis hujus vitæ voluptatibus, cruciatus merentur æternos? Bo. Ipsa ratio fateri cogit, plusquam fatuos esse. Be. Atqui his fatuis cum plena sint omnia, vix invenias qui ferre possit fatui vocabulum, cum adeo non abhorreant a re. Bo. Sic est profecto. Be. Age, scis quam sint apud omnes invisa vocabula mendacis ac furis. Bo. Sunt invisissima, nec sine caussa. Be. Fateor. Sed cum stuprare conjuges alienas sit furto sceleratius, tamen adulteri cognomine quidam etiam gloriantur, ad furti convicium illico stricturi gladium. Bo. Ita res habet apud complures. Be. Ita cum multi scortis vinoque perditissimi sint, & sint libenter ac palam; tamen ad ganeonis nomen offenduntur. Bo. Hi, nimirum, rem sibi gloriæ ducunt, cum vocem rei debitam horreant. Be. Sed vix aliud nomen auribus nostris videtur intolerabilius, quam mendacis. Bo. Novi qui hoc convicium cæde sint ulti. Be. Sed utinam pariter abominentur rem! Nunquam accidit tibi, ut, qui promiserat se mutuum ad certum diem redditurum, falleret? Bo. Frequenter; etiam cum id dejerasset, neque id semel, sed iterum atque iterum. Be. Fortasse non erant solvendo. Bo. Imo erant, sed commodius esse ducebant non reddere creditum. Be. An hoc non est mentiri? Bo. Planissime. Be. Auderes istiusmodi creditorem sic compellare; *Cur mihi toties mentiris?* Bo. Non; nisi paratus essem ad pugnam. Be. An non simili modo quotidie verba dant latomi, fabri, aurifices & vestiarii, pollicentes ad certum diem, nec tamen præstantes, etiamsi magni referat tua? Bo. Mira impudentia! sed adde his advocatos pollicentes operam. Be. Potes addere sexcenta nomina: nemo tamen horum laturus sit mendacis vocabulum. Bo. Hoc genere mendaciorum plena sunt omnia. Be. Itidem furis nomen nemo tolerat, cum a re non perinde omnes abhorreant. Bo. Exspecto ut dicas clarius. Be. Quid interest inter eum, qui rem tuam tollit e scrinio, & inter eum qui depositum abjurat? Bo. Nihil, nisi quod sceleratior est, qui spoliat etiam fidentem. Be. At quam pauci sunt, qui depositum reddunt; aut si reddunt, non dant integrum? Bo. Opinor esse perpaucos. Be. Nemo tamen istorum ferat furis vocabulum, cum rem non horreant. Bo. Admodum. Be. Jam mihi reputa, quid vulgo fiat in tractandis pupillorum bonis, in testamentis ac legatis, quantum hæreat digitis tractantium? Bo. Frequenter totum. Be. Furtum amant, vocabulum detestantur. Bo. Maxime. Be. Quid agant, qui res fisci tractant, qui monetam publicam cudunt deteriorem, qui nunc aucta, nunc diminuta nummorum æstimatione, privatorum rem accidunt, fortasse nobis non admodum liquet: de his, quæ quotidie experimur, loqui fas est. Qui sumit mutuum, aut qui conflat æs alienum hoc animo, ut reddat, si liceat, nunquam; quantulum abest a fure? Bo. Cautior fortasse dici potest, melior nequaquam. Be. At horum cum ingens ubique sit numerus, nemo tamen tolerat furis nomen. Bo. Animum solus Deus novit: proinde apud homines obærati vocantur, non fures. Be. Quantuli refert, quo nomine dicantur apud homines, modo sint fures apud Deum? certe suus cuique notus est animus. Ad hæc, qui, cum debeat multum, quod obtigit pecuniæ, nequiter prodigit; qui, posteaquam decoxit in una civitate, delusis creditoribus, fugit in aliam, hospites quærens quibus imponat, idque facit crebrius; nonne satis declarat quo sit animo? Bo. Satis superque. Sed tamen isti solent hoc fucare colore, quod faciunt. Be. Quonam? Bo. Multum multisque debere, prædicant sibi cum magnatibus, atque adeo Regibus esse commune; eoque qui sunt hoc ingenio præditi, fere nobilitatis opinionem affectant. Be. In quem usum? Bo. Dictu mirum, quantum equiti licere velint. Be. Quo jure? quibus legibus? Bo. Haud aliis, quam quibus præfecti maris vindicant sibi quidquid ejectum est naufragio, etiamsi extet dominus: quibus alii suum esse volunt, quidquid apud furem aut prædonem deprehenderint. Be. Istiusmodi leges possent ipsi fures condere. Bo. Et facerent, si queant tueri; & haberent quod excusarent, si bellum indicant prius, quam furentur. Be. Quis hoc juris dedit equiti potius, quam pediti? Bo. Militiæ favor. Sic enim exercentur ad bellum, quo promtiores sint ad spoliandum hostem. Be. Sic, opinor, Pyrrhus exercebat suos ad bellum. Bo. Non, sed Lacedæmonii. Be. Abeant in malam crucem cum suo exercitio. Sed unde nomen hoc tantæ prærogativæ? Bo. Quibusdam obvenit a majoribus, alii mercantur ære, quidam adsciscunt. Be. An licet adsciscere cuilibet? Lo. Licet, si mores respondeant. Be. Qui? Bo. Si nihil bonæ rei gerat, si splendide vestiatur; si incedat annulatus; si gnaviter scortetur; si aleam ludat assidue; si certet chartis; si compotationibus ac voluptatibus ætatem absumat; si nihil loquatur plebejum, sed arces, pugnas, ac bella mera crepet, Thrasonica omnia. Isti sibi permittunt bellum, cui velint, indicere; etiamsi pedem ubi ponant, non habeant. Be. Equites mihi narras equuleo dignos. Atqui tales habet non paucos Sicambria.

CHARON.

CHARON, GENIUS, ALASTOR.

Ch. Quid ita properas gestiens, Alastor? Al. Opportune tu quidem, ô Charon. Ad te properabam. Ch. Quid novæ rei? Al. Nuntium fero, tibi Proserpinæque lætissimum futurum. Ch. Effer igitur quod fers, teque exonera. Al. Furiæ non minus gnaviter quam feliciter gesserunt suum negotium, nullam orbis partem non infecerunt malis tartareis, dissidiis, bellis, latrociniis, pestilentiis, adeo ut plane jam calvæ emissis colubris sint, & exhaustæ venenis obambulent, quærentes quidquid usquam est viperarum & aspidum, quando tam glabræ sunt quam ovum, & pilum non habent in capite, neque quidquam in pectore succi efficacis. Proinde tu fac, cymbam ac remos appares. Mox enim ventura est tanta umbrarum multitudo, ut verear ne non sufficias omnibus transmittendis. Ch. Ista nos non fugerant. Al. Unde resciveras? Ch. [2] Ossa pertulerat ante biduum. Al. Ut illa Dea nihil est velocius! Sed quid tu igitur heic cessas relicta cymba? Ch. Ita nimirum res ferebat. Huc profectus sum, ut mihi compararem validam aliquam triremem. Nam mea cymba jam vetustate putris ac sutilis, non suffecerit huic oneri, si vera sunt quæ narravit Ossa. Quanquam quid opus erat Ossa? Res ipsa compellit. Nam naufragium feci. Al. Nimirum totus distillas; suspicabar te redire e balneo. Ch. Imo enatavi e Stygia palude. Al. Umbras ubi reliquisti? Ch. Natant cum ranis. Al. Sed quid narravit Ossa? Ch. Tres orbis Monarchas capitalibus odiis in mutuum exitium ruere, nec ullam orbis Christiani partem immunem esse a belli furiis; nam tres illi, reliquos omnes pertrahunt in belli consortium. Omnes esse talibus animis, ut nemo velit alteri cedere: nec Danum, nec Polonum, nec Scotum; nec vero Turcam interim esse in otio; moliri dira: pestilentiam ubique sævire, apud Hispanos, apud Britannos, apud Italos, apud Gallos. Ad hæc novam esse luem ex opinionum varietate natam, quæ sic vitiavit omnium animos, ut nulla usquam sit sincera amicitia, sed frater fratri diffidat, nec uxori cum marito conveniat. Spes est, hinc quoque nascituram olim magnificam hominum perniciem, si res a linguis & calamis ad manus pervenerit. Al. Hæc omnia verissime narravit Ossa. Nam ipse plura vidi his oculis, assiduus comes & adjutor furiarum, quæ nullo tempore magis declararunt

1 *Corœbo stultior*] Proverbialis hyperbole in stupidos & vecordes. Corœbi enim stultitia vulgi fabula celebrata est, qui maris undas numerare sit conatus. Vide *Chiliadas*.

2 *Ossa*] Fama Dea est, apud Homerum.

rarunt se suo dignas nomine. CH. Atqui periculum est, ne quis dæmon exoriatur, qui subito adhortetur ad pacem; & sunt mortalium animi mutabiles. Nam audio apud superos esse 1 Polygraphum quendam, qui calamo suo non desinit insectari bellum, & ad pacem cohortari. AL. Ille jam pridem surdis canit. Olim scripsit pacis profligatæ querimoniam; nunc eidem exstinctæ scripsit epitaphium. Sunt alii contra, qui non minus juvent rem nostram, quam ipsæ furiæ. CH. Quinam isti? AL. Sunt animalia quædam pullis & candidis palliis, cinericiis tunicis, variis ornata plumis, hæc nunquam recedunt ab aulis Principum: instillant in aurem amorem belli, hortantur eodem proceres ac plebem: in Euangelicis illis concionibus clamitant bellum esse justum, sanctum, ac pium. Quoque magis mireris hominum fortem animum, clamitant idem apud utramque partem. Apud Gallos concionantur Deum stare pro Gallis, nec vinci posse qui Deum habeat protectorem. Apud Anglos & Hispanos, hoc bellum non a Cæsare geri, sed a Deo; tantum præbeant se viros fortes; victoriam esse certam. Quod si quis interciderit, eum non perire; sed recta subvolare in cœlum, sicut erat, armatum. CH. Et habetur istis tanta fides? AL. Quid non potest simulata religio? Accedit huc juventus, rerum imperitia, gloriæ sitis, ira, animus ad id, quo vocatur, natura propensus. His facile imponitur, nec difficile perpellitur plaustrum suapte sponte propendens ad ruinam. CH. Ego istis animalibus lubens aliquid boni fecero. AL. Appara lautum convivium. Nihil potes gratius. CH. Ex malvis, lupinis, & porris. Nam apud nos non alia est, ut scis, annona. AL. Imo ex perdicibus, capis, & phasianis, si vis esse gratus convivator. CH. Sed quæ res istos movet, ut tantopere promoveant bellum? aut quid hinc metunt commodi? AL. Quia plus emolumenti capiunt e morientibus, quam ex vivis. Sunt testamenta, parentalia, bullæ, multaque alia non aspernanda lucra. Denique malunt in castris versari, quam in suis alvearibus. Bellum multos gignit Episcopos, qui in pace ne teruncii quidem fiebant. CH. Sapiunt. AL. Sed quid opus est triremi? CH. Nihil, si velim in media palude rursus naufragium facere. AL. Ob multitudinem? CH. Scilicet. AL. Atqui umbras vehis, non corpora. Quantulum autem ponderis habent umbræ? CH. Sint tipulæ, tamen tipularum tanta vis esse potest, ut onerent cymbam. Tum scis & cymbam umbratilem esse. AL. At ego memini videre me cum esset ingens turba, nec cymba caperet omnes, a clavo tuo tria millia umbrarum pendere nonnunquam, nec tu pondus ullum sentiebas. CH. Fateor tales esse animas, quæ paulatim demigrarunt e corpore, phthisi aut hectica tenuato. Cæterum quæ subito revelluntur e crasso corpore, multum corporeæ molis secum ferunt. Tales autem mittit apoplexia, synanche, pestilentia, sed præcipue bellum. AL. Non opinor Gallos aut Hispanos adferre multum ponderis. CH. Multo minus quam cæteri: quanquam & horum animæ non omnino veniunt plumeæ. Cæterum e Britannis, e Germanis belle pastis, veniunt aliquoties tales, ut nuper periclitatus sim, decem dumtaxat vehens, & nisi jacturam fecissem, perieram una cum cymba, vectoribus & naulo. AL. Ingens discrimen. CH. Quid interea censes fieri, cum accedunt crassi Satrapæ, Thrasones & polymachæroplacidæ? AL. Ex his qui pereunt in justo bello, nullos arbitror ad te venire. Nam ajunt eos recta subvolare in cœlum. CH. Quo subvolent, nescio: unum illud scio, quoties bellum est, tot ad me veniunt saucii lacerique, ut demirer ullum superesse apud superos. Nec solum veniunt onustæ crapula & abdomine, verum etiam bullis, & sacerdotiis, aliisque rebus plurimis. AL. At ista non deferunt secum, sed nudæ veniunt ad te. CH. Verum; sed quæ recentes veniunt, somnia talium rerum secum adferunt. AL. Itane gravant somnia? CH. Gravant cymbam meam; quid dixi, gravant? jam demerserunt. Postremo tot obolos putas nihil habere sarcinæ? AL. Equidem arbitror, si ferant æreos. CH. Proinde certum est mihi prospicere de navi, quæ sufficiat oneri. AL. O te felicem! CH. Quid ita? AL. Quia propediem ditesces. CH. Ob multitudinem umbrarum? AL. Næ. CH. Si quidem suas opes secum adferant. Nunc qui in cymba deplorant se apud superos reliquisse regna, præsulatus, abbatias, auri talenta innumera, ad me nihil adferunt præter obolum. Itaque quod jam annis ter mille mihi corrasum est, id totum est effundendum in unam triremem. AL. Sumtum faciat oportet, qui quærit lucrum. CH. Atqui mortales, ut audio, felicius negotiantur, qui favente Mercurio ditescunt intra triennium. AL. Sed iidem decoquunt nonnunquam. Tuum lucrum minus, sed certius? CH. Nescio quam certum: si quis Deus nunc exoriatur, qui res Principum componat, fors hæc tota mihi perierit. AL. Ista quidem de re, jubeo ut me sponsore, in utramque aurem dormias. Intra decennium totum nihil est quod pacem metuas. Unus Romanus Pontifex sedulo quidem hortatur ad concordiam, sed laterem lavat. Murmurant & civitates tædio malorum: conferunt susurros, populi nescio qui, dictitantes iniquum, ut ob privatas iras aut ambitionem duorum triumve res humanæ sursum deorsum misceantur: sed vincent, mihi crede, quamlibet recta consilia Furiæ. Cæterum quid opus erat hac gratia petere superos? An apud nos non sunt fabri? Certe Vulcanum habemus. CH. Pulcre, si quæram navim æream. AL. Minimo accersetur aliquis. CH. Ita est, sed deficit nos materia. AL. Quid audio? nihil illic silvarum? CH. Etiam nemora, quæ fuerant in campis Elysiis, absumta sunt. AL. In quem tandem usum? CH. Exurendis hæreticorum umbris; adeo ut nuper coacti simus e terræ visceribus carbones effodere. AL. Quid? an istæ umbræ non possunt minore sumtu puniri? CH. Sic visum est Rhadamantho. AL. Ubi triremem mercatus eris, unde remiges parabuntur. CH. Meæ partes sunt tenere clavum; remigent umbræ, si velint trajicere. AL. At sunt quæ non didicerunt remum agere. CH. Apud me nullus est eximius, remigant & Monarchæ, remigant & Cardinales suam quisque vicem, non minus quam plebeji tenues, sive didicerint, sive non didicerint. AL. Tu fac dextro Mercurio feliciter mercere triremem. Ego non te remorabor amplius. Orco lætum adferam nuntium. Sed heus, heus, Charon. CH. Quid est? AL. Fac matures reditum, ne te mox obruat turba. CH. Imo jam plusquam ducenta millia offendes in ripa, præter illas quæ natant in palude. Properabo tamen quantum licebit. Dic illis me mox adfuturum.

SYNODUS GRAMMATICORUM.

ALBINUS, BERTULPHUS, CANTHELUS, DIPHYLUS, EUMENIUS, FABULLUS, GADITANUS.

AL. Estne quisquam in hoc numero, qui didicit Arithmeticen? BE. Cui tandem rei? AL. Qui certum doceat, quot convenerimus Grammatici. BE. Istuc quidem citra calculos, vel digiti nostri nobis dicere poterunt. Te pono in pollice, me in indice, Canthelum in medio, Diphylum in anulari, Eumenium in minimo. Nunc ad lævam transeo; illic in pollice pono Fabullum, in indice Gaditanum. Itaque, ni fallor, septem sumus. Sed quorsum attinet istuc scire? AL. Quoniam audio septenarium reddere legitimum concilium. BE. Quod concilium mihi narras? AL. Est res seria quæ me diu multumque torsit; neque me tantum, verum multos etiam viros neutiquam indoctos. Eam proponam in medium, ut hujus synodi auctoritate semel finiatur quæstio. CA. Eximium quiddam sit oportet, quod tu vel ignores, Albine, vel animum tuum perspicacissimum diu multumque torserit. Quare cupimus & ipsi nosse quid istuc sit rei. Nam unus omnium nomine respondeo. AL. Ergo heic estote omnes, aures simul adhibentes & animos. Plus vident oculi quam oculus. Estne quisquam vestrum, qui nobis explanare possit, quid significet hæc vox 2 *Anticomarita*? BE. Nihil facilius. Sonat enim betæ genus, quam prisci natatilem appellabant, caule contorto nodosoque, mire fatua, tetri odoris si contingas; posset cum Anagyri contendere. CA. Natatilem narras betam, imo catilem bestiam. Quis unquam audivit aut legit antehac nomen natatilis betæ? BE. Imo hoc dilucide docet *Mammetrectus* vulgo corrupte dictus, cum vero nomine dicatur *Mammothreptos*, quasi dicas, aviæ alumnum. AL. Quid istuc est tituli? BE. Ut intelligas in libro nihil inveniri præter meras delicias; quod *mamma*, hoc est, aviæ soleant in-

1 *Polygraphus*] Qui multa scripsit. Sic autem seipsum vocat hic & alibi.

2 Mendosa hæc vox est, in antiquioribus editionibus libri *Augustini* de Hæresibus inventa, quæ nonnemini, tempore *Erasmi*, negotium facessisse videtur, qui eum hic irridet. Legendum vero erat in *Augustino*, *Antidicomarita*, hoc est, *adversarius Mariæ*, ut est in melioribus Editionibus.

indulgentius habere nepotes, quam matres liberos suos. AL. Plane deliciosum opus mihi narras. Nuper enim cum in hunc codicem incidissem, minimum absuit, quin risu dissilierim. CA. Ubi tu nactus es eum codicem, qui rarissimus inventu est? BE. Abbas [1] divi Bavonis, nomine Livinus, a prandio Brugis duxit me in bibliothecam suam peculiarem, quam homo senex, cupiens aliquod sui monumentum posteris relinquere, non mediocri sumtu parabat. Nullus erat liber, qui non esset manu descriptus, idque in membranis, nullus qui non variis picturis ornatus, ac foris byssio auroque tectus. Quin & ipsa codicum spatiosa moles, nescio quid majestatis præ se ferebat. AL. Quinam erant? BE. Oh præclari omnes, Catholicon, Brachylogus, Ovidius per allegorias expositus, aliique innumeri; inter quos & lepidissimum Mammothreptum reperi. Inter eas delicias inveni Natatilem Betam. AL. Cur vocant natatilem? BE. Referam quod legi: penes auctorem fidei periculum esto. Quoniam, inquit, provenit in locis humidis putribusque, nec usquam felicius provenit, quam in cœno aut sterquilinio; honos sit auribus. AL. Itane graviter olet? BE. Sic ut nec oletum ullum pejus oleat. AL. Estne istius oleris ullus usus? BE. Imo in deliciis est. AL. Fortasse porcis, aut asinis, aut bubus Cypriis. BE. Imo hominibus, & quidem delicatis. Pelinorum gens est, apud quam convivia vicissim in longam ducuntur periodum: extremam compotationem vocant sua lingua *Resumtam*, quasi nos dicamus bellaria aut tragemata. AL. Quam bella bellaria! BE. Ejus compotationis hæc lex est, ut liberum sit convivatori quidquid volet apponere: nefas autem sit convivis quidquam rejicere, sed omnia boni consulere. AL. Quid si apponeret cicutam, aut cramben recoctam? BE. Quidquid apponitur devorandum ibi est tacite. Domi tamen licet quod ederint revomere. Nam heic fere ponunt natatilem Betam, sive Anticomaritam: nihil enim refert utro nomine dixeris; res eadem est. Admiscent aliquid querni corticis, & allii plurimum. Ita moretum absolvunt. AL. Quis persuasit legem tam barbaram? BE. Consuetudo; quovis tyranno potentior. AL. Tragicam periodum mihi narras, quæ tam inamœnum habeat exitum. BE. Dixi meam vicem, nulli præjudicans, si quis quid habet rectius. CA. At ego comperi priscis fuisse piscem, quem vocarunt Anticomaritam. BE. Dic auctorem. CA. Codicem exhibere possum; nomen auctoris non possum dicere. Scriptus est Gallice, sed formulis Hebraicis. BE. Quam speciem habet piscis Anticomarita? CA. Cætera nigris squamis est, solus venter albet. BE. Palliatum quempiam Cynicum, opinor, nobis ex pisce facies. Qui sapor? CA. Nihil insuavius. Quin pestilens est. Nascitur in putribus lacunis, interdum & in cloacis, iners, limosus: solo gustu pituitam gignit gravem, quam vix vomitu leves. Frequens est in regione quam Celtithracen appellant. Nam illic in deliciis est, quod gustasse carnes detestabilius sit homicidio. AL. Infelix regio cum suo Anticomarita. CA. Tantum habeo quod dicam: nemini præjudicatum velim mea sententia. DI. Quid opus est hujus vocis enarrationem ex Mammothreptis aut Hebræis schedis petere, cum ipsa dictionis etymologia præ se ferat Anticomaritas dici puellas parum feliciter conjugatas, utpote maritis vetulis. Nec enim novum est quod scribæ *quo* verterunt in *co*, cum sint literæ cognatæ, *c*, *q*, & *k*. EV. Erat aliquid quod dixit Diphylus, si constaret dictionem esse Latinam. Mihi videtur esse Græca, e tribus conflata, ex ἀντὶ, quod est *contra*, & κώμη, quod sonat *pagum*, & ὀαρίζειν, quod est *muliebriter garrire*: hinc per synalœphen elisa, *o*, dictus est Anticomarita, qui rusticana garrulitate cunctis obstrepit. FA. Sedulo quidem meus dixit Eumenius. At mihi videtur ex tot dictionibus conflata vox, quot habet syllabas. Nam ἀν sonat ἄνους τι, τίλλων· κω, κώδια· μα, μάλα· ρυ, ῥυπαρά. (perperam enim scribitur per ι.) τα, τάλας. Ex his conficitur *amens, ac miser, vellens pilos putrium tergorum*. AL. Tali opificio cibus congruit beta natatilis, de qua modo dixit Bertulphus. BE. Nimirum anticomarita anticomaritæ. GA. Sedulo quidem dixistis omnes; at mihi videtur uxor viro male morigera, dici anticomarita per syncopen, antidicomarita; quod semper adversetur marito. AL. Si recipimus tales tropos, facile ex foria fient fora, & cuniculus fiet cuculus. BE. Atqui Albinus, qui consul est in hoc senatu, nondum dixit quid ipse censeat. AL. Ex me quidem quod adferam non habeo; haud tamen gravabor in medium adferre, quod ab hospite meo nuper didici homine linguacissimo. Sæpius variabat in loquendo sermonem, quam luscinia cantionem. Is asseverabat vocem esse Chaldaicam, e tribus compositam. Apud illos enim, ut ajebat, *anti* sonat perversum ac cerebrosum; *comar*, petram: *ita*, sutoriam. BE. Quis unquam petræ tribuit cerebrum? AL. Nihil absurdi, si modo mutes genus. CA. Prorsus in hac synodo evenit, quod vulgo dici solet, Quot homines, tot sententiæ. Quid igitur actum est? sententiæ numerari possunt; dividi non possunt ut pars major vincat minorem. AL. Vincat igitur melior deteriorem. GA. Atqui ad hoc ipsum opus esset alia synodo. Nam sua cuique sponsa videtur pulcherrima. AL. Istuc si verum esset, minus haberemus adulteriorum. Sed habeo consilium expeditum. Fabis sortiamur, ex hoc numero cui jus sit, ut ex omnibus suffragiis probet quod volet. CA. At istæc in te cudetur faba. Num vera dixi? AL. Mihi prima & postrema magis arridet. CA. Assentimur omnes, ut unus pro omnibus respondeam. AL. Age, sit igitur hoc inter ea, de quibus dubitare fas non est. CA. Maxime. AL. Si quis dissentiat, quid erit pœnæ? CA. Majusculis scribetur hæreticus in grammatica. AL. Adjiciam bonis avibus, quod mihi non negligendum videtur. Id ex medico quodam Syro acceptum amicis communicabo. BE. Quid istuc? AL. Si natatilem betam, gallam e quercu, & sutorium atramentum in mortario contuderis, deinde aspersis copri sex unciis miscueris in malagma, præsentaneum esse remedium adversus caninam scabiem, & porcorum pruriginem. BE. Sed heus, Albine, qui nobis omnibus de Anticomarita negotium facessis; in quo tandem auctore legitur istuc vocabulum? AL. Dicam, sed in aurem, & uni. BE. Accipiam, sed hac lege, ut ego vicissim unus uni in aurem dicam. AL. At repetita [2] henas, tandem fit chilias. BE. Verum dicis, ubi semel ex henade reddideris [3] dyadem, jam non est tibi in manu sistere fluxum dyadis. AL. Quod pauci norunt, celari potest; quod multi, nequaquam: trias autem ad multitudinem pertinet. BE. Probe qui tres simul haberet uxores, multas habere diceretur: sed qui tres haberet pilos in capite, aut dentes in ore, multosne an paucos habere diceretur? AL. Sophista, admove aurem. BE. Quid ego audio? Istuc non minus absurdum est, quam si Græci civitatem, cui expugnandæ tot classes ducebant, suo nomine non possent nominare, pro Troja dicentes Sutrium. AL. Atqui hic Rabinus est nuper e cœlo delapsus, qui nisi præsens numen succurrisset rebus humanis; jam dudum quæreremus ubinam essent homines, ubi pietas, ubi philosophia, ubi literæ. BE. Næ iste inter Moriæ proceres primas meretur, dignus qui posthac vocetur [4] Archimorita, cum suis Anticomaritis.

[5] Ἄγαμος γάμος, sive CONJUGIUM IMPAR.

PETRONIUS, GABRIEL.

PE. Unde nobis Gabriel tam tetrica fronte? Num [6] ex antro Trophonii? GA. Imo a nuptiis. PE. Nunquam vidi vultum minus nuptialem. Nam qui nuptiis interfuerunt, totos postea sex dies solent hilariores amœnioresque videri, senes etiam rejuvenescere ad annos decem. Quas igitur tu mihi nuptias narras? Mortis, opinor, cum Marte? GA. Imo juvenis generosi cum puella sedecim annos nata, in qua nihil desideres, sive formam spe-

1 *Divi Bavonis*] Bavo hic, teste Miræo, etiam *Alcuvinus* est dictus, Agilulfi in Hasbania Comitis filius, abdicata sæculari militia per Amandum Trajectensem Episcopum ad monasticam vitam adductus, Gandavi, cujus urbis & Patronus est, in monasterio Petri a se fundato anno 630. obiit secundum Sigebertum, aut anno proxime sequenti, ut vult Theodoricus Abbas S. Trudonis.

2 *Unitas fit millenarius numerus.*

3 *Binarium.*

4 *Archimorita*] *Princeps stultorum.*

5 Ἄγαμος γάμος] Ἄγαμος γάμος invenitur apud Sophoclem in Oedip. tyr. γάμος seu γάμοι *nuptiæ* & ἄγαμος *cælebs*.

6 *Ex antro Trophonii*] Dicitur de homine vehementer tristi tetricoque; propterea quod olim creditum est, eum qui in Trophonii specum descendisset, postea nunquam ridere. Oraculum vero hoc Jovis Trophonii in Lebadia, Bœotiæ, in hiatu subterraneo, horrido, angusto, tetro fuit, in quem scalis descendebatur. Descendentes autem vel nudi vel veste alba vel lineo induti aut purpureo amiculo placentas Lemuribus offerebant, haustoque oraculo per alium hiatum ad superiora enitebantur. Hac de re vide non tantum *Chiliadas*, sed & *Ant. van Dale* in libro de Origine & Auctoribus Oraculorum, Cap. VIII.

spectes, sive mores, sive genus, sive fortunam. Quid multis? Jove marito digna videri poterat. PE. Hui! tam teneram puellam tam vetulo? GA. Reges non senescunt. PE. Unde igitur istæc tristitia? Fortasse sponso invides, qui tibi captatam prædam victor præripuit. GA. Phy! nihil minus. PE. Num tale quid accidit, quale memorant de convivio Lapitharum? GA. Nequaquam. PE. Quid? an defuit Bacchi liquor? GA. Imo supererat. PE. Non aderant tibicines? GA. Et fidicines, & lyricines, & tubicines & utricines. PE. Quid igitur? Non aderat Hymenæus? GA. Frustra tot vocibus ciebatur. PE. Nec Charites? GA. Ne musca quidem Charis. Nec pronuba Juno, nec aurea Venus, nec Jupiter Gamelius. PE. Næ tu mihi nuptias loqueris prorsus inauspicatas & [1] ἀθέως, seu potius ἄγαμον γάμον. GA. Magis dicas, si vidisses. PE. Non igitur saltatum est? GA. Imo misere claudicatum. PE. Nullum ergo numen prosperius istas hilarabat nuptias? GA. Nullum omnino illic aderat præter unam Deam, quæ Græcis dicitur Psora. PE. Pruriginosas, opinor, nuptias dicis. GA. Imo rubiginosas & purulentas. PE. Sed quid est, mi Gabriel, quod hæc commemoratio tibi lacrymas etiam excutit? GA. Hæc res, Petroni, vel silici possit extundere lacrymas. PE. Credo, si silex vidisset. Sed obsecro te, quidnam est hoc tantum mali? Ne cela, nec meum animum diutius suspendito. GA. Nosti Lampridium Eubulum? PE. Quo non alius in hac urbe vir melior aut beatior. GA. Quid, ejus filiam Iphigeniam? PE. Florem hujus ætatis nominasti. GA. Sic est. At scis cui nupserit? PE. Sciam, si dixeris. GA. Nupsit Pompilio Blenno. PE. Eine Thrasoni, qui neminem non solet occidere suis gloriosis fabulis? GA. Huic ipsi. PE. At is jam olim celebris est in hac urbe, duabus potissimum rebus: mendaciis ac scabie, quæ nondum suum habet nomen, quum ipsa tam multorum habeat nomina. GA. Superbissima scabies est, quæ nec lepræ, nec elephantiasi, nec lichenibus, nec podagræ, nec mentagræ cedat, si res veniat in certamen. PE. Ita prædicant medicorum filii. GA. Quid ego nunc, Petroni, depingam puellam tibi non incognitam, quanquam plurimum gratiæ addidit ornatus nativo decori? Mi Petroni, dixisses Deam quampiam esse. Nihil illam non decebat. Interim prodiit nobis beatus ille sponsus, trunco naso, alteram trahens tibiam, sed minus feliciter quam solent Suitseri; manibus scabris, halitu gravi, oculis languidis, capite obvincto; sanies & e naribus, & ex auribus fluebat. Alii digitos habent, anulatos, ille etiam in femore gestat anulos. PE. Quid parentibus accidit, ut talem filiam tali portento committerent? GA. Nescio, nisi quod hodie plerisque videtur ademta mens. PE. Fortasse prædives est. GA. Est affatim, sed ære alieno. PE. Si puella veneno sustulisset ambos avos & avias, quod gravius supplicium de illa sumi poterat? GA. Si minxisset in patrios cineres, satis pœnarum datura fuerat, tali monstro vel osculum dare coacta. PE. Accedo. GA. Mihi sane factum hoc crudelius esse videtur quam si illam nudam objecissent ursis, aut leonibus, aut crocodilis. Nam aut feræ pepercissent tam insigni formæ, aut subita mors finisset cruciatum. PE. Vera prædicas. Mihi plane videtur hoc factum Mezentio dignum: *qui mortua*, ut inquit Maro, *jungebat corpora vivis, Componens manibusque manus, atque oribus ora*. Quanquam nec Mezentius, ni fallor, tam immanis erat, ut tam amabilem puellam cadaveri jungeret; nec ullum cadaver est, cui non jungi malis, quam tam putido cadaveri. Siquidem hoc ipsum quod spirat, merum est venenum; quod loquitur, pestis est; quod contingit, mors est. GA. Jam tu mihi cogita, Petroni, quid voluptatis habitura sint illa suavia, illi complexus, illi nocturni lusus, ac blanditiæ? PE. Theologos nonnunquam audivi loquentes de impari conjugio. Istuc demum optimo jure dici potest impar conjugium, quasi gemmam inseras plumbo. Sed interim demiror teneræ virginis audaciam. Solent enim tales puellæ ad lemuris aut larvæ conspectum tantum non exanimari; an hæc audebit tale cadaver amplecti noctu? GA. Habet puella quod excuset auctoritatem parentum, importunitatem amicorum, ætatis simplicitatem. Ego parentum vesaniam satis mirari non possum. Quis enim filiam habet tam infelici forma, quam collocare velit homini leproso? PE. Nullus, opinor, modo vel unciolam habeat sanæ mentis. Mihi si lusca esset, eademque clauda, nec minus deformis, quam fuit Thersites Homericus, postremo indotata, recusarem istiusmodi generum. GA. At hæc lues est omni lepra tum tetrior, tum nocentior. Nam citius serpit, & subinde recurrit, ac frequenter occidit; cum nonnunquam lepra sinat hominem ad extremam usque senectutem vivere. PE. Fortasse latebat parentes sponsi morbus. GA. Imo pulchre noverant. PE. Si tam male volebant filiæ, quin potius insutam culeo projecerunt in Scaldam? GA. Profecto levior fuisset insania. PE. Quæ dos commendabat illis sponsum? præcellit arte quapiam? GA. Permultis: strenuus est aleator, potator invictus, scortator improbus, nugandi mentiendique artifex maximus, prædator non segnis, decoctor eximius, comessator perditus. Quid multis? cum scholæ non profiteantur nisi septem artes liberales, hic habet plus quam decem illiberales. PE. Aliquid tamen fuerit oportet, quod illum commendarit parentibus. GA. Nihil aliud quam gloriosum equitis nomen. PE. Qualis eques, cui per scabiem vix in sella sedere licet? Sed fortasse habet luculentas possessiones. GA. Habuit mediocres; sed ex protervia, quam fecit, nihil superest præter unam turriculam, unde excurrere solet ad prædam, eamque tam belle instructam, ut nolis illic porcos tuos ali. Sed interim nunquam non habet arces in ore, & feuda, aliaque magnifica nomina; nusquam non affigit sua insignia. PE. Clypeus quod habet symbolum? GA. Tres elephantos aureos, in spacio phœniceo. PE. Scilicet elephas elephanti congruit. Oportet autem hominem esse sanguinarium. GA. Imo vinarium. Nam rubro vino mirum in modum delectatur; sic tibi sanguinolentus est. PE. Ad hauriendum igitur utilis est illi proboscis. GA. Maxime. PE. Itaque insignia declarant magnum ac stolidum nebulonem, vini gurgitem. Neque enim ille color sanguinis est, sed meri: & aureus elephas indicat, quidquid auri nactus est, vino absumi. GA. Sic est. PE. Quid igitur dotis hic Thraso conferet ad sponsam? GA. Quid? maximam. PE. Qui? maximam decoctor? GA. Sine me loqui; maximam, inquam, pessimamque scabiem. PE. Emoriar: ni malim filiam meam equo nuptam, quam tali equiti. GA. At ego vel monacho nuptam malim. Imo hoc non est homini nubere, sed hominis cadaveri. Hoc spectaculum si vidisses, dic mihi tenuissesne lacrymas? PE. Qui potuissem, qui vix ista sine lacrymis audio? Adeon' parentes ad omnem naturalis pietatis affectum obsurduisse, ut filiam unicam, puellam tali forma, tali indole, tam amabilibus moribus, tali monstro in servitutem traderent, propter mendacem clypeum? GA. Atqui facinus hoc, quo nihil invenias nec immanius, nec crudelius, nec magis impium, hodie magnatum etiam ludus est; quum expediat eos qui Reipublicæ tractandæ nascuntur, esse quam prosperrima valetudine. Corporis enim habitus, animi vim afficit. Certe hic morbus quidquid est homini cerebri solet exhaurire. Ita fit ut Reipublicæ præsideant, qui nec animo bene valeant, nec corpore. PE. Non solum integræ mentis ac prospera valetudine convenit esse qui Reipublicæ gubernaculis assident, verum etiam forma dignitateque corporis præcellentes. Quanquam enim prima principum commendatio sint sapientia & integritas; tamen non nihil refert, qua specie corporis sit, qui cæteris imperat. Nam si sævus est, multum invidiæ addit corporis deformitas: Sin probus & pius, *Gratior est pulcro veniens e corpore virtus.* GA. Recte. PE. Nonne deplorant earum infelicitatem, quarum conjuges post peractas nuptias in lepram aut morbum incidunt comitialem? GA. Merito sane. PE. Quæ igitur dementia est, ultro filiam plusquam leproso tradere? GA. Plusquam dementia est. Si satrapes paret tollere catulos, quæso num ad generosam fœminam admittet scabiosum & ignavum canem? PE. Imo magna cura dispiceret, ut undiquaque generosum adjungeret, ne nascantur hybridæ. GA. Et si dux augere velit equitatum, num ad eximiam equam admitteret morbidum aut degenerem? PE. Ne in commune quidem stabulum reciperet morbidum, ne qua serpat malum ad alios. GA. Nec interim referre putant, quem admittant ad filiam, & unde nascantur liberi, non tantum in hæreditatem omnium facultatum successuri, verum etiam rempublicam moderaturi? PE. Ne rusticus quidem quemvis taurum admittit ad juvencam, nec quemvis equum jungit equæ, nec quemvis porcum scrophæ; quum taurus gignatur aratro, equus rhedæ, por-

[1] Sine Diis.

porcus culinæ. GA. Vide quam perversa sint hominum judicia. Si quis plebejus patriciæ puellæ osculum obtrudat, injuriam putant bello vindicandam. PE. Acerrimo. GA. Et ipsi volentes, scientes, prudentes, id quo nihil habent carius, dedunt abominando portento, & privatim impii in suam gentem, & publicè in civitatem. PE. Si sponsus subclaudicat alioqui sanus, quam abhorretur a conjugio? hoc tantum malum non imputatur in sponsalibus. GA. Si quis filiam elocavit Franciscano, quanta abominatio, quanta deploratio male collocatæ virginis! at illa veste detracta virum habet membris validis: ista totam ætatem transigit cum semivivo cadavere. Si qua nubit sacerdoti, ludunt in unctum; at hæc pejus uncto nupsit. PE. Vix hoc faciunt hostes puellis bello captis, vix piratæ faciunt scelere abductis; & hoc faciunt parentes unicæ filiæ, nec illis datur a magistratu curator? GA. Quomodo medicus succurret phrenetico, si ipsum habeat phrenesis? PE. Atqui mirum est, a Principibus, quorum munus est prospicere Reipublicæ duntaxat in his, quæ ad corpus pertinent: cum in hoc genere nihil prius ac potius sit bona valetudine, heic nullum excogitari remedium. Tanta pestis bonam orbis partem occupavit, & illi interim stertunt, quasi nihil ad rem pertineat. GA. De Principibus, Petroni, religiose loquendum est. Sed admove aurem; insusurrabo tria verba. PE. O miseriam! utinam falsa prædicares? GA. Quot morborum genera nasci putas ex vinis corruptis ac mille modis infectis? PE. Innumera, si qua medicis fides. GA. Num heic vigilant ædiles? PE. Plane vigilant in exigendis vectigalibus. GA. Quæ sciens nubit morbido, fortasse digna est suo malo, quod adscivit ipsa sibi: quanquam si principatum gererem, utrumque semoverem ab urbano commercio. Cæterum si qua nupsisset huic obnoxio lui, qui se sanum mentitus esset, si quis mihi summum Pontificium delegeret, dirimerem hoc conjugium etiamsi sexcentis tabulis sponsalibus contractum esset. PE. Quo colore? Nam conjugium rite contractum, ab homine non potest dirimi. GA. Quid? tibi videtur rite contractum, quod dolo malo contractum est? Non valet contractus, si puella decepta servo nupsit, quem putabat liberum. Hic cui nupsit, servus est miserrimæ dominæ Psoræ; atque hoc infelicior est servitus, quod illa neminem manumittit, ut servitutis miseriam aliqua libertatis spes consolari possit. PE. Sane colorem reperisti. GA. Adhæc non est conjugium, nisi inter vivos. Heic mortuo nubitur. PE. Repertus est alter color. Sed sineres, opinor, scabiosas nubere, juxta vetus illud adagium, 1 ὅμοιον πρὸς ὅμοιον. GA. Si hoc mihi liceret, quod expediret Reipublicæ, sinerem quidem jungi, sed junctos exurerem. PE. Tum tu quidem Phalaridem ageres, non Principem. GA. An tibi Phalaris videtur medicus, qui secat digitos aliquot, aut inurit corporis partem, ne totum pereat? Mihi non videtur ista crudelitas, sed misericordia. Quod utinam initio nascentis mali fuisset factum! Tum enim paucorum exitio, totius orbis saluti consuli poterat. Et hujus facti reperimus exemplum in Gallorum annalibus. PE. At mitius erat illos castrari, ac summoveri. GA. Fœminis porro quid faceres? PE. Adderem fibulas. GA. Ita quidem prospectum esset, ne ex malis corvis nascantur mala ova, sed fatebor hoc esse mitius, si tu fatearis illud esse tutius. Nam pruriunt & exsecti; nec uno modo transilit malum, sed osculo, sed colloquio, sed contactu, sed compotatiuncula serpit ad alios. Et videmus huic malo fatalem quandam malitiam adjunctam, ut quisquis eo tenetur; vel nullo suo commodo gaudeat quam plurimis suam affricare scabiem. Jam submoti possunt fugere, possunt vel noctu, vel ignotis imponere: a mortuis vero nihil est periculi. PE. Tutius fateor; sed haud scio, an conveniat Christianæ mansuetudini. GA. Dic age mihi: unde plus periculi, a simplicibus furibus, an ab istis? PE. Fateor pecuniam multo viliorem, bona valetudine. GA. Et tamen nos Christiani suffigimus in crucem; nec appellatur crudelitas, sed justitia, & si Rempublicam spectes, pietas est. PE. Verum ibi plectitur qui damnum dedit. GA. Hi scilicet lucrum adferunt! Sed demus hoc malum multis nulla sua culpa contractum, quum tamen paucos reperias, quibus eam luem non conciliarit nequitia? Jureconsulti docent interdum innoxios recte occidi, si id magnopere intersit Reipublicæ. Quemadmodum Græci post eversam Trojam occiderunt Astyanactem Hectoris filium, ne per illum bellum instauraretur. Nec putant impium, post exstinctum tyrannum, & liberos innoxios trucidari. Quid quod nunquam non bellamus Christiani; neque tamen nescimus in bellis maximam malorum partem ad eos redire, qui nihil commeruerunt? Idem usu venit in repressalibus, quæ vocant. Qui læsit, in tuto est; & spoliatur negotiator; qui ne factum quidem audivit, tantum abest ut in culpa fuerit. Quod si talibus remediis utimur in rebus non ita magni momenti, quid censes faciendum in re omnium atrocissima? PE. Vincor veris. GA. Tum illud mihi perpende. Apud Italos ut primum scintillare cœpit pestilentia, occluduntur ædes: qui laboranti inserviunt, submoventur a publico. Hoc quidam appellant inhumanitatem, cum summa sit humanitas. Siquidem hac vigilantia fit, ut paucis funeribus sopiatur malum. At quanta est humanitas, tot millium vitæ consuli? Sunt qui parum hospitale putant, quod Itali in rumore pestilentiæ, tempore vespertino hospitem portis submovent, coguntque sub dio noctem agere: at pietas est, paucorum incommodo, maximo Reipublicæ bono prospicere. Quidam sibi valde fortes videntur & officiosi, quod ausint ad quemvis pestilentia laborantem accedere, etiam si nihil illic habeant negotii. At dum reversi domum inficiunt uxores, liberos ac totam familiam, quid ea fortitudine stultius, quid officio inofficiosius, ut salutes alienum, tibi carissimos in præsens vitæ discrimen adducere? Heic tamen quanto minus est periculi a pestilentia, quam ab hac scabie? Rarius afflat propinquos, nec fere senes attingit; & quos attigit, aut cito liberat, aut restituit sanitati, puriores etiam quam antea fuerant. Hæc quid aliud quam perpetua mors est, vel, ut verius dicam, sepultura? Obvolvuntur linteis & unguentis more cadaverum. PE. Verissima narras. Saltem idem curæ dandum erat huic tam exitiali malo, quod datur leprosis. Aut si hoc quoque nimium est, nemo barbæ silvam patiatur sibi demeti, aut sibi quisque tonsorem præstet. GA. Quid, si uterque claudat os? PE. Afflant naribus malum. GA. Est & isti malo remedium. PE. Quodnam? GA. Ut quod solent Alcumistici, addant personam, quæ per vitreas fenestellas præbeat lumen oculis, ori naribusque respirationem, cornu a persona per axillas in tergum porrecto. PE. Belle, si nihil metuendum esta contactu digitorum, linteorum, pectinis, & forficis. GA. Optimum igitur, barbam usque ad genua demittere. PE. Ita videtur. Deinde fiat edictum, ne quis idem sit tonsor & chirurgus. GA. Ad famem relegas tonsores. PE. Minuant sumtus, & aliquanto pluris radant. GA. Esto. PE. Tum feratur lex, ne quis cum alio poculum habeat commune. GA. Istam vix recipiat Anglia. PE. Neve duo misceantur eodem lecto, præter uxorem & maritum. GA. Placet. PE. Ad hæc in diversoriis ne quis hospes indormiat linteis, in quibus alius indormiit. GA. Quid facies Germanis, qui vix lavant in anno? PE. Exstimulent lotrices. Præterea tollatur mos quamvis vetustus salutandi osculo. GA. Etiamne in templis? PE. Tabellæ suam quisque opponat manum. GA. Quid de colloquio? PE. Vitetur illud Homericum, 2 Ἄσχι σχὼν κεφαλήν. & vicissim qui auscultat, comprimat labra. GA. Vix istis legibus suffecerint duodecim tabulæ. PE. Sed quid consulas interim infelici puellæ? GA. Quid? nisi ut libenter sit misera, quo sit minus misera; & suavio conjugis opponat manum; tum armata cum illo dormiat. PE. Quonam hinc properas? GA. Recta in museum. PE. Quid facturus? GA. Pro epithalamio, quod postulant, scripturus epitaphium.

IMPOSTURA.

PHILIPPUS, LIVINUS.

PH. Salve, Livine. LI. Salvebo, si vis ita; sed a me tibi cave. Nam est animus imponere tibi, nisi caves. PH. Non est admodum metuendus hostis, qui periculum denuntiat. Sed age, falle, si potes. LI. Ecce jam fefelli, nec sentis adhuc. Iterum cave. PH. Cum præstigiarum, opinor, artifice mihi res est. Nihil enim sentio imposturæ. LI. Rursus adverte mentem tuam, ni velis decipi, sicuti falsus es non semel. PH. Heic sum; incipe. LI. Jam dudum mihi quod jubes peractum est. PH. Quid actum, aut quid peractum? Nihil sentio doli. LI. Jam toties admonitus, saltem adhibe attentum animum. PH. Novum præstigiarum

1 Ὅμοιον] Id est, *simile simili gaudet*.

1 Ἄσχι σχὼν κεφαλήν] Id est, *propius admovens caput*, Ὀδυσσ. α.

rum genus. Ludor, ut ais, neque quidquam artis sentio, cum observem & oculos, & manus, & linguam tuam. Sed age, rursus incipe. Li. Iterum atque iterum incipio, atque adeo toties facio, neque tu assequeris laqueos. Ph. Qua re mihi laqueos tendis? Li. Hæc tibi, inquam, lingua dolos parat, nec auribus sentis, nec oculis vides. Nunc saltem habe attentos oculos & aures. Ph. Non possum magis, etiam si de capite ageretur. Sed falle rursum. Li. Iterum ecce fefelli, neque deprehendis artem. Ph. Enecas. Quæso dic, quodnam est hoc præstigiarum genus? Li. Hactenus sum tibi locutus carmine, atque adhuc loquor. Ph. Nihil minus sensi quam istuc. Li. Primum tibi respondi duobus trimetris jambicis: deinde trochaico tetrametro catalectico. Mox meris creticis sum locutus. Post hæc Phalæcio hendecasyllabo. Deinde meris choriambis. Ad hæc meris anapæstis. Rursum tribus Sapphicis. Mox Sotadico. Postremo trochaico tetrametro. Ph. Deum immortalem! quidvis suspicabar potius, quam istud. Si vixero, aliquando vicem reponam. Li. Huc, si quid potes. Ph. Ecce bis par pari retuli nec dolum percipis. Li. Hui tam cito? Ph. Minatus sum tibi jambico trimetro catalectico; mox addidi creticos quinque. Li. Prorsus accidit, ut video, quod dici solet, Cretensis incidit in Cretensem. Ph. Sic est; sed illud precor utrique nostrum, ne nobis unquam occurrat impostura nocentior.

CYCLOPS, SIVE EVANGELIOPHORUS.

Cannius, Polyphemus.

Ca. Quid hic venatur Polyphemus? Po. Quid vener, rogas, sine canibus & venabulo? Ca. Forte nympham aliquam hamadryadem. Po. Pulchre divinasti. En tibi rete venatorium. Ca. Quid ego video? [1] Bacchum in exuvio leonis, Polyphemum cum codice? [2] γαλῇ κροκωτόν. Po. Non croco tantum pinxi libellum, sed etiam minio lasurioque. Ca. Non loquor de croco, sed Græce dixi quiddam. Militaris videtur libellus; nam nodis, laminis & circulis æreis armatus est. Po. Introspice. Ca. Video. Sane perquam bellus est: sed nondum ornasti satis. Po. Quid deest? Ca. Addere debebas tua insignia. Po. Quæ? Ca. Sileni caput e dolio prospiciens. Sed quid tractat? artem potaticam? Po. Vide ne quam imprudens effutias blasphemiam. Ca. Quid igitur? estne sacri quippiam? Po. Est, quo nihil sacratius, Euangelium. Ca. [3] Ἡράκλεις! Quid Polyphemo cum Euangelio. Po. Quin ita rogas, quid Christiano cum Christo? Ca. Nescio, nisi quod te talem magis decet [4] halbardacha. Nam si quis mihi ista specie ignotus occurreret in mari, piratam esse crederem, si in nemore, sicarium. Po. Atqui hoc ipsum nos docet Euangelium, ne quem judicemus juxta faciem. Quemadmodum enim sæpenumero sub tunica cinericca latet animus tyrannicus, ita nonnunquam attonsum caput, circumtorta barba, torva supercilia, truces oculi, vertex plumam ventilans, sagum militare, caligæ intersectæ, tegunt Euangelicum animum. Ca. Quid ni? nonnunquam & sub pelle lupina latet ovis; &, si qua fides apologis, sub exuvio leonis latet asinus. Po. Imo ego novi qui ovem gestat in vertice, vulpem in pectore: cui libens optarim, ut quam habet nigros oculos, tam habeat candidos amicos, tamque probe inauretur, quam colorem habet inauraturæ congruum. Ca. Si ovem gestat in vertice, qui pileum gestat ovillum, quam tu incedis onustus, cum ovem simul & struthiocamelum gestes in capite? Tum an non absurdius facit, qui avem portat in capite, asinum in pectore? Po. Mordes. Ca. Sed belle res habuerit, si, quam tu decorasti variis ornamentis Euangelium, tam te vicissim exornet. Ornasti coloribus, utinam exornet te bonis moribus! Po. Curabitur. Ca. Ut soles. Po. Sed omissis conviciis. Itane damnas eos qui circumferunt codicem Euangelicum? Ca. Minime gentium. Po. Quid? an tibi videor minimus gentium, vel asinino capite te procerior? Ca. Non arbitror tanto, si asinus arrigat auriculas. Po. Certe bubalino. Ca. Placet collatio; sed ego *minimè* dixi, non *minime*. Po. Quid interest inter ovum & ovum? Ca. Quid interest inter medium digitum & infimum? Po. Medius est longior. Ca. Scite. Quid interest inter asininas auriculas, & lupinas? Po. Lupinæ sunt breviores. Ca. Rem tenes. Po. At ego longa breviaque palmo & ulna metiri soleo, non auribus. Ca. Age, qui Christum gestavit, dictus est Christophorus: tu qui Euangelium portas, pro *Polyphemo* dicendus es *Euangeliophorus*. Po. An sanctum non putas portare Euangelium? Ca. Non, nisi tu fatearis esse sanctissimos asinos. Po. Qui sic? Ca. Quia unus sufficit gestandis tribus istiusmodi codicum millibus; nec te crediderim futurum imparem oneri, si probe sis clitellatus. Po. Nihil absurdi sic asino tribuere sanctimoniam, quia gestavit Christum. Ca. Istam sanctimoniam tibi non invideo. Et, si vis, donabo tibi reliquias illius asini, cui Christus insedit, ut exosculeris. Po. Dabis munus gratissimum. Nam asinus ille contactu corporis Christi consecratus est. Ca. Sane Christum contigerunt, & qui illi impegerunt alapas. Po. Sed age dic serio; nonne pium est circumferre codicem Euangelicum? Ca. Pium, si absit hypocrisis, si vere id fiat. Po. Abeat hypocrisis ad monachos; quid militi cum hypocrisi? Ca. At primum expedi mihi quid sit hypocrisis. Po. Cum aliud præ te fers, quam lateat in animo. Ca. Sed quid præfert circumlatus Euangelii codex? Nonne vitam Euangelicam? Po. Opinor. Ca. Ergo ubi vita non respondet codici, nonne hypocrisis est? Po. Videtur. Sed quid est, vere codicem Euangelicum circumferre? Ca. Quidnam circumferunt manibus, quemadmodum Franciscani Francisci regulam: idem possunt & bajuli Lutetiani, & asini, & cantherii. Sunt qui circumferant ore, nihil crepantes nisi Christum & Euangelium: hoc est Pharisaicum. Quidam circumferunt animo. Proinde vere circumfert, qui & manibus, & ore, & corde portat Euangelium. Po. Ubi sunt isti? Ca. In templis diaconi, qui portant codicem, pronuntiant populo, & tenent corde. Po. Tametsi non omnes sancti sunt, qui animo gestant Euangelium. Ca. Ne mihi sophistam agas. Non gestat animo, nisi qui medullitus amat. Nemo penitus amat, nisi qui moribus exprimit Euangelium. Po. Istas subtilitates non assequor. Ca. At dicam crassiore Minerva. Si lagenam vini Belnensis gestes humeris, quid aliud est quam onus? Po. Nihil aliud. Ca. Si teneas faucibus, ac mox exspuas? Po. Haud profuerit; quamquam id quidem non soleo. Ca. Sin, ut soles, affatim haurias? Po. Nihil divinius. Ca. Concalescit omne corpus, rubescit facies, hilarescit frons. Po. Prorsus. Ca. Tale quiddam est Euangelium: in animi venas demissum, innovat totum hominis habitum. Po. Videor igitur tibi parum Euangelice vivere? Ca. Istam quæstionem nemo te dissolverit rectius. Po. Si bipenni res agatur. Ca. Si quis in os te vocet mendacem aut ganeonem, quid facias? Po. Quid faciam? sentiret pugnos meos. Ca. Quid si quis tibi impingat colaphum? Po. Amputarem illi collum pro colapho. Ca. Atqui codex tuus docet, ut pro convicio, referas benignum sermonem, & [5] ferienti maxillam dextram, porrigas & sinistram. Po. Legi, sed exciderat. Ca. Oras, opinor, frequenter. Po. Istuc est Pharisaicum. Ca. Pharisaicum est, prolixe precari, sed fucate. At tuus codex docet semper orandum, sed ex animo. Po. Attamen oro nonnunquam. Ca. Quando? Po. Cum venit in mentem, semel aut bis in hebdomade. Ca. Quid tum oras? Po. Precationem Dominicam. Ca. Quoties? Po. Semel. Nam vetat Euangelium [6] battologiam eadem iterantem. Ca. Potes attentus absolvere precationem Dominicam? Po. Nunquam id tentatum est. An non satis quod voce pronuntio? Ca. Nescio, nisi quod Deus non audit nisi cordis vocem. Crebro jejunas? Po. Nunquam. Ca. At tuus codex probat precationem & jejunium. Po. Probarem & ego, nisi aliud flagitaret venter. Ca. At Paulus negat eos servire Jesu Christo, qui ventri serviunt. Vesceris carnibus quovis die? Po. Cum dantur. Ca. Atqui ista gladiatoria laterum firmitas vel fœno arborumque corticibus poterat ali. Po. Sed Christus dixit, non coinquinari hominem his quæ intrant in os. Ca. Ita, si modice, si præter offendiculum. At Paulus Christi discipulus mavult

fame

1 *Bacchum in exuvio leonis*:] Dicitur in eos, qui suscipiunt negotium majus facultate, quique se magnificentius gerunt, quam pro sua conditione.

2 Γαλῇ κροκωτόν] Id est, *Feli crocotum*. Subaudiendum *das*. Dici solitum, quoties honos additur indignis, & quos haudquaquam decet.

3 Ἡράκλεις] Id est, *Hercules*, admirandi adverbium apud Græcos; & sæpe etiam jurantis.

4 *Halbardacha*] Nescio quid halbardacha sit, si non vox barbarica, quæ Belgis *een Hellebaerd*. Gallis *Halebarde*, Italis & Hispanis *Alabarda*, Latinis *securis Romana*, seu *Amazonia*. Voce hac tutius utitur hic Polyphemus, utpote insulsus.

5 *Ferienti*] Verba Christi habentur Matth. 5. v. 39.

6 *Battologia*] Battologiam damnat Christus nominatim apud Matth. 6. 7.

fame mori, quam fratrem infirmum 1 offendere suo cibo; nosque ad suum hortatur exemplum, ut omnibus per omnia placeamus. Po. Paulus est Paulus; ego sum ego. Ca. At 2 Ægonis est capras pascere. Po. Malim 3 esse. Ca. Pulchre tibi precaris; caper citius fies, quam capra. Po. Esse dixi, pro edere. Ca. Eleganter. Libenter succurris pauperibus? Po. Non est quod dem. Ca. At esset, si sobrie viveres, si gnaviter laborares. Po. Dulce est otium. Ca. Servas præcepta Dei? Po. Grave est. Ca. Agis admissorum pœnitentiam? Po. Christus pro nobis dependit. Ca. Unde igitur declaras te amare Euangelium? Po. Dicam. Franciscanus quidam apud nos non desinebat e suggesto deblaterare in Novum Testamentum Erasmi: conveni hominem privatim, lævam injeci capillis, dextra pugilem egi, suggillavi illum magnifice, totamque faciem tuber reddidi. Quid ais? non est hoc favere Euangelio? Deinde absolvi illum a commissis, hoc ipso codice ter in verticem impacto, fecique tria tubera, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Ca. Satis quidem Euangelice. Istuc nimirum est Euangelium Euangelio defendere. Po. Occurrit alter ejusdem sodalitii, qui nullum neque modum, neque finem faciebat debacchandi in Erasmum. Accensus Euangelico zelo, minis hominem adegi, ut utroque genu flexo rogaret veniam, fatereturque, se, quæ dixerat, instigante Diabolo dixisse: ni fecisset, jam halbardacha erat in cervicem vibrata. Vultus erat qualis esse solet Martis irati. Hoc gestum est coram aliquot testibus. Ca. Miror hominem non fuisse protinus exanimatum. Sed ut pergamus. Vivis caste? Po. Id fortasse fiet, ubi senuero. Sed vis tibi verum fatear, Canni? Ca. Non sum sacerdos: si confiteri libet, alium quære. Po. Deo soleo confiteri; sed tibi fateor, me nondum esse perfectum Euangelicum, sed unum e populo. Habemus quatuor Euangelia, nos Euangelici quatuor res potissimum venamur: ut ventri bene sit; ne quid desit iis, quæ sub ventre sunt: tum ut sit unde vivamus; postremo ut liceat, quod lubet, agere. Hæc si suppetant, inter pocula clamamus; Io triumphe, io Pæan; vivit Euangelium, regnat Christus. Ca. Ista quidem Epicurea vita est, non Euangelica. Po. Haud inficior. Sed scis, Christum omnipotentem esse; potest repente vertere nos in alios homines. Ca. Potest & in sues; quod quidem proclivius arbitror, quam in bonos viros. Po. Utinam non essent pejores in mundo suibus, bubus, asinis, & camelis! Multos videas leonibus truculentiores, lupis rapaciores, passeribus salaciores, canibus mordaciores, viperis nocentiores. Ca. At jam tempus est, ut ex animante bruto in hominem incipias verti. Po. Recte mones. Nam horum temporum prophetæ dicunt instare supremum mundi diem. Ca. Tanto magis properandum. Po. Exspecto Christi manum. Ca. Vide ut tu manui ceream præbeas materiam. Sed unde colligunt, in propinquo esse mundi finem? Po. Quoniam, inquiunt, idem nunc faciunt homines quod faciebant imminente diluvio: epulantur, potant, comessantur, ducunt, nubunt, scortantur, emunt, vendunt, fœnerant & fœnerantur, ædificant: Reges belligerantur, Sacerdotes student augendis censibus, Theologi nectunt syllogismos, Monachi per orbem cursitant, populus tumultuatur, Erasmus scribit colloquia: denique nihil malorum abest, fames, sitis, latrocinia, bellum, pestilentia, seditio, rerum bonarum inopia. An non hæc arguunt adesse finem rerum humanarum? Ca. Ex hoc malorum acervo, quod tibi est molestissimum? Po. Divina. Ca. Quod crumenam tuam obsident araneæ. Po. Dispeream, nisi rem acu tetigisti. Nunc venio recens a compotatione: alias sobrius tecum disputabo, si voles, de Euangelio. Ca. Quando te videbo sobrium? Po. Cum fuero. Ca. Quando eris? Po. Cum videris. Interim, mi Canni, sis felix. Ca. Tibi vicissim opto ut sis 4 quod diceris. Po. Ne me vincas officio, precor ne 5 Cannium unquam destituat, unde cognomen sortitus est.

1 *Offendere suo cibo*] Verba exstant 1 Corinth. 8. v. 13.

2 *Ægonis*] Respicit ad Virgilian. id: *Non, verum Ægonis: nuper mihi tradidit Ægon.*

3 *Esse*] Id est, edere: alter a *sum* derivat.

4 *Quod diceris*] Πολύφημος enim celebrem designat, de quo multa narrantur, a πολὺς multus & φημὶ dico.

5 *Cannium*] Jocose: luserat quippe Cannius in voce *Polyphemi*, ergo alter & in voce *Cannii*. Vult Polyphemus, ut nunquam Cannius destituatur poculis & trullis vinariis cerevisiariisque. *Poculum* enim Germanis Belgisque *een Kanne* dicitur.

Ἀπροσδιόνυσα, sive ABSURDA.

ANNIUS, LEUCIUS.

An. Audio te interfuisse nuptiis Pancratii & Albinæ. Le. Nunquam antehac infelicius navigavi, quam hoc tempore. An. Quid ais? tantam fuisse hominum frequentiam? Le. Nec unquam mihi vilior fuit vita, quam id temporis. An. Vide quid faciant opes. Ad meas nuptias pauci convenirent, idque tenues. Le. Vix fueramus ingressi pelagus, ortus est ingens turbo. An. Narras Deorum cœtum. Totne aderant viri principes, tot matronæ nobiles? Le. Boreas dissecuit velum, dissectumque dissipavit. An. Desponsam novi. Nihil fingi potest venustius. Le. Mox fluctus revulsit clavum. An. Idem videtur omnibus. Nec sponsus admodum illi cedit, ut ajunt, formæ gratia. Le. Quid animi censes nobis illic fuisse? An. Sane rarum nunc est virgines nubere. Le. Remigandum nobis erat. An. Dotem vix credibilem narras. Le. Ecce mox aliud malum. An. Cur puellam impuberem commiserunt tam feroci? Le. Apparuit piratarum navis. An. Profecto sic est; in multis nequitia supplet ætatem. Le. Ibi nobis geminum fuit bellum, alterum cum mari, alterum cum prædonibus. An. Hui tantum donariorum? Interim pauperibus nemo dat festucam. Le. Quid? cederemus? Imo desperatio vitæ addebat animos. An. Vereor ne sint steriles nuptiæ, si vera prædicas. Le. Imo injecimus harpagones. An. O rem novam! ante nuptias gravida? Le. Si spectasses eum conflictum, fatereris me non esse fœminam. An. Ut audio, conjugium hoc non solum ratum est, sed etiam consummatum. Le. Insiluimus in navim piraticam. An. At demiror te vocatum alienum, me præterito, qui tertio propinquitatis gradu sponsæ patrem contingo. Le. Ipsos in mare præcipites dedimus. An. Vera prædicas; infelicium nulli sunt affines. Le. Quidquid erat prædæ, inter nos partiti sumus. An. Expostulabo cum puella primo quoque tempore. Le. Mox exorta est subita tranquillitas: dixisses esse Alcedonia. An. Si illi res est, mihi est animus. Nihil moror illius benevolentiam. Le. Ita pro una duas naves in portum deduximus. An. Indignetur qui alit. Le. Quo eam, rogas? in templum, veli partem dicaturus divo Nicolao. An. Hodie non est liberum mihi, nam ipse domi convivas exspecto; alias non excusabo.

6 Ἱππεὺς ἄνιππος, *sive Ementita Nobilitas.*

HARPALUS, NESTORIUS.

Ha. Potes me tuo levare consilio? Senties me hominem non immemorem, nec ingratum. Ne. Dabo expeditum, ut sis, quod esse velis. Ha. At nobis in manu non est, ut nascamur nobiles. Ne. Si non est, enitere benefactis, ut a te initium capiat nobilitas. Ha. Perlongum est. Ne. Exigua summa tibi vendet Cæsar. Ha. Vulgo ridetur emptitia nobilitas. Ne. Cum nihil sit magis ridiculum quam ementita nobilitas, quid est ut tantopere affectes nomen equitis? Ha. Sunt caussæ, nec leves; quas tibi non gravabor indicare, si mihi commonstraris rationes, quibus nobilitatis opinionem mihi parem apud vulgus. Ne. Nomen absque re? Ha. Atqui cum res abest, proximum est opinio. Sed age, consule, Nestori; ubi caussas audieris, fateberis operæ pretium. Ne. Quando ita vis, dicam. Primum fac procul te abducas a patria. Ha. Memini. Ne. Ingere te in convictum juvenum vere nobilium. Ha. Intelligo. Ne. Hinc primum orietur suspicio, te talem esse cum qualibus victitas. Ha. Sic est. Ne. Vide ne quid habeas plebejum. Ha. Quidnam? Ne. De cultu loquor. Ne vestis sit lanea, sed aut serica, aut, si deest qui emas, fustanea, denique vel canabea potius, quam pannea. Ha. Recte. Ne. Vide ne quid sit integrum, sed disseca pileum, thoracem, caligas, calceos, ungues, si potes: neve quidquam humile loquaris. Si quis ex Hispania veniat hospes, roga quomodo conveniat 7 Cæsari cum Pontifice, quid agat affinis tuus

6 Ἱππεὺς ἄνιππος] Id est, eques sine equo. ἱππεὺς vel ἱππότης Græcis *eques*, ἄνιππος *equo carens* vel equo non insidens. Quandoque etiam sumitur pro equitandi imperito vel inequitabili.

7 *Cæsari cum Pontifice*] Gravia enim dissidia Erasmi tempore alebat Carolus Cæsar cum Pontifice Romano Clemente VII. Ita quidem ut ille ductu Barbonii Romam armata manu ceperit captamque misere diripuerit, & Pontifex a Germanis Hispanisque militibus summis probris affectus fuerit.

Comes a 1 Nassauen, quid cæteri congerrones tui. HA. Fiet.
NE. Sit anulus in digito cum gemma signatoria. HA. Si
quidem loculi ferant. NE. At parvo constat anulus æreus
inauratus cum gemma factitia. Sed adde clypeum cum in-
signibus. HA. Quænam mihi suades deligam? NE. Duo
mulctra, si velis, & cantharum cerevisiarium. HA. Ludis:
age dic serio. NE. Nunquam fuisti in bello? HA. Ne vidi
quidem. NE. At interim, opinor, decollasti anseres & ca-
pos rusticorum. HA. Persæpe, & quidem fortiter. NE. Po-
ne machæram argenteam, tria anserum capita aurea. HA.
In quo solo? NE. Quo? nisi sanguinolento, monumentum
fortiter effusi cruoris. HA. Quid ni? rubet sanguis anseri-
nus æque atque humanus. Sed perge, obsecro. NE. Hunc
igitur clypeum pro foribus omnium diversoriorum, in qui-
bus forte versatus es, affigendum curato. HA. Quid ad-
detur galeæ? NE. Recte submones. Eam facies ore disse-
cto. HA. Quam ob rem? NE. Ut spires, deinde ut congruat
vestitui. In vertice quid eminebit? HA. Exspecto. NE. Ca-
put canis demissis auribus. HA. Vulgatum est. NE. Adde
duo cornua: rarum hoc est. HA. Placet. Sed quæ bestiæ
sustinebunt clypeum; NE. Cervos, canes, dracones, gry-
phes occuparunt Principes; tu ponito duas harpyias. HA.
Optime consulis. NE. Restat cognomen. Heic istud in pri-
mis cavendum, ne plebejo more te patiaris vocari Harpa-
lum Comensem, sed Harpalum a Como: hoc enim Nobi-
lium est, illud sordidorum Theologorum. HA. Sic memi-
ni. NE. Habesne quidquam cujus te posses appellare domi-
num? HA. Ne haram quidem. NE. In urbe celebri natus
es? HA. In obscuro pago; non enim fas est ei mentiri unde
petis medicinam. NE. Recte est. Sed ei pago nullus est vi-
cinus mons? HA. Est. NE. Et habet alicunde rupem? HA.
Habet præruptam. NE. Ergo sis Harpalus eques ab aurea
rupe. HA. Atqui mos est magnatum, ut suum quisque sym-
bolum habeat vocale, quemadmodum 2 Maximilianus
habebat, *Tene mensuram:* 3 Philippus, *Qui volet:* 4 Ca-
rolus, *Ulterius:* item alius aliud. NE. Tu adscribito, *Omnis
jacta sit alea.* HA. Næ tu percommode dicis. NE. Jam quo
firmior sit hominum opinio, fingito literas a magnatibus
ad te missas, in quibus identidem appelleris Eques clarissi-
mus, magnarumque rerum fiat mentio, de feudis, de arci-
bus, de multis florenorum millibus, de præfecturis, de ma-
trimonio opulento. Curabis, ut hujusmodi literæ tibi vel-
ut elapsæ, aut per oblivionem relictæ veniant ad aliorum
manus. HA. Istud quidem erit mihi commodum: nam &
literas novi, & hanc facultatem multo usu paravi, ut cu-
jusvis manum facile effingam. NE. Interdum insue vesti,
aut relinque in crumena, ut quibus sarciendi negotium de-
deris, illic reperiant. Illi non silebunt; & tu, simul ac resci-
veris, compones vultum ad iracundiam ac mœstitiam, quasi
doleat casus. HA. Et istuc jam pridem meditatus sum, ut
faciem tam facile mutem, quam personam. NE. Ita fiet,
ut nec fucus suboleat, & res cum fide spargatur. HA. Cu-
rabitur sedulo. NE. Deinde sodales aliquot adsciscendi sunt,
aut etiam famuli, qui tibi cedant loco, & apud omnes te 5
Joncherum appellent. Nec est, quod heic sumtum metuas,
sunt plurimi juvenes, qui vel gratis cupiant hanc agere fa-
bulam. Adde huc, quod hæc regio scatet juvenibus erudi-
tulis, qui mira tenentur scribendi libidine, ne dicam sca-
bie. Nec desunt famelici quidam typographi, nihil non au-
dentes, si spes quæstus affulserit. Ex his aliquot suborna,
qui in libellis suis te prædicent patriæ procerem, idque
subinde repetatur literis majusculis. Hac via vel in Bohe-

1 *Comes a Nassauen*] Notissimi comites hi, præcipue bello Belgico proximo: quod tam stupendis successibus, Fœderatæ Belgicæ Ordines auspiciis Nassaviæ Comitum Gulielmi, Mauritii & Frederici Henrici cum Hispanis gesserunt. Bertius Nassau quasi *Nas Gau*, id est, humidis paludibus & campis cinctam regionem, dictam vult. *Nas* enim vel *Nat* madidum & *Gau* vel *Gou* regionem vel specialius latam viam aquas dirimentem designat.

2 *Maximilianus*] Designat auctor Maximilianum Austriæ Ducem post Regem & tandem Cæsarem Romanum, qui in uxorem duxerat Mariam Caroli Audacis unicam filiam: ex qua suscepit Philippum & Margaretam.

3 *Philippus*] Philippus hic dicti Maximiliani filius, matrimonium iniit cum Joanna Ferdinandi Castiliæ Regis filia: quæ ipsi peperit Carolum cognomento Quintum, & Ferdinandum. Jure hæreditario hujus Joannæ Hispaniarum regnum ad Philippum hunc Burgundiæ Ducem, Comitem Hollandiæ &c. devolutum est.

4 *Carolus*] Carolus ergo Philippi filius Maximiliani nepos fuit. Ipsius res gestas fuse perscripsit Alonso de Ulloa satis grandi volumine. De symbolis autem his vide Baudartium in Apophthegmatibus.

5 *Joncherum*] Joncherus vox Germanica & Belgica, idem designans quam juvenem Dominum, composita ex *Jong* juvenis & *Heer* Dominus. Vulgo autem nobilium filii ita dicuntur.

A mia celebrabunt procerem patriæ. Et citius enim & latius
discurrunt libelli, quam voces, aut quamlibet loquaces fa-
muli. HA. Nec ista displicet ratio. At famuli sunt alendi. NE.
Sunt: at non ales famulos 6 ἀχείρους, & ob id ἀχρείους. Mit-
tantur huc & illuc, invenient aliquid. Scis varias esse ta-
lium rerum occasiones. HA. Desine; teneo rem. NE. Su-
persunt artes. HA. Aveo scire. NE. Nisi sis bonus aleator,
probus chartarius, scortator improbus, potator strenuus,
profusor audax, decoctor & conflator æris alieni, deinde
scabie ornatus Gallica, vix quisquam te credet equitem.
HA. In istis quidem jam pridem exercitatus sum: sed unde
sumtus? NE. Mane; istuc ibam. Est tibi patrimonium?
HA. Perpusillum. NE. Postquam apud multos confirma-
B ta fuerit nobilitatis opinio, facile reperies fatuos qui tibi cre-
dant; quosdam etiam pudebit negare, quidam metuent.
Jam ut ludas creditores, mille sunt artes. HA. Earum qui-
dem rudis non sum. Sed tandem urgebunt, ubi perspexe-
rint nihil esse nisi verba. NE. Imo nulla est commodior ad
regnum via, quam debere quamplurimis. HA. Qui sic?
NE. Primum creditor observat te non aliter quam obliga-
tus magno beneficio, vereturque ne quam præbeat an-
sam amittendæ pecuniæ. Servos nemo magis habet obno-
xios, quam debitor suos creditores; quibus si quid aliquan-
do reddas, gratius est, quam si dono dones. HA. Animad-
verti. NE. Illud tamen caveto, ne cum tenuibus habeas
commercium. Nam hi ob parvulam summulam ingentes
C excitant tragœdias. Placabiliores sunt, quibus lautior est
fortuna; cohibet illos pudor, lactat spes, deterret metus,
norunt quid possint equites. Postremo, cum inundaverit
æris alieni magnitudo, fictis caussis alio demigra, atque inde
rursus alio. Nec est, quod hujus rei te pudeat. Nulli magis
obærati sunt, quam magni Principes. Si quis rusticus urgeat,
finge offensum improbitate animum. Interdum tamen ali-
quid reddito, verum nec totum, nec omnibus. Illud ubi-
que curandum, ne cui suboleat tibi prorsus exhaustos locu-
los. Semper ostenta. HA. Quid ostentet qui non habet? NE.
Si quid amicus apud te deposuit, ostenta pro tuo; sed artem
dissimula, cura ut casus videatur. In hunc usum interdum
sumito pecuniam commodato, quam mox reddas. Ex lo-
D culo nummis æreis distento, profer aureos duos ibi seposi-
tos. Cætera ex te ipso conjicito. HA. Intelligo. At tandem
obruar oportet ære alieno. NE. Scis quantum apud nos li-
ceat equitibus. HA. Nihil non, & quidem impune. NE.
Ergo famulos ale non segnes, aut etiam sanguine propin-
quos, qui alioqui forent alendi. Occurret negotiator quem
obvium spolient. Reperient aliquid in diversoriis, aut in æ-
dibus, aut in navibus incustoditum. Tenes? Meminerint
non frustra datos homini digitos. HA. Siquidem tuto. NE.
Cura ut habeas pulchre vestitos, cum insignibus. Commit-
te literas fictitias ad summates. Si quid clam sustulerint,
nullus audebit illos insimulare: etiamsi quid suspicentur, ti-
mebunt equitem dominum; sin vi prædam extorserint, bel-
E lum vocabitur. His progymnasmatibus ad bellum prælu-
ditur. HA. O felix consilium! NE. Jam illud equestre do-
gma semper erit tuendum, *Jus fasque esse equiti plebejum via-
torem exonerare pecunia.* Quid enim indignius, quam igno-
bilem negotiatorem abundare nummis, cum interim eques
non habeat, quod impendat scortis & aleæ? Fac semper te
adjungas magnatibus, vel ingeras potius: ne quid pudeat,
perfricanda frons est, sed præsertim hospitibus: eoque præ-
stat in celebri quopiam loco vitam agere, puta in thermis,
frequentibus diversoriis. HA. Istuc ipsum erat in animo.
NE. Heic sæpenumero fortuna prædam objicit. HA. Qui?
rogo. NE. Puta, hic aut ille reliquit crumenam, aut oblitus
reliquit clavim in sera promptuarii. Cætera tenes. HA. At.
F NE. Quid metuis? de sic culto, de tam magnifice loquen-
te, de equite ab aurea rupe, quis audebit suspicari? Et,
si quis forte tam improbus exstiterit, quis erit tam audax,
ut te appellet? Interim suspicio derivabitur in aliquem ho-
spitum, qui pridie discesserit. Turbabuntur famulitia cum
pandocheo. Tu tranquillus tuam personam agito. Hoc
si acciderit homini modesto, cordatoque, silebit, ne si-
mul cum damno lucrifaciat pudorem, qui rem suam in-
diligenter servaverit. HA. Non absurde dicis: nam nosti,
opinor, Comitem a vulture albo. NE. Quid ni? HA. A-
pud hunc diversatus est, ut accepi Hispanus quidam, specie
cul-

6 'Αχείρους] Id est, *sine manibus*; ἀχρείους, *inutiles*.

cultuque sane quam liberali. Is abstulit florenos sexcentos: nec unquam Comes ausus est queri. Tanta erat hominis majestas. NE. Habes exemplum. E famulis tuis interdum aliquem amandes, in bellum scilicet. Is spoliatis templis aut monasteriis quibuslibet, redibit onustus præda bello parta. HA. Hoc quidem est tutissimum. NE. Est & alia ratio conflandæ pecuniæ. HA. Narra, obsecro. NE. In bene nummatos finge caussas irarum, præsertim in Monachos aut Sacerdotes, qui nunc apud omnes fere summa laborant invidia. Alius irriserit aut conspuerit clypeum tuum, alius parum honorifice de te sit locutus, alius scripserit aliquid, quod in calumniam detorqueri valeat. His per feciales tuos [1] ἄσπονδον πόλεμον denuntia. Sparge minas atroces, excidia, exitia, [2] πανολεθρίας meras: territi venient ad componendam litem. Ibi fac magno æstimes tuam dignitatem, hoc est, iniquum petas, ut æquum feras. Si postules tria millia, pudebit minus offerre, quam ducentos aureos. HA. Aliis minitator leges. NE. Istud propius quidem accedit ad sycophanticam: sed tamen juvat & hoc in partem. Sed heus, Harpale, pene exciderat, quod dictum in primis oportuit; puella quæpiam bene dotata in matrimonii nassam illaqueanda est. Habes apud te philtrum, juvenis es, candidulus es, lepidus nugator es, rides blandum. Sparge, te magnis promissis adscitum in aulam Cæsaris. Amant puellæ Satrapis nubere. HA. Novi quibus hoc bene cesserit. Cæterum quid si fucus tandem erumpat, & insiliant undique creditores? Irridebor personatus eques. Nam id apud istos turpius est, quam si templum sacrilegio spolies. NE. Heic oportet meminisse perfrictæ frontis. Illud in primis, quod nullis unquam temporibus magis licuit audacia pro sapientia uti, quam hodie. Comminiscendum est aliquid quod excuses. Deinde nunquam deerunt candidi, qui faveant tuæ fabulæ; nonnulli civiliores dissimulabunt intellectum fucum. Postremo, si nihil aliud, profugiendum est aliquo in bellum, in tumultum. Quemadmodum [3] κλύζει θάλασσα πάντα τ' ἀνθρώπων κακά· ita bellum operit omnium scelerum sentinam. Nec enim habetur hodie bonus belli dux, nisi tali tirocinio præparatus accesserit. Hoc erit extremum asylum, si cuncta fefellerint. Verum omnis movendus erit tibi lapis, ne huc veniatur. Vide ne te securitas opprimat; oppidula minuta fuge, in quibus ne pedere quidem licet, ni populus sciat: in magnis ac frequentibus civitatibus plus est licentiæ, nisi si qua sit [4] Massiliæ similis. Dissimulanter expiscare quid quisque de te loquatur. Ubi senseris hujusmodi voces increbrescere: *Quid agit? cur heic tot annos moratur? cur non revisit patriam? cur negligit arces suas? unde ducit imagines? unde tantæ profusioni facultates?* Hoc genus, inquam, voces, ubi cœperint magis ac magis gliscere, tum mature tibi de migrando cogitandum est: sed sit fuga, leonina, non leporina. Adsimula te vocari in aulam Cæsaris ad res magnas, brevi te adfuturum cum exercitu. Non audebunt in absentem hiscere, quibus est quod nolint amittere. Sed in primis tibi censeo cavendum genus istud hominum poeticum, irritabile, nigrumque. Illinunt chartis, si quid illos habet male: subitoque per orbem spargitur quidquid illeverint. HA. Dispeream, ni mihi vehementer placeat tuum consilium. Efficiam, ut intelligas te nactum docile ingenium, & juvenem minime ingratum. Equum quem primum te dignum nactus in pascuis fuero, tibi dono mittam. NE. Nunc superest, ut quod pollicitus es, vicissim præstes. Quid est, cur tantopere affectes falsam opinionem nobilitatis? HA. Nullam aliam ob caussam, nisi quod his omnia licent impune. An hoc tibi leve videtur momentum? NE. Ut pessime cedat, mors una debetur naturæ, etiamsi vixisses in Carthusia. Et levius moriuntur in rota, quam qui moriuntur calculo, podagra aut paralysi. Nam militare est, credere, nihil hominis superesse post mortem, præter cadaver. HA. Sic opinor.

1 Ἄσπονδον πόλεμον] Id est *irreconciliabile bellum.*
2 Πανολεθρίας] Id est, *omnium rerum destructiones.*
3 Κλύζει, &c.] Id est, *eluit mare omnium hominum mala.*
4 *Massiliæ*] Nempe non adiret Massiliam aut Massiliæ similem urbem frequentem quidem & magnam, sed severam nec istius farinæ homines ferentem. De severitate Massiliensium multa memoriæ prodiderunt fide digni auctores. Inter alios *Valerius Maximus* testatur, nullos mimos in scenam admisisse, ne parum pudicis fabularum argumentis, civium mores inficerentur, nec eos, qui religionis prætextu vitam inertem & ociosam sectarentur, intra portas recepisse. Itaque neutiquam accommoda esset istiusmodi urbs huic Harpalo, utut spatiosa. Vide *Ciceronem* pro Flacco & *Strabonem.*

[5] Ἀστραγαλισμός, sive TALORUM LUSUS.

CAROLUS, QUIRINUS.

QV. Disce, inquit Cato, sed a doctis. Cupio itaque, mi [6] Utenhovi, te magistro discere; quam ob rem prisci illi religionis antistites edixerint, ut clerici talaribus tunicis uterentur, hoc est, usque ad talos demissis. CA. Duabus, opinor, de caussis. Primum verecundiæ gratia, ne quid nudi pateret oculis. Nam olim nec hoc caligarum genus fuit repertum, quod nunc ab ilibus usque ad imos pedes corpus tegit, neque subligaribus aut femoralibus vulgo utebantur. Eadem de caussa turpe est fœminis brevioribus uti vestimentis, quo magis consultum sit sexus pudori. Deinde ut non solum moribus, verum etiam habitu differrent a populo, in quo ut quisque est profanissimus, ita brevissimis tunicis uti gaudet. QV. Non dissimile veri est quod narras. Cæterum ex Aristotele, Plinioque didici, nulli hominum esse *talos*, sed tantum quadrupedibus, non tamen omnibus, sed bisulcis plerisque, nec rursus his nisi in tibiis posterioribus. Unde igitur vestis dici talaris potest, quam gestat homo, nisi fuerunt homines olim quadrupedes, juxta fabulam Aristophanis. CA. Imo, si credimus Oedipo, & quadrupedes, & tripedes, & bipedes inveniuntur homines: nec raro nobis e bello redeunt unipedes, interdum apodes: sed quod ad *tali* vocabulum attinet, rectius mireris, si legas Horatium, qui fabulis quoque *talos* attribuit. Sic enim opinor, scribit in Arte poetica:

Securus, cadat, an recto stet fabula talo.

QV. Poetis licet, ut libet, loqui: apud quos Tmolus habet aures, & naves loquuntur, & saltant quercus. CA. Quin & [7] Aristoteles tuus hoc te docere poterat, esse talos dimidiatos, quos ille vocat ἡμιαστραγάλους, quales tradit esse lyncum generi. Addit, leonibus inesse quiddam vice tali, sed amfractuosum, quod ille vocat λαβυρινθώδες, Plinius vertit *tortuosum*. Denique ubicunque committuntur ossa ossibus ad flexus commoditatem, cava prominentibus inter se respondent, utrinque lubrica cartilagine communitis, ac velut incrustatis partibus, ne mutuo attritu sese lædant, ut idem docet Aristoteles. In his fere est aliquid quod a tali similitudine pariter & usu non discrepat; velut in ima tibia juxta calcaneum, ubi totius pedis flexus est, prominet quiddam talo simile, quod Græci σφυρὸν appellant. Rursus in flexura genu, quod, ni fallor, ἰσχίον appellant, quidam *vertebrum*. Simile quiddam videmus in coxendicibus, in humeris; postremo in commissuris digitorum, pedis, ac manus. Quod ne tibi mirum videatur, Græci tradunt ἀστραγάλου vocabulum apud probatos auctores tributum etiam ossibus, quibus spina connectitur, præsertim in cervice. Citant enim hoc carmen:

[8] Ἐκ δέ μοι αὐχὴν ἀστραγάλων ἐάγη.

Quoniam autem Aristoteles tradit priores tibias animanti datas ad celeritatem, & ob id carere talis; posteriores ad stabilitatem, quod in eam partem vergat pondus corporis, quemadmodum ad robur iis, quæ calcibus feriunt: Flaccus dum significare vult fabulam non ejectam, sed ad finem usque peractam, dicit illam *stetisse fixo talo*: nec aliter tribuit fabulæ *talum*, quam nos libro tribuimus *calcem*, & volumini *umbilicum*. QV. Næ tu probe Grammaticum agis. CA. At quo magis id credas, Græci literatores ἀστράγαλον dici volunt a στρέφω, & α particula privativa, quod minime flectatur, sed immobilis sit. Quanquam alii malunt ἀστράγαλον, interjecta litera ρ, dictum pro ἀστάγαλον, quod lubrica volubilitate stare nesciat. QV. Ad istum modum licet plura divinare. Simplicius erat dicere, Nescio. CA. Non usque adeo videbitur absurda divinatio, si cogites quantam habeat caliginem vocum primitiva origo: tum in re nullam esse contrarietatem; quod apparebit, si propius inspicias: Volubilis est talus, sed ita volubilis, ut eam partem cui innectitur, reddat ad standum firmiorem: deinde os ossi connectit, ne facile luxari queat. QV. Tu vel sophistam agere possis, quantum video, si libeat. CA. Sed nihil est, Talesi, quod nos torqueat etymologia vocis. Nam quod hodie Græ-

5 Ἀστραγαλισμός] Ἀστραγαλισμὸς *talorum lusus.*
6 *Utenhovi*] Utenhoviorum genus apud Gandavenses nobilissimum. Hic autem Carolus Utenhovius, cui cum Erasmo magna intercedebat familiaritas, fuit vir apprime doctus, Gandavensis, Dominus Merhegemii.
7 Hist. Animalium Lib. I. c. I. cum quo confer & Lib. IV. c. 10.
8 Ἐκ δέ μοι] Id est, *effracta mihi cervix est extra talos.*

Græci vocant ἀςράγαλον, prisci quorum est Callimachus, dixerunt ἄςριον, cujus hoc refertur hemistichium; 1 Δέκα δ' ἄςρια αἴνυτο λύτρον. unde quemadmodum ἀςραγαλίζειν, ita & ἀςρίζειν dicebant *talis ludere*. Qv. Quale est igitur illud quod proprie talum vocant? Ca. Est id quo nunc ludunt puellæ: olim puerorum erat lusus, quemadmodum nuces. De quo est illud Græcorum; 2 Ἀμφ' ἀςραγάλοισι χολωθεὶς, cum iram levi de caussa susceptam indicant. Rursus Horatius in Odis: *Nec regna vini sortiere talis.* Item in Sermonibus: *Te talos Aule, nucesque*, &c. postremo dictum illud Lacedæmonii, ni fallor, *Pueros esse fallendos talis, viros jurejurando.* Hunc talum negant in ullo animante inveniri, quod sit μώνυχον, hoc est, ungula solida, excepto asino Indico unicorno: aut quod sit πολυσχιδὲς, hoc est, pede in multos digitos ungulasve fisso; quod genus sunt leo, panthera, canis, simius, homo & avis, aliaque permulta. Quæ vero δίχηλα sunt, hoc est, ungula bisulca, pleraque talum habent, idque, ut recte dicebas, in posterioribus cruribus. Uni homini duplici de caussa tali non sunt; primum quia bipes, deinde quia quinis digitis fissos habet pedes. Qv. Ista frequenter audivi. Cæterum pervelim mihi situm ac formam tali describi. Nam istud lusus genus etiam puellis hodie fastiditum est; sed aleam, chartas aliosque masculos lusus affectant. Ca. Non mirum, cum affectent & Theologiam. Verum etiamsi mathematicus sim, aut pictor, aut etiam plastes; non possim tibi melius tali formam exhibere, quam ipso talo: nisi mavis, ut tibi describam per literas, ut illi solent. Qv. Habesne talum? Ca. En tibi ovillum e dextro crure. Vides quatuor duntaxat latera, cum in cubo, & alea, seu tessera sint sex; in ambitu quatuor, in summo & imo duo. Qv. Sic est. Ca. In talo, quoniam summa pars & ima curvatur, non sunt nisi quatuor latera: quorum unum vides velut in dorsum intumescere. Qv. Video Ca. Quod est e regione, cavum habere. Illud Aristoteles vocat πρανὲς, id est, *pronum*; hoc, ὕπλιον, id est, *supinum*. Velut in congressu uxoris & mariti, cum dant operam liberis, mulier supina est, vir pronus; & manus si vola spectet terram, prona est, si invertas, supina. Quamquam oratores & poetæ nonnunquam his verbis abutuntur, quod ad hanc rem nihil attinet. Qv. Istuc quidem eleganter oculis subjecisti. Inter reliqua duo latera quid est discriminis? Ca. Alterum modice cavatum est, ut ossi, cui innectitur, congruat: alterum propemodum nihil habet concavi, minusque armatum est cartilaginea tunica, sed tantum nervo & pelle tegitur. Qv. Video. Ca. Pronum latus nihil habet nervorum, sed supinæ partis concavo adhæret nervus, quemadmodum dextri lateris summo, lævi imo. Qv. Pulchre narras: sed unde dignoscam dextrum a sinistro? Ca. Recte admones. Nam perperam docui, nisi dextri cruris talum intelligas. Dicam igitur melius, simulque, quod volebas, situm indicabo. Talus est in ipsa suffragine cruris infra coxam. Qv. Complures arbitrantur juxta pedem esse. Ca. Errant. Is qui proprie dicitur talus, est in suffraginibus, quas Græci καμπὰς vocant, sed crurum, ut dixi, posteriorum. Inter pedem tuum & genu tibia est. Qv. Sic opinor. Ca. Post genu καμπή. Qv. Assentior. Ca. Nam qui flexus est homini in brachiis, idem est quadrupedibus in cruribus posterioribus; simiam excipio semihominem. Itaque quod genu est in cruribus, id cubitus est in brachiis. Qv. Animadverto. Ca. Itaque flexus flexui respondet. Qv. Illud dicis crurum posteriorum & priorum. Ca. Tenes. In ea igitur suffragine, quæ respondet suffragini, quæ est post genu, stat talus erectus, cum stat quadrupes, cujus summa & ima pars leniter incurvatur, quamquam non prorsus eodem modo. Nam superior replicatur in cornua quædam, quas Aristoteles appellat κεραίας, 3 Theodorus vertit *antennas*, juxta quas se submittit pronum latus; ima, tale nihil habet. Qv. Plane video. Ca. Illud ergo latus quod spectat tibias priores, Aristoteles vocat *supinum*: quod illi adversum est, *pronum*: Rursum sunt duo latera, quorum alterum intus spectat tibiam posteriorem, puta lævam aut dextram; alterum spectat foras. Quod introrsum spectat, Aristoteles appellat κῶλον, quod foras, ἰσχίον. Qv. Prorsus oculis rem video. Jam superest ut nobis indices, quæ fuerit olim talis ludendi ratio. Nam qui lusus nostra memoria dicitur in usu fuisse, nihil convenit cum iis quæ comperimus apud priscos auctores de hoc ludendi genere. Ca. Ac sane fieri potest, ut quemadmodum hodie chartis ac tesseris ad varias ludendi formas abutimur, ita non fuerit eadem apud veteres talis lusitandi ratio. Qv. Probabile est quod dicis. Ca. Theodorus Gaza, sive ut alii malunt appellare, 4 Thessalonicensis, vertens Aristotelis librum 5 De Historia animalium secundum, ait, tali latus, quod foras transversum spectat, *Canem* vocari, quod introrsum ad alterum crus, *Venerem*. Cæterum hoc quidem de suo addidit. Nam Aristoteles hæc tantum ponit: 6 Τὸ μὲν πρανὲς ἔξω, τὸ δὲ ὕπλιον εἴσω, καὶ τὰ μὲν κῶλα ἐντὸς ἐςραμμένα πρὸς ἄλληλα, τὰ δὲ ἰσχία καλόμενα ἔξω, καὶ τὰς κεραίας ἄνω. Cæterum quando constat ab aliis, *Veneris jactum* appellari, quoties ex quatuor talis nullus est qui summam faciem habet cum alio congruentem, demiror quid sequutus Theodorus, unum latus appellet *Venerem*. Erasmus noster, quem communem habemus amicum, hujusmodi observationum non admodum curiosus, in proverbiis aliquot ex auctoritate veterum, indicat quædam de ludo talorum, velut in proverbio, *Non Chius, sed Cous*: refert, *Coum* & *Senionem*, eundem esse quem Græci ἑξίτην dicunt. Idem tradit in proverbio, *Chius ad Coum*, (addens *Chium* eundem esse cum *Cane*) *Coi* jactum fuisse felicem, *Canis* infelicem, teste Persio:

> *---- Quid dexter senio ferret:*
> *Scire erat in votis, damnosa canicula quantum*
> 7 *Raderet.* ----

Itidem Propertius:

> 8 *Semper damnosi subsiluere canes.*

Et Ovidius libro de Tristibus secundo, *damnosos* 9 *Canes* appellat. Addit ex Martiale, Senionem videri per se felicem: cæterum infelicem fieri, si accedat Canis. Sic enim loquitur:

> *Senio nec nostrum* 10 *cum Cane quassat ebur.*

Jam Veneris jactum esse ut rarum, ita felicissimum, indicat Martialis in 11 Apophoretis:

> 12 *Cum steterit vultu nullus tibi talus eodem,*
> *Munera me dices magna dedisse tibi.*

Tot autem talis ludebatur, quot quisque habet latera. Nam tesseris non plus tribus ludi solet. Sed propius ad ludendi rationem facit, quod scribit Suetonius in Octavio Augusto, recitans ex illius quadam ad Tiberium epistola, hæc: *Inter cœnam lusimus* 13 *γεροντικῶς & heri & hodie.* Talis enim jactitatis, ut quisque canem aut senionem miserat, in singulos talos, singulos denarios in medium conferebat, quos tollebat universos, qui Venerem jecerat. Qv. Docuisti felicissimum esse jactum, cum omnes tali quatuor, ostenderint diversum latus, quemadmodum in tesserarum ludo fortunatissi-

1 *Δέκα δ' ἄςρια*] Id est, *decem vero talos cœpit premium.* Vide fragmentum CCXXXVIII. in iis quæ collegit *Ric. Bentlejus*, in Ed. *Callimachi* Ultrajectina.

2 *Ἀμφ'*, &c.] Id est, *ob talos iratus.*

3 *Theodorus*] Intelligit Theodorum Gazam: qui Victorino Fleltrensi magistro usus, usque adeo copiose & diligenter, teste Jovio, Latinas literas didicit, ut longe omnium Latinissime scriberet, nec plane dignosci posset, an exactius & certius ab eo Latina Græce an ipsa Græca Latine verterentur, Sacerdotium in Magna Græcia commendante Bessarione adeptus, tandem plane senex obiit.

4 *Thessalonicensis*] Erat enim Gaza Thessalonicæ honesto loco natus; Amurathe Græciam omnem armis victricibus quatiente in Italiam venit, acumine & fertilitate ingenii nemini secundus, quum Græcos omnes linguæ peritia eruditoque judicio superaret.

5 *De Historia*] De versione Gazæ ita testatur Jovius: *Historias Aristotelis de Animalibus & Theophrasti de Plantis, ita Latinas fecit, ut Romanæ Linguæ facultatem, quum nova vocabula solerter effingeret, audaci sed generosa translatione locupletavit. Tanta porro felicitate librum M. Tullii de Senectute Græcum reddiderit ut peritissimi præter adæquatos sensus, ipsam quoque Ciceronis eloquentiæ majestatem, scite & graviter repræsentatam admirentur. Transtulit etiam Problemata Aristotelis & Hippocratis Aphorismos, ut præstantissimis auctoribus ad perspicuam fidem, nec obscure ad salutem humani generis sua dignitas redderetur.*

6 *Τὸ μὲν*, &c.] Hoc est, *atque illud quidem, quod pronum est, foras: quod vero supinum, intus, & cola quidem intus ex adverso inter se: Ischia autem quæ vocat foras, supra vero antennæ.*

7 *Raderet*] Versus Persii exstant Satyr. 1. ad quam vide *Is. Casaubonum* & *Theod. Mareilium.*

8 *Semper damnosi*] Propert. lib. 4. Eleg. 9.

> *Me quoque per talos Venerem quærente secundos.*

Et tum subnectit hoc pentametrum.

9 *Canes appellat*] Etiam lib. 2. de Arte Amandi:

> *Damnosi facito stent tibi sæpe canes.*

10 *Cum Cane*] Martialis l. 13. Epig. 1.

> *Non mea magnanimo depugnat tessera talo.*

Et tum adnectit hoc pentametrum.

11 *Apophoretis*] Martialis libro 14. Apophoreta nomen indit.

12 *Cum steterit*] Exstat Epigramma lib. 14. Epig. 14.

13 *Γεροντικῶς*] Id est *seniliter*.

A tissimus est, qui dicitur *Midas*; at nondum declarasti hunc jactum dici *Venerem*. Ca. Illud expediet tibi Lucianus, ita loquens in Cupidinibus: 1 Καὶ βαλὼν μὲν ἐπὶ σκοπῷ, μάλιστα δὲ εἴποτε τὴν θεὸν αὐτὴν εὐβολήσειε, μηδενὸς ἀστραγάλου πεσόντος ἴσῳ σχήματι προσεκύνει, τῆς ἐπιθυμίας τεύξεσθαι νομίζων. Loquitur autem illic de Venere. Qv. Si falsus est Theodorus, duo tantum latera suis vocabulis designantur. Ca. Fortassis alicujus auctoritatem ille secutus est, quæ nos fugit: quod apud auctores compertum est, afferimus in medium. Nam sunt qui meminerunt de numero Stesichorio in talis, quem putant 2 ogdoadem esse: item de Euripideo, qui continebat quadraginta. Qv. Restat ut lusus leges præscribas. Ca. Non arbitror pueros iisdem usos legibus, quibus se usum fuisse scribit Octavius. Nec probabile est, hoc ludendi ge-
B nus quod commemorat, fuisse publicum. Id si fuisset, satis erat dixisse, *Inter cœnam lusimus talis.* Sed mihi subindicare videtur novam ludendi conditionem inter illos repertam, velut aptam senibus, minimeque torquentem animos sollicita cogitatione, quemadmodum faciunt hodie complures lusus, ut levius sit intendere studiis. Qv. Profer, obsecro te, reliquos talos, ut experiamur. Ca. Sed deest nobis 3 turricula volvendis talis, deinde tabula. Qv. Suffecerit hæc mensa ad qualecunque specimen exhibendum. Pro turricula suffecerit cyathus aut pileum. Ca. Imo complexus cavarum manuum. Jactus sæpius ostendit supinam partem, quam pronam, & pronam sæpius, quam senionem, aut canem. Qv. Videtur. Ca. Si inter quatuor talos exstiterit u-
C nus canis, expones nummum; si duo, duos; si tres, tres; si quatuor, quatuor. Item quoties jeceris senionem, toties recipies unum e nummis. Qv. Quid si senionem cum cane? Ca. Si vis, uterque nummum addet, neuter tollet; cui primum obtigerit Venus, is auferet acervum. Qv. Quid si talus ostendat partem supinam aut pronam? Ca. Is jactus erit irritus, & aut tu jactum repetes, aut jaciendi jus ad me devolvetur. Qv. Placet devolutio. Ca. Nunc appone sortem. Qv. Experiamur absque periculo. Ca. Vis tu tantam artem discere gratis? Qv. Verum impar certamen est inter artificem & rudem. Ca. Atqui spes lucri, & damni metus, reddet te attentiorem. Qv. Quanti certabimus? Ca. Si
D vis cito ditescere, centum ducatis. Qv. Utinam sint quos deponam! Tutius est paullatim ditescere. En tibi solidum assem. Ca. Age, *addemus pusillum pusillo*, quemadmodum monet Hesiodus; sic quoque fiet *ingens acervus*. Convolve, ac mitte. Felix auspicium canem habes; appone nummum, & posthac agnosce damnosum latus. Da talos. Qv. Felicius auspicium; treis habes canes; appone. Ca. Insidiatur tibi fortuna; mitte, sed circumvolutos, ô bone. Labor irritus; pronum habes, & supinum. Succedo; trade talos. Qv. O factum bene! rursum treis video canes. Ca. 4 Μὴ πρὸ τῆς νίκης ἐγκώμιον. Illectat, inquam, te fortuna. Sed heus tu, ad hunc quidem modum edoctus sum. At mea sententia secus lusit Octavius. Qv. Quomodo? Ca. Qui canem jece-
E rat, apponebat denarium, ut diximus; qui senionem, nihil quidem auferebat, sed alter ponebat. Qv. Quid si plures seniones exissent? Ca. Totidem nummos alter addebat. Bene cumulatum acervum semel tollebat Venus. Et illud addas licebit: Cui nec senio obtigerit, nec canis, nihil aliud quam mittendi vicem perdet. Qv. Non recuso. Ca. Mihi videtur & hoc elegantius, si tertio quisque jactu defungatur, qui talos tenet, & mox alteri tradat vices. Qv. Placet: sed quota Venus finiet ludum? Ca. Tertia, si videtur. Deinceps liberum erit de integro pacisci. Siquidem cum raro, tum paucis favet Venus. Nunc aggrediamur bonis avibus. Qv. Fiat; sed præstat occludere fores, ne nostræ culinæ regina videat nos puerorum more ineptientes. Ca. Imo seni-
F liter potius. Adeone loquacem habes famulam? Qv. Tam futilem, ut si desint homines quibus narret quidquid domi geritur, longo sermone gallinis narret ac felibus. Ca. Heus puer, claude ostium, & obde pessulum, ne quis subitus interveniat spectator, quo liceat ad satietatem usque ludere.

1 Καὶ βαλὼν, &c.] Id est, *& jactans quidem ad scopum, maxime vero si quando ipsam Deam feliciter jactasset, nullo scilicet talorum aquali figura cadente; adorabat, arbitratus se desiderio suo fruiturum.*

2 *Ogdoadem*] A Græco ὀγδοάς, *octonarius.*

3 De hac turricula, ludoque tesserarum & aliis huc pertinentibus, multis egit *Claud. Salmasius* ad *Flavii Vopisci* quadrigam Tyrannorum. Eum adeant harum rerum studiosi.

4 Μὴ πρὸ] Μὴ πρὸ, id est, *ne ante victoriam encomion.*

SENATULUS, *sive* 5 Γυναικοσυνέδριον.

CORNELIA, MARGARETA, PEROTTA, JULIA, CATHARINA.

Co. Quod felix faustumque sit huic ordini, totique Reipublicæ fœmineæ, & frequentes hodie convenistis & alacres; unde spem optimam concipio, futurum, ut Deus propitius cuique ea suggerat in animum, quæ ad communem omnium & dignitatem, & utilitatem pertinent. Scitis, opinor, omnes, quantum hinc commodis nostris decesserit; quod, cum viri quotidianis conventibus suum agant negotium, nos colo telæque assidentes, causam nostram deserimus. Itaque res huc devenit, ut nec inter nos sit ulla Reipublicæ disciplina, & viri nos pene pro delectamentis habeant, vixque hominis vocabulo dignentur. Quod si, qua cœpimus, pergamus; divinate vos ipsæ, quo tandem res sit evasura, vereor enim verba sinistri ominis eloqui. Ut dignitatem nostram negligamus, certe incolumitas debet esse curæ. At sapientissimus ille Rex scriptum reliquit, 6 *Ibi demum esse salutem, ubi multa consilia.* Habent Episcopi suas synodos, habent Monachorum greges sua conciliabula, habent milites suas stationes, habent fures sua conventicula, denique habet & formicarum genus suos congressus. Solæ omnium animantium mulieres nunquam coimus. Ma. Sæpius quam decet. Co. Nondum interloquendi tempus est; sinite me perorare; dabitur singulis dicendi locus. Neque novum est quod facimus, vetus exemplum revocamus. Siquidem ante annos mille trecentos, ni fallor, Heliogabalus, Cæsar laudatissimus. Pe. Qui laudatissimus, quem unco tractum in cloacam projectum esse constat? Co. Rursus interpellor. Si quem hac ratione probamus aut improbamus, malum dicemus Christum, quod in crucem suffixus sit: pium Domitium, quod domi sit mortuus. Atqui nihil objicitur Heliogabalo atrocius, quam quod sacrum ignem, qui a Vestalibus servabatur, in terram abjecerit: quodque domi in larario Mosen habuerit & Christum, quem illi contumeliæ caussa 7 Chrestum vocabant. Is igitur Heliogabalus instituit, ut quemadmodum Imperator cum suis habebat senatum, in quo de rebus communibus consultaret: ita haberet & mater illius Augusta senatum suum, in quo de fœmineæ gentis negotiis tractaretur; quem viri vel jocandi, vel discernendi gratia, *Senatulum* vocabant. Hoc exemplum tot jam sæculis intermissum, res ipsa jam dudum monet nos instaurare. Nec ullam moveat, quod Paulus Apostolus vetat mulierem loqui in cœtu, quam ille vocat Ecclesiam: de cœtu virorum loquitur, hic cœtus est muliebris. Alioqui si semper tacendum erat fœminis, in quem usum natura dedit nobis & linguas, non minus expeditas quam sunt virorum, & vocem non minus sonoram? quamquam illi sonant raucius, ac propius referunt asinos, quam nos. Verum illud oportet nobis omnibus esse curæ, ut ea gravitate tractemus hoc negotium, ne rursus viri 8 Senatulum appellent; aut fortasse probrosius aliquod nomen excogitent, ut solent in nos libenter esse dicaces. Quamquam si liceat illorum comitia veris æstimare, plusquam muliebria videri possint. Videmus, Monarchas tot jam annis nihil aliud quam belligerari: inter Theologos, Sacerdotes, Episcopos, & populum nihil convenire: quot homines, 9 tot sententiæ; & in his ipsis plusquam muliebris est inconstantia. Nec civitati cum civitate, nec vicino cum vicino concordia est. Si nobis essent traditæ rerum habenæ; aliquanto, ni fallor, tolerabilius haberent res humanæ. Non est fortasse fœminei pudoris, tantis proceribus tribuere stultitiam; at fas est, opinor recitare quod scripsit Solomon Proverbiorum capite decimo tertio: *Inter superbos semper jurgia sunt: qui autem agunt omnia cum consilio, reguntur sapientia.* Sed ne vos longiore morer procœmio, uti singula gerantur ordine, decenter & sine tumultu, primo loco tractandum erit, quæ debeant interesse concilio, quæ submovendæ sint. Nam immodica turba tumultus est verius, quam concilium: & paucorum consessus habet quiddam tyrannicum. Huc ego censeo nullam recipiendam virginem; eo quod incident permulta, quæ non decet illas audire. Jv. Atquo signo dignoscas virgines? An

5 Γυναικοσυνέδριον] Id est, *conciliabulum muliercularum.*

6 *Ibi demum*] Proverb. 12.

7 Vide *Suetonium* in Claudio cap. 25.

8 *Senatulum*] Vide *Lampridium* in Heliogabalo.

9 *Tot sententiæ*] Terentianum est.

pro virginibus habebuntur, quæcunque coronam gestant? Co. Non. At nuptas tantum recipiendas censeo. Jv. Et inter nuptas virgines sunt, quæ maritos habent eunuchos. Co. Sed tribuatur hoc honoris conjugio, ut nuptæ pro mulieribus habeantur. Jv. Alioqui si non excludimus nisi virgines, erit immensa turba, nec multum decrescet numero. Co. Excludentur & plus quam ter nuptæ. Jv. Quam ob rem? Co. Quoniam illis velut emeritis debetur missio. Idem censeo de septuagesimum annum egressis. Statuendum ne qua nominatim de viro suo loquatur petulantius; in genere fas sit; sed ea moderatione, ne quid nimis. Ca. Qui minus hic libere de viris liceat dicere, cum ipsi de nobis nusquam non loquantur? Meus Titius si quando studet esse conviva festivior, narrat quid mecum noctu egerit, quid dixerim; neque raro multa solet affingere. Co. Si velimus fateri verum, nostra dignitas pendet a viris: eos si traducimus, quid aliud quam nos ipsas dehonestamus? Quanquam autem habemus non paucas justæ querimoniæ caussas, tamen expensa rerum omnium summa, nostra potior est, quam illorum conditio. Illi dum quærunt rem, per omnes terras ac maria volitant, non sine capitis discrimine: illi, si bellum incidat, excitantur buccina, ferrei stant in acie, dum nos domi sedemus tutæ. Si quid committunt adversus leges, gravius in illos animadvertitur, nostro sexui parcitur. Denique magna ex parte in nobis situm est, ut commodos habeamus maritos. Restat ut de consessus ordine statuatur, ne nobis eveniat, quod frequenter usu venit, Regum, Principum ac Pontificum oratoribus, qui in Conciliis totos tres menses litigant, antequam possint considere. Itaque censeo primum esse debere nobilium ordinem; & in his præcedent quæ quatuor habent nobilitatis partes: proximæ quæ tres: deinde, quæ duas: postremæ, quæ unam: postremo, quæ dimidiatam. Et in singulis ordinibus locus ex antiquitate designabitur. Nothæ in suo quoque ordine extremum tenebunt locum. Alter consessus erit plebejarum. In hoc primas tenebunt quæ copiosiorem sobolem enixæ sunt. Inter pares litem dirimet ætas. Tertius erit earum quæ nondum pepererunt. Ca. Quo mittis viduas? Co. Commode mones. Istis locus dabitur in medio matrum, si modo liberos habent, habuerintve. Steriles extremum obtinebunt locum. Jv. Quem locum designas Sacerdotum ac Monachorum uxoribus? Co. De his proximo consessu deliberabimus. Jv. Quid de his, quæ corpore faciunt quæstum? Co. Non patiemur hunc senatum admixtu talium inquinari. Jv. Quid de concubinis? Co. Istarum non simplex est genus; de quibus per otium tractabitur. Adjiciendum est, quomodo fieri debeat Senatusconsultum, punctisne, an calculis, an suffragiis vocalibus, an porrectis digitis, an discessione. Ca. In calculis dolus est, quemadmodum & in punctis: si pedibus eatur in sententiam, quoniam vestes longas gerimus, nimium movebimus pulveris: optimum igitur, ut voce pronunciet unaquæque quod sentit. Co. At difficile est numerare voces. Deinde cavendum ne fiat pro concilio convicium. Ca. Nihil fiet absque notariis, ne quid possit excidere. Co. Ita quidem consultum est numero. Sed quibus modis excludes convicium? Ca. Ne qua loquatur nisi rogata, & suo ordine. Quæ secus fecerit, e senatu movebitur. Tum si qua quid effutierit eorum, quæ heic aguntur, silentio plectetur triduano. Co. Hactenus de ratione tractandi. Nunc accipite quibus de rebus consultandum sit. Primam oportet esse curam dignitatis: ea potissimum sita est in cultu. Cujus rei tantus est neglectus, ut hodie vix agnoscas discrimen inter nobilem & plebejam, inter nuptam & virginem aut viduam, inter matronam & meretricem. Adeo sublatus est pudor, ut quidvis usurpent quælibet. Videre est plusquam plebejas ac loci plane sordidi, vestiri holosericis, undulatis, florulentis, virgatis, byssinis, aureis, argenteis, pellibus Zebellinis, Madauricis, cum interim maritus domi consuat calceos. Digitos habent smaragdis & adamantibus onustos; nam uniones nunc vulgo fastidiuntur, ne quid querar de succinis & coralliis & crepidis inauratis. Satis erat tenuibus, in honorem sexus, cingulis uti sericis, ac fimbrias vestium, serico limbo decorare: nunc geminum est malum, & res familiaris extenuatur, & ordo, qui dignitatis est custos, confunditur. Si pilentis & lecticis eboratis ac bysso tectis vehuntur plebejæ, quid relictum est nobilibus ac potentibus? Et si vix equiti nupta, caudam trahit ulnarum quindecim, quid faciet Ducis aut Comitis uxor? Atque hæc res hoc est intolerabilior, quod mira temeritate subinde mutamus cultum. Pridem e porrectis a vertice cornibus, pendebant linteamina. Hoc ornatu fœminæ principes discernebantur a plebejis. Illæ, ne quid conveniret, sumserunt pilea, foris ostentantia pelles albas nigris maculis variegatas. Statim vulgus arripuit. Rursus mutato cultu sumserunt flammea nigra bysso. Id fœminarum vulgus non solum ausum est imitari, verum etiam addiderunt fimbrias aureas, denique & gemmas. Olim nobilium erat, a fronte atque a temporibus revulsis pilis, in verticem capillos cogere. Non diu licuit, mox quælibet æmulatæ sunt. Tandem demiserunt crines in frontem; protinus & hoc imitatæ sunt plebejæ. Solæ nobiles olim habebant laterones & anteambulones; & ex his unum delicatum, qui surrecturæ manum porrigeret, qui lævam incedentis brachio dextro fulciret; nec hoc honoris concedebatur nisi bene nato. Nunc ut passim id faciunt matronæ, ita quoslibet ad hoc officii recipiunt, quemadmodum ad gestandam a tergo caudam. Item olim solæ nobiles salutabant osculo, nec quemvis ad osculum recipiebant, imo ne dextram quidem porrigebant quibuslibet. Nunc qui corium olent, irruunt ad osculum fœminæ, quæ scutum habet plenæ nobilitatis. Ne in conjugiis quidem habetur ulla dignitatis ratio. Patriciæ nubunt plebejis, plebejæ patriciis: ita nascuntur nobis hybridæ. Nec ulla tam obscuro loco nata est, quæ metuit adhibere fucos omnes nobilium: cum plebejis sufficere deberet, aut flos recentis cerevisiæ; aut succus recens ab arbore detracti corticis, aut si quid aliud parvo parabile: purpurissam, cerussam, stibium, reliquosque colores elegantiores oportebat claris fœminis relinquere. Jam in conviviis, in publico incessu, quam nullus ordo! Sæpe fit ut negotiatoris uxor, dedignetur utroque parente nobili cedere. Res igitur ipsa jam dudum hortatur, ut hisce de rebus aliquid certi statuamus. Atque hæc inter nos facile poterunt transigi, quoniam nonnisi ad fœmineum pertinens genus. Est autem & quod cum viris agamus, qui nos summovent ab omni dignitate, ac tantum non pro lotricibus & cocis habent, ipsi res omnes pro suo gerunt arbitratu. Concedemus igitur illis magistratus publicos, ac bellicæ rei curam. Quis hoc ferat, quod in clypeo semper uxoris insignia lævum habent latus, etiamsi tribus partibus superet viri nobilitatem? Deinde par est, ut in elocandis liberis etiam mater habeat jus suffragii. Et fortassis hoc quoque evincemus, ut vicissim geramus officia publica; dumtaxat, quæ intra mœnia, & sine armis geri possunt. Hæc est summa rerum, de quibus mihi videtur operæ pretium consultare. Super his apud se quæque deliberet, ut de singulis fiant senatusconsulta; & si cui vestrum aliud quippiam in mentem venerit, cras in medium conferat. Conveniemus enim diebus singulis, donec synodum absolverimus. Adhibeantur notariæ quatuor, quæ notis excipiant quidquid dicatur. Præterea quæstoriæ duæ, quæ loquendi potestatem vel faciant, vel adimant. Sit hic consessus divinationis loco.

DILUCULUM.

1 NEPHALIUS, PHILYPNUS.

Ne. Hodie te conventum volebam, Philypne, sed negabaris esse domi. Ph. Non omnino mentiti sunt: tibi quidem non eram, sed mihi tum eram maxime. Ne. Quid istuc ænigmatis est? Ph. Nosti illud vetus proverbium, Non omnibus dormio. Nec te fugit ille Nasicæ jocus, cui cum, Ennium familiarem invisere volenti, ancilla jussu heri negasset esse domi; sensit Nasica, & discessit. Cæterum ubi vicissim Ennius Nasicæ domum ingressus, rogaret puerum num esset intus, Nasica de conclavi clamavit, *Non*, inquiens, *sum domi*. Quumque Ennius agnita voce dixisset, impudens, non te loquentem agnosco? Imo tu, inquit Nasica, impudentior, qui mihi ipsi fidem non habeas, cum ego crediderim ancillæ tuæ. Ne. Eras fortassis occupatior. Ph. Imo suaviter otiosus. Ne. Rursum ænigmate torques. Ph. Dicam igitur explanate, nec aliud dicam ficum quam ficum. Ne. Dic. Ph. Altum dormiebam. Ne. Quid ais? Atqui jam præterierat octava, cum Sol hoc mense surgat ante quartam. Ph. Per me quidem Soli

1 *Nephalius*] Sobrius & vigilans. *Philypnus*, somniculosus, somnicupidus; ex φίλος, *amicus*, & ὕπνος, *somnus*.

Soli liberum est vel media nocte surgere, modo mihi liceat ad satietatem usque dormire. Ne. Verum istuc utrum casu accidit, an consuetudo est? Ph. Consuetudo prorsus. Ne. Atqui rei non bonæ consuetudo pessima est. Ph. Imo nullus est somnus suavior, quam post exortum solem. Ne. Qua tandem hora soles lectum relinquere? Ph. Inter quartam & nonam. Ne. Satis amplum spatium; vix tot horis comuntur Reginæ. Sed unde venisti in istam consuetudinem? Ph. Quia solemus convivia, lusus & jocos in multam proferre noctem; id dispendii matutino somno pensamus. Ne. Vix unquam vidi hominem te perditius prodigum. Ph. Mihi parsimonia videtur magis, quam profusio. Interim nec candelas absumo, nec vestes detero. Ne. Præpostera sane parsimonia, servare vitrum ut perdas gemmas. Aliter sapuit ille philosophus, qui rogatus quid esset pretiosissimum, respondit, Tempus. Porro cum constet diluculum esse totius diei partem optimam, tu quod in re pretiosissima pretiosissimum est, gaudes perdere. Ph. An hoc perit, quod datur corpusculo? Ne. Imo detrahitur corpusculo, quod tum suavissime afficitur, maximeque vegetatur, cum tempestivo moderatoque somno reficitur, & matutina vigilia corroboratur. Ph. Sed dulce est dormire. Ne. Quid esse potest dulce nihil sentienti? Ph. Hoc ipsum dulce est, nihil sentire molestiæ. Ne. Atqui isto nomine feliciores sunt qui dormiunt in sepulcris. Nam dormienti nonnunquam insomnia molesta sunt. Ph. Ajunt eo somno maxime saginari corpus. Ne. Ista glirium sagina est, non hominum. Recte saginantur animalia quæ parantur epulis: homini quorsum attinet accersere obesitatem, nisi ut graviore sarcina onustus incedat? Dic mihi, si famulum haberes, utrum obesum malles, an vegetum, & ad omnia munia habilem? Ph. Atqui non sum famulus. Ne. Mihi sat est, quod ministrum officiis aptum malles, quam bene saginatum. Ph. Plane mallem. Ne. At Plato dixit animum hominis hominem esse, corpus nihil aliud esse quam domicilium aut instrumentum. Tu certe fateberis, opinor, animum esse principalem hominis portionem, corpus animi ministrum. Ph. Esto, si vis. Ne. Cum tibi nolles ministrum abdomine tardum, sed agilem malles & alacrem, cur animo paras ministrum ignavum & obesum? Ph. Vincor veris. Ne. Jam aliud dispendium accipe: ut animus longe præstat corpori, ita fateris opes animi longe præcellere bona corporis. Ph. Probabile dicis. Ne. Sed inter animi bona, primas tenet sapientia. Ph. Fateor. Ne. Ad hanc parandam nulla diei pars utilior, quam diluculum, cum sol novus exoriens, vigorem & alacritatem adfert rebus omnibus, discutitque nebulas e ventriculo exhalari consuetas, quæ mentis domicilium solent obnubilare. Ph. Non repugno. Ne. Nunc mihi supputa quantum eruditionis tibi parare possis quatuor illis horis, quas somno intempestivo perdis. Ph. Profecto multum. Ne. Expertus sum, in studiis plus effici una hora matutina, quam tribus pomeridianis; idque nullo corporis detrimento. Ph. Audivi. Ne. Deinde illud reputa, si singulorum dierum jacturam in summam conferas, quantus sit futurus cumulus. Ph. Ingens profecto. Ne. Qui gemmas & aurum temere profundit, prodigus habetur, & tutorem accipit: hæc bona tanto pretiosiora qui perdit, nonne multo turpius prodigus est? Ph. Sic apparet, si rem recta ratione perpendamus. Ne. Jam illud expende quod scripsit Plato, 1 nihil esse pulcrius, nihil amabilius sapientia: quæ si corporeis oculis cerni posset, incredibiles sui amores excitaret. Ph. Atqui illa cerni non potest. Ne. Fateor, corporeis oculis. Verum cernitur oculis animi, quæ pars est hominis potior. Et ubi amor est incredibilis, ibi summa voluptas adsit oportet, quoties animus cum tali amica congreditur. Ph. Verisimile narras. Ne. I nunc, & somnum 2 mortis imaginem, cum hac voluptate commuta, si videtur. Ph. Verum interim pereunt nocturni lusus. Ne. Bene pereunt quæ pejora melioribus, inhonesta præclaris, vilissima pretiosissimis permutantur. Bene perdit plumbum, qui illud vertit in aurum. Noctem natura somno tribuit: sol exoriens cum omne animantium genus, tum præcipue hominem ad vitæ munia revocat; *Qui dormiunt*, inquit Paulus 1 Thess. v. *nocte dormiunt: & qui ebrii sunt, nocte ebrii sunt.* Proinde quid turpius, quam cum omnia animantia cum sole expergiscantur, quædam etiam illum nondum apparentem, sed adventantem cantu salutent; cum elephantus solem orientem adoret; hominem diu post solis exortum stertere? Quoties aureus ille splendor illustrat cubiculum tuum, nonne videtur exprobrare dormienti, *Stulte, quid optimam vitæ tuæ partem gaudes perdere?* Non in hoc luceo, ut abditi dormiatis, sed ut rebus honestissimis invigiletis. Nemo lucernam accendit ut dormiat, sed ut aliquid operis agat: & ad hanc lucernam omnium pulcherrimam, nihil aliud quam stertis? Ph. Belle declamas. Ne. Non belle, sed vere. Age, non dubito quin frequenter audiveris illud Hesiodeum; *Sera in fundo parsimonia.* Ph. Frequentissime. Nam in dolii medio vinum est optimum. Ne. Atqui in vita prima pars, nimirum adolescentia, est optima. Ph. Profecto sic est. Ne. At diluculum hoc est diei, quod adolescentia vitæ. An non igitur stulte faciunt, qui adolescentiam nugis, matutinas horas somno perdunt? Ph. Sic apparet. Ne. An est ulla possessio, quæ cum hominis vita sit conferenda? Ph. Ne universa quidem Persarum gaza. Ne. An non vehementer odisses hominem, qui tibi vitam posset ac vellet malis artibus ad annos aliquot decurtare? Ph. Illi mallem ipse vitam eripere. Ne. Verum pejores ac nocentiores arbitror, qui sibi volentes reddunt vitam breviorem. Ph. Fateor, si qui tales reperiantur. Ne. Reperiantur? imo id faciunt omnes tui similes. Ph. Bona verba. Ne. Optima. Sic tuo cum animo reputa: nonne videtur rectissime dixisse Plinius: 3 *Vitam esse vigiliam, & hoc pluribus horis hominem vivere, quo majorem temporis partem impenderit studiis?* Somnus enim mors quædam est. Unde & ab inferis venire fingitur, & ab 4 Homero mortis germanus dictus est. Itaque quos somnus occupat, nec inter vivos, nec inter mortuos censentur; sed tamen potius inter mortuos. Ph. Ita videtur omnino. Ne. Nunc mihi rationem subducito, quantam vitæ portionem sibi resecent, qui singulis diebus tres aut quatuor horas perdunt somno. Ph. Video summam immensam. Ne. Nonne pro Deo haberes Alcumistam, qui posset decem annos vitæ summæ adjicere, & provectiorem ætatem ad adolescentiæ vigorem revocare? Ph. Quid ni habeam? Ne. Sed hoc tam divinum beneficium ipse tibi præstare potes. Ph. Qui sic? Ne. Quia mane diei est adolescentia: usque ad meridiem fervet juventus; mox virilis ætas; cui succedit pro senecta vespera; vesperam excipit occasus, velut diei mors. Magnum autem vectigal parsimonia est, sed nusquam majus quam heic. An non igitur ingens lucrum sibi adjunxit, qui magnam vitæ partem, eamque optimam perdere desiit? Ph. Vera prædicas. Ne. Proinde videtur admodum impudens eorum querimonia, qui naturam accusant, quod hominis vitam tam angustis spatiis finierit, cum ipsi ex eo, quod datum est, sibi sponte tantum amputent. Satis longa est cuique vita, si parce dispensetur. Nec mediocris profectus est, si quis suo quæque tempore gerat. A prandio vix semihomines sumus, cum corpus cibis onustum aggravat mentem; nec tutum est, spiritus ab officina stomachi, concoctionis officium peragentes, ad superiora evocare: a cœna multo minus. At matutinis horis homo totus est homo, dum habile est ad omne ministerium corpus; dum alacer viget animus; dum omnia mentis organa tranquilla sunt ac serena; dum auræ divinæ, ut ait 5 ille, particula spirat, ac sapit originem suam, & rapitur ad honesta. Ph. Eleganter tu quidem concionaris. Ne. Apud Homerum audit Agamemnon, opinor, 6 Οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα. Quanto turpius est tantam diei partem somno perdere? Ph. Verum, sed βουληφόρῳ. Ego non sum dux exercitus. Ne. Si quid aliud tibi carius est, quam ipse tibi, ne quid te moveat Homeri sententia. Faber ærarius ob vile lucellum surgit ante lucem: & nos amor sapientiæ non potest expergefacere, ut saltem solem ad lucrum inæstimabile evocantem audiamus? Medici non fere dant pharmacum nisi diluculo; illi norunt horas aureas, ut subveniant corpori: nos eas non novimus, ut locupletemus ac sanemus ani-

1 *Plato*] Imitatus est locum Ciceronis ex Platone l. 2. Officior. in princip.

2 *Mortis imaginem*] Alludit ad carmen Ovidii: *Stulte, quid est somnus, gelida nisi mortis imago?*

3 Verba *Plinii* in Præf. Hist. Nat. Sic habent: *Dum ista, ut ait M. Varro, musinamur, pluribus horis vivimus; profecto enim vita vigilia est.*

4 Iliad. Ξ. vers. 231.

5 *Horatius* Lib. II. S. II, 79.

6 Οὐ χρὴ] Id est, *Haud decet in totam consultum stertere noctem.* Ἰλ. Β. 24.

A animum? Quod si hæc leve pondus habent apud te, audi quid apud Solomonem, Prov. VIII. vers. 17. loquatur illa cœlestis sapientia: *Qui mane*, inquit, *vigilaverint ad me, invenient me.* Jam in mysticis Psalmis LVIII. 5. & LXXXVII. quanta matutini temporis commendatio? Mane Propheta extollit Domini misericordiam, mane exauditur vox ejus, mane illius deprecatio prævenit Dominum. Et apud Lucam Euangelistam, c. 6. populus sanitatem ac doctrinam expetens a Domino, mane ad illum confluit. Quid suspiras, Philypne? PH. Vix lacrymas teneo, cum subit, quantam vitæ jacturam fecerim. NE. Supervacaneum est ob ea discruciari, quæ non revocari, sed tamen posterioribus curis sarciri possunt. Huc igitur incumbe potius, quam ut præ- B teritorum inani deploratione, futuri quoque temporis jacturam facias. PH. Bene mones; sed me jam sui juris fecit diutina consuetudo. NE. Phy! Clavus clavo pellitur; consuetudo consuetudine vincitur. PH. At durum est ea relinquere, quibus diu assueveris. NE. Initio quidem; sed eam molestiam diversa consuetudo primum lenit, mox vertit in summam voluptatem, ut te brevis molestiæ non oporteat pœnitere. PH. Vereor, ut succedat. NE. Si septuagenarius esses, non retraherem te a solitis; nunc vix decimum septimum, opinor, annum egressus es. Quid autem est, quod ista ætas non possit vincere, si modo adsit promtus animus? PH. Equidem aggrediar, conaborque, ut ex Philypno fiam Philologus. NE. Id si feceris, mi Philypne, sat C scio, post paucos dies & tibi serio gratulaberis, & mihi gratias ages, qui monuerim.

[1] ΝΗΦΑΛΙΟΝ ΣΥΜΠΟΣΙΟΝ.

ALBERTUS, BARTHOLINUS, CAROLUS, DIONYSIUS, ÆMILIUS, FRANCISCUS, GYRARDUS, HIERONYMUS, JACOBUS, LAURENTIUS.

AL. Vidistine unquam hoc horto quidquam amœnius. BA. Vix opinor in insulis Fortunatis est quidquam jucundius. CA. Plane mihi videor videre Paradisum, cui custodem cultoremque Deus præfecerat Adam. DI. Heic vel Nestor, vel Priamus posset repubescere. FR. Imo vel mor- D tuus reviviscere. GY. Adderem lubens, si quid possem, tuæ hyperbolæ. HI. Profecto miris modis arrident omnia. JA. Oportet hunc hortum aliqua compotatiuncula dedicare. LA. Recte monet noster Jacobus. AL. Talibus mysteriis jam olim initiatus est hic locus. Verum scito nihil heic esse unde vobis merendam exhibeam: nisi placet [2] ἄοινος compotatio, lactucas apponam absque sale, aceto & oleo: vini guttula non est, nisi quod gignit hic puteus. Ne panis quidem adest, aut poculum; & ea est anni pars, quæ magis pascit oculos, quam ventrem. BA. Sed habes tabulas lusorias, habes sphæras; lusu dicabimus hortum, si minus licet convivio. AL. Quoniam tam belli homunculi convenimus, habeo quiddam quod vel lusum, vel convivium possis dicere, mea sententia multo dignius ad hunc E hortum initiandum. CA. Quodnam? AL. Suum quisque symbolum conferat; non deerit lautum, nec minus suave convivium. ÆM. Quid adferemus, qui vacui huc venerimus? AL. Vacui, qui tantum opum circumferatis in pectore? FR. Exspectamus quid velis. AL. Proferat in medium, quod quisque per hanc hebdomadam legit elegantissimum. GY. Recte mones; nihil vel hujusmodi conviviis, vel te convivatore, vel hoc loco dignius. Te hujus consilii ducem sequemur omnes. AL. Nihil recuso, si vobis ita videtur. Hodie vehementer delectavit animum meum in homine non Christiano tam Christiana sententia. Phocion enim, quo vix alius apud Athenienses fuit vir F sanctior, publicæque utilitatis studiosior, cum per invidiam damnatus, esset bibiturus cicutam, rogatus ab amicis, quid vellet etiamnum mandari filiis suis, [3] *Ne hujus*, inquit, *injuriæ velint unquam meminisse.* BA. Tam insignis patientiæ exemplum vix hodie reperias inter Dominicanos & Franciscanos. Itaque simile referam, quando par non possum. Aristides Phocioni simillimus erat, moribus incorruptissimis, adeo ut vulgus illi *Justi* tribueret cognomen. Ob hujus cognominis invidiam, vir optime de Republica meritus, ostracismo populi, jussus est vertere solum. Posteaquam intellexerat populum non alia re offensum, [4] quam *Justi* cognomento, cum alioqui rem semper expertus esset sibi salutarem, paruit æquo animo. In exilio rogatus ab amicis, quid precaretur ingratissimæ civitati, *Nihil aliud*, inquit, *nisi tantam rerum prosperitatem, ut illis nunquam in mentem veniat Aristides.* CA. Mirum si Christianos non pudet sui, ad quamvis levem injuriam excandescentes, ac vindictam per fas nefasque molientes. Tota Socratis vita nihil aliud mihi videtur, quam temperantiæ, ac tolerantiæ exemplum. Sed ne plane sim [5] asymbolos, unum referam, quod mihi præ cæteris arrisit. Eunti publica via, improbus quispiam colaphum impegit. Cum id tacitus ferret Socrates, amici quidam hortati sunt ad ultionem. At ille, [6] *Quid percussori faciam?* inquit. *Voca*, inquiunt, *in jus. Ridiculum*, inquit, *si me asinus calcibus percussisset, num vobis auctoribus asinum in jus traham?* significans improbum scurram nihilo potiorem asino; & infimi animi esse, non posse ferre contumeliam ab homine vecordi, quam ferret ab animali bruto. DI. Pauciora sunt in Romanis Annalibus exempla moderationis, nec ea perinde insignia; neque enim opinor magnam habere laudem tolerantiæ, si quis parcat devictis, & debellet superbos. Non arbitror tamen indignum memoratu quod [7] Cato senior, cum Lentulus quidam in os illi sputum & oris purulentiam injecisset, nihil aliud responderit, quam *Posthac habeo quod illis respondeam, qui negant tibi esse os. Os* autem Latinis *habere* negantur, quos nihil pudet. Itaque jocus est ex ambiguo. ÆM. Aliis arrident alia: mihi inter Diogenis dicta, præclara quidem omnia, nihil magis adblanditur, quam quod roganti cuidam quo pacto maxime posset [8] ulcisci inimicum, *Si te ipsum*, inquit, *quam maxime probum & honestum virum præstiteris.* Demiror quis Deus illis tales cogitationes miserit in mentem. Videtur autem & Aristotelis dictum valde consentaneum Paulino dogmati; qui rogatus a quodam, quid fructus sua illi Philosophia attulisset, *Ut meu*, inquit, *sponte ea faciam, quæ plerique legum metu coacti faciunt.* Docet enim Paulus, eos quos afflavit Christiana caritas, non esse legi obnoxios, eo quod plus præstant suapte sponte, quam lex metu pœnæ possit extorquere. FR. Christus Judæis obmurmurantibus, quod cum publicanis & peccatoribus haberet etiam mensæ familiaritatem, respondit, [9] *Non esse opus medico iis qui recte valerent, sed qui minus prospera essent valetudine.* Non abhorret hinc quod apud Plutarchum dixit Phocion, qui cum reprehenderetur, quod homini illaudato improboque patrocinatus esset in judicio, non minus festiviter quam clementur, *Quid ni*, inquit, *quando nemo probus indiget tali patrocinio?* GY. Et istud [10] Christianæ bonitatis exemplum est, ad exemplum æterni Patris, & probis & improbis, quantum licet, benefacere; qui solem suum oriri jubet, non solum piis, sed etiam impiis. Verum admirabilius forsitan erit in Rege moderationis exemplum. Cum Demochares Demosthenis nepos, Atheniensium nomine, legatione fungeretur apud Philippum Macedonum Regem, & impetratis quæ volebat, a Rege dimitteretur, humaniter interrogante, si quid præterea vellet; *Ut teipsum suspendas*, inquit Demochares. Vox impotens odium arguebat; & Rex erat, & bene meritus in quem jaciebatur convicium; nec [11] tamen incanduit? tantum ad collegas conversus, *Vos*, inquit, *hæc renuntiate populo Atheniensi, quo re cognita judicet, utrum nostrum existimet præstantiorem, me qui hæc patienter audierim, an istum qui hæc dixit.* Ubi nunc sunt orbis Monarchæ, qui se diis pares putant, & ob verbum inter pocula dictum, atrocia bella concitant? HI. Magnos impetus habet gloriæ sitis, multosque transversos agit hic affectus. Ex eorum numero quidam Socratem interrogabat, qua via posset sibi compendio honestissimam comparare famam: *Si talem*,

1 *Νηφάλιον συμπόσιον*] Id est, *sobrium* sive *abstemium convivium.*
2 *Ἄοινος*] *Sine vino.*
3 Vide *Æliani* Varias Historias Lib. XII. c. 49.

4 *Quam Justi cognomento*] Idem Nepos tradit: *Cum videret Aristides reprimi concitatam multitudinem non posse, cedensque animadverteret quendam scribentem, ut patria pelleretur, quæsisse ab eo dicitur, quare id faceret, aut quid Aristides commisisset, cur tanta pœna dignus duceretur. Cui ille respondit, se ignorare Aristidem, sed sibi non placere, quod cupide elaborasset, ut præter cæteros* Justus *appellaretur.* Vide *Plutarchum* in ejus vita.
5 *Asymbolos*] *Ἀσύμβολος, qui nihil confert.*
6 Adi *Diogenem Laërtium* in ejus vita.
7 *Cato senior*] Videatur Plutarchus.
8 Eumdem vide.
9 *Non esse opus medico*] Matth. 9. Marc. 2. Lucæ 4.
10 *Christianæ bonitatis*] Matth. 5.
11 Vide *Senecam* de Ira Lib. III. c. 23.

lem, inquit, *praestiteris te ipsum, qualis haberi vis*. JA. Profecto non video quid dici possit vel brevius, vel absolutius: Fama non est affectanda, sed ea virtutem ultro comitatur, quemadmodum improbitatem infamia. Vos admiramini viros; mihi puella Lacaena placuit, quae cum in auctione venderetur, licitator quidam adiit illam, Quid? inquiens; num proba futura es, si te mercatus fuero? *Etiam*, inquit illa, *si tu non fueris mercatus*: indicans, sese non in cujusquam gratiam probitatem servare, sed suopte ingenio virtutem ipsius gratia sectari, quod virtus ipsa sui pretium est. LA. Masculam sane vocem edidit puella. Caeterum insigne mihi videtur exemplum adversus fortunam quamlibet blandientem constantiae, quod cum Philippo Macedonum Regi tres eximiae felicitates eodem die nuntiarentur, quod in Olympiis vicisset; quod dux exercitus Parmenion, praelio superasset Dardanos; quod uxor Olympias ipsi filium esset enixa: sublatis in coelum manibus precatus est, ut Deus tantam prosperitatem pateretur levi quopiam infortunio expiari. AL. Hodie nulla est tanta prosperitas, cujus invidiam metuat quisquam; sed perinde jactant, si quid successerit, quasi vel mortua vel surda esset Nemesis. Haec merenda si vobis placet, hic hortulus eam vobis quoties volueritis exhibebit, quem hoc colloquio non minus jucundo quam frugifero dicastis. BA. Profecto nec Apitius potuisset discum suaviorem apponere. Quare nos exspectabis frequenter, modo boni consulas, quod nunc attulimus, non quae digna erant tuis auribus, sed quae non praemeditatis venerunt in mentem. Meditati lautiora proferemus. AL. Hoc eritis gratiores.

Ars Notoria.

DESIDERIUS, [1] ERASMIUS.

DE. QUomodo succedunt tua studia, Erasmi? ER. Musis, ut apparet, parum faventibus: sed felicius succederent, si quiddam abs te queam impetrare. DE. Nihil non impetrabis, modo sit in rem tuam; dic tantum quid rei sit. ER. Non dubito, quin nihil sit artium reconditarum quod te fugiat. DE. Utinam vera praedices! ER. Audio artem esse quandam [2] notoriam, quae hoc praestet, ut homo minimo negotio perdiscat omnes disciplinas liberales. DE. Quid audio? Vidisti codicem? ER. Vidi, sed vidi tantum, quod non esset doctoris copia. DE. Quid continebat liber? ER. Varias animantium formas, draconum, leonum, leopardorum, variosque circulos, & in his descriptas voces, partim Graecas, partim Latinas, partim Hebraicas, aliasque Barbaricarum linguarum. DE. Intra quot dies pollicebatur titulus disciplinarum cognitionem? ER. Intra quatuordecim. DE. Magnifica sane pollicitatio: sed nostine quemquam per istam artem notoriam evasisse doctum? ER. Nequaquam. DE. Neque quisquam alius vidit unquam aut visurus est, nisi posteaquam viderimus aliquem per alcumisticam evasisse divitem. ER. Equidem optarim artem esse veram. DE. Fortasse quod pigeat literas tantis sudoribus emere. ER. Scilicet. DE. Atqui sic visum est superis. Opes istas vulgares, aurum, gemmas, argentum, palatia, regnum, nonnunquam largiuntur ignavis & immerentibus: sed quae verae sunt opes, ac proprie nostrae sunt, voluerunt parari laboribus. Nec oportet nobis videri molestum laborem, quo res tanta paratur, cum cernamus plurimos homines, per horrenda discrimina, per non aestimandos sudores eluctari ad res & temporarias, & plane viles, si ad eruditionem conferantur: nec tamen semper assequuntur quod ambiunt. Et habent studiorum labores multum admixtum mellis, si paullulum in ea processeris. Jam in te bona ex parte situm est, ut magnam taediorum partem amputes. ER. Quonam pacto? DE. Primum, ut animum inducas, amare studia. Deinde, ut ea mireris. ER. Quibus rationibus hoc fiet? DE. Contemplare quam multos ditarint, quam multos ad summam dignitatem auctoritatemque provexerint literae: simulque tecum considera

1 *Erasmius*] Procul dubio in colloquio hoc interloquutores facit auctor se ipsum & Hieronymi Frobenii nobilissimi apud Basileenses Typographi filium Joannem Erasmium Frobenium, cui & haec eadem Colloquia inscripsit, quemque unice Erasmus amavit: ita quidem ut & Erasmii nomen illi indiderit.

2 *Notoriam*] Designat artem memorialem, qua per imagines memoria ita adjuvatur, ut quidam mille verba semel audita eodem ordine repetere potuerint. Primus artem illam invenisse dicitur Simonides Melicus, eamque excoluisse Metrodorus Scepsius. Tandem Patrum memoria eandem tenebris antiquitatis sepultam denuo eruere conatus est Raymundus Lullius, & nuper etiam Hermannus Follinus.

A quantum intersit inter hominem & pecudem. ER. Probe mones. DE. Deinde cicures ingenium tuum oportet, ut possit secum consistere, atque his delectari, quae utilitatem adferunt potius quam voluptatem. Nam quae per se sunt honesta, etiamsi initio nonnihil habent molestiae, tamen assuetudine dulcescunt: ita fiet, ut & minus fatiges praeceptorem, & ipse facilius percipias, juxta dictum Isocraticum, aureis literis in frontispicio codicis tui pingendum, [3] Ἐὰν ᾖς φιλομαθὴς, ἔσῃ πολυμαθής. ER. Satis adest celeritatis in percipiendo, sed mox effluit quod perceptum est. DE. Itaque pertusum mihi narras dolium. ER. Haud multum aberras a scopo. Sed quid remedii? DE. Obturanda est rima, ne perfluat. ER. Quibus rebus? DE. Non
B musco, neque gypso, sed diligentia. Qui voces ediscit non intellecta sententia, mox obliviscitur: nam verba, ut inquit Homerus, [4] πτερόεντα sunt, facileque avolant, nisi sententiarum pondere librentur. Prima igitur cura sit, ut rem penitus intelligas, dein subinde tecum verses ac repetas: & in hoc cicurandus est, ut dictum est, animus, ut quoties opus est, cogitationi possit insistere. Nam si cui mens est, adeo silvestris, ut in hoc cicurari non possit, haudquaquam est idonea literis. ER. Istuc quam sit difficile, plus satis intelligo. DE. Quisquis enim habet animum adeo volubilem, ut nulli cogitationi possit immorari, nec diu potest audire loquentem, nec infigere memoriae quod didicit. Plumbo potest aliquid imprimi, quod maneat in loco: aquae aut argento vivo, quoniam assidue fluitat, nihil potest imprimi.
C Quod si possis in hoc ingenium tuum mansuefacere, cum assidue verseris inter eruditos, quorum confabulationes quotidie tam multa proferunt digna cognitu, minimo labore disces quam plurima. ER. Profecto sic est. DE. Nam praeter sermones conviviorum, praeter quotidiana colloquia, statim a prandio audis octo lepidissima dicta, ex probatissimis auctoribus selecta; totidem a coena. Jam mihi supputa quantam haec summam conficiant in singulos menses & annos. ER. Magnificam, si possim meminisse. DE. Ad haec cum nihil audias nisi bene Latine loquentes, quid obstat, quo minus intra paucos menses ediscas Latine, cum illiterati pueri Gallicam aut Hispanicam linguam discant exiguo temporis spatio? ER. Sequar tuum consilium, ex-
D periarque num possit hoc ingenium Musarum jugo mansuescere. DE. Ego aliam artem notoriam non novi, quam curam, amorem, & assiduitatem.

Concio, sive Merdardus.

HILARIUS, LEVINUS.

HI. DEum immortalem, cujusmodi portenta gignit alitque terra! Usque adeo nihil pudere viros Seraphicos? Existimant, opinor, sese apud fungos, non apud homines loqui. LE. Quid secum murmurat Hilarius? Componit, opinor versiculos. HI. Quam libens illi blateroni os impurum obturassem oleto! LE. Compellabo hominem. Quid agis, Hilari, parum hilaris? HI. Optime temet of-
E fers, Levine, in quem hanc pectoris aegritudinem evomam. LE. In pelvim evomas malim, quam in me. Sed quid est mali? & unde nobis prodis? HI. E concione sacra. LE. Quid homini poetae cum sacris concionibus? HI. A sacris non abhorreo: sed in hanc incidi ita sacram, ut Virgilius *auri famem* appellavit *sacram*. At tales rabulae sunt in caussa, ut rarius audiam ecclesiastas. LE. Ubi habita est concio? HI. In summo templo. LE. A prandio? id temporis fere dormitant homines. HI. Utinam illi locutulejo dormissent omnes, vix digno, qui concionetur apud anseres. LE. Obstreperum est animal anser: Ferunt tamen, patriarcham Franciscum aliquando concionatum apud sorores aviculas, a qui-
F bus magno silentio sit auditus. Sed age, etiamne sabbato fit concio? HI. Fit in honorem divae Virginis matris. Nam die Dominico Christus praedicatur. Decet autem ut priores teneat mater. LE. Quod erat thema? HI. Enarrabat canticum Virginis. LE. Argumentum vulgatissimum. HI. Nimirum aptissimum ecclesiastae. Nam suspicor illum hoc unum thema didicisse: quemadmodum ajunt inveniri sacerdotes, qui nullam liturgiam callent, nisi pro defunctis unicam. LE. Dicatur igitur ille, concionator de *Magnifi-*

3 Ἐὰν] Id est, *si fueris discendi cupidus, multa addisces.*

4 Πτερόεντα] Id est, *alata*. Huc alludit noster Poeta:
Et volat emissum semel irrevocabile verbum.

cat, aut, si mavis, *Magnificatitius*. Sed cujusmodi tandem avis erat, aut quibus ornata plumis? Hi. Vulturi non dissimilis. Le. Qua tandem ex corte? Hi. Franciscana. Le. Quid audio? ex tam sancto sodalitio? fortassis ex illorum degenere genere, qui dicuntur *Gaudentes*, colore fusco, calceis integris, cingulo candente: nec horrent, (contremisco referens,) nudis digitis contrectare pecuniam. Hi. Imo e grege selectissimo istorum, qui gaudent *Observantes* nominari, colore cinericeo, cingulis canabeis, calceis fenestratis, quique citius occiderent hominem, quam nuda cute pecuniam attingerent. Le. Nil mirum est, in rosariis nasci [1] cynorrhodum. Sed quis talem histrionem induxit in hoc proscenium? Hi. Istuc magis etiam diceres, si vidisses personam tragicam. Corpore erat vasto, buccis rubentibus, ventre prominente, lateribus gladiatoriis: dixisses athletam esse: & quantum ego divinare queo, biberat in prandio plus quam unum vini sextarium. Le. Unde tanta vini copia non tractanti pecuniam? Hi. Ex aula Regis [2] Ferdinandi, singulo quoque die dabantur illi sextarii quatuor. Le. O male collocatam benignitatem! Fortassis erat doctus. Hi. Præter effrontem improbitatem, & linguam effrænem nihil habebat. Le. Quæ res igitur sic imposuit Ferdinando, ut bovem adduceret [3] ad ceroma? Hi. Ut numero dicam, pietas & regia bonitas. Commendatus erat, ille demittebat caput in dextrum humerum. Le. Sic Christus pendet in cruce. Sed erat concio frequens? Hi. Qui potuit esse infrequens Augustæ, templo celeberrimo, & in tot Monarcharum conventu, quos [4] Carolus Cæsar ex universa Germania, ex Italia, ex Hispaniis, ex Anglia eo contraxerat? Quin & eruditi complures aderant in ipsa concione, præsertim ex aula Regum. Le. Demiror si porcus ille quidquam adferre potuit dignum tali auditorio. Hi. At multa se digna protulit. Le. Quæ tandem, obsecro? Sed prius te quæso ut mihi nomen hominis edas. Hi. Non expedit. Le. Quam ob rem Hilari? Hi. Non libet talibus, gratum facere. Le. Au! gratificatur qui traducit? Hi. Illis pro summo beneficio est, quocunque modo innotescere. Le. Saltem mihi nomen edito, tacituro. Hi. Merdardum vocant. Le. Merdardum illum probe novi. Nimirum is ipse est, qui nuper in convivio Erasmum nostrum appellavit diabolum. Hi. Rem tenes. Sed quod in convivio dixit, tametsi non omnino dixit impune, qui civiliores erant imputabant temulentiæ, & vino censebant inscribendum. Le. Sed quid excusationis attulit objurgatus? Hi. Negavit se dixisse ex animo. Le. Qui potuit ex animo, cui nihil erat mentis aut animi? Hi. Sed mihi ac doctis omnibus visum est intolerabile, quod publicitus, quod eo in loco, quod apud tales auditores, denique quod in tam celebri Monarcharum conventu, Merdardus suas merdosas purulentias effuderit. Le. Aveo scire quid dixerit. Hi. Multa stolidissime debacchatus est in Erasmum nostrum, quorum hæc erat summa. His, inquit, temporibus exstitit quidam novus doctor Erasmus; lapsa est lingua, *asinus* volebam dicere: simulque populo interpretatus est, quid Germanice sonaret *asinus*. Le. Rem mire facetam narras. Hi. Itane facetam? imo fatuam potius. Le. An non tibi facetum videtur, talem asinum quemquam omnino vocare asinum, nedum Erasmum? Unum illud scio, si Erasmus ipse præsens fuisset, non potuisset a risu temperare. Hi. Profecto non minus refert asinum animi stupore, quam colore vestis. Le. Neque arbitror in tota Arcadia esse ullum asinum usque adeo asinum, quin hic dignior sit, qui fœno pascatur, quam ille. Hi. Prorsus inversus est Apulejus; ille sub asinina specie tegebat hominem; hic sub hominis specie tegit asinum. Le. At tales asinos hodie mulso & placentis saginamus; ut mirum non sit, si mordeant quemlibet, & calcibus feriant. Hi. Is, inquit, doctor asinus audet corrigere *Magnificat*, cum id canticum sit a Spiritu Sancto proditum per os sacratissimæ Virginis. Le. Agnosco [5] παροιμίαν ἀδελφικήν. Hi. Atqui id verbis exaggerabat, quasi summa esset admissa blasphemia. Le. Mihi nunc cor metu palpitat. Quid erat criminis? Hi. Ajebat Erasmum pro eo quod ecclesia canit, *Quia respexit Dominus humilitatem ancillæ suæ*, vertisse, *Quia respexit vilitatem ancillæ suæ*: eaque vox odiosius sonat Germanice quam Latine. Le. Quis autem non fateatur esse blasphemiam execrabilem, si quis sacratissimam Christi matrem, etiam Angelica dignitate celsiorem, appellet vilem ancillam? Hi. Age; quid si quis appellet Apostolos, servos inutiles? Le. Pararem blasphemo fasciculos. Hi. Quid si quis eximium illum Paulum appellet indignum Apostoli nomine? Le. Clamarem, ad ignem. Hi. Atqui sic Apostolos suos loqui docuit ille doctor unus irrefutabilis Christus: *Cum omnia feceritis, quæ præcepta sunt vobis, dicite, Servi inutiles sumus*. Luc. XVII. Et hujus præcepti non immemor Paulus, de se prædicat, *Minimus sum omnium Apostolorum, atque adeo indignus Apostoli titulo*. 1 Cor. XV. Le. Verum ubi de se talia prædicant homines pii, modestia virtus est, qua nulla Deo gratior: si quis alius idem prædicet de illis, præsertim in divorum consortium relatis, gravis sit blasphemia. Hi. Pulchre nodum secuisti. Proinde si Erasmus adorandam illam Virginem dixisset vilem ancillam Domini, nemo non fateretur esse dictum impie. Cæterum quoniam ipsa ad istum modum de se loquitur, & in illius cedit gloriam, & nobis salutare modestiæ exemplum exhibetur: ut, quoniam, quidquid sumus, munificentia Dei sumus, quo quisque major est, hoc se gerat submissius. Le. Hactenus quidem inter nos convenit. Verum isti cum corrigere dicunt, sentiunt corrumpere, sive falsare. Illud itaque videndum, an *vilitatis* verbum Græcæ voci, quam Lucas posuit, respondeat. Hi. Istam ipsam ob caussam a concione mox ad codicem cucurrimus. Le. Exspecto venatum. Hi. Verba quæ Lucas afflatu Spiritus, sanctissimis digitis suis exaravit, sic habent; ὅτι ἐπέβλεψεν ἐπὶ τὴν ταπείνωσιν τῆς δούλης αὐτοῦ. Ea sic reddidit noster Erasmus: *Quia respexit ad humilitatem ancillæ suæ*: Tantum addidit præpositionem, quam Lucas non omisit: nec eam respuit Romani sermonis elegantia, nec ad sensum est otiosa. Sic enim loquitur Terentius in Phormione: *Respice ad me*. In Annotationibus tamen admonet, Lucam potius dixisse, *Adspice ad me*, quam Respice ad me. Le. Interest igitur aliquid inter respicere & adspicere? Hi. Non ita multum, sed tamen nonnihil. *Respicit*, qui flexo collo adspicit quæ a tergo sunt: *Adspicit*, qui simpliciter intuetur: velut apud Terentium Phædria adspicit Thaidem, domo prodeuntem: *Totus*, inquiens Parmeno, *tremo horreoque, postquam adspexi hanc*. At hujus frater Chærea sic loquitur; *Cum huc respicio ad virginem*. Nam ad senem sese flexerat; eo absoluto reflexit corpus ad virginem. Interdum tamen usurpant *Respicere*, pro eo quod est rationem sive curam habere, sive rei cujuspiam imminentis, sive præsentis. Ita Satyricus:

Respicere extrema jussit spatia ultima vitæ.

Mors enim veluta tergo imminens sequitur, ad quam reflectimus oculos, quoties eam animo reputamus. Et Terentius; *Respice senectutem tuam*. Proinde qui alibi intentus, non habet curam liberorum, dicitur *illos non respicere*. Rursus qui discussis aliis curis, cogitationem huc vertit, eleganter *respicere* dicitur. At Deus unico intuitu contuetur universa, præsentia, præterita & futura; & tamen in Scriptura nobiscum humano more loquitur. *Aversari* dicitur eos, quos reprobat; *respicere*, quos aliquamdiu veluti neglectos, dignatur suo favore. Verum hoc magis expressisset Lucas, si dixisset, ἀπέβλεψεν, nunc legimus ἐπέβλεψεν. Sed utrum legas, minimum refert ad sensum. Le. At videtur otiosa præpositio repetita. Hi. Certe sic & Latini loquuntur: *Accessit ad me. Appulit animum ad scribendum*. Heic mihi præpositio non videtur otiosa. Nam *respicere* potest, qui in tergum flectit oculos casu quopiam, in nullam rem certam intendens intuitum: at cum audis, *Respexit ad me*, exprimitur peculiaris favor, volentis huic aut illi succurrere. Item *adspicimus* interdum casu obvia, quorum nobis nulla cura est, imo quæ videre nolimus. At quisquis ad aliquem *adspicit*, peculiariter attentus est ad id quod intuetur. Ad hæc, multa

1 *Cynorrhodum*] *Rosa canina*, q. κυνὸς ῥόδον.

2 *Regis Ferdinandi*] Ferdinandus Maximiliani ex Maria Caroli Audacis filia filius, in Regem Romanorum electus est Coloniæ Agrippinæ ductu Caroli V. fratris anno 1531. quinquennium nempe ante Erasmi mortem; utpote qui IV. Id. Jul. anno 1536. Basileæ obiit.

3 *Bovem adducere*] Hoc est, ad id, ad quod inutilis est. Ceroma unguentum dicitur, quo olim ungebantur athletæ. Bos autem ad certamina inutilis est.

4 *Carolus Cæsar*] In hac urbe multa comitia celebravit Carolus. Hic autem designat Erasmus ea quæ habita, cum Cæsar ex Italia redux, anno 1530. maximo Procerum comitatu, præsentibus itidem Ferdinando fratre, proxime sequenti anno in Romanorum Regem creato, & sorore Maria Ludovici Hungarorum Regis vidua, tumultus ob religionis reformationem motos sedare tentaret. Eodem tempore a Lutheranis illi oblata est Confessio Fidei, quæ inde *Augustana* seu *Augsburgica* dicta.

5 Παροιμίαν ἀδελφικήν] Id est, *proverbium fraterculorum*.

ta simul adspicimus, sed non ad multa. Spiritus itaque Sanctus volens nobis exprimere singularem erga sanctissimam virgunculam favorem, sic per illius os loquutus est: *Quia respexit ad humilitatem ancillæ suæ.* Avertit oculos ab elatis, suoque judicio magnis; & obtutum suum flexit ad eam, quæ in oculis suis erat infima. Nec enim dubium est, quin multi fuerint docti, potentes, divites, nobiles, qui sperabant Messiam ex ipsorum stirpe proditurum: sed illos aspernatus Deus, clementissimi favoris oculos flexit ad virginem, fama obscuram, opibus tenuem, fabro nuptam, ne sobole quidem ulla divitem. LE. Nondum audio quidquam de *vilitate*. HI. Ea vox sycophantæ fuit, non Erasmi. LE. At in Annotatione forsitan meminit *vilitatis*. HI. Nequaquam. In vocem ταπείνωσιν tantum hoc modestissime notat. Ut intelligas, inquit, *parvitatem*, non *animi virtutem:* sitque sensus; *Etsi sim infima ancilla, tamen non est aversatus me Dominus.* LE. Hæc si vera sunt ac pietatis plena, quid est quod obrudant onagri? HI. Latinæ vocis ignorantia parit hos tumultus. *Humilitas* apud veteres emendatius loquentes, non declarat virtutem animi, quæ pugnat cum arrogantia, diciturque *modestia*, sed conditionis abjectiorem sortem: quo sensu ignobiles, tenues, idiotas, & contemtos *humiles* dicimus; quasi humi repentes. Quemadmodum igitur magnatibus loquentes dicimus, *Rogo ut tua celsitudo nobis hac in re faveat:* ita qui de se loquentes sua volunt elevare, dicere solent, *Quæso ut humilitatem nostram tua humanitate sublevet.* Nam pronominum primogeniorum emphasis, interdum habet nescio quid arrogans. Quod genus est illud, *Ego dico, ego perficiam.* Bifariam itaque puella modestissima, simul & suam sortem extenuavit, & numinis in se munificentiam extulit: non contenta seipsam *ancillam* dicere, sed addidit *humilem* ancillam, & infimæ sortis. Quemadmodum, juxta proverbium, *servus præ servo est*, ita & inter ancillas alia est alia præstantior, nimirum pro dignitate functionis. Honestior enim comtrix quam lotrix. LE. At miror Merdardum non agnovisse sermonis formam, cum ipse frequenter audierim Franciscanos ita loquentes, *Mea parvitas agit tibi gratias pro lauta refectione.* HI. Quidam non multum aberrarent, si dicerent, *mea pravitas.* Cæterum quoniam Græca vox ταπεινοφροσύνη quiddam amplius exprimere videtur, quam Latina, *modestia:* Christiani maluerunt *humilitatem* dicere quam *modestiam:* hoc est, maluerunt significantius loqui, quam elegantius. *Modestus* enim is dicitur, qui modice de se sentit; nihil sibi præter meritum arrogans. At ταπεινοφροσύνης laus non competit, nisi in eum, qui minus sibi arrogat quam habet. LE. At periculum est ne dum *modestiam* amplectimur, incidamus in *vanitatem.* HI. Qui sic? LE. Nam si verum dixit Paulus, *Non sum dignus vocari Apostolus*; & si vere se dixit Maria *ancillam humilem*, hoc est, infimæ sortis: periclitantur de mendacio, qui utrumque tam magnificis efferunt laudibus. HI. Nihil hic, ô bone, periculi: cum nos laudibus vehimus pios aut pias, prædicamus in illis Dei beneficentiam, cum ipsi semet abjiciunt, respiciunt vires ac merita sua, si desit favor numinis. Nec statim mendacium est, si quis sibi non vindicat quæ habet: si loquitur ex animo, fortassis *error* dici potest; *mendacium* dici non potest. At hunc errorem in nobis amat Deus LE. [1] At Paulus qui se negat esse dignum Apostoli titulo, alibi [2] magnifice de se prædicat, commemorans sua facinora: *Plus*, inquit, *omnibus laboravi; & qui videbantur esse aliquid, nihil mihi contulerunt:* cum sanctissima Virgo tale nihil dixisse legatur. HI. Sed ista facinora Paulus appellat suas infirmitates, quibus illustrata est Dei potentia; eamque commemorationem vocat *insipientiam*, ad quam sit adactus [3] pseudoapostolorum improbitate, ob quos fuit illi necesse sibi vindicare auctoritatem apostolicam, non quod ipse delectaretur humana gloria; sed quod expediret Euangelio, cujus dispensatio fuerat illi credita. In Virgine matre non fuit eadem ratio: non enim illi commissum erat munus prædicandi Euangelii. Tum & sexum, & virginem, denique Jesu matrem decebat summus pudor, summaque modestia. Nunc venio ad hujus erroris fontem. Qui Latine nesciunt, putant *humilitatem* nihil aliud declarare, quam insignem modestiam; cum interdum referatur ad locum, aut

A conditionem, non ad animi virtutem; interdum sic referatur ad animum, ut vitium sonet. LE. Etiamne in sacris literis? HI. Maxime. En tibi locum apud Paulum ad Coloss. cap. II. *Nemo vos seducat volens in humilitate & religione Angelorum.* Nec heic est ἐν ταπεινώσει, quæ vox est in cantico Virginis, sed ἐν ταπεινοφροσύνῃ. Locus habet nonnihil obscuritatis, fateor: sed mihi videtur germanus sensus, quem accuratius docti adferunt: *Ne sitis tam humili, tamque abjecto animo, ut, cum semel dedicaveritis vos ipsos Christo salutis unico auctori, patiamini vobis persuaderi, ab Angelis sperandam esse salutem, quos quidam sibi fingunt apparuisse. Sitis excelso animo, ut etiamsi vere Angelus quispiam e cælo ve-*
B *niens prædicet vobis aliud Euangelium, quam quod Christus tradidit, sit vobis execrabilis, velut Angelus impius & Christi adversarius. Multo minus convenit vos esse tam demissis animis, ut istorum fictis apparitionibus patiamini vos abduci a Christo. Ab uno Christo sperare salutem, religio est; ab Angelis aut Divis idem exspectare, superstitio est.* Paulus igitur vult, humilis abjectique animi esse, ab illo sublimi Christo, ad commentitias Angelorum apparitiones desciscere: demissi ingenii est, quorumlibet suasu circumagi. Vides heic ταπεινοφροσύνην in vitium usurpatam esse. LE. Quid ni videam? HI. Rursus in eodem capite: *Secundum præcepta & doctrinas hominum, quæ sunt rationem quidem habentia sapientiæ in superstitione & humilitate.* Heic iterum ταπεινοφρο-
C σύνη vitium sonat. LE. Palam est. HI. Atqui I Pet. V. usurpatur pro virtute quæ contraria est superbiæ, τὴν ταπεινοφροσύνην ἐγκομβώσασθε· pro quo nos legimus, *humilitatem insinuate.* Rursum ad Phil. II. τῇ ταπεινοφροσύνῃ ἀλλήλους ἡγούμενοι ὑπερέχοντας ἑαυτῶν. id est, *Per animi modestiam unusquisque alium se præstantiorem existimet.* LE. Docuisti ταπεινοφροσύνην usurpari in utramque partem, cum apud Latinos *modestia* non usurpetur nisi in laudem. Verum potesne docere ταπείνωσιν accipi pro *modestia*? HI. Nihil absurdi, si quis ad istum modum usurpet. Nam & animo tribuere submissionem aut demissionem pro modestia, nihil vetat. Cæterum, an in divinis literis ita positum reperiatur, nescio. LE. Vide num apud divum Jacobum ita sit usurpatum, [4] *Glorietur autem frater humilis in exaltatione sua, dives au-*
D *tem in humilitate sua.* HI. Isto quidem loco est ἐν ταπεινώσει, non ταπεινοφροσύνῃ. Quod si contendas heic *humilitatem* accipi pro *modestia*, consequens est, ut *exaltationem* accipiamus pro *superbia*, ac protinus gemina exsistet absurditas. Nam ut modestus non est, qui de sua modestia gloriatur ac jactitat sese; ita bis arrogans est, qui de sua superbia gloriatur. LE. Quid igitur sibi vult Apostolus? HI. Commendat æqualitatem inter Christianos. Pauper dicitur humilis ob fortunam abjectiorem: dives dicitur sublimis, utique juxta mundum, ob fortunæ splendorem. Hic dives se demittit ad sortem pauperum, & pauper erigitur ad æqualitatem divitum. Uterque habet quod glorietur: alter gaudet suis opibus sublevari pauperum inopiam: alter glorificat Christum, qui eam mentem inspirarit divitibus. LE. Sed
E interim dives ille modestiæ laudem habet. HI. Fortasse; sed non ideo protinus ταπείνωσις significat *modestiam.* Sunt enim qui venantes laudem ab hominibus, multa pauperibus erogant. Quin potius uterque modestus est, si modo adsit sincere pietas: dives, dum non gravatur ob Christum, æquari pauperi; pauper, dum ob honorem sibi habitum non insolescit, sed Christo gratias agens in illo gloriatur. Illud extra controversiam est, ταπείνωσιν in divinis libris frequentissime usurpari pro *demissione*, sive *dejectione*, quæ fit per afflictionem, aut conditionis infirmitatem. Ita Paul. ad Phil. III. *Reformabit corpus humilitatis nostræ*, ταπεινώσεως. Item Psal. IX. *Vide humilitatem de inimicis meis*, ταπείνωσιν. Rursum CXVIII. *Hac me consolata est in humi-*
F *litate mea*, ἐν ταπεινώσει, nimirum, in afflictione. Hujus generis loca sunt complura, quæ longum sit heic referre. Quemadmodum igitur μεταφορικῶς ταπεινὸς dici posset ὁ ταπεινόφρων, qui modesto sit animo, minimeque elato: ita nihil prodigii fuerit, si quis ταπείνωσιν dicat ταπεινοφροσύνην· nos de Scripturæ usu loquimur. Cæterum qui contendunt in cantico Mariæ ταπείνωσιν sonare *modestiam animi*, quin eadem opera sic interpretantur quod legimus Genes. XXIX. *Vidit Dominus humilitatem meam*, ταπείνωσιν, Lia non jactat suam modestiam, sed, quod ob deformitatem minus

1 *At Paulus*] Nempe 1 Corinth. 15. vers. 9.
2 *Magnifice de se prædicat*] Vide inter alia 2 Corinth. 11. vers. 5. 2 Corinth. 12. vers. 11.
3 *Pseudoapostolorum*] Cap. XI. 2 ad Cor.

4 Jacob. cap. I. ℣. 9, 19.

minus esset cordi marito, humilitatem appellat. Eundem ad modum Deuteronomii cap. XXVI. *Et respexit humilitatem, & laborem, atque angustiam.* An non heic ταπείνωσιν appellat *afflictionem?* LE. Unde igitur istis in mentem incidit, ut *humilitatem* in Cantico interpretentur *animi modestiam?* HI. Nihil aliud video causæ, nisi quod multi Theologi neglexerint & linguarum peritiam, & Latini sermonis studium, una cum priscis ecclesiæ doctoribus, qui sine hisce præsidiis ad plenum intelligi non queunt: præterea quod difficillimum sit revellere, si quid penitus insederit animo. Porro videas quosdam tantum scholasticis placitis tribuere, ut malint ad ea detorquere Scripturam, quam ad Scripturæ regulam opiniones humanas corrigere. LE. At istuc absurdius est, quam quod narrant de regula Lesbia. HI. Beda monachus, non admodum gravis auctor, quoties ab alienis recedit vestigiis, ex occasione dictæ humilitatis meminit de superbia. At Theophylactus scriptor Græcus, qui sua fere ex probatissimis Græciæ scriptoribus hausit, negat heic ταπείνωσιν accipi posse pro virtute. LE. Ad istud probandum quid opus est auctoritate, cum ipse sensus communis respuat eam interpretationem? HI. Recte dixisti. Nam cum *modestia* sit quodammodo colophon ac tutatrix omnium virtutum; immodestia est, si quis eam de se prædicet. Fatemur quidem, in sanctissima Virgine virtutem hanc fuisse summam & incomparabilem; (Christum semper excipio;) sed hoc ipso ob modestiam laudabilior est, quod eam ipsa non laudat, sed agnoscens suæ conditionis humilitatem, mysterii magnitudinem adscribit misericordiæ divinæ. Maria, inquiunt, per modestiam meruit fieri mater Dei. Donemus hoc aliqua ex parte verum esse: verum quæ tandem modestiæ species est, puellam hoc de se prædicare? LE. Quin & ipse cantici tenor declarat, illam de sua indignitate loqui; eoque sic orditur: *magnificat anima mea Dominum.* At qui dicit, merui fieri mater Dei per modestiam, se magnificat, non Dominum. Mox subjicitur: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Ecce*, significat rem subitam & inexspectatam. Non exspectat autem summum honorem, qui se nullo honore dignum judicat. Nec felicitas dicitur, si contingat quod meritis debebatur. Flaccus enim negat, se hoc nomine felicem appellandum, quod a Mæcenate in amicorum numerum adoptatus esset. HI. Quam ob rem? LE. Quia judicio fuit adscitus, non gratuito favore. Mæcenas hoc illi tribuit, quod ejus virtutibus deberi judicarat. HI. Eodem pertinet, quod sequitur, [1] *Quia fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen ejus.* Non dixit, fecit mihi magna, quia me dignam judicavit, sed, *quia potens est*, & facit quæcunque vult, & ex indignis facit suo favore dignos; & ideo sanctum nomen ejus: *sanctum* dixit gloriosum. Quantum autem nostris meritis arrogamus, tantum detrahimus divini nominis gloriæ. Nam juxta Paulum, illius potentia per nostram imbecillitatem perficitur. Mox in eo versu, *Deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles*; non est ταπεινόφρονας, sed ταπεινὺς, hoc est, *contemtos* juxta mundum; ut opponatur *potentibus*. Hunc versiculum juxta Propheticæ eloquutionis morem declarat sequens, *Esurientes implevit bonis, & divites dimisit inanes.* Quos modo dixerat *humiles*, heic appellat *esurientes*, hoc est, tenues: quos modo *potentes*, heic *divites* vocat. Proximo versu fit mentio misericordiæ, sese per omneis orbis nationes profundentis. In extremo versu prædicat fidem Dei in promissis, *Sicut locutus est*, &c. Toto cantico prædicatur gloria, hoc est, potentia, bonitas, & veritas Dei: nulla est meritorum mentio. LE. Sed ut potentiam ac divitias comitatur superbia, ita paupertas docet modestiam. HI. Non equidem inficior, istuc interdum accidere; sed videas plerumque pauperes arrogantissimos: si negas, objiciam Merdardos multos. Verum demus esse quod non est perpetuum: non jam agitur qualis fuerit sacratissima Jesu mater, sed qualia de se prædicarit in hoc cantico. LE. Demiror istorum pervicaciam, qui toties moniti, frequenter etiam irrisi, non resipiscant. HI. Quoties moniti sunt, *declamationem* esse ficti thematis tractationem, ad exercendam dictionis facultatem adhiberi solitam; & tamen istis *declamatio* nihil aliud est, quam sacra concio. Quoties inclamatum est illis, *cælibem esse*, quisquis uxorem non habet, etiamsi sexcentas alat concubinas: & tamen *cælibatus* istis nihil aliud est, quam continentia & castitas. Idem usu venit de *humilitate*, aliisque similibus quamplurimis. LE. Unde stupor tam pertinax? HI. De Merdardis respondeo. Non dederunt a puero operam literis; nec est illis præceptorum aut librorum copia, & si quid istiusmodi facultatis obtigit, malunt abdomini impendere. Sacrosanctam illam vestem existimant abunde sufficere & ad pietatis & ad eruditionis opinionem. Postremo putant nonnullam esse religionis partem, si cum suo Francisco ne Latine quidem loqui sciant. LE. Profecto plurimos novi, qui ista ex parte belle referant instituti sui principem, qui *caperonem* dixit pro galero, opinor & *vestimentibus* pro vestibus. At Franciscus constanter recusavit presbyteri honorem; quod idem, opinor, fecit Benedictus & Dominicus. Nunc isti cum suis vestimentibus non abhorrent a galero Cardinalicio. HI. Quid ais? imo ne a corona quidem triplici; at humiles illi pauperis Francisci filii, porrigunt calceos suos summis orbis Monarchis osculandos. LE. Jam si fuisset facta vilitatis mentio, quid erat piaculi? HI. Nihil, si *vilem* intelligas, qui parvo æstimatur apud homines, aut qui sibi videtur contemtibilis. Sed quid opus excusare quod dictum non est? LE. Non puduit Merdardum ad istum mentiri modum? idque in fano tam celebri, in frequentissima Monarcharum synodo, coram tot eruditis viris, quorum plerique Erasmicas lucubrationes evolverant? HI. Puduit, ais? Imo sibi visus est scurra rem palmariam ac triumpho dignam facere. Hoc est quartum Merdardorum votum, longe tribus illis religiosius, *Nihil omnino pudere.* LE. Istius profecto plerique sunt observantissimi. HI. Nec erat simplex mendacium. Primum Mariæ canticum, ut est a Luca scriptum, manet intactum. Qui vero corrigere dicitur, qui nihil mutat? Deinde vox *humilitatis* immutata non est; nec ulla usquam vilitatis mentio. Postremo non corrigit canticum, qui bona fide reddit quod scripsit Lucas, sed explicat. LE. Video triplex mendacium effronte scurra dignum. HI. Mane: Nondum audisti, quod est omnium impudentissimum. LE. Etiamne amplius? HI. Vociferabatur, doctorem illum asinum fuisse principem, auctorem & antesignanum universi tumultus, quo nunc concutitur orbis Christianus. LE. Quid ais? HI. Huic imputandum quod tot sectis disscinditur ecclesia, quod sacerdotes spoliantur decimis, quod contemnuntur Episcopi; quod sacrosanctæ Pontificis majestati passim oppeditur; quod agricolæ, vetus [2] gigantum exemplum instaurarunt. LE. Ista publicitus? HI. Magnis clamoribus. LE. Atqui longe secus existimant, qui Erasmi libros attentius introspiciunt. Horum plurimi fatentur se ex illius lucubrationibus hausisse veræ pietatis semina. Totum hoc incendium per monachos ortum; per eosdem huc usque incanduit, quod non aliter nunc quoque conantur extinguere, quam si oleum, quod ajunt, addant camino. HI. Vides, [3] ὡς κάκιστον θηρίον ἐστὶν ἡ γαστήρ. LE. Rem acu tetigisti. Illi nimirum expedit, in populo Christiano superstitionis esse quam plurimum, pietatis quam minimum. Sed quid concio? ferebatne Cumanum asinum, tam insolenter rudentem e suggesto? HI. Quidam mirabantur quid accidisset homini. Qui stomachi erant impatientioris, surgebant, atque e templo abibant, submurmurantes, *Venimus huc audituri laudes divæ Virginis, & hic temulentus nobis evomit meras sycophantias.* In his erant etiam non paucæ mulieres. LE. Atqui solet hoc genus mire deditum esse isti sodalitio. HI. Vera prædicas; sed cœperunt & fœminæ sapere. Eruditi, quotquot aderant, plerique ringi, nonnulli etiam subsibilare. LE. Non curat asinus sibila; oportuit talem rabulam putribus ovis aut ruderibus e suggesto deturbare. HI. Non deerant qui hoc illo dignum existimarent; sed cohibebat illos loci reverentia. LE. Sed loci religio non debet his opitulari, qui locum scelere profanarunt, veluti qui in templi septis occidunt hominem, non æquum est ut illic habeant asylum: itidem qui in sacris concionibus & loci religione, & populi patientia stolide abutitur, huic non oportet esse præsidio, quod ipse sua temeritate profanavit. Laudatus est a priscis ille, [4] qui eum non

1 *Quia fecit mihi*, &c.] Vide apud Lucam c. I. v. 46. & seqq.

2 *Gigantum*] Designat bellum Rusticorum in Suevia circa annum vigesimum octavum sæculi decimi quinti.

3 Ὡς κάκιστον, &c.] Id est, *ut pessima bestia est venter.* Et illos qui alioquin omnia ventris gratia faciunt, lingua abutentes, Græci γλωσσογάστορας appellant.

4 *Lucius Crassus* de quo vide *Ciceronem* initio Lib. III. de Oratore.

non habuit pro Consule, cui ipse non esset Senator: nec par est, ut populus eum habeat pro Ecclesiasta, cui ipse non est concio. Hi. Metuunt fulmen Episcoporum : *Si quis instigante Diabolo, &c.* nosti legem. Le. Sed prius in tales rabulas Episcopi debebant vibrare fulmen. Hi. Metuunt & illi. Le. Quos? Hi. Illos ipsos rabulas. Le. Quam ob rem? Hi. Ob hoc ipsum, quod rabulæ sunt. Le. Apostoli non metuebant Regum & præsidum minas; & isti metuunt unum mendicum? Hi. Sed ob istuc ipsum magis formidandi, quod mendici sunt; quod eripiatur non habent, quo lædant habent. Abi tu sodes ad vesparum aut crabronum nidum aliquem, & unamquamlibet ex illis digito continge; ea res si tibi bene successerit, redito ad me, & Episcopos ignavos appellato, qui refugiant unum mendicum irritare. Romanum Pontificem nonne potentissimi Christianæ ditionis Monarchæ reverentur, fortassis & metuunt? Le. Nec mirum : est enim Christi vicarius. Hi. At [1] Alexander sextus, vir nec stultus nec indoctus, fertur ita loqui solitus, se malle e summis Monarchis aliquot offendere, quam unum quemlibet fraterculum ex ordine Mendicantium. Le. Omitte Pontifices. Cum istius sceleris rumor ad aures principum, qui tum Augustæ erant, dimanasset, non est sumptum de homine supplicium? Hi. Indigne tulerunt omnes, sed præcipue Rex Ferdinandus, & hujus [2] soror Maria, fœminarum hujus sæculi decus, Bernardus Cardinalis Tridentinus, [3] Balthasar Episcopus Constantiensis: objurgatus est graviter ecclesiastes, sed a nullo acrius, quam a Joanne [4] Fabro Episcopo Viennensi. Le. Quid objurgatio? asinus non sentit nisi fustem. Hi. Præsertim si in ventrem ingeras. Sed quid illi stolido fecissent principes, longe gravioribus curis occupati? Le. Certe submovissent a concionandi munere, & suam illi benignitatem subtraxissent. Hi. At artifex ille pus suum in ipsam Concilii dissolutionem distulerat, cum jam alioqui foret abeundum. Le. Isto quidem pacto dicuntur abire cacodæmones, ingenti fœtore relicto. Hi. Itaque dimissus est a Rege Ferdinando, sed bene pastus. Nam objurgatio ne tantillum quidem detraxit hominis obesitati. Le. Franciscus dicitur concionatus sororibus avibus; iste dignus videtur qui concionetur fratribus asinis ac suibus. Sed quo se contulit? Hi. Quo nisi ad suos gregales, a quibus exceptus est ovatione ob rem strenue feliciterque gestam, & inter pocula, pro, Io triumphe, cantatum est, *Te Deum laudamus*. Le. Dignissimus est iste Merdardus, qui funem in collo gestet potius quam in lumbis. Sed quid imprecemur isti stolido gregi, qui tales fovet pecudes? Hi. Vix invenias quod illis impreceris malum gravius, quam ipsi accersunt sibi. Siquidem his rationibus maxime traducunt sese, & in bonorum omnium conjiciunt odium, efficacius quam quisquam possit hostis. Sed non est Christianæ mentis, cuiquam imprecari male; illud potius optandum, ut clementissimus rerum formator & reformator (qui ex Nabuchodonosor homine fecit bovem, & rursus ex bove fecit hominem, quique asinæ Balaami dedit hominis linguam) omnes Merdardi similes vertat in melius, detque illis & mentem, & linguam viris Euangelicis dignam.

PHILODOXUS.

[5] PHILODOXUS, SYMBULUS.

Ph. Felix auspicium interpretor occursum tuum, Symbule. Sy. Utinam sit aliquid, Philodoxe, in quo tibi queam esse felix! Ph. Quid auspicatius, quam si quis deus occurrat homini? Sy. Equidem nihil istoc existimarem auspicatius, etiamsi sexcentæ volitent noctuæ. Sed quem mihi narras deum? Ph. Te, inquam, Symbule? Sy. Mene? Ph. Te plane. Sy. Ego deos cacantes nunquam feci pili. Ph. Si non fallit proverbium, deum esse quisquis juvat mortalem, tu mihi deus esse potes. Sy. De fide proverbii viderint alii; ego certe perquam lubens amico profuero, si queam. Ph. Non est quod metuas, Symbule; haud peto mutuum; sacra res est consilium; eo tantum me juva. Sy. Atqui istuc ipsum est petere mutuum, quandoquidem hoc officii genus inter amicos ultro citroque commeare debet, quemadmodum & cætera omnia. Sed quid est rei, in quo meum desideras consilium? Ph. Piget obscuritatis; cuperem esse celebris, commonstra viam. Sy. En tibi compendiariam. Imitare Herostratum, qui incendit templum Dianæ; aut huic simillimum Zoilum, qui laceravit Homerum; aut aliud aliquod facinus memorabile designa, & [6] ἀοίδιμος eris cum [7] Cercopibus ac Neronibus. Ph. Famam ex scelere parent alii; ego nomen ambio rumoris honesti. Sy. Talem igitur te præsta, qualis optas prædicari. Ph. At multis egregia virtute præditis, non contigit nominis celebritas. Sy. Istuc an verum sit, nescio: attamen si id eveniat, quod ais, ipsa virtus abunde magnum sui præmium est. Ph. Vera prædicas, planeque philosophice. Veruntamen, ut sunt res humanæ, mihi videtur gloria præcipuum quoddam ornamentum esse virtutis, quæ non aliter gaudet agnosci, quam sol amat lucere, vel ob hoc ipsum, ut & prosit quam plurimis & quam plurimos ad sui pelliceat æmulationem. Postremo non video quam possessionem speciosiorem parentes liberis suis relinquere possint, quam honesti nominis immortalem memoriam. Sy. Ut video, gloriam expetis virtute partam. Ph. Scilicet. Sy. Proinde tibi propone literis omnium celebratos, Aristidem, Phocionem, Socratem, Epaminondam, Scipionem Africanum, Catones, Seniorem & Uticensem, M. Brutum, & horum similes, qui belli domique de Republica quam optime mereri studuerunt. Hic est enim feracissimus gloriæ campus. Ph. Verum inter istos celebres, Aristides ostracismo jussus est solum vertere; Phocion & Socrates biberunt cicutam; Epaminondas capitis est postulatus, quemadmodum & Scipio: Cato senior quadragies reus caussam dixit; Uticensis sibi mortem conscivit; itidem Brutus. Ego gloriam optarem nulla invidia contaminatam. Sy. At istuc ne Herculi quidem filio concessit Jupiter. Nam post tot monstra virtute domita, cum excetra fuit extremum certamen, idque multo omnium pertinacissimum. Ph. Ego Herculi suos gloriosos labores nunquam invidebo. Eos demum felices duco, quibus obtigit honestum nomen nulla invidia contaminatum. Sy. Vis, ut video, suaviter vivere; eo metuis invidiam, nec id injuria, [8] κάκιστον γάρ ἐστι θηρίον. Ph. Sic est. Sy. Ergo [9] λάθε βιώσας. Ph. At istuc est mortuum esse, non vivere. Sy. Intelligo quid affectes. In sole clarissimo versari gaudes, absque umbra. Ph. Istuc quidem fieri non potest. Sy. At nihilo magis fieri potest, ut gloriam consequaris nulla contaminatam invidia. Recte facta ultro sequitur gloria, gloriam comitatur invidia. Ph. Atqui posse gloriam absque invidia contingere, docet nos [10] senex ille Comicus; *Ita ut facillime sine invidia laudem invenias, & amicos pares.* Sy. Ista laude contentus es, quam tulit Pamphilus adolescens, obsequiis & morum commoditate, poteris eodem e loco petere rationes assequendi quod expetis, unde decerpsisti sententiam. In omni re memento, *Ne quid nimis*; sed tamen mediocriter omnia: esto facilis in perferendis aliorum moribus, ad leviora vitia connivens; ne sis præfractus, tuæque sententiæ nimium tenax, sed aliorum studiis temet accommoda: nulli lædas os, sed comem te præbeas omnibus. Ph. Adolescentiæ favent plerique, nec magni negotii sit tum istam parare laudem: ego magnificum quoddam nominis decus optarim, quod per universum orbem resonet, quodque cum ætate semper fiat illustrius, atque a funere tandem clarius elucescat. Sy. Equidem laudo generosam istam indolem tuam, Philodoxe. Cæterum si cupis gloriam virtute partam, præcipua virtus est, negligere gloriam: & summa laus est, non ambire laudem, quæ magis sequitur fugientem. Videndum est igitur, ne,

1 *Alexander sextus*] Erat natione Hispanus, patria Valentinus, Rodericus Borgia ante nominatus, Calixti Papæ tertii ex sorore nepos, nonnullorum Cardinalium opera Pontificatum adeptus.

2 *Soror Maria*] Maria hæc filia Philippi & Joannæ, soror Caroli V. & Ferdinandi, Ludovico Hungariæ Regi nupta, post mariti obitum Caroli nomine Provincias Belgicas viginti quatuor annos summa cum laude rexit.

3 *Balthasar Episcopus*] Fuit hic Balthasar in ordine septuagesimus sextus Episcopus Constantiensis, præfuitque menses quindecim: excessit Treviri. Constantia autem quibusdam a Constantio Constantini patre, aliis ab ejus filia sic dicta, sita inter Acronium & Venetum lacum.

4 *Fabro Episcopo*] Erat hic Joannes Faber ex Leukirch, natione Suevus, Episcopus Viennensis nonus, Ferdinandi Regis Confessarius promotus ad Episcopatum anno 1531. obiit anno 1541.

5 *Philodoxus*] *Amator gloriæ*, qui famam venatur. *Symbulus, consiliarius*, Gr. σύμβουλος.

6 Ἀοίδιμος, &c.] Id est, *celebratus*, is proprie qui decantatur passim.

7 *Cercopibus*] Hinc proverb. *Cercopum cœtus*. De conciliabulo conventuque versutorum & improborum hominum. Vide *Chiliadas*.

8 Κάκιστον, &c.] Id est, *Pessima enim fera est.*

9 Λάθε βιώσας] Id est, *Sic vive, ut nemo te sentiat vixisse.*

10 *Senex ille Comicus*] Verba sunt Simonis ad Sosiam Act. 1. Scen. 1. apud Terentium.

ne, quo impensius ista ambis, hoc frustrere magis. PH. Non A
sum Stoicus [1] ἀπαθὴς, tangor humanis affectibus. SY. Si te
profiteris hominem, nec ea recusas quæ sunt humanæ sor-
tis, cur ea venaris, quæ nec Deo contingunt? Nosti enim
[2] Theocriticum illud non minus vere quam scite dictum,
Jovem nec pluvium, nec serenum, placere omnibus. PH. Non
est fortassis ignis absque fumo; sunt tamen [3] ἄκαπνα. Si non
potest obtineri, quin aliqua livoris nubecula obscuretur
hominis gloria, arbitror tamen esse rationes, quibus fiat,
ut quam minimum invidiæ sit admixtum. SY. Eas igitur
tibi vis commonstrari? PH. Percupio. SY. Modice virtu-
tem exsere, & minus gravaberis invidia. PH. At gloria, nisi
sit insignis, non est gloria. SY. Ecce tibi certissimam viam.
Designa præclarum aliquod facinus, & morere, & citra B
invidiam celebraberis cum Codris, Menœceis, Iphige-
niis, Curtiis ac Deciis.

Pascitur in vivis livor, post fata quiescit.

PH. Equidem, ut ingenue quod res est fatear, cupio libe-
ris ac nepotibus meis honesti nominis hæreditatem relin-
quere: verum hujus rei fructum, vivus apud vivos aliquan-
diu decerpere cupiam. SY. Age, non te suspendam amplius.
Certissima ad illustre nomen est via, bene mereri, cum
privatim de singulis, tum publicitus de universis. Id par-
tim fit officiis, partim benignitate. Benignitas sic tempe-
randa est, ne cogaris ab aliis rapere quod aliis suppedites.
Nam ex hujusmodi largitionibus plus odii nascitur apud
probos, quam favoris apud improbos. Porro ab improbis
laudari, infamia verius est quam gloria. Ad hæc benigni-
tatis fons largiendo exhauritur. Porro beneficentia, quæ C
constat officiis, fundum non habet: imo quo largius hinc
hauritur, hoc scatet uberius. At heic multæ res sunt, quæ
& invidiam mitigant, & famæ celebritatem illustrant, quas
nemo sibi præstare valet, sed contingunt gratuito favore
numinis:

Gratior est pulchro veniens e corpore virtus.

At formam corporis sibi nemo largitur. Adfert secum di-
gnitatis plurimum generis claritudo. At hæc quoque for-
tunæ munus est. Idem sentiendum de divitiis, quæ recte
factis partæ ab avis atque atavis ad nos devenerunt. Ne
hoc quidem quisquam sibi præstat. Hujus generis sunt &
ingenii dexteritas, ac dicendi gratia, lepos & comitas non
adscita, sed ingenita. Postremo decorum quoddam arcanum D
atque etiam felicitas; cujus effectum in multis videmus quo-
tidie, causam reddere nemo potest. At non frequenter con-
spicimus eadem geri, dicive a diversis, & magnam inire gra-
tiam qui pejus gessit, dixitve, cum is qui melius rem egerit,
pro gratia referat odium. Hoc prisci quidam ad genios re-
ferebant. Dicebant enim in ea re quemque fortunatum es-
se, ad quam natus esset: contra parum succedere, quod quis
invita Minerva, iratoque genio tentaret. PH. Heic igitur
nullus est consilio locus? SY. Vix ullus: attamen qui saga-
ces sunt, deprehendunt in pueris aut adolescentibus notas
quasdam, quibus conjecturam facere liceat, ad quæ studia,
quodve vitæ genus, quasve actiones sint idonei. Idem indi-
cat in nobis arcanus quidam animi sensus, quo a quibusdam E
abhorremus, nulla evidente causa, ad quædam item miro
impetu rapimur. Hinc est quod alius feliciter tractat rem
militarem; alius dexter est in negotiis politicis; alium dicas
ad studia natum. Quanquam & in his mira varietas; nimi-
rum tanta, quanta est functionum diversitas. Alium natura
genuit imperio, alium voluit esse fortem militem: cui plu-
rimum indulsit, ei concessit, ut, juxta Homerum, pariter
& bonus sit lancearius, & egregius dux. Itidem in rebus
civilibus, alius valet in consilio, alius in agendis causis
excellit, alius obeundis legationibus & gaudet, & feliciter
rem gerit. De studiorum varietate quid attinet dicere? Sunt
qui sic rapiantur ad institutum monasticum, nec ad quodvis,
sed vel ad hoc, vel illud, ut vitam sibi putent acerbam, nisi,
quod optant, assequantur. Sunt e diverso qui mirum in mo- F
dum abhorrent, ut mori ducant potius, quam fieri mona-
chum: nec id odio faciunt, aut certa ratione, sed arcano
quodam naturæ sensu. PH. Ista quidem in compluribus ita,
ut narras, & comperi nonnunquam, & frequenter admira-
tus sum. SY. In his igitur bonis, quæ nobis gratuito largitur
naturæ benignitas, multo minus orietur invidiæ; si fastus ab-
sit & ostentatio. Amabilior enim est forma, aut nobilitas,
aut opulentia, aut facundia, in his qui se his bonis præcelle-
re quasi nesciunt. Comitas autem & modestia nihil immi-
nuunt hæc commoda, sed ut gratiam addunt, ita depellunt
invidiam. Hæc autem comitas & morum suavitas oportet
in omnibus vitæ actionibus sit perpetua, nisi prorsus repu-
gnat Minerva. Nam frustra, ut opinor, tentaret Xenocra-
tes, quod successit Socrati ac Diogeni: frustra moliretur
Cato Censorius, quod Lælium fecit gratiosum. Attamen
Demea ille Terentianus subito mutatus, satis declara-
vit quantum ad conciliandam benevolentiam habeat
momenti, studiis & affectibus omnium obsecundare.
Verum quoties a recto receditur, jam & a vera glo-
ria ad temporarium hominum favorem degeneratur.
Cæterum ea demum gloria perpetua est, quæ honestis
radicibus nititur, a judicio rationis profecta. Nam affectus
temporarios habent impetus; qui simul atque relanguerint,
odisse cœpimus, quod ante vehementer arrisit; ac proinde
plausus vertitur in sibilum, laus in vituperium. Cæterum
ut ingenium prorsus inverti non potest, ita potest aliqua
ex parte corrigi. PH. Exspecto quid dicas. SY. Qui natu-
ra blandior est, is cavere potest, ne, dum apud omnes
gratiosus esse studet, deflectat ab honesto, neve dum sese
quibuslibet accommodat, Polypum imitatus, sibi parum
constet. PH. Tales novi permultos lubricæ fidei & erube-
scendæ vanitatis. SY. Rursus qui severiore sunt ingenio,
dare operam oportet, ut sic affectent comitatem, ne quod
agunt, videatur simulatum; aut subinde ad naturam suam
recurrant; pro laude geminum dedecus sibi comparaturi,
& quod interdum rigidius agant, & quod sint inconstantes.
Tantam enim vim habet constantia, ut qui vitiosam nacti
sunt naturam, tamen ob hoc ipsum levius ferantur, quod
nusquam sunt sui dissimiles. Fucus autem simulatque sub-
oluit, etiam in benefactis gignit odium: porro quod simu-
latum est, perpetuo latere non potest; aliquando erumpat
oportet: quod ubi factum fuerit, semel evanescit omnis
ille magnificus gloriæ fumus, atque etiam in fabulam ver-
titur. PH. Illud igitur, ut video, mones, a natura minimum,
ab honesto minime recedendum esse. SY. Tenes, ad hæc
scis, quidquid subito inclarescit, obnoxium esse invidiæ.
Inde vox odiosa [4] νεοπλούτου apud Græcos, apud Romanos
novorum hominum cognomen, apud utrosque terræ fi-
liorum, & e cœlo delapsorum. Cæterum fama quæ paula-
tim nascitur, & augescit, quemadmodum minimum habet
invidiæ, ita maxime durabilis est; ut indicat hoc ille Poeta-
rum acutissimus Horatius: *Crescit occulto, velut arbor, ævo
Fama Marcelli.* Proinde, si veram, si perpetuam, si livori
quam minimum expositam gloriam expetis, ausculta So-
crati, qui dixit, *Quibusdam usu venire, ut dum nimium pro-
perant initio, serius perveniant ad finem.* PH. Sed hominum
vita brevis est. SY. Ergo ad benefacta properandum, non
ad gloriam, quæ sua sponte consequitur. Non enim id
consulis, opinor, quibus rationibus longævus fieri possis.
Nam istuc Parcarum munus est, quæ fila ducunt & ampu-
tant, cum ipsis est visum. PH. Utinam istuc quoque possis!
SY. Nunquam, ô Philodoxe, divi tam fuerunt benigni, ut
uni darent omnia. Quod annis detrahunt, nominis splen-
dore pensant. Quibusdam, sed paucissimis, tam indulgen-
ter favent, ut vivi, sibique quodammodo superstites, poste-
ritate sua fruantur. Sed [5] rari sunt *quos æquus amavit Jupi-
ter.* Hoc fortassis aliqui *diis geniti potuere*; verum ista fe-
licitas non cadit in hanc consultationem. PH. Sæpe mecum
admirari soleo, seu fortunæ seu naturæ invidentiam, quæ
nihil omnino commodi largitur mortalibus, quod non ali-
quo temperet incommodo. SY. Quid igitur superest, amice,
nisi ut homines nati, sortem humanam æquo feramus ani-
mo? Jam & illud haud mediocriter conducit ad leniendam
invidiam, si penitus cures habere perspecta nationum, ordi-
num, & singulorum hominum ingenia, nimirum ad eorum
exemplum, qui bestiis cicurandis alendisque dant operam.
Siquidem horum præcipuum est studium, animadver-
tere quibus rebus quodque animal vel efferetur, vel deli-
nia-

1 *Sine affectibus.*
2 Forte *Theognideum.* Vide *Chil.* II. Cent. VII, 55.
3 Ἄκαπνα] Digna sunt quæ dum cremantur, fumum non faciunt.

4 Νεοπλούτου] Νεόπλουτος est *nuper dives factus*, qui subito divitias nactus, nusquam non ostentat.
5 *Rari sunt quos*] Versus Poetæ sic habent:
— Pauci quos æquus amavit
Jupiter aut ardens evexit ad æthera virtus,
Dis geniti potuere. Æneid. VI, 129.

niatur. Non jam loquor tantum de discrimine, quod est inter avem & quadrupedem, inter serpentem & piscem, aut quod est inter aquilam & vulturem, inter elephantum & equum, inter delphinum & phocam, inter viperam & aspidem, sed de innumera varietate, quæ est in singulis animantium generibus. PH. Exspecto quo sis evasurus. SY. Omnes canes sub una specie continentur: sed hæc species quam in innumeras formas distrahitur! ut dicas illos genere distingui, non specie. Jam prorsus in eadem specie quam varii sunt canum mores, & ingenia? PH. Immensa varietas. SY. Quod de canibus dictum est, de singulis animantium generibus dictum puta: sed in nullo magis elucet discrimen, quam in equis. PH. Vera prædicas. Sed quorsum hæc? SY. Quidquid in animantium generibus, vel in formis, vel in singulis animantibus varietatis est, hoc omne puta esse in homine. Illic reperies lupos varios, canes inenarrabili varietate, elephantos, camelos, asinos, leones, oves, viperas, simios, dracones, aquilas, vultures, hirundines, hirudines; & quid non? PH. Quid tum? SY. Nullum autem est animal tam efferum, quin arte tractatum aliquam de se præbeat utilitatem, aut certe non lædat. PH. Nondum perspicio quid agas. SY. Est nonnihil discriminis inter Hispanum, Italum, Germanum, Gallum & Anglum. PH. Est plane. SY. Adhæc, est singulis in unoquoque genere peculiare quoddam ingenium. PH. Fateor. SY. Hanc varietatem si sagaciter habueris animadversam, & singulorum moribus te accommodes, perfacile consequeris, ut aut omnes habeas amicos, aut certe nullos inimicos. PH. Si Polypum me fieri jubes, ubi rectum & honestum? SY. Est in rebus communibus aliquod obsequium, quod nullo pacto vitiat honestum: quod genus, apud Italos osculo salutant viri viros: in Germania si facias idem, absurdum videatur, sed pro osculo dextram porrigunt; rursus in Anglia viri salutant mulieres etiam in templo obvias: idem si fiat in Italia, flagitium habeatur; item in Anglia porrigere poculum tuum intervenienti in convivio, civilitatis est; in Gallia contumeliæ est. In his & aliis hujusmodi, citra recti jacturam licet omnibus obsecundare. PH. At perdifficile sit omnium gentium mores, ac singulorum hominum ingenia nosse. SY. Verum, ô Philodoxe, si gloriam insignem quæris, eamque virtute partam, necesse est ut virtutem quoque præstes non vulgarem. Scis autem virtutem circa difficilia versari, quemadmodum ante Peripateticum illum docuit [1] Hesiodus: proinde si mel cupis, apes feras oportet. PH. Scio, & memini: sed mitigandæ invidiæ rationem quærimus. SY. Proinda operam, ut in bello dux esse malis quam miles; & in eo bello, quod gerendum cum invisis hostibus potius, quam cum civibus, aut sociis. In Republica ea potissimum munia capesse, quæ popularia sunt & gratiosa. Velut defendere popularius est, quam accusare; honorare, quam punire. Quod si qua incidunt, sicut incidere necesse est, natura molesta, tamen ea quoque, si vitari non possunt, commoditate sunt lenienda. PH. Quo pacto? SY. Sedes judex aut arbiter; altera pars nonnihil offendenda est; sed ea rem æquitate geras, ut, si fieri possit, etiam victus gratias agat. PH. Qui sic? SY. Puta. Intenditur actio furti aut sacrilegii: muta, si potes, actionis formulam, & fac ut sit actio rei vindicandæ. Heic protinus ita reum sublevas, ut nihil tamen decedat actori. Porro actionem omnem sic moderare, ut citra actoris dispendium reo videaris æquus. Postremo damnati pœnam nonnihil mitiga. Absit interim aut vultus torvitas, aut verborum acerbitas, aut morositas; quæ res faciunt, ut quidam pejorem ferant gratiam pro dato beneficio, quam alii pro negato. Interdum monendus est amicus: sed si nulla spes emendationis, silere præstat. Si res gravior est, & spes est profectus, magni refert qualis sit admonitio. Nam sæpenumero fit, ut qui sinistre aut intempestive admonet, & morbum exasperet, & ex amico reddat inimicum. Hæc dexteritas magis etiam habet locum, si agas cum principe. Nam horum affectibus nonnunquam incidit ut sit resistendum. Quod si fit comiter ac dextre, paulo post qui obstitere, plus ferunt gratiæ, quam qui obsecundarunt. Quod enim cupiditati placet, temporarium est; quod recta ratione geritur, perpetuo probatur. Longe vero maxima pars invidiæ nascitur ex intemperantia linguæ. Quantum odii nonnunquam unica vox temere excidens concitat nonnullis! Quam multis dictum, aut jocus intempestivus fuit exitio! Laudabis igitur, sed dignos; idque parce: sed vituperabis parcius, si tamen omnino quispiam vituperandus est: proinde vitanda loquacitas. Difficillimum enim sit, simul & multa & opportune dicere. PH. Assentior istis omnibus. Sed mihi videtur præcipua ad parandam nominis celebritatem via, scribere libros. SY. Vera prædicas, nisi quod obstat scribentium turba. At, si ista placet ratio, cura ut exacte scribas potius, quam multa. Cum primis autem argumentum delige neque protritum, neque cum multis commune; ad hæc minime invidiosum: in id, quidquid insigne complurium annorum lectione contractum est, conferas: tractatione vero tale reddas, ut voluptatem habeat cum utilitate conjunctam. PH. Prudenter tu quidem, Symbule; meoque animo feceris satis, si unum illud adjeceris, quibus rebus effici possit, ut maturius etiam contingat gloria. Multos enim video, qui vix sub obitum inclarescunt, nonnullos a rogo, quod ajunt, demum innotescere. SY. Heic quod consulam, nihil habeo melius, quam quod tibicen suasit tibicini. Fac ut his teipsum probes, qui gloria jam vicerunt invidiam: in horum amicitiam temet insinua, quorum honorifica de te prædicatio facile populare studium tibi conciliabit. PH. At si quando exoriatur invidia, quid ostendis remedii? SY. Fac quod solent hi qui picem coquunt: si flamma effulserit, infundunt aquam; ac tum magis efferatur ac stridet incendium, ni id facias constanter ac sæpius. PH. Quid istuc ænigmatis est? SY. Invidiam oborientem beneficiis obrue potius, quam vindica. Nihil egit Hercules resectis Hydræ Lernææ capitibus; igne Græco devicit exitiabile monstrum. PH. Sed quem vocas ignem Græcum? SY. Qui ardet etiam in mediis aquis. Eum adhibet, qui lacessitus injuria malorum, non cessat tamen de omnibus bene mereri. PH. Quid ego audio? beneficentia igitur nunc aqua est, nunc ignis? SY. Quid vetat? quando Christus in allegoriis nunc sol est, nunc ignis, nunc lapis. Dixi sedulo; si quid melius eris nactus, sequitor, meumque repudiato consilium.

Opulentia sordida.

JACOBUS, GILBERTUS.

JA. Unde nobis tam exsuccus, quasi cum cicadis interea rore sis pastus? mihi nihil aliud quam syphar hominis esse videris. GI. Apud inferos umbræ malva & porro saturantur: at ego decem vixi menses, ubi ne id quidem contigit. JA. Ubinam, te quæso? num abreptus in navem galeatam? GI. Nequaquam, sed Synodii. JA. In urbe tam opulenta, bulimia periclitatus es? GI. Maxime. JA. Quid in causa? An deerat pecunia? GI. Nec pecunia, nec amici. JA. Quid igitur erat mali? GI. Mihi res erat cum hospite Antronio. JA. Cum illo opulento? GI. Sed sordidissimo. JA. Monstri simile narras. GI. Minime; sed sic fiunt divites, qui e summa emergunt inopia. JA. Quid ita libuit tot menses apud talem hospitem commorari? GI. Erat quod alligaret: & sic tunc erat animus. JA. Sed dic, obsecro, quo tandem vivit ille apparatu? GI. Dicam, quandoquidem actorum laborum solet esse jucunda commemoratio. JA. Mihi certe futura est. GI. Illud [2] οὐρανόθεν accessit incommodi, cum illic agerem; totos tres menses spirabat Boreas, nisi quod illic nescio quo pacto nunquam perseverat ultra diem octavum. JA. Quomodo igitur spirabat totos tres menses? GI. Sub eum diem velut ex constituto mutabat stationem, sed post horas octo migrabat in locum priorem. JA. Ibi tenui corpusculo opus erat foco luculento. GI. Satis erat ignis, si suppetisset lignorum copia. Verum ne quid heic faceret impendii hoster Antronius, ex rusculis insularibus evellebat arborum radices ab aliis neglectas, idque fere noctu. Ex his nondum bene siccis struebatur ignis non absque fumo, sed sine flamma: non qui calefaceret, sed qui præstaret, ne vere dici posset ibi nullum esse ignem. Unicus autem ignis durabat totum diem, adeo temperatum erat incendium. JA. Illic hibernare durum erat. GI. Imo multo durius æstivare. JA. Qui sic? GI. Quoniam ea domus tantum habebat pulicum ac cimicum, ut nec

1 *Illum docuit*] Versus Hesiodi sic habent:

Τὴν μέν τοι κακότητα καὶ ἰλαδὸν ἐστιν ἑλέσθαι.
Ῥηϊδίως. ὀλίγη μὲν ὁδός, μάλα δ' ἐγγύθι ναίει.
Τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν Ἀθάνατοι.

Id est: *Ad vitium pervenire facile est: & admodum prope habitat. Ante virtutem autem sudorem Dii posuerunt, longamque viam & arduam.*

2 Οὐρανόθεν] Id est, *cælitus*.

nec interdiu quietum esse, nec noctu somnum capere liceret. JA. Divitias miseras! GI. Præsertim in hoc pecoris genere. JA. Oportet illic ignavas esse fœminas. GI. Latitant, nec inter viros versantur. Ita fit ut illic & fœminæ nihil aliud sint quam fœminæ, & viris desint ea ministeria quæ solent ab eo sexu suppeditari. JA. Sed Antronium interim non pigebat tractationis? GI. Illi in hujusmodi sordibus educato, præter lucrum nihil erat dulce. Ubivis potius habitabat quam domi, nulla in re non negotiabatur. Scis autem eam urbem esse præ cæteris Mercurialem. Pictor ille nobilis deplorandum existimavit, si dies abiisset sine linea; Antronius longe magis deplorabat, si dies præteriisset absque lucro. Quod si quando evenisset, domi quærebat Mercurium. JA. Quid faciebat? GI. Habebat in ædibus cisternam ex ejus civitatis more, illic hauriebat aliquot aquæ situlas, & infundebat in vasa vinaria. Heic erat certum lucrum. JA. Fortasse vinum erat æquo vehementius. GI. Imo plus erat quam vappa; nunquam enim emebat vinum nisi corruptum, quo minoris emeret. Ex eo ne quid periret, subinde fæces annorum decem miscebat; volvens ac revolvens omnia, quo mustum videretur: neque enim ille passus fuisset ullam fæcis micam perire. JA. At si qua fides medicis, tale vinum gignit vesicæ calculos. GI. Non errant medici: nam in ea domo nullus erat annus tam felix, quin unus atque alter calculo periret; nec horrebat ille funestam domum. JA. Non? GI. Etiam 1 a mortuis colligebat vectigal. Nec aspernabatur quamvis exiguum lucellum. JA. Dicis furtum. GI. *Lucrum* vocant negotiatores. JA. Quid interea bibebat Antronius? GI. Idem ferme nectar. JA. Non sensit malum? GI. Durus erat, qui vel fœnum esse posset, & talibus, ut dixi, deliciis fuerat a teneris educatus. Hoc lucro nihil existimabat certius. JA. Quid ita? GI. Si supputes uxorem, filios, filiam, generum, operas, & famulas, alebat domi fere corpora triginta tria. Jam quo vinum erat dilutius, hoc & parcius bibebatur, & serius exhauriebatur. Heic mihi subducito, in singulos dies addita aquæ situla, quam non pœnitendam summam conficiat in annum. JA. O sordes! GI. Atqui non minus compendii redibat ex pane. JA. Quo pacto? GI. Emebat triticum vitiatum, quod alius noluisset emere. Heic præsens statim lucrum, quia minoris emebat. Cæterum vitio medicabatur arte. JA. Qua tandem? GI. Est argillæ genus frumento non dissimile, quo videmus & equos delectari, dum & parietes arrodunt, & ex lacunis ea argilla turbidis bibunt libentius. Ejus terræ tertiam partem admiscebat. JA. Est istuc medicari? GI. Certe tritici vitium minus sentiebatur, an hoc quoque lucrum putas aspernandum? Adde jam aliud stratagema: Domi panem subigebat: nec id crebrius, etiam æstate, quam bis in mense. JA. Istuc est lapides apponere, non panes. GI. Aut si quid lapide durius. Sed huic quoque malo erat paratum remedium. JA. Quodnam? GI. Fragmenta panis immersa cyathis vino macerabant. JA. Similes habebant labra lactucas. Sed ferebant talem tractationem operæ? GI. Primum narrabo primatum ejus familiæ apparatum; quo facilius divines, quomodo tractentur operæ. JA. Audire cupio. GI. De jentando nulla erat illic mentio; prandium fere differebatur in horam a meridie primam. JA. Quam ob rem? GI. Exspectabatur Antronius paterfamilias. Cœnabatur interdum ad horam decimam. JA. At tu solebas esse inediæ impatientior. GI. Eoque subinde clamabam ad Antronii generum Orthrogonum, (agebamus enim in eodem conclavi:) Heus Orthrogone, non cœnatur hodie apud Synodios? Commode respondit, brevi adfuturum Antronium. Cum nihil viderem apparati, & latraret stomachus, Heus, inquam, Orthrogone, erit hodie pereundum fame? Excusabat horam, aut aliud simile. Cum non ferrem stomachi latratum, rursus interpellabam occupatum: Quid futurum est, inquam, eritne moriendum fame? Ubi jam Orthrogonus consumsisset omnem tergiversationem, abiit ad famulos, jussitque adornari mensam. Tandem cum nec rediret Antronius, nec quidquam appararetur, Orthrogonus victus conviciis meis, descendebat ad uxorem, & socrum, ac liberos, clamitans ut appararent cœnam. JA. Nunc saltem exspecto cœnam. GI. Ne propera. Prodibat tandem famulus claudus, ei præfectus negotio, non admodum dissimilis Vulcano; insternit mensam linteo. Ea prima cœnæ spes. Tandem post longam vociferationem afferuntur phialæ vitreæ, cum aqua sane limpida. JA. Altera cœnæ spes. GI. Ne propera, inquam: Rursum post atroces clamores adfertur phiala illius nectaris fæculenti plena. JA. O factum bene! GI. Sed sine pane. Nihil adhuc periculi; nemo famelicus bibat lubens tale vinum. Clamatum est iterum usque ad ravim. Tum demum apponitur panis ille, quem vix ursus dentibus frangeret. JA. Certe jam vitæ consultum est. GI. Sub multam noctem tandem venit Antronius; hoc fere procemio inauspicatissimo, ut diceret, sibi dolere stomachum. JA. Quid heic mali auspicii? GI. Quia tunc nihil erat quod ederetur; quid enim exspectes, hospite male affecto? JA. Dolebat re vera? GI. Adeo, ut solus devoraturus fuerit tres capos, si quis dedisset gratis. JA. Exspecto convivium. GI. Primum ipsi apponebatur patina cum farina fabacea; quod obsonii genus illic vulgo venditur tenuibus. Ajebat se hoc uti remedio adversus omne morbi genus. JA. Quot eratis convivæ? GI. Interdum octo aut novem; inter quos erat Verpius ille doctus, quem arbitror tibi non ignotum, & filiusfamilias natu major. JA. Quid illis apponebatur? GI. An non satis est frugi hominibus, quod Melchisedech obtulit Abrahæ, quinque Regum victori? JA. Nihil igitur obsonii? GI. Erat non nihil. JA. Quodnam? GI. Memini nos fuisse in mensa convivas numero novem; cum in patina non numerarem nisi septem foliola lactucæ aceto innatantia, sed absque oleo. JA. Solus igitur ille devorabat suas fabas? GI. Vix semiobolo emerat, nec tamen vetabat, si quis proxime assidens vellet gustare, sed incivile videbatur, languido suum eripere cibum. JA. Secabantur igitur folia, quemadmodum de cumino meminit proverbium? GI. Non, sed lactucis a primoribus absumptis, reliqui panem immergebant aceto. JA. Quid autem post septem folia? GI. Quid, nisi caseus conviviorum clausula. JA. Hiccine erat apparatus perpetuus? GI. Propemodum; nisi quod interdum, si eo die Mercurium fuisset expertus propitium, erat paulo profusior. JA. Quid tum? GI. Jubebat emi tres uvas recentes uno æreo nummulo. Ea res exhilarabat totam familiam. JA. Quid ni? GI. Id eo duntaxat tempore, quo summa est uvarum ibi vilitas. JA. Proin extra autumnum nihil profundebat? GI. Profundebat. Sunt illic naviculatores, qui concharum minutum genus hauriunt, potissimum e latrinis: hi clamore certo significant quid habeant venale; ab his interdum jubebat emi dimidio nummuli, quem illi *bagathinum* appellant. Tum vero dixisses, in ea familia esse nuptias; nam igni erat opus, licet celerrime percoquantur. Atque hæc quidem post caseum, loco bellariorum. JA. Bella mehercule bellaria. Sed nihil unquam apponebatur carnium aut piscium? GI. Tandem victus meis clamoribus, cœpit esse splendidior. Quoties autem videri volebat Lucullus, hi ferme erant missus. JA. Istuc vero lubens audiero. GI. Primo loco dabatur jusculum, quod illi, nescio quam ob causam, appellant *ministram*. JA. Lautum opinor. GI. His conditum aromatibus: Admovetur igni cacabus aqua plenus: in eam conjiciuntur aliquot fragmenta casei bubalini, qui jam olim in saxum induruit; nam ad defringendum aliquid bona securi opus est. Cum ea fragmenta tepore aquæ solvi cœperint, inficiunt eam, ne possit mera dici aqua; hoc jusculo præparant stomachum. JA. Suibus dignum. GI. Dein apponitur paululum carnium de ventre veteris vaccæ, sed elixum ante dies quindecim. JA. Fœtet igitur. GI. Maxime; sed adhibetur remedium. JA. Quodnam? GI. Dicam, sed vereor ne imitaturo. JA. Scilicet. GI. Miscent ovum aquæ calefactæ; eo jure perfundunt carnem; ita magis falluntur oculi quam nares; nam fœtor erumpit per omnia. Si dies requirit esum piscium, interdum apponuntur auratæ tres, nec hæ magnæ, cum convivæ sint septem aut octo. JA. Præterea nihil? GI. Nihil nisi caseus ille saxeus. JA. Novum mihi narras Lucullum. Sed qui potuit tam exilis apparatus tot sufficere convivis, præsertim nullo refectis jentaculo? GI. Imo ne sis insciens, ex ejus convivii reliquiis alebantur socrus, nurus, filius natu minor, famula, & aliquot parvuli. JA. Tu quidem admirationem meam auxisti, non ademisti. GI. Istuc tibi vix possum describere, nisi prius ordinem convivii depinxero. JA. Pinge igitur. GI. Antronius obtinebat primum locum, nisi quod ego illi sedebam dexter, velut extraordinarius: e regione Antronii Orthro-

1 *A mortuis*] Vide proverbium, *A mortuo tributum*.

throgonus; Orthrogono assidebat Verpius, Verpio Strategus natione Græcus: Antronio sinister assidebat filius natu major. Si quis accessisset conviva, ei locus dabatur pro dignitate. Primum de jure minimum erat vel periculi vel discriminis, nisi quod in procerum discis natabant fragmenta bubalini casei. Cæterum ex phialis vini aquæque ferme quatuor, vallum quoddam fiebat, ut nemo posset attingere quod erat appositum, præter tres, ante quos stabat patina, nisi quis sustinuisset esse impudentissimus, & transilire septa. Nec tamen ea patina diu manebat, sed mox tollebatur, ut aliquid superesset familiæ. Ja. Quid igitur edebant reliqui? Gi. Suo more deliciabantur. Ja. Qui? Gi. Panem illum argillaceum macerabant vino fæcis vetustissimæ. Ja. Tale convivium oportuit esse perbreve. Gi. Frequenter hora prolixius. Ja. Qui potuit? Gi. Sublatis, ut dixi, mox, quæ non carebant periculo, ponebatur caseus, unde nullum erat periculum ne quisquam ullo cultello escario quidquam abraderet. Manebat illa præclara fæx, & suus cuique panis. Atque inter hæc bellaria tuto miscebantur fabulæ. Interim prandebat fœminarum senatus. Ja. Quid interim operæ? Gi. Nihil habebant nobiscum commune; suis horis sibi prandebant ac cœnabant. Sed hi cibo capiendo vix semihoram impendebant toto die. Ja. Verum apparatus cujusmodi? Gi. Istuc tuum est divinare. Ja. At Germanis vix sufficit hora in jentaculum, tantundem in merendam, sesquihora in prandium, duæ horæ in cœnam: ac nisi affatim expleantur eleganti vino, bonis carnibus ac piscibus, deserunt patronum, & fugiunt in bellum. Gi. Suus cuique genti mos est. Itali minimum impendunt gulæ, pecuniam malunt quam voluptatem; & sobrii sunt natura quoque, non solum instituto. Ja. Nunc profecto non miror te nobis rediisse tam exilem; sed omnino vivum rediisse demiror, præsertim cum antea capis, perdicibus, turturibus & phasianis assuevisses. Gi. Plane perieram, nisi repertum fuisset remedium. Ja. Male res agitur, ubi tot remediis est opus. Gi. Effeceram ut mihi jam languescenti in singula convivia daretur quarta pars pulli elixi. Ja. Nunc incipies vivere. Gi. Non admodum. Emebatur pullus exiguus, ne multum impenderetur, cujusmodi sex non sufficerent uni boni stomachi Polono in jentaculum. Nec emto dabant cibum, ne quid esset impendii: itaque macie enecti ac semivivi coquebatur ala aut poples; jecur dabatur Orthrogoni filio infanti. Jus autem semel atque iterum ebibebant mulieres, subinde nova infusa aqua. Itaque poples ad me veniebat pumice siccior, & quovis putri ligno insipidior. Jus nihil erat, nisi mera aqua. Ja. Et tamen audio illic avium genus & copiosissimum esse, & elegans, & vile. Gi. Est prorsus; sed illis carior est pecunia. Ja. Satis dedisti pœnarum, etiamsi Romanum Pontificem occidisses, aut si minxisses ad sepulchrum divi Petri. Gi. Sed audi reliquum fabulæ. Scis esse in quaque hebdomada quinque dies, quibus vescimur carnibus. Ja. Nimium. Gi. Duos itaque pullos duntaxat emebant. Die Jovis se fingebant oblitas emere, ne vel totum pullum eo die apponerent, vel aliquid superesset. Ja. Næ iste Antronius superat etiam Euclionem Plautinum. Sed piscariis diebus quo remedio consulebas vitæ? Gi. Amico cuidam dederam negotium, ut mihi meo ære in singulos dies emeret ova tria, duo in prandium, unum in cœnam. Sed heic quoque fœminæ pro recentibus care emtis, supponebant semiputria; ut mecum præclare crederem actum, si ex tribus unum esset quod edi posset. Tandem & utrem vini purioris mea pecunia emeram: cæterum mulieres effracta sera intra paucos dies exsorbuerunt, non admodum irato Antronio. La. Itane nullus erat illic, quem tui miseresceret? Gi. Miseresceret; imo videbar illis gluto quispiam, & helluo, qui tantum ciborum unus devorarem. Itaque subinde me admonebat Orthrogonus, haberem ejus regionis rationem, meæque consulerem incolumitati: & aliquot nostrates commemorabat, quibus illic edacitas conciliasset aut mortem, aut morbum gravissimum. Cum is me videret deliciis quibusdam, quas illic ex nucleis pineis, aut peponum, melonumque venditant pharmacopolæ, fulcire corpusculum, & assiduis laboribus, & inedia, & jam etiam morbo fractum, subornat medicum mihi amicum & familiarem, ut persuadeat victus moderationem. Egit hoc mecum diligenter. Moxque sensi subornatum, nec respondi tamen. Cum idem accuratius mecum ageret, nec admonendi faceret finem; Dic, inquam, mihi, vir egregie, serio isthæc loqueris, an joco? Serio, inquit. Quid igitur suades ut faciam? A cœnis in totum abstine; & vino adde, ut minimum, aquæ dimidium. Risi præclarum consilium. Si me cupis exstinctum, huic corpusculo & raro & exili, & spiritibus subtilissimis, vel semel a cœna abstinere mors esset: id toties ipsa re compertum habeo, ut non libeat iterum experiri. Quid autem futurum censes, si sic pransus, a cœna temperem? Et tali vino jubes addi aquam? quasi non præstaret puram aquam bibere, quam fæculentam. Nec dubito, quin hæc te loqui jusserit Orthrogonus. Subrisit medicus, ac mitigavit consilium. Non hæc loquor, inquit, Gilberte doctissime, quod in totum arceam te a cœnis; licebit gustare ovum, & semel bibere: sic enim ipse vivo. In cœnam coquitur ovum: inde capio vitelli dimidium, reliquum do filio; mox hausto semicyatho vini, studeo in multam noctem. Ja. Num isthæc vera prædicabat medicus? Gi. Verissima. Nam ipse forte per viam ambulans, redibam a sacro, & comes admonuerat illic habitare medicum; libuit videre regnum illius. Erat autem dies dominicus. Pulsavi fores: apertæ sunt; ascendi; offendo medicum cum filio, & eodem famulo prandentem. Apparatus erat duo ova, præterea nihil. Ja. Oportuit esse exsangues homines. Gi. Imo ambo erant pulchre habito corpore, colore vivido ac rubido, oculis lætis. Ja. Vix credibile est. Gi. At ego compertissima narro. Nec ille solus ad istum vivit modum, sed complures alii, & imaginibus clari & re lauta. Polyphagia & polyposia, crede mihi, consuetudinis res est, non naturæ. Si quis paulatim assuescat, tandem eo proficiet, ut idem faciat quod Milo, qui bovem eodem die totum absumsit. Ja. Deum immortalem, si tam parvo victu licet tueri valetudinem; quantum impendiorum perit Germanis, Anglis, Danis, & Polonis? Gi. Plurimum haud dubie, & quidem non sine gravi tum valetudinis, tum ingenii detrimento. Ja. Sed quid obstabat, quo minus tibi sufficeret ille victus? Gi. Quia diversis assueveram; & serum jam erat mutare consuetudinem: quanquam me non tam offendebat ciborum exiguitas, quam corruptio. Duo ova poterant sufficere, si fuissent recens nata: vini cyathus erat satis, nisi pro vino daretur fæx vapida: dimidium panis aluisset, nisi pro pane daretur argilla. Ja. Adeone sordidum esse Antronium in tantis opibus? Gi. Arbitror censum illius non fuisse infra octoginta ducatorum millia. Nec ullus erat annus, quo non accederet lucrum mille ducatorum, ut dicam parcissime. Ja. Sed juvenes illi quibus hæc parabantur, num eadem utebantur parsimonia. Gi. Utebantur, sed domi dumtaxat; foris liguriebant, scortabantur, ludebant aleam: cumque pater in gratiam honestissimorum convivarum gravaretur teruncium impendere, juvenes interdum una nocte sexaginta ducatos perdebant alea. Ja. Sic perire solent quæ sordibus corraduntur. Verum e tantis periculis incolumis, quo nunc te confers? Gi. Ad venustissimum Gallorum contubernium, sarturus quod illic dispendii factum est.

EXSEQUIÆ SERAPHICÆ.

THEOTIMUS, PHILECOUS.

Ph. Unde nobis Theotimus, nova religionis facie? Th. Qui sic? Ph. Quia severa frons, oculi in terram defixi, caput in lævum humerum nonnihil inflexum, sphærulæ precatoriæ in manibus. Th. Si nosse cupis, amice, quæ ad te nihil attinent, e spectaculo venio. Ph. An spectasti funambulum, aut præstigiarum artificem, aut aliud huic simile? Th. Fortasse non ita huic dissimile. Ph. Equidem nunquam antehac vidi quenquam istiusmodi vultu redeuntem e spectaculo. Th. Sed ejusmodi fuit spectaculi genus, ut si tu interfuisses, fortassis me incederes aliquanto tristior. Ph. Quin tu ergo memoras, quid te tam fecerit religiosum? Th. Redeo ab exsequiis Seraphicis. Ph. Quid ego audio? Itane moriuntur & Angeli? Th. Non; sed horum sodales. Cæterum, ne te diutius suspensum habeam, nosti, opinor, heic apud Pelusios Eusebium, hominem clarum & eruditum. Ph. Illumne ex principe privatum, e privato exsulem, ex exsule tantum non medicum, pene addideram sycophantam? Th. Recte divinasti quem dicam. Ph. Sed quid illi accidit? Th. Hodie sepultus est: a pompa funebri redeo. Ph. Admodum tristem fuisse oportet,

ret, quæ te nobis tam tristem remisit. TH. Vereor ut sine lacrymis queam tibi quod vidi describere. PH. At ego vereor ut sine risu possim audire. Sed narra obsecro. TH. Scis Eusebium jam pridem fuisse misera valetudine. PH. Scio, ante annos aliquot evirato corpusculo. TH. In hujusmodi morbis qui lente conficiunt hominem, medici certis præsagiis solent mortis diem prædicere. PH. Maxime. TH. Hi monuerunt hominem, quidquid medicorum ars præstare posset, id omne summa cura præstitum esse, Deum quidem potentiorem omni medicorum ope; sed quod humana conjectura deprehendi quiret, non superesse triduum vitæ. PH. Quid tum postea? TH. Ibi continuo præclarus Eusebius defecto corpusculo, totum sanctissimi Francisci amictum induit, raditur, accipit cucullam cinericiam, vestem ejusdem coloris, funem nodosum, fenestratos calceos. PH. Moriturus? TH. Sic est. Quin & profitetur voce jam moribunda, se Christo militaturum juxta Francisci regulam, si, quod medici desperabant, daret Deus. Ad hanc professionem adhibiti sunt testes, viri sanctimonia celebres. In ea veste moritur vir egregius ad tempus a medicis prædictum. Veniunt ex eo sodalitio complures, qui funebrem pompam celebrent. PH. Utinam adfuissem isti spectaculo! TH. Illacrymasses, si spectasses qua caritate Seraphici sodales cadaver abluerint, amictum illum sacrosanctum adaptarint, manus in crucis imaginem composuerint, pedes nudarint, & nudatos exosculati sint, faciem unguento etiam exhilararint, juxta præceptum Euangelicum. PH. Prodigiosa humilitas, Seraphicos viros agere pollinctores ac vespillones. TH. Post hæc feretro composuerunt: & juxta Pauli doctrinam, Gal. VI. *Alter alterius onera portate*: propriis humeris fratres fratrem bajularunt per viam publicam ad monasterium. Ibi solemnibus næniis sepelierunt. Cum venerabilis illa pompa per viam incederet, vidi complures invitis oculis effundere lacrymas, cum talem virum, quem prius viderant purpura byssoque vestitum, nunc conspicerent in amictu Franciscano, fune canabeo cinctum, tam religiosa specie toto corpore compositum. Nam & mortui caput erat deflexum in humerum, & manus, ut dixi decussatim compositæ. Cætera item omnia mirificam quandam religionem præ se ferebant. Quin ipsa turba Seraphica cervicibus inflexis, oculis in terram defixis, & næniis adeo lugubribus, ut arbitrer, ipsos manes non canere lugubrius, multis excutiebat lacrymas & singultus. PH. Sed habebatne quinque Francisci vulnera? TH. Id non ausim affirmare certo. Apparebant in manibus ac pedibus vestigia quædam sublivida, ac vestis in sinistro latere fenestellam habebat. Verum non ausus sum oculos acrius intendere, quod affirment in hujusmodi rebus curiositatem multis fuisse exitio. PH. Sed nullosne illic sensisti ridentes. TH. Sensi: verum eos suspicor hæreticos esse, quorum hodie plenus est mundus. PH. Ut simpliciter tecum fabuler, mi Theotime, vix ipse valuissem a risu temperare, si isti spectaculo adfuissem. TH. Faxit Deus, ne tu sis istius fermenti contagio corruptus. PH. Nihil hinc periculi est, optime Theotime; ego a puero religiose beatum Franciscum, juxta mundum nec doctum nec sapientem, sed profunda mundanorum affectuum mortificatione Deo carissimum, semper animo sum veneratus; cumque hoc omnes, qui illius ingressi vestigiis, ex animo student mundo mortui, Christo vivere. Nam vestem nihil moror: sed lubens ex te didicero, quid vestis conferat mortuo? TH. Margaritas non esse porcis objiciendas, nec sanctum dandum canibus, scis ab ipso Domino præceptum esse. Proinde, si ridendi caussa percunctaris, nihil ex me audies: sin simplici discendi studio, libens impartiam, quod ab illis didici. PH. Profiteor discipulum & attentum, & docilem, & benevolum. TH. Principio scis quosdam usque adeo ambitiosos, ut non sat habeant superbe & insolenter vixisse, nisi & ambitiose sepeliantur mortui. Non sentiunt exanimes, sed tamen viventes imaginatione quadam futuræ pompæ, voluptatem aliquam ac fructum præcipiunt. Hoc quidquid est, affectus abdicare, non negabis, opinor, aliquam pietatis partem. PH. Fateor, si fastus exsequiarum non valeat alia ratione devitari. Sed mihi videtur modestius, si Princeps exanimis involvatur linteo vili, ac per plebejos vespillones in vulgari cœmeterio inter plebeja cadavera sepeliatur. Nam qui sic efferuntur, quemadmodum elatus est Eusebius, mutasse fastum videntur verius,

A quam vitasse. TH. Deo gratum est quidquid bono fit animo. Illius autem est judicare cor hominis. Verum quod dixi leve est; sunt alia graviora. PH. Quæ? TH. Profitentur ante mortem Francisci regulam. PH. Videlicet ut eam servent in campis Elysiis. TH. Non; sed heic, si revalescant. Et fit aliquoties ut medicorum sententiis damnati, simul ut sacrosanctam vestem induerint, ope Dei reviviscant. PH. Idem sæpenumero usu venit in his, qui vestem eam non induunt. TH. Oportet simpliciter ambulare in via fidei: si nihil esset eximii fructus in hac re, non ambirent, præsertim apud Italos, genere & literis nobiles plurimi, ut in amictu sacrosancto sepeliantur. Ac ne repudies ignotorum hominum exempla; sic sepultus est ille, cui tu merito plurimum tribuis, 1 Rudolphus Agricola: sic nuper Christophorus
B 2 Longolius. PH. Mea nihil refert quid delirent homines cum agunt animam; ex te doceri cupio, quid magni boni conferat, hominem metu mortis attonitum, ac certæ vitæ desperatione perturbatum, profiteri aut vestiri. Quid, quod vota sunt irrita, nisi fiant animo sano sobrioque, matura deliberatione, sublato metu, dolo, aut vi. Ut horum nihil fit, professio talis non obligat, nisi post annum probationis, quo gestare jubentur tunicam cum caperone: sic enim loquitur vir ille Seraphicus. Itaque si reviviscant, duplici nomine non tenentur, neque enim votum est, quod ab attonito fit, metu mortis ac spe vitæ; neque professio obligat ante caperonem gestatum. TH. Ut-
C cunque habet obligatio, illi certe putant se obligari; & illa totius voluntatis addictio non potest Deo non esse gratissima; siquidem hoc est in causa, ut bona opera monachorum, etiamsi demus cætera paria, gratiora sint Deo quam aliorum, quod ex optima radice proficiscantur. PH. Non excutiam heic quanti momenti sit, hominem totum se Deo addicere, cum jam sui juris non est: ego arbitror unumquemque Christianum se totum addicere Deo in baptismo, cum renuntiat omnibus pompis & voluptatibus Satanæ, datque nomen Imperatori Christo, posthac illi per omnem vitam militaturus. Et Paulus agens de his qui Christo commoriuntur, ut jam sibi non vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est, non loquitur proprie de monachis, sed de univer-
D sis Christianis. TH. Opportune meministi baptismi; sed olim tingebantur, aut adspergebantur agentes animam, quibus tamen dabatur spes æternæ vitæ. PH. Quid Episcopi promiserint, non ita magni refert: quid Deus præstare dignetur, nobis incertum est. Si certum fuisset tales adspergine aqulæ repente fieri cives cœli, quæ major poterat aperiri fenestra, ut homines mundo dediti studio per omnem vitam servirent impiis cupiditatibus, ac tum demum adhiberent adspersiunculam, cum jam amplius peccandi facultas non esset? Quod si tali baptismo similis est ista professio, præclare consultum est impie viventibus, ne pereant, hoc est, Satanæ vivant, Christo moriantur. TH. Imo si fas est aliquid ex Seraphicis mysteriis prodere,
E efficacior est illorum professio, quam baptismi. PH. Quid audio? TH. In baptismo tantum proluuntur crimina; restat anima pura, sed nuda: heic qui profitetur, statim ditatur totius ordinis egregiis meritis, nimirum insitus corpori sanctissimæ sodalitatis. PH. Itane qui per baptismum inseritur corpori Christi, nihil accipit, nec a capite, nec a corpore? TH. Nihil a Seraphica massa, nisi beneficentia aut favore promereatur. PH. Quis Angelus hoc istis revelavit? TH. Non Angelus, ô bone, sed ipse Christus ore proprio hoc aliaque permulta beato Francisco præsens præsenti patefecit. PH. Obsecro te per amicitiam nostram, atque obtestor, ne me graveris istis impartiri sermonibus. TH. Sunt recon-
F ditissima mysteria; nec fas est ea profanis communicare. PH. Qui profanis, amice? qui nulli unquam ordini melius voluerim quam Seraphico? TH. Sed interdum vellicas eos odiosius. PH. Hoc ipsum, Theotime, amoris argumentum est: cum eum ordinem nulli gravius lædant, quam qui sub illius um-

1 *Rudolphus Agricola*] De Agricola hoc ita Jovius: *Quis non te, Rudolphe Agricola, inusitato & plane portentoso conspirantium syderum concursu natum esse fateretur; si vim cœlestis tam varie radiosi luminis, non secus ac in astris cursum, certior disciplina deprehenderet? Hausisti enim Hebraicas Græcasque literas, usque adeo stupenda celeritate; ut nequaquam Grœningiæ in ultima Frisia; sed Hierosolymis Athenisque natus ac educatus a doctissimis crederere.* Heidelbergæ defunctus, habitu Franciscano terræ mandatus est anno 1485.

2 *Longolius*] Est hic Christophorus Longolius, de quo vide *Erasmum* in Ciceroniano.

umbra turpiter vivunt: quisquis optime vult ordini, necesse A est ut illius corruptoribus maxime succenseat. Th. At vereor ne Franciscum iratum habeam, si quid arcanorum effutiero. Ph. Quid mali metuis ab innocentissimo viro? Th. Quid? Ne me exoculet, aut ne mihi mentem adimat; quomodo multos tractasse dicitur, qui reclamarunt illius quinque vulnerum vestigiis. Ph. Itane divi pejores sunt in coelo, quam fuerint in terris? Audio Franciscum adeo fuisse miti ingenio, ut cum pueri per viam incedenti, caseum, lac, rudera & lapides immitterent in rusticanam cucullam a tergo pendentem, nihil offenderetur; sed hilaris incederet, & gaudens: & nunc factus est iracundus ac vindex? Alio die cum a socio audisset fur, sacrilegus, homicida, incestus, ebriosus, & quidquid criminum in scelerosissimum quem- B vis congeri potest, confractus egit gratias, confessus illum nihil esse mentitum. Miranti socio cur ita loqueretur; Hæc, inquit, omnia, & his sceleratiora patraram, nisi me numinis favor servasset. Unde igitur nunc factus est vindex? Th. Sic est: divi in coelo regnantes lædi nolunt. Quid Cornelio mitius? quid Antonio mansuetius? quid Joanne Baptista patientius, dum viverent? At nunc quam horrendos morbos immittunt, nisi legitime colantur! Ph. Citius crediderim illos adimere morbos, quam immittere. Sed quod mihi dixeris, nec profano commiseris, & tacituro credideris. Th. Age, tua fretus fide dicam, quod quidem ad hanc rem attinet. Obsecro te, Francisce, ut te tuisque sodalibus propitiis sit mihi fas audita loqui. Scis Paulo fuisse sapientiam C reconditam, quam non palam, sed occulte loquebatur inter perfectos. Sic habent & illi quædam arcana, quæ non evulgant apud quoslibet, sed beatis viduis, aliisque piis, & selectis, bene volentibus gregi Seraphico, privatim impartiunt. Ph. Exspecto 1 τριταγίας ἀποκαλύψεις. Th. Principio Dominus prædixit patriarchæ Seraphico futurum, ut quo grex Seraphicus magis increbresceret, hoc illi pabulum abundantius suppeditaret. Ph. Heic protinus ademta est omnis querela iis, qui dictitant, hoc hominum genere in dies increbrescente, gravari populum. Th. Deinde aperuit & hoc, quod quotannis, in die illi festo, omnes animæ non modo fratrum, qui sacrosanctum illum gestant habitum, verum etiam ordini bene cupientium, ac de ipsius so- D dalibus bene merentium, ab igni Purgatorio liberarentur. Ph. Tam familiariter Christus cum illo fabulabatur? Th. Quid ni? ut cum amico & sodali, quemadmodum Deus Pater fabulabatur cum Mose. Moses a Deo traditam legem tulit ad populum; Christus legem Euangelicam promulgavit; Franciscus legem suam Angeli manibus bis descriptam, tradidit Seraphicis fratribus. Ph. Exspecto tertiam apocalypsim. Th. Verebatur egregius ille patriarcha, ne bonum semen, quod seminatum erat, noctu vitiaret ille malus, & ita cum zizania revelleretur & triticum. Hunc scrupulum exemit illi Dominus, promittens illi, sibi curæ futurum ne deficeret semicalceatorum ac cinctorum fune populus, usque ad extremum judicii diem. Ph. O Domini E clementiam! alioqui fuerat actum de ecclesia Dei. Sed perge. Th. Quarto loco reseravit illud, quod nullus impie vivens diu perseverare posset in eo ordine. Ph. An non defecit ab ordine quisquis impie vivit? Th. Non: neque enim Christum statim abnegavit qui scelerate vivit; quanquam aliquo modo negant Deum, qui ore profitentes, factis negant. Sed quisquis abjicit sacrosanctum habitum, is irreparabiliter defecit ab ordine. Ph. Quid igitur dicemus de tot monasteriis conventualium, qui pecunias habent, qui potant, ludunt aleam, scortantur, & palam alunt domi concubinas, ne plura commemorem? Th. Franciscus nunquam gestavit vestem tali colore nimium fusco, nec usus est cingulo e lino candido confecto. Proinde illis, ubi pulsarint ostium, F dicetur: *Nescio vos: eo quod non habent vestem nuptialem.* Ph. Estne amplius? Th. Nihil adhuc audisti. Quinto loco patefecit illi, quod, qui male vellent ordini Seraphico, quales heu nimium multi sunt, nunquam pervenirent ad dimidium ætatis a Deo præfinitæ, nisi mortem anticipassent; sed omnes pessima morte quam ocyssime perituros. Ph. Vidimus istuc cum in aliis multis alias, tum nuper in 2 Matthæo Cardinale Sedunensi: de semicalceatis pessime & loquebatur, & sentiebat; periit prius quam, opinor, attingeret quinquagesimum annum. Th. Recte quidem dicis: sed ille læserat etiam Cherubicum ordinem. Nam hujus opera potissimum effectum prædicant, ut Bernæ quatuor illi Dominicani traderentur flammis, cum alioqui Pontificis animum pecunia fuerint expugnaturi. Ph. Sed ajunt illos prodigiosæ impietatis orsos fabulam. Fictis visionibus ac miraculis agebant, ut persuaderent, Virginem matrem fuisse contaminatam labe originali, divum Franciscum non habuisse vera Christi vulnerum vestigia, ea 3 verius habuisse Catharinam Senensem; sed perfectissima pollicebantur laico converso, quem ad hanc fabulam agendam subornaverant, & ad hanc imposturam abutebantur corpore Domini; postremo etiam fustibus, & venenis. Denique prædicant hanc telam non fuisse unius monasterii, sed totius ordinis procerum. Th. Utcunque ista habent, non temere dictum est a Deo, 4 *Nolite tangere christos meos.* Ph. Exspecto si quid superest. Th. Superest apocalypsis sexta, qua Dominus juravit illi futurum, ut fautores ordinis Seraphici, quantumvis impie viverent, tamen aliquando Domini misericordiam consequerentur, & sceleratam vitam beato fine clauderent. Ph. Etiamne si in adulterio deprehensi occiderentur? Th. Quod Dominus promisit, non potest non esse ratum. Ph. Sed quibus tandem rebus illi metiuntur favorem ac benevolentiam? Th. Oh, dubitas? qui dat, qui vestit, qui culinam instruit, jam dudum amat. Ph. Non amat qui monet? qui docet? Th. Hæc ipsis domi abundant, & hujus generis beneficia solent aliis largiri, non ab aliis accipere. Ph. Plus ergo Dominus promisit Francisci discipulis quam suis. Sibi quidem 5 patitur imputari, si quid ipsius respectu benefiat cuilibet Christiano; sed non promittit male viventibus vitam æternam. Th. Nec mirum, amice: nam extremus Euangelii vigor servatus est huic ordini. Sed audi jam septimam apocalypsin, eamque postremam. Ph. Heic sum. Th. Juravit illi Dominus, neminem male moriturum, qui in habitu Seraphico moreretur. Ph. At quid appellas male mori? Th. Is male moritur, cujus anima relicto corpore, recta defertur ad tartara, unde nulla est redemptio. Ph. Vestis igitur non liberat ab igni Purgatorio? Th. Non, nisi quis moriatur in ipso festo beati Francisci. Verum an tibi parum videtur; tutum esse a tartaro? Ph. Maximum ego quidem arbitror. Sed quid de his sentiendum, quibus jam mortuis induitur sacra vestis? Non enim in ea moriuntur. Th. Si vivi hoc petierunt, voluntas habetur pro facto. Ph. At ego, cum agerem Antverpiæ, adfui cum cæteris cognatis matronæ cuidam agenti animam; aderat Franciscanus, vir admodum venerabilis. Is ubi videt mulierem jam oscitantem, alterum brachium illius inseruit suæ vesti, sic ut etiam aliquam humeri partem tegeret. Ibi quidam dubitabant, utrum tota mulier esset tuta ab inferorum portis, an pars contecta. Th. Tota erat tuta, non aliter quam in baptismo pars hominis tingitur aqua, totus tamen Christianus redditur. Ph. Mirum, cacodæmones tantopere horrere vestem illam. Th. Magis horrent quam crucem Domini. Cum efferretur Eusebius, vidi (non solus tamen) agmina nigrorum dæmonum, muscarum instar, assultantium ad corpus, nullus tamen audebat attingere. Ph. At interim facies, manus, pedes erant in periculo, quippe nudi. Th. Ut serpentes nec umbram fraxini, licet porrectam longius, ferre possunt, ita dæmones virus illud sacræ vestis etiam procul sentiunt. Ph. Proinde non arbitror talia corpora putrescere, alioqui plus animi esset vermibus quam cacodæmonibus. Th. Verisimile narras. Ph. Quam fortunati pediculi qui in tam divina veste perpetuo vivunt! Cæterum cum vestis deferatur ad sepulchrum, quid est quod tuetur animam? Th. Vestis umbram secum defert; ea tutam reddit, adeo ut negent quemquam illius ordinis venire in Purgatorium ignem. Ph. Næ ego istam apocalypsim, si vera narras, pluris facio, quam illam Joannis! hæc enim expeditam

1 *Ter sanctas revelationes.*

2 *Matthæo Cardinale*] Erat hic apud Sedunum urbem humili patre genitus. In Italiam missus ad Latinam Italicamque linguam addiscendam, Comi sub Theodoro Lucino tantos progressus fecit, ut jam eruditione clarus, ad Sedunensem Episcopatum sit promotus. Cum autem suo ævo bellum inter Gallos & Julium Pontificem ingravesceret, hic Matthæus tantum effecit, ut Helvetiorum arma in Gallos incitaret. Quibus rebus non exiguum momenti Pontificiæ parti attulit. Itaque ut beneficium beneficio pensaret, asscivit illum in numerum Cardinalium. Mortuus Hadriani VI. anno primo.

3 *Verius habuisse Catharinam*] Totam hanc historiam de quatuor illis Dominicanis fuse tractat Johannes Stumpfius in Annalibus Helveticis.

4 *Nolite tangere christos meos*] Locus desumtus ex Psal. 105. v. 15.

5 *Patitur imputari*] Respicit ad locum Matth. 25. v. 40.

A ac facilem ostendit viam, qua cuivis liceat citra sudorem, citra molestiam, citra pœnitentiam, mortem æternam effugere, tota vita suaviter peracta in deliciis. TH. Assentior. PH. Jam igitur mirari desino, si plerique Seraphicis sodalibus plurimum tribuant: verum non queo satis admirari, non deesse qui non vereantur illis oppedere. TH. Nimirum istos scias, quotquot videris, traditos in reprobum sensum, suaque malitia excæcatos. PH. Posthac ero cautior; daboque operam ut in sacrosancta veste moriar. Verum exstiterunt hoc sæculo quidam qui docent, hominem sola fide justificari, nullo operum præsidio: maximum igitur privilegium sit, si vestis beet absque fide. TH. Non simpliciter absque fide, ne quid erres, Philecoë. Satis autem est credere, hæc quæ diximus esse promissa a Christo patriarchæ Francisco.
B PH. Vel Turcam igitur servabit vestis? TH. Vel ipsum Satanam, si se patiatur indui, & fidem habeat Apocalypsi. PH. Jam dudum me tuum fecisti: sed unum atque alterum scrupulum mihi cupiam per te eximi. TH. Dic. PH. Audivi, Franciscum, suum appellare institutum Euangelicum. TH. Verum. PH. Sed Euangelii regulam profitentur omnes Christiani, mea quidem sententia. Quod si istorum institutum est Euangelicum; oportet quotquot Christiani sunt, eosdem esse Franciscanos: & in his primas tenebit Christus cum Apostolis & sanctissima Matre. TH. Convinceres tu quidem, nisi Franciscus quædam addidisset Euangelio Christi. PH. Quæ? TH. Vestem cinericiam, funem canabeum, & pedes nudos. PH. Istis igitur notis dignoscimus Euangelicum a Franciscano? TH. Differunt & contactu
C pecuniæ. PH. Verum, ut audio, Franciscus recipi vetat, non attingi. Recipit autem vel dominus, vel procurator, vel creditor, vel hæres, vel mandatarius: & si numeret chirotheca munitus, nihilominus recepisse dicitur. Unde igitur hoc novum interpretamentum, ne recipiant, id est, ne contingant? TH. Sic interpretatus est Benedictus Pontifex. PH. At non ut Pontifex, verum ut Franciscanus. Alioqui nonne, qui sunt observantissimi, cum peregrinantur, excipiunt linteolo nummos? TH. Faciunt cum urget necessitas. PH. At mori satius est, quam violare regulam plusquam Euangelicam. Deinde nonne passim recipiunt per suos procuratores? TH. Quid ni? etiamsi dentur aliquot millia, id quod non raro accidit. PH. At regula dicit, [1] neque per se, neque per alios. TH. At non contingunt. PH. Ridiculum:
D Si contactus impius est, etiam per alios contingunt. TH. Verum non est illis cum procuratoribus actio. PH. Non est? Experiatur hoc qui velit. TH. Christus non legitur usquam contigisse pecuniam. PH. Esto: sed probabile est, Christum adolescentulum crebro parentibus suis emisse oleum, acetum, & olera. Sed extra controversiam Petrus & Paulus contrectarunt. Non est in contactus fuga laus pietatis, sed in contemtu. Vini contactus multo periculosior est quam pecuniæ; cur non horrent ibi periculum? TH. Quia Franciscus non prohibuit. PH. Nonne porrigunt manus suas otio molliculas, & pulchre lotas fœminis salutantibus; & nummo forte inspiciendi causa oblato, resiliunt, ac se muniunt signo crucis? papæ quam Euangelice! Et quidem puto
E Franciscum, licet omnis literaturæ rudem, non adeo desipuisse, ut vetuerit qualemcunque pecuniæ contactum. Et tametsi id sensit, quanto periculo suos exposuit, quos jussit nudis pedibus incedere? Vix enim vitari potest, quin aliquando imprudentes calcent nummum humi jacentem. TH. Verum non tangunt manibus. PH. An tactus non est sensus toti corpori communis? TH. Est; atque etiamsi quid tale usu veniat, non sacrificant nisi confessi. PH. Religiose. TH. Verum omissis cavillationibus, dicam id quod res est. Pecunia multis est, eritque maximorum malorum occasio. PH. Fateor: sed eadem aliis est multorum bonorum materia. Divitiarum amorem lego damnatum, pecuniam damnatam nusquam lego. TH. Recte dicis. Sed quo longius
F absint ab avaritiæ morbo, sic prohibitus est contactus, quemadmodum in Euangelio vetamur jurare, ne incidamus in perjurium. PH. Quin igitur vetitus est adspectus? TH. Quia facilius est continere manus, quam oculos. PH. Et tamen per illas fenestras ingressa est mors. TH. Et ideo qui germane Franciscani sunt, ultra supercilia deducunt cucullam, tectisque & in terram defixis oculis incedunt, ne quid videant præter viam: quod idem videmus in equis currus onustos trahentibus; utrinque corium capistro additum non sivit eos quidquam videre, nisi quod ante pedes est. PH. Verum age, dic mihi, estne hoc verum quod audio, in regula vetitum, ne quod indultum impetrent a Pontifice? TH. Est. PH. Atqui audio nullum hominum genus pluribus instructum indultis; adeo ut liceat illis homines ipsorum sententia damnatos, vel veneno necare, vel vivos defodere, citra ullum irregularitatis periculum. TH. Non est vana fabula quam audisti. Nam mihi narravit vir minime mendax Polonus, se obdormiisse potum in templo Franciscanorum, in his angulis in quibus sedent fœminæ per laminas foraminosas confitentes. Experrectus cantu nocturno, non ausus est se prodere. Decantatis ex more nocturnalibus, totus fratrum chorus descendit in ædem inferiorem: ibi erat parata fossa bene lata beneque profunda. Stabant duo juvenes revinctis a tergo manibus. Habita est concio de laude obedientiæ: promissa est apud Deum omnium commissorum venia. Nonnulla etiam spes injecta, fore ut Deus fratrum animos flecteret ad misericordiam, si sponte descenderent in foveam, seque supinos reponerent. Factum est; subductisque scalis, omnes simul injecere terram. PH. Sed siluitne interim ille spectator? TH. Maxime; tum quidem nimirum, metuens, ne si se prodidisset, tertius adderetur fossæ. PH. Etiamne hoc illis licet? TH. Licet, quoties periclitatur decus ordinis. Nam ille simulatque evasisset, passim in omnibus conviviis narrabat quæ viderat, magna Seraphicæ gentis invidia. Nonne præstiterat vivum sepeliri? PH. Fortasse. Verum his subtilitatibus omissis, qui fit, ut cum patriarcha jusserit incedi nudis pedibus, nunc maxime incedant calceis fenestratis? TH. Duabus de caussis præceptum hoc mitigatum est: altera est, ne per imprudentiam tangant pecuniam: altera, ne frigus lædat, aut spina, aut serpentes, aut silices, aut aliud simile, cum illis sit per universum terrarum orbem obambulandum. Cæterum ut id fiat inviolata regulæ majestate, fenestra calcei pedem nudum ostendit per synecdochen. PH. Prædicant se profiteri perfectionem Euangelicam, quam ajunt constare consiliis Euangelicis, de quibus inter eruditos magna digladiatio est. Et in unoquoque vitæ statu locus est perfectioni Euangelicæ. Sed quid omnium maxime perfectum tibi videtur inter Euangelii præcepta? TH. Arbitror totum illud quod prodidit Matthæus c. v. cujus hæc est clausula: *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui vos oderunt, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri qui est in cœlis, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos. Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est.* PH. Commode respondisti. Sed Pater ille dives est ac munificus in omnes, nec mendicat a quoquam. TH. Munifici sunt & illi, sed opum spiritualium, hoc est, precum & bonorum operum, quibus opulenti sunt. PH. Utinam sint inter illos exempla caritatis Euangelicæ, quæ maledicta benedictis, injuriam beneficio pensat. Quid sibi vult illa tam celebris Alexandri Pontificis vox, *Tutius esse Regem quemlibet potentem lædere, quam quemlibet ex ordine Franciscanorum aut Dominicanorum?* TH. Ordinis læsam dignitatem ulcisci fas est: & quod uni ex minimis male fit, fit toti ordini. PH. At cur non potius quod uni bene fit, fit toti ordini? Et cur non unus Christianus læsus, totum Christianismum ad vindictam provocat? Cur toties cæsus ac lapidatus Paulus non inclamavit suppetias adversus Apostolicæ dignitatis violatores? Jam si juxta Domini sententiam, *Beatius est dare quam accipere*, utique perfectior est, qui bene vivens ac docens de suo dat egentibus, quam qui tantum accipit. Alioqui frustra Paulus gloriatur, quod gratis prædicaverat Euangelium. Atque heic videtur esse præcipuum illius laudatæ addictionis experimentum, si conviciis impetiti non incandescant, si in male merentes, caritatis affectum obtineant. Quid magni est, si quis aliquid facultatum relinquat, de alieno victurus aliquanto lautius, cum sibi servet ulciscendi cupiditatem? Cinctorum fune, semicalceatorum, ubique est magna copia: hæc qui præstet quæ perfecta Dominus vocat, quæ Apostoli constanter exhibuerunt, inter istos nimium rara est avis. TH. Non ignoro quas fabulas impii quidam de illis spargant: sed ego sic affectus

1 *Neque per se*] Capite quarto Regulæ Francisci ita habetur: *Firmiter omnibus fratribus injungo ne vel per se vel per alios pecuniam recipiant:* attamen necessitati ægrorum & vestitui male vestitorum secundum regionis clima & anni tempestates prospicient Ministri, prout ipsa res postulare videbitur; id tamen illibate servandum, ne omnino, ut dictum, nummos recipiant.

ctus sum, ut ubicunque videro illam sacrosanctissimam vestem, putem adesse Angelos Dei: eamque domum esse felicem, cujus limen crebro teritur illorum pedibus. Ph. Et ego arbitror pauciores esse steriles feminas, ubi illi agunt familiariter. Sed mihi propitius sit Franciscus, Theotime, qui hactenus tanto in errore sim versatus. Existimabam istorum vestem nihil aliud esse quam vestem, nec per se meliorem veste nautæ, aut calcearii, nisi utentis sanctimonia commendaretur, quemadmodum Christi vestis contacta sanavit hæmorrhoissam. Alioqui dubitabam, utrum textor an vestiarius eam vim dedisset vesti. Th. Haud dubie, qui formam dat, dat vim. Ph. Posthac ergo vivam suavius, nec me macerabo metu inferorum, aut confessionis tædio, aut cruciatu pœnitentiæ.

AMICITIA.

Ephorinus, Joannes.

Ep. SÆpenumero mecum admirari soleo, quem Deum in consilium adhibuerit natura, cum in omni rerum genere misceret amicitias & inimicitias quasdam arcanas, nec ullis causis evidentibus probabiles, nisi quod hoc spectaculo videtur fuisse delectata, quemadmodum nos ex commissis inter se gallis gallinaceis & coturnicibus voluptatem capimus. Jo. Nondum satis percipio quid velis dicere. Ep. Dicam igitur, si vis, crassiore Minerva. Scis, serpentium genus esse inimicum homini. Jo. Scio vetus inter illos & nos esse dissidium & irreconciliabile, futurumque donec meminerimus illius inauspicati pomi. Ep. Nosti lacertam? Jo. Quid ni? Ep. Italia magnas habet & virides. Hoc animal natura & homini amicum est, & serpentibus inimicum. Jo. Unde hoc deprehenditur? Ep. Ubicunque prospicit homo, ibi congregantur lacertæ, obliquato capite diu contemplantes hominis faciem: si exspuas, elambunt salivam ore redditam: vidi & puerorum mictum exsorbentes. Quin & puerorum manibus tractantur impune, atque etiam læduntur, & admotæ ori gaudent salivam lambere. Cæterum si comprehensæ inter se committantur, dictu mirum quam in sese sæviant; nec appetunt committentem. Si quis agris ambulet per viam cavam, nunc hinc, nunc illinc strepitu dimoti rubi admonent hominem; insuetus crederet serpentem esse: ubi dispexeris, lacertæ sunt, obliquato capite contemplantes, donec consistas; si pergas, sequentes. Rursus aliud agentem admonent. Diceres eas ludere, vehementerque delectari hominis adspectu. Jo. Mira narras. Ep. Quodam die vidi prægrandem & mire viridem in ostio cavi decertantem cum serpente. Primum mirabamur quid esset rei: nam serpens nobis non erat conspicuus. Italus admonebat in antro esse hostem. Paulo post venit ad nos lacerta: velut ostendens sua vulnera, ac remedium flagitans, seque tantum non tangi patiebatur: quoties autem restabamus, restabat & illa, nos contemplans. Serpens alterum latus pene totum eroserat, & ex viridi rubrum fecerat. Jo. Mihi, si adfuissem, libuisset ulcisci lacertæ vicem. Ep. At hostis jam se in profundum antrum abdiderat: post aliquot tamen dies pavimus oculos nostros vindicta. Jo. Gaudeo profecto. Sed quo pacto? Ep. Forte inambulabamus per eundem locum: Serpens e fonte vicino biberat; erat enim æstus prodigiosus, adeo ut nos quoque aquæ inopia periclitaremur. Commodum occurrit ex agris puer natus annos tredecim, ejus domus filius, in qua tum metu pestilentiæ Bononia profugi, rusticabamur; gestans rastrum quo fœnum demessum converrunt agricolæ; simul ut serpentem vidit, exclamat. Jo. Metu fortasse. Ep. Nequaquam, imo gaudio, velut insultans deprehenso hosti. Ferit rastro; serpens se contrahit: ille non facit feriendi finem, donec contrito capite serpens in longum porrigitur; nam hoc non faciunt nisi morientes. Inde est, quem frequenter audisti, apologus de canero, qui serpentem hospitem occidit, ubi porrectum vidit; *Sic*, inquit, *vivum incedere oportuit*. Jo. O factum bene! Quid tum? Ep. Puer arreptum rastro suspendit e frutice supra antrum. Ibi diebus aliquot vidimus frondes sanie tinctas. Ejus ruris agricolæ pro comperto nobis aliud quiddam mirabile referebant. Agricolæ nonnunquam fessi obdormiunt in agro: atque illic interdum habent urceum lactis, in cibi simul & potus usum. Serpentes summopere lacte capiuntur. Itaque non raro fit, ut in vas illabantur. Ei malo paratum habent remedium. Jo. Quod? obsecro. Ep. Summum testæ os allio circumlinunt. Is odor deterret serpentes. Jo. Quid igitur sensit Horatius cum scriberet allium venenum esse [1] *cicutis nocentius*; cum sit, ut ais, adversus venena remedium? Ep. Sed audi quod est durius; interdum clanculum adrepentes in os patens dormientis conjiciunt sese, & in stomachum sese convolvunt. Jo. An non protinus exanimatur homo talem nactus hospitem? Ep. Non, sed afflictissime vivit, nec est ullum mali levamen, nisi ut lacte aliisque gratissimis serpenti cibis alant hospitem. Jo. Nihil remedii adversus tantum malum? Ep. Comesum affatim allium. Jo. Non mirum igitur, si messores gaudent allio. Ep. Et alias medetur delassatis labore & æstu. Verum in hoc discrimine non raro lacerta quamvis pusilla, servat hominem. Jo. Qui potest? Ep. Ubi sensit serpentem insidiari, circumcursat per collum & faciem hominis; nec finem facit, donec pruritu scalptuque unguium excitetur. Porro qui expergiscitur, conspecta in propinquo lacerta, mox intelligit hostem alicubi esse in insidiis, ac circumspiciens deprehendit. Jo. Mira naturæ vis. Ep. Jam nullum est animal inimicius homini quam crocodilus, qui sæpenumero totos homines devorat, & arte malitiam adjuvat, hausta aqua lubricans semitas, quibus descendunt ad Nilum aquam haustūri, quo collapsos devoret. Neque te fugit, delphinum, etiam in diverso elemento natum, [2] φιλάνθρωπον esse. Jo. Audivi fabulam de adamato puero celebrem, celebriorem autem de Arione. Ep. [3] Quin & in venatu [4] mugilum, piscatores delphinorum ministerio, vice canum utuntur, qui accepta prædæ portiuncula recedunt. Quin & castigari sese patiuntur, si quid in venatu deliquerint. In mari vero frequenter navigantibus apparent, gaudio gestientes, & in summis undis lusitantes: interdum adnantes ad navim, nonnunquam & tensa vela transilientes. Adeo delectantur hominum consuetudine. Verum ut hominum est studiosus delphinus, ita crocodilo capitalis est hostis. Egreditur mare, & in Nilum, in quo regnat crocodilus, audet venire, congressurus cum dentibus, unguibus & squamis ferro etiam impenetrabilibus armata bellua, ipse nec ad morsum satis instructus, quippe os habens ad pectus vergens. Sed impetu fertur in hostem, ac jam illi proximus repente submittit sese, erectisque in tergo pinnis mollia ventris perscindit, alias invulnerabili. Jo. Mirum est quodque animal statim agnoscere hostem suum, etiam nunquam antea visum; scireque & cur impetatur, & qua lædi aut sese tueri possit; cum hoc homini sit negatum, qui ne regulum quidem horreret, nisi admonitus, malove doctus. Ep. Scis equum animal obsequiis hominum natum. Huic capitale dissidium est cum urso, homini noxia bestia. Agnoscit hostem nunquam visum, ac protinus se parat ad pugnam. Jo. Quibus armis pugnat? Ep. Arte potius quam viribus. Transilit ursum, & in ipso saltu posteriores calces impingit in caput. Atque ursus interim unguibus scalpit equini ventris mollia. Aspis homini venenum est immedicabile; cum hac belligeratur ichneumon. Idem exitialis hostis crocodilo. Similis affectus est [5] elephantis erga hominem: nam & viatorem simpliciter errantem clementer reducunt in viam, & agnoscunt amantque doctorem suum. Feruntur & exempla devoti amoris erga certos homines: siquidem unus adamavit in Ægypto mulierculam corollas vendentem, Aristophani Grammatico caram. Alius Menandrum Syracusanum adolescentem sic amavit, ut desiderium illius, quoties non videret, inedia testatus sit. Sed ne hæc, quæ plurima commemorantur, referre pergamus, cum Bochus Rex in triginta quosdam sævire decrevisset, eos totidem elephantis objecit, stipitibus alligatos. Cumque immissi

1 *Epod. Od.* III.

2 *Amicum homini.*

3 *Quin & in venatu*] Hoc Plinius eodem capite in stagno *Laterna* appellato, Nemausiensis agri, in provincia Narbonensi, & in Tassico sinu fieri tradit. Oppianus quoque ἁλιευτικῶν postremo, hanc venandi cum Delphinibus consuetudinem describit, in Ægeo mari circa Eubœam. Quod autem Erasmus ait, *vice canum*, id quoque per similitudinis applicationem Oppianus:

—— ἅτ' ἄνδρασι θηρητῆρσιν
Θῆρα κύνες σεύοντες ἀμοιβαίῃς ὑλακῇσι.

Sic pisces ad terram, inquit, *pellunt delphines, tanquam ad viros venatores canes mutuis latratibus feram citant.*

4 *Mugil*] Seu capito, piscis. Vide *Plinium* H. N. Lib. IX. c. 8.

5 *Elephantis*] Hæc omnia de Elephantis tradit Plinius. Hist. Nat. Lib. VIII. c. 5. & alibi alia, quæ memorat *Erasmus*.

[A] essent qui inter elephantos procursantes eos lacesserent, nunquam efficere potuerunt, ut se regiae crudelitatis ministros praeberent. Atque huic animanti φιλανθρώπῳ bellum exitiale est cum draconibus Indicis, qui feruntur esse maximi, ut frequenter in pugna pereat uterque. Porro draco inimicus est homini, etiam non lacessitus. Simile dissidium est aquilae cum draconibus minoribus, cum homini sit innoxia, imo cum feratur etiam amatorios ignes sentire erga certas puellas. Eidem avi bellum internecinum est cum cyminde, id est, nocturno accipitre. Elephantus odit etiam murem, animal homini quoque molestum: eoque abhorret a pabulo, in quo murem conspexerit. Nec caussa liquet cur oderit. Nam hirudinem merito horrent, [B] quod ea in potu hausta gravissime discrucientur. Jam vix ullum animal amicius homini quam canis, nec inimicius quam lupus, ut quod adspectu quoque vocem adimat: & inter haec summa discordia est, quemadmodum ovium generi lupus infestissimus; quod totum pendet a providentia hominum, quorum praecipua cura est tueri animal innoxium, & alendo homini natum: in lupum vero velut in publicum humani generis hostem armantur omnes, praecipue canum commilitio: quae res etiam proverbio fecit locum, Non magis parcemus quam lupis. 1 Lepus marinus immedicabile est homini venenum, si quis imprudens gustaverit; at rursus hominis contactus mors est lepori. Panthera saeva est in hominem & tamen adeo [C] terretur ab hyaena, ut ne congredi quidem sustineat. Hinc narrant, si quis quid secum gestet de corio hyaenae, a panthera non appeti; tam sagax est naturae sensus. Addunt & illud, si pelles utriusque belluae suspendas invicem ex adverso, panthericae pilos defluere. Araneus homini domesticum est animal, 2 exitiale vero serpenti, adeo ut forte conspicatus sub arbore serpentem apricantem, filo se libret, & aculeum mediae infigat fronti, tam acri vulnere, ut serpens, dolore rotans sese in gyrum, tandem emoriatur. Accepi ab iis qui spectarunt, simile dissidium esse araneo cum buffonibus; sed buffonem ictum, sibi plantagine admorsa mederi. Audies fabulam Britannicam. Scis illic conclavium solum [D] consterni scirpis virentibus. Monachus quidam fasciculos aliquot scirporum in cubiculum congesserat, sparsurus cum esset commodum. Is cum a prandio supinus dormiret, buffo ingens erepsit, & os dormientis obsedit, infixis superno atque inferno labro quatuor pedibus. Detrahere buffonem certa mors erat; non amoveri, quiddam erat morte crudelius. Quidam suaserunt ut monachus ad fenestram deferretur supinus, in qua ingens araneus habebat telam. Factum est. Mox araneus hoste conspecto, filo se librat, & buffoni spiculum infigit, ac filo se recipit in telam. Intumuit buffo, sed non est avulsus. Repetitur ab araneo: magis intumuit, sed vixit. Tertio ictus abduxit pedes ac mortuus decidit. Hanc gratiam araneus retulit hospiti suo. Jo. [E] Mira narras. Ep. Addam quod non legi, sed his oculis conspexi. Simius supra modum horret testudinem. Hujus rei quidam dedit nobis specimen Romae. Puero suo in verticem imposuit testudinem, & pileo contexit; dein produxit ad simium. Illico simius gaudens insiliit in humeros pueri, venaturus pediculos: sublato pileo reperit testudinem. Mirum erat spectaculum quanto cum horrore resilierit bestia, quam expaverit, quam timide respexerit, an sequeretur testudo. Additum est aliud specimen: alligavimus testudinem catenae a qua revinctus erat simius, ut effugere non posset, quin saltem adspiceret: incredibile dictu, quantopere fuerit discruciatus; tantum non metu exanimabatur; interdum aversus posterioribus pedibus, depellere tentavit [F] haerentem bestiam. Tandem quidquid erat in alvo aut vesica oneris rejecit. Sequuta est ex eo pavore febris, ut nobis fuerit solvendus e catena, & aqua vino temperata refocillandus. Jo. Atqui nihil est quod sibi a testudine metuat simius. Ep. Fortassis aliquid est quod nos fugit, naturae cognitum. Nam cur acanthis oderit asinum, causa in promtu est, quod ille se affricat spinis, in quibus nidulatur avicula, & flores ejus depascitur. Tantus autem terror habet acanthidem, ut si quando procul asinum rudentem audiat, ova dejiciat, pulli e nido decidant metu. Nec patitur hostem impunem. Jo. Sed qua tandem in re acanthis laedit asinum? Ep. 3 Rostro fodit illius ulcera, fustibus & oneribus facta; pungit & mollia narium. Potest item aliquid caussae divinari, cur inter vulpes & milvios mutua sit simultas, quod avis rapax alterius catulis insidietur, fortasse vulpes vicissim illius pullis: quae causa dissidii est inter sorices, & ardeolas. Eadem fere ratio est inter aesalon parvam aviculam & vulpem. Nam aesalon ova corvorum frangit. Eadem infestatur a vulpibus, & vicissim illas infestat, catulos earum vellicans. Quod ubi viderint corvi, vulpibus velut adversus communem hostem suppetias ferunt. At vix divinare liceat, quam ob causam inter se oderint olores & aquilae, corvus & chlorio, cornix & noctua, aquila & trochilus, nisi hoc male habet aquilam, quod ille rex avium vocetur. Cur male convenit cum noctua caeteris minoribus avibus, mustelae cum cornice, 4 turturi cum pyrali, ichneumonibus vespis cum phalangiis araneis, anatibus cum gaviis, harpae cum triorchye accipitre, thoibus cum leonibus? Praeterea cur sorices formicosam horreant arborem? Unde tam irreconciliabile bellum inter scarabeum & aquilam? nam apologus ex ipsa animantium natura confictus est. Unde est quod juxta Olynthum in certo terrae spacio non vivant scarabei, si inferantur? Et inter aquatilia quam ob causam mugil & lupus mutuo odio flagrant, sicut conger & muraena, caudas inter se praerodentes? Polypum in tantum horret locusta piscis, ut si eum juxta viderit, metu emoriatur. Sic quaedam animantia mire junxit arcanus quidam benevolentiae affectus; veluti pavones columbis, turtures cum psittacis, merulas cum turdis, cornices cum ardeolis, qui sibi vicissim auxiliantur adversus vulpium genus; harpam & milvium adversus triorchyn accipitris genus, communem hostem. Balaenis musculus piscis exiguus praenatans monstrat viam; nec apparet quam ob rem illi velit inservire. Nam quod 5 crocodilus fauces porrigit trochilo aviculae, amicitia dici non potest, cum utrumque animal suo ducatur commodo: crocodilus gaudet sibi purgari dentes, & scabendi voluptatem amplectitur: avicula cibum quaerit, vescens piscium reliquiis inter dentes haerentibus. Consimili ratione corvus inequitat dorso suis. 6 Inter anthum & aegythum tam pertinax est odium, ut negent sanguinem illorum posse misceri; quemadmodum narrant aliarum avium pennas absumi, si aquilinis misceantur. Accipiter est infestus columbino generi, sed has defendit tinnunculus avicula; cujus conspectum & vocem mirum in modum horret accipiter; nec hoc latet columbas: 7 ubicunque tinnunculus reconditus est, ab ea sede non migrant, fiducia protectoris. Quis causam conjiciat, cur aut bene velit generi columbino tinnunculus, aut cur tinnunculum horreat accipiter? Atque ut interdum animalculum minimum praesidio est ingenti belluae, ita contra a minutissimis exitium est maximis. Est pisciculus scorpii effigie, magnitudine aranei piscis: is sub pinna affigit sese aculeo thynnis interdum magnitudinem delphini superantibus, tanto dolore, ut nonnunquam in naves insiliant: idem facit mugilibus. Quid est cur leo, animal cunctis tremendum, 8 expavescat

1 *Lepus marinus*] Hoc Plinius tradit lib. 32. cap. 1. De Pantheris & Hyaenis eadem docet.

2 *Exitiale vero*] Hoc ipsum Plinius scribit l. 10. c. 24.

3 *Rostro fodit*] Id Plinius lib. x. c. 74. Aegytho avi adscribit; *Asinus,* inquit, *spinetis se scabendi causa atterens, nidos Aegythi dissipat, quod illa adeo pavet, ut voce omnino rudentis audita, ova ejiciat, pulli ipsi metu cadant. Igitur advolans, ulcera ejus rostro excavat.* Deinde testatur & acanthida ea de causa asino inimicam.

4 *Turturi cum pyrali*] De his omnibus lege Plinium lib. 10. cap. 74.

5 *Crocodilus*] Lege Ammianum l. 22. Diodorum Siculum, & Aristotelem lib. 1. cap. 6. histor.

6 *Inter anthum & aegythum*] Vide de Anthi & Aegythi sanguine Plinium, & de sequentibus quoque.

7 *Ubicunque tinnunculus*] Hanc rem ita Columella lib. 1. tradidit. *Tam fastidiosa columba est, ut saepe sedes suas perosa, si detur evolandi potestas, relinquat: quod frequenter in his regionibus, ubi liberos habens egressus, accidere solet. Id ne fiat, vetus est Democriti praeceptum. Genus accipitris* tinnunculum *vocant rustici, qui fere in aedificiis nidos facit. Ejus pulli singuli fictilibus ollis conduntur, stipatisque opercula superponuntur, & gypso lita vasa in angulis columbarii suspenduntur, quae res avibus amorem loci sic conciliat, ne unquam deserant.*

8 *Expavescat galli cantum*] Hoc Plinius habet, & Plutarchus in commentario de differentia inter odium & invidiam. Divus Ambrosius libro sexto cap. 4. Hexameron, dicit utique, quod leo vereatur gallum, sed praecipue album. *Lucretius* quoque Poeta dum causam hujus odii investigat, ita canit libro quarto:

Quin etiam gallum nocte explaudentibus alis
Auroram clara consuetum nocte vocare,
Quem nequeunt rapidi contra constare leones
Inque tueri: ita continuo meminere fugai.
Nimirum quia sunt gallorum in corpore quaedam

Sem

vescat galli gallinacei cantum? Jo. Ne sim in hoc convivio prorsus asymbolus, referam quod olim his oculis vidi in ædibus Thomæ Mori, clarissimi apud Anglos viri. Alebat domi simium prægrandem: tum forte, quo revalesceret a vulnere, solutus obambulare sinebatur. In extremo horti erant inclusi cuniculi, quibus insidiabatur mustela. Id simius procul quietus & otiosus spectabat, donec videret cuniculis nihil esse periculi. Cæterum posteaquam mustela labefactasset caveam a muro revulsam: jamque periculum esset, ne cuniculi a tergo nudati prædæ essent hosti; accurrit simius, & conscensa trabe quadam, caveam retraxit in locum pristinum, tanta arte, ut homo non posset dexterius. Ex quo perspicuum, hoc animantium genus simiis esse carum. Ipsi cuniculi non intelligebant suum periculum; sed hostem suum per cancellos osculabantur. Simius opitulatus est periclitanti simplicitati. Ep. Omnibus catulis minoribus delectantur simii, gaudentque fovere sinu & complecti. Sed pius ille simius dignus erat aliquo pietatis præmio. Jo. Habuit. Ep. Quod? Jo. Reperit illic frustum panis a pueris, ut opinor projectum: id arreptum comedit. Ep. Verum mihi videtur mirabilius, hoc genus sympathias & antipathias, sic enim Græci vocant amicitiæ & inimicitiæ naturales affectus, etiam in rebus anima aut certe sensu carentibus deprehendi. Omitto jam dicere de fraxino, cujus nec umbram quamvis in longum porrectam ferunt serpentes: adeo ut 1 si locum in gyrum circumdes igni, serpens citius in flammam eat, quam ad arborem fugiat. Nam hujus generis exempla sunt innumera. 2 Erucæ cum membranis inclusæ, occulto naturæ opificio transfigurantur in papiliones, mortuis simillimæ videntur, nec ad contactum quidem sese movent, nisi transeunte araneo: hominis prementis digitum non sentiunt, & sentiunt levissimi animantis leviter incedentis pedes; ibi demum vivit. Jo. Sentit hostem capitalem nondum natum insectum. Isti non omnino dissimile est quod narrant de ferro cæsis; ad quos si cæteri accedant, nihil accidere novi; sin is qui necavit, continuo profluere sanguinem, velut ex recenti vulnere: atque hoc indicio ferunt frequenter proditum cædis auctorem. Ep. Nec est vanum quod audisti. Sed ne persequamur fabulas Democriticas, nonne comperimus experimentis, tantum esse dissensionis inter 3 quercum & oleam, ut utraque in alterius scrobe posita emoriatur? quercui autem tam male convenire cum juglande, ut in propinquo posita exstinguatur; tametsi juglans cunctis fere satis & arboribus noxia est. Rursus cum vitis claviculis suis omnia complecti soleat, solam brassicam refugit, & perinde quasi sentiat, in diversam partem sese vertit. Quis admonet vitem, hostem esse in propinquo? Est enim brassicæ succus vino contrarius; eoque solet edi adversus ebrietatem. Nec deest brassicæ suus hostis; siquidem opposita cyclamino & origano exarescit. Similis affectus est inter cicutam & vinum; cicuta homini venenum est; cicutæ vinum. Quod est illud arcanum commercium inter lilium & allium, ut in propinquo nascentia mutuo sibi gratificentur? Nam allio plus est vigoris, & lilii flores suavius olent. Quid heic memorem de conjugiis arborum, quarum fœminæ sterilescunt, nisi in propinquo sit mascula? Oleum soli calci miscetur, cum utraque res pariter oderit aquam. Pix attrahit oleum, cum utrumque sit pingue. Argento vivo innatant omnia, excepto auro. Id solum ad se trahit & complectitur. Quis ille naturæ sensus, ut adamas, quamlibet duris resistens, sanguine hircino mollescat? Quin & inter ipsa venena dissidia videas. Scorpius si forte repat per aconitum, pallescit ac torpescit. Eidem adeo noxia est herba, cui nomen cerastis, ut qui semen modo ejus tractarit digitis, impune contrectet scorpium. Sed harum rerum, quæ sunt innumeræ, consideratio, ad rei medicæ professores pertinet. Quænam est illa vis vel amicitiæ, vel dissidii, inter chalybem & magnetem, ut materia natura gravis ad lapidem currat, & inhæreat, velut osculo, & ab eodem citra contactum refugiat? Jam cum aqua se facile misceat rebus omnibus, maxime sibi, tamen sunt, quæ tanquam odio mutuo mixturam refugiunt; velut amnis qui in Fucinum lacum invectus supermeat, in Larium Addua, in Verbanum Ticinus, in Benacum Mincius, in Sevinum Ollius, in Lemanum Rhodanus; e quibus nonnulli multorum millium transitu hospitales suas aquas tantum, nec largiores, quam intulere, evehunt. Tigris influit in lacum Arethusam, ac per eum velut hospes fertur, sic, ut nec color, nec pisces, nec aquarum natura misceatur. Ad hæc cum cætera fere flumina properent in mare procurrere, quædam tamen velut exosa mare, prius quam eo perveniant, abdunt sese in terram. Simile quiddam videmus & in ventis. Auster homini pestilens est, huic contrarius Boreas salubris; alter nubes contrahit, alter dissipat. Jam, si qua fides Astrologis, sunt & sideribus quidam amicitiæ & inimicitiæ affectus; quædam amica homini, quædam infesta; rursus sunt quæ homini adversus nocentium vim opitulantur. Adeo nihil est in ulla naturæ parte, quod non per hæc dissidia, concordiasque, & noxam, & remedium homini suppeditet. Jo. Fortasse & ultra cœlos quidquam deprehendere liceat. Etenim si Magis credimus, unumquemque mortalium duo comitantur genii, alter amicus, alter malevolus. Ep. Nobis, amice, satis est ad cœlum usque pervenisse, etiam si non hoc quoque septum transiliamus. Redeamus ad boves & equos. Jo. Næ tu præclarum facis saltum. Ep. Illud nobis magis admirandum est, quod in eadem prorsus animantium specie deprehendamus amoris & odii vestigia, nulla evidente causa. Sic enim nobis persuadere conantur equisones & bubulci: in iisdem pascuis, aut eodem in stabulo, bos bovem, equus equum gaudet habere vicinum, qui alium non ferat. Equidem arbitror similes esse affectus in omni animantium genere, præter sexus favorem. Sed in nullo genere evidentius quam in homine. Siquidem in plurimis manifestum est, quod de suo in Volusium affectu profitetur Catullus: *Non amo te Volusi, nec possum dicere quare: Hoc tantum possum dicere, Non amo te.* Verum in adultis fortasse divinet alius aliam caussam: in pueris, qui solo naturæ sensu ducuntur, quid est illud, quod sic hunc illi tanto amore conciliat, rursus alium ab hoc tanto dissidio separat? Ipse quum puer essem, natus annos plus minus octo, incidi in quendam meæ ætatis, aut fortassis anno majorem, prodigiosæ vanitatis, adeo ut ad omnem occasionem ex tempore, monstrosa quædam confingeret. Occurrebat mulier; *Vides*, inquit, *hanc?* Video. *Cum hac decies concubui.* Transibamus ponticulum angustum juxta molam; ubi vidit me horrescentem ad conspectum aquæ ob profunditatem nigrantis: *In hanc*, inquit, *aquam aliquando prolapsus sum.* Quid ais? *illic reperi cadaver hominis, accinctum crumena; in ea erant annuli tres.* Quum nullus esset mentiendi finis, sic puer horrui puerum, ut viperam minus, nulla certa ratione, cum talibus mendaciis alii delectarentur, sed tantum arcano naturæ sensu. Neque vero id fuit temporarium: imo & hodie sic horreo natura vanos, ut conspectis illis sentiam totum corporis habitum commoveri. Tale quiddam in Achille notat 4 Homerus, quum profitetur mendaces sibi æque odiosos atque ipsas inferorum portas. Hoc ingenio quum natus sim, tamen hoc contra fato natus videor, ut per omnem vitam mihi cum mendacibus & impostoribus fuerit res. Jo. At nondum video scopum, quo totus hic sermo confertur. Ep. Expediam paucis. Sunt qui felicitatem petant a magicis artibus; sunt qui ab astris: ego nullam certiorem ad felicitatem viam arbitror inveniri posse, quam si quisque abstineat ab eo vitæ genere, a quo naturæ sensu tacito abhorret; ad id se conferat, quo propensus est: semper excludo turpia. Item ab eorum consuetudine se subducat, cum quorum geniis sentit suo genio non convenire; & his se copulet, ad quos arcano naturæ fertur affectu. Jo. Id si fiat, inter paucos erit amicitia. Ep. Christiana caritas se dilatat ad universos, familiaritas autem cum paucis habenda est. Et qui nullum quamvis malum lædit, gavisurus etiam si resipiscat, satis, opinor, Christiane diligit omnes.

PRO-

Semina, quæ cum sunt oculis immissa leonum,
Pupillas interfodiunt, acremque dolorem
Præbent, ut nequeant contra durare feroces.

Et sunt qui scribunt, quos jure gallinaceorum perfuderis, hos a leonibus morsu non appeti.

1 *Si locum circumdes*] Hoc *Plinius* se expertum dicit, lib. XVI. c. 12.

2 *Erucæ*] Auctor est Plinius libro XI. cap. 32.

3 *Quercum & oleam*] De his omnibus sequentibus recurre ad indices Plinii.

4 *Homerus*] Versus Homeri sunt *Iliados* I.
Ἐχθρὸς γάρ μοι κεῖνος ὁμῶς ἀΐδαο πύλῃσιν,
Ὅς χ' ἕτερον μὲν κεύθει ἐνὶ φρεσίν, ἄλλο δὲ βάζει.
Non aliter flagrans odio est mihi janua Ditis,
Atque hi qui celant aliud quam lingua loquatur.

PROBLEMA.

CURIO, ALPHIUS.

Cv. Lubens ex te rerum plurimarum perito, discerem quiddam, si tibi non sit molestum. Al. Age, Curio, percunctare quod voles, ne non respondeas tuo nomini. Cv. Equidem non gravabor dici Curio, modo ne addas animal illud monosyllabum, Veneri juxta ac Minervæ invisum. Al. Dic igitur quid velis. Cv. Scire cupio quid sit, quod appellamus *grave* & *leve*. Al. Eadem opera roga, quid sit *frigidum* & *calidum*. Quin tu istuc problema bajulis proponis potius, quam mihi; aut, si mavis, asinis, qui gravitatem oneris demissis auriculis indicant. Cv. At ego non asininam, sed philosophicam responsionem exspecto; præsertim ab Alphio. Al. *Grave est, quod suapte natura fertur deorsum; leve, quod sursum.* Cv. Cur igitur Antipodes, qui infra nos sunt, non decidunt in subjectum coelum? Al. Pariter illi mirantur, quam ob rem tu non decidas in coelum, non subjectum, sed imminens. Coelum enim est supra omnia, quæ intus complectitur, nec Antipodes sunt infra te, nihilo magis, quam tu supra illos: contra nos esse possunt, infra nos non possunt; alioqui justius admirareris, cur rupes, quas sustinet Antipodum terra, non decidant, coelumque perrumpant. Cv. Quæ est igitur nativa sedes gravium, quæ contra levium? Al. Ad terram nativo motu deferuntur omnia gravia, ad coelum levia. De motu violento aut animali jam non loquimur. Cv. Est igitur motus aliquis, qui dicitur *animalis?* Al. Est. Cv. Quinam? Al. Is fertur juxta quatuor corporis situs; prorsum, retrorsum, ad dextram ac lævam, & in circulum: & in principio ac fine celerior est, in medio lentior; nam in initio vigor addit alacritatem, in fine propinquo spes perveniendi quo tendit animal. Cv. Nescio quid aliis accidat animalibus; sed habeo famulam, quæ lassa est prius quam incipit, delassata prius quam opus absolvat. Verum redi ad id quod agere coepisti. Al. Nativo, inquam, motu, quæ gravia sunt, feruntur deorsum. Et quo quidque gravius est, hoc celeriore motu fertur ad terram, quo levius, hoc majore impetu rapitur in coelum. Contra fit in motu violento, qui celerior in initio, paullatim segnescit; quum contra fiat in motu naturali; veluti sagitta in altum missa, & saxum ex alto decidens. Cv. Atqui ego putabam, homines sic per orbem terræ discurrere, quemadmodum minutissimæ formicæ cursitant in prægrandi sphæra, hærent undique, nec ulla decidit. Al. In causa sunt, sphæræ superficies nonnihil habens asperum, tum scabrities quædam in formicarum pedibus, quam habent insecta fere omnia, postremo corpusculorum levitas: id si non credis, fac sphæram vitream bene lævem & glabram, videbis solas formicas non decidere quæ in summo versantur orbe. Cv. Si quis Deus orbem terræ medium perterebret, hinc usque ad Antipodes perpendiculo per centrum demisso, quemadmodum solent Cosmographi, terræ totius situm in globis ligneis repræsentantes, tum si saxum conjicias in foramen, quo perferetur? Al. Usque ad terræ centrum; ibi quies est omnium gravium. Cv. Quid si Antipodes quoque ex adverso mittant lapidem? Al. Tunc lapis occurret lapidi circa centrum: ibi conquiescet uterque. Cv. Age; si verum est, quod dixisti, motum nativum progressu magis ac magis incitari, si nihil obstet; lapis aut plumbum conjectum in foramen, ob motus vehementiam prætercurret centrum, jamque prætermisso centro, rursum motus erit violentus. Al. Plumbum nunquam perveniret ad centrum, nisi liquefactum; sed lapis si prætereat centrum motu tam violento, primum segnius feretur, nec aliter redibit ad centrum, quam lapis vi in altum projectus redit in terram. Cv. Sed recurrens nativo motu, rursus concitato impetu prætervehetur centrum: itaque fiet, ut nunquam quiescat lapis. Al. Conquiescet tandem, prætercurrens, ac recurrens, donec perventum fuerit ad æquilibrium. Cv. At si nihil est in rerum natura vacuum, oportet foramen illud aëre plenum esse. Al. Esto. Cv. Pendebit igitur in aëre corpus natura grave. Al. Quid ni? quemadmodum chalybs in aëre pendet, undique librantibus magnetibus. Quid autem prodigii, si unicum saxum pendeat in meditullio aëris, cum tota terra tot rupibus onusta ad istum pendeat modum? Cv. Sed ubi est terræ centrum? Al. Ubi

A est circuli centrum? Cv. Id quidem est punctum indivisibile. Si tantillum est terræ centrum, quisquis perforaverit mediam terram, auferet centrum, nec habebunt gravia quo ferantur. Al. Næ tu satis otiose nugaris. Cv. Ne quæso succenseas: discendi studio loquor quidquid loquor. Si quis terræ sphæram perterebret, non per ipsum centrum, sed a latere, puta ut absit a centro centum stadiis; quo tum feretur conjectus lapis? Al. Non feretur recta per foramen; imo potius recta, sed ad centrum: itaque prius, quam perveniet ad medium, jam conquiescet in terra quæ ad lævam est, si centrum est ad lævam. Cv. Sed quid est hoc quod reddit corpus grave aut leve? Al. Ad istuc respondeat tibi Deus, cur ignem fecerit omnium levissimum, aërem proxima levitate, terram gravissimam, proxima B gravitate aquam. Cv. Cur igitur nubes aqueæ pendent in sublimi aëre? Al. Quoniam a sole attrahente concipiunt naturam igneam, quemadmodum fumus e lignis humentibus violento calore excussus. Cv. Cur igitur tanto pondere decidunt, ut interdum montes in planitiem redigant? Al. Concretio densitasque addit pondus; alioqui possunt sic videri sustineri ab aëre subjecto, quemadmodum tenuis ferri lamina sustinetur summa aqua. Cv. Sic igitur putas, quod plurimum habet igneæ naturæ, esse levissimum, quod terrenæ, gravissimum. Al. Haud procul abes a scopo. Cv. Atqui nec quivis aër pariter levis est, nec quævis terra C pariter gravis: idem de aqua fortasse sentiendum. Al. Nec mirum, cum ista quæ nominasti, non sint elementa pura, sed ex variis elementis temperata. Itaque probabile est, eam terram esse levissimam, quæ plurimum habet ignis aut aëris admixtum: eam aquam esse gravissimam, quæ graviorem terram habet admixtam; qualem arbitror esse marinam, & eam unde conficitur sal: itidem aër aquæ terræve proximus, gravior est, aut certe minus levis est eo, qui procul abest a terra. Cv. Utrum habet plus terrenæ naturæ, lapis, an plumbum? Lapis. Cv. Et tamen plumbum lapide gravius est, pro ratione proportionis. Al. In caussa est densitas: lapis enim rarior est, eoque plus habet aëris, quam plumbum. Hinc est quod videmus quoddam terræ genus desiccatum, si conjiciatur in aquam, non subsidere, sed natare: eadem de causa videmus totos [1] agros natantes: sustinentur enim cavis radicibus arundinum aliarumque D palustrium herbarum inter se connexis. Cv. Hinc fortassis & pumicum levitas. Al. Quia pleni cavernis sunt, præterea multo igni decocti: submittuntur enim e locis ardentibus. Cv. Unde tanta suberis levitas? Al. Jam dictum est; raritas enim in causa est. Cv. Utrum est gravius, plumbum, an aurum? Al. Aurum, opinor. Cv. Aurum tamen videtur habere plus igneæ naturæ. Al. Quia noctu velut ignis lucet, [2] ut ait Pindarus? Cv. Scilicet. Al. Sed densitas in auro major. Cv. Unde id deprehenditur? Al. Respondebunt aurifices, nec argentum, nec plumbum, nec æs Cyprium, nec ullum simile genus latius diducitur malleo, quam aurum. Eadem ratione Philosophi deprehenderunt nihil esse liquidius melle & oleo: quod si quis hæc inun- E ctione dilatet, & latissime diffunditur humor, & siccescit serius. Cv. Sed utrum gravius est, oleum, an aqua? Al. Si de oleo lini loqueris, arbitror oleum esse gravius. Cv. Cur igitur aquæ supernatat oleum? Al. Levitas non est in causa, sed ignea olei natura, tum peculiaris omnium pinguium vis ab aqua abhorrens, quæ est in herba quæ dicitur [3] ἄβαπτος. Cv. Cur igitur non natat ferrum igni candens? Al. Quia non est ei calor nativus; & ideo citius penetrat aquam, quod caloris magnitudo dispellat obstantem liquorem. Sic cuneus ferreus citius petit ima, quam lamina. Cv. Utrum intolerabilius est, ferrum candens, an frigidum? Al. Candens. Cv. Gravius igitur. Al. Est, si commodius est F gestare manu paleam incensam, quam silicem frigidum. Cv. Quid est in causa, quod lignum ligno levius aut gravius

1 *Agros natantes*] Narrat id Plinius: *Quædam insulæ*, ait, *semper fluctuant, sicut in agro Cæcubo, & eodem Reatino, Mutiensi, Statoniensi. In Vadimonis lacu & ad Cutilias aquas sylva, quæ nunquam die & noctu eodem loco visitur. In Lydia quæ vocantur* Calaminæ *non ventis solum, sed etiam contis quo libeat impulsæ. In Tarquiniensi lacu magno Italiæ duo nemora circumferunt, nunc triquetram figuram edentes, nunc rotundam, quadratam nunquam.* Lib. 11. c. 95.

2 *Ut ait Pindarus*] In primo hymno Olympiorum: Ὁ δὲ χρυσὸς, αἰθόμενον πῦρ ἅτε διαπρέπει νυκτὶ, μεγάνορος ἔξοχα πλούτου; hoc est, *Aurum vero tanquam lucidus ignis nocte splendet inter præcipua divitiarum.*

3 *Ἄβαπτος*] Id est, quæ immergi aquæ non potest.

vius est? Al. Densitas ac raritas. Cv. At ipse novi quendam e familia Regis Britanniæ, qui in convivio ostendit nobis lignum ejus, ut ajebat, arboris quæ fert aloën: adeo solidum erat, ut lapis videri posset: adeo manibus libranti leve, ut arundo videri posset, & si quid sicca arundine levius: impositum vino (putabat enim ita depelli venena) mox properabat ad fundum, ut vix plumbum celerius. Al. Nec densitas, nec raritas semper in causa est, sed peculiaris & occulta in rebus cognatio, quæ facit ut quædam sese amplectantur, aut refugiant, veluti magnes attrahit chalybem, vitis refugit brassicam, & flamma etiam e longinquo ad naphtham transvolat, aliquanto inferiore loco positam, cum naphtha sit natura gravis, flamma levis. Cv. Omne genus æris innatat argento vivo, solum aurum subsidit & circumvolvitur, cum argentum vivum sit materia liquidissima. Al. Non habeo quod respondeam, nisi peculiarem naturæ cognationem: ad hoc enim natum est argentum vivum, ut purget aurum. Cv. Cur Arethusa fluvius subter mare Sicanum transit, ac non potius innatat; cum antea dixeris marinam aquam fluviatili esse graviorem? Al. Naturale dissidium est in causa, sed arcanum. Cv. Cur natant cygni, cum homines eandem aquam ingressi pessum eant? Al. In causa est non tantum pennarum concavitas levitasque, verum etiam siccitas, quam aqua refugit: hinc est quod in panno linove vehementer sicco, si ponas aquam aut vinum, in globum se contrahit; sin in humidum, mox spargitur. Itidem si infundas liquorem in cyathum siccum, aut marginibus pingui oblitis, & infundas aliquanto plus, quam cyathus capit, liquor circa medium citius colligit sese in rotundum, quam transeat margines. Cv. Cur in fluminibus naves minus sustinent oneris, quam in mari? Al. Quia subtilior est fluviatilis aqua. Eadem de caussa volucres facilius sese librant in aëre crassiore, quam vehementer subtili. Cv. Cur non subsidunt flotæ? Al. Quoniam cutis sole desiccata & levior facta est, & humorem respuens. Cv. Cur ferrum diductum in amplam laminam natat, cum idem contractum sidat? Al. Partim siccitas est in causa, partim aër inter aquam & laminam mixtus. Cv. Utra res gravior, aqua an vinum? Al. Arbitror vinum non cedere aquæ. Cv. Quam ob rem ergo qui ab œnopolis emunt vinum, aquam pro vino reperiunt in imo dolio? Al. Quia vinum habet pingue quiddam, quod aquæ refugit liquorem, non aliter quam oleum. Argumentum in promptu est: Quo vinum est generosius, hoc & difficilius admiscetur aquæ, & incensum ardet vehementius. Cv. Cur in Asphaltite lacu nullum corpus animalis vivum mergitur? Al. Non est meum, ad omnia naturæ miracula respondere. Habet illa quædam arcana, quæ nos mirari voluit, scire noluit. Cv. Cur homo macilentus obeso gravior est, si cætera sint paria? Al. Quoniam ossa densiora sunt carne, & ideo graviora. Cv. Cur idem homo jejunus gravior est seipso pranso, cum corpori onus accesserit? Al. Cibo potuque spiritus augentur, & ii addunt corpori levitatem. Unde & hilaris levior est mœrente, & mortuus vivo longe gravior. Cv. Sed qui fit, ut idem homo, cum vult, faciat se graviorem, aut leviorem? Al. Contento spiritu reddit se leviorem, emisso graviorem. Sic natat vesica inflata, & clausa pertusa sidit. Sed quando Curio desinet nobis occinere, cur? Cv. Desinam, si mihi pauca etiam dixeris; cœlum utrum grave sit, an leve. Al. An leve sit, nescio; certe grave non potest esse, cum sit naturæ igneæ. Cv. Quid igitur sibi vult vetus proverbium, *Quid si cœlum ruat?* Al. Quia rudis antiquitas Homerum secuta, credidit cœlum esse ferreum. Sed Homerus a coloris similitudine *ferreum* dixit, non a pondere: quemadmodum nos cinericeum dicimus, quod cineris colorem præ se fert. Cv. Est igitur cœlum coloratum? Al. Non vere, sed tale nobis videtur propter aërem, & liquorem medium, quemadmodum sol nobis nunc rubet, nunc fulvet, nunc candicat, cum is nihil talium mutationum recipiat. Itidem & iridis pictura non in cœlo est, sed in aëre humido. Cv. Verum, ut finiam, fateris cœlo nihil esse sublimius, quacunque tegit orbem terræ? Al. Fateor. Cv. Et centro terræ nihil esse profundius? Al. Scilicet. Cv. Inter omnes rerum species quid est gravissimum? Al. Aurum, opinor. Cv. Heic abs te vehementer dissentio. Al. An scis aliquid auro gravius? Cv. Scio, & quidem

A multis partibus. Al. Proinde me vicissim doce, quando scis quod me nescire profiteor. Cv. Quod igneos illos spiritus e summo cœli vertice depressit in ima Tartari (nam ea collocant in centro terræ) nonne oportuit omnium esse gravissimum? Al. Fateor: sed quidnam fuit illud? Cv. Peccatum, quod & hominum animas, quas Maro [1] vocat *auraï simplicis ignes*, eodem demergit. Al. Si libet ad istud Philosophiæ genus demigrare, fateor & aurum, & plumbum esse plumeæ levitatis, si cum peccato conferatur. Cv. Qui fiet igitur, ut qui hac sarcina sunt onusti, subvolent in cœlum? Al. Profecto non video. Cv. At qui sese parant ad cursum, saltumve, non solum quidquid est
B oneris abjiciunt, verum etiam contento spiritu sese reddunt leviusculos; & ad hunc cursum saltumque, quo ferimur in cœlum, non studemus illud abjicere, quod omni saxo, omni plumbo gravius est. Al. Faceremus, si vel micam sanæ mentis haberemus.

EPICUREUS.

[2] Hedonius, Spudæus.

He. Quid venatur meus Spudæus, quid sic totus incumbit libro, nescio quid secum murmurans? Sp. Plane venor, Hedoni, sed nihil aliud quam venor. He. Quid voluminis est, quod habes in sinu? Sp. Dialogi Ciceronis de *Finibus bonorum*. He. At quanto satius esset quæ-
C rere bonorum initia, quam fines? Sp. Sed Marcus Tullius finem boni appellat, bonum omnibus numeris absolutum, quod qui sit assequutus, præterea nihil desideret. He. Opus cum primis eruditum & eloquens: sed num tibi videris aliquod operæ pretium fecisse, quod ad veri cognitionem attinet? Sp. Hoc mihi videor fecisse lucri, quod nunc magis etiam ambigam de finibus, quam antea. He. Agricolarum est ambigere de finibus. Sp. Nec satis queo mirari, de re tanta inter tantos viros tantam fuisse sententiarum pugnam. He. Nimirum, quia fœcundus est error, cum simplex sit veritas. Quoniam totius negotii caput ac fontem ignorant, divinant, ac delirant omnes. Sed quæ sententia tibi videtur esse scopo vicinior? Sp. Cum audio impugnantem M. Tullium, displicent singulæ: rursus cum audio de-
D fendentem, fio prorsus [3] ἐφεκτικός. Mihi tamen Stoici videntur minus aberrare a vero; quibus proximum locum tribuo Peripateticis. He. At mihi nulla secta magis arridet, quam Epicureorum. Sp. Atqui inter omnes nulla damnatior, omnium suffragiis. He. Missam faciamus nominum invidiam, fuerit Epicurus, qualem quisque velit, rem per se consideremus. Ille felicitatem hominis collocat in voluptate; eamque vitam judicat beatissimam, quæ plurimum habeat voluptatis, tristitiæ quam minimum. Sp. Sic est. He. Quid dici potuit hac sententia sanctius? Sp. Imo clamitant omnes hanc esse vocem pecudis, non hominis. He. Scio: sed isti errant in rerum vocabulis. Quod si de veris loquamur, nulli magis sunt Epicurei quam Christiani pie
E viventes. Sp. Cynicis propiores: nam isti se macerant jejuniis, deplorant sua commissa; & aut sunt tenues, aut benignitas in egenos conciliat illis inopiam: opprimuntur a potentioribus, deridentur a plerisque. Si voluptas adfert felicitatem, hoc vitæ genus a voluptatibus quam longissime videtur abesse. He. Admittisne auctoritatem [4] Plautinam? Sp. Si quid recte dicat. He. Accipe igitur nequissimi servi dictum, omnibus Stoicorum paradoxis sapientius. Sp. Exspecto. He. *Nihil est miserius quam animus sibi male conscius.* Sp. Non rejicio dictum: sed quid hinc colligis? He. Si nihil miserius animo sibi male conscio, consequitur nihil esse felicius animo sibi bene conscio. Sp. Recte quidem colligis: sed in qua tandem regione invenies istum animum nullius mali sibi conscium? He. Malum appello,
F quod dirimit amicitiam inter Deum & hominem. Sp. Et ab hoc mali genere puto perpaucos esse puros. He. Ego vero & purgatos habeo pro puris. Qui lixivio lacrymarum, ac pœnitentiæ nitro, aut caritatis igni maculas absterserunt,

1 *Vocat auraï simplicis*] Hemistichium est ex 6. lib. Æneid.

2 *Hedonius*] Collatio honestæ ac turpis voluptatis. *Hedonius*, voluptarius, *ἀπὸ τῆς ἡδονῆς*, hoc est, a *voluptate*, nomen habet. *Spudæus*; *σπουδαῖος* frugalis, honestus.

3 Ἐφεκτικός] Hoc est, dubitans & suspensus in opinione. Tractum a Philosophis Academicis, qui ἐφεκτικοὶ dicebantur, hoc est, de nulla re pronunciantes, sed semper hærentes.

4 *Plautinam*] Plautus in Mostell. Act. III. S. I. vers. 13.

runt, eis non solum nihil nocent peccata, verum etiam frequenter in majoris boni materiam cedunt. SP. Equidem nitrum & lixivium novi; igni purgari maculas, nunquam audivi. HE. Atqui si adeas argentarias officinas, videbis aurum igni purgari. Quanquam & 1 lini genus est, quod conjectum in ignem non exuritur, sed nitidius splendescit, quam ulla possit aqua; eoque *vivum* appellant. SP. Næ tu nobis adfers 2 paradoxum omnibus Stoicorum paradoxis 3 παραδοξότερον. Vivunt illi vitam voluptariam, quos Christus appellavit ob id beatos, quod lugeant? HE. Mundo videntur lugere, sed re vera deliciantur, ac, quod dici solet, toti melle peruncti, suaviter vivunt, adeo ut cum his collati, Sardanapalus, 4 Philoxenus, Apitius, aut si quis alius est voluptatum studio nobilitatus, tristem ac miseram peregerint vitam. SP. Nova narras; sed vix credenda. HE. Experire; & omnia terque quaterque dices vera fuisse mea. Efficiam tamen, ut arbitror, ne videatur usque adeo veri dissimile. SP. Accingere. HE. Faciam, si mihi prius quædam concesseris. SP. Modo tu æqua postules. HE. Lucrum annumerabo, si sortem dederis. SP. Age. HE. Primum illud, opinor, dabis, nonnihil interesse inter animam & corpus. SP. Quantum inter cœlum & terram, inter immortale & mortale. HE. Deinde falsa bona non esse ponenda in bonis. SP. Nihilo magis quam umbræ habendæ sunt pro corporibus, aut præstigiæ magorum, somniorumve ludibria, ducenda sunt pro veris. HE. Hactenus commode respondes. Dabis, opinor, & illud, veram voluptatem non cadere, nisi in animum sanum. SP. Quid ni? Nullus enim sole delectatur, si lippiant oculi; aut vino, si febris palatum infecerit. HE. Nec ipse, ni fallor, Epicurus amplecteretur voluptatem, quæ longe majorem cruciatum, multoque diuturniorem secum adduceret. SP. Non arbitror, si quis modo sapiat. HE. Nec illud negabis, Deum esse summum bonum, quo nihil pulcrius, nihil amabilius, nihil dulcius. SP. Istud nullus iverit inficias, nisi Cyclopibus immanior. Quid tum postea? HE. Jam mihi donasti, nullos suavius vivere, quam qui pie vivunt; nullos miserius & afflictius, quam qui vivunt impie. SP. Plus igitur largitus sum, quam putabam. HE. Sed quod recte datum est, ut ait Plato, non oportet reposcere. SP. Age. HE. Catella, quæ habetur in deliciis, pascitur lautissime, cubat molliter, ludit ac lascivit jugiter, an non vivit suaviter? SP. Vivit. HE. Optares tibi talem vitam? SP. Bona verba, nisi pro homine velim esse canis. HE. Fateris igitur præcipuas voluptates ab animo proficisci, velut a fonte? SP. Apparet. HE. Tanta enim animi vis est, ut sæpe doloris externi sensum adimat: nonnunquam quod per se est amarum, reddat jucundum. SP. Istuc quotidie videmus in amantibus, quibus dulce est pervigilium, & hibernis noctibus excubare ad amicæ fores. HE. Jam illud reputa, si tantam vim habet amor humanus, qui nobis cum tauris & canibus est communis; quanto plus valeat amor ille cœlestis, a Christi spiritu profectus: cujus tanta vis est, ut mortem quoque, qua nihil terribilius, reddat amabilem. SP. Quid alii sentiant intus, nescio; certe carent multis voluptatibus, qui adhærent veræ pietati. HE. Quibus? SP. Non ditescunt, non assequuntur honores, non convivantur, non saltant, non canunt, non olent unguenta, non rident, non ludunt. HE. De divitiis & honoribus nulla erat hic facienda mentio, quæ non adferunt vitam jucundam, sed sollicitam potius & anxiam: de cæteris agamus, quæ cum primis venantur, quibus studio est suaviter vivere. Nonne quotidie vides ebrios, fatuos & insanos, ridentes ac saltantes? SP. Video. HE. Num putas illos suaviter vivere? SP. Hostibus contingat illa suavitas. HE. Quam ob rem? SP. Quia non adest sana mens. HE. Tu igitur malles jejunus incumbere libro, quam ad eum modum delectari? SP. Plane mallem vel agrum fodere. HE. Nam inter divitem ac temulentum nihil interest, nisi quod huic insaniæ medetur somnus, illi vix medicorum cura succurrit. Natura fatuus nihil differt ab animante bruto, præter formam corporis; sed levius miseri sunt, quos natura genuit brutos, quam qui belluinis cupiditatibus obbrutuerunt. SP. Fateor. HE. Jam num tibi sobrii videntur aut sani, qui propter præstigias umbrasque voluptatum, & veras animi voluptates negligunt, & veros sibi cruciatus accersunt? SP. Non videntur. HE. Non sunt illi quidem temulenti vino, sed amore, sed ira, sed avaritia, sed ambitione, aliisque pravis cupiditatibus: quæ longe perniciosior est ebrietas, quam quæ vino contrahitur. Syrus ille in comœdia posteaquam 5 edormiverat villum quod biberat, sobria loquitur: at animus vitiosa cupiditate ebrius, quam gravate redit ad sese! quot annis urget mentem amor, ira, odium, libido, luxus & ambitio! quam multos videmus ab adolescentia ad decrepitam usque ætatem, ab ambitionis, avaritiæ, libidinis, luxusque temulentia nunquam expergisci ac resipiscere! SP. Istiusmodi novi nimium multos. HE. Largitus es, falsa bona non esse in bonis ducenda. SP. Nec reposco. HE. Nec est vera voluptas, nisi quæ ex veris bonis nascitur. SP. Fateor. HE. Non sunt igitur vera bona, quæ vulgus hominum per fas nefasque venatur. SP. Non arbitror. HE. Si vera essent bona, non contingerent nisi bonis; & beatos redderent quibus obveniunt. Quid autem voluptas? num vera videtur quæ non ex veris bonis, sed ex falsis bonorum umbris nascitur? SP. Nequaquam. HE. At voluptas efficit ut suaviter vivamus. SP. Maxime. HE. Nullus igitur vere vivit suaviter, nisi qui pie vivit, hoc est, qui veris fruitur bonis: sola autem pietas reddit hominem beatum, quæ Deum summi boni fontem homini sola conciliat. SP. Propemodum assentior. HE. Nunc mihi vide quot parasangis absint a voluptate, qui vulgo videntur præter voluptates nihil sequi. Primum animus illorum impurus est, & cupiditatum fermento vitiatus, ut etiamsi quid incidat dulce, protinus amarescat; quemadmodum fonte vitiato non potest non esse liquor insipidus. Deinde non est vera voluptas, nisi quæ sano percipitur animo. Nam irato nihil vindicta jucundius: sed ea voluptas vertitur in dolorem, simul atque morbus animum reliquerit. SP. Non refragor. HE. Postremo voluptates illæ sumuntur ex falsis bonis: unde consequitur & illas esse præstigias. Quid porro diceres, si videres hominem magicis artibus delusum, vesci, bibere, saltare, ridere, plaudere, cum nihil earum rerum vere adesset, quas se videre credit? SP. Equidem & insanum dicerem, & miserum. HE. Simili spectaculo ipse nonnunquam interfui. Sacerdos erat, qui callebat artem præstigiatoriam. SP. Eam non didicerat e literis sacris. HE. Imo e sacerrimis, hoc est, exsecratissimis. Hunc aliquot aulicæ fœminæ frequenter appellabant, ut acciperentur ab eo convivio, sordes & parsimoniam opprobrantes; annuit, invitavit. Venerunt jejunæ, quo libentius epularentur. Accubuerunt; nihil aberat, ut videbatur, lautitiarum: expleruntt sese affatim; peracto convivio, egerunt convivatori gratias, ac discesserunt suam quæque domum. At mox cœpit oblatrare stomachus: demirantur quid esset hoc monstri, statim a prandio tam splendido esurire ac sitire. Res tandem erupit, & in risum abiit. SP. Et merito: præstiterat domi lenticula placare stomachum, quam inanibus spectris deliciari. HE. At mihi videtur multo magis esse ridiculum, vulgus hominum pro veris bonis, inanes bonorum umbras amplecti; & his præstigiis delectari, quæ non exeunt in risum, sed in luctus sempiternos. SP. Quo propius intueor, hoc mihi videre minus absurda loqui. HE. Age, largiamur, ut interim in nomen voluptatis veniant, quæ re vera non sunt: appellaresne mulsum dulce, cui longe plus esset admixtum aloës quam mellis? SP. Non dicerem, si vel triens aloës esset admixtus. HE. Aut optares tibi malam scabiem, quod scalpendi sit aliqua voluptas? SP. Non, si compos sim mentis. HE. Fac igitur tecum subducas rationem, quantum amaritudinis admixtum sit istis falso nomine voluptatibus, quas gignit amor impudicus, libido illicita, comessatio ac [illegible]ulentia. Omitto nunc, quod est omnium caput, conscientiæ cruciatus, inimicitiam cum Deo, exspectationem æterni supplicii. Quod obsecro in his voluptatibus genus est, quod non ingens externorum etiam malorum

1 *Lini genus*] De lino hoc ἀσβεστίνῳ ita Plinius lib. XIX. c. I. *Inventum jam est quoque quod ignibus non absumeretur. Vivum id vocant, ardentesque in focis conviviorum ex eo vidimus mappas, sordibus exustis splendescentes magis igni, quam possent aquis. Regum inde funebres tunicæ corporis favillam ab reliquo separant cinere. Nascitur in desertis adustisque sole Indiæ, ubi non cadunt imbres, inter diras serpentes: assuescitque vivere ardendo, rarum inventu, difficile textu propter brevitatem.*

2 *Paradoxum*] Admirabile, quodque contra omnium opinionem est.

3 *Παραδοξότερον*] Admirabilius.

4 *Philoxenus*] Sardanapalus & Apitius, luxu perditissimi fuere, ut passim scriptum est. *Philoxeni* gulositatis, potius quam deliciarum, meminit *Plutarchus* initio Libri, an recte dictum sit *Λάθε βιώσας*.

5 Adelphis, Act. V. Sc. 2.

rum agmen secum adducat? Sp. Quænam? He. Rursus omittamus avaritiam, ambitionem, iram, superbiam, invidiam, quæ per se tristia sunt mala: conferamus illa quæ præcipue delectationis nomine commendantur. Cum largiori potationi succedit febris, capitis dolor, alvi tormina, ingenii stupor, famæ macula, memoriæ detrimentum, vomitus, & ruina stomachi, tremor corporis; num vel Epicurus existimaret eam voluptatem expetendam? Sp. Fugiendam diceret. He. Cum adolescentes e scortatione novam lepram, quam nunc 1 ὑποκορίζοντες quidam 2 *Neapolitanam scabiem* appellant, sibi, ut fere fit, contrahunt, per quam toties fit illis in vita moriendum, semperque vivum cadaver circumferendum; nonne belle videntur 3 ἐπικουρίζειν? Sp. 4 Ἐπὶ κουρεῖα θεῖν. He. Jam finge delectationis ac doloris æquilibrium; optaresne tam diu cruciari dolore dentium, quam diu duravit potationis aut scortationis voluptas? Sp. Equidem mallem utroque carere: nam voluptatem emere dolore, non est lucrum, sed pensatio: heic sane potior est 5 ἀναλγησία, quam Cicero ausus est *indolentiam* appellare. He. At nunc voluptatis illicitæ titillatio, præterquam quod longe minor est cruciatu quem adducit, temporis etiam exigui est: lepra vero contracta, per omnem vitam misere discruciat; totiesque mori cogit, priusquam mori liceat. Sp. Tales discipulos non agnosceret Epicurus. He. Luxuriæ comes plerumque est egestas; onus & miserum & grave: libidinis immodicæ, paralysis, tremor nervorum, lippitudo ac cæcutientia, lepra: at non hæc tantum. An non egregia negotiatio, nec veram, nec sinceram, ad hæc brevem delectationem, tot tanto gravioribus ac diuturnioribus commutare malis? Sp. Ut non accedat cruciatus, mihi stultissimus negotiator esse videatur, qui gemmas vitro permutet. He. Illud dicis, qui vera animi bona ob fucatas corporis voluptates amittat. Sp. Ita sentio. He. Nunc redeamus ad exactiorem supputationem. Nec febris aut egestas semper comitatur luxum, nec nova lepra aut paralysis semper comitatur Veneris immodicum usum; sed conscientiæ cruciatus, quo nihil esse miserius jam inter nos convenit, semper comes est illicitæ voluptatis. Sp. Imo præcurrit interdum, & in ipsa voluptate fodicat animum. Sunt tamen quos dicas hoc sensu carere. He. Jam hoc ipso infeliciores. Quis enim non malit sentire dolorem, quam corpus habere stupidum & sensus expers? Verum ut nonnullis vel cupiditatum intemperantia, velut ebrietas quædam; vel vitiorum assuetudo, ceu callus quidam, mali sensum adimat in juventa; cum ad senectutem perventum fuerit, ac, præter innumera incommoda, quorum thesaurum superioris vitæ commissa reposuerunt, de propinquo terret mors, nulli mortalium evitabilis; tanto gravius discruciat conscientia, quanto magis per omnem vitam stupuit: tum enim, velit nolit, expergiscitur animus. Senectus autem cum per se sit tristis, quippe multis naturæ incommodis obnoxia, quanto miserior est, atque etiam turpior, si urgeat animus sibi male conscius? Convivia, comessationes, amores, choreæ, cantilenæ, cæteraque quæ juveni videbantur suavia, seni sunt amara, nec aliud habet ætas illa quo se fulciat, nisi si adsit vitæ innocenter actæ recordatio, ac spes vitæ melioris. Hi sunt duo scipiones, quibus nititur senecta. Quod si pro his subductis, imponas geminam sarcinam, vitæ perperam actæ memoriam, & futuræ felicitatis desperationem; obsecro quod animal fingi potest afflictius aut miserius? Sp. Equidem non video, etiamsi quis 6 τὸ ἵππου γῆρας objiciat. He. Tum denique *sero sapiunt Phryges*: & illud verissime dictum, 7 *Extrema gaudii luctus occupat*: &, 8 *Non est oblectamentum super cordis gaudium*: &, 9 *Animus gaudens floridam ætatem facit: Spiritus tristis exsiccat ossa*: item illud, 10 *Omnes dies pauperis, mali*, hoc est, *afflicti ac miseri: secura mens quasi juge convivium*. Sp. Sapiunt igitur qui mature rem faciunt, & colligunt viaticum venturæ senectuti. He. Scriptura mystica non tam humi repit, ut fortunæ bonis metiatur hominis felicitatem; is demum eximie pauper est, qui nudus est omni virtute, & animam simul cum corpore debet Orco. Sp. Is quidem exactor est implacabilis. He. Is vere dives est, qui Deum habet propitium. Quid autem metuat, qui talem habeat protectorem? num homines? minus potest universorum hominum potestas adversus Deum, quam culex adversus elephantem Indicum; num mortem? ea piis transitus est ad æternam beatitudinem. Num inferos? sed confidenter Deo loquitur vir pius: 11 *Etsi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es*. Cur metuat dæmones, in pectore gerens eum quem tremunt dæmones? nam hominis pii mentem, templum esse Dei, non uno in loco prædicat Scriptura, vere 12 ἀναντίῤῥητος. Sp. Equidem non video, quibus rationibus ista queant refelli, quanquam videntur plurimum abesse a sensu communi. He. Qui sic? Sp. Nam ad tuam ratiocinationem quivis Franciscanus vitam ageret magis voluptariam, quam alius opibus, honoribus, breviter omni genere deliciarum affluens. He. Adde Monarchæ sceptrum, si libet; adde Pontificiam coronam, eamque e triplici fac centuplicem, modo detrahas animum sibi bene conscium, audacter dicam, hunc Franciscanum, nudipedem, nodoso fune cinctum, tenuiter ac viliter amictum, jejuniis, vigiliis ac laboribus attenuatum, qui teruncium non habet in orbe, modo adsit bona mens, deliciosius vivere, quam si in unum hominem sexcentos confles Sardanapalos. Sp. Unde igitur est, quod pauperes fere conspicimus tristiores divitibus? He. Quia bis pauperes sunt plerique. Alioqui morbus, inedia, vigilia, labores, nuditas, extenuant quidem corporis habitum, sed tamen non in his tantum, sed etiam in ipsa morte sese exerit mentis alacritas. Animus enim quanquam illigatus est mortali corpori; tamen quoniam naturæ potentioris est, corpus ipsum quodammodo transformat in sese, præsertim si ad vehementem naturæ impetum accedat 13 ἐνέργεια spiritus. Hinc est quod sæpenumero videmus homines vere pios majore cum alacritate morientes, quam alios convivantes. Sp. Istuc profecto non raro sum admiratus. He. Atqui non est admirandum, illic esse invincibile gaudium, ubi adest omnis lætitiæ fons Deus. Quid autem novi est, animum vere pii hominis gaudere jugiter in mortali corpore, cum idem, si ad intima Tartari demergatur, nullum felicitatis detrimentum facturus sit? Ubicunque pura mens est, ibi Deus est: ubicunque Deus est, ibi paradisus est: ubi cœlum est, ibi felicitas est: ubi felicitas est, ibi gaudium est verum, & alacritas sincera. Sp. Attamen suavius viverent, si absint incommoda quædam, & adessent oblectamenta, quæ vel negligunt, vel non assequuntur. He. Quæ vero mihi narras incommoda; quæ lege communi comitantur conditionem humanam? famem, sitim, morbum, lassitudinem, senectutem, mortem, fulmina, terræ motus, inundationes, bella? Sp. Et ista quoque. He. At nos de mortalibus interim agimus, non de immortalibus. Et tamen in his quoque malis, longe tolerabilior est piorum conditio, quam voluptates corporis per fas nefasque venantium. Sp. Qui sic? He. In primis, quoniam animos habent ad temperantiam ac tolerantiam exercitatos, cæteris moderatius ferunt ea, quæ vitari non possunt. Dein quoniam intelligunt illa omnia a Deo immitti, vel ad purgationem criminum, vel ad exercitationem virtutis; non modo patienter, verum etiam gaudenter, tanquam obedientes filii, illa de manu propitii patris accipiunt, atque etiam gratias agunt, vel pro clementi correctione, vel pro inæstimabili lucro. Sp. Sed multi sibi accersunt corporis molestias. He. Sed plures adhibent medicorum remedia, quo corporis sanitatem vel tueantur, vel recuperent. Cæterum accersere molestias, hoc est, inopiam, adversam valetu-

1 Ὑποκορίζοντες] Hoc est, elevantes, & honesto nomine rem execrabilem & pudendam eloquentes: quamvis proprie ὑποκορίζειν, *per diminutionem loqui* significat.

2 *Neapolitanam*] Acute Martialis ille Anglicus de hac scabie seu morbo:

Itala terra mihi patria est, Gallique parentes.
Gallicus in dubio est Italicusne vocer.

3 Ἐπικουρίζειν] *Epicurum agere*, hoc est, voluptatibus studere.

4 Ἐπὶ κουρεῖα θεῖν] Hoc est, *recta ad tonstrinas currere*. Nostra tempestate qui tonsores sunt, ut plurimum simul Chirurgicem exercent: posuit itaque *tonstrinam* pro Chirurgi domo, in qua ejusmodi pustulæ curantur. Sed interim eleganter alludit ad etymologiam τοῦ ἐπικουρίζειν, quod ad verbum videtur sonare, *ad puellas applicare, cum puellis conversari*.

5 Ἀναλγησία] Doloris absentia: ἀναλγής, dolorem nullum sentiens: ab ἄλγος *dolor*.

6 Τὸ ἵππου γῆρας] Id est, equi senectutem.

7 *Extrema gaudii*] Verba Salomonis Prov. 14. v. 13. etiam ex risu dolet animus: & tandem lætitia fit mœror.

8 *Non est oblectamentum*] Exstat locus in Ecclesiastico cap. 30. v. 16.

9 *Animus gaudens*] Prov. 17. v. 22.

10 *Omnes dies*] Prov. 15. v. 15.

11 *Etsi ambulavero*] Psal. 23. vers. 4.

12 Ἀναντίῤῥητος] Id est, cui nequit contradici.

13 Ἐνέργεια] Id est, efficacia, vis, actus spiritus operantis in nobis.

letudinem, persecutionem, infamiam, nisi cum huc impellit Christiana caritas, non est pietatis, sed stultitiæ. Cæterum quoties infliguntur ob Christum & ob justitiam; quis ausit eos vocare miseros, cum ipse Dominus appellet [1] eos beatos, & horum gratia gaudere jubeat? Sp. Habent tamen interim & ista sensum cruciabilem. He. Habent, sed quem facile absorbet, hinc metus gehennæ, illinc spes æternæ beatitudinis. Age, si tibi persuasum esset te nunquam ægrotaturum, aut nullam corporis molestiam sensurum in omni vita, si semel patiaris cuspide aciculæ tibi summam pungi cutem, nonne lubens & gaudens acciperes tantillum dolorem? Sp. Maxime. Imo si certo sciam mihi nunquam in vita dolituros dentes, æquo animo patiar vel altius infigi acum, atque etiam ambas aures subula perforari. He. Atqui quidquid in hac vita accidit afflictionis, levius ac brevius est ad æternos cruciatus, quam momentaneum acus vulnusculum ad hominis vitam, quamvis longam: nulla enim analogia rei finitæ ad infinitam. Sp. Verissima prædicas. He. Jam si quis tibi persuadeat, te per omnem vitam omni molestia cariturum, si semel manu flammam dividas, quod fieri vetuit Pythagoras, nonne lubens id faceres? Sp. Ego sane vel centies, modo ne me fallat promissor. He. Deus ne potest quidem fallere: sed ille flammæ sensus diuturnior est ad totam hominis vitam collatus, quam tota vita collata ad cœlestem beatitudinem, etiamsi quis trium Nestorum excedat annos. Siquidem illa quantumlibet brevis manus injectio, nonnulla hujus vitæ portio est: sed tota hominis vita, nulla portio est æternitatis. Sp. Non habeo quod contradicam. He. Ad hanc igitur qui toto pectore, certaque spe properant, cum tam brevis sit transcursus, an credis eos hujus vitæ molestiis discruciari? Sp. Non arbitror, modo adsit certa persuasio, firmaque spes assequendi. He. Venio nunc ad oblectamenta, quæ objiciebas. Abstinent a choreis, a comessationibus, a spectaculis: hæc nimirum ita contemnunt, ut fruantur multo jucundioribus, nec minus oblectentur, sed aliter. [2] *Oculus non vidit, auris non audivit, nec in cor hominis adscenderunt quæ solatia Deus paraverit diligentibus ipsum.* Beatus Paulus agnovit, quæ sint cantica, quæ choreæ, quæ tripudia, quæ comessationes piarum mentium, etiam in hac vita. Sp. At sunt quædam voluptates licitæ, quas isti sibi ipsis interdicunt. He. Etiam licitarum voluptatum immodicus usus est illicitus: hunc si excipias, in cæteris omnibus superant, qui videntur asperam vitam degere. Quod potest esse magnificentius spectaculum, quam hujus mundi contemplatio? Ex eo longe plus capiunt voluptatis homines Deo cari, quam cæteri. Siquidem hi dum curiosis oculis contemplantur admirandum hoc opus, anguntur animo, quod multarum rerum causas non assequantur. In quibusdam etiam ceu Momi quidam obmurmurant opifici; neque raro naturam pro matre novercam appellant: quod convicium verbo tenus quidem naturam ferit, sed re vera in eum redundat qui naturam condidit, si qua est omnino natura. At homo pius, religiosis ac simplicibus oculis magna cum animi voluptate spectat opera Domini, Patrisque sui, demirans singula, nihil reprehendens, sed pro cunctis gratias agens, cum reputat hæc omnia propter hominem esse condita: atque adeo in singulis rebus adorat omnipotentiam, sapientiam, ac bonitatem conditoris, quarum vestigia perspicit in rebus conditis. Jam finge mihi esse aliquod palatium re vera tale, quale Psychæ fingit Apulejus, aut si quod potes magnificentius elegantiusque: huc adhibe duos spectatores, alterum peregrinum, qui tantum visendi causa venerit; alterum, servum aut filium ejus, qui construxit hoc ædificium; uter impensius delectabitur; hospes ille, ad quem illa domus nihil attinet; an filius, qui carissimi patris ingenium, opes ac magnificentiam in ædificio magna cum voluptate speculatur; præsertim cum cogitat totum hoc opus ipsius gratia factum esse? Sp. Percunctatio tua non eget responso, sed plerique, non piis moribus, sciunt cœlum, & quæ cœlo clauduntur, hominis causa esse condita. He. Sciunt plerique omnes: sed non omnibus hoc venit in mentem; & si venit in mentem, plus tamen capit voluptatis, qui magis amat opificem: quemadmodum alacrius intuetur cœlum qui ad vitam cœlestem adspirat. Sp. Veri simillima dicis. He. Jam conviviorum suavitas non est sita in lauti-

A tiis palati, aut coquorum condituris, sed in prospera corporis valetudine, & stomachi appetentia. Cave igitur putes illum Lucullum cœnare jucundius appositis perdicibus, phasianis, turturibus, leporinis, scaris, siluris, aut murænis, quam vir pius cibario pane, oleribus aut leguminibus, potu vel cerevisiæ tenuis, vel vini probe diluti: propterea quod hæc accipit tanquam missus a benigno Patre datos: omnia condit oratio, omnia sanctificat precatio præcedens, sacra lectio comes, magis animum reficiens, quam esca corpus, & gratiarum actio succedens: postremo surgit a mensa non distentus, sed recreatus: non onustus, sed refectus; & refectus mente pariter & corpore. An tu putas ullum istarum vulgarium cupediarum architectum,

B convivari jucundius? Sp. Sed in Venere summa est delectatio, si quid Aristoteli credimus. He. Et hac in parte vincit homo pius, non minus quam in convivio; rem sic accipe: Quo vehementior est erga uxorem caritas, hoc congressus ille connubialis est jucundior. Nulli porro vehementius amant uxores suas, quam qui eas sic diligunt, sicut Christus dilexit ecclesiam: nam qui eas voluptatis gratia diligunt, ne diligunt quidem. Adde, quod quo rarior est cum uxore congressus, hoc est suavior: quæ res nec impium Poetam latuit; qui scripsit, *Voluptates commendat rarior usus.* Quanquam minima voluptatis pars in coitu sita est. Longe major est in perpetuo convictu, qui inter nullos potest esse jucundior, quam inter eos, qui se Chri-

C stiana caritate sinceriter amant, & amant pariter mutuo. In aliis frequenter cum senescente voluptate, senescit amor. Christiana caritas hoc magis virescit, quo magis delectatio carnis decrescit. An nondum tibi persuasi nullos vivere jucundius, quam qui cum pietate degunt? Sp. Utinam itidem sit persuasum omnibus! He. Quod si Epicurei sunt, qui suaviter vivunt, nulli verius sunt Epicurei, quam qui sancte pieque vivunt. Et si nos tangit cura nominum, nemo magis promeretur cognomen Epicuri, quam adorandus ille Christianæ philosophiæ princeps. Græcis enim ἐπίκουρος auxiliatorem declarat. Cum naturæ lex esset vitiis tantum non obliterata, cum Mosis lex magis irritaret cupiditates, quam sanaret, cum impune regnaret in mun-

D do tyrannus Satanas, solus ille pereunti humano generi præsentaneam attulit opem. Proinde vehementer falluntur quidam, qui blaterant Christum natura fuisse tristem quempiam ac melancholicum, nosque ad inamœnum vitæ genus invitasse. Imo is unus ostendit vitam omnium suavissimam, veræque voluptatis plenissimam: tantum absit lapis ille Tantaleus? Sp. Quid istuc ænigmatis est! He. Ridebis fabulam: sed hic jocus seria ducit. Sp. Exspecto jocum serium. He. Narrant ii quibus olim studio fuit, philosophiæ præcepta, fabularum involucris tegere, Tantalum quendam adhibitum fuisse Deorum mensæ, quam volunt esse lautissimam. Cum hospes esset dimittendus, Jupiter hoc suæ dapsilitatis esse ratus, ne conviva discederet

E absque xenio, permittit ut quod vellet peteret, accepturus quidquid petiisset. Tantalus autem stolidus, ut qui beatitudinem hominis, ventris & gulæ delectatione metiretur, optavit, ut si per omnem vitam liceret tali mensæ accumbere. Annuit Jupiter; & ratum erat votum. Tantalus assidet mensæ omni genere deliciarum instructæ: appositum est nectar; nec desunt rosæ, nec odores, qualibus Deorum nares possint oblectari; adstat pocillator Ganymedes aut Ganymedi similis, circumstant Musæ suaviter canentes, saltat ridiculus Silenus, nec absunt moriones: breviter quidquid ullum hominis sensum possit oblectare: sed inter hæc omnia ille sedet tristis, suspirans & anxius, nec hila-

F rescens risu, nec attingens apposita. Sp. Quid in causa? He. Quoniam supra caput accumbentis de pilo pendet ingens saxum, jam jam casuro simile. Sp. Ego me a tali mensa subducerem. He. Sed illi votum transiit in necessitatem: neque enim Jupiter tam placabilis est, quam noster Deus, qui perniciosa vota mortalium rescindit, si modo pœniteat. Quanquam & alioqui, ne se Tantalus subducat, vetat idem lapis, qui prohibet vesci. Metuit enim, ne si se commoverit, illico saxi ruina conteratur. Sp. Ridiculam fabulam. He. At nunc audi quod non rideas. Vulgus a rebus externis petit vitam jucundam, cum eam non præstet nisi mens secura: nam sibi male consciis, saxum multo gravius impendet, quam impendet Tantalo. Imo non impendet, sed

1 *Eos beatos*] Respicit auctor ad locum Luc. 6. ℣. 21. 22. 23.
2 *Oculus non vidit*] 1 Corinth. 2. ℣. 9.

sed urget premitque mentem: nec inani metu discruciatur animus; sed in singulas horas exspectat, ut conjiciatur in gehennam. Obsecro quid est tam suave in rebus humanis, quod mentem tali saxo pressam, possit vere exhilarare? SP. Nulla profecto res, nisi vel dementia, vel incredulitas. HE. Hæc si perpenderent adolescentes, qui voluptatibus ceu poculo Circeo dementati, pro vere jucundis amplectuntur mellita venena; quanto studio caverent, ne quid per incogitantiam admitterent, quod in omnem vitam mordeat animum? Quid non facerent, ut hoc viaticum pararent senectuti venturæ, mentem sibi bene consciam, & famam nulla labe contaminatam? Quid autem illa senectute miserius, quæ cum respicit in tergum, magno cum horrore videt, quam speciosa sunt quæ neglexit, quam fœda quæ amplexa est? Rursus cum a fronte prospicit, cernit imminere diem supremum, & ab hoc protinus æterna gehennæ supplicia. SP. Felicissimos arbitror, qui primam ætatem servarunt incontaminatam; & in pietatis studio semper proficientes, pervenerunt usque ad senectutis metam. HE. Proximus locus debetur iis, qui a juvenili temulentia mature resipuerint. SP. Sed quid consilii das illi misero seni? HE. Nulli desperandum, quam diu spirat: jubeo ad Domini clementiam confugere. SP. Sed quo fuit vita longior, hoc magis accrevit scelerum cumulus, jam arenam exsuperans quæ est in litore maris. HE. Sed eas arenas longe superant misericordiæ Domini. Arena tametsi non est homini numerabilis, finito tamen est numero: at Domini clementia nec modum, nec finem novit. SP. Sed non est spatium brevi morituro. HE. Quo minus est spatii, hoc clamet ardentius. Apud Deum satis longum est, quod a terris ad cœlum valeat pertingere. Penetrat autem & brevis precatio cœlum, modo vehementi spiritus impetu ejaculetur. Euangelica [1] peccatrix fertur per omnem vitam egisse pœnitentiam; sed latro jam in ipsa morte quam paucis verbis [2] impetravit a Christo paradisum? Si toto pectore clamaverit, *Miserere [3] mei Deus secundum magnam misericordiam tuam*; Dominus tollet saxum Tantaleum, dabit auditui illius gaudium, & lætitiam; & exultabunt de condonatis peccatis, ossa per contritionem humiliata.

1 *Peccatrix*] Historia exstat apud Luc. 7. vers. 37. 38. 39.
2 *Impetravit a Christo*] Verba habentur Luc. 23. vers. 44. *Dixit Jesu, Domine, memento mei quum veneris in Regnum tuum.*
3 *Mei Deus*] Psal. 51. vers. 3.

CONFLICTUS THALIÆ ET BARBARIEI,

Auctore

DESIDERIO ERASMO ROTERODAMO.

AD LECTOREM.



Ne quis dubitet an revera Magnus ille Erasmus, *sequentis Colloquii sit Auctor, non tantum inscriptio (quæ Erasmi nomen ostentat) & stylus ipse satis evidenter evincunt; sed & ejusdem Epistola ad Cornelium Gaudanum, quæ in editis a Paulo Merula est decima septima libri secundi; & in editis Londini, M. DC. XLII. libri trigesimi primi decima septima. Ubi hæc legere est:* Tum cœpere illiteratissimi quique, qui nunquam didicere, docere quod nesciebant; docere inquam, magna mercede, nil scire; stultiores reddentes discipulos, quam acceperant, imo & eo redigentes, ut se ipsos quoque nescirent. Tum, a tergo rejectis veterum præceptionibus, itum est ad recentia quædam imperitiæ præcepta, puta modos significandi, verbosa commenta, & ad ridiculas Grammaticæ doctrinæ regulas, deliramentaque innumera. Et cum jam omnia summo sudore perdidicerant, in id literarum eloquentiæque conscenderant fastigium, ut ne unam quidem orationem Latine proferre noverint. Et sane, quantum mihi videre videor, si id Barbarum hominum genus, eo quo cœperat cursu perrexisset, nescio in quam novam sermonis speciem nostram *Thaliam* vertissent. *Ubi in MS. quod fuit Petri Opmeri, in margine adscriptum inveni*, Thalia Erasmi opusculum. *Cæterum ex ipsis, quæ adduximus, Epistolæ verbis, cuivis clare dilucet, genuinum hunc esse Erasmi fœtum, ac proinde ejusdem lineamenta, atque ipsissima, quæ Epistolæ inserta sunt, verba præ se ferre. Hujus rei volebam, Lector, ne esses nescius.*

PRÆFATIO.

NEmo putet latuisse Poetam, quantum Comœdia Tragœdiaque discrepent; quid hanc, quid illam deceat. Hæc enim gaudet gravitate: illa est levitatis amica. Nam quum ad scribendum animum applicuisset, quoniam nec personas Comicas satis, nec rem Tragicam satis esse perspexit, ipse pro suo digessit arbitrio: tantum hæc cogitans, auditor ut rideat. Æquis adeste animis: favete: aures arrigite: strepitum compescite.

ARGUMENTUM.

Thalia, sacris sororum comitata choris, Castaliam petit: Barbaries, æque barbaris stipata cohortibus, occurrit. Fit contentio.

PRIMUS ACTUS.

THALIA, CALLIOPE, MELPOMENE.

TH. DIi boni, quid hoc monstri est; quod eminus surgere video? contemplamini quæso. CA. Papæ! quanta corporis moles! prope est ut vertice sidera pulset; quid sit mehercle nescio. TH. Appropinquat. En nova commixtio. Viden! Frons virginea: quod vero sub pectore est, asino simillimum. CA. Ita est: sic Dii me ament. Sed & fronte, videsne hera, quanta sese attollant cornua? TH. Ingentia. Præterea colligisne & vicinas cornibus auriculas? CA. Colligo. Asininas scilicet, albentes mobilesque: & jam magis magisque propinquare conspicio, quid paret nescia. Ah! Vereor ne sinistrum quid attulerit. TH. Avertat parens Jupiter. ME. Ego hanc (si recte audita recordor) belluam novi. TH. Obsecro. ME. Nihil est periculi. TH. Atat, inimicam audio. Itane, quæso? ME. Ita. Æmula hæc est nostra unica atque sævissima. TH. Dii illam perdant. ME. Nunquam invidere nobis, nunquam lacerare desinit. Hanc in occiduis ferunt habitare plagis, ibi subjicere sibi omnia, ibi coli, amari, honorari. Quid plura? denique ut Deam supplicibus placari muneribus. TH. Audieram, ni fallor. Urbi, cui præest, quod est nomen? ME. Zwollis, si recte teneo. TH. Recte. Ipsius vere? ME. Barbariem dicunt. TH. Ipsa est: probe novi. Sed en, accelerat huc. Operiamur eam.

SECUNDUS ACTUS.

BARBARIES, THALIA.

BA. ILlane est Thalia, comites mei, quam e vicino conspicio, quamque exstinctam jam pridem existimaram? Ipsa certe est: laurum cerno. Revixit. Audet insuper sese conspectibus impudenter nostris ingerere, nihil me verita. Adibo, quæ sim ut sentiat factura. Dii te perdant,

dant, impudentissima. Th. Haud molle salutas. In te resiliat quam in me torques salutem, hera. Ba. Nonne te pudet dudum victam, Thalia, rursum meis submittere oculis? Th. Rogas? Tu indigna quæ me videas: ego dignior quam quæ te videam belluam obscœnam. Ba. Hem, misella, & contumelias insuper? Nec dum quæ sim nosti? cave me provoces. Th. Bona verba quæso. Surdo ista canis; nemo audit. Ego te timeo scilicet, monstrum informe spurcissimum. Ba. Vide in quam has torseris calumnias. Th. Gratias habe iis qui tecum sunt. Ba. His? Th. His solis. Ba. His quid debeo? dic mihi. Th. Illorum te scilicet æstimatio, vel error potius, Deam effecit, non tua generatio. Ba. Quin possem tibi (si tempus sinat) meam demonstrare propaginem, divino semine derivatam. Th. Egregiam vero. Sed narra obsecro. Tempus enim patitur: & sol tibi stabit tam mira memoranti. Ba. Tu parente gaudes Jove, duce triumphas Apolline; mihi pater erat qui nec illi virtute, nec huic aut arcu, aut cythara cesserit. Si quando canens ludere solebat ore, Orphei in morem, sylvas post se montesque trahebat, denique & cursu valens, Euro pernicior. Th. Millies hæc audita sunt. Desine. Ba. Quid? Tenes quem velim? Th. Statim, ubi cœpisti, Chirona significas semivirum. Ba. Potesne tacere, dum, quod cœpi, expleam verbum? Th. Possum; tantum vera si dixeris. Sin componis aurem non commodo. Ba. Quid? mendacem dicis? Th. Minime; sed, si voles, nihil verius. Ba. Te autem veridicam. Ba. Ubi me Chirone dicis parente natam? Th. Testes adsunt. Ba. Ubi quæso? Th. Hæc ingens, quæ in calces pendet, cauda. Hæc hirsuta terga. Hæ circum tempora albicantes auriculæ Chironis te prolem clamant omnia. Ille ex Asella te miscuit, pulcrum, quo glorieris, genus, pulcra, quæ Deam deceat forma. Ba. Ut video calumniis certas; de figura contendis. Ad virtutem veniamus. De hac contende. De fama, de gloria, de clientela. Quid de corpore? Th. Nihil; nisi quod hujus deformitatem deformis animus comitari solet. Sed age, ad ipsa veniamus. Ba. Id omnium primum accipe. Qui te colit rarus est; me totus celebrat orbis. Tu ignota lates; ego jam in omnem mundi regionem nomen extendi. Ubique sum celebris, ubique notissima. Th. Fateor. Ba. Non faceres, si tibi quod responderes esset. Th. Imo quod respondeam habeo. Cacum nosti. Ba. Cacum quis nesciat? Th. Quem narrat Virgilius. Ba. Novi. Th. Credo equidem, famosus enim est. Haud secus ac ille tu quoque cognita es. Dein tu tibi laudi tribuis, quod totus comitetur orbis. Non recte sapis. Ego id vituperio do magis. Rarum est omne enim quod carum est. Nihil arduum quod vulgo ignobili commune est. Me qui colit, rarus sit licet, spectabilis tamen est, & gravis. Te autem, quod plebeja & rustica comitetur turba, quid obsecro pulcri est? Ba. Nescis insana. Longe alia res est. Neque enim quos plebejos invenio, plebejos relinquo; quin proveho magis, & erudio; honestos denique reddo & graves. Th. Ha, ha, he. Imo chartis gravatos, non arte; neque tam literis honestos, quam libris onustos. Ba. Hem. Misera, an ego meos non graves reddere potis sum, æque ac tu tuos? Th. Admodum tui similes. Nam cum barbara sis, barbaros efficis. Quid aliud posses? Ba. Nunc verum experior, quod jam olim de te audivi; garrulam esse & loquacem. Desine, insana. Nihil omnium nosti. Nam id certum habeo. Si vel mediam scires partem, non tanta obstreperes impudentia. In meo quod Zwollis est gymnasio, quæ sit gloria, quis rigor, quis vigor, si tibi memorare incipiam, continuo rumperis invidia. Th. Nimirum. Et postes columnasque tuo rumpas grandiloquio. Verum incipe. Rumpe si potes. Ba. Longum est. Th. Fac breve, ut nosti. Ba. Summam complector. Ad illud itaque, quod paulo ante memoravi, gymnasium nobilissimum, ex omnibus mundi latissimi regionibus, quanto confluant agmine, nemo tibi facile explicuerit. Th. Hui! stupendum asinum illum Zwollorum (gymnasii campanam loquor) tam sonora voce rudere, cunctosque turmatim allicere. Ba. Inepta. Abstine convitiis, & audi. Th. Audio. Ba. Illic confestim instituuntur, erudiuntur. Th. Mirum in modum. Ba. Optimis glosulis, vocabulariis argumentis, notabilibus innumeris. Th. Quam rectissime. Ba. Quid nares contrahis? Imo eo perduco, ut nihil nesciant. Th. Novum. Ba. Crescunt illis interea cum corpore tempora, ut exacte docti jam præsint aliis. Tum tales re-

A mitto ut beati vivant, beati moriantur? Th. Ha, ha, he. Parum abfuit quin cachinno rumperer; tam iis invideo scilicet. Ba. Quid rides fatua? an ego risu digna fari videor? Th. Ego ista tibi rectius memorare potero. Ba. Tun'? Th. Ego. Si placet, nunc audies. Ba. Incipe. Th. Quin ita se res habet. Confluunt ad te innumeri, fateor. Qui, si quid recte in scholis prius didicerant, id continuo dediscant necessum est. Deinde his (quæ plurima enumerasti) dispendiis non tam imbuuntur, quam obruuntur, tandem ut sciant nihil. Immo eo perducis, ut & se ipsos nesciant. Crescunt interea circum tempora cornua, sibique videntur scioli, ac qui præsint magis quam subsint idonei. Tum tales remittis, ut beati vivant, beati moriantur. Ba. Tu, ut video, linguam

B a probris non cohibes. At cave mihi bilem moveas. Si non parcis hujusmodi in me dicta jaculari, ego ea in te retorquebo: sunt & mihi quas referam contumelias. Th. Et solas quidem. Ba. Tales, inquam, remitto (si nescis miserrima) qui vatibus tuis, ne carminibus quidem (quibus apprime triumphas) cesserint. Th. Numero fateor. Nos vero non tam versuum cumulum quam virtutem spectamus. Tibi contra quot sint, non quales curæ est. Paginas numeras, barbarismos dissimulas. Tantum ex omni sibi consonent parte, id unum quæritur: virtus negligitur. Ba. De virtute garris insana? Ego virtute nil tam inane puto quam tua poemata. Quid enim aliud quam fucata sunt mendacia, fabulis plena anilibus? Th. Satis laudas. Ba. Egone tam

C ridicula? Th. Laudas nescia. Ba. Tam mendosa? Quin ludo potius, quam laudo. Th. Laudas invita. Ba. Qui sic? Th. Dum laceras invida. Malis enim displicere, laudari est. Ba. Magna vero, quibus invideat quisquam, laborata mendacia. Th. Luce clarius tuam manifestas inscitiam. Nescis infelix, quam probes iis stultiloquiis Poetarum industriam; qui indignum censentes porcis, cœno & luto amicis, rosas objici, ita veritatem ipsam, peregrina fabularum specie, & quodam verborum ænigmate obtexerunt dissimularuntque: ut omnibus quidem legere liceat, intelligere autem non ita. Legunt, & tam abeunt nescii, quasi viderint nunquam. Legit peritus, & ipsas verborum penetrat imagines, (diaphanum enim sunt) de-

D prehenditque latere ingentem sanissimæ veritatis thesaurum, quem illi prætererant. Ba. Euge, euge. Quam lepidum facinus, veris falsa miscere! confictis veritatem fabellis corrumpere! Hoccine est quod tanta laude prædicas? Th. Vis tibi ad hæc paucis respondeam? Mihi responde prior. Quid, obsecro, pulcrius duxeris, gemmasne e stercore legere, an auro intextas mirari? Ba. Postremum præstantius. Th. Respondes tibi. Ita est. Tu si quid in poemate veritatis est, ita sermonis offuscas ineptiis, ut sordeat potius, quam splendeat. Nos ex adverso verborum elegantia non (quomodo tu calumniaris) veritatem corrumpimus, sed quasi gemmam, auro intextam, venustamus. Speciem non tollimus, sed augemus; non ut lateat, sed pulcrior eluceat, efficimus. Denique & hoc agimus, ut, quæ suapte

E natura utilis est veritas, fiat & industria gratior. Hæc tui quum nesciant, lacerant, mordent, invident. Si saperent, quanto me laudarent, sublimius...... Elinguem reddidi. Rumpam silentium hoc. Ba. Id ego rectius de tuis dixerim. Th. Rupi. Ba. Qui cum nostra nesciant poemata, nil aliud norunt, quam ridere & illudere. Th. Talia sunt, quæ nec scita scium, nec inscium reddant nescita. Ba. Nihil verbis opus est, ipsa res probet. Th. Res scilicet. Audire velim. Ba. Hos dico, quos ea scita celeberrimos reddidere. Th. Estne quisquam? Ba. Innumerabiles. Th. Hui! rectissime; quasi vero numerare eos nemo queat. Quod enim aut unum est, aut nihil, nemo numeret. Verumtamen vel numerare incipias, si enumerare non sufficias. Ba.

F Præcipuum omnium *Floristam*, qui a Floribus sortitus est nomen. Th. Sed non bene olentibus. Ba. Deinde *Papiam*. Th. Doctissimum; & quem primum diceres. Ba. Deinde *Huguitonem*. Th. Eximium. Ba. Deinde *Michaelem Modistam*. Th. Præclarum. Ba. Deinde *Jacobum Glosarium*. Th. Mirabilem. Ba. Et quem omnibus merito prætulerim *Johannem de Garlandia*, qui tanta verborum elegantia, tanta sententiarum pollet majestate, ut pauci admodum sint qui eum capiant. Th. Imo nulli, nisi forte barbari sint & ipsi: quis enim illum facile capiat, qui ne se ipse quidem intelligat satis. Ba. Infinita est hæc contentio: garrulitate vin-

vincis; sed ego non in ea consistere palmam puto. Si placet, experiri quid utraque possit, mecum vicissim contende versiculis. Ne trepida, ne cesseris: ego parata maneo. Quæ nostrum vicerit, tum patebit. TH. Perplacet. Age experiamur. Sed tu prior incipe vates. BA. Hæc sunt quæ sæpe præsentibus viris eruditissimis cantare solebam, non sine omnium admiratione. TH. Credo. Sed incipe tandem. BA.

Zwollenses tales, quod eorum Theutonicales
Nomen per partes ubicunque probantur & artes,
Et quasi per mundum totum sunt nota rotundum,
Zwollensique solo proferre Latinica solo
Discunt Clericuli nimium bene verba novelli.

En, ii versiculi in poematibus quam sim diserta declarant. TH. Ha, ha, he. Tot Barbarismos numero quot voces. Patria certe hæc vox est, Chironis videlicet. Quam digesta poemata! non differam iis laudes referre suas:

Tale sonant insulsa mihi tua carmina, vates,
Quale sonat sylvis vox irrudentis onagri;
Quale boat torvus pecora inter agrestia taurus,
Qualeque testiculis gallus genitalibus orbus,
Concinit. Haud vocem humanam, sed dico ferinam.
Hanc celebres laudate viri, & doctissime Florum
Auctor, ades; gratos in serta nitentia Flores
Colligito, meritaque coronam nectito Diva.
Urticæ viridi graveolentem junge cicutam,
Talia nam tali debentur præmia vati.
Annue Barbaries, tuque hanc sine cornua circum
Inter candidulas laurum tibi nectier aures.

BA. Jam mihi nauseat animus, nec audire ineptias istas volo: cesso hinc Zwollis quid mei agant invisere. TH. Perge ocius, & vise indocta indoctas. Perquam gratus erit illis tuus adventus. Frustra, ut video, tecum mihi sermo est. Tu mutaberis nunquam. Recte Virgilianum illud de te dixerim:

Non illam nostri possunt mutare labores.

ME. Ab exordio hujus altercationis, dum monstrum hoc adspicimus, grandi interim omnes fastidio laboramus. TH. Credo equidem. CA. Abeamus, hera, & hanc linquentes bestiam, aprica Parnassi juga petamus, fontemque Heliconium. TH. Faciamus.

CORONIS APOLOGETICA
PRO
COLLOQUIIS ERASMI,
Ex ipsius scriptis, quantum per otium licuit, fideliter collecta a
P. S.
Accedit ejusdem
DE COLLOQUIORUM
UTILITATE DISSERTATIO.

VIRO CLARISSIMO
PETRO SCRIVERIO
AMICO VETERI
DANIEL HEINSIUS S. D.



Ulta sunt quæ pridem nos conjungunt, Vir Clarissime, imprimis autem literarum amor atque eorum admiratio quos hæ commendunt. Inter quos Erasmus noster; non naturæ minus quam Bataviæ parentis tuæ decus ac miraculum; in tanta eruditionis luce ac veritatis, quam stertentibus plerisque invexit, adhuc scopulus eorum, qui hanc ferre nondum didicerunt. Quæ autem causa semper fuit, quod ad Solem, quibus firmi parum oculi, caligent; eadem futura semper est, cur Solem hunc dissimiles non ferant. Nocte ipsa atque in tenebris exortus est, quas semper amant atque amabunt, quorum interfuerat, ne unquam generi mortalium lucesceret: qui die medio connivent, oscitant, pandiculantur, ac per intervalla, ut somniculosi solent, ubi se attollunt, lucem ipsam detestantur, quam oderunt, quam defugiunt. Hesternum merum necdum edormisse dicas. Ipse, cum se totum, atque in solidum deberet sibi, eo præceptore usus, qui futurus erat publicus Europæ, hoc est, semet libertatem, pietatem, eruditionem, ita cum judicio conjunxit, ut in expugnandis publicis erroribus ac morbis totus, unum hoc cum cura ageret: solius veritatis cliens idem ac patronus, nulli, quod stupendum, supplex: nulli Reipublicæ aut Principi in terris, vitæ causa, ut plerique, aut stipendioli, addictus, ne fortunæ quidem, cujus eruditi quoque legibus imperioque haud raro ancillantur, vel obnoxius vel manceps: patrocinii nullius, non judicii, non opum affectator, non culinæ. Qui ita denique egit, ita vixit, ut, cum sibi viveret, de omnibus præclare mereretur. Ipsa pars haud contemnenda universi, neque minus necessaria quam ipsa rerum elementa: sine quibus totum hoc, nec est, nec constat. Cum majori interim quam quisquam hactenus invidia commissus, eos, qui vel erudiri nollent, vel monenti optime detraherent, ridendo sapere aut plorare jussit, voluit: non minus ad amœnitatem quam ad omnium cognitionem natus. Scripta Euangelica ac Apostolica Latine dedit: Paraphrasi sententiam eorum candide expressit. Scripta Patrum spuria ac illegitima a veris separavit ac distinxit. Controversias tractavit, intellexit. Alibi errasse dicent. Quod est hominis. Nec hoc de se negabit qui se hominem non diffitetur. Vitam quæ plerumque vivitur, non aliter inspexit, quam qui instrumento a mechanicis reperto, eminus quæ vident, oculis subjiciunt; ac quasi cominus, ex arte intuentur; ut sic de futuris, quod prudentiæ est, judicaret. Non minus interim securus, quam qui ludos scenicos cum voluptate, extra scenam ipsi, ea lege tamen, ut sententiam mox ferant, intuentur. Et, ut medici nonnulli, retrimenta ac urinam contemplantur, ut non recte affectos valetudini restituant ac sibi: ita noster sordes quoque vitiorum contrectavit, ut errori mederetur; nunquam tristis aut morosus, & ubique suus. Vere Terminus, quem cum effigie delineatum vides. Qui ut olim Diis cæteris cedentibus in templo de manubiis erecto restitisse fertur, ita hic nec statione hostibus, nec loco cessit. Nusquam tamen magis quam in lepidissimo Colloquiorum libro hanc ideam animi expressit: in quo medicum, non gravem, non morosum, sed festivum ac familiarem, agit. Quicquid luditur aut dicitur e vita media petitum est, ut hanc emendet; ita, ut eadem opera, & linguæ, quæ

quæ non paucis sordibus infecta erat, medeatur: barbaris præcipue infestus. Verus Proteus: qui ut formas quaslibet induere, ac pro persona qualibet repræsentare natus, ita similis ubique sui; hoc est, simplex candidusque, ut ii quoque, quos ad partes vocat, vel inviti, quod non omnes assequuntur, Batavum agnoscant. Sed nec ignorabat, quis Dialogi jam olim usus esset; quem Philosophiæ a Platone cæterisque sapientiæ consultis consecratum, ad theatrum Comici antiqui, ad facetias jocosque numeris exutum, Lucianus revocarat. Nihil illi magno constat; omnia ex tempore ut nata, ita huic & occasione lepide accommodata sunt. Quæ deesse illi tempestate ea nunquam potuit, qua ludos maxime exhibebant, qui religionis pariter ac pietatis larva utebantur. Quam detractam, veritati pariter ac genio suspendit. Hoc volebam; ne quid de eo ipse judicem nescires, de quo optime tum judicare tum mereri soles. Quis enim nescit, quantum scripta ejus tibi debeant? Vale, & me ama.

LUGD. BATAVOR. AN. CIↃ IↃ CXXXVI.

DE SYCOPHANTIIS,

ET

Imposturis cujusdam Dominicani, qui in Gallia

COLLOQUIA ERASMI

A se ridicule interpolata, edi curaverat,

ERASMI ADMONITIUNCULA.



PRodierat Colloquiorum libellus, partim e confabulationibus domesticis, partim e schedis meis consarcinatus; sed admixtis næniis quibusdam, non tantum ineptis, verum etiam male Latinis planeque solœcis; & hoc nugamentum miro applausu exceptum est, ut in his rebus quoque ludit fortuna. Coactus sum igitur hisce næniis manum admoliri. Tandem adhibita paulo majore cura, non pauca adjecimus, ut esset justa libelli magnitudo; jamque vel hoc honore dignus videri posset, ut Joanni Erasmio Joannis Frobenii filio, puero tum sex annos nato, sed indole incredibili, dicaretur; id factum est an. CIↃ IↃ XXII. Quamquam hujus operis natura est, ut quoties visum fuerit, recipiat accessionem. Itaque in gratiam studiosorum & Joannis Frobenii, frequenter jam auctarium adjecimus; sed ita temperatis argumentis, ut præter lectionis voluptatem, ac sermonis expoliendi fructum, inesset quod ad mores quoque formandos conduceret. Porro donec præter meras ineptias nihil haberet ille libellus, miro omnium favore legebatur. Ubi accesserat uberior utilitas, non potuit effugere [1] τῶν συκοφαντῶν δήγματα. Theologus quidam Lovaniensis mire lippiens oculis, sed multo magis ingenio, vidit illic quatuor locos Hæreticos. Accidit & aliud quiddam huic operi memorabile. Excusum est nuper Lutetiæ correctis, hoc est, depravatis, aliquot locis, quæ videbantur attingere Monachos, Vota, Peregrinationes, Indulgentias, aliaque hujus generis; quæ si plurimum valerent apud populum, uberior esset istis quæstus. Verum hoc fecit adeo stulte, adeo indocte, ut scurram quempiam e trivio fuisse jures: quum auctor tam insulsæ fabulæ feratur Theologus quidam ordinis Dominicani, natione Saxo; quorsum attinet addere nomen & cognomen, quod nec ipse cupit supprimi? nescit tale portentum pudescere; citius laudem etiam petat ex scelere. Addit Impostor novam Præfationem meo nomine, in qua fecit tres viros in uno puero instituendo sudantes; [2] Capitonem, qui tradidit literas Hebraicas: [3] Beatum, qui Græcas: me, qui Latinas. Horum utroque facit me tum literatura, tum pietate inferiorem; significans in Colloquiis inspersa quædam quæ Lutheri resipiant dogmata. Atque hic scio quosdam sublaturos cachinnum, quum legent Capitonem ab isto, qui sic odit Lutherum, optimi doctissimique viri elogio prædicatum. Hæc atque hujusmodi multa me loquentem facit, hujus audaciæ exemplo sumpto ex epistola Hieronymi, qui queritur æmulos suos ipsius nomine confictam epistolam sparsisse apud Afros in conventu Episcoporum, in qua fateretur se deceptum a Judæis quibusdam falso vertisse Vetus Testamentum ex Hebræis. Et omnino persuasissent eam epistolam esse Hieronymi, si stylum Hieronymi aliqua ex parte potuissent assequi.

1 Calumniatorum morsus.

2 Is est *Wolfgangus Fabricius Capito*, mortuus Argentorati anno 1541. ubi Concionatoris, apud Protestantes, munus obibat. Summus fuit amicus *Oecolampadii*, *Erasmumque* ad easdem partes trahere conatus est.

3 *Beatus Rhenanus*, Selestadiensis, amicus *Erasmi*, cujus vitam conscripsit. Obiit Argentorati anno 1547. Sequutus est *Erasmi* sectam, in eo quod cum non improbaret reformationem Ecclesiæ, tamen aperte se Reformatoribus non adjunxit.

A Hoc facinus quum Hieronymus referat velut extremæ deploratæque malitiæ, tamen unum hoc arrisit isti Phormioni, quod est quovis libello famoso sceleratius. Sed defuit malitiosæ voluntati facultas perficiendi quod destinarat. Stylum Erasmi quamvis incultum assequi non potuit: sic enim claudit florulentam suam Præfationem: *Ita monuit ætas, ita jussit pietas, ut dum vivere datur prægravi senecta scripta mea repurgem, ne functos manes, tristibus transcribant sequaces inferiis.* Quum talis sit hominis sermo, tamen non veritus est sues flosculos nostris coronis intexere; aut insanissime sibi placens, aut pessime sentiens de judiciis Theologorum. Nam his ista cudit; quos omnes tam B stupidos esse putat, ut non statim deprehensuri sint, infeliciter assutos hujus pannos. Tam abjecte ubique adulatur Galliæ, Lutetiæ, Theologis, Sorbonæ, Collegiis, ut nemo mendicus possit abjectius. Itaque si quid parum magnifice dictum videtur in Gallos, transfert in Britannos; si quid in Lutetiam, vertit in Londinum. Addidit quædam odiosa, velut a me dicta, quo mihi conflet invidiam apud eos quibus dolet me esse carum. Quid multis? passim suo commodo resecat, addit, mutat, veluti sus oblita cœno volutans sese in horto alieno, nihilque non conspurcans, perturbans, evellens; nec interim sentit perire captatam a nobis argutiam. Etenim quum ille cuidam dicenti, ex *Hollando versus es in Gallum*, respondetur, *Quid? an capus eram, quum hinc abirem?* ille mutavit, *ex Hollando versus es in Britannum. Quid? an Saxo eram, quum hinc abirem?* C Rursum, quum idem dixisset, *Vestis indicat te mutatum ex Batavo in Gallum*; ille ex *Gallo* facit *Britannum*: quumque ille respondisset, *hanc metamorphosin malim, quam in Gallinam*, alludens ad *Gallum*; ille mutavit *Gallinam* in *Bohemum*. Mox, quum jocatur *se Latinum sermonem sonare Gallice*, ille pro *Gallice* vertit *Britannice*; & tamen reliquit quod sequitur, *Nunquam igitur bona carmina facies, quia periit syllabarum quantitas*; quod in Britannos non congruit. Item, quum illic dicatur, *Quid accidit Gallis, ut bellum suscipiant cum Aquila?* ille sic corrumpit jocum, *Quid accidit pardis, ut bellum suscipiant cum liliis?* quasi lilia soleant prodire in bellum. Interdum non sentit ea quæ sequuntur cum his quæ mutavit non cohærere. Velut hoc ipso in loco. Ego scripseram, *Estne Lutetia immunis a pestilentia?* ille mutat, *Estne Londinum immunis a pestilentia?* Rursus alio loco, quod D a quodam dicitur, *Quid trepidamus hunc gallum lacerare?* ille *gallum* vertit in *leporem*; nec tamen mutavit quod sequitur, *utrum mavis de ala, an de poplitibus?* Porro quum Dominicalibus adeo tenere faveat, ut voluerit apud illos sedere Commissarios; tamen Scotum atrociter attactum æquo fert animo. Nec enim mutavit quod illic dicit quidam, *citius patiar perire totum Scotum, quam libros unius Ciceronis.* Verum ut hæc stultitiæ plena sunt, ita insunt permulta quæ parem habent stultitiæ junctam malitiam. Quidam illic irridet sodalem, qui quum esset perditæ vitæ, tamen fideret bullis indulgentiariis: hic Corrector facit illum fatentem se

se cum Luthero suo sentire Indulgentias Pontificias nihil valere; ac mox fingit eundem resipiscentem, profiteri erroris sui poenitentiam. Atque hæc videri vult a me correcta. O miros fidei Atlantes! Hoc perinde ac si quis offis sanguine imbutis vulnus mentiatur in humano corpore, ac mox idem sublatis quæ admoverat, vulneri medeatur. Dicit illic puer quispiam, *confessionem qua fit Deo, præcipuam esse*; ille correxit, asseverans *confessionem quæ fit Sacerdoti præcipuam esse*; ita prospexit periclitanti Confessioni. Unum hoc, exempli causa, retuli, quum in hujus generis sycophantiis creber sit. Atque hæc respondent palinodiæ, quam ille sub meo nomine pollicetur in falsaria Præfatione; quasi cujusquam sit canere palinodiam erroris alieni: aut quasi quicquid illic sub quacunque persona dicitur, meum sit dogma. Nihil enim me movet, quod hominem nondum sexagenarium facit prægravi senecta. Olim capitale erat edere quicquam alieno nomine, nunc tales sycophantias in vulgus spargere, ficto ipsius nomine qui traducitur, ludus est Theologorum; nam vult Theologus videri, quum res illum clamitet ne pilum quidem teneri rei Theologicæ. Nec dubito, quin furcifer ille mendaciis suis imposuerit famelico typographo: non enim arbitror quemquam esse tam insanum, qui sciens tam indoctas nænias velit excudere. Deploratam hominis audaciam mirari desii, posteaquam intellexi illum esse pullum e nido Bernensi quondam elapsum, plane [1] ἐκ κακοῦ κόρακος κακὸν ᾠόν. Illud demiror, si verum est quod adfertur, apud Parisios esse Theologos qui sibi plaudant, quod tandem nacti sunt hominem qui eloquentiæ suæ fulmine disjiciat universam Lutheri factionem, & Ecclesiam pristinæ restituat tranquillitati. Nam scripsit & adversus Lutherum, ut audio. Et postea Theologi queruntur se a nobis traduci, qui studia ipsorum tantis vigiliis adjuvamus; quum ipsi volentes amplectantur talia monstra, quæ plus dedecoris adferunt ordini Theologorum, atque etiam Monachorum, quam quivis quamlibet maledicus hostis posset. Qui tale facinus audet, idem non dubitabit incendium, aut veneficium admittere. Atque hæc excuduntur Lutetiæ, ubi nefas est vel Euangelium excudi, nisi Theologorum censura comprobatum. Hoc Colloquiorum opus postremum exiit auctum coronide, anno cIↃ IↃ XXIV. mense Septembri.

ERASMUS ROTERODAMUS

THEOLOGIS LOVANIENSIBUS,

Fratribus in Domino Carissimis,

S. D.

Res ad me delata est, non solum rumore, sed ex amicorum haud futilium literis, & illa nominatim exprimentium quibus verbis, quo loco, apud quos mihi intentata sit calumnia per illum perpetuo sui similem; cujus etiam mores ac priora gesta faciunt, ut quod alioqui probabile futurum erat, pro comperto possit haberi. Proinde non arbitratus sum mihi dissimulandum esse: præsertim apud Vos, quorum partes erant tam effrenem hominis petulantiam, si non mea causa, certe ordinis vestri gratia coërcere.

Jactat ac vociferatur, in libello Colloquiorum quatuor esse loca, plusquam Hæretica: De *esu carnium*, & *jejunio*: De *Indulgentiis*, ac de *Votis*. Hoc quum ille fortiter & impotenter asseveret, tamen secus habere comperiet, quisquis libellum legerit integre. Quod si cui non vacat ejusmodi nugas legere, rem paucis aperiam. Id vero priusquam aggrediar, tria quædam præfari visum est.

Primum, hac in re non posse mihi objici contemptum Edicti Cæsarei, quod audio publicatum VI Maji, anno cIↃ IↃ XXII. quum hic libellus multo ante fuerit excusus, idque Basileæ, ubi tamen nullum adhuc Cæsaris Edictum vel publice vel privatim fuit exhibitum.

Deinde, quod in eo libello non trado dogmata Fidei, sed formulas loquendi Latine: tametsi quædam admixta sunt obiter, quæ faciunt ad bonos mores. Quod si Grammaticus præscripto themate Germanico, Gallicove, sic doceret pueros hunc sensum Latine reddere: *Utinam nihil edant præter allia, qui nobis hos dies pisculentos invexerunt*. Aut hoc: *Utinam inedia pereant, qui liberos homines adigunt ad jejunandi necessitatem*. Aut hoc: *Digni sunt ut fumo*

A *pereant, qui nobis Dispensationum ac Indulgentiarum fumos tam care vendunt*. Aut hoc: *Utinam vere castrentur, qui nolentes arcent a matrimonio*. Quæso, num is causam dicere cogeretur, qui sententiam, licet improbam, doceret verbis bene Latinis efferre: Neminem arbitror esse tam iniquum, qui hoc censeat æquum.

Tertio, cum primis illud videndum erat, qualis sit persona cui sermonem in Dialogo tribuo. Non enim illic facio Theologum concionantem, sed bellos homunculos inter se nugantes. Quod si quis tam iniquus sit, ut nolit mihi suffragari personæ qualitatem, is eadem opera debet imputare, quod illic Augustinus (opinor) quidam contemnit honestum Stoicorum, & præfert sectam Epicureorum,
B qui summam boni posuerunt in voluptate. Idem imputet, quod illic miles quidam inter multa, quæ sane militariter loquitur, ait se velle quærere sacerdotem confessurus, cui quamminimum sit bonæ mentis. Idem imputaret, opinor, si in Dialogo tribuerem Ario sermonem ab Ecclesiastico dogmate dissonantem. Hæc si mihi absurde imputarentur, cur in cæteris non debet respici personæ qualitas? Nisi forte, si Turcam loquentem facerem, mihi censeant imputandum quidquid ille diceret.

Hæc præfatus, in genere de locis ab isto taxatis pauca dicam. In primo loco puer quidam, sedecim annos natus, ait se confiteri peccata dumtaxat certo capitalia, aut vehementer suspecta: quum Lutherani, sicut audio, doceant non esse necesse confiteri omnia crimina capitalia. Proinde
C res ipsa declarat, hunc pueri sermonem multum dissonare a dogmate quod vos damnatis. Mox puer idem rogatus, an ipsi sufficiat confiteri Christo; Respondet, satis futurum animo suo, si idem visum fuisset Ecclesiæ proceribus. Ex hoc ratiocinatur non per artem Dialecticam, sed per malitiam sycophanticam: Me videlicet auctorem esse, hanc *Confessionem*, qua nunc utimur, non esse institutam a Christo, sed ab Ecclesiæ præsulibus. Ista collectio posset videri probabilis, si Christus non esset unus e primatibus Ecclesiæ, quum juxta Petri dictum sit *Princeps pastorum*, ac juxta vocem Euangelicam, *pastor bonus*. Ergo qui proceres Ecclesiæ dicit, non excludit Christum, sed complectitur & illum cum Apostolis, & Apostolorum successoribus; quemadmodum qui præcipua corporis membra nominat, non
D excludit caput. Quod si cui videbitur hæc responsio non carere stropha: age, demus puerum illum sensisse de puris hominibus, Ecclesiæ proceribus: an puero non est satis quod in confitendo sequitur auctoritatem illorum, etiamsi non habeat certum, an Pontifices potuerint hoc instituere de suo, an tradiderint nobis ex institutione Christi? quum illi sit animus parere, quocunque modo tradiderint. Ne mihi quidem ipsi satis adhuc plene constat, quod Ecclesia definierit hanc Confessionem, ut nunc fit, esse ex institutione Christi. Sunt enim permulta argumenta, mihi quidem insolubilia, quæ suadent contrarium. Et tamen hunc
E animi mei sensum ubique submitto judicio Ecclesiæ, libenter sequuturus simul atque certum vigilans claram illius vocem audiero. Jam, si maxime hoc expressisset Bulla Leonis, & aliquis vel nesciret, vel non meminisset, sufficeret interim (opinor) hac in re obsequi auctoritati Ecclesiæ, cum animo parendi, si & illud constaret. Neque vero recte colligi potest, *Hæc Confessio est ex institutione hominum, ergo non habet auctorem Christum*. Apostoli instituebant Ecclesiarum disciplinam, haud dubie, quin ex institutione Christi: instituebant Baptismum, instituebant Episcopos; sed auctoritate Christi. Et tamen negari non potest, multa hujus Confessionis pendere ex constitutione Pontificum: videlicet, quod confitemur semel in anno, quod ad Pa-
F scha, quod huic aut huic sacerdoti; quod nos quivis sacerdos absolvit a quibuslibet admissis. Ex his arbitror liquere, quam sit manifesta calumnia, quod ad *Confessionem* attinet.

Porro, non fit illic mentio de *jejunio*, ad quod nos hortatur Euangelium, & Apostolicæ literæ, sed *de delectu ciborum*, quem palam contemnit in Euangelio Christus, nec raro damnant Paulinæ literæ: præsertim Judaïcum, & superstitiosum. Dicet aliquis, hoc est accusare Pontificem Romanum, qui hoc præcipiat quod damnat Apostolus. Quid doceat Euangelium, in propatulo est. Pontifex ipse declaret, quo animo jubeat quod non exigit Euangelium.

1 Ex pessimo corvo pessimum ovum.

Quamquam nullus illic dicit, quod nescio an doceat Lutherus, constitutiones Pontificum non reddere nos obnoxios crimini, nisi contemptus accesserit. Imo qui loquitur illic, concedit, Pontificem posse constituere: tantum quærit, an hic fuerit animus Pontificis, obligare ex æquo omnes ad carnium abstinentiam; sic, ut qui comederit, obnoxius sit Gehennæ, etiamsi non accedat perversus contemptus. Et qui hoc dicit in Colloquiis, addit se non aliter odisse pisces, quam anguem. Sunt autem quidam sic affecti, ut piscis sit illis venenum, quemadmodum inveniuntur, qui similiter abhorreant a vino. Qui sic affectus est erga pisces, si prohibeatur vesci carnibus & lactariis, nonne dure tractabitur? An hunc quisquam homo velit obnoxium fieri pœnæ Gehennæ, si pro corpusculi necessitate vescatur carnibus? Si quævis constitutio Pontificum & Episcoporum obligat ad pœnam Gehennæ: dura nimium est conditio Christianorum. Si quædam obligant, quædam non obligant, nemo melius declarabit animum suum quam ipse Pontifex. Atque id sane declaratum esse, faceret ad tranquillitatem conscientiarum. Quid si Pontifex aliquis statueret, ut sacerdotes incederent cincti: an probabile erit eum hoc animo statuisse, ut si quis ob dolorem renum deponeret cingulum, redderetur obnoxius Gehennæ? non opinor. Divus Gregorius constituerat, Ut si quis noctu cognovisset uxorem, abstineret postridie ab ingressu templi: hic, si quis dissimulato coitu, templum fuisset ingressus, non ob aliud, nisi ut audiret Euangelicam concionem, an is obnoxius fieret Gehennæ? Non arbitror virum sanctissimum fuisse tam immitem. Si quis cum ægrotante uxore vesceretur carnibus, quod aliter ad edendum non posset provocari, & valetudo posceret cibum, num Pontifex vellet illum ob id factum esse obnoxium Gehennæ? Hoc tantum ibi quæritur, nec quicquam asseveratur. Et certe ante Cæsaris Edictum hisce de rebus licebat quærere.

Jam vero nec illic, nec alibi simpliciter damno Pontificum *Indulgentias*; quanquam hactenus plus satis indultum est illis. Tantum quidam ridet congerronem suum, qui quum alias esset nugacissimus nugator (nam talis fingitur) tamen præsidio Bullæ credebat se perventurum in cœlum. Hoc adeo non arbitror Hæreticum esse, ut existimem nihil esse sanctius, quam admonere populum, ne Bullis confidant, nisi studeant mutare vitam, & pravos affectus corrigant.

Sed ridentur illic *Vota*. Imo ridentur & admonentur isti, quorum plurima turba est, qui domi relictis liberis & uxore, voto temere inter pocula concepto, cum aliquot combibonibus Romam, Compostellam, aut Hierosolymam procurrunt. Quanquam, ut nunc sunt mores, arbitror sanctius in totum homines a talibus Votis dehortari, quam adhortari.

Hæ videlicet sunt exsecrabiles Hæreses, quas ille Lynceus vidit in libello puerili. Mirum autem cur non excutiat & Catunculum meum, & Mimos Publianos. Quis non intelligit ista proficisci a privato quodam odio? Quanquam a me quidem in nulla re læsus est, nisi quod favi bonis literis, quas ille plus quam capitaliter odit, nec scit quam ob rem. Et interim gloriatur, sibi quoque telum esse, quo se ulciscatur. Si quis illum in convivio dixerit Corœbum aut ebrium, ille vicissim in concione clamabit eum hæreticum, aut falsarium, aut schismaticum. Credo, si coqua in cœna poneret carnes adustas, postridie in concione clamaret illam de hæresi suspectam. Nec pudescit, aut resipiscit, toties ipsa re deprehensus in manifesto mendacio.

Primum, quam stulta, quam insana blateravit in Novum Testamentum a me recognitum? Deinde, quid insanius illa voce, quam jecit in Jacobum Fabrum & me, quum ipsa res loqueretur illum non intelligere quid mihi cum Fabro conveniret, aut quid esset in controversia? Quid impudentius, quam quod in publica lectione falsi crimen & hæresim impegit, quod juxta Græcos verterim: *Omnes quidem non resurgemus, sed omnes immutabimur.* Quid furiosius, quam quod Mechliniæ in publica concione monuit populum, ut caveret ab hæresi Lutheri & Erasmi? Quid enim nunc commemorem, quas voces evomat verius quam eloquatur in lautis conviviis, quoties e poculis accrescit zelus domus Dei? Nuper apud Hollandos dixit me apud Theologos Lovanienses haberi pro falsario; (scripsit ad me qui præsens audivit.) Rogatus, quam ob rem? Quare, inquit, toties castigat Novum Testamentum? O stolidam linguam! Hieronymus toties castigavit Psalterium, an ideo falsarius est? Denique si falsarius est, qui vel imprudens, vel ob inscitiam vertit aliquid secus quam oportet, falsarius fuit hic cujus hodie Translatione utitur Ecclesia. Quantum autem proficit istiusmodi moribus? Omnes rident ut Morychum, horrent ut ceritum, fugitant ut morosum & intractabilem. Nec possunt non bene sentire de eo, de quo ille tam odiose prædicat. Et quum omnibus displiceat, uni sibi displicere non potest.

Hoc scilicet habet Edictum Cæsaris, ut furiosa linguæ petulantia in quemcunque vellet debaccharetur. Sic sustinet negotium Orthodoxæ Fidei vir sapiens & gravis. Non est iste zelus Dei, lædere innoxios, sed furor est Diaboli. Semel collaudatus est Judaïcus zelus Phinees, sed ita ut exemplum non transeat ad Christianos. Et tamen ille palam impias occidit. Isti, quidquid odit, Lutheranum est & Hæreticum. Sic opinor tenue zuthum, vapidum vinum, & jus insipidum, isti Lutheranum vocabitur; & lingua Græca, quam unice odit, opinor ob id quod hanc Apostoli tanto honore dignati sint, ut non alia scripserint, Lutherana vocabitur. Poetica, nam & hanc odit, magis amans Potaticam, erit Lutherica.

Clamat per nos minui suam auctoritatem, seque meis scriptis ludicrum fieri; imo ipse sese propinat doctis & cordatis omnibus deridendum: nec ullum facit finem. Ego calumniam a me depello. Quod si docti bonique male sentiunt de eo qui immerenti calumniam intendit, utri par est imputare, jure depellenti, quod agnoscere non debet, an per injuriam intendenti? Si quis affirmans asinis esse alas in Brabantia, rideretur: nonne ipse faciat ridiculum? Clamat TOTUM LUTHERUM ESSE IN LIBRIS MEIS, omnia undique scatere hæreticis erroribus. Cæterum ubi qui mea legunt, nihil tale reperiunt, etiamsi Dialecticen nesciant, tamen facile colligunt quod consequitur. Habet auctoritatem a Cæsare; rem igitur gerat ex animo Cæsaris, qui nocentes sanari mavult quam puniri: certe innoxios lædi non vult. Concredit hoc muneris ignoto; ubi rescierit qualis sit homo, dubium non est quin quod credidit sit repetiturus. Nec Cæsaris mitissimi, nec Pontificis integerrimi mens est, ut qui suis vigiliis & ornare student & juvare Rempublicam, dedantur odiis talium, etiamsi quid humani lapsus esset; tantum abest, ut bonos & integros velint alienari, & in diversam partem protrudi.

Hæc magis ad Vos pertinent, quam ad me. Nam hujus mores multum dedecoris conciliant ordini vestro, dum vulgus ex hoc uno vos omnes æstimat; injuria quidem fateor; sed sic sunt hominum mores; neque paucos a Theologiæ studio alienat istius asperitas. Scio totum hominem vobis displicere, præter duos aut tres combibones, & unum veteratorem, qui stultitia hominis ad suas cupiditates abutitur. Sed ita demum intelligerent omnes, eum vobis non probari; si, posteaquam coërceri non potest, ejeceritis e vestro contubernio. Difficillimum quidem istud erit, sat scio. Nam ægre tales avelluntur a nidore conviviorum solemnium, opiparorum, & gratuitorum. Sed tamen hoc pertinet ad honorem ordinis vestri: cui merito faveo. Bene valete. *Scripta anno (opinor)* cIↃ IↃ XXXI.

EX EPISTOLA ERASMI
AD
JOANNEM OECOLAMPADIUM,

Ann. 1529. *Id. Jul.*

Hodie mihi narravit Hieronymus Frobenius, esse, qui nescio quid sinistri suspicentur de animo in te meo, quasi te scriptis meis perstrinxerim; deinde, quasi nuper deflexerim ab itinere, ne te salutarem. Scito, utrumque esse vanissimum somnium. Nullam literam scripsi qua te perstrictum volui, aut quam scribens de te cogitavi. Quum excuderetur Colloquium *Cyclops*, quidam ex operis Frobenianis suspicati sunt, quod dicitur de *ove in capite*, *vulpe in pectore*, deque *longo naso*, ad te pertinere; quum constet, hoc lusum in *Nicolaum Cannium* famulum meum, qui ambiebat in Colloquiis celebrari; is talem gestat pileum, & nasum habet

habet longum, & colore est fusco, capillitio nigro. Te similiuti pileo, nunquam audieram, nisi hac occasione. Non sum tam ineptus, ut talibus nugis utar in viris eruditos. Ambiebat & *Polyphemus* celebrari, qui circumferebat Codicem Euangelicum belle ornatum, quum ipsius vita nihil esset inquinatius. Sic res habet de scriptis. Jam ea via soleo fere semper adire hortum Frobenii, quum cœlum est commodius, quod altera sit angustior, & fœteat. Itaque si nullus adfuisset, illac tamen eram iturus. Nec te tum novi adversum, sed famulus admonuit. Itaque reflexissem iter ad te, nisi plures adfuissent mihi ignoti, quorum cœtum turbare nolui. Idque tum dixi famulo. Sic habet de suspicione, &c. *Adde ejusdem Epistolam* Bilibaldo suo *inscriptam eodem tempore.*

EX ERASMI EPISTOLA *AD* JOANNEM CHOLERUM, Præpositum Curiensem.

Ann. 1532. 5. *Octob.*

LAmbertus Campester, qui olim Lutetiæ edidit Colloquia mea velut a me emendata, persuaso typographo rem esse vendibilem, & sub nomine meo præfatus, & admixtis per totum opus miris emblematibus, quibus meipsum accusabam, omnia plena scurrilis cujusdam stoliditatis, quo peracto fugit Lugdunum; &, simulans se summum Erasmi amicum, reperit patronum; cui, mox suffuratus trecentos coronatos fugit, & in fuga deprehensus est inter aliquot puellas, suffigendus in crucem, nisi sacra cucullaDominici servasset eum. Is, inquam, multis aliis flagitiis ac sceleribus designatis, tandem in civitate quadam Germaniæ, Zorst opinor dicitur, ditionis Juliacensis, excussa cuculla docet Euangelium, hoc est, meras seditiones. Dux petiit, ut hominem ejicerent. Responderunt, se non posse carere suo Ecclesiasta. Et ista pestis serpit indies.

Anno 1536. 10. *Kal. Majas.*

ATqui non omnia in hoc scribuntur, ut evulgentur; lusimus quædam adolescentes styli exercendi gratia: quædam aliis dictavimus sic inambulantes, nihil minus cogitantes quam de evulgando: nonnulla scripsimus discipulis tardis. Hujus generis erant Colloquia, quæ Helenius quidam haud scio unde nactus, nam apud me nullum unquam fuit exemplar, care vendidit Joanni Frobenio, simulans alios esse typographos qui empta cuperent. Hæc emendi orexis.

Erasmus in Epistola scripta Basileæ,
Anno M IƆ XXXVI. XXVII. *Maji.*

DEmiror Dolæ tantum posse duos Franciscanos. Colloquia & venduntur & excuduntur Lutetiæ, & Dolæ exsulant. Qui dicunt in illis aliquid esse hæreticum, sive docti sive indocti mentiuntur. Id liquido perspiciet qui legerit meas Declarationes.

ERASMUS ROTERODAMUS DE UTILITATE COLLOQUIORUM

AD LECTOREM.

ADeo nunc in omnes & in omnia per universum orbem grassatur comitata Furiis 1 ἡ διαβολὴ, ut tutum non sit ullum emittere librum, nisi satellitio munitum. Quamquam quid satis esse tutum possit adversus sycophantæ morsum, qui velut aspis ad vocem incantantis, ita ad omnem purgationem quamvis justissimam, obturat aures? Prima pars hujus operis, quæ mea fuit & non mea, temeritate cujusdam erat edita. Quam cum ingenti applausu viderem exceptam a studiosis, abusus sum affectu vulgari ad profectum studiorum. Quandoquidem nec medici semper ægrotis ministrant saluberrima, sed illis nonnihil concedunt ob hoc ipsum, quod vehementer appetant. Itidem mihi visum est, hoc genus illecebris inescare teneram ætatem, quæ jucundis facilius ducitur, quam seriis aut exactis. Itaque quod editum erat repurgavi; deinde adjeci quæ moribus etiam formandis conducerent, velut irrepens in animos adolescentium, quos recte scripsit Aristoteles inidoneos auditores Ethicæ Philosophiæ, dumtaxat ejus, quæ seriis præceptis traditur. Quod si quis clamet, indecorum homini seni sic pueriliter ludere, nihil moror quam pueriliter, modo utiliter. Etsi laudantur literatores ætate provecti, qui pueritiæ crustulis blandiuntur, 2 *elementa velint ut discere prima*; mihi non arbitror vitio verti debere, quod simili studio juventutem illecto, vel ad elegantiam Latini sermonis, vel ad pietatem. Adde quod bonæ prudentiæ pars est, nosse stultas vulgi cupiditates & absurdas opiniones. Eas arbitror satius ex hoc libello discere, quam experientia stultorum magistra. Multis amara sunt Grammatices præcepta. Aristotelis Ethice non est apta pueris: Theologia Scoti minus; ne viris quidem admodum utilis ad parandam bonam mentem: & plurimum habet momenti, gustum optimarum rerum protinus insevisse teneris animis. Et haud scio an quidquam discitur felicius, quam quod ludendo discitur. Est hoc nimirum sanctissimum fallendi genus, per imposturam dare beneficium. Laudantur 3 enim medici qui sic fallunt ægrotos. Et tamen si nihil heic aliud quam nugatus fuissem, videbantur laturi; nunc quoniam præter linguæ politiem inspersi quædam, quæ mentem instruant ad Religionem, calumniantur, ac perinde quasi dogmata Christianæ professionis heic serio pronuntientur, ita syllabas etiam ad vivum excutiunt. Id quam faciant inique, magis erit perspicuum, ubi declararo *Colloquiorum aliquot non vulgarem utilitatem.* Ut enim omittam tot serias sententias mediis jocis admixtas, tot fabulas, tot historias, tot rerum naturas dignas cognitu: in Colloquio *de visendo loca sacra* cohibetur superstitiosus & immodicus quorundam affectus, qui summam pietatem esse ducunt vidisse *Hierosolymam*; & huc per tanta terrarum marisque spatia currunt senes Episcopi, relicto grege, qui curandus erat: huc viri principes relicta familia ac ditione, huc mariti relictis domi liberis & uxore, quorum moribus ac pudicitiæ necessarius erat custos: huc adolescentes ac fœminæ, non sine gravi discrimine morum & integritatis. Quidam etiam iterum atque iterum recurrunt, nec aliud faciunt per omnem vitam; & interim superstitioni, inconstantiæ, stultitiæ, temeritati prætexitur Religionis titulus, ac desertor suorum, contra doctrinam Pauli, sanctimoniæ laudem aufert, ac sibi quoque pietatis omnes numeros explesse videtur. Paulus 1 Timoth. 11. intrepide pronuntiat: *Si quis autem suorum, & maxime domesticorum, curam non habet, fidem abnegavit, & est infideli deterior.* Atqui heic Paulus loqui videtur de viduis, quæ liberos atque nepotes negligunt, ideoque prætextu Religionis, dum sese mancipent obsequiis Ecclesiæ. Quid dicturus de maritis, qui destitutis teneris liberis, uxore juvencula, idque in re tenui, proficiscuntur Hierosolymam; Ex multis unicum exemplum proferam, nec tam recens, ut metuenda sit invidia, nec tam vetus, quin nepotes supersint, quos damni magnitudo non sinit oblivisci rei gestæ. Vir quidam præpotens decreverat ante mortem invisere Hierosolymam, pio quidem animo, sed parum felici consilio. Rebus igitur ordinatis, facultatum omnium, uxoris, quam gravidam reliquit, oppidorum & arcium curam tutelamque commisit

1 Ἡ διαβολὴ] Hoc est, calumnia, quæ apud Græcos hinc nomen habet, quod omnia in aliam partem trahat & conjiciat atque existimata aut edita sunt.
2 Ex *Horatio* Sat. I. 25. lib. 1.
3 Obversabatur animo *Erasmi* elegans locus *Lucretii* e procemio lib. IV.

Nam veluti pueris absinthia tetra medentes
Cum dare conantur, prius oras pocula circum
Contingunt mellis dulci flavoque liquore, &c.

sit Archiepiscopo, ceu parenti. Ubi rumor allatus est, hominem in ea peregrinatione perisse, Archiepiscopus pro parente gessit prædonem; occupavit possessiones omnes defuncti: denique & arcem munitiorem, in quam gravida confugerat, vi expugnavit: & ne superesset ultor atrocissimi facti, gravida confossa simul cum fœtu periit. Nonne pium erat, tali viro dissuadere periculosam & non necessariam profectionem? Hujus generis quam multa comperiantur exempla, cæteris æstimandum relinquo. Ne quid interim dicam de sumtibus, quos, ut fateamur non omnino perire, tamen nemo prudens non fatebitur, in usus longe meliores expendi potuisse. Quod autem ad Religionem attinet, divus Hieronymus laudat Hilarionem, quod cum esset Palæstinus, & in Palæstina viveret, tamen semel duntaxat viserit Hierosolymam, ob loci viciniam, ne videretur contemnere loca sacra. Si merito laudatus est Hilarion, quod abstinuerit ab Hierosolyma, tam vicinus, ne Deum angusto loco claudere videretur; semel tantum adierit, ob loci propinquitatem ne quos offenderet; quid dicendum de his qui ex Anglia & Scotia tantis impendiis per tot discrimina petunt Hierosolymam, præsertim domi relictis carissimis, quibus juxta doctrinam Apostoli debent perpetuam curam? Clamat sanctus Hieronymus: *Non magnum est Hierosolymis fuisse; sed bene vixisse magnum est.* Et tamen ætate Hieronymi probabile est, evidentiora vestigia veterum monumentorum exstitisse, quam nunc exstant. De *votis* disputationem aliis relinquo; tantum hoc agit Colloquium, ne quis temere talia vota suscipiat. Id esse verum, declarant hæc mea verba: *Præsertim cum domi haberem uxorem, integra adhuc ætate, liberos, & familiam quæ pendebat ex me, & opera mea quotidiana alebatur:* & cætera quæ sequuntur. De votis igitur susceptis nihil dicam, nisi quod, si summus essem Pontifex, non admodum gravate relaxarem obstrictos. In suscipiendis, quemadmodum fateor fieri posse, ut aliquis cum fructu pietatis eat Hierosolymam, ita non dubitarem, multis, ex rerum circumstantiis, dare consilium ut eas impensas, tempus, & operam insumerent in alia quæ propius conducunt ad veram pietatem. Hæc arbitror esse pia: eoque considerata multorum vel levitate vel ignorantia, vel superstitione, visum est super ea re monere juventutem: neque video quos offendere debeat hæc admonitio, nisi forte quosdam istos, quibus carior est quæstus quam pietas. Nec illic damno *Pontificias Indulgentias*, aut diplomata: sed taxo nugacissimum nugatorem, qui ne cogitans quidem de corrigenda vita, totam spem collocarit in condonationibus humanis. Heic si quis mihi consideret, quanta jactura pietatis nata sit inter mortales; partim ex eorum vitio qui prostituunt Pontificias Indulgentias; partim eorum culpa qui illas secus quam oportet accipiunt, fatebitur operæ pretium, juventutem super hac re commonitam esse. Verum hoc modo parum consultum est commissionariis. Audio ô bone: si viri boni sunt, gaudebunt esse monitos simplices: sin potior est illis quæstus quam pietas; valeant.

In colloquio *de captandis sacerdotiis*, taxo eos, qui Romam cursitant, venanturque sacerdotia, crebro gravi jactura cum morum, tum pecuniæ: eoque deduco sermonem, ut sacerdos pro concubina, lectione bonorum auctorum semet oblectet.

In *militis confessione*, taxo facinora militum, & impiam militum confessionem; ut adolescentes ab ejusmodi moribus abhorreant.

In *monitis pædagogicis* doceo puerum verecundiam ac mores ætati decoros.

In *pietate puerili*, nonne piis præceptis imbuo puerilem animum ad studium pietatis? Nam quod quidam arrodebant de confessione, mera fuit calumnia: cui jam pridem respondi. Doceo confessionem esse suscipiendam perinde quasi nobis esset instituta a Christo. Cæterum an id sit factum, nec refellere est animus, nec asseverare, quod nec mihi satis persuasum est, nec aliis probare possim. Quod autem admoneo de genere vitæ serio deligendo, deque seligendo Sacerdote cui committas arcana tua, judicabam adolescentibus esse necessarium, nec video cur me debeat pœnitere. At sic erunt pauciores monachi & sacerdotes. Fortassis erunt, sed meliores. Idem probabit quisquis vere monachus est. Porro qui venantur proselytos vel ad prædam, vel ob superstitionem, dignissimi sunt qui omnibus omnium scriptis traducantur, quo resipiscant.

In *convivio profano*, non damno constitutiones Ecclesiæ de jejuniis, ac delectum ciborum; sed indico superstitionem quorundam, qui his plus tribuunt quam oportet, negligentes eorum quæ magis faciunt ad pietatem: damnoque eorum crudelitatem, qui hæc exigunt ab his, a quibus Ecclesiæ mens non exigit: item eorum præposteram sanctimoniam, qui ex hujusmodi rebus condemnant proximum. Heic si quis reputet quanta veræ pietatis lues hinc nata sit inter mortales, fatebitur vix aliam admonitionem esse magis necessariam; sed hac de re copiosius alias respondebimus.

In *convivio religioso* cum omnes faciam alienos a sacris, omnes conjugatos, satis doceo quale debeat esse convivium omnium Christianorum. Ad quam formam si sacerdotes quidam & monachi conferant sua convivia, intelligent quantum absint ab ea perfectione qua conveniebat illos laicis antecellere.

In *Apotheosi* doceo, quantum honoris debeatur egregiis viris, qui suis vigiliis bene meriti sunt de liberalibus studiis.

Sunt inepti, quibus *colloquium proci & puellæ* videatur lascivum, cum nihil fingi possit castius. Si res honesta est matrimonium, & procum agere honestum est. Atque utinam omnes proci tales essent qualem heic fingo, nec aliis colloquiis coirent matrimonia! Quid facias istis ingeniis tetricis, & ab omnibus Gratiis alienis, quibus impudicum videtur quidquid amicum est ac festivum? Hæc puella negat proco discessuro osculum, quo totam virginitatem illi servet illibatam. Quid autem nunc vulgo non dant puellæ procis? Deinde non vident quam multa Philosophica sint inspersa jocis, de non præcipitando conjugio, de delectu non solum corporum, sed multo magis animorum, de firmitate conjugii, de non contrahendo matrimonio sine consensu parentum, de caste colendo matrimonio, de sancte educandis liberis, postremo puella comprecatur Christum, ut illius auspiciis sit felix connubium. An hæc non convenit scire juvenes? Et qui hanc lectionem ob lasciviam putant esse noxiam pueris, patiuntur illis prælegi Plautum & facetias Pogii. Præclara judicia!

In *Virgine Misogamo* detestor eos, qui adolescentes aut puellas invitis parentibus pelliciunt in monasterium, abutentes illorum vel simplicitate, vel superstitione; persuadentes eis non esse spem salutis extra monasteria. Nisi talibus piscatoribus plenus esset mundus; Nisi innumera felicissima ingenia per istos infelicissime sepelirentur ac defoderentur viva, quæ fuissent electa vasa Domini, si judicio sumsissent institutum naturæ congruens; non recte admonui. At si quando cogar in hoc argumento proferre quod sentio, sic depingam & plagiarios illos, & ipsius mali magnitudinem, ut nullus non fassurus sit, me non sine causa hæc monuisse: quamquam civiliter id quidem a me factum est, ne malis daretur ansa delinquendi.

In proximo colloquio *Virginis pœnitentis*, non induco virginem, quæ professa mutarit institutum, sed quæ ante peractam professionem redierit ad parentes, quos habebat optimos.

In *Mempsigamo* quam multa sunt Philosophica, de celandis maritorum vitiis, de non interrumpenda conjugum benevolentia, de sarciendis offensis, de corrigendis maritorum moribus, de obsequiis erga maritos? Quid aliud docent Plutarchus, Aristoteles, & Xenophon, nisi quod heic personæ vitam quandam addunt orationi?

In colloquio *Militis & Carthusiani*, simul depingo & insaniam juvenum qui procurrunt ad bellum, & pii Carthusiani vitam, quæ sine studiorum amore non potest non esse tristis & inamœna.

In *Pseudochea* depingo quorundam ingenia, qui nati sunt ad mentiendum, quo quidem hominum genere nihil est exsecrabilius, utinam esset rarius!

In colloquio *Adolescentis & Scorti*, nonne & lupanaria facio casta? Quid autem dici potuit efficacius, vel ad inserendam adolescentum animis pudicitiæ curam, vel ad revocandas ab instituto non minus ærumnoso quam turpi puellas ad quæstum expositas? Unica vox commovit quosdam, quod impudica puella blandiens adolescenti vocat illum suam mentulam, cum hoc apud nos vulgatissimum sit etiam honestis

nestis matronis. Hoc qui ferre non potest, pro *mea mentula*, scribat *mea voluptas*, aut si quid aliud mavult.

In *Convivio Poetico* doceo, cujusmodi debeat esse convivium inter studiosos, parcum, sed festivum & hilare, conditum literatis fabulis, sine rixis, sine obtrectatione, sine turpiloquio.

In *Inquisitione* doceo summam Catholicæ professionis, idque aliquanto vividius ac liquidius quam docent Theologi quidam magni nominis, inter quos pono & Gersonem, quem interim honoris causa nomino. Ideo porro fingo personam Lutherani, quo facilius redeant in concordiam, inter quos de præcipuis articulis Orthodoxæ professionis convenit; etiamsi reliquam Inquisitionis partem non addidi, propter hæc exulceratissima tempora.

In *Senili colloquio* quam multa velut in speculo exhibentur, quæ, vel fugienda sunt in vita, vel vitam reddunt tranquillam! Hæc præstat adolescentes ex festivis colloquiis quam experimentis discere. Socrates Philosophiam e coelo deduxit in terras: ego Philosophiam etiam in lusus, confabulationes, & compotationes deduxi. Oportet enim & ludicra Christianorum sapere Philosophiam.

In *Ptochoplusiis* quam multa sunt, ad quæ pastores rusticani, rudes & indocti, nihilque minus quam pastores possint suam vitam corrigere? prætereaque ad tollendam stultam gloriam vestium, rursus ad coercendam illorum insaniam, qui Monachorum cultum exsecrantur, quasi per se mala sit vestis. Et obiter describitur forma, quales debeant esse Monachi, qui per vicos obambulant. Neque enim admodum multi tales sunt, quales heic describo.

In *Erudita Puella*, simul & Paullæ, Eustochii, Marcellæ, vetus exemplum renovo, quæ cum integritate morum conjunxerunt studium literarum, & Monachos Abbatesque sacrorum studiorum osores, luxui, otio, venationibus, aleæque deditos, puellæ conjugatæ exemplo exstimulo ad aliud studiorum genus ipsis magis congruens.

In *Spectro* detego technas impostorum, qui credulis simplicium animis solent illudere, fingentes apparitiones dæmonum & animarum, vocesque divinas. Quantam vero pestem hæ præstigiæ invexerunt pietati Christianæ! Quoniam autem rudis ac simplex ætas hujusmodi fraudibus potissimum est obnoxia, visum est exemplo non inamoeno depingere modum imposturæ. Sic impositum fuit Cælestino Pont. Romano. Sic Bernæ delusus juvenis a Monachis. Sic commentitiis oraculis & hodie plurimi deluduntur.

Nec minima pars humanarum calamitatum est *Alcumistica*: quæ doctis etiam & cordatis viris imponit; adeo morbus hic adlubescit, si quem corripuerit. Huic affinis est *Magia*, eodem nomine sed cognomine blandiens, *naturalis*. Similes imposturas taxo in *Hippoplano* & *Ptochologia*; rursus in *Convivio fabuloso*. Ex his si nihil aliud discerent pueri, quam Latine loqui, quanto plus laudis mea mereretur industria, qui per lusum ac voluptatem id facio; quam illorum, qui miseræ juventuti Mammetreptos, Brachylogos, Catholicontas, & significandi modos obtrudebant?

In *Puerpera*, præter naturalium rerum cognitionem, quam multa sunt moralia de cura matrum erga liberos, primum infantes, mox grandiores.

In *Peregrinatione religionis ergo*, taxo istos, qui per tumultum ejecerunt omnes imagines e templis: rursus eos, qui insaniunt in peregrinationes, quæ suscipiuntur prætextu religionis; unde jam & sodalitates inventæ sunt. Qui Hierosolymæ fuerunt, Equites aurati vocantur, seque Fratres vocant, & in die Palmarum serio rem agunt ridiculam, fune trahentes asinum, ipsi non multum differentes ab asino ligneo quem trahunt. Id imitati sunt qui Compostellam adierunt. Dentur hæc sane, dentur affectibus hominum: at non ferendum, quod hinc sibi vindicant pietatem. Notantur & ii, qui reliquias incertas pro certis ostendunt, qui his plus tribuunt quam oportet, qui quæstum ex his sordide faciunt.

In *Ichthyophagia* tracto quæstionem de constitutionibus humanis, quas quidam prorsus rejiciunt, multum aberrantes a recta ratione: quidam propemodum anteponunt divinis legibus: rursus alii abutuntur & divinis, & humanis constitutionibus ad quæstum ac tyrannidem. Conor itaque partem utramque ad moderationem temperare; inquirens unde natæ sint, & quibus gradibus huc usque progressæ constitutiones humanæ: quos & quatenus obligent, ad quid conducant, quantum distent a divinis; obiter indicans præpostera mortalium judicia, quibus jam olim mundus plenus est, & unde totus hic orbis tumultus natus est. Hæc ideo quoque tractavi copiosius, quo doctis suppeditarem occasionem accuratius hisce de rebus scribendi. Nam quæ adhuc prodierunt, non satisfaciunt curiosis. Traducere scortationem, temulentiam, adulterium, non perinde ad rem pertinebat; quandoquidem hæc mala nullum fallunt: sed ex his est periculum veræ pietatis, quæ vel non sentiuntur, vel sanctimoniæ fallaci specie blandiuntur. Quod si quis calumnietur, personis sordidis affingi Theologicam disputationem; ab his talia nunc in omnibus conviviis disputantur; & hujusmodi personis opus erat familiarius crassiusque rem tractaturo.

In *Funere*, quoniam mors arguere solet Christianam fiduciam, in duobus idiotis depinxi diversum mortis genus; velut imagine viva ponens ob oculos dissimilem excessum eorum qui fidunt rebus commentitiis, & qui spem salutis fixerunt in misericordia Domini: obiter taxans divitum stultissimam ambitionem, qui luxum ac superbiam suam & ultra mortem proferunt, quam mors saltem debebat auferre: simul eorum perstringens vitium, qui sui compendii gratia, stultitia locupletum abutuntur, quam ipsi potissimum debebant corrigere. Quis enim audebit libere monere potentes ac divites, si Monachi, qui se profitentur mundo mortuos, palpantur illorum vitiis? Si nulli tales sunt, quales descripsi, tamen ostensum est exemplum quod oportet vitari: sin vulgo referuntur longe his quæ proposuimus exsecrabiliora; qui sunt æqui, meam agnoscant civilitatem, suumque vitium corrigant: & si vitio vacant ipsi, alios peccantes vel emendent, vel coerceant. Nullum ordinem perstrinximus, nisi forte totum Christianismum infamat, qui quidquam monendi gratia dixerit in corruptos Christianorum mores. Quos tantopere movet honos ordinis, eos in primis compescere debebant qui palam factis suis dehonestant ordinem. Nunc cum illos ut germanos sodales agnoscant, foveant ac tueantur, qua fronte causantur a bene monente lædi existimationem ordinis? Quamquam quæ ratio dictat, sic habendam hujus aut illius humanæ sodalitatis rationem, ut publicam Christianorum utilitatem negligas?

In *Differentia verborum ac rerum*, taxo præpostera quorundam judicia.

In *Convivio vario*, commonstro rem civilitati congruam.

In *Charonte* detestor bellum inter Christianos.

In *Synodo Grammaticorum* rideo studium cujusdam Carthusiani, suo judicio doctissimi, qui cum in Græcas literas solent stolidissime debacchari, nunc libro suo indiderit Græcum titulum, sed ridicule, *Anticomaritas* dicens, quos appellare poterat *Antimarianos* vel *Antidicomarianos*.

In *Cyclope* taxo quosdam qui Euangelium semper habent in ore, cum in vita nihil sit Euangelicum.

In *Conjugio impari*, pono ob oculos vulgi stultitiam, qui in sponsalibus supputant dotis modum, nec ad rationem vocant sponsi scabiem lepra deteriorem. Atque id hodie fit tam passim, ut nemo miretur, cum nihil sit in liberos crudelius.

In *Ementita nobilitate* depingo genus hominum, qui sub umbra nobilitatis existimant sibi nihil non licere; quæ præcipua pestis est Germaniæ.

In *Senatulo* traducturus etiam vitia quædam mulierum, sed civiliter, ne quis exspectet tale quippiam quale habet Juvenalis: verum hoc agenti, obortus est quidam ἰατρὸς ἀνίατρος lupus, ut ajunt, in fabula. Reliqua fere comparata sunt ad voluptatem, sed non illiberalem. Non hoc est dehonestare ordines, sed erudire. Quapropter omnibus ordinibus, & privatim, & publice rectius consultum fuerit, si deposita quidvis calumniandi rabie, candidis animis amplectamur omnes quidquid pio studio in publicam utilitatem adfertur. Aliis aliæ sunt dotes, & alios alia capiunt, milleque modis homines trahuntur ad pietatem. Laudatum est Juvenci studium, qui sacram Euangeliorum historiam carmine prodidit. Nec sua laude fraudatus est Arator, qui idem fecit in Acta Apostolorum. Adversus Hæreticos tubam intendit Hilarius, ut argutatur Augustinus, Hieronymus dialogis pugnat, Prudentius vario metri genere dimicat, Thomas & Scotus dialecticis ac philosophiæ præsidiis pugnant. Simile studium omnium; sed dissimilis singulorum ratio. Non reprehenditur diversitas, quæ scopum eundem petit. Prælegitur pueris

Petrus Hispanus, quo dociliores veniant ad Aristotelem. A Multum enim promovit, qui gustum dedit. Atqui hic libellus, si teneræ pubi prælegatur, tradet illos ad multas disciplinas magis habiles, ad poëticen, ad rhetoricen, ad physicen, ad ethicen: demum ad ea quæ sunt pietatis Christianæ. Stulti personam suscepi, factus ipse mearum rerum encomiastes: sed me compulit partim quorundam improbitas nihil non calumniantium, partim Christianæ juventutis utilitas, in quam oportet omnes omnibus studiis incumbere.

Hæc ita cum habeant, omnibusque qui literas didicerunt perspicua sint, est tamen quoddam hominum genus mire bliteon. Deputatos appellant Galli; opinor quod male putati sint, aut certe plus satis putati, qui sic pronunciant de meis Colloquiis, opus esse fugiendum, præsertim monachis, B quos illi Religiosos appellant, & adolescentibus; eo quod jejunia & abstinentiæ ecclesiæ parvi penderentur: beatæ Virginis & Sanctorum pro ludibrio haberentur suffragia, virginitas si conjugio conferatur, nullius esse aut parvi momenti, religionis etiam dissuaderetur omnibus ingressus: quodque in eo arduæ difficilesque Theologiæ quæstiones Grammaticulis proponantur, contra statuta per magistratus in artibus jurata. Agnoscis, mi lector, Atticam eloquentiam. Ut ad postremum primo loco respondeam, quid artium Magistri proponant Grammaticulis, nescio: quæ tractantur in Colloquiis, de symbolo, de missa, de jejuniis, de votis, de confessione, nihil habent Theologicæ difficultatis, sed ejus generis sunt ut non oporteat ea quemquam nescire. Et si pueris præleguntur epistolæ Pauli, quid periculi est, si gustus C quidam illis præbeatur Theologicæ disputationis? Ad hæc cum non ignorent pueris Sophistices candidatis perplexas de personis Divinis statim quæstiones summæ difficultatis proponi, ne dicam otiosæ subtilitatis; cur nolunt pueros hoc discere, quod ad communem vitam pertinet; Jam si putant nihil referre, quid sub qua persona dicatur; intelligunt, opinor, quam multa comperiantur in Euangelicis & Apostolicis literis, quæ, secundum hanc legem, manifestam habent blasphemiam. Multis locis approbo jejunium, nusquam damno. Qui secus asseverat, eum declarabo impudentissime mentiri. Sed in *pietate puerili*, inquiunt, leguntur hæc verba: Cum jejunio mihi nihil est negotii. Finge hæc verba dici sub persona militis aut temulenti, num protinus Erasmus D damnat jejunia? Non opinor. Nunc dicuntur ab adolescente nondum adulto; quam ætatem lex non obstringit ad jejunandum: & tamen is adolescens præparat se ad justa jejunia. Sic enim subjicit; sed tamen si sensero opus, prandeo cœnoque parcius, quo me præbeam alacriorem studiis pietatis per diem festum.

Abstinentias vero quam damnem, declarant hæc verba, quæ sunt in *Convivio profano*: In plerisque non res, sed animus discernit nos a Judæis. Illi manum abstinebant a certis cibis, velut ab immundis & animum inquinaturis; Nos cum intelligamus omnia munda esse mundis; tamen carni lascivienti, velut equo ferocienti, pabulum subducimus, quo magis sit audiens dicto spiritui. Nonnunquam immoderatum suavium rerum usum abstinentiæ molestia castigamus. E Paullo post reddit rationem quare Ecclesia interdixerit esum quorundam ciborum. Omnibus, inquit, conducet. Nam tenuibus, cochleis aut ranis licebit vesci, aut cæpas, porrumve arrodere; mediocres detrahent nonnihil quotidianis obsoniis; quod si quid divites deliciantur hac occasione, suæ gulæ imputent, non incusent Ecclesiæ constitutionem. Mox loquor his similia. Rursus aliquanto post; Scio medicis magnopere damnatum esse piscium esum: sed secus visum est majoribus nostris, quibus obtemperare religiosum est. Inibi protinus doceo heic vitandum etiam offendiculum infirmiorum.

Æque falsum est, in colloquiis irrideri suffragia beatæ Virginis, & aliorum Sanctorum; sed illos irrideo qui petunt F a sanctis quæ non auderent a bono viro petere; aut hoc animo petunt a certis divis, quasi hoc aut illud, hic aut ille citius velit aut possit præstare, quam alius, aut quam ipse Christus. Imo in *puerili pietate* sic loquitur puer: Salutem dixi nonnullis. Quibus? Christo ac divis aliquot. Et aliquanto post: Rursus tribus verbis saluto Jesum, ac divos divasque omnes; sed nominatim Virginem matrem; tum eos quos habeo mihi peculiares. Et infra commemorat nominatim quos divos salutet quotidie.

Mirum vero si procus amans laudat nuptias, dicitque castum conjugium non multum abesse a laude virginitatis, cum Augustinus patriarcharum polygamiam anteponat nostro cælibatui.

Quod objiciunt de ingressu religionis, quam sit manifestæ vanitatis, & declarant mea verba in *virgine misogamo*. Sic enim loquitur virgo: Damnas igitur hoc totum vitæ institutum? Respondet juvenis; Nequaquam: verum quemadmodum nemini suadere velim, ut quæ se in hoc vitæ genus conjecerit, luctetur emergere, ita non dubitem hortari puellas omneis, præsertim indolis generosæ, ne se temere eo præcipitent, unde post sese non possint explicare. Hæc est illius colloquii conclusio, utcunque certatum est argumentis. Obsecro, an hoc est omnibus dissuadere ingressum religionis: Non damnatur ingressus, sed præceps temeritas damnatur. Hæc igitur malitiose detorquent ad calumniam. At non perpendunt quam multa illic discant Grammaticuli, qui pugnant cum decretis Lutheranorum.

In *Puerili pietate* traditur ratio bene & utiliter audiendi missam. Docetur ratio bene & efficaciter confitendi. Admonetur puer ut antequam sumat eucharistiam, confessione purget animum. Ibidem docentur Grammaticuli, quæ recepta sunt usu populi Christiani, cum tamen in sacris literis non habeantur, hactenus esse servanda, ne cui simus offendiculo.

In *Profano convivio* docentur, magis obtemperandum Pontificum constitutionibus, quam medicorum consiliis: tantum admonentur, in necessitate cessare vigorem constitutionis humanæ, & mentem legislatoris. Ibidem probat quispiam benignitatem in monachorum collegia, modo detur ad usum, non ad luxum, & potissimum detur religionis disciplinam observantibus.

De constitutionibus humanis hæc pronuntiantur in colloquio ἰχθυοφαγία. Pugnent qui volent, ego censeo leges majorum reverenter suscipiendas & observandas religiose, velut a Deo profectas; nec esse tutum, nec esse pium, de potestate publica sinistram concipere aut serere suspicionem. Et si quid est tyrannidis, quod tamen non cogat ad impietatem, satius est ferre quam seditiose reluctari. Hujusmodi permulta Grammaticuli discunt ex meis colloquiis, quibus sic obmurmurant isti. Sed indecorum est, Theologum jocari; saltem hoc mihi concedant apud pueros, quod ipsi permittunt sibi viri apud viros in vesperiis, ut vocant, rem insulsam insulso vocabulo.

Insulsas calumnias, quas in Hispaniis objecere quidam, ostendi mera esse somnia hominum nec sobriorum, nec Latine scientium. Nec minus indoctum est, quod quidam pronuntiavit hæretice dictum, quod in Symbolo Pater dicitur simpliciter auctor omnium. Verum is deceptus inscitia Latini sermonis, existimat *auctorem* nihil aliud quam creatorem aut fabricatorem significare. Atqui si consulat eos, qui callent elegantiam Romani sermonis, si evolvat Hilarium, aliosque vetustos auctores, comperiet auctoritatem accipi pro eo quod Scholastici vocant rationem perfectissimam principii, eoque Patri peculiariter tribuunt, & auctoris nomine sæpe designant Patrem, cum personas inter se conferunt. An Pater recte dicatur causa Filii, nihil mea refert, cum nunquam eo verbo sim abusus, nisi quod illud est verissimum, nos de Deo non posse loqui nisi verbis impropriis; nec magis proprium verbum est fons aut principium, aut origo, quam causa.

Jam hinc mihi perpende lector, quales sint interdum qui suis sententiis homines pertrahunt ad incendium. Nihil turpius, quam reprehendere quod non intelligas. At ista quidvis calumniandi febris quid aliud gignit quam amarulentiam ac dissidia? Quin potius aliena candide interpretemur, nec statim nostra pro oraculis haberi velimus; nec eorum judicia pro oraculis ducamus qui quod legunt non intelligunt. Ubi in consilio est odium, ibi cæcum est judicium. Pacificator universorum Spiritus, qui suis organis variis utitur modis, faciat nos omnes concordes, & unanimes in sana doctrina, sanctisque moribus: quo contingat pariter ad cœlestis Hierosolymæ, quæ nescit ulla dissidia, consortium pervenire. Amen. Anno CIↃ IↃ XXVII. XII. Calend. Junias. Basileæ.

DIALOGUS
DE
RECTA LATINI GRÆCIQUE
SERMONIS
PRONUNCIATIONE,
AUCTORE
DESIDERIO ERASMO
ROTERODAMO.

GENEROSISSIMO ADOLESCENTI

MAXIMILIANO A BURGUNDIA,

DESIDERIUS ERASMUS ROTERODAMUS,


S. D.



QVOD tanto affectu nostras literas desideraris Maximiliane carissime, vehementer quidem grata mihi fuit amoris erga me tui testificatio, nec hac in re gravate morem gessi tuæ voluntati. Nam licet obrutus verius quam occupatus negociis, tamen epistolam αὐτόγραφον ad te miseram, quod facile conjectarem, eam ita tibi fore cariorem. Cæterum quod interceptam ægrius tuleris, quam si quid earum rerum periisset, quæ tibi maxime sunt in delitiis, magnam, ut ingenue dicam, ex tuo dolore voluptatem cepi, non dubiis argumentis perspiciens, te quum in Annæ clarissimæ fœminæ, aviæ tuæ, tum in ornatissimi patris Adolphi Principis Veriani, non vulgarem affectum, quem a teneris unguiculis in me conceptum, constanter, perpetuoque retinuit, velut hæreditario jure succedere. Verum ut dolorem istum, quem tibi nescio quorum inflixit perfidia, mea civilitate leniam, pro epistola mitto libellum, De recta pronunciatione, quam hodie maxima ex parte corruptam habemus in Græcis juxta ac Latinis. Hoc argumentum tibi dicare visum est, non tantum eo, quod ætati, studiisque tuis videretur accommodum, verumetiam quod magnam exemplorum partem ex Batavorum, Brabantorum & Gallorum populari sermone produximus, quas linguas omnes tibi non incognitas esse sciebam. Ut autem materiam, quoniam de rebus minutis subtiliter disserit, per se minus amœnam, aliqua voluptatis illecebra lenocinioque commendaremus, dialogo rem tractavimus, subinde nonnihil adspergentes quod lectionis satietatem vel recreet, vel excludat. Porro quanquam audio te Lovanio in aulicam vitam avocari, nihil eo rumore deterritus sum a dedicationis instituto, sciens & in aula, præsertim Cardinalitia, dari locum studiis. Nam pietatis affectum, quem una cum literis ex Joanne Borsalo, Decano Veriensi, viro cum egregie docto, tum singulari morum integritate sanctitateque prædito, jampridem hausisti, non oportet nec in aulis nec in castris deponere. Ita fiet, mi Maximiliane, ut & laudatissimum Cæsarem, quem nomine refers, ornamentis exprimas, & clarissimis majorum tuorum imaginibus, plurimum decoris ac lucis apponas: postremo aulæ Cæsareæ, totique patriæ, non vulgarem adferas utilitatem. Si libellus hic placebit, pro tuo candore communicabis adolescenti divina indole prædito Maximiliano ab Iselstein, reliquisque sodalibus tuis, quibuscum tibi non tam generis, opum aut dignitatis, quam eruditionis ac probitatis longe pulcherrimum certamen susceptum est. Bene vale, Datum Basileæ. Anno a Christo nato M D XXVIII.

GER. JOANNES VOSSIUS

Aristarchi Lib. I. *c.* XXVIII.



ERasmus *qua occasione ad scribendum de Recta Pronunciatione fuerit impulsus, paucis cognitum arbitror. Itaque visum hac de re adjicere quod in scheda quadam habeo, scripta olim manu* Henrici Coracopetræi, *viri egregie docti, doctisque perfamiliaris. Ea ita habet.* Audivi *M. Rutgerum Reschium*, Professorem Linguæ Græcæ in Collegio Buslidiano, apud Lovanienses, meum piæ memoriæ præceptorem narrantem se habitasse in Liliensi Pædagogio, una cum Erasmo plus minus biennio, eo superius, se inferius cubiculum obtinente, *Henricum* autem *Glareanum* Parisiis Lovanium venisse, atque ab Erasmo in Collegium vocatum fuisse ad prandium; quo cum venisset, quid novi adferret interrogatum, dixisse (quod in itinere commentus erat, quod sciret Erasmum plus satis novarum rerum studiosum, ac mire credulum) quosdam in Græcia natos Lutetiam venisse, viros ad miraculum doctos; qui longe aliam Græci sermonis pronunciationem usurparent; quam quæ vulgo in hisce partibus recepta esset. Eos, nempe, sonare pro Bvita, BETA; pro Eita, ETA; pro αι æ, AI; pro οι I, OI; & sic in ceteris. Quo audito, Erasmum paullo post conscripsisse *Dialogum de recta Latini, Græcique sermonis pronunciatione*, ut videretur hujus rei ipse inventor, & obtulisse Petro Alostensi typographo imprimendum; qui cum, forte aliis occupatus, renueret, aut certe se tam cito excudere, quam ipse volebat, non posse diceret; misisse libellum Basileam ad Frobenium, a quo mox impressus in lucem prodiit. Verum Erasmum, cognita fraude, nunquam ea pronunciandi ratione postea usum; nec amicis, quibuscum familiariter vivebat, ut eam observarent præcepisse. In ejus rei fidem exhibuit *M. Rutgerus* ipsius Erasmi manu scriptam, in gratiam Damiani a Goës Hispani, pronunciationis formulam (cujus exemplar adhuc apud me est) in nullo diversam ab ea, qua passim docti & indocti in hac Lingua utuntur. *Henricus Coracopetræus Cuccensis. Neomagi* cIↃ IↃ LXIX. *pridie Simonis & Judæ.*

Videri hæc queant, subjicit Vossius, *alicui non tam adjutum, quam oppugnatum ire causam nostram; quippe qui statuamus optimo jure seculo nostro immutatam esse vulgarem Græcæ Linguæ pronunciationem. Verum cum Achillea sint pleraque omnia, quibus ab Erasmo atque aliis refellitur vulgaris isthæc loquendi ratio; neutiquam in animum inducere possum, quod Erasmus eam retinuerit, nec amicos ab ea deterruerit, ideo factum, quod editi libelli pœniteret; verum magis mihi verisimile sit, cum meliora videret probaretque, deteriora tamen sequutum; sive quia a puero sic loqui adsuevisset: sive quod desperaret suo se exemplo alios ad imitationem provocare posse: sive quod loquendum putarit cum vulgo, sapiendum cum paucis, ut præcipit τῆς ἀληθείας Philosophus.*

Hactenus Vossius. *Monendi etiam sunt harum rerum studiosi, ut, lecto* Erasmi *Dialogo, legant etiam* Joan. Rodolfi Wetstenii *orationes pro Græca & genuina Lingua Græcæ pronunciatione, quibus* Erasmi *sententiam oppugnavit, editas Basileæ anno* cIↃ IↃc LXXXVI.

DE-

DE RECTA LATINI GRÆCIQUE SERMONIS PRONUNCIATIONE DIALOGUS.

PERSONÆ, URSUS, ET LEO.



URSUS. Sit felix occursus, optime Leo, nam totos sex menses te non vidi. LEO. Istuc non temere precaris, Urse, neque enim quibuslibet bene cessit occurrisse Leoni. UR. Næ venuste, Leo, Imo ne Urso quidem. LE. Istuc sane malo tibi credere quam facere periculum, tametsi legimus Leonem inter bestias fortissimum ad nullius occursum expavescere. Cæterum Divinæ literæ testantur esse formidabilem occursum Ursæ, cui sint erepti catuli. UR. Quæso quid loquuntur de Ursa? LE. Liber Regnorum secundus sic habet: *Viros fortissimos & amaro animo, veluti si ursa raptis catulis in sylva sæviat.* UR. Quid præterea? LE. Solomon parœmiographus hunc in modum loquitur: *Expedit magis occurrere ursæ, raptis fœtibus, quam stulto confidenti.* Et apud Osee Prophetam ita minitatur Deus: *Occurram eis quasi ursa raptis catulis.* UR. Sit igitur impavidus Leo, quum bestia bestiis occurrit. Nam si qua fides apologis, Leo bestia factus est formidabilem hominis occursum. Nunc seculum est aureum, quo Leonis Urso, Ursi Leoni lætus ac faustus est occursus. Opportune vero catulorum facta mentione mihi redigis in memoriam, ego tibi magnopere gratulor. LE. Quo tandem nomine? UR. Quod tibi catulus domi natus est. LE. Hoc omen avertant Superi, ut mihi catulus dominetur. UR. Ajo dómi nâtum; audis accentum acutum in priore voce, in posteriore circumflexum. LE. At istud magis etiam abominandum. An tibi videor canis? UR. Minime, Leonem esse te non potes inficiari. Habent autem & Leones catulos. LE. Habent profecto, verum habent & Ursi. UR. Vera prædicas. Nam Ursula mea parit mihi plures catulos & catulas quam velim. LE. Quot tandem? UR. Quot? Examen est, jampridem desii numerare. LEO. Cur igitur mihi gratularis, quod in te ipso deploras? UR. Quia soles frequenter optare, ut tua Leæna pareret tibi leunculum. Nunc habes optata. Nos votorum compoti gratulamur. LE. At hic leunculus me jam nunc sollicitum habet. UR. Quid est rei? Num puer habet male? LE. Nequaquam. Sed meditor efficere, ut vere catulus hominis videri possit. UR. Num forma prodigiosa fœtus est? LE. Nequaquam. Imo si videas, dicas scitum infantem. At forma non facit hominem, quam habemus communem cum statuis. Animo sumus, vel homines, vel bestiæ. UR. Unde quæso isthæc incessit animo tuo cura? LE. Quia Galenus me docuit, hominem a cæteris animantibus, quæ vocamus ἄλογα, discerni non ratione, sed oratione. UR. Intelligo, metuis ne tuus infans, semper sit infans. LE. Nequaquam. Videtur enim satis linguax futurus, adeo nunc garrit, nimirum matrem referens. URS. Quid igitur metuis? LEO. Quia video complures non humana voce loqui, sed latrare cum canibus, hinnire cum equis, grunnire cum suibus, mugire cum bubus, gannire cum vulpibus, stridere cum cicadis, blaterare cum camelis, barrire cum elephantis, frendere cum apris, fremere cum pardis, gemere cum ursis, rudere cum asinis, balare cum ovibus, strepere cum anseribus, garrire cum picis, cornicari cum cornicibus, crocitare cum corvis, crepitare cum ciconiis, sibilare cum anseribus: denique quodvis animal referre potius quam humano more loqui. UR. Næ tu, per anserem, voces animantium probe tenes, nec prorsus abhorrent a vero quæ prædicas. LE. Ad hæc perspicio, quantopere recta pronunciatio commendet orationem, adeo ut interdum duobus eadem lingua pronunciantibus, alter veluti Citharœdus quispiam modulatissime canens, aures omnium habeat intentas, alter molesto latratu tædium moveat omnibus, nec alia videatur pronunciatio, sed alia prorsus oratio, imo quidvis potius quam oratio. UR. Quod dicis, sæpenumero comperi experimento.

A Sed tu, mi Leo, præpropere curam istam suscipis. Tuus enim infans nondum vagire desiit, & tu sollicitus es quomodo loquatur? LE. Ego nullam ætatem ad discendum arbitror immaturam, præsertim in his quibus discendis statim natura composuit, &, ut ita loquar, finxit hominem. Quorum de numero cum primis sermo est. Nec enim magno negocio canum fœtus discunt adulari, aut leporem cursu petere. Mox ut natæ sunt simiæ incipiunt gesticulari, protinus ut nati sunt aquilæ pulli, ad prædam gestiunt, & felium catuli muribus insidiantur, equorum filii statim ad cursum properant, ut aves ad volatum: non perinde successura re, si bovi clitellas imponas, aut bubalum ducas ad certamen equestre. Provida natura primum earum rerum docilitatem

B inserit, quæ cuique animanti propriæ sunt, & ad vitam tuendam necessariæ. Dum enim repit puer, dum nihil humanæ vocis edit, quadrupedi videtur adsimilis, nec agnoscimus hominem. Verum ubi jam nostra verba meditari cœperit, tum demum ut ex nobis prognatum exosculamur. Et videmus in pueris recens natis, velut in psittacis, studium quoddam nativum, ac voluptatem etiam æmulandi, reddendique quod audierint tanta docilitate, ut prius auribus agnoscant consuetas voces, quam oculis dignoscant vultus. UR. Isthuc ego in meis catulis magna cum voluptate frequenter animadverti, risique. LE. Præterea nihil videmus in omnem ætatem hærere tenacius, quam quod rudibus illis annis, & cum lacte, quod dici solet, nutricum imbibimus. UR. Sic est profecto. LE. Proinde si cura fingimus tibias infantum ad gressum, si buccas, os, faciem,

C ac reliquum corpus vincturis quasi formamus ad decorem, oculis etiam studio prospicientes, ne peti, strabive, aut alio quopiam vitio deformes evadant, quanto magis curandum est, ut lingua studio nostro formetur, quum non aliud membrum sit volubilius, & in omnia sequacius, tum ex hoc pendeat totius hominis decor ac felicitas, in summa, ut homo sit non bellua. UR. Id satis declaravit noster Erasmus, qui nuper de lingua hominis linguacissime scripsit. LE. Proinde jam nunc circumspecto, si quem nancisci queam bonum Poetam, cui mox catulum meum, dum adhuc uda est argilla, tradam in sinum, ut fari discat. UR. Quorsum tandem opus est Poeta, nisi forte compotationem instituis, ad quam si non adhibebis nisi bonos Poetas, habebis admodum rarum convivium? LE. Equidem sequor monitorem Horatium, apud quem legi, *Os tenerum*

D *pueri, balbumque Poeta figurat.* UR. Possunt quidem & istuc boni Poetæ; verum Horatius, opinor, non adeo contempsit Poetas, ut eos infantulis erudiendis vellet occupari, quod Literatorum & Grammatistarum est munus. Sed quoniam Poetarum scripta primum omnium ætati rudi proponebantur, unde ceu per lusum & lectionem & pronunciationem & electissima quæque rerum vocabula discerent, sic a Poeta dixit os pueri figurari, quemadmodum Demosthenes diceretur me Græce docere, si quis Græce peritus mihi Demosthenem prælegeret. LE. Hic tecum non contendero. Nam parvi refert. Quanquam arbitror Philippum Regem sapuisse, quum Alexandrum suum statim, ut natus est, tanto Philosopho traderet in gremium.

E Bonum igitur Grammaticum mihi quæro. UR. Nec isti minus rari sunt hodie, quam boni Poetæ. LE. Ridiculum, quasi Grammaticorum non plena sint omnia. UR. [1] Πολλοὶ βουκένται, παῦροι δέ τε γῆς ἀροτῆρες. LE. Imo tam vilis est ubique Grammaticorum annona, ut tres minoris liceant, quam unus cantherio. UR. Rursus audies illud e Græcorum triviis, [2] πολλοί τοι ναρθηκοφόροι, παῦροι δέ τε βάκχοι, nisi forte tu Grammaticum esse putas, qui salutatus Latine, citra solœcismum norit resalutare, nec in numero peccans, nec in casu, nec in genere vocis. LE. Hoc nunc vulgo pu-

1 *Multi pungunt boves, pauci vero terræ aratores.*
2 *Multi quidem ferunt thyrsum, sed pauci a Baccho afflati.*

A tant esse Grammaticum. Ur. Atqui Quintilianus, præter
illas notissimas præceptiones, a Grammatico exigit enar-
rationem Poetarum, cognitionem historiarum, peritiam
antiquitatis, scientiam utriusque linguæ, copiam emenda-
ti lectique sermonis. Super hæc omnia, non satis est illi
Grammatice dicere, nisi & Latine dicat, quorum illud e
præceptionibus & analogiis petitur, hoc ex Latine loquen-
tium consuetudine. Le. Eadem opera exiget a Gramma-
tico cognitionem omnium disciplinarum, quandoquidem
in Poetis frequenter incidunt, quæ ad Musices, Geome-
trices, Arithmetices, Astrologiæ, Medicinæ mysteria per-
tinent: adde his si libet Magicen. Nam absque rerum na-
turalium & Cosmographiæ scientia, quis est locus in Poetis,
B quem recte possit exponere Grammaticus? Ur. Ut civili-
ter agas cum Grammatico, nec exigas exquisitam harum
rerum scientiam, certe rudem earum non oportet esse,
quem dignum censeas cui pueritiam credas instituendam.
Nec enim quoniam Grammatici est enarrare *Arma virum-
que*, protinus exigemus ut sit Pyrrhus, aut Annibal, aut
quoniam enarranda Maronis Georgica, sit peritus agrico-
la, aut quoniam exponenda Æneæ navigatio, sit absolutus
nauclerus, non magis quam si tractet locum de re culina-
ria, flagitamus ut sit Apitius. Attamen quid dicet Gram-
maticus, qui prorsus nescit telorum machinarumque for-
mas & usus, qui non intelligit figuras in ordinem digesti
exercitus? His quidem rebus interfuisse, non parum con-
tulerit, id si non contigit, ex libris auctorum, ex eorum
C qui interfuerunt narratione, ex picturis, quantum Gram-
matico satis est, discere licebit. Ad eandem rationem de
cæteris sentiendum arbitror. Le. Istud Grammaticorum
genus fortassis olim fuit, nunc obsolevit. Ur. Prorsus, &
ideo liberi nostri postea quam apud istos pene consenuerunt,
tales redeunt nobis domum, ut vix arboris, aut piscis, aut
herbæ verum nomen possint edere. Verum si seria nobis es-
set Reipublicæ cura, nihil vetat quo minus & hæc secula
sint habitura Servios, Donatos, Victorinos, Terentianos,
Asperos, Cornutos, celebriora nomina, quam sint aliquot
Cæsarum. Nunc Grammatici cognomen pene sordidius
est quam pellionis aut aurigæ. Ur. De reliquis nescio, certe
asperos & cornutos non deesse scio. Et tamen ex hujus disci-
D plinæ neglectu scatet orbi tam pudenda disciplinarum & o-
ptimorum auctorum internecio, tamque fœda balbuties. Le.
Ad quos ista cura pertinet? Ur. Ad quos, nisi ad Principes ac
Magistratus, aut certe ad Præsules? Le. Quam aliam ab
his curam exigis? Nonne passim habent ludos literarios?
Nonne magnis prærogativis & immunitatibus Principes
ornant Academias, designatis etiam justis salariis? Lute-
tiæ quot sunt collegia pueris erudiendis dicata? Ista Præ-
sulum est liberalitas. Fuistine unquam apud Anglos? Ur.
Insulam omnem lustravi. Le. Quam illic vides regias col-
legiorum structuras, nec desunt ampli census provocandis,
alendisque juvenum ingeniis. Ista Principum ac Præsulum
est munificentia. Quid ultra flagitas? An exspectas ut ipsi
E sedeant in ludo docturi pueros? Ur. Nequaquam, etiamsi
summum illum Præsulem Gregorium non puduit ludima-
gistrum agere. Duo quædam ab illis requiro, delectum
magistri, & præmii pro merito docentis moderationem.
Le. Non satis assequor quid tibi velis. Ur. Dicam crassio-
re Minerva. Ad hujus aut illius commendationem quem-
vis ludo præficimus, fere indoctum, interdum & moribus
improbis: non huc spectantes, ut rei carissimæ, civium li-
beris omnibus consulamus, sed ut unius famelici ventriculo
prospiciamus, accuratius circumspicientes cui committa-
mus unum equum, aut canem venatorem, quam cui cre-
damus totius civitatis pignora. Le. Haud multum aberras
F a scopo. Ur. Jam si quem nacti fuerimus dignum ea pro-
vincia, nulla habetur hominis ratio, neque pilo fit pluris
quam quivis alius e plebe. Imo malunt bellum compoto-
rem, quam vigilantem pueritiæ formatorem. Le. Quid hic
tu facturus sis, si tibi delegemus magistratum? Ur. Uti-
nam delegetur. Le. Creamus te Musis faventibus studio-
rum Dictatorem, cura ne quid Respublica literaria capiat
detrimenti. Ur. Primum ex omni civium numero deli-
gam mihi virum ætatis non quidem decrepitæ, sed tamen
provectæ, vigilantem, industrium, bonæque fidei, qui
maximam ætatis partem in hoc literarum genere non infe-
liciter transegerit. Le. Quid si talem inter tuos non inve-

nias? Ur. Accersam vel a Gadibus, ut ajunt. Huic non
præscribam certum salarii modum, verum ea formula pa-
ciscar cum eo, qua convivator ille, cujus meminit Aristo-
teles, cum Citharœdo, sed fide meliore: quo diligentius
fideliusque docueris, hoc plus feres a nobis præmii. Si fe-
felleris exspectationem nostram, teipsum magis quam nos
fefelleris: Sin responderis, efficiam ut dicas tibi cum Repu-
blica nequaquam ingrata rem esse. Si porro quod optamus,
etiam superaris, non patiemur, quod quidem in nobis erit,
nostram benignitatem officiis tuis superari. Ad hoc certa-
men accingere bonis avibus. Le. Quis istum deliget? Ur.
Quis alius quam ego Dictator? Le. Verum de arte negant
recte judicare quemquam nisi artificem. Ur. Fateor. Le.
At quid faciet Dictator ipse literarum rudis, ut fere sunt
qui Magistratum gerunt? Ur. Ex eruditorum suffragiis rem
geram. Le. Atqui hic rursus fallet delectus, si vel imperitus
sit, vel prave doctus, vel malæ fidei, is cujus judicio niteris.
Ur. Eum deligam quem fama potissimum commendarit.
Le. Famam mihi narras? At paucissimis, ô bone, tutum
fuit famæ credere. Ur. Colligerem eruditorum puncta.
Le. Eodem relabitur quæstio. Quid si pro eruditis deligas
eruditionis ostentatores, quid si impostores, quid si sinistri
judicii homines? Nosti palliatos istos sine quibus nihil rerum
geritur. Improbitas, fuci, præstigiæ, quæstus omnia vi-
tians, faciunt ut delectus sit difficillimus. Ur. Veris vincor,
optarim te vana loqui. Le. Sed ut feliciter eligas, & in his
quos selegeris sint aliquot vere docti, utri parti subscribes
variantibus sententiis? Ur. Majori. Le. Sed nunquam ea fuit,
aut est, aut erit felicitas rerum humanarum, ut quod opti-
mum est, pluribus approbetur. Ur. Non mentiuntur omnia.
Et vir qui sapit, quique, ut Plautus ait, acetum habet in pe-
ctore, ex multis conjecturis aliquanto certius divinat, quam
quivis augur, aut aruspex ex avibus præpetibus, & osci-
nibus, aut solistimis tripudiis, aut extorum fibris. Postre-
mo in re tam seria, non gravabor comprecari divos, ut suo
favore rem bene fortunent. Le. Cassianum opinor. Ur.
Imo Christum ipsum. Nec enim illorum curam posuit, o-
pinor, quos semel complexu suo dignatus, jussit ad se per-
ferri, beneque precatus est illis, qui quod precatur, idem
præstare valet. Le. Sed quas tandem conjecturas mihi nar-
ras augur & aruspex? Ur. Exquiram num bonis progna-
tus, num liberaliter educatus, num proborum convictu de-
lectetur, num ipse probatis hominibus carus sit & amicus,
num magis delectetur libris, quam compotationibus alea-
ve; observabo mores, gestum ac sermonem hominis, an
neque segni demissoque sit ingenio, neque rursus iracundo
ac jactabundo. Denique contemplabor vultum, frontem
& oculos hominis. Le. Jam ex augure fies physiognomus.
Ur. Dispiciam quales evaserint, quos ille formandos sus-
ceperat. Le. Hominis cordati sermonem audio. Nemo
statuam faciendam locat artifici, nisi prius inspectis aliquot
signis, quæ ex illius officina prodierint, & nos citra speci-
men omne liberos formandos temere cuivis committimus,
diligentiores in ære marmoreve credendo, quam in his quæ
nobis cariora sunt, quam sumus ipsi nobis. Ur. Recte di-
cis. Ex tot igitur rebus an dubitas hominem non omnino
stultum, & usu rerum edoctum, posse certo divinare? Le.
Certius, opinor, quam ipse Calchas Homericus. Verum
in re non magna videberis magnàm operam sumere, sic Li-
teratorem deligens, quasi deligas Præsulem. Ur. Aliud so-
nant chordæ tui pectoris, vir egregie, aliud linguæ ple-
ctrum. An tu credis minus referre civitatis, ut sit probus
pueritiæ formator, quam ut sit probus Episcopus? Eadem
est utriusque functio, nisi quod hic fingit ætatem teneram,
ille jam adultam, atque ut par sit ars, Literatoris operosius
est negocium, & ob hoc utilius, quod materiem fingit ma-
gis obsequentem digitis. Le. Quid igitur superest, nisi ut
Grammaticum iisdem ornes insigniis, quibus Episcopum,
unctione, chirothecis, mitra, gemmis, pedo, pallio? Ur.
Nihil absurdi fuerit, ô vir præclare, utcunque rides. Quan-
quam quid refert? Habet ille pro pedo ferulam, & si magis
placet regalis collatio, habet pro solio cathedram, pro fasci-
bus & sceptro virgam & ferulam. Le. Adde pro satellitio pe-
diculos. Ur. Leges figit ac refigit pro suo arbitratu, pœnas
sumit ac remittit, & quod est regali potestate sublimius,
perpetuam agit dictaturam. Nam illis dictare quotidianum
est. Le. Dictant nimirum usque ad ravim interdum, capi-
tisque

tisque vertiginem. Sed extra jocum, plane fateor nihil esse regno similius quam agere ludi literarii magistrum. Nec aliud spectabat Nero, si contigisset excuti regno, nisi ut alicubi ludo præfectus Musicam doceret & literas. Nec moriturus aliud deplorabat, quam quod tantus artifex periret. Nec Dionysius sibi videbatur prorsus regno spoliatus, postea quam Corinthi ludi præfecturam esset adeptus. Ur. Utinam plerique non sint Tyranno similiores quam Regi. Le. Habes igitur Grammaticum ex animi tui sententia, libet enim hoc fingere, quomodo tractas hominem? Ur. Non sinam esse inter sordidos, sed optimis & honoratissimis quibusque civibus eum tradam, ut intelligat se vivere in civitate, in qua virtuti recteque factis habeatur honos. Nec tamen ad aliud munus vocari patiar, quam suscepit. Sola ætas ingravescens impetrabit illi rudem, sic tamen, ut fruatur sua virtute, & consiliis adsit, si minus queat opera. Currenti adhibebo antagonisten, qui citra contentionis amarulentiam vicissim & excitetur & excitet. Le. Quid si gaudeat commutare locum, ut fere est hoc hominum genus? Ur. Alligabo catenis aureis. Le. Tui collegæ non patientur tanti constare Ludimagistrum. Ur. Verum tu videris oblitus, quod mihi paulo ante tradideris Dictaturam. Le. Sic est profecto. Exciderat, sed reddo Dictaturam. Ur. Imo, si vis, jam pono magistratum, & collegis meis persuasurus sum ut alibi potius quam hic sint frugales. Le. Quibus rationibus id efficies? Ur. Primum ostendam ex hoc fonte potissimum manare salutem, aut perniciem civitatis. Commemorabo qnantum ex ærario depromatur in res pene nihili. Le. Omitti poterat istud pene. Ur. Ad hæc, quot Canonicos alit una nonnunquam ecclesia, quorum singuli quotannis capiunt aureos quadringentos? Le. Et eo amplius apud nos. Ur. Non hæc eo dico quod illis invideam. Dignos arbitror uberioribus præmiis, si suo fungantur officio. Sed illud mihi dicas, velim, uter plus adfert momenti ad commoda Reipublicæ unus Canonicus, an unus Ludimagister? Le. Ludimagister si modo probus sit, plus adfert utilitatis, quam tres Canonici, quam libet in templi stationibus assidui. Ur. Cur igitur alter clarus, alter sordidus habetur: alter cum dignitate capit census uberes, alter vix tantum, ut famem effugiat? Le. Vis igitur, ut Ludimagistro duplum & dignitatis & census decernamus¿ Ur. Minime. Le. At promeretur plus quam triplum. Ur. Dignitas ac præmium paratum digno pariter atque indigno, invitaret improbos ad prædam, quemadmodum nunc contemtus & mercedis exiguitas alienat probos. Le. Quid ergo facies? Ur. Ego hæc nolim muneri conjuncta esse, sed meritis & officio tribui, ac dispensari verius quam dari. Le. Perdifficilis est provincia, & ad ocium proclives sumus omnes. Ur. Eoque crebris adhortationibus ac munusculis excitarem hominis industriam, nec omnino committerem eam provinciam, nisi diligenter edocto, quam arduum munus susciperet. Quin & sanctissimo jurejurando adigerem, quemadmodum olim Magistratus tradebatur Consulibus, præirem formula: Devoveo me meosque omnes, si quid sciens fefellero. Le. Adjunge & Jovem lapidem. Ur. Quidni? Et si quid hoc etiam firmius. Le. Quid si incidisses in impostorem? Ur. Eum pro suis ornarem virtutibus, ut ne quis alius facile sciens idem auderet in posterum. Le. At novi civitates non in postremis celebres, ubi conducti Professores insigniter eruditi, non inveniunt qui vel gratis audire dignentur. Ur. Ignavum hominum genus mihi narras, quod nuper sub umbra pietatis cœpit exoriri. Hos ego veluti fucos ab alvearibus abigerem. Quanquam & hujus rei bona pars in Professoribus sita est. Non enim minus est accendere studium adolescentiæ, quam alere. Facile multa discit, qui discendi est avidus. Proinde non parum promovit, qui docuit amare literas. Le. Istiusmodi Doctorem optare proclivius est, quam nancisci. Ur. Verissima prædicas. Atque istud ipsum frequenter apud me demirari soleo. Multos incitat pietas, ut ex ultimis terræ finibus proficiscantur Hierosolymam, magno rerum dispendio, nonnullo item vitæ periculo, quidam nudis pedibus, nonnulli etiam lorica ciliciove cutem affricantes Romam aut Compostellam adeunt. Multis hic incessit affectus, ut relictis omnibus quæ possident, dedant semet in arctissimum vitæ genus, puta Cartusianorum, Gulielmitarum, aut Brigidensium. Nec defuerunt qui sese in speluncam abdiderint,

A nunquam inter homines prodituri, nec solem hunc communem adspecturi. Ex tot hominum millibus mirum est tot seculis neminem existere, qui gratis suoque sumptu pueros formandos suscipiat. Si labor quæritur, hic laboris abunde est: Sin utilitas, quibus obsecro modis queas uberiorem utilitatem adferre rei Christianæ: Sin pietas, quod tandem sacrificium Deo gratius offerre possis? Si benefacta metimur caritate, quid confert proximo, si Compostellam, Romam, aut Hierosolymam curras? Eos labores arbitror Deo gratissimos, qui cum plurimorum utilitate conjuncti sunt. Hi quum nusquam desint, quid attinet alios accersere? qui, si quid conducunt, uni conducunt, aut certe paucis, & his ad quæstum verius quam ad pietatem. Reperiuntur qui suas B opes largiter effundant exstruendis templis. Fateor pium esse sumptum. Verum ex tot millibus demiror adeo paucos exoriri, quos juvet hic esse benignos. Le. Satis feliciter ageretur cum rebus humanis, si vel pretio conduci queant. Ur. Quid causæ? Le. Quid, nisi plerisque in rebus præpostera cæcaque mortalium judicia? Ur. An his non putas esse medendum? Le. Medere mari, si potes, ut dulcescat. Sic sunt res & ingenia mortalium. Ur. Huc certe adnitendum, ut minus habeant mali, si ut bene, perfici non potest. Le. Licet quidem optare. Ur. Quid vetat, quo minus & efficere? Le. Nihil facilius, modo queas efficere, ut sapiant homines. Nunc maxima pars mortalium amat falli: adeo ut si desit qui id faciat, ipsi imponant sibi. Ur. Nimium ve- C ra loqueris. Le. Quin & illud observatum est mihi, vix unquam usu venire, ut fidelis pueritiæ formator operæ pretium ferat ex suis discipulis, quum norim multos pueritiæ corruptores, hoc est, qui non minus male studiis illorum prospexerint, quam moribus, hoc quæstu magnifice locupletatos. Sane id fato quodam fit, sive ætatis illius inscitia, sive ingratitudine, ut jam non temere videatur Græcorum proverbio dici, *Beneficium non esse conferendum, nec in puerum, nec in senem:* in hunc quia perit antequam gratiæ referendæ detur opportunitas: in illum, quia non meminit. Addendum autem erat, quia non intelligit, & si intelligit, odit hoc beneficii genus. Ur. Ætas adferre solet judicium. Le. Fateor, in nonnullis, in plerisque malitiam adfert. Ur. Sic est, sed tamen nonnullis in tractanda ætate tenera deest dex- D teritas. Non enim satis est præceptorem esse doctum ac probum virum: comitas quædam & commoditas adsit oportet, qua & ferat ætatis, quam tractat, inscitiam, & semet ad illius naturam accommodet; nutricum, videlicet, exemplo. Quemadmodum medico non satis est nosse, quod pharmaci genus sit præscribendum, nisi sit artifex administrandi. Nam & fallendus interdum est ægrotus, ut beneficium imprudens accipiat. Le. Unde tanta rerum humanarum infelicitas? Pueri nec sentiunt beneficium, nec meminerunt, juvenes non ferunt habenas, senes non referunt gratiam. Et ajunt, *quod mulieri benefeceris, fere perire.* Ur. Unde, nisi ut Christianæ caritati nusquam deesset exercendæ E benignitatis materia? Quæ si desit, nihil effecerit humana providentia. Quin potius sæpenumero fit, ut quæ sunt summa cura summaque ratione constituta, vergant in partem deterrimam. Quod enim ad scholas attinet, nihil olim videtur prætermissum, quod hominis consilio prospici quiret. Institutæ sunt scholæ, quas ob omnium disciplinarum publicam professionem vulgus appellat *Universitates.* In has & Romani Pontifices, & Principes contulerunt quicquid potuerunt vel dignitatis, vel munificentiæ, exstructa collegia, digestæ disciplinæ, designati Professores, addita salaria, distincti incipientium, proficientium, consummatorum gradus, honores, & emolumenta. Prospectum est & tenuibus, qui illic plerique ditescunt. Habent Rectorem, F Sceptrigeros, Cancellarios, Conservatores, Decanos, aliosque Magistratus. Quid quæris? Regnum quoddam esse dicas literarium. Jam de minoribus scholis non segnius est habita cura. Harum cura majorum providentia bifariam partita est, ut præcipua sit penes Sacerdotum collegium, altera penes Magistratum; additus est peculiaris hujus negocii Præfectus, quem Scholasterem vocant (Scholarchus dici poterat) sub hoc Ludimagistri. Et tamen tam sollicita providentia non potuit efficere, quo minus in omnibus fere scholis seculis aliquot regnarit operosa barbaries. Proinde Joannes Coletus, vir æterna dignus memoria, quum templo divi Pauli scholam puerilem addidisset, nulla cura magis

torquebatur, quam in quos ejus rei Præfecturam delegaret. A Episcopi judicant hanc rem indignam sua sollicitudine. Scholasteres censibus recipiendis se potius quam scholæ curandæ datos arbitrantur, & pulchre sibi videntur suo functi officio, si Ludimagistros non deciment. In collegiis Canonicorum fere semper deterior pars superat. Magistratus vel judicio carent, vel indulgent privatis affectibus. Le. Quid tandem consilii reperit? Ur. Hominem conjugatum, & liberis divitem scholæ præfecit. Provisionem delegavit aliquot e civibus laicis, quorum probitatem habere sibi videbatur exploratam, ut ab his in hæredes proximos derivaretur. Le. Num ea providentia securum reddidit? Ur. Minime. Sed hic ajebat sibi videri minimum esse periculi, ut tum habebant res humanæ. B Le. Unde nunquam illorum judicio potui subscribere, qui vitiis hominum offensi, protinus tollendum censent quod institutum est: veluti monasteria quidam censent abolenda, quod in quibusdam collapsa sit vera religio: Præsulum & Canonicorum ordinem postulant abrogari, quod nonnulli secus quam decet vivant. Idem decernunt de ludis & pædagogiis, quia displicet quorundam institutio, quasi statim quod in horum locum fuerit substitutum, aut cariturum sit omni crimine, aut in vitium non facile possit degenerare. Quanto satius est id, quod recte fuit institutum, sarcire, ad quædam interim conniventes, id quod eo facilius erit, si reputemus rerum humanarum conditionem, in quibus ut sint prosperrimæ, nihil est ab omni parte beatum, semper erit quod desideres, quod sarcias, quod instaures. C Le. Est igitur aliquid perspicere fontes unde scatet malum, deinde qua ratione liceat mederi. Ur. Ne recedamus ab instituto, hujus mali præcipua pars mihi videtur oriri ex publicis scholis, quas ambitioso vocabulo, ut dixi, nunc appellant *Universitates*, quasi nihil absit bonæ disciplinæ: tum ex Monasteriis, præsertim iis, in quibus instituuntur ad doctrinam Euangelicam, quod genus sunt Dominicanorum & Franciscanorum & Augustinensium. In his enim adolescentes vix trimestri studio Grammaticæ dato, protinus rapiuntur ad Sophisticen, Dialecticen, suppositiones, ampliationes, restrictiones, expositiones, resolutiones, ad gryphos & quæstionum labyrinthos, hinc recta in adyta Theologiæ. Tales, ubi ventum est ad D eos auctores, qui utriusque linguæ facundia praecelluerunt, Deum immortalem! ut cæcutiunt, ut delirant, ut sibi videntur in alio prorsus esse mundo! Quoniam autem semel sumpto leonis exuvio pudet inscitiam fateri, simul autem & pudet & piget neglecta discere, bellum indicunt rectioribus studiis, & horum Professores odio plusquam Vatiniano persequuntur. Le. Istiusmodi multos nimium cognitos habeo. Ur. Parentibus imperitis instillant in aurem, ne sinant liberos suos frivolis studiis ætatem perdere, persuadentes in his & bonis moribus, & Christianæ fidei, subesse naufragia. Le. Nihil fingis. Ur. Jam in collegiis, sive pædagogiis quibusdam magna in hac re cessatio est. Le. Qui sic? Ur. Si E non reciperent nisi jam Grammaticæ rei peritos, nec aliud profiterentur quam Philosophiæ disciplinas, & eruditiores nobis darent, & ipsi minus haberent negocii. Le. Verum, sed & compendii minus. Ur. Rem acu tetigisti. Nunc quo quæstus sit uberior, quamlibet elementarios ac propemodum ἀναλφαβήτους recipiunt. Tolerari poterat hoc, si digestis ordinibus & classibus, in singulas artifices idoneos præficerent, tum huic disciplinæ, cui veluti fundamento nituntur omnes, justam curam, justumque tempus darent. Nunc Sophisticis argutationibus plus æquo datur, & hæc disciplina, qua non alia magis est necessaria, velut obiter & in transcursu gustatur verius quam discitur. Moxque pueri rapiuntur ad titulos honoratiores, unde Magistris plusculum accedit lucri. F Le. Ita, nimirum, fit, ut qui plus æquo properant in initio, serius perveniant quo volunt. Ur. Nec huic professioni suus habetur honos, quemadmodum cæteris. Aliis enim honoris causa titulus additur a baculo, aliis a licentia, alii salutantur Magistri artium, Doctores Medicinæ, Doctores Juris Cæsarei, Doctores Juris Pontificii, Doctores utriusque, traduntur insignia, prærogativæ, dignitas. At Grammaticus nihil aliud est quam Grammaticus, quemadmodum calcearius nihil aliud est quam calcearius. Le. Quos tu credis a baculo cognomen habere, equidem accepi a bacca lauri dictos. Ur. Si res hæc tibi curæ est, dicam quod ex quodam hierophanta seu mystagogo talium rerum didici. Le. Percupio. Ur. Is attulit triplicem hujus cognominis etymologiam, mea sententia, non absurdam. A baculo, inquiebat, dicuntur bacularii, vel quod adhuc in pistrino laborantes, baculis impellantur jumentorum ritu: vel quod nondum in disciplinis absoluti, opus habeant rectore baculo. Le. Probabile narras. Ur. Scis autem lauro baccas esse nigras & amaras; porro quoniam id temporis etiamnum arrodentes amarum sapientiæ corticem, nondum ad nucleum dulcissimum penetrarunt, baccalaureos appellari placuit. Le. Isthuc etiam probabilius. Ur. Verum mystagogus ille tertiæ sententiæ palmam tribuebat. Le. Quam tertiam adferebat? Ur. Arbitrabatur dictionem compositam a vacca & laro, vaccalarius. Le. Bella mixtura vaccæ cum avi. Ur. Imo probabis si cognoris rem omnem. Scis aliquot nationes pro b, sonare v, consonantem, & contra. Le. Novi. Ur. Et vacca lac porrigit. Le. Ajunt. Ur. Et larus avis est avidissima. Le. Isthuc me docuerunt Erasmi proverbia. Ur. Jam de amabili illo sapientiæ Principe dictum est: *Mel & lac sub lingua ejus:* unde quos vehemens quidam ardor hujus lactis agit rapitque, vaccalarii dicuntur. Le. Quin igitur capralarii dicuntur potius, quum lac caprinum a Medicis præferatur bubulo? Ur. Quia plus lactis reddit una vacca, quam capræ tres, præsertim apud Phrysios. Le. Pulchre quidem hoc expedisti. Sed unde licentiæ vocabulum? Ur. Et hoc me docuit ille mystagogus. Qua quidem in re vulgus errat periculose, credens illis jam licere quod libet, velut ab omni honesta functione dimissis, eoque nonnulli tum se dedunt ocio, quum maxime sint suscipiendi labores. Le. Idem error & me, fateor, hactenus habuit. Ur. Atqui secus habet. Hæc licentia non ducitur a licet verbo impersonali, sed a licere, quod est ex eorum numero, quæ Græci vocant αὐτοπαθητικὰ, quod genus est vapulo, unde deductum licitari. Le. Quis hoc divinasset? Ur. Tum enim plurimi fiunt, & velut a licitantibus accersuntur, alius ad aulam, alius ad curam pastoralem, alius ad Abbatiam, alius ad opimam Præbendam: in summa, alius alio. Longum est enim omnia commemorare præmia. Le. Scite tu quidem hactenus. Sed unde magistri nostri? Ur. Honoris causa Græce dicuntur Theologi, Hebraice Rabbini, quod Latine sonat Magistri nostri. Le. Intelligo. Talibus igitur cognomentis honorandum censes & Grammaticum? Ur. Quid ni tales, quales fuerunt Donatus & Servius, dicantur Doctores Grammatices, quum proclivius sit vel in triplici jure Doctoris nomen, quam semel boni Grammatici titulum, promeruisse? Le. Da Servios, dabimus honores. Ur. Imo tu da honores, ego dabo Servios. Honos enim non solum alit, verumetiam gignit artes. Adderem Dictator & locum honoratum in consessu, & insignia, reliquaque debita viris præclaris ornamenta. Le. An tibi parum est, si literatores insigniti literis incedant ut Samii, quemadmodum ajunt? Ur. Adderem & scholis ipsis munditiem ac dignitatem, quum nunc vix sit ara porcorum sordidior. Le. Pueris ne tantum honoris? Ur. At hi pueri templa sunt Spiritus Sancti, in his plantariis latent Senatores, Magistratus, Doctores, Abbates, Episcopi, summi Pontifices & Cæsares. Quo infirmior est ætas, hoc plus addendum est honoris, juxta Pauli doctrinam. Postremo hi parvuli sunt, quorum unius cujuslibet offensionem Christus voluit atrocissimo supplicio puniri, & asinis male docentibus molam asinariam alligari, itaque demergi, non in arenam ripæ proximam, unde possent enatare, sed in profundum pelagus. Nunc quod est injuriarum genus, cui non patimur imbecillem ætatem obnoxiam esse? Nullus fere tam abjectus, tam ineptus, tam insulsus, tam excors, tam indoctus est, quin videatur idoneus formandæ pueritiæ, cujus levior esset calamitas, si tantum aleret ejusmodi belluas, nisi pateretur & Tyrannos. Nulli sunt enim plagosiores, quam qui nihil habent liberalis disciplinæ. Le. Sic & Monarchæ si ratione careant, qua Rempublicam administrent, ad vim ac tyrannidem confugiunt. Operosa res est imperare liberis, & compendiosa Philosophia est dicere, sic volo. Ur. Jam illud in pædagogiis pene solenne est, ut aut tenues, quibus non est unde vivant, aut puerum aliquem nudius tertius Magistelli nomine donatum, pueris Grammaticen docendis præficiant, tantum in hoc ut vivat. Le. An non pium existimas destitutis opitulari? Ur. At ista quidem humanitas in unum famelicum, in tot pueros magna est inhumanitas

tas. Impia est eleemosyna quæ de rapina confertur: & in-
gratum sacrificium quod ex prædatione datur. Malefica
est beneficentia, quæ cum multorum injuria conjuncta est.
Ut est interdum Principum crudelis clementia, quum uni
cuipiam condonant facinus plurimorum malo. Sunt innu-
meræ viæ, quibus famelicis consuli possit. Le. Nascuntur
interdum humillimo loco generosa ingenia, quæ rei fami-
liaris angustia submovet a liberalibus disciplinis. An non
humanitatis est hæc evehere? Ur. Maxime, sed cum de-
lectu & citra cujusquam injuriam. Nunc fere adsciscuntur
ad hoc munus non alia commendatione, nisi quia cognatus
est, aut conterraneus, aut compotor, aut alioqui notus, aut
denique, quod est pietati proximum, quia miserabilis. At in-
terim non miseret tot puerorum. Le. Plerique turpe pu-
tant, quemquam semper in Grammatices professione ma-
nere. Ur. Qui nam id turpius, quam pictorem nihil aliud
profiteri quam pictorem? Quanquam fieri non potest, ut
Grammaticus nihil sit quam Grammaticus, etiamsi in cæ-
teris disciplinis non perinde excellat. Nam ut unus in omni-
bus emineat, nec a Superis datum est, nec expedit vitæ
mortalium, utcunque Græci jactant suum Hippiam. Tum
enim cum rebus humanis felicissime agitur, quum distribu-
tis varie dotibus, amicitia, juxta proverbium, facit omnia
communia. Quid enim stultius, quam dicere manui, nihil
aliud es quam manus; aut ventri, nihil aliud es quam
venter; aut tibiæ, nihil aliud es quam tibia; aut naso,
nihil aliud es quam nasus? Et pulchrum est probri cau-
sa dicere Grammatico, nihil aliud es quam Grammati-
cus? Est aliquid & ventre contemptius, per quod ejiciun-
tur crassiora corporis excrementa. Contemnat hoc qui vo-
let, & videat quam floreant cætera membra. Le. Ista sunt
evidentiora, quam ut possim refellere. Sed ut ad profiten-
di rationem sese noster recipiat sermo, non probas scholas
publicas? Ur. Imo cum Fabio probo maxime, modo vi-
tentur ea quæ vir ille non minus integer quam eruditus vi-
tanda commonstrat. Nec enim istos probo, qui obscuri ipsi,
in obscurum angulum contrahunt pueros, ac docent impu-
ne quod libet. Le. Laudantur in hoc genere quidam, qui
non ita pridem exorti, medium genus inter Monachos &
Laicos, domi suæ docendis pueris quæstum uberem facere
dicuntur, quanquam hoc aucupium & a Monachis quibus-
dam affectari cœpit. Ur. Sua cuique sententia est, mihi
displicent in hisce rebus latebræ, lucem amo. Tum id ge-
nus Doctores fere sunt αὐτοδίδακτοι, nonnunquam indocte
docti, nec sui juris, & illiberaliter educati: ad hæc alienio-
res a moribus sensuque communi. Quibus rebus fit, ut apud
hos nativus ille vigor & alacritas ingeniorum frangatur, ac
dejiciatur ad habitum quendam Pharisaicum, qui liberalem
& ingenuam indolem corrumpit, servile quiddam & illibe-
rale inferens teneris animis. Quin & illud non raro videmus,
eos qui ex talibus nidis emergunt, evadere cæteris insolen-
tiores, minus sinceros, magis fucatos, minusque liberales.
Le. Quid utilius quam ut prima statim ætas formetur ad
pietatis disciplinam? Ur. Recte, si pietas in rasuris, cingu-
lis, palliis, piscibus & fabis, morumque tristitia, sita est. At
vera pietate nihil est hilarius. Jam ut hodie talis sit Mona-
chismus, qualis olim fuit, non omnes huc aluntur, nec ex-
pedit imbecillem velutique lactentem adhuc indolem im-
modica tristitia corrumpere, quæ gignit servile quiddam,
& nativam ingenuitatem vitiat. Paulus non temere monet
parentes, ne liberos suos amarulentia contristent. At isto-
rum morosis moribus scio quædam ingenia felicissime nata,
fuisse perdita. Nam his potissimum imminent dejiciendis,
quum ut in equis, ita in pueris, sæpe felicissima sint ingenia,
quæ gravatim ferunt imperia. Itaque refingunt in asinos,
quoniam equis imperare nequeunt. Adde his & gravius
malum. Si quem puerum viderint indole candida, aut etiam
re lauta, hunc studiosius frangunt ac dejiciunt, veluti gene-
rosum pullum ad suæ vitæ institutum prædomantes, nec
patiuntur abire, sed blanditiis, minis, terriculamentis, ob-
testationibus, horrendis narrationibus instant, urgent, ob-
tundunt, donec vel ad se pertrahant, vel, si id nequeant, in
alium protrudant gregem. Quid autem facilius, quam sim-
plicem ætatem ac rerum imperitam vel fallere, vel terrere?
Le. An istud faciunt? Ur. Non refero somnium, meum
ipsius periculum narro. Le. Quod obsecro? Num quando
in discrimen venisti, ne fieres vir bonus? Ur. Educabar

A apud hos 1 Deventurii, nondum egressus annum decimum
quintum. Ejus sodalitii Præfectus omnia moliri cœpit, ut
me ipsorum instituto addicerem. Et eram alioqui puer ad
pietatem propensus. Ibi pro mea puerili sapientia, excusa-
bam ætatem, sed præcipue voluntatem parentum, quo-
rum iram serio metuebam, si quid illis insciis tentassem. Hic
ille vir egregius, ubi se videt nihil eloquentia proficere, ad-
movet exorcismum. Le. Quid fiet obsecro? Ur. Admo-
vet imaginem crucifixi: ac mihi jam flenti vultu entheo,
Agnoscis ne, inquit, hunc pro te passum? agnosco, in-
quam. Per hunc, inquit, te obtestor, ne committas ut fru-
stra pro te sit mortuus, sed obtemperans meis consiliis, con-
B sulas animæ tuæ, nisi velis in æternum perire cum mundo.
Le. Non dejecit puerum tanto ariete? Ur. Plane dejecis-
set, ni me parentum terror alio retraxisset. Le. Ista quidem
vis est. Ur. Quod mihi accidit refero, alii narrent quid ipsis
acciderit. Nec dubito quin innumeri sint qui similia peri-
cula de se narrare queant. Accedit ad hæc quod hujusmo-
di fere nihil habent commercii cum Ethnicis auctoribus.
Cæterum quanquam non censeo Martialem, Catullum,
Tibullum, aut si qui sunt horum similes, prælegendos æ-
tati lubricæ, tamen ad antiquitatis & venustæ dictionis
cognitionem expedit præceptorem in omni veterum ge-
nere diligenter fuisse versatum. Sacratior quidem est li-
ber Psalmorum, quam Odarum Horatii; sed ex his, quam
C ex illis, rectius discitur sermo Latinus. Le. Verum hoc ho-
minum genus unde velles parare victum? Ur. Si nihil a-
liud, unde egregius ille Paulus sibi parabat: consuebat co-
ria. Quanquam aliud est unum alere, aliud ditare mul-
tos. Leo. Prohibet Sacerdotii dignitas. Ur. Sacerdotes
sunt qui populo Christi ministrant Euangelium. Quid si
omnes fiant Sacerdotes, num omnes vivent in ocio? Le.
At sunt viri boni. Ur. At non meliores Paulo. Verum
agnoscamus dignitatem, num ocium adfert dignitatem?
Scurrarum igitur & ludionum mira dignitas est. Ocium
laudem habet in Episcopis & Clericis, quanquam id nihil
minus est quam ocium, quum assidue vacent ediscendis e-
disserendisque Scripturis, cognoscendis causis, componen-
dis litibus, increpandis improbis, consolandis afflictis. Nul-
D lum est honestum ocium, tantum in negocii genere discri-
men est. An tibi justa videtur ab operis manuariis excusatio,
quod Hypodiaconus sis aut Diaconus, quum nullam ope-
ram præstes Ecclesiæ, nec huc te pares ut præstare queas?
Olim certe proprium erat Monachorum operari manibus.
Quod si causantur sordidum opificium: si non sordidarunt
Paulum coria, non est quod illi metuant sordidum opifi-
cium. Le. Quod narras, idem frequenter audivi a viris in-
signiter cordatis. Sed isti vacant precationibus. Ur. Va-
cent, labor non multum officit precationi. Le. Illos certe
probas qui constitutis sodalitiis alunt in studia tenues, qui-
bus alioqui cum remo, stiva & rastro res erat futura. Ur.
His rebus quidam fortasse magis congruebant. Verum age-
E dum, piæ mentis arbitror, sublevandis pauperibus indulge-
re: Ad literas accersi nolim, nisi vigilanti cum delectu. Le.
Cur ita? Ur. Fateor ex subulco nonnunquam nasci regno
dignum ingenium, sed ut paria sint ingenia, plurimum ha-
bet momenti liberalis educatio. Nec parvi refert inter quos
verseris a puero. Ad liberales autem disciplinas prisci non
admittebant, nisi bonis prognatos, hic periculum est, ne
venter illectet ad studia literarum, quos natura genuit aliis
rebus. Jam si quorum indoles meretur ad hoc honoris vo-
cari, simul accedere debet liberalis educatio, sic ut frugali-
tas adsit, non absit mundities. Nec oportet benignitatem
esse sordidam, alioqui hoc non est alere, sed torquere. Sed
de suis quisque liberis statuet quod videbitur, tuum qua ra-
tione vis institui? Le. Primum discet expedite sonare, de-
F inde prompte legere, mox eleganter pingere. Deinde de-
ligetur morum & ingenii formator, deligentur sodales pro-
ba indole. Alibi parcus ero, non hic. Utriusque linguæ pe-
ritiam exacte perdiscet teneris statim annis. Dialectices non
patiar esse rudem, nolim tamen ludicris illis argutiis ad o-
stentationem repertis torqueri. Rhetoricis aliquanto qui-
dem diligentius, sed tamen citra superstitionem exercebi-
tur, scribendi dicendique potius usu quam anxia præcepto-

1 Hoc est, Daventriæ, ubi studiis operam dedit *Erasmus*, ut ex ejus vita intelligere est. Hic enim describit partim quod sibi contigit, quamvis, ne res agnoscatur, mutet circumstantias.

rum observatione. Sed prius Geographiam perdiscet accurate: Arithmeticen, Musicam & Astrologiam degustasse sat erit. Medicinæ tantum addetur, quantum tuendæ valetudini sat erit. Nonnullus & Physices præbebitur gustus, non tantum ejus quæ de principiis, de prima materia, de infinito ambitiose disputat, sed quæ rerum naturas demonstrat. Quæ res agitur in libris de anima, de meteoris, de animalibus, de plantis. Ur. Nihil ne de moribus? Le. Hoc Aphorismis instillabitur, præsertim ad pietatem Christianam & officia vitæ communis pertinentibus. Ur. Tot disciplinis oneras ætatem teneram? Le. Faxo ut hæc omnia ludens discat priusquam attingat annum decimumoctavum. Ur. Fortasse per artem notoriam. Le. Nequaquam. Ur. Qui potest alioqui? Le. Nihil est necesse, quemadmodum vere dictum est, ut puer omnes disciplinas exacte discat. Quasdam gustasse sat est. Id magno fructu parvoque negotio fiet, si ex singulis præcipua quædam redigantur in compendium. Neque quicquam facilius discitur quam quod optimum est. Ur. Pulchre narras. Sed unde compendiorum artifex? Le. Jam hoc ago, nec ab uno petam omnia, sed in quo quisque præcellit, in eo deposcam illius operam. Ita meus catulus non ludet operam & impensam in frivolis, aut dediscendis, in quibus hodie, Deum immortalem! quanta pars ætatis perit? Ubi jactis hujusmodi fundamentis pervenerit ad annum decimumseptimum aut octavum, ipse sibi deliget studiorum ac vitæ genus, ad quod se senserit natura magis compositum. Vix enim feliciter cedit, ad quod quis reluctante genio protruditur. Ur. Utinam istam rationem amplectantur publicæ scholæ. Nihil esset juventute felicius. Le. Arbitror tibi frequenter ex majoribus auditum, fuisse tempus quo pueri multis annis discruciabantur modis significandi, & quæstiunculis ex quavi, & aliis indoctissimis neniis; magnaque ambitione dictabatur, edicebatur, exponebatur Ebrardus & Florista; quod supererat temporis, ridiculis versiculis transigebatur: Joannis Garlandini Græcolatina disticha prælegebantur a sudantibus, Catholicon in omnibus templis habebatur. Ur. Infelix profecto seculum. Le. An tu credidisses unquam fore, ut apud Britannos aut Batavos pueri Græce garrirent, Græcis epigrammatiis non infeliciter luderent? Ur. Citius credidissem ruiturum cœlum. Le. Tanta rerum mutatio mihi spem facit fore, ut unaquæque professio, repurgatis his quæ magis faciunt ad quæstum & ostentationem quam ad eruditionem, tantum ea compendio doceat, quæ digna sint cognitu. Ur. Isthuc equidem vehementer opto. Nam nunc video quosdam adeo propensos in has politiores literas, ut fastidiant liberales disciplinas, quasi summa studiorum sit, emendate loqui. Le. Vera narras. Verum hæc est rerum humanarum conditio, quum ad summum pervenerint, non corriguntur, nisi in diversum detorqueas, ac propemodum vitio vitium emendes. Cæterum arbitror hanc pravitatem aliquando in suum statum rediturum. Ur. Nihil existimo desperandum, posteaquam scenam rerum usque adeo mutatam video. Tantum vereor, ne nobis quidem sero contingant ista. Verum hic sermo nobis propemodum extra causam fertur, optime Leo. Le. Qui sic? Ur. Quoniam nobis hæc, ut dicebam, præpropera cura est. Nos enim de publico juventutis formatore loquimur, tuus infantulus adhuc inter matris ac nutricum sinus repit. Le. Verum, sed ab his initiis prima facundiæ rudimenta Rhetores auspicantur. Nam Quintilianus, ut Gracchorum admirandam eloquentiam nonnulla ex parte acceptam refert Corneliæ fœminæ supra sexus modum eloquenti, ita Lælii & Q. Hortensii filiam scribit in dicendo paternam elegantiam retulisse. Ur. Hæc illis temporibus recte præcipiebantur, quum Latine Græceque loquerentur, etiam infimæ plebis opifices, æque atque docti, nec sermonis genere differebant, sed sermonis elegantia. Nunc a parentibus ac nutricibus quid discere possunt infantes, nisi vulgatam suæ gentis linguam, puta Gallicam, Hispanicam, Germanicam, Britannicam, aut Sarmaticam? Le. Recte mones. Utinam universum mortalium genus duabus duntaxat linguis uteretur. Ur. Quibus! Le. Græca & Latina. Ur. Quid de lingua Hebraica? Le. Eam, quoniam nec admodum late patet, &, ut apparet, nec ab ipsis Hebræis satis tenetur, Judæis ac Theologis relinquerem. Simulque vereor ne quid Judaismi cum literis imbibat puer. Ur. Eadem opera verere, ne quid Paganismi combibat ex Homero, Demosthene, Virgilio & Cicerone. Le. Et hoc pro viribus curabitur. Verum unde quæso, nobis tot linguarum myriades? Ur. Non novum hoc malum est, ô præclare: Nam olim a diluvio, quod Noe temporibus accidit, prisci mortales, ne simili calamitate dissiparentur, coctilibus lateribus & bitumine vice calcis adhibito, civitatem exstruere adorti sunt, & in hujus medio turrim immensæ molis, quæ pertingeret usque ad cœlum. Le. Unde tanta bituminis vis? Ur. Non coquebatur ex animantium pellibus cornibusve, ne quid erres, sed in ea regione lacus immensi scatent bitumine. Jam structura penetrarat nubes. Erat autem hominum immensa vis, neque quisquam omnium vacabat operis portione. Illic prorsus evenit quod habet Græcorum proverbium, [1] ἄμας ἀπῄτευν, οἱ δ᾽ ἀπηρνοῦντο σκάφας. Le. Qui nam? Ur. Aliquis e longinquo petebat obsonium, alter adferebat lateres. Rursus alius inclamabat sitiens, adferte potum, alter deferebat bitumen: priusquam ille recurreret, hic fame sitive perierat. Rursus alius postulabat ignem, deferebatur aqua. Hic petebat trullam, ille ferebat cucurbitam. Tandem fatigati tædio structuram omiserunt, dumque se sibi mutuo ludibrio esse crederent, alii alio demigrarunt, ut quosque jungebat lingua communis. Le. Isti narrationi concinit Oedipodis, opinor, ænigma, de animante, quod primum quadrupes est, deinde bipes, tandem tripes, quodque vocibus omnium animantium sonet, perque omnia volitet. Ur. Eandem ob causam Homerus homines μέροπας appellat, ob vocis varietatem. Le. De linguarum igitur, ut video, diversitate nulla spes est. Ur. Nec expedit quidem vulgo committere, quod sincerum ac perpetuum esse velis. Olim bona pars Europæ & Africæ, cum Asia minore Latine Græceque loquebatur. Quot barbaricas linguas nobis vulgus ex una Latina reddidit? Quot discriminibus sectus est Italiæ sermo? quot Galliæ? quot Hispaniæ? Præstat igitur has linguas, quibus maxima ex parte commissæ sunt disciplinæ, tantum ab eruditis servari, quarum integritas non a populo, pessimo rerum bonarum custode, sed e libris eloquentum scriptorum petatur. Verum illud explica, cur ea quoque sollicitudo tenet animum tuum, ut leunculus tuus prompte legat, nec inscite scribat? Le. Quoniam id video Fabio quoque cum primis fuisse curæ, & simul utrumque disci potest. Nam utraque res alteri auxilio est. Scripturam enim ineptam eadem sequuntur incommoda, quæ malam pronunciationem. Vel Ciceronis orationem scribe literis Gotticis, solœcam dices ac barbaram. Fit igitur, ut aut gratiam amittat quod scriptum est, aut omnino rejiciatur, aut lectorem defatiget tædio. Consequitur autem ut nec doceas non intelligentem, nec delectes ægre legentem, nec persuadeas enecto molestia. Et scis quam sint morosa quorundam ingenia, præsertim si scribas occupatis, aut de re per se parum amœna lectori. Quis enim diu possit auscultare balbutientem, cujus sermonem ægre percipias? Contra vix credi queat, quantopere commendet rem, elegans, dilucida, distinctaque scriptura, Latinis elementis Latina verba repræsentantibus. Olim in scholis pleraque dictabantur excipienda discipulis, ita fiebat ut celeriter scriberent pueri, sed incommode, notulis & abbreviaturis compendium aucupantes. Nunc Typographorum ars facit, ut eruditi quidam ne scribant quidem omnino. Nam si quid suarum lucubrationum literis mandare visum est, tam belle pingunt, ut ipsi nonnunquam non possint legere quod scriptum est, & ab amanuensi flagitent ut legat, agnoscatque, quod ipsi non agnoscunt. Quin & in epistolis, Principum exemplo, complures utuntur amanuensium opera. Sed quid illi facient in epistolis arcanis, quales frequenter incidunt etiam Regibus? ut omittam quod interdum ad auctoritatem, interdum ad gratiam facit agnita manus. Nonnihil habebat momenti, quod Paulus Apostolus Galatis epistolam totam αὐτόγραφον misit. Quis non revereatur si Rex sua manu descriptam mittat epistolam? Quomodo autem exosculamur, quoties ab amicis aut eruditis viris literas accipimus ipsorum articulis depictas? Tum demum ipsos coram audire, coram intueri videmur. Quid multis? Epistola digitis alienis scripta, vix epistolæ nomen promeretur. Multa de suo addunt amanuenses. Et si dictes ad verbum,

1 *Falces petebam, & hi ligones denegant.* Sed est alia ratio commodior, qua ostendere licet quî linguæ multiplicatæ sint. Vide quæ diximus ad Gen. XI. hac de re.

bum, tamen abest illud secretum, & quædam aliter pronuncias, nonnulla supprimis, ne conscium habeas quem nolis. Non est igitur hoc liberum cum amico colloquium, ne quid interim loquar de fide scripti. Subscriptionem effingere facillimum est, totam epistolam perdifficile est. Habet enim singulorum ut vox, ita manus quoque quiddam suum ac peculiare. Ur. Quod dicis ut mirum, ita verissimum esse fateor. Leo. An parum interesse censes, utrum ore suo quis referat tibi mentem suam, an per internuncium demandet? Ur. Plurimum refert, meo quidem animo. Urs. Mandatarius ille fieri potest ut mentiatur, ut quædam prætermittat, ut aliter referat quam accepit: postremo, ut optima fide referat omnia, oculorum, frontis, vultus & vocis energiam non potest exprimere. Ur. Persuasisti, plurimum ad rem facere si puer statim discat quam optime scribere, non solum ob causas quas tu quidem gravissimas commemorasti, verumetiam ob id quod facilius ac libentius scribit qui scite didicit scribere. Habet enim elegans scriptura non aliter quam insignis pictura suam oblectationem, quæ tum scribentem in opere, tum legentem in studio remoratur. Verissimum est autem hic & illud quod dicitur, recte scribendo fieri ut celeriter scribamus, non multum scribendo ut bene. Leo. Superest igitur ut inquiramus, qua ratione fieri possit, ut puer & bene & celeriter discat scribere. Ur. Eadem cura me quoque jampridem torquet. Nam optarim ex tot ursinis catulis unum atque alterum sic educari, ut ex homine prognati videri possint. Le. Ergo communica si quid habes. Ur. Ex me quidem nihil habeo, cæterum quod ex aliis accepi, si voles, qualecunque est, proferam in medium, sed hac lege, ne tu celes vicissim, si quid habes rectius. Le. Polliceor. Ur. Nuper interfui convivio Grammaticorum, opinor fuisse plures duodecim; diceres non modo justum, sed & frequentem senatum. Ibi de rebus hujusmodi ferebantur suffragia. Le. Conveniebat inter illos? Ur. Adeo, ut rem pulchre gestam arbitrarer, si ἀναιμωτὶ dimissum fuisset concilium. Nunquam vidi calidiorem de re frigida concertationem. Longa rixa fuit, quot essent orationis partes, aliis octo in quindecim proferentibus, aliis ad pentadem, aliis ad dyadem contrahentibus. In præliis quamlibet acribus nox ingruens solet conflictum dirimere, hi medio conticinio fortissime vociferabantur ad ipsum usque gallicinium. Nec satis omnium memini, si jubes, referam quantum hæsit memoriæ. Le. Mihi quidem pergratum feceris. Ur. Aggrediar, & quidem præpostere. Nam sonare primum est, proximum legere, tertium scribere, de quo primo dicam loco. Le. Hic quidem nihil refert. Ur. In primis ajebant curandum, ut puero statim exemplum quam absolutissimum proponatur, quod effingat. Nec quicquam vetat, quo minus idem sit imitatu facillimum. Nam vulgus scribarum flexibus, connexionibus, appendicibus, similibusque frivolis ductibus, quibus velut animi gratia lasciviunt, multum difficultatis addunt scripturæ, fructus omnino nihil. An non vides, quanto Gottorum manus olim fuerit operosior Romana, & hodie Gallorum ac Germanorum quam Italorum? Le. Atqui Græcis successit ista literarum connexio, in minusculis duntaxat. Ur. Quid enim istis non succedit? quanquam & hanc affectatam esse nolim, multo minus feram scripturam crebris notulis decurtatam. Le. Ne Latini quidem prisci notulis hujusmodi caruerunt. Qua de re Probus Grammaticus etiam librum reliquit. Ur. Fateor, sed in paucis dictionibus, numerorum, ponderum, mensurarum, & aliorum quæ solent identidem in sermone recurrere. Quanquam hoc quoque compendium, multum invexit dispendii studiis. Nam in hujusmodi notulis, ut est proclivis notariorum lapsus, ita restitutio perdifficilis, quod idem usu venit in Mathematicis, qui formis elementorum signant suas ἀποδείξεις. Le. Perge. Ur. Primum igitur erit singulas elementorum figuras effingere, minusculas simul & majusculas. Le. Quidam in elementis affectant obsoletam antiquitatem, velut e duodecim tabulis petitam, aut si quid his antiquius. Ur. Isti non minus absurde faciunt quam faciunt ii, qui verbis jam olim desitis delectantur: perinde quasi cum priscis Aboriginibus, aut Evandri matre loquantur. Le. Etenim si rem ab Assyriis ac Phoenicibus Cadmoque repetas, nec formas, nec sonos eosdem comperies. Sunt & qui suum quoddam scripturæ genus affectant, ita scribentes Latina, ut parum exercitato Græca videri possint. Ur. Ridendos mihi narras, non imitandos, nisi forte placent Apuleji & [1] Sidonii, aut, ut recentiores attingam, Baptistæ Pii; qui, quum suppetant probata, splendida, accommodaque vocabula, tamen confictis impudenter novis malunt suo more loqui, perinde quasi nihil possit esse præclarum quod sit usitatum. Le. At quod tandem formularum genus maxime probas? Ur. Majuscularum absolutissimum exemplum est in nomismatis Romanorum, quæ temporibus Augusti, & aliquot post hunc seculis excusa sunt, præsertim apud Italos. Nam in provinciis artificum imperitia non perinde respondent. Minusculas undelibet suppeditat Italia, nisi quod ex omnibus eligendæ, quæ & simplicissimæ sunt, nec ita multum recedunt a majusculis. Tantundem de Græcis præceptum esto. Le. Quibus in rebus potissimum situs est literarum decor? Ur. In quatuor, in figura, contextu, serie, & proportione. Le. Figuram ostendisse satis est? Ur. Non est. Proderit & partium ductum ostendere, & quomodo parti pars adaptetur indicare. Le. Dic, oro te, clarius quod mones. Ur. Perlongum sit, Leo, de singulis disserere, dabo specimen unde cætera conjicias. Le. Exspecto. Ur. Alpha majusculum Græcis ac Latinis simili figura signatur. Hujus sinistra linea paulo subtilior, calamo transverso ducenda a summo ad imum: dextra crassior, plano, quemadmodum & transversa, quæ videtur addita, ne nullum sit discrimen inter Alpha & Lamda Græcum. Hæc admonitus puer facilius imitabitur, quam si tantum ostendas figuram. Le. Sane recte. Ur. Alpha minusculum varie pingitur, sed commodissime si primum pingas o oblongum, dorso superne veluti gibbo nonnihil prominente ad dextram, deinde ab illius summo in gyrum commode flexo calamo, mollem addas semicirculum, inferne nonnihil inflexum o, α. Item b minutulum si velis pingere, ducenda est ex alto recta linea, id primum est, huic annectendus semicirculus, hoc est, inversum ɔ, quod si inferne hiet, fiet h adspirationis nota. Eidem columnæ si addideris lineam infractam, erit k. Rursus eadem si inferne promineat extra versum, & addideris ad dextram inversum c. fiet p. Si ad lævam rectum c, erit q. Si nihil annectas lineæ sursum prominenti, erit l, nisi quod inferne paululum inflectitur, quod differat ab I majusculo. Le. Sat est, habeo specimen, reliqua per me conjecto. Ur. Superest formularum varietas, quæ major est in Græcis minutioribus. Deinde notulæ decurtatarum dictionum, quæ res magis pertinet ad prompte legendum quam ad recte scribendum. Sed primis initiis magis congruunt simplicia. Huic exercitationi succedit contextus, refert enim quam literam cui jungas. Quædam enim se non sustinent contingere, quædam gaudent contactu, quædam sibimet implicantur, veluti p & o refugiunt contactum, f, g, t, & fortassis aliæ nonnullæ, quibusdam annecti gaudent, ut grande facinus, flagitium, traxit: nec tamen hæ miscentur quibuslibet. Græci in pingendis minusculis feliciter lasciviunt, literas aliquot invicem complicantes. Idem & in majoribus tentatum, sed apud Græcos non temere nisi in notis numerorum, veluti quum signantes quinquaginta, delta minusculum includunt pi, |Δ|. Apud Latinos tentatum a multis, non successit. Profuerit igitur novo scribæ, si has formarum varietates non solum pictas, sed & pingi conspiciat. Le. Super his, utcunque minuta sunt, admoneri gaudeo. Ur. Post hæc de serie disputabant, ut intra rectas lineas decurrant versus, ne scriptura sit similis Sibyllæ foliis, &, juxta Plautinum jocum, litera literam scandat. Nihil hac inæqualitate deformius. Le. Ad istum sane modum scribit uxor mea. Ur. Jam bona pars artis est in proportione. Ea sita est, partim in partibus figurarum, partim in prominentiis, partim in intervallis. Le. Ista non satis assequor. Ur. Nihil aliud accipies quam specimen rei. A majusculum constat tribus lineis: Itaque ad symmetriam pertinet, ut transversa æquali spatio distet & a summo & ab imo. Rursus indicandum quanto spatio distet imum sinistræ lineæ ab imo dextræ. Finge triangulum æquis lateribus, si detrahas imam lineam, eamque certa portione decurtatam transferas in medium, habebis Alpha. Le. Intelligo. Ur. Item in B, erectæ lineæ ceu columnæ,

1 *Sidonium Apollinarem* intelligit, ad quem vide Præfationem *Joannis de Wowern.*

lumnæ, duo veluti ventres annectuntur, sed inæquali tumore, cui si desit sua symmetria, offendit figura. Le. Sic est profecto. Ur. Eadem est ratio in partibus quæ prominent, aliæ sursum, aliæ deorsum, videlicet ut l sursum eminens, & p deorsum, tantum habeant longitudinis extra versus spacium, quantum intra: c, verbi causa, implet rectum spacium, huic annexa linea ut fiat q, duplicet illud, aut certe minimo superet. Hic enim non artem tradimus, sed exemplum adducimus. Le. Mihi quidem satis est. Ur. Porro intervallum bifariam consideratur. Alterum est quod dirimit versum a versu, alterum quod literam a litera: addo si velis tertium, quod dictionem a dictione, quod comma a commate, colon a colo, periodum a periodo, simul adscriptis notulis quibus distinguuntur. Ut autem observata symmetriæ ratio non hic tantum plurimum confert ad decorem, ita recta distinctio credi vix potest quantum adferat lucis ad intelligendam sententiam, ut non inscite dixerit eruditus quidam, aptam distinctionem, commentarii genus esse. Expedit igitur & huic rei statim assuescere puerum, ita consuetudo vertetur in naturam, ut vel aliud cogitans, servet tamen in scribendo notulas hujusmodi non aliter quam literas ipsas. Le. Audio priscos illos nullis intervallis diremisse dictiones, sed perpetuo contextu produxisse versus. Ur. Fateor, at nec apices olim adhibebant Hebræi, ne Græci quidem, arbitror, sua puncta: nos tamen non usqueadeo morosi sumus, ut si quid bonæ rei repertum sit a recentioribus, gravemur accipere. Hæc diligentia etiam illud adduxit commoditatis, quod scripturam apicibus, notulis, intervallisque distinctam, minus in proclivi sit depravare. Le. Apparet tamen veteres apicibus usos. Ur. Istud qui conjectas? Le. Quia narrant Cadmum literas a Phœnicibus primum invexisse. Eam rem fabula notatam, quæ fingit illum serpentis exstincti dentes in terram seminasse, ex hac semente subito exiliisse duas galeis & hastis armatas acies, quæ se mutuis vulneribus confecerint. Atqui demiror quid hæc fabula faciat ad literas. Ur. Dicam, nisi molestum est. Le. Imo percupio, si grave non est. Ur. Inspexisti ne unquam os serpentis? Le. Ne cupio quidem. Ur. Mortui, inquam? Le. Ne mortui quidem. Ur. Quis unquam audivit Leonem timidiorem? Si tamen inspicias, numeresque supernos & infernos dentes, tot reperies, quot literas primum attulit Cadmus. Le. Quot? Ur. Sedecim, ni fallor. Ociosæ sunt autem sic ut natæ sunt ordine positæ, dissipantur, seminantur, atque ita demum plures numero varieque digestæ, vivunt, agunt, pugnant. Id si non credis, considera qua strage se vicissim conficiunt hodie, qui literas profitentur. Le. Veriora veris narras. Ur. Quid est autem scriptura, nisi mutus sermo, perinde quasi nutibus inter se colloquantur elingues? Le. Nihil aliud. Ur. Et sermonem a serendo dictum ajunt Grammaticorum filii. Habes Cadmeæ sementis allegoriam. Nunc excutiam scrupulum qui, uti conjector, urit te. Tonorum ac spirituum notulas, imaginaris esse lanceas & galeas exercitus. Le. Recte divinas. Ur. Imo partes elementorum sursum eminentes talium rerum speciem præbent, & si diligentius contemplere, videbis illic non solum lancearios ac levis armaturæ milites, verumetiam cataphractos, clypeis, ensibus, ac balistis instructos. Verum harum rerum imagines melius exhibent Hebræorum elementa, a quibus profectas fuisse literas nostras una cum ipsis figuris, non absurde quibusdam videtur. Le. Istam fabulam, mihi crede, non narrasti surdo. Cæterum illud adjungas velim, quibus modis puerum oporteat istis assuescere noscitandis. Ur. De agnoscendis elementorum figuris mox dicetur. Agimus enim, ut dictum est, ordine præpostero. Ad exprimendum pictura singulas, primum est exemplar, deinde commonstratus ipse linearum ductus, præterea manus docentis imposita manui pueri, eamque regens ac moderans. Indicavit aliud adminiculum Fabius, ut eburneæ tabulæ primum literæ simplices, mox syllabæ ac dictiones, deinde versus aliquot quam scitissime insculpantur, per eos sulcos puer consuescet stylum ducere, donec juxta Philosophos, actio frequenter iterata gignat habitum. Nam hac arte didicimus & cæcos nonnullos prompte scribendi facultatem sibi parasse. Eadem opera fiet, ut nec divariet a recta linea, nec usquam peccet ab harmonia proportionis. Olim stilo scribebatur in tabulis ceratis, nunc quoniam calamis aut pennis scribitur, in chartis aut membranis pingitur, alia scribendi ratio est.

A Le. Et antiquitus foliis, arborum codicibus, aut linteis cerussatis, aut alioqui leviter incrustatis inscribebant. Ur. Et nunc sunt qui in tabellis pulvere oblitis stilo æreo argenteove scribant. Sed præclarus artifex varias rationes comminiscetur, quibus puerili studio subveniat. Quarum una est, si perfectum exemplar membranæ pellucidæ supponatur, super quam puer calamum ducat sequens subjectas lineas. Altera est, si scribendi peritus stilo argenteo cupreove vestigia literarum imprimat chartæ, deinde puer per eadem lineamenta ducat calamum, aut pennam atramento madentem. Eadem erit utilitas si succo ligni cujusdam figuras præscribas, leviter purpureas, quas puer tegat atramento. Hic prioris scripturæ vestigia coar-

B guent, quantum sit aberratum a præscripto. Jam quidam utuntur tabulis, in quibus fila, fides ve glutino affixæ, linearum vestigia chartis admotis imprimunt. Ea res ad figurarum speciem non ita multum confert, plurimum tamen conducit ad rectitudinem versus, & ad harmoniam partium superne inferneve prominentium. Id commodissime fiet, si singuli versus signentur quatuor lineis, æqualibus intervallis inter se distantibus, intra duas medias ducentur ipsa literarum corpora: quæ vero prominent sursum ac deorsum, intra suum modum cohibebunt extremæ duæ. Eadem arte licebit æqualibus spaciis dirimere versum a versu. Verum ut his adminiculis prodest exerceri puerum, ita non expedit semper his niti, sed ubi jam profecerit, consuescat absque cortice nare, nec semper linearum ductum desideret. Le.

C De scribendo videor mihi propemodum satis instructus. Ur. Unum illud addam hæc ita tradenda pueris, ut se ludere putent, non studere. Quidam enim hæc tanta docent acerbitate, ut pueri prius discant odisse literas quam nosse. Ad hæc juvabit ad picturam interim nonnihil exerceri puerum, ad eam artem plerique sua sponte feruntur, dum gaudent & exprimere quod agnoscunt, & agnoscere quod ab aliis expressum est. Ut autem qui Musices periti sunt, rectius pronunciant etiam non cantantes: ita qui ducendis in omnem formam lineis digitos habet exercitatos, mollius ac felicius pinget literas. Si quid super his requiras subtilius exactiusque, exstat liber Alberti Dureri, Germanice quidem, sed eruditissime scriptus, in quo priscos hujus artis heroas imitatus, nominatim Pamphilum natione Macedo-

D nem, cum omnium literarum, tum Geometrices & Arithmetices egregie peritum. Nam sine his disciplinis artem absolvi posse negabat: ad hæc, Apellem, qui & ipse ad Perseum discipulum de arte sua conscripsit, multa præclare tradit de mysteriis graphices, ex Mathematicorum petita disciplinis, & in his non pauca de figuris elementorum ac ductibus symmetriaque literarum. Le. Dureri nomen jam olim novi, inter pingendi artifices primæ celebritatis. Quidam appellant horum temporum Apellem. Ur. Equidem arbitror si nunc viveret Apelles, ut erat ingenuus & candidus, Alberto nostro cessurum hujus palmæ gloriam. Le.

E Qui potest credi? Ur. Fateor Apellem fuisse ejus artis principem, cui nihil objici potuit a cæteris artificibus, nisi quod nesciret manum tollere de tabula. Speciosa reprehensio. At Apelles coloribus, licet paucioribus minusque ambitiosis, tamen coloribus adjuvabatur. Durerus quanquam & alias admirandus, in monochromatis, hoc est nigris lineis, quid non exprimit? umbras, lumen, splendorem, eminentias, depressiones: ad hæc, ex situ, rei unius non unam speciem sese oculis intuentium offerentem. Observat exacte symmetrias & harmonias. Quin ille pingit, & quæ pingi non possunt, ignem, radios, tonitrua, fulgetra, fulgura, vel nebulas, ut ajunt, in pariete, sensus, affectus omnes, denique totum hominis animum in habitu corporis relucentem: ac pene vocem ipsam. Hæc felicissimis lineis

F iisque nigris sic ponit ob oculos, ut si colorem illinas, injuriam facias operi. An non hoc mirabilius, absque colorum lenocinio præstare, quod Apelles præstitit colorum præsidio? Le. Non arbitrabar esse tantum eruditionis in arte pingendi, quæ nunc vix alit artificem. Ur. Non novum hoc est, insignes artifices tenui re esse. At olim inter artes liberales numerabatur graphice, nec hanc discere licuit nisi claris, mox honestis quidem concessa, cæterum vetitum ne servitiis traderetur. Principum est ignominia, non artis, si caret suis præmiis. Le. Sentio quantum ad omnem facultatem parandam habeat momenti, statim optimis præceptio-

De recte promptéque legendo.

ceptionibus admonitum esse. UR. His conjuncta est legendi cura, cujus celeritas, nisi primis statim annis paretur, non temere contingit homini, quantumvis adnitatur. Vix autem fieri potest, ut lectione delectetur, qui legendo hæret ac laborat. Proinde, ut qui parum expedite scribunt, ad dictandi compendia confugiunt: ita qui difficulter legunt, aut in totum abstinent a libris, aut si quid coguntur scire, lectorem accersunt: utrobique perit illud secretum quod præcipue alit ingenium, sive tuas cogitationes mandare literis pares, sive magnorum virorum cogitationes velis cognoscere. Ut autem puer statim per lusum agnoscere discat literarum figuras, rem adfero dictu humilem, sed tamen a summis viris traditam: profuerit eas crustulis exprimere, ut divinanti nomen elementi, præmium sit ipse cibus. Hoc Flacci consilium est. Fabius aliud indicat huic simile, ut ex ebore fingantur literarum formæ, atque ex his lusus aliquis pueris gratus proponatur, qualis est nucum, aut talorum, aut si quod aliud genus, quod nisi cognitis ac nominatis elementorum vocabulis peragi non queat. Quam ad rem accommodatissimus latrunculorum ludus, quem hodie *Scacorum* vulgus appellat, sic ut hinc Græcæ, hinc Latinæ literæ inter se concurrerent, nisi quod operosior est, quam ut ætati primæ conveniat, adultioribus aptissimus. Idem efficient munuscula, quæ puerorum vestibus ornatus gratia affiguntur, aut in manum dantur, ut cum voluptate intueantur, contrectent ac nominent. Videmus ætatem illam affici voluptate, si in picturis agnoscant hominis, aut animantis, alteriusve rei figuram, ac nomen reddant. Simili illecebra poterunt & ad literas agnoscendas irritari. Mox ad syllabarum connexionem progrediendum, hinc ad dictionum complexum, postremo ad orationis structuram. Ea res fere constat memoria, quam volunt esse certam, eoque negant primæ fidendum, sed nunc recto, nunc inverso, nunc confuso literarum, syllabarum ac dictionum ordine repetenda subinde eadem & inculcanda, donec certam legendi facultatem & expeditam paratam esse constiterit. Nec ante tempus affectanda celeritas, quo fit, ut multum adferat moræ lectioni incogitans festinatio, dum auditor dubitat quid legerit, dum auribus non assequitur lingua properantem, dum quædam intermittuntur, quædam perperam sonantur, unde dum vel aliis revocantibus, vel ipse tibi diffidens repetis multa, non parum dispendii secum adfert male captatum compendium. Prima cura sit, ut attente, ut emendate legamus: cæterum ut idem faciamus expedite, nec cogitantes ac velut aliud agentes, dabit usus. Id quod scite præcepit Fabius: [1] *Certa sit*, inquit, *in primis lectio, deinde conjuncta, & diu lentior, donec exercitatione contingat emendata velocitas.* LE. Ista præceptio non hic tantum valet. UR. Adjiciebant & illud, dum legis, in dextrum flectendos oculos, & quomodo præcurrendum, diducta in duas res animi intentione, ut aliud agatur voce, aliud prospectu, quemadmodum qui facit iter, non hoc intuetur quod calcat, sed quod calcaturus est: sic huic posteriora intuenti priora recitanda sunt. LE. Demiror cur hoc natura inviderit homini, ut altero oculo prospiceret in dextrum, altero in lævum. Nec video quorsum opus sit duobus, quum fabri & balistarii, si quando maxime intendunt prospectum, alterum occludant oculum. UR. Dicam, si quis te casus altero orbaret oculo, nonne gauderes alterum superesse? LE. Verum si legas Hebræa, in lævum flectendus prospectus. UR. Nimirum ut in scribendo manus. Verum id minimo negocio docet paucorum dierum usus. Novi qui & pedum digitis expedite sciteque scriberent. Quibusdam ea prospectus celeritas est, ut oculis prævolantibus deprehensa sententia, bene legant etiam perperam scripta. Quædam enim nisi cognito prius sensu recte sonari non possunt, etiam si bene scripta sint. LE. Credo, sed plures sunt, qui recte scripta legant perperam. UR. Quod dicam prodigii simile est. Vivit adhuc quidam de procerum aulicorum numero, qui nunquam legit ipsum quod scriptum est, sed loci sententiam aliis reddit verbis. Rogatus a me num sciret se id facere, fatebatur se frequenter hujus rei admonitum. Quærebam num sciens ac volens id faceret, negabat, imo non dissimulavit se sibi hoc nomine displicere. Addebam quanam occasione venisset in eam consuetudinem. Num puer habuisset præceptorem, qui parandæ copiæ gratia jussisset illum aliis verbis efferre quod legeret, aut num quid aliud accidisset simile. Negavit. Nam est hujusmodi musices genus apud Britannos, ut multi inter se concinant, quorum nullus eas sonat voces quas habent codicum notulæ. LE. Habet natura suas quasdam arcanas causas, quas frustra scrutantur homines. Et ipse novi puerum annos natum duodecim, cætera perfectum, hoc tantum habebat prodigiosum, quod omnia verba præpostere loqueretur, quod in nostrate lingua scis esse absurdissimum. Nam Latine loquentibus, quanquam ad decorum compositio plurimum facit, tamen ad sensum fere nihil refert, sive dicas, honora patrem tuum, sive, patrem tuum honora: nihil autem absurdius, quam si quis nostrate lingua dicat, patrem tuum honora. UR. Sic est ut dicis. Addunt autem præceptiunculam, mea sententia, non aspernandam, quæ pariter & ad legendum & ad scribendum pertinet, nonnihil etiam ad mores. LE. Audire gestio. UR. Moris est ut post agnitas formulas, & contextas syllabas incipiant scribere nomina, mox & oratiunculas. LE. Sic est. UR. Hoc operæ nolunt insumi in vocabulis inanibus ac nihil significantibus, aut vulgo notis. LE. Exspecto ut melius dicas. UR. Scis bonam eruditionis partem esse, scire rerum vocabula. Hic supra modum cessatur a Grammaticis vulgaribus, quorum vitio fit, ut adolescentes post multos annos in Grammatica contritos, vix norint ullius arboris, piscis, volucris, quadrupedis, aut leguminis verum nomen. Ne domi quidem ullam supellectilem Latine nominare possunt, adeo ut quum volunt sibi dari mantile, dicant, *da mihi rem*, & aut indice digito est opus, aut vulgatæ linguæ subsidio. Idem usu venit si producantur in officinam cujuslibet artificis, tantum generales rerum voces utcunque tenent, species prorsus ignorant. LE. Istud mihi sane usu venit, ac mecum aliis quam plurimis. Arborem, legumen, herbam, equum & canem ostendere possum, at si quis exigat ut ostendam alnum, aut fraxinum, aut ilicem: silurum, scarum aut pectinem: ervum aut milium: scolopendram, viverram aut felem, hæreo. UR. Sic in Dialecticis pueri nihil audiunt, nisi *Socrates currit, Plato disputat. Si asinus volat, asinus habet pennas, & Socratem currere est possibile.* LE. Quid igitur hic consilii? UR. Eadem opera licebit pueris præscribere, vulgo non obvia rerum vocabula, aut voces exquisitas, nonnunquam & bonæ rei quippiam admonentes. Tam facile discitur quid sit lacerta, aut stellio, aut pectunculus, quam quid sit canis aut vacca, nec difficilius scribitur, *Tempori parce*, quam *vacca mingit*, aut *canis latrat*. Interdum unica vox continet perfectam sententiam, ut σωφρόνει; id multo magis convenit observari posteaquam eo profecit puer, ut integri versus jam sint ad imitationem præscribendi. Cur enim non potius illis præscribitur hoc carmen: *Quo semel est imbuta recens servabit odorem Testa diu*, quam illud: *Aut pluit, aut ningit, aut nostra pedissequa mingit?* In hunc usum valebunt celebrium virorum apophthegmata, exquisitæ brevesque sententiæ, proverbia, ac lepide dicta, cujusmodi supellex ad omnem dicendi facultatem plurimum habet momenti. Quorum si quis singula contemnit, huic occinam illud Hesiodium, *Pusillum pusillo si addideris, cito nasci magnum acervum.* Et hæc inter lusum licet ediscere, nulla rerum memoria tenacius ad ipsam usque senectutem hæsura animo, quam quæ sic infixæ sunt. Vides igitur quanta nobis hic pereat utilitas. LE. Video sane quanta pars ætatis nobis instituentium vitio præterfluat. UR. At vereor ne te delassem, si quæ de pronunciando disserta sunt referam. LE. Imo hic habebis attentissimum, quandoquidem hoc erat, quod me potissimum sollicitabat, quanquam & cætera juvat audisse. UR. Quanquam ergo puer a nutricibus non discit Latine, tamen referre dicebant, inter quas primum inciperet æmulari voces humanas: quod ætas illa, quoniam præter imitandi facilitatem nihil habet, nescio

De recte pronunciando.

[1] Institut. Oratoriæ. Lib. 1. c. 1.

nescio qua rerum humanarum infelicitate, citius prope reddit prava quam recta. Ac mire fit, ut semel infantibus arrepta vitia in adultam ætatem sic prosequantur, ut ægre queant dedisci. Sunt autem oris ac linguæ diversa vitia, quorum aliquot nonnullis affixit natura, sed plura peculiaris cuique vel negligentia vel affectatio: bonam autem hujus mali partem affert ipsa natio, ut in sonis suum quæque quiddam habent, Hispania, Italia, Gallia, Germania, Britannia, ac bene nobiscum ageretur, nisi singulæ nationes in varias vitiorum species essent distractæ. Si labdacismus est impotentia sonandi caninam literam, multis vitium hoc adnascitur, nonnullis deliciæ loquendi conciliant. Etenim quum cæteris animalibus lingua sit absoluta, homini tot venis adstricta est, ut quibusdam necesse sit intercidi. Nec hoc succedit omnibus. Nam aliis deterius accidit vitium, aliis lingua nihilo secius manet inexplanata. Memoriæ proditum est Demosthenem eloquentiæ principem, primam artis suæ literam sonare non potuisse. Metellum Pontificem lingua adeo impedita fuisse narrant, ut mensibus aliquot sese torserit, dum meditatur in dedicanda æde verbis solemnibus dicere, opiferæ Cereris. Nam labdacismum quem scriptores notant in Alcibiade, deliciis non naturæ tribuendum arbitror. Le. Ab istis ortum arbitror, quod *pellucidum* dicimus pro *perlucidum*, & *pellicere* pro *perlicere*, & *pellegere* pro *perlegere*. Ur. Haud male conjectas. Hujus literæ difficilior est sonus in initio & fine dictionis, tum in medio duplicatæ, mollior si simplex incidat inter duas vocales. Exempla sunt, regula, motor, carrus, oro: Durior etiam apud Græcos, qui posteriori addunt aspirationem, ut χειμάῤῥους. Hanc asperitatem quidam mitigant supposito σ, ut θαρσεῖν pro θαῤῥεῖν. Idem faciunt hodie mulierculæ Parisinæ, pro *Maria* sonantes *Masia*, pro *ma mere*, *ma mese*. Etiam si non defuerunt apud Latinos, qui contra *Fusios* ac *Valesios* verterint in *Furios* ac *Valerios*, atque e diverso, qui *honos*, *labos*, *vapos* & *clamos* dicere maluerint, quam *honor*, *labor*, *vapor*, & *clamor*. His contrarii Eretrienses, σ, vertunt in ρ, dicentes σκληρότηρ pro σκληρότης, atque hinc proverbii jocus in Eretriensium ῥῶ. Le. Isto vitio novi plurimos qui laborent. Verum, est ne remedium huic incommodo? Ur. Est, si intercidas plectri retinacula, nisi quod non vacat periculo tangere venas, hoc est, juxta proverbium, [1] τὰ ἀκίνητα κινεῖν. Le. Quum animantibus quibusdam tam mobiles & expeditas linguas natura dederit, demiror homini datam tot adstrictam retinaculis. Ur. Multis expediebat nullam omnino linguam esse datam. Nunc neque venarum retinacula, neque vallum duplex dentium, neque labiorum oppositi muri satis cohibere possunt membrum hoc nimium volubile. Le. Nihil verius. Ur. Rursus aliis tam est docilis, ut animalium omnes voces indiscreta similitudine reddant, ut si tantum audias, credas vagire puerum, rixari fœminam, tussire senem, grunnire porcum, canere lusciniam, hinnire equum, latrare canem. Cæterum adversus omne linguæ vitium valebit difficultatibus exerceri, quo studio Demosthenes fertur triplex naturæ vitium expugnasse. Nam ad exprimendum ρ linguam habebat inexplanatam, & spiritosus erat, & vox infirmior multitudinis fremitu intersecabatur. Itaque tophis subter linguam impositis, versus complures adverso monte continuato spiritu resonabat, & in littore nonnunquam quum maxime fremeret mare, dictionem exercebat, ut populi fragorem assuesceret contemnere. Ita verum esse docuit, quod a Sapiente quodam dictum est, [2] μελέτη πάντα δύναται. Huic simillimum est quod indicat Fabius. Le. Quodnam. Ur. Existimat os puerorum reddi firmius, ac sermonem expressiorem, magisque, ut ita loquar, articulatum, si ab his exigatur, ut nomina ac versus affectatæ difficultatis ex pluribus asperrime inter se coeuntibus syllabis catenatos ac veluti confragosos quam citatissime volvant. Hujusmodi versus Græci χαλεποὺς dicunt. Difficultas autem syllabarum aut dictionum partim nascitur ex natura literarum, partim ex connexione, partim ex turba concurrentium consonantium, partim ex his omnibus. ρ, ξ, ψ, & nostrum f, durioris sunt soni, unde rerum rex, ξένος, psittacus & effero, non admodum facile sonantur. Quemadmodum & μνα, πτύω, βδέω, non quod in his postremis difficultas sit in singulis, sed quod parum sibi congruant. Turba gignit difficultatem, quum dicimus glans, & mons. Nam in his sunt duæ literæ, l & n, omnium suavissime sonantes. Ex multis simul nascitur difficultas, quum dicimus ferrum, fervor, fragor, πτύξ, trabs, Thrax, Xerxes, Artaxerxes, αἰσχροκερδής. Numerus autem literarum in eadem syllaba non excedit senarium, qui tamen apud Græcos ægre reperitur. Fraus constat quinque literis, sed unam absorbet diphthongus, strix habet quinque sine diphthongo, quemadmodum frons. Scrobs & stirps apud nos sex literis constant, soluta duplici: si Græce scribantur, quinque duntaxat: si strirps sonetur, eadem syllaba septem literas complectetur. Apud Græcos una dictio profertur, cujus altera syllaba sex literas complectitur, αἰσχρὸς, sed ita ut diphthongus initialis separetur a consonantibus sequentibus, & ου diphthongus pro duabus supputetur. Versuum, quos a Græcis χαλεποὺς appellari diximus, hoc exemplum fingi poterit:

Γραῦν χθονίαν αἰσχρὸς φθόνος ἔῤῥαγεν, οὐ ξίφος ἐχθροῦ.

Item:

Arx stridens rostris, sphinx, prester, torrida seps, strix.

In hujusmodi difficultatibus exercitatio reddet linguam ad cætera tum expeditiorem, tum explanatiorem. At hodie satis esse credunt, si facillimas quasque syllabas tradant, ba, be, bi, bo, bu, & harum similes, quum difficiliores magis sint inculcandæ, μνα, πτυ, βδε, τλα, αῦν, κνα, χνο, θνα, πνα, χνα, χθὼ, φθι, πτη, τμη, δμω, θλα, σμα, σφρα, velut in μνημοσύνη, πτύω, βδέω, τλάω, γραῦν, κνάω, χνοῦς, θνητὸς, πνέω, γνώμη, χθὲς, φθείρω, κτῆμα, τμῆμα, τμῶλος, δμῶες, θλάω, σμάραγδος, σφραγὶς, & hujus generis aliis, quibus exprimendis, nisi protinus assuescat os tenerum, vix unquam feliciter sonabit. Le. Animadverti quosdam esse, qui laborent in exprimendo, s, maxime si adhæreat illi consonans, ut est. Ur. Hoc est, ut opinor, quod nos blæsum vocamus. Le. Ab hoc vitio tam absunt Hispani, quam Eretrienses absunt a Demosthenis vitio. Galli contra solent vel elidere, vel obscurare literam hanc, lingua vulgari scribentes est, & sonantes ε, producta vocali, Græci ψελλισμὸν appellant teste etiam proverbio ψελλὴ ἐ πίτευει. Ur. Vitium hoc levius est, & a nonnullis affectatur, qui blandiores videri student. Illa deformis linguæ hæsitantia, & oris tremor, spasmi species, easdem syllabas iterans. Id aliis accidit in principio dictionis, aliis in fine, vitium inemendabile si in ætatem paulo adultiorem duraverit, præcipuusque labor est in k, q, c, p, & t, veluti quum κυκυκύριε dicunt pro κύριε, & pepepepedi pro pepedi, cacacave pro cave, Tutullius pro Tullius, rursus, Romama pro Roma. Le. Utriusque mali possum exempla non illepida narrare. Ur. Libet audire. Le. Sacrifico cuidam insigniter hoc vitio laboranti, quum adornaret immolare, contigit minister pariter eidem obnoxius malo, ubi ventum est ad κύριε ἐλέησον, quod apud nos alternis dicitur, multum temporis absumptum est, prius quam ter absolverent kyrie eleeson. Tandem Sacrificus, ut hoc hominum genus dicitur iracundius esse, quid fiet, inquit, tun' me derides, an ego te? Et exutus amictu sacro, reliquit aram, magno risu nostro. Ur. Eodem malo laborare videntur ranæ, nunquam absolventes suum illud κεκεκεκεξ. Le. Apparet. Alio quodam die audivi Medicum in frequentissima schola disputationi præsidentem, alioqui doctum ac vocalem, nec inexplanatæ linguæ, tantum geminabat extremam syllabam omnium dictionum, pro Avicenna pronuncians, Avicennana: pro scriptor, scriptortor, pro dicitur, dicitîtur: pro pharmaca, pharmacaca. Id Græci, nisi fallor, appellant τραυλισμὸν, aut βατταρισμὸν: fortassis & βαττολογίαν, nisi quod battologia repetit orationem. Sic enim apud Ovidium Battus, In illis Montibus, inquit, erant, & erant in montibus illis. Quem imitatus Mercurius respondet, Et me mihi perfide prodis, Me mihi prodis. Nos forte non inepte dixerimus ti-

[1] *Immobilia movere.*
[2] *Exercitatio omnia potest.*

A titubantiam oris, cui cognatum est vitium hæsitantiæ, quam Græci, ni fallor, vocant μογιλαλίαν. Hæc omnia graviora facit ira & pudor, aut alius vehemens affectus, quumque alioqui, juxta Fabium, pectus soleat facere disertos, his diversum quiddam accidit ut obmutescant. Novi qui Austro flante sic hæsitabat, ut vix duo verba posset eloqui. LE. Unde hæc mala? UR. Partim a natura, sed multo major pars a consuetudine prava, præsertim primis annis hausta. LE. Ecquod habes his vitiis remedium? UR. Præsentissimum. LE. Obsecro quodnam? UR. Ut taceant. LE. At nulli minus id possunt. UR. Ergo mittantur ad exemplum Demosthenicum, ac dictum illud sapientis, μελέτη πάντα δύναται.

Μογιλαλία.

B LE. Indica rationem. UR. Accipe. Qui laborant in k, recitent subinde carmen in laudem Calvitii, concinnatum ex dictionibus continenter literam hanc primo loco habentibus. Qui in t, tales versus repetant:

O Tite tute Tati, tibi tanta tyranne tulisti.

Aut tales:

At tuba terribili tonitru, taratantara trusit.

Nihil negocii fuerit alios consimiles effingere. Profuerit & singulas dictiones, & orationis membra lente distincteque pronunciare, per silentia quodammodo redintegratis linguæ viribus, voce nonnihil ad cantum deflexa. Novi siquidem viros adprime doctos, qui privatis colloquiis deformiter titubabant, e cathedra

C clarius loquentes, nihil ejus vitii præ se ferebant. LE. Nihil hic valet Medicorum ars? UR. Arbitror posse nonnihil si nossent omnes musculos, quorum opificio vox promitur. Qui si fallant, habemus hic Divam opiferam. LE. Quam ais? UR. Eulaliam. LE. Ad Divos confugere extrema quidem est ancora, & fausti ominis nomen est. UR. Quoniam autem Grammatici excipiunt vocabulorum controversiam, labdacismus fortassis erit, ubi quis literam l, nimium operose sonat, veluti si quis pro *lucet*, dicat *ellucet*, aut pro *salva sallava*, quod vitium in magnis aliquot viris deprehendi, sed quod affectationi potuit imputari, non naturæ. Dum enim plus justo studerent articulate loqui, in hoc malum deflexe-

Labdacismus.

D runt. Idem faciebant in litera ρ, sonantes *serava* pro *serva*, *veraba* pro *verba*. Cui simillimum videri potest, quod Græci vocant Jotacismum. Id mihi videor in quibusdam genere Græcis animadvertisse, nominatim in Georgio Hermonymo, qui se Spartanum prædicabat, docebat autem Lutetiæ, recenti memoria plurimis adhuc notissimus. Et apud Latinos sentias quosdam intorquere os, quoties hanc student nimium exprimere. Alii quoties sequitur vocalis in eadem syllaba, pro, i, propemodum sonant, g, ut *gecit* pro *jecit*, *egicio* pro *ejicio*. Quanquam enim jota transit apud Latinos in consonantem, si præcedat in eadem syllaba vocalem, tamen sonus debet esse medius inter vocalem & conso-

E nantem. Sunt qui simili loco pro, i, sonant fere, z, ut pro *janua*, *zanua*: pro *Jesus*, *zesus*, pro *jecur*, *zecur*. Rursus alii sic sonant tibiis, Virgilii, ut ante secundum, i, videaris audire, j, consonantem, & pro duabus efferunt treis. Sunt rursus qui pro, e, sonant i, quemadmodum pro a, o, de quibus suo loco dicetur convenientius. Addunt & Metacismum dum plus æquo exprimitur m, incidens in finem dictionis sequente verbo, cujus prima sit vocalis, ut *plurimum audet*, hic volunt m, evanescere ut sones *plurim audet*. Sicut in illo Ciceronis: *Quousque tandem abutere. Tandabutere* dici volunt. Quod ut nolim refellere, ita credo nonnihil interesse inter sonos, quum dicimus, animam agit, & quum, anima agit. Nam in priore nisus sentitur volentis exprimere m.

F Unde Fabius admonet m, in talibus syllabis, neque prorsus audiri, neque tamen non audiri. Idem inter oris vitia commemorat ἰσχνότητα, quam *exilitatem* sive *angustiam* possis dicere, quæ quibusdam adest natura, aliis morbo seniove, nonnullis accersita, dum arctatis arteriæ circa imas fauces musculis, vox semiclusis labiis promitur. Cui contrarium est, πλατυασμὸς, quum nimium diductis faucibus, & ore plus satis patulo sermo promitur. Quorum illud si natura contingat, Aristoteles timidæ mentis argumentum interpretatur, hoc stolidæ. Hollandiæ vulgus fere summis labiis loquitur, Germani superiores contra, pene ab umbilico voces ducunt. Unde mihi videntur hæc duo non solum ad vocis exilitatem, verumetiam ad oris indecoram vel contractionem vel diductionem pertinere. Nam in multis utrumque vitium deprehenditur, in quibusdam etiam nationibus ut peculiare ridetur. In non paucis autem deprehendas κοιλοστομίαν, quum vox velut e cavo specu, eque recessu oris resonat. Et hoc vitium quibusdam addidit natura, quæ linguam dedit prima sui parte nimis adstrictam, alioqui latiorem; unde fit ut vox fundatur in latera faucium, atque hinc repercussa resonet, qualis umbrarum vox esse fertur, eoque qui simulant hujusmodi spectra ex olla fictili verba promunt. Quidam habent corvinum quiddam, quidam stridulum, quidam balbum ac senile, qualis est edentulorum oratio. Nonnullis totus sermo crassior est. Sunt qui voluta intus lingua nescio quid Hebræum resonant. Sunt qui syllabas extremas audiri non sinunt, verum eas quodammodo devorant deglutiuntque. Quod pueri metu faciunt, ne deprehendantur inemendate loqui indicio postremæ syllabæ, ita quibusdam populare est. Hos Græci peculiari vocabulo dicunt κολοβώτας, id est, decuratores. Rursum sunt, qui postremas omnes acuant Hebræorum ritu. Sunt cornicines, quibus sonus per nasum erumpit potius quam per os, ut omittam quorundam gargalismum, ructum, singultum, crepitum inter loquendum, stridores, sibilos, gemitus, screatus, tusseis, risus, quibus sermonis tenor interciditur. Denique innumera sunt vitia, quibus a recta pronunciatione disceditur, quam Græci ὀρθοέπειαν appellant. De quibus incidet postea locus, ut aliquid dicamus. Hæc in hoc tantum admonui, ut infantem ab eorum convictu submoveamus, qui vitiis hujusmodi sunt obnoxii, & si quid vel natura traxit, vel consuetudine contraxit hujusmodi vitiorum, id mature corrigatur. Jam est peculiaris quidam cuique genti oris sonus, quem propriis vocabulis notare difficile sit. Quanquam enim Latini & Græci iisdem pene literis utuntur, tamen agnoscas Græcum etiam Latina sonantem, & contra Græcus agnoscit Latinum Græca sonantem. Hanc ob causam Fabius suadet quidem ut puer prius Græcis imbuatur, non vult tamen diutius in his hærere, ne peregrinus oris sonus prosequatur etiam Latine loquentem. Fœdum est enim hominem in ea lingua videri hospitem, in qua natus est. Quod si negligentia acciderit, desidiæ crimen est: si affectatione, stultitiæ tribuitur. Nec desunt tamen qui hoc ceu bellum & elegans affectent, sic redeuntes nobis ex Galliis, ut Latine sonantes vix intelligantur, & si quid habeat ea gens in dicendo vitii, puta volubilitatem linguæ, confusos accentus, aut voces nihil significantes, interjectionum vice subinde mixtas Latinis, id studiose repræsentent, quo valde Galli videantur. Nos quoniam Græca fere discimus in hoc ut veterum libros evolvamus, potius quam ut cum vulgo Græcorum fabulemur, præstiterit utriusque linguæ rudimentis semel traditis, in Latinis potissimum exerceri, donec confirmatus adolescens junctis utriusque literaturæ studiis tuto progredi possit. LE. Et istam fabulam Urse, haudquaquam surdo canis. UR. Nunc si non est molestum audire, restat commemorare quid illi de sonandis singulis elementis tradiderint. LE. Audiam per quam lubens. UR. Atque operæ pretium est, nunc enim tota fere pronunciatio depravata est, tum apud Græcos, tum apud Latinos. LE. Quid audio? UR. Sic est. LE. Undenam id accidit? UR. Partim ex corruptela vulgati sermonis, partim hinc quod soni vocum scribi non queunt. Et scis quam nihil apud populum stabile, nihil diuturnum. Verum hoc interim mihi credas velim, mox demonstraturo, si pauca de sonis elementorum perstrinxero. Ordiar autem a vocalibus, quas Latinis esse quinque notissimum est, a, e, i, o, u, Græcis septem, α, ε, η, ι, ο, υ, ω. Et apud Latinos omnes ancipites esse, apud Græcos duas natura breves, ε, ο, totidem longas η, ω, tres ancipites, α, ι, υ. Ex his A. diducto largiter ore profertur, lingua recta suspensa, hoc est, nec ad palatum superius afflexa, nec in anterius dentium vallum impacta, nec in latus dentium illi-

Κοιλοστομία.

Κολοβῶται.

sa, nec inter dentium hiatum inserta, voxque prodit ex arteria profundiore, feriens superius palatum. Cur autem vocales dicantur, a Grammaticis jam olim reddita est ratio, vel quod elegantius sonent, vel quod per se sonent, vel quod aliis, quæ consonantes vocantur, vocem tribuant alioqui mutis, nisi si quid edant stridoris, aut strepitus, unde & semivocalibus nomen. Sed cur Alpha inter vocales primas teneat difficilior est quæstio. Quidam ajunt Cadmum ob hoc primum locum tribuisse alpha, quod Phœnicum lingua *bos* appelletur *alpha*. At Hesiodus in paranda re familiari, primo loco secundum domum & uxorem ponit βοῦν ἀροτῆρα. Hæc ratio per me, Casca Cascis arrideat licebit, mihi probabilius videtur, ideo prælatam apud Græcos inter ancipites, quod hæc in compositione syllabarum præcedit, i & y, quum ipsa nullam sequatur vocalem in eadem syllaba. Nam in vaco, & jaceo, prima migravit in vim consonantis. Nec adversatur huic rationi, quod adfertur ab aliis, hoc esse naturale minimeque operosum loquendi exordium. In loquendo siquidem nihil est prius, quam diducere labia, mox nullo alio vel dentium vel linguæ vel labiorum adminiculo, vocem edere, quam primam audimus in pueris nascentibus. LE. Nec dissimilem in

E ovibus balantibus. UR. E, simili modo profertur, nisi quod ore parcius diducto, vox non erumpit sursum in cœlum oris, sed in linguam infimam, quæ leviter ferit utrinque dentes molares, reductis introrsum labiis. In-

H ter hæc duo elementa, medium est η Græcorum, quod effertur rictu minus diducto quam in α, hiantiore tamen ac minus in ima depresso sono quam in e. Cognationem arguit primum, quod apud Græcos, α frequenter vertitur in η, & contra ut πρίηπος pro πρίαπος, & ἰητρὸς pro ἰατρός. Contra τὰν pro τήν. Apud Latinos fere vertitur in e longum, ut κρῆτες Cretes, & σπλὴν splen. Id si crassiore Minerva tibi demonstrari cupis, LE. Crassissima si potes, atque adeo, si libet, adipali. UR. Justum est a, quod sonant Itali. Immodice diducto vel rotundato magis ore sonant Westphali, referentes Jonicum quiddam, qui pro alpha sonabant ω mega, dicentes θῶυμα pro θαῦμα, & ὠυτὸς pro αὐτός: ut alii contra, ω vertunt in alpha, pro τῶν νυμφῶν dicentes τᾶν νυμφᾶν, μυσᾶν pro μυσῶν, πρᾶτος, pro πρῶτος. Item ε vertitur in η, ut ἤυσε μέγασε, & pro ἐβουλόμην, ἠβουλόμην. Hæc nimirum arguunt his literis vicinitatem quandam in sono fuisse, η vero sonuisse videtur apud Græcos, quod nunc sonat a, Scotorum, aut Hollandorum quorundam: neque enim omnes eodem modo promunt, ac de vulgo nunc loquimur, ne quis eruditus existimet hæc ad se pertinere. Quum enim hi dicunt *ama*, mediam vocem audis inter *ama* & *eme* Italorum more pronunciata, quemadmodum alii, quos diximus Jonicum quiddam referre, pene sonant *omo*. Nunc fac ut oculis os, auribus sonum observes, dicam primum Italice, mox Scotice, postremo Westphalice. LE. Isthic sum. UR. *Ama, ama, ama, Fama, fama, fama, Janua, janua, janua*. LE. Crassissime profecto dicis, sed tamen ad docendum apposite. Verum age dic, discernuntur ne hæc apud Græcos? UR. Vix sentias, sed jam admonui pronunciationem esse corruptam. Siquidem quam nunc habent eruditi, non aliunde petunt quam a vulgo, scis quali magistro, verum de his mox. Jam in e pronunciando non leviter peccat vulgus. LE. Quid ita? UR. Quia literam eandem aliter atque aliter sonant, nunc ore contractiore, nunc diductiore, de nostratibus loquor. Nam Italorum hic, ut in aliis plerisque, correctior est enunciatio. LE. Exspecto exemplum. UR. Dicam in genere. Quum e, finit syllabam, sat recte sonant: quum adhæret illi consonans, vel a sonant pro e, vel η, hoc est, a Scoticum. *Demo* probe sonant & *peto*: at *perago*, *pervia*, *sperma*, diductius resonant quam par est, & in lego contractius efferunt quam in lex, in rego quam in rex, in rebus quam in res. Verum id potissimum accidit, quum e excipitur a consonante r: quum enim dicunt *adspergo*, secunda syllaba nihil aliud sonare videtur, quam in *sparta* prior, & in *pervius* prima minimum aut nihil discernitur ab ea quæ præcedit in *parvo*. Item in *pertundo* & *partu*, *erro* & *arra*, *verro* & *varro*. Idem vitium sequi solet etiam Græca sonantes, ni fuerint diligenter admoniti. Vix enim in πέρθω, & παρθένος discernunt primas syllabas. Quanquam hæc felicissime distinguunt Itali. Vix in alia litera magis errat Gallorum vulgus, a pro e sonantium, si quando vocalem excipiat n, aut m. Nam pro *quendam* sonant *quandam*, pro *valens valans*, pro *redemptus redamptus*, pro *emblemata amblemata*, pro *vendo vando*, pro *ventosus vantosus*, pro *tempus tampus*. Hunc errorem subinde deprehendimus etiam in codicibus Gallorum manu descriptis aut excusis. Hic tamen emendatior est Picardorum enunciatio, nec ulli magis peccant, quam qui sibi mire Gallice videntur loqui. Quod non in aliud monemus, nisi ut hæc protinus dediscant pueri, ne pravus usus hæreat Latina Græcave sonantibus, neve pro ἔμπορος enuncient ἄμπορος, pro ἕκτορα, ἄντορα. LE. Prorsus ita res habet. I UR. Jam i, minus etiam diducto rictu sonatur, ac pene coeuntibus dentibus, quibus sensim lingua illiditur, qua parte sunt genuini, sic ut labia nihil adjuvent sonitum, sed reducantur potius aliquantulum, ut in e. LE. Teneo. UR. Et hic bifariam peccatur a multis. Siquidem apud Brabantos, campestres quidam pro i, sonant diphthongum Græcam ει, quam evidenter audis quum nostrate lingua dicis *ovum*, & quum Latine dicis, *hei mihi*, veluti quum pro *via* dicunt *veia*, pro *pia peia*. Rursus Scoti quidam pro e sonant propemodum i, dicentes pro *faciebat*, *facibat*. Ea consuetudo sic a puero inhæserat Joanni Coleto, viro alioqui facundo & erudito, ut nec in pronunciando, nec in scripto vitaret, quamlibet admonitus ab amicis. Ne is quidem novus est error. Siquidem Victorinus Afer objurgat discipulos suos, quod e, verterent in i. Et rursus i, scriberent pro e. Ac prisci Grammatici, cumque his Fabius, ostendunt esse quendam sonum medium inter e & i, unde factum est, ut alii hanc, alii illam usurparent in eisdem dictionibus, velut *heri* & *here*, adverbium sono vocalis discernebatur, ab *heri* & *here* nomine. Ejusdem arbitror esse generis, *tempori* & *tempore*, *luci* & *luce*, *vesperi* & *vespere* adverbia. Hæc interdum transit in consonantem, quam nonnulli, sicut ante monuimus, plus satis sonant, sic dicentes *jecit*, quasi dicant *gecit*, & *majestas*, quasi sit *magestas*. Idem usurpant in Græcis dictionibus, quum i, apud Græcos semper sit vocalis, nec unquam præcedat alteram vocalem in eadem syllaba, ut ἰατρὸς, ἴαμβος: unde perperam quidam *jambus* sonant disyllabum, quum vox ἀμφίβραχυν

O reddat. Sequitur o, similiter ex arteria prodiens, quemadmodum a, lingua recta quidem, sed introrsum modice reducta, nisi quod ore non solum diducto, verum etiam rotundato, quod ipsa elementi figura videtur admonere: quemadmodum i, sua forma monstrat vocis exilitatem: & e, labiorum reductionem nobis veluti pingit. Item A, patens inferne, rictus diductionem pingit. Peccatur & hic a vulgo, nostrate dumtaxat. Nam Græci Italique recte sonant. LE. Quo pacto? UR. Primum Batavi literam hanc promunt ore contractiore quam opus est. Deinde eandem non eodem modo promunt. Rotundius enim sonat in *nos*, quam in *non*: in *nono*, quam in *nonne*: in *omen*, quam in *omne*. In posterioribus enim nostri pene sonant pro o, u Westphalicum. LE. Plane sic habet. UR. At faciam ut clarius etiam rem perspicias. Quod discrimen vulgo facimus inter on, quod est in *tondere* & inter un, quod est *tundere*? Nec aliud sonat o, in *rhombus* quam u, in *tumbo*. Item in *sunto*, & *sontes*. Atqui o diductiore rictu pronunciandum erat. LE. Quam multa peccamus imprudentes. Vel ab asinis discere poteramus hujus literæ pronunciationem, unde illi apud Græcos nominis initium, ὄνος &

ω ipsi sono ὀγκηθμός. UR. Item ω mega nihil differt ab o, nisi quod ω longum differt ab α brevi. Nam plenior sono profertur, de quo suo dicetur loco. Pro u vero formabis v Gallicum, si labia paululum exporrecta junxeris. Eandem literam rotundiore mugitu sonant Germani, immodico Westphali. Nec desunt tamen apud Italos, qui Gallorum more sonent, veluti Bergomates. Nonnulli contra labiis ad trium digitorum spatium indecore porrectis, nimirum Batavis contrarii. Romani modi-

modice. Nec omnibus feliciter cedit hujus vocis affe-
ctatio. Noſtrates enim quum affectant Weſtphalorum
imitari mugitum, non poſſunt id perpetuo facere, ſub-
inde lingua relabente ad inolitam, velutique nativam
conſuetudinem. Hanc inæqualitatem frequenter anim-
adverti in Sacrificis Britannis. Nos in hac pronuncian-
da parum etiam nobis ipſis conſtamus, nonnunquam in
eadem dictione, velut in *nullum*, *mullum*, & *Tullium*.
In prima ſiquidem audis u Gallicum, in poſtrema u
Weſtphalum. Idem ſentire licet in huc & hunc, in il-
lud & illum. Sona Batavice *fontes*. Le. *Fontes*. Ur.
Sona *fundere*. Le. *Fundere*. Ur. Quod diſcrimen audis
inter utriuſque dictionis primam ſyllabam? Le. Nul-
lum. Ur. In *rhombo* & *plumbo*, quid intereſt inter u &
o? Le. Profecto nihil. Ur. Nunc mihi conſidera ejuſ-
dem literæ ſonum, non eundem. Sona, *ſunt*. Le. *Sunt*.
Ur. Tolle n, & dic *ſutor*. Le. *Sutor*. Ur. An non ſen-
tis longe diverſum ſonum? Le. Quid ni? Ur. Rurſus,
ſona *plumbum* Batavice. Le. *Plumbum*. Ur. Abjice li-
quidam & dic *pluma*. Le. *Pluma*. Ur. Quid ſimile
huic u, cum illo? Le. Nihil. Ur. Idem ſenties, ſi ex
tundere facias *tutudi*, ex *fundere fudi*. Verum in his for-
taſſis aliquantulum patrocinabitur antiquitas, quæ *ſont*
& *dicont*, quam *ſunt* & *dicunt* ſcribere maluit. Apparet
enim & apud illos paulo ſonantius fuiſſe u ſequente li-
quida n & m, quam in aliis dictionibus, quemadmodum
contra in nonnullis medium ſonum obtinebat inter u &
i, ut in *optimus*, *peſſimus*, unde veteres has voces per u
ſcribendas putabant, *optumus*, *peſſumus*, quod in his a-
liud quiddam ſonaret i quam quod in *opimus* & *fimus*.
Le. Probabile eſt quod narras. Ur. Tantum de incon-
ſtantia. Nunc ad cætera propero. Ur. v Gallico re-
ſpondet υ Græcorum, vel ipſa teſte figura, quæ nobis
cum illis communis eſt, niſi quod nos ſiniſtram lineam
inferne protraximus υy. u Weſtphalico reſpondet Græ-
ca diphthongus ου. Argumentum eſt, quod in uſurpan-
dis Græcorum vocibus, veteres frequenter υ Græcum
verterunt in u noſtrum, velut in ὗς & ſus, in μῦς & mus,
in ὑπὲρ & ſuper, ὑπέρβιος & ſuperbus. Quin & Latini
ex Sylla Sullam faciunt, ex ἀφύα apua. Idem arguit
quod Galli vulgo pro θύειν dicunt *tuer*, id eſt, mactare,
uſurpata voce Græca, niſi quod abjiciunt adſpiratio-
nem. Le. Poteramus iſtud vel ab avi ridicula diſcere,
cui Græcis a cantu nativo vocabulum κόκκυξ, quæ in θί-
σει cantus non i, ſonat, ſed u Gallicum, & hanc Latini
cucûlum, ni fallor, vocant. Ur. Qui ſcis an avis hæc
non eodem modo canat apud Græcos, quo apud nos?
Sed ad rem. Rurſus ου, vertunt in u productum, ut μοῦ-
σα *muſa*. Hoc adeo verum eſt, ut priſci Latini, ſi quan-
do volebant ſyllabam haberi longam, addere ſoleant,
o, *loumen* ſcribentes pro *lumen*, *noumen* & *floumen* pro *nu-
men* & *flumen*. Habet autem omnis ſyllaba longa ſonum
vegetiorem brevi. Nam producta vocalis, quemad-
modum & diphthongus, gemina quodammodo vocalis
eſt. Atque ex hujus rei neglecta diſtinctione graviſſi-
mus error, cum apud Græcos, tum vero apud Latinos
exſtitit. Apud Græcos enim, ut dixi, ſunt natura lon-
gæ η & ω, cumque his omnes diphthongi, breves ε, ο,
apud Latinos vocales omnes ſunt ancipites, licet non
in iiſdem ſyllabis. Quanquam autem Græcus pronun-
ciando confundit longarum ac brevium diſcrimen, ta-
men ſcriptura diſtinguit. Apud Latinos non idem fit.
Qua de re poſt referam quod accepi. Illud notiſſimum
eſt, u literam apud Latinos frequenter tranſire in natu-
ram conſonantis, interdum elidi, nonnunquam ſic ad-
miſceri conſonantibus, ut propemodum evaneſcat, at
non quibuſlibet. Conſonans fit, quoties præponitur
vocali, vel ſibi, vel alteri in eadem ſyllaba, ut *vanus*,
venor, *vinum*, *voveo*, *vulnus*, *ſervus*. Eliditur ſequens
m vel n, ut in *enimvero* & *invidia*. Docent hoc verſus
Terentiani: *Sine invidia laudem invenias, & amicos
pares*. Et: *Enimvero Dave, nil loci eſt ſegniciæ neque ſo-
cordiæ*: In quorum priore niſi primo loco ſit tribrachus,
ſininvi non conſtat ſenarius trimeter, ſic ut ſecundo ſit
ſpondeus *dia, lau, dia*, contractis in unam ſyllabam: quan-
quam poteſt & proceleumaticus accipi: in poſteriore ni-
ſi primus locus habeat anapæſtum, non conſtat verſus

A tetrameter. Neutrum autem fieri poteſt, niſi illic elidas
u, hic u cum m, quæ inter conſonantes ferme ſolet elidi
præcedens vocalem. Admiſcetur autem his conſonanti-
bus, q, c, g, & s, ut qui, cui, æquor, ſanguis, anguis, lingua,
conſueſco, & ſuavis, ſi adſit ſynæreſis, & faciat diſſyl-
labum: nec tamen hic prorſus evaneſcit. Vulgaris lin-
gua idem facit in pluribus, velut quum dicit fatuum, u
admiſcetur d. Item quum ſonant duo, conjungunt, t. *Duae twe.*
Græci vero quemadmodum pro noſtro f, utcunque ſo-
nant φ, ita v noſtrum conſonans, quo reddant non ha-
bent, niſi quod recentiores in hoc abutuntur β, de quo
paulo poſt dicetur. Si quando coguntur noſtra ſuis lite-
ris ſcribere, pro *Valentinus* faciunt οὐαλεντῖνος, pentaſyl-
B labum. In hunc opinor uſum Æoles repererant digam-
ma, quod medium eſſet inter v, conſonans noſtrum &
φ. Item quoties exprimunt *Quintus*, non aliter poſſunt
quam κοίντος, quod eam literam velut evaneſcentem ne-
ſciant. Apud illos enim υ, nullam præcedit vocalem in
eadem ſyllaba, præterquam in diphthongo abuſiva, υι.
Indicavit hoc Quintilianus, in *æquor*, & *æquum* reddi
ſonum quem Græci nullo modo poſſint exprimere. Ha-
ctenus, de vocalibus aliquot. Nunc ad diphthongos ac- *De diphthongis.*
cingor. Le. Ut lubet. Ur. Primum illud manifeſtius
eſt, quam ut vel ab eruditis Græcis negari poſſit, pro-
nunciationem, quæ nunc vulgo Græcorum cum doctis
eſt communis, perperam ſonare diphthongos aliquot,
& ſimplices item aliquot vocales. Le. Quas? Ur.
C Nonne η, ι, υ, υι, ει, οι, indiſcreto ſono pronunciant? Le.
Ita mihi videtur, aut ſi quid eſt diſcriminis, vix aures
percipiunt. Ur. Fruſtra igitur ſunt diſtinctæ literæ, ſi
ſono nihil differunt. Le. Apparet veteres aliter pro-
nunciaſſe. Ur. Rurſus aliquot ideo dicuntur propriæ
diphthongi, quod duæ vocales ut ſcribuntur, ita ſonan-
tur, quod idem in his non fit quæ dicuntur abuſivæ diph-
thongi. Le. Sic eſt. Ur. Atqui in αι, οι, ει, quid audis
niſi ſimplicem vocalem, in prima e, in cæteris i. Le.
Nihil prorſus. Ur. Ne quid jam diſceptem de αυ, &
ευ, in ου quid audis, niſi u, Weſtphalicum? Non enim
aliud ſonat prima hujus vocis αἴρω quam prima hujus
ἐρῶ. Nec aliud ſonat ultima in θαυμαστοὶ, quam ultima,
in ἑλληνιστὶ, aut ἀκονιτί. Nec aliud penultima in ἀλήθεια
D quam in σοφία. Proinde aut fruſtra diſcernuntur a di-
phthongis improprie dictis, aut alio ſono proferebantur
quam hodie proferuntur. Le. Non habeo quod refel-
lam. Ur. Rurſus, quid aliud audis in ultima γραμμα-
τικῆς, quam in ultima, κλιμακὶς: Quid aliud ſonat pen-
ultima in μία pro una, quam in μυῖα pro muſca, & ἀφύα
pro piſce? Le. Aut omnino nullum, aut perquam tenue
diſcrimen eſt. Ur. Et tamen extra controverſiam eſt,
literas tota natura diverſas eſſe. Le. Demiror. Ur. Et
quid movit Latinos, ut tanto aliter ſonarent au & eu,
quam Græci? Quid enim ſimile παῦλος & *Paulus*, εὔιος
E & *Evius*. Et tamen opinor, hic Latinorum pronuncia-
tionem emendatiorem eſſe quam Græcorum. Apud
nos enim utraque vocalis auditur in *audio* & *euge*: a quo
ſono Græcorum aures in tantum abhorrent, ut quum
noſtra ſonare conantur, *aüdio* dicant tetraſyllabum pro
triſyllabo, *audio*: & *claüdus* triſyllabum pro *claudus* diſ-
ſyllabo: pro *heu* monoſyllabo, *heü* diſſyllabum. Atqui ſi
Græci recte ſonant αυ & ευ, ſervandus erat idem ſonus
υ, in οὗτος & λόγου. At in his nihil auditur quod ullo mo-
do vergat ad ſonum f, aut v, conſonantis. Porro quum
ſua efferunt, in diphthongo propemodum ſonant f, aut
v conſonans, veluti meditans adhærere ſequenti voca-
li, ut ὀρφεὺς, βασιλεὺς, βασιλεύω, εὐαγγελίον. Atqui di-
phthongus non conflatur ex vocali & conſonante. Le.
F Quo ſono credis hæc veteres extuliſſe! Ur. Referam
quod in ſenatu Grammaticorum audivi. Le. Sat erit.
Ur. Conjecturam faciebant ex linguis popularibus, in
quibus utcunque corruptis reſident antiquæ pronuncia-
tionis veſtigia. οι. diphthongus Gallis quibuſdam eſt fa-
miliariſſima, quum vulgari more dicunt, [1] *mihi*, *tibi*,
ſibi: aut quum pronunciant, [2] *fidem*, *legem*, *ac regem*.
Hic enim audis evidenter utramque vocalem o, & i.
Le. Sic eſt profecto. Ur. Ad eum prope modum ſo-
nuiſſe veteres arbitror, μοι, σοι, οἱ, τοῖος, & κύριοι. Alio-

1 *Moi, toi, ſoi.* 2 *Foi, loi, roi.*

qui quorſum appellantur diphthongi propriæ, niſi ea- A dem ſyllaba geminæ vocalis ſonum edat? Atque ob id producitur & diphthongus omnis, ut utraque poſſit audiri. Le. Probabile narras. Ur. Jam *αι* diphthongum evidenter audire licet in lingua Germanorum, quum nominant * *Cæſarem*, quanquam hic Batavi propius accedunt ad ſonum e, vel ἦτα, quod pene faciunt, ut dictum eſt, perpetuo in a vocali. Neque non ſentitur apud nos diphthongus *ει*, ſi Hollandice dicas, *ovum*, *paratus*, *verſutiæ*, *Majus*, *facinus*, *ſeductus*, *caro*. Apud Gallos hæc rarius auditur; ου vero arbitror priſcis fere ſonuiſſe, quod Batavus ſonat, [1] *ſenex*, *frigidus*, & *aurum*, aut eam *tunicæ* partem quæ tegit brachium. Rurſum Latinam diphthongum æ audis, quum ſonat [2] B *malus*, *vadit*, *conſilium*, *ſapor*. Oe vero quum ſonat [3] *panem*, *nudum*, & *rubrum*, *callidum*, & *fragile* aut *neceſſitatem*: aut ſi dicas Gallice, [4] *tribus vicibus*, Britannice, *nix*. Quanquam in his linguis deprehendas & alias diphthongos a Græcis pariter ac Latinis diſſonantes, veluti quum Gallus dicit, [5] *melius*, *parum*, aut *faſtidioſum*, aut *periculoſum*. Item quum Batavus dicit, [6] *mendacium*, *cervical*, aut *januam*, aut *Judæum*, quum Galli, *florem*, aut *honorem*. Cui non diſſimilem habent Hebræi. In nonnullis audias tres vocales, ut quum Galli dicunt [7] *formoſum patrem*, in formoſo audis, e, a, & u, quum dictio ſit monoſyllaba. In aliis diphthongum inverſam, ut quum Batavus ſonat [8] *arundinem*, aut *Margaritam* pro fœmina, audis enim i, ante e. Item quum C Colonienſis dicit [9] *ſalutem*, audis u ante e. Rurſus quum Hollandice dicis, [10] *dulce*, aut *bonum*, audis diphthongum novam, nullis literis exprimendam, ſed ſonum quendam medium inter o & u. Quum dicis, [11] *domum* aut *murem*, audis i poſt u in eadem ſyllaba. Aut quum Gallus ſonat [12] *famam* aut *fructum*. Verum hæc perſequi non eſt hujus inſtituti, præſertim quum nationes quædam nihil omnino ſonent abſque diphthongo. Ex his autem quæ retulimus ſatis eſt intelligi, & diphthongos poſſe ſonari, & olim ſonari ſolitas. Le. Quæ res abjecit eas? Ur. Nihil aliud, opinor, quam loquendi deliciæ. Nam mulierculæ quondam elegans habebant, ſemicluſo ore, vixque motis labiis ſonare D verba, ſic ut vix audiretur exitus. Diphthongi vero fere torquent os, multumque reſonant, quod nunc habetur indecorum, & ut ruſticanum ridetur: inde primum apparet exortas diphthongos improprie dictas, deinde paulatim idem in aliis nonnullis auſæ ſunt illiteratorum deliciæ. Le. Non levis incommoditas ſi quid cui dictes ſcribendum, aut ſi quis ex alterius recitatione ſuum emendet codicem. Ur. Maxima. Quinam ſcietis qui excipit, quum audit vulgato more ſonari οἶνος, an ſcribere debeat aut ἶνος, ὖνος, ὕινος, ἦνος, aut εἶνος. Le. Nequaquam niſi ſit eruditus. Ur. At non ſemper nobis cum eruditis res eſt, & quædam voces hujuſmodi ſunt, ut doctus etiam poſſit hæſitare, velut in ὑμῶν & ἡμῶν: E quod ſi ὑμῶν ſones, per u Gallicum aut propemodum, & ἡμῶν per a Scoticum, hoc eſt, per e diductius, ſublatus eſt error. Habes de diphthongis. Jam longarum breviumque ſyllabarum diſcrimen, magna ex parte ſublatum eſt, & in Græcorum & in Latinorum pronunciatione, quum olim plebes imperita exploſerit atque exſibilarit hiſtrionem, qui paululum ſe moviſſet extra numerum, aut ſi verſus pronunciatus eſſet una ſyllaba breviore aut longiore, quod a Cicerone literis proditum ſciunt omnes, qui literas ſciunt. Ex quo colligitur, & recitatorem ſervaſſe ſpatia ſyllabarum, & illiteratam multitudinem, præſertim urbanam, aurium ſenſu dijudicaſſe. Nunc quis offenditur vel apud Græcos, F vel apud Latinos, niſi ſi quid arguat accentus, quod in multis non poteſt: imo frequenter accentus ducit in errorem, dum facit videri longam quæ brevis eſt, & contra. Qui vero docti nunc diſcernunt an dicas *pláne* impoſtori, an *plâne*, aperte, an *planè*, affirmans, quum in prima dictione ſit pyrrhichius, in ſecunda trocheus, in tertia ſpondeus? Rurſus an dicas *malo* pro vitioſo, an *malo* pro potius habeo, an *malo* pro arbore, ſive pomo, quum in prima voce ſit jambus, in ſecunda trocheus, in tertia ſpondeus. Le. Non ſatis aſſequor, quæ fuerit

* *Kaiſer.*

1 *Oudt kout, gout, mowe.*

2 *Quaet gaet, ſmaek, raed.*

3 *Brood, bloot, rood, loos, broſch, nood.*

4 *Trois fois, ſnow.*

5 *Mieulx, peu, dédaigneux, dangereux.*

6 *Leugen, peulinck, deur, Jeud, fleur honeur.*

7 *Beau.*

8 *Riedt Margriet.*

9 *Gruet.*

10 *Zoet, goet.*

11 *Huys muys.*

12 *Bruit fruit.*

De quantitate ſyllabarum.

illa ratio, ſaltandi ad vocem alienam. Ur. Audita referam, judicii periculum penes alios eſto. Le. Θάῤῥει; non hic agitur apud Prætorem. Ur. Scis quoſdam dictos Mimos, inter quos celeberrimi fuere, Publius & Laberius. Le. Scio. Ur. Hi ſimul & recitatoris & hiſtrionis officio fungebantur, pronunciantes verſus ſibi cognomines, hoc eſt, mimi mimos, & ad propriam vocem geſticulantes. Erat aliud hiſtrionum genus, qui muta geſticulatione repræſentabant Poetarum longas fabulas, ſic ut ſpectator intelligeret argumentum ſaltationis. Quo de genere diligenter tradidit Lucianus. Rurſus erat recitatorum genus omnium honoratiſſimum, qui ſua recitabant populo ſine geſticulatione corporis, niſi quantum Oratori conceditur, vocem, oculos, vultum, & corporis motum ſententiis accommodare, ſic [1] Virgilius, ſic Horatius, ſic Plinius ſua recitabant populo, ſic & Philemon ſuam ipſius fabulam populo recitaſſe legitur, quum nemo ſaltaret. Le. Quatenus iſthuc Oratori conceditur? Ur. Si vino lapſantem ac balbutientem narres, indecorum fuerit eam rem corporis geſtu referre, aut ſi mulieris, pueri, ſenis, Germani, Galli, Britanni verba referas, ridiculum fuerit ipſa pronunciatione mulierem, puerum, ſenem, Germanum, Gallum, aut Britannum exprimere. Le. Jucundum quidem eſſet. Ur. At non protinus bono viro decorum eſt, quod delectat. Plato & Fabius concedunt, ut modice vox loquentis ad ea quæ narrantur accommodetur: veluti ſi recites ex hiſtoria, lugentem, minitantem, blandientem, laſcivientem, ſatis eſt aliquam rei ſimilitudinem apparere in oratione. At fit interdum, ut aliquid loco additum ex vocis aut geſtus alieni faceta imitatione gratiam habeat. Poſtremum genus eſt, quum unus recitat fabulam, & ad hujus vocem hiſtriones perſonati, geſtus attemperant. Hujus generis erat Roſcius, quem accepimus cum M. Tullio decertaſſe, utrum ille ſæpius verbis aliis eandem efferret ſententiam, an ipſe ſæpius variatis geſtibus repræſentaret. Le. Unde colligis hoc fuiſſe genus hiſtrionum? Ur. Primum ex ipſis Terentianis fabulis, in quarum calce recitator dicit: *valete & plaudite*, [2] *Calliopius recenſui*. Si ſingulæ perſonæ ſuas voces promunt, quis eſt locus Calliopio? Le. Dicis nonnihil. Ur. Accipe gravius argumentum. Ex Hecyræ prologo liquet eum qui præfatur ſolere fabulas [3] emere, eaſque recitaturum ediſcere. Alioqui ſi ſinguli ſuam portionem ſonabant, cur unus hæc præfatur: Rurſus qui præfatur in ἑαυτὸν τιμωρούμενον, queritur non haberi rationem ſuæ ſenectutis, ad quem deferrentur fabulæ turbulentæ. *Nam nunc*, inquit, *novas qui ſcribunt, nihil parcunt ſeni. Si qua laborioſa eſt, ad me curritur: Si lenis eſt, ad alium defertur gregem*. Quod ſi quis contendit hæc ab eo dici, qui ſuo periculo fabulam emere ac proferre, quique præcipuas fabulæ partes agere ſoleret, non inficior & illud fabularum fuiſſe genus, quo ſinguli perſonati ſua verba ſonabant appoſite geſticulantes. Quod accepi refero. Nunc ad id quod intermiſſum eſt redeo. Quum audis, *legi*, qui ſcis an prior longa ſit, an brevis? Rurſus quum audis Θεοφίλῳ, nonne Latinus credat penultimam productam, nimirum accentu Latino deceptus? Le. Prorſus. Ur. Accentus igitur incertus eſt index ſpatii ſyllabici, præſertim in Latinis polyſyllabis. Le. Eſt igitur alia ratio dignoſcendi? Ur. Erat olim ſine controverſia, nunc ea prope in totum obſolevit. Le. Quod aliquando fuit, poteſt inſtaurari. Ur. Sunt quidam adeo craſſi, ut non diſtinguant accentum a quantitate, quum ſit longe diverſa ratio. Aliud eſt enim acutum, aliud diu tinnire: ſic aliud intendi, aliud extendi: quanquam ni-

1 Conſtat quidem *Virgilium*, *Horatium* & *Plinium* amicis privatim aliquando e libro, recitaſſe ſcripta ſua, & populo in theatro numquam. Privatas recitationes miſcuit *Eraſmus* cum publicis. Vide Inſt. ad Sat. 1. *Juvenalis*, & *Theod. Marcilium* ad 1 *Perſii*, ac præſertim *Juſt. Lipſium* Epiſt. ad Belgas Cent. II. Ep. XLVIII. in 2 Tomo ejus Operum, p. 447. aut *Ger. Joann. Voſſium*, in Lib. de Imitatione.

2 *Calliopius* fuit Grammaticus, qui exemplaria *Terentii* recenſuerat, quorum calci nomen ſuum addiderat; non hiſtrio. Nec ſunt hæc verba hiſtrionis in theatro prolata, ſed ſubſcriptio Grammatici. Vide Inſt. *Terentii*, & *Gerard. Joan. Voſſium* in Ariſtarcho Lib. 1. c. 6.

3 Prætor, aut Ædilis emebat fabulam, non hiſtrio, qui & ipſe mercedem a Prætore accipiebat. Vide Inſt. *Terentii*.

nihil vetat eandem syllabam & acutum habere tonum, & productum tempus, velut in *vidi*, & *legi*, præteritis. At eruditos novi, qui quum pronunciarent illud ἀνέχου καὶ ἀπέχου, mediam syllabam, quoniam tonum habet acutum, quantum possent producerent, quum sit natura brevis, vel brevissima potius. Et fere qui Græca legunt, accentus observatione confundunt spatium moræ, sic enunciantes μενέλαος, quasi penultima sit brevis, & μενέδημος, quasi duæ postremæ sint breves, quemadmodum in θεόδωρος, παράκλητος, εἴδωλα, aliisque innumeris. Nec ita multis contingit sonare Græca, ut accentum simul & morarum rationem observent, vel in carmine. Loquor autem non jam de vulgo, sed de eruditissimis quoque. Minus est erroris in Latinis, sed tamen illic quoque tonus acutus ac inflexus obscurat cæterarum sonum, ut in *videbimus*, congruit accentus cum quantitate, at in *legebâmus*, sola penultima videtur esse producta, quum secunda sit æque longa: in amavérimus sola antepenultima, quum ea sit brevis, secunda producta. LE. Omnino sic obtinuit usus, quem dediscere difficillimum est. UR. Atqui qui degustarunt Musicam, nullo negocio distinguunt inter longam, brevem, & inter acutam & gravem. Nihil enim est aliud pronunciatio, quam modulatio quædam vocum numerosa. Est enim & in oratione soluta pedum ratio, licet non perinde certis adstricta legibus ut in carmine: quæ si confundatur, non magis erit oratio quam cantio cantio, in qua graves cum acutis, longæ cum brevibus temere confunduntur. Unde quidam priscorum Grammaticorum non inscite dixerunt, accentum esse *animam dictionis*. Et tamen hodie talis est etiam eruditorum pronunciatio, qualis esset illa ridicula cantio. Scis opinor canere cithara. LE. Utcunque. UR. Nonne frequenter imam chordam pulsans producis sonos, & summam tangens brevibus insonas aut contra? LE. Frequenter, quanquam hoc discrimen evidentius est in flatili Musica. UR. Unde igitur nos sumus usqueadeo ἄμουσοι, ut omnes acutas syllabas sonemus productiore mora, graves omnes corripiamus? Vel ab asinis licebat hoc discrimen discere, qui rudentes corripiunt acutam vocem, imam producunt. LE. Idem propemodum facit cuculus. UR. Quatuor enim rationibus curatum est a priscis, ut omnes syllabæ, quantum licet, clarius audiantur, ne qua suffugiat aures, aspiratione, tono, productione & diphthongo. Clarius enim auditur prima in *hero*, quam in *ero*. Et magis auditur *li* in *ligo*, quam in *intélligo*. Et sonantior est prior in μῶμος quam in μόνος. Itidem in *amavérimus*, sonantior esse deberet ma secunda, quam a, prima, ut in *ămā* sit jambus, *vĕrĭmŭs* tribrachus, nisi quod prima trium acuitur, & ob hoc sonantior, quasi Musicus per brevem longam & tres breves sonet, *re re fa re re*, *ămāvĕrĭmŭs*. In hac dictione sonantiores sunt secunda, quia producta, & proxima tono acuto, licet brevis. Quoniam autem vocales principes sunt sonorum, diphthongum audibiliorem faciunt duæ res, gemina vocalis, & productio moræ. Sonantior enim est prima in *audio*, quam in *adeo* & *udus*, in οἶνος quam in ὄνος & ἰδὼ. Horum si nihil observatur, quid est oratio, nisi incompositus vocum strepitus? Jam intensio vocis & productio percipi non potest, nisi ex aliarum comparatione. Potest enim eadem esse brevis & longa, gravis & acuta, si ad alias atque alias comparetur, veluti vox pueri gravis, acutior est voce viri acuta, & syllaba brevis sic pronunciantis ut Cartusiani pronunciant psalmos festis diebus, productior est longa, volubili lingua pronunciantis, quemadmodum Sacrifici quidam expediunt preces solennes, dum ad alia quæ magis sunt cordi festinant. LE. Intelligo. UR. Quin & idem inter dicendum nunc lentius pronunciat, nunc celerius, nunc demissius, nunc clarius, utcunque sermonis ratio postularit. Nam & Oratores in exordiis, in quibus oportet sedatam esse dictionem, longiore mora pronunciant syllabas, quam in affectibus ubi jam incaluit oratio. Atque adeo in hac oratione: *Primum optimam spem de se præbebat, sobrius, quietus, placidus erga socios, observans & officiosus erga majores, mox in diversum versus, cœpit amare, potare, rapere, prodigere turpiter omnia:* prior pars lentius sonatur quam posterior. LE. Fit idem a Musicis. UR. E proximis igitur petenda est & tonorum & morarum differentia. LE. Quæ ratio est brevis ad longam? UR. Dupla, ut ajunt Grammatici, verum in dicendo non est necesse tam exacte rationem observare, veluti fit in concentu musico, aut veluti si quis saltet ad citharam. Sat est si longa, sensibili mora distinguatur a brevi. Nam fieri potest ut una longa respondeat duabus brevibus, aut amplius: rursus ut respondeat uni brevi & dimidio. Jam sunt dictiones duriores, quæ plus spatii postulant quam aliæ, præsertim monosyllabæ. Diutius enim sonat, *stant tristes*, quam *stant acies*, non solum ob consonantes in eandem syllabam coëuntes, verum etiam ob sequentem syllabam, quæ excipit, difficiliorem. Item plus moræ desiderat prima in *structus*, quam prima in *legero*, quum utraque sit longa. LE. Liberasti me magno scrupulo. UR. Imo qui exactius super hisce rebus conscripsere, docent in quibus syllabis sufficiat unicum tempus, in quibus unum semis, in quibus duo semis, in quibus tria. LE. Audio novam Musicam. UR. Haud tamen absurdum est, quod adferunt. Si vocalis, inquiunt, natura brevis est, & sequitur unica consonans, eaque simplex, unicum tempus obtinebit, ut cáput, λόγος. Rursus ubi vocalem natura brevem, muta cum liquida sequens, aut alioqui geminata, reddit ancipitem, tempus erit unum semis, ut *lachryma*, *recludo*, *cygnus*, *Atlas*, τέκνον, τέκμεσσα, ἀναμνίσκω: quod a quibusdam observatur etiam in diversis dictionibus, ut, *Tribulaque traheæque*. Item, *Terrasque tractusque maris*. Sed potissimum si tres sint consonantes, aut prior sit s, habeatve inclusam, ut præmia scribe, a produci poterat, nec aliter produci volunt quidam quam elisione s, & *littora Xerxes*, quia sequitur duplex. Jam quæ natura vel positu longæ sunt, harum duo sunt tempora, ut *dos*, *mors*. Rursum si vocali natura longæ adhæreat unica consonans in eadem syllaba, in his tribuunt moræ tempora duo semis, hoc est, duo brevia, & semibreve, ut *sol*. Porro tria tempora volunt esse, quum vocalem natura longam duæ consonantes sequuntur, aut una duplex, ut *mons*, *Rex*. Hujusmodi multa referebant ex auctore Prisciano, cujus auctoritas si cui parum gravis est, habet simile quiddam Quintilianus libro nono, [1] tractans de Compositione. Testatur enim non omnes breves ac productas esse pares, sed esse breves, breviores, ac brevissimas: contra longas, longiores, ac longissimas: exempli gratia producit versiculum Maronis ex Tityro:

Agrestem tenui Musam meditaris avena.

Quanquam hic nostri codices habent *Sylvestrem* pro *Agrestem*, verum id nihil ad rem: in *Agrestem* duæ primæ syllabæ natura breves sunt, & tamen *gre*, secunda, facit priorem longam. *Dat igitur*, inquit, *aliud ex suo tempore. Quomodo dat, ni habet plus quam quæ brevissima, qualis ipsa esset detractis consonantibus? nunc unum tempus accommodat priori, & unum accipit a sequenti; ita duæ natura breves, positione sunt temporum quatuor.* Concursus igitur mutæ & liquidæ in *gre*, tardiorem redderet syllabæ pronunciationem, etiamsi nulla consonans sequeretur: nunc quia sequitur *st*, duplicatur tarditas, vel triplicatur potius, cujus portionem transfert in primam natura brevem: tametsi Priscianus non tribueret primæ duo tempora, sed tempus unum semis, nec secundæ tribueret amplius, nisi ob vocalem utrinque cinctam gemina consonante. Verum hæc minutiora sunt, potuisset enim omnibus brevibus geminum tempus assignari, si placuisset senatui populoque Grammatico, ita nihil opus fuisset temporis unius sectione. Aliquanto post Fabius non inficiatus a scriptoribus traditum, finalem brevem pro longa accipi, *aures tamen*, inquit, *consulens meas intelligo multum referre, utrumne longa sit quæ cludit, an pro longa. Neque enim tam plenum est dicere*, incipientem timere, *quam illud*, ausus est confiteri. *Atqui si nihil refert, brevis an longa sit ultima, idem pes erit. Verum nescio quomodo sedebit hoc, illud subsistet. Quo moti quidam, longæ ultimæ tria tempora dederunt, ut illud tempus quod brevis ex longa accipit, huic quoque accederet. Nec*

So-

1 Cap. IV.

ſolum, inquit, *refert quis cludat, ſed quis antecedat.* A Vides Quintilianum ſenſiſſe diſcrimen inter longam & longiorem, brevem & breviorem etiam in finali commatis clauſula, quanto magis id ſenſurus in curſu perpetuo vocum, aut in media dictione. Quod ſi veterum literæ nullum indicaſſent diſcrimen, tamen ipſe naturalis aurium ſenſus non ſineret aliter judicare. Quis enim non omnino ſtupidis auribus non intelligat, κυ minus habere difficultatis in κύων quam in κύκλωψ, quum utraque ſit brevis: rurſus tardiorem eſſe ſonum in κλωψ quam in ων, quum utraque ſit natura longa, ſed illi moram addunt, quibus cingitur, conſonantes a fronte duæ, a tergo duplex: huic additum ν, non difficultatem addit, B ſed jucunditatem. Præterea quis non ſentit ων facilioris eſſe ſoni, quum dico, κύων ἐρᾶ, quam quum dico κύων τρέχει. Item tardius ſonare κλωψ, quum dico κύκλωψ ϛρατηγεῖ, quam κύκλωψ ὁρᾶ. In κύων ἐρᾶ ſex ſunt tempora, in κύων τρέχει ſex ſemis. In κύκλωψ ὁρᾶ, ſeptem tempora, in κύκλωψ ϛρατηγεῖ, novem ſemis, ut κλωψ, ſyllabæ dimidium temporis accedat ob moram, quam adfert conſonantium colliſio. Le. Haud proclive ſit iſta diſcernere. Ur. Nihil facilius. Atque adeo miror hoc homini muſico videri, qui noris quomodo vocem, quam hodie maximam vocant, dividant in longam. Rurſus quomodo longas in breves, breves in ſemibreves, ſemibreves in minimas, & has inſuper ſecant in pluſquam minimas: tum non ignores quomodo proportionibus, C quas illi *modos* hodie vocant, varie producant aut accelerent pronunciationem, nunc ad rationem duplam, nunc ad triplam. Quanquam hac ſubtilitate nihil eſt opus. Res fuerit evidens, ſi, juxta Muſicos, brevem ſeces in ſemibrevem, ita in *caput* prima, erit brevis: in *lachryma*, brevis cum ſemibrevi: in *da* & *fle*, duæ breves: in *ſol*, duæ breves & ſemibrevis: in *ſtirps* & *Rex*, tres breves. Le. Intelligo. Ur. Verum hanc exquiſitam varietatem negant obſervari in carmine pronunciando, ſed in oratione proſa nihil vetat. At ego multo minus arbitror obſervari poſſe in multorum concentu, præſertim imperitorum. Hinc enim, ni fallor, natum eſt, quod chorus Eccleſiaſticus nec in Pſalmis recitandis, D nec in Canticis ſolennibus, ullum habet brevium aut longarum delectum, ne tonorum quidem admodum magnam rationem, ſed omnes pari temporis mora ſonant, ne dum alius aliud ſonat, inæqualitas vocum pariat indecoram confuſionem. Et in cantu, ſi quando vocibus imparibus utuntur, inæqualitatem eam non ex natura ſyllabarum, ſed ex ſuo arbitratu metiuntur. Quanquam hoc genus cantionis non recipiunt, qui religionis ſunt auſterioris, ſed ſpondeis pronunciant omnia. Non dubito tamen, quin Ambroſius ſuos hymnos obſervatis ſyllabarum modulis canendos inſtituerit, eamque conſuetudinem arbitror valuiſſe, donec craſſior literarum inſcitia, E & inconditus vocum tumultus compulit ad hanc inæqualem æqualitatem confugere. Quin audivi Concionatores ex hoc genere, qui quo pluris habeantur a populo, novum aliquid ac prodigioſum comminiſcuntur, eodem tono, pari mora pronunciantes ſyllabas omnes, paribus etiam intervallis, quaſi ſingulæ ſyllabæ ſingulas abſolverent dictiones, magna quidem admiratione plebis imperitæ, ſed æque magno tum riſu, tum tædio doctorum hominum. Hoc enim vere eſt, quod ait Cicero, *latrare, non loqui.* Verum ut ad inſtitutum noſtra recurrat oratio: quemadmodum in productione ſyllabarum plurimum habet momenti facilitas aut difficultas literarum unde conflan- F tur, neque quicquam vetat, quo minus in eodem ſermone, nunc citatior, nunc lentior ſit pronunciatio, modo in curſu verborum, quam Græci συνέπειαν appellant, inter vicinas proportio diſcernat moras temporum, ita in modulandis tonis non eſt eadem ac perpetua ratio, ut omnes acutas ſones iiſdem chordis, ſeu graves, aut circumflexas: licet enim pro ſenſuum & affectuum varietate, nunc intenſiore, nunc depreſſiore linguæ ſono uti: ex proxime præcedentibus ac proxime ſequentibus diſtinguere vocis modulationem ſat erit. Non enim ſemper pari ſpatio vox acuta ultra gravem intenditur, ſed utcunque commodum eſt, aut ut ſermonis natura poſtulabit remiſſior aut ardentior. Interdum enim ad ſemitonium, interdum ad tonum, nonnunquam ad ditonum, alias ad τὴν διὰ τεσσάρων, aut διὰ πέντε tollitur. Quidam etiam altius, & ultra τὴν διὰ πασῶν, ſed jam indecore, nec citra ſpeciem inſaniæ, quæ hoc eſt evidentior, quo id faciunt crebrius, maxime quum ſenſus nullam vocis mutationem poſtulet. Tota hæc modulandi ratio intra heptachordi modos conſiſtit. Rurſus in depreſſione vocis eadem eſt ratio, nec anxie ſervandum eſt, ut omnes, quemadmodum dixi, ſyllabæ eodem tenore, velut eadem ſonentur chorda, præter eam quæ acuitur: quod genus ſi dicas *legeramus*, *abominanda*, *horrenda*, *non referenda*, prima legeramus poteſt ſonari in nete (fingamus enim hanc eſſe, quæ graviſſimam edit vocem) ſecunda in paranete, tertia in parameſe, quarta rurſus in paranete. Rurſum in abominanda, primæ duæ ſonari poſſunt in parameſe, tertia in meſe, quarta in parypate, quinta in meſe. Item horrenda, prima ſonari poteſt in lichano, ſecunda in hypate, tertia in parypate. Denique, non referenda, primam ſones licebit in parameſe, proximam in paranete, antepenultimam in nete, penultimam in parameſe, ultimam in nete. Le. Hic deſidero meam citharam. Sed age dic quo pacto diſcernitur acutus tonus a circumflexo? Ur. Duplici nota, productione temporis & intenſione vocis, ut lentiore, ita remiſſiore. Non huc acceſſam Muſicorum ſubtilitates, qui diſtinguunt tonum ac ſemitonium, dividunt per apotomas, dieſes, commata, ſchiſmata, & diaſchiſmata. Nobis ad hanc rem ſufficit diſcrimen toni, ſemitonii, ſi vis & ditoni. Sit igitur hoc diſcrimen inter acutum & inflexum quod inter tonum & ſemitonium, aut ſi hoc videtur obſcurius, quod inter tonum & ditonum. Et hoc diſcrimen Latini prorſus negligunt, quum quoties penultimam natura longam excipit ultima brevis, in priore loco ſit circumflexus accentus, non acutus. *Vidi*, primam habet acutam, *vidit*, primam habet circumflexam: illud perinde ſonat, quaſi dicas *fa re* (nam docendi gratia, craſſius eſt loquendum) hoc quaſi dicas *fa mi*, aut ſi ſyllabam, cui tonus additur, conferas cum præcedente, acutus perinde ſonabit, quaſi dicas *re mi*, perfecto tono: circumflexus, quaſi dicas *mi fa*, quia ſemitonium eſt. Quod ſi cujus aures ſunt hebetiores quam ut hanc ſentiant differentiam, ſit acutus *fa ut*, aut *ut fa*, circumflexus *fa re*, aut *re fa*, prout ſyllabam intendendam cum præcedenti aut ſequenti conferes. Hæc quum diſcreverint veteres & uſu & præceptis, an non piaculum eſt nos hoc diſcrimen in totum negligere? Quis enim nunc diſcernit pronuncians inter has *crēta*, *mūſa*, *Rōma*, *mēta*, *vēna*, nominandi vocandive caſu, & *crēta*, *mūſa*, *Rōma*, *mēta*, *vēna*, auferendi caſu? Le. Certe nemo. Ur. Rurſus inter *lūctus* recto caſu, & *lūctus* paterno caſu? Atqui in prioribus eſt trocheus, & prior ſyllaba tonum habet circumflexum, ob ultimam brevem, in altera prior habet acutum, propter ſequentem productam. Le. Audivi veteribus ultimam ſemper habitam pro ancipiti. Ur. Verum ultimam carminis, non cujuslibet dictionis, & quod veniæ datur in carmine, fortaſſe dabitur & in colis, aut periodis, tametſi ne illic quidem, niſi ut pro brevi ſones longam, non contra. In ſynepia vero nequaquam idem licuerit. Et quanquam evidentius brevis ac longæ diſcrimen eſt, vocalem excipiente conſonante, ut frûctus & frúctus, ut poſt docebimus: tamen apud veteres finalis vocalis nulla ſequente conſonante manifeſto diſcrimine ſignabatur. Id eſſe verum liquet ex Diomede Grammatico, qui docet o in fine verborum ſolere produci Græcorum exemplo, qui ut λέγω dicunt & τύπτω, ita illi *dico* & *cédo*: *Poſt*, inquit, *uſus in tantum obtinuit, vocalem hanc haberi pro ancipiti, ut ridiculus eſſet qui non corriperet.* At unde deprehendebat hoc irriſor ille, ſi tum pronunciabant ut nos pronunciamus hodie? Nimirum ex accentu, & mora temporis, præſertim in curſu. Qui producebat, dicebat *dico tibi*. Jam duæ dictiones habebant ſex tempora, & ſyllaba prior in utraque tantum habebat acutum. Qui corripiebat, ita ſonabat, *dico tibi*, & eædem dictiones non habebant niſi quinque tempora. Itidem ſi dicas,

amo pecuniam, facile dignoscent aures an sones jambos duos & pyrrhichium, an tribrachum & dactylum. LE. Monitus sentio. UR. Nunc aliam accipe fabulam, quæ rem eandem doceat. Quintilianus libro [1] duodecimo narrat rusticum quendam testem interrogatum an nosset *Amphionem*, negasse. At cujus intererat illum nosse hominem, quum esset minime stultus, suspicatus est id quod erat, rusticum, hominem quidem nosse, sed non agnoscere vocem parum rustice pronunciatam. Itaque veluti de altero percontans, rogavit an nosset *Ampionem*, videlicet adspiratione sublata, & secunda syllaba breviata: protinus agnovit *Ampionem*, qui Amphionem non noverat. Hic accentus quoniam anteit penultimam, non indicat discrimen quantitatis syllabicæ: quum enim penultima sit brevis, in antecedenti tonus sit oportet, sive corripiatur illa, sive porrigatur. Unde igitur rusticus ille discernebat a longa brevem? Nec enim refert ad dignoscendi facultatem, quod apud rusticos vitiose corripiebatur. Sic esse pronunciandum existimabat, hoc mihi satis est, quod aurium judicio secrevit brevem a longa. Unde inquam? Non aecentu, ut modo dicebam, sed mora temporis. Quum enim urbane pronunciaret *Amphíonem*, Jonicus erat *ἀντὸ μείζονος*, hoc est, spondeus cum pyrrhichio: quum *Ampĭonem* more rusticorum, trocheus erat cum pyrrhichio. Suetonius indicat Neronem Cæsarem mortuo Claudio stultitiam exprobrare solitum, unius vocalis productione. Quoties enim incideret, ut diceret illum esse mortuum, ita loquebatur: *Desiit inter vivos morari*, porrecta prima syllaba. Quis autem erat hic joco locus, si quemadmodum nunc loquimur, ita tum quoque nullum longæ brevisque discrimen sentiebant auditorum aures? Num hæc tibi videntur satis aperta. LE. Non habeo quod contradicam. UR. Accipe quod his omnibus evidentius est. Tot auctores apud Græcos scriptores de numeris orationis conscripserunt, inter quos sunt Aristoteles ac Theophrastus, si Rhetores contemnimus: tot apud Latinos, præsertim M. Tullius & Quintilianus. At oratio numerosa, quibus rebus constat? LE. Pedibus opinor. UR. Recte, nam iisdem pedibus constat oratio soluta quibus carmen, nisi quod non æque certis legibus inter se junguntur. At pedes unde constant? LE. Ex brevium ac longarum syllabarum inter se connexione. UR. Rursus qua re discrepat a brevi longa? LE. Porrectiore mora pronunciandi. UR. Si tum confundebatur longarum ac brevium discrimen, quemadmodum hodie facimus, quorsum attinebat celebres & graves viros tot voluminibus præcipere de numerosa dictione? Ac Romæ quidem, quoniam Democratia, propter Senatus auctoritatem temperata erat Aristocratia: multa apud populum, nonnulla etiam in Senatu agebantur. Athenis autem quod esset Democratia pura, omnia agebantur apud populum. Quod si plebes imperita non discernebat longas a brevibus, quorsum opus erat Demosthenem olei simul & somni jactura hac sollicitudine discruciari? Sin indocta multitudo bene modulatis delectabatur, rursus male compositis offendebatur, qua fronte nos nobis loqui videmur, qui præter accentus nullum in syllabis discrimen facimus, atque hic ipse accentus frequenter in causa est, ut pro brevi sonemus longam. Frustra tam operose præcipitur, qui pedes congruant initiis & clausulis, incisorum, membrorum, & periodorum, si nostri arbitrii est pro brevibus longas, pro longis sonare breves. Cur in mediis vitabant immodicam syllabarum celeritatem, quæ sic offendebat aures, ut puerilium crepitaculorum strepitus, unde Aristoteles ejusmodi compositionem chordacem appellat, si ubicunque tonus est, licet sonare productam? ut mulier, faciat dactylum non tribrachum, & temeritas faciat dijambum, non pæonem quartum, qui constat pyrrhichio & jambo. *Animula misera periit*, si pronuncies ut oportet, offenduntur aures eruditæ concursu brevium, quasi tu *τὴν χόρδακα* saltanti canas, aut *τὴν τρετανολό*. At nos hic sonamus dijambum in *animula*, duos dactylos in *misera periit*. [2] Cur quibusdam visum est durius, quod Marcus Tullius in clausula posuerit, *balneatori* & *archipirata*, Demosthenes, *πᾶσι καὶ πάσαις*, qui finis est jambici Scazontis, constans ex Trochæo & Molosso, si nobis licet, *balneatori*, tribracho & spondeo, *archipirata* dactylo & spondeo sonare? Rursus cur laudatur hæc ejusdem compositio, *iisdem in armis fui*, quod, *in*, *armis fui*, spondeus jambo præponitur, aut quod *iisdem in armis fui*, sint duo cretici, si nobis licet, ut fere facimus, sonare dactylum, & dichoreum, in *iísdem in*, & *ármis*, *fuî*? Siquidem tono decepti, priorem in *fui*, producimus. Aut qua ratione probatur illa Ciceronis clausula, criminis causa, quia spondeum præcedit creticus, si nobis permittimus creticum vertere in dactylum, quod improbatur ab artis scriptoribus? Idem dicere possum de clausula Ciceronis, verumetiam nota, in qua spondeus succedit anapæsto, si nobis liberum est pro anapæsto sonare dactylum, ut fere nunc vulgo sonant etiam docti. Cur illa Ciceronis clausula doctis olim visa est felix: *patris dictum sapiens, temeritas filii comprobavit*, quod ultima dictio dichoreum absolvat, si tum liberum erat pro dichoreo sonare pæonem tertium, hoc est pyrrhichium ac trochæum? Sed exemplorum plus satis. Vides quantam sylvam adferre queam, sed hæc declarandæ rei abunde, ni fallor, sufficiunt. LE. Mihi sane supersunt etiam. Cæterum nunc aures ista non dijudicant. UR. Quid causæ, nisi quod aures habemus asininas? quibus non placet lusciniæ cantio modulatissima. Et tamen istæ aures in Musarum donis plus quam asininæ, in saltationibus ineptis, in ebriis cantionibus sentiunt longæ, brevis, acutæ, demissæ, mediæque vocis discrimen. LE. Sic est: ubi intenderis animum, ibi valet. Si hæc sunt vera quæ narras, ut sunt profecto verissima, nullus hoc tempore sonat Latine. UR. Adde, ne Græce quidem, utcunque nobis placemus. LE. Multi quærunt in vocibus Græcis, quas usurpatione, sui juris fecerunt Latini, quæ ratio accentuum sit observanda. UR. Isthuc expedire perfacile est. Si vox deflexa est ad normam Latinæ declinationis, servetur accentus Latini regula. Id præter quam quod justius est, etiam commodius est. LE. Quamobrem? UR. Quia apud Latinos perpetua ratio est, Græci variant, eo quod Latini fere spectant penultimam in polysyllabis: in dissyllabis tonus prope semper est in priore, nec aliunde alio migrat, quemadmodum apud Græcos. LE. Exemplo rem feceris dilucidiorem. UR. Quidam malunt dicere *Grammatice*, *Grammatices*, *Grammaticen* Græco more, quam Latino. Atqui Latine si dicas, tonus semper erit in ea quæ tertia est ab ultima, alioqui *Grammatica*, ultimam habebit acutam: *Grammatices* paternus casus, & *Grammatice* dativus circumflexam: rursus *ô Grammatica* acutam, quanquam in septimo casu cogeris esse Latinus. Item qui *Timotheus* dicit Latine, semper acuit antepenultimam, & hactenus convenit cum Græcis quoties ultima corripitur. Cæterum quoties ultima sit longa, tonus migrat juxta Græcos in penultimam, ut *Timothéi*, *Timothéo* in Timotheum remigrat in locum suum. LE. Expeditius itaque dicemus sóphia prima acuta, & Philosóphia antepenultima acuta? UR. Sic opinor. Nam quod Christiani quidam tantum tribuerunt accentui Græco, ut in metro quoque syllabam natura longam corripuerint, velut in *idola*, & *paraclitus*, *ecclesia*, & si qua sunt alia, condonandum arbitror pietati potius quam imitandum. LE. Explana, quæso, crassius, quo sono discernatur natura longa vocalis a brevi. UR. Id ne putes rem novam, dilucide patet in linguis vulgaribus, quæ & sono & scriptura discernunt longam a brevi, longam aut geminata vocali scribentes, aut addita vocali vertentes in diphthongum. Dic Batavice [1] *album*, sentis unicum i: dic *latum*, sentis geminum, quum tamen dictio sit monosyllaba. Audis apud machinas quibus onera tolluntur e navibus, quoties jubent [2] *volvi rotam*, simplex i: quoties *vinum* postulant, geminum. Rursum dic Batavice [3] *lagenam* audis unicum e: dic Flandrice *carnem*, audis geminum. Idem discrimen in [4] *optimo*, & *bestia*: [5] *ultimo* & *forma calcearia*. Diç Batavice [6] *pellem*, audis unicum e: dic *multum* Brabantice, audis duo. Item Batavice [7] *puteum*, audis u simplex: dic *extra*, au-

1 *Wit* *wijt*. 2 *Win* *wijn*. 3 *Vles* *Vlees*. 4 *Best* *Beest*. 5 *Lest* *Leest*. 6 *Vel* *Veel*. 7 *Put* *Buut*,

1 Non est in eo *Quintiliani* libro, nec vacat diutius quærere.
2 Vide *Quintilianum* Lib. IX. c. 4.

audis geminum, nisi mavis hic esse peculiarem diphthongum. Item dic Anglice [8] *panem*, audis e breve, dic Batavice *latam*, audis ee geminum. Dic [9] *obesum* Batavice, audis e breve: dic *simultatem*, audis porrectum. Dic Batavice [10] *rotam*, audis a breve. Dic *consilium*, audis diphthongum æ. Idem fit in [11] *foramine*, & *vadite*: in [12] *balneo*, & *lucro*. Le. Jam mihi succurrunt istius generis exempla innumera. Ur. Quo magis mirum est nos hæc omnia confundere seu Græce, seu Latine loquentes. θὴρ vox natura longa excepta prima litera, quid aliud sonat hodie quam apud Latinos *vir*? quæ natura brevis est. Item πῦρ, nos sequuti Græcos, male pronunciamus, quum Germani vocem eam a Græcis sumptam recte sonent, nisi quod tenuem vertunt in adspiratam, Batavi in v consonans. πᾶς nos male sonamus, Galli recte, quum [13] *humile* dicunt aut *passum*. Le. Sic est profecto. Ur. Jam in θὴρ, quod ipsum ad nos fluxit a Græcis, Batavica lingua dum sonat *dier*. θ mutato in δ declarat quid sonuerit apud Græcos θὴρ. Ad hæc quid aliud sonat syllaba *mus* in animante longa, quam in dictione *mimus* brevis? Le. Nihil prorsus. Ur. Atqui discrimen docet Batavus sonans animantis vocabulum, in quo audis geminum u: si sones simplex, nullus quid velis intelliget Latine nesciens. Tantum est discriminis in mora syllabæ, quod nos, perinde ac si nullius sit momenti, plane negligimus. Nihil enim aliud sonat nobis hodie *las* in *puellas*, quam in *Pallas*: *es* in *res*, quam in verbo *es*: *lis* in *facilis*, quam in *lis*, unde *litis*: or in ἕκτωρ, quam in *vincor*: *lus* in *nullus* quam in *palus* & *salus*. Atque item de cæteris, nec ullo modo dubitandum quin veteres distinxerint manifesto vocis discrimine. Ne quis autem existimet hoc usqueadeo barbaricum esse, de quo loquimur, præter alios Grammaticos & [1] Quintilianus ipse prodidit, Latinos usque ad Accii Poetæ tempora & ultra, vocalem productam, per eandem geminatam notare solitos, veluti si scribas, *vaanus* pro *vanus*, *turbaas* pro *turbas*, *rees* pro *res*, *liis* pro *lis*, *doos* pro *dos*, *saluus* gemina vocali pro *salus*. Si nullum erat discrimen, unde priscis tanta hujus rei cura? Nunc vero quid interest inter priorem syllabam in *mála* adjectivo, & *mâla* substantivo quod illis erat *maala*? Inter finalem *is*, hujus verbi legis, & finalem *audis*, quod illi scribebant *audiis*? Inter *legi* a *legor*, & *legi* a *lego*, quod illis erat *leegi*? Inter *vivis* verbum & *vivis* nomen, quod illi *viviis*, inter δὸς Græcum verbum, & *dos dotis*, quod illi *doos*? Inter ultimam, *manus* genitivi, & ultimam, *vulnus*? Le. Deum immortalem, quantum a recta pronunciatione degeneravimus. Ur. In Græcis prope gravius etiam aberratum est. Quis enim distinguit inter τύπτομαι indicativum, & τύπτωμαι subjunctivum? Aut quis inter ας in ἀυτείας, & as in λαμπὰς: inter καλὸς nomen, & καλῶς adverbium: inter κύριος & κυρίως, si tonum tollas, quum ipsum ω ex duobus ο pusillis conflatum admonere nos debuerit & productionis & soni? Quod si nihil aliud sonabat ο quam ω, quid sibi vult quod Grammatici tantopere prædicant ω, veluti grandius quiddam resonans e specu oris? Quid autem facilius quam eandem vocalem duplicatam, non ictu vocis, sed productione sonare? Id facillime percipiet, qui primum pro una sonarit duas, quemadmodum solent non absoluti Musici, quo certius canant ad ictum manus, longam diducunt in duas breves: rursus eadem mora, perpetuo sono pronunciant eandem longam, animo tantum imaginantes geminum vocis ictum. Simili ratione, periti complures breves, aut etiam longas continuo sono pronunciant, nec errant in moris, animo supputantes intervalla, non voce. Sic apud Latinos ex tibiicen factum est tibicen. Igitur ut recte sones *legi* præteritum a *lego*, primum fac vocem trisyllabam, & dic *leegi* prima acuta, deinde pari mora, sed voce continua *légi*, ut hæc vox quatuor temporibus extendatur, quum *légi* a *legor* constet tribus. Ut recte sones *lege* a *lex*, dic *léege*, mox inflexa priore, *lêge*, ut dictio constet tribus temporibus, quum *lege* verbum constet duobus. Item dic *lúctuus* trisyllabôs, mox *luctûs* extento u. Dic *máala*, mox *mâla*, quum arboris fructum indicas. Le. Tu quidem crassissime doces. Ur. Nimirum crassis tradenda.

8 Bret Breet.
9 Vet Veet.
10 Rat Raet.
11 Gat Gaet.
12 Bat Baet.
13 Eas Pas.

1 Vide Instit. Orator. Lib. 1. c. 4.

A Itidem qui volet assuescere pronunciandis diphthongis, primum dividat, deinde contrahat in eandem vocem: primum sonet *musaï*, deinde *musæ*: primum *foënum*, mox *fœnum*: primum *audio* tetrasyllabum, mox *audio* trisyllabum: primum *euge* trisyllabum, mox *euge* dissyllabum, sic ut utramque vocalem liceat agnoscere, quamvis sono confuso. Idem in diphthongis Græcis, ut πάϊς παῖς, δημοσθένεϊ δημοσθένει, ὄϊνος, οἶνος, μόυσα, per u Gallicum, μοῦσα. Similis in Græcis productis est exercitatio. Primum dic ἀυτέιας, mox conflato sono in longam ἀυτείας. Item η, divide in duo ee ore diductiore, aut in duo a, Scotica, & dic γραμματικέες, mox perpetua voce grammatικῆς, memor prioris soni, ut κῆς id sonet quod
B apud Gallos sonat, *sed*, apud Zelandos [1] *caseus*. Similiter μύυς per u Gallicum, deinde μῦς. Item καλόος, mox καλῶς. Le. Video facillime discerni vocalem longam a brevi, si consonans finiat syllabam, ut in *audis*, *legis*: at non perinde facile, quoties vocalis claudit syllabam. Quum enim dico *is* ab *eo*, sic enuncio quemadmodum Batavi [2] *glaciem*: quum *lis* unde *litis*, sic effero quemadmodum Gallus sonat *lilia*. At minus est evidens discrimen in *colo* verbo, & *colo* nomine: in *mâla* substantivo & *mála* adjectivo; in *pútet* a *puto*, & *pûtet* a *puteo* verbo. Accentus enim obscurum habet discrimen, nisi mora prolationis accesserit, nec ea facile sentitur, nisi in contextu, quam, ut dixi, Græci vocant συνέπειαν, veluti si dicas, *da bóna mâla*, ex duabus brevibus
C præcedentibus & una sequente, sentitur a, productum in *mâla*. Item ex *bo*, acuto sentitur *ma* circumflexum. Hinc jocus ille Plautinus, quum Sosia heræ minanti magnum malum, mutato accentu respondet *pragnanti potius esse dandum mâlum, ut quod obrodat sit, animo si male esse occœperit*. Verum his in rebus emendatior est Germanorum lingua quam Gallorum, qui finales syllabas omnes fere producunt, nisi si qui vulgatam pronunciationem dedidicerunt: ita sonant *caput*, quasi geminum haberet u, & *audit*, *dicit*, similiter, maxime vero quum dictio desinit in s. Itaque recte pronunciant *salus*, *virtus* & *fructus* gignendi casu, quæ nos confundimus: at non recte eodem sono pronunciant, *dominus* & *servus*: *mus* & *Jesus* recte sonant, at non recte *minus* & *lasum*. Re-
D cte sonant *audis*, *venis*, *nescis*: at non recte, *audit*, *venit*, *nescit*, aut non recte, *scribis*, *legis*, *dicis*. Bene sonant, *os*, *mos*, *flos*: at non bene σοφὸς, καλὸς, κύριος. Est igitur hic quod discamus a Gallis, est quod illi vicissim discant a Germanis. In mediis item ac primis syllabis amant porrigere vocales, velut quum dicunt, *arma*, licet a, sit positu longa, tamen perinde sonant quasi sit geminum a, *aarma* sono continuo. Id quò possint commodius, elidunt e duabus sequentibus mutis alteram, sonantes *mama* pro *mamma*, & *alium* pro *allium*, *aduco* pro *adduco*, *atero* pro *attero*, *valo* pro *vallo*, *anus* pro *annus*.
E Le. Suggeris animo quiddam, de quo frequenter addubitavi. Grammatici distinguunt vocalem natura longam, & positu longam. At apud Latinos quum omnes sint ancipites, eoque dicantur natura longæ quæ positu longæ non sunt, estne ratio qua per sonum possim dignoscere? Ur. Et hoc te docebit vulgata Gallorum pronunciatio, qui omnes fere sonant ut natura longas, duas consonantes aut unam geminam voce separantes a vocali præcedenti. Nos enim *vidisti*, sonamus, ut penultima syllaba desinat in *s*, ultima incipiat à *t*: Gallus penultimam finit in *i*, & ultimam incipit à *st*. *Rex*, *lex*, *fex* & *pax* & natura & positu longas Galli recte sonant: at *fax* tantum positu longam non item. Le. Sed præter discrimen soni, unde liquet positune an natura sit
F longa vocalis? Ur. Ex cognatis dictionibus hoc elucebit, in quibus abest altera consonantium, velut in *amasti*, *a*, natura longum esse declarat, quod & in *amare* sit longum, & in *amati*, quum absunt consonantes. Idem apparet in *Regis*, *legis*, *fecis* & *pacis*. Contra in *face*, in *noceo*, unde *noxa*, in *Arabe* & *trabe* declaratur vocalis recti esse positu non natura longa. Rursus in τέτυφα & τύφος: manifestum est υ positu non natura longum esse in τύπτω, τύψω & similibus. Eadem est ratio in κύκνος priore ancipite: proinde qui duas consonantes separat a præcedenti vocali, si producte pronunciat, declarat na-

1 Kees Meys.
2 lis lijs.

natura longam esse: sin alteram partitur priori vocali, alteram posteriori, significat positu longam. Qui in κύκνος sonat priorem brevem, consonantem utramque jungit posteriori vocali. Sic Horatius *Donatura cygni si libeat sonum*: & *Forma captiva dominum Tecmessa*: *cmes*, separandum est a *te*. Quanquam est nonnullis sua quædam pronunciandi ratio, quæ jubet consonantes posterioribus vocalibus annectere, seu diducere, velut in *Atlas*, & *aruspex*, quoniam prius compositum est a τλάω, & α, particula vehementiæ: rectius τλ, separatur a prima vocali, quemadmodum in ἄσαχυς. Posterius compositum ex *ara* & *specio* sive specto, *sp* rectius annectitur vocali sequenti. Contra est in abstemio, quoniam dictum est ab *abstinentia temeti*, s, melius annectitur primæ syllabæ. Quanquam hæc magis pertinent ad orthographiam quam ad pronunciationem. LE. De vocalibus & accentibus, videor mihi satis instructus. Superest ut de cæteris item consonantibus nobis edisseras. UR. Referam quod memoria suggerit. Tres sunt mutarum ordines, primus est p tenuis, b mediæ, ph adspiratæ, quam Græci propriam habent φ: secundus c tenuis, g mediæ, & ch sive χ adspiratæ: tertius t tenuis, g mediæ, & th sive θ adspiratæ. Atque hæ potissimum mutæ dicuntur, quod ne sibilum quidem, aut stridorem, aut strepitum ullum edere possint, nisi vocalis addita sonum expediat. P. sonatur dum compressis labiis, spiritus ex arteria prorumpens diducit os addita vocali, quæ si præcedat mutam, vocalis velut obmutescit: exempla sint, *pa*, *ap*: unde Fabius hoc tribuit felicitati linguæ Græcanicæ, quod nullam habeant vocem desinentem in ullam mutam, nec in m, quæ & ipsa velut obruit vocem ore compresso. Consimili ratione promitur b, nisi quod leniore compressu labiorum vox exit, sed paulo largiore spiritu: largissimo φ sive ph. Evidens discrimen senties, si continenter pronuncies, *pe*, *be*, *phe*. C vero reducta introrsum lingua, & hinc atque hinc ad molares illisa, hærentem intra os sonum propellit in palatum superius: nec aliter sonatur g, nisi quod lenius exit, & paulo largiore spiritu, quum *chi* plurimo flatu proferatur: discrimen senties si sonueris *co*, *go*, *cho*. T sonabis, si summa lingua pulsaris supernos & infernos dentes, eos quos Græci, ni fallor, τομεῖς appellant, modice diductos. D crassius erumpit: th crassissime. Eadem est sonandi ratio in duplicibus, ut ψάλλω, ξένος, γάζα: aut in compositis, velut in πλύω, πνέω, φράζω. Item in κλάομαι, κλῆμα, κνίσσα, γνῶναι, χνοῦς, τλάω, βδέω. Rursus in τμῆμα, τμῶλος, δμῶες, θλάω, θνητὸς, & aliis hujus formæ. Nunc expendamus quantum in his a germano sono degeneraverimus: Græci pro π sonant b Latinum, si m litera præcedat, ut ἔμπορος *emboros*, συμπαίζομαι *symbazoma*, συμπόσιον *symbosion*. Id durius fit, quum idem faciunt in diversis dictionibus, mutato etiam sono ν in μ, ut ἐμπρώτῳ *embroto*, ἐμπυρὶ *embyri*. Et hoc mutuamur a vulgi deliciis. Nec enim hujusce rei ulla mentio fit apud veteres, usque adeo in cæteris minutiis tradendis pene dixeram superstitiosos. Rursus pro β sonant v nostrum consonans, βάτραχος *vatrachos*, ἀμβρόσιος *amvrosios*, quum probabile sit β apud priscos Græcos idem sonuisse quod apud Latinos sonabat b. LE. Quibus in hanc sententiam duceris argumentis? UR. Primum est, quod ex tot Grammatices scriptoribus nemo varietatis hujus facit mentionem. Hoc si leve est, dicam aliud. M. Tullius in epistola quadam ad Pætum, ut demonstret eandem vocem apud alios obscœnam esse, quæ apud alios sit verecunda: nec in verbo turpitudinem esse, sed in sensu loquentis, producit *bini*, & βίνει, quæ Latinis sit pudica, Græcis obscœna. Atqui si βίνει sonabat cum Græcis, quod vulgo sonat hodie, non erat vox eadem apud utramque gentem, nihilo magis quam apud Latinos *bini* & *vini*. LE. Probabile est quod narras. URS. Arguit idem Græcanicarum vocum usurpatio. Quod enim Græci dicunt βοῦς, nos dicimus *bos*: & quod illi βοᾶν, nos *boare*: quod illi τυρβᾶν, nos *turbare*: quod illi βαλανεῖον, nos *balneum*. Quid autem infinita persequor? Et si quid detorquemus, in diversam partem id facimus citius, veluti quum pro βαβαὶ dicimus *papa*. Hic peccant & eruditi, vulgus autem, & qui vulgatam pronunciationem non dedidicerunt, interdum pro *b* pronunciant *u* consonans, & contra, ut *bibit* pro *vivit*, & *vivit* pro *bibit*. Id peculiare dicitur cuidam Hispaniarum regioni. Audivimus & Gallos aliquot ad eundem modum [1] sonantes. Sunt & apud Germanos, qui pro *b* sonent *p*, & contra, ut *pipere* pro *bibere*, & *biper* pro *piper*. LE. Frequenter istiusmodi voces audisse memini. UR. Imo & in libris manu descriptis hujus pronunciationis vestigia sæpe deprehendimus, ut *pabtismus* pro *baptismus*, & *velle* pro *belle*, & *bictus* pro *pictus*, βάτος pro πάτος. Sed plus etiam est erroris in c, cui respondet apud Græcos κ. Aliud enim sonat Latinis quum præcedit e, i, y, æ, œ, quam cum antecedit, a, o, u, ut in *ceres*, *cinis*, *cynicus*, *cœlum*, *cæcus*, aliud in *canis*, *colo* & *curo*. Nam in illis vulgus nostratium pene nihil discernit inter c & s, ut vix aures dijudicent *cæna* dicas a *cæna*, an *sene* a *senex*: & utrum *silicem* pro lapide, an *Cilicem* pro gente: *citum* a *cio*, an *situm* pro *positum*. In *Sicilia*, primæ syllabæ, sonum ægre dignoscas a sono proximæ. Qua quidem in re minus peccant Itali, præsertim Romani, qui tametsi non prorsus eodem modo sonant *c*, ante vocales omnes, tamen ita pronunciant, ut manifesto discrimine dignoscas *c* literam ab *s*, linguam in latus dentium lævum intorquentes quum sonant *Cicero*, *Cæsar*, & *Cyrus*: in aliis tamen minus est crassitudinis, ut in *canis*, *colo* & *cura*. Difficilior autem est hujus literæ distinctio, quoties præcedit s, ut in *scio* & *Scytha*, *rescíscit adsciscit*, quam tamen evidenter ac feliciter exprimunt Romani, nos mire confundimus. Nos hic & alio peccamus modo, spiritum addentes c, quoties antecedit s, & sequitur a vel u, *schando* sonantes pro *scando*, & *schutum* pro *scutum*. Quin & Græci κ suum crassius sonant, quasi vergens ad γ, ac sibili nonnihil meditans, quoties præcedit vocales aut diphthongos ε, ι, η, υ, αι, ει, οι, ῃ, quam in cæteris. Nec dubium quin hæc differentia profecta sit a vulgo, quando nemo veterum id scripto prodidit, quum tamen aliis de rebus minutissimis plurima conscripserint. Ex linguis autem popularibus, quas constat olim lingua Græca permixtas fuisse, conjicere licet, κ ante vocales quaslibet perpetuum suum obtinuisse sonum. Sic Germani vulgo sonant *Cæsarem*, Batavi *silicem*, sic Picardi *ici*, quod imitatum est a Græco ἐκεῖ. Nec me fugit hanc Galliæ partem ob pronunciationem rideri a cæteris, retinet tamen manifestiora Græcæ Latinæque linguæ vestigia. Rursus si quis audiat Anglum petentem [1] *osculum*, agnoscet Græcum κῦσαι, in qua voce nos pro υ Græco sonamus u Gallicum. Et in nostrate lingua, quoties illud tenue volumus exprimere, pro *c* scribimus *k*, non aliter sonantes eam in *ky*, quam in *ka*, veluti quum diminutive dicimus [2] *puellam*, aut *puerum* non diminute, aut [3] *nosse*, aut *pectere*, aut *mentum*. Et quum Angli dicunt [4] *jugulo*, aut *Regem*, aut *servum*. Nec defuere Latini, qui non patiebantur *c* præponi *a*, ut *ca*, sed κα scribendum censuerunt, quod ab eruditis rejectum est, negantibus hic opus esse litera Græcorum commodatitia, quum c suum nativum sonum ad omnes vocales deferat. Probabile est igitur & apud Græcos, & apud Latinos c, eodem fuisse sono, quacunque vocali sequente. Nam Latini k propemodum pro superflua duxerunt, [5] quemadmodum & q, quibus vix utebantur, nisi quum unica litera signarent totam dictionem, ut Q. pro *Quinto*, K, pro *kalendis*. Atqui supervacanea non est, si nostrum c, crebro proxime accedit ad vocem s. Postremo vel a ranis discere licet quod narro. Nam his hæc litera peculiaris est, quum audimus illas quotidie modulantes illud suum βρεκεκεκὲξ κοὰξ κοὰξ, in quo non percipitur illud crassius, & ad γ sibilumque vergens, quod nunc audimus in vulgata Græcorum pronunciatione. LE. Certum est argumentum. Nam ranæ non mutant cantionem suam tot jam seculis, quum homines nihil sinant esse diuturnum. UR. Non absurde dicis, siquidem ranis lingua summa religata est, postrema quæ fau-

[1] *Kisse.* [2] *Kind.* [3] *Kennen kemmen kynne.* [4] *Kill, king, knight.*

1 Vascones, nimirum, de quibus facete *Jos. Scaliger*, *felices*, inquiebat, *populi*, *quibus* bibere *est* vivere!

5 Non modo veteres MSS. Codices, sed & veteres Inscriptiones ab *Erasmo* dissentiunt, ut cuivis Gruterianum Thesaurum aperienti liquebit.

ces ſpectat libera, ut aliter ſonare non poſſint. Jam mediam quæ eſt γ, vel g, Latini non ſemper eodem enunciant ſono. Le. Qui ſic? Ur. Quum dicis *vaga*, *vago*, *exiguus*, nonne aliud audis, quam quum dicis, *vage*, *vagi*? Le. Prorſus. Nam in *ga* & *go* & *gu*, audio neſcio quid craſſius ac ſpirantius. Ur. Item aliud audis in *lego* quam in *legis*, *legit*, in *longas* quam in *longis*. Le. Sentio. Ur. Similiter in Græcis aliud audis, quum dicitur, θεολόγω, θεολόγȣ, θεολόγα, quam cum θεολόγε, θεολόγοι. Le. Ut nos quidem ſonamus. Ur. Huic malo ſuccurrit Germanorum pronunciatio, qui ſono per omnia ſimili dicunt, *lego*, *legis*, *legit*. Le. Video quemadmodum ex corruptis libris, itidem ex linguis quamlibet vitiatis poſſe quædam depravata reſtitui. Ur. Atqui nos Batavi ridemus hic Germanos, quaſi vitioſum ſit, quicquid diverſum eſt. Le. Ad iſtam rationem nihil non eſſet vitioſum inter homines. Verum ut hic recte ſonant g, ita perperam ſonant quum dicunt, *caudeo* pro *gaudeo*, & *cades* pro *Gades*. Ur. Ita ſane ſonant quidam, qui vulgatam pronunciationem dediſcere aut non potuerunt, aut neglexerunt. Verum ex malis ſi quid ineſt boni, decerpere ſapientis eſt. Nos tamen gravius peccamus in adſpirata χ ſive ch. Le. Tantum ne peccatorum? Exſpectandus eſt annus Jubileus. Ur. Fortaſſis excuſabitur ab aliquibus, quod pro *mii* ſonamus *mihi*, rurſus pro *mihi michi*, quo jure veteres in Hebræis uſi ſunt, quo ſonus ſit vegetior, ut in *Joabim*, & *Joachim*. Verum quod pro ὑπόχρυσον ὑπίκρυσον, pro *Chriſte* ſonamus *criſte*, pro *chriſma criſma*, quis feret? Le. Nemo, niſi qui neſcit diſcrimen inter *Chriſtum* & *criſtas*. Ur. Sunt ex adverſo qui adſpiratum pronunciant etiam *cribrum*. Le. Iſto nomine Germani ſuperiores male audiunt, quum & id ſi quod eſt, vitii multis modis compenſent, & ab Italis profectum videatur. Ur. Scio quid dicas. Arrium ſentis quem epigrammate ridet Catullus, qui pro *commodis* dicebat *chommoda*, pro *inſidiis hinſidias*, ex cujus immodico flatu tantum erat diſcriminis, ut Poeta timuerit, ne poſteaquam ille Syriam petens navigaſſet *Jonium* mare, jam non *Jonium* diceretur, ſed *Hionium*. Et olim fuerunt apud Græcos, qui vitabant adſpirationem, Jones opinor: & apud Latinos priſcos. Et ne quid exiſtimemus ſub ſole novum eſſe, ſunt hodie qui ſpiritum addunt ubi nihil opus, & ſpiritum adimunt ubi erat addendus. Quorum hoc poſterius Flandriæ parti gentilitium eſt, qui mira conſtantia ſpiritum addunt tenuibus, & adimunt adſpiratis. Is error velut agnatus hæret illis etiam Latine Græceve ſonantibus. Quemadmodum enim vulgata lingua dicentes [1] *herum*, ſubtrahunt ſpiritum, & ſonant *honorem*, ita quum dicunt [2] *honorem*, addunt: Latine loquentes ululam vocant *hululam*, & humilem *umilem*. Le. Pulchre penſant vitium vitio. Ur. Audivi Florentiæ in Profeſſione publica conſtanter pronunciantem, *chorpus*, *chalidus*, & *champus*, quum tamen ea civitas procul abſit a mari, etiamſi plus ſatis ventorum immittit imminens Appennini dorſum. Arbitror tamen non fuiſſe Florentinum. Contra cæteri Itali vix diſtinguunt *hominem* ab *omine*, quod nos ingenue diſtinguimus, & utrique alteros ridemus, quum peccemus utrique. Ac ne ſoli nos in pronunciando labi videamur, ſunt apud Italos, qui ex publico ſermonis uſu pro *laudo* ſonant *laldo*, pro *audio aldio*. Rurſus qui pro *deus degus*, pro *eum egum*, ſive *echum*: ad hæc, qui more Hebræorum pleraſque ſyllabas extremas acuto ſono pronunciant, Bergomates, ni fallor. Mentior niſi his auribus audivi Romæ Sacrificos ad hunc modum pronunciantes, quumque narrarem in convivio quid audiſſem, exiſtimans id inſcitiæ vitium eſſe, riſere quidam, & protinus agnovere cujates eſſent qui ſic pronunciaſſent. Le. Equidem arbitrabar nos ſolos barbaros ſonare barbare. Ur. Hodie vulgus nuſquam non eſt barbarum. Quin & *chi* non prorſus idem ſonat in χαῖρε, βραχὺ, χοῖρος, χὴν, χεῤῥόνησος, quod in χαρὰ, χορὸς, & εὐνοῦχος. Illic enim audis neſcio quid ſibili, quod in poſterioribus non audis. Le. Num id recte? Ur. Non ulla ratio, ſed delitiæ morem hunc invexerunt, meâ quidem ſententiâ. Le. Apparet. Ur. Quod dicam a priſcis traditum eſt, γ ſi ſequatur adſpirata χ, aut alterum γ, aut ξ, ſonat medium quiddam inter ν & γ, ut ἐγχειρίδιον, ῥόγχος, ἄγγελος, λύγξ, σφίγξ, *enchiridion*, *rhonchus*, *angelus*, *lynx*, *ſphinx*. Adeoque non convenit his literis in eadem dictione, ut ſi prior ſyllaba deſinat in ν, vertatur in γ. Nam ab ἐν & χεὶρ compoſitum eſt ἐγχειρίδιον. Quod ſi poſt γ ſuccedit κ, utriuſque literæ ſonus mutatur, velut in ἀνάγκη, λυγκεύς. Nam in his γ propemodum ſonat ν, & κ propemodum γ: propemodum dixi, quod non ad plenum exprimitur ν & γ, ſed medium quiddam inter utrumque. Simile quiddam auditur & apud Latinos, ſi literæ g, ſuccedat n, aut alterum g, aut c, aut q, velut in *magnus*, *agnus*, *pignus*, *cygnus*, *magnes*, *agger*, *aggero*, *ancora*, *anquiro*. Ac veteres, quorum eſt Victorinus, adeo putabant nobis hic deeſſe literam, medio ſono inter g & n, ut pro *aggerem* & *ſuggeſtum*, ſcribendum exiſtimarint, *angerem*, & *ſungeſtum*. Rurſus pro *ancora*, *agcora*: pro *ancylia*, *agcylia*. Verum n, litera noſtris auribus blandior vicit. Illud certe conſtat, Italos emendate loquentes, aliter ſonare *magnus*, *agnus*, quam nos ſonamus. Nec enim ſonant agnus, ut a per ſe ſonet, nec *ag*, *nus*, ut g hæreat priori vocali, verum pro g, audis quiddam quod neque ſit prorſus n, neque prorſus g, ſed e duobus medium quiddam. Ex eodem fonte naſcitur, quod quidam ſcribere maluerunt [1] *anquiro* quam *acquiro*, quod q, vim obtinet eandem cum c & k. Ea varietas declarat illos, nec prorſus ſonuiſſe g, nec prorſus n, ſed medium quiddam. Idem cenſebant de *ecquid*, *nunquid*, *nanque*, *tanquam*, *quanquam*, & ſimilibus. Vis enim literæ q, ſic m, vertit in n, ut g, ſonum admiſceat. Le. Hæc mihi videntur argutiora, quam pro noſtra regione. Ur. Simile quiddam tradunt de ſono medio inter m & n, ſi ſequatur p, b, aut ph, ut in *ampullis*, *Lycambes* & *Amphimachus*. Auſculta ut ſonos auribus dijudices. Quid audis quum ſono *Lycambes*. Le. n. Ur. Quid quum *Lycambes*? Le. Prorſus m. Ur. Quid nunc? *Lycambes*. Le. Nec m, nec n, ſed quiddam utrinque mixtum. Ur. Bene habet quod hæc inter nos aguntur lingua: nam calamo non poſſint exprimi. Le. Niſi vocalis eſſet calamus, quales erant illi plus ſatis loquaces, qui Midæ auriculas ſic traduxerunt, ut hodie quoque proverbio celebrentur. Ur. Sic eſt. Sed ut pergamus, in t, d, & th ſive θ, vide quot modis peccetur. Germani ſuperiores th ſubinde ſonant & ſcribunt pro t, *protheus* pro *proteus*. Contra nos ſonamus t pro th, ut in *Theologus*, *Timotheus*, & *Phaethon*, *Phlegethon*, aliiſque innumerabilibus, ſed multo magis quum adſpiratæ adhæret conſonans alia, ut θνητὸς ſonamus τνητὸς, pro *ethna*, *etna*, pro θρέψω τρέψω, pro *thraces traces*: & in totum ægre aſſueſcimus huic adſpiratæ ſonandæ, quam feliciter exprimunt Angli in initio, quum ſua lingua dicunt [1] *furem*: in fine, quum dicunt [2] *fabrum ferrarium*. Nam his vocibus velut inimitabilibus ſolent hoſpitem provocare. Qui craſſe docent, monſtrant θ propemodum ſonare, quod nobis ſonat *tſ*, quam ſyllabam noſtra lingua facillime ſonat in *tſa*, quum duabus ſyllabis dicimus, [3] *ſimul*. Le. Agnoſco. Ur. Quin frequenter d & t, differentiam confundimus, veluti quum pro *David* ſonamus *Davit*, & *ad Petrum*, *ad te*, *at Petrum*, *at te*: quod idem facimus in b, nonnunquam ſonantes pro *abſte*, *apſte*, quum d & b craſſius ſint ſonanda. Porro quod Græci τ ſonant, ut nos d Latinum, quoties præcedit ν, in ἐντὸς & ἔντορα, arbitror eos eodem jure facere, quo pro π ſonant b Latinum in ἔμπορος. Nam quod pro *ti*, ſonamus *ci*, quoties excipit vocalis, fortaſſis veterum auctoritate probatum eſt in *Laurentius*, & *patientia*, quum idem apud Græcos nequaquam fiat. De duplicibus duobus ξ & ψ, jam per occaſionem diximus, quas Galli ægre pronunciant, dumtaxat in initio dictionis, *ſalmus* ſonantes pro *pſalmus*, & *ſenia* pro *xenia*: nos hic certe ſumus feliciores. Et Gallorum quorundam vulgus hic addere ſolet e, *exenia* pro *xenia*, *epſallo* pro *pſallo*. Idem faciunt in [2] *ſt*, *ſp*, pro *ſto*, ſonantes *eſto*, pro *ſpecto eſpecto*. Le. Iſthuc non in Gallis tantum anim-

1 Eer. 2 Heer.

1 Thief 2 Smyth 3 Tſamen Ti

1 Non ſunt hæc idem, nam *anquiro* compoſitum eſt ex præpoſitione inſeparabili *am* & *quæro*, verum *acquiro* ex *ad*, & *quæro*. Nec eadem eſt ſignificatio, poſterius enim eſt *comparo*, prius *quæro quod ignoro*.

2 Aquitaniæ & Galliæ Narbonenſis populi ita pronunciant.

animadvertere licet. UR. Scio & ante dictum esse, cum quibusdam Hispanis hoc illis esse commune. Et una tantum Galliæ pars habet quod dico, ne totam in me concites. Tertia duplicium est ζ, complectens in se σ & δ, si δ crasse pronuncies. Unde Græci quidam pro χάζα scribunt γάσδα, pro μελίζειν μελίσδειν. Alii rursus διὰ vertunt in ζα: inde nobis etiam ζάβολος pro διάβολος. Hanc literam, quoniam non reperitur in Græcis dictionibus, Latini fere vertunt in geminum *ss*, ut in *patrisso* πατρίζω, & in *musso* μύζω. Eam Germani & feliciter & frequenter usurpant lingua vulgata, quemadmodum & Sarmatæ videntur ea delectari. Nos tamen loquentes interdum usurpamus illius sonum ubi nihil opus, id fere perpetuo quoties s, incidit inter duas vocales, pro *lasa* dicentes *laza*, pro *vise vize*, pro *illuso illuzo*, pro *risi rizi*: quod unde venerit in nostram consuetudinem non satis queo conjectare, quum Romani non varient in hujus literæ pronunciatione, nec causam video mutationis, nec ab ullo veterum tale quicquam sit traditum. Nec enim *sa* debet aliud sonare in *musa*, quam sonat in *salus*: nec *so* aliud in *viso*, quam in *solus*: nec *se* aliud in *vise* quam in *sedeo*: nec *si* aliud in *risi* quam in *sileo*. Nec hujusmodi rei quicquam est apud Græcos, quibus σ sonum suum perpetuo obtinet locis omnibus. LE. Atqui quosdam audio pro simplici s, sonare geminum. UR. Atque adeo scribunt quoties antecedit longa vocalis, ut in *caussa* & *lassio*. Ad eum modum scribere solitum ferunt M. Tullium. LE. Fortassis hinc nata est varietas. UR. Fieri potest, quanquam reclamat Romanorum consuetudo: at nos idem facimus, etiam si correpta vocalis præcedat, ut in *nisi* & *miser*. Quibus autem hic usus a pueris inolitus est, similiter peccant & in Græcis, sonantes μέζον pro μέσον, & μῦζα pro μῦσα. LE. Video rem operosiorem esse, quam putaram, emendate pronunciare. Verum nondum explicuisti quo pacto sonandum sit ζ. UR. Recte mones, nam exciderat. σ lingua ponè dentes superiores appressa profert lenem sibilum, qualem edit serpens minitans & erectus, ubi quis imprudens propius ad nidum accesserit, unde litera S figuram habet ejus animantis sibilum edentis & inflexo corpore deterrentis. Unde & *exsibilandi* verbum deductum. Huic sibilo accedit sonus δ, sed crassior aut lenior potius, quemadmodum in cæteris duplicibus sibilum antecedit habitus oris quo sonatur p, aut c. Demiror autem cur hæc litera tantopere displicuerit Dionysio Rhetori, qui tradit eum ferarum esse sonum, & vix homine dignum, quum Græci in plerisque dictionibus ζ vertant in σ, sicut attigimus supra: rursum quoties incidit ττ geminum, malunt in geminum σσ vertere, pro γλῶττα γλῶσσα, pro Θέτταλος Θέσσαλος, pro τὺ σὺ sonantes. Nam si ideo displicet, quod hunc sonum a serpentibus didicerunt homines, displicere debet & k, quæ ranarum est & coccycis: & b, quæ est ovium: & m, quæ est boum: & o, quæ est asinorum: & ρ, quæ est canum rixantium: & a, quæ est puerorum vagientium. LE. Atqui ne desit omnino patronus Dionysio, prisci Latini videntur illam elidere soliti. Quod genus illud ex epigrammate quod refert Plinius in historia naturæ, *Regina Junonis supremi conjugi' templum*. Item illud ex Ennii versibus quos adducit [1] Aul. Gellius: *Doctu', fidelis, suavis homo, facundu', suoque Contentus atque beatus, scitus, secunda loquens in Tempore*. UR. Quid mihi narras Ennios, quasi non idem hodie faciant in oratione soluta Galli, quod Ennius fecit in carmine: prorsus elidentes s, quum incidit inter vocalem & consonantem: in fine vero sic obscurantes porrecta in immensum vocali, ut vix sentias, velut in *est* & *dominus*, in quorum priore, eliso s, sonant geminum, aut triplex potius eee: in posteriore, u trium vocalium habet spatium. LE. At mihi videntur viri justi pariter ac prudentes Hispani, qui quod Galli peccant in s, abunde pensant, nihil sine hac litera pronunciantes, ac sæpius eam in eandem dictionem infulcientes. UR. Vera narras. LE. Si ludere vacaret, dicerem Gallos, quoniam

A non assueverunt sibilis ob serpentium illic raritatem, metu ac religione vitare literam, ne provocatum cognato sibilo noxium animal frequentius eo demigret. Contra Hispanos, ut viros fortes, & serpentium sibilis assuetos, adeo contemnere illos, ut etiam obsibilent, quo absterreant, quomodo solent quidam oppedere tonitruis. Quod si nunc in re etiam seria fas esset jocis indulgerre, poteram & illud adversus Dionysium proferre, quod matres ac nutrices hac litera quam ille viperеam vocat, somnos accersunt infantibus. Sed mittamus & jocos, & recentiorum delitias ac fastidia, quot homines tot sententiæ. Magis me movet, quod priscis B illis tantopere displicuerit, qui parce literam hanc admiscuerunt, in tantum ut quidam totas odas conscripserint ἀσίγμως, hoc est, nusquam admixto σ. Quin & Pindarus fertur hanc literam infamasse versu, [2] πρὶν μὲν ἤρπιε σχοινοτενῆ φωνήεντα διθυράμβων καὶ τὸ σὰν κίβδαλον ἄνθρωποι. Jam & illud admiror, quum ζ respondeat gemino sigma, in hoc enim vertunt Latini, cur tantopere probetur eruditis, ut [3] Quintilianus homo minime surdus, vix aliam putet spirare suavius, ut in *zephyris* & *zopyris*. LE. Dicam quod venit in buccam. UR. Ut lubet. LE. Ipsa se mollit, ut quædam si modice sumas lædunt: si copiose, prosunt, ut de lactucis & testudinibus est proditum: quemadmodum n, in C *manna* jucundius sonat quam in *maneo*: & m in *mamma* mollius est, quam in *lama*. Tum vis literæ δ, admixta temperat asperitatem sibili. LE. Nihil absurdi loqueris. Supcrest f, de qua superius per occasionem nonnihil attigimus. Sed pleniorem explanationem, data opera, in hunc distulimus locum. Et hanc quidam judicarunt supervacaneam, scribentes *philius*, *phacio*, *phacies*: mox *ph*, servata est Græcis dictionibus, *phama*, *Phaethon*, *Phœbus*, *Philippus*, *Pamphilus*: Latinis dicata f, *felix*, *facio*, *fibra*. Quanquam ne hic quidem satis constantes sumus. Nam *famam*, *fugam* & *furem* per f, scribimus, quum Græcis sint φήμη, φυγὴ, φώρ. Quod si prorsus idem sonat f, quod ph, sive φ, constat literam esse supervacaneam. Rursus si nihil interest in sono, qui D convenit ut φ numeretur inter mutas, f, locus datus sit inter semivocales? Ad hæc quid opus erat Æolibus digamma, quum haberent φ: aut nobis quum suppeteret f? Fatentur enim omnes Claudium Cæsarem jure addidisse digamma Æolicum, quod nostro f, inverso notabatur Ⅎ, utcunque vicit consuetudo. Ad hæc, quum auctores quidam tradant apud nos v, consonans, eam habere vim, quam apud Æoles habet digamma: sequitur has literas sono variasse, quandoquidem constat v, consonans, sonare diversum quiddam ab f. LE. Sic apparet. UR. Jam Priscianus non omnino malus auctor, scripsit nonnihil esse discriminis inter ph & f. Quod evidentius facit Quintilianus libro primo, [4] referens joE cum Ciceronis ex oratione pro Fundanio, testem Græcum opinor irridentis, quod primam ejus nominis literam sonare non posset, *phundanius* dicens pro *fundanio*. At M. Tullius magis erat irridendus, si Græcum φ, & Latinum f, nihil sono discrepant. Idem Fabius libro, ni fallor 12. commemorat hanc literam Latinorum inter eas, quæ parum felicis sunt soni, quod inter dentes efflетur, unde fieri putat, ut sermo Latinus ne possit quidem ad jucunditatem Græcanicæ pronunciationis adspirare. Atqui si in hac litera paria faciunt Latini cum Græcis, ridiculum est quod Fabius hoc argumento persuadere conatur, nos Græcis inferiores esse vocum suavitate. Adde his quod Terentianus docens F hujus literæ pronunciationem, evidenter indicat discrimen inter ph, & f. quum enim docet adspirationem in initio vocalibus additam, aut consonantibus quatuor a tergo adjectam, non mutare literæ sonum, sed tantum adspirationis gratiam addere, Sotadeo metro sic rem explicat:

Quia non adicit litterulis novum sonorem,
Sed Græcula quadam scholica nitela vocis.

De f, longe aliter loquitur, referam enim illius carmen:

 Imuno

1 Lib. XII. c. 4. ubi sic versus distinguuntur:
— *doctu', fidelis*
Suavis homo, facundu', suo contentu'; beatus,
Scitu', secunda loquens in tempore, &c.

2 Id est: *Prius quidem exciderant exiles vocales Dithyrambis, & adulterinum sigma, ô homines.* De quo Pindari loco, vide animadversiones *Isaaci Casauboni* in *Athenai* Lib. X. c. 21.

3 Lib. XII. c. 10. Institut. Oratoriæ.

4 Cap. IV.

Imum superis dentibus apprimens labellum,
Spiramine leni, velut hirta Graia vites,
Hanc ore sonabis, modo qua locata prima est.

An non hic duplici nota discernit φ ab f? primum quod in f, labium inferius apprimitur superioribus dentibus, deinde quod spiritu leniore profertur, veluti studio vitandi Græcam adspirationem, quæ est in φ, cujus sono labiis utrisque diductis spiritus vehementior erumpit. Et haud scio an probabile sit, percontatorem illum qui ex *Amphione* sustulit adspirationem de quo supra meminimus, ex *Amphione* fecisse *Amfionem*, quemadmodum alter ille Græcus ex *Fundanio* fecit *φundanium*. Quæ si vera sunt triplici varietate distincta sunt, ph, f, & v consonans. Le. Qua ratione possunt auribus discerni? Ur. In ph, magis stringuntur labia, prius quam erumpat spiritus, is erumpit vehementior labiis ac dentibus latius diductis: in f lenius, dentibus pene coeuntibus, & inferiore, ut dictum est, labro superioribus dentibus affixo, ut inter hæc litera velut efflетur: in v consonante, multo etiam mollius effertur adspiratio, quam vel in φ, vel in f, diductis & labiis, & dentibus in exitu vocis. Nunc auribus observa sonos, & oculis os meum intuere. Dico *pha*, *fa*, *va*. Rursum *phama*, *facio*, *vado*. Le. Papæ manifestum video discrimen. Ur. Superest scrupulus, quid Æolibus sonuerit digamma, tum autem an hodie recte sonemus v, consonans. Primum ubi jacco sonamus conflatis primis vocalibus, præter ja nihil audimus in sono novi. At quum idem facimus in *vadit*, *velo*, *vino*, *volo*, *vulnus*, aliud quiddam sentiunt aures. Sona ïä, duabus syllabis. Le. Ïä. Ur. Contrahe. Le. Ja. Ur. Fac idem in uä. Le. Uä. Ur. Contrahe simili modo. Le. Sentio sonum primæ syllabæ in nostratibus verbis, quum dicimus, [1] *vigilare*, *molle*, *vinum*, & *habitare*. Ur. Una igitur nobis deest, si recta est horum temporum pronunciatio. Le. Dic clarius. Ur. Inter ph & f, nonnihil interesse in confesso est. Le. Est. Ur. Inter *fuero* & v consonans multum interesse res ipsa loquitur. Le. Ut nos quidem sonamus. Ur. Atqui cum Batavus sonat, [2] *album*, aut *latum*, aliud audis *vi*, quam quum Latine dicis, *vide*: rursus aliud quum Batavus dicit [3] *percontari*, aliud quum [4] *ulcisci*, aut *stringere*. Le. Recte. Verum id scribunt per geminum vv. Ur. Nimirum differentiæ causa. Nam & illis est v. consonans eo sono quo Latine loquentes efferimus, veluti cum dicunt, [5] *pinguem*, aut, *simultatem*. Contra quum dicunt, [6] *scito*, aut *legem*. Alioqui quæ vocalis duplicatur initio dictionis, nisi mutet naturam? Nunc accipe & illud argumentum. Le. Hic sum. Ur. Quum Grammatici diligenter indicent affinitatem literarum inter ipsas, veluti quum pro i, ponitur u, ut in *optumus*: pro adspiratione f, ut in *fordeo* pro *hordeo*: pro l, t, ut in *mertare* & *pultare*: pro u, o, ut in *dicont* pro *dicunt*, ac similibus innumeris, nusquam mentionem faciunt affinitatis inter f & v consonans, tanta est soni vicinitas, ut si paulo lenius sones f, fiat v: si paulo pressioribus labris v, fiat f. Le. Non leve, per Musas, argumentum. Ur. Ad hæc apud Aulum Gellium libro XIV. cap. V. Grammaticus ubi præscripsisset legem, per quam nomina desinentia in us, si proxime antecederet i, vocandi casum inflecterent in i, non in e, ut *egregius egregi*, quemadmodum *Virgilius Virgili*: *divus*, *rivus* & *clivus* & hujus generis alia hoc lemmate excepit a regula, quoniam non simpliciter desinerent in us, quemadmodum *Virgilius*, sed in eam quæ per duplex u scribitur, ad cujus literæ sonum declarandum repertum esset digamma Æolicum. Quod si id tum sonabat, vus in *rivus* & *clivus*, quod hodie nobis, nihilo magis erat opus exceptione in *rivus* quam in *Rufus*, quum esset manifestus consonantis sonus ante u posterius. Le. Persuades alium fuisse sonum. Quid igitur censes? Ur. Censor esse non ausim, at divino veteribus propemodum sonuisse f, quod Græcis sonat φ, & quod hodie f, sonat Phrysonibus, sonant enim asperius quam nos, qui & v, consonans propemodum sonant uti nos f, veluti quum dicunt, [7] *muscam*, *volare*, *metuere*, quæ nos per v consonans sonamus lenius. Porro v consonans sonuisse quod apud Æoles & Claudium Cæsarem digamma. Id denique propemodum sonuisse, quod apud nos hodie sonat w geminum. Nam quod in vulgata pronunciatione, v consonans sonamus aliquanto lenius quam f, apparet ex iisdem delitiis ortum, quæ pro ἔμπορος sonant *emboros*, & pro βίνει, *vini*. Le. Quibus indiciis isthuc colligis? Ur. Ex iis quæ jam commemoravi, tum ex linguæ nostratis vestigiis, quam constat Græco Romanoque sermone permixtam esse. Innumera sunt locorum vocabula a *vico* dicta, ut cum dicimus, [8] *comitis vicum*, *pastorum vicum*, *fontium vicum*, in quibus ultima scribitur per w duplex, unde colligere licet quid olim sonuerit Latinis v consonans in *vicus*, *vanus*, & *rivus*. Le. Verisimillimum est quod narras. Ur. Item quum vulgata lingua nominas *vinum*, deprehendis quid in vino sonuerit prima syllaba. Idem arbitror esse quum dicimus [9] *violentiam*, quanquam corruptis, ut solet literis aliquot. Rursus quum pro *vacare* dicimus *vigilare*, & quum sonamus *ventum* & *ventosum*. Similiter quum apud nos velut evanescit v, illi scribunt per geminum w, ut quum dicunt [10] *grave*, *jurare*, *vexare*, *fatuum*, *duos*. Nam apud nos pluribus literis additur, quam apud Latinos. Contra quum apud Latinos habetur f, Phrysones & Angli quidam vertunt in f, nos in v consonans, ut hodie sonant Latini, velut in [11] *fluere*, *fluctu*, *pisce*, & similibus innumeris. Nam in pisce & hinc derivatis p, tenue mutavimus in *ph*, pro qua scribebant f, nos rursus f, vertimus in v consonans, ut nunc quidem profertur. Le. Certa narras, mira tamen, & haud scio an omnibus credenda. Ur. Hinc est quod Germani spirantiores, Latine loquentes confundunt interdum has literas, v consonans & f, quum efferunt *convidit* pro *confidit*, & *fideo* pro *video*. Nec mirum videri debet, si quod tradidimus non est perpetuo verum, sed fallit in quibusdam dictionibus, quum non ignores quanta sit sermonis vulgo crediti volubilitas & inconstantia. Le. Cætera facile corrigerentur, nimirum ut aliquo discrimine sonemus f, in *filius*, & ph, in *Philippus*. Cæterum illud durum, si quis pro *vanus* sonet *Wanus*, aut pro *rivus*, *riwus*, atque item in cæteris, quæ per v consonans efferuntur. Ur. Nec est necesse, ut prorsus exprimamus vulgatam Germanorum pronunciationem: satis est si paulo longius recedamus a sono f, & aliquanto propius accedamus ad sonum u, vocalis. Nam inter f, & v consonans fuisse dissonantiam evidentiorem quam nunc est & illud arguit, quod nusquam altera in alterius vicem succedit, quod tamen in cæteris fit passim, inter quas vel tenuis intercedit cognatio, velut in βούλομαι & *volo*: rursum in eo quo veteres, teste Fabio, pro *hædo* dicebant *fædus*, pro *hordeo fordeum*. Verum non occurrit ubi vel f, mutarint in v consonans, vel v consonans in f. Le. Nondum animum omnibus scrupulis liberasti. Veteres qui meminerunt de digamma Aeolico, veluti Quintilianus, Priscianus, Aulus Gellius, & ni fallor, Victorinus, exempla proferunt, in quibus v antecedit seipsam, ut in *vulgus* & *servus*, *rivus* & *divus*. Quod si litera Aeolica non alibi locum habet, quid sonabit *v*, in *vanus*, *Venus*, *vino*, & *volo*? Et in his eundem sonum indicat epigramma, quod Joannes Tortellius, vir suo seculo magnus, Romæ sibi visum fuisse testatur, in quo bis *fixit*, scriptum erat pro *vixit*. Le. Nil miror, fortasse Germanus quispiam aut Phryso posuit: quasi nos Romæ non deprehenderimus in hujusmodi monumentis insignes solœcismos. Ur. Atqui non sic elaberis, ô bone, Terentiani versus audi:

Ut vade, veni, vota refer, teneto vultum:
Crevisse sonum perspicis & coisse crassum:
Unde Aeoliis litera fingitur digammos.
Qua de numero sit magis una consonantum,
Vocalis in istum mage quam versa sit usum.

Audis hic in exemplis *va*, *ve*, *vu*? quo minus autem posuerit, *vi*, metrum obstitit, quanquam dicere poterat, *videto vultum*, atque in his v mavult esse novam literam Æolicam, quam ex vocali mutatam. Le. Nondum exemisti scrupulum. Præ A. Gellio & Quintiliano contemnere possem Terentianum, & quod ait de digammo, potest ad ultimum exemplum pertinere, videlicet vultum. Nam epigramma nihil me movet. A. Gel-

1 Waecken, weeck, win, wonen.
2 Wit wijt.
3 Vraegen.
4 Wraeken, wringen.
5 Vet, Veet.
6 Weet, wet.
7 Fliech Fliegen, Fresen.
8 Contwijck, Harderwijck, Bruynswijck.
9 Gewelt, waken, wint, windich.
10 Swaer, Sweren, Qwelen, Dwaes, Twee.
11 Vloejen, Vloet, Visch.

Gellii sententiam retuli, Quintiliani verba subtexam. A
[1] *Nostri*, inquit, *praeceptores, cervomque servomque u & o literis scripserunt, quia subjecta sibi vocalis in unum sonum coalescere & confundi nequiret, nunc vu gemina scribuntur, ea ratione quam reddidi, neutro sane modo vox quam sentimus efficitur. Nec inutiliter Claudius Æolicam illam Ⅎ ad hos usus literam adjecerat.* Ex his Quintiliani dictis perspicuum est, fuisse quendam sonum quem nec φ redderet Græcum, nec f Latinum, nec v consonans. Rursus constat v consonans aliud sonuisse in *vado*, *venio*, *video* & *volo*, quam in *rivus* aut *servus*: & hunc sonum Latinis literis notari non potuisse, eoque peregrinam literam a vicinis Æolibus mutuo sumptam, quam δίγαμμον appellant, quæ ne videretur eadem cum f Latina, inversa est Ⅎ. Ea loco utriusque vu, ponebatur in *serⅎs*, B nec alias videtur habuisse locum. Nos autem nihil discernimus v, consonantem, sive præcedat u, sive alias vocales, etiamsi hoc discrimen Quintilianus significat fuisse perquam tenue, *sentimus*, inquiens; & tamen erat aliquod, cujus gratia Romanus Imperator putarit literam aliunde accersendam. UR. Sic urges, quasi meditatus ad hoc certamen accesseris. Cogemur itaque quartum addere sonum, *phu*, *fu*, *vo*, *vu*, ut *ph* in *phuga* spiritum obtineat Græcanicum: f in *fundo* flatum Latinum: v in *volo* crassius quiddam quam f: v, in *servus* longius absit a sono f, quam v, in *servos*, ac propemodum sonet, quod apud Barbaros & olim sonabat w geminatum. Qua C de re satis, opinor, ante dissertum. LE. An satis non liquet. Nam Victorinus tradit Æolicum digamma eandem esse literam quam Hebræi dicunt *Vau*, eamque respondere nostræ v, consonanti: sed libet quod in scholasticis disputationibus solenne est dicere, acquiesco, quo reliqua peragas. UR. De g, igitur dictum est, inter illius cognatas. De h, propemodum convenit inter Grammaticos, e literarum catalogo jure submovendum esse, nihiloque justius videri ut inter literas numeretur, quam si apud Græcos spiritus tonive nota in literarum ordinem accerseretur, quum interim, invitis Grammaticorum centuriis prope dixerim, regnet in mediis literis, præposita vocalibus lenius sonans: rarius enim postponitur in aliquot barbaris & interjectionibus, veluti in D *ah*, *vah*, *oh*, & *proh*, non fine rixa tamen Grammaticorum, cavillantium id per apocopen fieri, quum integræ voces fuerint, *aha*, *vaha*, *ohe*, & *prohe*: aliis dicentibus nihilo magis præcipi posse, quomodo scribendæ sint interjectiones, quam præscribi potest alienis affectibus quorum illæ sunt notæ: consonantibus vero postposita vehementius sonat. Postponitur autem c, t, p. Semper autem ρ apud Græcos, si consonans hæc sit vocis initium, rursus in medio geminatis ρρ, additur posteriori, ut in *choris*, *thymum*, *phyllis*, & *Rhetor*, & *catarrhus*. Nec raro mediis vocalibus interseritur, quo sonus sit vegetior. Siquidem Aulus Gellius citat pervetustos codi- E ces, quos existimabant fuisse Maronis αὐτογράφους, in quibus ait se vidisse versum hunc ex secundo Æneidos libro,

Exultat telis, & luce coruscus aëna.

ita fuisse scriptum, ut superne inter a & e, h litera fuerit annotata, ahena. Similiter in illo versu, *Aut foliis undam tepidi despumat aëni.* Quod idem in *nihil* & *mihi* factitatum, jam prius admonuimus. Adeo vero non est supervacanea, ut Æolum exemplo Latini quoque hujus vice subjiciant f, dicentes, ut modo dictum est, pro *hordeo fordeum*, & pro *hædus fædus*. Latini in Græcis usurpandis non raro vertunt in s, quum pro ὗς dicunt F *sus*, pro ὑπέρβιος *superbus*, pro ἕρπω *serpo*, pro ἑπλὰ *septem*, pro ἓξ *sex*. LE. Mirum istos adeo contempsisse spiritum, quum videamus & arbores diffringi, & tecta subverti, & mare intumescere, & terræ motus cieri spiritu. Verum illud adde, quomodo promendus hic flatus? UR. Quidni superne? LE. Non hinc ambigo, quanquam & ructus superne erumpit: Sed quibus & quomodo temperatis organis? UR. Id in arteria, musculis & faucibus situm est, tam morigeris, ut animo nonnunquam aliud agenti tamen obsequantur. Puer virilem vocem edere non potest, sicut nec mulier, nimirum ob angustiam transitus. At vir constrictis musculis, quum libet, vocem edit puerilem. Et alioqui contractis aut dilatatis faucibus & arteria pro suo arbitratu, magis exilem aut grandiorem emittit. Nec igitur summis labris edendus est flatus, qualem solent, qui pultem plus æquo ferventem refrigerant, nec ab umbilico ducendus, ut solent Germani quidam, tantum efflantes venti, quantum molæ farinariæ circumagendæ sit satis, sed moderate proferendus e faucibus, neque fatigandus pulmo, velut in spiritosis, ac labore anhelis. Sunt enim in quos illud e Satyra possis dicere: *Tunc immensa cavi spirant mendacia folles.* Et sunt rursus qui moleste ferant sibi inhalari spiritum alienum, qui nonnunquam obolet allium, cæpas, aut salsamenta, aut polypum, ut absit scabiei contagiosæ, aut pestilentiæ, alteriusve morbi periculum, quum nullus sit facilior quam per halitum transitus. LE. Unde mihi videtur modestiæ causa natum, quod quidam ore presso loquuntur, quæ res apud Gallos muliercuLis versa est in jocum [2] *oris pusilli.* UR. Ab eadem modestia natum arbitror, quod olim oculis semiclusis invicem intuebantur. Id indicant picturæ nostrates ante annos fere centum editæ, tali forma nobis exhibentes, si quos intelligi volunt ab improbitate vehementer alienos. LE. Emoriar, nisi isthuc in picturis mediocris antiquitatis sæpenumero miratus sum. UR. Verum ut hoc ineptum sit, tamen est in oris & oculorum diductu quædam decora mediocritas. Me puero sese sic stringebant mulierculæ, ut insectas diceres. Ea res quum esset inepta, videbatur quum primis elegans, simulque quod erat consequens, verecundum habebatur quam minimum cibi capere. Ad id enim confert medii corporis strictura. At e diverso parum decorum est mulierem discinctam videri.

Virtus est medium vitiorum utrimque redactum.

Idem observandum in diducendo rictu, in dilatandis faucibus, in promendo spiritu. Peccant qui nihil adspirant, peccant qui adspirant omnia, peccant qui lenius quam sat est, peccant qui plus satis, sed gravissime peccant qui præpostere id faciunt. Nec quivis flatus est adspiratio literaria. Concitatus, anhelus, aut qui procul semotis loquitur, ut solent nautæ rusticique, majore spiritu loquuntur, quam qui cum proximis confabulatur. Verum hoc nihil ad Grammaticum. Alioqui nullius literæ sonus absque spiritu promitur. De spiritu satis videmur nugati. Addamus his, si videtur, reliquas semivocales l, m, n & r, inter quas ρ Dionysius γενναιοτάτην appellat, quum sit asperioris soni. Nam linguæ fastigio in palatum superius vibrato tremulis ictibus fragorem reddit, qualem audimus in lapide magno impetu perpulso funda, aut jaculo balista excusso, aut baculo virgave celeri motu per aerem acto. Unde in dictionibus quibus celeritatem, impetum, aut asperitatem significare cupimus, hanc literam admiscemus, veluti Græcis in ῥεῖν, ῥιπή, κρούω, χειμάῤῥους, τρέχω, τραχὺς, τρόμος, βρέμω: Latinis in *rapio*, *ruo*, *roto*, *fulgur*, *tonitru*, *torrens*, *ructus*, *horror*, *fremo*, *frendo*, *strido*. LE. Itane voces ad rerum quas significant, similitudinem effictæ sunt? Arbitrabar fortuito natas, aut certe pro arbitratu instituentium repertas. UR. Imo referunt ipsis elementis ipsoque sono quod significant, verum nihil est necesse rem totam, ut est, voce repræsentari, satis est aliquam similitudinem apparere: quæ si non appareat, tamen aliquid causæ subest, cur huic rei vocabulum hoc sit impositum. *Bellum* apud nos ominis gratia blanda voce sonatur, quemadmodum apud Græcos Furiæ dicuntur *Eumenides*. Ita qui lenitatem, aut lentitudinem declarant, amant l, ut Græcis λεῖος, λίχειν, Latinis, *lentus*, *labi*, *lenis*, *lubricus*. Quæ vero magnitudinem, m, qua nulla spatio major litera, gaudent, ut Græcis μέγας, μακρὸς, apud Latinos, *magnus*, *mons*, *moles*. LE. Cur igitur leonem dicimus potius quam *reonem*? UR. Vel ominis causa, vel quia in longum porrectum est animal nullius proceritatis. LE. Si vera narras, oportebat cujuslibet rei in quavis lingua idem esse nomen. UR. Nihil est necesse. Quum enim sufficiat qualiscunque rei repræsentatio, potest eadem aliis

[1] Lib. 1. c. 7. Inst. Oratoriæ.

[2] Dicunt πασσαλιμαῖος, *faire la petite bouche*, de iis qui aperte quidpiam fateri nolunt.

aliis atque aliis modis effingi, veluti quum Græce dicis χαίνω, Latine *hio*, Batavice *chápen*, in singulis sentis expressam oris diductionem. Le. At cur μακρὸν & μικρὸν, quum diversa significent, eandem habent consonantem? Ur. Affinitas inter contraria poscebat hoc, sed per a, quod ample sonat: & i, quod exiliter, notatur discrimen. Ad hæc quoniam ejusdem rei multæ sunt qualitates, satis est si ab una quapiam harum sumatur vocabulum, nec absurdum sit, si res eadem lingua pluribus vocabulis signetur. Verum satius est ut hanc disputationem in aliud tempus rejiciamus, vel quia vix habet exitum argutatio, vel quia ad id quod instituimus nihil habet momenti: Alias dabitur ocium, si libebit. Le. Tuo

L arbitratu, sed absolve quod orsus es. Ur. De L, dicam, itaque si linguam valide tendas in eam palati partem quæ dentibus supernis est proxima, moxque diducas os, erumpit blandus ille tinnitus, sonantior tamen in medio ac fine quam in initio dictionis, ut sol, mel, vo-

M lo, lego, nisi quum finit syllabam, ut solvo, salvus. M, vero compressis inter se labiis, mugitum quendam intra oris specum attractis naribus edit, sonantissima in medio duplicata, ut mamma: in fine prorsus obmutescens, unde μύζειν dicuntur Græcis, & Latine mussare, qui tacite loquuntur, nec audent vocem claram edere. Hinc

N & mutum dixerunt Latini. Superest N, quæ ad palati convexum inhærente lingua, gemino naris & oris spiritu vocem explicat, maxime tinniens in medio geminata, & in fine dictionis, aut syllabæ, ut in manna, mandragora & nomen. Unde & tinniendi verbum Latinis, elementi vocem exprimens, fortassis & ganniendi. Docet autem Fabius, olim diu fuisse rarum semivocales duplicare, ut in *alliis*, *lallare*, *Tullius*, *manna*, *sanna* & *curro*: & probabile est veteres sic fuisse loquutos ut scribebant. Nam eam rationem Quintilianus indicat optimam, ut ita scribantur dictiones, quemadmodum sonantur. Contra vocales, ut dixi, productas geminabant. Le. Isto pacto Gallos video posse defendi, qui *palium* dicunt pro pallio, *mama*, pro mamma, *sana*, pro sanna, *anum* pro anno, *panum* pro panno, *torens* pro torrens. Quanquam hoc non in liquidis tantum faciunt. Ex concursu quarumlibet consonantium aliquam elidunt, aut certe obscurant, dum *capa* dicunt pro cappa, *lipus* pro lippus, *batus* pro battus. Ur. Ridiculum fit nunc in nostram pronunciationem adsciscere, quæ Ciceronis etiam ætate erant obsoleta. Nec minus tamen peccant, licet diverso vitio, qui pro simplicibus sonant geminatas, *comma* pro coma, *commedo* pro comedo, *comminus* pro cominus, *collo* pro colo, *bonnus* pro bonus, *curro* pro curo, *rippa* pro ripa, pro pene *penne*, pro anus *annus*, *camellus* pro camelo, *mustella* pro mustela, *suadella* pro suadela. Si vetustas patrocinatur errori, antiquum est & hæc ita sonari. Etenim ni fuisset hic error, Victorinus non rixaretur cum suis discipulis, quod in his dictionibus consonantem perperam geminarent. Quanquam idem auctor indicat, consonantem duplicandam Sicilica notula signari solere, quæ cujusmodi fuerit, nec mihi satis liquet, nec refert quum is scribendi mos

Y jam olim exoleverit. Nihil, opinor, superest præter Y, qua Latini non utuntur, nisi in Græcis dictionibus. Sonum illius fuisse medium inter i & u Gallico more pronunciatum jam indicavimus. Unde non defuerunt, quorum est Victorinus, qui y literam nobis necessariam esse judicarunt, in *gyla*, *mysera*, *proxymus*, *optymus*, *Sylla*: pro quibus nos *gula*, *misera*, *proximus*, *optimus*, & *Sulla* sonamus, quanquam *Sylla* est usitatius. Le. Utinam libeat & illud addere, quod solent literarum doctores. Ur. Quidnam? Le. Ut exemplo proposito præceptiones, velut in speculo nobis ostendas, exigasque, num satis vel intellexerim, vel meminerim quæ tam multa disseruisti. Ur. Nihil gravabor, verum id lingua fieri non potest, nec est unde petamus calamum, atramentum, & chartas. Le. Imitabimur veteres pastores, qui teneris arborum corticibus inscribebant suos amores, spina, opinor, utentes pro stylo. Ur. Non committemus ut cuiquam in nos damni dati sit actio. Est mihi vagina recens, ac versuum aliquot capax, & stylus adest, quanquam non in hunc usum paratus. Le. Utinam sic abuterentur omnes suis armis. Ur. En, scribo:

Optimā quæque diēs mĭsĕrīs mŏrtālibus ævi
Prīma fŭgit, sŭbeūnt mŏrboi, trīstisque sĕnectūs,
Et lăbor, & dīrai răpit inclēmentia mortis.

Nunc audi pronunciantem, oculis in vaginam difixis, auribus ad vocem attentis. Le. Adsum, sona. Ur. Vides & audis in *optima* primam longam & acutam. Le. Naturane, an positu? Ur. Id hoc loco nihil refert, quandoquidem tonus est in antepenultima. Le. Recte. Ur. In secunda syllaba *ti*, audistine sonum medium inter i, & u Gallicum, quemadmodum in *heri*? Le. Plane. Ur. Tertiam vides brevem, addita, veluti semicirculi nota, sursum porrectis cornibus, ne putetur auferendi casus. Le. Video, sed cur media non habet notam? Ur. Quoniam accentus arguit illam esse brevem, Latinis duntaxat, Le. Cur in *quæque*, prior habet circumflexum? Ur. Quoniam natura longa est, nimirum, diphthongus, & syllaba sequitur natura brevis. Le. Quin hic addis notam productionis? Ur. Quoniam tonus ipse demonstrat esse porrectam, qui nisi in longis non habet locum, idque vel in fine, vel in proxima finali. Eadem de causa, *que*, nullam habet notam, quoniam inflexus accentus in eadem dictione non antecedit nisi natura brevem. Le. Sed præstat ut tu me perconteris. Ur. Agam, si lubet, Grammaticum, tu discipuli personam sustine. Le. Hoc sane malebam. Ur. *Dies* cur priorem acuit? Le. Quia sequitur natura longa. Ur. Adde, & præcedit brevis. Quoties enim ultima natura longa est, non refert qualis syllaba præcedat, secus esset si prior esset longa, non positione, sed natura. Nunc sona mihi posteriorem syllabam, *es*. Le. *Diēs*. Ur. Probe, quasi sit geminum *ee*, & sono Gallico. Atqui vulgus non discernit *es* in eo unde est *æris*: in *dies* & *fames*, ab *es* a *sum*. Cur in *miseris* prima acuitur? Le. Quia penultima natura brevis est, eoque notam non habet. Ur. Rursum sona mihi *miseris*. Le. *Miseris*. Ur. Sentis ne te hic bis peccasse? Le. Qui. Ur. Primum *se*, non oportebat aliud sonare inter duas vocales, quam sonat in *sedere*. Le. Exciderat. Ur. Deinde *ris*, sonandum erat veluti duplicato ii, quemadmodum sonas Batavice *glaciem*. Nunc denuo sona. Le. *Misĕrīs*. Ur. Pluchre. Sequitur *mortalibus*. In *mor*, quam vides notam? Le. Brevis, & ejus notulæ dimidium. Ur. Quid sibi vult? Le. Quia syllaba *mor*, positu longa est, non natura. Ur. Unde id doces? Le. In promptu est, quum dicimus *ēmori*. Ur. Quid in *ta*? Le. Virgulam jacentem, quæ doceat natura longam. Ur. Cur præterea nihil? Le. Quoniam syllaba non desinit in consonantem, eoque non habet nisi duo tempora. Ur. *Li*, cur nullam habet notam? Le. Quoniam accentus præcedens, indicat esse brevem. Ur. Quid si dicas *mortalis*? Le. Circumflectam *tā*, natura longam, sequente *lis* natura brevi. Ur. Quomodo sonas *bus*? Le. Non u Westphalico, sed Gallico, nisi quod non itidem porrigo labra, neque profero sonum. Ur. Docilem agis discipulum. *Ævi*, cur priorem non circumflectit, sed acuit? Le. Quoniam sequitur ultima natura longa. Ur. Quid si positu tantum esset longa? Le. Circumflecteretur. Ur. Da exemplum. Le. Ut si dicas *ævum*. Ur. Hic natura brevis est posterior, ut in *Sorex*, *Sōrex*. *Prīma*, cur inflectit tonum? Le. Quoniam natura longa sequentem habet natura brevem. Ur. Quid si dicas, *prima luce*? Le. Acuam primam, & *mā* addam virgulam, *prī mā*. Ur. Quanquam & hoc supervacuum æque atque in brevi, sed *fugit*, cur acuit priorem? Le. Quoniam brevis natura brevem præcedit. Ur. Quid si dicas *fugit heri*? Le. Inflectam *fū*. Ur. Cur? Le. Quoniam natura longa proximam habet natura brevem. Ur. Cur prior in *morbi*, caret nota brevis? Le. Quia producitur. Ur. Quin igitur addita est nota porrectæ, sed brevis & semis? Le. Quia positu longa est, non natura. Ur. Cur prior acutum habet potius quam inflexum? Le. Quia & ipsa positu longa est, & sequitur natura longa. Ur. Unde scis esse positu longam? Le. Quia deduci videtur a moriendi verbo. Ur. Quid sibi vult diphthongus in posteriore? Le. Ut

Ut discernatur a genitivo singulari. Ur. *Tristisque*, cur priorem habet circumflexam? Le. Quoniam natura longa est. Ur. Verum, sed sequitur longa. Le. Positu, non natura. Ur. Unde tonus alter? Le. Ex *que* conjunctione, quæ proximam e gravi facit acutam, quod idem faciunt *ne*, & *ve*. Ur. *Senéctùs*, vides longe aliud sonare ultimam quam in *mortalibus*. Le. Quid ni videam? Hic Gallos imitor excepto tono. Ur. *Et*, cur nullum habet accentum? Le. Opinor quod ut conjunctiuncula adhæret illi quod connectit, quod idem accidit in nonnullis præpositionibus, quæ sic annectuntur suis casibus, quasi sit unica dictio, ut *inarmis*, *inbello*, *exædibus*. Item in dissyllabis, ut *superomnia*, *præteromnes*, *antediem*. Nam in vetustis codicibus etiam scriptura conjungit hæc. Ur. Commodus es discipulus qui vicissim & doces. Quid si *lâbor* inflexisses? Le. Jam ex nomine fecissem verbum. Ur. *Dírai*, cur acuit priorem? Le. Quia longa natura præcedit longam. Ur. Qui fit igitur ut Græci circumflectant μῦσαι? Le. Quia αι, & οι in fine dictionis, pro brevibus habentur, duntaxat quod ad accentus rationem attinet. Ea lex non est apud Latinos. Ur. Cur igitur non scribunt μῦσαις inflexe? Le. Obstat addita consonans. Ur. Cur in *dirai* pro æ scriptum est ai? Le. Ut distingueres genitivum a nominativo plurali. Ur. Quum *mortis* longam habeat ante brevem, cur non inflectitur prior? Le. Quia positu longa est, non natura. Ur. Unde id conjectas? Le. Quoniam a Græco μόρος, & inde mori, ut ante dictum est. Ur. Nunc rursus si libet ausculta me sonantem hos versus:

Optima quæque dies miseris mortalibus ævi,
Prima fugit, subeunt morbi tristisque senectus,
Et labor, & diræ rapit inclementia mortis.

Le. Auscultavi non oscitanter. Ur. Primum, animadvertisne quasdam productas sonare tono acuto, ut *ævi*: quasdam inflexo, velut in *prîma* & *trîstis*. Le. Sensi discrimen. Ur. Deinde breves aliquot acuto tono, ut *díes*, *míseris*, *fúgit*, *lábor*, *rápit*. Le. Qua in re peccant Latini quum Græca pronunciant. Ur. Nec illud te fugit, me aliquanto productius sonuisse natura quam positu longas. Le. Sensi, verum admonuisti, subtile discrimen hoc non servari in metris, quæ suis currunt legibus. Ur. Et in *quæque*, sensisti elidi u, licet non penitus. Le. Sensi & hoc. Ur. Jam in *ævi*, duo sensisti, & diphthongi vestigium, & sonum Æolicæ literæ. Le. Sensi tenue quoddam. Ur. In prima *fúgit*, arbitror animadvertisse te discrimen inter inflexum tonum & acutum. Le. Non hic tantum. Ur. Quin in, *subeunt*, non te latuit, opinor, aliud sonare u, quam in *mortalibus* & *senectus*. Le. Videbar audire ου diphthongum. Ur. Itidem audis in *sunt*, *legunt*, *audiunt*. Evidentius erit discrimen, si tollas liquidam, & *sunt* vertas in *sutor*, & *eunt* in *uter*. Le. Papæ, quantum interest! Ur. Verum hoc ut ante dictum est fortassis excusabit vetustas quæ in hujusmodi *ont* pro *unt* solet scribere, *legont*, *cupiont*. Rursus in *optima*, deprehendisti o semoveri a pt. Sic efferunt Itali, nec liquet quam ob causam, quum sint duæ mutæ. Et incertum an ab opto deducta vox sit, nec satis constat naturane producatur prima, an positu. Le. Quid igitur? Ur. Eas in quibus nec ipsa vocalis, nec diphthongus, nec cognatio dictionum dissolvit ambiguitatem pro natura longis habemus, quemadmodum in *tristis*. Le. Pergratum feceris, Urse, si Græcum distichum tantum, ad eundem modum excusseris. Ur. Est disticho locus, en tibi carmen Hesiodi:

Ἀιδὼς δ' ὐκ ἀγαθὴ κεχρημένον ἄνδρα κομίζει.
Ἀιδὼς ἥτ' ἄνδρας μέγα σίνεται ἠδ' ὀνίνησι.

Nunc oculis observa scripturam, vocem auribus. Le. Istic sum. Ur.

Ἀιδὼς δ' ὐκ ἀγαθὴ κεχρημένον ἄνδρα κομίζει.
Ἀιδὼς ἥτ' ἄνδρας μέγα σίνεται, ἠδ' ὀνίνησι.

Le. Novum pronunciandi genus. Ur. An non alium audis sonum in αι quam in κε, aut in με? Le. Quidni audiam, ni surdus sim? Ur. Audis propemodum eam vocem, quam edunt Suevi sonantes *Cæsarem* sua lingua. Le. Maxime. Nec a prorsus, nec i prorsus, sed tamen utramque agnosco literam. Ur. Deinde in δὼς, audis δ, aliquanto sonare crassius quam d, vulgo sonant Latini. Le. Plane. Ur. Ad hæc, in δὼς, non idem sonat os quod in ὀδός. Le. Audio longam ex duabus oo minutis conflatam. Ur. Quid in ὐκ audisne Gallicum u? Le. Minime. Ur. Italicum? Le. Non. Ur. Westphalicum? Le. Propemodum, nisi quod o magis resonat, ut quum nos dicimus frigidum. Ur. Quid in θὴ? Le. θ feliciter adspiratum, & pro η, propemodum a Zelandicum. Ur. Cur θὴ gravatur potius quam acuitur? Le. Quoniam sensus nullam ibi concedit interspirationem. Alioqui transisset gravis in acutum. Ur. Quid in κε? Le. Idem fere sonat κ quod in κομίζει, nisi quod lingua nonnihil lentescere videtur ad γ. Ur. Tantulum sane dare fas est consuetudini. Nec te fugit hic κε præter naturam suam porrigi, quod a muta liquidaque excipitur. Le. Teneo. Ur. Nec ideo produci μέ, quod habeat tonum acutum. Le. Utramque corripis, μένον priore clarius sonante, posteriore summissius. Ur. Cur in ἄνδρα prior acuitur potius quam inflectitur ἆνδρα? Le. Quoniam positu longa est, non natura. Ur. Atqui Homero est anceps. Le. Sat est alicubi corripi, ut hanc legem effugiat. Nam in ἀνὴρ a breve est. Ur. Jam in κομίζει, nonne aliud sonat vocalis penultima, aliud diphthongus ultima? Le. In ζει audio sonum ex ε & ι conflatum. Ur. Atqui nostro vulgo nihil distinguitur inter θι, χρη, μι & ζει. Le. Sic est. Ur. In altero carmine, in ἥτ' rursus audis a Scoticum & in ὀνίνησι præter η & jota quod suo utcunque sono dignoscitur, quum nos confundere soleamus, ει nihil aliud sonat quam in σίνεται, aliis sonaturis ὀνίνζι. Le. Memini. Ur. Nec ideo corripio penultimum η, quod præcedat acuta brevis, quemadmodum nec in μέγα priorem porrigo, quod tono intendatur, non extendatur. Le. Nihil evidentius, si quis assuescat. Jam ne satis dissertum est, quod attinet ad rectam pronunciationem? Ur. De Rhetorica pronunciatione non institueramus dicere, de Grammatica non ita multum arbitror superesse, si junxerimus distinguendi rationes. Nam & in his peccat vulgatus usus. Nec jam loquor tantum de incisis, quæ commata vocant Græci, deque membris, quæ cola nominant, & de periodis, quæ conclusiones aut circumacta dicas licebit, deque notis horum si scribas: silentii modis, si pronuncies: verumetiam de morulis respirationum, quæ tradi arte non possunt: quandoquidem nec in illis tradendis admodum consentiunt Grammatici, nec perpetuum est quod tradant. Nec enim semper æquale silentium dirimit comma a commate, nec colon a colo. Nec quamvis periodum sequitur æque prolixa respiratio. Quoties enim articuli constant singulis verbis ἀσυνδέτως, neque nihil, & minimum moræ debet interponi, ut, *veni*, *vidi*, *vici*. Sin duabus ac pluribus vocibus, plusculum interponitur moræ, ut, *rem familiarem prodegit*, *famam prostituit*, *genus dehonestavit*, *amicos alienavit*, *patriam prodidit*. Hic commatum cursus quidam, & congeries est. Rursus quum prius comma proponitur velut a percontante, & posterius accinitur velut a respondente, paulo longius silentium intercedet, ut: *Quæ tandem spes est illum fore frugi? Num pudor corriget? Jampridem depuduit: Amicorum consilia? Ne parentibus quidem unquam auscultavit: Ætas grandior? Ea semper addidit nequitiam.* Interdum ipsa incisa habet levem incisionem, velut in illo Musonii dicto: *Si quid turpe feceris cum voluptate, voluptas abit, turpitudo manet: Si quid honeste feceris cum labore, labor abit, honestas manet.* Hic quanquam in utroque membro, post *voluptate* & *labore* est diastole, tamen post *feceris*, & post *abit*, & *manet*, nonnihil est respirationis, quo magis sentiatur ἐναντίωσις. Rursus idem fit in secundo membro. Subtilius est autem quod indicat Fabius in, *Arma*, *virumque cano*: Primam dictionem arma, per hypodiastolen separandam a sequentibus, quum uterque casus referatur ad idem verbum cano, cæterum quoniam virum refertur ad sequentia: nimirum hæc, *Troja qui primus ab oris*, brevissima interspiratiuncula monendus est auditor, sic ut minimum accedat silentio, minimum decedat brevi syllabæ. Unde & ὑποσυστολὴ dicitur, quod brevi quoque nonnihil detrahitur. Quoties enim ex longa fit brevis, ut, *urbemque Fidenam*, systolen vocant Grammatici hoc hyposystolen appellat Fabius, quæ dimidium temporis detrahit syllabæ, & addit silentio. Rursus post hanc clausulam, *Atque altæ mœnia Romæ*, quatuor aut quinque temporum spatio vocem suspendere licebit, ut velut novo exordio subjicias: *Musa mihi causas memora*. Interdum & vox nonnihil immutatur, ubi particulam a sensu divulsam interseris, ut: *Hos illi, quod nec bene vertat, mittimus hædos: quod nec bene vertat*, voce nonnihil immutata sonatur. Obscurius est in illo, *Qui malum*, *alii*. Malum enim, quoniam interje-

terjectionis vicem obtinet, levi submissione vocis distinguendum est, nec non morula, sed brevissima. Cæterum in Adelphis Mitio quum dixisset, *Storax*, clariore voce sonuit, nimirum accersens servum, interposito justo silentio, reliqua mutata voce veluti secum loquitur. Verum hæc persequi non est hujus instituti, & exstant auctores unde hæc qui volet possit petere: quod hic agimus illud est, pueros arcendos a more quorumdam, qui totum sermonem perpetua linguæ volubilitate, &, ut Græci dicunt, ἀπνευστὶ pronunciant, quod in Gallis potissimum mihi videor animadvertisse, nonnullis etiam hoc, ceu virtutem, affectantibus. Rursus alii singulas pene voces longa interspiratione, aut etiam tussi gemituve dirimunt, nec ullum tam leviter incisum occurrit, ubi non diutius intersilescant. Sunt autem voces quæ se nullo silentio interposito patiuntur conjungi, ut *cumprimis*, & *homo prædives*, *oratio benelonga*, *vir malesanus*, quasi compositæ sint. Rursus aliæ non patiuntur, ut *uxor jussit suo nomine tibi salutem dicerem*: *uxor* a *jussit*, tenui discrimine separandum est, atque etiam *jussit* a pronomine suo, ob collisionem consonantium: *suo nomine*, probe sibi cohærent. At id magis faciendum in duplicibus, duplicatis, aut concursu duplicatarum, ut *sincera pax xenia non moratur*, & *pons struendus*: inter *pax* & *xenia*, inter *pons* & *struendus* distinctio vere duo requirit tempora. Et, *Declarant studium in nos suum*: Inter *declarant* & *studium*, vix sufficit interposuisse tempus unum. Le. Deum immortalem, quam operosa res est emendate loqui! Ur. Ex his conjicias licebit cætera. Nam, ut diximus, innumeræ sunt causæ quæ vel continuationem suadent, vel incisionem dictionum & partium. Le. Haud prorsus alienum sit ab hoc argumento, de distinctionum notis nonnihil attingere. Ur. Optarim in his typographos consentire. Nunc variæ feruntur, nec pares tamen varietati distinguendæ vocis. Theodorus Gaza eodem puncto distinguit triplicem pronunciationem, perfectam puncto in medio spatii posito, imperfectam in imo, mediam in summo. Verum hic ut facilis est scribarum lapsus, ita & pronunciantium falli possunt oculi. Malim notulas variam habere figuram, ut minima interspiratiuncula, qualis est post vocandi casum interdum, signetur puncto inflexo, ad imum dictionis: paulo major distinctio duobus punctis, quorum alterum ad latus additum modice flectatur deorsum: principale vero comma quod secat orationem notetur duobus punctis, quorum superius inferiori immineat. Cæterum ubi jam non pendet constructio, sed additur aliquid sententiæ, punctum addatur imæ dictioni. Totam periodum absolutam, signent duo puncta quorum inferius fluat deorsum, quæ Græcis nota est interrogandi. Si quid extra ordinem interjicitur quod velut ab alio interloquente dictum, submissiore voce sonari solet, lunulis duabus dimidiatis signant quidam. Interrogationem nota Græcorum inversa signant Latini. Hic existit scrupulus, quæ sit vera interrogatio. Quoties negamus per interrogationem, quidam non putant addendam notam. Multo minus quum percontandi specie dubitamus aut miramur. Hæc differentia videtur & alteram notam desiderare, quæ sic fingi posset, unico puncto sursum inflexo. Jam si illud quoque conveniat, ut omnes ad singulas notas vocem accommodent, non parum erit commoditatis vel iis qui dictant aliis scribenda, vel iis qui collatione, codices emendant, vel iis denique qui publice recitant aliquid. Le. Et breviter & dilucide rem expedisti, nec amplius abs te requiram, si exemplum subjeceris. Ur. Ausculta ergo. *Si mihi carissime nepos, daretur optio, malim brevem vitam cum honestate: quam longam cum infamia. Propterea quod nulli mortalium vita longa possit contingere, memoria vero (quæ vera est hominis vita) in multa secula aporrigatur. Quid vero humana vita fugacius: contra quot seculorum millibus quorumdam fama durat?* Le. Nihil prætermisisti. Ur. Illud tamen admonendus es, ut commata, ita & hypodiastolas & hypostigmas posse plures in eadem periodo incidere. Nam quemadmodum ea pars quæ præcedit comma principale, aut etiam colon, potest habere plures minutas distinctiunculas, ita & ea quæ sequitur: omitto nunc illas notulas quæ monent syllabas ac dictiones dividendas, quæ male conjungerentur. Le. Recte, sed probas ne quorumdam, meo judicio, morosam diligentiam, qui Græcorum exemplo Latinis dictionibus adscribunt spiritus ac tonos, ac præter illorum exemplum, etiam porrectionis aut correptionis notas addunt, h quoque e literarum ordine submota, hujus vice notulam superscribunt adspirandæ literæ? Ur. Superstitiosum scribendi genus audio. Le. Non defuere tamen apud Italos, qui genus hoc invehere moliebantur. Si pateris addam exemplum tuæ vaginæ. Ur. Vel totam occupa. Le. Distichon sat erit:

Ōmnĭă sūnt hŏmĭnūm tĕnŭī pēndēntĭă fīlō,
Ēt sŭbĭtō cāsū quæ vălŭērĕ rŭūnt.

Quid tibi videtur? Ur. Hic illud vetus occurrit, μηδὲν ἄγαν. Primum h, jam tot seculis receptam, quid attinet tollere? Deinde signare temporum minutias, nimis curiosum mihi videtur: tonos & productiones aut correptiones in his notare, in quibus causa quæpiam hortatur, probo. Le. Quot causas adferunt? Ur. Tres potissimum, distinctionem, ambiguitatem, & necessitatem. Distinctio & ambiguitas, quarum illa videtur habere locum in unica dictione, altera in duabus, pluribusve, suadet addi notam mutati accentus, ut quum dicimus, ponè ratem, ultimæ tonum addimus, ut ponè intelligatur esse præpositio, idem valens quod juxta: non imperativum a pono. Nam pône metum, habet priorem circumflexam. Rursus, penè rem patriam perdidit, quum adverbium intelligi volo, posteriori tonum addo: quum membrum obscœnum, priorem inflecto, pêne rem perdidit. De lâbor & lábor ante dictum est. Le. Memini. Ur. Idem licet in palàm dedit, adverbium indicans, addo tonum in fine: si est instrumentum rusticanum, aut anuli pars, priorem inflecto. Nec eodem modo sono, quum improbum & efferatis moribus ajo féræ similem: & quum eum qui non multum abest a forma alterius, dico ferè similem. Ad eundem modum quantitas distinguit dictionem: cēdo, unde cecidi, longam habet & acutam: cedo unde cessi, non habet quo discernatur, nisi forte tono cêdo: sed ab hoc, cĕdò, quod pro dic interdum usurpatur, rursus nota brevitatis discernitur. At cécidi a cado, primam habet acutam: a cedo, penultimam cecídi. Item profécto participium est, profectò adverbium affirmantis: & vúlgo verbum est, vulgò nomen sive adverbium. Cérto verbum, certò adverbium. Fálso nomen, falsô adverbium, tametsi quidam hoc malunt circumflectere: úna nomen, unà adverbium: ōs, unde oris: & ŏs, unde ossis: & ôra ab os, & óra verbum: érgo conjunctio, & ergô nomen pro gratia. Illius ergô venimus. Ita distinguimus raûce & spûrce vocandi casum, & ráuce, spúrce adverbium: lége verbum a lêge nomine: vénimus & vênit præteritum, a venîmus, & vénit præsenti: & divûm a dívum, & deûm a déum, & numûm a númum genitivos ab accusativis. Hujus generis exempla sunt infinita. Necessitatis exemplum adferunt, quum dicimus intereá loci, in adverbio transferentes tonum ab antepenultima prioris dictionis in ultimam, & proximam dictionem suo tono spoliantes, ut auditor admoneatur, intereáloci, nihil aliud valere quam interea. Nam loci, festivitatis causa adjungitur. Hujus farinæ sunt, maléficus, malesânus, sicut malesuâda, ádmodum, propémodum, ínvicem, propédiem, índies. Idem fit quoties ex præpositione & adverbio conflatur dictio, próinde, déinde. Similiter in conjunctionibus enímvero, eténim, síquidem, quandóquidem. Nec ideo statim corripio, ve penultimam in enimvero si nim, præcedentem syllabam acuo. Alii necessitatis exemplum producunt, quum dicimus, homo probus doctus'que, ut intelligas, que, conjunctionem adhærere proximæ dictioni præter rationem accentuum, posteriorem syllabam acuo: & si plurium syllabarum sit dicto, geminum addo tonum, ut ómnium'que. Aliter enim effero, ómnium quæ fecit rationem reddidit: aliter, patris ómnium'que cognatorum favorem amisit. Le. At vereor ne quis nos hebetes stupidosque vocet, si non queamus ex ipso sensu dijudicare, in, *Falso queritur genus humanum*: *falsò* adverbium sit, an nomen, an participium. Aut in illo, *Nunc scio quid sit amor*: amor, nomen sit an verbum. Ur. Sit hoc sane perspicuum mediocriter eruditis, at frequenter sic incidunt ut semidocti labantur, docti nonnihil hæsitent. An non rectum fuerit illorum errorem, horum cunctatiunculam exiguo negocio redimere? Vulgo quantum operæ perit in adjectitiis literarum flexibus & lascivientibus lineis? Quanto facilius est addere virgulam? quæ ut doctis nihil officit, ita pueris & illi-

illiteratis est necessaria. Rudis enim ætatis hic negocium agimus potissimum. His quum dictamus, ab his quum exigimus dictata, quum scripturam emendatam exposcimus, tum hæc supervacanea videri non possunt. Nec tamen in his mihi probatur anxia superstitiosaque cura, præsertim ubi res agitur seria, quod non hic tantum præcepit ille scriptorum omnium diligentissimus Quintilianus, sed eum qui bene scribere nititur, curiosum non esse, sed fuisse oportet, quemadmodum, ait Seneca, *quadam didicisse oportet, non discere*. Tum demum gratiam habet in arte negligentia, si successit immodicæ diligentiæ, ita ut curam remissam sentias non omissam. Hæc, nimirum, est illa *docta negligentia*, quam Terentius mavult æmulari, quam aliorum *obscuram diligentiam*. LE. At sunt qui putant a [1] magnis auctoribus rectissime dictum, *scientiam mihi servans, usum sequor*: &, *sapiendum ut pauci, loquendum ut plures*. UR. Isthuc tum fortassis erat aliquid, quum sermonis jus adhuc penes populum erat, quumque ritu foliorum cadentium vicissim ac subnascentium nova verba gigneret, dejiceretque quæ fuerant in honore vocabula pro suo arbitrio popularis usus. Quanquam nec Cicero, nec Quintilianus loquuti sunt ut plures: Nec enim vulgo receptus error, usus nomen promeretur. Nunc vero nihil rei nobis est cum populo: a doctis petitur omnis loquendi ratio. LE. A quibus tandem, & quo seculo natis? UR. Hic tibi pro me respondet vetus Græcorum proverbium, [2] οὔτε πάντα, οὔτε πάντῃ, οὔτε παρὰ πάντων. A Cicerone nemo negat optimum loquendi exemplar peti, nec inficiari possumus eo seculo dicendi genus incorruptissimum fuisse, quo jam & horror ille nimium priscæ vetustatis abesset, & nondum degenerasset Romanæ linguæ sinceritas. Non tamen ab uno Cicerone petam omnia, nec statim quicquid illi placuit, pro optimo duxerim, ut *rissi* dicere malim quam *risi*, quia sic ille fertur scribere solitus, nec rejiciam si quid vetustiores aut recentiores porrexere melius. LE. Nunc quibusdam putet quicquid in libris Ciceronis non deprehenditur. Rursus aliisi quam scripturam in cariosa charta, aut in saxo vetustate semeso, aut in nomismate pervetusto reperiunt, eam vocant in exemplum dicendi scribendique. UR. Equidem hoc hominum genus ridere soleo, non odisse. Delectant enim nos antiquitatis studio, nonnunquam & prosunt. Non permittam autem illis, ut e suis deliciis, loquendi leges nobis præscribant. Siquidem orthographiæ ratio nec eodem seculo fuit eadem apud omnes. Et tamen obsoleta loco intermixta suam habent gratiam, veluti quum citamus priscorum dicta, aut ad illa alludimus. Tum si quid desiderabitur in supellectile Romani sermonis, quod apud Ciceronem non reperiatur, haud verebor ex Catone, Varrone, Pliniis, Quintiliano, Seneca, Suetonio, Quinto Curtio, Columella, sumere mutuo: Si ab his quoque destituor, superest Græcorum sacra anchora. LE. Nihilne igitur petendum ab horum temporum consuetudine? UR. Quid ni, si quid habeat recti? Vides quam multa sumpserimus ex Gallorum, Germanorum, Britannorum, Italorum vulgari pronunciatione. Et si mihi disputandum esset in scholis publicis, ineptus essem si nihil tribuerem ibi receptæ consuetudini: Præstat enim balbutire cum balbis, quam & rideri, nec intelligi. Attamen ita cedendum est consuetudini, ut Medicus cedit morbo, paulatim allevians, quando semel non potest tollere. Et nunc in scholis feruntur, quæ ante annos triginta fuissent explosa: Adeo quædam facilius elabuntur quam expelluntur. Quis olim tulisset in templis pronunciantem *Timótheus* antepenultima acuta? Aut, *kyrie eleeson*, septem syllabis, & absque diphthongo? Aut *Christè* sonantem pro *Christe*? Nunc probantur etiam, non modo feruntur. Cæterum illa debet esse curarum prima, ne puer Græce Latineve pronuncians, ex vulgari sermone vitia trahat, quorum minimum esse ferunt apud Romanos, plurimum apud Gallos, plus satis apud Germanos, nonnihil & apud Hispanos. Anglis in ratione pronunciandi, secundum ipsos, primam laudem tribuunt Itali. Sed quid risisti Leo? LE. Rugire leonum est, non ridere. Dicam tamen quæ res in mentem veniens mihi risum excusserit. UR. Narrato, quæso, ut ipse quoque tecum rideam. LE. Dicam. Non admodum diu est, quod me forte præsente Maximilianus Cæsar, ab aliquot Oratoribus salutaretur, quod ex more magis quam ex animo nonnunquam fieri solet, quorum unus erat Gallus, natione Cenomanus; nomen non exprimam, ne videar hominem notare cui benevolo. Is orationem ab Italo quopiam, ut arbitror, compositam, nec male Latinam, adeo Gallice pronunciavit, ut Italis aliquot eruditis qui tum aderant, Gallice non Latine dicere crederetur. Nominare possim ex illis aliquot tibi non ignotos. Quum is perorasset, non absque incommodo: Nam in media dictione sibi exciderat, turbatus, ut conjicio, risu circumstantium: quærebatur qui ex more responderet, idque ex tempore. Nam Galli oratio præter exspectationem acciderat. Protrusus est ad hoc negocii Doctor quidam aulicus. UR. Unde id liquebat? LE. Pileum gestabat suffultum candidis pellibus. Hoc signi. Is hunc in modum orsus est, *Cæsarea maghestas pene caudet fidere fos, & horationem festram lipenter audifit*, aliaque tanto spiritu, tamque Germanice, ut nemo vulgari lingua dicens, possit magis Germanice. Hunc major excepit risus. Sequutus est Orator Daniæ, quanquam is qui dicebat videbatur Scotus, mire referens ejus gentis pronunciationem. Huic oppositus est Zelandus quidam, dejerasses neutrum loqui Latine. UR. Quid interea Cæsar, potuit ne tenere risum? LE. Assueverat hujusmodi fabulis, nec erat ullius linguæ rudis. Verum hæc eo dico, quo tua dicta confirmem, nihil prius curandum quam ut puer dediscat vitia linguæ gentilitiæ. Superest ut indices quibus id rationibus quam ocyssime & quam felicissime fieri possit? UR. A psittaco licet exemplum sumere. Crebro occinitur meditanti, ac subinde exigitur quod didicit. Si indocilis est, domatur ferula, reddenti quod accepit, cibus præmii loco est. Adhibendus qui linguam habeat emendatam, is admonitus quomodo præeat, conantem adjuvet, feliciter reddentem collaudet, relabentem in veterem consuetudinem crebro corrigat: mensis unus totum hoc negocium absolvet. Profuerit si puer sodalibus utatur minime balbis, sed incorrupte explanateque loquentibus. LE. Rationem probo, nisi quod interim periculum est, ne, quoniam perpauci sunt emendate loquentes, post cogatur quod magno sudore didicit, majore dediscere, itaque fiet ut nec Italis placeat, nec suis. UR. Quod scholis accidit, idem eveniet omnibus cæteris, optima placebunt si non omnibus, certe quamplurimis. Et tamen non improbarim, si cui tanta naturæ dexteritas obtigit, ut quemadmodum Polypus colorem ad loci subjecti speciem, ita Rhetor vocem ad auditorum aures pro tempore accommodet. LE. Quibus rebus fiet, ut contingat emendata pronunciandi celeritas, præsertim in Græcis, quæ fere grandiores hodie discimus? UR. Quid assequutus sim nescio, quid quomodo conatus sim aperiam. Cur enim quicquam arcani celem talem amicum? LE. Muto dixeris. UR. Ut tamen aurito. Posteaquam literas, syllabas, ac dictiones Græcas satis eram meditatus, ad parandam inoffensam celeritatem his artibus utebar. Adjunxi me quibusdam, quos existimabam castigatissime sonare, finxi me codicum duorum collatione velle castigare librum, persuasi id utrisque fore commodo: quum in hoc, ut utriusque codex ex alterius comparatione fieret emaculatior, quemadmodum manus manum fricat: tum ad eruditionem. Sic autem convenit, ut alternis vicibus recitaremus & auscultaremus. Principio lentior erat recitatio, deinde, quemadmodum solet, incalescens paulatim lingua sponte ferebatur ad celeritatem. Si mihi cum doctiore res erat, tantum orabam, ut secus quam oporteret sonantem admoneret: Ipse recitantis linguam arrectissimis auribus observabam, oculis in codicem fixis. Si quid esset recitatum difficilioris soni, fingebam me non satis percepisse, rogabamque ut repeteret, quo certius ejus syllabæ sonitum infigerem animo. Quum ille jam recitando defessus esset, & ad me recitandi vices rediissent, illius linguam pro viribus imitabar, reprehendenti gratias agebam. Si cum pari negocium esset susceptum, æquis legibus paciscebamur, ut uterque alterum revocaret errantem. Ad hoc munus interdum natione Græcum mercede conduxi, licet alioqui parum eruditum, propter nativum illum & patrium sonum. Tametsi doctos aliquot nactus sum, quorum pronunciationem ego sane Græcorum quorundam elocutioni non dubitem anteponere. Huic exercitationi datum est trimestre spatium. Nec ullius operæ me minus pœnituit unquam. Nec enim simplex erat hujus laboris utilitas. Excepta siquidem exercitatione pro-

1 *Cicero.*
2 *Neque omnia, neque omnino, neque apud omnes.*

nunciandi, primum ipsa lectio præterquam quod erat alacrior ac vigilantior, quam si solitaria fuisset, habebat & illud commoditatis, licebat sciscitari, si quid parum intelligerem. Nam & imperitior sæpenumero tenet, quod doctiorem fugit. Et nescio quo pacto fit, ut acrius meminerimus, quæ recitari audimus, quam quæ taciti legimus, interdum semisomnes. LE. Nihil verius. UR. Hac arte evolvimus seu revolvimus potius totum Demosthenem, totum Plutarchum, totum Herodotum, Thucydidem, Homerum & Lucianum. Nec his contentus, adscivi mihi sodalitatem aliquot φιλελλήνων. Conditæ leges ne quis super cœnam, nisi Græce loqueretur, παρανόμω multa dicebatur pecuniaria, si quis Latine dixisset absque veniæ præfatione, assis: si Græce quidem, sed inemendate, assis dimidium: si bis ad eundem impegisset lapidem, hoc est, si delaberetur in eum errorem, cujus ante fuisset admonitus, drachma. LE. Quomodo successit res? UR. Initio submoleste, ne dicam dolo, verum pauculis diebus successit facilitas, mox & jucunditas non sine fructu maximo. His artibus hanc quantulamcunque dicendi legendique promptitudinem sum adeptus, ad quam tuendam plurimum confert aliis prælegere bonos auctores. LE. Optarim tibi fortunam exiliorem. UR. Etiamne exiliorem, quum pene nulla sit? Quo meo merito mihi precaris tantum mali? LE. Præficerem te meo leunculo. UR. Næ tu plane, quod dici solet, bovi clitellas, aut si quid est ineptius. Quod si literator esse possem, habeo domi quos doceam. Verum hanc operam tibi polliceor, mi Leo: Tu quod potes dispice si quem nancisci poteris idoneum huic provinciæ, ego vicissim circumspiciam, si quid queam: & collatis in commune nostris consiliis prospiciemus catulis nostris, ut ex hominibus nati videri queant. LE. Habeo gratiam, Urse, quantum possum maximam, relaturus etiam ubi ubi dabitur & opportunitas & facultas. Quam tibi Leonis occursus fuerit felix nescio: mihi tales Ursos optarim sæpius occurrere. Onustus tuis officiis domum redeo. UR. Nec ego nihil aufero bonæ farcinæ. Par pari relatum est. LE. Unum te velim adjungere tam multis in me benefactis. UR. Quodnam? LE. Istam vaginam optarim esse meam. UR. In quem tandem usum? LE. Ne mihi excidant isti versus tam belle picti. UR. Quid ni? ut cum Samiis rideas literatus miles. LE. Ego vero sic vel literatissimus haberi cupiam: & si proficiscar in bellum, nolim ullam armorum partem esse mutam, sed & vaginam, & ensem, & capulum, & arcum, & sagittas, & lanceam, & bombardam, & galeam, & thoracem, & baltheum, & clypeum optarim habere literarum nonnihil, quod me alicujus bonæ rei admoneret. Sin domi sit agendum, cuperem totam undique loquacissimam esse, sic ut & postes, & ostia, & fenestræ, & singulæ tessellæ vitreæ, & trabes, & laquearia, & pavimenti lateres, & parietes, ad hæc & supellex universa, lodices, cortinæ, aulæa, mensæ, sellæ, mantilia, disci, canthari, cyathi, cochlearia, pelves, ollæ, chytropodes, aliquid loquerentur quod expediret non oblivisci: tantum abest, ut me puderet istius vaginæ. UR. Ajunt inauspicatum esse, si quid hujusmodi rerum, quæ adversus hostes gestantur, amicus donet amico. Hoc ominis ut vitemus, ex donatione commutationem faciamus. Da tuum ensem & accipe meum: sitque hoc pignus inter nos initi literarii fœderis. LE. Quod nobis utrisque nostrisque catulis bene vertat, accipio quod offers: Musis, uti spero, bene fortunaturis.

DE PRONUNCIATIONE DIALOGI

FINIS.



CICERONIANUS,

SIVE

DE OPTIMO DICENDI

GENERE

DIALOGUS;

AUCTORE

DESIDERIO ERASMO

ROTERODAMO.

DESIDERIUS ERASMUS ROTERODAMUS

ORNATISSIMO VIRO, JOANNI VLATTENO,

S. D.



ARDUUM in primis, planeque Regium munus est, vir ornatissime, prudentibus fidisque consiliis Reipublicæ prospicere, quod nimirum intelligens Homerus eum, penes quem erat summa rerum, βουληφόρον [1] appellat: nec alii mortalium ulli præclarius de civitatibus ac regionibus merentur, cum omni quidem tempore, tum vero præcipue hoc seculo, quo nescio quo fatali tumultu, sursum deorsum miscentur omnia, sive Christianæ Religionis statum inspicias, sive Monarcharum ac Rerumpublicarum conditionem reputes, sive studiorum ac literarum rationem intueare, omnibus sic perturbatis ut non alio tempore verius fuerit illud Græcis celebratum, [2] ἱερὸν ἡ βουλή. Te vero in hoc pulcherrimo negocio summa fide, mira vigilantia, parique dexteritate versantem interpellare, fortassis improbum, aut impium etiam videatur: sed quoniam arbitror non sine causa præcipere Flaccum: Misce stultitiam consiliis brevem; en adest ab Erasmo tibi libellus, qui suis nugis aliquantisper avocet animum tuum a gravibus tetricisque negociis. Quanquam hæ nugæ sunt ejus generis, ut quemadmodum ait idem, seria ducant: tantum autem abest, ut nihil attineant ad Rempublicam, ut ad te quoque peculiariter spectent, qui rei scholasticæ apud Aquisgranos summam curam susceperis. Multorum enim partim ignavia, partim sinistris moribus fit, ut bonæ literæ, quæ sat feliciter cœperant efflorescere, jam passim vergant ad interitum, & quasi sit hoc parum, exstitere pridem, qui nobis veluti novam sectam moliuntur invehere: Ciceronianos sese vocant, intolerabili supercilio rejicientes omnium scripta, quæ Ciceronis lineamenta non referunt: & adolescentiam a cæterorum scriptorum lectione deterritam ad unius M. Tullii superstitiosam æmulationem adigunt, quum nulli minus exprimant Ciceronem quam ipsi, qui se hujus tituli fumo molestissime venditant jactitantque. Quanta vero studiorum pernicies, si persuasum fuerit neminem, præter unum M. Tullium, vel legendum esse, vel imitandum? Subolet autem & aliud hujus nominis prætextu geri, nimirum ut pro Christianis reddamur Pagani, quum ego nihil prius agendum existimem, quam ut bonæ literæ, Christi Domini Deique nostri gloriam, ea sermonis copia, splendore, nitoreque prædicent, quo M. Tullius de rebus profanis dicere solitus est. Et animadverto juvenes aliquot, quos nobis remittit Italia, præcipue Roma, nonnihil afflatos hoc affectu. Visus itaque sum mihi rem facturus nec inutilem ad pietatem, & studiis adolescentiæ conducibilem, si lucubratiunculam unam huic rei darem, non ut eloquentiæ candidatos a Ciceronis imitatione deterream: quid enim insanius? sed ut ostendam quo pacto fieri posset, ut vere Ciceronem exprimamus, & summam illius viri facundiam cum Christiana pietate copulemus. Argumentum hoc Dialogo tractavimus, quo simul & minus esset tædii lectoribus, & res facilius illaberetur in affectus juvenum. Bene vale. Basileæ postridie Idus Februarii, Anno M D XXVIII.

[1] Consiliarium. [2] Sacra res est consilium.

DE.

DESIDERII ERASMI ROTERODAMI

DIALOGUS

CUI TITULUS CICERONIANUS, SIVE, DE OPTIMO DICENDI GENERE.

PERSONÆ.

BULEPHORUS, HYPOLOGUS, ET NOSOPONUS.



ULEPHORUS. Quem video nobis procul in extrema porticu deambulantem? Nisi parum prospiciunt oculi, Nosoponus est vetus sodalis, & studiorum σύντροφος. HYP. An hic est ille Nosoponus, olim congerronum omnium lepidissimus, rubicundulus, obesulus, Veneribus & Gratiis undique scatens? BV. Is ipse est. HYP. Unde hæc nova species? Larvæ similior videtur quam homini. Num quis hominem habet morbus? BV. Habet gravissimus. HYP. Quis obsecro? Num hydrops? BV. Interius malum est, quam in cute. HYP. Num novum hoc lepræ genus, cui vulgus hodie scabiei nomine blanditur? BV. Et hoc interior hæc lues. HYP. Num ptysis? BV. Penitius insedit malum quam in pulmone. HYP. Num phthisis aut icterus? BV. Est quiddam felle interius. HYP. Fortasse febris in venis & corde grassans. BV. Febris est, & non febris, interius quiddam adurens quam si febris in venis aut corde grassetur, ab intimis animi penetralibus quæ in cerebro sunt proficiscens. Sed desine frustra divinare, novum mali genus est. HYP. Nondum igitur habet nomen? BV. Apud Latinos nondum, Græci vocant Zeloduléan. HYP. Nuper accidit, an χρόνιον est malum? BV. Annos jam plus septem eo tenetur miser. Sed heus, conspecti sumus. Videtur huc gradum flectere, melius ex ipso cognosces quid sit mali. Initio Davum agam, tu fac orationi subservias, & fabulæ partem agas. HYP. Equidem id faciam sedulo, si norim quid mihi deleges. BV. Percupio veterem amiculum tanto levare malo. HYP. Etiamne rem medicam calles? BV. Scis esse dementiæ genus, quod non totam mentem adimit, sed unam modo partem animi lædit, verum insigniter, veluti sunt qui sibi videntur capite taurina gestare cornua, aut naso prælongo onusti, aut ingens idque fictile portare caput exili collo innixum, mox comminuendum, si se vel tantulum commoveant, nonnulli sunt, qui, quoniam se mortuos arbitrantur, vivorum exhorrent congressum. HYP. Desine, novi istud morbi genus. BV. Ad his medendum non alia via commodior, quam si te simules eodem teneri malo. HYP. Isthuc audivi frequenter. BV. Id nunc fiet. HYP. Hujus fabulæ non modo spectator, verumetiam adjutor lubens fuero. Nam homini cum primis bene volo. BV. Ergo compone vultum & sume personam, ne quid illi suboleat rem de composito geri. HYP. Fiet. BV. Nosoponum etiam atque etiam salvere jubeo. HYP. Et Hypologus Nosopono salutem dicit. NO. Equidem vobis ambobus paria vicissim precor. Sed utinam adsit quod optatis mihi. BV. Non abesset, si nobis tam esset in manu dare, quam est optare. Sed quid est rogo te mali? Nam ista facies ac macies nescio quid sinistri pollicentur. Apparet hepatis esse vitium. NO. Imo cordis, vir optime. HYP. Bona verba. Siquidem malum immedicabile narras. BV. Nullane spes in Medicis? NO. Ab humanis præsidiis nihil est quod sperem. Numinis opus est ope. BV. Atrocem morbum narras. At cujus tandem numinis? NO. Est Diva, quæ Græcis dicitur πειθώ. BV. Novi Deam flexanimam. NO. Hujus amore depereo, emoriturus ni potiar. BV. Haud mirum, Nosopone, si contabescis. Novi quam sit res violenta Cupido, & quid sit esse νυμφόληπτον. Sed quam pridem te corripuit amor? NO. Anni sunt ferme decem, quod hoc saxum volvo, nec adhuc succedit. Itaque certum est, aut immori negocio, aut assequi tandem quod amo. BV. Tenacem pariter atque infelicem amorem narras, qui tot annis nec elabi potuerit, nec copiam adamati fecerit. HYP. Fortassis hunc Nymphæ suæ copia discruciat magis quam inopia. NO. Imo inopia maceror infelix. BV. Qui potest? Quando sic hactenus omnium unus excelluisti, dicendi facultate, ut pleri- A que de te prædicarent, quod olim de Pericle dictum est, *Suadelam in tuis sessitare labris*. NO. Ut paucis dicam, mihi putet omnis eloquentia, præter Ciceronianam. Hæc est illa Nympha, cujus amore colliquesco. BV. Nunc affectum intelligo tuum. Speciosum illud & amabile *Ciceroniani* cognomen ambis. NO. Adeo, ut ni consequar, vitam mihi acerbam existimem. BV. Prorsus mirari desino. Ad rem enim omnium pulcherrimam animum adjecisti, sed nimium verum est quod dici solet, [1] δύσκολα τὰ καλά. Jam tuis votis in meipso faveo, si quis Deus propitius nos respiciat. NO. Quid rei est? BV. Dicam si potes rivalem perpeti. NO. Quorsum ista? BV. Ejusdem Nymphæ me discruciat amor. NO. Quid audio? Teneris eadem cura? B BV. Ut qui maxime, & indies accrescunt flammæ. NO. Isto quidem nomine mihi carior es, Bulephore, ut quem hactenus semper in primis dilexi, nunc etiam amare incipiam, posteaquam conveniunt animi. BV. Fortasse nolles isto levari morbo si quis herbis, gemmis, aut incantamentis opem polliceatur. NO. Isthuc esset occidere, non mederi. Aut moriendum est, aut potiundum, nil medium est. BV. Ut facile tuum affectum ex meo divinabam. NO. Nihil itaque te celabo, velut iisdem mysteriis initiatum. BV. Tuto quidem isthuc feceris, Nosopone. NO. Me non solum pulcherrimi cognominis splendor sollicitat, verumetiam Italorum quorumdam procax insultatio, qui quum nullam omnino phrasim probent præter Ciceronianam, summique probri loco ducant, negari quempiam esse Ciceronianum; C tamen hujus cognominis honorem ab orbe condito nemini Cisalpinorum contigisse jactitant, præterquam uni Christophoro Longolio, qui [2] nuper e vivis excessit. Cui ne videar hoc laudis invidere, idem ausim de illo prædicare, quod de Calvo scripsit Quintilianus, *fecit illi properata mors injuriam*. HYP. Imo non tam illi quam optimis studiis præpropera Longolii mors fecit injuriam. Quid enim ille non potuisset nobis in bonis literis restituere, si tali ingenio, tali industriæ justum vitæ spatium addidissent Superi? BV. Verum, quid vetat, quo minus quod uni datum est, Musis faventibus, obtingat pluribus. NO. Ille huic pulcherrimo facinori immortuus est, mea sententia felix. Quid enim pulchrius, quid amplius, quid magnificentius, quam Cisalpinum hominem Italorum suffragiis appellari Ciceronianum? BV. Gratulandum arbitror illius felicitati, qui suo D tempore decesserit, priusquam hanc gloriam aliqua nubecula offuscaret, vel ob Græcarum literarum studium, cui se dicare cœperat: vel ex Christianis auctoribus oborta nebula, a quibus fortasse non satis constanter abstinuisset, si diuturnior vita contigisset. BV. Sic est, ut ais, illi pulcherrimo facinori immori datum est. At mihi spes est futurum, ut huic pulcherrimo facinori superstimus etiam, non immoriamur. NO. Quam faveo tuis votis. Dispeream, ni isthuc malim, quam in Divorum adscribi numerum. BV. Quis enim non malit apud posteros celebrari Ciceronianus quam Sanctus? Cæterum quando hoc amoris genus zelum nescit, obsecro te perque curas, perque spes, mihi tecum communes, ut pariter amanti saltem consilium tuum impartias, quibus rationibus tu tuam, amicam ambias. Fortasse citius perveniamus ambo, si uterque alteri fuerit auxilio. NO. Mu- E sæ nesciunt invidiam, multo minus Gratiæ Musarum sodales. Studiorum socio, nihil negandum est, & amicorum oportet esse communia omnia. BV. Plane bearis me, si id feceris. HYP. Quid si me quoque in vestrum contubernium recipiatis? Sum enim jampridem eodem œstro percitus. NO. Recipimus. Ergo velut eidem initiatis Deo, retegam mysteria. Jam annos septem totos nihil attingo præter libros Ciceronianos, a cæteris non minore religione temperans, quam Carthusiani temperant a carnibus. BV. Cur isthuc? NO. Ne quid alicunde hæreat alienæ phraseos, ac veluti

1 *Difficilia quæ pulcra.*

2 Nempe IV. Nonas Julias anni 1522. Vide *P. Jovii & Sammarthanorum* elogia.

veluti labem adspergat nitori Ciceroniani sermonis. Proinde ne quid hic peccem imprudens, quicquid est aliorum codicum, ab oculis submovi, scriniis inclusum, nec ulli prorsus est locus in mea bibliotheca, præterquam uni Ciceroni. Bv. O me negligentem, tanta religione nunquam colui Ciceronem. No. Non tantum in Larario Museoque, verum & in omnibus ostiis imaginem illius habeo belle depictam, quam & gemmis insculptam circumfero, ne unquam non obversetur animo. Nec aliud simulachrum in somnis occurrit præterquam Ciceronis. Bv. Non miror. Hyp. Ego Ciceroni inter Apostolos in Calendario meo locum dedi. Bv. Nihil miror. Deum enim eloquentiæ quondam appellabant. No. In hujus igitur scriptis evolvendis, ac revolvendis adeo sum assiduus, ut totum propemodum edidicerim. Bv. Industriam tuam mihi narras. No. Nunc accingor ad imitationem. Bv. Hic quantum temporis destinasti? No. Tantundem, quantum lectioni. Bv. Rei tam arduæ parum est. Utinam mihi vel septuagenario contingat tam speciosi cognominis decus. No. At mane: Non huic fido diligentiæ. Nulla est in omnibus divini viri libris vocula, quam non in Lexicon alphabeticum digesserim. Bv. Ingens volumen sit oportet. No. Duo robusti bajuli vix tergo gestent probe clitellati. Bv. Hui. At ego vidi Lutetiæ, qui elephanto gestando sufficerent. No. Verum est alterum volumen hoc etiam grandius, in quod juxta literarum ordinem annotavi formulas loquendi M. Tullio peculiares. Bv. Nunc demum me pudet oscitantiæ meæ pristinæ. No. Additum est tertium. Bv. Hui etiamne tertium? No. Sic opus est. In hoc congessi pedes omnes, quibus Cicero vel incipit vel finit commata, cola, periodos, quibusque numeris horum media temperat, tum quibus sententiis quam modulationem accommodet, ut ne tantillum quidem possit subfugere. Bv. Verum quî fieri potest, ut primus index tanto major sit toto Cicerone? No. Disce rem, & mirari desines. Tu forte me credis hac cura contentum, ut singulas annotem dictiones. Bv. Sic opinabar. Estne amplius? No. Imo isthuc plus quam nihil est. Bv. Quî quæso. No. Vide quantum aberres a scopo. Eadem vox non semper eodem usurpatur modo. Sit exempli gratia: *Refero* verbum, aliam vim habet quum ait M. Tullius *referre gratiam*: aliam quum ait, *Liberi parentes & forma corporis & moribus referunt*: aliam quum ait, *Refero me ad intermissa studia*: rursus aliam quum ait, *Si quid erit, quod mea referat scire*: denique aliam quum ait, *Non ignota referam*. Item aliud est *orare Lentulum*, aliud *orare causam*. Rursus aliter *contendit*, qui cum altero certat: aliter qui quid instanter ab aliquo petit: aliter *contendit*, qui magno studio connititur ad aliquid efficiendum: aliter qui res duas inter se committit comparatque. Hyp. Papæ, isthuc est scribere [1] λεξικοὺς ἐλέγχους. Bv. Nunc demum intelligo, & tuam vigilantiam & meam oscitantiam. No. Nec singulas dictiones incomitatas noto, sed adjungo quæ præcedunt ac sequuntur. Nec sat habeo unum aut alterum notasse locum, quod alii solent, sed quoties dictio reperitur apud Ciceronem, quamvis consimili forma, toties noto paginam, latus paginæ, & versus numerum, addito signo, quod indicet in medio ne versus sit dictio, an in initio an in fine. His rebus fieri vides, ut una dictio plures occupet paginas. Bv. Deum immortalem, quid tanta non efficiat cura? No. Manedum Bulephore. Nihil est quod hactenus audisti. Bv. Quid istis potest accedere? No. Quid prodest tenere verbum, si hæreas, aut etiam labaris in deflexis, derivatis & compositis? Bv. Non satis percipio quod dicis. No. Expediam. Quid tritius aut vulgatius his verbis, *amo*, *lego*, *scribo*? Bv. Etiamne hæc in dubium veniunt? No. Aut his nominibus, *amor*, *lectio*, *scriptor*? Bv. Nihil. No. At illud habeto persuasum, & necessum esse mihi, & opus esse quicunque contendat ad Ciceroniani cognominis dignitatem, tanta religione, ut nec his quamlibet vulgatis dictionibus utatur, nisi consulto indice: nisi forte tutum existimas fidere Grammaticis, qui verba per omnes modos, personas, genera & tempora, nomina, pronomina & participia per omnes casus & numeros inflectunt, quum nobis fas non sit, quicquam horum usurpare, quod a Cicerone non fuerit usurpatum. Non magnum est Grammaticè dicere, sed divinum est Tullianè loqui. Bv. Dic obsecro clarius. No. *Amo*, *amas*, *amat*, sit enim hoc exempli causa dictum, apud Ciceronem invenio: at *amamus* & *amatis* fortasse non invenio. Item *amabo* invenio, *amabatis* non invenio. Rursus *amaveras* invenio, *amaras* non invenio. Contra *amasti* reperio, *amavisti* nequaquam. Jam quid si *legeram*, *legeras*, *legerat* reperias, *legeratis* non reperias? si *scripseram* invenias, *scripseratis* non invenias? Ad eundem modum conjecta de verborum omnium inflexionibus. De casuum inflexionibus similis est ratio, *amor*, *amoris*, *amorem*, *amori*, comperio apud Ciceronem: *ô amor*, *hos amores*, *horum amorum*, *his amoribus*, *ô amores* non comperio. Item *lectio*, *lectionis*, *lectioni*, *lectionem* invenio: *lectiones*, *lectionibus*, *lectionum*, *has lectiones*, & *ô lectiones* non invenio. Ita *scriptorem* & *scriptores* reperio: *scriptoribus* & *scriptorum* pro substantivo nomine non reperio. Non obstat quo minus hæc videantur ridicula, si vos audebitis *stultitias* & *stultitiarum*, *vigilantias* & *vigilantiarum*, *speciebus* & *specierum*, *fructuum*, *ornatuum*, *cultuum*, *vultuum*, *ambitibus* & *ambituum*, aliaque hujus generis innumera fando usurpare. Ex his paucis, exempli gratia, propositis æstimare potes de cæteris omnibus, quæ consimilem ad modum inflectuntur. Hy. *In tenui labor*. Bv. *At tenuis non gloria*. No. Succinam & ego, *si quem Numina læva sinunt, auditque vocatus Apollo*. Nunc de derivatis accipe. *Lego*, non vereor usurpare, *legor* non ausim dicere. *Nasutus* ausim dicere: *nasutior* & *nasutissimus*, nequaquam. *Ornatus* & *ornatissimus*, *laudatus* & *laudatissimus* intrepide dico: *ornatior* & *laudatior* nisi comperero, dicere religio sit. Nec quia *scriptor* & *lectio* offendo apud Ciceronem, statim ausim dicere, *scriptorculus* & *lectiuncula*. Bv. Immensam rerum sylvam video. No. Nunc accipe de compositis. *Amo*, *adamo*, *redamo*, dicam; *deamo* non dicam. *Perspicio* dicam; *dispicio* non item. *Scribo*, *describo*, *subscribo*, *rescribo*, *inscribo* dicam; *transcribo* non dicam, nisi deprehendero in libris M. Tullii. Bv. Ne te plane commemorando defatiges Nosopone, rem non aliter quam in speculo videmus. No. Hæc index ille minimus omnium complectitur. Bv. Cameli video sarcinam. Hy. Et quidem justam. Bv. Qua ratione fit, ut in his tam variis non aberres? No. Primum hic nihil fido nec Grammaticis, nec cæteris auctoribus quamlibet probatis, nec præceptionibus, nec regulis, nec analogiis, quæ plurimis imponunt. In Elencho noto omnes singularum vocum inflexiones, tum derivationes: postremo compositiones. Quæ sunt apud Ciceronem, miniata virgula signo: quæ non sunt, atra. Ita fieri non potest, ut fallar unquam. Bv. Quid si dictio sit apud Terentium aut æque probatum auctorem, notabitur atra virgula? No. Nulla est exceptio. Ciceronianus non erit in cujus libris vel una dictiuncula reperiatur, quam non possit in Ciceronis lucubrationibus ostendere, totamque phrasim hominis non aliter quam adulterinum numisma, reprobam judicabo, in qua vel unum verbum resederit, quod Ciceroniani characteris non habeat notam, cui soli velut eloquentiæ principi datum est a Superis, Romani sermonis monetam cudere. Bv. Ista lex severior est etiam Draconis legibus, si ob unam dictiunculam parum Ciceronianam, totum volumen damnatur, quamvis alias elegans ac facundum. Hy. Atqui justum est. An non vides ob unicum numulum adulterinum ingentem pecuniæ vim confiscari: & uno nævo, quamlibet exiguo, totam puellæ formam, licet alias egregiam, devenustari? Bv. Accedo. No. Ex his quæ diximus si jam omnia conjicientes, satis intuemini quanta sit hujus indicis moles, cogitate quanto major sit indicis, in quo formulas loquendi, tropos & schemata, gnomas, epiphonemata, lepide dicta, similesque dictionis delitias omnes sum complexus. Rursus tertii, qui numeros omnes & pedes, quibus M. Tullius orationis partes inchoat, profert, finitque, continet. Nullus est enim in toto Cicerone locus, quem non ad certos pedes redegerim. Bv. Ista moles vel elephantem bajulum desideret. Hy. Prorsus ἁμαξιαῖον onus narras. No. Atqui nihil mentior. Bv. Næ tu septennium hoc haud male collocasti. Nunc quando perpulcre instructus es indicibus, superest ut nobis amicus amicis, ac συμμύσαις, & illud indices, quibus rationibus supellectilem istam præclaram ad scribendi, dicendive usum accommodare soleas. No. Non committam ut quicquam per me quidem vos latuisse videatur. Ac de scribendo dicam prius, quando vere dictum est, stylum optimum esse dicendi magistrum. Primum illud est: Nunquam ad scribendum accingor, nisi nocte intempesta, quum

1 Verborum indices.

A quum profunda quies, & altum silentium tenet omnia, & si mavultis Maronis audire carmen:

Placidum quum carpunt fessa soporem
Corpora per terras, sylvaeque & saeva quierunt
Æquora, cum medio volvuntur sidera lapsu,
Quum tacet omnis ager, pecudes pictaeque volucres.

Denique quum tanta rerum omnium tranquillitas est, ut Pythagoras, si viveret, orbium cœlestium harmoniam exaudire liquido posset. Nam tali tempore Dii Deaeque gaudent cum puris mentibus miscere colloquium. Hy. Isto noctis tempore nos profani lemurum occursus formidare solemus. No. At nobis Musae dederunt & inauspicatos lemures, & malignum spernere vulgus. Bv. At sunt noctes
B adeo tranquillae, ut in his Austri Boreaeque ruinas aedium, ac miseranda ludant naufragia. No. Novi, sed ego tranquillissimas eligo. Non arbitror esse vanum quod scripsit Ovidius: *Est Deus in nobis, agitante calescimus illo.* Si quid igitur divinum habet hominis animus, id sese profert in eo profundissimo silentio. Bv. Non me fugit, istud secretum semper a laudatissimis viris fuisse captatum, quoties aliquid immortalitate dignum molirentur. No. Habeo Museum in intimis aedibus, densis parietibus, geminis & foribus, & fenestris, rimis omnibus gypso piceque diligenter obturatis, ut vix interdiu lux aut sonitus ullus possit irrumpere, nisi vehementior, qualis est fœminarum rixantium, aut fabrorum ferrariorum. Bv. Vocum humanarum tonitrua & officina-
C rum strepitus non sinunt animum sibi praesentem esse. No. Proinde ne in proximis quidem conclavibus patior quemquam habere cubile, ne vel dormientium voces, ronchive, cogitationis secretum interpellent. Sunt enim qui in somnis loquuntur, & nonnulli tam clare stertunt, ut procul etiam audiantur. Hy. Mihi frequenter & sorices noctu scripturienti negocium facessunt. No. In meis aedibus ne muscae quidem locus est. Bv. Sapienter tu quidem atque etiam feliciter Nosopone, si queas & animi curas obstrepentes excludere: quae si nos & nocte comitantur in abditum illud, quid profecerimus captato silentio? No. Recte mones Bulephore. Nam intelligo tumultus istos aliis saepe molestiores esse, quam vicinorum fabrorum folles aut malleos. Bv.
D Quid ergo? tibi nunquam obstrepunt, amor, odium, livor, spes, metus, zelotypia? No. Ne te multis morer, illud semel scito Bulephore, qui amore, zelotypia, ambitione, studio pecuniae, similibusque tenentur morbis, eos frustra hanc ambire laudem, cujus nos sumus candidati. Res tam sacra requirit pectus non modo purum ab omnibus vitiis, verumetiam ab omnibus curis vacuum, non aliter quam secretiores illae disciplinae, Magia, Astrologia, & quam vocant Alchumisticam. Porro leviores illae curae facile cedunt intentioni tam acri, tamque seriae. Quanquam & has, si quae sunt, dispello, priusquam sacrum illud adeam. Nam in hoc animum multo studio consuefeci meum. Atque hac potissimum de causa caelebs agere decrevi, nequaquam
E ignarus quam sancta res sit conjugium: sed quod vitari nequit, quin uxor, liberi, affines, multam curarum materiam secum trahant. Bv. Sapuisti Nosopone. Nam mea conjunx, si noctu parem ad istum modum operam dare Ciceroni, perrumperet ostium, laceraret indices, exureret schedas Ciceronem meditantes: & quod his etiam est intolerabilius, dum ego do operam Ciceroni, illa vicarium accerseret, qui ipsi pro me operam daret. Itaque fieret, ut dum ego meditor evadere Ciceroni similis, illa gigneret aliquem Bulephoro dissimilem. No. Isthuc quoniam scio quibusdam usu venisse, alieno monitus periculo, mihi in tempore cavi. Eodem consilio, nec ullum munus publicum, nec ecclesiasticam dignitatem suscipere volui, ne quid ex his
F accederet animo sollicitudinis. Bv. At ista magnis studiis ambiuntur ab aliis. No. Non equidem invideo. Mihi vel consulatu, vel summi Pontificis regno potius est, cum esse, tum haberi Ciceronianum. Hy. Qui vere amat, praeter unam amare non potest. No. Tum si quid hujus rei paro, sub eam noctem a cœna tempero, leviter etiam pransus, ne quid crassae materiae, liquidioris animi sedem invadat: neu qua nebula e stomacho exhalata gravet atque *affigat humo divinae particulam aurae.* Bv. Sic affectum fuisse arbitror Hesiodum, quum Musae cum ipso loquerentur. Hy. At *Ennius ipse pater nunquam nisi potus ad arma prosiliit dicenda.* No. Et ideo scripsit vinum olentia carmina. Bv. Et *satur* est *quum dicit Horatius,* [1] *ohe.* No. Quid agat furor Poeticus, nihil ad nos. Ciceronianum esse sobria res est. Hy. Me cerebrum destituit, si quando jejuno. No. Non plane jejunium est. Sumo decem acinos uvae passae minutulae, quam Corinthiacam vocant. Hic neque cibus est, neque potus, & tamen utrumque est. Bv. Intelligo. Leniter humectant, conferuntque cerebro ac memoriae. No. Addo tria coriandri grana saccaro incrustata. Bv. Optime, ne quid vaporis ex decem illis acinis provolet in mentis sedem. No. Neque vero quibuslibet noctibus abutor ad hanc operam. Bv. Non? Eas excepisti, quibus saevit Auster aut Boreas. Fortassis hibernas fugis ob noctis rigorem. No. Hoc incommodi facile depellit focus luculentus. Hy. At interim obstrepit fumus & materiae crepitus. No. Acapnis utor. Bv. Quas igitur noctes deligis? No. Paucae sunt felices huic sane negocio: proinde prosperas deligo. Bv. Unde quaeso? No. Ex Astrologia. Bv. Quum te plusquam totum possideat Cicero, qui fuit ocium Astrologiae perdiscendae? No. Indicem mihi mercatus sum ab hujus artis peritissimo. Hujus consilio rem gero. Hy. Audio multos indicibus istiusmodi fuisse delusos, quoties scriptor erravit in numero. No. Exploratum ac spectatum emi. Bv. Deum immortalem, isthuc est scribere: nec jam miror Hypologe, si nostra sunt incondita rudiaque. Verum ad istum composito modum, utra cogitatio prior, de rebus, an de verbis? No. Utraque prior, & utraque posterior. Bv. Ænigma dedisti, non responsum. No. At explicabo nodum. In genere, de rebus prior est cogitatio; in specie, posterior. Bv. Nondum satis liquet quid velis. No. Exemplo faciam perspicuum. Statui scribere Titio, sic fingite, ut quamprimum curet ad me remittendos codices, quos illi commodato dederam, si nostram amicitiam velit esse incolumem. Nam incidisse quiddam, ut illis mihi vehementer sit opus. Id si fecerit, nihil esse in rebus meis, quod non suum ducere possit: Sin minus, me veteris amicitiae tesseram illi remittere, ac simultatem denunciare. Haec prima cogitatio nimirum de re, sed in genere. Bv. Intelligo. No. Huic illico succedit verborum cura. Evolvo quam plurimas Ciceronis epistolas: elenchos meos omnes consulo: seligo voces aliquot insigniter Ciceronianas, deinde tropos, formulas: tum numeros: demum affatim instructus hujusmodi supellectile, dispicio quos flosculos quibus locis possim inserere. Mox ad sententiarum curam redeo. Hoc enim jam artis est, sensus ad haec verborum ornamenta invenire. Hy. Haud aliter quam si quis egregius artifex, vestem praeclaram apparet, ad haec, monilium, anulorum & gemmarum vim, mox ceream affingat statuam, cui haec accommodet ornamenta, vel potius quam ad ipsa conflectat ornamenta. Bv. Quidni? Verum age Nosopone. Num tota nox uni datur epistolae? No. Quid mihi narras unam? Musis pulchre videor litasse, si periodum unicam absolverit nox hiberna. Bv. Itane de re tam non magna, tam prolixas scribis literas? No. Imo perbreves, ne sis insciens, ut quae sextam periodum non excedant. Bv. Quin igitur sex noctes sufficiunt his absolvendis? No. Quasi satis sit scripsisse semel. Decies refingendum quod scripseris: decies ad indicem exigendum, ne qua forte dictiuncula te fefellerit adulterina. Rursus altera superest examinatio de tropis ac formulis, postrema de numeris & compositione. Bv. Isthuc, nimirum, est opus absolvere. No. Ne id quidem satis, ô bone. Dehinc quod elaboratum est cura, quanta potest maxima, seponendum est in aliquot dies, ut ex intervallo, refrigerato jam inventionis amore, velut aliena legas, quae tua sunt. Hic demum gravis agitur censura. Hoc severum, incorruptum, &, ut Graeci vocant, ἀδέκαστον judicium, ubi qui scripsit ex parente fit Areopagites. Hic saepenumero fit, ut verso stylo, nihil relinquas. Bv. Omnino sic fiunt accuratae, sed interim ille fruitur codicibus abs te desideratis. No. Isthuc incommodi malim perpeti quam aliquid a me proficisci, quod non sit Ciceronianum. Ducitur suo quisque judicio. Ego malim multum scribere quam multa. Bv. Scribendi rationem habemus. Ad dicendum qua meditatione te paras? No. Prima cautio est, ne cui loquar Latine: quod queam effugere. Bv. Ne Latine? Atqui dicendo fieri praedicant, ut bene dicamus. Novum autem exercitationis genus, si silendo discimus loqui. No. Dicendo fit ut dicamus expedite: ut Cice-

1 *Hevohe.* Juvenalis Sat. VII, 62.

Ciceroniano more, nequaquam. Qui se parant equestri certamini, generosos equos a cursu prohibent, quo ad seriam rem integris viribus veniant. Nec venator prius demit lorum generoso cani, quam visa est fera. Ad garriendum de quibuslibet nugis, sufficit mihi sermo Gallicus, aut Batavicus: profanis ac vulgaribus fabulis non contamino sacram linguam. Quod si qua res urget, ut Latine dicendum sit, & pauca loquor, nec sine præmeditatione. Et in eum usum habeo paratas aliquot formulas. Bv. Quas dicis formulas? No. Velut si sit salutandus, aut resalutandus amicus eruditus, qui forte factus est obvius, aut vicissim laudandus qui te laudarit, aut si gratulandum ex longinqua peregrinatione reduci, sive ex ægrotatione gravi redivivo, aut agendæ gratiæ qui præstitit officium, aut bene precandum ei qui nuper duxerit uxorem, aut deplorandus casus, cui perit uxor. Ad hæc & hujusmodi, formulis instructus sum e Cicerone decerptis atque concinnatis, eas edidici, quo possim uti velut ex tempore. Porro si quis casus inciderit, ut vitari non queat quin in longum proferatur sermo, protinus multa lectione diluo quod contractum est labis. Neque enim me fugit, hoc ipso colloquio, quod vobiscum nunc habetur, quantum flagitiorum admittam, quantum detrimenti capiam ad id quod molior. Itaque ad sarciendum vix menstrua suffecerit lectio. Bv. Quid si detur spatium meditationi? No. Tum quod fuerit iis, quas dixi, rationibus elucubratum edisco, quoque sit memoria certior, subinde mecum recito: ita fit, ut quum res poscit, veluti de scripto pronunciem. Bv. Quid si qua necessitas exigeret extemporalem orationem? No. Qui potest incidere, qui nihil ago publicum? Et si quam functionem publicam obirem, non sum melior Demosthene, qui nunquam voluit nisi meditatus assurgere, quamlibet populi vocibus efflagitatus. Nec mihi pudendum ducerem, quod in Oratorum apud Græcos principe laudatur: nec me pœniteat convitii, si quis dicat mea 1 τὸν λύχνον ὀζειν. Bv. Equidem & propositum tuum admiror, & animi fortitudinem suspicio, Nosopone, supra quam dici possit: inviderem etiam, si vel in hoc genere studiorum, vel inter tam conjunctos amicos ac sodales, tanta pestis incidere posset. Cæterum quoniam arduum est quod expetimus, & via non modo longa ac perdifficilis est, verumetiam anceps, si periculum proprie tuum esset, tamen arbitrarer hoc esse necessitudinis nostræ, neque vulgaris, neque recentis, liberis consiliis amico prospicere, ne tot curas, tot vigilias cum valetudinis ac rei familiaris dispendio frustra susciperet, susceptas urgeret: neve, quod in rebus humanis nimium frequenter accidere videmus, pro thesauro diu multumque quæsito tandem reperiret carbones. Nunc vero quum pari cupidine ducamur omnes, ejusdemque Nymphæ teneamur amore, Nam & Hypologus ejusdem est animi: tuæ quoque fuerit humanitatis, & si quid admonemus, boni consulere, & si quid habes melius, libenter amicis communicare. No. Æquissimum, Bulephore, postulas: proinde nec te gravatim audiam, nec maligne, si quid consulere queam, in medium conferam. Bv. Primum illud mihi tecum convenit, opinor, ei qui dicendi scribendive laudem affectat, cognitis ante diligenterque perceptis artis præceptionibus, ex multis laudatis scriptoribus optimum quempiam esse seligendum quem imitetur, & ad quem exprimendum se componat. No. Maxime. Bv. Neminem autem esse, duntaxat apud Latinos, qui pluribus eloquentiæ virtutibus excellat quam M. Tullius, de quo jure optimo prædicatum est, quod de Apelle, in quem unum conflatum erat, quicquid in cæteris pictoribus erat eximium ac singulare. No. Quis isthuc neget? Bv. Dabis veniam, Nosopone, si crassius rusticiusque collegero, Dialectices rudis. No. Inter amicos decet omnia boni consulere. Quanquam & alioqui mihi satis argute colligit, qui vere colligit. Bv. Age, quid igitur sentis de Zeuxide Heracleota? No. Quid aliud, quam quod excellentissimo graphices artifice dignum est? Bv. Nam & ingenio judicioque valuisse putas? No. Qui potuit ars tanta carere judicio? Bv. Commode respondes. Quid igitur illi veniebat in mentem, ut, quum Crotoniatis picturus Helenæ simulacrum, in quo decreverat quicquid artis suæ viribus posset explicare, & absolutum formæ muliebris (nam in hoc argumento cæteris antecelluisse legitur) exemplar vivæ simillimum edere, in quo nulla venustatis portio desiderari valeret: non unam quampiam omnium pulcherrimam adhibuit, sed ex omnibus oblatis aliquot cæteris præstantiores elegerit, ut ex singulis decerperet quod in quaque decentissimum esset: itaque demum admirandum illud artis suæ monumentum absolverit? No. Diligentissimi pictoris officio functus est. Bv. Vide igitur num recto consilio ducamur, qui eloquentiæ simulacrum ab uno Cicerone, quamvis præstantissimo, petendum arbitramur. No. Si tali forma virginem Zeuxis esset nactus, qualis est in eloquentia Marcus Tullius, fortassis unius corporis exemplo fuisset contentus. Bv. Atqui hoc ipsum quo pacto judicare potuisset, nisi multis corporibus diligenter inspectis? No. Finge persuasum fuisse. Bv. In hac igitur es sententia, nullam in aliis Oratoribus esse virtutem imitatu dignam, quæ non eximia sit in M. Tullio? No. Ita censeo. Bv. Nec ullum in hoc esse nævum, qui non major sit in cæteris? No. Ita prorsus. Bv. Non hic proferam 2 M. Brutum, qui totum hoc dicendi genus, quod Ciceroni visum est optimum, improbavit: quumque status ac divisionis propositiones, velut causæ totius columnæ, præcipua sit orationis pars, in oratione pro Milone, quam adeo suspiciunt omnes, Brutus non probavit primarium ac secundarium causæ statum adhibitum a M. Tullio, sed eandem causam aliter tractavit. Non objiciam 3 Pomponium Atticum, cujus unguiculos ac miniatulas cerulas se metuere scribit Cicero, quibus ille notare solitus est quæ in M. Tullii scriptis offendebant: non M. Catonem, qui Ciceronem quum sibi maxime festivus videretur, *ridiculum* appellavit. Hactenus & viros graves, & amicos Ciceronis recensui. Hic si adjiciam 4 Gallum, Lartium, Licinium, Cestium, Calvum, Asinium: si Cælium ac Senecam, si complures alios, qui quum de Ciceronis ingenio non satis magnifice senserunt, tum orationis genus damnarunt, aliis illum appellantibus aridum, jejunum, exsuccum, exsanguem, elumbem ac dissolutum, mollem ac parum virilem: rursus aliis tumidum, Asiaticum, ac superfluis redundantem: respondebis hæc esse vel inimicorum, vel invidorum judicia, qui jam Triumvirali proscriptione dejecti, famam etiam moliti sunt, si minus exstinguere, certe obscurare. No. Recte divinas. Nam isthuc plane responsurus eram, & optimo jure respondendum arbitror. Bv. Tribuantur sane hæc judicia vel odio, vel livori, certe fateberis, opinor, cum eruditis omnibus, facetiam, seu risum esse partem artis Rhetoricæ. No. Alioqui quorsum opus erat ab Oratoribus tam multa de hoc præcipi? Bv. Nemo negat Ciceronem in jocando fuisse multum, alii nimium prædicant, tum intempestivum, & scurrilitati proximum. Certe modum illi defuisse, quemadmodum Demostheni facultatem, doctorum fere consensus fuit: nec admodum repugnat 5 Quintilianus, culpam in Tyronem conferens, qui nimium indulserit numero dictorum, ac plus in congerendis studii, quam in eligendis judicii adhibuerit. Verum hæc Tyronis accusatio in patronum recidit. Sed hæc utcunque habent, quis unquam in hoc genere laudis primas tribuit M. Tullio? Lacedæmoniorum peculiaris hæc erat laus, & secundum hos Atticorum. Adeo ut cum poema Bucolicum & Comœdia lepore facetiaque potissimum commendetur, ad hanc Venerem Latini ne adspiraverint quidem. Est igitur aliqua virtus Oratoris, quæ rectius petatur ab aliis, quam a Cicerone. No. Nos de Latinis agimus. Bv. 6 Age, audebimusne Ciceronis jocos cum C. Cæsaris, aut cum Octavii Cæsaris dictis conferre? No. Vix ausim quod adhuc nemo doctorum ausus est. Bv. Itaque si res festivitatem desideret, non mihi fas erit aliquid ex Octavii dictis effingere? No. Non si velis haberi Ciceronianus. Bv. Rursus abs te quæro, num sententias ponas inter ornamenta dictionis? No. Gemmæ sunt & lumina, tantum abest, ut submoveam ab arte. Bv. Hic appello tuum judicium, an in hoc genere laudis Cicero cæteris omnibus antecellat. No. Non me clam est, quod 7 Seneca Publium Mimographum in hac laude præfert omnibus. Verum non protinus

1 *Lucernam olere*, quod objiciebatur Demostheni.

2 Vide *Quintilianum* Instit. Or. Lib. III. c. 6. & Lib. XII. c. 1.

3 Vid. Ep. ad Atticum Lib. XV. Ep. 14. & Lib. XVI. Ep. 11.

4 Vide *Quintilianum* Lib. XII. c. 1. & *M. Senecam* Lib. III. Epit. Declam. in Præf.

5 Inst. Orator. Lib. VI. c. 3.

6 Vide *Macrobium* Saturnalium Lib. II. capp. 3. & 4.

7 Vide Epist. VIII. & Cap. IX. ad Marciam & Cap. XI. de Tranquill.

A nus oraculum est, quod Senecæ visum est, qui ipse in sententiis immodicus est, & quibusdam frivolis indulget. Hy. Est istud [1] Quintiliani, & Auli Gellii judicium rejici poterat, quod uterque videatur invisum habuisse Senecam, alter ob æmulationem, alter ob ingenii dictionisque similitudinem. Bv. At idem Gellius, quamvis parum æquus, fatetur inter Senecæ sententias esse, quibus nihil melius dici poterat. Nec fieri potest, ut omnes æque felices sint, ubi sermo totus sententiis contextus est. Verum ex his facilius invenias quod imiteris, quam ex aliis in quibus nec crebræ sunt, nec insignes. Agedum. Nonne res interdum exigit brevitatem? No. Fortassis. Bv. Hujus exemplum utrum rectius petes a Sallustio, Brutove, an a Cicerone? No. Cicero brevitatem non affectavit. Bv. In Demosthene lau-
B datur vis orationis, hoc est, nervosum quiddam ac naturale: ab utro hoc rectius petemus? No. De Latinis agebamus. Bv. Verum hæc sunt omnium linguarum communia. Rursum res interdum postulat severitatem, hujus exemplum rectiusne petemus a Cicerone, an a Bruto & Pollione? Hy. Ut pro hoc respondeam: ab his qui hac nota fuerunt insignes. Bv. Ubi negocium involutum, partitionibus explicandum est, utrum a Cicerone petemus, an ab Hortensio, aut si quis Hortensio similis? No. Quid petemus ab eo, cujus præter memoriam nihil exstat? Bv. Verum disputandi gratia, fingamus exstare. No. Nihil opus fingere, veris ac notis agamus. Bv. Nemo non fatetur, fidem in Oratore præcipuam esse. Eam conciliat probitatis & gra-
C vitatis opinio, elevat artis aut intemperantiæ suspicio. Habeatur sane Cicero vir bonus, quod vix illi Fabius, licet impendio favens, audet tribuere: sed, quod dissimulari non potest, artem magis ostentat, de se plura gloriose commemorat, licentius in alios invehitur quam Cato, Brutus, aut Cælius, cui sanctitatem tribuit Quintilianus. Harum itaque rerum exemplum nonne rectius petemus ab Aristide, Phocione, Catone, Bruto, quam a Cicerone? No. Videris huc venisse meditatus Ciceronis vituperationem. Bv. Minime gentium, ô Nosopone. Si sermonis exitum patienter exspectaris, intelliges & Ciceronis, & nostram agi causam. Ciceronis, ne forte perperam illum exprimentes, gloriam ejus obscuremus, quemadmodum solent imperiti pictores eos traducere, quorum effigiem secus quam opor-
D tet expresserunt: Nostram, ne male collocemus amores nostros, ac ridiculum quiddam, nec minus infelix usu veniat nobis, quam quod obtigisse dicitur Ixioni, qui pro adamata Junone, nubis inane simulacrum complexus est: aut Paridi, qui pro rapta Helena decem annis bellum gessit, quum interim mendax Helenæ simulacrum amplecteretur, nimirum, ipsa procul in Ægyptum Deorum artificio sublata. Quid enim nobis infelicius aut magis ridiculum, si tot laboribus nihil aliud, quam inanem ac fallacem Ciceronis umbram assequi contingeret? No. Isthuc omen avertant Superi. Bv. Avertant, inquam, & hoc agimus, ne quid simile eveniat. No. Nonnihil & illud conducit ad imitationem Ciceronis, ut quam optime sentiamus de Cicerone.
E Bv. Novus candor, si melius sentiamus de Cicerone, quam ipse sensit de seipso. Verum tribuatur hoc illius modestiæ, si parcius de se prædicavit, quis unquam veterum sic admiratus est Ciceronem, ut ab uno petenda putarit omnia dictionis ornamenta. No. At hodie sunt quamplurimi, quos hæc habet opinio. Bv. Nihil moror quamplurimos: cordatum ac vere doctum reor esse neminem. Cui mortalium hactenus sic indulsit natura, vel in una quapiam disciplina, ut unus in singulis ejus partibus excelleret omnes, ut non aliquid reliquerit in eo desiderandum, aut ita dederit, ut non ab aliis superaretur? Quanto id incredibilius in dicendi facultate, quæ disciplinis propemodum omnibus constat,
F quæ tot alias res desiderat, quas nemo præceptis tradere possit? Fingamus hodie Ciceronem vivere, & esse quendam [2] Trachallo simillimum, utrum malles a Cicerone vocis moderationem petere, an a Trachallo? Opinor ab eo, qui hac parte præfertur omnibus. Pudoris ac modestiæ specimen utrum malles a Crasso, si viveret, petere, an a Cicerone? Et ne de singulis commemorem, nonne sumeres a singulis, in quo cæteris antestarent? Hy. Quis non eligeret potiora, nisi qui vel non dijudicaret, vel sibi invideret? Bv. Itaque mihi probatur Zeuxidis exemplum, quod

1 Lib. VIII. c. 5. Inst. Or. & Lib. XII. c. 2. Noct. Atticarum.
2 De quo Vide *Quintilianum* Lib. X. c. 1.

sequutus etiam [3] Quintilianus, imitatori præcipit, nec unum esse legendum, nec omnes, nec quoslibet, sed ex præcipuis deligendos aliquot eximios, inter quos Ciceroni primas tribuit, non solitudinem. Summum enim esse vult inter proceres, non solitarium exclusis cæteris. No. Si Quintiliani consiliis auscultabimus, idem nobis usu veniet, quod evenit ipsi. Bv. Quidnam? No. Ut parum evadamus Ciceroniani. Nobis alius propositus est scopus. Bv. An parum erit Ciceronianum, cui quicquam accesserit, quod a Cicerone petitum non fuerit? No. Sic autumant. Bv. Etiamsi melius fuerit quod ab alio petitur, aut ne sit quidem illud apud Ciceronem? No. Quidni? Bv. Sed interim illud mihi cogites velim, optime Nosopone, quanta pars Ciceronianorum voluminum interciderit, & in his divinum illud opus de Republica, cujus fragmentum nescio quo fato servatum, nihil aliud quam desiderio reliquorum voluminum discruciat animos nostros, quæ cujusmodi fuerint, hinc licet æstimare, leonem ut ajunt, ex unguibus. Ne quid interim commemorem, de tot epistolarum libris, de tot orationibus injuria temporum interceptis, de tribus voluminibus, quibus Tyro libertus jocos & scite dicta Ciceronis complexus esse legitur, deque cæterorum hujus viri scriptorum naufragio. Qui potes igitur absolutus esse Ciceronianus, qui tam multa illius non legeris? Adde quod Cicero non tractavit omnes materias. Ergo si forte dicendum fuerit de his quas ille non attigit, unde tandem petemus orationis supellectilem? An proficiscemur in campos Elysios, ab ipso percunctaturi, quibus verbis ille talia fuerit dicturus? No. Ea duntaxat tractabo, quæ possint verbis Tullianis explicari. Bv. Quid? An non judicas Ciceronem Oratorum præstantissimum. No. Plusquam præstantissimum. Bv. Quid Apellem, nonne Pictorum optimum? No. Ajunt, & credo. Bv. An eum Apelleum appellares, qui non posset quarumlibet rerum imagines effingere, sed tantum eas quas ante pinxisset Apelles? Atque adeo qui non omnes tabulas Apellis manu depictas conspexisset? Hy. Quis istud diceret, nisi si cui placet ille Pictor, in quem jocatur Horatius, [4] qui dato pretio conductus ad pingendum naufragium, pinxit cupressum, & indignatum conductorem rogavit, ecquid vellet appingi prominens e cupresso. Bv. Quid aliud est esse Ciceronianum, quam illi simillimum esse? No. Nihil aliud. Bv. An ille similis videtur Ciceroni, qui non potest nisi de certis materiis dicere? No. Perge. Bv. Mihi ne Oratoris quidem titulo dignus haberetur. Si Cicero quavis de re potuit optime dicere, is mihi Ciceronianus erit, qui quacumque de re valeat præclare differere: quemadmodum Apelli simillimus erit, qui & Deorum & hominum, & animantium, & omnium denique rerum formas penicillo suo poterit adumbrare. No. Equidem pluchrius esse duco tres epistolas scribere phrasi Ciceroniana, quam centum volumina stilo quamlibet expolito, modo a Ciceroniano discrepante. Bv. Verum, Nosopone, si isthæc sententia sederit animo nostro, vereor futurum, ut non solum non evadamus Ciceroniani, sed ipsi etiam Ciceroni, alieni videamur. Quæso illud mihi bona fide respondeas, totum Ciceronem exprimendum censes, an mutilum? No. Et totum quantus est, & solum. Bv. Quî totum, qui se totum non expressit? Rursus quî ea parte qua se nobis conspicuum fecit, mutilus est ac vix dimidiatus? Adde quod in his ipsis quæ exstant, aliquando sibi non satis fecit. Siquidem De inventione libros, substituto Oratore, veluti damnavit. Et Orationem pro Dejotaro munus Levidense vocat. Ad hæc in his quæ scripsit tantum, non etiam recognovit, ipse Cicero non est Ciceronianus, cujusmodi sunt libri De legibus, præter alia multa. Quî fiet igitur, ut totum quantus est æmulemur, quem & mutilum habemus & truncum, & in nonnullis indolatum ac sui dissimilem? Nisi forte probaturus es illum, qui inchoatas Apellis tabulas, aut rudes Lysippi statuas imitans speret se alterum Apellem aut Lysippum evasurum. Id si conspiceret Apelles ipse, quem ferunt ingenio candido liberoque fuisse, nonne clamaret: Quid facis κακόζηλε? Isthic non est Apelles. Jam si quis sibi proposuisset insignem Lysippi statuam effingendam, cui rubigo vitiasset mentum & os, aut ei parti

3 Loco proxime laudato.
4 Hoc habet *Erasmus* non ex *Horatio*, sed ex ejus vetere Interprete, ad vers. 19. Artis Poeticæ.

ti non imposuisset artifex summam manum, gravaretur ejus partis exemplum ab alio quopiam artifice sumere, an potius haberet illud, ut est corruptum & imperfectum æmulari, ne recedat ab exemplo cui semet addixit, quam ex alterius artificis signo, quod deest supplere? No. Ut possumus, ajunt, quando ut volumus non licet. Bv. Aliis Nosopone rectius istud verbum usurpabitur, qui quod in Cicerone diminutum est, ex aliis scriptoribus sarciunt. Mallent enim ex uno omnia, vel quia promptius est, vel quia nullus illo dixit felicius: verum quando id non est datum, ex aliis mutuantur. Quid quod Ciceronem habemus non modo truncum ac lacerum, verumetiam ita depravatum, ut si revivisceret, ipse, opinor, nec agnosceret sua scripta, nec restituere posset, quæ librariorum ac semidoctorum audacia, incuria, inscitiaque corrupta sunt, quod malum Teutonibus potissimum imputat Politianus; quibus ut hîc patrocinari nolim, ita puto nihilo minus invectum mendarum ab audacibus quibusdam ac sciolis Italis. Ut ne commemorem interim supposititia, falsoque titulo Ciceronem auctorem mentientia. Quo de genere sunt libri Rhetorici quatuor ad Herennium, hominis haud quaquam indocti, sed ad Ciceronem balbi. Sunt & inter orationes, quæ non a Cicerone scriptæ, sed ab alio quopiam erudito exercendæ dictionis gratia confictæ videntur. Adjecta est nuper oratio pro M. Valerio, quæ solœcismis scatebat, tantum abest, ut Ciceroniana dici possit. Nec desunt qui Portii Latronis declamationem in Catilinam pro Ciceroniana legant oratione. Proinde si devotis animis nos unius Ciceronis imitationi dediderimus, citra delectum expressuri quicquid apud illum compererimus, nonne nosmet in summum conjecerimus discrimen, ne quum diu multumque nosipsos torserimus, tandem Gotticas voces, aut Teutonum solœcismos pro Ciceronianis flosculis amplectamur æmulemurque? No. Istud malum avertant Musæ. Bv. Vereor ne Musis dormitantibus id nobis frequenter eveniat, Nosopone. Nec enim semel lusum hunc vidimus. Fragmentum e Cicerone decerptum addito Germani cujuspiam titulo, quam deridebant, quoties barbarum inclamabant, qui sibi valde Ciceroniani videbantur? Rursus aliquid pridie confictum proferebatur in medium, addebatur Ciceronis nomen, & fingebatur exemplar repertum in bibliotheca pervetusta, quam exosculabantur, quam adorabant divinam illam, & inimitabilem Ciceronis phrasim? Quid quod eruditi non negant in Ciceronis scriptis inveniri solœcismos inexcusabiles, quales & olim exciderunt & excidunt hodie viris eruditis, dum in varias res distracta cogitatione, magis sententiæ præcedentis meminerunt, quam verborum, eoque fit, ut periodi clausula prioribus non respondeat. Quod genus sit: *Diutius commorans Athenis, quoniam venti negabant solvendi facultatem, erat animus ad te scribere*: Initio versabatur in animo, *volebam*, aut *statueram*, post magis arrisit, *in animo erat*, quæ voces eumdem efficiunt sensum, sed parum congruunt, iis quæ præcesserant. Quin A. Gellius lib. 6. cap. decimo quinto, profert locum ex secundo libro Ciceronis De gloria, in quo manifesto lapsus est, versus aliquot Homericos ex Iliados η tribuens Ajaci, quum ibi dicantur ab Hectore. An id quoque conabimur æmulari? Id profecto faciendum, si totum exprimemus. Ad hæc observatum memoriæque proditum est, Ciceronem dixisse quædam quæ nemo doctus putavit imitanda, veluti quum ait, *in potestatem esse*, pro, *in potestate esse*. Ac sane fieri potest, ut illud [1] *tem*, pro *te*, fecerit in autographo calami fluxus, aut alius quispiam casus, aut in aliis exemplaribus librarius oscitans induxerit. Rursus in edicto M. Antonii M. Tullius veluti barbaram & Latinis inauditam vocem proscindit, [2] *piissimus* a *pio*, quum ea apud probatissimos Latinæ linguæ scriptores reperiatur. Idem ut solœcon in eo reprehendit quod scripsisset, [3] *facere contumeliam*, quemadmodum dicimus, *facere injuriam*; quum apud Terentium, optimum, ni fallor, elegantiæ Romanæ auctorem ita loquatur Thais: *Nam si ego digna hac contumelia sim maxime, at tu indignus qui faceres tamen*: opinor enim tacite repeti *contumeliam*. Idem ab his vocibus [4] *novissime* & *novissimus*, ceu male Latinis abstinuit, quum eis non veriti sint uti M. Cato & Sallustius. Qua religione M. Tullium

1 Fallitur *Erasmus* ut docet vel *Gellius* Noct. Attic. lib. 1. c. 7.
2 Philipp. XIII, c. 19.
3 Philipp. III. c. 9.
4 Vide *Aul. Gellium* Lib. X. c. 21.

A. Gellius testatur usum & in aliis multis dictionibus, quibus auctores bene Latini, & ante illum & post illum frequenter usi sunt. Fertur & geminum ss scripsisse, quoties antecedebat longa vocalis, velut in [5] *caussa*, *visse*, *remissi*, pro causa, vise, remisi. Num igitur totum Ciceronem imitantes abstinebimus ab his quæ contra doctissimorum hominum sententiam uni Ciceroni non placuerunt, aut ea sequemur quæ nulli docti voluerunt imitari, ac nec excusare potuerunt? Hyp. Isthuc quidem amantium est, etiam nævos earum quas amant exosculari. Bv. Age si totus erit exprimendus, num illius exemplo, *Musis & Apolline nullo*, scribemus versus? No. Carmen excipio. Bv. Næ tu bonam eruditionis partem excipis, dum carmen excipis. Cæterum quid vetat quo minus utamur hac exceptione, & in his virtutibus in quibus ab aliis superatur Cicero, quemadmodum in hoc toto genere multis est inferior, ne dicam omnibus? Quam multos versus admiscet scriptis suis ex Homero, Sophocle & Euripide, parum feliciter versos, præter Græcorum exemplum in jambicis eam usurpans libertatem, quam sibi Latini Comœdiarum scriptores permiserunt. Tu si quid simile voles facere, num vereberis ea felicius, si possis, ac minore licentia vertere, ne sis parum Ciceroni similis? An non dehonestat orationem solutam, qui versiculos, quos vertendo facit suos, parum reliquæ dictioni congruentes admiscet? Tum quoniam identidem ille suis libris adspergit versus Ennianos, Nævianos, Pacuvianos & Lucilianos, horridam illam & inconditam antiquitatem resipientes: tibi religio erit similes, imo dissimiles versus ex Virgilio, Horatio, Ovidio, Lucano, Persiove proferre, quorum lucubrationes, ut minus horroris, ita plus habent tum elegantiæ, tum eruditionis? An hic metues videri M. Tullio dissimilis? No. Certe nonnihil recesserimus ab eo, quem modis omnibus exprimere conamur. Bv. At quid est necesse semper ac modis omnibus esse similem, quum sæpe potius sit esse parem, & interdum facilius sit superare quam æquare, hoc est, meliora scribere, quam similia? No. Meliora Ciceronianis ne Musas quidem ipsas dicturas opinor. Hyp. Fortasse possent, si nervos intenderent, & noctu incœnatæ scriberent ad lucernulam. Bv. Ne quæso commoveare, Nosopone, semel stipulatus sum, impune dicendi quæ viderentur potestatem. Si quis sit usque adeo deditus addictusque Ciceroni, quemadmodum nos hactenus sumus, an non periculum sit, ne cæcus amore, vel pro virtutibus admiretur vitia, vel sciens ipsa quoque vitia effingat? No. Ἡράκλεις, in Cicerone vitia? Bv. Nulla, nisi forte solœcismus vitium est apud alios, apud Ciceronem non est. At solœcismos ut diximus, eruditi commonstrant in libris M. Tullii. Nisi labi memoria vitium non est, & hoc commonstratum est a doctis. Si vitium non est immoderata mentione propriarum laudum etiam illum gravare cui patrocinaris, quod in Milonis defensione factum testatur Asconius Pedianus, & vix usquam non submolestus est hoc affectu Cicero, [6] *non sine causa*, ut eleganter inquit Seneca, *sed sine fine glorians*. Et haud scio utra re sit intemperantior, de se gloriando, an alios insectando. Quocunque colore defenderimus hæc, illud inficiari non poterimus, hac duntaxat in parte, rectius exemplum ab aliis peti posse. No. Missum faciamus sermonem de moribus, de viribus ac virtutibus eloquendi nobis instituta est disputatio. Bv. Ego vero lubens missum fecero, nisi Rhetores ipsi contenderent, bonum Oratorem esse non posse, qui non sit idem vir bonus. Verum age, num tibi videtur esse vitiosa compositio, si dictio sequens incipiat ab iisdem syllabis, in quas desiit præcedens velut Echus imaginem ludicram referens? Quod genus si dicas, *ne mihi dona donata, ne voces referas feras, ne per imperitos scribas scribas Basso*. No. Fateor ineptam & absurdam compositionem. Bv. Atqui talem proferunt ex amasio nostro Cicerone: [7] *O fortunatam natam me Consule Romam*. No. Jam semel carmen excepi. Bv. Per me licebit, modo simul excipias illud, totum Ciceronem. Sed nondum elapsus es. En tibi nihilo meliorem compositionem ex oratione soluta refert Quintilianus: *Res mihi invisæ visæ sunt Brute*. Aut si malis Ciceroniano sonare more *invissæ sunt*. Ne quid calumnier interim de duobus

5 Vide *Quintilianum* Or. Inst. Lib. 1. c. 7.
6 Lib. de brevitate vitæ Cap. V.
7 Vide *Quintilianum* Lib. IX. c. 4. Inst. Orator.

bus molossis in clausula. No. Isthuc excidit in Epistola familiari. A Bv. Nihil repugno, tantum quæro, num existimes imitandum? Certe fateris aliquid posse dici melius. No. Nescio. Bv. Quid hic memorem de vocalium crebra collisione, quæ reddit hiulcam & inamœnam orationem? An non hoc quoque notatum est a doctis in Cicerone? Neglexit, inquies, nihil reclamo, modo fateamur quiddam esse quod apud alios aut non sit, aut sit melius. Rursus ex te quæram, ecquem novisti scriptorem tam vigilantem, tamque felicem, ut non alicubi dormitarit? No. Quid ni? homines erant. Bv. Inter homines igitur numeras Ciceronem? No. Interdum. Bv. Utrum igitur putes esse consultius, imitari dormitantem Tullium, an vigilantem Sallustium, aut Brutum, aut Cæsarem? B Hyp. Quis non mallet vigilantem exprimere? Bv. An non sic Homerum imitatus est Virgilius, ut multa correxerit, nonnulla reliquerit? Nonne sic Hesiodum, ut nusquam non vicerit? Nonne sic Horatius est Lyricos Græcos æmulatus, ut ex unoquoque decerpens quod esset bellissimum, omnes post se reliquerit? 1 *Ego*, inquit, *apis Matinæ More modoque Grata carpentis thyma per laborem Plurimum, circa nemus, uvidique Tiburis ripas, operosa parvus Carmina fingo.* An non sic imitatus est Lucilium, ut quædam in illo sciens prætermiserit, ab aliis sumpturus quod imitatione dignius esset? Quid alios commemorem? num ipse M. Tullius tam admirabilem eloquentiam ex uno quopiam contraxit? C An potius excussis Græcorum pariter ac Latinorum Philosophis, Historicis, Rhetoribus, Comicis, Tragicis, Lyricis: demum ex omni scriptorum omnium genere suam illam divinam phrasim collegit, contexuit, absolvit? Si modis omnibus libet imitari Ciceronem, & hoc illius exemplum imitemur. Hyp. Non absurde mihi, Nosopone, loqui videtur Bulephorus. Bv. Quid? an non hoc ipse docuit Cicero, caput artis esse dissimulare artem? *Friget enim, & fide caret, ac velut insidiosa timetur oratio, quæ significationem artis dedit. Quis enim ab eo non metuat, qui fucum & vim parat animis nostris?* Itaque si feliciter Ciceronem imitari volumus, dissimulanda cum primis est ipsa Ciceronis imitatio. At qui nusquam discedit ab illius lineamentis, qui verba, figuras, numeros D ex illo concinnat, quædam imitans etiam non imitanda: veluti quidam Platonis discipuli, adductis humeris præceptorem referebant: Aristotelis auditores subbalbum quiddam in loquendo, quod in eo fuisse legitur, reddebant: quoniam manifesto præ se fert imitandi studium, cui videbitur ex animo loqui, aut quid laudis assequetur denique? Nimirum id quod assequuntur ii qui scribunt centones. Delectant fortassis, sed paulisper, sed otiosos duntaxat: cæterum nec docent, nec movent, nec persuadent. Summa laus est, probe tenet Virgilium, multo sudore concinnavit emblemata. No. Quo magis elucebit imitatio, hoc magis habebor Ciceronianus. Hæc est votorum summa. Bv. Recte dicis, si facundiam ostentationi paramus, non usui. Verum plurimum interest inter Histrionem & Oratorem. Illi delectasse satis est, E hic etiam prodesse studet, si modo vir bonus est: quod si non est, nec Oratoris nomen tueri poterit. Jam demonstravimus, opinor, in Cicerone quædam esse vitanda, quædam in eo desiderari, quædam sic adesse, ut in his ab aliis hac parte felicioribus superetur. Sed donemus, nullum esse virtutum aut ornamentorum genus, in quo non sit cæteris vel par vel superior: certe in aliis alia magis eminent ob raritatem, quæ in M. Tullio ornamentorum densitate velut obscurantur, perinde quasi si certas stellas notare velis, facilius id facies si raræ luceant, quam si tota cœli pars pariter insignibus obsita sit. Itidem si vestem conspicias totam gemmis obtectam, minus te capient singulæ. No. Qui totum imbibit Ciceronem, non potest F aliud quam Ciceronem exprimere. Bv. Eodem revolvimur. Fatebor eloquentem, qui Ciceronem feliciter expresserit: sed qui totum, exceptis initiis: & ne sim iniquior, una cum ipsis vitiis, modo totum. Feremus illud subinane, feremus mentum leva demulceri, feremus & collum oblongum atque exilius, feremus perpetuam vocis contentionem, feremus indecoram parumque virilem in initio dicendi trepidationem, feremus jocorum intemperantiam: & si qua sunt alia, in quibus M. Tullius vel sibi, vel aliis displicuit, modo simul & illa exprimant, quibus ista vel texit ille, vel pensavit. No. Utinam id mihi contingat ante supremum vitæ diem. Bv. Isthuc ut contingat nunc agimus, Nosopone. At vide quam multa, quam paucis complectitur, qui totum dicit Ciceronem. Sed, ô Musæ, quantulam Ciceronis portionem nobis referunt isti Ciceronis simii, qui voculis, formulis, tropis, & clausulis aliquot, hinc atque hinc ceu corrogatis summam modo cutem, seu bracteam potius Ciceronis nobis exhibent. Sic olim Atticum dicendi genus quidam æmulabantur, quum interim essent aridi, jejuni, frigidique, semper, ut ait ille, manum intra pallium habentes, nec subtilitatem, nec sanitatem, nec gratiam Atticorum ulla ex parte possent assequi. Optimo jure 2 Quintilianus irridet quosdam, qui se germanos Ciceronis haberi volebant, quod aliquoties his vocibus absolverent clausulam, *esse videatur*, propterea quod ea semel atque iterum Ciceroni forsitan excidit, si periodum longiore ambitu circumduxissent, quod in initiis præsertim nonnunquam fecit ille. Nec hodie parum multi sunt istorum similes, qui sese valde mirantur & alteros, ut ajunt, Cicerones esse credunt, si prima vox orationis sit, *quanquam*, aut *etsi*, aut *animadverti*, aut *quum*, aut *si*, quod Officiorum libros sic ordiatur M. Tullius: *Quanquam te Marce fili*, periodum vix nono versu absolvens. Et pro lege Manilia: *Quanquam mihi semper.* Laudatissimam illam pro Milone orationem sic auspicatus est: *Et si vereor, judices.* Rursus Philippicarum duodecimam: *Etsi minime decere videtur.* Item pro C. Rabirio: *Etsi Quirites.* Et epistolis aliquot simile est initium. Et haud scio an isti libros ad Herennium ob id tribuant Ciceroni, quod ab *etsi*, accipiat exordium. Porro De finibus bonorum librum quintum sic incipit: *Quum audivissem Antiochum, Brute.* Tusculanas quæstiones sic auspicatur: *Quum defensionum laboribus.* Et ejusdem operis quartum librum: *Quum multis in locis nostrorum hominum ingenia.* Pro L. Flacco: *Quum in maximis periculis.* Item pro domo sua ad Pontifices: *Quum multa divinitus.* Iterum pro Plancio: *Quum propter egregiam.* Ad hæc librum de Natura Deorum primum: *Quum multæ res in Philosophia.* Et Scipionis somnium: *Quum multa res in Africa.* Pro Rabirio dicens sic orditur: *Animadverti, judices.* Rursus ad Brutum de Paradoxis Stoicorum: *Animadverti, Brute.* Pro L. Cornelio Balbo sic orditur: *Si auctoritas patronorum.* Pro P. Sestio: *Si quis antea judices.* Pro Cæcinna: *Si quantum in agro.* Pro Archia Poeta: *Si quid est in me ingenii.* In Vatinium testem: *Si tua tantummodo Vatini.* Ad equites iturus in exilium: *Si quando inimicorum.* Ad Senatum post reditum: *Si P. C. vestris.* Pro M. Cælio: *Si quis judices.* De Provinciis Consularibus: *Si quis vestrum P. C.* Quid autem magis ridiculum, ac Ciceroni dissimilius esse possit, quam nihil habere Ciceronis præter tales voculas in orationis exordio? de quibus si quis percontetur Ciceronem, cur ab iis vocibus sit orsus, respondebit, opinor, quod in insulis Fortunatis Luciano 3 respondit Homerus, roganti, cur primam Iliadis dictionem voluerit esse μῆνιν, nam hæc quæstio multis seculis torserat Grammaticos, *illud*, inquit, *tum forte venit in mentem.* Consimilis impudentiæ sunt, qui sibi plusquam Ciceroniani videntur quod aliquoties infulciant, *etiam atque etiam* pro vehementer, & *majorem in modum* pro valde, *identidem* pro subinde, *quum* & *tum* quoties inæqualis momenti sunt quæ connectimus, *tum* & *tum* quoties æqualis; *tuorum in me meritorum. Quid quæris*, pro in summa, aut breviter. *Non solum peto, verumetiam oro contendoque. Ante hac dilexisse tantum, nunc etiam amare mihi videor. Valetudinem tuam cura, & me, ut facis, ama. Non ille quidem vir malus, sed parum diligens:* qua locutionis formula sic M. Tullius videtur delectatus, ut in eadem pagina crebro repetitam invenias. Simile est, quum per *illud* pronomen indicat non quod præcessit, sed quod mox sequitur. Et in Epistolis fortassis semel atque iterum dixit, *cogitabam in Tusculanum:* itaque Ciceronianus sibi videtur, qui subinde dixerit, *Romam cogitabam*, pro eo quod erat, in animo habebam, sive statueram proficisci Romam. M. Tullius anni numerum non adscribit Epistolis, sed tantum mensis diem: & Ciceronianus non erit, si quis a Christi natali annum adscripserit, quod sæpe necessarium est, semper utile? Iidem non ferunt, si quis honoris gratia, nomen ejus, ad quem scribat, suo præferat, quod genus sit, *Carolo Cæsari*

1 Carm. Lib. IV. Od. 2.

2 Inst. Oratoriæ Lib. x. c. 2. quod lectu dignissimum.

3 Veræ Historiæ Lib. II.

sari Codrus Urceus salutem. Par flagitium existimant, si quid dignitatis, aut laudis addas proprio nomini, velut *inclyto Pannoniæ Bohemiæque Regi Ferdinando*, *Velius salutem dicit.* Nec Plinio Juniori possunt ignoscere quod *Suum* appellat, si quando scribit amico, quum ejus facti nullum apud Ciceronem exstet exemplum. Ut parum Tullianus rejicietur, qui, quod exemplum a Principum officiis mutuati docti quidam nuper usurpare cœperunt, summam ejus epistolæ, cui respondere parat, in initio proponat, quod id nusquam factum sit a M. Tullio. Novi quosdam notatos ut solœcos, quod in salutatione pro S. D. posuerint S. P. D. id est, *salutem plurimam dicit*, quod negarent hoc apud Ciceronem inveniri. Nonnulli vero putant & illud Tullianum esse, salutationem non in fronte, sed in tergo literarum ponere, quod his verbis admoneretur lator, quas quibus deberet reddere, non sine salutationis officio. Quantula res facit, ut ab hac palma decidamus? Multo vero minus erit Ciceronianus, qui salutarit hac formula, *Hilarius Bertulphus*, *Levino Panagatho totius hominis salutem, aut salutem perpetuam.* Verum hoc quoque longius aberit a Ciceroniano, qui sic orsus fuerit epistolam, *Gratia*, *pax*, *& misericordia a Deo Patre*, *& Domino Jesu Christo.* Item qui pro, cura ut recte valeas, ita claudat epistolam, *Sospitet te Dominus Jesus*: aut, *incolumem te servet Dominus totius salutis auctor.* Quos risus, quos cachinnos hic tollent Ciceroniani? Quid autem admissum est piaculi? An non verba Latina sunt, munda, sonantia, atque etiam splendida? Jam si sensum introspicias, quanto plus est hic quam in, *Salutem dicit*, & *bene vale*? Quid vulgarius quam *dicere salutem*? Præstat hoc officium herus servo, inimicus inimico. Quis autem crederet esse Latinum, *dicit illi salutem*, & *jubet illum salvere*, nisi nobis sermonem hunc veterum consuetudo commendaret? Hoc in aditu. Jam in digressu *vale* dicimus & his quibus male precamur. Quanto melior emphasis in formulis Christianorum, si modo vere & ex animo simus Christiani. *Gratia* declarat gratuitam condonationem admissorum: *pax* quietem & gaudium conscientiæ, quod Deum pro irato habemus propitium: *misericordia* dotes varias & corporis & animi, quibus suos locupletat arcani spiritus benignitas, quoque magis speremus nobis hæc fore perpetua, additur, a Deo Patre & Domino nostro *Jesu Christo.* Quum *Patrem* audis, ponis servilem trepidationem, adscitus in affectum Filii: quum *dominum* audis, confirmaris adversus vires Satanæ. Non deseret ille quod tam care redemit, & unus potentior est universis Satanæ cohortibus. Quod suavius his verbis ei, qui jam hæc apud se sentit, quid utilius hac admonitione ei, qui nondum in hunc affectum transiit? Verbis itaque non vincimur, imo vincimus potius: sententia longe superamus. Restat illud decorum & aptum quod ubique cum primis spectandum est. At hæc quanto magis conveniunt homini Christiano, quam illa, *salutem dicit*, & *cura ut valeas*? Tantum facessat illa puerilis imaginatio, non sic loquutus est Cicero. Quid miri, si non sic loquutus est, quum rem ignorarit? Quot millia sunt rerum, de quibus nobis frequenter dicendum est, de quibus M. Tullius ne somniavit quidem? At si viveret, nobiscum eadem loqueretur. An non igitur frigidi videntur imitatores, qui talium rerum observatiunculis referunt M. Tullium, ac dissimulatis tot divinis viri virtutibus, numeris, tropis, formulis ac dictiunculis, ea imitantur, quæ M. Tullio vel placuerunt, vel crebrius exciderunt? Hæc ad te quidem nihil attinent Nosopone, sed tamen quoniam incidit ut de Ciceronis imitatoribus loqueremur, & hæc commemorare non ab re visum est. Hoc hominum genus, & nobis & ipsi Ciceroni pariter invisum esse debet: nobis, qui vere Ciceronem conamur exprimere, quia per istos vocamur in jocum & fabulam, dum ex illorum æstimamur stultitia: Ciceroni, qui per tales, ut ante diximus, imitatores non aliter infamatur, quam bonus præceptor per malos discipulos, probus vir per improbos liberos, formosa mulier per imperitum pictorem. Perspexit hoc Quintilianus, dum queritur [1] Senecam infamari quorumdam immodico studio, qui vitia duntaxat imitabantur, itaque fiebat ut qui Senecam non legerant, ex illorum scriptis Senecæ facundiam æstimarent. Quemadmodum autem nulli magis se jactant venditantque de præceptorum ac majorum nomine, quam indocti discipuli & improbi filii aliunde captantes virtutis opinionem, quum suis bonis eam conciliare non queant: ita nulli gestiunt insolentius nomine Ciceronis, quam qui Ciceronis sunt dissimillimi. Novi Medicos insigniter artis quam profitebantur imperitos, qui quo quæstum facerent uberiorem, celebris alicujus Medici, quem vix viderant, se discipulos jactitabant, rogatique cur præter artem hoc aut illud ministrarent ægrotis, convicio respondere solent: Num tu illo doctior? Hunc præceptorem sequor. Atqui illius quem nominabant pene nihil imitabantur, præter vitanda potius quam æmulanda: puta si forte celebris ille, fuit in respondendo consultoribus difficilior aut morosior, vel in exigenda mercede durior. Quo tandem animo credis egregium illum Medicum esse erga tales discipulos? Hyp. Haud dubium quin pessimo, nisi prorsus nullam habet existimationis suæ rationem. Bv. Quonam reliquos ejusdem Medici veros ac germanos discipulos? Hyp. Æque malo, quod apud vulgus tales habentur discipuli, qualem experiuntur illum gloriosum impostorem. Atqui si pateris ut orationis tuæ cursum interpellem, faxo ut videas. Bv. Licet. Hyp. Quidam casu viderat Erasmum scribere calamo, cui ob brevitatem additum erat lignum, cœpit illico suis pennis alligare baculum, atque ita sibi visus est Erasmico more scribere. Sed perge obsecro. Bv. Nec illepidum est, nec ἀπροσδιόνυσον quod narras. Cæterum ut institutum prosequar. An non audimus patresfamilias objurgantes male moratos filios, *Vos me redditis infamem & invisum civibus meis, vos obscuratis imagines majorum, pudet me talium liberorum: si pergitis, abdicabo vos?* Nonne ad consimilem modum audimus interdum fratrem indignari fratri, quod illius improbis moribus detrimentum opinionis suæ capiat? Hoc animo probabile est Ciceronem esse in istos ridiculos simios, hoc animo nos esse decet, qui illius γνήσια τέκνα studemus haberi. No. In re tam præclara nonnihil est vel umbram assequi. Bv. Sit hoc aliquid iis, quibus satis est umbras vocari Ciceronis: ego nec Apollinis umbram dici me cupiam. Malim enim esse vivus Crassus, quam umbraticus Cicero. Verum ut quod instituimus peragamus, fac esse qui totum Ciceronem in verbis, figuris & numeris exprimat, quod ipsum tamen an multi possint nescio, quantulum is habebit Ciceronis? Sit hoc in imitando Cicerone, quod Zeuxis fuit in effigiando corpore muliebri. Expressit lineamenta, colorem, ætatem, & ut summum artificium præstiterit, affectus nonnihil, hoc est, dolentis, gaudentis, irati, metuentis, attenti, aut dormitantis. Hæc qui præstitit, nonne quicquid ars potest absolvit? Quantum licuit, vivam hominis speciem in mutum simulacrum transtulit. Nec aliud exigi potest a pictore. Agnoscis formam ejus quæ depicta est, vides ætatem & affectus, fortassis & valetudinem: adde quod a quibusdam effectum legimus, agnoscit indolem & mores & vitæ spatium Physignomon. Sed immane quantum illic abest hominis? Quod ex summa homo cute conjici potest, expressum est. Cæterum quum homo constet ex anima & corpore: quantulum illic est unius partis, ejusque deterioris? Ubi cerebrum, ubi caro, ubi venæ, ubi nervi & ossa, ubi intestina, ubi sanguis, spiritus & phlegma, ubi vita, ubi motus, ubi sensus, ubi vox & sermo, denique ubi quæ sunt hominis propria, mens, ingenium, memoria, consilium? Quemadmodum quæ sunt hominis præcipua, pictori sunt inimitabilia: ita summas Oratoris virtutes nulla assequitur affectatio, sed a nobis ipsis sumamus oportet. Verum a pictore nihil aliud exigitur, si præstitit quod unum ars profitetur: a nobis, si totum Ciceronem exprimere volumus, multo aliud requiritur. Si nostrum simulacrum, quo M. Tullium effingimus, careat vita, actu, affectu, nervis & ossibus, quid erit imitatione nostra frigidius? Sed multo magis erit ridiculum, si tuberibus, nævis, cicatricibus, aliave membri deformitate demum efficiamus, ut lector agnoscat nos legisse Ciceronem. Hyp. Istius generis pictor quidam nuper risui nobis fuit, susceperat effingendum ad vivam formam Murium sodalem nostrum: quumque veram hominis formam reddere non posset, circumspectabat si quid haberet in corpore seu vestitu notabile. Æstate cœperat, jamque magna ex parte tabulam absolverat, pinxerat anulum quem gestabat, pinxerat crumenam & cingulum, tum pileum capitis diligenter expressit. Animadvertit illi in levæ manus indice esse cicatricem,

[1] Inst. Orator. lib. x. c. 1.

A cem, eam expressit accurate. Tum in dextra, qua manus peninsula brachio committitur, tuber insigne, nec hoc prætermisit. Rursus in supercilio dextro pilos aliquot in diversum flexos reddidit. Item in bucca leva cicatricem effinxit, vulneris vestigium. Ubi reversus, nam crebro redibat ad exemplar, vidisset barbam demessam, affinxit novum mentum: rursus ubi barbam aliquantulum provenisse, quia magis id placebat, mutavit illi mentum. Interim oborta est Murio febricula, ea, ut solet recedens, in labrum eruperat, pictor expressit pustulam. Tandem venit hiems, sumptum est aliud pileum, mutavit ille picturam: sumpta est vestis hiberna pellibus subducta, pinxit novam vestem. Rigor mutarat colorem, & cutem, ut solet, contraxerat, mutavit totam cutem: inciderat pituita, quæ sinistrum oculum B vitiarat, & nasum, dum frequenter emungitur, reddiderat & aliquanto majorem, & multo rubicundiorem, pinxit illi novum oculum & nasum novum. Si quando vidisset impexum, exprimebat capillorum inæqualitatem: rursum si pexum, componebat capillitium: forte dormitabat Murius dum pingeretur, expressit dormitantem, sumpserat pharmacum hortatu Medici, ea res addidit aliquid senii: mutavit faciem. Si veram ac nativam hominis formam potuisset exprimere, non confugisset ad hæc πάρεργα. Itaque si ad istum modum imitemur Ciceronem, nonne merito clamet in nos Horatius:

O imitatores servum pecus, ut mihi sæpe
Risum, sæpe jocum vestri movere tumultus?

C Sed finge nos feliciter expressisse in Cicerone quicquid hominis exprimere potest absolutus pictor, ubi pectus illud Ciceronis, ubi rerum tam copiosa, tam felix inventio, ubi dispositionis ratio, ubi propositionum excogitatio, ubi consilium in tractandis argumentis, ubi vis in movendis affectibus, ubi jucunditas in delectando, ubi tam felix ac prompta memoria, ubi tantarum rerum cognitio, denique ubi mens illa spirans etiamnum in scriptis, ubi genius ille peculiarem & arcanam adferens energiam? Hæc sic absint, quam erit frigidum imitationis nostræ simulacrum? No. Ista diserte tu quidem, Bulephore, sed quorsum spectant, nisi ut adolescentes ab effingendo Cicerone deterreas? Bv. Bona verba, Nosopone. Quin potius eo spectant hæc omnia, ut contempto simiorum quorumdam inepto D tumultu, Ciceronem, quatenus licet, & totum, & feliciter imitemur. No. Hic sane rem eandem agimus. Bv. Id ni fiat dextre, futurum est ut sedulo quidem, sed parum feliciter æmulando, Ciceronis dissimillimi reddamur. Nihil enim periculosius esse scito, quam affectare Ciceronis imaginem. Male cessit gigantibus affectasse sedem Jovis. Nonnullis exitium attulit evocasse Deos. Periculosæ plenum opus aleæ est, divinam illam & humana natura superiorem exprimere linguam. Cicero nasci fortassis potest aliquis, fieri nemo. No. Quid nunc agis? Bv. Quia virtutes illius ut summæ sunt, ita vitiis sunt proximæ. Porro fieri E non potest quin imitatio defluat ab eo, quod sequi tantum, non etiam vincere studet. Proinde quo impensius affectas illius simulacrum, hoc vitio propior es. No. Non satis intelligo quid dicas. Bv. Efficiam ut intelligas. Nonne Medici corporis optimam valetudinem prædicant periculosissimam, quod adversæ valetudini sit proxima? No. Audivi. Quid tum postea? Bv. Summa Monarchia nonne Tyrannidi proxima est? No. Ajunt. Bv. Et tamen summa Monarchia nihil est melius, si absit Tyrannis. Et summa liberalitas nonne vicina est profusionis vitio? Et summa severitas an non affinis est truculentiæ? No. Sane. Bv. Et summa festivitas, urbanitasque, nonne ad scurrilitatis ac levitatis accedit viciniam? No. Desine commemorare cætera, F finge me de singulis esse confessum. Bv. Prius audies illud Horatianum:

Brevis esse laboro,
Obscurus fio, sectantem lenia, nervi
Deficiunt, animique; professus grandia turget.

Ita qui affectant Atticismum, pro argutis ac venustis fiunt aridi: qui genus Rhodiense, dissoluti: qui Asiaticum, tumidi. Laudata est in Sallustio compositionis brevitas, nonne si quis hanc superstitiose conetur æmulari, periculum sit ne concisus & abruptus evadat? No. Fortasse. Bv. Prædicatus est in Demosthene verborum & argumentorum modus, cui nihil possis detrahere. No. Ita censuit [1] Quintilianus. Bv. Ad hanc laudem æmulandam si quis componat se anxie, quo Demosthenicus videatur, periculo vicinus est, ne minus dicat quam oportet. Applauditur Isocratis structuræ numerisque. Huc qui vehementer annitatur, in periculum veniet, ne superstitione compositionis sit molestus, & artificii jactatione fidem amittat. Senecæ laudata est copia. Hujus incautus ac sedulus æmulator periclitatur, ne redundans & immodicus evadat pro copioso. Bruti gravitatem si æmuleris anxie, fortassis tristis & asper evades. Laudatur Crispi jucunditas. Hujus æmulator veniet in discrimen, ne pro jucundo fiat ineptus aut levis. Novi qui quum mirabilem illam Ovidii facilitatem conarentur exprimere, versus effutirent, & nervis & spiritu carentes. B Et ne singulos commemorando tibi fiam molestus, dicam in genere quod restat. In quibusdam eminet argumentandi subtilitas. Hanc qui vehementer affectat, periclitatur, ne vel frigidus, vel obscurus evadat. In aliis admiramur felicem artis neglectum. Hoc qui contendit effingere, fortassis in vulgare dicendi vel potius garriendi genus incidet. In alio dilucet summa artis observatio. Id qui nitatur exprimere, incidet in scenicum quoddam dicendi genus. Atticæ frugalitati proxima est exilitas: copioso verborum fluxui vicina est loquacitas. Summam in movendis affectibus δείνωσιν excipit insaniæ species, ut granditatem fastus, asseverandi fiduciam improbitas. No. Confessa prædicas. Bv. Ex his vero sunt quædam quæ sic eminent in auctoribus, ut pro vitiis habenda sint, nisi junctis virtutibus pensarentur: C quemadmodum in Seneca compositionis abruptum, & sententiarum immodicam densitatem multæ virtutes excusant, ut præceptorum sanctitas, verborum rerumque splendor ac jucunditas orationis: nec Isocratis laudaretur compositio, nisi perspicuitas dictionis & sententiarum gravitas illi patrocinaretur. No. Nihil adhuc audio falsi: cæterum quorsum hæc tendant nondum video. Bv. Nimirum huc. Quum in uno Cicerone tam multa sint hujusmodi, periculosa mihi videtur illius superstitiosa & addicta æmulatio, quando virtutes quibus ista vel commendavit, vel texit, æmulari non possumus. No. Quænam ista dicis? Bv. Tam fluidum est illi dictionis genus, ut remissus ac solutus alicubi videri queat: tam exuberans verborum copia, ut redundans: tam artis observans, ut Declamatori quam D Oratori propior, fidei jactura captans artificii gloriam: tam liber in insectando, ut maledicus haberi possit: tam effusus in jocos, ut Catoni Consul risum moverit: tam blandus alicubi, ut abjectus: tam compositus, ut severioribus ingeniis mollis ac parum vir dictus sit. Hæc ut fateamur in Cicerone vitia non esse, propter insignem illam naturæ felicitatem, quam decent quæ facit omnia: ut etiam virtutes sint, sic tamen insunt, ut ob viciniam non careant specie vitiorum sub iniquo judice, attamen ille reprehensionem omnem eximiis ac plurimis virtutibus pensavit, ut omnium judicio calumniator & impudens habeatur, qui conetur aliquid in hujus oratione reprehendere. E Verum has virtutes non studemus exprimere, &, si Fabio credimus, sunt inimitabiles, nec ab exemplo præceptisve peti possunt, sed a Minerva. Hæ vero si absint, qualis erit eorum, quæ commemoravimus, imitatio? Colligimus igitur, nullius imitationem esse periculosiorem, quam Ciceronis, non tantum eo nomine quod summus Orator, & extra omnem ingeniorum aleam positus est (quo titulo Flaccus [2] ab æmulatione Pindari deterret, videlicet Icari exemplo) verumetiam quod pleraque in illo sic summa sunt, ut vitiis sint proxima. Hic nimirum præcipitii discrimen. No. At prius conveniebat inter nos, quæ maxime eminent ad imitationem esse accommodatissima, quo videlicet, ut nonnihil decidas ab eo quod effingere studes, tamen laudem auferas rectæ dictio- F nis. Bv. Aliud est eadem reddere, aliud similia, aliud imitari præscriptum, aliud servire, nec aliud quam sequi. Denique defluit ab exemplo, qui non reddit & illa, quæ reprehensionem excludunt. Atqui hæc Fabius indicat fere inimitabilia felicibus etiam ingeniis. No. Atque ego ad hujus laudis ambitum non recipio nisi vehementer eximia quædam ac Diis proxima ingenia, quibus si accesserit indefatigabile studium, ita demum spes est fore, ut feliciter exprimant phrasim Tullianam. Bv. Fortasse, sed ita raros, ut numerari non valeant. Jam sunt arguti quidam qui distin-

guunt

1 Lib. x. c. 1. Inst. Oratoriæ.

2 Carm. Lib. iv. Od. 2.

A guunt imitationem ab æmulatione. Siquidem imitatio spectat similitudinem, æmulatio victoriam. Itaque si totum & unum Ciceronem tibi proposueris, non in hoc tantum ut illum exprimas, verumetiam ut vincas: non prætercurrendus erit, sed relinquendus magis. Alioqui si illius copiæ velis addere, fies redundans: si libertati, fies petulans: si jocis, fies scurrilis: si compositioni, fies pro Oratore cantor. Itaque fit, ut si Tullium æquare studeas, pericliteris, ne hoc ipso pejus dicas, quod divinas hominis virtutes, quibus ea pensavit, quæ vel vitia sunt, vel vitio proxima, non possis assequi, cætera nimirum assequutus: sin coneris & antevertere, etiam si in illis, quæ nullo studio possis assequi, paria cum illo facias, tamen vitiosum erit, quicquid Ciceroni fuerit adjectum, B de quo vere pronunciatum videtur, quod illius eloquentiæ nihil possit adjici, quemadmodum Demosthenis, nihil demi. Vides, Nosopone, periculum. No. Nihil me terret periculum, modo tandem hoc laudis assequi liceat, ut dicar Ciceronianus. Bv. Hæc omnia si contemnis, est alius scrupus qui magis urget animum meum, si non gravaberis audire. No. Utere pactis, arbitratu tuo. Bv. An censes ullum hominem eloquentis nomen promereri, qui non dicat apte? No. Nequaquam, quandoquidem hæc præcipua virtus est Oratoris, apposite dicere. Bv. Verum illud appositum, unde perpenditur, nonne partim a rebus de quibus verba fiunt, partim a personis, tum dicentium, tum audientium: partim a loco, tempore, reliquisque circumstantiis? No. Maxime. Bv. Ciceronianum C autem nonne præstantem Oratorem esse vis? No. Quid ni? Bv. Itaque non erit Ciceronianus, si quis in theatro disserat de Stoicorum paradoxis, deque Chrysippeis argutiis: aut apud Areopagitas in capitis discrimine lasciviat facetiis: aut de re culinaria, verbis ac figuris Tragicorum loquatur. No. Iste nihilo minus ridiculus erit Orator, quam si quis in Tragico cultu saltet Atellanas: aut feli, quod est in proverbiis, inducat Crocoton, simiæ purpuram, Bacchum aut Sardanapalum leonis exuvio, & clava exornet Herculis. Nihil enim laudis meretur quamlibet per se magnificum, si sit ineptum. Bv. Et commode respondes & vere. Ergo M. Tullius qui suo seculo dixit optime, non optime dixisset, si ætate Catonis Censorii, Scipionis, aut Ennii simili modo D fuisset loquutus. No. Non tulissent aures comptum illud & numerosum dictionis genus, nimirum, horridioribus assuetæ. Nam istorum oratio moribus illorum temporum congruebat. Bv. Dicis igitur orationem quasi vestem esse rerum? No. Ajo, nisi mavis picturam dici. Bv. Vestis igitur quæ decora est puero, non decet senem: nec quæ fœminæ congruit conveniret viro, nec quæ decet in nuptiis, deceret in funere: nec quæ laudi dabatur olim ante annos centum, nunc probaretur. No. Imo sibilis omnibus & risu omnium exciperetur. Contemplare in picturis non admodum vetustis, fortassis ante annos sexaginta editis, cultum mulierculārum aulicarum ac procerum, quo si quis E nunc prodeat in publicum, futurum sit ut putribus malis a pueris ac morionibus lapidetur. Hy. Verissima narras. Quis enim nunc ferat in honestis matronis cornua, pyramides, metasque prælongas in vertice prominentes, frontes ac tempora pilis arte vulsis glabra ad medium prope cranium: in viris pileorum thoros cum ingenti cauda pensili, oras vestium insectas, thoros in humeris tumentes, cæsariem duobus digitis supra aures derasam, vestem longe breviorem, quam ut ad genua porrigatur, vix pudenda tegentem, calceos rostris in immensum porrectis, catenam argenteam a genu ad talum usque revinctam. Nec illis temporibus minus prodigiosus fuisset cultus, qui nunc habetur F honestissimus. No. De veste convenit. Bv. Da nunc si libet ex pictoribus Apellem, qui suæ ætatis & Deos & homines optime pingere solitus est, si quo fato rediret in hoc seculum, & tales pingeret Germanos, quales olim pinxit Græcos, tales Monarchas, qualem olim pinxit Alexandrum, quum hodie tales non sint, nonne diceretur male pinxisse? No. Male, quia non apte. Bv. Si tali habitu pingeret quis Deum Patrem, quali pinxit olim Jovem: tali specie Christum, quali tum pingebat Apollinem, num probares tabulam? No. Nequaquam. Bv. Quid, si quis Virginem matrem hodie sic exprimeret, quemadmodum Apelles olim effigiabat Dianam: aut Agnen virginem ea forma, qua ille pinxit illam omnium literis celebratam ἀναδυομένην: aut divam Theclam ea specie qua pinxit Laidem, num hunc diceres Apelli similem? No. Non arbitror. Bv. Et si quis templa nostra talibus ornaret simulacris, qualibus olim Lysippus ornavit fana Deorum, num hunc diceres Lysippo similem? No. Non dicerem. Bv. Cur ita? No. Quia signa rebus non congruerent. Idem dicerem, si quis asinum pingeret specie bubali: aut accipitrem figura cuculi, etiam si ad eam tabulam summam alioqui curam & artem adhiberet. Hy. Ego nec illum appellarem probum pictorem, qui deformem hominem, in tabula formosum redderet. Bv. Quid si alioqui summam artem præstaret? Hy. Non artis expertem tabulam dicerem, sed mendacem. Potuisset enim aliter pingere, si voluisset: Cæterum ei quem expressit vel blandiri maluit, vel illudere. Sed quid? num hunc putas probum artificem? No. Ut sit, hic certe non præstitit. Bv. Bonum igitur virum existimas. No. Nec bonum artificem, nec bonum virum. Siquidem caput artis est, rem ut est, oculis repræsentare. Bv. Ad hoc non est magnopere opus eloquentia Ciceroniana. Nam vestri Rhetores permittunt Oratori mentiri nonnunquam, res humiles verbis attollere, magnificas dejicere, quod sane præstigii genus est, obrepere insidiis in animum auditoris. Postremo movendis affectibus, quod veneficii genus est, vim adferre mentibus. No. Verum, ubi dignus est auditor qui fallatur. Bv. Sed hæc interim mittamus alieniora. Mihi satis est, quod amictum non probes corpori parum accommodum: quod picturam damnas, non aptam ei rei, quam profitetur se velle effingere. No. Sed quem exitum habituræ sunt istæ tuæ Socraticæ εἰσαγωγαί? Bv. Videlicet huc ibam, mi Nosopone, hoc mihi tecum convenit, Ciceronem omnium optime dicere. No. Convenit. Bv. Nec Ciceroniani pulcherrimum mereri cognomen, nisi qui similiter possit dicere. No. Prorsus. Bv. Tum ne bene quidem dicere, qui non dicat apte. No. Convenit & isthuc. Bv. Ut autem apte dicamus ita demum fieri, si sermo noster personis & rebus præsentibus congruat. No. Scilicet. Bv. Quid? 1 Videtur præsens seculi status, cum eorum temporum ratione congruere, quibus vixit ac dixit Cicero, quum sint in diversum mutata religio, imperium, magistratus, Respublica, leges, mores, studia, ipsa hominum facies, denique quid non? No. Nihil simile. Bv. Quid igitur frontis habeat ille, qui a nobis exigat, ut per omnia Ciceronis more dicamus? Reddat is nobis prius Romam illam, quæ fuit olim, reddat Senatum & curiam, Patres Conscriptos, Equestrem ordinem, populum in tribus & centurias digestum: reddat Augurum & Aruspicum collegia, Pontifices maximos, Flamines & Vestales, Ædiles, Prætores, Tribunos Plebis, Consules, Dictatores, Cæsares, comitia, leges, senatusconsulta, plebiscita, statuas, triumphos, ovationes, supplicationes, fana, delubra, pulvinaria, sacrorum ritus, Deos Deasque, Capitolium, & ignem sacrum: reddat provincias, colonias, municipia, & socios urbis rerum dominæ. Porro quum undequaque tota rerum humanarum scena inversa sit, quis hodie potest apte dicere, nisi multum Ciceroni dissimilis? Adeo mihi videtur hoc quod agebamus, in diversum exisse. Tu negas quemquam bene dicere, nisi Ciceronem exprimat: at res ipsa clamitat, neminem posse bene dicere, nisi prudens recedat ab exemplo Ciceronis. Quocunque me verto, video mutata omnia, in alio sto proscenio, aliud conspicio theatrum, imo mundum alium. Quid faciam? Christiano mihi dicendum est apud Christianos de religione Christiana: num ut apte dicam imaginabor me vivere ætate Ciceronis, & in frequenti Senatu apud Patres Conscriptos in arce Tarpeja dicere, & ex orationibus quas in Senatu dixit Cicero, voculas aliquot, figuras & numeros emendicabo? Habenda est concio apud promiscuam multitudinem, in qua sunt & virgines & uxores & viduæ: dicendum est de laude jejunii, de pœnitentia, de fructu orandi, de utilitate eleemosynarum, de sanctitate matrimonii, de contemptu rerum fluxarum, de studio divinarum literarum, quid hic opitulabitur mihi Ciceronis eloquentia, cui quemadmodum res, de quibus dicendum est, erant ignotæ: ita non potuerunt usitata esse vocabula, quæ post illum nova

1 Hanc in rem peccavit maxime vir cæteroquin ingeniosissimus ac disertissimus, nisi nimius imitator *Ciceronis* fuisset, *Petrus Bembus*, cum in Historia Veneta, tum in aliis opusculis. Historiam Venetam ideo censoria nota affecit *Justus Lipsius* Epist. Miscell. Cent. II. Ep. 57.

nova cum rebus novis exorta sunt. An non frigidus Orator A erit, qui ad has materias, veluti pannos Ciceroni detractos assuat? Referam non rumore perlata, sed quod his auribus audivi, his oculis conspexi. Florebant id temporis Romæ præter cæteros dicendi laude Petrus Phædrus, & Camillus hoc ætate minor, sed eloquendi viribus major, nisi quod ille jam hujus laudis arcem occuparat. Verum horum neuter, ni fallor, genere Romanus erat. Erat autem cuipiam delegata provincia qui de morte Christi diceret die sacro, quem Parasceves appellant, idque apud summum Pontificem. Aliquot ante diebus ad eam orationem audiendam sum invitatus ab eruditis. Cave, inquiebant, ne desis: nunc demum audies, quid lingua Romana sonet in ore Ro- B mano. Adfui percupide, adstiti suggesto proximus, ne quid effugeret. Aderat ipse Julius II. quod solet, valetudinis opinor causa, admodum raro; aderat frequens Cardinalium Episcoporumque consessus, ac præter ignobilem turbam, docti plerique, qui tum Romæ agebant. Nomen Oratoris non edam, ne cui videar hominis probi & eruditi famam arrodere voluisse. Erat hoc animo quo tu nunc es Nosopone, nimirum, Ciceronianæ facundiæ candidatus. Procœmium & peroratio Oratione pene tota longior, consumebatur prædicandis Julii II. laudibus, quem appellabat Jovem Opt. Max. qui dextra omnipotente tenens ac vibrans trisulcum & inevitabile fulmen, solo nutu faceret quicquid vellet. Quicquid aliquot annis gestum fuerat, in Galliis, C in Germania, in Hispaniis, in Lusitania, in Africa, in Græcia, id unius nutu perfectum esse prædicabat. Atque hæc quidem Romæ Romanus, ore Romano, sonoque Romano. Sed quid hæc ad Julium Christianæ religionis Antistitem, Christi vices gerentem, Petri & Pauli successorem? Quid hæc ad Cardinales & Episcopos reliquorum Apostolorum vicem obtinentes? Jam argumento, quod susceperat tractandum, quid sacratius, quid verius, quid mirabilius, quid sublimius, quid commovendis affectibus accommodatius? Quis hic vel vulgari quapiam eloquentia præditus, non saxeis etiam hominibus excitet lacrymas? Consilium Orationis hoc erat, ut primum Christi mortem faceret luctuosam, mox in diversum flexa dictione redderet gloriosam ac triumphalem, nimirum ut nobis exhiberet exem- D plum Ciceronianæ 1 dinoseos, qua potuit auditorum animos in quemcunque vellet affectum rapere. HY. Quid? successitne? BV. Mihi, quum maxime tractaret affectus illos tragicos, quos Rhetores appellant πάθη, ne quid fingam, ridere libebat. Nec quemquam in toto illo consessu vidi pilo tristiorem; quum totis eloquentiæ viribus exaggeraret indignos innocentissimi Christi cruciatus. Rursum nec tantulo hilariorem quemquam, quum totus in hoc esset, ut mortem illam redderet nobis triumphalem, plausibilem & gloriosam. Commemorabat Decios & Q. Curtium, qui se pro salute Reipublicæ Diis Manibus devovissent. Item Cecropem, Menœceum, Iphigeniam, & alios aliquot, quibus patriæ salus ac dignitas, ipsa vita fuisset carior. Deplorabat E autem valde lugubriter, quod fortibus viris qui suis periculis Reipublicæ subvenissent, publicis decretis relata esset gratia, aliis in foro posita statua aurea, aliis decretis honoribus divinis: Christum pro suis benefactis ab ingrata Judæorum gente præmii loco tulisse crucem, dira passum, summaque affectum ignominia. Atque ita nobis bonum illum & innocentem virum, deque gente sua optime meritum reddebat miserandum, quasi Socratis aut Phocionis mortem deplorasset; qui quum nihil admisissent sceleris, civium suorum ingratitudine coacti sunt cicutam bibere: aut Epaminondæ qui ob res præclare gestas compulsus est capitis causam apud suos dicere: aut Scipionis, qui post tot in Rempublicam merita exulatum abiit: aut Aristidis, quem populus Atheniensium non ferens cognominis invidiam, quod ob F insignem morum integritatem vulgo *justus* diceretur, ostracismo jussit in exilium proficisci. Quæso quid his dici potuit frigidius aut ineptius? Et tamen Ciceronem pro viribus æmulatus est. Cæterum de arcano supremi Numinis consilio, quod hac inaudita ratione voluit genus humanum a Diaboli tyrannide redimere per mortem unici Filii, tum de mysteriis, quid sit *commori Christo*, quid sit *cum illo sepeliri*, quid *cum illo resurgere*, nulla mentio. Deplorabatur illius innocentia, traducebatur Judæorum ingratitudo: at non deplorabatur nostra malitia, nostra ingratitudo, qui sic redempti, tot beneficiis affecti, ad tantam felicitatem inaudita benignitate provocati, rursus illum, quod in nobis est, crucifigimus, ultro revoluti in Satanæ tyrannidem, servientes avaritiæ, luxui, voluptatibus, ambitioni, magis huic mundo dediti quam unquam fuerint Ethnici, quibus Deus nondum aperuerat hanc cœlestem Philosophiam. Jam in diversa parte quum ille magno conatu id ageret, ut gaudio gestiremus, magis libebat flere: quum audirem, Scipionis, Pauli Æmilii, & C. Cæsaris triumphos, & Imperatores in Deorum numerum relatos, cum crucis triumpho conferri. Hujus gloriam qui voluisset verbis attollere, Paulum Apostolum potius sibi proponere debebat quam Ciceronem. Quam ille in hoc argumento exsultat, attollitur, superbit, regnat, triumphat; omnia mundana velut e sublimi despiciens, quoties in crucis prædicationem incidit. Quid multis? Tam Romane dixit Romanus ille, ut nihil audirem de morte Christi. Et tamen ille Ciceronianæ dictionis ambitiosissimus candidatus, Ciceronianis videbatur mirifice dixisse; quum de re pene nihil diceret, quam nec intelligere, nec amare videbatur, neque quicquam apposite dicebat, nec ullos moverat affectus. Tantum hoc laudis ferebat, quod Romane pronunciasset, & aliquid Ciceronis retulisset. Probari poterat hoc velut indolis ingeniique specimen, si a puero apud pueros in schola fuisset habita talis oratio. Verum ad talem diem, ad tales auditores, ad tale argumentum quid faciebat obsecro? NO. Est ἀνώνυμος de quo loqueris? BV. Nomen, ut dictum est, intelligi malo quam exprimi. Neque enim nobis hic propositum est ullius nomen adspergere, sed errorem vitandum ostendimus, qui non paucis hodie sub splendidi nominis umbra imponit. Hoc nostra refert Nosopone, nomen hominis, de quo narravi fabulam, scire nihil refert. Pertinet autem hoc & ad Ciceronis gloriam, cui video te supra modum favere, cui quotquot usquam terrarum sunt eruditi merito favent. Nam isti simii non solum officiunt adolescentiæ studiis ac moribus, verumetiam ipsum Ciceronis nomen obscurant, cujus cognomine sese venditant, quum nihil sint minus, quam Ciceroniani. Quemadmodum eximiæ pietatis virum Benedictum infamant, quoties se cultu tituloque jactant Benedictinos, etiam illi qui vita propius ad Sardanapalum accedunt, quam ad Benedictum: & minime malitiosum hominem Franciscum, qui se hujus cognomine jactitant, quum moribus Pharisæos propius exprimant quam Franciscum: & Augustinum, qui se ferunt Augustinenses, quum a doctrina simul ac pietate tanti viri procul abhorreant: fortasse & Christum, qui præter titulum nihil habet illius: ita Ciceronis famæ labem adspergunt, qui nihil habent in ore præter Ciceronem & Ciceronianos, quum nulli magis absint ab eloquentia Ciceronis. Mirum quo supercilio Thomæ, Scoti, Durandi similiumque barbariem exsecrentur: & tamen si res vocetur ad exactum judicium, illi quum se nec eloquentes, nec Ciceronianos jactitent, magis Ciceroniani sunt, quam isti qui postulant haberi non jam Ciceroniani, sed ipsi Cicerones. NO. Monstri simile narras. BV. Non est monstrosa veritas, qui mentitur, monstri simile dicit. Nonne fateris Ciceroni simillimum, qui de quacunque re dicit optime? NO. Fateor. BV. Ad bene dicendum duæ potissimum res conducunt, ut penitus cognitum habeas, de quo dicendum est: deinde ut pectus & affectus suppeditet orationem. NO. Ista quidem docent Horatius & Fabius, & alioqui citra auctorem verissima sunt: quare non conabor inficias ire. BV. Unde igitur Ciceroniani nomen feret, hoc est, optime dicentis, qui de rebus loquitur, quas nec penitus intelligit, nec affectu pectoris prosequitur? ut ne dicam, quas plane negligit oditque. HYP. Id quidem perdifficile est. Qui possit enim pictor, quamvis probus artifex, effingere figuram hominis, quem nunquam attente contemplatus est, aut fortasse ne vidit quidem? Deinde vix impetres ab hoc artificum genere ut scite rem exprimant, nisi delectentur argumento. BV. Illud igitur in primis curandum erat Ciceronianis: ut intelligant mysteria Christianæ religionis, nec minore studio libros Sacros evolvant, quam Cicero Philosophorum, Poetarum, Jurisperitorum, Augurum & Historicorum evolverat. His rebus instructus ille fuit Cicero. Nos qui nostræ professionis, nec leges, nec Prophetas, nec historias, nec interpretes attingimus, contemnimus etiam & horremus, qui tandem erimus Ciceroniani?

1 Δεινώσεως, gravitatis.

ni? Verum age, dicendum est apud Christianos, sed de re A profana, puta de creando magistratu, de matrimonio, aut de pangendo fœdere, aut de bello suscipiendo: an his de rebus Christiani apud Christianos eodem modo dicemus, quo Cicero Ethnicus loquebatur apud Ethnicos? An non omnes vitæ nostræ actiones conferendæ sunt ad Christi regulas? a quibus si tua recedat oratio, jam nec bonus Orator, nec vir fueris bonus. Quod si is qui dicit, nullum verbum promit, nisi ex indice suo: quum res mortalium in diversum commutatæ, novas voces invexerint, quid hic faciet Ciceronianus, quum eas non reperiet, nec in M. Tullii libris, nec in suo elencho? Si rejicietur, quicquid non deprehenditur in libris illius, quum tam multi interciderint, vide quam multa vitabimus ut barbara, quæ sunt a Cicerone prodita. Rursus quam multa, quibus erat usurus, B si de rebus hujusmodi dicendum fuisset. Nusquam apud Ciceronem legimus: *Jesu Christi*, *verbi Dei*, *Spiritus Sancti*, aut *Trinitatis* vocabulum, nec *Euangelium*, nec *Euangelistam*, nec *Mosen*, nec *Prophetam*, nec *Pentateuchum*, nec *Psalmos*, nec *Episcopum*, nec *Archiepiscopum*, nec *Diaconum*, nec *Hypodiaconum*, nec *Acoluthum*, nec *Exorcistam*, nec *Ecclesiam*, nec [1] *fidem*, *spem & caritatem*, nec *trium Personarum eandem essentiam*, nec *heresim*, nec *Symbolum*, nec *septem Ecclesiæ sacramenta*, nec *Baptismum* aut *baptistam*, nec *Confirmationem*, nec *Eucharistiam*, nec *sacram unctionem*, nec *pænitentiam*, nec *sacramentalem confessionem*, nec *contritionem*, nec *absolutionem*, nec *excommunicationem*, nec *Ecclesiasticam sepulturam*, nec *Missam*, nec alia innumera, quibus constat omnis vita Christianorum. Hæc nusquam C non sunt obvia, quacunque de re tentas dicere, ingerunt sese vel nolenti. Quid faciet? quo se vertet hic ille superstitiose Ciceronianus? An pro Patre Christi dicet, *Jupiter Opt. Max.* pro Filio dicet *Apollinem*, aut *Æsculapium:* pro Virginum Regina dicet *Dianam:* pro Ecclesia, *sacram concionem*, aut *civitatem*, aut *Rempublicam*: pro Ethnico *perduellem:* pro hæresi, *factionem:* pro schismate, *seditionem:* pro fide Christiana, *Christianam persuasionem*: pro excommunicatione *proscriptionem:* pro excommunicare, *diris devovere*, aut quod nonnullis magis arridet, *aqua & igni interdicere:* pro Apostolis *legatos*, aut *veredarios:* pro Romano Pontifice, *Flaminem Dialem:* pro consessu Cardinalium, *Patres Conscriptos*: pro synodo generali, *S. P. Q. Reipublicæ* D *Christianæ*: pro Episcopis, *Præsides provinciarum*: pro electione Episcoporum, *comitia*: pro synodica constitutione, *senatus consultum*: pro summo Pontifice, *summum civitatis Præfectum*: pro Christo capite Ecclesiæ, *summum Reipublicæ Præsidem:* pro Diabolo *sycophantam:* pro Propheta *vatem* aut *divinum:* pro Prophetiis *oracula Divûm:* pro baptismo *tincturam*: pro Missa *victimam*: pro consecratione corporis dominici, *sacrosanctum panificium:* pro Eucharistia, *sanctificum crustulum*: pro Sacerdote *sacrificulum*, aut *sacrorum Antistitem:* pro Diacono, *ministrum* aut *curionem:* pro gratia Dei, *Numinis munificentiam*: pro absolutione, *manumissionem*. [2] Vides ex innumera vocabulorum turba quantulam portionem attigerim. Quid hic faciet Ciceronianæ E phraseos candidatus? Utrumne tacebit, an ad hunc modum immutabit recepta Christianis vocabula? No. Quid ni? Bv. Fingamus igitur exemplum. Hanc sententiam: Jesus Christus, Verbum & Filius æterni Patris, juxta prophetias venit in mundum, ac factus homo: sponte se in mortem tradidit, ac redemit Ecclesiam suam, offensique Patris iram avertit a nobis, eique nos reconciliavit, ut per gratiam fidei justificati, & a tyrannide liberati, inseramur Ecclesiæ, & in Ecclesiæ communione perseverantes, post hanc vitam consequamur regnum cœlorum: sic efferet Ciceronianus. *Optimi Maximique Jovis interpres ac filius, servator, Rex, juxta vatum responsa, ex Olympo devolavit in terras, & hominis assumpta figura, sese* F *pro salute Reipublicæ sponte devovit Diis Manibus, atque ita concionem sive civitatem, sive Rempublicam suam asseruit in libertatem, ac Jovis Optimi Maximi vibratum in nostra capita fulmen restinxit, nosque cum illo redegit in gratiam, ut persuasionis munificentia ad innocentiam reparati, & a sycophanta dominatu manumissi, cooptemur in civitatem, & in Reipublicæ societate perseverantes, quum fata nos evocarint ex hac vita, in Deorum immortalium consortio rerum summa potiamur.* No. Ludis tu quidem Bulephore. Bv. Ita me bene amet nostra πειθοῖ, rem seriam ago. Jam si usus venerit, ut de difficillimis dogmatum nostrorum quæstionibus sit disserendum, quantum lucis habebit disputatio, si talibus flosculis ornatus incedat sermo? Quid aliud quam fumum ingeram materiæ tenebris? Quoties ad has salebras restitabit lector? Sed age liceat hactenus ludere Ciceronis imagine, quid fiet, ubi res poscet divinarum Scripturarum testimonia? An quum erit citandum aliquid ex Decalogi præceptis tantum adscribam, *recita legem?* Quum pronunciandum erit, constitutio synodi, adscribam, *recita senatûs consultum?* Quum erit aliquid promendum ex Prophetis aut Apostolis, adscribere sat erit, *recita testimonium?* Sic enim omnino solet Cicero. Itaque vitabo, ne dictionem Ciceronianam verbis non Ciceronianis contaminem? No. Quid igitur? Num auctor eris nobis sic loquendi, quemadmodum scripserunt Thomas & Scotus? Bv. Si melius dicit qui dicit aptius, sic de rebus sacris loqui præstiterat, quam in his Ciceronem exprimere. Quanquam est medium quiddam inter Scotos & Ciceronis simias. Nec statim male Latinum est, quod apud Ciceronem non exstat, qui, ut sæpe jam dictum est, nec exstat totus; & si totus exstaret, non tractavit omnes materias, & si tractasset omnes illorum temporum, nostras res nec tractavit, nec novit. Postremo quod ad sermonis proprietatem & elegantiam attinet, nec Ciceroni cedit [3] M. Varro, & hac dote præfertur C. Cæsar. Neque enim M. Tullius fuit auctor ac parens Romani sermonis, sed Orator Maximus, & in causarum civilium actionibus primæ laudis: in aliis inferior nonnullis, in carmine frigidus, in vertendis Græcis parum felix, qualis futurus in cæteris incertum. Si mihi de matrimonio dicendum sit, cujus multo alia nunc est ratio quam fuit olim, & de quo M. Tullius nihil memoriæ prodidit, num verebor ex Aristotele, Xenophonte, Plutarcho: e divinis libris, e Tertulliano, Hieronymo & Augustino, sententias ac verba legere, ne cui videar parum Ciceronianus? Item si de re rustica præcipiendum fuerit, fas non erit ex Virgilio, Catone, Varrone, Columella decerpere quæ placent? Si barbarum habetur, quicquid est novum & recens natum, nulla vox non fuit aliquando barbara. Quam multa reperies apud ipsum Ciceronem nova? præsertim in his libris in quibus tractat artem Rhetoricam, aut rem Philosophicam. Quis ante Ciceronem audivit *beatitatem* & *beatitudinem*? Quid apud Latinos sonat *finis bonorum*, quum apud illum significet summum bonum, aut id in quo quis statuit summam felicitatem? Quid nobis sonat *visum* & *visio*, *species*, *præpositum* & *rejectum?* Quid Latinis auribus sonet, *occupatio*, quid *contentio*, quid *superlatio*, quid *complexio*, quid *traductio*, quid *frequentatio*, *licentia*, *gradatio*, quid *status* & *constitutio*, quid *judicatio*, quid *continens*, quid *firmamentum*, quid *demonstrativum genus*, quid *inductio*, quid *propositum*, quid *aggressio*, quid *insinuatio*, quid *acclamatio*, quid aliæ voces innumeræ, quas aut prius Latinis inauditas ausus est fingere, aut in eam significationem detorsit, quam Pop. Romanus non agnoscebat? Hoc ille, reclamante seculo, non est veritus facere, quum Philosophorum Græcorum dogmata Latinis auribus traderet, & ut quod erat in præceptis Rhetorum, peculiaribus vocabulis in hoc proprie repertis explanaret, nonnullas peregrinas voces civitate Romana donavit, & nos piaculum admissum credimus, si rebus novatis vocibus aliquot novis utamur? Nulla est ars humana, cui non concedimus jus utendi suis vocabulis: licet Grammaticis dicere, *supinum* & *gerundium*: Mathematicis, *sesquialteram* & *superbipartientem*: habent agricolæ & fabri propria suarum artium vocabula: & nos cœlum terræ miscemus, si nostræ Religionis mysteria suis verbis explicemus? Voces aliquot Hebraicæ, complures Græcanicæ (quoniam e Palæstina, Asia minore & Græcia, primum ad nos demanavit Christiana Philosophia) una cum ipsis rebus invectæ sunt, quod genus sunt, *osanna*, *amen*, *Ecclesia*, *Apostolus*, *Episcopus*, ca-

1 Eodem, nempe, sensu, quo apud Christianos usurpantur; alioquin hæc tria apud *Ciceronem* sæpe leguntur.

2 Nonnulla hic sunt quæ Ciceroniani non sollicitassent; neque enim refugissent dicere *Sacerdotem*, & Papa non incommode vocetur *Pontifex Maximus*.

3 Intellectam quidem accuratissime linguam Latinam a *Varrone*, non dubitem; sed eum elegantiam Ciceronianam non adsequutum, quæ supersunt ex ejus operibus, ostendunt. Quamobrem male de ejus stylo judicavit *Gasp. Scioppius*, in Paradoxis Litterariis Ep. III. & IV.

A *catholicus*, *orthodoxus*, *hæreticus*, *schisma*, *charisma*, *dogma*, *Chrisma*, *Christus*, *baptizo*, *Paracletus*, *Euangelium*, *euangelizare*, *Euangelista*, *proselitus*, *catechumenus*, *Exorcismus*, *Eucharistia*, *symbolum*, *anathema*; nonnullas prisci Christianæ religionis antistites usurparunt, quo commodius possent de rebus tam sublimibus disserere, cujusmodi sunt ὁμοούσιος, quod nos *consubstantialis* vertimus, *fides*, *gratia*, *Mediator*, & si qua sunt alia, quæ antehac vel inaudita Latinis erant, vel non in eundem sensum usurpata. Num igitur tanti nobis erit dici Ciceronianum, ut de rebus, de quibus solis erat loquendum, prorsus sileamus: aut verbis vel ab Apostolis traditis, vel a majoribus repertis, & in hunc usque diem tot seculorum consensu receptis, abstinebimus, alia quædam in illorum locum pro suo quisque arbitrio comminiscentes? B Imo mel, piper, & sinapi cum suæ nationis vocabulis receperunt primum Græci, mox Latini: & nos fastidimus aliquot dictiones quæ nobis cum illa Cœlesti Philosophia per Christum, per Apostolos, per afflatos Sacro Spiritu Patres, veluti per manus traditæ sunt: atque interim ad Ciceronem confugimus, inde mutuo sumpturi voces, videlicet ἐν τῇ φακῇ μύρον, 1 quod apud Græcos dici solet? Si quis nobiscum summo jure contendat, citius diceret, Ciceronis verbis, figuris ac numeris, Christianæ Philosophiæ majestatem fœdari. Verum istis non assentior, mihi placet in quavis materia nitor ac mundicies orationis. At non ille dicit Ciceroniane, qui Christianus apud Christianos de re Christiana sic loquitur, quemadmodum olim Ethnicus apud Ethnicos de rebus profanis loquutus est Cicero: C sed quemadmodum ille eo præditus ingenio quo tum erat, eo dicendi usu, ea rerum nostrarum cognitione, qua tum profanarum erat instructus: postremo sic inflammatus studio pietatis erga Rempublicam Christianam, quemadmodum tum vel gloria vel studio flagrabat in urbem Romanam & in majestatem Romani nominis, dicturus esset hodie Christianus apud Christianos si viveret. Hoc qui præstare valet prodeat, & æquis animis feremus illum dici Ciceronianum, si tantopere ducitur hujus amore cognominis. Ipse M. Tullius si viveret hoc rerum statu, Dei Patris nomen non judicaret minus elegans, quam Jovis Opt. Max. nec minus decoris putaret accedere dictioni, si subinde repeteret Jesum Christum, D quam si Romulum, aut Scipionem Africanum, aut Q. Curtium, aut M. Decium. Nec minus splendidum existimaret Ecclesiæ Catholicæ nomen, quam Patrum Conscriptorum, quam Quiritium, quam Senatus populique Romani. Diceret nobiscum, *fidem in Christum*, diceret *infideles*, qui a Christo sunt alieni, diceret *Paracletum Spiritum*, diceret *sanctam Trinitatem*. Quod dico, probabilibus argumentis colligi potest. Num illum deterruit elegantiæ studium, quo minus in Philippicis, dum præit formulam Senatûs consulti, utatur verbis solennibus 2 magis quam Latinis? An non in Topicis utitur verbis Jureconsultorum longe alienis a phrasi Rhetorica? An ille fastidisset verba nostræ Philosophiæ peculiaria? No. Mihi quidem videris satis feliciter declamare. Bu. Ad hæc, non- E ne gratia sermonis bona ex parte pendet ex condituris & allusionibus? At M. Tullius unde sumit hæc condimenta? Nonne ex Homero, Euripide, Sophocle, Ennio, Lucilio, Accio, Pacuvio, Nævio: tum ex Philosophorum & Historicorum libris? No. Nimirum sine his ornamentis sordida ac trivialis est oratio. Hæc ceu gemmæ flosculive intertexta, reddunt admirandum quod scribitur. Bu. Quid si nos eadem petamus ex Virgilio, Flacco, Ovidio, Seneca, Lucano, Martiale, num hac parte dissimiles erimus Ciceronis? No. Isthuc concedunt, licet ægre. Habet enim apud Ciceronem nescio quid majestatis antiquitas eorum quorum dicta refert. Bu. Qui fit igitur ut nos existimemus totam orationem conspurcatam, si condimenta, quæ Cice- F ro petebat Ethnicus ab Ethnicis, nos ex antiquissimis Prophetis, Mose, Psalmis, Euangelicis & Apostolicis literis petamus? Admirandam quandam gemmam appositam existimamus, si quod Socratis dictum admiscuerimus orationi: & maculam accessisse credimus, si quid admixtum erit e proverbiis Solomonis? An præ Socrate nobis putet Solomon? Si quid ex Pindari Flaccive dictis fuerit interjectum, splendet oratio: & sordescit, si quid e sacris Psalmis apte fuerit attextum? Pondus ac majestatem additam arbitramur orationi, si quam Platonis sententiam inseruerimus, & plurimum gratiæ decessisse videtur, si quam Christi sententiam ex Euangelicis literis addiderimus? Unde hæc tam præpostera judicia? An Platonis sapientiam vehementius admiramur quam Christi? An libri Spiritus cœlestis afflatu proditi sordent nobis præ scriptis Homeri, Euripidis, aut Ennii? Quin missam hic faciamus Spiritus Sacri mentionem, ne videamur divina cum humanis conferre. Historia, si fidem detrahas, ne nomen quidem historiæ meretur. Hic mihi confer, si libet, fabulosum Herodotum cum Mose: confer historiam orbis conditi, exitus ab Ægypto, cum Diodori fabulis: confer libros Judicum & Regum cum Tito Livio, qui non raro secum ipse dissidet in rerum gestarum narratione, tantum abest, ut nusquam aberret a vero: confer Platonem cum Christo, Socratis εἰρωνείας cum Christi cœlestibus oraculis: confer Psalmos nihil humani spirantes cum Pindaricis adulationibus: confer Solomonis canticum cum Theocriti næniis. Sive personas spectes sive rem, nihil simile. Habet divina sapientia suam quandam eloquentiam, nec mirum si nonnihil diversam a Demosthenica, seu Ciceroniana, quum alius cultus deceat summi Regis uxorem, alius gloriosi militis amicam. Hoc dicturus eram, si quis verba cum verbis, figuras cum figuris, numeros cum numeris incipiat comparare. An dulcius sonat auribus nostris, Thessala tempe, quam mons Sion? an plus habet majestatis, a Diis immortalibus datum, quam a Deo Patre datum? an jucundius est auribus nostris, Socrates Sophronisci filius, quam Jesus Dei filius, Deus? Cur magis blanditur auribus nostris, Annibal Pœnorum Imperator, quam Paulus Gentium doctor? Si personas æstimes, ille Romano imperio moliebatur exitium, hic salutiferam Philosophiam invexit. Si voces conferas, quæso quid interest? Hy. Si verum fateri volumus, nihil nisi quod apud homines plurimum valet, vel quæ semel occupavit animum persuasio, vel penitus hausta imaginatio. Hoc accepimus, hoc penitus insedit animis nostris, voces illas esse politas ac splendidas, has inamœnas & barbaras. Bu. Rem acu tetigisti. Sed quæ res isthuc persuasit animis nostris? Hy. Nescio. Bu. Res ipsa? Hy. Non opinor. Bu. Vis eloquar quod vero verius est? Hy. Per me quidem impune. Bu. Hujus exspecto vocem. No. Utere jure quod stipulanti concessimus. Bu. At vereor ne parum videatur Ciceronianum, quod dicturus sum. No. Hic nihil refert. Bu. *Paganitas* est, mihi crede, Nosopone, *paganitas* est, quæ ista persuadet auribus atque animis nostris. Titulo duntaxat sumus Christiani. Corpus aqua sacra tinctum est, sed illota mens est: frons cruce signata est, animus crucem exsecratur: Jesum ore profitemur, sed Jovem Opt. Max. & Romulum gestamus in pectore. Alioqui, si vere, quod dicimur, essemus, quod tandem sub sole nomen oportuit vel cogitationibus, vel auribus nostris esse jucundius nomine Jesu? per quem a tantis malis erepti, cujus gratuita benignitate ad tantam dignitatem vocamur, ad æternam felicitatem invitamur: ad cujus mentionem contremiscunt impii spiritus, generis humani plus quam capitales hostes, cervices ac genua submittunt æthereæ mentes. Quod tam efficax est, ut ad hujus invocationem fugiant Dæmones, cedant immedicabiles morbi, reviviscant mortui: tam blandum & amicum, ut nulla sit tam acerba calamitas, quin magno solatio leniatur, si Jesum ex animo nomines. Et hoc nomine persuademus nobis sordidari nitorem orationis, quum Annibal & Camillus mera sint orationis lumina? Ejiciamus, revellamus, profligemus ex animo paganitatem hanc, pectus vere Christianum ad lectionem adferamus, & videbimus lucidissimam stellam additam orationi, quoties Jesu Christi nomen fuerit insertum: eximiam accessisse gemmam, quoties Virginis matris, quoties Pauli Petrique nomen admiscebitur: multum decoris accessisse, quoties ex Divinarum Literarum adytis, quoties e Spiritus Sancti lecythis ac myrotheciis, sententiam viderimus interjectam, modo in loco, modo ex animo: multoque plus dignitatis adjunctum dictioni, quam si ex Ennianis aut Accianis scriptis decem millia dictorum, quæ in illis habentur venustissima, fuissent addita. Hy. Isto sane pacto vitatur, ne quid hæreseos insimulent Theologi. Bu. Jam si quid est ornatus in tropis ac schematis, id totum est nobis cum Cicerone com-

1 *In lente unguentum.* De quo adi Chiliadas.

2 Non est quidem oratorius stylus, sed in ea re tam Latinus, quam *Ciceronis* orationes. Aliud est eleganter loqui, aliud Latine.

commune: rerum majeſtate, fideque longe ſumus illo ſuperiores. Tantum de vocibus imponit nobis imaginatio paganica, fallit affectus parum Chriſtianus, ideo putent nobis quæ ſuapte natura ſunt pulcherrima, quia non amamus, utinam non odiſſemus. Ut enim, juxta Theocriti ſententiam, amanti pulchra ſunt & ea quæ pulchra non ſunt: ita nihil eſt odio non deforme. Veniam ad alluſiones, quas ſi tollas, ſcis ipſe quantum Veneris decedat orationi. Cur hic nobis vehementius blanditur, ſi quis ſignificans aliquem indecenter admixtum alieno gregi, dicat, *vidiſſes corchorum inter olera*, quam ſi dicat, *vidiſſes Saulem inter Prophetas*: aut ſi ſignificans quippiam non in loco factum dictumve, dicat, *in lenticula unguentum*, quam *annulum aureum in nare ſuilla*: aut ſi ſignificans, non fortunæ, ſed bonæ conſcientiæ fidendum eſſe, dicat, *in ſacra ancora præſidio ſpem eſſe reponendam*, quam ſi dicat, *ſolida petræ innitendum*? Aut ſi quis volens boni viri partes eſſe, alienis inſervire commodis potius quam utilitatis propriæ rationem habere, dicat, *nihil minus decet Chriſtianum hominem, quam Aſpendium agere citharœdum*, quam ſi dicat ad Pauli dictum alludens, *magis eſſe ſpectandum quid liceat, quam quid expediat*. Hæc ſi perſequi laborem, juſti voluminis res ſit, indicaſſe ſat habeo. Quam inhiamus, quam ſtupeſcimus, ſi quod veterum Dæmoniorum ſimulacrum, aut etiam ſimulacri fragmentum nacti fuerimus: & Chriſti ac divorum imagines vix æquis oculis adſpicimus. Ut admiramur epigramma, ſeu epitaphium in corroſo quopiam ſaxo repertum: *Luciæ conjugi cariſſimæ, ante tempus exſtinctæ, Marcellus poſuit Diis Manibus ſacrum; ô me infelicem. Cur vivo?* In hujuſmodi quum ſæpenumero non ſolum ſenſus inepti & paganici, verumetiam inſignes reperiantur ſolœciſmi, tamen ea exoſculamur, veneramur, ac propemodum adoramus antiquitatem: & Apoſtolorum reliquias deridemus. Si quis quid proferat ex duodecim tabulis, quis non judicet ſacratiſſimo loco dignum? Et leges digito Dei tabulis inſcriptas, quis noſtrum veneratur, quis exoſculatur? Quam habemus in delitiis Herculis, aut Mercurii, aut Fortunæ, aut Victoriæ, aut Alexandri Magni, Cæſariſve cujuſlibet ſimulacrum nomiſmate expreſſum? & [1] veluti ſuperſtitioſos ridemus, qui lignum crucis, qui Triadis ac divorum imagines inter res caras habent. Si quando Romæ conſpicatus es Ciceronianorum μυσεῖα, recole quæſo nuncubi videris imaginem crucifixi, aut ſacræ Triadis, aut Apoſtolorum, paganiſmi monumentis plena reperies omnia. Et in tabulis magis capit oculos noſtros Jupiter per impluvium illapſus in gremium Danaës, quam Gabriel ſacræ Virgini nuncians cœleſtem conceptum: vehementius delectat raptus ab aquila Ganymedes, quam Chriſtus adſcendens in cœlum: jucundius morantur oculos noſtros expreſſa Bacchanalia, Terminaliave, turpitudinis & obſcœnitatis plena, quam Lazarus in vitam revocatus, aut Chriſtus a Joanne baptizatus. Hæc ſunt myſteria, quæ ſub Ciceroniani nominis velo teguntur. Mihi crede, per ſpecioſi tituli prætextum inſidiæ tenduntur ſimplicibus, & ad fraudem idoneis adoleſcentibus. Paganitatem profiteri non audemus. Ciceroniani cognomen obtendimus. At quanto ſatius eſſet vel mutos eſſe nos, quam in hunc affectum venire? No. Exſpectabam ut adjuvares conatus noſtros. Cæterum neſcio quo modo dilapſus alio, labefactas animum meum, ne pertendam quod aggreſſus ſum. Bv. Jam dixi & repeto, non retraho animum tuum a præclaris cœptis, ſed ad ea quæ ſunt optima ſurrigo. Neque enim hæc ideo commemorata ſunt, quod arbitrer te talibus affinem affectibus, ſed illud pro mea virili molior, ut feliciter affectemus Ciceronianam eloquentiam, ne ſedulo quidem ſed parum rectis judiciis id agentes, nihil aliud aſſequamur, quam ut dum valde ſtudemus haberi Ciceroniani, nihil minus ſimus quam Ciceroniani, ſi modo perpetuum eſſe pateris quod donaſti, Ciceronis eſſe quam optime dicere: ac ne bene quidem dicere, qui non dicat apte: tum frigidam ac mortuam eſſe dictionem, quæ non proficiſcatur e pectore. No. Qui fiet igitur, ut reddamur aliquando germane Ciceroniani? Neque enim gravabor tuum ſequi conſilium, ſi quod habes meo rectius. Bv. Hic eſt quod nobis optare, quod te monere poſſim, præterea non multum. Ingenium ac naturam Ciceronis optare poſſum nobis, dare non poſſum. Habent ſingula mortalium ingenia ſuum quiddam ac genuinum, quæ res tantam habet vim, ut ad hoc aut illud dicendi genus natura compoſitus fruſtra nitatur ad diverſum. Nulli enim bene ceſſit θεομαχία, quemadmodum Græci ſolent dicere. No. Scio, quod dicis, non indiligenter admonere [2] Quintilianum. Bv. Sit igitur hæc admonitio prima, ne quivis ſeſe addicat ad exprimendum Ciceronem, cujus genius vehementer abhorreat a genio Ciceronis: alioqui monſtri ſimilis evadet, qui quum a ſua nativa forma receſſerit, alienam tamen non aſſequatur. Illud igitur in primis inſpiciendum eſt, ad quod dicendi genus te natura finxerit. Etenim ſi qua fides Aſtrologis, nemo temere fortunatus eſt in eo, a quo geneſis abhorret. Qui Muſis natus eſt, nunquam felix erit in bello. Qui bello natus eſt, nunquam ſcribet felicia poemata. Qui conjugio natus eſt, nunquam erit bonus Monachus. Qui agriculturæ natus eſt, nunquam huic erit aula proſpera: & contra. No. Atqui nihil eſt quod non expugnet labor improbus. Videmus arte humana lapidem verti in aquam, [3] plumbum in argentum, æs in aurum, cura plantas exuere ſylveſtre ingenium. Quid vetat quo minus & hominis ingenium arte & uſu transformetur? Bv. Naturam habilem adjuvat cura, leviter abhorrentem conciliat, & corruptam emendat: at prorſus abhorrentem & ad diverſa compoſitam, fruſtra vexes, ô Noſopone. Equus diſcit in gyrum circumagi, diſcit inceſſum gradarium, at fruſtra bovem duxeris ad ceroma, fruſtra canem vocaris ad aratrum, fruſtra bubalum ad equeſtre certamen. Aqua fortaſſe vertitur in aërem, aër in ignem, ſi quis omnino ignis eſt elementaris: ſed terra nunquam vertitur in ignem, nec ignis in aquam. No. Sed quid vetat, quo minus Ciceronis phraſim, ad omnem materiam accommodemus? Bv. Fateor in M. Tullio quædam eſſe generalia, quæ poſſunt ad quodvis argumentum transferri, veluti candorem, perſpicuitatem, ſermonis elegantiam, ordinem, & ſi qua ſunt hujus generis: at hoc iſtis Tullii ſimiis non eſt ſatis, totam dictionis faciem exigunt: Quod ipſum ut in quibuſdam materiis affinibus utcunque fieri poſſet, certe in his quæ tota ratione diſſident, nequaquam valeat. Maronem ſic opinor fateris inter Poetas Latinos tenere primas, quemadmodum M. Tullius inter Oratores. No. Fateor. Bv. Age ſi pares ſcribere carmen Lyricum, utrum Horatium tibi propones an Maronem? No. Horatium in hoc genere ſummum. Bv. Quid ſi Satyram? No. Multo magis. Bv. Quid ſi mediteris Comœdiam? No. Ad Terentianum exemplar me conferam. Bv. Nimirum ob inſignem argumenti diſſimilitudinem. No. Sed habet Tulliana phraſis, neſcio quid privæ felicitatis. Bv. Totidem verbis & ego poſſim dicere, neſcio quid. Imponit multis immodicus Ciceronis amor. Nam M. Tullii phraſim ad materiam vehementer diverſam adaptare, eſt diſſimilem illi fieri. Nec eſt neceſſe affectare ſimilitudinem, ſi contingat eſſe parem, aut certe propinquum, licet diſſimilem. Quid diſſimilius quam ſmaragdus & pyropus, & tamen precio gratiaque pares ſunt. Diſſimilis eſt roſa lilio, diverſus odor, & tamen uterque flos alterum æquat. An non ſæpe vidiſti duas puellas facie diſſimili, ſed ambas ea forma, ut excellentia factura ſit ambiguum delectum, ſi cui detur optio? Non ſtatim melius eſt, quod ad Ciceronis imaginem propius accedit, quemadmodum antea dicere cœperamus, nullum animal omnibus membris propius ad hominis figuram accedere quam ſimiam, adeo, ut ſi vocem addidiſſet natura, homo videri poſſit: nihil autem homini diſſimilius eſſe quam pavum aut cygnum, & tamen cygnus, opinor, aut pavus eſſe malles quam ſimius. Hy. Ego vel camelus eſſe malim, aut bubalus, quam ſimiorum formoſiſſimus. Bv. Dic mihi, Noſopone, utrum tibi dari malles vocem luſciniæ an coccycis? No. Luſciniæ. Bv. Et tamen coccyx propius accedit ad vocem hominis. Utrum malles cum alaudis canere, an cum corvis crocitari? No. Cum alaudis canere. Bv. Et tamen corvorum vox ſimilior eſt humanæ. Utrum malles cum aſinis rudere, an cum equis hinnire. No. Cum equis hinnire, ſi ad alterutrum adigat fatorum neceſſitas.

1 Hiſtoriam ſuperſtitionis Ethnicæ cognoſcere laudabile eſt, quia eam minime imitamur; & ſuperſtitiones poſt Apoſtolica tempora invectas, in quibus tot & tanta incommoda videmus, ſerio probare aut etiam laudare nemo queat, qui rem probe penſitarit. Irriſor plebejarum ſuperſtitionum *Eraſmus*, Declamatorem popularem hic potius agit, quam *Eraſmum*. Sed interdum invidiæ, quæ maxima ei conflabatur, nonnihil ceſſit, Quod ceteris ejus meritis condonandum.

2 Inſt. Orat. Lib. x. c. 2.

3 Quis hæc unquam vidit? Nemo, præter *Alchymiſtam Eraſmi*.

sitas. Bv. Et tamen asinus veluti conatur humano more loqui. No. At opinor meam Minervam non usque adeo aversam esse ab ingenio Ciceronis. Proinde quod naturæ deest, absolvet meditatio. Quare fac absolvas, quod admonendum existimas. Bv. Recte facis quod in viam revocas, nam alio dilapsurus erat sermo meus. Summa est, ut quod cupimus, vere faciamus, hoc est, totum Ciceronem exprimamus, qui nec in verbis, nec in formulis, nec in numeris, nec in scriptis totus est, imo vix dimidiatus, ut ante satis declaratum est. No. Ubi igitur totus? Bv. Nusquam nisi in seipso. Quod si totum vis exprimere Ciceronem, teipsum non potes exprimere. Si teipsum non exprimis, mendax speculum tua fuerit oratio, nihiloque minus absurdum videbitur, quam si coloribus oblita facie te pro Nosopono Petronium esse simules. No. Ænigmata loqueris. Bv. Dicam crassius, ineptiunt qui se torquent in hoc, ut Ciceronem istis rationibus totum exprimant, quod fieri nec potest, si expediat: nec expedit, si fieri possit. Sic autem totus exprimi potest, si virtutes illius non easdem reddere contendamus, sed pares ad illius imitationem exprimere, aut, si licet, etiam vincere. Siquidem fieri potest, ut Ciceronianus sit maxime, qui Ciceroni sit dissimillimus, hoc est, qui optime aptissimeque dicat, quum diversa ratione dicat; nimirum, rebus jam in diversum commutatis: veluti si quis senem pingere velit, quem Apelles pinxerat adolescentem, hoc ipso fuerit Apelli dissimilis, si jam alium factum, velit eodem modo pingere. Hy. Sphinge dignum ænigma, ut hoc ipso dissimilis sit aliquis, quo similis est. Bv. An non id usu veniret, si quis eo modo caneret in funere, quo Hermogenes canere solet epithalamia: aut ea gesticulatione causam diceret apud Areopagitas, qua saltare Roscius solet in theatro? Verum hactenus licebit affectare Ciceronis similitudinem, si iisdem vestigiis ad eloquentiæ palmam contendamus, quibus ille pervenit. No. Quibus? Bv. Num ad unius imitationem semet addixit? Nequaquam, sed ex præcipuis quod in quoque esset aptissimum exprimere studuit. Hic illi primus erat Demosthenes, non solus: nec hunc ita sibi proposuit, ut totum exprimeret, sed ut congrua seligeret: nec ut sequi contentus esset, sed ut delectu quædam prudens vitaret, nonnulla corrigeret: quæ vero probabat sic æmularetur, ut præire contenderet. Ad hæc pectoris sui penum affatim explevit omnium disciplinarum auctorum, veterum ac novarum rerum cognitione: suæ civitatis familias, ritus, instituta, leges, edicta, plebiscita diligenter ediscebat. Nec solum studiose versabatur in adytis Philosophorum, verumetiam in secessus Musarum se subinde recipiebat, ab aliis pronunciationem, ab aliis gestum discebat. Hæc qui faciet eadem, dissimillimus evadet M. Tullio, paria qui faciet aut similia, is Ciceroniani cognomen promerebitur. No. Dic aliquando dilucidius. Bv. Qui pari studio sese exercebit in cognitione Philosophiæ Christianæ, quo ille se exercuit in profana: qui eo affectu imbibet Psalmos & Prophetas, quo ille hausit Poetarum libros: qui tanta vigilantia studebit cognoscere Apostolorum decreta, Ecclesiæ ritus, primordia, progressum ac deliquium Reipublicæ Christianæ, quanta ille laboravit Urbis Romanæ provinciarum, municipiorum & sociorum, jura legesque perdiscere, tum qui quod his omnibus studiis comparatum est, ad res præsentes accommodabit, is poterit aliquo jure Ciceroniani cognomen ambire. No. Isthæc omnia tua non video quorsum pertineant, nisi ut Christiane loquamur, non Ciceroniane. Bv. Quid? num tibi Ciceronianus est, qui nec apte dicit, nec intelligit res, de quibus verba facit? No. Nequaquam. Bv. At huc pertinent illorum studia, qui nunc Ciceroniani volunt haberi. Id ne nobis usu veniat disquirimus. Nec ulla res vetat quominus idem & Christiane dicat & Ciceroniane, si modo fateris eum Ciceronianum, qui dilucide, copiose, vehementer & apposite dicat pro rei natura, proque temporum ac personarum conditione. Quidam enim benedicendi facultatem non artem esse voluerunt, sed prudentiam. Et ipse M. Tullius in Partitionibus eleganter definit eloquentiam, *copiose loquentem sapientiam*. Nec dubitandum quin hoc eloquentiæ genus ipse sectatus sit. Ab hæc formula, Deus bone, quantum absunt isti, qui de rebus tota ratione diversis, quas ipsas nec intelligunt, nec amant, more Ciceronis volunt dicere. Quod autem nobis sordidum & solœcum videtur, quicquid a Cicerone dissonat, perniciosum ac mendax animi nostri somnium est, procul a nobis relegandum, si velimus hoc laudis ferre inter Christianos, quod Cicero tulit apud suos. [1] *Scribendi recte sapere est & principium & fons*, ait ille Criticorum acutissimus. Fons igitur eloquentiæ Ciceronianæ quis tandem est? Pectus opulenter instructum varia rerum omnium cognitione, præsertim earum, de quibus institueris dicere: pectus artis præceptionibus, tum multo scribendi dicendique usu, diutina meditatione præparatum: &, quod est totius negocii caput, pectus amans ea quæ prædicat, odio prosequens ea quæ vituperat. His omnibus conjunctum oportet esse naturæ judicium, prudentiam, & consilium, quæ præceptis contineri non possunt. Hæc unde te rogo, suppetunt istis, qui nihil legunt, præter Ciceronem, qui unum hunc student *Nocturna versare manu, versare diurna*? No. Atqui non inscite dictum est, qui diutius in sole versati sunt, colorem ducere, & qui diutius in taberna aromataria consederint, odorem loci secum ferre quum discedunt. Bv. Mihi vero perplacet ista similitudo. Tincturam modo cutis secum ferunt, & mox evanescentem aurulam. Hac gloria qui contenti sunt, desideant quantumlibet in myrotheciis aut rosariis Ciceronis, apricentur in illius sole. Ego malim si quid est bonorum aromatum demittere in stomachum, trajicere in venas, ut non solum vicinos odore levi adspergam, sed totus incalescam ipse, vegetiorque reddar, ut quoties res postulat, prodeat vox quæ sani beneque pasti animi videri queat. Ex intimis enim venis, non in cute nascitur oratio, quæ moratur auditorem, quæ movet, & in quemvis habitum animi rapit. Non hæc eo dico, quod ex Ciceronis libris mediocrem aut pœnitendam rerum cognitionem colligi existimem, sed quod ad parandam orationis opulentiam in quovis argumento solus non sufficiat. Quid igitur superest, nisi ut ipsam etiam Ciceronis imitationem ex ipso discamus Cicerone? Sic illum imitemur, quemadmodum ipse est alios imitatus. Si totus in unius lectione desedit, si se ad unius præscriptum addixit, si potiorem habuit verborum quam rerum curam, si non nisi nocte concubia scripsit, si se totum mensem in una torsit epistola, si quicquam putavit eloquens quod ad res non congrueret, faciamus eadem ut Ciceroniani simus. Sin hæc dissident plurimum ab exemplo Ciceronis, illius exemplo pectus supellectile rerum cognitu necessariarum expleamus, ac prima sit sententiarum cura, deinde verborum, & verba rebus aptemus, non contra: nec inter dicendum usquam oculos a decoro dimoveamus. Ita demum vivida fuerit oratio, si in corde nascatur, non in labiis natet. Artis præcepta non ignoremus: conferunt enim plurimum ad inventionem, dispositionem, tractationem argumentorum, & vitanda, quæ vel supersunt, vel officiunt causæ: sed quum erit agenda causa seria, primas teneat consilium. Quanquam & in fictis causis, quæ exercitationis gratia tractantur, conducit veris esse simillima quæ dicuntur. Cicero scripsit animum Lælii spirare in scriptis illius. Stultum est autem hoc conari, ut alieno scribas stomacho, desque operam ut in tuis scriptis spiret animus M. Tullii. Concoquendum est, quod varia diutinaque lectione devoraris, meditatione trajiciendum in venas animi: potius quam in memoriam aut indicem, ut omni pabulorum genere saginatum ingenium ex sese gignat orationem, quæ non hunc aut illum florem, frondem, gramenve redoleat, sed indolem affectusque pectoris tui, ut qui legit, non agnoscat fragmenta e Cicerone decerpta, sed imaginem mentis omni genere doctrinarum expletæ. Neminem priorum non legerat Cicero: quid quisque probandum aut reprehendendum haberet, diligenter expenderat, at neminem illorum proprie agnoscas in Cicerone, sed vim mentis ex omnium sententiis vegetatæ. Si te parum movet exemplum amasii tui, contemplemur exempla naturæ. Apes num ex uno frutice colligunt mellificii materiam, an potius ad omnes florum, herbarum, fruticum species mira sedulitate circumvolant, frequenter e longinquo petentes quod condant in alvearia? Nec statim mel est quod adferunt, fingunt ore visceribusque suis liquorem, ac in ipsas transformatum rursus ex sese gignunt, in quo non agnoscas, nec floris, nec fruticis delibati saporem, odoremve, sed apiculæ fœtum ex omnibus illis temperatum. Jam nec iisdem frondibus pascuntur capellæ, quo lac illis modo cognatum reddant, sed omni fron-

1 *Horatius*, in Arte Poëtica, vers. 309.

dium genere saginantur: itaque non succum herbarum, sed lac ex illis transformatum referunt. No. Refert tamen, unde mellis succum colligat apis, aut qua fronde satientur capellæ. Siquidem ex taxo toxica mella conficiunt, nec idem erit sapor lactis e capella quernis frondibus & salignis pasta. Bv. Assentior, sed veniamus ad artifices. Qui laudem præclaram ambiunt in arte statuaria graphicave, num ad unius tantum manus æmulationem addicunt sese, an potius quod in quoque delectat, id arripiunt ad artis absolutionem, sic imitantes ut conentur, si queant, anteire? Quid Architectus parans insignem aliquam domum absolvere, num ex unis ædibus sumit omnia? Non opinor, sed cum judicio deligit e plurimis, quod conspexerit esse felix. Alioqui nihil egregiæ laudis videbitur assequutus: si spectator agnoscat hoc aut illud ædificium imitatione redditum esse. Et tamen hic tolerabilius sit servisse exemplari quam in oratione. Quæ ratio est igitur, nos tanta superstitione uni Ciceroni addictos esse? Bis autem peccant qui non solum assident uni præscripto, verumetiam nullis artis Rhetoricæ præceptionibus instructi, nec alium legunt, quam Ciceronem, nec aliud quam legunt. Quid enim confert oculos in Ciceronem habere fixos, nisi admoveas artifices oculos? Quid enim mihi profuerit graphices ignaro, si totos dies spectem Apellis aut Zeuxidis tabulas? Verum ubi didiceris recte dicendi præcepta, ubi deinde peritus quispiam artifex indicarit tibi in aliquot Ciceronis orationibus, in quibus plurimum artis expressit, colorem & statum, tum propositiones feliciter inventas: mox harum ordinem, partitionem, tractationem, locupletationem, absolutionem, totius orationis in procemio semina, tum coagmentationem singularum partium, ad hæc, consilium judiciumque, quod animadverti potest, arte præcipi non potest. Item prudentiam Oratoris, quid quo loco posuerit, quid quare omiserit, quid in quem locum distulerit, præterea quibus rationibus tractet affectus utriusque generis, postremo lucem, copiam, ornatum sermonis, tum demum mira perspicies in Cicerone, quæ non perspicit sedulus ille contemplator. Non enim imitatur artem qui non intelligit, nec intelligit nisi artifex. Arte confectum opus interdum nonnulla voluptate delinit & eos, qui artis sunt imperiti, sed quantulum est quod ille videt? No. Et artem unde petes rectius quam a Cicerone? Bv. Fateor, nemo tradidit felicius, nemo usus est absolutius, sed tamen accuratius præcepit Quintilianus, atque etiam copiosius, qui non præcepta modo proponit, verumetiam elementa, progressum, rationem, usum, exercitationem ponit ob oculos, non pauca adjiciens, quæ M. Tullius vel prætermisit, vel obiter attigit. Quod genus sunt de ratione concitandorum affectuum, de generibus & usu sententiarum, de modis amplificandi, de inventione propositionum, de partiendis iisdem ac digerendis, de transmigratione & concursu statuum, de modo legendi, imitandi, scribendi. Verum præceptiones ut ignorari non oportet, ita non conducit in his consenescere, quorum anxia observatio facit ut pejus dicamus, quum in hoc reperta sit artis ratio ut bene dicamus. Commonstrator ille peritus multo plus contulerit, quam præceptiones. Id conati sunt nonnulli tum apud Græcos, tum apud Latinos, sed, mea sententia, non admodum feliciter. Cavendum est igitur, ǫ Nosopone, ne quod isti faciunt, vix degustatis præceptionibus, tantum assiduitate legendi Ciceronem confidamus nos fore Ciceronianos. Nam hi si quid assequuntur Ciceronis, præter summam cutem, umbram & auram modo quandam nihil assequuntur. No. Tales esse permultos haud inficior Bulephore, nec mihi placuit unquam illorum ratio. Bv. Nec tua causa hæc moneo, mihi & Hypologo canitur hæc cantio. Nunc & illud æquis judiciis expendamus vir amicissime: Primum an deceat nos, deinde num operæ precium sit tantis vigiliis emere Ciceroniani cognominis honorem? No. Nihil honestius. Quod autem honestum, idem non potest non esse decorum. Bv. Ut de decoro disquiramus: Fateris opinor M. Tullii dictionem non placituram fuisse seculo Catonis Censorii, quippe comptiorem magisque lascivientem quam illius ætatis moribus conveniebat. Frugalis erat vita, frugalis erat oratio. Quin & ea ætate qua vivebat Cicero, [1] non deerant viri priscam illam severitatem adhuc spirantes, veluti Cato Uticensis, & Brutus & Asinius Pollio, qui severius quiddam, minus theatricum, magisque masculum requirerent in Ciceronis eloquentia, & tamen illis temporibus eloquentia florebat, ut quum maxime, tum in populari conventu, tum in consessu Patrum, tum in judiciis, adeo, ut ornamenta jucunditatemque dictionis & exspectarent & exigerent a patronis judices. Quod igitur parum virile ducebatur in Cicerone, num putas decorum videri Christianis, quorum omnis ratio magis spectat ad bene vivendum, quam ad ornate compteque dicendum: a quorum moribus oportet plurimum abesse, quidquid ad fucos & scenicam delectationem accedit? Sed fac esse decorum, quos fructus speras tantis pares sudoribus? Finis totius hujus studii est persuadere. At quanto hic erat potentior Phocion quam Demosthenes, Aristides quam Themistocles, quanto efficacior Cato quam Cicero; qui reos nonnunquam gravabat suo patrocinio, accusatione sublevabat? Nihil hic moror illa magnifice sane dicta; pulchrius est esse Phidiam, quam scriniarium aut coquum, quum horum opera magis necessaria sint Reipublicæ quam signa Phidiæ. Pictorum ac Statuariorum ars delectandis oculis reperta est, id ubi præstitit, absolvit munus suum. Eloquentia quæ nihil aliud quam delectat, non est eloquentia, nimirum, in aliud reperta; quod nisi præstat, nec decora videri debet bono viro. Verum ut olim fuerit utilis eloquentia Ciceronis, hodie quis est illius usus? An in judiciis? Ibi res agitur articulis ac formulis, per procuratores & advocatos, quidvis potius quam Ciceronianos. Apud judices, apud quos barbarus esset Cicero. Neque multo major usus in conciliis, ubi singuli paucis aperiunt quod videtur, idque Gallice, aut Germanice. Maxime vero res hodie per consilium, quod arcanum vocant, conficiuntur: ad id vix tres homines adhibentur, illiterati fere: reliquis licet consultare. Jam etiam si res agerentur hodie Latine, quis ferret Ciceronem ea perorantem quæ dixit in Verrem, in Catilinam, in Clodium, in Vatinium testem? Quis Senatus tam ociosus, tam patiens, ut perpessurus sit orationes quas dixit in Antonium, quum in his tamen senilior sit, minus redundans, minus exultans eloquentia? Itaque cui tandem usui paramus hanc operosam Ciceronis eloquentiam? Num concionibus? Vulgus Ciceronis linguam non intelligit: & apud populum nihil agitur de Republica. Sacris vero concionibus minime congruit hoc dicendi genus. Quis igitur superest usus, nisi forte in legationibus, quæ Romæ præsertim Latine peraguntur, ex more magis quam ex animo, & magnificentiæ causa potius quam utilitatis gratia. In his enim fere nihil agitur rei seriæ: in laudibus ejus ad quem mitteris, in testificatione benevolentiæ illius a quo mitteris, & in locis quibusdam vulgaribus consumitur omnis oratio. Quid multis? Totum hoc ejus generis est, ut rem magnam præstiteris, si speciem adulationis vitaris, quum ipsam adulationem non liceat. Frigidius etiam est, quod huic ex more respondetur, interdum non sine gravi tædio prolixæ dictionis, nonnunquam & pudore illius qui laudatur immodice: sæpe dicentis non pudore tantum, sed & periculo, dum sudat recitans quæ edidicit, dum hæret, dum sibi aliquoties excidit, vel oblivione, vel animi perturbatione. Quid autem admirationis habeant tales orationes, quum fere qui recitat, ab Rhetore quopiam elaboratam edidicerit? ut ad Oratorem nostrum nihil redeat laudis, præter recitandi fortitudinem. Hic itaque præter salutationis officium nihil agitur, quod est serium, privatim literis & Gallicis colloquiis peragitur. Quod igitur theatrum petet noster Ciceronianus? Scribet epistolas Ciceronianas? Ad quos? Ad eruditos. Paucissimi sunt, & hi nihil morantur Ciceronianam phrasim, modo sit sana, prudens, munda, doctaque oratio. Ad quos igitur? Ad quatuor [2] Italos, qui se nuper jactare cœperunt Ciceronianos; quum ut ostensum est, nihil sit Ciceroni dissimilius, vixque tenuem umbram habeant Ciceronis. Quod ipsum quicquid est, si minimo constaret, si præsto esset ultro, si non officeret majoribus commodis, fortasse non esset rejiciendum. Nunc fac rationem tecum ineas, num hoc laudis sit tot vigiliis, tot sudoribus redimendum, non sine periculo valetudinis, ut a quatuor ineptis Italis adolescentibus recipiaris in catalogum Ciceronianorum. No. Non probas bene dicendi studium? Bv. M. Tullius non requirit a Philosopho eloquentiam. An quemquam existimas inter Ethnicos Philosophos tam severum, ut

1 Vide *Quintilianum* Inst. Oratoriæ Lib. XII. c. 1.

2 Quales *Aonius Palearius*, *Jacobus Sadoletus*, *Petrus Bembus*, &c.

ut putes cuivis Christiano præferendum? Hy. Imo tota Græcorum Philosophia præ Philosophia Christi somnium est ac nugamentum. Bv. Qua igitur fronte nos exigimus a Christiano Ciceronianam eloquentiam, hoc est, & inimitabilem, & quam Ethnici viro gravi vix decoram existimarunt? Nec statim male dicit, qui secus dicit quam Cicero dixit. Nec omnino, quod crebro repetendum est, bene dicit qui non dicit apte. Ad hæc inutilis est armatura, quæ quum tantum ad ostentationem valeat, nec ad manum est, ubi res virum postulat. Interdum res urget, ut eodem die viginti scribamus epistolas. Quid hic faciet meus Ciceronianus? Ad hæc quotusquisque nunc est, qui Ciceroniana phrasi capiatur? Quid quod Cicero varius est in dicendo? Alius est, quum sermone remisso placidoque docet Philosophiam, alius in actionibus causarum, alius in Epistolis, in quibus fere neglectus est & illaboratus sermo, atque hoc ipsum decet epistolam, quæ in familiaris colloquii vicem successit. An non igitur præpostere fecerit, qui ea cura conscribat epistolam de re familiari, qua Cicero meditatus est orationem pro Milone? Et nos epistolæ non longæ de rebus non ita magni momenti dabimus operam menstruam? Ne M. quidem Tullius tanti redempturus erat eloquentiam quam præstat in causis, si tot vigiliis constitisset, quanti nobis constat epistola, quum illis temporibus tantus esset in Republica usus eloquentiæ, quum hoc studium publice privatimque floreret, quum longe parabilior esset ea facultas. Jure derisus est quidam qui multis diebus se torserat, nec adhuc potuerat orationis exordium invenire, quod affectaret melius dicere quam posset. Est in Cicerone felix quædam facilitas, naturæ donum: est nativa perspicuitas. Hoc si nobis natura negavit, cur nos ipsos frustra discruciamus? Quanto vero longius absunt a sana mente, qui temporibus alienis, qui rerum humanarum tota inversa scena, quum vix usquam sit Ciceronianæ dictionis usus, hoc uno studio sese macerant, ut videantur Ciceroniani, nec quicquam aliud quam Ciceroniani. No. Belle tu quidem rhetoricaris, verum hunc affectum non possum excutere, adeo penitus insedit animo meo. Bv. A mediocri æmulandi studio te non revoco, modo qua est optimus, hac æmuleris, modo æmuleris potius quam sequaris, modo studeas æqualis esse verius quam similis, modo ne pugnes adversus genium tuum, modo ne sic affectes congruere Ciceroni tuam orationem, ut rei, de qua loqueris, non congruat. Super hæc omnia, absit anxietas, quæ nusquam non est infelix, sed haud alibi quam in dicendo infelicior. Postremo ne sic affectus sis, ut si quod sequeris, non assequaris, vitam acerbam putes, nec vivere libeat non Ciceroniano, quum tot sint hominum eruditorum millia, qui sine hoc titulo & vivi laudem egregiam, & mortui nominis immortalitatem sunt assequuti. No. Hunc in modum nunc quidem affectus sum. Bv. Idem affectus & me quondam habuit, sed ab eo morbo revalui. No. Quo tandem pacto? Bv. Adhibui Medicum. No. Quem obsecro. Bv. Facundum & efficacem. No. Quem inquam? Bv. Ad quem nihil Æsculapius aut Hippocrates. No. Enecas. Bv. Quo nemo paratior, nec amicior, nec fidelior, nec curat hepar aut stomachum: hominis intima sanat. No. Si nomen edere gravaris, saltem indica pharmacum. Bv. Et nomen & pharmacum scies, ὁ λόγος [1] τῷ λόγῳ mihi medicatus est. Hy. Verissima prædicas. [2] ψυχῆς νοσούσης ἐστὶν ἰατρὸς λόγος. Bv. Sic ab eo morbo revixi, Nosopone. Quod si voles hic aliquantisper ejus quem prius gessi personam suscipere, ego τοῦ λόγου vices obiero. No. Suscipio, quando ita videtur. Bv. Quum me vehemens teneret morbi paroxysmus, sic adortus est Medicus, quemadmodum nunc loquor tibi. *Pudor*, inquit, *te malus urget infelix*, qui ferre non possis convicium cum tot hominum millibus commune. No. Quodnam? Bv. Quia negaris esse Ciceronianus. No. Isthuc me discruciat fateor. Bv. At responde mihi per Musas, quem mihi dabis Ciceronianum, præter unum Ciceronem? A veteribus ordiamur. In Oratorum catalogo quem perlongum in Bruto contexuit M. Tullius, vix duo sunt, quos dignetur Oratorum titulo, tantum abest ut Ciceroniani videri queant. Jam C. Cæsar Ciceronianus dici non potest, vel quia vixit iisdem temporibus, vel quia longe aliud dicendi genus sibi proposuerat, contentus eleganter proprieque dicere. At hæc quantula est Ciceronis portio? Neque enim

A tam præclarum est Oratorem Latine dicere, quam turpe nescire Latine. Ad hæc nihil exstat Cæsaris præter Epistolas aliquot, & Commentarios rerum ab ipso gestarum, quanquam eruditi de horum auctore vehementer [3] ambigunt. Nulla certe exstat oratio, quum hic demum excelluerit Cicero. Idem mihi dicere licet de M. Cœlio, Planco, Decio Bruto, quorum satis multas habemus Epistolas, Tyronis studio servatas; pauciores Cn. Pompeji, L. Cornelii Balbi, Lentuli, Cassii, Dolobellæ, Trebonii, P. Vatinii, Servii Sulpitii, Auli Cecinnæ, Bithynii, M. Bruti, Asinii Pollionis, C. Cæsaris, & si qui forte sunt alii, quos constat eadem ætate fuisse cum Cicerone, ut non magis conveniat M. Cœlium dici Ciceronianum, quam Ciceronem Cœlianum. B Nec in his Epistolis quicquam congruit, præter sermonis Romani dilucidam & inaffectatam elegantiam. At in hoc non est totus Cicero, quem tibi proponis æmulandum. Quid enim nunc commemorem de Crispo Sallustio, qui quum ejusdem fuerit ætatis, dictione dissimillimus est Ciceroni. No. Ne commemora mihi priscos illos horridos & impexos, quum nondum una cum moribus enituisset eloquentia, nec eos qui pariter cum Cicerone decurrerunt: eos refer qui Ciceronem sequuti sunt? Bv. Age num tibi Seneca videtur Ciceronianus. No. Nihil minus, præsertim in oratione soluta. Nam Tragœdiæ quæ probantur a doctis, vix videntur a Seneca scribi potuisse. Bv. Num Valerius Maximus? No. Tam similis est Ciceroni, quam mulus homini, adeo ut vix credas vel Italum fuisse, qui C scripsit, vel hoc ætatis quod præ se fert, vixisse, tam diversum est totum dictionis genus, Afrum quempiam esse dicas, nec ullum carmen elaboratius. Bv. Quid Suetonius? No. Non paulo longius abest a Cicerone quam Seneca, nec verbis, nec structura, nec perspicuitate, nec figura dictionis, nec urbanitate referens M. Tullium. Bv. T. Livium hoc honore dignaris? No. Primum Historicus est, deinde incompositus, nonnullis etiam Patavinitatem quandam resipere dictus est, hoc est, minus Romane dicere. Bv. Jam Cornelium Tacitum conferre non audeo. No. Nec opus est. Bv. Fortasse Quintilianum recipies in hoc album. No. Is affectavit etiam Ciceroni dissimilis esse, cujus utinam exstarent Declamationes, nam quas habemus minimum haD bent [4] Ciceronis. Bv. Sed habeo quem non contemnas Quintum Curtium. No. Historicus est. Bv. Est, sed in historiis exstant aliquot orationes. No. Cæteris candidior est, sed nihil, ajunt, ad Parmenonis suem. Habet multas sermonis formulas a Ciceronianis diversas. Bv. Si hunc rejicis, non recipies opinor, Ælium Spartianum, Julium Capitolinum, Ælium Lampridium, Vulcatium Gallicanum, Trebellium Pollionem, Flavium Vopiscum, Aurelium Victorem. No. In his vix est quod probes præter historiæ fidem, tantum abest ut eos Ciceroniani cognominis honore digner. Nam ægre tuentur sermonis Latini castimoniam. Bv. En adest [5] Probus Æmilius. No. Candidus est laudator omnium, quorum vitam describit, ut Encomiasten dicas verius E quam Historiographum. Bv. At Ammianum Marcellinum fortasse recipies. No. Difficilis in eloquendo, ac subinde compositio carmen moliri videtur, quum dicit, ut captivos redderet nostros. Vellejum Paterculum citius agnoverim, quanquam nec illum dignabor hoc honore. Bv. Minus, opinor, agnosces Epitomographos, Florum, Eutropium & Solinum. Agnoscam si quisquam eruditus illos agnoscit, hoc sane nomine, referunt enim quos imitantur. Bv. Verum retro mihi cursus flectendus est, duos Plinios prætermisimus. Majorem scio non feres hic nominari, Juniorem fortassis admittes. No. Imo qui sunt hujus causæ censores cum primis vetant contingi ab adolescentibus hujus Epistolas, ne pro Ciceronianis evadant Pliniani. Bv. At feliF cius scripsit Orationem qua Trajanum laudat. No. Felicissime, sed Ciceronem non exprimit. Bv. Poetas sciens prætereo, facile divinans quid sis responsurus, etiam si clarissimos ac felicissimos omnium proposuero, Virgilium, Horatium, Ovidium, Lucanum & Martialem. No. In Horatio nullum Ciceronis vestigium: in Virgilio nonnullum, licet obscurum: Ovidius inter Poetas Cicero videri posset, Lu-

1 *Ratio rationi.* 2 *Sermo*; vel *ratio ægrotantis mentis est medicus.*

3 Tempore *Erasmi*, sed nunc amplius nemo. Vide *Ger. Joan. Vossium*, in Historicis Latinis.

4 Ictio ne Quintiliani quidem.

5 Hoc est, *Cornelius Nepos*, de quo vide laudatum *Vossium*.

Lucanus dictus est Oratori quam Poetæ similior, sed alienissimus ab imagine Ciceronis, Martialis ad Nasonis felicitatem plurimum accedit, & aliquid Ciceronianæ laudis illi poterat tribui, ni in libros aliquot epistolis præfatus esset, Deum immortalem, quam non Ciceronianis. Bv. Quid si proferam Lucretium? No. Eadem opera profer & Ennium & Lucilium. Bv. A. Gellii candidissimam phrasim mirantur eruditi. No. Nec argumentum convenit nec phrasis, primum affectata, & verborum copia pene superfluens, rerum supellectile frugalis. Bv. En tibi Macrobius. No. Æsopicam corniculam mihi nominas, ex aliorum pannis suos contexuit centones, itaque sua lingua non loquitur, & si quando loquitur, Græculum Latine balbutire credas. Quod genus est illud ex Commentario in Somnium Scipionis secundo. Et hoc esse volunt quod Homerus, divinarum omnium inventionum fons & origo, sub Poetici nube figmenti, verum sapientibus intelligi dedit. Bv. At Symmachum in Epistolis argutum admirantur quidam. No. Admiretur quibus studio est moleste potius quam bene dicere. Bv. Sed heus, Apulejus nobis præteritus est. No. Hunc Ciceroni conferam, quum libebit graculum comparare lusciniæ. Bv. Sit sane, in Asino & Floridis, at in Apologiis accedit. No. Minus quidem abest, sed immenso sequitur intervallo. Cæterum & Martianum Capellam oblitus es, si tales libet proferre. Bv. Quid si veniamus ad semichristianos? Quis tibi videtur Boëtius? No. Egregius Philosophus, Poeta non pessimus, a Ciceronis dictione longe semotus. Bv. Quis Ausonius? No. Ingenium ac doctrinam tribuo, stylus aulæ delicias licentiamque resipit, quemadmodum & vita: Ciceronianus adeo non est, ut studio habuisse videatur aliter dicere quam dixit Cicero. Proinde qui Ciceroniani nomen illi velit adscribere, pro honore contumeliam irrogarit homini, non aliter quam si quis Germanum appellaret, qui studeret haberi Gallus, etiam si Germanus esset. Bv. Ne te longis ambagibus circumagam, veniamus si videtur ad Christianos, si quem forte reperiamus, qui Ciceronianus dici mereatur. Inter hos opinor probabis Lactantium, qui Ciceronianæ eloquentiæ lacteo flumine manare dictus est. No. Dictus, sed ab eo qui Ciceronianus non erat. Bv. Verum illud inficiari non potes, Lactantium Ciceronis eloquentiam affectasse. Id declarat in tertium Institutionum librum præfatio, in qua defensurus Christianæ Philosophiæ veritatem, optat eloquentiam, si non Tullianam, certe Tullianæ proximam. No. Nec prorsus infeliciter affectavit, quanquam assequutus non est. Bv. Qui sic? No. Quoniam in prima statim operis præfatione sic loquutus est: *Alioqui nihil inter Deum hominemque distaret, si consilia & dispositiones illius majestatis aterna cogitatio assequeretur humana.* Ubi Cicero dixit *dispositiones* pro *decretis*? Bv. Imo dum Ciceronianus esse studet, factus est Ciceroni dissimilis. Est enim hoc Ciceronis, rem eandem duabus vocibus idem aut propemodum idem significantibus inculcare. Hinc est illud *consilia & dispositiones*. Qui scis an & vocalium hiatum captarit, ut Ciceronianus esset, in *consilia &*, rursus in, *cogitatio assequeretur*. Fortassis & compositionem affectavit, scazontis clausula comma finiens, velut in *balneatore* & *archipirata*. Cujusmodi clausulis frequenter utitur in eadem præfatione, ut in prima statim periodo *inhærere*: & rursus, *instruere possimus*: ac mox, *apud Græcos*: atque iterum, *luce orationis ornata*: & αὖθις αὖ, *honesta suscepta*, mox & *honorasti*: nec multo post *nominis tradas*: iterum, *ut sequerentur hortarer*: item aliquanto post, *reliquerunt*. Hoc certe Tullianum habet, quod subinde ditrochæo finit, ut *contulerunt*, *convocamus*, *sopiamus*, *inchoamus*: semel ponit in clausula, *quæsisse videatur*. Hæc indicant illum magno studio Ciceronis imaginem affectasse. Verum hoc nomine justius rejiceres Lactantium a titulo Tullianorum, quod nec eruditionem, nec vim, nec pectus attulerit ad defensionem Philosophiæ Christianæ, quæ M. Tullius attulit ad actionem causarum civilium. Bv. E reliquorum numero quem primum aut ultimum proferam? Cyprianum? No. Christiane scripsit verius quam Ciceroniane. Bv. Hilarium? Ohe, nihil simile. Difficilis est & obscurus in eloquendo, & Gallico, ut inquit ille, cothurno attollitur, verba quoque multa secum trahens, quæ non sunt Tullianæ puritatis. Bv. Sulpitius opinor, videbitur hoc honore dignus. No. Est ille quidem & mollior, & jucundior, & dilucidior, & illaboratior Hila-

A rio, sed phrasis Gallum fuisse declarat. Non deest pietas, sed abest vis & gravitas: & est floridum dicendi genus magis quam nervosum. Bv. Tertullianum igitur admittes. No. Irrides; is prudens ac sciens obscuravit malis verbis bonas sententias, vel ipso durior Apulejo. Bv. Certe facundissimum illum simul & doctissimum Hieronymum non repelles. No. Agnosco virum doctrina facundiaque præcellentem, Tullianum non agnosco, qui flagris ab imitatione Ciceronis depulsus est. Bv. Augustinum igitur? No. Is hoc habet Ciceronis, quod prælongo ambitu circumducit periodum, ut frequenter ergo revocet a diverticulo in viam. Verum non æque ac Cicero, prolixum orationis ductum, membris & incisis distinguit, nec facilitatem in dicendo,
B nec felicitatem in tractando reddit. Bv. Paulinum? No. Vix umbram habet Ciceronis, nec sententiis, nec verbis admodum felix. Bv. Ambrosium igitur. No. Romanum Oratorem agnoscas, non Ciceronianum. Gaudet argutis allusionibus, acclamationibus, nec præter sententias quicquam loquitur: membris, incisis, comparibus numerosus ac modulatus, suum quoddam dicendi genus habet aliis inimitabile, sed a Tulliano genere diversissimum. Bv. Saltem agnosce Romanum Gregorium, ejus nominis inter Pontifices primum. No. Agnosco virum pium, ea loquentem quæ sentit. Et hic propius accedit ad M. Tullium quam Ambrosius, sed fluit lutulentus, & Isocraticæ structuræ quasi servit oratio, quod est a Cicerone alienum. Sic enim
C puer in scholis assueverat. Bv. At Tusci Leonis, qui fuit ejus nominis primus Romanæ urbis Pontifex, eloquentiam mirantur omnes. No. Est fateor hujus bene numerosa, satisque perspicua dictio, nec ineptis sensibus, sed nihil ad Ciceronem. Bv. Quid si tibi Bernardum e Burgundionibus adducam? No. Agnosco virum bonum, quæ pars est Oratoris, natura compositum ad urbanitatem & ad dictionis leporem, sed adeo non Ciceronianum, ut ex scriptis vix suboleat unquam illi lectum Ciceronem. Bv. Posteaquam hunc rejicis, non ausim tibi proponere Bedam, Remigium, Claudium, Hesychium, Anselmum, Isidorum. No. Define mihi [1] κολοβώτας istos commemorare, quum aliena lingua loquantur, deteriora faciunt quæ referunt: dum sua pro-
D munt, vix loquuntur. In his ægrotabat eloquentia. Bv. At vereor ne mortuam dicas, si posteriores commemoravero. Prætermittam igitur Alexandrum Halensem, Petrum Gandavensem, & hujus farinæ scriptores innumeros: duos κορυφαίους proferam, Bonaventuram & Thomam. No. Bonaventura satis affluit verbis, sed qualibuscunque, Thomas Aristotelicus prorsus est, ἀπαθὴς in dicendo, tantum hoc agens, ut doceat lectorem. Bv. Verum, in Quæstionibus: cæterum ubi Rhetorem aut Poetam agit, satis spirat Ciceronem. No. Quæ mihi narras poemata? Mihi vero nusquam videtur infantior, quam quum affectat oratoriæ dictionis fluxum, id quod facit in tractanda materia de Eucharistia. Sed age missos fac Theologos istos Scholasticos, a quibus frustra requi-
E ras ullam eloquentiam, nedum Ciceronianam: alios profer, si quos habes. Bv. Age redibimus ad aliud scriptorum genus nostro seculo vicinius. Nam aliquot ætatibus videtur fuisse sepulta prorsus eloquentia, quæ non ita pridem reviviscere cœpit apud Italos, apud nos multo etiam serius. Itaque reflorescentis eloquentiæ princeps apud Italos videtur fuisse Franciscus Petrarcha, sua ætate celebris ac magnus, nunc vix est in manibus: ingenium ardens, magna rerum cognitio, nec mediocris eloquendi vis. No. Fateor. Atqui est ubi desideres in eo linguæ Latinæ peritiam, & tota dictio resipit seculi prioris horrorem. Quis autem illum dicat Ciceronianum, qui ne affectarit quidem? Bv. Quid attinet igitur referre Blondum ac Boccatium, hoc inferiores tum
F in dicendi viribus, tum in Romani sermonis proprietate? Ne Joannem quidem Tortellium audies. No. Non audiam in his quidem comitiis. Bv. Hunc sequutus est ingens proventus eruditorum certatim sese ad Ciceronis imitationem componentium. Ecquem ex hoc numero dignaberis istius cognominis honore? Num Franciscum Philelphum? No. Plane dignarer si tam placeret eruditis omnibus quam placuit sibi. Et affectavit quidem ille sedulo Ciceronis effigiem, sed parum feliciter. Nec usquam illi dissimilior est, quam ubi maxime oportuit esse similem, nimirum in Orationibus. Nam in Epistolis satis adumbrat M. Tullium.

No-

1 *Qui decurtat syllabas*, adeoque male pronuntiat.

A Neque hæc dixerim in cujuspiam contumeliam. Agnosco
viros æterna posteritatis memoria dignos, ac de studiis opti-
me meritos: sed divinum quiddam est esse Ciceronianum.
Bv. Leonardus Aretinus mihi videtur alter Cicero. No. Fa-
cilitate dictionis ac perspicuitate satis accedit ad Cicero-
nem, sed nervis aliisque virtutibus aliquot destituitur: ali-
cubi vix tuetur Romani sermonis castimoniam, alioqui vir
doctus juxta ac probus. Bv. Guarinum sat scio non reci-
pies, nec Lapum, nec Accioialum, nec Antonium Beca-
riam, nec Franciscum Barbatium, nec Antonium Tuder-
tinum, nec Leonardum Justinianum, nec Achillem Bo-
chium, & si qui sunt qui mihi nunc non succurrunt, maxi-
me quod horum plerique non alio monumento nobis inno-
tuerunt, quam vertendis Græcis, ubi nulla laus inventionis,
B quæ præcipua pars est eloquentiæ. No. Istorum neminem
contemno, neminem tamen dignabor Tulliani cognomi-
nis honore. Bv. Proferam itaque Pogium Florentinum, vi-
vidæ cujusdam eloquentiæ virum. No. Naturæ satis erat,
artis & eruditionis non ita multum: interim impuro sermo-
nis fluxu, si Laurentio Vallæ credimus. Bv. Vallam igitur
in illius locum substituamus. No. Is propius accedit ad cu-
ram ac subtilitatem Quintiliani, quam ad illaboratam Ci-
ceronis facilitatem, quanquam cæteris elimatior purior-
que. Bv. Multos prætereo sciens, quorum nomina sat scio
non ferent aures tuæ: eximios tantum refero. Si quem a-
lium, certe magnum illum Hermolaum Barbarum in hujus
cognominis honorem admittes. No. Vere magnum ac di-
C vinum hominem protulisti, sed in dicendo Ciceroni dissi-
millimum, & ipso pene Fabio Plinioque elaboratiorem,
cujus eloquentiæ nonnihil offecit Philosophiæ studium. Bv.
Quid Joannem Picum Mirandulæ comitem? No. Indo-
lem plane divinam narras, ingenium ad omnia factum, sed
hujus quoque dictionem nonnihil vitiavit linguarum ac
Philosophiæ atque etiam Theologiæ cura. Bv. Nosti gen-
tilem hujus Franciscum Mirandulanum. No. Ὀυδ' ἐγγύς,
ajunt, nimium Philosophus ac Theologus est, alioqui vir
magnus. Cæterum qui convenit, ut eum recenseas inter
Ciceronianos, qui cum Petro Bembo disputans, damnat
addictos exprimendo Ciceroni? Bv. Næ tu summam lau-
dem illi tribuisti, si quis tamen omnino nimium Theologus
D esse potest. No. Potest ad hujus palmæ conditionem. Bv.
Bene habet, unum, ni fallor, reperi, quem non rejicies, An-
gelum Politianum. Nam Marsilium Ficinum proferre non
audeo. No. Fateor Angelum prorsus Angelica fuisse men-
te, rarum naturæ miraculum, ad quodcunque scripti ge-
nus applicaret animum, sed nihil ad phrasim Ciceronis, di-
versis virtutibus suspiciendus est. Bv. Si producam in hunc
ordinem Codrum Urceum, Georgium Trapezontium, si
Theodorum Gazam, Janum Lascarem, Georgium Mæ-
rulam, M. Musurum, Marullum, prope divino quid di-
cturus sis. Submovebis ab hoc certamine totum Græco-
rum genus, quibus invisus est tuus amasius Cicero. Verum
E nolim in his comitiis habere suffragium, iram, odium, aut
amorem. No. Nec habebunt. De Jano, quoniam adhuc
superest, dicendum est parcius: Morum comitate generis
nobilitatem præ se fert, acri judicio vir, multæ in Epigram-
matibus argutiæ: poterat inter Ciceroniani cognominis
candidatos numerari, ni crebræ legationes ac Regum ne-
gotia revocassent hominem a Musis. Codro nec Latinæ
linguæ facultas deerat, nec urbanitas, verum homo non
dissentiens ab Epicuro, neglexit hanc laudem, ut non vul-
garem, ita nec parvo parabilem. Georgium Trapezon-
tium fateor virum egregie doctum, deque re literaria pul-
cre meritum, & hoc absolutiorem Theodorum Gazam,
F quorum ille se ad Ciceronis dictionem effingendam studio
composuisse videtur, hic Aristotelem exprimere maluit,
quo non alius felicior, sive vertit Græca Latine, sive Latina
Græce: quum sua loquitur, duo quædam obstrepunt deli-
cato lectori, Philosophiæ studium, in quo totus erat, & il-
lud γνήσιον Græci sermonis, quod Latine loquentes sequi
solet, ac vix unquam dediscitur. Bv. Quid vetat quo minus
Græcus absolvat Romanam linguam, si Britannis ac Phry-
sonibus hoc contigit? præsertim quum sermo Græcus tum
in verbis, tum in tropis plurimam habeat affinitatem cum
Latino. No. Quid Britannis ac Phrysonibus contigerit, aliis
æstimandum relinquo: mihi videtur affinitas sermonis ob-
stare puritati. Citius enim pure Romane loquetur Hiber-
nus, quam Gallus aut Hispanus. Quemadmodum citius Gal-
lus discet Germanice loqui pure, quam Italice aut Hispani-
ce. Sed pergam, Georgium Mærulam Alexandrinum esse
scio, an Græcus fuerit nescio, vir in reddendis Græcis splen-
didus & elegans, ut cum veteribus multis conferri queat.
Marulli pauca legi, tolerabilia, si minus haberent Paganita-
tis. M. Musurum propius novi, virum insigniter eruditum
in omni disciplinarum genere, in carmine subobscurum &
affectatum, oratione prosa, præter unam alteramve præfa-
tionem nihil quod sciam reliquit: mirabar hominem Græ-
cum tantum scire Latine. Et hunc fortuna retraxit a Mu-
sis, dum Leonis favore Romam accitus, incipit Archiepi-
scopus esse, fato præreptus est. Bv. Recipies igitur Pompo-
nium Lætum. No. Is elegantia Romani sermonis conten-
tus, nihil affectavit ultra. Bv. Platinam igitur? No. In Hi-
storia valiturus erat, si nactus fuisset argumentum felicius.
In optimo cive & Panegyrico nonnihil accedit ad Cicero-
nis imaginem, sed tanto intervallo, ut hoc cognomen non
promereatur eruditorum calculis, alioqui vir doctus, facun-
dus, & ni fallor, bonus. Bv. Quid Philippum Beroaldum
majorem? Video, abnuis, id sciebam fore. No. Imo annuo,
si mihi commendas hominem de literarum studiis præcla-
re meritum: sin postulas eum in Ciceronianorum adscribi
catalogum, abnuo. Philippum Beroaldum juniorem citius
recepero, quanquam is perpauca misit in literas. Bv. Jam
frustra tibi recenseam Georgium Vallam, Christophorum
Landinum, Mancinellum, Petrum Marsum, Baptistam
Pium, Cornelium Vitellium, Nicolaos Leonicenum &
Leonicum, Bartholomæum Scalam, Paulum Cortesium,
Petrum Crinitum, Jacobum Antiquarium. No. Ut tu far-
ragine quadam confundis diversos, Mancinellos, Vitellios
ac Marsos sile, quum agitur de eloquentia, Baptista Pius suo
more loqui conatus est. Scala sibi videbatur Tullianus, Po-
litiano ne Latinus quidem videtur, adeo ut ne sensum qui-
dem communem illi tribuerit. De Paulo Cortesio post di-
cetur. Petrus Crinitus multum abest a charactere Cicero-
niano, quanquam hominis eruditionem amplector. Leoni-
cenus Medicus erat, non Rhetor. Leonicus in adytis Phi-
losophiæ, præsertim Platonicæ, semper religiose versatus,
ad Platonis ac Ciceronis Dialogos effingendos sese compo-
suit, & præstat eloquentiæ tantum, quantum fas est hodie
a tali Philosopho requirere: Ciceronianus appellari nec ipse
cupiat, ni fallor, adhuc enim superest, vir non minus inte-
gris moribus, quam eruditione recondita. Bv. Quid de Do-
mitio Calderino? No. Bona spes erat, ni Romanæ deliciæ,
mox præpropera mors intercepissent juvenis bene cœptum
in studiis cursum. Bv. Porro Scipionem Carteromachum.
No. Agnosco virum citra ostentationem in utraque litera-
tura doctum, cæterum ex his quæ scripsit non apparet il-
lum affectasse Tullianam eloquentiam. Bv. Non rejicies
opinor Hieronymum Donatum patritium Venetum. No.
Epistolæ, quod pene solum illius habemus, declarant illum
quidvis præstare potuisse, si voluisset huc animum intende-
re, sed Reipublicæ negocia distraxerunt hominem ab otio
literario. Bv. Agnoscis Antonium Sabellicum? No. Agno-
sco natura facundum, nec artis expertem. Nec infeliciter
rhetoricatur interdum. In historia sat splendide versatus,
sed in hac tantum, quæ suum dicendi genus desiderat. Bv.
Hactenus de mortuis plerisque, nunc vivorum, ut ajunt,
meminisse oportet, de quibus fortasse vereberis quid sentias
proloqui. No. Minime, quandoquidem fateor hoc laudis
vix ulli mortalium adhuc contigisse. Bv. Nosti Paulum Æ-
milium? No. Hominis & reconditam eruditionem, & di-
ligentiam, & vitæ sanctitatem, & summam in historia fi-
dem exosculor: Tullianam dictionem nec affectavit, nec
habet. Bv. Profero Baptistam Egnatium. No. Virum non
minus probum & integrum quam eruditum & eloquentem
nominasti, sed cui Tulliani cognominis honorem negant
doctorum suffragia. Docte loqui maluit quam Ciceronia-
ne, & quod voluit assequutus est. Bv. En tibi Paulum Bom-
basium. No. Equidem exosculor Paulum Bombasium pror-
sus aurei pectoris hominem, quo vix alius unquam vixit a-
mico amicior, sed valetudini parcens, non admodum indul-
sit stylo. Mox ut erat animi minime abjecti, sordidorum
competitorum improbis contentionibus offensus: Nam
Bononiæ publico salario Græce profitebatur, ad Reipubli-
cæ negotia sese contulit: tandem accitus Romam, augere

rem maluit quam literis insenescere. Bv. Fortassis æquior eris junioribus. Quid censes de Andrea Alciato? No. Referam quid eruditi sentiant, qui propius hominem noverant quam ego. Quam laudem M. Tullius partitur inter Q. Scævolam & M. Crassum, quorum hic dictus est eloquentium Jurisperitissimus, ille Jurisperitorum eloquentissimus, totam in hunc unum competere judicant. Quid possit eloquentia, declaravit in præfatione, quam Cornelio Tacito præfixam legimus. Nam in annotationibus docere proposuit, non rhetoricari. Bv. Ex Italis opinor, non ita multos prætermisimus memorabiles. Sed heus, occurrit Hieronymus Aleander nuper favore Clementis VII. Archiepiscopus Brundusinus, quem fortasse præteritum non oportuit in hac recensione. No. Quid is possit in hoc genere, non satis liquet ex his quæ scripsit. Nam & admodum pauca venerunt in lucem, in quibus ipsis non videtur hanc laudem ambisse, & jampridem civilia, bellicaque negocia alio rapuerunt hominem peritia linguarum eleganter instructum, ac prorsus indignum qui profanis negociis serviat. Bv. Equidem arbitror Albertum Carporum Principem, propius ad Tullianam phrasim accedere quam Aleandrum. Nihil hic edidit hactenus, quod equidem sciam, unicum duntaxat librum, aut si mavis prolixam epistolam, ab illo scriptam vidi qua respondet Erasmo, tametsi sunt qui ceu compertum asseverant, ejus operis alterum esse fabrum. No. Accedit ille quidem, quisquis est quatenus licuit homini in Theologicis ac Philosophicis literis ab adolescentia versato. Bv. Vides quam multos celeberrimi nominis Scriptores commemorarim, Nosopone, quorum nemini fateris Tulliani cognominis decus obtigisse. Fortasse nonnulli fallunt meam memoriam, tu suggere, si quos nosti Hypologe. Hy. Duos Cælios, Rhodiginum & Calcagninum nescio an volens prætermiseris. Bv. Plane imprudens. No. Rhodiginus vir erat pius & variæ lectionis, in eloquentiæ certamen haudquaquam adsciscendus: alter tum eruditione, tum eloquentia superior, stylus elegans & ornatus, sed nonnihil resipiens Philosophiam Scholasticam, quæ res hactenus officit, non ut non possit inter facundos numerari, sed ne inter Ciceronianos. Bv. Pauculos prætereo sciens, ad quorum commemorationem ipsa nos reducet oratio tempestivius. Interim si placet, in Galliam & olim, & hodie studiis florentissimam aliquantisper migremus, ex ea duntaxat præcipuos relaturi, qui nuper scriptis in lucem editis eloquentiæ laudem emeruerunt. Robertus Gaguinus non ita pridem habitus est magni nominis, dictione tamen quam scriptis vendibilior. No. Verum suo seculo, nunc vix inter Latine loquentes reciperetur. Bv. Quid commemorem duos fratres Ferdinandos? No. Non feram. Bv. Quid si Guidonem Juvenalem? No. Multo minus. Bv. Quid si Jodocum Badium? No. Istum citius admiserim in hoc laudis certamen, quam Apulejum, nec infeliciter omnino cessit conatus Badio, adest illi facilitas non indocta, felicius tamen cessurus, nisi curæ domesticæ, reique parandæ studium interrupissent otium illud Musis amicum, hujus laudis candidato necessarium. Bv. Fortassis hujus honorem tituli tribues Galliarum decori Gulielmo Budæo. No. Qui tribuam quod ille nec ambit, nec agnosceret si tribuero? Quanquam is alioqui eximiis variisque dotibus suspiciendus est. Bv. Jacobus Faber habetur celebratissimus. No. Vir pius & doctus, sed qui Theologice dicere maluerit, quam Tulliane. Bv. Joannem Pinum fortassis agnosces. No. Posset inter hujus laudis competitores numerari, nisi & hunc negociorum tumultus & ecclesiastica dignitas a studiis avulsissent. Olim certe præclarum sui specimen dedit, quum Bononiæ Musarum sacra coleret. Nunc Episcopum audio factum, quid accesserit eloquentiæ nescio. Fieri potest ut plus accesserit eruditionis quam dignitatis. Bv. Agnoscis Nicolaum Beraldum. No. Agnosco dictionis illaborato fluxu Pino non dissimilem, verum is in hoc genus nunquam nervos intendit suos, dicendo quam scripto felicior. Quid possit satis divino, sed est magni laboris fugitantior. Bv. Franciscum Deloinum non vererer objicere, si se talem præstare potuisset in oratione librove, qualem se præstitit in Epistolis ex tempore scriptis ad amicos. Quod sane prodigii simile videri possit in homine qui seculo non admodum felici, totam pene ætatem in Accursiis, Bartholis ac Baldis contrivisset. In literis politioribus & senex & feliciter repubuerat. Hunc nuper mors terris eripuit, ipsi quidem matura, senex enim mortuus est, studiis vero quibus evehendis ornandisque vir optimus natus videbatur præpropera. Superest Lazarus Bayfius, qui unico libello de Vestibus eoque non magno magnam laudem meruit, summamque spem de se præbuit, si quo cœpit cursu pergat, in literarum stadio. Quanquam ad docendum appositus, argutus esse mavult, ut videtur, & Atticus quam Ciceronianus. Bv. Succurrit etiamnum par unum nequaquam, ut arbitror, fastidiendum. Nosti Claudium Cantiunculam Metensem, & Cornelium Scepperum. No. Uterque mihi & e convictu notus est. Cantiuncula ut est ingenio festivo, in quovis argumento tractando suavissime canit, præsertim oratione prosa, quantum valeat carmine nescio, nec infeliciter properat ad exemplar Ciceronis. Fluxum, perspicuitatem, copiam ac jucunditatem M. Tullii propemodum assequutus est, sed jampridem in Principum legationibus fabulam agit motoriam, quum hoc negocium altissimam quietem desideret, & tamen ita quotidie seipsum vincit, quasi per terras mariaque volitans, Musas omnes secum ducat comites. Habet hoc eximium, quod Juris prudentiam, ac Philosophiæ cognitionem eloquentiæ conciliavit. Scepperus præterquam quod in omni disciplinarum genere versatus est, pari facultate & solutam orationem texit & carmen, quanquam & hic jam diu fabulam agit motoriam. Bv. De Ruellio quid sentis? No. Quod peritissimo rei Medicæ dignum est, in vertendis Græcis religiosæ fidei. Hoc laudis maluit, quam haberi Tullianus. Bv. Sed ubi mihi ponendus est Petrus Mosellanus Trevir, inter Germanos an inter Gallos? No. Nihil refert, ad id sane quod nunc agitur. Bv. Agnoscis Ciceronianum? No. Admiror parem utriusque linguæ peritiam, ingenium candidum, minimeque sordidum, industriam indefatigabilem, dictionem vividam, floridam, ac dilucidam. Nihil ab eo non erat exspectandum nisi juvenem non ita pridem hujus laudis agonem ingressum præpropera mors, gravi doctorum omnium mœrore, nec levi studiorum dispendio, sustulisset e medio. Bv. E Galliis igitur si videtur iter flectamus in Angliam, non infelicem ingeniorum altricem. Sed Germanum Brixium pene præterieram. Non ignoras virum pari dexteritate in utraque lingua, sive carmen pangere velit, sive prosam Orationem condere: nec minus felicem Græcis in linguam Latinam transferendis. An ne hunc quidem recipies inter Tullianos? No. Ille quidem adhuc in cursu est copiam & lucem assequutus est, in nonnullis tamen M. Tullio dissimilis, sed ita ut bonam de se spem præbeat, si ut facit, totum se huic studio dediderit. Interim lubet gnaviter currenti applaudere. Bv. Nunc igitur in Britanniam, quæ quum multos habeat Tullianæ dictionis candidatos, tantum eos nominabo qui scriptis innotescere voluerunt. Si Gulielmum Grocinum proferam, respondebis nihil illius exstare præter unicam Epistolam, elaboratam sane & argutam ac bene Latinam. Maluit enim nihil scribere, quam nihil videre, homo natura luscitiosus. Ad Epistolarem argutiam appositus, Laconismum amabat, & sermonis proprietatem, diceres Atticum in hoc sane genere: nec aliud affectavit, Ciceronis copiam ferre non potuit, si quando legeret illius libros. Nec scripto solum, sed & dicendo Laconisabat. De hoc igitur non contendam. Sed Thomam Linacrum non verebor proponere. No. Novi virum undequaque doctissimum, sed sic affectum erga Ciceronem, ut etiam si potuisset utrumlibet, prius habuisset esse Quintiliano similis quam Ciceroni, non ita multo in hunc æquior, quam est Græcorum vulgus. Urbanitatem nusquam affectat, ab affectibus abstinet religiosius quam ullus Atticus, breviloquentiam & elegantiam amat, ad docendum intentus. Aristotelem & Quintilianum studuit exprimere. Huic igitur viro per me quantum voles laudum tribuas licebit, Tullianus dici non potest, qui studuerit Tullio esse dissimilis. Bv. Restat Ricardus Paceus. No. Is quidem inter Tullianæ facundiæ candidatos censeri poterat, nisi nimium illi placuisset extemporalis illa scribendi celeritas, & nisi mox juvenem e medio studiorum cursu Pontificum ac Regum negocia, profanis curis propemodum obruissent. Bv. Ab Anglia migrabo, si tibi Thomam Morum produxero. No. Fateor ingenium felicissime natum, & quod nihil non potuisset efficere, si totum his studiis vacare licuisset. Cæterum illo puero vix tenuis odor literaturæ melioris demigrarat in Angliam. Deinde parentum auctoritas ad leges ejus gentis discendas, quibus nihil illi-

illiteratius, adegit, mox in caussis agendis exercitatus, hinc ad Reipublicæ munia vocatus: vix succisivis horis respicere potuit ad eloquentiæ studia. Tandem in regiam pertractus, & regni regiorumque negociorum undis immersus, magis amare potest studia, quam colere. Et tamen dicendi genus quod assequutus est magis vergit ad Isocraticam structuram ac Dialecticam subtilitatem, quam ad fusum illud Ciceronianæ dictionis flumen, quanquam urbanitate nihilo M. Tullio inferior est. Quoniam autem adolescens diu versatus est in poematibus scribendis, Poetam agnoscas & in oratione prosa. Bv. Angliam igitur relinquamus, neque enim nominabo Gulielmum Latamerum, aut Reginaldum Polum, quorum prior vir pius Theologiam absolvere maluit quam Ciceronianam eloquentiam, alter Ciceronis admirator summus, & æmulator non infelix, nihil adhuc suo nomine voluit in lucem prodire. Quanquam in Epistolis familiaribus satis declarat quid valeat; sed non traducam ea, quibus ipse lucem nondum tribuit. Alioqui habet innumeros ea insula, summæ spei juvenes, sed interim censorem agimus non divinum. Quid autem mirum illic efflorescere juventutem, ubi Rex ipse non solum præmiis excitat bene nata ingenia, verumetiam exemplo suo quamlibet pigris subdit calcaria, duobus jam libellis testatus, quantum & faveat pietati, & ingenio facundiaque polleat. No. Ego sane libellos istos majorem in modum admiratus sum, non abhorrentes a dictione Tulliana, nisi quod argumentum & Regia dignitas suum quoddam eloquendi genus desiderare videtur. Bv. Quid superest igitur, nisi ut hinc navigemus in Hollandiam? No. Prius in Scotiam censeo. Bv. Non gravarer, si quem illic nossem quem te laturum existimem. In Daniam malo, quæ nobis dedit Saxonem Grammaticum, qui suæ gentis historiam splendide magnificeque contexuit. No. Probo vividum & ardens ingenium, orationem nusquam remissam aut dormitantem, tum miram verborum copiam, sententias crebras, & figurarum admirabilem varietatem, ut satis admirari non queam, unde illa ætate homini Dano tanta vis eloquendi suppetierit, sed vix ulla in illo Ciceronis lineamenta reperias. Bv. Igitur in Hollandiam. No. Imo prius in Zelandiam, ne quem prætereas. Bv. Alit & illa regio quædam dextra ingenia, sed pleraque luxu obruuntur. Hinc sane tibi profero Adrianum Barlandum, in cujus scriptis agnoscas candorem ac facilitatem Tullianæ dictionis. No. Accedit hac sane parte, sed totum Ciceronem non exprimit. Bv. E Zelandia facilis cursus est in Hollandiam haud infœcundam bonorum ingeniorum parentem, sed illic nec honos habetur eloquentiæ, & voluptates non temere sinunt indolem maturescere. Hinc tibi proferam Erasmum Roterodamum, si pateris. No. Professus es te de Scriptoribus dicturum. Istum vero ne inter Scriptores quidem pono, tantum abest ut Ciceronianis annumerem. Bv. Quid ego audio? Atqui videbatur & inter πολυγράφους censeri posse. No. Potest, si πολυγράφος est, qui multum chartarum oblinit atramento. Alia res est scribere de quo nos agimus, & aliud scriptorum genus. Alioqui qui manu describendis libris quæstum faciunt, Scriptores dicentur, quum hos eruditi malint librarios dicere. At hoc est nobis scribere, quod agro fructum producere, hoc nobis lectio, quod agro stercoratio: hoc nobis concoctio & emendatio, quod in agris occatio, pastinatio, putatio, zizaniorum evulsio, ac reliquæ operæ, sine quibus aut non emergit sementis, aut non adolescit exorta. Bv. Quid igitur ille? No. Abjicit ac præcipitat omnia, nec parit, sed abortit, interdum justum volumen scribit stans pede in uno, nec unquam potest imperare animo suo, ut vel semel relegat quod scripsit, nec aliud quam scribit, quum post diutinam lectionem demum ad calamum sit veniendum, idque raro. Quid quod ne affectat quidem Tulliano more dicere, non abstinens a vocibus Theologicis, interim ne a sordidis quidem? Bv. Tersior erat Gulielmus Gaudanus. No. Atticus erat in Epistolis, in carmine bonus, sed, ô scelerate luxus, quantum felicium ingeniorum, vel corrumpis vel abrumpis? Bv. Nosti Ægidium Delphum? No. Virum eruditionis variæ, versificatorem non malum, si facilitati nervos addidisset. Bv. Nuper decessit Martinus Dorpius. No. Ingenium felix & ad quidvis versatile, nec infestivum, sed alienis judiciis quam suo duci maluit. Tandem Theologiæ studium retraxit hominem a Musis. Bv. Quis tibi videtur Jacobus Ceratinus? No. Præclaram de se spem dedit, a Ciceroniano multum abest. Bv. Hinc igitur si videtur in Phrygiam commigremus. Alit enim ea regio prorsus alba, quod dici solet, ingenia: sed male convenit Como cum Musis. Langios igitur & Canterios omittam, Rodolphus Agricola sufficit unus pro multis. No. Agnosco virum divini pectoris, eruditionis reconditæ, stylo minime vulgari, solidum, nervosum, elaboratum, compositum, sed qui nonnihil resipiat & Quintilianum in eloquendo, & Isocratem in orationis structura, utroque tamen sublimior, Quintiliano etiam fusior ac dilucidior. Quod voluit præstitit, nec dubito quin Ciceronis figuram potuisset effingere, si huc vertisset animi studium. Et huic tamen ad summam laudem quum alia quædam obstitere, tum præcipue regionis ac temporum infelicitas, quibus vix quicquam honoris habebatur literis politioribus, & nationis parum frugalis vita. In Italia summus esse poterat, nisi Germaniam prætulisset. Bv. Superest Hayo Hermanus gentis ejusdem. No. Agnosco juvenem divinæ cujusdam indolis, cujus tamen nullum exstat in literis specimen, præterquam in Epistolis aliquot, quibus nihil purius, sanius, aut suavius. Is fortasse palmam hanc tulerit, si naturæ felicissimæ, par accesserit industria. Bv. Haud transeundam censeo Westphaliam, quæ nobis dedit Alexandrum Hegium. No. Virum eruditum, sanctum ac facundum nominas, sed qui gloriæ contemptu nihil magni molitus sit. Bv. Dedit & Hermannum Buscium. No. In carmine pangendo felicem, in oratione soluta magna vis adest ingenii, lectio varia, judicium acre, nervorum satis, sed compositio Quintiliano propior quam Ciceroni. Bv. Conradum Goclenium, opinor, non nosti. No. Num illum dicis qui apud Brabantos jampridem ornat non modo Collegium Busleidianum, quod quidam Trilingue vocant, sed totam etiam illam Academiam, licet alioqui florentissimam. Bv. Istum ipsum. No. Mihi quidem καὶ οἴκοθεν notus est. Bv. Nunquid in illo desideras, quo minus habeatur inter Ciceronianos? No. Opinor illud ingenium posse, quicquid serio voluerit, verum mavult obesulus esse quam polygraphus. Hy. Unum in illo novi, quo Ciceroni multum est dissimilis. Bv. Quidnam? Hy. Ciceronem accipimus prælongo & exili fuisse collo. Goclenius & pulcre obeso, & adeo non longo, ut mentum pectori pene contiguum sit. Bv. Non hic de collo, sed de stilo disputamus. Cæterum ut a Westphalia recedamus, habet Saxonia juvenes summæ spei, nihil mediocre de se pollicentes, quorum est & Christophorus Carlebitzius, imaginibus majorum ornatissimus, sed literis ac moribus compositissimis ornatior, verum horum commemoratione te non fatigabo, quorum indoles adhuc subolescit, & ut ita loquar, in herba est. Pergam ad reliquos Germanos, quorum princeps fuit Capnion. No. Vir magnus, sed oratio redolebat suum seculum adhuc horridius impolitiusque. Qualis & Jacobus Wimphelingus & si qui sunt hujus similes, quorum opera tamen non parum utilitatis accessit Germaniæ studiis. Quanquam hic in nepote suo quodammodo repubuit Jacobo Spiegellio. Bv. Capnionis ergo discipulum agnoscis Philippum Melanchthonem. No. Nihil hoc ingenio felicius si totum vacasset Musis. Nunc hanc laudem leviter affectavit, ac naturæ felicitate contentus, nec artis, nec curæ permultum ad scribendum adhibuit, & haud scio an affectantem nervi fuerint defecturi. Extemporali dictioni natus videtur, nunc aliis intentus, eloquentiæ studium magna ex parte videtur abjecisse. Bv. En igitur tibi Ulricum Huttenum. No. Sat splendoris & copiæ præstat in oratione soluta, in carmine felicior erat, cæterum a Ciceronis imagine procul aberat. Bv. Bilibaldum prius commemorasse oportuit, quo duce primum efflorescere cœpit apud Germanos eloquentia, quam & morum pietate & fortunæ splendore illustravit. No. An ille sequatur nescio, certe non assequitur, nec tam obstat ingenium quam Reipublicæ negotia, parumque prospera valetudo, quum non alius sit prosperrima dignior. Tamen ex tempore scribens adeo feliciter, abunde declarat, quantum præstare valeret, si nervos intenderet suos. Bv. Ulrico Zasio plurimum laudis tribuit universa Germania. No. Minus tamen quam vir ille promeritus est, præter exactam Juris, quod profitetur, scientiam, felicissima quædam adest vel ex tempore scribendi, dicendique facultas, diceres orationem bonis electisque verbis simul ac sententiis, ex uberrimo quodam manare fonte, adeo nec resistit usquam, nec hæret, nec intersilescit,

tum adest etiam in scriptis alacritas juvenilis, & ut ita dicam, vita, negares senis esse quod legis, attamen Politianum propius exprimit quam Ciceronem. Bv. Age, sed ex proximo tibi profero Brunonem Amerbachium Rauracum, quo viro nihil unquam natura finxit candidius. No. Quatenus licet ex gustu cognoscere, magnus erat futurus, ni festinata mors juvenem studiis eripuisset. Bv. Henricum Glareanum agnoscis Helvetium? No. Is maluit in Philosophia ac Mathematicis disciplinis consenescere, quam æmulari phrasim Ciceronianam, cui vix convenit cum subtilitatibus Mathematicorum. Bv. Unus superest, quem si non recipis, migrabimus in Pannoniam. No. Quis? Bv. Ursinus Velius. No. In carmine felix, nec infelix in oratione soluta, spirituum & urbanitatis habet affatim, ubi prodierit historia quam de rebus a Pannoniæ, Bohemiæque Rege Ferdinando gestis texere dicitur, certius pronunciabimus. Bv. Mihi certa spes est illum & Principis sui claritati, & rerum magnitudini facundiæ viribus responsurum. Hujus commemoratio nos deduxit in Pannoniam, nam illic nunc agit, ubi neminem novi præter Jacobum Pisonem, studiosum eloquentiæ Tullianæ candidatum, sed primum aula, deinde calamitas, nuper etiam mors hominem nobis abripuit. No. Audivi & dolui. Bv. Habet & Sarmatia quos non possis contemnere, sed non commemorabo, nisi qui libellis in lucem datis, sui specimen dederunt. Horum princeps est Andreas Critius, Episcopus Plocensis, qui prorsus ingenium habet, ut ait ille, in numerato, carmina pangit feliciter, felicior etiam in oratione soluta, præsto est ex tempore scribenti docta facilitas, sermo perpetua quadam orationis festivitate jucundus. No. Paucula quædam illius degustavi, quæ mihi sane spem egregiam præbent, nisi legationibus, tum Regni simul & Ecclesiæ negotiis cogatur a Musarum otio recedere. Bv. Jam Hispania quæ non ita pridem cœpit ad pristinam ingeniorum gloriam reflorescere, doctos & eloquentes viros permultos, qui scriptis innotuerunt non ita multos habet, in his Antonium Nebrissensem, virum eruditionis variæ, sed cujus mentionem laturus non sis in catalogo Tullianorum. No. Rem divinasti. Bv. Ne Lopidem quidem, opinor aut Sanctium. No. Hic Theologus est, nec affectavit hanc laudem, ille multo infelicior est in laudando, quam in reprehendendo: nec hic, nec ille Ciceronianus. Bv. Demirabor, si Joannem Ludovicum Vivem ab hoc honore submovebis. No. Equidem nec ingenium, nec eruditionem, nec memoriam in illo desidero; adest illi parata sententiarum ac verborum copia, quumque fuerit initio duriusculus, indies magis ac magis in illo maturescit eloquentia, quem si nec vita, nec studium destituerit, bona spes est fore, ut inter Ciceronianos numeretur. Sunt enim quibus scribendi conatus, juxta Mandrabuli morem, ut habet proverbium, succedat. Hic quotidie vincit seipsum. Et habet ingenium ad quidvis versatile, eoque ad declamandi facultatem unice compositus. Aliquot tamen M. Tullii virtutes nondum absolvit, præcipue jucunditatem dictionis ac mollitudinem. Bv. Et Lusitanos aliquot eruditos novi, qui vulgarint ingenii sui specimen, neminem novi præter Hermicum quemdam in epigrammatibus felicem, in oratione soluta promptum ac facilem, ad argutandum dexterrimæ dicacitatis: & Genesium, qui nuper edito Romæ libello, præclaram de se spem præbuit. Vide quot regiones peragravimus, Nosopone, dum unum quærimus Ciceronianum, nec quisquam adhuc repertus est, quem digneris hujus cognominis honore, cujus amor te macerat. Quot priscos commemoravimus, quot seculorum posteriorum, quot nostræ memoriæ, quot nostræ ætatis recensuimus, in quibus ut sint nonnulli quos fastidiosus censor possit contemnere, quam multi sunt qui suum quisque seculum, suam patriam, qui Ecclesiam, qui rem literariam doctrina facundiaque sua ornarunt, illustrarunt, nobilitarunt, nec ullum tamen adhuc invenimus Ciceronianum. Quid reliquum est, nisi ut proficiscamur in insulas Fortunatorum, inde petituri quem donemus hoc nomine? Moderatius perpetimur mala nobis cum plerisque communia. Non mœret Hispanus, si non habet flavam cæsariem, non Indus quod colore sit lurido, non Æthiops quod atro, quod simis naribus; & tu discrucias animum tuum, nec concoquere potes convicium, quod non es Ciceronianus? Hoc an malum sit nescio: sed si esset malum, non tu æquo animo ferres incommodum tibi cum tot talibusque viris commune? No. Atqui hoc laudis assequutus est [1] Christophorus Longolius, homo Brabantus, tum apud Gallos educatus. Huic uni Cisalpinorum palmam hanc tribuunt Itali, cæteros omnes ut barbaros submovent. Bv. Plurimum sane laudis tulit Longolius, sed nimio emptum. Diu tortus est, tandem & immortuus est certamini nondum peracto, non levi profecto studiorum jactura, quibus magno usui futurus erat, nisi totum animum omnesque ingenii vires ad inanis tituli studium contulisset. Quanquam ille non uni Tullio assidebat, sed per omne auctorum genus sese volverat, disciplinas liberales omnes diligenter edidicerat, ultra juris peritiam, nec erat contentus exprimere lineamenta Ciceronis, sed in inventione rerum peracutus fuisse videtur & copiosus, in tractandis argumentis dexter ac felix, nusquam non præbens admirandæ cujusdam indolis specimen. Nihil est igitur quod isti Ciceronis simii nobis Longolium objiciant, aliis dotibus ille magnus erat, etiamsi Ciceronianus non fuisset, & hæc ipsa vanissimi tituli ambitio fructum propemodum studiorum illius corrupit, vitam abrupit. Quanquam multum etiam absuit a Cicerone, cui materia defuit exercendæ mirabilis illius eloquentiæ, quam in feriis gravibusque causis Cicero præstitit: Longolius edidit Epistolas, sane quam elegantes ac feliciter elaboratas, fateor, sed multas argumento perquam humili, plures affectato, quod genus videntur aliquot Epistolæ Plinii Junioris. Atqui tales non arbitror in Epistolarum numero ponendas. Quid enim habent Epistolæ Senecæ, quod Epistolæ congruat, præter titulum? At in Ciceronis Epistolis nihil est accersitum. Aut de gravibus seriisque negociis, scribit ea quæ coram exponeret si licuisset, aut cum amicis absentibus de familiaribus colloquitur rebus, aut de studiis confabulatur, quemadmodum solent amici præsentes inter se miscere sermonem. Quid quod Cicero non edidit Epistolas suas, & quasdam videtur scripsisse neglectius quam loqui solitus erat. Unde bona pars earum quas Tiro Ciceronis libertus collegerat, intercidit, haud opinor peritura, si docti eas [2] judicassent immortalitate dignas. Primum igitur illa simplicitas & gratia sermonis inaffectati, deinde veritas abest in Epistolis Longolii plerisque. Ad hæc quoniam nec eadem fuit fortuna Longolii quæ Ciceronis, nec eadem negocia, fit ut interdum inepta sit ac frigeat imitatio. Quod genus sit, M. Tullius Senator & vir Consularis, scribit ad suæ dignitatis homines, quid moliantur Duces in provinciis, quam instructæ sint legiones, ostendit periculum, divinat rerum exitum: quum ad imitationem Ciceronis similia scribit ad eruditos amicos & in otio viventes, Longolius, veluti sollicitus de summa rerum, nonne friget affectatio? Quid quod ipse in Museum abditus interdum literis mandat vanissimos rumores, quales vulgo circumvolitant, indigni qui vel sermone cordati hominis commemorentur. Sed in Orationibus, inquies, quas duas reliquit, velut in Capitolio habitas, Ciceronem præstitit. Eas ego sane magna cum animi tum admiratione, tum voluptate legi, fateor. Effecerunt enim, ut de illius ingenio longe quam ante magnificentius sentirem. Adeo, quum de illo præclaram concepissem existimationem, vicit multis partibus exspectationem meam. Videtur enim in has deprompsisse quicquid vel suo potuit ingenio, vel e Ciceronis orationibus hauserat. Eæ tamen tot annis elaboratæ, toties sub incudem revocatæ, toties Criticorum censuram perpessæ, quantulum habent Ciceronis? non quidem Longolii culpa, sed temporum. Aptissime dicebat Cicero, vix apte Longolius, quandoquidem Romæ, nec Patres Conscripti sunt hodie, nec Senatus, nec populi auctoritas, nec tribuum suffragia, nec Magistratus qui solent esse, nec leges, nec comitia, nec actionum forma, nec provinciæ, nec municipia, socii, cives; postremo Roma, Roma non est, nihil habens præter ruinas ruderaque priscæ calamitatis cicatrices ac vestigia. Tolle Pontificem, Cardinales, Episcopos, Curiam, & hujus Officiarios, deinde Legatos Principum, Ecclesiarum, Col-

1 *Erasmus* postea melius edoctus ait eum in Hollandiæ urbe Schonovia natum. Vide Ep. ad *Damianum Goës*, datam 18. Augusti 1535. ubi de *Longolii* patria.

2 Prava hæc est ratio, quæ si valeret, spernenda essent quæcumque periere, apud Græcos & Latinos. Ratio jacturæ potius petenda ex ignorantia aut perverso judicio Monachorum, qui frigidas Homilias millies exscribebant, Ethnicos auctores rarius multo.

Collegiorum, & Abbatiarum, tum colluviem hominum partim qui vivunt ex hisce nundinis, partim qui vel libertatis amore, vel fortunam aucupantes eo confluunt, quid erit Roma? Dicet aliquis, Pontificum regnum a Christo traditum augustius esse, quam fuerat olim Senatus, populique Romani, aut etiam si libet Octavii Cæsaris. Mea nihil refert, modo fatearis diversum regni genus esse. Quo fit, ut nec oratio congruat eadem: si putamus Ciceronianum esse, sermonem ad rem præsentem accommodare. At ille præclarus juvenis orationem attemperavit, ad hominum affectus, qui veterem Romam, *rerum dominam gentemque togatam*, adhuc somniant, quemadmodum Judæi nondum desinunt suum [1] Mosen ac templum Hierosolymitanum somniare. Jam Christophorus juvenis nec magistratu, nec rebus gestis, nec ullo alio nomine magnus erat quam ingenio, quod ego sane pulcrius esse duco, quam si regno polluisset. Sed hæc persona nihil ad Ciceronem. Nunc argumentum accipe. Inciderat illi contentio cum Italo quodam adolescente, in hoc opinor subornato, ut Ciceronianam eloquentiam a barbaris vindicaret. Et est, ut audio, nunc Romæ sodalitas quædam eorum, qui plus habent literaturæ quam pietatis: docti vocantur, & apud multos habentur in pretio. Per hos ociosos hoc certamen, studiis hinc atque hinc effervescentibus accensum est, ut ea civitas undequaque captat voluptatis materiam. Interim Longolii causam gravabat Lutheri causa, cujus gratia apud Romanos male audiebat quicquid erat affine Germaniæ, ne dicam Cisalpini omnes. Jamque Christophoro tametsi natione barbaro: nam hujusmodi vocabulis adhuc utuntur illi, quasi facies rerum non tota sit immutata: tamen ob admirandam sermonis elegantiam, visum est candidioribus aliquot, honoris gratia decernere civis Romani titulum. Fiebat hoc olim, & erat munus non minus utile quam honorificum. Nunc autem quid est esse civem Romanum? Profecto minus aliquanto quam esse civem Basiliensem, si contemptis verborum fumis, rem æstimare libeat. Atque hinc in barbarum Longolium competitoris ipsique faventium invidia. Tandem quæsita est illa voluptas ociosis, ut in Capitolio (sic enim vocant curiam quandam non admodum magnificam, in qua solent agi per pueros exercitandi ingenii gratia fabulæ) causam diceret Longolius. Subornatus adolescens audaculus, qui accusationem quam ab alio compositam edidicerat, recitaret. Accusationis hæc erant capita: Primum quod Christophorus Longolius olim puer, dum ingenii periclitandi gratia laudat Galliam in qua tum vivebat, in nonnullis ausus sit eam æquare Italiæ, deinde quod in ea laudasset tribus verbis Erasmum & Budæum Barbarus Barbaros: præterea quod diceretur ab his subornatus ac delegatus in Italiam, ut optimos quosque libros deportaret ad Barbaros, quo possent cum Italis de principatu eruditionis contendere. Postremo quod homo Barbarus & obscuræ familiæ, minime dignus videretur honore tanti cognominis, ut civis Romanus appellaretur. Habes præclarum argumentum, in quo nervos intendas eloquentiæ Tullianæ. Atqui hoc plane ludicrum ille plusquam serio agit, mirifico sane verborum apparatu, magna ingenii significatione, summa vehementia, multa interdum urbanitate, non aliter alludens ad ætatem Ciceronis, quam is qui scripsit Batrachomyomachiam, allusit ad Homericam Iliadem, ranis ac muribus, rebusque ridiculis ac frivolis, Deorum, Dearum, Heroum splendida verba factaque accommodans. Ita Longolius exaggerat capitis discrimen, armatas cohortes, gladiatorum manum, quorum violentia auctoritas amplissimi ordinis, ac secundum leges agendi libertas fuerit impedita. Fingit priscam illam Romam orbis reginam, & hujus præsidem ac tutorem Romulum cum suis Quiritibus: somniat P.C. & augustissimum ordinem regnorum dominum, populum in suos ordines ac tribus distinctum, Prætorum jus, Tribunorum intercessionem: somniat provincias, colonias, municipia & socios urbis septicollis: recitatur Senatus consultum, citantur leges, miror non meminisse clepsydrarum, quæ reo solent infundi novem opinor. Hic excitantur illa πάθη, appellantur veteres illi Romanæ civitatis Principes, eque monumentis excitantur, quid non? Per quam faceta res est. Equidem fateor hunc ludum videri posse non inelegantem, si ad eum modum exerceretur juventus in scholis declamatoriis, etiamsi non frustra præcepit Quintilianus, ut declamationis simulacrum quam proxime accedat ad veras actiones, nimirum, quod quidam declamandi themata petere soleant e Poetarum fabulis, nec veris, nec verisimilibus. Nam habent in adolescentibus & illa progymnasmata fructum haudquaquam pœnitendum, quum argumento ex historia sumpto, verba sententiæque ad illorum temporum conditionem accommodantur, sed tamen instructior erit ad veras causas agendas, qui quæstionem tractat, præsentis temporis involutam circumstantiis, veluti si quis tractet: num expediat Reipublicæ ut Principes filias aut sorores suas in procul semotas regiones elocent: an sit in rem Christianæ pietatis, proceres Ecclesiasticos onerari ditione profana: utrum consultius sit juvenem evolvendis auctoribus, an peragrandis longinquis regionibus, periclitandisque rebus, multarum rerum cognitionem colligere: num expediat puerum imperio destinatum, aut natum, multum temporis in literis ac liberalibus disciplinis consumere. Cæterum argumentum quod tractat Longolius, quum nec sit ex historia petitum, ut saltem per fictionem suo tempori congruere possit, nec ejusmodi tamen, ut vere suo tempori suisque personis conveniat, qui fieri potuit ut hic totum exprimeret Ciceronem, qui depulsis armis Antonii, sublatoque mortis metu, libere dixit apud Senatum populumque Romanum? In hac tamen materia tanto studio, tantaque ingenii dexteritate rem gessit egregius juvenis, ut hodie neminem norim, vel apud Italos, cum pace omnium dixerim, quem existimem idem præstare posse, tantum abest ut Longolii laudibus aliquid studeam detrahere. Talibus enim ingeniis non queam non favere, etiam si mihi male vellent. Hæc eo tantum dicuntur, ut adolescentiæ studiis prospiciam, ne se superstitiose discrucient affectatione Ciceronianæ similitudinis, sic ut hac intentione ab utilioribus, magisque necessariis studiis avellantur. Rem habes, Nosopone, orationes supersunt, quæ me coarguant si quid mentior. Nunc mihi rationem meas velim, sitne operæ pretium ingenia felicissime nata in has ἐπιδείξεις tantum ætatis & operæ consumere, ne dicam immori talibus curis. Quantum utilitatis vel Religioni Christianæ, vel studiis, vel patriæ laturus erat, si vigilias quas actionibus illis ludicris impendit: in res serias collocasset? No. Profecto miseret me Longolii, & vix habeo quod respondeam. Bu. Ad hæc testatur se scripsisse orationes quinque in laudem urbis Romæ. O pulcre collocatam operam. Quanto rectius eam collocasset, si civitatem illam, atque eos præcipue qui bonas literas ibi profitentur, orationibus aliquot elaboratis ad Christi cultum ac pietatis amorem inflammare studuisset. Intelligis, Nosopone, quid dicam, imo potius quid non dicam. At quibus tandem vigiliarum tantum datum est? Senatui? Senatus, si quis omnino Romæ est, Latine nescit. Populo? Barbare loquitur, tantum abest, ut dictione Tulliana capiatur. Sed valeant hæc ἐπιδεικτικά. Adversus Martinum Lutherum rem agit & seriam & gravem. Ubi qui potuit esse Tullianus de rebus differens, quas M. Tullius prorsus ignoravit? At oratio non potest esse Tulliana, id est optima, quæ nec tempori, nec personis, nec rebus congruit. Satis quidem Tulliane conviciatur. Ubi tandem ventum ad errorum capita recensenda, subobscurus est, & vix ab illis intelligitur qui Lutheri dogmata tenent. Atqui hic res summam orationis perspicuitatem desiderabat, si voluisset esse Ciceronianus. Jam ex ipsa rerum propositione non difficile fuerit conjectare, qualis futurus fuerit in refellendis dogmatibus adversarii, suisque confirmandis. Sedulo quidem vitat voces nostræ Religionis, nunquam usurpans fidei vocabulum, sed in ejus locum substituens *persuasionem*, aliaque permulta quæ prius attigimus; semel tamen atque iterum utitur nomine Christiani, per imprudentiam opinor. Nam ea dictio nusquam exstat in libris M. Tullii. Quanquam & hic multa felicissime dixit, nec alia re magis peccavit, quam quod nimis anxie studuit esse Ciceronianus, cui maluit orationem congruere quam causæ. No. At tamen istis dictu mirum quam nunc applaudant Itali quidam. Bu. Confiteor, laudant illa, sed ista legunt. Ba-

[1] Lege *Messiam*.

Batavi Oratoris [1] næniás, quæ Colloquia vocantur, quanto plures terunt manibus quam Longolii scripta, quamlibet elaborata, quamlibet expolita, quamlibet Tulliana, & ut Græce dicam meliùs [2] κεκροτημένα. Quid in causa? Quid? nisi quod illic res ipsa capit, moraturque lectorem qualicunque sermone tractata: ad hæc, quoniam theatrica sunt, & vita carent, dormitat lector stertitque. Utilitas commendat etiam mediocrem eloquentiam. Quæ tantum adferunt voluptatem, eadem diu placere non possunt, præsertim iis qui literas in hoc discunt, non solum ut politius dicant, verum etiam ut rectius vivant. In summa, qui juvenem illum ad hujus laudis ambitum inflammarunt, non optime meriti sunt, vel de ipso, vel de re literaria. Sed de Longolio fortasse nimis multa. No. Prætercurristi Jacobum Sadoletum ac Petrum Bembum, prudens opinor. Bv. Næ prudens viros eximios, raraque horum temporum exempla nolui miscere turbæ. Petri Bembi nihil exstat quod sciam, præter aliquot Epistolas, in quibus exosculor, non modo dilucidum quoddam, sanum, & ut ita dicam, Atticum dicendi genus, sed probitatem, ac humanitatem ac singularem ingenii candorem in oratione velut in speculo relucentem: nec alia re vel fortunatiorem, vel ornatiorem judico Longolium, quam talium virorum amicitia. At Jacobus Sadoletus cætera fere æqualis Bembo, in commentario quem elegantissimum edidit in Psalmum L. non adeo affectat haberi Ciceronianus, ut non personæ decorum tueatur, est enim Episcopus Carpentoractensis, ut non materiæ serviat, ne in Epistolis quidem abhorrens a vocibus quibusdam Ecclesiasticis. Quid igitur? Non dixit Tulliano more? Non dixit: imo dixit potius, qui eo modo dixit, quo probabile est iisdem de rebus, si viveret, dicturum esse Ciceronem, hoc est, de Christianis Christiane. Hujusmodi Ciceronianos ferre possum, qui summo præditi ingenio, disciplinis omnibus absoluti, tum judicio prudentiaque singulari, sive unum Tullium in dicendo sibi proposuerunt, sive paucos eximios, sive doctos omnes, non possunt non optime dicere [3]. No. Multum suffragiis eruditorum tributum est Baptistæ Cassellio. Bv. Oratio de Lege Agraria, quam paulo ante mortem edidit, declarat illum summo nisu Tullianæ dictionis affectasse lineamenta, & hactenus propemodum assequutus est quod voluit: lucis habet plurimum, verba nitida, compositionem suavem. Cæterum immane quantum est quod desideratur, si ad Ciceronem conferas. No. Certe Pontanum uno ore prædicant omnes, huic Ciceronianæ dictionis palmam tribuunt eruditorum centuriæ. Bv. Non sum vel tam hebes, vel tam invidus, ut non fatear Pontanum multis egregiis ingenii dotibus virum fuisse summum. Ac me quoque rapit placido quodam orationis lapsu: verborum dulce quiddam resonantium amœno tinnitu demulcet aures, demum splendore quodam perstringit dignitas ac majestas orationis. No. Quid igitur obstat, quo minus illum fateare Ciceronianum? Bv. Ex meo judicio nihil illius laudi vel accesserit, vel decesserit. Quædam illius degustavi. Tractat materias profanas, quasique locos communes, de fortitudine, de obedientia, de splendore, quæ tractata facillime nitescunt, atque ex se facile suppeditant sententiarum copiam, easque sic tractat, ut ægre possis agnoscere Christianus fuerit nec ne. Similiter temperat stylum in libello de Principe. Præterea non memini me quicquam illius legisse, præter aliquot Dialogos ad Lucianum effictos. At ego non agnoscam Tullianum, nisi qui res nostras Ciceroniana tractet felicitate. In epigrammatibus plus tulisset laudis, si vitasset obscœnitatem, quod nec in Dialogis satis cavet. In Meteoris & Urania, quæsivit materiam quæ facile splendescit, & rem sane felicem feliciter tractavit, nec illic requiro Christianam dictionem. In cæteris interdum desidero decorum & aptum, & aculeos quos Marcus Tullius in animo relinquit etiam posito codice. Certe ad istam legem quam tu nobis præscripseras, Ciceronianus non erit, in cujus scriptis sexcentas voces possem ostendere, quæ nusquam sunt apud Ciceronem. Postremo vides, quam infrequens sit in manibus Pontanus, vir extra controversiam in literis inter præcipuos numerandus. No. Pontano successit Accius Syncerus, qui partum Virginis matris mire felici carmine descripsit, cui supra modum applausum est a Romano theatro. Bv. Testantur hoc abunde Leonis & Clementis Brevia, sic enim hodie vocant, tum Ægidii Cardinalis addita præfatio, ne cæteros commemorem, nec sine causa tantopere placuit. Mihi certe magna cum animi voluptate perlectum est opus utrumque. Nam & Eclogas scripsit piscatorias. Quis autem talem indolem in juvene patricio non exosculetur? Hoc nomine præferendus est Pontano, quod rem sacram tractare non piguit, quod nec dormitanter eam, nec inamœne tractavit; sed meo quidem suffragio plus laudis erat laturus, si materiam sacram tractasset aliquanto sacratius: qua quidem in re levius peccavit Baptista Mantuanus, quanquam & alias in hujusmodi argumentis uberior. Nunc quorsum attinebat hic toties invocare Musas & Phœbum? Quid quod Virginem fingit intentam præcipue Sibyllinis versibus, quod non apte Proteum inducit de Christo vaticinantem, quod Nympharum, Hamadryadum, ac Nereidum plena facit omnia? Quam dure respondet Christianis auribus versus ille, qui, ni fallor, Virgini matri dicitur: *Tuque adeo spes fida hominum, spes fida Deorum.* Scio *Deorum* metri gratia positum loco *Divorum*. Me quidem leviter offendit in tot virtutibus, quod Synalœphæ frequentes hiulcam reddunt compositionem. Ne multis: si carmen hoc proferas ut specimen adolescentis Poeticen meditantis, exosculabor, si ut carmen a viro serio scriptum ad pietatem, longe præferam unicum hymnum Prudentianum de natali Jesu tribus libellis Accii Synceri, tantum abest ut hoc carmen sufficiat & ad prosternendum funda Goliam Ecclesiæ minitantem, & ad placandum cithara Saulem furentem, quam laudem illi tribuunt præfationes. Atque haud scio, utrum sit magis reprehendendum, si Christianus profana tractet profane, Christianum se esse dissimulsis, an si materias Christianas tractet Paganice. Si quidem Christi mysteria non solum erudite, verum etiam religiose tractanda sunt. Nec satis est temporaria delectatiuncula delinire lectoris animum, excitandi sunt affectus Deo digni. Quod fieri non potest, ni penitus cognitum habeas argumentum quod versas: neque enim hic inflammabis, si frigeas ipse: nec ad amorem rerum cœlestium accendes lectorem, si tibi talium vel levis admodum, vel nulla cura est. Hic si præsto sunt, vel ultro, nec accersita, vel non magno constantia dictionis ornamenta, figurarum illecebræ, quibus fastidiosum lectorem allicimus, allectumque remoramur, non arbitror rejicienda, modo primas teneant ea quæ præcipua sunt. Quale porro sit, materiam piam ob hoc ipsum putere nobis, quod pie tractata sit? At pie tractari qui potest, si nunquam dimoveas oculos a Virgiliis, Horatiis, ac Nasonibus? Nisi forte quorumdam studium approbas, qui fragmentis Homericorum aut Virgilianorum versuum, undique decerptis, & in centonem consarcinatis, Christi vitam descripserunt. Operosum sane scribendi genus, sed cui unquam ista lacrymulam extuderunt? Quem ad pietatem commoverunt? quem ab impura vita revocarunt? Atqui non ita multum dissimilis est istorum conatus, qui verbis, sententiolis, figuris ac numeris ex Cicerone congestis, convestiunt argumentum Christianum. Quid enim laudis fert ille rhapsodus? Nempe, quod accurate versatus est in Homero sive Virgilio. Quid fructus adfert hic Ciceronianus? Applauditur diligenter in M. Tullii scriptis versato, sed tantum ab iis, qui & ipsi in iisdem versati, quid unde decerptum sit agnoscunt. Habet ea res voluptatem plane quandam, fateor, sed quum apud perpaucos, tum ejus generis, ut facile vertatur in satietatem: postremo quæ nihil aliud sit quam voluptas. Cæterum illud sine quo Fabius negat esse mirabilem eloquentiam, quod in concitandis affectibus situm est, prorsus abest. Et tamen nobis interim videmur Marones ac Cicerones. Dic mihi, Nosopone, si quis argumentum rapti Ganymedis, eleganter constructum opere Musaico dissolvat, & iisdem tessellis aliter concinnatis exprimere conetur, Gabrielem cœleste nuntium adferentem Virgini Nazarenæ, nonne durum parumque felix opus nascetur, ex optimis quidem tessellis, sed minus argumento congruentibus? No. Poëtas excusat a priscis concessa licentia. Bv. Audies hic illud Horatianum:

1 Ipsius *Erasmi*. 2 *Plausu majore excepta*.

3 Utriusque multo plura habemus Opera, quam viderat *Erasmus*; quorum nonnulla, ut diximus, sunt nimis Ciceroniana, quamvis ab ingeniosissimis hominibus profecta.

At non ut placidis coeant immitia, non ut
Serpentes avibus geminentur, tigribus agni.

Minus, opinor, convenit Musis, Apollini reliquisque Diis Poeticis, cum Christianæ pietatis mysteriis, quam serpentibus cum avibus, aut tigribus cum agnis, præsertim in argumento serio. Alioqui si quid obiter per jocum adspergatur ex veterum fabulis, ferendum arbitror magis quam probandum. Oportebat enim omnem Christianorum orationem resipere Christum, sine quo nec suave, nec splendidum est quicquam, nec utile, nec honestum, nec elegans, nec facundum nec eruditum. Liceat sane præludere ad seria pueris. In veris, in seriis, quodque gravius est, in piis materiis, quis ferat ista Paganica progymnasmata? No. Quod igitur tuum est consilium, ut Ciceronem abjiciam e manibus? Bv. Imo ut semper in sinu sit potius adolescenti eloquentiæ candidato, sed quorumdam morositas fastidiumque prorsus abjiciendum est, qui scriptum alioqui doctum & elegans rejicere solent, & indignum lectu judicare, non ob aliud, nisi quod ad Ciceronis imitationem non sit elaboratum. Primum enim non quibuslibet ingeniis congruit Tulliana phrasis, ut male cessura sit affectatio: deinde si desunt naturæ vires, ut inimitabilem dicendi felicitatem assequaris, quid stultius, quam in eo discruciari, quod non potest contingere? Ad hæc nec materiæ cuivis, nec personis omnibus congruit Tulliana phrasis, & si congrueret, quædam negligere præstat, quam nimio parare. Si M. Tullio tanti constitisset sua facundia, quanti nobis, aliqua ni fallor ex parte neglexisset orationis ornamenta. Nimio vero paratur, quod tanto ætatis, valetudinis ac vitæ etiam dispendio emitur. Nimio paratur, cujus gratia disciplinas cognitu magis necessarias negligimus. Denique nimio paratur, quod pietatis jactura emitur. Si ideo discitur eloquentia, ut delectemus otiosos, quid attinet rem scenicam tot vigiliis perdiscere? Sin ut persuadeamus quæ sunt honesta, efficacius dixit Phocion Atheniensis quam Demosthenes. Sæpius persuasit Cato Uticensis, quam M. Tullius. Jam si in hoc paratur eloquentia, ut scripta nostra terantur manibus hominum, & si citra studium contingeret Ciceronianæ dictionis similitudo, tamen arte varietas esset affectanda, quæ lectoris nauseanti stomacho mederetur. Tantam vim habet in rebus humanis varietas, ut nec optimis semper expediat uti. Nec usquam non verum est illud Græcorum proverbio jactatum, 1 ἡ μεταβολὴ πάντων γλυκύ. Nec alio nomine magis commendatur Homerus & Horatius, quam quod rerum ac figurarum admirabili varietate non sinunt oboriri tædium lectionis. Ad hanc nos natura quodammodo finxit, suum cuique tribuens ingenium, ut vix duos reperias, qui eadem vel possint vel ament. Jam quum nihil sit humano stomacho delicatius aut fastidiosius, tum ad eruditionem parandam tantum voluminum nobis sit devorandum, quis posset in perpetua lectione perdurare, si cunctorum esset idem stylus, ac similis dictio? Præstat igitur ut in epulis, ita & in scriptis esse quædam deteriora, quam per omnia similia. Qualis autem esset ille convivator, qui quum plurimos acciperet, inter quos vix duo palati judicio consentiunt, cibos apponeret omnes eodem more conditos, etiamsi delicias Apitianas apponeret? Nunc dum alius alio dicendi genere capitur, fit ut nihil non legatur. Ut ne repetam, quod ipsa quoque natura repugnat isti affectationi, quæ voluit orationem esse speculum animi. Porro quum tanta sit ingeniorum dissimilitudo, quanta vix est formarum aut vocum, mendax erit speculum nisi nativam mentis imaginem referat, & hoc ipsum est, quod in primis delectat lectorem, ex oratione, scriptoris affectus, indolem, sensum, ingeniumque cognoscere, nihilo minus quam si complures annos cum illo consuetudinem egeris. Et hinc diversorum tam diversa erga librorum scriptores studia, prout quemque genius cognatus aut alienus, vel conciliat vel abducit: haud aliter quam in formis corporum, alia species alium delectat offenditve. Dicam quid mihi contigerit. Adolescens adamabam Poetas omnes. Verum simul atque sum Horatio factus familiarior, præ hoc omnes cæteri putere cœperunt, alioqui per se mirabiles. Quid existimas in causa fuisse, nisi geniorum arcanam quamdam affinitatem, quæ in mutis illis literis agnoscitur? Hoc genuinum ac nativum non spirat in oratione nihil nisi Ciceronem exprimentium. Quid quod probi viri, quanquam parum felici forma nati sunt, nolint tamen apposita persona formosissimi cujuspiam mentiri speciem, ac ne pingi quidem alia forma sustineant quam dedit natura, quod turpe sit mentita facie imponere cuiquam, & ridicula res sit mendax speculum, aut assentatrix imago. At turpius mendacium sit, si quum sim Bulephorus, velim haberi Nosoponus, aut alius quilibet. An non igitur ab eruditis merito ridentur improbi quidam, qui viros alioqui doctos & eloquentes ac nominis immortalitate dignos, non alio nomine rejiciunt ac velut e bibliothecis submovent, nisi quod seipsos stylo maluerint exprimere quam Ciceronem, quum imposturæ genus sit te ipsum non exprimere, sed alienæ formæ præstigium oculis hominum objicere. Et haud scio an si liceat ita permittente Deo, multos inventuri simus, qui totam corporis sui speciem velint cum aliena commutare, multo pauciores arbitror fore, qui mentem & ingenium totum cum alterius ingenio sint permutaturi. Primum quod nemo velit alius esse quam est, deinde quod suis quisque dotibus sic temperatus est naturæ providentia, ut etiam si quid adsit vitii, virtutibus adjunctis paria faciat. Habet animus faciem quamdam suam in oratione velut in speculo relucentem, quam a nativa specie in diversum refingere, quid aliud est, quam in publicum venire personatum? No. Vide ne, quod ajunt, septa tua transiliat oratio, quæ mihi videtur eo provecta, ut damnet omnem imitationem, quum Rhetorica tribus potissimum constet, præceptis, imitatione, & usu, nisi forte qui M. Tullium imitantur, faciem alienam assumunt: qui cæteros, suam habent. Bv. Amplector imitationem, sed quæ adjuvet naturam, non violet: quæ corrigat illius dotes, non obruat: probo imitationem, sed ad exemplum ingenio tuo congruens, aut certe non repugnans, ne videare cum gigantibus θεομαχεῖν. Rursus imitationem probo non uni addictam præscripto, a cujus lineis non ausit discedere sed ex omnibus auctoribus, aut certe præstantissimis quod in quoque præcellit maxime, tuoque congruit ingenio decerpentem, nec statim attexentem orationi quicquid occurrit bellum, sed in ipsum animum velut in stomachum trajicientem, ut transfusum in venas, ex ingenio tuo natum non aliunde emendicatum esse videatur, ac mentis naturæque tuæ vigorem & indolem spiret, ut qui legit, non agnoscat emblema Ciceroni detractum, sed fœtum e tuo natum cerebro, quemadmodum Palladem ajunt e cerebro Jovis, vivam parentis imaginem referentem: nec oratio tua cento quispiam videatur aut opus Musaicum, sed spirans imago tui pectoris, aut amnis e fonte cordis tui promanans. Sit autem prima præcipuaque cura penitus cognoscendæ rei quam tractandam suscipis. Ea tibi suppeditabit orationis copiam, suppeditabit affectus veros ac nativos. Ita demum fiet, ut tua vivat, spiret, agat, moveat & rapiat oratio, teque totum exprimat. Nec statim adulterinum est, quod accedit ex imitatione. Est aliquis cultus qui nec virum dedecet & nativam formam commendat, veluti lotio, vultus moderatio, sed in primis cura bonæ valetudinis. Jam si tuam faciem velis ad ejus speciem componere, qui tibi dissimillimus est, nihil agas. Cæterum si videris in quopiam tui non admodum dissimili, effusiore risu immodicaque rictus diductione dehonestari formam, aut adductione superciliorum, corrugatione frontis, subductione nasi, reductione labiorum, aut improba oculorum sublatione, aliisque similibus minus decentem reddi faciem, potes his vitatis tuam formam reddere meliorem, nec tamen vultum sumes alienum, sed tuum compones. Item vides alterum parum decere cæsariem impexam, aut æquo promissiorem, tuam licebit corrigere. Rursum si conspexeris in alio quantum addat gratiæ, frontis hilaritas modesta, oculorum verecundia, totusque vultus habitus ad probitatem compositus, ut nec torvum quicquam aut insolens, nec leve aut incompositum præ se ferat, non erit præstigium, si tuum vultum ad hujus imitationem formaris. Siquidem in te situm est, ut & animus vultui respondeat. Quoniam autem varia est formarum gratia, ne statim existimes deterius, quod dissimile est illi, cujus formam miraris. Nam quemadmodum diximus, fieri potest, ut qui inter se dissimillimi sunt, æquales tamen sint.

Nec

1 *Mutatio omnium res dulcis.*

A Nec quicquam vetat, quin Ciceroni dissimillimus, potior sit eo, qui Ciceronis lineamenta propius exprimit. Age ponamus aliquantisper nostros amores, ex judicio rationis, non ex affectu feramus sententiam: si tibi tua Pitho det optionem, utrum pro Nosopono Quintilianus esse malis, an is qui de Rhetoricis scripsit ad Herennium, utrum eliges? No. Equidem malim esse Quintilianus. Bv. Et tamen alter quanto Ciceroni similior est? Utrum malles esse, Sallustius, an Q. Curtius? No. Malim esse Sallustius. Bv. At Q. Curtius propius accedit ad Ciceronem. Bv. Utrum malis esse Leonardus Aretinus, an Laurentius Valla? No. Malim Valla. Bv. Leonardus tamen Ciceroni vicinior est. Utrum malles esse Hermolaus Barbarus, an Christophorus Landinus? No. Barbarus. Bv. At
B alter ille propinquior est M. Tullio. Utrum malles esse Politianus, an Paulus Cortesius? No. Politianus. Bv. At alter videri postulat Ciceronianus. Jam utrum malles esse Tertullianus, hæresim excipio, an Beda? No. Tertullianus. Bv. At Beda plus habet phraseos Ciceronianæ. Utrum malles esse Hieronymus, an Lactantius? No. Hieronymus. Bv. At alter quantus est Ciceronis simius? Vides igitur non continuo melius dicere eum qui propius accedit ad Ciceronem, nec pejus qui dissimilior est. Denique quemadmodum plures esse possunt Attici, qui tamen inter se dissimillimi sunt: ita nihil vetat, quo minus plures dicantur Ciceroniani, qui dicendi virtutibus pares sunt, quum inter se similes non sint. At quis ferat sciolos quosdam,
C miro supercilio rejicientes, quicquid non referat lineamenta Tullianæ phraseos, quam verbulis duntaxat, figuris & numeris, expendunt? Frigide sectatur Tullianam phrasim, qui non multorum auctorum lectione, multarum disciplinarum scientia, multarum cognitione rerum instructus accedit, ne repetam quod dictum est de vi naturæ & prudentia. Feram tamen hanc ineptam gloriolam in adolescente, feram in doctis, qui hunc nævum multis egregiis dotibus pensant, quis ferat senes qui nihil aliud captant, quam ut sint Ciceroniani, qui viros ipsis & eruditiores & eloquentiores eradunt ex albo scriptorum, quod ausint a Ciceronis lineamentis alicubi recedere, quum ipsi fere adeo Ciceroniani non sint, ut subinde destituantur Grammaticæ præsidiis? Non exprimam
D quorumdam nomina, quibus fortasse in votis sit vel sic innotescere. De Bartholomæo Scala dicam, cui Hermolaus & Politianus visi sunt parum Ciceroniani, ipse sibi Tullianus est visus, utcumque dissimulat. At ego malim somnia Politiani, quam quæ Scala sobrius summoque studio elaboravit. Paulus Cortesius non dissimulat hujus affectationis studium, sed Deum immortalem, quanto longius illius Epistola discrepat ab imagine Ciceronis, quam Politianica cui respondet. Sed non alia re mihi videtur Ciceroni dissimilior Cortesius, quam quod toto fere sermone aberrat a scopo. Sic enim agit causam, quasi Politianus de-
E terreat ab imitatione Ciceronis, tum quasi nolit eum qui scribit, ullum scriptorem sibi imitandum proponere: quum eos taxet, qui nulla lectione bonorum auctorum, nulla eruditione, nullo usu instructi, tantum hoc moliuntur ut Ciceronis exprimant lineamenta, quos ob id simios appellat Ciceronis. Taxat eos qui ex Cicerone verba frustillatim mendicant, qui semper alienis ingrediuntur vestigiis, quum nihil ex se gignant, qui nihil aliud quam imitantur, & verbula duntaxat imitantur. Hos negat se ferre posse, qui quum nihil minus sint quam Ciceroniani, tamen Ciceronis titulo sese venditantes, non verentur de summis viris pronunciare. Proinde monet amicum, ut posteaquam Ciceronem primum at non solum, sed cum aliis multis eximiis scriptoribus diutina lectione contrivis-
F set, edidicisset, concoxisset, tum demum si quando pararet aliquid scribere, poneret morosam illam & anxiam sollicitudinem imitandi tantum Ciceronem, nunquam a lineamentis illius oculos deflectens, quod hæc anxietas efficiat, ut minus hoc ipsum assequaris quod sequeris. An hoc est deterrere ab imitatione Ciceronis? Num hoc est docere, neminem omnino imitandum esse? An is qui varia lectione instructus, atque, ut ita dicam, saginatus, dum scripturienti, quod in quoque legit optimum, venit in mentem, non imitatur aliquem, etiam si non illis servit nec assidet, sed suos affectus ac rem, de qua parat dicere, adhibet in consilium? At Cortesius negat sibi placere simios Ciceronis: Similem, inquiens, volo, mi Politiane, non ut simiam hominis, sed ut filium parentis, eadem loquens quæ dixerat Politianus. Id multis verbis prosequutus, tandem velut immemor sui, fatetur se malle esse simium Ciceronis, quam aliorum filium. Si vox hæc, aliorum, complectitur Sallustium, Livium, Quintilianum, Senecam, quis non malit se esse similem illis quemadmodum filius similis est patri, quam sic esse similis M. Tullio, quemadmodum simia similis est homini? Post hæc multa congerit in eos qui sese ingurgitant varia lectione, nec ea quæ legunt concoquunt. Horum orationem existere scabram, inconditam & asperam. Sed quid hæc ad Epistolam Politiani? Si sentit cum illo, cur ita respondet quasi dissentiat? Si dissentit, quæ Politianus probat erant refellenda. Nam illud vel maxime Ciceronianum est, dispicere quid sit in controversia, quid conveniat cum adversario, & in quo sit causæ status, neque quicquam extra causam dicere. Proinde prolixam Epistolam elaboravit Cortesius, magis quam Ciceronianam, cui velut aliena loquenti, nihil respondit Politianus. At Politianus qui audiebat non Ciceronianus, quanto melius Ciceronem exprimit, breviore licet epistola, non tantum sententiarum argutia, verum etiam verbis aptis, elegantibus, ac significantibus? etiamsi me non fugit hujus viri meritis famam apud eruditos Italiæ, malignius respondisse, quam ob rem nescio. Neque vero mihi dicuntur hæc in suggillationem Cortesii: nec enim contumeliosum est postponi vix cuiquam imitabili Politiano, sed ut adolescentibus exemplo commonstretur, quid sit vere Ciceronem exprimere. Hy. Tot ambagibus nos circumagis Bulephore, ut parum absit quin ex Hypologo fiam Hyponosus. Quin tu simpliciter explana, quid de Cicerone, quidque de hoc imitando sentias. No. Hoc ipsum & ego pervelim: nam eo propemodum tua me perduxit oratio, ut statuerim tuis obtemperare consiliis. Bv. Nihil arbitror restare, nisi ut quæ sparsim disserta sunt hactenus, in compendium contrahamus. No. Quis tibi videtur M. Tullius? Bv. Dicendi artifex optimus, atque etiam ut inter Ethnicos vir bonus, quem arbitror si Christianam Philosophiam didicisset, in eorum numero censendum fuisse, qui nunc ob vitam innocenter pieque transactam pro divis honorantur. Artem & usum in illo plurimum valuisse fateor: sed multo maximam eloquentiæ suæ partem debuit naturæ, quam nemo sibi dare potest. Nec alium e Latinis Scriptoribus arbitror magis habendum in sinu pueris & adolescentibus, qui in eloquentiæ laudem educantur. Poetarum tamen lectionem Latinorum duntaxat volo priorem esse, quod hoc Musæ genus magis convenit ætati teneræ. Nec quemquam ad Ciceronis accuratam imitationem vocari volo, nisi prius cognitis artis Rhetoricæ præceptis. Post hæc adesse volo commonstratorem artis, veluti solent pictores discipulis in tabula quapiam insigni demonstrare, quid ex arte factum sit, quid contra. Rursus M. Tullium in parte studiorum, præcipuum ac primum esse volo, non solum, nec sequendum tantum puto, sed imitandum potius, atque æmulandum etiam. Etenim qui sequitur, alienis ingreditur vestigiis, & servit præscripto. Porro vere dictum est, eum non posse bene ambulare, qui pedem semper ponit in alieno vestigio: nec unquam bene natare, qui non audet abjicere suber. Imitator autem non tam eadem dicere studet quam similia, imo ne similia quidem interdum, sed paria magis. Æmulator vero contendit etiam melius dicere si possit. Nullus autem fuit unquam tam absolutus artifex, in cujus opere non aliquid deprehendas, quod melius reddi possit. Ad hæc nolim hanc imitationem nimis anxiam ac superstitiosam esse. Nam hoc ipsum obstat quo minus efficiamus quod volumus. Nec ita censeo M. Tullium adamandum, ut a cæteris omnibus abhorreas, sed optimos quosque primum legendos, & ex optimis, quod in quoque est optimum excerpendum: neque enim est necesse, ut quemquam totum imiteris. Nec illos aspernandos censeo, qui dictionem quidem non multum juvant, sed tamen rerum copiam suppeditant, velut Aristoteles, Theophrastus, & Plinius. Ad hæc nolim quemquam sic addictum esse Ciceroni imitando, ut a suo recedat genio, & valetudinis vitæque dispendio consectetur, quod repugnante

gnante Minerva non possit assequi: vel nimio constaturum sit, si tandem assequatur. Præterea nolim hoc solum agi, nec ita laudem Ciceronianæ dictionis ambiendam arbitror, ut Liberales disciplinas, cum primis necessarias, negligas. Ab istis vero, velut a peste cavendum, qui clamitant esse nefas uti voce, quæ non reperiatur in libris Tullianis. Posteaquam enim jus Latini sermonis desiit esse penes vulgarem consuetudinem, quicquid vocabulorum deprehenditur apud idoneos Scriptores, usurpemus nostro jure, quum opus est, & si durius obsoletumque videtur, quod a paucis sit usitatum, nos in lucem proferamus, crebraque ac tempestiva usurpatione molliamus. Quæ tandem invidia sit, quum veteres Græcorum voces mutuo sumpserint, quoties Latinæ vel deerant, vel minus significantes habebantur, nos ubi res postulat a dictionibus, quas apud probatos auctores comperimus temperare? Nec minore studio fugiendi videntur & illi, qui rejiciendum & omnino lectu indignum vociferari solent, quicquid verbis, formulis & numeris non effictum sit ad Ciceronis imitationem, quum liceat diversis virtutibus, si non similes, certe pares esse Ciceroni. Absit a nobis hæc fastidiosa morositas, quin potius quod Naso ludens narrat sibi accidisse in puellarum amoribus, id nos serio præstemus in auctorum lectione. Illi proceram commendabat puellam, quod heroina videretur, brevis placebat ob commoditatem, primam ætatem flos ipse commendabat, grandiorem rerum usus, in illiterata delectabat simplicitas, in erudita ingenium, in candida coloris gratiam amabat, in fusca nescio quid latentis gratiæ sibi fingebat. Eodem candore si nos ex singulis Scriptoribus excerpemus quod habent probandum, nullum fastidiemus, sed ex omnibus aliquid delibabimus, quod nostram condiat orationem. Cæterum illud ante omnia providendum, ne simplex ac rudis ætas Ciceroniani cognominis præstigio decepta, pro Ciceroniana fiat Pagana. Videmus enim hujusmodi pestes non dum prorsus exstinctas, subinde meditari repullulascentiam, sub hoc fuco veteres hæreses, sub alio Judaismum, sub alio Paganitatem. Sic ante complures annos factiones oriri cœperant apud Italos Platonicorum & Peripateticorum. Facessant hæc dissidiorum cognomina, ea potius inculcemus, quæ & in studiis & in religione, & in omni vita concilient alantque mutuam benevolentiam. Proinde de rebus sacris primum ea combibenda est persuasio, quæ vere Christiano digna sit. Id si fiat, nihil videbitur ornatius cœlesti Philosophia, nihil suavius Jesu Christi nomine, nihil venustius vocabulis, quibus Ecclesiæ lumina res arcanas tractarunt. Nec videbitur ullius sermo venustus, qui non congruit personæ, nec rebus est accommodatus, monstrosus etiam qui res pietatis tractat verbis impiorum, quique materiam Christianam Paganicis nugis contaminat. Quod si quid hic veniæ datur adolescentiæ, ne sibi sumat idem juris ætas provectior. Qui sic est Ciceronianus, ut parum sit Christianus, is ne Ciceronianus quidem est, quod non dicit apte, non penitus intelligit ea de quibus loquitur, non afficitur his ex animo de quibus verba facit. Postremo non eodem ornatu tractat res suæ professionis, quibus Cicero tractavit argumenta suorum temporum. Huc discuntur Disciplinæ, huc Philosophia, huc Eloquentia, ut Christum intelligamus, ut Christi gloriam celebremus. Hic est totius eruditionis & eloquentiæ scopus. Admonendi sumus & illud, ut quod in Cicerone præcipuum est imitemur. Id non in verbis, aut orationis superficie, sed in rebus ac sententiis, in ingenio consilioque situm est. Quid enim refert, si filius parentem oris lineamentis referat, quum ingenio moribusque sit dissimilis? Postremo si non continget nobis, ut istorum suffragiis Ciceroniani dicamur, moderate ferendum est, quod nobis cum tot egregiis viris, quos ante recensuimus, commune est. Stultum est sequi quod assequi non possis. Delicatum est ob id misere discruciari, quod tot eximii Scriptores æquo tulerunt animo: Indecorum est affectare, quæ nobis non congruunt: Ineptum est aliter velle dicere, quam res postulat: Insanum est tantis vigiliis emere, quod vix usquam sit usui futurum. Hujusmodi ferme pharmacis Medicus ille meo me morbo liberavit, quæ si non gravabimini devorare, spero futurum, ut & te Nosopone, & te Hypologe febris ista relinquat. HY. Ego sane jam dudum morbo levatus sum. No. Et ipse propemodum, nisi quod mali diu familiaris etiamnum reliquias aliquas sentio. Bv. Istæ paulatim elabentur, & si quid opus erit, denuo τὸν λόγον Medicum accersemus.

FINIS.



DE
CIVILITATE
MORUM PUERILIUM
LIBELLUS;

AUCTORE

DESIDERIO ERASMO

ROTERODAMO.

DESIDERIUS ERASMUS ROTERODAMUS GENEROSO CUM PRIMIS ET OPTIMÆ SPEI PUERO HENRICO A BURGUNDIA, ADOLPHI PRINCIPIS VERIANI FILIO, S.

CAP. I. DE CORPORE.

Ab exemplo a minore. Occasio.



I ter maximum illum Paulum non piguit omnia fieri omnibus, quo prodesse posset omnibus, quanto minus ego gravari debeo juvandæ juventutis amore subinde repuerascere. Itaque quemadmodum pridem ad Maximiliani a Burgundia fratris tui primam adolescentiam memet accommodavi, dum adolescentulorum formo linguam: ita nunc, Henrice suavissime, me ad tuam attempero B pueritiam de puerorum moribus præcepturus: non quod tu hisce præscriptis magnopere egeas, primum ab incunabulis inter aulicos educatus mox nactus *Occupatiuncula.* Joannem Crucium tam insignem formandæ rudis ætatis artificem: aut quod omnia quæ præscribemus ad te pertineant, & e Principibus & Principatui natum: sed ut libentius hæc ediscant omnes pueri, quod amplissimæ fortunæ summæque spei puero dicata sunt. Nec enim mediocre calcar addet universæ pubi, si conspexerint heroum liberos a primis statim annis dicari studiis, & in eodem cum ipsis stadio currere.

Divisio Instituendi pueros ratio non simplex. Munus autem formandi pueritiam multis constat partibus, quarum sicuti prima, ita præcipua est, ut tenellus animus imbibat pietatis seminaria: proxima, ut liberales disciplinas & amet, & perdiscat: tertia est, ut ad vitæ C officia instruatur: quarta est, ut a primis statim ævi rudimentis civilitati morum assuescat. Hanc postremam nunc mihi proprie sumpsi. Nam de superioribus cum alii complures, tum nos quoque permulta conscripsimus. Quanquam autem externum illud corporis decorum ab animo bene composito proficiscitur, tamen incuria præceptorum nonnunquam fieri videmus, ut hanc interim gratiam in probis & eruditis hominibus desideremus. *Occupatio.* Nec inficior hanc esse crassissimam Philosophiæ partem, sed ea, ut sunt hodie mortalium judicia, plurimum conducit, & ad conciliandam benevolentiam, & ad præclaras illas animi dotes oculis hominum commendandas. Decet autem ut homo totus sit compositus animo, corpore, gestibus, ac vestitu: sed in primis pueros decet *Nobiles.* omnis modestia, & in his præcipue nobiles. Pro nobilibus autem habendi sunt omnes, qui studiis liberalibus D excolunt animum. Pingant alii in clypeis suis leones, aquilas, tauros, & leopardos, plus habent veræ nobilitatis, qui pro insignibus suis tot possunt imagines depingere, quot perdidicerunt artes liberales.

Quid oculos deceat. Ut ergo bene compositus pueri animus undique reluceat, relucet autem potissimum in vultu, sint oculi placidi, verecundi, compositi: non torvi, quod est truculentiæ: non improbi, quod est impudentiæ: non vagi ac volubiles, quod est insaniæ: non limi, quod est suspiciosorum & insidias molientium: nec immodice diducti, quod est stolidorum: nec subinde conniventibus genis ac palpebris, quod est inconstantium: nec stupentes, quod est *Socrates attonitus.* attonitorum, id quod est in Socrate notatum: nec nimium acres, quod est iracundiæ signum: non innuentes ac loquaces, quod est impudicitiæ signum; sed animum sedatum ac reverenter amicum præ se ferentes. Nec A enim temere dictum est a priscis Sapientibus, animi sedem esse in oculis. *Picturæ.* Picturæ quidem veteres nobis loquuntur, olim singularis cujusdam modestiæ fuisse, semiclusis oculis obtueri, quamadmodum apud Hispanos quosdam, semipetos intueri blandum haberi videtur & amicum. Ibidem ex picturis discimus, olim contractis strictisque labiis esse, probitatis fuisse argumentum. Sed quod suapte natura decorum est, apud omnes decorum habetur. Quanquam in his quoque decet interdum nos fieri polypos, & ad regionis morem nosmet attemperare. Jam sunt quidam oculorum habitus, quos aliis alios addit natura, qui non cadunt sub nostras præceptiones, nisi quod incompositi gestus non raro vitiant, non solum oculorum, verum etiam totius corporis habitum ac formam. *Compositi gestus.* Contra compositi, quod natura decorum est, reddunt decentius: quod vitiosum est, si non tollunt, certe tegunt minuuntque. Indecorum est clauso oculorum altero quemquam obtueri. Quid enim hoc aliud est, quam seipsum eluscare? Eum gestum thynnis ac fabris relinquamus.

Superciliorum cura. Sint exporrecta supercilia: non adducta, quod est torvitatis: non sublata in altum, quod est arrogantiæ: non in oculos depressa, quod est male cogitantium.

Frontem quid deceat. Frons item hilaris & explanata, mentem sibi bene consciam, & ingenium liberale præ se ferens, non in rugas contracta, quod est senii: non mobilis, quod est erinaciorum: non torva, quod est taurorum.

Nares quid deceat. A naribus absit mucoris purulentia, quod est sordidorum. Id quoque vitium Socrati Philosopho datum est probro. Pileo aut veste emungi rusticanum, brachio cubitove salsamentariorum: nec multo civilius id manu fieri, si mox pituitam vesti illinas. Strophiolis excipere narium recrementa decorum, idque paulisper averso corpore, si qui adsint honoratiores. Si quid in solum dejectum est emuncto duobus digitis naso, mox pede proterendum est. Indecorum est subinde cum sonitu spirare naribus, bilis id indicium est. Turpius etiam ducere ronchos, quod est furiosorum, si modo fiat usu. Nam spiritosis, qui laborant orthopnœa, danda est venia. Ridiculum naribus vocem emittere, nam id cornicinum est & elephantorum. Crispare nasum, irrisorum est & *Sternutatio.* sannionum. Si aliis præsentibus incidat sternutatio, civile est corpus avertere. Mox ubi se remiserit impetus, signare os crucis imagine, dein sublato pileo resalutatis qui vel salutarunt, vel salutare debuerant, nam sternutatio quemadmodum oscitatio sensum aurium prorsus aufert, precari veniam, aut agere gratias. Alterum in sternutamento salutare religiosum, & si plures adsint natu majores, qui salutant virum aut fœminam honorabilem, pueri est aperire caput. Porro vocis tinnitum studio intendere, aut data opera sternutamentum iterare, nimirum ad virium ostentationem, nugonum est. Reprimere sonitum quem natura fert, ineptorum est, qui plus tribuunt civilitati quam saluti.

Pudor quis esse debeat. Malas tingat nativus & ingenuus pudor, non fucus aut adscititius color. Quanquam is quoque pudor sic temperandus est, ut nec vertatur in improbitatem, nec adducat δυσωπίαν aut stuporem, & quartum, ut habet proverbium, insaniæ gradum. Quibusdam enim hic affectus tam impotens insitus est, ut reddat deliranti simil-

simillimum. Temperatur hoc malum, si puer inter majores assuescat vivere, & comoediis agendis exerceatur. *Inflare buccas.* Inflare buccas fastus indicium est: easdem demittere, est animum despondentis: alterum Caimi est, alterum Judae proditoris.

Os quomodo componendum. Os nec prematur, quod est metuentis alterius halitum haurire, nec hiet, quod est morionum, sed leviter osculantibus se mutuo labris conjunctum sit. Minus etiam decorum est subinde porrectis labiis veluti poppysmum facere, quanquam id magnatibus adultis per mediam turbam incedentibus condonandum est: illos enim decent omnia, nos puerum formamus.

Oscitatio. Si fors urgeat oscitatio, nec datur averti aut cedere, B strophio volave tegatur os, mox imagine crucis obsignetur. *Risus.* Omnibus dictis aut factis arridere stultorum est, nullis arridere stupidorum. Obscoene dictis aut factis arridere nequitia est. Cachinnus & immodicus ille totum corpus quatiens risus, quem ob id Graeci συγκρούσιον appellant, nulli decorus est aetati, nedum pueritiae. Dedecet autem quod quidam ridentes hinnitum edunt. Indecorus & ille qui oris rictum late diducit corrugatis buccis, ac nudatis dentibus, qui caninus est, & Sardonius dicitur. *Vultus hilaritas.* Sic autem vultus hilaritatem exprimat, ut nec oris habitum dehonestet, nec animum dissolutum arguat. Stultorum illae voces sunt, risu diffluo, risu dissilio, risu emorior: & si qua res adeo ridicula inciderit, ut nolentibus ejusmodi risum exprimat, mappa manuve tegenda facies. Solum aut nullam evidentem ob causam ridere, vel stultitiae tribuitur, vel insaniae. Si quid tamen ejusmodi fuerit obortum, civilitatis erit aliis aperire risus causam: aut si non putes proferendam, commentitium aliquid adferre, ne quis se derideri suspicetur. *Labra quid deceat.* Superioribus dentibus labrum inferius premere, inurbanum est, hic enim est minantis gestus, quemadmodum & inferioribus mordere superius. Quin & labrorum oras lingua circumvoluta subinde lambere ineptum. Porrectioribus esse labris, & velut ad osculum compositis, olim apud Germanos fuisse blandum indicant illorum picturae. Porrecta lingua deridere quemquam scurrile est.

Sputum. Aversus exspuito, ne quem conspuas adspergasve. Si quid purulentius in terram rejectum erit, pede (ut dixi) proteratur, ne cui nauseam moveat. Id si non licet, linteolo sputum excipito. Resorbere salivam inurbanum est, quemadmodum & illud quod quosdam videmus non ex necessitate, sed ex usu ad tertium quodque verbum exspuere. *Tussis.* Quidam indecore subtussiunt identidem inter loquendum, idque non ex necessitate, sed ex more: is gestus est mentientium, & inter dicendum quid dicant comminiscentium. *Ructatio.* Alii minus etiam decore ad tertium quodque verbum eructant, quae res si a teneris annis abierit in consuetudinem, haeret etiam in grandiorem aetatem. Idem sentiendum de screatu, quibus nominibus a servo notatur Terentianus Clitipho. Si tussis urgeat, cave ne cui in os tussias, & absit ineptia clarius tussiendi, quam natura postulet. *Vomitus.* Vomiturus secede, nam vomere turpe non est, sed ingluvie vomitum accersisse, deforme est.

Dentium cura. Dentium munditics curanda est, verum eos pulvisculo candidare puellarum est, sale aut alumine defricare, gingivae perniciosum. Idem lotio facere Iberorum est. Si quid inhaesit dentibus, non cultello, non unguibus, canum feliumve more, non mantili eximendum est, sed vel lentisci cuspide, vel penna, vel officulis e gallorum aut gallinarum tibiis detractis. *Lotio.* Os mane pura aqua proluere, & urbanum est & salubre, subinde id facere ineptum. De linguae usu suo dicemus loco.

Quae circa caput. Rusticanum est impexo esse capite, adsit mundities, non nitor puellaris. Absint sordes lendium & vermiculorum. Subinde scabere caput apud alios, parum decet, quemadmodum unguibus reliquum fricare corpus sordidum est, praesertim si fiat usu non necessitate. Coma nec frontem tegat, nec humeris involitet. Subinde concusso capite discutere capillitium, lascivientium est equorum. Caesariem a fronte in verticem laeva retorquere, parum elegans est, manu discriminare modestius. *Cervix.* Inflectere cervicem & adducere scapulas pigritiam arguit, resupinare corpus fastus indicium est, molliter erectum decet. Cervix nec in laevum, nec in dextrum vergat: hypocriticum enim, nisi colloquium aut aliud simile postulet. *Humeri.* Humeros oportet aequo libramine temperare, non in morem antennarum alterum attollere, alterum deprimere. Nam hujusmodi gestus in pueris neglecti, vertuntur in naturam, & corporis habitum praeter naturam deformant. *Ab incommodo consuetudinis.* Itaque qui prae desidia collegerunt consuetudinem inflectendi corpus, sibi gibbum conciliant, quem natura non dederat, & qui deflexum in latus caput habere consueverunt, in eum habitum indurescunt, ut adulti frustra mutare nitantur. *Probat a simili.* Siquidem tenera corpuscula plantulis similia sunt, quae in quamcunque speciem furca funiculove deflexeris, ita crescunt & indurescunt. *Brachia.* Utrumque brachium in tergum detorquere, simul & pigritiae speciem habet & furis: neque multo decentius est altera manu in ilia injecta adstare sedereve, quod tamen quibusdam elegans ac militare videtur. At non statim honestum est quod stultis placuit, sed quod naturae & rationi consentaneum est. Reliqua dicentur quum ad colloquium, & convivium ventum erit.

Pudor servandus. Membra quibus natura pudorem addidit retegere citra necessitatem procul abesse debet ab indole liberali. Quin ubi necessitas huc cogit, tamen id quoque decenter verecundia faciendum est, etiam si nemo testis adsit. Nunquam enim non adsunt Angeli, quibus in pueris C gratissimus est pudicitiae comes custosque pudor. *Amictus.* Quorum autem conspectum oculis subducere pudicum est, ea multo minus oportet alieno praebere contactui. *Lotium.* Lotium remorari valetudini perniciosum, secreto reddere verecundum. *Flatus ventris.* Sunt qui praecipiant ut puer compressis natibus ventris flatum retineat. Atqui civile non est, dum urbanus videri studes morbum accersere. Si licet secedere, solus id faciat. Sin minus, juxta vetustissimum proverbium, Tussi crepitum dissimulet. Alioqui cur non eadem opera praecipiunt ne alvum dejiciant, quum remorari flatum periculosius sit quam alvum stringere? *Sedendum quomodo.* Diductis genibus sedere, aut divaricatis tibiis distortisve stare, Thrasonum est. Sedenti coeant D genua, stanti pedes, aut certe modice diducantur. Quidam hoc gestu sedent ut alteram tibiam altero genu suspendant, nonnulli stant decussatim compositis tibiis, quorum alterum est anxiorum, alterum ineptorum. Dextro pede in laevum femur injecto sedere priscorum Regum mos est, sed improbatus. Apud Italos quidam honoris gratia pedem alterum altero premunt, unique propemodum insistunt tibiae ciconiarum ritu, quod an pueros deceat nescio. *Genu flectendi ratio.* Itidem in flectendis genibus aliud apud alios decet, dedecetque. Quidam utrumque pariter inflectunt, idque rursus alii recto corpore, alii nonnihil incurvato. Sunt qui hoc ceu muliebre rati, similiter erecto corpore, primum dextrum incurvant genu, E mox sinistrum, quod apud Britannos in adolescentibus laudi datur. Galli modulato corporis circumactu dextrum duntaxat inflectunt. In his in quibus varietas nihil habet cum honesto pugnans liberum erit, vel vernaculis uti moribus, vel alienis obsecundare, quando sunt quos magis capiant peregrina. *Incessus.* Incessus nec fractus sit, nec praeceps, quorum alterum est mollium, alterum furiosorum: nec vacillans, quod a Fabio improbatur. Nam ineptam in incessu subclaudicationem Suiceris militibus relinquamus: & iis qui magnum ornamentum ducunt, in pileo gestare plumas. Tametsi vidimus Episcopos hoc gestu sibi placere. Sedentem F pedibus ludere stultorum est, quemadmodum & manibus gesticulari, parum integrae mentis indicium est.

CAP. II.

DE CULTU.

Transitio a diversis. IN summa dictum est de corpore, nunc de cultu paucis, eo quod vestis quodammodo corporis corpus est, & ex hac quoque licet habitum animi conjicere. Quanquam hic certus praescribi modus non potest, eo quod non omnium par est vel fortuna, vel dignitas: nec apud omnes nationes eadem decora sunt aut indecora:

cora: postremo nec omnibus seculis eadem placent displicentve. Unde quemadmodum in aliis multis, ita hic quoque nonnihil tribuendum est, juxta proverbium, νόμῳ καὶ χώρᾳ, atque etiam καιρῷ, cui servire jubent sapientes. Est tamen in hisce varietatibus, quod per se sit honestum aut secus, velut illa quæ nullum habent usum, cui paratur vestis. Prolixas trahere caudas in fœminis ridetur, in viris improbatur: an Cardinales & Episcopos deceat aliis æstimandum relinquo. Multitia nunquam non probro data sunt tum viris tum fœminis: quandoquidem hic est alter vestis usus, ut ea tegat quæ impudice ostenduntur oculis hominum. Olim habebatur parum virile, discinctum esse, nunc idem nemini vitio vertitur, quod indusiis, subuculis, & caligis repertis tegantur pudenda, etiam si diffluat tunica. Alioqui vestis brevior, quam ut inclinanti tegas partes quibus debetur honos, nusquam non inhonesta est. Dissecare vestem amentium est, picturatis ac versicoloribus uti, morionum est ac simiorum. Ergo pro modo facultatum ac dignitatis, proque regione & more adsit cultui mundicies, nec sordibus notabilis, nec luxum aut lasciviam aut fastum præ se ferens. Neglectior cultus decet adolescentes, sed citra immunditiam. Indecore quidam interularum ac tunicarum oras adspergine lotii pingunt, aut sinum brachialiaque indecoro tectorio incrustant, non gypso, sed narium & oris pituita. Sunt quibus vestis in alterum latus defluit, aliis in tergum ad renes usque, nec desunt quibus hoc videatur elegans. Ut totum corporis habitum mundum & compositum esse decet, ita decet illum corpori congruere. Si quid elegantioris cultus dedere parentes, ne teipsum reflexis oculis contemplere, nec gaudio gestias, aliisque ostentes, nam alterum simiarum, alterum pavonum: mirentur alii, tu te bene cultum esse nescias. Quo major est fortuna, hoc est amabilior modestia. Tenuioribus in conditionis solatium concedendum est, ut moderate sibi placeant. At dives ostentans splendorem amictus, aliis suam exprobrat miseriam, sibique conflat invidiam.

Vestis quæ deceat aut minus.

CAP. III.
DE MORIBUS IN TEMPLO.

Templum. Statua.

QUoties fores templi præteris, nudato caput, ac modice flexis genibus ad sacra verso vultu, Christum Divosque salutato. Idem & alias faciendum, sive in urbe, sive in agris, quoties occurrit imago crucis. Per ædem sacram ne transieris, nisi simili religione saltem brevi precatiuncula Christum appelles, idque retecto capite, & utroque genu flexo. Cum sacra peraguntur, totum corporis habitum ad religionem decet componere. Cogita illic præsentem Christum cum innumeris Angelorum millibus. Et si qui Regem hominem alloquuturus circumstante procerum corona, nec caput aperiat, nec genu flectat, non jam pro rustico, sed pro insano haberetur ab omnibus: quale est, illic opertum habere caput, erecta genua, ubi adest Rex ille Regum immortalis & immortalitatis largitor, ubi venerabundi circumstant ætherei spiritus. Nec refert, si eos non vides, vident illi te, nec minus certum est illos adesse, quam si videres eos oculis corporeis. Certius enim cernunt oculi fidei quam oculi carnis. Indecentius etiam est quod quidam in templis obambulant, & Peripateticos agunt. Atqui deambulationibus porticus & fora conveniunt, non templa, quæ sacris concionibus, mysteriis, ac deprecationi dicata sunt. Ad concionantem spectent oculi, huc attentæ sint aures, huc inhiet animus omni cum reverentia, quasi non hominem audias, sed Deum per os hominis tibi loquentem. Quum recitatur Euangelium assurge, & si potes ausculta religiose. Quum in Symbolo canitur, & homo factus est, in genua procumbe, vel hoc pacto te submittens in illius honorem, qui semet pro tua salute, quum esset supra omnes cœlos demisit in terras, quum esset Deus, dignatus est homo fieri, ut te faceret Deum. Dum peraguntur mysteria, toto corpore ad religionem composito ad altaria versa sit facies, ad Christum animus. Altero genu terram contingere, erecto altero cui lævus innitatur cubitus, gestus est impiorum militum, qui Domino Jesu illudentes dicebant: Ave Rex Judæorum. Tu demitte utrumque, reliquo etiam corpore nonnihil inflexo ad venerationem. Reliquo tempore aut legatur aliquid e libello, sive preculárum, sive doctrinæ salutaris, aut mens cœleste quippiam meditetur. Eo tempore nugas obgannire ad aurem vicini, eorum est, qui non credunt illic adesse Christum: huc illuc circumferre vagos oculos, amentium est. Existima te frustra templum adisse, nisi inde melior discesseris, puriorque.

Missa.

Conciones.

CAP. IV.
DE CONVIVIIS.

Ungues.

IN conviviis adsit hilaritas, absit petulantia: non nisi lotus accumbe, sed ante præsectis unguibus, ne quid in his hæreat sordium, dicarisque ῥυποκόνδυλος, ac prius clam reddito lotio, aut si res ita postulet, exonerata etiam alvo: & si forte strictius cinctum esse contingat, aliquantulum relaxare vincula consultum est, quod in accubitu parum decore fiat. Abstergens manus, simul abjice quicquid animo ægre est. Nam in convivio nec tristem esse decet, nec contristare quemquam. Jussus consecrare mensam, vultum ac manus ad religionem componito, spectans aut convivii primarium, aut si fors adest, imaginem Christi, ad nomen Jesu matrisque Virginis, utrumque flectens genu. Hoc muneris si cui alteri delegatum fuerit, pari religione tum auscultato, tum respondeto. Sedis honorem alteri libenter cede, & ad honoratiorem locum invitatus, comiter excusa: si tamen id crebro serioque jubeat aliquis auctoritate præditus, verecunde obtempera, ne videare pro civili præfractus. Accumbens utramque manum super mensam habe, non conjunctim, nec in quadra. Quidam enim indecore, vel unam, vel ambas habent in gremio. Cubito vel utroque vel altero inniti mensæ, senio morbove lassis condonatur: idem in delicatis quibusdam aulicis, qui se decere putant quicquid agunt, dissimulandum est, non imitandum. Interea cavendum, ne proxime accumbenti cubito, neu ex adverso accumbenti pedibus sis molestus. In sella vacillare, & nunc huic, nunc alteri nati vicissim insidere, speciem habet subinde ventris flatum emittentis, aut emittere conantis. Corpus igitur æquo libramine sit erectum. Mantile si datur, aut humero sinistro, aut brachio lævo imponito. Cum honoratioribus accubiturus, capite pexo, pileum relinquito, nisi vel regionis mos diversum suadeat, vel alicujus auctoritas præcipiat, cui non parere sit indecorum. Apud quasdam nationes mos est, ut pueri stantes ad majorum mensam capiant cibum extremo loco, retecto capite. Ibi ne puer accedat nisi jussus, ne hæreat usque ad convivii finem, sed sumpto quod satis est, sublata quadra sua, flexo poplite salutet convivas, præcipue qui inter convivas est cæteris honoratior. A dextris sit poculum & cultellus escarius rite purgatus, ad lævam panis. Panem una vola pressum, summis digitis refringere, quorumdam aulicorum delitias esse sinito, tu cultello seca decenter, non undique revellens crustum, aut utrinque resecans: delicatorum hoc est. Panem veteres in omnibus conviviis ceu rem sacram religiose tractabant, unde nunc quoque mos relictus est, eum forte delapsum in humum exosculari. Convivium statim a poculis auspicari potorum est, qui bibunt, non quod sitiant, sed quod soleant. Nec ea res solum moribus est inhonesta, verum etiam officit corporis valetudini. Nec statim post sumptam ex jure offam, bibendum, multo minus post lactis esum. Puero sæpius quam bis aut ad summum ter in convivio bibere, nec decorum est, nec salubre. Semel bibat aliquamdiu pastus de secundo missu, præsertim sicco: deinde sub convivii finem, idque modice sorbendo, non ingurgitando, nec equorum sonitu. Tum vinum, tum cerevisia, nihilominus quam vinum inebrians, ut puerorum valetudinem lædit ita mores dedecorat. Aqua fervidæ convenit ætati, aut si id non patitur, sive regionis qualitas, sive alia quæpiam causa, tenui cerevisia utitor, aut vino nec ardenti,

ti, & aqua diluto. Alioqui mero gaudentes hæc sequuntur præmia, dentes rubiginosi, genæ defluentes, oculi lusciosi, mentis stupor, breviter senium ante senectam. Antequam bibas præmande cibum, nec labra admoveas poculo, nisi prius mantili aut linteolo abstersa, præsertim si quis suum poculum tibi porrigit, aut ubi de communi bibitur poculo. Inter bibendum intortis oculis alios intueri illiberale est, quemadmodum & ciconiarum exemplo cervicem in tergum reflectere, ne quid hæreat in imo cyatho, parum est liberale. Salutantem poculo resalutet comiter, & admotis labris cyatho, paululum libans bibere se simulet: hoc civili nugoni satis erit. Qui rusticius urgeat, polliceatur se tum responsurum, quum adoleverit.

B Quidam ubi vix bene consederint, mox manus in epulas conjiciunt. Id luporum est, aut eorum qui de chytropode carnes nondum immolatas devorant, juxta proverbium. Primus cibum appositum ne attingito, non tantum ob id quod arguit avidum, sed quod interdum cum periculo conjunctum est, dum qui fervidum inexploratum recipit in os, aut exspuere cogitur, aut si deglutiat adurere gulam, utroque ridiculus æque ac miser. Aliquantisper morandum, ut puer assuescat affectui temperare. Quo consilio Socrates ne senex quidem unquam de primo cratere bibere sustinuit. Si cum majoribus accumbit puer, postremus, nec id nisi C invitatus, manum admoveat patinæ. Digitos in jussulenta immergere agrestium est, sed cultello fuscinave tollat quod vult: nec id ex toto eligat disco, quod solent liguritores, sed quod forte ante ipsum jacet, sumat: quod vel ex Homero discere [illegible], apud quem creber est hic versiculus:

Οἱ δ' ἐπ' ὀνείαθ' ἑτοῖμα προκείμενα χεῖρας ἴαλλον.

Id quoque si fuerit insigniter elegans, alteri cedat, & quod proximum est accipiat. Ut igitur intemperantis est in omnes patinæ plagas manum immittere, ita parum decorum patinam invertere, quo veniant ad te lautiora. Si quis alius cibum porrexerit elegantiorem, præfatus excusatiunculam recipiat, sed resecta sibi portiuncula reliquum offerat ei qui porrexerat, aut proxime D assidenti communicet. Quod digitis excipi non potest, quadra excipiendum est. Si quis e placenta vel artocrea porrexit aliquid, cochleari, aut quadra excipe, aut cochleari porrectum accipe, & inverso in quadram cibo, cochleare reddito. Si liquidius est quod datur, gustandum sumito, & cochleare reddito, sed ad mantile extersum. Digitos unctos vel ore prælingere, vel ad tunicam extergere pariter incivile est, id mappa potius aut mantili faciendum. Integros bolos subito deglutire ciconiarum est, ac balatronum. Si quid ab alio fuerit resectum, incivile est manum quadramve porrigere, priusquam ille structor offerat, ne videare præripere, quod alteri paratum erat. Quod porrigitur, E aut tribus digitis, aut porrecta quadra excipiendum. Si quod offertur non congruit tuo stomacho, cave ne dixeris illud Comici Clitiphonis, non possum pater, sed b[illegible]e agito gratias. Est enim hoc urbanissimum recusandi genus. Si perstat invitator, verecunde dicito aut non convenire tibi, aut te nihil amplius requirere.

Discenda est a primis statim annis secandi ratio, non superstitiosa, quod quidam faciunt, sed civilis & commoda. Aliter enim inciditur armus, aliter coxa, aliter cervix, aliter cratis, aliter capus, aliter phasianus, F aliter perdix, aliter anas: qua de re sigillatim præcipere ut prolixum sit, ita nec operæ precium. Illud in universum tradi potest: Apitiorum esse, omni ex parte quicquid palato blanditur abradere. Abs te semesa alteri porrigere, parum honesti moris est: panem prærosum iterum in jus immergere rusticanum est. Sicut & cibum mansum faucibus eximere, & in quadram reponere, inelegans est. Nam si quid forte sumptum est quod deglutiri non expedit, clam aversus aliquo projiciat. Cibum ambesum aut ossa semel in quadram seposita repetere, vitio datur. Ossa, aut si quid simile reliquum est, ne sub mensam abjeceris, pavimentum conspurcans, nec in mensæ stragulam projice, nec in

A patinam repone, sed in quadræ angulum sepone, aut in discum qui apud nonnullos reliquiis excipiendis adponitur. Canibus alienis de mensa porrigere cibum, ineptiæ tribuitur: ineptius est illos in convivio contrectare. Ovi putamen digitorum unguibus aut pollice repurgare ridiculum est: idem inserta lingua facere magis etiam ridiculum, cultello id fit decentius. Ossa dentibus arrodere caninum est, cultello purgare civile. Tres digiti salino impressi, vulgari joco dicuntur agrestium insignia. Cultello sumendum est salis quantum satis est. Si longius abest salinum, porrecta quadra petendum est. Quadram aut patinam cui saccarum aut aliud suave quiddam adhæsit, lingua lambere felium B est, non hominum. Carnem prius minutim in quadra dissecet, mox addito pane simul aliquamdiu mandat, priusquam trajiciat in stomachum. Id non solum ad bonos mores, verum etiam ad bonam valetudinem pertinet. Quidam devorant verius quam edunt, non aliter quam mox (ut ajunt) abducendi in carcerem. Latronum est ea tuburcinatio. Quidam tantum simul in os ingerunt, ut utrinque ceu folles tumeant buccæ: alii mandendo diducti labiorum sonitum edunt porcorum in morem. Nonnulli vorandi studio, spirant etiam naribus, quasi præfocandi. Ore pleno vel bibere, vel loqui, nec honestum est, nec tutum. Vicissitudo fabularum intervallis dirimat perpetuum esum. Quidam C citra intermissionem edunt bibuntve, non quod esuriant sitiantve, sed quod alioqui gestus moderari non possunt, nisi aut scabant caput, aut scalpant dentes, aut gesticulentur manibus, aut ludant cultello, aut tussiant, aut screent, aut exspuant. Ea res a rustico pudore profecta, nonnullam insaniæ speciem habet. Auscultandis aliorum sermonibus fallendum est hoc tædii si non datur opportunitas loquendi, incivile est, cogitabundum in mensa accumbere. Quosdam autem videas adeo stupentes, ut nec audiant quid aliis dicatur, nec se comedere sentiant, & si nominatim appelles, velut e somno excitati videantur. Adeo totus animus est in patinis. Inurbanum est oculis circumactis obser-D vare quid quisque comedat, nec decet in quemquam convivarum diutius intentos habere oculos: inurbanius etiam transversim hirquis intueri, qui in eodem accumbunt latere: inurbanissimum, retorto in tergum capite contemplari, quid rerum geratur in altera mensa. Effutire si quid liberius inter pocula dictum factumve sit, nulli decorum est, nedum puero. Puer cum natu majoribus accumbens nunquam loquatur, nisi aut cogat necessitas, aut abs quopiam invitetur. Lepide dictis modice arrideat, obscœne dictis ne quando arrideat, sed nec frontem contrahat, si præcellit dignitate qui dixit, sed ita vultus habitum temperet, ut aut non audisse, aut certe non intellexisse videatur. Mu-E lieres ornat silentium, sed magis pueritiam.

Quidam respondent priusquam orationem finierit qui compellat, ita sæpe fit, ut aliena respondens sit risui: detque veteri locum proverbio [1] ἄμας ἀπῄτουν. Docet hoc Rex ille sapientissimus, stultitiæ tribuens respondere priusquam audias, non audit autem qui non intellexit. Si minus intellexit percontantem, paulisper obticescat, donec ille quod dixit sponte repetat. Id si non facit, sed responsum urget, blande veniam præfatus puer, oret ut quod dixerat dicat denuo. Intellecta percontatione paululum interponat moræ, deinde tum paucis respondeat, tum jucunde. In con-F vivio nihil effutiendum, quod effuscet hilaritatem. Absentium famam ibi lædere piaculum est. Nec cuiquam illic suus refricandus est dolor. Vituperare quod appositum est, incivilitati datur, & ingratum est convivatori. Si de tuo præbetur convivium, ut excusare tenuitatem apparatus urbanum, ita laudare aut commemorare quanti singula constiterint, insuave profecto condimentum est accumbentibus. Denique si quid a quoquam in convivio fit rusticius per imperitiam, civiliter dissimulandum potius quam irridendum. Decet compotationem libertas. Turpe est, sub dium, ut ait Flaccus, rapere, si quid cui super cœnam excidit inco-

1 *Falces petebam at negarunt ligones.*

cogitantius. Quod ibi fit diciturve, vino inscribendum, ne audias, μισῶ μνάμονα συμπόταν. Si convivium erit quam pro puerili ætate prolixius, & ad luxum tendere videbitur, simul atque senseris naturæ factum satis, aut clam, aut veniam precatus te subducito. Qui puerilem ætatem adigunt ad inediam, mea quidem sententia insaniunt, neque multo minus ii qui pueros immodico cibo differciunt. Nam & illud debilitat teneri corpusculi viriculas, ita hoc animi vim obruit. Moderatio tamen statim est discenda. Citra plenam saturitatem reficiendum est puerile corpus, magisque crebro quam copiose. Quidam se saturos nesciunt, nisi dum ita distentus est ventriculus, ut in periculum veniant ne dirumpatur, aut ne per vomitum rejiciat onus. Oderunt liberos qui illos etiamnum teneros cœnis in multam noctem productis perpetuo sinunt assidere. Ergo si surgendum erit a prolixiore convivio, quadram tuam cum reliquiis tollito, ac salutato qui videtur inter convivas honoratissimus, mox & aliis simul, discedito, sed mox rediturus, ne videare lusus aut alterius parum honestæ rei gratia te subduxisse. Reversus ministrato si quid opus erit, aut reverenter mensæ assistito, si quis quid jubeat exspectans. Si quid apponis aut submoves, vide ne cui vestem jure perfundas. Candelam emuncturus, prius illam e mensa tollito, quodque emunctum est, protinus aut arenæ immergito, aut solea proterito, ne quid ingrati nidoris offendat nares. Si quid porrigis infundisve, læva id facias caveto. Jussus agere gratias, compone gestus, paratum te significans donec silentibus convivis dicendi tempus adfuerit. Interim vultus ad convivio præsidentem reverenter versus sit & constanter.

CAP. V.

DE CONGRESSIBUS.

SI quis occurrerit in via, vel senio venerandus, vel religione reverendus, vel dignitate gravis, vel alioqui dignus honore, meminerit puer de via decedere, reverenter aperire caput, nonnihil etiam flexis poplitibus. Ne vero sic cogitet, quid mihi cum ignoto, quid cum nihil unquam bene de me merito? Non hic honos tribuitur homini, non meritis, sed Deo. Sic Deus jussit per Solomonem, qui jussit assurgere cano: Sic per Paulum qui presbyteris duplicatum honorem præcipit exhibere: in summa, omnibus præstare honorem quibus debetur honos: complectens etiam Ethnicum magistratum: & si Turca, quod absit, nobis imperet, peccaturi simus, si honorem magistratui debitum, illi negemus. De parentibus interim nihil dico, quibus secundum Deum primus debetur honos. Nec minor præceptoribus, quibus mentes hominum quodammodo dum formant, generant. Jam & inter æquales illud Pauli locum habere debet, honore invicem prævenientes. Qui parem aut inferiorem honore prævenit, non ideo fit ipse minor, sed civilior, & ob id honoratior. Cum majoribus reverenter loquendum & paucis, cum æqualibus amanter & comiter. Inter loquendum pileum læva teneat, dextera leviter admota umbilico: aut quod decentius habetur, pileum utraque manu juncta suspensum, pollicibus eminentibus, tegat pubis locum. Librum aut galerum sub axilla tenere rusticius habetur. Pudor adsit, sed qui decoret, non qui reddat attonitum. Oculi spectent eum cui loqueris, sed placidi simplicesque, nihil procax improbumve præ se ferentes. Oculos in terram dejicere, quod faciunt catoplepæ, malæ conscientiæ suspicionem habet. Transversim tueri, videtur aversantis. Vultum huc illuc volvere, levitatis argumentum est. Indecorum est interim vultum in varios mutare habitus, ut nunc corrugetur nasus, nunc contrahatur frons, nunc attollatur supercilium, nunc distorqueantur labra, nunc diducatur os, nunc prematur, hæc animum regunt Protei similem. Indecorum & illud, concusso capite jactare comam, sine causa tussire, screare, quemadmodum & manu scabere caput, scalpere aureis, emungere nasum, demulcere faciem quod est veluti pudorem abstergentis, suffricare occipitium, humeros adducere, quod in nonnullis videmus Italis. Rotato capite negare, aut reducto accersere, & ne persequar omnia, gestibus ac nutibus loqui, ut virum interdum deceat, puerum minus decet. Illiberale est jactare brachia, gesticulari di-

A gitis, vacillare pedibus, breviter non lingua, sed toto corpore loqui, quod turturum esse fertur, aut motacillarum, nec multum abhorrens a picarum moribus. Vox sit mollis ac sedata, non clamosa quod est agricolarum, nec tam pressa, ut ad aures ejus cui loqueris non perveniat. Sermo sit non præceps, & mentem præcurrens, sed lentus & explanatus. Hoc etiam naturalem battarismum, aut hæsitantiam, si non in totum tollit, certe magna ex parte mitigat, quum præcipitatus sermo multis vitium conciliet quod non dederat natura. Inter colloquendum subinde titulum honorificum ejus quem appellas repetere civilitatis est. Patris ac matris vocabulo nihil honorificentius, nihil dulcius: Fratris sororisve nomine nihil amabilius. Si

B te fugiunt tituli peculiares, omnes eruditi sint tibi Præceptores observandi, omnes Sacerdotes ac Monachi, reverendi patres, omnes æquales, fratres & amici, breviter omnes ignoti domini, ignotæ dominæ. Ex ore pueri turpiter auditur jusjurandum, sive jocus sit, sive res seria. Quid enim turpius eo more, quo apud nationes quasdam ad tertium quodque verbum dejerant etiam puellæ, per panem, per vinum, per candelam, per quid non? Obscœnis dictis, nec linguam præbeat ingenuus puer, nec aures accommodet. Denique quicquid inhoneste nudatur oculis hominum, indecenter ingeritur auribus. Si res exigat, ut aliquod membrum pudendum nominetur, circumitione verecunda rem notet. Rursus si quid inciderit, quod auditori nauseam ciere possit, veluti si quis narret

C vomitum, aut latrinam, aut oletum, præfetur honorem auribus. Si quid refellendum erit, cave dicat, haud vera prædicas, præsertim si loquatur grandiori natu, sed præfatus pacem, dicat: mihi secus narratum est a tali. Puer ingenuus cum nemine contentionem suscipiat, ne cum æqualibus quidem, sed cedat potius victoriam si res ad jurgium veniat, aut ad arbitrum provocet. Ne cui se præferat, ne sua jactet, ne cujusquam institutum reprehendat, aut ullius nationis ingenium moresve suggillet, ne quid arcani creditum evulget, ne novos spargat rumores, ne cujus obtrectet famæ, ne cui probro det vitium natura insitum. Id enim non solum contumeliosum est & inhumanum, sed etiam stultum: veluti si quis luscum appellet luscum, aut loripedem loripedem, aut strabum

D strabum, aut nothum nothum. His rationibus fiet, ut sine invidia laudem inveniat, & amicos paret. Interpellare loquentem antequam fabulam absolverit, inurbanum est. Cum nemine simultatem suscipiat, comitatem exhibeat omnibus, perpaucos tamen ad interiorem familiaritatem recipiat, eosque cum delectu. Ne cui tamen credat quod tacitum velit. Ridiculum enim est, ab alio silentii fidem exspectare, quam ipse tibi non præstes. Nullus autem est adeo linguæ continentis, ut non habeat aliquem, in quem transfundat arcanum. Tutissimum autem est nihil admittere, cujus te pudeat si proferatur. Alienarum rerum ne fueris curiosus, & si quid forte conspexeris au-

E dierisve, fac quod scis nescias. Literas tibi non oblatas limis intueri parum civile est. Si fors te præsente scrinium suum aperit aliquis, subducito te. Nam inurbanum est inspicere, contrectare aliquid inurbanius. Item si senseris inter aliquos secretius oriri colloquium, submove te dissimulanter, & in ejusmodi colloquium ne temet ingeras non accitus.

CAP. VI.

DE LUSU.

IN lusibus liberalibus adsit alacritas, absit pervicacia rixarum parens, absit dolus ac mendacium. Nam ab his rudimentis proficitur ad majores injurias. Pulcrius

F vincit qui cedit contentioni, quam qui palmam obtinet. Arbitris ne reclamita. Si cum imperitioribus certamen est, possisque semper vincere, nonnunquam te vinci patere, quo ludus sit alacrior. Si cum inferioribus luditur, ibi te superiorem esse nescias. Animi causa ludendum est, non lucri gratia. Ajunt puerorum indolem nusquam magis apparere, quam in lusu. Si cui ad dolos, ad mendacium, ad rixam, ad iram, ad violentiam, ad arrogantiam, propensius ingenium, hic emicat naturæ vitium. Proinde puer ingenuus non minus in ludo, quam in convivio sui similis sit.

CAP. VII.

DE CUBICULO.

IN cubiculo laudatur silentium & verecundia. Certe clamor & garrulitas indecora est, multo magis in lecto. Sive cum exuis te, sive cum surgis, memor verecundiæ, cave ne quid nudes aliorum oculis, quod mos & natura tectum esse voluit. Si cum sodali lectum habes communem, quietus jaceto, neque corporis jactatione vel teipsum nudes, vel sodali detractis palliis sis molestus. Priusquam reclines corpus in cervical, frontem & pectus signa crucis imagine, brevi precatiuncula temet Christo commendans. Idem facito quum mane primum temet erigis, a precatiuncula diem auspicans. Non enim potes ab omine feliciore. Simul ac exoneraveris alvum, ne quid agas, nisi prius lota facie manibusque, & ore proluto. Quibus contingit bene nasci, his turpe est generi suo non respondere moribus. Quos fortuna voluit esse plebejos, humiles, aut etiam rusticos, his impensius etiam adnitendum est, ut quod sors invidit, morum elegantia pensent. Nemo A sibi parentes aut patriam eligere potest, at ingenium moresque sibi quisque potest fingere. Colophonis vice addam præceptiunculam, quæ mihi videtur propemodum primo digna loco. Maxima civilitatis pars est, quum ipse nusquam delinquas, aliorum delictis facile ignoscere, nec ideo sodalem minus habere carum, si quos habet mores inconditiores. Sunt enim qui morum ruditatem aliis compensent dotibus. Neque hæc ita præcipiuntur quasi sine his nemo bonus esse possit. Quod si sodalis per inscitiam peccet in eo sane, quod alicujus videtur momenti, solum ac blande monere civilitatis est.

B Hoc quicquid est muneris, Henrice fili carissime, universo puerorum sodalitio per te donatum esse volui, quo statim hoc congiario simul & commilitonum tuorum animos tibi concilies, & illis liberalium artium ac morum studia commendes. Præclaram indolem tuam Jesu benignitas servare dignetur, semperque in melius provehere. Datum apud Friburgum Brisgoiæ, mense Martio, Anno M D XXX.



GALENI PARAPHRASTÆ MENODOTI

AD

ARTIUM LIBERALIUM STUDIA

EXHORTATIO:

Accedunt Ejusdem duo Libelli, quorum primus agit

DE

OPTIMO DICENDI GENERE;

Secundus docet


MEDICUM EUNDEM ET PHILOSOPHUM ESSE:

INTERPRETE

DESIDERIO ERASMO

ROTERODAMO.


ORNATISSIMO JOANNI ANTONINO CASSOVIENSI, MEDICO, DESIDERIUS ERASMUS ROTERODAMUS, S. D.



RNATISSIMI *Viri Joannis Henckelli literis ut mihi tui reditus adempta spes est Antonine carissime, ita non mediocriter mitigatum est absentis amici desiderium, posteaquam intelligo te summis Magnatum favoribus ac præmiis amplissimis apud tuos alligari, præterea dulctam uxorem puellam, non minus sanctissimis moribus quam forma præstantem, quæ te non sinit avolare, tenetque grata compede vinctum. Reliquum est ut hoc quo licet modo mutuas inter nos fabulas misceamus. Prodiit totus Galenus sua lingua nobis loquens, cujus primitias ad te mitto, inflammandis ad rei Medicæ studium juvenum animis versas: & quidem, majore negocio quam credas. Causam non eloquar, verum ipse si non gravaberis nostra cum Græcis conferre, statim intelliges minorem fuisse laboris portionem vertere. Margaritum tuum haudquaquam patietur mihi excidere amabilem istum nivei pectoris tui candorem. Neque me fallit quid* αἰνίττεται *Concionatoris Sebastianus, videlicet Erasmum maledicorum jaculis expositum. Reddita sunt & a clarissimo Christophoro Palatino Cracoviensi* ἀπαρχεῖα δῶρα, *qualia ne Regi quidem indecorum fuerit vel dare vel accipere.. Rescribam singulis, nisi quod hic libellus in publicum emissus aliqua fortassis occasione celerius isthuc perveniet quam epistolæ. Bene vale mi Antonine cum suavissima conjuge: cui precor ut tecum contingat feliciter consenescere. Basileæ* IIII *Calend. Majas.* Anno M D XXVI.

G A

GALENI PARAPHRASTÆ MENODOTI EXHORTATIO AD ARTIUM LIBERALIUM STUDIA, DESIDERIO ERASMO ROTERODAMO, INTERPRETE.



N ANIMANTIA quæ dicuntur bruta, prorsus expertia sint rationis, nondum satis liquet. Fortassis enim tametsi non habent eam rationem, quæ juxta vocem intelligitur nobiscum communem, quam vocant enunciativam, certe eam quæ secundum animam accipitur, quam rationem appellant affectuum capacem, habent nobiscum communem omnia, licet alia magis alia minus. Perspicuum sane est hominem hac parte longe cæteris animantibus antecellere, vel ex illo, quod cernimus quanta sit artium multitudo, quas hoc animal tentat discere, vel ex hoc quod solus homo scientiæ capax, quamcumque velit artem percipit. Siquidem animantia reliqua fere omnia, sunt artium expertia, si pauca quædam hinc excipias. Quin his etiam ipsis natura magis quam institutione contigerunt artes. Cæterum nec apud illa quicquam est artium, quod homo non meditetur, sed in arte texendi imitatus est araneas, in arte fingendi, quam plasticen vocant, apes: nec imperitus est natandi, quum sit animal terrestre. Jam nec a Divinis artibus destituitur, imitans & Æsculapii, quæ eadem est Apollinis, Medicam artem, ac cæteras item omnes quas habet Apollo, jaculandi, canendi, divinandi: ad hæc quam unaquæque Musarum habet peculiarem, nec Geometricæ, nec Astronomiæ expers. Verum & ea quæ subter humum sunt, & ea quæ supra cœlos sunt, quemadmodum ait Pindarus, contemplatur. Denique bonorum omnium maximum sua sibi paravit industria, Philosophiam. Has igitur ob causas, quanquam cæteris animantibus non deest ratio, tamen solus homo vocatur rationalis, quod omnibus antecellat.

An non igitur turpissimum est, id quod unum nobis inest commune cum Diis, negligentes, aliarum rerum studio teneri, ac spretis artibus, fortunæ nosipsos committere? cujus improbitatem nobis ob oculos ponere volentes prisci, tum picturis, tum statuis eam repræsentantes, non sat habuerunt illi dare mulieris speciem, quanquam hoc ipsum satis magnum erat amentiæ signum, verum & clavum illi dederunt in manibus, ac pedibus subjecerunt basim figura sphæræ, tum & oculis eam privarunt, nimirum his omnibus declarantes illius inconstantiam. Quemadmodum igitur in navi vehementer jactata tempestate, adeo ut in periculo sit, ne procellis ac fluctibus obruta demergatur in profundum, perperam fecerit, qui cæco gubernatori clavum commiserit, itidem opinor in vita, quum hic in permultis ædibus graviora fiant naufragia, quam scaphis accidunt in mari, non recte judicarit, qui semetipsum, in tantis negociis undique circumstantibus ac vallantibus cæcæ commiserit Deæ, nec huic satis stabili. In tantum enim stupet ac demens est, ut plerumque bonis viris præteritis, quorum oportebat haberi rationem, locupletet indignos, ac ne id quidem constanter, sed tantisper, donec rursus pari qua dedit temeritate eripiat donata. Hanc Deam sequitur turba non mediocris hominum ineruditorum, nunquam eodem in statu manentem, propter basis cui insistit volubilitatem, quæ illam huc illuc agit rapitque per præcipitia, nonnunquam & in mare. Ibi pariter intereunt omnes illam sequentes, cæterum illa sola evadit indemnis & illæsa, ridens interim plorantes, & ipsius opem frustra implorantes, quum hinc jam nulla sit illis utilitas.

Atque hujusmodi sane sunt fortunæ facta. Porro Mercurium tanquam rationis dominum, omnisque artis auctorem, considera rursum, quam diversa quamque pugnante cum fortunæ simulacro forma repræsentarunt illi prisci, tum picturis tum statuis. Adolescens est formosus, nequaquam habens pulcritudinem adscititiam, aut artificio comptorum additam, sed talem ut protinus in ea reluceat animi virtus. Est autem hilari vultu, oculis acribus. Basis autem cui insistit est omnium figurarum firmissima, minimeque volubilis, videlicet undique quatuor angulis nitens tessara. Interdum & ipsum Deum hac figura repræsentant. Videas autem & hujus cultores similiter hilares, quemadmodum est is quem sequuntur, nec unquam de illo quærentes, quod solent ii qui sequuntur fortunam. Nec destituunt illum, nec sejunguntur ab eo, sed perpetuo & sequuntur illum, & illius providentia fruuntur. Contra qui fortunam sequuntur, videre licet inertes, ac disciplinarum indociles, semper inhiantes spe duci, cumque currente Dea currere, alios quidem propius, alios vero procul, nonnullos autem & ab illius manu pendentes. Inter hos omnes videbis & Crœsum illum Lydum, & Polycratem Samium, ac fortasse miraberis alteri quidem Pactolum affluxu suo invehentem aurum, alteri vero mari nos etiam pisces subservientes. Cum his rursum & Cyrum videbis, & Priamum, & Dionysium. Verum paulo post hos eosdem haud eodem in statu conspicies, Polycratem in crucem suffixum, tum Cyro subactum Crœsum, rursus Cyrum ab aliis dejectum: videbis & Priamum constrictum, & Dionysium Corinthi. Quod si contempleris illos, qui procul insequuntur eam currentem, nec tamen assequuntur, nimirum prorsus oderis eum chorum. Sunt enim hic Oratores permulti, meretrices & scorta, & amicorum proditores: sunt & homicidæ, & monumentorum perfossores, ac rapaces: complures vero qui ne Diis quidem pepercerint, sed hos sacrilegio compilarint. Cæterum in altero choro omnes modesti, & artium opifices, neque currunt, neque vociferantur, neque inter sese decertant, sed in illorum medio Deus est, & circum hunc suo quisque loco compositus, nec ordinem quem cuique dedit Deus deserunt, alii quidem Deo proximi, & hunc ordine composito cingentes, videlicet Geometræ, Arithmetici, Philosophi, Medici, Astronomi, & Grammatici. Hos sequitur alter chorus, Pictores, Plastæ, Scriptores, Fabri & Architecti, Lapidarii. Post hos sequitur ordo tertius, reliquas artes omneis continens, sic in ordinem digestis singulis, ut omnes tamen ad Deum communem vertant oculos, jussis illius pariter obtemperantes. Conspicias quidem & hic numerosam multitudinem adhærentium Deo. Cæterum videbis & quartum quemdam chorum a cæteris selectum atque extraordinarium, non quales erant illi, qui fortunam comitabantur. Non enim ex dignitatibus civilibus, neque ex generis claritate, neque ex divitiis consuevit Deus hic præstantissimos judicare, sed qui cum virtute vitam agerent, quique in suis artibus excellerent, quique præceptis ipsius obsequerentur, ac legitime suas exercerent artes, hos & magnificit, & cæteris anteponit, sibi conjunctissimos habens semper. Hunc, ni fallor, chorum si nosses qualis sit, non solum admirareris, verumetiam adorares. In hoc est Socrates, & Homerus, & Hippocrates, & Plato, & horum studiosi, quos pari cum Diis honore dignamur, tanquam assectatores ac ministros quosdam Dei.

Quanquam ne cæterorum quidem quisquam fuit unquam a Deo neglectus. Non solum enim præsentium curam habet, verumetiam & navigantibus adest, nec in naufragio destituit. Aristippus igitur, quum aliquando navigans fracta scapha, in littus Syracusanum ejectus esset, primum quidem bono animo esse cœpit quum in arenis vidisset lineas Geometricas. Reputabat enim sese ad Græcos ac sapientes viros non ad Barbaros pervenisse: post ubi venisset in Syracusiorum gymnasium, & hosce versus pronunciasset:

Quis Oedipum in diem vagantem & exsulem
Donis recipiet, nunc quidem rarissimis,

& habuit qui ipsum adirent, & agnito quis esset, protinus omnia quibus opus erat impartierunt. Deinde quum essent qui

qui in Cyrenen illius patriam navigaturi, percontarentur, A nunquid ad suos vellet scribere; *Jubete*, inquit, *illos has sibi parare possessiones, quæ navi fracta simul enatant cum possessore.* Cæterum multi infelices, & omnia divitiis metientes, si quando incidunt in talem rerum statum, aurum & argentum suspendunt ac circumponunt corpori, simulque cum illis perdunt & vitam, ne id quidem apud se reputare valentes, quod ipsi ex brutis animantibus ea potissimum amplectuntur, quæ sunt artibus ornata. Siquidem equos ad bellum edoctos, & canes venandi peritos, cæteris anteponunt, quin & famulos curant artibus instituendos, & frequenter in hos plurimam impendunt pecuniam, quum semetipsos negligant. Quid? An non turpe videtur famulum nonnunquam æstimari drachmarum decem millibus, B ipsum autem dominum nec unius haberi drachmæ. Quid autem dixi unius? Nemo talem vel gratis acceperit in famulitium. An non tandem se solos vilissimos omnium reddiderunt, qui soli nullam artem didicerint? Etenim quum bruta quoque artium exercitationibus erudiant, & famulum ignavum, nulliusque peritum artis, nullo precio dignum judicent, curent autem & agros & reliquas possessiones, ut quæque quantum fieri potest sit quam optima, seipsos solos negligant, ne hoc quidem intelligentes animum habeant nec ne, perspicuum est, quod similes sint famulis contemptissimis, ut jam aliquis insultans homini tali, merito verbis hujusmodi illum alloquatur; O homo, C familia quidem tua tibi recte habet, mancipia omnia, & equi & canes & agri, & quicquid possides bene compositum est: At ipse tu parum curatus es. Præclare igitur Demosthenes ac Diogenes, quorum alter divites indoctos appellavit *oves onustas aureo vellere*, alter dixit eos *similes ficis arboribus in præruptis locis stantibus. Nam harum fructibus non homines, sed corvos & graculos vesci.* Sic horum pecunias nulli esse usui viris probis, verum ab assentatoribus absumi, qui quidem, si sic acciderit ut nihil sit reliquum, forte obvios factos prætereunt illos quos exhauserunt, perinde quasi ne nossent quidem. Unde quidam non inelegans, dixit istos similes fontibus. Etenim qui prius e fontibus aquare solent, simul atque desierint habere aquam apud eosdem sublatis vestibus urinam reddunt. Et sane videtur D æquum, qui nulla re suspiciendi sunt, nisi ob divitias, simul atque his spoliati fuerint, pariter & illis spoliari quæ ob divitias habebant. Quid enim isti facerent, qui nullum proprium possident bonum, sed perpetuo pendent ab alienis, & ab his quæ sunt fortunæ?

Tales videlicet sunt & hi qui generis nobilitatem venditant, atque hinc sibi placentes tollunt cristas. Nam & isti, quoniam propriis bonis carent, ad majorum imagines confugiunt, non saltem hoc intelligentes, quod ista generis nobilitas, qua gloriantur, similis est publico singularum civitatum nomismati, quod apud eos quidem valet, qui instituerunt, apud alios vero adulterinum habetur.

Te haud quaquam in altum generis evexit decus,
Non altus huc sum polluam ut genus meum. E

Præclarus igitur, ut inquit Plato, *thesaurus est, progenitorum virtutes*, sed præclarius est huic opponere posse Stheneli dictum,

Atqui nos patribus longe præstamus avisque.

Nam si qua omnino est nobilitatis utilitas, hanc solam habet, quod hinc accenditur studium æmulandi, proposito exemplo domestico. Proinde si procul degeneremus a progenitorum virtute, merito discrutientur illi, si quis modo sensus insit defunctis: nobis autem tanto plus est dedecoris, quanto genus est illustrius. Siquidem imperiti, qui genere sunt vehementer obscuro, hoc lucri faciunt, quod plerique nesciunt quales sint. Cæterum quos decus & claritudo generis non sinit latere, quid aliud fructus ferunt ex nobilitate, nisi ut illorum infelicitas sit illustrior? Sane qui generi F suo non respondent, magis contemnunt, quam obscuro loco nati. Itaque fit, ut si vecors prædicet claritatem generis, declaret suum ipsius vitium minus esse venia dignum. Neque enim eadem trutina æstimamus aut exploramus plebejos homines, qua claro genere natos. Sed illos, si vel mediocri virtute præditi sint, probamus & amplectimur, quod deest illorum virtuti, generis obscuritati imputantes. Rursus hos qui nihil habent dignum imaginibus majorum, etiam si cæteris omnibus antecellant, nondum tamen suspicimus. Proinde si quis sapit, ad exercendam artem sese conferat, per quam si nobilis fuerit, videbitur genere non indignus. Sin minus, ipse genus ornabit suum, veterem illum Themistoclem imitatus, cui cum probro objiceretur, quod nothus esset: *At ego*, inquit, *a meipso genus auspicabor, ac meum quidem genus a me incipiet, tuum vero in te desinet.* Vides non obstitisse Anacharsidi Scythæ, quo minus sit in admiratione, & inter sapientes numeretur, tametsi genere barbarus esset. Huic quum quidam exprobraret, quod genere barbarus esset ac Scytha, *Mihi quidem*, inquit, *patria dedecori est, tu vero patriæ*: plucre retaxans hominem ex sese nihili, nec alia re superbientem quam patria.

Quod si fixius & attentius contempleris res hominum, comperies non homines factos illustres ex civitatibus, sed contra, per viros bonos & artibus præstantes horum patrias fuisse nobilitatas. Etenim quod nomen aut quam dignitatem habuissent Stagira, nisi per Aristotelem contigisset? Rursus quæ Solorum, nisi per Aratum & Chrysippum contigisset? Quin & Athenarum nomen unde tam procul dimanavit? Non ob terræ fœcunditatem, habuit enim agros parum feraces, sed per eos potius qui illic nati sunt, quorum plerique dum in viros optimos evaserunt, nonnullam suæ gloriæ portionem impartierunt & patriæ. Hoc autem esse verissimum evidentissime perspicies, si tecum reputes Hyperbolum & Cleonem, quibus ad nihil aliud profuit Athenarum nobilitas, nisi ut illorum malefacta redderentur famosiora. *Quondam Bœotios vocabant sues*, inquit Pindarus. Et idem rursus: *Fingimus Bœoticum suem iterum*, volens totius prope gentis de imperitia probrum aboleri per ipsius Poeticam.

Quin & legislatorem illum Atheniensem jure laudarit aliquis, qui vetuit parentem alimoniæ jus a filio petere, quem nullam artem docuisset. Quum id potissimum temporis omnis ars illic exerceretur, ubi corpora videbantur esse quam formosissima, multis usu venit, ut ob corporis formam admirandi, negligerent animum, deinde sero frustraque deplorarent dicentes: Utinam forma quæ me perdidit, pereat male. Tum illis & illud Solonis in mentem venit, qui jubet in primis *spectari vitæ finem.* Deinde & senectutem incusant, quum se ipsos debuerint: & Euripidem laudant qui dicit, *non expedire pulcritudinem ultra capere, quam in medio.* Præstat igitur eos laudare, qui judicarunt formam adolescentiæ assimilem vernis floribus, ut qui voluptatem habent temporariam: simulque laudare Lesbiæ dictum, Nam qui formosus est, tantisper est dum videtur. At quisquis bonus est, protinus & formosus erit. Parendum autem & Soloni eamdem sententiam proferenti, Senectus porro molesta, veluti tempestas imminens, egens non calceamentis solum & vestitu, verum & domicilio commodo aliisque rebus innumeris. Adversus hanc, probi gubernatoris exemplo, multo ante, velut in venturam tempestatem oportet præparari, quando miserum est illud,

Vecors intelligit acta.

Ad quid enim dixeris utilem esse formam adolescentis nulla excultam arte? Num ad bellum? Atqui non abs re quis illud Homericum in tales jaculetur:

Quin tu conjugii tractas mulcentia facta?

Et illud:

Ito domum, & tracta tibi convenientia facta.

Siquidem *Nireus*

Venerat ad Trojam cunctis formosior unus;

At mollis erat, eoque non nisi semel hujus meminit Homerus in recensendis navibus, haud quidem ob aliud mea sententia, nisi ut declararet quam sint inutiles viri forma præstantissimi, quoties illis præter formam nihil adest, quod ad usum vitæ conducat. At infelix quispiam dicere non verebitur, ad parandas opes conducibilem esse formam, quum liberalis, honestus, firmusque pecuniarum census ex arte parari soleat. Cæterum ex corporis forma reditus, turpis est semper & infamis. Oportet igitur adolescentem juxta vetus præceptum, suam ipsius formam ad speculum contemplari: qui si se conspexerit facie pulcra, advigilandum est ut talis sit & animus, existimetque vehementer absurdum, in formoso corpore animum inhabitare deformem. Rursum si se viderit esse forma corporis infelici, tanto magis oportet animi excolendi curam agere, quo dicere possit illud Homericum:

Est

Est aliquis cui forma parum sit corpore felix,
Sed comptis formam verbis Deus ornat, & illi
Defixis oculis, vultum hujus cernere gaudent.
Ille nihil fallens loquitur, placido ora rubore
Suffusus, reliquosque foro toto eminet inter,
Utque Deum adspiciunt incedit quando per urbem.

Ex his igitur quæ diximus, perspicuum est his qui non prorsus mente carent, neque generis claritate, neque divitiis, neque formæ gratia fretum, oportere negligere studium artis.

Atque hæc quidem sufficiebant: attamen melius opinor fuerit, ceu pulcrum epodum accinere Diogenis illud. Is quum apud quemdam acciperetur convivio, qui res omnes quas possidebat exacta providentia nitidas & instructas habebat, cæterum sui ipsius nullam omnino curam habuerat, screans veluti sputum ejecturus, quum undique circumspexisset, nihil vidit in quod exspueret, sed in ipsum solum domus herum exspuit. Ille quum indignaretur, rogaretque quam ob causam id faceret, respondit, *se nihil in tota domo tam sordidum ac neglectum videre quam esset ipse:* nam parietes omnes egregiis picturis ornatos esse, solum autem ex tessellis preciosis esse concinnatum, habens ex his Deorum expressas imagines, vasa omnia pura ac nitentia, quin & stragulas & lectos pulcre magnoque artificio elaboratos esse, solum ipsum videri neglectum & incuratum. Omnibus autem esse morem, ut in locum omnium qui adsunt inhonestissimum exspuant. Ne committas igitur adolescens ut te præbeas dignum in quem sputum ejiciatur, etiam si reliqua omnia pulcerrima tibi videantur adesse. Rarum enim est, istis simul universis potiri, ut idem pariter & nobilis sis, & dives, & formosus. Quod si cui sane simul ista contingant aliquando, tamen absurdum fuerit, te unum in omnibus tuis facultatibus videri conspuendum.

Agite igitur ô pueri, quicunque meam audistis orationem, ad cognoscendas artes animum appellite, ne quis unquam seductor & impostor homo vos aut inutiles artes aut improbas doceat, scientes, quæcunque artes nihil adferunt utilitatis ad vitam, has artes non esse. Ac plane persuasum habeo, de cæteris quidem vos ipsos perspicere, quod nihil istiusmodi rerum artis nomine sit dignum, veluti jacere talos, ambulare super tenuem funem, & rotatu circumagi in gyrum, non considerantem interim quid acciderit Myrmeciadæ Atheniensi, & Callicrati Lacedæmonio, tantum athletarum exercitium metuo, ne veluti corporis robur pollicens, & gloriam apud vulgus concilians, publicitus etiam apud majores diurnis pecuniæ largitionibus honoratum, parique in pretio habitum cum præstantissimis artibus, decipiat aliquem adolescentem, eoque seducat, ut hoc arti cuipiam anteponat. Unde satius est adversus hæc præparatum ac præmeditatum esse. Nam facile quisque fallitur in his, in quibus est impræmeditatus.

Sane genus hominum ô pueri, communionem habet simul cum Diis, & cum brutis animantibus. Cum illis quidem, quatenus utitur ratione, cum his vero quatenus est mortale. Satius est igitur, ut animis ad meliorem communionis partem adjectis, curemus eruditionem, quam assequuti, quod est in bonis summum habebimus. Sin eam non fuerimus assequuti, non tamen hoc nomine pudescemus, quod brutis ignavissimis simus facti inferiores. Athletica vero corporis exercitatio si non contingat affectanti, turpissimum est: si maxime contingat, nihilo tamen præstantior est brutis animantibus. Quis enim robustior leonibus aut elephantis. Quis lepore velocior? Quis vero nescit ipsos etiam Deos non ob aliud laudari, quam propter artes, adeo ut ob has etiam homines eximios dignati simus Divinis honoribus, non quod bene cucurrerint in stadiis, aut discum scite jecerint, aut in palæstra probe luctati sint, sed propter artes repertas. Profecto Æsculapius & Bacchus, sive quondam homines fuerunt sive Dii ab initio, summos honores promeruerunt, alter ob monstratam artem medendi, alter quod nos docuerit vitium colendarum rationem. Quod si mihi non vis credere, certe Pythii Dei te moveat auctoritas. Hic est ille qui & Socratem virorum omnium sapientissimum pronunciarit, & Lycurgum affatus hunc in modum salutat:

Huc advenisti, ad mea ditia templa, Lycurge,
A *Grate Jovi, & cunctis quibus altus habetur Olympus,*
Addubito, anne Deum te dicam hominemne Lycurge,
Spero tamen magis esse Deum, numenque verendum.

Hic rursus idem videtur honorem haud mediocrem habuisse Archilocho mortuo. Quum enim hujus interemptor vellet illius templum ingredi, vetuit dicens,

Occisor clari vatis, ne templa subito.

Nunc mihi tu refer athletas hujusmodi titulis honoratos: at non facies, non enim habes quod dicas, nisi forte testem aspernaris velut indignum cui credatur. Videris enim tale quiddam subindicare, dum sermonem refers ad vulgi testimonia, & nobis objicis horum laudationem. Et tamen neque morbo laborans, sat scio, te ipsum vulgo commiseris, sed ex omnibus delectis paucis aliquot atque his quidem
B Medicæ rei peritissimis, neque navigans cuivis e numero vectorum, sed uni videlicet gubernatori. Denique & in rebus minimis, si ædificas, fabro credis, si calceamentis egeas, coriario. Qui fit igitur ut ubi de rebus summis periculum est, tibi vindices judicandi potestatem, adimens eam his qui plus sapiunt quam tu? Nam in præsentia quidem omitto de Diis facere mentionem. Audi igitur quid de athletis sentiat Euripides:

Innumera quum sint mala per omnem Græciam,
Haud aliud ullum est pejus athletis genus.
Primum ii, domi sibi consulunt parum bene,
Quum liceat, etenim quomodo vir qui siet
C *Gulæque servus atque ventri deditus,*
Opes pararet unde viveret domi?
Egere rursus non potest, sed nec suis
Contentus esse sustinet fortunulis.
Nam nunquam honestis assueti moribus
Mox sese ad artes improbe vertunt malas.

Jam ut intelligas & omnia quorum studio tenentur isti, nihil habere bonæ rei, audi rursum quæ dicit, si libet:

Quis enim in palæstra vir pedum cursu valens
Feliciter versatus, aut disco bene
Misso, aut probe sciteque mala ista viri,
Patriæ coronam retulit partam sua?

Quod si cupis audire his etiam expressiora, ausculta:

D *Num adversus hostes præliabuntur, manu*
Discos ferentes, sive vibrata aspide
Pedibus citi hostem submovebunt patria?
Nullus profecto, vana fiunt omnia hæc,
Ubi comminus ferrum micare cœperit.

Utrum igitur Euripidem & hujus generis alios auctores rejiciemus, Philosophis autem permittemus judicandi jus? Imo vero horum omnium suffragio, velut uno ore loquentium damnatur istorum ars, adeo ut eam nec Medicorum quisquam probarit. Primum enim audies Hippocratem ita dicentem: *Affectio Athletica non est secundum naturam, melior est habitudo salubris.* Idem autem suaserunt optimi quique Medici, qui Hippocratis ætatem sequuti sunt. Equi-
E dem nolim a testibus pendere judicium. Nam id Oratorum est potius quam hominis apud quem in precio sit ipsa veritas. Attamen quoniam nonnulli confugiunt ad testium multitudinem, & hinc inanem captant gloriam, nec curant exercitium rebus externis nudatum quale sit ipsum considerare, coactus sum & his objicere testes, quo videlicet intelligant se ne hic quidem esse nobis superiores. Unde mihi non intempestivum videtur commemorare, quod fecit Phryna. Hæc quum esset in quodam convivio, in quo hic ludus agebatur ut singuli per vices convivis imperarent quæ vellent, vidissetque adesse mulieres, anchusa, cerussa, & fuco pictas, jussit inferri aquam, mox præcepit, ut omnes aquæ
F immersas manus semel admoverent ad faciem, deinde ut illico linteo extergerentur. Atque hoc ipsa prima omnium fecit. Ac cæteris quidem omnibus fœminis, facies maculis opplebatur, diceres te videre quasdam ad terrorem arte factas imagines. Ipsa vero pulcrior apparebat quam antea. Sola enim carebat artificio formæ, sed speciem habebat nativam, nihil opus habens malis artibus ad formæ commendationem. Quemadmodum igitur vera pulcritudo certo exploratur ipsa per se sola, rebus omnibus foris accidentibus nudata; sic & Athletarum exercitationem expendi convenit solam, an videatur aliquid utilitatis adferre, vel publice civitatibus, vel privatim iis a quibus exercetur.

Quum

A Quum igitur variæ sint bonorum species, quæ insunt natura, puta quæ pertinent ad animum, quæ ad corpus, quæ ad externa, nec præter hæc ullum aliud bonorum genus possit excogitari, cuivis perspicuum est, quod athleticam exercentes, animæ bona ne in somnis assequuti sint, quando prorsus illud ignorant an habeant animam, tantum abest, ut illam sciant esse rationis participem. Etenim quum semper aggerant vim carnium & sanguinis, habent animam suam veluti multo immersam cœno, ut nihil exacte possit intelligere, verum non minus stupida sit, quam brutorum animæ. At fortassis contendent athletæ, tanquam aliquid conferant ad bona corporis. Num igitur bonam valetudinem qua nihil pretiosius, sibi vindicabunt? Atqui

B non alios reperias corporis affectione magis periculosa, si quidem Hippocrati fides habenda, qui dixit, summe bonam corporis valetudinem periculosam esse, quam affectant isti. Quin & illud ab Hippocrate recte dictum, quod sanitatis exercitatio est non satiari cibis, sed in omnibus agilem esse, laudatur ab omnibus. At isti contra faciunt, dum & supra modum laborant, & iidem supra modum explentur. In summa, veteris illius Hippocratis sermonem ceu Corybantum furore correpti, contemnunt. Nam ille demonstrans quæ vitæ ratio sit accommoda tuendæ bonæ valetudini, dixit; Labores, cibi, potus, somni, Venus, omnia moderata. Isti vero quotidie supra quam convenit, laboribus exercentur, & ingurgitant sese nonnunquam & vi, ad mediam usque noctem proferentes cibi sumptio-

C nem, ut aliquis non immerito in illos torserit illud Homeri:

Dormibant reliqui Divique hominesque per omnem
Noctem, prædulci resoluti corpora somno.
Ast nullus miseros athletas somnus habebat.

Itaque quemadmodum se habent in cibis & laboribus, eodem modo moderantur & somnum. Etenim quo tempore cæteri juxta naturam viventes, ab opere veniunt, & cibum requirunt, tum isti surgunt a somno, ut illorum vita similis videatur suillæ, nisi quod sues non ultra modum laborant, neque coguntur ad edendum. Isti vero & hæc perpetiuntur, nonnunquam iisdem & rhododaphnes maculis terga notantur. Proinde priscus ille Hippocrates, præter hæc quæ dicta sunt, addit & illa: *Vehementer ac repente cor-*

D *pus explere vel inanire, vel calefacere, vel refrigerare, aut alio quocumque modo movere, periculosum est. Quicquid enim*, inquit, *est vehemens, inimicum est naturæ.* Isti vero nec his auscultant, nec aliis, quæ bene ab hoc dicta transgrediuntur, quin potius utuntur omnibus, quæ pugnant cum his præceptis. Quapropter ego sane dixerim, istam exercitationem non facere ad bonam valetudinem, sed morbos potius accersere. Nam id ni fallor, sentit Hippocrates quum ait, *Affectio athletica, non est secundum naturam, sed habitudo salubris melior.* His dictis non solum palam negavit illorum exercitationem esse naturalem, verum ne habitudi-

E nem quidem appellavit illorum affectionem, spolians illos etiam nominis honore, quo cuncti veteres appellare solent homines qui vere essent bonæ valetudinis. Siquidem habitus est affectio quædam stabilis ac perpetua. Contra Athletarum ad summum progressa bona corporis habitudo, tum obnoxia periculo est, tum facile in diversum mutabilis. Neque enim recipit accessionem, eo quod ad summum pervenit, tum ex eo quod eodem in statu consistere non potest, nihil restat, nisi ut vergat in deterius. Atque hoc quidem in statu corpus est ipsis, dum athleticam exercent. Cæterum ubi discesserint ab exercitiis, multo pejus habent. Etenim nonnulli paulo post emoriuntur, alii vero diutius quidem vivunt, at ne ipsi quidem perveniunt ad senectu-

F tem. Et ut jam aliquando perveniant, nihil differunt a Litis illis Homericis, claudi, rugosi, luscioſi, oculis orbi. Quemadmodum enim mœnium partes tormentis concussæ, quovis incommodo corruunt, nec terræ motum, nec alium ullum graviorem insultum ferre possunt: itidem & athletarum corpora, corrupta & imbecillia facta, plagis ac vulneribus in exercendo acceptis, facile ad quamlibet levem occasionem læduntur. Proinde oculi plerisque ceu fossis cavati, quando jam vis abest resistendi, complentur pituita, dentes vero, utpote frequenti concussione labefacti, progressu temporis destituti virtute, facile decidunt. Cæterum membrorum compages, ut frequenter intortæ, adversus omnem violentiam foris incidentem redduntur invalidæ, & quicquid semel ruptum fuit aut contractum, facile movetur. Itaque quod ad bonam valetudinem attinet palam est, nullum genus esse miserius, quam athletarum. Unde non injuria quis dixerit eos generoso cognomine notari, dictos Athletas, vel quod ab athleta cognomen habeant ἄθλιοι, id est, *miseri*, vel quod utrique communiter ab athliotete, id est, *miseria*, velut ab una terra cognomen sortiti sint.

Postea quam igitur de eo, quod inter bona corporis summum est, tractavimus, nimirum de bona valetudine, transeamus ad reliqua. Jam quod ad formam attinet, sic illis habet res, ut non solum exercitatio athletica nihil conferat ad pulcritudinem, verum etiam multos ex istis optime composito corpore, gymnastæ qui eos curandos susceperant, supra modum saginantes & infarcientes carnibus & sanguine, in diversam corporis speciem perduxerint, nonnullos vero facie quoque prorsus deformi fœdaque reddiderint, eos potissimum, quos ad pancratium aut pugilum certamen instituissent. Cæterum ubi tandem & membra fregerint aut distorserint, aut oculos extuderint, tum opinor, tum vel maxime fructus artis ipsorum evidenter apparet, pulcritudo. Hunc ad modum illis res successit ad formæ commodum quamdiu sani sunt. Cæterum ubi desierint exerceri, simul & reliqua corporis organa pereunt, cunctaque ut dixi membra distorta, nihil non reddunt deforme. At fortassis nihil quidem ex omnibus his quæ dicta sunt, sed robur sibi vindicabunt. Nam hoc sat scio dicturi sunt, illud omnium ad rem pertinere maxime. Quod per Deos robur, aut ad quid utile? Num ad agricolationem? Perpulcre igitur vel fodere, vel metere, aut aliud quippiam quod ad agricolationem pertinet, possunt. Sed fortassis ad res bellicas valet. Rursus Euripidem huc mihi cita, qui laudes illorum canit dicens:

Num adversus hostem præliabuntur, manu
Discos ferentes, numve vibrata aspide
Pedibus citi hostem submovebunt patria?
Nullus profecto, vana fiunt omnia hæc
Ubi cominus ferrum micare cœperit.

Cæterum adversus rigorem & æstum validi sunt, hoc ipso sane Herculem ipsum referentes, ut tum hieme tum æstate una pelle tegantur, ut incalceati perpetuo sub dio dormiant, humi cubantes. In his enim omnibus pueri nuper nati sunt imbecilliores. Qua tandem igitur in re roboris sui specimen edent, aut unde sibi placebunt, & cristas erigent? Non sane profecto in hoc, quod coriarii, fabri, domorum ædificatores qui sunt, eos vel in palæstra dejiciant, vel in stadio. Fortassis itaque in hoc, quod toto die pulverescunt, judicabunt recte fieri, laudeque dignum. Verum ista laus adest & coturnicibus & perdicibus, si quidem par est ut hinc tollant cristas, quod toto die luto laventur. Sed age per Jovem, Milo ille Crotoniates, sublatum in humeros unum ex immolatis tauris, olim per stadium bajulavit. O insignem dementiam istorum, qui ne hoc quidem intelligunt, quod paulo ante idem corpus vivi animantis gestarit illius anima, multoque sane minore labore portavit quam Milo: nam & currere poterat quum gestaret. Attamen ea nullius erat precii, quemadmodum nec Milonis anima. Declaravit autem & exitus hominis quam nihil habuerit mentis. Quum enim aliquando conspiceret adolescentem cuneis immissis findentem arbores, illum quidem irrisum submovit, ipse non alio usus instrumento, quam suis ipsius manibus, ausus est lignum diducere. Mox quicquid habebat roboris in primo impetu colligens, diduxit arboris huc atque huc partes. Interim elapsis cuneis, quum reliquam arboris partem diducere non posset, diu quidem obnixus est, tandem victus non potuit educere manus, sed a trunci partibus in sese coeuntibus, comprehensæ, primum ipsæ quidem contritæ sunt, mox & Miloni miserandi exitii fuere causa. Plurimum igitur illi profuit in hoc, ne quid mali pateretur, in stadio gestasse taurum mortuum. An Græcorum Rempublicam servare potuisset id temporis, quum adversus Barbaros bellum gerebant, Milonis vis, quam in tauro gestando declaravit, potius quam Themistoclis sapientia? qui primum recto judicio deprehendit sententiam oraculi, deinde bellum quemadmodum oportebat gessit. Unicum enim consilium

A filium prudens, multas superat manus. Cæterum inscitia cum armis, pejor est quovis malo. Arbitror itaque jam perspicue declaratum, athletarum exercitationem nihil utilitatis adferre ad vitæ functiones.

Cæterum quod nec in ipsis quibus exercentur ullius pretii sint, cognoscetis, si vobis retulero fabulam illam, quam vir quidam non inelegans prolixo carmine ornavit. Habet autem hunc in modum fabula. Si Jovis voluntate cunctis animantibus consensus ac societas contingeret in degenda vita, ut in Olympia præco non solum homines ad certamen vocaret, sed omnibus etiam animalibus permitteret ad unum venire stadium, nullus opinor hominum coronaretur. In eo certamine, in quo cursus ad viginti tria stadia porrigitur, unde & δόλιχον appellant, equus inquit, longe
B superabit: in cursu vero breviore qui non ultra stadium profertur, lepus feret præmium. Cæterum in diaulo in quo cursus ac recursus duplicat stadium, primas feret caprea. Neque quisquam hominum in aliquo numero futurus est. O leves exercitationes vestras athlii, id est, miseri viri. Imo ne Herculis quidem posterorum quisquam elephanto aut leone robustior apparebit. Arbitror autem futurum, ut & in pugilum certamine taurus coronam laturus sit. Et asinus, inquit, si velit calcibus contendere, coronam auferet, & in historia variorum eventuum scribetur, quod asinus in pancratio aliquando vicerit viros. Erat autem Olympias prima ac vigesima quum vinceret ruditor. Admodum venusta fabula hæc declarat, robur athle-
C ticum non esse de numero eorum quibus homines decet exerceri. Atqui si ne robore quidem antecellunt animantibus athletæ, quodnam ex cæteris bonis sibi vindicabunt?

Quod si quis dicat voluptatem corporis inter bona numerandam, ne hujus quidem compotes sunt, neque quum exercentur, neque postquam ab exercitatione discesserint: quandoquidem dum exercent athleticam, in laboribus ac miseriis agunt, non tantum ob exercitia, verum etiam ob id quod coguntur ad edacitatem. Quod si contigerit eos ab arte missionem accipere, plerisque corporis membris claudi fiunt ac debiles.

Ergo fortassis inde gloriantur, quod præ cæteris plurimum colligunt & coacervant pecuniarum. Atqui videre licet istos omnes æri alieno obstrictos, non solum id temporis quo exercent artem athleticam, verumetiam quum ab ea dimissi sunt, haudquaquam invenies athletam pilo ditiorem, quovis viri divitis œconomo. Quamquam ne id quidem per se præclarum est ex arte parare divitias, sed talem potius artem scire, quæ fracta navi simul cum domino enatet e naufragio: quod quidem nec his contingit qui res procurant divitum, neque publicanis, neque negociatoribus: Et tamen hi maxime ditescunt e suis artibus. Cæterum si pereant illis pecuniæ, simul perit & negociatio, ad quam opus quidem habent aliqua sorte pecuniæ, cæterum si hæc desit, non possunt instaurare pristinam negociationem. Nullus enim illis mutuum credit absque pignoribus & hypothecis. Proinde si quis studet sibi parare viam ad parandas pecunias, & tutam, nec infamem, ars exercenda est, per omnem vitam permansura. Porro quum prima divisione in geminum discrimen artes distribuantur: quædam enim ex his ratione constant, suntque liberales & honestæ: quædam contra contemptibiles, quod corporis laboribus constent, quas sedentarias ac manuarias vocant, præstiterit, ex illo priore genere, quampiam discere. Nam posterius illud genus destituere solet senectute gravatos artifices. Prioris autem generis sunt, Medicina, Rhetorica, Musica, Geometria, & Arithmetica, Dialectica, Astronomia, Grammatica, ac Legum prudentia. Adde his si voles fingendi pingendique artificium. Quamquam enim hæ manuaria constant opera, tamen earum exercitatio non eget robore juvenili. Ex his igitur artibus aliquam deligere convenit, & exercere juventutem, cui mens non sit omnino pecuina, vel harum potius optimam, quæ quidem mea sententia est ars medendi. Hoc autem deinceps nobis erit demonstrandum.

GALENI
DE
OPTIMO DICENDI GENERE
LIBER.

D FAVORINUS censet optimum doctrinæ genus, per quod utramque in partem præparamur. Sic enim appellabant Academici, propter adversam partem quam asseverabant. Itaque vetustiores existimabant hanc doctrinam desinere in Epochen. Epochen autem appellabant, quasi dicas suspensam sententiam, nihilque definientem, quod est, nulla de re pronunciare, nec asseverare certo. Recentiores autem (non enim solus fecit hoc Favorinus) nonnunquam eo proferunt Epochen, ut negent vel illud intellectu posse comprehendi, Solem esse. Rursus alias eo proferunt cognitionem, ut discipulis suis permittant, antequam didicerint, de scientiis judicare. Nec enim aliud est quod dixit Favorinus libro de affectione Academica, cui titulus inditus est *Plutarchus*. Dicit autem in libro ad
E Epictetum, in quo inducitur Onesimus Plutarchi servus cum Epicteto disputans. Quin & in libro quem postea scripsit ad Alcibiadem, laudat alios etiam Academicos, qui in partes ambas sibi pugnantes & contrarias disserebant, cæterum discipulis permittebant, ut quod verius videretur eligerent. In hoc sane libro ait sibi videri probabile, nihil certo sciri posse. Contra in Plutarcho concedere videtur, esse certam alicujus rei cognitionem. Præstat autem sic appellari, γνωςόν, id est, *cognoscibile*, quod aliis dicitur καταληπτόν, id est, *comprehensibile*, relicto voca-
F bulo Stoico. Ego sane mirabar, ita me Dii bene ament, quod Favorinus, qui consuevit omnia nomina ad Atticam linguam usurpare, non desinat uti his vocibus, Comprehensibile, comprehensio, comprehensiva imaginatio, vel his contrariis, veluti quæ per privationem dicuntur, ut incomprehensiva imaginatio, aut ipsa incomprehensibilitas, adeo ut quum libros tres scripserit, primum ad Adrianum, alterum ad Dysonem, tertium ad Aristarchum, omnibus titulum indiderit; *De comprehensiva imaginatione*, ac per omnes hos libros strenue contendit, dum conatur demonstrare nullam esse posse comprehensivam imaginationem. Ego vero nihil aliud arbitror sonare comprehensibile, quam cognoscibile, nec aliud comprehendere, quam certo cognoscere: cæterum inter se respondere comprehensionem, & comprehensivam imaginationem. Quoniam enim nonnulla videmur nobis videre, audire, aut alioqui sensu percipere, quod accidit in somnis, aut per insaniam: nonnulla vero non tantum putamus nos videre, sed re vera videmus, aut alioqui sensu percipimus. Hæc quidem posteriora omnes homines, exceptis Academicis, & Pyrrhoniis, ad certam cognitionem pertingere credunt; cæterum quæ per somnium aut mentis errorem apparent animo, ea falsa esse. Quod si porro concedunt hoc ita se habere, deleant e libris suis quod inibi scriptum est? In rerum judicio nec sano magis esse fidem habendam, quam insano, neque recte valenti magis quam ægroto, neque vigilanti magis quam dormienti. Sin istis nihil est cognoscibilius quam iis qui sunt diverso modo affecti, nimirum confusa sunt veritatis judicia: nec ipse præceptor Academicus, nec discipulus poterit judicare rationes, quæ in ambas partes inter se pugnantes differuntur. Imo ne opus quidem omnino fuerit talibus Doctoribus, quum possimus ipsi, quæ a sectarum auctoribus hinc atque hinc disserta sunt legere, nihiloque minus quam Academici scire, & si quid apud hos fuerit obscurum, quod erit apud Chrysippum, Stoici magistri possunt appellare certius, quod apud Theophrastum & Aristotelem, Peripatetici, itemque de cæteris, ut jam nihil omnino reliquum sit, quod doceant Aca-

demici, juxta Favorini quidem disputationem. Siquidem hoc sane docuerunt illi veteres, nullum esse datum homini judicium a natura, quo collatis inter se rebus omnibus, exacte possit dignoscere. Eoque nulla de re pronunciandum esse censebant, sed semper de omnibus suspendendam esse sententiam.

Verum si nobis physicis concedant, ut oportet, sensum, jam nihil opus habebimus in utramque partem exerceri, sed alia quadam re fuerit opus, videlicet repetitione: ut artifices, non statim artem præbent discipulis, sed aliud exigunt, nimirum considerationem eorum quæ tradita sunt, quod a plerisque dicitur ad calculum vocare, hoc autem est instare ei qui exercetur, & in hoc animadvertere, ubi labatur, eaque sola corrigere. Consimili modo, qui pueros exercent ad palæstram, corrigunt luctantium errata. Sic & Grammaticus & Rhetor, & Geometres, & Musicus docent, non labefactantes neque convellentes in discipulis fidem quam habent naturæ judicio, sed instantes iis, quos exercent, donec in singulis actionibus eo provexerint, ut jam non errent, tantum abest ut inducant sententiæ suspensionem. Perinde enim faciunt, qui suspendunt sententiam ne credant evidentiæ rerum una cum sensibus, atque qui contemnunt ea, quæ certo ab aliquo cognoscuntur. Itaque Carneades ne illud quidem quod est omnium evidentissimum concedit esse credendum, quod magnitudines, uni cuipiam æquales, sint etiam inter sese æquales. Rationes igitur quibus conatur destruere, & hæc & alia permulta, quæ tibi evidenter apparent creduntur que esse vera, adhuc in hunc usque diem servatas habemus, proditas scriptis, ab illius discipulis collectas. Solutiones autem nec ab illis, nec ab alio quopiam Academicorum, qui post Carneadem fuerunt, datæ sunt.

Ea res sola declarat, istius rationes omnes esse sophismata. Nobisque quærendæ sunt, ô discipuli, istarum solutiones. Improbum est enim hoc, attamen nihilominus improbum fecerunt illi, qui scripserunt quidem has, cæterum vobis non indicarunt, quales essent. Lubens autem perconter, si vel Favorinus adesset, utrum me jubeat credere omnibus istis rationibus, an considerare, veræ ne sint an falsæ. Unum hoc sane concessit, considerare. Rogarem autem post hæc in universum, num homini natura vis insit judicandi, quæ sermones veros discernat a falsis, an potius ars quædam & ratio sit, utrumque cognoscendi. Si natura, qui fit ut non omnes inter nos consentiamus, neque similiter iisdem de rebus pronunciemus? Sin ars est ac ratio, hæc omnium primum erat discenda, deinde conveniebat doctores ludo præfectos variis modis exercere discipulos, multis propositis exemplis, quemadmodum instituuntur qui discunt artem luctandi, aut coriariam, aut fabricandi domos, navesve, aut Rhetorice dicendi, aut legendi, aut scribendi, aut ut summatim dicam, quidlibet aliud operari juxta artem. Proinde si quis Academicorum scripsit, quæ tandem res sit demonstratio, quod sophisma, & quomodo oporteat alterum horum ab altero discernere, & quemadmodum in his oporteat exerceri, quemadmodum Favorinus admittit judicium discipulorum, in utramque partem exercitatorum, nisi quod supervacaneum est, nimirum docuit Academicus omnia quæ dicta sunt, haberemusque nos præceptores, qui propria decreta doceant. Quod si nullus istorum scripsit quomodo ista differunt, nec exercuit quemquam, perinde facere videntur, ac si faber præcipiat discipulo, ut & metiatur, ut æquet, ut dirigat, & circulum describat, nec interim det illi cubitum quo metiatur, nec xyston quo poliat, neque regulam ad quam dirigat, neque circinum quem circumducat. Atqui forsitan dicet tale nihil esse in Philosophia ac dogmatibus. Ne igitur posthac adsimules te aliquid scire, neque pronuncia, neque descisce a veterum Academicorum decreto, qui prodiderunt suspendendam esse sententiam, neque te jacta dum facis, quod solet Grammaticus, qui semet in his exercuit, quæ dicta sunt a prioribus. Proinde nihil apud illos esse præclari, perspicuum est consideranti. Neque enim hoc est ejus qui docendi munus profitetur, sed nugacitas potius quædam est & ineptia. Unde igitur cognoscendi veri spes reliqua est? Etenim cui non adest judicium veri ac falsi, huic nulla spes est cognitionis. Tantum hoc stude, ut Sophistas doceas, nullam nobis a natura insitam vim judicandi. Deinde fortassis impudenter nobis, & sensum & intellectum, quibus evidenter judicamus de vero, concedet aliquis, cupiens nos in Logicis frustranea spe volutari. Quicumque vero sustulerunt totam spem, quod fecit ille, frustra nugantur. Perspicuum igitur est quod Favorinus pudore subvertit omnia, & quod inde fateatur nihil sciri, unde veteres Academici Pyrrhoniique dicebant. Cæterum ficte discipulis permittere judicium, quod priores ne sibi quidem ipsis permittebant. Ergo quod ejusmodi doctrina & institutio discipulorum artem quamcunque discentium, qualem sentit Favorinus, non solum cæteris præstantior non sit, verum ne doctrina quidem omnino dicenda sit, opinor a nobis dilucide demonstratum.

Jam de reliquis, quæ doctrinæ quidem sunt omnes, an optimæ sint consideremus, rursus ab iisdem ordientes. Apparet enim hoc nobis evidenter, quod Sophistæ maxime student sibi reddere incredibile, nullum esse judicium naturæ. Et enim circinus pingit circulum, cubitus autem discernit longitudinem, quemadmodum lances gravitatem. Hæc autem ipse fabricatus est homo, ex naturæ instrumentis ac judicio impulsus: quibus nullum ultra judicium nec antiquius habemus, neque præclarius. Hinc igitur incipiendum est. Dicit enim rursus ipsa mens, quod possibile nobis est naturali judicio, credere sive non credere, ipsum autem judicium per aliud aliquid judicare, possibile non est. Qui fiet enim, ut id quo judicantur reliqua omnia, ab alio quopiam judicetur? Credere vis oculis clare cernentibus, & linguæ gustanti, hoc quidem esse malum, hoc vero ficum, an non credere? Concedam quod voles facere in nobis, siquidem studes mecum disputare. Quod si non credis, discedam abs te, velut ab eo, qui præter naturam affectus est. Ponamus primum te non credere, neque sperare futurum ut quicquam ex me discas. Hoc enim modo cœperam dicere. Ponamus rursus te credere ac spem esse futurum, ut ex me discas judicare. Cæterum ego sentio, judicare, sensibilia quidem ex his quæ evidenter apparent sensibus; intelligibilia vero, ex his quæ dilucide intelliguntur. Quopiam autem ex naturæ judicio artes omnes parant & instrumenta & judicandi secundum artem organa, per quæ alia quidem ipsi sibi componunt, alia rursus ab aliis composita, judicant, & ego docebo in universum, & instrumenta & judicia, tum ea per quæ tibi parabis veros sermones, tum ea per quæ judicabis ab aliis dictos. Sic enim habes totum. Etenim si quid ex sese evidenter apparet sensibus aut intellectui, ad nihil opus est inquisitione. Quod si nihil est tale, necesse est ut accedat cognitio, quæ aliunde paratur. At ego polliceor me traditurum tibi quædam, quæ respondeant instrumentis, quæ fiunt ab arte, ex quibus invenies, quod quæris, alia vero respondentia judiciis, ex quibus judicabis, an vere tibi videaris invenisse. Hæc autem ubi didiceris, multis exemplis exercebo te, ut & celeriter & exacte invenias judicesque quod quæris, ut posthac nec ullo libro futurum sit opus, ad inventionem veri, nec alia doctrina. Mox & aliis dicentibus aliquid eorum, quæ cupis invenire, facile poteris cognoscere. Etenim qui cognovit rectam viam, rectam esse, non eget alia doctrina ad redarguendum eos qui aberrant. Ita qui rectam demonstrationis viam perdidicerit, protinus cum hac novit vias erroneas. Favorinus autem mihi videtur simile quiddam facere, quasi si quis dicat te cæcum esse, nihilominus tamen judicare posse, uter nostrum sit sordidior aut candidior, haud reputans secum, quod ei qui talia sit judicaturus, opus est adesse visum. Atqui nihil refert, quod ad judicandum attinet, utrum omnino visu careas, an quum habeas, illi non credas. Ad eumdem autem modum, quod id quo judicamus est tale quiddam, quodque quæ huic paria sunt, sunt & inter se paria, quemadmodum asinis nemo permitteret judicare, quoniam omnino mente carent: ita nec hominibus, si vel ne hi quidem mentem habeant, cui credi possit. Nihil enim interest, quod attinet ad incertitudinem eorum quæ judicanda sunt, an omnino nullum habeas judicium, an non credas illi. Ridiculus est igitur Favorinus, permittens judicium discipulis, quum organis judicandi detrahat fidem. Etenim si nihil est evidens intellectui, aut certum ex sese, periit

periit omne rerum judicium. Contra si est quidem, velut oculus in corpore, sic intellectus in animo, non tamen omnibus pariter acutus, consentaneum est, ut quemadmodum qui cernit acutius, adducat ad id quod videtur eum, cui visus est hebetior; ita quibus contigit in rebus intelligibilibus perspicere clare, quod offertur intellectui, adducant ad contemplationem eamdem, maxime cæcutientem. Atque hoc est præceptoris officium, ut inquit Plato, & ego assentior. Et his de rebus scripsimus copiosius in tractatione demonstrationis, quod doctrina talis quædam sit A evidens ad intelligentiam. Scripsimus autem & illud, quomodo quis exorsus in unoquoque ab elementis ac principiis maxime demonstrare possit, quicquid est demonstrabile: non quemadmodum admirandus ille Favorinus facit per totum librum, in quo demonstrat, ne id quidem comprehendi posse, Solem esse: ac nobis obliviosis in utramque disputat partem, conceditque esse aliquid quod certo cognosci possit, cujus judicium & electionem permittit discipulis.

GALENI LIBER, QUOD OPTIMUS MEDICUS IDEM SIT ET PHILOSOPHUS.

QUOD accidere solet Athletis plerisque, qui cupiunt quidem in Olympiis victores evadere, cæterum ut id assequantur nihil exercent curantve, tale quiddam & Medicis compluribus usu venit. Nam laudant quidem Hippocratem, ac Medicis omnibus anteponunt, ut autem ipsi similes illi reddantur, quidvis studio habent potius quam hoc. Atque alii quidem non mediocre momentum adferre ad rem Medicam ajunt Astronomiam, & quæ hanc videlicet necessario præcedit Geometriam, ipsi vero non modo neutram harum cupiunt discere, verumetiam incusant eos qui id conantur. Rursus alius vult exacte cognosci naturam corporis, asseverans id esse principium totius rationis Medicæ. Verum iidem, rerum harum adeo studiosi sunt, ut non solum ignorent, uniuscujusque partis naturam, aut flexum, aut duplicaturam, aut magnitudinem, aut communionem quam habet cum vicinis partibus, verum ne situm quidem ejus intelligant. Et tamen ex eo quod ignoramus speciatim simul ac generatim distinguere morbos, accidere Medicorum errorem circa curandi scopos dixit Hippocrates, qui jubet nos exercere speculationem rationalem. At horum temporum Medici, tantum abest ut hac exercitati sint, ut alios id facientes damnent veluti inutilia conantes. Itidem, ut ante cognoscas tum eos qui præcesserunt, tum præsentes tum futuros laboranti morbos, multo studio curaque præparari oportere dixit Hippocrates. Isti vero circa hanc artis partem adeo laborarunt, ut si quis prædixerit sanguinis eruptionem, aut sudorem, impostorem, & incredibilia pollicentem appellent. Vix autem isti laturi sint, si quis alia quoque prædicat, sed iidem vix umquam constituere poterunt victus rationem ad futuram morbi intensionem. Atqui Hippocrates, sic dicit esse moderandam victus rationem. Quid igitur tandem reliquum est in quo virum æmulantur? Nam is quidem non solum in aliis, verum etiam in explicandi dexteritate præcellit. Quod istis adeo in diversum succedit, ut eorum multos videre liceat eadem in dictione bis peccantes, quod quidem nec intelligi facile queat; eoque mihi visum est inquirere, quænam esset causa, per quam fieret ut omnes unum admirarentur, nec tamen legant illius libros, neque si id faciant, intelligant quæ dicuntur, aut si quis id quoque consequatur non perducat speculativam artis rationem, ad experientiam, studens confirmare quod didicit, & in habitum ducere. Tandem ubi repererit omnia ex animi sententia, quæcumque vel consilio, vel viribus homini possunt adesse: desit autem horum alterutrum, ut illorum etiam fine frustrentur necesse est. Protinus quidem Athletas videmus, vel ob corporis malam habitudinem, vel ob negligentiam exercitationum, frustrari expetito fine. Jam vero si & corporis natura digna fuerit victoria, nec in exercitatione quicquam possit desiderari, quid negocii fuerit hanc coronam ferre in certaminibus? Utrum igitur in utrisque sunt infelices horum temporum Medici, neque vires, neque consilium satis idoneum adferentes, ad artis exercitationem, an alterum quidem illis adest, altero vero destituuntur? Cæterum nunc nasci neminem, qui natura satis compositus sit ad percipiendum artem tam familiarem & amicam humano generi, mihi dictu videtur absurdum, quum nunc idem sit mundus, qui fuit olim, quumque nec horarum ordo sit immutatus, neque solis circuitus inversus, nec aliarum stellarum sive fixarum, sive erraticarum ulla mutata sit.

Verum probabile est ob malam educationem, qua nunc educantur homines, & ob divitias antepositas virtuti, jam neminem amplius existere qualis fuit vel Phidias inter Statuarios, vel Apelles inter Pictores, vel Hippocrates inter Medicos. Et tamen nobis quod veteres illos ætate sequuti sumus, quodque ab his artes ad summum provectas recepimus, non mediocris fuit prærogativa, quod facillimum sit ea quæ multo tempore parta docuit Hippocrates paucis annis ediscere. Quo facto, licet quod superest ætatis ad invenienda quæ restant insumere. Atqui fieri non potest ut qui pluris faciat divitias quam virtutem, quique artem non in hoc didicit, ut de hominibus bene mereretur, sed ut ditesceret, ad proprium artis finem perveniat. Citius enim alii ditabuntur, quam nos ad artis consummationem pervenire queamus. Proinde fieri nequaquam potest, ut simul & pecuniæ studio serviamus, & artem tam arduam exerceamus, sed necesse est, ut qui vehementius incumbit in alterum, alterum negligat. Possumusne igitur, ex hujus temporis hominibus proferre quempiam, qui hactenus expetit possidere pecuniam, quatenus satis est, ad suppeditandum corporis necessitatibus? Est aliquis, qui possit non solum oratione fingere, verum etiam factis ipsis docere, finem divitiarum juxta naturam haud longius proferri, quam ne esuriamus, ne sitiamus, ne algeamus? At sane si quis talis est, is contemnet & Artaxerxen & Perdiccam, & alterius quidem nec faciem videre dignabitur, alterum vero sanabit quidem morbo laborantem, & Hippocratis artem implorantem, haud tamen dignabitur illi assidue convivere, sed interim curabit pauperes Cranone & Thaso, aliisque oppidulis laborantes: verum relinquet Cois & civibus Polybum, aliosque multos discipulos: ipse autem per omnem oberrabit Græciam. Nam oportet eum nonnihil scribere & de regionum natura. Ut igitur experimentis judicet, quæ ratione didicit, oportet ipsum omnes civitates oculis intueri, & quæ vergunt ad meridiem, & quæ ad septentriones, & quæ ad solis exortum, & quæ ad occasum: ac dispicere quæ sit in plano, quæ in edito, quæ juxta littus aquis obnoxia, quæ fontibus abundans, quæ pluviis, quæque stagnis ac fluminibus sibi suppeditans. Neque negliget discere, si qua aquis vehementer frigidis utatur, si qua calidis, si qua nitrosis, si qua constrictivis, aut aliis rebus ejusmodi. Videbit autem & magno flumini imminentem civitatem, aut stagno, aut monti vicinam, aut mari: cæteraque omnia perspiciet, de quibus ipse nos docuit. Itaque qui talis sit evasurus, eum non solum oportet negligere pecunias, verum etiam supra modum impigrum esse & industrium. Atqui fieri non potest ut aliquis sit industrius & impiger, qui inebriatur, qui se ingurgitat cibo, qui studet Veneri, & ut in summa dicam, qui pudendis ac ventri servit. Itaque qui sobrietatis amator est, nec minus veritatis amans, hic verus Medicus comperitur.

Jam & ars rationalis discenda exercendaque est, quo sciat quot in universum sint morbi, secundum species ac genera digesti: deinde quo pacto cujusque sit sumenda curationis ratio.

Hæc autem eadem ars docet etiam corporis nosse naturam, tum eam quæ constat ex primis elementis, quæ tota inter sese cohærent, ac vicissim alia pendent ab aliis, tum eam quæ constat ex secundis, videlicet sensibilibus, quæ sane vocantur homœomera, hoc est similium partium, ad hæc tertiam quæ constat ex instrumentalibus partibus. Quin insuper horum unumquodque quæ dicta sunt, quem usum præbeant animanti, & quid operentur, & hoc oportet haud quaquam oscitanter explorare, sed per demonstrationem certum & persuasum habere, quod quidem ars docet rationalis. Quid igitur jam deest Medico, quo minus sit Philosophus, quisquis Hippocratis artem ut par est exercuerit? Etenim si ut deprehendat quidem corporis naturam, ac morborum discrimina, curationumque rationes in Logica speculatione convenit exerceri, ut vero impigre in his exercendis perseveret, oportet contemnere pecunias, & sobrietatem amplecti, nimirum, omnes Philosophiæ partes habebit, tum eam quæ Rationalis dicitur, tum eam quæ Naturalis, tum eam quæ Moralis. Nec enim jam periculum fuerit, ne qui pecunias contemnit, quique sobrietatem colit, absurdum aliquid committat. Quicquid facinoris audent homines patrare, aut avaritiæ persuasu, aut voluptatis fallacia, patrant. Ita necessario consequitur, ut & reliquas habeat virtutes, omnes enim inter sese cohærent, neque fieri potest, ut unam quamcunque sequaris, quin protinus & omnes alias habeas consequentes, tanquam ex uno fune revinctas. Quod si necessaria est Medicis Philosophia, tum ad eam cognitionem unde fit initium, tum ad exercitationem quæ sequitur, perspicuum est, quisquis Medicus est eumdem omnino & Philosophum esse. Nec enim arbitror ulla demonstratione probandum esse, quod Medicis opus sit Philosophia, ad recte utendum arte, quum plerumque videamus eos veneficos esse non etiam Medicos, qui pecuniæ studio dediti, in aliud utuntur arte, quam inventa est.

Num igitur amplius de vocabulis digladiaberis ac nugaberis contendens, temperantem quidem ac pudicum, pecuniarum contemptorem ac justum oportere esse Medicum, non tamen esse necesse ut sit Philosophus, & corporum naturam cognoscat, & actiones instrumentorum, ususque partium, ac morborum discrimina, curationumque rationes, quumque concedas illi, ut circa rationalem speculationem aut in actionibus sit exercitatus, de nominibus erubesces disputare? Quanquam id sero quidem. Præstat autem ut nunc, non graculi aut corvi more, de vocibus decertes, sed ipsi rerum veritati des operam. Non enim illud dicere poteris, quod nemo quidem textor, aut coriarius citra disciplinam & exercitationem umquam evasurus sit, justus autem, aut temperans, aut demonstrandi peritus, aut excellens in cognitione naturæ subito fiat aliquis, qui nec præceptore sit usus, nec ipse seipsum exercuerit. Hoc itaque si videtur impudens, alterum vero contendentis est non de rebus, sed de nominibus, nobis in eo philosophandum, quod prius dictum est, si modo vere sumus Hippocratis æmulatores. Idque si fecerimus, nihil vetat, quo minus evadamus, non dicam illi similes, sed superiores etiam illo, perdiscentes quidem quæ recte ab illo scripta sunt, quæ vero restant, nostra ipsorum industria invenientes.

F I N I S.



D E-

DESIDERII ERASMI
ROTERODAMI
IN
LAURENTII VALLÆ
ELEGANTIARUM LIBROS
EPITOME.

DESIDERIUS ERASMUS ROTERODAMUS
LECTORI
S. D.



O NUNC rediisse videntur hominum mores, amice Lector, ut quod cuique libuerit, idem sibi licere putet: tantaque sit injuriam inferendi licentia, ut nos pudeat toties queri, quum alios non pudeat sine fine lædere. Adolescens annos natus plus minus octodecim, rogatus sum a quodam ludi literarii magistello, ut ex Laurentii Vallæ Elegantiis quædam decerperem, puerorum rudium ingeniis accommoda, cui gemina facilitate, tum ætatis, tum ingenii, morem gessi, ac plus quam tumultuario studio quæ videbantur enotavi, Scriptum literatori tradidi, nullo mihi reservato exemplari, de edendo nihilo magis cogitans, quam de meipso suspendendo. Id nunc prodisse video, exemplaribus innumeris propagatum. An non hæc sit atrox injuria, & legibus vindicanda, judicent boni viri. Nec hoc satis visum est, affinxerunt titulum Paraphrasis: quod ludibrii causa factum videri potest. Tolerabile fuerat Epitomen appellare. Ne id quidem istis visum est satis injuriæ, admiscuerunt nonnulla, quæ nec in Laurentio habentur, nec a me sunt addita: rursus quædam omiserunt, quæ prætermitti non poterant. Hactenus injuria potest appellari, illud vero non jam injuria solum est, verum etiam extremi stuporis, quod præter argumenti naturam opus distraxerunt ordine literario. Atqui hoc non erat ordinare, sed scopas (ut ajunt) dissolvere. Tota fere hujus operis ratio, constat similium ac dissimilium dictionum collatione: quæ si distrahantur, cæca est præceptio. Veluti quum Laurentius ostendit quid interfit inter ut, sicut, velut, tanquam & quasi, quid absurdius si quis horum singula in singulas distrahat literas? Atque adeo in ipso statim hujus operis initio, habes quid sit abstinentia, continentiam, ac temperantiam ne in suis quidem literis inveniebamus. At Valla hæc tria inter se confert, continentiam, abstinentiam & temperantiam. Quid quod quædam habent præceptiones generales, de dativis in abus, de gerundiis & gerundivis, de utroque supino, de comparativis & superlativis, de reciprocis, quæ per literas dividi non possunt, nisi forte asinabus quæram in a, filiabus in f, equabus in e, deabus in d, & item de cæteris. Unde liquet quisquis hoc fecit, adeo nullum habuisse judicium, ut caruerit etiam sensu communi. Proinde quoniam jam bis excuso libello, videbam typographum Gallum ad tertiam editionem accinctum, quod unum licuit feci, recognovi quod erat excusum, & additis, detractis, mutatisque permultis, feci ut aliquanto purgatius versaretur in puerorum manibus, quandoquidem excuti non potest. Quid superest, nisi ut emittant & illos commentarios, quos ante annos XXXV. scripsi Lutetiæ, non homini, sed lapidi, eique adjurato, ne cuiquam communicaret. Quod jusjurandum ita servavit, quasi jurasset communicaturum. Neutrum scripsi ut ederetur, & tamen illud, quod scripsi jam adulta ætate, multo tolerabilius erat, quam illud, quod adolescens enotavi. Sed precor istis mentem meliorem, qui tantum sibi permittunt in schedas & famam alienam :, qui si nec humana jura norunt nec Divina, saltem illud perpendant, num quod mihi faciunt, idem vellent sibi fieri. Bene vale Lector. In alma Academia Friburgensi, pridie Calend. Jan. Anno M D XXXIIII.

EPI.

EPITOME
DESIDERII ERASMI ROTERODAMI IN ELEGANTIARUM LIBROS LAURENTII VALLÆ.



Lib. 3. cap. 66. A Præpositio jungitur omnibus consonantibus, nisi quod interdum concinnitatis gratia, dictionibus incipientibus abs t & q præponitur abs, ut *abs quovis homine*, *hoc abs te peto*.

Lib. 2. c. 29. *Ab* præponitur *l r* & *j* consonanti, ut *Ab legatis*, *ab rege*, *ab Jove*. Quanquam hoc perpetuum non est, sed pendet ab usu veterum, & judicio aurium.

Abdicat filium, qui privat omni jure filii. *Exhæredat* filium, qui tantum submovet ab hæreditate. Itaque quisquis abdicatus est, idem est exhæredatus, non contra. *Abdicatio* opponitur *adoptioni*, & transfertur etiam ad alia. Generum *abdicat*, qui repudiat sponsum. Magistratu se *abdicat*, qui deponit. *Abdicationi* contraria est & *dedicatio* sive dicatio. *Dicat*, qui alteri proprium aliquid facit: *abdicat*, qui alienat.

Lib. 6. c. 1. *Abigimus*, quæ ubi accesserint expellimus. *Arcemus* quæ prohibemus ne accedant. *Abigimus muscas* jam insidentes, *Abigimus aves* sonitu, *Arcemus* easdem ne ausint accedere. *Abigei* hinc abactores dicti, qui pecudes ex agris alienis abducunt. Crimen, *abigeatus* dicitur. *Plagiarii* qui aliena mancipia seu liberos abducunt, Crimen *plagium* dicitur. *Peculator*, qui de Principis aut populi ærario suffuratur: Crimen, *peculatus*. *Sacrilegus*, qui sacra sive de sacro loco tollit aliena: Crimen, *sacrilegium*. *Fur*, & *furtum*, generalia nomina sunt. *Prædo*, qui vi rapit. *Latro*, qui in belli speciem ferro grassatur. *Pirata*, qui idem facit in mari. *Compilat*, qui clam spoliat. *Compilant servi dominos. Compilavit scrinia mea.* Neque enim recte dixeris, *compilavit libros* aut *pecunias*. *Expilat populum*, qui exactionibus spoliat.

Abominari, est dictum veluti sinistri ominis aversari deprecarique: Veluti quum dicimus: *Si quid tibi acciderit humanitus, quod Deus prohibeat.* Omen enim proprie est divinatio sumpta ex sermone cujuspiam. Hinc *male ominari*, & *bene ominari*. Sic *augurium* ex avibus divinat, & *auspicium*: *Aruspex*, ex pecudum extis. Usurpatur *abominari* generaliter pro detestari.

Abundat, non quod superfluum est, sed quod est copiosum & cumulatum. *Redundat*, quod supervacaneum est. *Abunde mihi satisfactum arbitror*, *Abunde magnum fructum cepi*: Quamquam invenitur, *abunde fructus*, ut *satis fructus*. *Redundans verborum copia vitio datur.* Relative usurpatur: *Hæc omnia in tuum caput redundabunt.* i. refundentur.

Lib. 4. c. 41. *Abstinentia* virtus est, qua temperamus ab alienis. Cui opponitur *rapacitas*. *Alieni abstinens, sui prælargus.* *Continentia* est virtus qua ratio temperat affectui, præsertim circa voluptates corporis: rursus proprie circa libidinem, quam Græci vocant ἐγκράτειαν. Cui contraria est ἀκρασία *incontinentia*. *Temperantia* genus est ad omnium affectuum moderationem pertinens. Bifariam loquimur, *Abstinuit vino & Venere*; *abstinuit a vino*. *Abstinuit se ab illius commercio. Non abstines manum.* *Abstemii* dicuntur Christianis, quorum communio vitatur. *Continens* & *incontinens* absolute dicuntur. *Non me contineo quin te admoneam. Non mihi tempero. Continens* dicitur terra, quæ non est insula. *Continenter* vivit qui caste vivit; *Continenter* loquitur qui perpetuo loquitur, Græce synechos.

Lib. 1. c. 5. *Acicula*, diminutivum ab acu, non *acuscula*, quemadmodum a *manu manuscula*.

Lib. 4. c. 2. *Accedere* duo significat, Primum adire: inde *accessus*, aditus. *Non patet tibi ad præceptorem accessus*. Secundo sonat, increscere sive augeri, atque adjungi: Inde *accessio* pro incremento. *Accessus* maris & *recessus* dicitur, quum ad nos affluit ac refluit. *Accessio* febris dicitur intensio, quæ Græcis dicitur paroxysmus: Cui contraria est *remissio*. Et quemadmodum dicimus, *Accessit me* & *accessit ad me*, pro adiit, ita dicimus, *Hoc accessit calamitatibus meis*, & *accessit ad calamitates meas: accedit his*, & *accedit ad hæc*, & *huc accedit*, sive *eodem accedit* pro adjungitur: Cui contrarium est *decedit*. *Quantum tuæ accedet incogitantiæ, tantum meæ in te benevolentiæ decedet. Tantus est meus in te amor, ut nihil possit accedere*, vel, *ut nulla fieri possit accessio.* Dicimus & *accessionem adjungere*, pro addere incrementum. Et apud Jureconsultos *accessorium* dicitur, quod principali adjungitur.

Actus fabulæ, est pars fabulæ. *Actio* fabulæ, est ipsa per gestus repræsentatio. Quamquam & Oratoris dicitur *actio*, pronuntiatio cum gestuum ac vocis moderatione. Unde histriones fabularum *actores* dicuntur, non *gestores*: & qui Consulis personam *gerit*, *Consulem agere* dicitur, & qui scurram imitatur, *scurram agere*. Apud Jureconsultos distinguitur *actus* a *via* & *itinere*: item *ire* & *agere*.

Acta possunt esse privata, quæ codicillis aut testamentis continentur. *Gesta* publica sunt, ut *gesta Romanorum*: quamquam elegantius dicuntur *res gestæ*. Interdum tamen *actus* pro *gestis* legimus. *Gestus* est ipsa moderatio motus, vultus, & corporis. *Gestio* est rerum perpetratio. *Gestus* est Oratoris aut histrionis; *Gestio* est Ducum aut Principum. *Gerere Magistratum* dicitur, non *agere*. *Agere causam* dicimur, non *gerere*. *Gestor*, facinorum auctor. *Actor* causarum aut fabularum dicitur, quamquam in causis forensibus *actor* dicitur, qui intendit litem: patronus qui defendit reum. In antecategoriis uterque est *actor* & *reus*: unde & *reum peragere* dicitur, quem quis accusat. *Lib. 4. c. 9.*

Acini densius nascuntur: ut grana uvæ, hederæ, sambuci, ebuli, mali Punici & similium, *acini* dicuntur, non *baccæ*. Nam *baccæ* rarius nascuntur, ut fructus lauri, olivæ, myrti, lentisci, juniperi, corni, loti, quæ & faba Syriaca dicitur, lentisci, ac similium *baccæ* dicuntur, non *acini*. *Poma* dicuntur quibus vescimur, ut cerasium sive cerasum, pyrum, pomum, mespilum, ficus, & si qua similia, non *acini* neque *baccæ*. Castanea, pinus, corilus sive avellana, amygdalus, juglans, & his similes arbores, *nuces* pariunt, non *poma*, aut *baccas*, aut *acinos*. Tametsi Virgilius *castaneas nuces* dixit. Et idem, *Ebuli baccas* dixit, non acinos. Quin & margaritæ sive uniones ob rotunditatem *baccæ* dicuntur. *Pomum* genus est, cui subjiciuntur malum ac pyrum. Quidam *pomi* vocabulo pro malo abutuntur. *Malum* & *pyrum* differunt specie, sed utrumque complectitur *pomi* vocabulum. Ab his omnibus separatæ sunt glandes. *Lib. 4. c. 28.*

Acervus rerum minutarum est, ut frumenti & leguminum, aut pomorum, aut nummorum. Virgilius dixit *acervum scutorum*. *Strues* lignorum est: *Strages* cadaverum simul jacentium. *Sarcina* utensilium simul compositorum. *Fascis* item rerum simul colligatarum ad gestandum. *Onus* est quicquid onerat portantem: dicuntur & plaustrorum & navium *onera*. *Congeries* generale nomen est. *Cumulus* est ingens vis rerum compositarum. *Thesaurus* proprie rerum sepositarum ad custodiam. *Mundus* est composita vis earum rerum, quibus ad ornatum utuntur fœminæ. *Lib. 4. c. 49.*

Accola qui juxta montem, flumen, lacum, aut mare habitant, ut *accolæ Tauri*, aut *Rhodani*. *Incola*, qui in urbe aut pago alieno habitant, qui Græcis πάροικοι dicuntur. *Indigena*, qui illic habitant ubi nati sunt, quos Græci vocant αὐτόχθονας. *Advena*, qui aliunde quopiam commigrarunt ad aliam gentem. *Inquilinus*, qui in alieno privato habitat, præcipue conducto. *Lib. 4. c. 54.*

Actum est, de rebus deploratis dicitur. *Actum est de republica, actum est de literis*, id est, nulla spes est. Itidem *Lib. 5. c. 102.*

dem Græci dicunt πέπρακται. *Agere* interdum ad fortunam & conditionem pertinet. *Quid agitur*, id est, quomodo vales? *Quid agunt tui?* Græcis dicuntur εὖ πράττειν quorum res prospere cedunt. *Præclare mecum actum putabo, si incolumis discessero.* Bene, optime, melius, commodius, mitius, inclementius, durius *mecum ageretur*. Male, pejus, pessime *cum illis actum est*, id est, pessime tractati sunt. Interdum active, *Melius cum illis egissent, si statim occidissent.*

lib. 6. c. 13. *Accusat*, qui culpam impingit, sive apud judices, sive privatim. *Incusat*, qui de moribus queritur expostulatve. *Filiis jus erat patrem accusare dementiæ. Quid me incusas, Clitipho?* Cæterum quod, Servio auctore, major accusat minorem, minor incusat majorem, non est perpetuo verum. Interdum alterum pro altero ponitur, nisi quod in judiciis forensibus, nemo dicitur *incusari*. *Accusatio* inimicorum est, *incusamus* & amicos. Utrumque refertur ad rem & personam. *Incusat tuum silentium*, *Incusas me quod nihil scribam*, *Accusat tuam contumaciam*, *Accusat te de contumacia*; quemadmodum excusare, de quo suo loco.

1 *Acedia*, quam vulgus corrupte vocat accidiam, tædium est honesti laboris, contraria industriæ, quæ Græcis *philoponia* dicitur.

lib. 2. c. 44. *Adeo* pro eo posuit Terentius: *Adeon' rem redisse.* *Adeo* absolute, ponitur pro valde. *Adolescentem adeo nobilem.* Nonnunquam est corrigentis sive augentis. *Pecuniam omnem prodegit, atque adeo vitam simul & famam in summum discrimen adduxit.* Interim valet idem quod in tantum in oratione quæ constat duobus verbis. Rursus sic interdum præcedit: *Adeo superbus est, ut nemini cedat.* Interdum sequitur: *Mire ferox est, adeo ut nec patri cedat.* Nonnunquam sequitur in oratione, quæ non habet nisi unum verbum: *Nec parenti concedit, adeo ferox est.* Totidem modis usurpatur, *usqueadeo* & *usque eo*, nisi quod hic plusculum est vehementiæ: *Usqueadeo ne Scire tuum nihil est?* Cavendum ne hic *quod* pro *ut*, ponatur, quo nihil magis solœcum, utcumque multis usitatum est. *Adeo doctus est, quod neminem habeat parem.*

lib. 4. c. 12. *Patronus*, qui defendit reum in judicio. Unde *patrocinari* pro auxiliari, & *patrocinium* pro auxilio. *Advocatus*, qui adest periclitanti, auxiliaturus si quid opus sit. Quanquam & actor interdum adhibet *advocatos*. Horum officium *advocatio* dicitur. Qui servos manumittunt, pro servis habent libertos, ipsi pro heris fiunt *patroni*. Rursum, qui sunt asseclæ cujuspiam & clientes, quoniam illius præsidio nituntur, *patronos* eos appellant.

lib. 5. c. 10. *Advenire* dicitur & qui jam in propinquo est, & *advenisse* qui jam adest. *Adventat* qui longius abest in itinere. Nec is *adventasse* dicitur quum pervenerit. Uxor *advenienti* viro occurit ad limen, *adventanti* non occurrit. *Ventitat*, qui frequenter venit.

lib. 5. c. 11. *Adorare* quanquam ab orando dictum est, tamen *adoramus* & sine voce, veluti gestu corporis, quod tribuitur & mutis animantibus. Elephantus enim dicitur *adorare* solem, & nos *adoramus* statuas Divorum, aut signum crucis, non oramus. Itidem *supplicare* dicimur, quum a *plicandis* genibus dictum sit, tamen & sola voce *supplicare* dicimur, præsertim quum abjectioribus utimur verbis. Hoc qui facit, *supplex* dicitur, Græcis προσκυνεῖσθαι, qui *adorabundus* aliquid petit. προσκυνῆσαι, qui gestu *adorat*. ἱκετεύειν, qui *supplex* genis ac genibus contractis aliquid petit.

lib. 5. c. 28. *Addicit* venditor rem licitatori, quam illius esse jubet, dicens, *tuum esto*: isque jam ex licitatore fit emptor. Id potissimum fit in auctione. Venditor interdum addicit rem minus precium offerenti, si videatur emptor magis idoneus. In diem *addici* dicitur, quod ita venditur, ut non statim fiat tuum, sed ad diem præscriptum. Ita admensum vinum dicitur quod mensura traditum est: & adnumeratum quod numero traditur.

Addictus literis dicitur, qui totus illis deditus est, quemadmodum *devotus* alicui dicitur. *Morti devotus*, qui mori decrevit.

lib. 5. c. 66. *Adulamur* serviliter, etiam gestu, quod nobiscum commune est canibus. *Assentamur* ad gratiam loquentes: eoque assentatio non tribuitur mutis animantibus.

1 Græca est ἀκηδία.

A *Blandimur* quoquo modo dum placere studemus magis quam vera dicere. Quanquam & facto blandimur, veluti qui pinxerat Venerem deformem, dicitur *blanditus Minervæ*. Dicimur & *blandiri vitiis nostris*, dum ea excusamus aut attenuamus: *Blandiri calamitatibus*, dum eas elevamus. *Palpamur* manibus, dum blandimur equis. Id transfertur ad alia. Inde *palpones* adulatores dicti: & *palpum obtrudit*, qui blandiendo fallit.

Adversamur ei, cui repugnamus, *Aversamur eum*, quem detestamur. Unde *adversa fata* dicuntur quæ nobis obstant. *Aversi dii*, qui precibus nostris surdi sunt. *Preces & aversum ad Jovem*, Horatius. Dicitur aversus a studiis ac lucro, qui ab his abhorret. Legitur & *avertitur* pro *aversatur*: lib. 5. c. 58.

B *Eheu quam surda miseros avertitur aure.*

Adesse trifariam accipitur: *adest* qui præsens est, cui contrarium *abesse*. *Gaudeo me in illis turbis non adfuisse.* Secundo *adest* qui auxilio est, favetque: *Modo Juppiter adsit*. *Adsunt* qui præstant advocatos. Huic contrarium est *deesse*. Tertio significat *advenire*: *Huc ades, ô formose puer*, id est, huc veni. Totidem modis accipitur præsto esse: *In quibus causis, tu etiam Brute, præsto fuisti*, id est, præsens. *Sponde, noxa præsto est.* *Multis præsto fuit*, id est, multis fuit præsidio. *Hirundines æstate præsto sunt*, id est, adveniunt, *hieme recedunt*. *Præsto* pro præsens uni tantum verbo jungitur, sunt, eique simplici. lib. 5. c. 51.

C *Admoveo* appono, *amoveo* aufero. *Admove manum rotæ, si rem factam velis*, *Admove mihi aurem*. *Amove te hinc*, *aufer te hinc*. Sic *admolimur* quod adjungimus, *Amolimur* quod removemus. *Advertimus* animum, quum attendimus, *Avertimus*, quum ad alia vertimus. lib. 5. c. 90.

Adversa vulnera quæ in pectore fronteque accepta sunt, & laudi dantur: *Aversa* quæ in tergo, & probro dantur. Cicero: *Et adversus & aversus impudicus es*, id est, a fronte atque a tergo. *Stabat adversus, sedebat aversus*, id est, ostendebat mihi tergum. Ibidem.

Ad summam, sive in summa, quum paucis omnia complectimur. Pro eodem dicimus *summatim* & *summa* sine præpositione. *Doctus, facundus, formosus, dives, clarus, in summa omnibus Deorum muneribus ornatus.* Plinius pro eodem dixit, *breviter*. Pro eodem invenitur, *ut semel dicam*, aut *finiam*. *Quid plura? Ut finiam.* Idem efficit denique quum multis commemoratis quod ultimum est addimus. *Semel* non semper opponitur, bis, ter, quater, sed *summam* ac *finem* declarat. *Ægrota jam Polycharme semel*, id est, fac ægrotandi finem. *Qui semel est læsus fallaci piscis ab hamo. Semel atque iterum me convenit.* lib. 6. c. 20.

D

Afficis me injuria, id est, facis mihi injuriam; *Summa me voluptate affecere tua literæ*. *Qui injuria affectus est, meminit: qui beneficio affectus est, obliviscitur.* *Affectus morbo.* Indifferenter, ut, *Varie me affecerunt tua literæ*, id est, varios in me affectus genuerunt. lib. 4. c. 78.

E *Affectus* sive *affectio*, est omnis animi motus, & opponitur rationi. Tres enim sunt animi partes, ratio, vis irascendi, vis concupiscendi: Sive, ratio, voluntas & memoria. Voluntas hoc differt ab affectu, quod illa rationi conjuncta est, hic ab impetu proficiscitur. Unde affectus tribuitur & brutis. Motus animi Græci vocant πάθη, quos Latini tum morbos, tum cupiditates vocant, sed aptissime affectus, quod genus sunt, ira, misericordia, amor, odium: sed præcipui, metus, spes, dolor, gaudium. Qui his carent ἀπαθεῖς dicuntur: & ἀπάθεια quibusdam Stoicis probata est: quum alieno dolore dolemus συμπάθεια dicitur. Leviores animi seu corporis *affectiones* quidam diatheses appellant: Infixas, vixque mobiles ἕξεις, id est, *habitus*, ut ira *affectio* est, iracundia *habitus*.

F

Affectatio est æmulatio sive appetentia rei, fere in malum sonans, quam Græci κακοζηλίαν appellant. *Sermo affectatus* reprehenditur. *Affectat laudem* undiquaque, id est, venatur & captat. *Affectat videri doctus. Affectat quietem*, pro cupit, non recte dixeris.

Affatim, pro abunde. Prudentius: *Fruimurque mensis affatim plenis.* Dicimus & *affatim vini*, quemadmodum satis vini. Cicero dixit, *nimis insidiarum*, pro nimium. lib. 2. c. 20.

Age,

lib. 2. c. 10. *Age*, quum est hortantis, numero singulari jungitur; *Agite* plurali, *agedum* utrique. *Eja age rumpe moras. Agite juvenes, expedite vires. Agedum conferte nunc cum illo vitam.* Eamdem vim habet *fac. Fac honestis studiis incumbas.* Et *cedo* quum flagitamus aliquid exhiberi, *Quis cedo te ista docuit? Cedo dextram.* Sic & *amabo* blandientis est.

l. 4. c. 9. *Ager* interdum declarat non unum aliquem, sed universum territorium urbi circumjectum, quod Græci χώραν dicunt, ea vox complectitur & saltus & nemora, & flumina & montes. *Ager Campanus*, *Ager Mantuanus datus est pro stipendio militibus.* In hoc sensu *agros* dicimus, sed plurium civitatum.

Alias *ager* est locus in rure qui colitur, sive compascuus sit, sive arvus, sive floridus, sive consitus. *Consitus* habet arbores, *Arvus* aratro proscinditur, *Compascuus* habet gramina, *Floridus* servatur apibus & voluptati. De eodem loco *agros* & *agrum* dicimus. Horatius: *Opera agro nova Sabino.* Item, *Satis beatus unicis Sabinis. Rus* est omnis locus in agris extra urbem. Inde *rusticari. Campus* est ampla planicies sive in urbe, sive extra urbem. Unde *campus Martius* dictus, & *regio campestris*, quæ montes non habet.

Agit histrio *fabulam*, alius *agit Demeam*, alius Thaidem, alius Æschinum. *Agit Consulem* qui fungitur officio Consulis. *Agit judicem*, amicum, patrem. *Agit personam suam* qui sui similis est. *Agit causam* Orator. *Nihil agit* qui frustra laborat, *Aliud agit*, qui non est attentus ad id quod agitur. *Hoc age*, dicimus ei quem jubemus esse attentum. *Agaso* agit asinum, qui ducit. *Subulcus* agit porcos. *Agit animam*, qui morti proximus est. *Aguntur pecora*, ducuntur homines. *Agit* qui movet & afficit. Horatius:

Et quocumque volunt animum auditoris agunto.

l. 1. c. 6. *Alvearium*, congregatio apum mellificantium, vel potius locus, qui multos habet apum alveos.

l. 1. c. 8. *Altilia* dicuntur animantia quæ inclusa aluntur, sive aves in corte aut aviario, sive quadrupedia in roborario, sive pisces in vivario, Græci σιτιστὰ sive σιτευτὰ vocant. Eadem *sagina* dicitur, unde *saginata.*

l. 2. c. 48. *Aliquamtum* ad modum refertur, *aliquot* sive aliquam multi ad numerum, *aliquantisper* ad tempus, sed cum significatione brevitatis, quemadmodum & *tantisper. Tantisper hic mane dum huc recurro.* Interdum usurpatur pro non diutius. *Tantisper te meum dici volo, dum quod te dignum est facis. Paulisper* item ad tempus pertinet, ut, *Paulum admodum rei, Paulisper ausculta.* Errant qui paulisper usurpant pro parum sive paulum.

l. 3. c. 59. *Alius* de pluribus dicitur, *alter* de duobus. *Alius esurit, alius ebrius est, alios alia delectant. E duobus filiis alter duxit uxorem, alter in bello periit: Alter alterum sublevat. Alius interdum sonat diversum. Alia res est, Alius es multo quam soles. Alter*, similitudinem: *Alter Tullius*, id est, Tullio simillimus. *Alter* interim secundus dicitur. *Tu nunc alter eris ab illo; præteriit dies unus, alter, tertius.* Per adverbium: *Vocatus semel, iterum ac tertio non comparuit.*

l. 3. c. 16. & 63. *Aliquis* & *quispiam* fere idem significant. *Quidam* pro certo non nominato ponitur, interdum & *quispiam. Ullus* fere interrogative, aut negative, aut subjunctive ponitur. *Non es ulli fidus, Vocat me ullus? Si quæret me ullus, dicito me esse domi.* Eodem fere modo usurpatur *quisquam.*

l. 5. c. 81. *Allevare*, est in altum tollere. Quintilianus: *Vidi multos, quorum supercilia ad singulos vocis conatus allevarentur. Elevare* est minuere & extenuare. Quintilianus: *Nec elevare tanti beneficii auctoritatem. Elevatum est super limina templi*, pro sublatum, ab Hieronymo dictum ambigui vitandi causa. *Alleviare* est levius reddere.

l. 5. c. 46. *Alere* est nutrire parvos ut crescant. Inde *alumnus.* Transfertur autem plerumque ad incorporea. *Puerile studium laudibus alitur*, id est, augescit. *Memoriam ingeniumque assidua exercitatio alit. Corporis vires labor modicus alit.* Ovidius:

Lenis alit flammas, grandior aura necat.

l. 6. c. 2. *Alumnus*, significat eum qui alitus est, non qui alit: passive significat semper. *Altor* qui alit.

Aliqualis, & *aliqualiter* non Latine dicuntur, sed *aliquantus* & *aliquantum.* In Anton.

Ala significat etiam equitum turmam. Virgilius: *Dum trepidant alæ.* Eo quod veloces sunt, sive quod pedites eis tanquam alis protegantur. Randen. & Pogg.

Alluviones, sunt vel fluminum, vel maris, vel pluviæ, aut demersiones, aut translationes locorum; *Eluviones* fossæ pluvia factæ.

Alveus est (ut ita dicam) lectus, quo super aqua sedet aut decurrit, ad vasis similitudinem. In Randen.

Allucinari, est visus caligine aberrare. In eundem.

Amare amplius est quam *diligere. Non modo te diligo, verum etiam amo. Adamare*, est amatorie amare. Quintilianus: *Omnes matres amant liberos suos tanquam adamarent.* l. 5. c. 37.

Amamus nos invicem, Amamus nos mutuo, Amamus nos pariter, Amamus inter nos, idem significant. Sed in postremo non geminabitur accusativus, ut amamus nos inter nos, sed, *amamus inter nos.*

Ambitus fit factis. Est captatio honorum aut dignitatum, quam Ecclesiastici *Simoniam* vocant in rebus sacris. Corripit penultimam, licet nostri Grammatistæ aliter garriant. Juvenalis: l. 4. c. 19.

Si te præcipitem rapit ambitus atque libido.

Ambitio est in animo. Vel *ambitus* captatio quædam est favoris & misericordiæ, ut mendici ostentantes fœditatem vulnerum, utuntur *ambitu* miseriæ suæ. Ovidius:

Sed tamen hoc factis adjunge prioribus unum,
Pro nostris ut sis ambitiosa malis.

Amicus semper in bonam partem accipitur. *Amica* si ad virum referatur, significat amasiam. *Hinc ille non amicus ejus dicitur, sed amator.* Poetæ confundunt hoc. l. 5. c. 37.

Amiculum neutrius generis genus vestis, pallium fere. l. 1. c. 5.

A modo, non est vocabulum mundum, sed dicendum *post hac.*

Anniculus, unius anni, *anniculus puer, anniculus Episcopus.* Ibidem.

Antoniaster, est aliquis imitans Antonium. Omnia nomina in *aster* pene imitationem significant. *Philosophaster*, imitans Philosophos. *Parasitaster*, parasitos imitans. l. 1. c. 7.

An, ponitur interrogative, ut *Gandenses estis an Delphenses?* Et dubitative: *Nescio an sileam, an loquar.* Barbari ponunt vel & aut pro an, ut, *hoc est stannum aut argentum aut aurichalcum? An* dicendum est. l. 2. c. 17.

Antehac vel *ante hoc tempus*, ad tempus loquentis refertur. *Tantum hodie didici quantum antehac nunquam. Id miraculi antehac vidi nunquam. Posthac*, post hoc tempus. *Cave posthac his de rebus quicquam ex te audiam.* l. 2. c. 56.

Animadverto te, intueor te. *Nemo meam ærumnam animadvertit. Animadverto in te*, punio. Sed hoc tantum convenit his quibus rite convenit punire, utpote judicibus & magistris, Prælatis: ut, *Quicunque quemquam ceciderit, graviter in eum animadvertam.* Inde *animadversio* punitio judicis. l. 3. c. 69.

Annuus, Primo est quod fit per annum, *Annuus labor, annuum spatium.* Secundo, quod fit singulis annis, *Annua festa, annua febris*, quæ singulis annis recurrit. l. 4. c. 108.

An componitur cum *ne*, *an ne.* Sed hoc fere non nisi apud Poetas. l. 2. c. 17.

Apertilis, est idem quod apertum. l. 1. c. 8.

Apiastrum, est apium sylvestre.

Apium herba est perpetuo virens.

Apocrisarii sunt legati: e Græco venit.

Apotheca proprie vini est, ut horreum frumenti.

Apparare, apparatus, idem ac *præparare* & *præparatio.* Sed magis ad pompam & ostentationem spectant. *Apparatus convivii. Apparatus belli. Funeris apparatus. Nuptiæ summo apparatu celebratæ sunt. Præparare* est parare quæ necessaria sunt ad quippiam agendum. *Miles præparat arma*, Orator argumenta, Scholasticus scripturus calamum & membranam. Dicitur & *apparare fugam*, & adornare fugam, seu migrationem. l. 5. c. 64.

Appropriare, improprium est verbum. In eundem.

Aquatile, est quod degit in aquis.

Aqueum, quod ex aquis constat. l. 1. c. 6.

Armarium, locus ubi reponuntur libri, cæteraque hujusmodi.

Armamentarium, ubi reponuntur armamenta & arma.

l.1.c.30. *Argutus* active, significat qui callide & solerter arguit. *Argutulus*, subtilis.

l.4.c.42. *Armentum*, congregatio animalium pascentium, sed majorum, ut boum, vaccarum, equorum, mulorum, asinorum, camelorum, elephantorum, & similium. *Grex* vide loco suo.

l.4.c.44. *Argentaria*, est domus in qua operatur argentarius faber.

Argentarius, non ex his qui vulgo nummularii & mensarii vocantur, Græce κολυβιςαὶ & trapezitæ: sed ex his quos *campsores* vulgo vocamus.

l.6.c.1. *Armiger*, qui in bello fert arma domini, hastam, scutum, aut tela: qui plerumque & ipsi Principes sunt.

l.6.c.16. *Arcere* est vetare ne accedant ii, qui veniunt. *Arcemus* hostem a muro. *Flammea romphaa arcet mortales a paradiso.*

l.6.c.41. *Arvum* est ager sementi datus. Dicitur & *arvus ager*, sicut compascuus.

In Rauden. *Arbustum* & *arbusta* sunt arbores multæ ad fructum consitæ, ut *olivarium*, *pomarium*, vel vites arboribus applicitæ.

Arbutus est arbor fructum ferens in morem cerasorum seu fragorum.

Arbutum, est fructus arbuti.

In eundem. *Areopagus*, est locus Athenis, quo judices conveniebant audituri causas capitales.

In eundem. *Architectus*, est princeps ædificantium, qui opus excogitat & ordinat.

Artemon est velum amplissimum in navi, sive antenna.

l.5.c.12. *Assurgere*, est vel reverentiæ vel caritatis causa. *Parenti redeunti assurgamus. Cano capiti assurgere adolescentem decet. Magistro te compellanti assurge. Assurgit* & dicturus in senatu aut in concione.

l.5.c.66. *Assentor*, *assentaris*, est quempiam effusius laudare, & falso plerumque, utilitatis gratia. Inde *assentator*. *Adulari*, *blandiri*, vide locis suis.

l.5.c.86. *Adsciscere*, est remotum aliquid quasi scite vocatum capere. *Adscivisti tibi sodalem a tuis moribus non alienum.* Plerumque refertur ad personam.

l.5.c.87. *Asseverare*, constanter affirmare, inter ipsa argumenta. *Tu asseveras, hic inficiari perseverat.* Longa contentio est, hic dicit, *non feci*: ille, *certe fecisti*.

In Rauden. *Astutus*, ab ἄςυ Græco, quod est oppidum Latine, & significat idem quod *urbanus*: nisi quod usurpatur pro versuto. Et *astus* calliditas dicitur.

l.1.c.5. *Atramentarium*, vasculum quo atramentum continetur.

Attagen, *attagenis*, significat avem Francolinum.

Auricula non significat parvam aurem, sed cartilaginem circum aurium concavitatem. Aves habent quidem *aures*, sed non *auriculas*. *Auriti* dicuntur acuti auditus.

l.5.c.42. *Ausculto te*, id est audio quid dicas. *Ausculto tibi*, id est, consentio & obtempero tibi. *Sum audiens te*, id est, audio te. *Sum audiens tibi*, id est, obedio tibi.

l.3.c.65. *Auxilium do*, *feroque* dicitur. *Do opem* non dicitur, sed *fero opem*. *Fer opem*.

l.4.c.32. & 5.c.30. [1] *Auctor*, significat (ut ita dicam) factorem. *Quis est hujus libri auctor?* id est, quis fecit? *Tune es hujus auctor facinoris?* id est, fecisti hoc facinus? *Rumor fertur in populo, sed incerto auctore*, id est, nescitur quis primus sparserit. Item *auctor* est qui auctoritate sua approbat, ut aliquid agamus. Terentius: *Id ne estis auctores mihi? Quicquid feci, patre auctore feci*, id est, patre approbante. *Si res male evenerit, ne me auctore factum dicas.* Unde tutores, pupillorum *auctores* vocamus, quorum auctoritate illi faciunt omnia. Præterea Duces militum *auctores* vocantur.

Ibidem. *Auctorare*, est obligare militem stipendio, ut militent sub duce.

1 Male scribebatur *autor*, nam est ab *augendo*, unde *auctio*, & *auctus*, non *autio* & *autus*. Itaque nec debet elidi C in *auctor*. Ac sane ita semper scribebant Veteres, non *autor*, aut, quod pejus est, *author*. Vide *Joan. Ger. Vossium* in Etymologico.

Auctoramentum est obligatio illa vel stipendium, quo obligantur milites. Inde *exauctorare*.

Auctio, est publica venditio supellectilis, aut aliarum rerum. l.4.c.33

Auctus, incrementum dicitur ab augeo. Ibidem.

Actor, qui agit comœdiam, vel orationem pronunciat, aut simile aliquid. Unde partes comœdiarum, *actus* vocantur. l.4.c.33.

Aurificina, officina fabri aurarii.

Avis, est quæ parit vel ponit ova, pennisque est prædita, præter vespertilionem. *Volucris* est generalius nomen, significat quicquid volat: Unde apes, muscæ &c. *volucres* dicuntur, non aves. l.4.c.44. l.4.c.45.

Audio, Primo significat *horen*, quæ significatio nota. Secundo, credo, vel pareo præcipienti, sed fere negative & cum participio: *Nec vero audiendi sunt qui putant Grammatica* quam minimum operæ impendi oportere, sed continuo ad Logicen convolandum. *Audire* capitur pro confiteri. *Audio*, est confiteor. l.5.c.29.

Auspicari, significat auspicium capere. Secundo, *auspicari*, significat incipere, capitur tum in malam tum in bonam partem. Plinius: *Homo a lacrymis vitam auspicatur*, id est, incipit. *Hinc ergo hoc opus auspicabimur.* l.6.c.1.

Auspicium, Primo est consultatio ex inspectione avium ante rei aggressum. Consul iturus in expeditionem auspicium capiebat. Aut similes simili modo. Secundo initium. *Auspicato* adverbium aut participium, fere in bonum accipitur. Terentius: *Haud auspicato me huc attuli*, id est, auspiciis repugnantibus & infeliciter. *Inauspicata bella*, id est, infortunata. *Auspicatum exordium*, &c.

Auspex, qui præest alicui rei gerendæ, ut nuptiis, bello, aut similibus. In nuptiis enim adhibebatur auspex pro mariti parte, ut pronuba pro fœminis. Juno enim nuptiis præest: hinc pronuba Juno dicitur.

Axilla, est concavum sub brachio, ubi viris pili nascuntur. Dicitur autem eadem pars nonnunquam ala. l.1.c.3.

B.

Baculus vel *baculum* reperitur. *Bacillum* tantum in neutro genere. Juvenalis: *Dextram subeunte bacillo.*

Bancalia, illiteratum vocabulum, dicuntur potius peristromata, quamquam hæc a tergo magis sedentium hærent.

Barba & *barba* utrumque tam hominum est quam quadrupedum. Servius contrarium docuit, sed falso. l.6.c.14.

Barbitonsor, indignum vocabulum quo utamur, sed dicitur *tonsor*.

Benedico dativum postulat, ut maledico, non accusativum. *Qui maledicit, male audiet.* l.1.c.10.

Bene pro valde invenitur. *Audistis orationem bene longam. Bene habeo*, id est, recte valeo, *Melius cras forsan habebit. Bene habet, bene se res habet.* l.2.c.52.

Bellum significat ipsum congressum armatorum, vel tempus totum quo militia agitur, quod barbari *guerram* vocant. *Prælium* significat ipsum certamen armatorum. *Pugna* & *certamen* fiunt etiam sine armis, nonnunquam nudis verbis: quam ego pugnam tutissimam puto, quia non vulnerat cutem: in quo certandi genere fœminæ per quam strenuæ esse solent. l.4.c.64.

Bene, optime, praclare mecum agitur, Melius tecum agitur, Male mecum agitur, Commodius tecum agitur quam mecum. Pejus mecum actum est quam tecum. Pessime. Nonnunquam active. Plerique parentes liberos nondum adultos, ad Monasticam vitam impellunt: *melius cum illis agerent*, si se sibi sat cognitos paterentur deligere commodum vivendi institutum. l.5.c.102.

Beatus, qui omnibus abundat ad vitæ usum pertinentibus: unde divites *beatos* vocamus. Juvenalis: *Vetula vesica beata*, id est, divitis vetulæ. l.4.c.114.

Bellus, primo bonus, hilaris & commodus ad convivium. *Extra jocum, bellus vir est.* Secundo *pulcer*. *Bellus puer, Bella puella, Bella carmina.* Inde *belle*, *pulcre*. Martialis:

Declamas belle, causas agis Attale belle,
Historias bellas, carmina bella facis.

Bima-

Bimatus, *trimatus*, *quadrimatus*, spatium duorum, trium, quatuor annorum.

l. 1. c. 5. *Bimus*, *a*, *um*, duorum annorum. *Trimus*, trium, *Quadrimus*, quatuor.

Bimulus, *trimulus*, *quadrimulus*, diminutiva, *vitulus anniculus*.

In Raudem. *Bipennis*, est gladius utraque parte acutus: Est autem generis fœminini.

l. 5. c. 66. *Blandiri* proprie ad tactum pertinet. *Blandimur* catis, quum demulcemus eos. Transfertur autem ad alios sensus, & ad animum. *Blandus sermo*. *Blandimur nobisipsis*. *Blandos* vocamus, qui placidi & comes sunt in sermone, & hilares.

In Raudem. *Blasphemare*, maledicere superiori, & dignitati alicujus derogare, Græca vox est, non Latina.

l. 4. c. 100. *Bonum* extendit se tam ad bonum honestum, quam ad utile & commodum. Bonum animi, est virtus. Bonum corporis, est sanitas. Bona fortunæ, opes. *Bonitas*, primo benignitas, clementia. *Pro tua bonitate, in optimam partem accipies*. Secundo, habilitas, vel excellentia quæ a natura est. Quintilianus: *At in solo fœcundo plus cultor, quam ipsa per se bonitas soli efficit*.

l. 1. c. 9. *Bundus*, est terminus abundantiam & vehementiam quamdam significans, idcirco nomina in *bundus* non significant similitudinem, ut vult Priscianus, sed copiam & abundantiam. *Errabundus*, *latabundus*, *cogitabundus*: & valent idem quod participia frequentativorum, *Erritans*, *lectitans*, *legitans*.

C.

l. 5. c. 67. *Causari*, est causam rei gestæ afferre, & excusandi gratia afferre impedimenta. *Non est quod meam causeris negligentiam*. *Ardea natandi nescia caussatur aquas natatui non esse idoneas*. *Caussari tempestatem*, *valetudinem*, aut *fluminum vim*. Pro eodem dicimus *causificari*.

l. 6. c. 3. *Capio*, interdum habet reciprocum quemdam usum, ut in eodem sensu nunc uni & eidem actio, nunc passio attribuatur. *Cepi voluptatem*, & *voluptas cepit me*, idem significant. Fit autem ista reciprocatio in paucis active, ut in hoc exemplo habito: sed in nonnullis passive, ut *Cepi delectationem*, & *captus sum delectatione*.

Capio, quando significat passive delectari, fere non resolvitur per activum, ut *captus sum* vel *capior amore*, *dulcedine*, *specie tua*, *specie bonorum*, id est, delector. Non amor, dulcedo cepit me. Quando autem non significatur delectatio quædam, fere active utimur, non passive. *Capio dolorem*, *Cepi molestiam*, *laborem* &c. Dicitur *Cepit me tædium*, *oblivio* & *odium*, &c. non, *cepi odium*.

Capio seu accipio, significat interdum patior, ut *accepi damnum*, *repulsam*, *contumeliam*, *injuriam*, *vulnus*, id est, passus sum. Et fere nunquam aliter dicimus, nisi per *accipio*. *Accipere* seu *capere*, significat suscipere: ut, *Accepi* vel *cepi inimicitias*, *curas*, *sumptus*. Sed usitatius *suscipimus curam* aut *negocium*, quam accipimus.

l. 1. c. 6. *Calamarium*, & *theca calamaria*, vel *pennaria*, vel *graphiaria*, dici potest pro eodem.

l. 4. c. 109. *Capitalis morbus*, *Capitale odium*, *Capitale supplicium*, *Capitale crimen*, *Capitale vitium*, propter quod caput alicujus peti debeat ad pœnam. Inde *capitalis actio*, & *capite plecti* dicuntur.

l. 6. c. 6. *Carpere*, *Carpimus linum*, quum vellimus e terra, *poma carpimus*. Inde *decerpo*. *Puella carpunt pensa*. *Carpere viam*, est ire. *Carpere iter*. Item *carpere* est reprehendere.

l. 6. c. 12. *Candeo*, *es*, *ere*. Carbo, ferrum, æra liquefacta *candent*, sol *candet*. Animus *excandescit*, cum vehementer irascitur. Secundo *candere*, candidum esse, sicut *albedine linum candet*. *Candidus*, niveus. *Candidus* transsumitur ad animum, & significat benignum, commodum, minimeque invidum. Ovidius:

Quod precor acceptum, *candide lector*, *habe*.

Est liberalis ingenii, *qua didicit*, *aliis candide impertire*.

l. 6. c. 46. *Cavillatio* est subdola ratio, quam nos conscii nobis mendacii, vincendi tamen causa proferimus. *Cavillatores*: *Cavillor*, *cavillaris*. *Cavillatio*, Cicerone auctore, est genus facetiæ quod fit mentiendo. Inde *Cavillum* jocum appellamus.

Calumniari est falsa crimina intendere. Lex duodecim Tabularum. *Calumniator idem patiatur quod reus*, *si convictus sit*. *Calumnia* nonnumquam est dolus malus, & injuria, quæ existit ex malitiosa & callida interpretatione. l. 6. c. 49. & 50.

Cathechisare, est docere quocumque modo. Vox autem Græca est. Hinc *cathechumeni* & *cathechista*. In Raudem.

Capillus a capite, significat non quemlibet pilum, Nam *barba capillus* non est. Unde *capillitium*.

Canistrum, non canister.

Cavere est vitare, & regit accusativum, *Cave illum*, *Cave convictores improbos*, fuge, vita. Non autem Latine dicitur, *Cave te ab illo*. *Cave tibi*. Terentius: *Ut hosce instruxit*, *ipse sibi cavit loco*. Inde *cautiones* in jure dicimus, syngraphas sive codicillos. Cave est & prohibentis: recidit autem in eumdem sensum cum priore, *Cave feceris*, ne feceris: quæ idem significant. In eundem.

Chalybs, idem est quod ferrum, a Chalybibus populis, unde optimum ferrum mittebatur. In Raudem.

Caducum, sive *caduca* in plurali, significant bona hærede carentium, non autem qui sit horum hæres: Nam nemo est hæres, sed fiscus, aut dux militum, aut publica persona. Juvenalis: In eundem.

Legatum omne capis, *nec non & dulce caducum*:
Commoda præterea junguntur multa caducis.

Caducum, est vas quo aquam haurimus e puteo aut piscina, jumento rotam versante. In eundem.

Canterii, sunt equi castrati. In eundem.

Canere receptui, est signum dare militibus tuba, aut tympano, ut recipiant se e prælio in castra.

Caterva, peditum est, Turma equitum. In eundem.

Capio spem, *Concipio spem*, Ducor spe, Vocor in spem, Ingredior in spem, De tuo ingenio bonam *spem capimus* te brevi in virum evasurum. Colloco, repono, figo in te spem meam omnem. l. 2. c. 81.

Castrum in singulari est domus muro, aut vallo, aut fossis vallata. *Castra* in plurali, est locus ubi exercitus manet. l. 4. c. 20.

Camelus quamvis sit generis epicœni, reperitur nonnumquam fœminino generi adjunctum: nam *camelos* fœtas legimus. In Raudem.

Caupona, ubi venduntur res, præsertim esculentæ, aut poculentæ. Inde *Caupo* & *Cauponari*. Quidam tamen dicunt pro muliere quæ vinum venditat. l. 4. c. 44.

Campus est grandis planicies terræ & ampla, Unde spatiosas plateas *campos* dicimus. l. 4. c. 55.

Ceus, est terminus vocis significans materiam, *Herbaceus*, *betaceus*, *malvaceus*, *ferulaceus*, *rosaceus*, *triticeus*, *hordeaceus*, *vinaceus*, &c. l. 1. c. 11.

Cerebrosus, qui habet perversum cerebrum. l. 1. c. 11.

Certe, primo capitur affirmative, exempla nota sunt. Secundo pro saltem; ut, *si me non amas*, *certe ne oderis*. *Si tibi videndi nos facultas non est*, *certe scribendi potestatem deesse non puto*. At, certe, idem in hoc modo. *Certo* junctum his verbis, scio & scis, mutat e in o, ut *certo scis*. l. 2. c. 27.

Censor, qui *censuram*, id est, qui magistratum talem gerit. *Censorius*, qui censor fuit, *Censorius Cato*. l. 1. c. 6. & l. 2. c. 84.

Calebs, qui vivit extra conjugium, sive privatus sit uxore, sive nunquam habuerit, sive continens sit, sive incontinens. Inde *calibatus*, est contrarium conjugio. l. 4. c. 106.

Celebris passive, significat qui celebratur. *Celebris locus*, *celebris homo*, qui frequentatur ab honoratis personis. l. 4. c. 96.

Celebritas, est frequentia honoratorum virorum in maxima celebritate. Ibidem.

Cæcutiens, est qui parum videns sæpe offendit. Idem dicitur *lusciosus* & *hallucinans*. In Raudem.

Cæsius, qui habet oculos glaucos more noctuæ. Ibidem.

Census, est quicquid fortunarum quis habet, aut id quod Principi per capita solvitur, ut tributa, aut simile quiddam.

Certum est, in animo fixum est. Virgilius: l. 3. c. 28.

Certum est in sylvis inter spelæa ferarum,
Malle pati.

Siccine agis? Certum est, *ne dissuade*. *Si usque adeo certum est*, *Dii bene vertant*.

Centum adjectivum est. *Tercentum*, *biscentum* indeclinabilia sunt: *Trecenti*, *trecentæ*, *trecenta*: *ducenti*, *ducentæ*, *ducenta*, declinabilia. *Trecentas oves pater meus possidet*, vel *tercentum oves*.

Cedo tibi, do locum, & habet *cessi* in præterito, *cessum* in supino. Inde *concedo*, & est neutrale. Interdum additur accusativus. *Hanc provinciam tibi lubens cedo.* *Cædo te*, flagello te, vel occido, habet *cecidi* in præterito, *cæsum* in supino.

l. 4. c. 22. *Celo* te hanc rem, & *celo te de hac re*, idem significant.

Cœnaculum est locus cœnandi, sed in superiore parte domus. Postea cœpit significare totam superiorem domum, *Ubi est pater? In cœnaculo.* *Cœnatio* est locus cœnandi, sed in ima parte domus.

l. 4. c. 38. *Cervix*, posterior pars colli in qua nervi. *Duræ cervicis*, obstinatus & pertinax. *Jugulus*, non *jugulum*, anterior pars colli, unde halitus exit.

Collum complectitur universa.

In Rauden. *Charta* scribendum est, non carta.

Chirographus, est scriptura manu propria scripta.

l. 4. c. 64. *Caritas*, primo amor, sed tantum hominum in homines, & quidem secundum personarum dignitatem. Secundo penuria: sed penuria est omnium rerum, vini, virorum, notariorum. *Caritas*, tantum annonæ. Item *Penuria*, ut desit, *Caritas*, ut non facile acquiratur. *Penuria* est contraria copiæ, *Caritas* vilitati.

l. 6. c. 2. *Citare* est advocare in testimonium. *Citantur* testes. Nonius male pro *laudare* exponit.

Cicercula, nomen leguminis angulosum.

l. 2. c. 7. *Circiter* pertinet ad tempus. *Circiter calendas Martias huc veni.* Et ad numerum. *Circiter duûm millium militum.* Et ad locum, ut, *In media circiter urbe templum constitui solet.*

l. 6. c. 10. *Circumscribere*, est fraudulenter aliquem bonis privare, ut *circumvenire*, fallere.

In Rauden. *Cinædus* per i latinum, significat moventem se obscœne, vel, sicut Marcellus, saltatorem.

l. 5. c. 49. *Circumstare*, est circumdare. *Circumstante* universo populo dixi. *Circumsistere*, est undique aggredi terrendi causa, nonnunquam alia causa. *Circumsistebant me milites armati, ut loculos proderem jubentes. Mercatores in oppidis vulgus circumsistit.*

l. 2. c. 49. *Citra*, pro sine, Quintiliani seculum posuit. *Plus confert exercitatio citra artem, quam ars citra exercitationem. Hæc omnia citra docentem assequutus sum*, id est, sine docente. Alioqui *citra* & *ultra* opponuntur, *Citra Rhenum*, *ultra Alpes*.

l. 4. c. 42. *Cicur* dicitur esse animal natura ferum, sed mansuefactum, ut camelus edomitus, elephantus ad bella doctus, sus domesticus, leo domitus, cicures dicuntur.

Cicurare, mansuefacere. Ita adolescentes indomiti, disciplina præceptoris *cicurari* dicuntur. *Ingenium cicur*, mansuetum.

In Rauden. *Clitellæ*, sunt basti jumentorum super quas onus jumento imponitur.

In eundem. *Classicum*, proprie est sonus tubæ vocantis ad prælium.

l. 5. c. 40. *Consulere* cum accusativo, consilium petere, sive interrogare. *Consule vires tuas priusquam cum eo decertes. Consule aures tuas*, *Magistrum consulamus*, interrogemus.

Ibidem. *Consulere* cum dativo, significat consilium dare, vel potius providere. *Fac tuæ saluti consulas. Ego meis rebus consului, vos videritis de vestris. Consule famæ tuæ. Consule liberorum & tuo commodo.*

Ibidem. *Consultare*, est cum aut plures de re, vel rebus deliberant, aut unus secum de duabus aut pluribus deliberat rebus. *Senatores consultant. Utrum horum malis aggredi, tecum consulta. Consultor*, qui alium consulit: nonnunquam qui consulit alii. *Consilio perit ipse suo consultor iniquus.*

Ibidem. *Consultus* participium, significat interrogatus. *Consulti medici, responderunt nihil morbi esse. Consultus Apollo, triste oraculum reddidit*, id est, interrogatus. *Consultus* nomen adjectivum significat scientem & peritum, a quo jure consilium petas. *Jure* vel *jurisconsultus*, jurisperitus. Horatius: *Insanientis dum sapientiæ consultus erro.* *Inconsultus* adjectivum, significat incon-

A sideratum, imprudentem, & nullius consilii. *O inconsultam muliebrem semper amentiam.*

Conciliare, est contrahere, vel comparare. *Cupio tuam benevolentiam officiis mihi conciliare.* *Conciliamus* amorem, laudem, famam, honores, id est, acquirimus, vel comparamus. *Conciliamus* nobis & mala. Non autem dicimus, *conciliare gratiam*, sed inire gratiam, nisi addas dativum, *Conciliavit sibi odium*, *Magnam a me inisti gratiam.* l. 5. c. 54.

Reconciliari, redire in gratiam, idem significant, Non decet iras amicorum esse diuturnas, redeamus in gratiam. Cum patre in gratiam redii, id est, post offensam *reconciliatus* sum ei. Ibidem.

B *Cooptare*, est eligere inter pares; ut, *milites cooptant quem volunt ducem.* l. 5. c. 60.

Consternere & *consterni* est corporum. *Equi in bello & homines consternuntur.* *Consternari* est animi, ut *Consternatus animo.* l. 5. c. 91.

Conventiculum, diminutivum a *conventus*, mutat genus. l. 1. c. 5.

Coctilis, idem quod coctus. *Lateres coctiles*, *Coctiles muri.* Cibus tamen *coctus* dicitur non *coctilis.* l. 1. c. 5.

Conductitius, a, um, idem quod conduci solet; *Domus conductitia*, *Famulus conductitius.* l. 1. c. 12.

Commentitius, a, um, idem quod fictitius. *Ratio commentitia*, quæ excogitata & conficta est. Ibidem.

C *Continens*, est terra quæ non est insula, fœminini generis. l. 1. c. 33.

Confluens masculini generis, est alveus in quem duo flumina conveniunt. Ibidem.

Continuo, aut interrogative aut negative ponitur: valet idem quod non ideo, vel num ideo. *Continuo ne si ille stulte dixit, tu stultius facies?* id est, num ideo? *Qui vobis assentatur, is non continuo amicus putandus est.* Eamdem per omnia vim habent *protinus* & *statim*. Citra negationem, aut interrogationem non eleganter hoc modo uteremur. l. 2. c. 30.

Commeatus, tantum singularis numeri, significat facultatem recedendi ab aliquo ministerio ad tempus, D quam Imperator concedit militibus, aut Prælatus subditis. *Commeatus* in utroque numero, significat cibaria ad victum reposita. l. 3. c. 10. & l. 4. c. 35.

Confero me in campum, in urbem, vel, ad urbem, ad campum, id est, vado ad urbem. Hic potest poni sive *in*, sive *ad*; si autem personam dicas, non locum, *ad* utendum est. *Contuli me ad patrem*, non *in patrem*. Quoties autem significatur donatio, *in* utendum est, ut, *multa in Joannem contuli beneficia. Quicquid in ingratos confertur, plane perditur.* Item *confero*, significat primo comparo. *Non es cum illo conferendus. Quem tecum conferamus habemus neminem.* Secundo, conducit vel prodest. *Quid confert multa audisse, si pauca memoriæ man-* E *des? Nihil æque confert ad Latine discendum, ut quotidianus usus.* l. 3. c. 45.

Commendo te præceptori, *Commendo te apud præceptorem*, id est, laudo te apud eum. Ibidem.

Committo, trado. *Hanc rem tuæ fidei committo.* Secundo pro admittere vel facere, sed hoc modo semper ponitur negative, & in malam partem semper accipitur. Postremo requirit post se, ut, quamobrem, aut æquipollens. *Non committam, ut quæ in me contulisti officia, perdidisse videare. Non committas ut apta literis adolescentia tibi inter digitos effluat.* l. 3. c. 56.

Convenit, id est, decens & conveniens est. *Non convenit ætati tuæ colludere pueris*, id est, major es quam qui F pueris colludas. l. 3. c. 38.

Convenire, concordare & sine controversia esse. Et capitur dupliciter: personaliter, ut, *hoc convenit mihi tecum*, id est, in hoc concordamus. Impersonaliter, *Non convenit senibus & juvenibus.* Aut certe sine apposito & supposito. Juvenalis: *Convenerat olim,* l. 3. c. 76.

Ut faceres tu quod velles, nec non ego possem
Indulgere mihi.

Conjicio, *conjecto*, *conjecturo*, *conjecturam facio*, *conjecturam capio*, *conjecturam consequor*, *conjectura colligo*, *conjectura ducor*, pro eodem fere accipiuntur. *Admodum iratus erat, quantum conjectura consequi potui. Ex pudenti* l. 3. c. 76.

ado-

adolescentis fronte facile bonæ indolis conjecturam capimus. Certo noscis? Non, tantum conjectura ducor. Qualis quisque sit, ex oratione facile conjecturam facimus.

l.4.c.21. *Commentarius* vel *commentarium*; *commentarii, commentariorum*; *commentaria, commentariorum*, significat librum quo res non late tractantur, sed tantum tanguntur capita rerum, vel ad memorandum, vel ad aliis materiam suppeditandam. Nonnulli capiunt pro expositione auctorum, ut commentaria in Virgilium, in Aristotelem.

l.4.c.32. *Comicus*, qui condidit Comœdias, ut Terentius, Plautus. *Comœdus* est histrio, qui agit gestu & voce comœdiam conditam. Ita *Tragicus*, auctor est tragœdiæ, ut Seneca. *Tragœdus* actor.

B

l.4.c.34. *Conclave*, est locus secretior in penetralibus, in quo comeditur, aut confabulantur mulieres.

l.4.c.38. *Comes*, est qui sequitur alterius ductum.

Comitatus dicitur clientela sequens dominum, aut ducem. Libido *comes est gulæ*, id est, sequitur gulam. Non e converso. *Divitiarum comes est contumacia*, id est, divitias contumacia comitatur. Opulentia mater est superbiæ. Affluentia parens est superbiæ. Affluentia materia est superbiæ. Idem omnium sensus est. *Comitari* est sequi ductum alterius.

Comis, hujus *comis*, facilis, benignus. *Comiter excepit nos Petrus? Comitas*, facilitas & benignitas.

l.4.c.43. *Collis* est monticulus, sive sit per se, sive pars montis.

C

Clivus, est proclivitas illa & pronitas a vertice collis.

l.4.c.47. *Concio*, primo est congregatio multitudinis ad audiendum concionantem oratorem. Græci *concionem*, id est, conventum populi ἐκκλησίαν vocant. Secundo est oratio habita ad populum. *Ubi fuisti? In concione.*

l.4.c.57. *Coxa* est pars supra femora, tunc *coxam viciatam* dicimus.

l.4.c.66. *Copia*, significat primo facultatem vel potestatem. Et jungitur plerumque cum hoc verbo *facio* vel *do*; Ut, *faciam tibi copiam libri mei describendi*. Latius his de rebus loquemur, *quum primum videndi tui copia dabitur*. Secundo significat abundantiam; ut, *quibus largissimas rerum copias Fortuna suppeditavit, eos plerumque tardiores videmus*. Inde *copiosus* & *copiose*. Tertio significat multitudinem, tam in plurali quam in singulari, ut, *Modicis copiis urbem munitissimam cepit*.

D

l.4.c.67. *Condictio* a *condico* dicitur, est denunciatio. Item actio ipsa in personam, qua actor intendit sibi dari oportere. *Condicere*, denunciare.

Ibidem. *Conditio* primo a *condo*, est sors, & pertinet ad Fortunæ bona. *Vir felicis conditionis. Servilis conditionis.* Secundo, est oblatio sortis, vel electionis. Ita dicitur: *Dare conditionem, accipere conditionem.*

l.4.c.53. *Corpus*, notum est. Secundo est caro, sed tantum hominis viventis; Ut, *febris qua jam pridem laborabam, omne mihi corpus absumpsit*. Unde dicitur *corpulentus*, non carnosus.

E

l.4.c.83. *Conterranei*, qui ejusdem territorii sunt, quos barbari nostri solita sua elegantia *compatriotas* vocant. Brabantinus & Brabantinus *conterranei* sunt, Gandensis & Gandensis *cives* sunt.

l.4.c.84. *Consul*, qui consul est. *Consularis*, qui consul fuit. Inde viri consulares dicuntur.

l.4.c.90. *Complures* & *complura* caret singulari, idem est quod multi: & positivi gradus, non comparativi gradus. *A compluribus gravibus viris accepi*. Nostri Rhetores (barbaros loquor) *quam plures* pro *complures* dicunt, & Donatus, *ex quampluribus*: ex *compluribus* dicendum est, aut ex *quamplurimis*, sicut declaratum est in *quam*.

F

l.4.c.53. *Corporeus, a, um*, quod constat ex corpore: & jungitur tantum cum hoc nomine res aut substantia. *Lapis est res corporea, virtus incorporea.*

Corporale quod existit in substantia corporea, pulcritudo, robur, bona *corporalia* sunt, quia in corpore sunt.

l.6.c.4. *Contendere*, significat intendere, ut, *nervos contendimus*, aut intendimus. Vires & animum *intendimus* aut *contendimus*. Nascitur autem hæc significatio ex priore. *Contendere verbis. Contendere cursu*, id est, concertare, & regit dativum seu ablativum, interventu præpositionis *cum*. Virgilius: *Ne cellis ideo contende falernis.*

A

Nolo tecum contendere. Inde *contentio. Contentiosus. Contentiose* agere, est pertinaciter se defendere: unde dicitur, *Peto abs te summopere contendoque*, id est, pertinaciter peto, ita ut negari mihi nolim.

Convitium, est maledictum. Hinc *conviciari* & *convicium facere*. *Fœminæ solent convitiis agere, ubi ratione nihil valent.* l.6.c.52.

Convenæ convenarum, dicuntur qui ex diversis populis in eadem mœnia convenere, & coalescunt simul. In Rauden.

Contentor contentaris, non Latine dicitur, sed *boni consulo*. In eundem.

Cornicum oculos configere, proverbium est, configere oculos eorum, qui se sapientiores videri volunt & duces. Nam cornix dicitur dux avium esse. In Raudem.

B

Comitium est tantum locus. *Comitia*, actus creandorum magistratuum, ut in creatione Consulum, & Prætorum, quæ in comitio fiebat. Inde *morbus comitialis*. Aut *comitia* dicebantur electiones per suffragia. In eundem.

Cominus non significat in loco propinquo, sed e loco propinquo. *Cominus spectabat, Cominus pugnabat.* Non, *cominus sedeo. Eminus*, e loco remoto. *Eminus jaculatur.* In eundem.

Complices, non est Latinum vocabulum. Cicero corruptus est, ubi scriptum est *complicium* pro comitum. Locus Cicer. restitutus.

Attende pulcherrimam distinctionem *Comparativi* & *Superlativi*. Comparativi & Superlativi quod ad casum attinet, apud Græcos nulla differentia (quoniam non habent ablativum casum) nisi quod hoc refertur ad duo, & illud ad plura. Apud Latinos quæ sit vide. l.1.c.13.

C

Omnis comparatio aut fit inter duo aut plura. Si inter duo, semper utendum est comparativo: ut, *Patri meo duo fuerunt filii, major jam olim e vita decessit, minor ego sum.* Dicendum fuit *major* & *minor*, non *maximus* & *minimus*. Sin inter plura, aut sunt illa diversi generis, tunc utendum est comparativo, non superlativo: ut, *Hic adolescens, longe omnibus senibus doctior est.* Nam adolescens & senex, diversi generis sunt. Aut sunt illa ejusdem generis, si tres sint aut plures gradus, id est, si etiam in mediis sit aliud alio superius, semper utendum est superlativo: ut, *Scholasticorum studiosissimus est Henricus. Latinorum eloquentissimus est Cicero.* Sin tantum duo sunt gradus inter multa, ut si sint multa parva, & unum tantum emineat quod sit majus cæteris inter se æqualibus, utendum est comparativo cum ablativo: ut, *hoc vas majus est cæteris*. Sunt tamen qui more Græcorum usurpant comparativum loco superlativi, ut Catullus:

D

Hespere qui cœlo luces jucundior ignis.

Et *Cicero omnibus eloquentior.* Quoties autem comparativus non accipitur distributive, ablativum habet, *Nemo te stultior.*

Conjuratio fere in alterius perniciem fit: *Scævola trecentos Romanæ juventutis principes in Porsenæ necem conjurasse ajebat.* Et qui urbem incendere aut perdere inter se juraverunt, *conjurati* dicuntur. *Conspiratio* nonnunquam in neminem grassatur, sed interdum significat unanimitatem. Et *conspirati* dicuntur, qui conspirarunt, quemadmodum conjurati. l.5.c.21.

E

Cordi est mihi, Placet vel delectat. Terentius: *Uterque utrique cordi est. Omnia tua mihi cordi sunt fili. Utinam tibi literæ tam cordi essent, quam lusus. In animo est*, id est, volo, vel *animus est mihi*. *In animo est mihi, In animo habeo*, idem significant; *In animo est mihi hieme exacta Daventriam petere, Animus est mihi revisere.* l.5.c.22.

Compertum est mihi, comperi, exploratum est mihi, investigavi, id est, deprehendi & scio per investigationem, & experimento compertum habeo. Tua fides mihi satis explorata est. l.5.c.24.

F

Constitutum est mihi, deliberatum est, decretum est mihi, statutum est mihi, id est, apud me cogitando firmatum est. *Constitutum mihi est aut mortem subire, aut his malis eripi.* Si id tibi deliberatum est, sequar quocumque voces. *Deliberare* tamen aliud est, quam *deliberatum esse*. Nam potes deliberare ut non decernas. *Deliberato opus est. Deliberandum est* diu, quod statuendum est semel. Ibidem.

Crudus, a, um, primo qui difficilem habet digestionem, aut ut Latinius dicam concoctionem. *Crudus stomachus, Cruditate stomachi laboro.* Secundo, est truculentus. Hominem *crudum* vocamus, qui truci est adspectu. l.4.c.116.

Tertio, est recens. *Crudus dolor*, *Crudum vulnus*, aut *odium*, cum de integro resuscitatur. Quarto, *crudus*, immaturus. Cicero: *Poma quæ cruda sunt, vi avelluntur: quæ matura decidunt.*

In Rauden. *Crepido*, est ora terræ quam aqua alluit, ex hoc appellata, quod vi aquæ [1] *crepitat*. Per metaphoram & os putei, id est, extremam oram, quæ ad ipsum puteum respicit, & omnem extremitatem, *crepidinem* appellamus.

l.2.c.33. *Cras*, dies crastinus, *Perendie*, dies perendinus. *Perendinare* & comperendinare, differre de die in diem. *Crastinus* non solum significat eum diem qui hodierno est proximus, sed quemlibet alium futurum. Horatius: *Quid sit futurum cras, fuge quærere.*

l.3.c.32. *Criminandi* verba, ut, *teneor*, *accuso*, *postulo*, *defero*, *condemno*, *arguo*, & similia regunt genitivum significantem crimen sive certum sive incertum. *Accusatus peculatus*, *Damnatus repetundarum*. Præter hæc nomina *ambo*, *utrumque*, *neutrum*, *alterum*. Non enim recte dicitur: *Qui patriam prodidit, teneturne sacrilegii, an parricidii, an utriusque?* sed an *utroque* vel *de utroque*. *Cujus criminis accusas hanc, absentiæ, an insolentiæ, an de ambobus?* non *amborum*. Similiter nomina generalia criminum, in ablativo apponuntur addita præpositione, *Accusatus est de multis*. Legimus & *damnatus capite*.

l.4.c.29. *Crepitus* est sonitus violentus ex impulsu resultans: qualis est ostii pulsati, cymbalorum, tympanorum, tubarum, cornuum. Inde *crepitaculum*. Secundo, *crepitus* est eruptio ventris: nam *ructus est oris*, *crepitus est ani*. Stoici putabant non minus honestos crepitus esse quam ructus. *Strepitus*, *fremitus*, *stridor*, vide in suis locis.

l.4.c.38. *Crimen* etiam est ipsa criminatio, id est, impositio criminis. Cicero: *Utinam hoc tantum verum crimen esset*, id est, utinam verum esset in quo accusas me. Ita fit, ut interdum qui in crimine est, non sit in culpa.

l.2.c.5. *Curriculum* primo significat cursum ipsum; ut, *longo temporum curriculo*. Secundo currendi locum; *Stat intra curriculum non cursurus*. Tertio, ipsum currum. *Curriculo proficiscemur*.

l.2.c.6. *Cum* præpositio, comitem significat, aut modum actionis, non instrumentum. *Scribo calamo*, non, cum calamo, *Pulsavit me pugno*. Sed, *summo cum honore me excepit: summa cum lætitia*, id est, læte, non lætitia tanquam instrumento.

l.2.c.22. *Cum* valet primo ubi, vel quando: ut, *cum primum venerit pater, dicito me esse domi*. Secundo quamvis: *Cum nihil sit te sordidius, tamen liberalis tibi nomen vindicas*. Tertio præpositio est, de quo supra. Quarto jungitur huic particulæ *tum*, ita ut cum significet minus, tum majus. *Cum omnes bene de nobis meritos amare debemus, tum vero præceptores nostros colere æquissimum est*, id est, omnes quidem bene merentes amare debemus, sed maxime præceptores. *Pudor cum omnem ætatem, tum adolescentiam maxime decet*. Et jungitur fere semper verbis indicativis. Aut si aliis modis junguntur saltem non diversis modis: Neque enim Latine diceretur: *Cum omnes literatos semper amaverim, tum te carissimum habui: amavi* dicendum fuit, non amaverim.

l.6.c.20. *Cursim*, currendo. *Cursim perlegi*.

l.6.c.46. *Culcitra*, est tam lanea quam linea: tam stupea, quam plumea. Nunc plumea est.

l.1.c.52. *Curia*, est locus consilii publici. Juvenalis, *Ut curia Martis Athenis*. Aliud igitur est aula Principis, aliud Curia.

D.

l.3.c.36. *Damus* illi literas, cui perferendas tradimus. *Reddit* qui perfert. *Accipit* ad quem dedimus. *Damus* ad eum literas, cui scribimus. Tabellario damus, ad amicum damus. *Nudius tertius tabellario meo binas ad te literas dedi, alteras fratris tui, alteras meas, quas puto tibi redditas esse.*

In Rauden. *Dedititius*, qui se in alterius imperium dedidit. *Nulla servitus infelicior, quam meretricum dedititium esse. Is plane liber esse desinit, qui vitiorum esse dedititius cœperit.*

l.1.c.30. & l.4.c.6. *Defectus* active significat, qui deficit: ut *senectam defectam* vocamus, quæ deficit:

Dulcia defecta modulatur carmina lingua
Cantator cygnus funeris ipse sui:

Defectus, absentia, ut ita dicam. *Defectu medicorum multi periere*: non culpa medicorum in hoc sensu. *Defectus nummorum coget patriam repetere*. *Defectio* est discessio militum a duce, aut civitatis a superiore; Ut, *ille suorum militum defectionem subitam conspiciens, expalluit*. vel *deficit* discipulus a magistro, deserens sectam ejus. *Desciscere* vide suo loco.

Decus est honestas quæ ex bene gestis oritur, ut, *pueris quidem literæ nonnihil sunt molestæ: at senibus summæ voluptati & decori*, id est, ad decus. l.4.c.13. *Dedecus*, ignominia quæ ex turpiter gestis nascitur; ut, *Quod tu tibi laudi tribuis, summo dedecori est*. A decus dicitur *decorare* o correpta, honestare. *Dedecorare*, ignominia afficere. *Decor* decôris, est quædam decentia rerum, personarumque in locis & temporibus. *Decôrum*, decens: *Non est decôrum seni lascivire. Non est adolescenti decôra impudentia*, Impudentia non decet adolescentem. Honestum quoque appellamus decôrum. *Decor*, o producta, a *decôro*. *Dedecôro* similiter.

Declamator, vide in Rhetor.

Desipio, *desipisco*, desino sapere. *Resipisco*, redeo ad sanam mentem. l.4.c.11. l.5.c.3. *Juvenes qui desipuerunt, resipiscere possunt, Senes amentes nunquam resipiscunt. Desipere mihi videris.*

Descendere, quid vulgo significet, notum est. Præterea significat de loco tuto in locum discriminis venire, l.5.c.36. etiam si sit æqualis. *Descendere in prælium*, *descendere in campum*, pugnandi utique gratia. *Descendere in forum* defendendæ causæ gratia.

Declarare fit tam factis quam dictis. *Gaudeo me nactum esse opportunitatem quam meum erga te amorem declarare possim*, l.5.c.38. id est, ostendere. *Mallem meam in te benevolentiam factis, quam oratione declarare*, id est, indicare & ostendere.

Deferre pro accusare, semper habet accusativum, aut expressum, aut subaudiendum. l.5.c.44. Quintilianus, *Divitem detuli reum pauper*, id est, accusavi.

Devenire, est de loco editiore in planum aut humilem, l.5.c.36. aut de rebus felicioribus ad infeliciores delabi aut venire. *Devenimus in planum. Italia devenit ad nos. Deveni in paupertatem. En quo devenere literæ.*

Devolvere, a summo deorsum præcipitare. Sæpe Ibidem. amnes a montium verticibus ingentes rupes devolvunt. *Devolve trabem*, id est, deorsum præcipita.

Despicere, ex alto deorsum adspicere: transsumitur ad Ibidem. contemnere. Suspicere, sursum adspicere. Suspice cœlum. Transsumitur ad venerari & honorare.

Deligere, est eligere quod ad agendum sit magis idoneum: l.5.c.60. ut, Rusticus *deligit* tauros quos aratro applicet, quos creandæ soboli destinet. Imperator *deligit* quos militiæ adhibeat. Populus *deligit* Regem vel Episcopum. *Delectus* tantum duobus verbis jungitur, *agere* & *habere*: & significat idem quod *deligere*, sed tantum ex multis. *Cæsar delectum habuit in provincia*, id est, ex multis eligit quos judicaret idoneos militiæ. Præceptorem dispicere, & *delectum agere ingeniorum*, necessarium est, ut noverit quid quos discere jubeat. *Eligere* non respicit rem administrandam, sed commodum privatum vel placitum. Habes optionem, utrum mavis elige. *Cooptare*, vide loco suo.

Debellare, est bellando vincere seu capere, sed potius l.5.c.62. ad homines refertur. Virgilius:

Parcere subjectis, & debellare superbos.

Expugnamus autem naves, castra, urbes, vide loco suo.

Desciscere, est deficere: Ut, milites a duce, populus a Rege, discipulus a secta magistri *desciscit*. l.5.c.89.

Deturbare, est deorsum cum violentia dejicere. Ibidem. *Deturbat e turri, e puppi*. *Exturbare* e loco in eumdem modum ejicere. Josue: *Quia turbasti nos, exturbet te dominus*. *Disturbare*, est diruendo disjicere. *Disturbare* domos, parietes.

Decedere, cum capitur pro recedere, tum proprie significat a mandato custodiæ suæ loco recedere. l.5.c.95. Prætores & hujusmodi, e provincia *decedunt* perfuncti officio. *Præsidia de urbibus, aut castellis decedunt*, id est, desinunt

1 Melius a κρηπὶς deducitur. Vide *Ger. Joan. Vossium*, in Etymologico.

finunt tueri. *Militia e castris decedit.* Secundo, *decedere e vita*, id est, mori. *Excedere*, si adjungas, e vita, est mori. Inde *excessus*, mors. *Excedit modum* qui prætergreditur.

l. 6. c. 21. *Demum* & *denique* significant tandem. *Quum omnia perdidiceris, tum demum*, vel *denique docere alios potes.* *Denique* autem solet nonnumquam multis enumeratis in extremo poni. *Est sermone protervus, factis ferox, sibi perplacens, aliorum fastidiens, denique talis, ut commodius sit belluæ convivere*, quam huic monstro. Secundo, *demum* capitur pro omnino vel solum, præcipue junctum is, & ita. *Ea demum gloriosa laudatio, quæ a laudatis viris proficiscitur. Ita demum me abs te amari sentiam, si huic homini mea causa commodaveris.* Ovidius pro *demum* posuit *denique*: *Si qua metu dempto casta est, ea denique casta est. Is demum fortis est qui se vincit. Ita demum abs te me amari credam*, &c.

l. 6. c. 24. *Deprecari*, significat valde precari. Item *deprecamur* bella, morbos, optamus ne veniant. Naso:

Sæpe precor mortem, mortem quoque deprecor idem.

l. 6. c. 32. *Decurio* dignitatis nomen est, quem barbari *militem* vocant. Nam miles est quisquis militat. *Decurio* Romanus, major *equite* Romano: eques, major *Centurione*: Centurio, major *decarcho* duce decem militum: decarchus major milite. Ergo neque *decurio* decarchum significat, neque miles. *Decuriones* municipales aliarum sociarum urbium præter Romam sunt ii, qui Romæ Senatores vocantur.

l. 6. c. 63. *Depecisci*, idem quod pacisci: *depectus* idem quod pactus. *Depecisci* mortem cupio.

Definire, est terminare, *Causa definita.*

In Rauden. *Diffinire*, hoc ab illo finiendo ac partiendo distinguere.

l. 4. c. 81. *Dies* in masculino genere significat diem certum, ut dicimus *dies Calendarum Novembrium. Non rediit pater die præstituto. Abiit, die præstituto rediturus*, non *die præfinita.* Dies quando significat ipsum tempus, semper est generis fœminini. *Ipsa dies facit hominem prudentem.*

Ipsa dies quandoque parens, quandoque noverca.

Horatius in Arte Poetica:

Carmen reprehendite quod non
Multa dies, & longa litura coercuit,

Id est, multum tempus, non multus dies. Inde *diecula*, breve tempus, Pediano auctore. *Dies bima, trima, quadrima*, tempus duorum, trium, quatuor annorum. Sed hoc nostri Jurisperiti non intelligunt. *Dies hesternus, crastinus*: non hesterna crastina.

l. 4. c. 104. *Diurnus*, quod fit in die; Ut, *Adolescentes diurnum studium ament, nocturnos labores fugiant.* Horatius:

Nocturnâ versate manu, versate diurnâ.

Diuturnus & *diutinus* idem significant: ut, *Petrus diutini laboris odio a scholis defecit.*

l. 5. c. 1. *Disco*, quod ante nesciebam, pertinet ad discipulum. *Dedisco*, quum obliviscor quod sciebam. *Plerique ita Logicam discunt, ut Grammaticam dediscant. Dedidici linguam Latinam diutinâ insuetudine. Dedisce istos indecentes mores. Ediscere* est memoria complecti. *Hi versus hodie nobis ediscendi sunt.*

l. 5. c. 10. *Dicere*, loqui. *Dic si quid habes. Dic quod hic non invitus audiat. Dicere* est Oratoris eleganter orantis. Inde *artem dicendi*, vocamus Oratoriam. *Hieronymus eleganter dicit, parum acute arguit: Augustinus acute arguit, sed obscure dicit.*

Ibidem. *Dictio* interdum est oratio facunda & oratoria.

Ibidem. *Dictare* frequentativum, significat *dicere*, ut alius calamo excipiat. Ut is qui prælegit epistolam, *dictat*, notarius excipit. Præceptor legens discipulis materiam epistolæ *dictat* eis.

l. 5. 5. 20. & 50. *Dictitare* frequentativi modi, significat frequentibus & locis & temporibus dicere. *Itane est? nescio, id passim dictitant.*

l. 5. c. 56. *Dispicere*, est circumspicere mente.

l. 6. c. 20. *Dispicientia*, id est, circumspectio.

In Rauden. *Dissimulatim*, id est, dissimulanter.

Diabolus Græce, Latine Criminator.

Diversorium, hospitium meritorium.

A

Diverticulum, digressus a via publica, sive flexus viæ.

Diploma, est epistola vel scriptio alicui missa. l. 4. c. 28.

Diffiteor, diffiteris, est negare. *Infiteri* & *defiteri*, non reperiuntur. In Rauden.

Dyscolus Græce, significat Latine hominem malum, perniciosum, & toleratu difficilem. In eundem.

Dictum, dicta, dictorum, sermones salsi. *Non me latet in quem dicta ista jaculeris. Contorsi in eum dictum quod illi perpetuo doleat.* l. 5. c. 10.

Dicacitas, dicaces, dicimus qui callent lepida dicta confingere & jaculari. Ibidem.

Domus sic declinatur: Nominativo domus, genitivo domi vel domus, dativo domui, accusativo domum, ablativo domo. *Domi* significat ubi manemus, id est, in domo: & jungitur tantum his pronominibus, *mea, tua, sua, vestra, nostra*, & cum hoc nomine *aliena. Domus* genitivus quartæ declinationis significat ipsum ædificium, id est, tecta & parietes: ut, *Vis ventorum noctu magnam domus meæ ruinam fecit*, non domi meæ. Sed *domi erimus*, id est, in domo. *Domi* & *belli, domi* & *peregre* opponuntur. l. 3. c. 15.

B

Dono tibi hanc rem, & *dono te hac re*, idem significant. *Hoc munus mihi donatum est a Petro*; Vel, *Hoc munere donatus sum a Petro.* Eamdem constructionem habet *impertior* vel *impertio*. l. 3. c. 43.

Doceo, cognitionem do, *Dedoceo*, secus ab eo quod quis doctus est doceo. Quintilianus; *Et quidem prius, ac difficilius opus dedocendi quam docendi. Istam petulantiam te facile dedocebo.*

C

Domesticatim, id est per singulas domus. l. 8. c. 20.

Docilis, qui facile docetur. *Docile ingenium. Indocile*, id est, durum & superbum. *Docillimus* in superlativo. *Docibilis* vix invenitur, nisi apud Ecclesiasticos, & id pro docilis: *Docibiles Dei erunt*: Priscianus dicit significare *docibile* quod facile discitur, pro quo nos *perceptibile* dicimus potius. l. 6. c. 26. Perceptibile non docibile dicendum.

Dudum, jamdudum, de parvo tempore unius horæ, duarum, aut trium; sed *dudum* significat actum transeuntem: *Jamdudum*, insistentem & manentem. *Jamdudum* magister est in scholis, id est, non diu fuit & adhuc est. *Dudum venit.* Nuper & pridem de longiori tempore dicuntur. vide hæc loco suo in *nuper*. l. 2. c. 34. V. de Val. l. 2. c. 34.

D

Diu, continuationem temporis significat, id est, per longum tempus. *Diu in Grammatices studio versatus sum, priusquam ad Logicam accederem*; *Diu est quod urbem intravi*: eo quod diu verbis momentaneam actionem significantibus non jungitur: sed *dudum* vel *pridem intravi*, non dicitur. *Jamdiu* idem quod *diu*, nisi quod *diu* significat actum transeuntem, *Jamdiu* insistentem. *Jamdiu uxor mihi ducta est, & adhuc virgo est.* l. 2. c. 35.

Dumtaxat, idem significat quod solum, sed non recipit post se, *sed etiam*, sicut solum, & *modo*, & *tantum*. Non enim eleganter diceretur, *Non is dumtaxat amicus censendus est, qui bene de nobis meretur, verumetiam is, qui bene nobis cupit.* Sed sic, *studiosis interdum joco & lusibus indulgendum est, sed in loco dumtaxat.* l. 2. c. 41

E

Dum & *donec* significant *quamdiu, usquedum. Tantisper tibi sum amicus, dum dico quod non invitus audias*, id est, usque dum. *Donec moriar, literis operam dabo*, id est, usquedum moriar. Naso: l. 2. c. 48.

Donec eris felix multos numerabis amicos.

Tantisper te meum filium dici volo, dum quod te dignum est facies. Terentius in Heauton.

E.

Ecce, & *en*, idem pene significant. *En* duos casus habet, nominativum & accusativum. Et capitur demonstrative, & exprobrative. Prius notum est, posterioris hoc exemplum est: *En hominem, en mentem eum qua Dii nocte loquuntur. Ecce*, pene nunquam accusativum habet, nisi forte apud Poetas, & id quidem rarissime. *Eccum eccam, ellum, ellam*, per adverbia exponuntur, non per pronomina: ut, *eccum*, id est, *ecce hic*: *ellum*, id est, *ecce illic.* l. 1. c. 25.

F

Econtra non dicitur, sed *e contrario*, sive *e diverso*, sive *contra*. In Raud.

Ædes, pro domo privata, nunquam habet singularem numerum, diciturque, *binas, trinas ædes*, non *tres* l. 3. c. 6.

aut

aut *duas*. *Ædes* pro templo, utrumque numerum habet, sed fere ponitur cum adjectione. *In æde Jovis*. *In ædibus Minervæ*. *Æditus*, custos sacrarum ædium. Proprie *Ædiles* erant apud Romanos magistratus, præfecti curandis ædibus Deorum.

Ibidem. *Ædilitas* nomen dignitatis, sicut Consulatus.

l. 5. c. 68. *Edicere*, est imperare, sed tantum ad magistratus & Reges pertinet. Inde *edicta Consulum*. *Edictum Augusti*. *Edictum Imperiale*.

In Rauden. *Edulium* est quicquid edendi gratia apponitur.

E præpositio jungitur semper dictionibus ab *r* inceptis, non *ex*. *Eregione*, id est, ex opposito, vel ex adverso; *e regione Boreæ flat Auster*.

l. 5. c. 19.

Ibidem. *Erepublica*, id est, pro republica. *Multos exilio damnare, erepublica non est*, id est, non est utile reipublicæ.

A

E re mea, id est ad utilitatem meam, *ere tua*, *e re vestra*. *Quid mea? e re tua erit si quid labores*. *In rem tuam*. *E tua dignitate*, id est, pro tua dignitate. *Ex tuo usu erit si facis quod hortor*. *Ex utilitate Reipublicæ legem considerate*. *Deliberat civitas, utrum prælium committi, ex usu sit, nec ne*.

l. 4. c. 66. *Elogium* est testificatio de aliquo in laudem vel vituperium. Unde dicuntur *elogia sepulcrorum*: ut si magister reddens discipulum parentibus, dicat, *Prius asellus lyra canere disceret, quam filius vester literas*: plane turpe elogium est. Secundo, *elogium* est aperta testificatio sententiæ suæ, ut Regis cujusdam Hierosolymorum elogium est, *malle se diademate, quam literis carere*.

In Rauden. *Eminus*, non significat *in loco remoto*, sed *e loco remoto*. *Eminus videbat*, *Eminus petebat me*, *Eminus jacula mittebat*, id est a longe.

In eundem. *Energumenus*, qui a Dæmone agitur, ab ἐνεργοῦμαι Græco, quod est agor vel agitor.

l. 4. c. 25. *Epulæ, epularum*, sunt cibi in privatum usum comparati. *Dapes* volunt esse Deorum, vel nostras in sacrificiis. *Epulum* est publicum & solenne convivium, quod præstatur apparatus gratia vel in solennitatibus Deorum, vel in funere divitum, vel in alio quopiam simili.

Eques est aliquis primo ex dignitate equestri auratus. Secundo ex equo militans.

l. 6. c. 32. l. 4. c. 102. *Æqualis*, similis ex æquo. *Æquales amore*, *Æquales statura*, pares amore. *Æqualis*, coævus. *Te in primis semper amavi, utpote adolescentem æqualem*. *Æquabile*, idem quod æquale. *Jus æquabile*, *sonus æquabilis*, id est, æqualis & par.

In Rauden. *Ergastulum*, est privatus carcer, vel locus ubi servos dominus includit noctu, unde mane ad opus emittat.

l. 5. c. 94. *Æs alienum*, quod aliis debemus. *Conflare*, *contrahere æs alienum*. *Dissolvere æs alienum*. *Obstrictus* vel *pressus ære alieno*.

l. 2. c. 21. *Etsi, quamquam*, in principio orationis indicativo gaudent. *Et si*, vel *quamquam mihi semper fuisti carissimus, tamen multo eris carior, si meis monitis parueris*; fuisti, non fueris, vel sis. *Licet* autem & *quamvis*, in principio subjunctivum desiderant. *Licet*, vel *quamvis tu me odio habeas, tamen ego nunquam amare desinam*. habeas, non habueris. Sed in medio orationis omnibus his indifferenter utimur. *Feram te, licet insolentem, quamvis insolentem*. *Licet* nunquam jungitur indicandi modo.

Et, geminatum pulcherrimum est: ut, *Fili, & mihi morem geres, & tuæ saluti consules, si te studiosum præstiteris*. Idem valet *que*, sed frequentius in carmine. Terentius: *Quod mihi heræque, filiæque herili est malum*, id est, & mihi, & heræ, & filiæ. *Et* pro etiam Quintiliani seculum accepit. *Quicumque tibi inimicus erit, is erit & mihi*, id est, etiam mihi.

l. 1. c. 7. *Eventus, us, ui*, in singulari. In plurali *eventa, torum*. *Narra nobis obsecro tua eventa*. Similiter *jussus jussa*, *permissus*, *permissa*.

In Rauden. *Exoletus*, ab *exolesco*, substantivum, significat scortum masculinum, id est, puerum meritorium, & præcipue jam adultum. Adjectivum vero, significat adultum, sed non est usitatum. *Exoleta* dicuntur, & quæ in desuetudinem venerunt.

In eundem. *Explicit*, & *explicitunt* nusquam inveniuntur.

Excubiæ, sunt diurnæ, sive nocturnæ. *Vigiliæ*, tantum nocturnæ.

Explodere, est cum pulsatione & sono manuum ejicere e concilio, e theatro, e domo. *Exploditur* & sententia quæ rejicitur. *Complodere*, est collidere manus in indicium doloris, admirationis, & lætitiæ, aut similium. *Supplodere* est terram pede incutere. *l. 4. c. 69.*

Exsibilare, est cum sibilo exturbare; Ut, *pueri ignotos ludum intrantes exsibilare solent*, vel, *qui in conventu aliquo ridicula profert, exsibilatur*, id est, cum irrisione expellitur.

Excogitare, est invenire ingenio. *Quis hoc excogitavit consilii? Excogitavi argumenta duo, excogitavi rationem, causam*. Cogitat qui quærit. *l. 5. c. 2. & 20.*

Ex tempore, id est, impræmeditate & subito.

B

Extemporalis oratio, est quæ domi elaborata non est. *Ex tempore venire*. *Ex tempore agere*. *Ex tempore capere consilium*. Item *ex tempore* pro *temporis conditione*, hoc est, pro re nata. *l. 5. c. 19.*

Ex equo pugnare, id est, sedentem in equo pugnare. *Ibidem.*

E vinculis causam dicere, id est alligatum.

Erenibus laborat, *e stomacho*, id est, patitur morbum stomachi.

Existimare, id est, judicare. Exempla nota sunt. Differunt *æstimo* & *existimo*, sicut cogito, & excogito. Seneca: *Quem mihi dabis qui aliquod pretium tempori ponat, qui diem æstimet?* id est, qui pretium diei supputet. *Existimo te magnum*, *æstimo te magni*. *l. 3. c. 20.*

C

Exsto & *exsisto*, idem habent præteritum, quo est *exstiti*, significant eminere, & superesse, sed *exsisto*, cum motu, *exsto* sine motu. Cicero: *Submersus equus voraginibus non exsistit*, id est, non emergit vel prodit. Idem, *Exsistit hoc loco quæstio subdifficilis*. De *exsto*, *Capite exstabat aquis*. Virgilius: *Et summis vix cornibus exstant*, id est, eminent. Opera auctorum dicuntur exstare, id est superesse. *Tragœdia Nasonis non exstat*. *Ciceronis de Republica libri non exstant*. *Varronis paucissimi libri exstant, cæteri demortui sunt*. Videant hic Grammatistæ nostri, qui dicunt *exstare* & *exsistere*, idem significare quod *esse*. *l. 5. c. 52.*

D

Expugnare, significat pugnando capere, sed frequentius refertur ad inanima. *Urbs expugnata est*. *Castrum inexpugnabile*. In Psalmo: *Sæpe expugnaverunt*: *expugnare* dictum est pro oppugnare vel impugnare: sequitur: *Neque enim potuerunt mihi*. *l. 5. c. 62.*

Excusare, id est, purgare. Neoterici dicunt, *habe me excusatum*. Veteres dicebant, *accipe excusationem*. *Accepit pater excusationem*. Interdum *excusare* est, afferre id quod fuit in causa, quo minus aliquid factum sit. *Excusat valetudinem*. Heus tu jam annus est, quod ne literam quidem a te accepimus. *At tu (scio) excusabis tabellariorum penuriam, occupationes, & hujusmodi mille*, id est, dices penuriam tabellariorum impedimento fuisse. *Joannes quod ad diem non præsto fuit, tempestatem ventosque adversos excusat*, id est, affert in purgationem &c. *l. 5. c. 67.*

E

Ex sententia, id est, ad votum. Quintilianus: *Habesne uxorem ex animi tui sententia? Quis tam faventes habet Divos, ut omnia ex sententia habeat?* *l. 3. c. 70.*

Exhorreo regit semper accusativum; *Exhorreo scelus istud*, *Aures exhorrent tantum nefas*, id est expavescunt. *Abhorrere* regit ablativum, & significat prorsus alienum esse. *Vita mea a moribus tuis abhorret*. *l. 5. c. 101.*

Exitiale, & *exitiabile*, pro eodem accipiuntur, id est, mortiferum. *l. 6. c. 26.*

F

Exemplum & *exemplar*, pene nihil differunt. *Exemplum*, est res quam imitamur in aliquo. *Exemplar*, ex quo sumimus quod imitemur: illud contentum, hoc continens: sed confunditur differentia, si tamen ulla est differentia.

Exauctorare, est militem aut ducem ab officio absolvere. *Exauctorati milites*, qui soluti sunt ab obligatione militandi. Vide in Auctor. *l. 6. c. 62. In Rauden.*

F.

Facile pro non dubie, omnibus superlativis pulcre jungitur. Præterea etiam his nominibus, primus, princeps, secundus. *Facile princeps*, *facile secundus*. *Adeo eruditus est Petrus, ut magistro sit facile secundus*.

Facio, *pendo*, *æstimo*, & similia, venuste junguntur ge- *In Rauden.*

genitivis, magni, parvi, tanti, quanti, pluris, minoris, plurimi, minimi, maximi. Exempla sunt nota. A

Faber, qui e quavis materia facit aliquid, excepto gypso, argilla, cera, & similibus, nam hi plastæ dicuntur aut figuli. Hinc *Faber ferrarius. Faber lignarius.*

l. 4. c. 43. *Factio*, cum cives aliqui contra se æmulantur, ut potiantur imperio, aut magistratu, & ob id quisque suas partes concitat. Unde & *factiosi* dicuntur.

In Raudén. *Fastidio*, *is*, *ire*. regit accusativum, non genitivum; significat spernere cum quodam fastu, & nausea: ut potentes inopes, & divites, pauperes *fastidiunt*: ut, *potens amica*, *amatorem tenuem fastidit*.

l. 4. c. 13. *Facies* ad corpus refertur: *vultus*, ad animum & voluntatem. Dicitur a *volendo*. *Facies* & ad alia transfertur pro specie, *Miseranda rerum facies*. B

l. 3. c. 80. *Facio te certiorem*, non certum. *Factus sum rerum tuarum certior. Facio jacturam*, *damnum*, *naufragium*, id est, passus sum vel patior. *Iter facere*, *proficisci. Facio tibi copiam mearum rerum*, id est, præsto. *Fac mihi tui carminis legendi copiam. Facio lucrum*, id est, acquiro lucrum. *Facio stercus*, id est, caco. *Fecit urinam*, id est, emisit urinam. *Facio stipendium*, id est, mereo stipendio.

l. 4. c. 42. *Feræ*, dicuntur omnia animalia, præter pecudes, leo, ursus, pardus, lupus, vulpes.

l. 4. c. 57. *Femora*, anterior pars feminum.

Femina feminum, *femen feminis*, est posterior pars *feminum*, qua se contingunt. C

Feminalia, *femoralia*, tegumenta feminum. *Coxa* vide loco suo.

l. 4. c. 75. *Fœnus*, est id quod provenit ex cultu terræ. Unde fructus terræ, *fœtus* dicitur. Translatum est autem ad usuram, quasi nummi per se fructum faciant.

l. 4. c. 71. *Fœtus*, avium & piscium est, tamen *fœtificare* & *fœtus*, omni animanti convenit. *Catuli*, sunt ferarum sive immanium sive mitium. Proprie tamen filioli canis, *catuli* vocantur, qui & *catelli*. *Pulli*, pecudum, boum, equorum. *Hinnulus*, est cervorum, capreolorum, caprarum, damarum, leporum & similium.

l. 5. c. 88. *Fœnero*, *as*, *are*, active significat dare ad usuram. *Fœneratur* deponentaliter, qui accipit ad usuram. *Deo fœnerat*, *qui miseretur pauperis. Non fœneraris mihi. Non beneficium impendis*, *sed fœneras. Fœneratus sum a nummulario mille aureos*, id est, ad usuram accepi. D

l. 1. c. 11. *Fœneratitius*, *a*, *um*, fœnore sumptus.

l. 5. c. 109. *Ferre acceptum*, est habere pro recepto ab aliquo, quod debet, etiamsi non solverit. Inde *acceptilatio* quam Justinianus per interrogationem & responsionem fieri vult.

l. 6. c. 58. *Ferrumen*, pro glutino accepit Plinius, quo aliqua adglutinantur.

Ibidem. *Ferruminatio*, conglutinatio; Ut, *muri Babylonii ante calcem repertam*, *bitumine ferruminati leguntur*. E

l. 2. c. 49. *Fere*, pene, ut, *Fere mihi in caput decidit*, id est, parum abfuit, quin in caput meum decidisset, id est pene sive prope, sive paulo minus, aut minimo minus. Capitur quando universitatem aliquam designamus, sive loci, sive temporis. *Hæc fere sunt quæ te scire volui*, id est, fere omnia. *Fere fit*, ut adolescentes amentur, id est, fere ubique fit. Romani fere orbem subegerant, id est, fere totum orbem. Pro eodem accipitur *temere* apud Quintiliani seculum. *Præcox illud ingeniorum genus*, *haud temere ad frugem pervenit. Ita est*, *ut qui magna loquuntur*, *temere non faciant*, id est, fere nunquam faciant magna.

l. 4. c. 87. & 14. *Felix*, cui accidit prosperitas. *Prosper*, qui dat felicitatem. Deus, sidera, fortuna, *prospera* dicuntur, Homines *felices*. *Prospere navigavimus. Vento prospero*, *amne secundo*, sed confunditur sæpe differentia hæc. Et *valetudinem prosperam* dicimus. F

l. 4. c. 92. *Festus*, *a*, *um*, feriatum & celebre ad diem pertinet. Ovidius: *Salve festa dies.*

Virgilius:

Quippe etiam festis quædam exercere diebus, *Fas est.*

Ibidem. *Festivus*, lepidus, & jucundus. Terentius: *O festivum caput. Oratio festiva*, id est, lepida.

l. 4. c. 97. *Ferus*, qui habet animum ferinum. Horatius: *Nemo adeo ferus est*, *ut non mitescere possit.*

Ferox, animosus, elatus. Terentius: *Eo ne ferox es*, *quod habes imperium in belluas?* Ibidem.

Fessus, fatigatus tam animo quam corpore. *Fessus sum deambulando. Defessus*, lassus, ita ut desistat ab instituto opere. l. 4. c. 99.

Fatigari, lassum fieri. *Defatigari*, prorsus deficere. *Literarum studio fatigari quidem licet*, *sed non defatigari.* Ibidem.

Fingere, proprie figuli est, qui vasa format ex luto: sed translatum ad omne opus, quod fit ingenio humano & artificiose. *Fingis te dormire*, id est, simulas. *Finxit se longius ire. Effingere* est ad exemplar aliquid exprimere. *Monendi sunt scholastici*, *ut Ciceronis stylum studeant effingere. Effigies*, signum ad alterius similitudinem factum. *Fictitius*, *a*, *um*, adsimulatus. l. 5. c. 43.

Ficus, tam pro arbore, quam pro fructu duplicis est declinationis, secundæ aut quartæ. Pro arbore semper est generis fœminini. l. 1. c. 4.

Ficulnea, non significat arborem, sed aliquid factum ex tali ligno. *Scyphus ficulneus* adjectivum, non substantivum. Ibidem.

Fides fidei, fida commendatorum executio. *Fides* tertiæ declinationis, est genus citharæ, vel chorda ejus. l. 5. c. 30.

Fidicula, diminutivum, plurali numero, instrumentum torquendi sontes, in quo vinciuntur. l. 1. c. 5.

Fidem dare, est sancte promittere. Virgilius: *Accipe, daque fidem.* l. 5. c. 16.

Dedit illi fidem se ducturum. Fidem habere, est credere. *Ne verbis illius fidem habeas.* Terentius: *Forsan parvam hic mihi fidem habet. Fœminis non est habenda fides. Fidem facere*, est facere ut quis credat. *Hujus nunquam mihi fidem feceris. Fecit mihi pœnitentiæ suæ fidem*, id est, *fecit ut crederem illum culpæ pœnitere.*

Flagitium, proprie peccatum est in libidine, quasi flagris dignum. Sed capitur non solum pro quovis peccato, sed etiam pro errore. l. 4. c. 56.

Flere, fit lacrymis, dicitur *lacrymare* vel *lacrymari. Gemere* fit sonitu præ dolore e pectore erumpente. Transfertur ad bruta & inanimata. l. 5. c. 52.

Plorare, fit voce flebili, & dolorem testante. *Plangere* fit percussu membrorum, regit accusativum. Littora dicuntur *plangere fluctus. Ejulare*, fit voce sublata, quod proprium est fœminis. *Vociferari*, est immani voce, aut dolorem aut indignationem ostendere. *Lamentari*, est voce querula & oratione tristi dolorem testari.

Flagitare, est vehementer exigere, & plus quam postulare. Quintilianus: *Efflagitasti quotidiano convicio*, *ut jam emittere inciperem.* l. 5. c. 58.

Fore, id est futurum esse, jungitur nominibus aut participiis in nomina translatis, & non participiis futuri præcipue temporis. *Spero te amaturum fore* non dicitur, ne ingeminetur futurum. *Fore* pro esse interdum recte usurpatur. *Abfore*, id est absuturum esse. *Defore*, id est defuturum esse. *Profore*, id est, profuturum esse. l. 1. c. 26.

Folium, & herbarum, & arborum, & florum est. *Frondes*, arborum tantum sunt. l. 4. c. 68.

Frugi nomen indeclinabile, significat eum qui temperatus est in victu & vestitu, & habet e regione luxuriosum. In Raudén.

Fregit brachium, id est fractum est illi brachium. *Fregit navem*, id est, passus est navis fracturam. *Fidei tesseram apud me fregisti.* l. 3. c. 75.

Fruges, id est, quicquid ex fructu terræ in alimoniam vertimus, sive de vinea, sive de arboribus, sive de semente natum sit. Unde *arbores frugiferas* dicimus, id est, poma, vel fructum quemlibet ferentes. l. 4. c. 25.

Frutex est lignum, quod non succrescit ad magnitudinem arboris, sed simile est herbis statura, dumus, rubus, aut similia. Fraga qui ferunt, *frutices* sunt. Inde *fruticetum. Fruticari*, pullulare, ut, *Ex arbore excisa*, *fruticantur ramusculi.* l. 4. c. 27.

Fremitus est immanis sonitus, ut æstuantis maris, aut murmurantis populi, aut hominis excandescentis in iram. Ibidem.

Frequens significat passive qui frequentatur. *Locus frequens. Urbs frequens. Frequens* active, significat qui frequentat, id est, qui assiduus est. *Rarus es in schola*, *in lu-* l. 4. c. 28.

sibus frequens, id est, assiduus. Tertio, frequens copiosus. *Frequens populus accurrit. Frequentes cives. Frequens Senatus. Circumstant dextra, lævaque frequentes.*

l.5.c.5. *Frui* est re aliqua delectari, sine respectu ad alia commoda. *Summum mihi tui videndi desiderium incessit, ut possim tuo colloquio frui. Adolescens labora, ut sit quo senex fruaris.* Ita utimur libro non propter se, sed ut discamus. *Fruimur jocis, voluptatibus*, &c. *Sapiens jocis & lusu utitur, stultus fruitur*: ille jocatur, ut non deficiat a labore, hic tantum ut delectetur. *Utor*, vide loco suo. Hanc differentiam D. Augustinus luce clarius exponit libro de Doctrina Christiana, cap. 4. *Frui enim est*, inquit, *amore alicui rei inhærere, propter seipsam. Uti autem, quod in usu venerit, ad id quod amas obtinendum referre, si tamen amandum est.*

Ibidem. *Fretus*, significat confisus. *Tua humanitate fretus. Qua re fretus hæc incepisti? Maximorum virorum auctoritate fretus*, id est, confisus.

l.6.c.44. *Fundus*, est pars agri aliquid continens. Singula enim prata, vineæ, horti, oliveta, pomaria, salices, arbusta, pascua, nemora, loca aucupatoria, piscatoria, venatoria, sive villam atque ædificium, sive piscinan, sive alvearia, sive vivaria habeant, sive non habeant, singuli *fundi* sunt. Si autem tale aliquid sit in urbe, vico, aut castello, non in agro, *prædium* est, non *fundus*: quamquam & *fundus prædium* dicatur. *Fundus* igitur est rustica possessio: *prædium* & rustica & urbana possessio dumtaxat qualem descripsi: nam videtur possessio etiam significare tabernas, hospitia & horrea, quæ non dicuntur prædia, neque fundi. *Fundus* sive *fundum*, ima pars cujusque rei, sed proprie ejus rei, quæ aliquid liquoris continet, navis, vasis, dolii, stagni, alvei, lacus &c. *Sera in fundo parsimonia est.*

l.5.c.5. *Futilis*, id est, vanus, inutilis, a *futio, is, ire.*

Fungor, significat agere vel administrare officium. *Fungor legatione urbis. Fungor officio judicis. Fungor Prætura. Fungor Episcopatu. Fungor vita*, id est, vivo. *Non es probi viri officio functus*: &c. mille. *Defungor*, usque ad finem fungor. *Defunctus vita qui vita fungi desinit. Defunctus sum his laboribus*, id est, finivi hos labores. Titus Livius: *Defuncta morbis corpora, salubria esse cœpere*, id est, finitis morbis.

G.

l.6.c.12. *Gaudere*, est secum animo voluptatem capere, nec respicit alium.

In Raudem. *Gastrimargia*, non castri. significat nimiam ingluviem. Græca vox est.

l.1.c.25. & 27. *Gerundia*, hoc differunt a participiis, quod participia significant tempus sine administratione rei: Gerundia significant administrationem rei, sine tempore: ut, *Tenet me cura scholæ regendæ*, non quæ olim regetur (non enim significat tempus) sed quam regere debeo. Ergo, regendæ, gerundium hic est, non participium. Contra: *Cruciat me lectionis sollicitudo dicendæ*, participium est, id est, quam dicturus sum. Gerundia habent omnes casus & genera: Nominativum; ut, *Jusjurandum dabitur.* Genitivum; ut, *Patris visendi gratia, patriam peto.* Dativum; ut, *Avarus congerendis nummis inhiat.* Accusativum; ut, *Inter edendum tuæ mihi redditæ sunt literæ. Ad irridendos nos venisti.* Ablativum, *Tu litibus provocandis delectaris.*

l.4.c.52. *Gena*, est membrana illa qua oculus integitur & qua connivemus. *Cilium*, dicitur quod habet pilos ad defendendum pulverem, ne cadat in oculum. Capitur etiam *gena* nonnumquam pro mala, nonnumquam pro ipsis oculis, continens pro contento. A *gena* ducitur adjectivum *genuinus*, & est dens qui latet sub gena. *Mala*, est retunditas illa, in modum mali infra oculos, quæ rubet cum pudore afficimur. Cujus interior pars, quæ dentes molares habet *maxilla* dicitur. *Bucca* est illa follis infra malam, qui concipit ventum, & in qua indicatur risus. *Dicis quicquid in buccam venit*, id est, in os. *Buccas habes tuba canentium similes.*

l.6.c.20. *Generatim*, per singula genera: nonnumquam generaliter, in genere.

l.6.c.54. *Gemma*, dicitur omnis lapillus pretiosus, sive perlucidus, sive non. *Gemmæ* autem non dicuntur lapilli, nisi per subintellectionem pretiosi. Nam si grandes essent lapides, pretiosi vocari possent. *Margarita* tamen, non continetur sub gemma, vide loco suo.

Gymnasium, est locus palæstræ, in quo nudi exercebantur. Finitis autem ludis, Philosophi in eodem garrire cœperunt. In Raudem.

Gloriosus, primo gloria plenus: ut *gloriosa victoria.* l.1.c.21. Secundo, cupidus gloriæ. *Grammatici* nostri putant per ablativum significari tempus continuum: ut, *multo tempore te exspecto*, in multo tempore, non per multum tempus. Sed plane falsum est. Nam pro eodem accipiuntur: *Hic stertit totis diebus*, vel *totos dies. Studet totis noctibus*, vel *totas noctes.* Per accusativum tamen tantum significamus spatium temporis, non speciem. *Die dormis, nocte vigilas. Hieme studes, æstate ludis*, id est, illa parte anni. *Totam noctem ludis. Totum diem stertis.*

Gremium, est intra complexus femorum feminumve, in quo fœminæ concipiunt. *Pande gremium. Sinus*, intra brachia pectus supra cingulum. *Pueri lactentes in sinu sunt*, cum gestantur in gremio. l.4.c.37.

Grex, est congregatio pecorum pascentium, sed minorum: qualia sunt, hircus, porcus, porca, capella, capra, sus, & similia horum dicitur grex. Sed tamen videtur *grex* nonnumquam accipi pro armento, præsertim apud Virgilium: l.4.c.42.

> *Aut aliquam in magno sequitur grege.*

Adjungit Horatius mugientium: *Aut in reducta valle mugientium prospectat errantes greges.*

Gratus, acceptus, qui gratiam refert, & est etiam in adversis. *Jucundus* in prosperis. *Jucundus* non qui lætus est, sed qui est alteri causa gaudii, ut inimicus victus jucundus est nobis, sed ille non gaudet. In jucunditate est gratia delectationis. In gratis est etiam commodi delectatio. Exemplum in quo utrumque videas: *In secundis rebus, nihil mihi fuit tua familiaritate jucundius. Nunc item in afflictis, nihil tua consolatione gratius.* Est quidem pueris remissior magister jucundior: sed in posterum gratior erit, qui severior fuerit. l.4.c.89.

Gradum facio, sive ut quidam, *jacio*, est facere gradum, unde ad altiora & majora scandimus: ut si quis cupiat fenestram adscendere per saxum, aut tripodem, gradum jacit, ex quo adscendat. *Cum Grammaticam didiceris, puto te gradum fecisse ad cæteras artes. Nondum me omnia confecisse, sed gradum ad alia jactum existimate.* l.5.c.26.

Gratiam habeo, animo. *Gratias ago*, confessione & dicto. *Refero gratiam*, facto: & capitur tam in bonum quam in malum. *Etsi tuis cumulatissimis in me beneficiis dignas gratias referre non possum, agam certe quoties licebit, habeboque semper dum vivam. Petro meo nomine maximas gratias age. Ei qui invitus benefacit nulla habenda est gratia.* Barbari dicunt, *regratior, regratiamini*: & quid ineptius? Dicendum est, *Habeo* vel *ago tibi gratias.* l.5.c.14.

Grates pro gratia, apud Poetas inveni pro necessitate metri.

Gratulari, est verbo testificari, te de aliena felicitate gaudere, vel gratulari ipsi de re pro voto gesta. Itaque potest gratulari, qui tamen tacitus doleat: Sicut gratias agere potest qui non habet. *Gratulor tibi te incolumem rediisse. Gratulor mihi hoc me esse natum seculo. Gratulor his manibus quæ me solæ hactenus aluerunt.* Additur accusativus: *Gratulor tibi talem patrem*, sive *de tali patre. Gratulamur etiam Diis*, id est, gratias agimus pro felicitate accepta, ut in triumphis aut similibus. *Gratari*, idem est, quod gratulari, sed usitatius apud Historiographos. l.5.c.42.

Gratum facere, est fere obsequi. Cicero: *Si hunc juveris gratissimum mihi feceris.* l.5.c.76.

Gratificari, idem proprie significat, nisi quod hoc paulo majus. *Deus gratificatur hominibus, non gratum facit.* Ibidem.

Gratificari regit dativum cum accusativo, sed accusativus sæpe omittitur. Ibidem.

Gravis, proprie onerosus, *grave saxum.* Transfertur ad alia: *Gravis labor*, contumelia, damnum, jactura, morbus, & similia. Unde & viros constantes, *graves* dicimus, qui non facile moventur. *Leves* enim, qui ad omnem flatum ventilantur. *Accepi a viro gravissimo*, id est, honesto. *Gravitas*, est constantia & probitas. *Levitas*, est nimia facilitas. l.6.c.8.

Gre-

l. 6. c. 20. *Gregatim*, per greges, agminatim, turmatim.

H.

l. 5. c. 97. *Habere orationem*, non *facere*. *Facere sermonem*, vix umquam *habere*. *Facere verba*, non habere. Sed tamen l. 5. c. 97. nonnumquam *habeo* novo modo accipitur. Cicero: *Tantum habeo polliceri*. Idem. *Audire habeo quid hic sentiat*, id est, audiendum, pollicendum est mihi. *Habeo convenire Petrum*, id est, Petrus mihi conveniendus est.

l. 2. c. 11. *Hei*, interjectio dolentis, dativum poscit. Naso: *Hei mihi quod nullis amor est medicabilis herbis*.

Ibidem. *Heu*, accusativum sive nominativum postulat: *Heu me miseram*. Virgilius: *Heu pietas*. *Eheu* sine casu po- l. 2. c. 33. nitur. Virgilius: *Eheu quid volui misero mihi*.

l. 4. c. 31. *Hesternus*, non solum significat diem qui heri fuit, sed quemlibet præteritum. *Hesternum olus*, trium aut quatuor dierum. *Hesternum jus*, quod remansit præteritis diebus.

l. 5. c. 15. *Histrio*, qui personatus in scena Tragœdias vel Comœdias agit. Idem dicitur actor, De *mimo* vide loco suo.

Hiare, aperiri, diduci rimis, ut terra æstu, & ligna ariditate *hiant*.

Hiscere, est os aperire ad loquendum, sed fere per negationem. *Hic quidem satis procax es, verum si soli si-* In Rauden. *mus, ne hiscere quidem audeas*. *Dehiscere*, est terram se aperire deorsum, ad absorbendum aliquid. Virgilius: *Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiscat*.

l. 3. c. 9. *Hippodromus*, est via lata per quam multi possunt una currere, vel potius in quo equi currere solent.

l. 1. c. 6. & l. 3. c. 9. *Holus*, est herba quacumque vescimur. *Holitor, oris*, est cultor horti, quem quidam hortulanum vocant.

l. 4. c. 28. *Hortus*, *ein kraut-garte*, habet tam singularem quam pluralem numerum. *Hortus* quando significat locum arboribus consitum, caret singulari numero.

Hospes, est qui in aliena vel domo, vel civitate est: significat autem tam eum qui excipit, quam qui excipitur. Ovidius: *Non hospes ab hospite tutus*. Sed hospes proprie amicitiæ causa accipit, non mercede. Inde *hospitales* dicimus, faciles ad suscipiendum hospites. *Hospitium* & privatum & publicum dicitur. Idem est *diversorium*, nisi quod meritorium. *Peregrinus*, vide loco suo.

I.

l. 2. c. 48. *Jam* pro tunc, sive deinde: ut *Quum omnem Grammaticam studiose percurreris, jam tibi ad cæteras artes eundum est*. *Quando pueri voluptatem literarum gustare cœperint, jam ferula non opus est*. Conjungit membra orationis. Virgilius:

Jam maris immensi prolem, & genus omne natantum,
Jam varias pelagi volucres.

Consistere in loco nequis, jam Lovanium proficisceris, jam illinc Romam abis, jam rursum huc redis. *Jam vero*, idem valet.

Ibidem. l. 3. c. 96. *Jamjam*, pro mox. *Comprehendit Joannem forte jamjam abiturum*. Secundo per indignationem aut miserationem: *Jamjam video*, qui veri amici fuerunt. *Idquod*, interdum pro quod ponitur, & quidem eleganter. *Video te literarum studiosum, id quod semper amavi*.

In Rauden. *Ignavia*, est vitium contrarium fortitudini, quo quis aggredienda, præ formidine non aggreditur.

In eundem. *Ilex*, multum differt a quercu, est tamen glandifera.

l. 4. c. 11. *Instituta* significant primo cœpta, & proposita. *Non est prudentis facile ab instituto deflecti*. *Ad instituta redeamus*, ad ea quæ cœperamus. Secundo mores bonos, ratione & consilio sumptos: *Optimum est nos jam inde ab infantia optimis institutis formari*, id est, optimis vitæ moribus.

Ibidem. *Institutiones*, sunt rudimenta doctrinæ. Unde sunt *libri institutionum*, id est, præceptorum ab ipsis elementis.

l. 4. c. 18. *Indulgere* est molliter delicateque tribuere, & sonat vitium, ut *Fœmina solent plerumque indulgentius educare liberos*. *Indulgendum est pueritia*, id est, concedendum. *Videte ne mea indulgentia abutamini*.

Ibidem. *Indulgentia*, mollis permissio. *Pueri magistros qui indulgentissimi sunt, amant maxime*. *Indulgere*, est dare operam, fere in malum. *Indulgere otio* a negotiis vacare. *Indulgere somno*, suaviter dormire. *Indulgere inertia*, dedere se inertiæ. *Indulgere vino, gula*, delicate intendere potationibus & voracitati. *Indulgere voluptati*, sectari voluptatem. *Indulgere lusibus*, nugis, ludo, frivolis intentum esse. Barbari tamen utuntur *indulgere* pro *ignoscere*, sed rectissime ignoscimus culpam jam factam. *Indulgemus* vel concedimus ut culpa admittatur.

Indoles, est quædam generositas animi, indicans vel l. 4. c. 46. futuram, vel præsentem virtutem. *Adolescentibus bona indole praditis senes delectantur*. Dicitur *mala indoles*, malæ naturæ.

Incola, est qui peregrinus habitat in aliena terra seu l. 4. c. 98. urbe. Et sic opponitur civis & incola.

Inquilinus qui habitat in domo conductitia, & quam- l. 4. c. 54. vis sit civis, tamen quia in alieno privato, sive prædio, sive domo habitat, inquilinus est. Atque idcirco dominus ædium, & inquilinus, contraria sunt. *Accola*, vide loco suo.

Instruere non significat, ut imperiti volunt, docere, l. 5. c. 2. sed apparare; *Instrue mensam*, *Instrue exercitum*, *Instrue classem*, id est para his necessaria. Sic & *patronum instruimus ad agendam causam*.

Invenire, comperire sive fortuito, sive consilio. *Re-* l. 5. c. 2. *perire* vide loco suo.

Invidiosus passive, significat cui alii invident. *Pra-* l. 1. c. 21. *stat invidiosum esse quam miserabilem*. *Invidia* est dolor de aliena felicitate.

Interim pro aliquando posuit Quintilianus. l. 2. c. 49.

Infra, refertur ad dignitatem, & ad locum. *Infra te* l. 2. c. 38. *est*. *Infra terram*. *Intra* refertur ad numerum & spatium. *Intra viginti dies*, non infra. *Intra muros*. Horatius:

Iliacos intra muros pugnatur & extra.

Intra, relativum habet *Extra*: *Infra*, *Supra*.

Invicem, per vices. *Invicem loquamur*, id est, me lo- l. 2. c. 59. & 3. c. 54. quente, vos tacete: vobis loquentibus, ego tacebo. Secundo *invicem*, id est, mutuo. *Invicem mordentes*, *Invicem loquentes*, vel *invidentes*. Tertio *invicem*, id est, vicissim, id est, e contrario, vel, ex adverso. *Reddidi tibi tuum codicem, nunc tu meum invicem restitue*. *Habes meas literas, fac invicem ut tuas videam*.

In æs incisa sunt literæ, leges, semper invenitur non l. 3. c. 18. *in are*. Cætera omnia in ablativo, ut *in auro*, *in lapide*, *in gemma*.

Interdico tibi aqua & igni, non aliter dici potest in l. 3. c. 39. activo. In passivo dici potest, *tibi interdictum est aqua & igni*. *Aqua & igni interdictus est*.

Incumbere dicimur, cum intente aliquid agimus. l. 3. c. 44. Transfertur ad animum: ut, *Incumbe literarum studiis*, vel *in literarum studia*, vel *ad literarum studia*. Capitur & in malam partem. *Incumbit in meam perniciem*.

Incessit mihi cupiditas visendi patris, id est, subiit cupi- l. 3. c. 45. ditas. *Incessit me Petrus*, id est offensurus me petit & accusat.

In diem, *in horam*, cum hoc verbo *vivit* junguntur, l. 3. c. 68. & significant sine providentia, vel sine sollicitudine crastini, id est, futuri. *Fera in diem vivunt, formica non in diem vivunt*, quia æstate, hieme duraturos reponunt victus. *In dies*, *in horas*, id est, subinde, sed cum quodam incremento. *Hoc inter voluptatem turpem & honestam interest, quod illa in dies amarescit, hac in horas fit suavior*.

In primis, id est, inter primos. *Amo hunc utpote homi-* l. 3. c. 71. *nem in primis literatum*, id est, inter primos.

Intercedere, id est, medium esse, vel medium venire. l. 3. c. 71. *Summa mihi cum patre tuo familiaritas intercedit*, id est, media est inter me & patrem familiaritas. *Intercedit mihi tecum affinitas*. *Secundo intercessit tribunus*, id est, medium se posuit & impedivit. *Jam matri persuaseram, nisi pater intercessisset*.

In mentem mihi venit hujus rei, vel *hac res*. Occurrit l. 3. c. 82. mihi parentis consilium. Succurrit mihi fratris abeuntis admonitio. Subiit mihi, idem significant, nisi quod subiit miserationem quamdam habet præter cætera. Ovidius:

Cum subit illius tristissima noctis imago.

Infensus, id est, valde iratus. *Omnes amicos tua causa* l. 4. c. 111. *infensos habeo*, id est, offendi omnes. *Infestus*, id est, molestus. *Quid me infestas?* id est, cur molestia afficis. Ovidius:

Infestumque mihi sit satis esse Jovem. Offensus illi dixit Suetonius pro iratus.

l. 5. c. 23. *Invertere*, in diversum vertere. *Solent viatores orta pluvia, inversa toga ambulare. Invertere verba*, in contrarium vertere, ut pro lavo vola. *Intervertere*, est rem commodatam, aut depositam, aut creditam, dolo ne domino restituatur, efficere.

l. 5. c. 34. *In manu vestra, In manibus vestris*, id est, in potestate vestra. *In manibus nostris victoria est. Vita tua in manu mea est. In manibus est. Duos libros absolvi, tertius in manibus est.* Seneca: *Ingens negocium in manibus est*, id est, agitur.

l. 5. c. 35. *Insignis* nonnumquam in malam partem accipitur. *Insigne scelus*, id est, immane. *Insignis stultitia. Insignis latro. Insignis audacia* &c.

l. 5. c. 44. *Ingredi*, Primo intrare. *Ingressus mare. Ingressus scholam.* Secundo est ambulare, non ad locum sed in loco. *Hic prius mentiri novit quam ingredi. Pueri ubi primum ingredi cœperint, maxime nutricis custodia egent.*

l. 5. c. 45. *Investigo*, pervestigo, significat vestigando invenire. *Nihil tam difficile quin quærendo investigari possit*, id est, inveniri. *Vestigare* est quærere, etiam si non invenias.

Inire gratiam, est assequi favorem. *Inire* non jungitur fere nisi rebus aliquid momenti habentibus, gravibus & non minutis. *Ineo rationem, Ineo fœdus: Ineo pacem. Ineo societatem, bellum, pugnam, viam* &c. Nam *ineo prandium, cœnam, dormitationem*, non ita rite dicuntur. *Ineunte ætate, vere, hieme, pueritia* &c. recte dicuntur: sed non, *ineunte die, nocte, hora* &c.

l. 5. c. 56. *Ingurgitare*, est obruere, sed proprie cibo, aut potu intemperante. Cicero: *Cum se cibo ingurgitasset.* Non usurpatur nisi reciproce. Non enim dicitur: *Petrus ingurgitavit Joannem vino.*

l. 5. c. 59. *Inelaboratus, a, um*, quod artificio non satis exultum est, & vitio datur. *Elaborata oratio*, id est, exacta & pulcra. *Illaboratus*, quod sine labore factum videtur: ut, *Ciceronis sermo cum nihil sit cultius, fluit tamen illaboratus.*

l. 3. c. 61. *Interrogamus* noscendi causa: *Percontamur* arguendi gratia: *Sciscitamur* sciendi causa.

l. 5. c. 28. *Indicere*, est denunciare. *Indicere bellum. Indicere spectaculum*, id est denunciare finitimis futurum spectaculum. *Indixi bellum voluptatibus.*

l. 5. c. 69. *Intercludere*, est impedire progressum. *Excludere* est prohibere ingressum, aut ejicere. *Intercludo*, id est, iter impedio. Virgilius:

Interclusit hiems, & terruit Auster euntes.

Pro eodem dicitur *intersepio*, intersepsi, interseptum.

l. 5. c. 70. *Incedere*, est ingredi, sed proprie cum quadam pompa & fastu. Seneca: *Tenero ac molli passu suspendimus gradum, nec ambulamus, sed incedimus.* Inde *incessus*.

l. 6. c. 9. *Inficias ire, inficiari*, pro eodem accipiuntur, & significant negare dicto, non facto. *Inficiator* est qui negat crimen objectum, aut negat se pecuniam debere quæ petitur; unde status conjecturalis dicitur *inficialis*, in quo reus semper inficias it crimen objectum. *Negamus* etiam facto.

l. 6. c. 10. *Incisim*, id est, minutatim. *Incisio membrorum*, circuitus, ambitus, sive comprehensio, sive circumscriptio, sive continuatio, quæ Græce dicuntur *cola, commata, periodi. Incisum*, est sensus non expleto numero conclusus, plerumque pars membri, ut, *domus tibi deerat? at habebas: pecunia superabat? at egebas.* Fiunt autem ex singulis verbis incisa. *Membrum* est sensus membris conclusus, sed toto corpore abruptus, per se nihil efficiens.

l. 6. c. 17. *Innocuus* aut *innoxius*, id est innocens, qui non novit nocere, aut non nocuit. Servius dicit *innocuum tantum esse, cui non nocetur*: sed errat. *Nocens* est qui ab honesto recedit, etiamsi non noceat.

l. 6. c. 18. *Instar*, non significat ad similitudinem, sed ad mensuram & æquiparationem. Regit autem genitivum, nec habet, *ad*, ante se, ut quidam barbari somniant. Invenitur tamen pro nomine substantivo, pro similitudine. *Ignis instar*, fulguris instar, clypeus instar solis. *Bucca instar mamma*, id est, tanta quanta est mamma.

In Rauden. [1] *Infronitus*, non dicitur sine freno, sed sine prudentia & sensu. Φρονῶν enim Græce, *prudens* dicitur. Eccl. 23. *Animo irreverenti, & infronito ne tradas me. Infrenis* sive effrenatus, pro intemperanti invenitur.

[1] Legendum *infrunitus*; de quo vide *Vossium* in Etymologico, ad verbum *fruor*.

Insula primo est quæ mari cingitur. Secundo domus quæcumque, quæ via cingitur, nec est aliis ædificiis contigua. Ita & *peninsula*. Ibidem.

Imputare est in rationem vocare, sive acceptum ferre, & capitur nonnumquam in bonum. *Deputare* est putare. l. 5. c. 95.

Imperiosus, qui ostentat imperium, ut tyranni. l. 6. c. 44.

Impono cum dativo & accusativo, significat supra pono. *Ne imponas mihi tantum oneris, quia non feram.* l. 1. c. 21. *Imponere* cum dativo tantum, aut sine casu, significat decipere. *Quid negotii est deliro seni imponere?* id est decipere. Et in Genes. 31. Jacob ad Laban: *Quare imposuisti mihi? Facile est barbato imponere regi. Impostores* per syncopen qui pollicitationibus ingentibus, & arte alios fallunt.

Impertio, is, ire, significat communicare & impendere. Et dicitur: *hanc rem tibi impertio*, & *hac re te impertio. Generosi animi est, ea quæ didicit, aliis candide impertire. Hoc interest inter divitias & literas, illæ si impertiantur amico, decrescunt: hæ impertiendo augentur.* Dicitur, ut quidam volunt, *impertior* deponentaliter, sed elegantius & tutius active *impertio*, passive *impertior*. l. 5. c. 23. *Partior* fere deponentaliter dicitur, & significat quæque in suas partes distribuere. *Causam partiri in digitos*, est distinguere.

Imbrex est tegula curva, per quam aqua effluit. l. 4. c. 16.

Jocus joci, vel *joca jocorum*, fit verbis proprie, nonnumquam lusus dicitur. *Jocari*, non serio loqui est, & habet contrarium serium. *Serio dicis, an joco? Sane serio. Tu serio dictum accipis, at ego jocabar.*

Iste, ille, & *hic*, hoc modo differunt. *Hic adolescens*, id est, qui apud me est: *iste*, qui apud te est: *ille*, qui apud neutrum nostrum est, sed ab utroque remotus. Eamdem naturam habent adverbia nata ab his pronominibus. Ab hic: *huc, hinc, hac, horsum*. Ab iste: *istic, istuc, istac, istorsum, isto*. Ab ille: *illic, illuc, illinc, illac, illorsum, illo*. Ut si scribas ad quempiam habitantem Daventriæ, & tu sis Gaudæ: *Jampridem istuc* (Daventriam) *profectus essem, nisi me hic* (Gaudæ) *occupationes meæ detinuissent. Sed tu matura istinc* (a Daventria) *te movere, atque huc* (Gaudam) *advolare, ut possimus una illò* (Lovanium) *quo decrevimus, ire.* l. 2. c. 4.

Is & *hic*, pene idem significant, & maxime utimur eis, si præcedat aut sequatur relativum, ut, *Qui suo contentus est, is sane dives est*, non dicendum, ille dives est, nisi forte a Poetis vel a sacris Doctoribus. *Et hoc*, vel *& id*, vehementiam significant: ut, *Omnes liberales artes assecutus est, & id in pueritia*, vel, *& hoc*. In masculino aut fœminino genere videtur potius utendum *ea* vel *is*, quam *hic & hæc*, ut, *Unica mihi vestis est, & ea detrita & sordida*, potius quam, *& hæc*. l. 2. c. 5.

Is, & *idem* hoc differunt. *Is* potest poni cum conjunctione copulativa, *idem* non potest: ut, *Quemcunque ad locum secesseris, ad eum te sequar*, non *ad eumdem*: eo quod idem, habet in se vim copulativam. Tamen hoc Laurentius non audet affirmare. Ibidem.

Item, id est similiter. *Nulla tibi a me orietur injuria, nec item ego abs te feram. Itidem*, id est, per omnia similiter. *Liberi, a perditis parentibus perdite educati, itidem & ipsi perdite vivant necesse est.* l. 2. c. 50.

Ita, invenitur pro valde. Quintilianus: *Nec res est ita magni laboris, aut temporis.*

Iter facere, iter habere, iter facturum esse. *Viam facere* est ubi non erat transitus, *viam aperire. Viam munire*, est reparare ac substruere, interdum lapidibus. *Munire alveum*, reparare. *Munire ripam*, fulcire & reficere, ut fit in terra Hollandia sæpe propter impetus aquarum. l. 5. c. 71.

Jugulus anterior pars colli. *Ferire jugulum, petere jugulum*, est inferre mortem. *Jugulus* in masculino dicitur. Juvenalis: *Tenui jugulos aperire susurro.* l. 3. c. 36. & In Rauden.

Juventas est ætas juvenilis, seu Dea juventutis. *Juventus*, vel ætas, vel frequentia juvenum. Læta juventus. Romana juventus, universa in bellum pergere jussa est. l. 4. c. 40.

Ju-

l. 4. c. 43. *Jugum* est ipsa arduitas montis, & proclivis ac prona supinitas.

l. 4. c. 48. *Jus* generalius est quam lex. Est enim *Jus gentium* & *Jus civile*; sunt leges, plebiscita, senatusconsulta, decreta principum, responsa prudentium. *Naturale* dividitur in religionem, pietatem, gratiam, vindicationem, observantiam, & veritatem.

l. 1. c. 7. *Jussus, us, ui*, in singulari numero: *Jussa jussorum:* heteroclitum est. *Quid confers in me culpam? jussu tuo est actum. Jussis tuis libens parebo*, id est obediam, non jussibus dicendum. *Injussu meo factum est.*

Ibidem. *Jugerum* heteroclitum est, in singulari neutri generis secundæ declinationis, in plurali tertiæ declinationis. Est autem spatium terræ ducentorum decem pedum in longitudinem, dimidii in latitudinem.

l. 7. c. 98. *Jucundus*, vide in Gratus.

l. 5. c. 6. *Justitium*, est quando clauso foro jus non dicitur.

l. 5. c. 60. *Jubere* significat præcipere. *Jussit magister ut abeas aliquo. Jussit ad se rediro.* Secundo monere. *Jube Petrum bono animo esse. Jube fratrem salvere. Jussit me pater bene sperare*, id est, hortatus est ut bene sperem.

Juba, est id quod galeæ imponitur instar jubarum, aut leonis, aut draconis, aut equi.

L.

l. 5. c. 9. *Labo, as, are* prima brevi, significat repente cadere. Inde *labascere*, & *labefactare*, & *labefacere*. Terentius: *Omnes dentes labefecit mihi.*

Labor, laberis priore longa, significat non repente, sed sensim descendere. Aves *labuntur*, pisces in aqua, anguis, murena, & quicquid motu lubrico est, *labitur*.

Labi a labor, eris. *Laborare* a nomine labor. *Lamentari*, vide in Flere.

l. 5. c. 14. *Lacesso, is, ere*, est provocare, & capitur usitatius in malum, elegantius in bonum. *Lacessere bellum* dicitur, qui provocat ad bellum. *Sapiens nemini nocet, nisi lacessitus injuria. Provoco*, vide loco suo.

l. 4. c. 9. *Laxus*, flexibile, molle. *Laxi funes, laxi nervi, laxa chordæ, laxi loculi. Laxare* est remittere.

Ibidem. *Lassus*, tam ad animum, quam ad corpus refertur. *Lassus sum te audiendo. Lassare*, fatigare. Non potest avarum pecuniarum ratio *lassare* umquam.

Latibula, ferarum sunt. *Latebræ* hominum sunt proprie, tamen confunditur sæpe differentia hæc. Vide ne quæratur *latebra culpæ*, id est, excusatio culpæ. *Veritas non amat latebras.* Quod barbari dicunt, veritas non quærit angulos.

l. 4. c. 34. *Lamina*, est tabula æris, sed densior quam ut crepitet, ut ex stanno, ære, plumbo. Bractea idem, sed tam tenuis ut crepitet: aut certe tam tenuis, ut crepitare non possit, ut qua nos inauramus libros.

In Raudem. *Lascivus*, est sermone & vita molliculus.

l. 6. c. 12. & in Raud. *Lætus*, quod adspectu lætitiam promit. *Gaudens*, in animo est: unde vultus lætos dicimus, non gaudentes. Transfertur autem ad inanima & bruta: *læta segetes, oves, boves, vites, arbores*, &c. pulcræ & valentes.

l. 4. c. 48. *Leges* sunt Regum institutiones, aut liberi populi scita: unde & rogationes vocantur, eo quod de lege ferenda populus rogari, id est, interrogari soleat. *Jus* vide loco suo.

l. 5. c. 81. *Levare*, primo in altum tollere, notum est. Secundo est molestiam minuere. *Tu calamitatem meam tuo auxilio magna ex parte levasti. Levamur morbo. Fac sæpe scribendo meum tui desiderium leves. Sublevare* est auxilium præstare. *Omnes te gravant, ego te paululum sublevabo.*

In Raudem. *Liburnæ*, sunt naves longæ, non ad impetus faciendos factæ, sed magis ad lacessendum & fugiendum, etiam celeriores cæteris. Horatius: *Ibis Liburnis inter alta navium amice propugnacula.*

Linter est navicula ex una arbore cavata.

In eundem. *Limus, a, um*, qui adspicit oculis semiclusis, unde prohibet Quintilianus: *Oratores oculos habere limos.*

Libripens est qui libram tenet, cum quis servus manumittitur.

In eundem. *Litare* est sacrificiis Deos propitios impetrare, hoc est cum aves addicunt aut exta bene promittunt: ut frequentius legimus, duces cum sacrificassent, litare nequivisse.

A

Lictor est minister Consulis, Proconsulis, Præsidis, Prætoris, qui fascem virgarum alligatum securi præferebat. l. 1. c. 6.

Licet idem est quod quamvis. Vide de hac conjunctione in *Etsi*. l. 2. c. 28.

Litera in singulari significat elementum: ut a, b, c. In plurali epistolam tantum, atque in hoc differunt: Dicimus *unam epistolam*, non unam literam, sed *unas literas*. Item *duas epistolas* dicimus, non duas literas, sed *binas literas:* & ut breviter dicam, literæ exigit numerum distributivum; Epistola cardinalem. Cum autem fit oratio, literas efferimus per numerum pluralem hoc modo: *Accepi binas abs te literas, quarum alteris jam respondeo, alteras nondum perlegi.* Per Epistolam sic: *Accepi duas epistolas, quarum alteri pridem respondi, alteri nunc respondeo.* l. 3. c. 6.

B

Liberi pro filio singularem omnino non agnoscit, non tamen dicitur, terni mihi sunt, sed *tres liberi*, non unos, sed *unum in alienam familiam dedi*, non alteros, sed *alterum Lovanium demandavi*, non tertios, sed *tertium mihi teneo*. Propterea quod subintelligatur hic in iteratione *filium*, quod in literis non fit. *Liberum* tamen pro filio, Quintilianus, Paulus & Cajus posuerunt. Et liberorum nomine continentur & filiæ. l. 3. c. 8. Liber pro filio.

Libertus & *libertinus* differunt. *Libertinus* habet correlativum *Ingenuum*, *Libertus Patronum. Cujus libertus? Cæsaris, meus*, non, *cujus libertinus? Libertinus* conditionem significat, *libertus* etiam respectum privatum. Item *libertus, liberta* substantivum est, libertinus adjectivum, sicut & ingenuus. *Libertabus* dicitur, libertinabus non dicitur, sed *libertinis*. Præterea potest desinere esse *libertus*, scilicet mortuo patrono, *libertinus* esse desinere non potest. *Libertinus* qui justa servitute manumissus est. *Ingenuus*, qui ex liberis parentibus natus, nunquam fuit servus. l. 5. c. 1.

C

Licentia in verbis, semper in malam partem capitur; scilicet, pro temeritate loquendi quæ velit. In factis pene semper in malum accipitur, nonnumquam in bonum. Est autem licentia impunita facultas loquendi, vel agendi quæcumque placent. Terentius: *Deteriores omnes sumus licentia. Data est mihi facultas abeundi* vel *potestas*, rectius dicitur quam licentia. l. 4. c. 17.

D

Libertas accipitur in bonam partem, quæ servituti contraria est. *Dic libere si quid te movet.* Quintilianus: *Quæ in aliis libertas est, in aliis licentia vocatur.* Ibidem.

Liceri, seu *licitari*, est offerre pretium, ut fit in venditione publica supellectilis, id est in auctione. *Nihil emere cupit, qui rem minoris dimidio pretio licetur. Polliceri*, est sponte & ultro aliquid *promittere*, parum dissidet a liceri. *Licetur* res quæ venditur. l. 5. c. 28.

Lotium prima brevi, significat urinam. l. 1. c. 2.

Loco fratris te habeo, id est, tamquam fratrem. *Voluptatis loco mihi est literarius labor*, id est, voluptuosus. *Sororis loco te amo.* l. 3. c. 88.

E

Luscus, qui orbus altero est oculo. *Unoculus* non significat strabum. In Raudem.

Ludicrum substantivum, est quodcumque opus joculare. *Ludicer* secundæ declinationis, jocosus vel ridiculus. *Ludicra verba*, ridicula. l. 2. c. 3.

Ludus, primo est res non seria, quod fit interdum spe lucri: ut *ludus dimicantium hasta*. Secundo schola, *Ludus literarius. Ludus Grammaticorum. Ludus Rhetorum. Ludus gladiatorius. Ludimagister*, qui ludo præest. *Lusus* est voluptatis gratia tantum, non lucri. *Lusus pilæ, lusus trochi*, nonnumquam conceduntur pueris, non *ludi*.

F

Ludere fit verbis, jocari fit factis. Sed sæpe contrarium invenitur. *Eludere* est joco evadere. *Alludere* est aliud verbis dicere, aliud significare, ut Adolescens qui senibus in cœmeterio detinere joci gratia nitentibus, ait, *Iniquum esse certamen, illos enim ante domos suas ardentiores*, allusit ad sepulcra, quæ senum domus sunt. l. 4. c. 16.

Lucus, vide in sylva. *Luctus*, non tam dolorem significat, quam ostentationem doloris, qui veste, habitu, vultuque proditur. *Lugere*, valde flere. l. 4. c. 60.

Lugubres vestes, pullæ. *Fœminæ sæpe lugent viros mortuos, cum tamen secum oppido gaudeant.*

Lues, generalius est quam *pestis* aut *pestilentia*: est enim l. 4. c. 27.

lues aliquod genus morbi, quod sive homines, sive sata corrumpit. *Pestis* autem cito abit, quam nos *pestilentiam* vocamus. Transfertur tamen & ad animum, & ad pecudes, & arbores.

Luce, pro die dicimus. *Prima luce*, id est, diluculo, non prima die. *Ante lucem*, non ante diem. *Luci fundendum est libris volvendis, nox somno danda est*: ut, *vesperi* pro *vespere*, & *ruri* pro *rure*. l. 4. c. 30.

l. 4. c. 10. *Lubricus* locus, in quo nequeas consistere. *Anguilla*, *glacies*, *lubrica* dicuntur. Et oculi dicuntur *lubrici*, eo quod semper volvantur. *Adolescentia lubrica*, eo quod facile in ea labimur. D. Hieronymus; *Lubrica atati omnia etiam tuta timenda sunt.*

M.

l. 4. c. 107. *Maturus*, primo Germanice *Zeitig*. *Puella matura connubio. Non es maturus audienda Philosophia.* Secundo perfectus. *Maturus moribus, maturus atate*, id est, perfectus. *Prematurus*, nondum maturus. *Poma qua prematura decerpuntur, minus sapida sunt: & noxia magis. Pramatura atas*, id est, immatura. *Pramatura postulatio. Pracox pracoquus*, & *praepropera*, suo loco dicta sunt.

Ibidem. *Maturare*, id est perficere vel festinare. Virgilius: *Maturate fugam. Gaudeo te cœpisse, sed ut quantum potes, matures, te etiam atque etiam oro. Cur non maturius venisti? maturescere maturum fieri. Si maturescant mala.*

l. 4. c. 52. & 3. c. 87. *Male* pro valde invenitur. *Qui male agit male mulctabitur. Male mihi timeo*, id est valde mihi timeo. Similiter *pejus* & *pessime*. *Nullum hominum genus pejus odi, quam assentatorum. Male precor tibi, male imprecor tibi, male opto tibi, male cupio tibi. Nemini male impreceris qui tibi bene optat. Male dico, Male audio. Qui maledicit, male audiet.*

l. 4. c. 95. *Marinus, a, um*, quod incolit mare, vel quod est in mari. *Maritimus, a, um*, quod ad mare habitat, vel fit vel est. Navis, piscis, rudens, periculum, sonus *marina* dicuntur, non maritima. *Ora maritima, urbes maritima, bellum maritimum. Transmarinum*, quod trans mare est. *Transmaritimum*, quod trans maritima loca est.

l. 5. c. 61. *Mandare*, est alicui aliquid agendum, vel perferendum committere. Virgilius:

Multa patri mandata dabat.

Terentius:

Huic mandes, si quid recte curatum velis.

Manere significat futurum esse, & regit accusativum. *Sontes aterna manent supplicia, pios aterna pramia. Inertes summa manet ignominia. Studiosos immortalis gloria manet.* Apud Poetas invenitur exspectare. Terentius: *Quem hic manes?*

l. 6. c. 20. *Manipulatim*, id est, per manipulos.

l. 6. c. 55. *Majores* sunt quicumque ante nos fuerunt, atque id in nostra civitate, ut, Pater, avus, proavus, atavus, tritavus, & cæteri antiquiores, *majores* dicuntur. *Posteri* vide loco suo.

l. 4. c. 110. *Mango, mangonis*, est homo vendens pueros suos, & cæteros venales homines.

l. 6. c. 59. *Margarita*, sive *margaritum conchylium*, eo quod in conchis nascitur. *Unio* masculini generis, idem est quod margarita.

l. 6. c. 64. *Mentastrum*, est menta sylvestris.

l. 2. c. 1. *Meus, tuus, suus*, semper possessive aut active accipiuntur, ut, *Meus in te amor facit ut nihil mihi sit tua consuetudine gratius*, id est, amor quo te amo, non quo amor. *Meus codex*, non mei.

Mei, tui, sui, nostri, vestri, semper passive accipiuntur, ut, *Tui desiderio tabesco. Non potuit mei amor id abs te impetrare*, id est, amor quo amor abs te, non quo amo te. *Desiderium tui*, quo a me desideraris. Quod si possessivis, meus, tuus, suus jungendum sit aliud nomen vel participium, id semper in genitivo ponendum est; ut, *tua res non secus mihi cordi est, quam mea ipsius mihi, aut tua ipsius tibi*, non mei ipsius, aut tui ipsius. *Tua solius effecit industria, ut ab his malis emerserim.* At possunt ne in hunc modum poni quælibet partes orationis? Sola participia, aut gerundia participialia, & hæc tria, *unius, solius, ipsius*: Sub quibus comprehenduntur, *duorum, trium, quatuor, cujusque, omnium* & *plurium*. *Vellem nosse, qua sua sit cujusque sententia*, non sui cujusque; *Vestra omnium voluntati parere non possum.* Dicendum est, (Ibidem.)

imago mei an *mea*? Si dicis imaginem quam tu emisti aut possides, dices, *mea imago*. Si imaginem vocas quæ secundum te picta seu sculpta est, dices *imago mei*. Est vox ambigua, sicut multa alia timor, amor, desiderium, memoria & cætera.

Da mihi orationem, in qua actio & passio horum pronominum, & dictorum nominum, possit simul intelligi: ut, *Tui meum desiderium tua litera magna ex parte levarunt*, id est, *tui meum desiderium*, quo tu a me desideraris: ut, *tui meam memoriam nulla delebit oblivio*, id est, meam de te memoriam.

Meme, tete geminata, vehementiam significant. *Sese* idem valet quod se. l. 2. c. 2.

Meo nomine, id est, mea causa. *Tuo nomine. Suo nomine. Quo nomine*, qua causa. *Hoc solo nomine.* Idem est, ex parte mea. *Amicos tuos, meo saluta nomine.* l. 2. c. 40.

Memini regit tum genitivum, tum accusativum. *Meministine* ejus rei, quam dixi tibi nuper? *Senes multa ex tempore meminisse possunt. Fac nostri memineris.* Secundo *mentionem facere*, tantum habet genitivum. *Hujus rei nunquam meminit Virgilius*, id est, de hac re. l. 3. c. 38.

Memoria, in memoria, memoriter. *Complector, repeto, teneo memoria*, vel *memoriter*. Pronuncio, disco, narro memoriter. Pronunciandum est hodie memoriter quod heri prælegit magister. Dic memoriter, complica librum. l. 3. c. 95.

Messis, est tum ipsa messio, tum seges matura meti. l. 4. c. 24.

Meritorius, a, um, quod quæstum corpore suo facit. *Meritoria taberna*, ubi mercede quid agitur. *Meritorium diversorium*, quod intrare cuique licet. *Meritorius puer*, est puer qui prostat precio. *Meretrix puella*, quæ præmio prostat. *Meritorium corpus* tam meretricis, quam meritorii scorti masculini. l. 4. c. 110.

Merere est stipendium facere. *Sub nostro duce decem annis meruit.*

Mereri de aliquo, est aut bene aut male alicui facere. *Bene mereri de aliquo*, est benefacere. *Male mereri*, est injuriam facere. *Nihil de me, neque bene, neque male meritus est. Demereri*, est bene mereri, sed regit accusativum, *Etsi plurima de me bene meritus es, tamen hoc uno beneficio me tibi perpetuo demereberis.* At nostri barbari *demerita*, vocant mala merita. *Emereri*, est mereri. *Emeriti*, qui perfuncti sunt officio. *Emeritus miles, Emeritus bos. Emeritus senex.*

Meo jure, mea auctoritate, vel merito. Terentius: *Non necesse habeo omnia pro meo jure agere.* l. 6. c. 3.

Membratim, per singula membra. l. 6. c. 10. & 20.

Membrana, est charta Pergamena, e pellibus animantium.

Migrare est ad habitandum ire. *Anima cum morimur, migrat e domo corporis, ad campos Elysios. Emigrare* & *demigrare* idem significant fere. *Remigrare*, in pristinam domum redire. *Commigrare*, est viciniæ adjungi. *Immigrare*, est domum habitandi gratia ire. l. 5. c. 15.

Mille, cum substantivatur, est singularis numeri, & regit genitivum. *Mille nummûm mihi debet, Mille hominum*, & *bis mille, ter mille hominum*, vel *nummorum*. Mille interdum est adjectivum, *mille homines. Mille modis lethi miseros mors una fatigat.* Est autem indeclinabile. *Millia* pluralis numeri est, & substantivum: non recte dicitur, *Millia homines, millia* pecudes: sed *millia hominum, pecudum* &c. *Millia passuum*, non passus. Neque dicitur *bis millia, ter millia*: sed *tria millia, quatuor* &c. l. 3. c. 4.

Mihi, & *tibi*, & *nobis*, interdum ponuntur festivitatis gratia: *Hic helluo dormit mihi dies totos, nocte cum noctuis volat. Hunc sibi suo jugulo gladio. En tibi tuus patronus.* l. 3. c. 52.

Mimus, qui vel extra vel intra scenam obscœnas gesticulationes facit. Mimi vocantur tam homines, quam poemata obscœnos amores cantantia. *Ista scurrilitas nec mimum decet, nedum scholasticum.* l. 4. c. 31.

Mysterium est res arcana, sacris tantum viris cognita. l. 4. c. 30.

Ministerium est opera ministrantis, sed capitur pro quocumque opere. *Ministeria* in plurali capitur etiam interdum pro ipsis ministris, sicut *servitia* pro servis, & *officia* pro officium exhibentibus.

Me-

l.1.c.21. *Morosus* prima longa, a mos moris, cui difficile satis sit. Cicero: *At sunt morosi, & anxii, & iracundi, & difficiles senes.*

Moratus bene, qui bonis moribus præditus est, pro quo barbari *morosus* dicunt. Et *male moratus*, qui malis est moribus.

l.4.c.104. *Morigerus*, obtemperans. *Cupio tibi omnibus in rebus morem gerere. Decet uxores viris morigeras esse.*

Mollis homo, significat hominem inconstantem & lascivum: nam qui molli cute sunt, ii plerumque & molli sunt animo, ut pueri & fœminæ. *Molle* etiam laudem sonat: nam quo materia fuerit mollior, hoc opus aptius dicitur. Quintilianus: *Illius opera duriora, illius molliora*, de signis loquitur. Signa quid sint, vide loco suo.

l.4.c.105. *Morari* pro exspectare apud Poetas invenitur, sed proprie significat detinere. *Ne me moreris diutius, festinato opus est. Quæ te causa tam diu morata est?*

l.1.c.16. & 18. *Multo, longe, facile*, pro non dubie, pulcerrime superlativis junguntur; ut, *Oratorum longe facundissimus Cicero. Scholasticorum multo studiosissimus est Joannes. Sodalium meorum tu mihi facile carissimus es.*

l.6.c.38. *Mulier*, significat fœminam non virginem, id est, fœminam corruptam. Sed tamen nonnumquam significat etiam virginem, quæ tamen sit in ea ætate ut patiatur virum.

l.6.c.39. *Munus*, primo donum. Martialis:

Munera quod senibus, viduisque ingentia mittis.

Secundo onus, ut *Munus militiæ*. Inde *immunis*, est sine onere Reipublicæ. Tertio officium: *Amici munus, est amicum clam arguere, palam laudare. Munera militaria*, id est, officia.

Municipium, Municipalis, qui ex urbibus est, quæ civilia munera accipiunt cum Roma, quas municipia vocant.

Municeps, qui in municipio natus est: vel *municipes*, concives dicimus.

l.6.c.10. *Municipatim*, per singula municipia.

Mutuo, id est, communiter. *Amamus mutuo*, id est, & tu amas me, & ego te. *Mutuus amor, mutua benevolentia.* Invenitur etiam pro vicissim & invicem. *Fac me mutuo diligas*, id est, vicissim.

l.4.c.8. *Murus* urbium est, & urbis similium, castrorum, munitionumque. *Mœnia*, muri sunt urbis, & ædificia ejus: *Paries* domorum.

l.4.c.81. *Mulus*, proprie qui natus est ex asino & equa. *Hinnulus*, qui patre equo, matre asina genitus, quem quidam *burdonem* vocant.

l.5.c.25. *Mutuo, as, are*, active, significat mutuo dare. *Mutuor, aris*, deponentaliter significat mutuo accipere. *Mutuatus sum a mercatore quodam viginti aureos. Mutua mihi unum ducatum*, vel *mutuo da*, utrumque verbum regit accusativum. *Fœnero*, vide loco suo.

In Rauden. *Muriceps* pro cato, insuetum vocabulum est.

N.

l.5.c.20. *Nactus sum*, id est, reperi vel offendi casu & fortuito. *Si quem nactus eris qui eo iturus sit, jube ut salutet parentes meos. Nacti sumus materiam risus*, id est, invenimus, vel potius obtulit se nobis materia risus.

l.4.c.10. *Natalia* substantivum, *Natalis* adjectivum, *Natalitius* adjectivum idem significant. Juvenalis: *Natali Corvine die mihi carior hæc lux.*

Natalis hora, est hora nativitatis. *Natalitius dies. Natales* pluralis numeri & substantivum, significat conditionem sanguinis & familiæ; ut, *hi qui obscuros habent natales virtute sibi famam parabant. Illustres natales, majores.*

l.2.c.14. & 17. & l.3. c.28. *Ne*, multis modis accipi solet, Primo interrogative, *Est ne magister in ludo?* Secundo dubitative, ut, *incertus sum vivatne pater, an non.* Tertio prohibitive, *Ne feceris hoc, ne abeas usquam injussus.* Quarto capitur pro ut, & hoc cum verbis includentibus in se negationem, qualia sunt verba prohibendi, & cavendi, & timendi: ut, *Prohibuit me pater, ne redirem ad te*, id est, prohibuit me redire ad te. *Cave ne cuipiam dicas, vel cave cuipiam dixeris. Vereor ne magister omnia resciverit.* Quinto pro ut non, ut, *Disce studiose ne magistro veniente vapules*, id est, ut non vapules. Sexto cum quidem, valet fere quod multo minus, id vide in Quidem. Septimo capitur 1 pro certe affirmative. Terentius: *Faciunt næ intelligendo, nihil intelligant.* Idem, *Næ ego homo infelix sum*, id est, certe. Interrogative. *Facturus es quod ego an non?*

Necne idem est quod non. Ponitur interrogative & dubitative. *Dubius sum serio dicas, nec ne.* Ibidem.

Nónne, ergó ne, itáne, composita a *ne*, magis sensum extorquent, quam interrogant. l.2.c.18.

Nedum pene est idem quod non solum, sed non uno modo eis utimur. Non modo & non solum (quæ idem valent) semper in priore parte orationis ponuntur; ut, *Non modo te diligo, verumetiam fratris loco amo. Non solum pecuniam, verumetiam vitam pro te impenderem.* l.2.c.8, & 31. & l.3. c.27.

Nedum fere semper in fine ponitur, ita tamen ut si oratio sit negativa, id quod minus est ponatur in principio, & majus in fine: sin affirmativa, contrario modo fiet, ut, *Non solum laborem pro te susciperem, verumetiam mortem. Non crederem tibi obulum, nedum vitam meam: non solum non crederem tibi vitam, verum ne obulum quidem.* Est item alia differentia inter nedum & non solum. Nedum jungit partes inæquales: non solum, æquales. Unde & hac causa, non solum, nonnumquam in orationis fine reperitur. Cicero: *Plura ne dicam tuæ me lacrymæ impediunt, vestraque judices, non solum meæ.* Hic non recte diceretur, nedum meæ. *Nedum* nusquam ponitur, nisi in oratione negativa.

Neutiquam & *nequaquam* idem significant. l.2.c.27.

Ne dicam, hæc clausula si sequatur substantivum, adjectivum ponitur in accusativo. Sin interjicitur inter substantivum & adjectivum, relinquit utrumque in nominativo. *Homo imprudens, ne dicam stultum*: non stultus: quia homo substantivum præcedit. *Crudelis*, ne dicam, *impius & sceleratus Castor*, non sceleratum Castorem: quia substantivum *Castor* sequitur. In aliis casibus nulla est ambiguitas, quia semper oportet convenire adjectivum & substantivum; ut, *non faceres hac magistro conscio, ne dicam præsente*: non præsentem. l.3.c.20.

Interdum tres negationes non plus valent, quam duæ, ut, *Nunquam tibi nec fisus sum, nec fidam*, nihil aliud est dicere, quam, *tibi nec fisus sum, nec fidam umquam.* Interdum duæ negationes valent unam tantum. *Cave ne me provoces. Cave* includit negationem, & *ne*, est negatio: nec est aliud dicere, quam, cave me provocare. Simile est de *metuo, timeo, vereor, prohibeo, impedio*, &c. Sed quando in dictionibus est quædam contrarietas, non potest tolli gemina negatio: ut recte dicitur. *Non modo stellæ, sed ne luna quidem ad solem servat splendorem suum*: vel sic geminata negatione? *Non modo nullæ stellæ, sed ne luna quidem splendorem servat.* Sed *non modo stellæ non apparent, sed etiam luna ad solem obscuratur*: hic non posset tolli una negatio, quia *apparere* & *obscurari* sunt contraria &c. l.3.c.27.

Nemus, vide Sylva. l.4.c.61.

Negocium contrarium est ocio. Quid tibi istic negocii est? Secundo negocium sæpe invenitur pro labore seu molestia. *Quid negocii est*, id est, quid operis est? l.5.c.88.

Necatus generale nomen. *Veneno, ferro necatus. Nectus* fere ponitur sine adjecto, nec tam significat mortuum quam propemodum mortuum. *Fame nectus, siti nectus*, & similia, *Bos est enectus arando.*

Necessarii sunt cum quibuscumque nobis aliqua familiaritas & amicitia intercedit. Inde *necessitudo. Vir mihi antiqua necessitudine junctus*, id est, amicitia.

Nænia est cantus lugubris in funere. Capitur pro ineptia, sive cantus, sive sermonis. Horatius: *Absint inani funere næniæ.*

Nævus est macula corporis. l.2.c.19. & l.3. c.29. & 54.

Nisi, si in principio orationis ponitur, indicativum desiderat, alias subjunctivum. *Nullam tibi injuriam irrogavi, nisi forte beneficia in te mea injuriam vocabis.* In medio sic: *Vapulabis nisi caves*, vel, *nisi caveas.*

Nihil ad te, id est, parum est ad comparationem tui. *Est quidem bella urbs Trajectum, sed nihil ad Coloniam.* Terentius: *Estne Thais, ut fertur, forma? Sane, sed nihil ad nostram hanc.* l.3.c.40.

No-

1 At NÆ est Græcum ναὶ affirmandi particula, NE vero per E est Latina particula, quæ semper negat.

l. 2. c. 3. *Nostras*, *vestras*, *cujas cujatis*, non solum patriam, nationemque significant, sed etiam sectam & partes. *Cujas es tu? Nostrasne es, an externus?* ibi patriam significat. *Cujas es tu? Epicureusne, an Stoicus?* hic sectam significat.

l. 5. c. 35. *Nobilis* nonnumquam in malam partem accipitur, id est, notabilis. *Nobile scortum.*

l. 9. c. 20. *Nominatim*, id est, expresso nomine.

l. 6. c. 35. *Noxa*, primo pœna, *dedere noxæ*, est dare servum ad pœnam, potius quam præstare maleficium quod admisit. *Dedita noxæ mancipia.* Secundo damnum. Ovidius: *Nocte nocent potæ, sine noxa luce bibuntur.*

l. 6. c. 42. *Novalis*, ager qui nunc primum proscissus est, vel qui alternis seritur.

In Rauden. *Nothus* Græcum est, significat quocumque modo illegitimum.

l. 2. c. 33. *Nudiustertius*, est dies quæ est ultra heri. *Nudiusquartus.* Heri, non, nudiussecundus. *Nudiustertius*, *Nudiusquartus.* Nec ultra licet progredi. Quamvis Plautus dicat, *Nudiusquintus*, *sextus.* De *perendie* & *pridie* vide loco suo.

l. 2. c. 34. *Nuper*, *pridem*, *jampridem*, de paulo longiore tempore dicuntur: *quamdudum* & *jamdudum*, scilicet, sex mensium, medii anni aut longioris, seu brevioris pro conditione materiæ. *Quod pridem tibi scripsi, idipsum nunc repeto. Jampridem tua mihi fides cognita est.* Unde *pridem* gaudet verbis præteritis. *Jampridem* præsentibus.

l. 3. 51. & l. 1. c. 14. *Numeralia distributiva* supra centum syncopantur, præter mille: infra non. *Duceni*, *ducenteni*: *Treceni*, *trecenteni*: *Quadrageni*, *quingenteni*: *Sexceni*, *sexcenteni*: *Septingeni*, *septingenteni*: *Octingeni*, *Noningeni* vel *nongeni*, *nongenteni.* Infra centum. *Singuli*, *bini*, *terni*, *quaterni*, *quini*, *seni*, *septeni*, *octoni*, *noveni*, *deni*, *undeni*, *duodeni*, *ternideni*, *quaternideni*, *quindeni*, *senideni*, *septenideni*: vel *deniquaterni*, *deni quini*, *deni seni*, *deni septeni*, *deni octoni*, *deni noveni*. *Viceni*, *viceni singuli*, & *viceni bini*, & *viceni terni*, & cætera, *triceni*, *quadrageni*, *quinquageni*, *sexageni*, *septuageni*, *octogeni*, non octuageni, *nongeni*, vel *nonageni*, *Centeni.* Hæc numeralia non significant simpliciter numerum, sed singulis tantum: ut *Olim bini Consules creabantur*, id est, singulis annis duo, & *Pater meus filiis denapondo legavit.*

l. 3. c. 5. & 14. Item, hæc raro in singulari numero inveniuntur. Poetæ vero & sæpenumero singulari utuntur, & pro suis cardinalibus accipiunt frequenter, *Septena* pro septem, *bissena* pro bis sex. Oratores non faciunt, nisi necessitate compulsi: Primo, ut si numeratum careat singulari numero, ut *Binas ad te dedi literas*, non duas. *Binos scripsit codiculos.* Secundo, si aut habeat pluralem, sed diversi generis, aut si sint diversæ significationis: ut *ædes* & *ædes*, *litera* & *literæ*. Trinum non est distributivum numerale: Nam trinum est quod complectitur ternarium numerum: ut *Trinum nundinum*, *trina divinitas.*

Ibidem. Nota, his nominibus, utrique, singulis, cuique, unicuique, jungi tam distributiva quam numeralia cardinalia. Numeralia adverbia infra centum syncopen habent, supra centum non syncopantur: ut, *vicies* pro *viginties*, *tricies* pro *triginties*, *quadragies* pro *quadraginties*, *quinquagies* pro *quinquaginties*, *sexagies* pro *sexaginties*, *septuagies* pro *septuaginties*, *octogies* non *octuagies*, *nonagies* non *novagies*. Supra centum, *Centies*, *ducenties*, *trecenties*, *quadringenties*, *quingenties*, *sexcenties*, *septingenties*, *octingenties*, *noningenties*. *Mille*, *bis mille*, *ter mille*, *quater mille*, *vicies mille*, *tricies mille*, *centies*, & cætera.

REGULA NUMERORUM.

Ibidem. Infra centum, & supra viginti semper minor numerus præponitur, & major sequitur, & hoc cum copula, ut *quartus & octogesimus annus*, *quinque & viginti.* Sed si tollatur, &, major præcedet: *vigintiquinque*, *sexagintasex*, *viceniterni*, *vicenìseni*: non, *seniviceni*, nisi cum, &. Supra centum minor numerus postponitur. *Centum & novenos vixit annos. Anni quadringenti & septuaginta*, &c. *Mille & quadringenti.* Infra viginti major numerus præponitur, & minor postponitur, ut *Decem & octo*, *decem & novem*, &c. aut certe sunt unica nomina, *tredecim*, *duodecim*, &c. Ista autem nomina, *duodeviginti*, *undetriginta*, *undecentum*, *duodecentum*, *duodequadragesimus*, &c. non servant prædictas regulas, quia sunt nomina composita. Nota: *vir malus nulla lacessitus injuria ab amicitia recedit*, *vir bonus nulla lacessitus injuria ab amicitia recedet.* Hæ orationes propter vim negationis eisdem verbis contraria significant. Sed in posteriore oratione Laurentius non ausit dicere, recedit, sed *recedet*, vel *recedat*.

Nux est quicquid habet corticem durum, ut Castanea, amygdalum, avellana, juglans. *Poma* vide loco suo. l. 4. c. 18.

Nutriri est parvulorum ut crescant. Inde *nutrices nutriciique* dicuntur, qui aut alunt, aut aluerunt pueros.

Nutare est magnæ molis ruinam minantis; ut, *quercus annosa nutat.* Transfertur ad animum dubitantem quo se potissimum conferat. l. 3. c. 84.

Nuncius in masculino, significat tum id quod nunciatur, tum eum qui nunciat. In neutro non invenitur. 4. Reg. 7. *Hæc est dies boni nuncii. Nuncio de matris excessu nihil fuit acerbius.* l. 7. c. 15.

Numen est potestas seu imperium, Deorum dumtaxat. l. 6. c. 27.

Nugæ nugarum, sermones levium rerum & nullius ponderis: Ut sermones aniles, *nugas* vocamus. In Rauden.

Numquid, de uno interrogat. *An*, de pluribus *nonnumquam* de duobus. *Numquid* interdum est nomen, non adverbium, ut *Numquid vis?* In Rauden.

O.

O interjectio tribus casibus jungitur, nominativo, accusativo, & vocativo: significat autem vehementiam affectus. *O hominem perditum! O te infelicem!* Sin autem affectus non sit tam vehemens, potest relinqui ô, ut, *Indignum facinus*, *injuriam irrogavit*, *insuper & convicium fecit.* Si affectus esset vehementior, dicendum esset, *ô indignum facinus.* l. 2. c. 13.

Obiter, id est, specialiter, pro tali causa, vel statim, Quintiliani seculum posuit. Sed re vera significat interim, sive incidenter. Juvenalis: *Atque obiter lavat.* Translatum ab iis, qui in via quum alio tendant, per occasionem aliquid agunt: quod Græci παρέργως; Latini, aliud agens. l. 2. c. 49.

Obvius fio tibi, *obvium me tibi fero*, *obvius venio*, vel *obviam*, *obvium me tibi fortuna obtulit*, idem significant. *Habui illum obvium*, *venit mihi obviam*, idem sunt. l. 3. c. 77. l. 5. c. 107.

Observare primo idem quod attendere. *Observa quo abeat magister.* Et capitur frequenter in malam partem. *Observamus eum*, *cui parum fidimus.* Secundo significat venerari cum quadam admiratione virtutis; ut, *Mihi statutum est te amare*, *te colere*, *te observare.* A priore significatu venit *observatio*, a secundo *observantia*. *Pro mea erga te observantia*, id est, pro meo amore vel reverentia. l. 4. c. 3.

Obire, id est, exsequi. *Obeo legationem*, *obeo provinciam.* Et apud Statium Chiron de Achille: l. 5. c. 44.

Olim ferre minas, audita & obire solebat
Imperia.

id est, exsequi quod imperabatur. *Obire munia. Obeo mortem*, id est, perago mortem. Cum dicitur *obiit*, subintelligitur semper mortem. Sicut *defunctus est*, subaudi *vita*.

Obruere, opprimere mole. *Obrutus undis*, id est, submersus. *Obrue terra.* Transfertur ad animum. *Obruis me tuis beneficiis. Stomachus cibo obruitur*, & *vino immodico.* l. 5. c. 55.

Obses, est qui traditur imperio alterius, ea conditione, ut si dator obsidis a fide recedat, recipienti sit jus in corpus obsidis; ut, *Reges ab urbibus in fidem pacis observandæ accipiunt*, & *dant obsides.* l. 6. c. 31.

Obsonium, est cibus additus pani, præcipue pisces. In Rauden.

Obsonare, est lautis epulis profundere pecuniam.

Obnoxius, non significat obligatus, sed expositus, subjectus; ut, *locus obnoxius vento. Urbs obnoxia fluctibus.* In Rauden.

Occupare, proprie est rem in medio positam ante cæteros capere. *Matura emptionem*, *ne alius rem occupet.* Nos *occupati sumus*, quum detinemur negociis, ut aliis non sit locus. *Occupare urbem*, est vi capere. *Præoccupare*, l. 5. & 57.

pare, vel *occupare*, est cum prævenimus rem dicere, ne alii nobis objiciant. Inde *occupatio*, schema Rhetoricum, quum priores dicimus quod alter dicere poterat. *Vereor ne nox occupet*.

Otium, est vacatio a labore, cujus contrarium est *negotium*. *Scribam ad te ubi primum aliquid otii nactus ero*. Et capitur pro studio literario: unde *otium literarium* dicimus. Hinc *otiari*, pro indulgere otio: & *otiosus* pro eo qui est vacuus a negotiis. Quamquam *otiosa* interdum dicuntur supervacanea, & nihil ad rem facientia. Cato distinxit *otiosum* a nihil agente.

Otiosus est qui nullum exercet opus. Nihil agit, qui frustra laborat.

Odium, interdum sonat molestiam. Terentius: *Numquam tuo me odio vinces*, id est, tua molestia.

l. 1. c. 21. *Odiosus* passive, significat eum qui odio habetur, non qui odit, id est, invisus. Vel *odiosus*, molestus. Cicero: *In infirmo corpore odiosa est omnis offensio. Odiosus*, invisus.

l. 3. c. 9. *Odor*, quod olfactu percipitur. Interdum pro suspitione sive fama accipitur. *Odores* pluraliter odoramenta: ut, *Odores Arabici. Odores Sabæi*. Inde *Odorari*, & *subodorari*, pro suspicari & inquirere.

l. 4. c. 30. & 3. c. 39. *Officium*, id quod facimus ut debemus pro rerum, locorum, personarum exigentia. *Officium discipuli est, patris loco præceptorem venerari*, id est, debet. *Vide ut tuo fungaris officio, quando ego perfunctus sum meo*. Secundo, *officia* fere accipiuntur pro beneficiis, sive obsequiis. *Id tua in me faciunt officia, ut nihil tibi negandum putem*. Tertio, *officium* est functio, ut Magistratus. Inde *Officiales* vocamus. Quarto, *officium* quod quisque debet præstare. *Officium medicinæ, Officium architecti, Officium fabri*.

l. 4. c. 44. *Officina*, est ubi opera opificum fiunt. *Officina* statuarii, fusoris, flatoris vitrarii, pictoris, sutoris, cælatoris, excusoris, fabri. *Tabernam* vide loco suo.

l. 3. c. 2. *Offendo*, primo ad iram provoco. Inde *offensa*. *Remisit offensas omnes*. Secundo, reperio, vel obvium habeo. *Si te usquam offendero solum, dabis mihi pœnas*.

l. 2. c. 85. *Oleaster*, est olea sylvestris. *Olea frugifera*.

Olim, tam futurum quam præteritum significat. *Olim literæ in pretio fuerunt. Olim te pœnitebit inertiæ tuæ*. Secundo olim, idem est quod *aliquando*. Horatius: *Ut pueris olim dant crustula blandi Doctores, elementa velint ut discere prima. Jam olim*, vel *olim jam*. *Olim* autem præteritum aut futurum poscit: *Jam olim*, præsens. De *olim* exempla habita sunt. De *jam olim* exempla: *Jam olim mihi summa necessitudine junctus es*, id est, ex multo tempore, & adhuc. *Jam olim barbaris odio sunt literæ*, id est, diu fuerunt, & adhuc sunt.

In Rauden. *Omnimode* & *diversimode*, non sunt Latina. *Omnifariam* & *multifariam* Latine dicitur.

l. 4. c. 76. *Opera operæ*, significat ipsam actionem, & laborem. *Opus operis*, significat ipsum quod agitur, ut, *Faber cudendo galeam impendit operam*, id est, actionem cudendi. *Opus* autem dicitur ipsa galea quæ cuditur. *Opus manuum mearum*, dicitur liber a me scriptus. Itaque *opus* est fructus *operæ*. *Operæ* dicuntur ipsi qui debent aut præstant operam. Horatius: *Accedes opera agro nona Sabino*, id est, nonus fossor. *Operæ pretium* ab opera dicitur, significat utile, ad rem pertinens.

l. 1. c. 21. *Operosus*, multæ operæ. *Operosa structura*, multi operis, Horatius:

Operosa parvus carmina fingo.

Operose, id est, laboriose.

Opitulari, id est, auxiliari, dicitur ab *opem fero*, quod habet *tuli* in præterito.

l. 3. c. 86. *Opinio* nunc active, nunc passive significat, sicut omnia verbalia in io, præter hæc: *suspicio, oblivio, offensio*, quæ fere passive significant. *Dabo operam ne umquam tua de me fallat opinio*, hic active. *Homo magnæ opinionis*: hic passive capitur. *Venit mihi Petrus in suspitionem furti*, id est, suspicor furtum de eo. *Videor mihi post tanta in te merita tibi in oblivionem venisse. Oblivio tua* qua oblivisceris. *Oblivio tui*, qua alius tui non meminit.

l. 4. c. 20. *Oppidum*, dicitur omnis civitas præter Romam, quæ prima, urbs vocari cœpta, fecit ut cætera oppida, interdum & urbes vocarentur.

A

Opifex, qui exercet artem manuariam.

Opificium, exercitium artis, artificium.

Oppetere, aut accusativum habet expressum, aut subauditum, & significat mori. *Ajax maluit millies mortem oppetere, quam semel mulieribus inservisse. Innumeri in hac pugna oppetiere milites*, id est, perierunt. l. 1. c. 44.

Oriundus, jungitur primo ablativo cum præpositione *a* vel *ab*. *Oriundus a Gauda, a Roma. Nos Hollandi a Trojanis sumus oriundi*, id est, originem ducimus a Trojanis. Secundo ablativo sine præpositione. *Oriundum Alba sacerdotium*. Tertio adverbiis; ut, *Inde ego sum oriundus, unde tu. Ortus* genitivum habet. *Ortus Gaudæ*, id est, natus illic. l. 6. c. 57.

B

Ordo, suo quidque loco disponit. *Series*, est rerum quædam continuata progressio. *Inter annos series est, verius quam ordo. Equestris ordo* dicitur, non series. l. 4. c. 14.

Orchestra, est locus ubi saltabatur publice, & similia fiebant, circumsedentibus nobilibus, & plebe circumstante. Interdum usurpatur pro consessu honoratiorum. In Rauden.

Orator, vide in Rhetor.

Orbus a, um, qui privatus est re admodum cara, ut, Parens suis liberis privatus, *orbus* est. Inde *orbitas*. Secundo *orbus a, um*, pro orphano nonnumquam accipitur, & *orbitas* pro *orphanitas*. Filius dicitur *orbus* amisso parente. *Orbum* pro vacuum, dixit Horatius: *Forumque litibus orbum*. l. 4. c. 48. l. 4. c. 106.

C

Orare, est rogare. *Exorare*, rogando impetrare, *Sine, hac una in re, te exorem. Orator venio, facite exorator ut sim*. l. 5. c. 39.

P.

Pacificatus sum, id est, pacem accepi. *Pacatus sum*, id est, in pace sum, vel recessi ab armis. *Placatus sum*, deposui offensionem. l. 5. c. 73.

Parem esse, id est, sufficere. *Non sum par tanto oneri*. Quintilianus: *Aspicio par laboribus corpus. Impar dolori animus*. l. 5. c. 74.

Pariformiter non invenitur, sed *pariter*, sive similiter, sive itidem. In Rauden.

Pancratiastes, qui ad omne genus certaminis valet. In Rauden.

Papula, id est, pustula similis nævo.

D

Pabulari, est pabula carpere manibus, aut falce in pastionem jumentorum. l. 4. c. 23.

Parentare, est manibus defuncti, vel potius occisi satisfacere: & corripit primam. Inde *parentalia* honores funerales.

Paria facere, est quod alibi omissum est, aliunde compensare; ut, *Ille qui confitebatur se hominem necasse, rursum autem generasse hominem, paria facit*. Item, *quando natura pusillos corpore, magnos animo creat, paria facit. Ingenio pollens cum robusto paria facit*, id est, æquat robustum. l. 4. c. 74.

Passim, id est, sparsim. *Hujus rei exemplum in veterum scriptis passim reperies. Armenta passim pascunt*. Virgilius: l. 6. c. 19.

Strata jacent passim sua quæque sub arbore poma.

E

Pannosus, qui crasso ac vili, seu lacero panno opertus est: ut, *pauperes pannosos* dicimus. l. 1. c. 21.

Parumper & *paulisper*, id est, parvo tempore. Imperiti accipiunt pro paululum & parum, sed falso: sunt enim adverbia temporis. l. 2. c. 44.

Paulisper gaudere potest qui tamen multum gaudeat.

Parum interdum sonat non satis: *Quod tibi parum est, mihi nimium est*.

Parenthesis, est interjectio orationis in sermone, qua remota, sermo manet integer. Ea quum semper venusta est, tum plurimum venustatis habet, quum fit per *qui*, aut *is*, aut per *ut*. *Si modo culpam tuam fassus esses, pater* (qua indulgentia est) omnia tibi ignovisset. *Id flagitii si præsens vidisset parens* (ejus severitatis est) *te membratim discerpsisset. Si hanc noxam Petro imponere pergis, ille* (ut impudentissimus est,) *in te eam retorquebit*. l. 3. c. 1. & 41.

F

Patronus, qui accusatum defendit, vel quemcumque alium afflictum. *Nisi tu mihi patronus adsis, nulla emergendi spes est*. *Patrocinari*, id est, protegere quemcumque. *Patrocinium*, id est, tutela. *Advocatus*, quicumque paratus venit alium defendere, etiamsi nihil agat. l. 4. c. 20.

Parasitus, id est, qui omnia facit dicitve ad voluntatem alterius, ventris gratia: Qualis est ille Terentianus Gnatho. l. 4. c. 51.

l. 4. c. 53. *Pastio* non tam significat actum pascendi, quam ipsum cibum, sed proprie glandes, poma, hordeum, legumina: & est pecudum. *Pabulum*, idipsum significat, sed est aliorum quoque brutorum: estque proprie cibus herbaceus, fœniceus, paleaceus, stramentitius, potius quam seminum. *Pastus* est hominum. *Literarum consuetudo, gratissimus animorum pastus est.*

l. 4. c. 52. *Pasco* active, Ger. *weiden*. *Pasce capellas.* Sed *pasco* neutrale, esse in pascuis. Virgilius:

Pascentes servabit Tityrus hædos.

Ovidius:

Mille greges illi, totidemque armenta per herbas
Pascebant.

Inde venit *pascua*, & ager *compascuus*. *Pascor* deponentale, vorare, comedere. Et vult accusativum. *Pascitur herbas grex.* Itidem *depascor*. *Pascere* delectare. Virgilius: *Atque animum pictura pascit inani.*

l. 5. c. 58. *Petere*, primo poscere. *Majorem in modum abs te peto.* Petere Consulatum, petere dignitates, est ambire. Secundo accipitur in malum. Ovidius: *Summa petit livor.*

l. 5. c. 9. *Petiit me lapide. Petiit me jaculo. Malo me Galatea petit lasciva puella.* *Appetere*, est qualitercumque & qualiacumque petere, etiam turpia & incommoda. *Expetere*, est appetere tantum petenda, id est, honesta. *Voluptatem appetimus*, nemo expetit. Confunduntur interdum, ut Horatius: *Amore, qui me præter omnes expetit.* *Expetere* neutrale, significat exstare, sicut suppetere, sufficere, sive subministratum esse. Itidem *appetere* neutrale significat instare. *Jam appetebat nox. Jam appetente vere*, id est, sub vernum tempus.

l. 1. c. 30. *Pervigil*, qui nunquam dormit, nec noctu, nec interdiu. *Vigilare*, est ad tempus, non semper. *Pernox*, est qui noctem ducit insomnem. Inde *pernoctare* & *pervigilium*.

l. 5. c. 30. *Perlegere*, usque ad finem legere, vel totum, vel partem.

Ibidem. *Perferre literas*, ad eum cui missæ sunt ferre. *Ferre*, portare. *Multi ferunt, qui non perferunt.*

Ibidem. *Peragere reum*, est usque ad illius damnationem agere, id est, accusare juridice.

Ibidem. *Perorare*, est finem orationis dicere. *Peroratio* est finis & conclusio orationis.

Ibidem. *Persuadere*, est facere ut quis credat. *Suasi illi multis argumentis, sed non persuasi.* *Suadeo*, id est, consulo ut facias. *Dissuadeo*, id est, consulo ne facias. *Hic suasit, ille dissuasit, neuter persuasit, quia neutrum sequar, sed meam ipsius sententiam.* Ita non recte dicitur, *dissuasi*, id est, revocavi a sententia, sed persuasi ne faceret, sive revocavi a sententia.

Persuasio est firma sententia: & *fides* proprie dicitur persuasio, qua certo credimus audita potius quam visa.

l. 5. c. 31. *Perjurus*, qui jusjurandum violat. *Pejerare* est falsum jurare. *Abjurare*, est jurejurando inficiari.

l. 3. c. 34. *Perlucidus, a, um*, sive *pellucidus, a, um*, quod transmittit adspectum. Et refertur ad corporea. *Aqua pellucet ad imum.* *Perspicuum*, per cujus medium videmus: ut, vitrum, glacies, laterna, crystallus, gemma. Sed *perspicuum* refertur sæpe ad incorporea, pro manifesto.

l. 1. c. 35. *Perditus*, est qui in omne scelus traditus est. *Perditissimi mores. Perdita vita. Perdite amat.*

Pertinax, qui nimis est tenax suæ sententiæ.

l. 5. c. 31. *Perfuga*, generis communis, qui fugit ad hostes. Idem *transfuga* dicitur.

l. 5. c. 13. *Perfluere*, transmittere liquorem; ut, *Lagena male compacta perfluit. Cave illi quicquam committas quod tacitum velis: nam undique perfluit.*

Ibidem. *Perpluere*, transmittere pluviam. *Tectum conclavis nostri perpluit. Domus perpluit. Cœnaculum perpluit.*

l. 5. c. 23. *Persequor*, id est, insector. *Saule, Saule, quid me persequeris?* *Persequor* interdum, persevero exsequi quod cœperam. *Persequere* quod recte cœpisti.

l. 5. c. 61. *Percontari*, est interrogare, sed arguendi causa. *Sciscitari*, sciendi gratia: interdum confunduntur.

In Rauden. *Perosus* & *exosus* tantum active significant. Virgilius: *Lucemque perosi.*

l. 1. c. 8. *Pensile*, est quod pendet. *Uva pensilis. Horti pensiles*, id est, non in solo, sed in alto suspensi.

Peplus, non peplum, Græcum est, significans vestem. *In Rauden.*

Perpendere, expendere, est exacte ponderare atque examinare. Cicero: *Quæ contemplantes, expendere oportebit, quid quisque habeat sui.* Idem: *Quid in amicitia fieri oportet, quæ tota virtute perpenditur?* *Appendere*, est per pondus tradere. *Appendi uvas, appendi pecuniam*, &c. Cicero: *Ut jam appendatur pecunia, non numeretur.* *Impendere* a pendo, significat insumere. Inde *impendium*, & *impensa*. *Impendere* a pendeo significat imminere, jamjam casurum. *Multa capiti tuo impendent. Mors omnibus horis impendet nobis. Nubes impendent.* *l. 5. c. 82.*

Penetrale substantivum, est interior pars ædificii vel regiæ. *Penetrabile* adjectivum, est quod facile penetrat, aut quod facile penetratur. *Telum penetrabile, Frigus penetrabile. Saxum ferro impenetrabile*, quod non potest penetrari. *l. 6. c. 26.*

Persona, significat eam qualitatem qua homo differt ab homine, tum in animo, tum in corpore, tum in extra positis: quæ a Rhetoricis enumerantur in attributis personæ; ut, Hector ad Priamum *persona filii* est, ad Astyanactem *persona patris*, ad Andromachem *persona mariti*, ad Paridem *persona fratris*, ad Sarpedonem *persona amici*, ad Achillem *persona inimici*. Sunt autem & *personæ* in Divinitate, & quidem qualitates, non substantiæ, si Vallæ credimus, Pater, Filius, Spiritus Sanctus. Sed qualitas est ea, quæ possit abesse citra subjecti corruptionem, falsa & Græcula est definitio. Calor enim & lux in sole nunquam abest. Secundo per translationem *personas* dicimus in scena, qui exprimunt gestu & habitu vel senem, vel amatorem, vel avarum, vel jactabundum, &c. Gnatho & Thraso *personæ* sunt. Inde *personatus*. Tertio dicimus *personas* figuras eminentes, quæ aquas ore, vel mentula fundunt, eoque varios vultus & gestus exprimunt. *l. 6. c. 34.*

Peculium, est quicquid labore nostro partum est, & quod reposuimus nobis. Hinc *peculium castrense*, & *servi habent peculium*. Secundo, est quod proprie est alicujus. Inde *peculiare*, id est, proprium. *Peculiariter*, id est, proprie & singulariter. *Me velim peculii jure utare. Quicquid meo officio præstari potest, id totum tibi peculiare ducas velim.* *l. 6. c. 40.*

Peculatus, est furtum rerum ad Rempublicam aut ad proventus Principis spectantium. Inde *depeculor*, quod quidam etiam ad sacrilegium transferunt. *Ibidem.*

Pellex, est quæ miscet corpus cum viro cui uxor legitima est, & refertur ad uxorem: neque enim dicitur *pellex adulteri*, sed *pellex uxoris*. *l. 6. c. 48.*

Penes præpositio, non solum locum, sed etiam dominium significat. Nonnumquam cum accessione laudis, aut vituperii, commodi, vel incommodi. *Fides penes auctores sit.* Livius: *Ut penes eosdem pericula belli, penes quos præmia essent.* Nonnumquam tamen pro apud accipiunt. *Penes scenam*, id est, apud scenam. *l. 6. c. 54.*

Perduellis, idem est quod hostis qui contra nos bella gerit. *Duellum* enim idem est quod bellum. *Perduellio* perduellionis, qui aut Reipublicæ aut Principis læsit majestatem. *In Rauden.*

Penarium sive penuarium, ubi reponuntur edulia, a penu sive penus, qui commeatus est domi repositus. *l. 1. c. 6.*

Permissu in singulari numero, quartæ declinationis: in plurali secundæ est, *permissa permissorum*. *Permissu magistri id feci.* Horatius: *Utor permisso.* *l. 1. c. 7.*

Per, junctum nominibus adjectivis, adverbiis, sive verbis vehementiam significat. *Perplacet*, id est, valde placet. *Perbenignus, perpulcre.* *l. 3. c. 64.*

Perquam, idem valet quod quam, & simili modo jungitur; ut, *Nuntius matris tuæ defunctæ mihi perquam acerbus fuit.* Cavendum ne ista duo *per* & *perquam* superlativis aut comparativis jungantur. Non enim dicimus *perquam optimus*, sed *quam optimus*, nec *peroptimus*. *l. 1. c. 17.*

Perinde, primo valet idem quod *ita*, & poscit post se *ac si*, vel *atque si*. *Perinde in ista re tua faciam, ac si mea res esset.* In negativa oratione potest sequi *quam*. *Nulla mihi res perinde dolet, quam tui perditio.* Secundo capitur pro *æque*: *Legi literas tuas suaves ac perinde eruditas. Nactus sum præceptorem eruditum, ac perinde gravem*, id est, *l. 2. c. 30.*

æque

æque honestum. Tertio capitur pro *ita*, id est, multum: sed cum negatione. *Nihil attulit, quare adventus illius non perinde gratus fuit*, id est, non multum gratus.

l.3.c.46. l.4.c.18. *Pœnitet*, primo doleo factum. *Pœnitet me convicii quod in te dixi.* Secundo pudet, vel tædet. Livius: *Nec me eorum esse sententiæ pœnitet*, id est, pudet. Virgilius:

Nec te pœniteat, calamo trivisse labellum,

id est, tædeat. Quidam exponunt pro parum videtur, sed falso, si Vallæ credimus. Terentius tamen dicit: *Me quantum hic operis fiat pœnitet.* Inde *pœnitendum* dicimus. *Meruit, sub præceptore non pœnitendo.*

l.4.c.35. l.6.c.56. *Penus* dicitur omne id quod repositum est ad victum privatum dumtaxat. Commeatus vide loco suo.

l.4.c.42. *Pecus, udis*, significat animal, quod pascitur sub imperio hominum: ut bos, vacca. *Pecus, oris*, primo significat idem, quod pecus, cudis. Secundo significat multitudinem pecudum, sed proprie gregalium minutorum, porcorum, caprarum, ovium, hircorum. Tertio significat ovem. Quintilianus: *Cur in usum vestium sæpe pecori lanæ detrahuntur?*

l.4.c.28. *Peregrinus*, qui ex nostra civitate non est. Inde *peregrinari.* Porro quod Grammaticuli quidam *forenses* vocant *peregrinos*, suo more loquuntur barbare.

Ibidem. *Pergameni*, ex Pergamo oppido Asiæ provinciæ. Unde *pergamenæ*, dictæ sunt membranæ, eo quod illinc ab Attalo Rege, membranarum copia missa est.

l.4.c. 103. *Perfidus* penultima correpta, qui fidem violat: a *fides* dicitur: Inde *perfidia. Perfidis non æquum est servare fidem. Infidus* penultima producta, est cui non est fidendum, sive qui fidem non servat: venit a *fido, is, ere. Fidus* cui fidendum est. *Fidelis*, est inferior erga superiorem. *Fidelis servus. Fidus amicus.* Hoc tamen non est perpetuum.

l.5.c.56. *Pervenire*, est venire eo quo ibamus. *Pervenimus in urbem, in montem.*

In Raudem. *Pituita*, est omnis humor, qui ore naribusve fluit. *Catarrhus* Græcum, idem significat.

Pituita Latinum est. Nisi quod *pituita* generalius est. *Catarrhus* est humor ex alto defluens.

Pileum dicitur, non pileus.

l.6.c.56. *Pignus, oris*, significat aliquid quod datur gratia certitudinis: ut *creditori datur pignus.* Et qui decertant, *deponunt pignora.* Secundo *pignora* non pignera, dicimus filios, eo quod sint *pignora conjugii*, aut caritatis inter maritum & uxorem. *Repignerare*, dicitur recipere pignus. Nec mirum *pignoris*, o habere in genitivo, cum verba ab eo nata habeant e, quando a *fœnus fœnoris*, dicitur *fœnero*, a *frigoris refrigero*, a *penus oris*, *penetro*, a *temporis tempero*, non temporo, a *litoris oblitero*, mutata semper o in e. *Oppignerare*, est dare aliquid arraboni, quam quidam arram vocant. Idem significat pignero, as. *Pignoratitius, a, um. Res pigneratitia*, opposita pignori.

In Raudem. *Pinna*, est fastigium turrium, aut ædificiorum. Inde *pinnaculum.*

Pinaster, pinus sylvestris.

Plangere & *plorare*, vide in *flere.*

l.5.c.79. *Placatus sum*, vide in *pacificare.*

l.5.c.29. *Placere*, quoties reciproce ponitur in vitium accipitur, id est, pro superbire & mirari sese. *Tu tibi places opum fiducia. Hic omnes contemnit, se unum miratur, sibi uni placet*, de se solo magnifice sentit. *Displicet sibi, qui parum bene affectus est.*

l.6.c.98. *Plumbatura*, est conglutinatio, vel commissio, quæ plumbo fit.

l.1.c.6. *Plantarium* & *planta* idem sunt.

l.3.c. 33. *Plenus* tam genitivo quam ablativo jungitur, *Res plena doloris*, vel *dolore*, *plenus vino* vel *vini. Impleo* ablativum regit, tamen Livius junxit genitivo. Idem fecit Virgilius.

l.3.c. 40. *Pluit* ablativo jungitur. *Pluit sanguine. Pluit lapidibus. Ningit*, nullum casum admittit.

Plerique significat pene omnes. *Plerosque dignitas accepta facit contumaces.* Secundo multos. *Non attenditis, multi vestrum fabulis vacant, plerique dormitant.*

l.1.c. 90. *Plerumque adverbium*, id est, pene semper. *Ita plerumque fieri solet, ut qui maxime desipiunt, ii soli sibi sapere videantur.*

A *Poscere*, est rem debitam petere, *Reposcere* repetere quod debetur. *Tunc reposcis quod donasti? Reposce librum a Petro, quem commodato accepit.* Ibidem. l.5.c.58.

Postulare, est exigere rem honestam & convenientem, *Res postulat, locus non postulabat, tempus, causa postulabat. Expostulare*, est cum querela accusare, & desiderare officium amici. Hieronymus ad Augustinum: *Ne tu jure expostulares, & diceres*, &c. Jungitur autem fere cum ablativo, intercedente præpositione cum; ut, *Neque scribis quicquam, neque quæ scribo facis. Itaque quamquam habeo quod tecum jure expostulem, tamen malo rem non tuæ inertiæ, sed occupationibus imputare. Quid enim habes quod mecum expostules? Flagitare*, quære loco suo.

B *Portitor*, est custos portus, pontis, vel ripæ, qui vectigal a transeuntibus applicantibusve exigit. Virgilius: *Portitor ille Charon.* In Raudem.

Possessio, est ipsa proprietas rei, vel, res ipsa possessa. Unde *possessiones* vocamus bona soli, seu immobilia, domos, agros, areas, prædia, &c. Transfertur & ad res animi. l.5.c.52.

Portare, est bajulare, corpore jumenti, aut suo. *Portamus* ea quæ jumento nobiscum ducimus. *Portamus* & ipsi cum imitamur jumenta; ut, *Rusticus portat humeris agnum, vitulum* aut *porcum. Ferre* autem in proprio corpore est, sed minus aliquid. *Ferimus annulum, librum. Atlas portat cælum.* l.6.c.52.

C *Posteri*, sive minores (quæ idem significant) sunt quicumque ex nobis, & post nos nati sunt: ut filius, nepos, pronepos, abnepos, atnepos, trinepos, & cæteri qui nomine carent, *posteriores* seu minores vocantur. l.6.c.55.

Popina, est locus ubi caro cocta publice venditatur. Aut ubi privatim gulosa familia extraordinarie ligurire & obsonare consuevit. In Raudem.

Pomarium, hortus pomiferis consitus, vel locus ubi reponuntur poma. l.1.c.6.

Pomœrium, est locus extra vel intra mœnia urbis ad deambulandum, in quo ædificare non licet, quasi pone juxta mœnia.

Portorium, vectigal, quod exigit portitor. Ibidem.

D *Porro* idem significat quod *autem* & *vero*, sed hæc non ponuntur in initio orationis, illud fere semper: item invenitur apud quosdam pro *longe, certe, postea, ultra*: ut apud Virgilium & Hieronymum. l.2.c.24.

Postridie, id est, sequenti die. Refertur tam ad tempus futurum, quam ad præteritum. *Postridie quam tu uxorem duxeras, ego certior factus sum.* Aut certe jungitur genitivo. *Postridie ejus diei quo feci hoc.* l.2.c.10. & 3.c.3.

Postridianus non dicitur. l.2.c.

Posthac, post hoc tempus. Adverbium temporis est, vide in *Antehac.* 56.

Pondo indeclinabile neutri generis. *Duo millia pondo*, ibi est genitivi casus. *Mille pondo*, nominativi est. l.3.c.130.

E *Bis mille pondo*, genitivus non est, quia mille adjectivum est. Caret singulari, tamen non dicimus, bina, trina, pondo, sed tria, &c.

Potior tum tertiæ tum quartæ conjugationis est, *potior, poteris*, vel *potiris.* Regit hoc nomen rerum semper fere in genitivo, cætera pene in ablativo; ut, *hac tempestate ut quisque sceleratissimus est, ita rerum maxime potitur*, id est, imperium obtinet. *Augusto rerum potito totus quievit orbis. Potior votis, potieris optato. Potimur* rebus expetitis, ac velut obtinemus. Fruimur quibus nos oblectamus. Venit a potis, unde & *compos* & *impos.* Terentius dixit: *patria potitur commoda.* l.3.c.34.

F *Potus*, est eorum quibus vivimus: ut vini, aquæ. l.4.c.4.

Potio est medicorum. Tamen nonnumquam invenitur pro potu.

Poti dicuntur, qui affatim biberunt.

Potionati qui hauserunt venenum.

Porta murorum urbis est. *Janua*, parietis ac domorum. *Ostium* etiam fluminum. l.4.c.8.

Pomum, est quicquid habet corticem mollem inter fructus majores quibus vescuntur homines, & est nomen generale, cerasa, mala, pruna, pira, mespila.

Pomum non significat Ger. *ein apffel*, sed *malum.* Exempla in promptu sunt. *Pirum* Ger. *ein peer. Malum* Ger. *ein apffel.* Nam *pomum* generalius est. l.4.c.28.

l.4.c. 39. *Pompa*, est quædam ostentatio apparatus, qui circumfertur. Et fit tam in adversis quam in prosperis, ut, *pompa triumphalis*, *pompa nuptialis*, &c. *Pompa triumphalis*, est processio triumphantium, *pompa nuptialis*, &c. *Pompa funebris* est apparatus qui fit in funerum exsequiis. A πέμπω quod est *duco*.

Præsens, id est, in præsentia: refertur ad præteritum.
l.1.c.33. & 4. c.112. Cicero: *Ille præsenti potius dignitati consulebat, quam futura. Ad præsens. Præsens hic dies, Præsens vita*, cui opponitur *absens*. Interdum ad quodvis tempus pertinet, significatque opportunum. Horatius: *Pleraque differat, & præsens in tempus omittat*, id est, quo apte dicentur. Secundo *præsens*, id est, subitum, *præsens mors, præsens venenum, præsens medicina*, quæ aut cito occidit, aut cito sanat. Idem *præsentaneus*. Unde *præsens* pro excellens capitur & impavidus, & sanæ mentis. *Fac animo præsenti dicas*. Tertio *in rem præsentem*, non tempus, sed locum significat. Cicero: *Ut si constitueris cuipiam in rem præsentem esse venturum*, id est, ad locum de quo controversia est.

l.5.c.4. *Prohibere* est ante rem inceptam. *Prohibuit illum domo mea. Prohibuit ne abirem uspiam se ignaro*, id est, ne irem. *Inhibere*, est rem inceptam, ne procedat, impedire, *Inhibemus* loquentem ne plura dicat. Virgilius: *Et vos tela inhibete Latini. Inhibemus* scalmum, quum impetum remo sistimus, *Vetamus* & factis.

l.5.c. 14. *Provocare*, tum in malum tum in bonum accipitur. *Vide ne ubi satis convitiis hominem provocaris, placare nequeas*. Cicero: *Tuis amantissimis literis provocatus sum*, id est, incitatus. *Lacesso* in malum frequentius. *Irrito*, raro in bonum, sed eleganter. *Irritant stomachum, Ut irritarem calamum tuum*, id est, excitarem.

l.5.c. 27. *Præ me fero, præ te fers, præ se fert*, id est, vultu & gestu ostendit, & confitetur. *Præ se fert hominem ferocem, & rixæ avidum. Joannes plurimum comitatis, & humanitatis præ se fert. Meliores sunt qui injurias acceptas præ se ferunt, quam qui dissimulant. Præ se fert optimæ indolis speciem*. Et similia mille. *Præ me duco, præ me gero*, in eumdem sensum recidunt &c.

Præcludo, claudo, ne pateat ingressus.

l.5.c. 34. *Præcido*, cædo, id est, prius amputo aut primas partes amputo. Interdum obscœnum verbum est.

Præcingo, cingo, anteriora cingo.

Præmorior, morior, id est, prius morior.

Præmortuum corpus, jam mortuum ante diem mortis. *Reseco*, ab alio seco.

Recido, ab alio cædo.

Recingo, cingo ab alio.

Repugno, pugno, id est, obsisto.

Refodio, quod defossum est effodio.

Repromitto, promitto.

Quin & cæterorum composita pro simplicibus interdum usurpantur.

l.3.c.3. & 32. *Prosequi*, est ostendere affectum in aliquem, & fere non caret comitatu, ut, *Prosequor te laudibus*, id est, laudo. *Prosequor te amore, caritate*, id est, amo, carum habeo. *Prosequitur me capitali odio*, id est, capitaliter odit. *Prosequitur*, qui deducit: *prosequitur*, qui quod instituit dicere pergit.

l.5.c.30. *Præditus sum*, id est, habeo: capitur fere in bonum, nonnumquam in malum. *Adolescens pulcra indole, suavi ingenio, multa verecundia præditus: Summa immanitate præditus, multis viribus, multo robore præditus*. Sed non debet addi secundus ablativus cum præpositione, sicut in *affectus*. Dicitur enim, *A Rege magno honore affectus sum*. Sed non, *Ego a Deo magnis viribus præditus sum*.

l.5.c.54. *Præsto* non admittit verbum præter *sum, es, est*, & significat primo *præsentem esse*, & *comparare*. *Sponde, præsto est noxa*. Secundo auxilio & favori esse. Tertio advenire, vide in *adesse*.

l.5.c. 65. *Præsul* olim dicebatur Princeps Saliorum, id est, Sacerdotum Martis, Romæ dumtaxat: quia *præsultabat salientibus*.

l.5.c. 68. *Præesse* est præfectum esse alicui rei administrandæ. Unde commodius est præesse, quam subesse. *Is omnibus rebus non modo interfuit, verum etiam præfuit. Præsidere* est ad opem præstandam præesse; ut, *Mars præsidet bello. Musæ præsident studiis. Medicinæ præsidet Apollo*, utique ad auxiliandum. Inde *præses*, id est, auxiliator. Inde *præsidium*, id est, auxilium principale. *In singulis urbibus præsidia reliquit*, id est, constituit milites qui ex parte Præsidis tueantur eas. *Subsidium*, quod in auxilium principale succedit. *Milites conspicati neminem ferre subsidium, fugere*.

Præcipere, est magistrorum præcepta tradentium. Inde *præceptiones Rhetoricæ*. *Præcipere* est etiam superiorum magistratuum, judicum. *Imperamus* etiam nobismetipsis, id est, impellimus aut cohibemus animum. *Imperavi* mihimet assentari. *Omnia jussa mihi*, non dicitur. Ibidem.

Propinare a Græco venit, est ad bibendum invitare. In Eodem.
Potest alius propinare, alius porrigere poculum.

Procus, qui fœminæ nuptias ambit.

Præjudicium est factum aliquod, quod tamen ad causam habeat aliquid momenti. Duo scribæ contendunt de officio, jubet judex alterum officio fungi dum lis terminetur: *præjudicium factum est* pro altero contra alterum. In eundem.

Prostibulum non modo significat lupanar, sed ipsum etiam scortum. Exemplis plena sunt omnia. In eundem.

Profiteri est libere ac publice fateri. Inde *Professores medicinæ, militiæ, quæstus meretricii*. In eundem.

Præfractus, id est, rigidus, inflexibilis. *Præfracte* adverbium, id est, rigide & pertinaciter. *Cato fuit præfractior*.

Presbyter Græce, significat seniorem. *Sacerdos* Latinum nomen est.

Precari cum solo accusativo, significat orare. *Hoc unum abs te precor*. Cum dativo & accusativo significat optare. *Bene precari, male precari*. Nubentibus, navigaturis, & aliquid novi aggressis, *bene precari* solemus. *Imprecari* idem quod *precari*, sed fere in malum accipitur. *Deprecari*, aversari, precari ne eveniat, *non deprecor supplicium si merui*.

Præstare, est exhibere vel dare. *Si quid putabis mea opera præstari posse, me peculii jure utaris licebit. Virum te præsta. Qualem tu te mihi præstiteris filium, talem tibi me præstabo parentem*. Secundo, melius esse & antestare, regit dativum. Terentius: *Homo homini quid præstat?* id est, antestat & melior est. *Quanto aurum luto præstat, tanto litera auro*. Quintilianus tamen in hoc sensu junxit accusativo. Tertio est prohibere, & efficere ne alicui fiat aliquid incommodi, alioquin satisfacere: ut, *venditor debet præstare vitium rei quam vendidit*. Cicero: *Cum id quod ab homine non potuerit præstari, evenerit*, id est, vitari, vel prohiberi, vel caveri. l.6.c. 16.

Properatim, id est, properanter. l.6.c. 20.

Privatim, id est, private. *Publice* & *privatim* opponuntur. *Privatim dives, publice egens*. Ibidem.

Probrum, flagitium & dedecus, pro crimine: ut adulteria, stupra, *probra* sunt. *Ignominia* est nata ex flagitio, & capitur sæpe pro convitio. *Exprobrare*, probro objicere. *Improbrare*, idem. *Opprobrium* idem est quod convitium vel ignominia. l.6.c. 64.

Prævaricari, est quocumque modo a præscripto officii sui deflectere. In jure *prævaricatio* est, cum aut accusator latenter reum adjuvat, aut judices corrupti alterum horum. Plinius: *Arator nisi incurvus prævaricatur*. Plinius Junior: *Alioquin prævaricatio est transire dicenda*. l.6.c. 50.

Præpes præpetis, id est, velox: *Præpete penna*. In Eodem.

Profusus active, significat prodigum qui profundit: ut, *Sui parcus, alieni profusus*. l.1.c. 30.

Pridie, & *postridie*, genitivo junguntur, & nonnumquam accusativo: ut, *pridie ejus diei quo tua reddita sunt mihi literæ, ad te proficisci statueram. Pridie ejus diei quo Romam veni, febri laborare cœpi*. Cum accusativo; ut, *Pridie Nonas Julias. Pridie* pertinet tam ad futurum quam ad præteritum; ut, *Pridie quam has literas scripsi, tuas recepi. Pridie quam Lovanium petas, indicium facito*. Inde *pridianus*: ut, *Pridiano cibo stomachus meus torquebatur*. Non refertur ad tempus præsens: non recte diceretur: *Adhuc ebrius es pridiana potatione*, pro, crastina. l.2.c. 10. & 33.

Procul, apud quosdam ablativo servit. *Procul urbe*. l.2.c. 11.

Proxi-

l.2.c.12. *Proxime*, *propius*, adverbia, regunt accusativum, sicut *prope*, ut, *proxime Hollandiam Brabantia est*. A

l. 2. c. 50. *Proinde*, ideo, vel potius ideoque. Semper enim dependet a superiori sententia. *Proinde mihi carus es quod literas amas*, non recte dicitur: Sed, *audio te delectari studiis*, *proinde mihi carus es*.

l.3.c.31. & l. 1. c. 13. *Prior*, *prius*, *primus*, & *primum* differunt: Nomina referunt ad personam, adverbia ad tempus. *Quamquam uterque te jam olim amavimus*, *tamen ego te prior. Ad te prior scripsi*, *tu fac ut posterior scribas*: non, *prius* vel *posterius*. *Non prius desines ludere quam ego te virga compescam*. Hic male diceretur, *prior*, quia non sunt personæ, sed tempus. Eodem modo utimur cæteris comparativis & superlativis, *ultimus*, *ultimo* &c.

l. 3. c. 54. *Præter*, *præterquam*, hoc differunt, quod *præter* semper regit accusativum, *Præterquam* illum casum habet, quem habuit verbum præcedens. *Nullius rei avarus sum præterquam laudis*, vel, *præter laudem*. B

l. 3. c. 68. *Propediem*, brevi. *Spero nos propediem simul futuros. Fac te propediem ad nos recipias. Confido propediem barbariem exstirpandam esse*.

Ibidem. *Propemodum*, id est, prope. *Adeo Joannes eruditus est*, *ut propemodum magistrum æquarit*, id est, ut pene sit par magistro.

l. 4. c. 43. *Promontorium*, locus in mari prominens, mons, aut simile aliquid.

l. 4. c. 84. *Primipilus*, qui primipilatum gerit. *Primipilaris*, qui gessit. C

Ibidem. *Proconsul* qui extraordinarie cum potestate Consulari aliquo mittitur. *Exconsul*, qui finiit Consulatum.

Proprætor, qui cum auctoritate Prætoria aliquo mittitur, non qui pro Prætore provinciam tenet.

l. 4. c. 86. *Proquæstor*, qui Quæstoria auctoritate accepta mittitur.

Priscus dicitur de priori ætate, qui sunt extra nostram memoriam, ut *prisci Reges*, *prisca tempora*, *priscis seculis literati in honore habebantur*: *prisca ætas sapientes coluit*, *nostra bene nummatos colit*.

l. 4. c. 66. *Pristinus* dicitur de rebus quæ sub nostram memoriam cadunt. *Ubi est pristinus ille amor quo me complectebaris? Recipe te ad nos*, *ut pristina consuetudine fruamur*, id est, quæ prius inter nos fuit. Sed quando loquimur de rebus quæ non senescunt, *pristinus* semper utendum est, non *priscus*, ut, *Pietas numquam in pristinum statum reditura est*, *nisi Deus nos peculiariter respexerit*. D

l.4. c.9. *Præclarus*, idem quod clarus, sive egregius. *Clarissima*, vel *præclarissima tua virtus ac modestia*. Secundo bonus. Cicero: *O præclarum custodem ovium* (ut ajunt) *lupum*, id est, probum & bonum. *Præclare actum est. Præclare* Virgilius ait, id est, bene.

l. 4. c. 94. *Prudens feci*, id est, sciens: nec habet laudem nec vituperium: *prudenter feci*, semper in laude est. *Imprudens feci*, id est, insciens: nec laudem nec vituperium habet, nisi pro rerum qualitate, ut prudens. *Imprudenter feci*, semper vituperium habet. Qui *imprudens peccat*, veniam meretur: qui *prudens*, flagris dignus est. Eamdem vim habent *sciens* & *scienter*, *insciens* & *inscienter*. *Numquam sciens committam ut te lædam*. Terentius: *Ne forte imprudens faciam quod nolit*, *sciens cavebo*. *Ignoranter* rarissime invenitur, sed *per ignorantiam*: sicut *per imprudentiam*, & *inscientiam* dicimus. E

l. 4. c. 105. *Protervus* minori contumelia, *Procax*, majori licentia, *Petulans* maxima injuria: hæc tria significant & libidinem, & contumeliam. *Procacitas* est licentia turpium conviciorum, qua meretrices & scurræ utuntur. *Petulantia* etiam est intemperantia linguæ. *Petulantissime* multa dixit inter pocula. F

l. 4. c. 107. & l. 5. c. 31. *Præcox*, maturus ante tempus. *Solent enim* (quantum experimento colligimus) *crebræ pluviæ præcoces fructus facere. Præcox ingenium* quod ante ætatem maturuit. *Præcoquus*, *a*, *um*, pro eodem accipitur. *Præcoqua* mala.

Præpropere fit, quod fit ante tempus. Horatius sorori exprobravit amorem *præproperum*.

In Raudén. *Prænomen*. Romani singuli habebant terna nomina: *Prænomen*, *nomen*, *cognomen*. *Prænomen* aut *nomen* interdum commune erat omnibus familiæ ejusdem, sed *agnomen* proprium erat. *Agnomen* accessit ex bene gestis rebus, ut, *Africanus*, *Creticus*, *Caligula*, sed usitatius dicitur cognomen.

Præripio, vide in *rapio*. l.5.c.18.

Pugil qui cæstibus pugnat.

Puerpera est fœmina quæ recenter peperit. Sed *puerperium* est tempus seu partus ipse. In Raudén.

Punctum dicitur, non punctus, est brevissima pars temporis. *Momentum*, est breve tempus. *Punctum* proprie in lineis est, *momentum* in tempore, sed confunditur differentia. Ibidem.

Pulsare est frequentibus ictibus percutere, sed proprie brevi & rotundo instrumento, ut pugno, calce, malleo, saxo, aut etiam mortario: quemadmodum vicinus Laurentii, uxorem mortario *pulsavit*, multo crebrioribus ictibus, quam ipsum mortarium. Dicitur autem a *pello*, quod est ferio. l. 6. c. 47.

Pugillares caret singulari, significat tabellas cereas sive ligneas, sive cujuscumque materiæ, in quibus stylo scribimus. l.3. c.81.

Pupillus, qui caret parente, sed in ea tantum ætate, qua vivit sub tutoribus. *Orphanus*, qui caret patre, & illius opem desiderat, cum sine eo male habeat. Græcum est. l. 4. c. 33.

Q.

Quisque jungitur superlativis, non positivis aut comparativis. Virgilius: l.1.c.14.

Optima quæque dies miseris mortalibus ævi
Prima fugit.

Eruditissimus quisque Grammaticus hæc tradit. Jungitur etiam nominibus numeralibus: ut, *decimus quisque*, *millesimus quisque*. *Septimo quoque die repetendum nobis est quicquid tota hebdomade didicimus*, id est, omni septimo die. *Quinto quoque die ludendi nobis datur venia*. Jungitur huic dictioni *Quoties*, fere interrogative, ut, *Quotusquisque hominum est*, *qui non magis lusibus quam studio delectetur?* quot sunt ex nobis.

Quam, tantum superlativis præponitur: ut, *gratias ago tibi quam maximas*. Sed cum loquimur figurate, hoc est, admiranter & ironice, jungitur etiam positivis. *Quam pulcre curasti quod commiseram? Quam multi sunt*, *qui magis commodi ratione*, *quam amore amicos colunt?* l.1.c.17. & 18.

Quam, alias comparativum sequitur. *Carior mihi est*, *quam quem offendam. Nequior est*, *quam cui fidem habeam*, id est, credam. *Junior es quam ut abs te docear*: & similia. *Quam* pro quantum positivis jungitur, aut verbis, aut adverbiis. *Tam te diligo quam fratrem*. l.1.c.37.

Quod, causalis conjunctio, qua barbari sæpe abutuntur pro, *ut*, sed ea est differentia: *Ut*, significat causam finalem, *Quod* causam efficientem, ut, *Parentes objurgare liberos solent non quod odio habeant*, *sed ut corrigant. Volui ad te scribere*, *non quod quicquam esset*, *quod te scire tua magni referret*, *sed ut intelligeres me tui semper memorem esse*. Post *adeo*, *tantum*, *ita* &c. semper sequitur *ut*, non, quod: quod barbari non observant. Pro *ut*, potest poni *quo*: pro *quod*, poni potest *quia*, *nisi quod*. *Quod*, tam indicativo quam subjunctivo jungitur: *Quia*, tantum indicativo, ut opinor.

Quidem, capitur primo pro conjunctione distinguente res varias; ut, *Ego quidem Rhetorica magis delector*, *tu vero Logica*, *hic autem Grammatica*. Secundo pro exceptione illius, quod affirmas: ut, *si negligenter egeris*, *me quidem summo dolore afficies*, *sed teipsum perpetuo perdideris*. Tertio pro conjunctione expletiva, id est, causa ornatus, aut pro certe, aut pro eo quod Græcis sonat γε, pro quo Latini interdum ponunt *sane*; ut, *Petre*, *quid tibi istic negocii est? Nihil quidem mihi hic negotii*. Ultimo jungitur *ne*, sed interjecta semper una dictione, & hoc cum aliquid vehementer negare cupientes, id quod minus quoque est negamus. Ut si cupientes negare nos aliquem Romæ pulsasse, nos Romæ fuisse negemus. *Tune illum Romæ pulsasti? Ne fui quidem Romæ. Tune hujus es flagitii auctor? Ne conscius quidem fui*. Interdum una tantum pars negatur, & altera negata intelligitur, ut in exemplis prædictis. Interdum utraque exprimitur, ut, *non solum homines non times*, *sed ne Deum quidem vereris. Non solum non scribis quicquam*, *sed ne significas quidem*. l. 2. c. 23.

l. 1. c. 6. *Quæstor*, qui Quæsturam agit. *Quæstorius* qui Quæstor fuit.

l. 2. c. 27. *Quippe*, *utpote*, *quoniam*, conjunctiones causales sic differunt. *Quippe* potest habere suum proprium verbum: *Utpote*, non habet verbum nisi intercedente qui, vel cum: aut certe jungitur adjectivis sine verbo. Exempla de *quippe*, primo cum suo verbo: *Honestior est mors, quam vita sine amico: quippe qui amicitiæ expers vivit, feræ propior est quam homini.* Sine proprio verbo: *Scio te omnia amicissime curaturum, quippe cui amicorum negotia non aliter curæ esse solent, quam propria.* De *utpote* exempla cum qui: *Pueri nisi virga arceantur, ad omnes ineptias prolabuntur, utpote quos natura ad vitia quam ad virtutes pronior, impellit.* Cum, *cum*: Plinius: *Utpote cum quidam annuo & biennii spatio duraverint.* Cum adjectivis sic: *Semper te mihi colendum statui, utpote virum tum literatum, tum probum.*

Ibidem. *Quoniam*, hoc habet privilegii, quod potest causam præponere toti orationi. *Quoniam una esse quoties libet, non licet, cura frequentius ad me scribas.*

l. 2. c. 42. *Quatenus*, *quando*, *quandoquidem*, idem significant, id est, quoniam. Sed *quatenus* ita accipitur dumtaxat apud seculum Quintiliani, quod incipit a Livio, Virgilio, Horatio. Nam Cicero utitur, pro *inquantum*, sicut *eatenus*, pro *intantum*.

l. 2. c. 45. *Quin*, primo, ut non. *Non potui committere in tanta tabellariorum copia, quin ad te scriberem.* Secundo quin etiam; ut, *Petre ego tibi omnibus in rebus adero, quin patrem meum spero non defuturum.* Tertio cur non. *Quin hujus nequissimi convictum fugis, aut me amicum putare desinis esse.*

l. 2. c. 49. *Quoties* pro *quando* posuit Quintilianus.

l. 3. c. 12. *Questus* quod habet in dativo & ablativo *questubus* per *u*, significat querelam a queror, vel conqueror. *Quæstus* quando habet *quæstibus* per *i*, significat lucrum nummarium a supino *quæsitum* per syncopen.

l. 3. c. 16. *Quisquis* & *quicumque* idem significant, nisi quod *quicumque* non semper requirit suum verbum, ut, *Sat erit quocumque modo tentasse.*

Ibidem. *Quidquid*, vel sic, *quicquid* substantivum est. *Quicquid virtutis, quicquid gaudiorum.*

Ibidem. *Quodcumque* adjectivum est, ut, *quodcumque telum, quodcumque donum*, &c. Similiter differunt *quod* & *quid*.

l. 1. c. 13. & l. 3. c. 16. *Quid*, primo *in quo*; ut, *quid te læsi? Quid de te male merui*, id est, in quo. Secundo, cur. *Quid tristis es?* id est, cur. Simili modo accipitur *nihil*, id est, in nullo vel ob nihil. *Nihil me læsisti.*

l. 3. c. 16. & 63. *Quidam* unum certum hominem significat; *Vocat te quidam*, non aliquis. *Quispiam*, *aliquis*, significant unumquemlibet. *Veniat huc quispiam*, vel *aliquis vestrum*, non quidam vestrum. *Quisquam* amat orationem interrogativam aut negativam. *Num debeo tibi quicquam? Non reperies quemquam.* Ejusdem fere naturæ est *ullus*.

l. 6. c. 60. *Quotannis*, id est, singulis annis, vel de anno in annum. Non autem usitate dicitur, *quot diebus, quot horis, quot mensibus* pro singulis horis, diebus, mensibus.

In Rauden. *Quilibet* non universale, sed indefinitum est. Quintilianus: *Quamdiu quilibet unus ex civibus superfuerit*, id est, unus aliquis, quicumque sit ille. *Voca quemlibet*, id est unum quemvis.

In Rauden. *Qui*, quum est ablativi casus, duobus tantum modis ponitur. Aut cum præpositione, postposita cum, ut, *Quicum loquitur* Petrus? *Nemo est quicum vivere malim, quam tecum*, id est, cum quo. Aut interrogat, quod exponitur per quomodo: *Qui potuit dissimulare?*

In Rauden. *Quadruplator*, est qui ex delatione quartam partem bonorum damnati exspectat.

R.

l. 5. c. 18. *Rationem habere*, cum genitivo significat respectum habere. *Hactenus honestatis rationem habui, nunc commodi habenda est ratio. Habe famæ tuæ, habe salutis rationem.* Et hoc modo capitur semper in bonum. *Rationem habere* cum præpositione *cum*, significat habere commercium. *Quando hominum fides periit, cum solis literis rationem*, id est, commercium, *habebo. Cum nemine, nisi cum Deo, rationem habe, qui solus fallit neminem. Ratio constat*, id est, facile aut ratio ostensa est, aut posse ostendi apparet. Plinius: *Mihi & tentandi aliquid & quiescendi illo auctore, ratio constat.*

Rapere, primo auferre vi. Inde *rapina*. Secundo *vitare*: *Etiamsi non auferat virginem.* Seneca: *Rapta raptoris, aut mortem aut indotatas nuptias petat.* l. 3. c. 83.

Præripere est eripere, sed in suos usus. *Præripuit illi palmam, gloriam, laudem.* *Præripere* interdum significat ante capere, sed fere in passivo. *Immatura morte præreptus.* De priori significato exemplum. *Mane illi surgendum censeo, qui tibi partes præripiat tuas.* *Eripere* idem significat, sed non in suos usus. Cicero: *Eripuisti mihi omnes bene vivendi facultates. Eripuit illi vitam. Eripere* cum ablativo, significat liberare. Virgilius: l. 5. c. 68.

Eripe me his invicte malis.

Recalvaster, qui fronte calva est. l. 1. c. 5.

Repetundarum & *repetundis* tantum dicitur, nec habet plures casus. *Accusatus est repetundarum*, supple pecuniarum, vel *de repetundis* pecuniis: aut intellige quascumque res pretiosas. Competit in eos hæc actio, qui in magistratu gesto surripuerunt pecuniam, aut alia. l. 1. c. 34.

Refert & *interest* impersonalia, junguntur ablativis his: mea, tua, sua, nostra, vestra, cuja. Cæteris in genitivo. Adduntur nomina mensuræ in genitivo hæc: tanti, quanti, magni, parvi. Cætera adverbialiter junguntur. *Cuja refert de hoc pronunciare? Mea, vel Petri. Quanti tua refert? Mea magni refert, quibus adolescens assuescat moribus. Plurimum interest omnium cujusmodi sit princeps.* Additur & genitivus. *Vestra omnium, nostra omnium refert. Tua ipsius, mea solius, aut unius refert.* l. 2. c. 1.

Relativum nonnumquam dissidet a suo antecedente, sed convenit cum substantivo sequenti in genere & in numero. *Est locus in carcere quod Tullianum appellatur. Omnes barbari (quæ maxima hominum turba est) literas rident.* Item relativo nonnumquam respondet dictio, cum deberet respondere sequenti substantivo. Virgilius: l. 3. c. 19. Ib. c. 2.

At puer Ascanius, cui nunc cognomen Iulo:

pro Julus. *Scipio cui Africano fuit cognomen.* Relativum nonnumquam causa venustatis convenit cum antecedente in casu. Sed hoc modo fere præcedit relativum antecedens, ut, *quas ad me dedisti literas, fuere suavissimæ. Quem mihi commendasti hominem, fratris loco erit:* hominem pro homo. Poetæ relativum postponunt. Virgilius: Ibidem.

Urbem quam statuo vestra est.

Refero tibi, id est, narro tibi. *Referam tibi eventum meum.* Secundo, *Retulit mihi literas tuas*, id est, pertulit. Tertio, *Refero ad te de his rebus*, id est, propono in consultatione. *De gravibus causis ad magistratum referre*, id est, magistratum consulere. l. 5. c. 31.

Refero tibi acceptum, id est, fateor me abs te recepisse, & capitur tum in bonum tum in malum. *Si quid in me virtutis, si quid literarum*, &c. *tibi debeo, tibi acceptum refero. Omnia mala, in quibus jam olim hæreo, tibi accepta refero*, sive *fero*. l. 5. c. 200.

Retuli expensum, id est, rationem de impensis confeci, vel exhibui: ut, œconomus Euangelicus jubetur *referre expensum*. Ibidem.

Reperire, est casu offendere non quæsitum; ut, *reperi Petrum hodie in foro*, id est, offendi, vel obvium habui. *Res multum diuque quæsita, sæpe ubi quæri desierint, ultro reperiuntur.* l. 5. c. 2.

Repere, notum. *Reptare*, sæpe accipitur pro lente & tarde ire, ut qui spatiantur in hortis. Plinius: *Frequentior currentibus, quam reptantibus lapsus est.* Horatius: l. 6. c. 5.

Et sylvas inter reptare salubres.

Erepere, lento incessu & difficulter perficere iter.

Regionatim, per singulas regiones. *Oppidatim*, per singula oppida. *Provinciatim*, per singulas provincias. *Summatim*, id est, in summa, vel per summas. l. 6. c. 20.

Rescíscere, est rem postquam gesta est scire, quam nesciebas quum gereretur. *Si magister resciverit, uterque vapulabimus. Rescivit omnem rem.* Ibidem. l. 6. c. 21.

Restibilis ager, qui singulis annis seritur. Cui contrarius est novalis. l. 6. c. 42.

Reus est, non qui nocens, sed qui accusatus atque in judicium vocatus. Unde & *actor* & *reus* vocantur in jure, In Rauden.

re, pro accusatore & accusato, etiam si sit innocens. Inde *reatus*.

l. 5. c. 63. *Refigere*, est quod fixum est educere. Horatius:

Quamvis clypeo Trojana refixo
Tempora testatus.

Idem:

Refixa cœlo devocare sidera.

Pythagoras enim in templo clypeum fixum muro columnæ, detraxit, dicens se illum illic fixisse olim, cum anima sua habitaret in Euphorbo, tempore belli Trojani. Et Cicero legitur tabulas Clodianas *refixisse*, id est, fixas eduxisse vel detraxisse.

l. 5. c. 53. *Retegere*, est aperire quod tectum erat, *Cave retegas quæ nobiscum gesta sunt*. Juvenalis:

Si tibi zelotypæ retegantur scrinia mœchæ.

Ibidem. *Retexo, is, ere*, quod textum erat dissolvo. *Quid facias? Sic homo est, non potest retexi* aut *recudi*.

l. 5. c. 63. *Recludo*, quod clausum erat aperio. *Domum revertens, arcam meam reclusam reperi, furtum suspicabar.*

Ibidem. *Revelare*, est tollere velum.

In lib. de reciprocis cap. 3. *Resigno*, quod signatum est relaxo vel patefacio. *Reciprocum* dicitur, quod eo redit unde prodiit. *Spiritus reciprocatur*, cum rursum resorbetur. Et unda a littore excussa, rursus littus alluens, *reciprocari* dicitur. Et horæ *reciprocantur*, cum expleto legitimo cursu, rursus ad pristinum ordinem redeunt. Haud aliter pronomina *reciproca* ad id unde prodierant, revocantur, hoc est, ad agentem.

Ibidem. Duo sunt pronomina reciproca: Alterum primitivum, quod vocant, *Sui, sibi, se, a se*, generis omnis & utriusque numeri. Alterum possessivum, *Suus, sua, suum*. Reciproco pronomine nunquam Latine utimur, nisi aliquod præcesserit nomen in eadem oratione, aut altera unita per copulam, ad quod referatur. Nam, vis *patrem suum, Pone ad pedes suos, Dedit sibi*, &c. Pro *illius, ejus*, & *ei*, barbare dicuntur. Dixi, aut altera unita per copulam: nam, *Obsecravit me ut se adjuvarem. Petiit me ut suo filio opitularer:* Latine dicitur. Sed si tollas copulam, barbarismus erit: ut, *Petrum semper amavi, filio suo non tam bene cupio:* non Latine dicitur.

Ibidem. Error vulgi utentis vel abutentis *sui*, pro *ejus* & *illius*, partim inde profectus est, quod nonnulli auctores his abusi videantur: Partim, quod ita obscure usi sint, ut minus periti nequeant perspicere, ad quod fiat reciprocatio. Interdum tamen Latine pro *sui* & *suus*, licet uti *ipsius, ejus*, vel *illius:* & maxime amphibologiæ vitandæ causa, nonnumquam varietatis aut ornatus gratia. *Omnes optant quod sibi utile est, tibi, ipsi. Ille repetit quod suum,* sive *ipsius est*. Hæc indifferentia sæpe fit interventu præpositionis, sed crebrius per *ipse* quam *is*. Quintilianus: *Quamquam aliqui reperiuntur, qui ne id quidem quod in ipsos recidere posset, evitent*.

In lib. de resiprocis cap. 8. Hæc autem præpositio *inter*, id habet peculiare, ut si antecesserit genitivus, dativus aut ablativus, semper liceat uti *ipse* & *sui*. Si præcesserit accusativus aut nominativus, reciprocum postulat. Cicero: *Nec mihi cæterorum judicio videtur solum, sed etiam ipsorum inter ipsos consensu.* Id de genitivo exemplum est, nunc de dativo. Quintilianus: *Circa quem inexplicabilis & Grammaticis inter ipsos & Philosophis pugna est.* De ablativo. Idem: *Nam in magnis quoque auctoribus incidunt vitiosa aliqua, & a doctis inter ipsos etiam mutuo reprehensa.* Exempla de nominativo & accusativo. Cicero: *Quod inter se omnes partes quodam lepore consentiunt;* non, inter ipsas. Idem: *Damonem & Pythiam Pythagoreos ferunt hoc inter se fuisse animo;* non inter ipsos. Id quod dictum est de primitivo, itidem fit in possessivo *suus*. Tamen hic nonnulla differentia est, eam vide. Si substantivum reciproci *suus*, respicit ad suppositum verbi, id est, nominativum, qui præcedit verbum, tum elegantius utimur *suus* quam *ipse*, aut *ejus:* ut, *miseretur nostri Deus propter suam clementiam. Inclamat me ante domum suam:* potius quam *ejus*. Si substantivum respicit ad oppositum verbi, id est, obliquum qui sequitur verbum, tum præstat uti *ipse, is*, quam *suus:* ut, *Ejeci columbam e nido ipsius. Alloquutus sum Petrum ante domum ejus*, potius quam *suam*. Tamen nec ratio, nec auctoritas vetat contrarium fieri. Si tamen apposito adjungatur adjectivum aut verbum, ad quod fiat reciprocatio,

A *suus* utendum est, non *ipsius*. *Video columbam tristem in periculo pullorum suorum.* *Suus* possessivum non semper reciproce accipitur, sed interdum proprius: ut, *Suus cuique mos est, sua cuique sententia. Trahit sua quemque voluptas. Phœbo sua semper apud me Munera sunt. Sua cuique reddenda sunt. Vivit cum suis. Inventus est inter suos*, &c. In lib. de reciprocis. cap. 12.

Rhetor, qui profitetur Rhetoricam artem, sicut & Grammaticus, &c. *Orator*, qui causam agit in concione aut in judiciis, qualis fuit Cicero noster. *Declamator*, qui aut in scholis, aut secum fictam causam agit, ut possit veram rectius agere. B *Declamare* est exercere se in orando ficte. Inde Declamationes Quintiliani. l. 4. c. 82.

Ridiculus, a, um, adjectivum, non substantivum. *Res ridicula*, id est, digna propter quam rideatur. Juvenalis: l. 1. c. 51.

Nil habet infelix paupertas durius in se,
Quam quod ridiculos homines facit.

Ripa, est extremitas terræ, quam aqua fluminum, torrentium rivorumque alluit, & potest esse alta. *Littus* est maris. Poetæ tamen confundunt. In Raudem.

Rosarium vel *rosetum* pro eodem, locus rosis consitus. l. 1. c. 6.

Rursus, iterum vel e contrario. *Olim te oravi, rursus te oro. Improba muliere nihil nocentius, rursum proba nihil* C *dignius.* l. 2. c. 56.

Rumor & *fama* idem significant; scilicet, aliquos sermones in populo, incerto auctore, de re nova. Fama tamen interdum inveterata est, ut Ausonius: l. 4. c. 7.

Fama est fictilibus cœnasse Agathoclea Regem.

Rumor Latinum est. *Fama* e Græco ductum.

S.

Sane, id est, certe, affirmat. *Ita sane est*. Secundo, valde, ut, *Vir sane literatus*, id est, valde. *Adolescens sane nobilis*. Tertio permissive accipitur. *Sit sane ita ut ais. Sim sane male de te meritus*, id est, esto, sit ita ut vis. l. 2. c. 27.

Sarcina, res simul compositæ, ut qui iter faciunt, *sarcinas portant*. Qui in aliam domum immigrant, *sarcinas componunt*. l. 4. c. 49.

D *Saltus* est sylva invia, nec viatori pervia, in qua pecudes æstivare solent. *Sylva* generalius est nomen, & solet esse cædua. *Lucus* non cæduus, id est, non cæditur, aut succiditur, sed est consecratus alicui Deo, aut funeri. *Lucus Martis, Lucus Dianæ*. Solet enim apud veteres esse magna religio lucorum, quod Judæis vetitum erat. *Nemora*, voluptatis gratia comparata sunt, & plena voluptatum, ut fontium, umbraculorum aut similium. l. 4. c. 56.

Saluber vel *salubris*, dicitur qui præbet sanitatem. *Aër saluber. Potus salubris. Somnus saluber. Vinum male habentibus salubre non est, sanis saluberrimum.* Sed *sanus*, qui accipit & tenet sanitatem. *Sanus homo. Sana* E *mens. Sanum corpus.* Dicitur tamen *salubre corpus*, bonæ valetudinis, non *homo saluber*. l. 4. c. 88.

Satiare ad omnes sensus attinet, & transfertur sæpe ad animum. *Saturare* ad gustum tantum pertinet: & hoc confunditur. l. 5. c. 78.

Salio, salis, salire, est saltum facere; ut, *cicada salit. Catus salit.* Tamen invenitur pro *salto*. *Saltare*, ducere choros. Ovidius: l. 5. c. 103.

Si vox est, canta: si mollia brachia, salta.

Inde *saltatio* & *saltatus*, chorea. Nam *saltus* a *salio*, significat aliud. Invenitur & pro inire coitu. Unde & *salaces* dicuntur libidinosi.

Salve dicitur tam advenientibus quam quos relinquimus. *Salve pater. Salvum te advenisse gaudeo.* Salutamus F etiam in fine Epistolarum. *Vale* est usitatius. l. 6. c. 30.

Scaber, a, um, id est, sordidum, etiamsi non sit asperum contactu. *Dentes, ungues sordidos, scabros dicimus.* In Raudem.

Scorpius scorpii, non scorpio scorpionis ita Valla. Imo utrumque invenitur, ut *pavo* & *pavus*. In eundem.

Sciscitari, percontari. *Sciscitare* ex patre quomodo se habeat. l. 5. c. 61.

Scurra, qui captat risum ab audientibus non salva dignitate personæ. Inde *scurrari*, scurram agere. l. 4. c. 51.

Scilicet & *videlicet* significant certe, sed frequenter l. 2. c. 6.

cum

cum quadam amaritudine & irrisione usurpantur. *Id patri curæ est, scilicet. Tu alios docebis, scilicet, qui ipse docendus es.* Secundo capitur affirmative. *Petre, tune cras rediturus es huc? Scilicet.* Tertio, cum enumeratis multis confuse, definimus per, *scilicet. Quatuor sunt virtutes cardinales, scilicet, justitia*, &c. Sed hic modus vix apud doctos reperitur. *Videlicet* usitatius.

l. 3. c. 31. *Scalæ scalarum*, tantum pluraliter dicuntur, licet quidam singularem usurpent: a *scandendo*.

l.1.c.8. *Sculptile*, quod sculptum est. *Statua sculptilis*, ut fusile & fictile.

l. 1. c. 30. *Scitus, sciens*, active significat, *Scite respondet.* Secundo *scitus*, bellus aut elegans. Terentius: *Scitus puer natus est Pamphilo. Scite*, id est pulcre. *Scite tu quidem* B *pingis, sed charta tua perfluit.*

l. 1. c. 6. *Seminarium* & *semen* idem sunt, ut planta & plantarium.

l.1.c.2. *Sector*, qui accusat alium, & ex damnatione ejus exspectat dimidiam partem bonorum ejus.

l. 1. c.8. *Sectile* quod natura dissectum est, ut sectile porrum.

l. 2. c. 46. *Secundum* præpositio, primum significat post. Cicero: *Proxime autem & secundum Deos homines hominibus maxime utiles esse possunt.* Secundo, juxta: *Petrus secundum aurem vulneratus est*, id est, juxta aurem. Tertio, pro: ut, *Secundum me judica*, id est, pro me. Quarto, in: *Secundum quietem*, id est, in quiete somni. Di- C citur etiam, *secundum Platonem*, id est, ex sententia Platonis.

l.4.c.6. *Senes*, qui multos habent annos. *Veteres* qui priore & ante nos ætate fuerunt, licet non attigerint senium. *Antiqui*, utrique dicuntur, sed magis veteres quam senes. *Veteres auctores*, id est, prisci, non senes vel antiqui duces. *Senibus deferendum est*, vel *antiquis*, non *veteribus.* Tamen *vetulus* pro sene videtur posse accipi. *Senium, senecta, senectus*, idem significant, nisi quod *senium* pro tristitia usurpatur. *En pallor, senium.*

l. 4. c. 24. *Sementis* est satio vel seminatio ipsa, non semen. *Ut sementem feceris, ita & metes. Seges* est eorum seminum, ex quibus conficitur panis, nondum demessa. D Capitur a Poetis interdum pro terra subacta. *Fruges* vide loco suo.

l. 4. c. 63. *Seditio*, tumultus populi.

l. 4. c. 84. *Senator*, qui aut est Senator, aut fuit. Nam *Senatorius* non dicitur nisi possessive: ut, *Senatoria dignitas, Senatoria domus.*

l. 4. c. 107. *Sero*, post tempus. *Sero pultem coxeris agro vita defuncto. Sero consulis quid fieri oporteat re jam peracta.* Seneca: *Sera parsimonia in fundo.* Secundo, tarde.

Serotinus, id est, vespertinus, (ut quidam volunt) *Hora serotina.* Aut *serotinum* quod sero provenit. *Serotina uva, serotina ficus, serotinæ fruges*, id est, quæ tardius maturescunt quam legitimo tempore. *Præcoces* & E *præcoquas*, vide loco suo.

l. 5. c 6. *Sedet* homo solus, & simia ex terrestribus. *Aves sedent in alto*, ut in culmine tecti, in arbore, in capite hominis, & cæt. *Sedet* quod quadrat, & *sedet* quod fixum est animo. *Hæc sarcina non sedet humeris meis. Etsi ista sententia sedet animo.* Ita *sedes* in qua *sedemus*: & *sedes* regio, in qua habitamus. *Frequenter alibi nati, alibi sedem habuerunt.*

l. 5. c. 48. *Sententiam dicere* est Consiliarii. *Dic sententiam tuam. Sententiam dicere*, nonnumquam est ferre sententiam. *Iniquissimam dixit* vel *tulit in eum sententiam. Dicere leges*, vel jus, est judicis. *Ferre legem*, est ad populum deferre. F

In Raudem. *Sevum* sive *sebum*, pingue durum. Unde *candela sebacea.*

Seriosus non dicitur, sed *serius, a, um*, id est, gravis, severus. *Sed tamen amoto quæramus seria ludo. Serio*, ex animo.

l.1.c.5. *Siliquastrum*, est siliqua sylvestris, ut sterilium avenarum. *Siliqua* est tunica hordei, vel nomen arboris.

l.2.c.15. *Siquidem*, una dictio, prima brevi, idem quod namque; ut, *Qui præceptores non colit, plane impius est: plus enim illis debemus quam parentibus, siquidem ab his vive-* A *re accepimus, ab illis bene vivere. Si quidem*, duæ dictiones interdum sunt; ut, *Pulcerrimum tibi ingenium natura contulit, si quidem tu excoleres.*

Sin, idem valet quod si, nisi quod semper in secunda l.1.c.12. parte ponitur: *Si*, in priore. *Si literis studiose incumbas, maximam tibi gloriam comparabis: sin inertiæ vacare malis, id senties posterius.* Imperiti utuntur *sin autem* pro si non, sed barbare. *Sin minus, sin aliter* dicendum est, non, sin autem.

Simul geminatum, videtur significare quod, &, geminatum; ut, *frequenter ad me scribe, simul ut, quæ est in te, dicendi facultatem exercitatione augeas, simul ut meum tui desiderium leves. Una* raro hoc modo invenitur, nec *Pariter* quidem. l. 2. c. 32.

Sicubi, id est, si alicubi, duo verba postulat. *Sicubi te hodie offendero, non evades.* l. 3. c. 27.

Sicunde, id est, si alicunde, duo verba postulat, ut sicubi. Ibidem.

Sinus, est intra complexum brachiorum & pectoris. *Absconde in sinu. In tuum sinum inspue, & facile aliis exprobrare desines. Gremium* vide loco suo.

Signa præter vulgarem significationem, significat l.4.c. opera fusilia, aut sculptilia, aut hujusmodi ad effigiem 115. animalium fabricata.

Sisto, primo facio stare. *Siste gradum, siste lacrymas, siste fugam.* Secundo, repræsento ut maneat. *Siste illum judicio. Jussit eum judicio sisti.* Inde *stator, oris*, dicitur nuncius Consulis, &c. aut similis persona. *Statorem* etiam Jovem vocamus a *sistendo*, quia Romulum orantem, ut fugam suorum sisteret, adjuvit. Habet sisto *statum* in supino, ut sisto, *steti, statum.* l. 5. c. 6.

Sido, is, ere, prima longa, tendere deorsum. *Ova plena sidunt in aquis. Aves sidunt, cum ad sedendum in arbore, devolant. Mare subsidit*, cum decrescit: *Et tumor animi subsidit. Sido* tertiæ conjugationis est, & mutuatur præteritum a sedeo, habet enim *sedi. Subsido, desido, resido, subsedi, desedi, resedi.* Ibidem.

Situs, significat primo qualitatem loci. Secundo, l. 6. c. pædorem, id est, sordes & illuviem, quæ est in locis o- 23. pacis, ut in carceribus & penariis. Transfertur ad animum & ingenium, quod dicitur sibi quemdam *contrahere situm* solitudine & otio.

Simultas, est mutuum odium, sicut amicitia mutua In Raudem. benevolentia. Nam odium potest esse unius hominis. *Rancor* non est Latinum, neque Græcum, neque Hebræum, sed Raudense.

Solutilis, est quod facile solvitur: ut, *navis solutilis*, l.1.c.8. quæ non est fideliter compacta.

Somnus. Composita hujus verbi quædam sunt secun- l. 1. c. dæ declinationis, quædam tertiæ. *Semisomnus* frequen- 20. tius invenitur. *Semisomnus*, qui non perfecte dormit, quales sunt recens experrecti. *Insomnis* tertiæ declinationis, dicimus pervigil. *Totam pene noctem insomnem egi*, id est, sine somno.

Socius socio est, non comes comiti, sed duci. *Socius* l.4.c. plerumque est in rebus seriis, & fortunæ subjectis. 38. *Turpe est te illi in prosperis socium adfuisse, & in afflictis deserere. Socius studiorum. Sodalis* plerumque est in rebus levioribus, in conviviis, in lusibus, &c.

Solatium, ipsa consolatio, sed in rebus ipsis est. *Solatium est miseris socium habere miseriæ. Solamen*, idem est, sed magis apud Poëtas tritum. *Consolatio* fit verbis. [1] *Qui se in miseriam mittit, ipse se consoletur necesse est. Ipse me consolor.* l. 4. c. 77.

Solstitium, est cum sol in [2] centro stat, id est, neque l. 5. c. 6. adscendit, neque descendit in Zodiaco.

Sollicito te, id est, metum, spemve tibi ostendo, ut l. 5. c. *sollicitare plebem.* Vel *inquieto*, & *curam injicio.* 88.

Spectaculum, quod spectatur, ut ludum funambuli, aut jaculatorium, *spectaculum* dicimus. *Non hoc ista sibi tempus spectacula poscit.* Secundo, ipsa spectatio. *Filius præsente matre trucidatur, o acerbum spectaculum.* Tertio, lo-

1 Adde: *& tacitis cogitationibus*, ut subjecta exempla suadent.
2 Dicendum fuit *in Tropico*, cum neque ad Septentrionem accedit, neque ad Meridiem recedit, aut certe accedere aut recedere non videtur. Res est pueris nota. Forte scriptum fuerat *in Cancro*, hoc est, in signo *Cancri.*

locus unde spectatur: *sedebat in spectaculo, & de spectaculo decidit.*

l. 5. c. 47. *Spero* & *confido* tam de præsenti & præterito, quam de futuro. *Qua mea sit sententia, spero te intelligere*, id est, credo. *Confidimus* rem nostram tibi curæ esse. *Confido fore, ut te de me bene meritum esse non pœniteurit.* Cætera nota sunt.

In Raudem. *Sphæra*, undique rotunda, Latine orbis.

Specula, est locus unde fiunt excubiæ, ne hostes veniant.

Sperma Græcum, nihil aliud est quam semen Latinum. *De semine*, Græce *de spermate Abraham.*

l. 1. c. 8. *Structilis*, hoc est, quod constructum est multis lapidibus. *Structiles* columnæ.

l. 4. c. 29. *Strepitus*, primo significat sonum qui fit ex collisione multarum rerum, & ex confusione vocum in unum, seu pedum ambulantium, ut in exercitu. Secundo capitur pro fastu & pompa divitiarum, e strepitu comitantium.

Ibidem. *Stridor*, est acrior & quasi sibilans collisio, ut, cardines dicuntur *stridere*. Et *stridor dentium.*

Strues, est proprie acervus lignorum.

Strages, est multitudo cadaverum interfectorum humi jacentium.

l. 4. c. 113. *Stultus*, qui improvidus & imprudens est. *Multi sapientes stulte agunt.* Ergo non a natura est *stultitia*. *Fatuus* naturæ vitio non sapit. Unde & betas *fatuas* dicimus, quod natura insipidæ sunt, non stultas. *Stultitiam* Rhetores appellant, quum quis dicit quæ causæ officiunt quam tuetur.

Stolidus, qui proxime accedit ad naturam brutorum. *Fatuus* qui nihil sapit. Videtur esse a natura. *Cibi fatui*, qui non sapiunt.

l. 3. c. 6. *Stare*, est fluvii cum stagnat, Solis cum in [1] cancro est, Juris cum clausum est forum. Unde solstitium & justitium. Aves item in aëre non volantes *stant*. Homo *stat*. Pisces *stant* in aquis cum pendent immobiles. Præterea omnia erecta *stant*, crines, arbores, &c. Transfertur ad res animi. *Stat sententia.*

l. 6. c. 42. *Stella*, singularis est. *Sidus* idem significat, sed interdum usurpatur pro signo compacto ex multis stellis: ut *aries*, *taurus*, &c. Inde *sidus hibernum*, id est, signum hibernum.

Stuprum, est omnis coitus lege vetitus, cum nupta, cum virgine, cum cognatis, cum Vestalibus. *Adulterium*, est cum nupta. Igitur omne *adulterium* est *stuprum*, sed non e diverso. *Incestus* cum virgine sacra, aut proxime cognata committitur.

l. 6. c. 46. *Stragulum* vel *stragula*, vestis est, quicquid insternitur vel lecto, vel equo, vel alii rei, quod in festis ante altare sternunt in pavimento, *stragulum* rite vocabimus.

Sternere, dejicere est, & hujus verbi significatum invertitur, *sternimus* ramos humi, *sternimus* vestem lecto. Tamen frequentius dicitur: *sterne humum floribus, ramis. Sterne equum stragulo. Sterne mensam mappis.*

Strophium, est panniculus delicatus ad tergendas nares.

l. 1. c. 6. *Stipendiarii*, qui Principi aut Reipublicæ stipendia solvunt. *Stipendiati*, stipendio conducti.

l. 1. c. 5. *Surdaster* diminutivum a surdus.

Sutilis, id est, consutus. *Sutilis cymba.*

Supina in *tum*, si addatur *ire* vel *iri*, futurum significant, cum quodam motu præsenti: *ire* active, *iri* passive: ut, *Video operam in te meam perditum iri. Scio magistrum rescitum ire.*

l. 1. c. 29. *Supina* in *tu*, a verbis passivis oriuntur, sicut illa ab activis: nec significant motum de loco, vel actum, ut barbari volunt, *Venio lectu, a legendo*: sed passive significant, & junguntur adjectivis tantum. *Dignum auditu. Miserabile visu. Absurdum relatu. Difficile creditu*, id est, ad credendum, vel ut credatur, &c.

l. 2. c. 80. *Subinde*, primo inde, vel deinde, statim. *Si negabit, subinde illi testes proferto.* Secundo identidem, id est, frequenter, cum quodam intervallo: ut, *lepus cum canibus insectantibus premitur, subinde respicit. Identidem* pro eodem capitur. *Quid tam subinde vultum mutas*, id est, quid nunc hilarem vultum, nunc tristem ostendis? *Subinde loquelam mutat*, vel *identidem*, qui nunc Græce, nunc Latine, nunc Gallice, nunc Teutonice loquitur. *Polite scribere cupientem, necesse est calamum identidem* vel *subinde reparare. Galli gallinacei inter bibendum identidem*, vel *subinde suspiciunt.*

Super, contiguitatem dicit. *Sedet super lapidem*, non *supra*. l. 2. c. 53.

Supra, non dicit contiguitatem. *Supra nos volat aquila, non super. Super*, relativum habet *subter*. *Supra* relativum habet *infra.*

Suburbanum in singulari & plurali significat prædium extra urbem. *Suburbana* in plurali, significat frequentias domorum extra urbem, quæ tamen sub urbe sint.

Sutrina officina sutoris, ubi fiunt calcei. *Sutor*, qui calceos suit. l. 4. c. 44.

Suffragia, sunt favores eligentium, ut in comitiis, in eligendo Episcopo. *Suffragari*, auxiliari, sed verbis aut calculo. Nonnumquam etiam factis. *Refragari*, id est, repugnare, sed proprie verbis. l. 4. c. 71.

Supplicare, est gestu, id est, complosione manuum, flexu poplitum, cervicis inclinatione, & item voce adorare. *Supplex* qui submittit se ut impetret.

Synecdochen Oratores maxime fugiunt, ut hæc oratio, *pulcra facie*, potest multifariam dici. Petrus est *pulcer faciem*, & *pulcer facie*: & in his duobus modis est synecdoche, quare tantum triti sunt apud Poetas & Historiographos. Item dicitur, *Petrus est pulcra faciei*, vel *est pulcra facie*, sed extremum est ornatissimum. *Excelsus animum, excelsus animo, excelsi animi, excelso animo.* l. 3. c. 17.

[2] *Syncerus*, a σὺν, quod est *con*, & *cera*. Donatus dixit *sine cera*, significat integrum, sine dolo, & purum. l. 6. c. 37.

T.

Tantum & *quantum*, *tam* & *quam* (quæ idem valent) positivis junguntur. *Tanto* & *quanto* comparativis: aut certe ante, post, aliter, alius, secus, &c. quæ habent vim comparativorum, *Literæ tuæ tanto fuere gratiores, quanto diutius desideratæ. Tam mihi carus es quam frater.*

Tametsi, idem quod *& si*, jungitur tam indicativo quam subjunctivo. *Tametsi nihil novi hic fuit quod ad te scriberem, tamen aliquid scribere volui*, potuit dici, *fuit*, vel *fuerit*. l. 2. c. 24.

Tantisper adverbium temporis est, id est, *tam diu*, & postulat post se *dum*, aut *donec*. *Tantisper sine te detineri dum venti secundi flare cœperint.* Sed barbari utuntur pro tantum vel tantillum, sed mendose. l. 2. c. 48.

Tanti, *quanti*, *tantidem*, *quantilibet*, *quanticumque*, *pluris* & *minoris*, semper in genitivo junguntur, numquam in ablativo, his verbis, *Emo*, *vendo*, *venundo*, *vaneo*, *mereor*, *comparo*, *æstimo*, *taxo*, *liceor*, *addico*, *distraho*, *metior*, *constat*, *conduco*, *loco*, *fæneror*, *pacifcor*, *pango pepigi*, *condemno*, *postulo*, & similibus. Cætera omnia nomina mensurarum, sive sint certæ, sive incertæ, junguntur in ablativo, & numquam in genitivo. *Quanti est emptus codex tuus?* Respondebis *magno*, & non *magni*. *Hic liber minoris emptus est quam tuus*, non, *pluri* vel *minori*. *Quanticumque alius æstimet, ego non magnifacio*, non dicendum est *quantocumque*. *Hanc rem tantidem tibi tradam, quanti mihi constat.* Si interrogetur per *quanti*, respondebitur in ablativo. *Quanti emisti hunc librum? tribus stuferis. Quanti emptus est codex? magno* vel *parvo. Quanti ergo? tribus nummis. An pluris? Non pluris, imo minoris.* Si *tanti* & *quanti*, *pluris* & *minoris*, jungantur substantivis, ponenda sunt in ablativo, non genitivo. *Tanto precio emi, quanto tu*, non tanti precii. l. 3. c. 1.

Taberna, est locus ubi merces venduntur. *Taberna vinaria*, *lanaria*, *olearia*, ubi divenditur oleum, lana. l. 4. c. 44.

Tabula, interdum sunt opera Pictorum. *Tabula Apellis.*

Tandem, id est, post longam moram. Virgilius:

Tandem progreditur magna stipante caterva.

Tandem interdum habet urgens quiddam & accelerans, eo-

1 Adde *aut Capricorno*; neque enim minus est solstitium hibernum, quam æstivum.

2 Vide *Vossium* in Etymologico, ubi *Vallam* confutat.

eoque fere per interrogationem. *Dic quid tandem est quod peccavi? Qua tandem ista audacia est, docere quod non didicisti?* A

l.3.c.1. *Tantumdem* & *tantidem*, non habet alios obliquos. *Tantumdem*, æque tantum: *sive tu proficias, sive non, mihi tantumdem commodi erit.*

l.1.c.6. *Tectorium*, est incrustatio parietum. Transfertur ad omnem fucum.

Tenus præpositio semper postponitur suo casui, qui si sit singularis numeri, in ablativo ponendus est: ut, *capulo tenus, collo tenus, umbilico tenus, Nilo tenus, Æthiopia tenus*, id est, usque ad Æthiopiam, Nilum. Si dictio significat res geminas, aut caret singulari numero, tunc poscit ante se genitivum pluralem; ut, *aurium tenus, crurum tenus, clunium tenus*, non clune tenus. B

l.2.c.40. *Temere*, inconsulte, vel sine causa, vel fortuito. *Prudentis viri est nihil temere agere. Quod hodie Joannes non venit, haud temere est*, id est, non sine causa. Capitur pro *fere*, vide in *Fere*.

Tenebras pro nocte accipimus nonnumquam: si tamen partem noctis dicas, rectius tenebris quam nocte uteris. *Primis tenebris*, si crepusculum significes. Sed *ante noctem* rectius, quam ante tenebras dixeris.

l.1.c.5. *Terebra, terebræ*, format diminutivum *terebellum*, neutrius generis, instrumentum perforatorium. A *terendo*.

Therma Græcum est, significat locum ubi calescimus, non lavamur, ut in balneis. Tametsi sunt & calida balnea. C

In Randem. *Teter*, malus, insuavis: *hostis teterrimus. Nihil hoc morbo tetrius, tetro adspectu, teter odor, tetra voce*, &c. *Ater* significat nigrum.

Tempestivus, sui temporis. *Tempestive* adverbium, suo tempore. *Intempestive*, non suo tempore.

Tinnire, proprie est metalli; *sicut enim homines sono, sic æra tinnitu dignoscimus.*

In eundem. *Tibicen* producta media, qui canit tibia. *Tubicen* prima acuta, qui canit tuba.

Tignarius faber, omnis qui ædificat. *Tigni* enim nomine omnis materia continetur, materia nonnumquam omne lignum continet. Contignatio dicitur solarium domus, sive stratum sit cæmento, lateribusve, sive non stratum. D

l.5.c.84. *Titubare*, est pedibus non valentium insistere, quales sunt ebrii, infirmi. Transfertur ad animum & ad linguam ac sermonem. Solet plerumque sermo mentientis *titubare*. Inde *titubantia, oris* & *linguæ*.

Timeo te, tanquam inimicum. *Timeo tibi*, ne quid mali tibi accidat.

l.5.c.13. *Tollo, sustuli*, significat accipere, vel habere ex aliquo. *Hic uxorem ex qua jam tres liberos sustulerat, repudiavit.* Fœmina cum sit mater, *parit*: Vir cum fit pater, *tollit* liberos. Secundo *tollere*, id est, educare. *Mater ab se infantem abjecit, pater abdicavit, amici sustulerunt*, id est, educaverunt. Terentius: *Quicquid peperisset, decreverunt tollere.* Tertio *tollere*, auferre. Virgilius: E

> *Jubet & sublata reponi pocula.*

Horatius:

> *Crudeles tollite claudum.*

Tolle librum meum qui humi decidit. Quarto, in altum tollere. *Jam occidisset, nisi pater sublatum ensem a tergo detinuisset.* Epigramma in Neronem:

> *Quis neget Æneæ natum de stirpe Neronem?*
> *Sustulit hic matrem;*

id est, e medio tulit: *sustulit ille patrem*, id est, humeris extulit. F

l.1.c.8. *Tortile*, distortum sive contortum, ut, *funes tortiles. Tornatile*, torno factum. Poculum *tornatile. Tornare*, torno polire. *Tornus*, est instrumentum tornandi.

In Randem. *Toga*, est genus vestis Romanorum, sicut pallium Græcorum. Unde comœdias *togatas* dicimus, quæ e Græco non sunt traductæ. Et *palliatas*, in quibus personæ pallium habent.

Trajicio, verbum vehementissimæ transitionis, regit duos accusativos: ut, *Cæsar trajecit exercitum mare*, id est, transportavit trans mare. *Trajicio Isselam*, id est, transeo Isselam. *Rheno trajecto Coloniam intrabis*, id est, transito.

Triclinium est locus tribus mensis instructus ad convivandum, vel tribus thoris in quibus sedeant convivæ. Qui hujusmodi præest convivio, *architriclinus* vocatur. *Conclave* vide loco suo. l.4.c.34.

Tribules, dicuntur qui ex eadem tribu sunt, ut Romæ olim fuerunt sex & triginta tribus. In Judæa, qui ex eadem tribu sunt, *tribules* vocantur. In Randem.

Trieris est navis tres habens sessiones. Græca vox. Idem pene quod triremis Latine significat.

Tribunus, qui magistratum tribunatus gerit. *Tribunitius*, qui tribunatum gessit, ut Consularis. l.4.c.48.

Triumphator, qui triumphat, aut triumphavit. *Triumphus*, est pompa illa celebris, quæ fit redeuntibus in urbem cum victoria.

Trophæum, est monimentum victoriæ quod publico in loco statuitur, aut gestatur: ut apud Thebanos equus æneus monimentum victoriæ contra Lacedæmones.

Tum capitur pro *tunc*: ut, l.2.c.22.

> *Tum tua res agitur paries cum proximus ardet.*

Quid tum? id est, quid tunc est vel erit? Secundo pro conjunctione æquante duas aut plures partes orationis, ut, *Petrus omnium artium peritissimus*, tum Logices, tum Rhetorices, tum Grammatices, id est, tam Logices, tam Rhetorices, quam Grammatices.

Turba, proprie & naturaliter significat perturbationem. *Quid intus turba audio? Cave ne qua turba fiat.* Inde *conturbare, perturbare*, & *deturbare* &c. Secundo turba significat multitudinem hominum, eo quod vix sit sine turba. l.6.c.61.

Turbidus, a, um, est homo iracundus & commotus. *Aqua turbida*, id est, commota. *Turbidum*, id est, concitatum & conturbatum.

Turbo, turbinis, non turbonis, ventus contortus, quia concitatur & murmurat in morem irati & turbati.

Tuapte, meapte, suapte, id est, mea propria. *Ignis suapte natura fertur in sublime. Petrus suopte consilio negotium, non meo suasu aggressus est. Adolescentes suopte ingenio ad turpia labuntur, ad seria & honesta vix trahuntur. Tam mihi curæ erit, quam meapte causa*, id est, mea propria.

V.

Valetudo, tam in bonum quam in malum capitur. *Ne te inviserem, corporis valetudo impedimento fuit. Qua valetudine es? Incolumi valetudine. Recta, sana, optima, fausta, prospera valetudine*: vel, *infausta, infirma, non recta, mala valetudine.* l.6.c.30.

Valere & in bonam & in malam partem accipitur, *ut vales?* Respondetur, *male valeo. Vale*, alias est vox abeuntis; *valeant qui inter nos dissidium quærunt*, id est, abeamus ab eis, & dicamus eis vale: non (ut quidam exponunt) pereant. *Salve* vide loco suo.

Vas, vadis, est qui sponsor est alterius in capitis periculo. Quod de Pythia & Damone legitur, quorum alteri cum tyrannus diem mortis dixisset, alter pro amico ad visendam matrem ituro, *vas* factus est: ita, ut si ille ad diem præstitutum non rediisset, hic capitis supplicium subiret. l.6.c.31.

Vadimonium, est sponsio die certo se in judicio, vel per se, vel per advocatos futurum.

Vadari, est reum vade vel vadibus mutare. Et jungitur accusativo. Livius: *Tot vadibus accusator vadatus est reum.*

Vacillare, est instabilem esse. Quintilianus: *Est & illa indecora in dextrum ac sinistrum latus vacillatio, alternis pedibus insistentium. Navis vacillat, litera vacillant, animus vacillat*, quum inconstans in diversa flectitur.

Vacare personale, duo significat, vacuum esse, id est, carere, & non habere. *Vacas culpa*, id est, cares. Et operam dare. *Vaco Philosophiæ, vaco literarum studio* &c. Cum nomine tantum significante actionem quamdam, sive qualitatem, adjungemus *a* præpositionem. *Vacas a labore, vacas a studio, vacas ab agricultura.* Secundo, vacare impersonale, significat *vacuum esse*, seu libe- l.5.c.85.

liberum, ut ita dicam: *Nunc dic si quid me vis, cras enim non vacabit. Si vacat tibi audire, rem omnem narratio ordine. Inviserem te si vacaret*, id est, si vacuum ad hoc tempus esset.

l.1.c.5. *Ubertim*, id est, copiose. *Ubertas*, copia. *Quæstus uberrimus. Uber* pro copia invenitur.

l.2.c.8. *Vernaculus* a verna, servus est domi nostræ natus ex ancilla nostra, aut servo. *Vernacula lingua*, id est, ea quam domi didicimus.

Versus, præpositio, regit accusativum, sed semper postponitur suo casui. Romam versus. Componitur & dicitur adversus vel adversum. *Sursum versus, deorsum versus, utroque versus.* Si autem accedat alia præpositio ad, tunc versus adverbium est, ut, *ad occidentem versus.*

Væ dativum postulat; *Væ victis.*

Vero & *autem*, numquam in principio orationis ponuntur, sed semper necesse est antecedere unam dictionem. *Porro*, fere semper in principio orationis ponitur, *raro* post primam dictionem. Hæc tria idem significant.

l.2.c.24. *Vero* non jungitur huic verbo, non: ut, *amicus tibi sum, non vero assentator*, non recte dicitur: sed, non autem. Et quoties geminatur idem verbum, ut, *hunc doces, me non doces. Alienos curas, nos non curas.* Non recte dicitur: *tuos autem non curas.* Sed si verbum repetitur sine contrarietate, tunc licet uti *autem*, vel *vero*. *Sapies si id facies: facies autem si me amabis.* De *autem* vide loco suo.

l.2.c.36. *Velut, veluti, uti, quasi, tanquam, ceu*, imaginem significant. *Sicut, sicuti, ut*, comparationem & similitudinem. *Comedis tanquam canis*, imago est, non veritas. *Comedis sicut canis*, id est, *sicut canis comedit. Incedis velut rex*, id est, *velut rex esses. Incedis sicut rex*, id est, *sicut rex incedit. Ut*, tamen videtur esse commune omnibus. Una tamen figura est loquendi, in qua *sicut* & *velut* idem valent: ut cum enumeratis rebus, aliquid exempli causa subjungimus. *Quid est dementius, quam cum nihil discatur, præceptorem fallere, velut tu facis? Omnibus quibus friget sanguis, minus valet ingenium velut senibus* &c. *Uti*, interdum pro *ut* capitur. Virgilius:

Namque videbat uti bellantes Pergama circum
Hac fugerent Graji.

Ita, veluti, sicuti. *Ceu*, magis Poeticum est. Item ut, junctum his verbis *Facio* & *committo* &c. interdum non significat causam finalem actus, sed ipsum actum cui jungitur. *Fac ut in virum doctum evadas. Numquam committam ut scribendi officio abs te vincar.*

Vector, qui in aliena navi pro pretio vehitur. Aliquando pro eo qui vehit, invenitur.

l.4.c.18. *Venia*, pax sive ignoscentia. *Cum venia tua dixero*, id est, concede ut libere vel audacter loquar. Secundo, licentia sive facultas. *Hodie dabitur nobis venia ludendi.*

Vescor, vesceris, est comedere, sed proprium est hominum. *Carne, caseo, butyro vescor.*

l.4.c.59. *Vectigal*, est proventus ex aliqua re, sive privata sive publica. Cicero: *Non intelligunt homines quantum vectigal parsimonia est.* Fœnus vide loco suo.

l.4.c.93. *Venale*, id est, expositum venditioni. *Hæc domus venalis est*, id est, proscripta. *Vendibilis* res est, quæ talis est, ut facile vendatur, ut sint *vendibiliora mala*, id est, ut magis alliciant. Transfertur ad omnia quæ specie placent. Inde *venditare*, jactare.

l.5.c.8. *Vendicare*, est appropriare, ut barbare dicam, & meum dicere; ut, *Itali armorum gloriam, Græci sapientiæ laudem sibi jure vendicare possunt. Hunc ego agrum mihi vendico.*

l.5.c.10. *Ventitare* est frequenter venire.

Vertex est contorta in se aqua. Transfertur ad summam partem capitis, eo quod illic in se contorqueantur capilli more aquæ, & ad summa juga montium.

l.6.c.47. *Verber*, est instrumentum longum & exile, quales sunt summitates sarmentorum. Inde *verberare*, id est, percutere, virga, baculo, fuste, loro, flagello, ferula, arundine. *Verbera* inde pro ictibus accipiuntur, sed per translationem. *Pulsare*, vide loco suo.

A *Versicolor*, generis omnis, quod est vario colore infectum. Caudam pavonis, marmora, lynces, angues, *versicolores* dicimus. Irim *versicolorem* legimus; vestis quæ vario colore est, *versicolor* dicitur.

Veterator, servus est qui venditur in servum, quum prius apud alium servierit. *Novitius*, qui nunc primum incepit esse servus; vendebantur pluris novitii quam veteratores. l.6.c.59.

Vervex, est aries castratus.

Viso, is, ere, ire ad visendum: verbum est inchoativum, non desiderativum, ut plerique volunt. Laurentius corrigit vocabula horum verborum. *Inchoativa*, ut *patesco, crebresco, tremisco*, vocat *meditativa* sive *exercitativa*, ut qui *calescit*, id est, fit calidus, ille exercetur ad calorem, & habent eadem præterita quæ primitiva, *calui, frigui, patui. Meditativa* vocat *desiderativa*, sive *optativa*, ut *esurio*, id est, cupio edere, *parturio*, id est, cupio parere, *cacaturio*, id est, cupio cacare, *micturio*, id est, cupio mejere. Verba *desiderativa* vocat *inchoativa*, ut *facesso*, id est, eo ad faciendum, *lacesso*, id est, eo ad lacerandum, *viso*, id est, eo ad videndum; *vise ubi Petrus sit; vise aliquando ecquid valeamus.* Tamen hæc omnia sæpe pro primitivis usurpantur.

Vicissim, fere semper pro e diverso, vel e contrario legitur. *Quando tibi parui, superest ut tu vicissim tuo fungaris officio.* In eadem significatione invenitur *invicem* & *mutuo*: vide suis locis. l.2.c.59.

Videor, rustici cum *quod* utuntur, *videtur mihi quod non ames me* &c. Sic dicetur, *videris mihi non amare me. Videor tibi stulte amare. Videtur mihi Petrus scribere. Videor tibi stulte agere; videor mihi videre; videmini nobis insulse dicere.* l.3.c.51.

Videas, videre licet. *Cernas*, licet cernere. *Videre est*, cernere est, idem significant; *videas nonnullos adeo sui ignaros, ut quo minus sciant, eo sibi plus arrogent*, hunc verbi modum Græci vocant δυνητικὸν, id est, *potentialem*, quod non pronunciet aliquid fieri, sed ostendat quid fieri possit aut debeat. Eodem fere sensu dicimus: *videre est, cernere erat. Videre licet nonnullos adeo perverso animo, ut quod maxime vetitum est, id velint maxime.* l.3.c.83.

Vicus, est pars urbis ædificata, vel frequentia villarum extra urbem, dicitur vicus. l.4.c.20.

Vicinia est congregatio vicinorum, ut, *Hic nostra vicinia nuper commigravit. Suburbanum* vide loco suo.

Villa, est domus in agro. *Eamus in villam nostram.* l.6.c.41.

Vindicare, primo significat ulcisci. Inde *vindex*, qui vindictæ cupidus est. Secundo, ab injuria defendere. *Tu literas jam pene a barbaris oppressas, ab interitu vindicasti. Vindicare in libertatem*, est asserere.

Victitare, est cum aliquo conversari, vel aliqua re vesci. *Tu libenter cum illa victitas. Sarmatæ lacte victitant*; de victu vili proprie dicitur. l.5.c.10.

Victus, hoc solum & omne dicitur quo vivimus: vestitus aliud est quam victus, juxta Grammaticos, non Jureconsultos. *Victus* est genus vitæ quantum ad mores & convictum.

Visceratio, est convivium quod magnificentiæ causa pluribus datur ex carne. Seneca: *Sine amico visceratio, leonis ac lupi vita est.* In Raudden.

Viritim, id est, per singula capita. *Viritim pugnare*, dimicare. l.2.c.57.

Ultro & *citro*, tam ad dicta quam ad locum referuntur. Exemplum de loco: *Non decet Christianum in templis ultro citroque commeare. Solent adolescentes in Ecclesia, ut puellis videantur, ultro citroque deambulare.* De dictis: *Multus hodie inter nos sermo de tua causa ultro citroque est habitus.*

Unus interdum idem valet quod solus, & regit genitivum, ut solus, more superlativorum. *Plurima dicenda occurrunt, sed hoc unum omnium commemorasse sat erit. Hoc solum ex omnibus. Tu unus omnium amicorum reliquus es, qui mihi in afflictissimis rebus opem ferre & possis, & velis.*

Volo & *oportet*, junguntur supinis aut participiis pro verbis præteriti vel præsentis temporis: ut, *Parenti morem gestum oportuit. Liberis consultum volumus. Nostræ amicitiæ consultum volo. Huic mandes, si quid recte curatum velis.*

Vociferari, vide in *flere*.

Volare pro currere, vel festinare transfertur. *Fac ad me quam primum advoles.* *Volitare* pro discurrere transfertur. *Volitant* per forum, qui vagantur huc atque illuc.

l. 6. c. 63. *Volumen* a volvendo dictum est, tantum codicis quantum commodum est ferre manu, & legere. Liber est tanta pars operis, quantam auctor ingenio suo metiri voluit. Ut Æneis Virgilii in unum coacta codicem, unum quidem *volumen* est, sed *duodecim libri*. Tamen librum in singulari sine apposito pro codice licet accipere, sive volumen. *Habet librum in manu*, Sed non recte dicitur, *librum Virgilii* pro Æneide tota.

Vomica a vomendo, est tumor ille cutis, quo rupto effluunt humores.

Utpote, causalis conjunctio, vide in *Quippe*.

B

l. 2. c. 27. *Utique* & *profecto* idem quod *certe*, affirmant. Sed *utique* frequentius apud posteriores: apud priores, Ciceronem & cæteros, fere numquam: sed *Profecto* plerumque adhibemus in responsione ad interrogationem. *Quis hac renunciavit? Utique qui interfuit. Uter magis inops est, an cui paulum, satis est, an qui omnia putat esse nihil? Profecto cui paulum, satis est.* Idem facimus per *certe*, nimirum, nempe. Interdum tamen citra interrogationem reperiuntur.

l. 3. c. 28. *Ut*, pro utpote, seu quippe. *Senes nemini fidunt, ut quibus omnia sunt suspecta.* Et pro, *prout*: *Magna habenda est gratia si quis quid reddat, ut nunc sunt mores*, id est, prout nunc sunt mores. *Satis moratus est Joannes, ut in hac atate*, id est, prout sunt homines in ejus ætate. *Ut ne*, interdum ponitur pro *ne*; ut, *apprime utile est in vita, ut ne quid nimis.*

C

Ut, pro quomodo: *Ut valuisti usque? Ut* admirantis. Horatius: *Ut gaudet insitiva decerpens pira*, id est, quam gaudet. *Ut* pro, *postquam*. Virgilius: *Ut vidi, perii.* *Ut* exsecrantis: *Ut illos Dii Deaque perdant.* *Ut* concedentis per fictionem. Juvenalis: *Servi ut taceant jumenta loquentur. Divitia, ut nihil aliud, morte eripiuntur.* *Ut*, declarat causam finalem: *Non vivendum ut edas, sed edendum ut vivas.* Quod idem interdum efficit, quo: *Christus factus est homo, quo nos faceret Deos.* *Ut* declarat eventum sive consecutionem: *Philosophi ex rebus conditis ac naturali ratione cognoverunt Deum super omnia colendum, ut sint inexcusabiles, qui res conditas pro conditore coluerunt. Tenemus chirographum tuum, ut inficiari*

A

non queas. *Ut*, comparat: *Ut sementem feceris, ita & metes.* *Ut*, ostendit exemplum: *Plus diligit, cui plus condonatum est, ut Magdalena*; quo loco licet ponere *sicut*, sive *velut*. *Ut* interdum accipitur εἰδικῶς. *Fac ut valeas, Cura ut incolumis ad nos redeas.* Exprimit enim quid sit curandum. *Utut* geminatum, significat utcumque, sicut ubiubi, ubicumque. *Utut hac habeant, tamen faciam quod petis.*

Uter & *neuter*, uterque, de duobus tantum dicuntur. l. 1. c. 13.
Uter utrum prior lacessivit? Vix Latine respondetur, *uterque utrumque*, sed, *uterque alterum*, id est, & hic illum, & ille hunc provocavit: licet apud auctores diversum reperiatur: Aut, *neuter alterum*, non *neuter neutrum*. *Uterque alterum odit*, id est, & Petrus odit Joannem, & Joannes Petrum, non *uterque utrumque*. *Neuter alterum amat*, non *neutrum*, id est, mutuo se odio habent.

B

Utor re illa, in qua non constituo finem, sed alterius l. 5. c. 3.
rei gratia. *Utor libro, utor tua opera, utor tuo consilio.* Inde *usus* & *abusus*. *Omnibus meis rebus ut tuis utere.* *Utor*, secundo significat conversor. *Petro viro literatissimo familiarissime utor*, id est, versor cum eo. Inde *usus*, familiaritas. *Usus mihi tecum est*, id est, consuetudo. *Usus*, tertio est utilitas vel fructus. *Quamvis istud sciam usui mihi non fore, tamen tua causa faciam. Fac intelligat Marcolphus meam apud te commendationem magno ipsi usui fuisse.* Inde dicimus, *ex usu tuo*, pro eo quod est in rem tuam, sive, e re tua. Vulgatissimum est *usum* accipi, pro more & consuetudine: Sicut consuetudo frequenter accipitur pro familiaritate. *Uti*, *frui*, verba sunt Jureconsultorum, quibus significant plenam facultatem utendi rei, cujus penes te non est proprietas. Item *usus fructus*,

C

& *usu capio*. Juxta Rhetores *utimur re* in bonam partem, *abutimur in malam*. Et *optimarum rerum abusus pessimus est*. Juxta Jureconsultos *utimur* iis quæ usu non pereunt, ut qui equum commodato aut conducto accipit, utendum accepisse dicitur. *Abutimur* quæ usu pereunt, quæque mutuo accepimus, ut frumento, vino, oleo. *Fruor*, id est, delector re aliqua. Vide hoc loco suo. *Uti foro*, est se accommodare loco, tempori, rebus & personis: *Nescis uti foro*. Vide Chiliades Erasmi.

Utrum, de duobus interrogat, cum adverbium est. l. 1. c. 13.
Cicero: *Utrum istud convertere est dicta Platonis, an pervertere? Utrum hoc est docere, an dedocere?*

F I N I S.

EURI-

EURIPIDIS HECUBA;

LATINA FACTA

DESIDERIO ERASMO ROTERODAMO

INTERPRETE.

REVERENDO IN CHRISTO PATRI

GUILIELMO

ARCHIEPISCOPO CANTUARIENSI,

TOTIUS ANGLIÆ PRIMATI,

& summo ejus Regni Cancellario,

DESIDERIUS ERASMUS ROTERODAMUS

S. P. D.



UUM in animo statuissem, Præsul amplissime, vertendis Græcis auctoribus rem Theologicam, Deum immortalem quam indigne Sophisticis nugis depravatam, pro virili mea vel restituere, vel adjuvare, ne statim, juxta Græcorum adagionem, ἐν τῷ πίθῳ τὴν κεραμείαν, periclitari viderer, & ad tantum munus illotis (ut ajunt) pedibus irrumpere, visum est mihi prius periculum facere, quam non lusissem operam, in utriusque linguæ studium insumptam, idque in re difficillima quidem illa, sed tamen profana, quo pariter & negotii difficultas ad meditationem conduceret, & si quid esset peccatum, citra Sacrarum Scripturarum injuriam solius ingenii periculo peccaretur. Itaque duas Tragœdias, Hecubam & Iphigeniam in Aulide, Latinas facere sum aggressus, si quis forte Deus cœptis tam audacibus dexter adspiraret. Deinde quum viderem operis instituti specimen non displicere, viris utriusque linguæ callentissimis (quos profecto jam aliquot habet Anglia, liceat modo verum citra invidiam fateri, quovis in genere doctrinæ, vel Italiæ totius admiratione dignos) intra pauculos menseis, Musis bene juvantibus, ad umbilicum perduxi. Quanto cum sudore, id ii demum experientur, quicumque in eamdem palæstram descenderint. Etenim quum illud ipsum, ex bene Græcis, bene Latina facere, sit ejusmodi, ut singularem aliquem requirat artificem, neque solum sermonis utriusque copiosa, parataque supellectile ditissimum, verum etiam oculatissimum, vigilantissimumque, adeo ut seculis jam aliquot nullus exstiterit, qui in hoc munere omnibus eruditorum calculis probaretur: facilis nimirum est conjectura, quantum fuerit negotii, carmen carmine reddere, præsertim tam varium & inusitatum, idque ex auctore non modo tam antiquo, eoque Tragico, verum etiam mirum in modum presso, subtili, excusso, in quo nihil otiosum, nihil quod vel adimere, vel mutare citra flagitium queas; præterea qui in tractandis locis Rhetoricis tam creber sit, tam acutus, ut passim declamare videatur. Adde nunc choros, nescio quanam affectatione, adeo obscuros, ut Oedipo quopiam, aut Delio sit opus magis quam interprete. Accedit ad hæc codicum depravatio, exemplarium inopia, nulli interpretes ad quos confugiamus. Quo minus admiror, si ne hoc quidem feliciss imo seculo quisquam Italorum ausus fuit hoc muneris aggredi, ut Tragœdiam aliquam, aut Comœdiam verteret, quum plures Homero manus sint admoliti, inter quos etiam Politianus ipse sibi non satisfecit: quidam Hesiodum tentarit, neque id satis feliciter: alius Theocritum sit aggressus, sed multo etiam infelicius. Denique quum Franciscus Philelphus (id quod post institutam interpretationem cognovimus) primam Hecubæ scenam in oratione quadam funebri traduxerit, sed ita ut nobis alioqui putidulis, vir tantus animi non parum adderet. Ego porro neque tantis exemplis, neque tam multis operis difficultatibus deterritus, magis quam Poetæ hujus suaviloquentia plus quam mellita, quam illi tribuunt etiam inimici, allectus, rem hactenus intentatam non sum veritus aggredi, futurum sperans, ut etiam si parum præstitissem, tamen candidi lectores vel hunc meum conatum laude aliqua dignum ducerent: porro maligniores saltem veniam darent operis tam ardui novo interpreti: maxime quod ad cæteras difficultates ipse prudens non mediocre pondus adjecerim, mea in vertendo religione, dum conor, quoad licet, Græcanici poematis figuras, quasique filum repræsentare, dum versum versui, dum verbum pene verbo reddere nitor, dum ubique sententiæ vim, ac pondus summa cum fide Latinis auribus appendere studeo. Sive quod mihi non perinde probatur illa in vertendis auctoribus libertas, quam Marcus Tullius ut aliis permittit, ita ipse (pene dixerim immodice) usurpavit: sive quod novus interpres in hanc malui peccare partem, ut superstitiosior viderer alicui potius quam licentior, id est, ut littoralibus in arenis nonnumquam hærere viderer potius, quam fracta nave mediis natare fluctibus: maluique committere, ut eruditi candorem & concinnitatem carminis in me forsitan desiderarent, quam fidem. Denique nolui, paraphrasten professus, eam mihi latebram parare, qua multi suam prætexunt inscitiam, ac loliginis in morem, ne deprehendantur, suis se tenebris involvunt. Jam vero quod Latinæ Tragœdiæ grandiloquentiam, ampullas, & sesquipedalia, ut Flaccus ait, verba hic nusquam audient, mihi non debent imputare, si interpretis officio fungens, ejus quem verti, pressam sanitatem, elegantiamque referre malui, quam alienum tumorem, qui me nec alias magnopere delectat. Porro certissimam in spem vocor, fore ut hic labor meus, quum adversus iniquorum calumnias sit egregie tutus, tum candidis, & æquis gratissimus exeat, excellentissime Pater, si tuo quoque calculo fuerit comprobatus, quem equidem in tanto ornatissimorum Principum numero facile mihi delegi, cui meas has vigilias consecrarem, ut quem unum perspexerim præter summum fortunæ splendorem, literis, eloquentia, prudentia, pietate, modestia, integritate, postremo singulari quadam erga bonarum literarum cultores benignitate, sic præditum, ornatum, cumulatum, ut istud Primatis vocabulum in neminem magis competat, quam in te, qui non solum officii dignitate, verum multo magis omnium virtutum genere primas teneas, idem & Regiæ aulæ præcipuum ornamentum, & Ecclesiasticæ dignitatis unicum fastigium. Quod si mihi contigerit, ut hoc meum studium probetur a viro tam probato, profecto nec hactenus exhausti laboris me pœnitebit, neque gravabor in posterum majore conatu rem Theologicam adjuvare. Vale, & Erasmum in eorum numero adscribito, qui tuæ Paternitati toto pectore sunt addicti. Londini, IX Calen. Februarii.

AD R. P.

GUILIELMUM

ARCHIEPISCOPUM CANTUARIENSEM

ERASMI CARMEN JAMBICUM TRIMETRUM.

Scite Poetas doctus appellat Maro
Cygnos, Guilielme Præsulum eximium decus,
Res mira dictu, ut cuncta consensu novo
Vati, atque olori congruant divinitus.
Niveus utrique candor, alter lacteis
Plumis, amico candet alter pectore.
Musis uterque gratus, ac Phœbo sacer.
Et limpidis uterque gaudet amnibus,
Ripis adæque uterque gaudet herbidis,
Pariter canorus uterque, tum potissimum
Vicina seram mors senectam quum premit.
Ælianus Græcus. *Sed, qui tenent arcana naturæ, negant*
Audiri olorem, ni sonent Favonii.
Nil ergo mirum, barbaro hoc si seculo
Canorus olim obmutuit vatum chorus,
Quum tot procaces undique obstrepant Noti,
Boreæque tristes, invidorum & pinguium,
Nulli faventum provocent Favonii.
Quod si bonis clementer ingeniis tua
Benignitatis blandus adspiret favor,
Ita ut favit, tota statim Britannia
Vates videbis exoriri candidos,
Adeo canoros, atque vocales, uti
In alta fundant astra Cygneum melos,
Quod ipsa & ætas posterorum exaudiat.

ARGUMENTUM HECUBÆ

PER EUNDEM ERASMUM.



POST eversam Trojam, Græci solventes in Cherronesum, quæ est e regione Thraciæ, adpulerunt, ubi monumentum exstabat Achillis, in Troja sepulti. Illic quum rerum ordinandarum gratia dies aliquot egissent, jamque iterare navigationem appararent, Achillis umbra super tumulum visa, Græcos ne solverent, prohibuit, postulans, ut ante sibi Polyxena Priami filia mactaretur, quam pater aliquando vivo despondisset, cujusque gratia a Paride ac Deiphobo jaculo confossus interiisset, id temporis quum Priamus puellam desponsam traditurus videretur. Itaque Græci memores quam ille rem bellicam adjuvisset, statuentesque viri virtutem decorare, suffragiis decreverunt, uti Polyxena in ejus tumulo mactaretur. Datum est autem negotium Ulyssi, ut virginem deduceret, simulque vafricie facundiæ suæ, qua præditus erat, Hecubæ matri persuaderet, ne id factum ferret impotentius. Quo quum pervenisset Ulysses, reperit puellam ad necem paratam, spontaneamque, atque ultro matri suadentem, sibi optabilius esse decore emori liberam, quam fœde vivere in servitute. Deinde dum occiditur filia, Hecuba famulam quampiam ad littus mittit, ut lavando Polyxenæ cadaveri aquam adportaret. Ea dum haurire parat, Polydori corpus offendit in littore jacens, nam Polymnestor Thracum Tyrannus, simul atque Trojæ cognovit excidium, trucidatum puerum in mare abjecerat, quo nimirum auro potiretur, quod una cum filio Priamus ad illum miserat clanculum, quum jam periculum imminere videret, ne caperetur Ilium. Erat autem ingens auri vis, satisque idonea, qua Priami genus restitueretur. Hunc igitur Polydorum nacta famula vestibus involutum, defert ad Hecubam. Hæc Polyxenam esse suspicata, donec corpus retectum inspiceret, ubi Polydorum esse cognovit, misere discruciatur, secumque viam quærit, qua possit Polymnestorem ulcisci. Ac re prius cum Agamemnone communicata, ancillam suam mittit ad Polymnestorem, quæ eum una cum liberis suis ad se jubeat accedere, esse enim quiddam maximi momenti, de quo velit cum illo colloqui. At ille ignarus Polydori cadaver in littore fuisse repertum, una cum liberis suis ad Hecubam accedit. Ea simulat sese ob eam causam accersivisse hominem, ut illi thesauros quosdam antiquos in Ilio defossos indicaret: deinde jusso secedere satellitio, solum cum filiis in tentorium deducit, tanquam illi traditura, quicquid pecuniarum e Troja secum extulisset. Erat autem illic abdita maxima mulierum turba, quibus adjuta, Polymnestorem introgressum exoculat, ac liberos occidit. Agamemnon audita utriusque causa, contra Polymnestorem pronunciat, qui videretur non juvandi Græcos studio, sed auri cupiditate puerum interemisse.

Actio fabulæ constituitur in Cherroneso, quæ Phrygiam, in qua est Ilium, habet ad Orientem, Thraciam reliquam ad Septentrionem. Chorus constat ex mulieribus Trojanis captivis, Hecubæ auxiliatricis.

PERSONÆ FABULÆ.

Polydori occisi umbra.
Hecuba Regina Trojanorum.
Chorus mulierum Trojanarum.
Polyxena filia Hecubæ.
Ulysses, *Talthybius præco.*
Famula Hecubæ.
Agamemnon Rex.
Polymnestor Thracum Tyrannus.

EURIPIDIS TRAGICI POETÆ

HECUBA,

LATINA FACTA, DESIDERIO ERASMO ROTERODAMO INTERPRETE.

Carmen trimetrum Jambicum.

POLYDORI UMBRA.

ADsum profectus e profundis manibus,
Noctisque portis, cæca qua silentium
Ab arce porro cœlitum sita est domus,
Polydorus Hecuba natus e Cisseide,
Priamoque patre, quem simul cepit timor,
Ne Phrygia Grajo Marte caderent mœnia,
Me furtim alendum Troico emisit solo
Ad hospitam Polymnestoris Thracis domum,
Qui Cherronesi fertilem glebam colens,
Armis ferocem Martiis gentem regit.
Multumque mecum clanculum misit pater
Aurum, urbis ut si concidissent mœnia,
Ne victu egerent liberi superstites.
Eramque natu Priamidûm novissimus,

At

Atque hac foras potissimum me gratia
Submisit, ut cui nec ferundæ lanceæ,
Et ad arma nondum tenera sufficeret manus.
Ita usque donec recta stabant Pergama, &
Nondum jacebant Ilii turres soli,
Hectorque frater Marte florebat meus,
Bene apud Tyrannum Thraca, patrium hospitem
Crescens alebar, plantulæ in modum miser.
At ubi interivit Troja, simul & Hectoris
Vita, ac penates concidere patrii,
Deûmque ad aras ipse procubuit sacras,
Mactante Achillis prole sanguinaria,
Mox me paternus amicus auri gratia
Miserum trucidat, ac trucidatum salo
Exponit, aurum ut ipse possideat sibi.
Nunc super arena littoris jaceo, hactenus
Æstu per æquor huc, & huc vectus vago,
Infletus, insepultus; at jam promico
Caram ob parentem, corpore relicto meo.
Mihi supernis devaganti sedibus,
Superaque in aura, sol agitur hic tertius.
Itidemque misera tertium mater diem,
Extorris amplis Ilii pomeriis,
In hac adest tellure Cherronesia,
Cunctique Danai littore hoc in Thracio
Classem tenentes otiosi desident.
Namque e sepulcro visus Acacides suo,
Argivûm Achilles tenuit omnem exercitum,
Remum ad penates dirigentem ponticum,
Meam is sororem postulat Polyxenam,
Tumulo cupitum honorem, & inferias suo
Dari, ac feret, neque enim hoc sinent frustrarier
Honore amici, deinde decretum jubet
Fatale, cædi hac luce germanam meam.
Geminæque prolis gemina mater funera
Cernet, meumque & lacrymandæ virginis.
Nam quo sepulcri munus assequar mihi,
Ancillæ in undis memet offeram ad pedes,
Venia impetrata Diis ab inferis, uti
Tumulo potiar, in matris incidens manus,
Itaque (quod ad me) quicquid optavi assequar.
At anu a parente paululum abscedam, hæc quidem
Jam Regis e tentorio profert pedem
Agamemnonis, pavefacta de spectro mei.
O mater, huc proh viva pervenisti, uti
Prognata quum sis Regiis e stemmatis,
Indigna ferres servitutis pondera?
Tam afflicta nunc & misera, quam florens eras
Quondam ac beata. Te aliquis exstinxit Deus,
Felicitatis pristinæ invertens vices,
Bonaque anteacta paribus exæquans malis.

Carmen anapesticum dimetrum, intermixtis nonnunquam ejusdem generis monometris.

Hec. Ducite anum hancce foras ô famulæ,
Ducite sustentantes, vobis
Nunc conservam Iliades, verum
Dudum dominam, prendite, ferte,
Portate mei corporis artus
Tollite, anilem corripite manum.
Ipsa ego torto nixa bacillo,
Annis tardum celerabo pedem, &
Alternos promovero passus.
O fulgur Jovis, o nox picea,
Ut quid ita sub nocte silenti
Terriculis, visisque agitor?
O sacra Tellus,
Gignens atris somnia pennis,
Sit precor irrita noctis imago,
Quam de gnato,
Qui servatur Thracibus oris,
Teque Polyxena filia dulcis
Alto vidi mersa sopore.
Nam terrificum vidi visum,
Didici, sensi.
O terrestria numina, gnatum
Servate meum, qui jam solus
Generis superest ancora nostri,
Thraces habitans arva nivalis,
Patrio commendatus amico.
Aderit jamjam quodcumque malum,
Luctumque novum luctibus addet.
Haud sic umquam mens mea certo
Timuit, tremuit, tacta pavore.
Ubi nam divina Helenam mente,
Ubi Cassandram Iliades videam,
Ut mihi cæca insomnia pandat?
Vidi siquidem cervam variam
(Visu miserum)
Nostro e gremio vidi direptam,
Quam laniat lupus ore cruento.
Terrebar & hinc, summum in tumulum
Umbra ferocis venit Achillis,
Aliquam e miseris sibi Troadibus,
Præmia poscens.
Procul a nostra, procul hæc quæso,
Dii depellite somnia, gnata.

Idem carminis genus.

Chor. Ad te celeri præcurri Hecuba
Pede, tentoria herilia linquens,
In quæ serva ego tradita sorte,
Ubi Trojanæ e mœnibus urbis,
Grajis abigor bellica præda.
Haud equidem ullum porto levamen
Ærumnæ præsentis; at ingens
Insuper & grave defero pondus
Tibi privatim o mulier, sævi, ac
Diri veniens nuncia luctus.
Namque ferunt decernere Grajos
Celebri cœtu, tua uti gnata
Manibus occidatur Achillis.
Qui sublimem scandens tumulum,
Scis fulvis cum apparuit armis,
Naves detinuit pontigradas,
Nixaque torto vela rudente,
Hæc vociferans. Quo jam Danai
Fugitis, nostros
Cineres deserturi inhonoros?
At lis multo est orta tumultu,
Ac variat sententia duplex,
Bellaces Grajugenûm turmas,
Dum pars dandam tumulo inferias,
Pars mactari censet iniquum.
Atque inde tuæ studuit parti
Rex Agamemnon, id fatidicæ
Thalamis elargitus honoris.
Atque viciffim dixere duo
Thesidæ, hos genuistis Athenæ,
Una erat hæc sententia utrique,
Uti Pelidæ decorent tenero
Busta cruore.
Nec placet, uti Cassandræ thalamos
Armis habeant pluris Achilli.
Et studiis ferme hactenus æquis
Decertatum est, donec varius
Et suaviloquens suasor, Achivûm
Populo non ingratus Ulysses
Omnem dictis flexit cœtum,
Ne pro captæ cæde puellæ
Neglectum pateretur Achillem,
Unum e Danais longe primum.
Neu quis apud Persephonem, ex his
Qui bello cecidere, referret,
Quam male gratus miles Achivus
Danais Danaûm causa cæsis,
Ex Iliacis cesserit arvis,
Sed jam nunc hic aderit Ulysses,
Isto uti vellat ab ubere gnatam,
Eque manu, vi tollat, anili.
Proin' templa adeas, adeas aras,
Accide Atridæ genibus supplex,
Prece sollicita, quicquid Olympus,
Quicquid claudit terra Deorum.
Siquidem aût places numina votis,
Ne miseranda orbere puella,

Aut

Aut spectent tua lumina oportet
Ad tumulum procumbere, sparsam
Sanguine natam, deque aurifera
Cervice atrum undare cruorem.

Idem carminis genus.

Hec. Heu me miseram, quid vociferer?
Quonam ululatu, quonam fletu
Plorem miseræ misera senectæ
Haud portandum
Servitii, haud tolerabile pondus?
Heu meme, quis opem mihi vindex
Tulerit? quæ nam natio, quæ nam urbs?
Periit senior, gnati exstincti,
Huccine an illuc flectam gressum?
Quo me vertam?
Ubi quis Deus, aut dæmon præsens
Ferat auxilium?
Proh Iliades sæva ferentes
Eheu sæva ferentes fata,
Exstinxistis me, exstinxistis,
Nec mihi posthac
Grata est supero in lumine vita.
Defer anum hanc, ô pes infelix,
Hanc me infelix ducito ad aulam.
Eheu gnata, heu supra cunctas
Miseræ matris filia, prodi,
Prodi tectis, percipe matris
Filia vocem
Uti cognoscas, qualis qualis
Fama tua de vita fertur.

Pol. Ehem mater, mater,
Quid clamas? quid subitum apportans,
Sic me veluti volucrem tectis
Cogis trepidam provolitare?

Hec. Eheu me gnata.

Pol. Cur sermonum exordia mecum
Diro sumis ab omine mater?

Hec. Ah gnata tuæ metuo vitæ.

Pol. Eloquitor, neque celato diu.
Paveo, misere paveo mater,
Quæso quid ingemis?

Hec. Gnata, ah misere gnata parentis.

Pol. Cur istud ais?

Hec. Hoc gnatus contendit Achillis,
Communi decreto Argivûm,
Uti Pelidæ gnata sepulcro
Mactata cadas.

Pol. Eheu genitrix, ut mala nobis
Immensa refers.
Aperi sodes, aperi mater.

Hec. Rumorem adfero filia dirum.
De cæde tui
Scitum populus sanxit Achivus.

Pol. O te afflictam, proh ter miseram,
O male faustæ genitrix sortis,
Quam tibi tristem rursus luctum,
Infandumque & acerbum movit
Dæmon aliquis.
Non jam gnata hæc, non tibi posthac,
Infelice senecta infelix
Conserviero, namque perinde, ac
Hinnuleum, seu montibus hirtis
Alitam vitulam, miseram misera
Mox de manibus velli adspicies,
Ac sub humum cervice recisa,
Obscuro demittier Orco.
Illic inter lumine cassos
Degam infelix.
Sed te miseram luctu omnigeno
Defleo mater, nam me, fata
Sortemque gravem non lamentor,
Quum mihi casus sit & optandus
Cedere vita.

Carmen Jambicum trimetrum.

Chor. Sed ecce Ulysses huc citus movet gradum,
Hecubæ, tibi aliquem nuncium ferens novum.

Ulyss. Te scire mulier credo placita exercitus,

A Et quæ inter omneis vicerit sententia,
Haud te latere puto, sed exponam tamen.
Visum est Pelasgis, tua uti nata Polyxena
Cadat ad sepulcri Achillis excelsum aggerem.
At virginis nos esse solenneis duces
Statuere. Pyrrhus Æacidæ proles, huic
Præfectus auctor, ac sacrificus hostiæ.
Scin' ergo quid ages? neve vi retraxeris,
Mecumve manibus velis contendere.
Agnosce vires Danaidum qui hæc imperant,
Simulque quantis obruare nunc malis.
« Scitum est profecto quiddam, & in mediis malis
« Ea quemque secum sapere, quæ sapere est opus.

B *Hec.* Væ væ, adest discrimen (ut video) grave,
Gemituque plenum, & non inane lacrymis.
Neque enim ipsa dudum vitam acerbam & asperam
Illic reliqui, quo mori decuit loco.
Neque me interemit Juppiter, sed in hoc alit,
Tristissimis uti tristiora conspicer.
Proh misera. Sed jam si licet captis, neque
Molesta, nec quæ mordeant animum, loqui
Heris, rogeris oportet & paucis mihi,
Atque ut nos vicissim rogantes audias.

Ulyss. Licet, roga, neque enim hoc tibi invideo moræ.

Hec. Scin' Ilium explorator ut subiveris
Pannosus atque squalidus, gena tuas
C Stillæ obsidebant mortis, oculis excitæ?

Ulyss. Memini, haud enim hæc res summa strinxit pectoris.

Hec. Ten' agnitum uni prodidit Helene mihi.

Ulyss. Meminimus, in discrimen adducti grave.

Hec. Supplexque factus genua tangebas mea?

Ulyss. Sic manus ut istis instupesceret peplis.

Hec. Dedin' ergo vitam, & Ilio emisi solo?

Ulyss. Ita, ut hoc profecto solis adspiciam jubar.

Hec. Quid tum locutus, quum mihi in manu fores?

Ulyss. Quo me necis subducerem periculo,
Omneis vafer tum comminiscebar dolos,
Cunctasque pariter persuadendi vias.

Hec. Lege igitur isthac gratiam refers malam,
D Quum tuleris a me, quæ tulisse non negas.
At nil juves nos, sed magis pro viribus
Incommodes, benefacta compensans malis.
Vestrum genus mortalium ingratissimum,
Quicumque plebis concionibus leves
Captatis auras, cognitum heu mihi plus satis.
Qua damnum amicis ferre non facitis pili,
Modo dissseratis grata multitudini.
At jure quonam, aut quid secuti, virginem
In hanc, cedo, decreta sanxerunt necis?
Ipsumne decus hoc suasit, homines cædere
Tumulis, ubi bos victima addecet magis?
An porro Achilles mortis auctores suæ
E Punire quærens, jure in hanc refert necem?
Atqui hæc in illum sceleris admisit nihil.
Helenam sepulcris hostiam par est peti.
Illa hunc peremit, illa traxit ad Ilium.
Quod si qua vultu legitur ex captis neci,
Formaque præstans cæteris, non nostrum id est,
Quippe ore multo Tyndaris decentior,
Eademque quam nos non minus dedit mali.
Atque hæc pro æquo dixerim quidem, ac bono.
At nunc mihi, quæ te reposcenti invicem
Reponere æquum est, accipe æquis auribus,
Meam (quod ipse non negas) humilis manum, ac
Supplex anilem hanc contigisti tum genam,
F Nunc hæc vicissim prona contingo tui,
Beneficium tunc datum reflagito,
Itemque supplex obsecro, ne filiam
Mihi puellam manibus abripias meis,
Neve perimatis, quippe funerum satis,
Oblecto in hac me, sortis oblita gravis.
Solamen hæc est, una pro multis mihi,
Urbs, atque nutrix, scipio, rectrix gradus.
Iniqua victis imperare non decet,
Quis sors dedit rerum potiri, ac vincere
Neque quis secundæ res, oportet fidere
Itidem futuras semper ex sententia.

A Etenim ipsa quondam quæ fui, non sum amplius,
Opes sed omneis unicus rapuit dies.
Age amica barba paululum me respice.
Miserescе, & adiens rursum Achivûm exercitum,
Doceto, quam sit sævum, atroxque fœminas
Mactare, quas non interemistis prius
Raptas ab aris (sed pepercistis) sacris.
Lex æqua porro vos apud, de sanguine,
Servisque, liberisque capitibus stata est.
Si vel male hæc auctoritas dicat tua,
Flectet; quod a levibus profecta oratio,
Et a probatis, non idem valet eadem.

Idem carminis genus.

B *Chor.* Tam rigida nusquam est ulla mens mortalium
Audita, quam non ista comploratio.
Ingensque luctus, cogat edere lacrymas.
Ulyss. Audi Hecuba, neve mente percita, virum
Qui recta dicat, malevolum fingas tibi.
Ego quidem vitam tuerier tuam,
Per quam ipse vivo, cupio, nec dicam dolo.
At quæ palam suasi, ea haud negaverim.
Nempe urbe capta, exercitus primario
Gnatam immolandam (quando postulat) tuam.
Hinc namque plures defluunt res publicæ,
Dum strenuum qui præbet, ac fortem virum,
Non plus honoris, quam vir ignavus capit.
Nos contra, Achillem dignum honore ducimus,
C Ut qui pro Achivis ceciderit promptissime.
Quam turpe, si quem vivum amicum sensimus,
Huic desinamus esse amici mortuo?
Age quid futurum, si qua rursum appareat
Acies coacta, & hostium certamina.
Utrum manus jam conseremus, an magis
Vitæ ac saluti consulemus? quippe qui
Fraudari honore cernimus, quisquis cadit.
Ac mihi profecto luce donec hac fruar,
Quantumlibet pusilla, sufficiant tamen.
Porro sepulcrum conspici exoptem meum
Insigne, quando durat in longum hic honos.
At misera patior, inquis, audis contra ad hæc.
D Sunt & Pelasgis neutiquam miseræ minus
Anusque & annis te priores fœminæ,
Sponsæque sponsis orphanæ præstantibus,
Hic ossa quorum pulvis Idæus tegit.
Fer ista. Nos si perperam decernimus
Decorare fortem præmio merito virum,
Inscitiæ ipsi obnoxii tenebimur.
At barbari, neque hos amicos ducitis
Qui sunt amici, neque, decore qui oppetunt,
Suspicitis, hinc & nostra floret Græcia.
Vos contra habetis instituto congrua.
Chor. Heu servitus ut semper est miserrima,
Subacta ut fert præter æquum plurima.
E *Hec.* Ah gnata in auras irrita hæc oratio
Frustra mihi jactata, de tui nece.
Tu, si amplius quid, quam valet mater, vales,
Annitere, omneis admodum lusciniæ
Experta voces, vita ne pereat tibi.
Miseranda Ulyssis accide hujus ad genu,
Et commove, argumentum habes, ipsi quoque
Sunt liberi, quo fata miseretur tua.
Pol. Video te Ulysse dexteram sub pallio
Manum occulentem, & ora vertentem retro,
Tetigisse malam ne mihi sit fas tuam.
Animo bono sis jubeo, meque nuncia,
Scito, quod ad me pertinebit, te fore
F In tuto, & effugisse (si quis supplices
Curat favens, æquusque respicit) Jovem.
Nam te sequar, vel quia trahat necessitas,
Vel quod mori expetam ipsa, sin velim minus
Vitæ avida mulier videar, ac timida omnibus.
Quæ namque vitæ causa jam superest mihi,
Ut cui pater Rex omnium fuerit Phrygum?
Etenim rudis mi lucis hoc initium,
Dein, spes ad amplas educabar, Regibus
Nuptura, multis æmulantibus procis,
Quis me ad penates duceret victor suos.
Regina ego proh misera fœminis eram
Troadibus, inter virgines insignis, ac
Diis æqua, solum hoc si quis excipiat, mori.
At serva nunc sum, protinus vocabulum hoc
Minime assuetum, facit ut expetam mori.
Dein, forsitan continget immitis mihi
Herus, ære me quicumque commercabitur,
Et Hectoris quondam sororem, & plurium,
Adigensque vi me pinsere in tectis, solum
Verrisse coget, staminique insistere,
Vitam exigentem duram, & illætabilem.
Thalamosque nostros servus emptus undevis
Fœdabit, ante destinatos Regibus?
Absit, relinquam lucem ego istam libera,
Orco inferisque hoc corpus exponens meum.
Jam ducito me Ulysses, ac ductam immola.
Neque enim penes nos vel spei fiduciam,
Vel opinionis video, cur mi debeam
Posthac benigna fata pollicerier.
At tu genitrix, ne quid obsistas mihi
Verbove, factove, incita magis, mori
Quo libeat ante, quam quid indignum accidat.
Nam qui malis haud assuerit, fert quidem,
Dolet tamen, quum colla supponit jugo.
At mortuus, quam vivus hic felicior
Foret; haud decore vivere, est ingens labor.
Chor. Inest in homine mira & evidens nota,
Probis satum esse: generis illustrat decus,
Quisquis celebribus dignus est natalibus,
Hec. Dixisti honeste gnata, verum isti dolor
Adest honesto, cæterum si Pelei
Et facere gratum filio, simul & probrum
Effugere vultis, hanc Ulysses omittite,
Me ductam Achillis immoletis ad pyram.
Ne parcite inquam, nam Parin produxi ego,
Qui Tethide natum petiit arcu ac perdidit.
Ulyss. Non te umbra Achillis poscit Argivos, anus
Ut immolere, sed hanc poposcit virginem.
Hec. Vos attamen cum filia me occidite,
Duplumque tellus sparsa sanguinis bibet,
Ejusque manes, ista qui poscit sibi.
Ulyss. Sat filiæ mors, cæde cædem non decet
Cumulare; & ô si ne hæc quidem pendenda sit.
Hec. Gnatæ at necesse utcumque commori meæ.
Ulyss. Qui, quando Dominos esse non novi mihi?
Hec. Ut hædera quercu, sic ego huic inhæsero.
Ulyss. Haud feceris, si obtemperabis his, quibus
Et mentis & prudentiæ plus quam tibi est.
Hec. Non hanc ego volens omittam virginem.
Ulyss. At ego hinc relicta non abibo virgine.
Pol. Mihi mater audi, tuque Laertæ genus
Parentibus concede merito concitis.
Tu misera cum victore ne pugnaveris.
Sterni solo vis, ac trahi corpus tuum
Anile per vim pulsa? vin' juvenis manu
Fœdis modis revulsa dedecorarier?
Isthæc ut accidant tibi absit, haud enim decet.
Quin age manum da jam mihi dulcissimam
Dilecta genitrix, ac genam applicem genæ.
Posthac enim haud umquam, sed extremum jubar,
Orbemque Phœbi hodie quidem conspexero,
Finem ergo nostri fac age alloquii cape,
Ac dicta mecum conserito novissima.
O mater, ô parens, abeo jam ad inferos:
Hec. Heu gnata, nos in hoc lumine servibimus.
Pol. Frustrata sponso, ac debitis mihi nuptiis.
Hec. Miseranda gnata es, mulier infelix ego.
Pol. Illic jacebo in Tartaro tete procul.
Hec. Heu misera quid agam? vitam ego hanc quoad traham?
Pol. Ancilla moriar patre nata libero.
Hec. At ego orba quinquies decem jam liberis.
Pol. Quid Hectori ex te nuncio, aut seni viro?
Hec. Dic fœminarum me omnium miserrimam.
Pol. O pectus, & quîs alita blande sum ubera.
Hec. Proh ante tempus fati acerbi filia.
Pol. Vale ô parens. Cassandra jam mihi vale.
Hec. Alii valebunt, istud haud matri est datum.

Qui-

Pol. Quique in fera es Polydore frater Thracia. A
Hec. Ita si quidem ille vivit, atqui non puto,
Adeo undiquaque prorsus infelix ego.
Pol. Vivit, premetque mortuæ tibi lumina.
Hec. Ego & ante mortem præ malis sum mortua.
Pol. Me duc Ulysses, flammeo obvolvens caput.
Etenim prius quam mactet, exanimor meæ
Luctu parentis, & hanc neco ploratibus.
O lux, licet nam nomen affari tuum,
Neque ulla post copia dabitur tui
Nobis fruendi, nisi quod interest moræ
Ad ensem eunti hinc, atque Achillis pyram.
Hec. Solvuntur artus hei mihi, ac mens deficit.
O gnata matrem prende, porge dexteram, B
Da, ne relinquas orbam, amicæ concidi.
Utinam Lacænam sic sororem Castoris
Helenam viderem, quæ decentibus oculis,
Florens peremit indecenter Ilium.

Carmen hujus Chori ex variis mixtum est metri generibus, ac ferme iisdem quibus utitur Euripides.

Chor. Aura, pontica, aura
Quæque pontigradas per undam
Rateis celeres agis marinam,
Quo loci miseram vehes me?
Addicta cui sub ædes
Ancilla deferat?
Ad littora Dorica, an ne C
Ad Phthiada, quo loco ajunt patrem eximii laticis
Currere Apidanum, sataque rigare, an
Salso misera remo
Illam appellar in insulam,
Productura domi dies acerbos,
Primitiva ubi palma frondet,
Laurusque sacros in altum
Latona tibi edit
Gratissima ramos,
Partus monumenta Dii,
Ac cum Deliacis puellis, Artemidisque Deæ
Spicula arcusque canam, aureamque vittam?
An Palladis urbe, quam D
Currus nitidi vehunt,
Peplis in croceis equos
Sub juga splendida mittam:
Pingens varia, crocoque
Sindone florulenta?
An Titanum ad sobolem,
Quam Saturnius ignivomo Rex
Stravit jaculo?
Væ liberis meis
Væ patribus, ac solo
Quod fumo concidit,
Marteque captum, & exustum
Ab Argivis; at ipsa in E
Tellure vocabor externa
Serva, Asiam fugiens
Europæ famulantem,
Mutans morte faces thalami.

Carmen Jambicum trimetrum

Tal. Ubi Phrygum Regina quæ dudum fuit,
Hecubam, puellæ Troades convenero?
Chor. Eccam haud procul te, tergo humi strato cubat,
Talthybie præco, circum operta linteis.
Tal. O Juppiter quid dicam? utrum mortalia
Respicere te? an ne opinione fallier
Falso putantes esse divorum genus? F
Casu sed omneis res agi mortalium?
Non hæc modo Regina ditium Phrygum?
Priami uxor ista nonne locupletissimi?
Nunc urbs quidem ejus funditus bello jacet,
At ipsa, anusque, & serva & orba liberis,
Jacet, inquinata pulvere infaustum caput.
Eheu senex sum, sed tamen mori prius,
Quam fœdus ullus accidat casus, velim.
Exsurge misera, tolle subductum latus,
Quodque omne canis albicat pilis caput.
Hec. Ehem, quis hic qui corpus haud sinit meum
Jacere? quid me, quisquis afflictam moves?
Tal. Talthybius adsum Achivi mulier agminis
Minister, accersent te hinc Agamemnone.
Hec. O vir mihi carissime, an quod me quoque
Visum est Pelasgis, ad sepulcrum occidier,
Ob id venis, ut grata perferres mihi?
Properemus, acceleremus, age duc me senex.
Tal. Gnatæ ut cadaver sepelias, te mulier hinc
Ducturus adsum, me quidem legant ad id
Geminique Atridæ, exercitusque Achaicus.
Hec. Miseræ hei, quid ais? ergo non adisti, uti
Moriamur & nos? verum acerba nuncians?
Gnata interiisti matris avulsa e sinu.
Ego orba posthac liberis, miseræ hei mihi.
Sed illam ut occidistis? an reverentius?
An sic, ut hostis diriter leto est data?
Dic hæc senex, haud læta dicturus licet.
Tal. Duplices mihi vis me parare lacrymas,
Miseratione filiæ mulier tuæ.
Et hic enim tam sæva commemorans, genam hanc
Fletu rigaro, maduit & lacrymis mihi
Modo ad sepulcrum, cæsa dum ferro occidit.
Turba aderat universa Achivi exercitus
Frequens sepulcro, filiæ ad cædem tuæ.
Polyxenam autem Pyrrhus apprehensa manu,
Summo sepulcro statuit, atqui pone ego,
Lectique juvenes ex Achivis inclyti,
Saltum juvencæ ut prohibeant manibus tuæ,
Sequuntur, ac plenam tenens pateram, undique
Auro nitentem natus Æacide manu,
Fudit parenti mortuo libamina.
Mihi innuit, præconio silentium
Indicerem omni Achivûm multitudini,
Egoque inter omnes medius adstans, hæc loquor.
Silete Achivi. Pax sit omni cœtui,
Pax, & quies; statui quietum exercitum.
Hic, inquit. O mi nate Peleo pater,
Libationes propitius cape has meas,
Placida abditorum manium evocamina.
Atque huc ades, quo purpurantem combibas
Puræ puellæ sanguinem, quem tibi damus
Ego atque populus, jamque nobis sis favens,
Solvens rudentem, & navium retinacula,
Concede nobis, sospites ab Ilio
Omneis reversos, patriam revisere.
Hæc ille; at omnis populus apprecatus est.
Loculis sub hæc mox aureis pictum notis
Educit ensem; juvenibus Grajo agmine
Lectis, puellam ut prenderent manu, innuit.
Ubi sensit illa, hos ore prodidit sonos.
O qui excidistis oppidum Argivi meum,
Cupide obeo, ne quis corpus attingat meum.
Intrepida siquidem colla porrigam ac volens,
Quo ingenua moriar; liberam me per Deos
Sinite immolantes, quippe apud manes quoque,
Regina quum sim, dicier servam pudet.
Turba adfremebat; Rex & ipse juvenibus
Mox imperat, quo virginem remitterent:
Hi simul ut audiere vocem regiam,
Summamque, omittunt; nam hunc penes jus primum erat.
Ubi illa sensit jussa Principum, illico
Summo prehensos pectore, scidit manu
Ad umbilicum, ventris ac medium, peplos,
Sinumque monstrat, & velut statuæ ad modum
Mammas decentes, dehinc humi figens genu,
Verba ore fudit omnium miserrima.
En juvenis, hoc si pectus ense mavoles
Promptum ferire, ferito: sin cervicem, adest
Exprompta cervix. Tum misertus virginis
Pyrrhus, volensque, & non volens, atque hæsitans
Animæ meatus ense librato secat.
Fluxere venæ; at illa jam moriens, tamen
Sollicita mire est, condecenter ut cadat,
Celetque, quæ celare decet oclos virûm.
Letalis ast ubi vitam ademerat mucro,
Labor ex Achivis idem habebat neminem.
Alii jacentem frondibus consternere,
Alii supremum sedulo apparant rogum,

Tædas ferentes pineas, qui nil tulit,
Male audiebat a ferente, hunc in modum:
Ignave cessas, nec puellæ amiculum,
Nec aliud ullum munus adferens manu?
Nil es daturus virgini promptissimæ,
Animoque summo? de perempta filia
Hæc tum ferebant, liberorum at te quidem
Matrem optimorum, verum eamdem ex omnium
Grege fœminarum conspicor miserrimam.
Chor. Acerba quædam Priamidas clades premit,
Urbemque nostram, fata sunt isthæc Deûm.
Hec. In quod malorum gnata, cum adsint plurima,
Intuear, hæreo, si quod attingam, illico
Aliud vetat; rursum, alia me molestia
Alio vocat; malisque succedunt mala.
Et nunc acerba fata ne plorem tua,
Nequeam profecto temperare pectori.
Hoc rursus ipsum, nempe ne gemam admodum
Nimisque acerbe, sustulisti, strenua
Mihi nunciata; non novum ergo, si mala
Favente cœlo terra fert segetem bonam:
Bona destituta, quibus opus fuerat, malum
Fructum edit. At mortalium quisquis malus,
Nil possit aliud esse, quam semper malus:
Frugi, usque frugi. Sors nec ingenium viri
Adversa vitiat, sed probus semper manet.
Utrum id parentum, an educantium magis?
Recte educari scilicet nonnullam habet
Doctrinam honesti, quod quidem quisquis probe
Tenet, idem honesti ad regulam novit scelus.
Sed inaniter jam mens mihi hæc effutit.
Tu porro Achivis vade, & ista nuncia,
Ne filiæ quis applicet manum meæ
„ Vetentque populum. Nam frequenti in agmine
„ Indomita turba est, ac tumultus militum,
„ Si quando nullo cohibeatur principe,
„ Vincit furens incendium; quisquis mali
„ Nihil hic patrarit, ille demum erit malus.
At tu vetus ministra sumito situlam,
Atque huc reporta pontico impletam salo,
Uti supremis te lavacris filia,
Innupta nupta, virgo non virgo, lavem,
Et ut tibi exhibeam quibus digna es. Sed id
Qui? aut unde? nequaquam potero, verum tamen
Sic ut licebit; namque quid aliud agam?
Mundumque captis colligens a fœminis,
Quæ mecum in iisdem desident tentoriis,
Si qua ex penatibus aliquod suis habet
Furtum, insciis, quos nacta nuper est, heris.
Tecta ô decora, proh beatæ olim domus,
O liberis, opibusque florentissime
Priame, vetusque ego illa liberûm parens,
Ut pristina exuti superbia, ad nihil
Recidimus, & post ista adhuc tumescimus.
Locupletibus nostrum hic quidem penatibus
Præfulsit, hic quod dignitate civibus.
Curarum inania mentis hæc sunt somnia,
„ Linguæque fastus, ille felicissimus
„ Est, cui nihil contigerit in vita mali.

Carmen Choricum, ac varie mixtum.

Chor. Mihi ærumnam Atropos,
Mihi cladem Dei parabant,
Sylvam ut primum abiegnam in Ida
Alexander incidit,
Liquida vada rate transiturus, audax
Helenæ ad thalamos, jubar quam
Pulcherrimam auricomi, in
Orbe videt Phœbi.
Nam mala, en nos, malisque vallant
Tristiora fata.
Priva amentia civitati
Malum publicum Iliacæ
Peperit, & ab aliis profecta clades.
Judicataque lis in Ida est,
Qua tres cœlicolûm puellas
Pastor judicavit, ad
Bellaque, stragemque, &

A Meæ exitium domus.
Gemitque forte quæpiam ad
Undosum Eurotam
Lacæna lacrymosa puella in ædibus.
Capiti quoque mater albo
Orbata gnatis, injicit
Manum, & unguem in ora cruentum
Infigit avida, dilaniatque malas.

Carmen Jambicum trimetrum

Fam. Ubi Hecuba multo, fœminæ, miserrima?
Quæ superat omne virûm, ac simul nostrum genus
Malis? nec ullus palmam ei præceperit?
Chor. Ut misera numquam dormiunt vocis tuæ
Male ominosæ tristia præconia.
B *Fam.* Hecubæ dolorem hunc adfero; porro in malis
„ Haud est facile, bene ominata dicere.
Chor. Ac forte tectis prodiens videlicet
Verba inter ipsa commode apparet tua.
Fam. O misera prorsus, & magis quam proloquor,
Hera, occidisti, viva non es amplius,
Orba urbe, gnatis, ac marito, perdita.
Hec. Ais novum nil, ac scientibus opprobras.
Sed quid cadaver hoc Polyxenæ venis
Portans, sepulcrum cujus Argivûm manu
Modo nunciatum est omnium properarier?
Fam. Nihil ista novit, sed Polyxenam mihi
Deflet, novarum cladium attingit nihil.
C *Hec.* Heu misera, vatis numquid huc affers mihi
Sacro citum furore Cassandræ caput?
Fam. Vivam eloquuta es, mortuum hunc nihil gemis.
Atqui retectum jam cadaver inspice.
Nova res & insperata se offeret tibi.
Hec. Exstinctus eheu cernitur gnatus mihi
Polydorus, a me Thraci creditus viro.
Infausta perii, nulla sum posthac; ohe
O pignus, heu ohe, cantionem Mænadum
Ingredior; hæc nova ab hoste rescíscens mala.
Fam. Infausta gnati fata cognoscis tui?
Hec. Inopina, mira, nova nova, adspicio, malis
Prognata ab aliis, alia contingunt mala.
D Nec ullus absque lacrymis umquam dies,
Suspiriisque me relinquet tristibus.
Chor. O infausta, dira, dira perpetimur mala.
Hec. Heu gnate, gnate matris infaustissimæ,
Quo genere mortis occidisti? quo jaces
Fato? peremit te quis e mortalibus?
Fam. Me latet, at hunc in littore offendi maris.
Hec. Ejectum ab undis, an trucidatum manu?
Fam. In littus arenosum
Marinus illum fluctus æstu ejecerat.
Hec. Heu mihi, væ væ,
Didici mihi nocturna visa insomnia.
Non me fefellit furva imago, quæ mihi est
Conspecta de te gnate, quod non amplius
E Superstes aura vescerere cœlica.
Chor. Scis qui peremit somnii prudens, cedo?
Hec. Bellator hospes ille Threicius meus,
Ubi senior illum collocarat clam pater.
Chor. Heu quid ais? auro quo potiretur, tuum
Ita ut videtur, interemit filium.
Hec. Infanda, abominanda, plusquam mira, nec
Pia, nec ferenda; ubi hospitum jus, ac fides?
Ohe vir exsecrate, ut ense ferreo
Puerile corpus conscidisti, nec ferum
Commovit ætas pectus, ubi discerperes.
Chor. Ut misera te mortalium infaustissimam
F Statuit, Deorum quisquis infensus tibi est.
Ipsum sed ecce conspicor Agamemnonem
Regem; loqui jam desinamus obsecro.
Aga. Gnatam sepultum quin venis Hecube tuam?
Nam sic, uti Talthybius attulerat mihi,
Ne quisquam Achivûm filiam attingat tuam,
Sinimus quidem illam nos, manu nec tangimus,
At ipsa cessas; proinde miror ego, sed huc
Ut te illo mittam, venio; quippe illinc bene
Peracta res est, si quid est in his bene.
Hem quem virum hic intueor in tentoriis

Phry-

A Phryga interemptum? namque corpus ambiens
Non esse Danaum nunciat amictus mihi.
Hec. Infausta (memet enim loquor quum te loquor)
Hecube; quid ago? num nam hujus accido ad genu
Agamemnonis? an hoc tacita perfero malum?
Aga. In ora tergum quid mihi obvertens tuum
Lacrymas? quid acciderit, taces? isthic quis est?
Hec. At forte reputans hostem, & ancillam esse me,
Genibus repellet, & auxero molestiam.
Aga. Divinus haud sum, nec nisi audiero, queam
Viam tuorum nosse cogitatuum.
Hec. At hujus animum cur ut hosticum, magis
Interpretamur, cum sit hostis haud tamen?
B *Aga.* Hujusce si nil scire me voles rei,
Mecum facis, neque enim cupio cognoscere.
Hec. Hoc absque ferre liberis opem meis
Minime potis sim; sed quid hæc verso? necesse
Audere, seu impetro, sive & impetro nihil.
Agamemnon, en per genua supplico tibi,
Tuamque malam, & auspicatam dexteram.
Aga. Rei quid optans? numquid hoc, ut libera
Ævum exigas? id facile continget tibi.
Hec. Minime, sed ulta maleficos, ac perfidos,
Servire reliqui quicquid est ævi, velim.
Aga. Nostram ergo mulier ad quid imploras opem?
Hec. Nil tale prorsus, quale tu Rex autumas.
C Vides cadaver hocce, quod ego lacrymo?
Aga. Video, futurum quid sit, haud etiam scio.
Hec. Peperi hunc ego olim, ac ventre gestavi meo.
Aga. Est hic tuorum misera quisquam liberûm?
Hec. At non eorum, qui jacent sub Ilio.
Aga. Num præter illos edidisti quempiam?
Hec. Inutiliter ut re liquet, nam hunc quem vides.
Aga. Urbs cum periret, hic ubi tum forte erat?
Hec. Emiserat, quo sospes esset, hunc pater.
Aga. Quo semovens a cæteris unum omnibus?
Hec. Tellurem in hanc, in qua repertus mortuus.
Aga. Ad hunc, tenet qui sceptra Polymestor loci?
Hec. Servator auri missus huc tristissimi.
D *Aga.* Quis interemit? quove fato exstinctus est?
Hec. Quis alius? hospes hunc peremit Thracius.
Aga. Miser heu, potiri cupidus auri scilicet.
Hec. Sic habet, ubi jam fata cognovit Phrygum.
Aga. Hunc nacta alicubi es mortuum, aut quis attulit?
Hec. Hæc in marino forte nacta littore.
Aga. Utrum ne quærens hunc? an aliud quiddam agens?
Hec. Ierat lavacra ferret ut Polyxenæ.
Aga. Ejecit, ut videtur, hospes hunc necans.
Hec. Ponto vehendum, membra sic sic dissecans.
Aga. Miseranda mulier, obruta immensis malis.
Hec. Perii, nec ullum restat Agamemnon malum.
Aga. Heu quæ perinde infausta mulier exstitit?
E *Hec.* Nulla est, nisi ipsum dicis infortunium.
Quapropter autem genibus advolvor tuis,
Audito, & æqua si tibi videar pati,
Mittam querelas, sin minus, te vindicem
Præbe mihi hospitis omnium impiissimi,
Qui nec supera, nec infera verens numina,
Manu peregit facinus immanissimum,
Mensa receptus sæpe communi mihi,
Primumque amicos inter obtinens locum,
Demum assequutus, quicquid æquum erat, dolis
Præcogitatis filium occidit meum.
At nec sepulcro, quando decrevit necem,
Dignatus est, sed æquori abjecit fero.
F Nos imbecilles forsan & captæ sumus,
At Dii valentes, lexque divis imperans.
Etenim vel ipsos lege censemus Deos,
Æqua, atque iniqua hac finientes vivimus,
Ea siquidem ad te pertinens, pereat neque
Pœnas luant ii, qui trucidant hospites,
Vel audeant qui sacra divis tollere,
Jam pensi erit mortalibus prorsum nihil.
Hoc itaque fœdum si putas, me respice,
Miserere nostri, pictor & veluti procul
Stans, me intuere, quanta perpetiar mala,
Regina dudum, ancilla nunc quidem tua.
Modo cincta gnatis, orba nunc, anus simul,
Deserta, & exul, infima in mortalibus.
Hei misera, quo nam clam mihi abducis pedem?
Sum actura, quantum apparet, infelix nihil.
Quid disciplinis (dignum ut est) in cæteris
Sudamus, atque singulas inquirimus?
Ac non magis suadela, quæ mortalibus
Regina sola est, examussim exquiritur?
Datoque pretio discitur, quo quæ velit,
Ea quisque persuadere possit & assequi?
Quis itaque posthac læta promittat sibi?
Gnati tot illi, non mihi adsunt amplius.
Abducor ipsa capta, & indigna patiens.
Urbisque fumum en subvolantem conspicor.
Ast illud, & si forsan importunius,
Hunc admonere veneris, eloquar tamen,
Mea gnata Phœbas ad latus cubat tuum,
Quam multitudo Phrygia Cassandram vocat.
Ubi quæso nocteis Rex suaveis jam refers?
Dulcissimorum aut in thoro complexum
Quam gnata gratiam feret, & ex illa ego?
Siquidem tenebræ, & noctis oscula scilicet
Summam inter homines benevolentiam serunt,
Nunc igitur audi, hunc mortuum coram vides,
Hunc si juvabis, quum sit affinis tibi,
Facies probe; unius parum est oratio
Membri, nec una lingua nobis est satis.
Utinam quidem fiant mihi vocalia
Brachia, manusque, comæque, & extremi pedes,
Seu Dædali arte, sive quopiam Deo,
Ut cuncta pariter genua contingant tua,
Plorentque, & omnis generis emittant sonos.
O Rex, & ô lux summa Achivûm, flectere,
Dextramque opiferam porge, supplici. Rei.
Nil aliud ut sit, attamen viri est probi,
Ut faveat æquo, justa quod potest, juvans.
Contra, maleficos semper afficiat malis.
Cho. Mirum est profecto, ut incidant mortalibus,
Præfixa certis cuncta fati legibus.
Dum qui fuere nuper inimicissimi,
Statuunt amicos, rursus & qui benevoli
Fuerant, eos odiis acerbant mutuis.
Aga. Ego teque, gnatumque Hecuba, fortunas tuas
Suscipio miserans, supplicem simul manum.
Voloque & Deorum, æquitatis gratia,
Pœnas tibi istas hospitem impium dare,
Si quo videbis posse confieri modo,
Simul ut tibique commodetur, nec tamen
Me multitudo favore Cassandræ sciat
Necem hanc tyranno Thracio molirier.
Scrupulo illud animum turbat injecto meum,
Quod illum amicum copiæ ducunt virum.
At rursus istum qui peremptus est, suum
Hostem autumant: is siquidem est carus tibi,
Privatim id est, nec pertinet ad exercitum.
Ad ista specta, nam volentem me quidem
Habes, ut adsim rebus adjutor tuis.
Opemque ferre promptum, & accinctum tibi,
Contra, pigrum si offendo multitudinem.
Hec. Heu,
Ut nemo quisquam liber est mortalium, aut
Fortuna servum reddit, aut pecunia,
Aut scripta lex, aut multitudo civium,
Vetat suopte vivere ex arbitrio.
Sed quia paves nimiumque multitudini
Tribuis, ego isto te levavero metu.
Sis conscius modo, si quid intendam mali.
Huic, qui peremit, cæterum adjutes nihil.
Tantum hoc ferente, quæ feret, si qui interim
Existet aut tumultus, aut succursio,
Compesce tu, studere dissimulans mihi.
Porro alia, fide, cuncta conficiam probe.
Aga. Qui quæso? quid ages? num manu, quum sis anus
Ferro prehenso barbarum interimes virum?
An mage venenis, sive quali tandem ope?
Tibi unde amicos? quæ tibi assistet manus?
Hec. Hæc ipsa claudunt tecta Troadum gregem.

Aga. Prædam Pelasgûm forte captivas ais?
Hec. Per has quidem sum ultura carnificem meum.
Aga. Et qui virile robur aderit fœminis?
Hec. Res valida multitudo, nec superabilis,
Armata quando est clanculariis dolis.
Aga. Res valida, sed muliebre non probo genus.
Hec. Quid, nonne juvenes nuper Ægypto satos
Omneis semel fœminea confecit manus?
Maresque Lemno sustulere fœminæ?
Sed qua gerendum sit via negotium,
Istam mihi relinque sollicitudinem.
Quin fœminam hanc per copias duci jube
Tuto, hospiti sed tu per astum Thracio
Dic: advocat Regina te dudum Ilii
Hecube, tuapte gratia haud minus, ac sua.
Gnatosque refert scire & hos, quæ mox tibi
Narrabit illa. Sed recentem victimam
Agamemnon inter hæc veta sepelirier,
Germanus una ut cum sorore, uno rogo
Geminus dolor parenti, humo condi queant.
Aga. Ita fiet, at si navigare copiis
Licuisset, hoc tibi haud queam largirier.
Sed quia ferenteis nunc negat ventos Deus,
Manendum, & opperiendum erit nobis, quoad
Detur secundus cursus, atque commodus.
Bene vertat autem, quippe pariter omnium
Et publicitus, & singulorum proprie
Refert, malis male evenire, bonis bene.

Carmen Choricum & varie mixtum.

Cho. Patria, heu dolor Ilium, haud
Urbs inexpugnata vocabere posthac
Tam densa circum Danaum tegêre nube.
Domita heu domita hosti es,
Spoliataque turrium corona.
Fumi vapore flagranti
Pingeris miserabili nigrore.
Non te rursus obambulabo.
Noctis medio interibam,
Quum jam a cœna somnus suavis
In oclos spargitur.
Solennibus ac sacris choreis,
Cantibusque peractis,
Jacet in thalamo maritus.
Suffixaque lancea,
Paxillo hæret in alto.
Nec jam nautica cernit usquam in campis agmina dira (Trojæ.
Ast inter hæc mihi revinctis
Mitris vaga lege, & orbe
Certo coma componitur
Aurei rotundum
Spectanti speculi æquor, atque
Lecto proxima stabam
Subituraque mox eram cubile,
En oppidum occupat tumultus,
Phrygumque talis urbe clamor
Sonat: quando Achivi, quando agedum
Populati validam Phrygum arcem,
Vestras domos repetetis?
At dulceis thalamos ego simplici
Relinquo veste sic, uti
Solent puellæ Dorides.
Nec profuit mihi, quod supplex
Procumberem Artemidi infelix.
Agor autem, oculis virum interemptum
Intuens, pelagi per undas,
Urbemque respectans, ubi
Jam pedem reducem carina
Moveret, undivagum per æquor,
Meque solo abduceret Iliaco,
Dolore concidi, germanam Dioscurorum Helenam ex- (secrans,
Idæumque pastorem,
Pestiferum Paridem, quod e parente
Tellure me exigeret,
Atque pellerent domo nuptiæ, non nuptiæ
Immo dæmonis
Male amici
Atrox calamitas quæpiam, at
Illam neque maria tumida revehant, neque
A Ad patrias pervenerit ædeis.

Carmen Jambicum Trimetrum.

Poly. O Priame pectori vir omnium meo
Carissime unus, atque item carissima
Hecuba, illacrymo, te contuens, urbem ac tuam
Istamque, quæ modo est perempta filiam.
Heu
Ut stabile nil est, nec licet confidere,
Confidere, inquam, non licet successibus,
Ut qui secundis floret, haud in posterum hic
Rebus repente fiat adversis miser.
Verum excitato susque deque numina
Miscent tumultu cuncta; proinde inscitia
B Veneramur illa. Flere at hæc quorsum attinet,
Quum nil medelæ ad pristina adferant mala?
Absentiam at tu si quid incusas meam,
Ignosce; nam forte intimis aberam procul
Thraces in oris, hunc ubi appuleras locum.
Verum ut reverti, famula protinus domo
Pedem efferenti commodum occurrit tua,
Verbis tuis mihi nuncians, quæ simul ego
Ut audii, e vestigio huc me contuli.
Hec. Ore intueri te quidem adverso pudet
Polymnestor, istiusmodi sitam in malis.
Nam cui beata visa sim, huic me pudor habet
In hoc statu, in quo nunc ago, reperirier.
C Neque te queam recte tueri pupulis.
Sed ne putaris istud esse odio tui
Polymnestor; atqui est quippiam in causa rei.
Vel lex recepta moribus mortalium,
Adversa ne qua fœmina spectet viros.
Poly. Neque miror equidem, me sed ad quid est opus?
Cujusque gratia moveo domo pedem?
Hec. Arcana res est, quam tibi, ac gnatis tuis
Cupio referre, proin' satellites mihi
Procul his jubeto absistere a tentoriis.
Poly. Abite; tuta hæc solitudo, tu quidem es
Benevola nobis, benevolus mihi hic quidem item
Exercitus. Sed indicare jam tuum est,
D In quo beatum deceat afflictis opem
Adferre amicis; promptus admodum sum ego.
Hec. Dic hoc prius, quem creditum domi tenes
Patris e manu meaque, Polydorus meus
Vivit ne? deinceps reliqua percontabimur.
Poly. Vivit profecto; hac parte res bene habent tuæ.
Hec. Vir optime, ut probe loqueris, ac digna te.
Poly. Post hæc quid ex me concupiscis discere?
Hec. Etiam parentis numquid est memor mei?
Pol. Quin clanculum ad te studuit huc accurrere.
Hec. Sed salvum id aurum est, Ilio quod attulit?
Pol. Servatur istud in ædibus salvum meis.
Hec. Servare perge, nec appetas res hospitum.
Pol. Absit mulier, his quæ mihi adsunt, perfruar.
E *Hec.* Scin' ergo quæ tibi proloqui, ac gnatis velim?
Pol. Ignoro, verbis indicabis hoc tuis.
Hec. Ametur, ut tu nunc amatus es mihi.
Pol. Age, quid volebas scire mecum liberos?
Hec. Gazæ Priamidôn abditæ veteres humo.
Pol. Istuc referri filio cupis tuo?
Hec. Prorsum, & quidem per te, vir es etenim pius.
Pol. Quid igitur hos adesse oportet liberos?
Hec. Moriare si tu, scire & hos satius erat.
Poly. Probe eloquuta es, & hoc modo consultius.
Hec. Scin' Iliæ delubra ubi sint Palladis?
Poly. Thesaurus illic scilicet? signi at quid est?
Hec. Tellure summa prominens ater lapis.
F *Poly.* At numquid, hinc quod ad hæc loqui velis mihi?
Hec. Serves velim has, quas extuli pecunias.
Poly. Ubi nempe? an intra amictum? an abditas habes?
Hec. Spoliorum acervo his delitent tentoriis.
Poly. Ubi? nam hic Pelasgûm nautica tabernacula.
Hec. Sunt propria captis fœminis tentoria.
Poly. Tutan' satis sunt intus, atque absunt viri?
Hec. Intus Pelasgûm nemo, nos solæ sumus.
Sed intro propera, quippe Graji ab Ilio
Cursum ad penateis flectere cupiunt suos,
Uti cuncta ubi peregeris, quæ te quidem
Peragere par est, tum tuis cum liberis

Eo

Eo queas revertier videlicet,
Ubi meum ipse collocasti filium.
Sem. Nondum dedisti, at forsitan pœnas dabis.
Portu ut procul quis turbidis vasti maris
Errans procellis, mox suavi orbabere
Anima, atque vitam deseres. Siquidem dolus,
Nec æquitati, nec Deis sat congruit.
Pestifera, pestifera malæ
Heu mentietur istius tibi spes viæ,
Letifera quæ te adduxerit sub Tartara
Eho miser, sterneris imbelli manu.
Pol. Oculûm orbor eheu luce, & adspectu miser.
Sem. Viri ejulatum Thracis audistis precor?
Pol. Heu rursus eheu, liberos necant meos.
Sem. Intus peracta genera supplicii nova.
Pol. Nunquam tamen quantumlibet pernicibus
Me pedibus effugeritis, imo protinus
Quatiens & ipsa tecta funditus eruam.
Sem. Vibratur ecce dextera telum gravi,
Vultisne ut irruamus intro? locus enim
Hecubæque & istis ferre suppetias monet.
Hec. Refringe (ne quid parseris) vellens fores.
Oculos enim haud resarties umquam, neque
Vivos videbis quos necavi liberos.
Sem. Num Thracii victrix potiris hospitis?
Patrastin' hæc, cujusmodi narras, hera?
Hec. Mox hunc videbis prodeuntem ex ædibus
Cæcum, atque cæcis lubricantem passibus:
Pariter duorum liberûm cadavera,
Quos ipsa cum fortissimis Iliadibus
Ferro peremi; jamque persolvit mihi
Pœnas, sed (ut vides) foras movet pedem.
Verum hinc procul concessero, ac vitavero
Ira æstuantem Thraca, & indomitum virum.

Carmen choricum, varieque mixtum.

Poly. Heu quo ferar? quo intendam? quo torquebo
Quadrupedem gradum, montigenæ feræ
Pressa manu vestigia tentans. Quonam,
Huc anne illuc deflectam cursum?
Ut viricidis, quæ me perdunt,
Troadibus injiciam manum.
Scelestæ, scelestæ Phrygum nurus
Proh exsecratæ
Quo me pavitantes
Se abdunt latebris?
O utinam meis sanguineis oculis
Medeare, medeare, mihi lumina
Cæca adimens Phœbe.
At at sile, occultum gradum sentio harum mulierum.
Quo cieo pedem? carne atque ossibus
Me expleturus bestiis e noxiis
Epulo parato, quo mihi sumam
Pœnam injuriæ meæ. Io miser
Quo, quo rapior? sola Tartareis
Bacchis relinquo secanda pignora, &
Cædem canibus cruentam
Impias dapes, montanamque prædam,
Quo tendo? quo me verto?
Ut sali navis in fluctibus
Turgida vela distendens
Funestam in hanc me recipiens latebram
Custos meorum liberûm.

Carmen Jambicum Trimetrum.

Cho. Eheu miser, quam gravia perpeteris mala.
Sed quum patraris fœda, pœnas asperas
Sumpsit, Deorum quisquis infensus tibi.

Carmen priore versu Jambico dimetro Catalectico, Altero Acatalectico.

Eheu, ohe ferocis
Gens Martialis Thraciæ,
Hasta valens equisque,
Ohe Pelasgûm copiæ,
Eho duces Atridæ,
Voco, voco, rursum voco.
Venite, adeste cursu,
Omnes rogati per Deos.
Audit aliquis vocantem?
An nemo nobis feret opem?
A Quæ vos moræ retardant?
Me perdidere fœminæ,
Me perdidere captæ.
Acerba, acerba pertuli.
Heu dira nostra clades,
Quo vertor, aut quorsum feror?
Utrumne subvolabo
Sublimem ad ætheris domum?
Ubi minax Orion,
Ubi Sirius oculis suis
Radios jacit micanteis,
Flammis micanteis igneis?
An Tartari nigrantis
B Tristem petam portum miser?

Carmen Jambicum Trimetrum.

Chor. Ubi quis malorum pondere, atque sarcina,
Quam ut ferre possit, acerbiore premitur, huic
Sit venia, vitam calamitosam linquere.
Aga. Me excivit huc audita vox, neque enim silens
Rupis profundæ filia per exercitum
Reboavit Echo concitans strepitum; at nisi
Eversa constet Marte Grajo Pergama,
Metum hic dedisset strepitus haud quaquam levem.
Poly. Agamemnon animo Rex meo carissime.
Nam vocem, ut audii, illico agnovi tuam.
En ipse nobis hoc, quod accidit, vides.
C Aga. Polymnestor ehem te quis evertit miser?
Quis ademit oculos, sanguine infectis genis?
Atque hos peremit liberos? is quisquis est,
In teque gnatosque odia sæva gesserat.
Poly. Adjuta captivis Hecuba me fœminis
Exstinxit, haud exstinxit, immo & amplius.
Aga. Quid ais? patrastin' facinus hoc, quod hic ait?
Tun' ausa es Hecube tam stupendam audaciam?
Poly. Hem quid ais? illa nunc ubi hic adest prope?
Age indica, dic ubi sit, ut raptam manu
Laniem ac cruentem corpus omne sanguine.
Aga. Hem, tu quid agis?
Poly. Hoc per Deos te deprecor,
D Isti furentem me sine injiciam manum.
Aga. Tibi tempera, istam mente barbariem exuens,
Dic, ut ubi teque & hanc vicissim audivero,
Quapropter hæc patiare, recte judicem.
Poly. Dicam ego; quidam Priamidûm minimus fuit,
Polydorus Hecuba natus, hunc Priamus mihi
Domi educandum misit abs Troja pater,
Excidia jam tum prætimens urbis suæ.
Eum peremi, cur eum peremerim audi:
Ut bene ac sapiente providentia,
Metui, relictus ne tibi hostis, hic puer
Trojam aggregans, hoc rursus incoleret solum.
Porro ubi Pelasgi Priamidum rescîscerent
E Superesse quemdam, rursus huc appellerent:
Tum deinde Thraces hosce populantes agros
Incurrerent, nocente vicino Ilio,
Quo nunc & ipso, Rex, laboramus malo.
Ast Hecuba simul ac filii necem sui
Cognoverat, me hac arte duxit, abditos
In Ilio monstrare thesauros mihi
Promittit auri Priamidum: cum liberis
In tecta solum inducit, ut ne quis alius
Mortalium valeret hæc cognoscere.
Spondaque media sedeo, curvato genu,
Statim frequentes hinc & hinc cingunt manus.
F Ac velut amicum me Iliæ circumsident
Juxta puellæ, textaque Edonicæ manus
Tractant tenentes, lucidam videlicet
Ad auram amictus hosce spectantes probant.
Aliæque Camaca dum intuentur Thraciam
Jam me renudant duplici stolismate.
At quæ pepererant, hæ stupentes, pignora
Librant in ulnis, ac vicissim per manus
Tradunt, ut a parente summoveant procul.
Dehinc post susurros inter ipsas mutuos
Tacitasque post mussationes, ærea,
Quibus ô Dei modis, repente e vestibus
Laciniosis proferentes spicula,
Fodiunt puellos: rursus hæ more hostico

Manus

A Manus prehendunt, atque continent, meas,
Pedesque; gnatis ferre concupiens opem,
Si forsan ora gestiebam attollere,
Coma tenebant, sive motabam manus,
Denso undique imminente mulierum agmine,
Atque opprimente, proficio miser nihil.
Porro supremum jam malum, plusquam malum,
Mire patrarunt, quippe correptis manu
Acubus, mihi orbes luminum miserrimos
Fodiunt, cruentant, deinde mox circum domum
Fugitant; at ipse nempe prosilio foras,
Ut fera cruentas persequens cursu canes,
Omnemque lustro parietem, venantis in
B Morem, modumque, concutioque, & dissipo.
Atque hæc quidem sum passus Agamemnon, tibi
Dum facere gratum studeo, sustollens tuum
Hostem; sed, ut ne verba longius traham,
De fœminis si dixit antehac quis male,
Hodieve dicit, sive post dicturus est,
Cuncta hæc ego compendio dicam semel.
Neque terra simile, nec fretum gignit genus.
Atque illud ipsa discit experientia
Semper, cui cum illis negotium incidit.

Chor. Tanta caveto utare confidentia,
Neve ex tuis ipsius existimans malis,
Muliebre sic vel omne vituperes genus.
C Pleræque nostrum aliæ quidem laudabiles,
Aliæ malarum de grege ac numero sumus.

Hec. Agamemnon, haud decet hominem lingua magis
Ullo valere tempore, ac factis valet.
Sed seu proba egit, oportet & probe loqui:
Seu prava, rursum dicta & esse putida:
Nec iniqua quæ sunt, posse dicerere bene.
Cati quidem sunt, ista qui callent probe,
At non quierunt esse ad extremum cati.
Verum malis perire cuncti cladibus,
Nec ullus horum exitia suffugit sua.
Et hoc quidem ad te sit mihi procemii,
D Ad hunc revertar, ac locis respondero.
Quid ais? Achivos ut labore duplici
Levare posses, gratiaque Agamemnonis
Mucrone gnatum tun' peremisti meum?
Atqui scelestе, primum Achivûm cuipiam
Haud quaquam amicum barbarum fuerit genus,
Neque possit esse: deinde quanam gratia
Prodesse properas? num quod affinis cui, aut
Cognatus esses, aut quid argumenti habens?
An ne refecti carperent segetem tuæ
Telluris? horum cui putas facias fidem?
Aurum (fateri vera si modo voles)
E Et tua cupiditas filium exstinxit meum.
Etenim doce illud, donec incolumis fuit
Troja, urbsque adhuc munita turribus stetit,
Vixitque Priamus Marte florens Hectoris,
Quin tum mereri de hocce si libuit bene,
Quum gnatum haberes nutriendum in ædibus,
Aut enecasti, aut vivum in Argivûm manus
Ductum dedisti? at nos ut occidimus, simul
Et ab hoste captam fumus urbem prodidit,
Jugulasti amicum, & ad lares profugum tuos.
Ausculta ad hæc nunc, unde sceleratus magis
Videare; si benevolus Argivis eras,
Aurum, quod esse fateris haud tuum,
F Adferre decuit, ac dare iis, quibus erat opus,
Annosque multos patria degunt procul.
At tu manu ne nunc quidem evelli tua
Patere, at potiris possidens in ædibus.
Quod si educare filium ut te dignum erat
Sic educasses, atque servasses meum,
Laudem profecto comparasses inclytam.
Siquidem in malis qui sint potissimum boni
Patent amici, læta amicos passim habent.
Jam si fuisset opus tibi pecunia,
Incolumis & modo ille vixisset, tibi
Thesaurus ingens filius fuerat meus,
At nunc nec istum amicum habes tibi virum,
Aurique lucrum periit, ac gnati tui,
Tuque ipse, ad istum scilicet agitis modum.
Porro illud Agamemnon tibi jam dicam ego,
Hunc si juvabis, vir videbere improbus,
Nam nec pio, nec fido in hos, in quos decet,
Non æquo amico, non bono, facies bene.
Quin te malis gaudere dicemus, quia
Sis talis ipse, heris sed haud convicior.

Cho. Res mira, ut homini materiam semper probam
Orationis, facta suppeditant proba.

Aga. Aliena nobis judicare grave est, mala,
Tamen necesse est. Nam pudor sit in manus
Rejicere causam, quum semel receperis.
Mihi, ut sciens sis, neque meapte gratia,
Sed neque Pelasgûm, hominem videris hospitem
Necasse, verum ut aurum haberes in domo.
Nunc in malis quæ conferunt tibi, loqueris.
Jugulare forsan hospitem, vobis leve est,
Nobis Achivis istud oppido est grave.
Quinam probrum ergo fugio, si pronunciem
Te jam innocentem? non profecto ulla queam
Quin potius, ubi quæ non licent, haud veritus es
Patrare, tolera quæ vicissim non libent.

Poly. Proh ut videtur victus a muliercula
Capta, dabo supplicia deterioribus.

Aga. Meritoque, quando tute parasti mala.

Poly. Heu liberos oculosque fleo miser meos.

Hec. Doles? dolere filium haud credis mihi?

Poly. Malefica gaudes, me quod afficias malis?

Hec. Quid enim, ulta te, non gaudeam jure optimo?

Poly. At non item fortassis ubi te vis freti.

Hec. Numquid vehet Pelasgici ad plagas soli?

Pol. Immo suppremis lapsam ab antennis teget.

Hec. Saltus ad hos quis adiget invitam, cedo.

Poly. Malum ipsa celeri navis adscendes pede.

Hec. Alatan' humeris, vel quibus tandem modis?

Poly. Fies canis, oclos igne lucenteis gerens.

Hec. Qui nota formæ versio tibi est meæ?

Poly. Threicius augur Bacchus ista prodidit.

Hec. At ex tuis nil ille præcinuit malis?

Poly. Sic neutiquam me fraude cepisses tua.

Hec. Defunctan' illic anne viva finiar?

Pol. Defuncta, tumulo nomen indetur tuum.

Hec. Sumptum a figura? aut quod aliud dicis meum?

Pol. Canis sepulcrum, navitis signum vagis.

Hec. Nihil laboro, posteaquam te ulta sum.

Pol. Quin filiam necesse Cassandram mori.

Hec. Equidem hæc abominor, in caput reprecans tuum.

Pol. Conjunx at illam interimet hujus aspera.

Hec. Ne mihi sic umquam gnata Tyndari furiat.

Pol. Quin ipsum & hunc bipenne librata in caput.

Aga. Itan' furis tu, qui malum accersis tibi?

Poly. Neca, at lavacra mortifera te Argis manent.

Aga. Non hunc ministri vi trahetis hinc procul?

Poly. Audire grave?

Aga. Non ora continebitis?

Poly. Opprimite, dictum est.

Aga. Quam potest ocyssime
Non huncce solas deferetis in insulas,
Adeo procaci quando lingua abutitur?
At Hecuba tu proh misera, funera gemina
Abi, atque sepeli, vos oportet herilia
Adire quamque Troades tentoria.
Etenim hos secundos video ventos, patriam
Versus, bene autem navigemus, atque item
Liceat domi res prosperas offendere,
Tandem expeditos hisce jam laboribus.

Chorus.

Ite ad portus agite, & Grajûm
Ad tentoria tendite sæva.
Experturæ posthac sortis
Ærumnas servilis acerbas.
Nam sic urget nescia flecti, &
Cogit dura necessitas.

EVRIPIDIS HECVBÆ, DESIDERIO ERASMO ROTERODAMO INTERPRETE,

F I N I S.

EU-

EURIPIDIS IPHIGENIA;

E

GRÆCO SERMONE IN LATINUM

TRADUCTA,

DESIDERIO ERASMO ROTERODAMO

INTERPRETE.

GUILIELMO
ARCHIEPISCOPO CANTUARIENSI,
DESIDERIUS ERASMUS ROTERODAMUS,
S. P. D.



OSTEAQUAM huic Tragœdiæ manus admoliri cœpissem, amplissime Præsul, protinus alium quemdam orationis gustum, diversamque carminis indolem sentire mihi sum visus. Nam (ni fallor) & plusculum habet candoris, & fusior est dictio. Quo quidem nomine Sophoclea videri queat. At rursus argumentorum densitate, quasique declamatoria quadam suadendi, ac dissuadendi facultate, parentem Euripidem magis refert. Quamquam utri sit inscribenda, neque meum est pronunciare, neque magni referre puto. Nobis tamen visum est de pristina illa nostra religione non nihil remittere, ne non hac etiam in parte congrueremus argumento. Proinde Iphigeniam paulo tum fusius, tum copiosius traduximus, at ita rursum, ut ab interpretis fide neutiquam recederemus. Hoc uno in utraque sumus ausi dissentire, quod in Choris immodicam illam carminum varietatem, ac licentiam aliquantulum temperavimus, sperantes futurum, ut hac in re docti nobis veniam darent, nimirum in tantis versantibus angustiis: quandoquidem neque Flaccus Lyricorum, neque Seneca Tragicorum Poetarum tantam in metris aut pedum libertatem, aut generum diversitatem sit æmulatus, cum uterque sequeretur Græcos dumtaxat, non etiam interpretaretur. Quod si mihi per graviora studia liceret alias aliquot vertere Tragœdias, non modo me non pœniteret hujus audaciæ, quin etiam non vererer chorum & stilum & argumenta commutare, mallemque vel locum quempiam tractare communem, vel in amœnam aliquam παρέκβασιν exspatiari, quam in canoris (ut vocat Horatius) nugis operam sumere. Nusquam enim mihi magis ineptisse videtur antiquitas, quam in hujusmodi Choris, ubi dum nimium affectat nove loqui, vitiavit eloquentiam: dumque verborum miracula venatur, in rerum judicio cessavit. Vale meum decus.

ARGUMENTUM IPHIGENIÆ IN AULIDE,
PER
DESIDERIUM ERASMUM ROTERODAMUM.



OSTQUAM Græcorum Duces omnes una cum classe, reliquoque belli apparatu in Aulidem convenissent, ut inde pariter ad Trojam evertendam navigarent, tanta consequuta est cœli tranquillitas, ut nullis flantibus ventis, non esset navigandi facultas. Quare quum exercitus jam moleste ferret, se frustra tempus inibi terere, consultis extis, Calchas augur respondit, Dianæ Aulidensi immolandam esse Iphigeniam Agamemnonis filiam, atque ita Græcos feliciter ad Ilium navigaturos. Itaque convocato exercitu, Agamemnon persuasus a Menelao, patitur fieri decretum, ut accersatur puella. Cæterum quo libentius eam Clytemnestra mater mitteret, privatim fingunt titulum, quasi Achilli Græcorum Principum optimo foret nuptura. Hoc commentum soli noverant Agamemnon, Menelaus, Calchas, atque Ulysses. Atqui missis jam ad uxorem literis, Agamemnon, quum superioris consilii pœniteret, & futuram cædem filiæ ferre non posset, noctu clanculum alias ad uxorem literas scribit, denuncians ne virginem mittat ad Aulidem, in aliud enim tempus proferendas nuptias. Eas antelucano seni cuidam servo Argos perferendas committit, exposito simul earum argumento. Verum hunc cum epistola Menelaus, dum & ipse ante lucem puellæ adventum observat, intercipit, & acriter cum fratre de consilii inconstantia expostulat. Interea e comitatu Clytemnestræ præcurrens quidam, Agamemnoni, Menelao præsente, nunciat, adesse in Aulide Iphigeniam una cum matre, & Oreste infante, neque eam rem clam esse exercitu. Ibi simul atque Menelaus sensit, illi jam non esse integrum filiam remittere, ficte cœpit fratri suadere, ne virginem sua causa pateretur occidi. Dum hæc inter illos versantur, interim advecta Clytemnestra cum filia, multisque modis exagitantur patris affectus, dum consilium de jugulanda filia studet celare. Qua de re dum consulturus Calchantem abiisset, interea accessit Achilles, expostulaturus cum Agamemnone. Salutatur a Clytemnestra tanquam futurus gener. Achilles ignarus demiratur. Ibi servus senex, ille cui literæ secundæ fuerant commissæ, rem profert proditque consilium Regis. Indignatus Achilles, quod ad cædem virginis suo nomine essent abusi, in concilio defendit eam ne perimatur, sed vincitur suffragiis. Itaque quum res ad summum tumultum spectare videretur, reliquo exercitu postulante puellam, contra Achille cum universis depugnare parato, ipsa ultro mutata sententia, suadet matri, satius esse speciosam oppetere mortem, quam ob suam unius vitam, aut tot Principes in certaminis periculum vocari, aut rem tantam omitti. Ducta igitur ad aram Deæ, ipsa quidem sublata est in Tauricam regionem, at ejus loco cerva supposita est. Sacro peracto, navigant Græci.

ARGUMENTI FINIS.

PERSONÆ FABULÆ.

Agamemnon.
Senex servus ejus.
Chorus ex mulieribus Chalcidensibus,
Menelaus frater Agamemnonis.
Clytemnestra uxor Agamemnonis.
Iphigenia filia Clytemnestræ & Agamemnonis
Achilles dictus sponsus.
Senex minister. *Nuncius.*

EURIPIDIS IPHIGENIA IN AULIDE, E GRÆCO SERMONE IN LATINUM TRADUCTA, DESIDERIO ERASMO ROTERODAMO INTERPRETE.

Carmen Anapeſticum Dimetrum. A

Aga. HOrſum ſenior prodi tectis.
Sen. Prodeo, ſed quid molire novi Rex Agamemnon?
Aga. Mox cognoris
Sen. Ocyus appropero, mea namque eſt
Multum impigra, vigilque ſenecta
Sic, ut & ipſis conſtet, & adſit
Vigor, atque acies ſua luminibus.
Aga. Ergo quod hoc, age, trajicit aſtrum?
Sen. Sirius ardens, qui Plejadibus
Septem geminis vicinus adhuc
Medio rapidus fertur coelo.
Aga. Hinc nulla ſtrepit vox, non avium,
Sed nec pelagi, taciti venti
Tranquillum ſternunt Euripum. B
Sen. At tu quid ita tecta relinquis.
Rex Agamemnon?
Aulida adhuc habet hanc alta quies,
Nec muris ceſſere excubiæ.
Introeamus.
Aga. Tu mihi ſorte
Felice ſenex eſſe videris.
Nam felicem cenſeo ſane
Ego mortalem, quiſquis tutum
Ignotus, & inglorius ævum
Tranſmiſit; qui vero ætatem
Egerunt in honoribus, horum
Sortem haud duco perinde beatam.
Sen. Atqui in iſtis decus eſt vitæ. C
Aga. Sed decus iſtud, lubrica res eſt.
Etenim votis dulce quidem ipſus
Eſt honos; aſt ubi contingit idem,
Tum diſcruciat; modo religio
Divûm, non ſat rite peracta
Labefactam ſubvertit vitam.
Modo rurſum hominum mentes variæ,
Ac difficiles prorſus acerbant.
Sen. Haud iſta viro in principe laudo,
Non te ſevit ad omnia læta
Agamemnon Atreus.
Gaudere, atque dolere neceſſe eſt:
Mortalis enim es. Sin tu nolis,
Tamen eveniet; ſic Diis placitum.
At tu appoſito lumine tædæ
Scribis epiſtolium,
Hoc quod manibus nunc quoque geſtas, D
Rurſum deles, quicquid ſcriptum eſt,
Atque obſignas, deinde reſignas,
Piceamque ſolo illidis, liquidas
Fundens lacrymas.
Et ſic anceps tecum varias,
Uti nil deſit
Quo minus inſanire puteris.
Quid habes? quid habes?
Quæ nova res, quæ res nova quæſo
Te Rex agitat?
Quicquid age eſt, imperti nobis.
Fido, atque probo dixeris homini.
Nam tibi quondam dotis partem,
Cum uxore tua me Tyndareus, E
Miſit dignum ſponſæ comitem.
Aga. Ledæ obtigerunt Theſtiadi tres filiæ,
Phoebe, Clytemneſtraque, quam mihi duxi ego,
Heleneque: at hujus nuptias multi proci
Petiere, juvenes Græciæ opulentiſſimi.
Verum hinc minæ truces coortæ, & mutua
Cædes virûm imminere viſa non levis,
Quiſquis fuiſſet non potitus virgine,
Ita ut hæſitaret mente Tyndareus pater
Utrumne daret, an non daret, nimirum agens,
Sibi res ut iſta cederet proſperrime.
Atque interim illud venit in mentem viro,
Uti coirent jurejurando proci,
Atque inter ipſos jungerent dextras, ad hæc
Adolenda Divûm ponerent aris ſacra,
Ac ſemetipſi adſtringerent, diris ad id
Caput obligantes imprecationibus,
Ut quiſquis eſſet ea potitus conjuge,
Huic adeſſent vindicaturi ſimul,
Si quiſquam eam per vim raperet ex ædibus,
Depellerentque poſſidentem a conjuge,
Belloque adorti, civitatem excinderent
Armis, perinde Pelaſgicam atque barbaram.
Ubi fœdere autem ſunt adacti, ac denique
Aſtutus ex animi ſui ſententia
Perſuaſit illis arte & ingenio ſenex,
Gnatæ facit jus, uti procis ex omnibus
Diligeret unum quemlibet ſibi virum,
Quocumque grata ferret aura Cypridis.
Menelaon illa deligit, & ô ſi foret
Numquam potitus, dein profectus Ilio
Lacedæmona ille, qui arbiter pridem trium
Fuerat Dearum (vulgo ut homines dictitant)
Inſignis, ac nitens amictu florido,
Auroque fulgens, barbarum videlicet
Luxum, atque cultum gentis oſtentans ſuæ,
Amans amantem fugit abreptam vehens
Helenen, & Idæ abduxit ad bubilia.
Menelaus itaque ſolus e Grajis, gravi
Ira furens, vetuſta ſoceri fœdera
Teſtatus, eſſe jus & æquum prædicat,
Uti ferant injuria læſis opem.
Hic ergo Danaûm turba Marte percita
Capeſſit arma, arctoſque in Aulidis ſinus
Convenit huc, & ratibus & ſcutis ſimul
Inſtructa, equiſque, curribuſque plurimis.
Hinc me ducem legere Menelai vice,
Quia frater eſſem. Sed utinam loco mei
Alii hoc honoris contigiſſet cuipiam.
At nunc coactis undiquaque copiis,
Hac ocioſi deſidemus Aulide.
Quod navigandi copiam venti negent,
Calchaſque vates muſſitans tacitus diu
Reſpondit, Iphigeniam, ego cui pater,
Divæ immolandam, hujuſce præſidi loci,
Ita navigandi copiam Grajis fore,
Simulque Trojæ diruenda mœnia,
Hanc ſi immolaſſent: ſin minus, tum non fore.
At ego, hæc ut audio, jubeo voce publica
Dimittat omnem Talthybius exercitum,
Ut qui illud animo facinus haud umquam meo
Laturus eſſem, gnatam uti perimerem meam.
Totas ibi arteis frater intentans mihi, ac
Expertus omneis perſuadendi vias,
Tandem impulit me atrox ut auderem nefas.
Ego itaque literis ad uxorem datis,
Quo filiam huc tranſmittat impero, velut
Nupturam Achilli, & dignitatem exaggerans
Viri, neganſque hunc velle junctis copiis
Cum claſſe Achivûm ſolvere in Phrygas ſimul,
Niſi ſponſa noſtra detur in Phthiam e domo.
Commentus hanc perſuaſionem ad conjugem
Meam, puellæ obtexo falſas nuptias.
At hæc ut habeant, ſoli Achivûm novimus
Menelaus, ego, Calchas, Ulyſſes. Cæterum
Quæ tum parum bene ſtatueram nunc has bene
Recanto corrigoque per tabellulas,
Quas me ſub umbra videras noctis ſenex
Revincientem, & colligantem denuo.
Sed eja ad Argos hanc Epiſtolam ferens
Concede; quicquid intus occulant rei
Cera ſilentibus exaratum literis,

 Ser-

Sermone id omne prorsus exponam tibi.
Es enim fidelis conjugi, ac domui meæ.
Has iterum tibi mitto tabellas, Ledæ germen.
Sen. Fare, enarra, quo voce tuis
Scriptis consentanea dicam.
Aga. Ne gnatam horsum transmitte tuam
Ad sinuosam Euboiæ rupem
Aulin tacitam.
Siquidem tædas virginis aliud
Nunc in tempus producemus.
Sen. At sponsa frustratus Achilles,
Nonne minaces animos tollet
In te, atque tuam simul uxorem?
Hinc etiam instat grave discrimen.
Cedo, quid censes?
Aga. Nomen, non rem præbet Achilles,
Neque cognovit de conjugio,
Quodque dolo nos agimus, nescit.
Neque quod finxi gnatam thalamo
Ipsi juncturum esse jugali.
Sen. Dira parabas Rex Agamemnon.
Itane prolem nomine ficto
Sponsæ, fueras Danais producturus,
ut esset victima divæ?
Aga. Hei misero mihi mente errabam.
Eheu tristem trahor in luctum.
Sed jam celeri procurre pede,
Neque te quicquam tardet euntem
Serior ætas. *Sen.* Rex accelero.
Aga. Neve ad fontes arbore multa
Nunc desideas lentus opacos,
Neu te blandus subigat somnus.
Sen. Quin verba bona ô Rex eloquitor.
Aga. Undique sectam scrutare viam,
Circumactis observans oculis,
Ne qua fallat te mea conjunx,
Curru prætervecta volucri,
Gnatam rhedis huc deportans
Danaûm ad classem.
Sen. Fiet. *Aga.* Jam te proripe septis;
Nam si vecta occurrerit illa,
Aversa domum frena reflectes,
Ad Cyclopia mœnia tendens.
Sen. At, qui fiet, ut hæc referenti
Dicta, fidem mihi sint habituræ,
Tum tua filia, tum tua conjunx?
Aga. Symbolon hoc, quod in hisce tabellis
Portas serva.
Fuge, jam lux albescit, & aurora
Ignea surgit,
Ac Phœbeæ flamma quadrigæ.
Hanc operam mihi sume juvando.
Nemo ex omni parte beatus.
Numquam siquidem natus quisquam est
Cui nil fuerit, quod cruciaret.

Carmen varie mixtum.

Cho. Mulie. Chalcidensium Modo profecta Chalcide patria,
Quæ semper arcto tunditur æquore,
Ubi marino interflua gurgiti
Arethusa, puro vitrea flumine,
Rigat arva, veni littus ad Aulidis
Euripicos emensa fluctus,
Agmina Grajugenûm ut viderem,
Classemque Pelasgum:
Semideum quandoquidem
Ad Phrygiæ Pergama Trojæ,
Jam mille narrant ducere navibus
Nostri mariti, clarum Agamemnonem, &
Flavicomum Menelaum
Fratrem hujus, una ut Tyndaridem petant,
Quam pastor Eurotæ ad virenteis
Plurima arundine ripas
Idæus rapuit Paris,
Præmia quæ Venus
Donarat illi tunc, ubi levium
Ad fontium vivas scatebras,
Cum Junone Jovis conjuge maximi,
Et cum belligera Pallade principis
De laude formæ, Cypria mollium
Mater blanda Cupidinum
Certaret. Atqui per Triviæ nemus,
Lucumque crebris perpetuo sacris
Halantem venio, mi tenera interim
Dum sic conspicior viris,
Repente obortus
Suffundit ora purpureus pudor,
Multijugos clypeos aventi
Cernere & armigerorum
Ferrea castra Pelasgûm,
Bellaces item equos cernere, & acrium
Agmina densa virûm.
Ac conspexi equidem duos
Tentoriis in iisdem
Ajaces, patris hunc germen Oilei,
Hunc Telamone satum,
Juge decus Salaminiis.
Nec non Protesilaum
His pariter assidentem,
Collusitantes tesserarum
Jactibus omnijugis.
Conspexi Palamedem.
Quem Neptunia proles
Produxit: neque non viribus ac manu
Insignem Diomedem,
Oblectantem animos jactibus æneis
Disci: nec procul hoc Merionem, inclytam
Gradivi sobolem patris,
Miraculum mortalibus.
Et Laërtiadem profectum
Montuosa ab insula.
Nec non Nirea, quo nemo Pelasgica
Inter pulcrior agmina.
Tum cursu & volucri pedum
Ventis cum rapidis fuga
Decertare potentem
Achillem, Dea quem progenuit Thetis
Chiron finxit, & educavit,
Vidi littoreis in arenis
Armis onustum currere.
Certabat autem cum citis quadrigis,
Cursu volans pedestri,
Et antevertens deproperat statæ
Laudem tollere palmæ.
Eumêlus acris inter
Ista Pheretiades
Quadrigæ moderator
Exclamat; huic profecto
Vidi equas pulcerrimas,
Frenisque pictas aureis,
Stimulo incitante cursum,
Vastum celerare per æquor,
Partim arcuato, suppositas jugo,
Albis terga notis divariantibus,
Partim hinc & hinc æqualibus additas
Extra jugum catenis,
Obliquos glomerare flexus,
Rufis conspicuas pilis.
Porro cruribus imis,
Qua talum premit ungula,
Diverso varias colore.
Juxta has in armis Æacides gradu
Fertur citato, sæpe volubili
Cantho propinquus, fervidoque
Proximus axi.
Post hæc ad numerosæ
Classis pervenio trabeis,
Spectaculum ingens nec recitabile.
Quo mihi blanda voluptas
Fœmineos oculos,
Gratissima tuendi
Illecebra satiaret.
Cornuque dextrum
Myrmidonum manus
Quæ Phthii ducis

Mili-

Militat auſpiciis
Quinquaginta agitans carinas,
Pernices, rapidaſque tenebat.
Porro in eminentium
Puppium faſtigiis
Sculptiles auro, Deæ
Æquoris, Nereides
Stabant nempe Achilleiæ
Signa cohortis.
Atque his ordine proxima,
Paribus recincta remis
Claſſis ſtabat Argivûm
Quos Meciſtiades agebat,
Capaneoque ſatus,
Bellator Sthelenus dehinc
Proles inclita Theſei
Sexies denas agens
Dite ex Atthide naveis,
Per ſeriem poſitas
In ſtatione tenet.
Harum in puppibus eminebat
Pallas Diva, volucribus
Nixa quadrigis,
Signum bene ominatum,
Viſuque fauſtum navitis.
Bœotiorum bellicum
Rurſus apparatum
Quinquies decem rates
Vidi fluctiſecas, citaſque
Adprobe decoratas
Signis, quippe minacibus
Cadmus in roſtris erat,
Fulvum tenens draconem.
At cohorti nauticæ
Terrigena præerat
Imperator Leitus,
Phoci cui patria tellus.
Pone illos, totidem navibus e Locris
Advectis ſequitur gnatus Oilei,
Throniaca urbe profectus.
Cæterum e Cyclopiis
Satus Atreo Mycenis
Centum rateis agebat,
Denſo refertas milite.
Huic aderat pariter
Ductor Adraſtus,
Nempe amicus amico.
Uti, quæ domo relicta
Barbaras Phrygum
Fuerat ſequuta nuptias,
Marte pollens Græcia
Vindicaret Tyndarin.
Ad hæc Pylo profecti
Neſtoris Gerenii
Vidi rateis; in puppibus arduis
Inſignii ſtabat vice, taurico
Alpheus ore fictus,
Qui Pylios celer
Diſſecat agros.
Biſſenis aderant navibus inſuper
Ænianorum cohors,
His præfectus Juneus.
Hos item ſequuntur
Euryto duce,
Optimates Elidis,
Quos univerſa plebes
Dicit Epeos.
Agmenque agebant albireme
Phyliaci manipli,
His ductor præerat Meges,
Quem miſerant Echidnæ
Inſulæ, appellentibus
Periculoſæ navitis.
Aſt Ajax Salaminiæ
Urbis alumnus,
Cornu junxit utrumque
Dextrum, atque lævum, cominus admovens

A Biſſenas rateis
Præcipites, agileſque, &
Ultimus agmina clauſit,
Sic ut inaudii.
Nam claſſicam catervam
His ipſa vidi oculis.
Adverſus hancce barbaras
Quicumque dux phalanges
Committet, is ſalvus domum
Nunquam eſt rediturus, opinor.
Illic itaque navalium
Audii, vidique
Agminum cohortes.
B Eadem domi recordor,
Meos apud penateis
Audiſſe de Pelaſgûm
Convocatis copiis.

Sen. Menelae jam audes graviaque ac immania,
Audere quæ te neutiquam licet aut decet.
Me. Abi, nimis profecto heris fidelis es.
Sen. Mihi exprobraſti probrum honeſtum ſcilicet.
Me. Jam vapulabis ejulans, ac flens mihi
Quæ te nefas patrare, ſi patraveris.
Sen. Te ſolvere tablas non decet, quas ego fero.
Me. Neque ferre Achivis te decet cunctis malum.
Sen. Contendis hæc fruſtra, has ſed amittas mihi.
Me. Haud quaquam omittam. *Sen.* Sed nec ego remiſero.
C *Me.* Sceptro tuum tibi mox cruentabo caput.
Sen. At pulcrum heri vel mortem obire gratia.
Me. Omitte; multa ſervus homo verba hic facis?
Sen. Agamemnon here, vim patimur; hic epiſtolam
Tuam manu violentus extorſit mea,
Æqui nec ulla huic ratio conſtat nec boni.
Aga. Hem quid tumulti in foribus, aut convicii?
Sen. Meum potius, atque hujus rem eſt dicere.

Carmen Trochaïcum Tetrametrum Catalecticum.

Aga. Cæterum Menelae, cum iſthoc cauſa quæ tibi incidit
Litis, & contentionis? curque vi trahis meum?
Me. Aſpice in nos recta, ut hoc capiam loquendi exordium.
Aga. Num verebor lumina in te tollere Atreo ſatus?
D *Me.* Haſce num tabulas vides, ſcripti miniſtras peſſimi?
Aga. Video, quam primum ſed iſtas manibus amittas tuis.
Me. Non prius, quam quicquid intus, aperiam cuncto agmini.
Aga. Itane ſcis, quæ neutiquam te fas erat cognoſcere?
Idque refractis (opinor) epiſtolæ ſignaculis?
Me. Aperiens videlicet, quo te malorum denique
Pudeat, ac pigeſcat horum quæ patraſti clanculum.
Aga. Verum eas ubi nactus? O Dii mentis impudentiam.
Me. Nempe dum cautus tuam ſervo, maneoque filiam,
Numquid Argis adveniret ad Pelaſgûm copias.
Aga. Cæterum qui convenit, tu res ut obſerves meas?
Obſecro, an non eſt viri iſthuc impudentis & improbi?
E *Me.* Sic enim tulit voluntas; ſervus haud ſum ego tibi.
Aga. Iſta non indigna, & intoleranda, quæſo per Deos?
Itane per te non licebit, nec ſinar, negotia
Propriæ domus meopte temperare arbitrio?
Me. Varia ſentis, nunc quidem illud, alia dudum, aliud ſtatim.
Aga. Dicta phaleras; eſt malum autem docta lingua peſtilens.
Me. Varia mens iniqua res eſt, atque amicis abdita.
Jamque te verbis revincam; tu per iracundiam
Vera ne negato, non ego te admodum laudavero.
Scin' ne creari ubi ſtudebas dux Achivûm ad Ilium,
Fronte, ſic ſpecieque nolens, ſed animo ſane volens,
Quam tum eras ſubmiſſus, omnem prenſitando dexteram,
F Ac fores habens patenteis cuilibet popularium,
Et ſalutans ordine omnes, quiſquis eſſet obvius,
Si quis etiam noluiſſet, hunc honorem quæritans
Emere comitate morum a multitudine civium?
Aſt ut imperio es potitus, non es iiſdem moribus,
Nec viciſſim ut ante, amicus iis manes, qui ſe tibi
Præſtitere dudum amicos; ſed aditu ſuperbus, ac
Faſtuoſus, abdituſque delites in ædibus.
At ſuos mutare mores haud decet probum virum,
Poſteaquam ſplendidis donatus eſt honoribus.
Maxime ſed tunc amicis eſſe firmum convenit,

Quando maxime juvare jam poteſt felicior. (malum. A
Hæc tibi primum opprobravi, primum ubi experior
Deinde in Aulin ut appuliſti, omniſque Grajum exerci-
Nullus es, ſed abnegante proſperum curſum mari, (tus,
Illico fortuna, quam Dii miſerant, te perditum
Mente conſtravit. Pelaſgi at inter hæc dimittier
Flagitant claſſem, negantes eſſe conſilii ſibi,
Ut diutius laborem fruſtra in Aulide trahant.
Fama porro quam fuiſſet fœda, & infelix tibi,
Quanta item perplexitas, animique conſternatio,
Mille cum præfectus eſſes imperator navibus,
Ni Phrygum campos repleſſes bellicoſo milite?
Meque conſulis quid ageres, quamve reperires viam,
Ne tibi regno abdicato, famæ & occideret decus. B
Hinc ubi inter ſacra vates filiam edixit tuam
Immolandam Artemidi Calchas, atque ita Danais fore
Curſum ad Ilium ſecundum, mente gaviſus, lubens
Te immolaturum puellam pollicebaris Deæ.
Ac volens, non vi coactus (hoc caveto dixeris)
Conjugi jubes, ut horſum filiam mittat tuam,
Nomine hoc, quo tamquam Achilli ſponſa nuberet viro.
Nunc repente verſus, alias mittis immemor ſchedas,
Filiæ nec jam futurus dirus occiſor tuæ.
Age, ſed hic eſt ipſus æther teſtis atque conſcius,
Iſta qui te pollicentem vidit, atque exaudiit.
Accidit nimirum idem iſthuc plurimis mortalibus,
In capeſſendis negotiis, qui quidem enixe, quoad
Aſſequantur, elaborant, deinde fœde deſerunt, C
Idque partim incogitanti civium vecordia,
Partim item merito, atque jure, quando non idonei,
Nempe reperiuntur ipſi, rem tueri publicam.
Ego potiſſimum inauſpicatæ Græciæ vicem gemo,
Quæ patrare inſigne quiddam, & glorioſum in barbaros
Perditos conata dudum, jam tua cauſa, ac tuæ
Gnatæ, eis riſum movebit ſcilicet fœdiſſimum.
Neminem loci crearim præſidem, aut belli ducem,
Seu rei, ſeu dignitatis, officive gratia.
Mente dumtaxat ſagaci oportet eſſe præditum hunc,
Bellicam qui rem adminiſtret civitatis nomine.
Quippe princeps ille quiſquis præeminet prudentia.

Chor. Res dira verbis invicem altercarier,
Dictiſque fratres dimicare mutuis, D
Si quando lis inciderit, aut contentio.

Aga. Bene tibi Menelae contra jam volo maledicere,
Idque paucis, ne cui parum prudenter, ac nimis
Inverecunde putemur agere; ſed modeſtius
Tibi loquemur, quippe fratri; nam vir improbus qui-
Is mihi videtur eſſe, qui vereri non ſolet. (dem
Cedo mihi, quid acerba ſpiras, ſic cruento lumine?
Quis nocet tibi? quidve factum eſt? an ne raptæ conjugis
Recipere præclara ſane concupis cubilia?
Non tibi præſtare hoc noſtrum eſt; nam tuorum tu tibi
Ipſus auctor es malorum, deinde commiſſi obſecro
Ipſe quod nunquam patrarim, innoxius pœnas luam? E
Noſtra num te ambitio mordet? at venuſtam conjugem
Miſſo honeſto, æquo, bonoque vis tenere amplexibus.
Nam viri mali, improbique ſunt voluptates malæ.
Ego quod antehac iſta non perpenderim conſultius,
Sanus haud ſum, an verius tu? quippe qui connubio
Quum ſies malo levatus, denuo repetas miſer,
Poſteaquam Diis ſecundis, res bene obtigerit tibi.
Sed proci olim tibi Tyndarea dejerarunt fœdera
Improbi, nequam & ſuperbis imminentes nuptiis.
Aſt ego ipſam ſpem videlicet arbitror magis Deam
Illud effeciſſe, quam te, vimve conſilii tui.
Quos agens bellum auſpicare, nam reor fore, ut ſcias
Mente vecordi inita prave, vique adacta fœdera. F
Cæterum meos ego non liberos mactavero.
At tuo quidem arbitratu commodoque ſcilicet
Conjugis vindicta fiet, præter æquum peſſimæ?
Me dies, nocteſque mœſtis lacrymis confecerit,
Impia interim patrantem, & æquitati diſſona,
In meos, quos ipſe ſevi, ſuſtulique liberos?
Hæc brevi tibi dicta ſunto plana, & expedita, ſin
Sapere recte tu recuſes, mea bene ſtatuam tamen.

Carmen Iambicum Trimetrum.

Chor. Diverſa dictis iſta ſuperioribus
Relata ſunt, at illud admonent probe,
Vim propriis eſſe abſtinendam a liberis.

Me. Proh habeo amicum neminem infelix.

Aga. Habes
Qui ſunt amici, ni velis evertere.

Me. Ubi te arguis mihi patre communi ſatum?

Aga. At ſapere tecum cupio, non furere ſimul.

Me. Dolere amicos tamen oportet mutuum.

Aga. Tum accerſe, quum juvare vis, non lædere.

Me. Cenſes in his non adjuvandam Græciam?

Aga. At iſta tecum quopiam inſanit Deo.

Me. Sceptris tumeſcis fratre deſerto tuo.
Ego porro ad alias verto me artes quaſpiam,
Alioſque amicos.

Nuncius. Dux Achivi exercitus.
Agamemnon, adſum filiæ advector tuæ
Pridem Iphigeniam quam vocaſti in ædibus.
Comes ipſa venit virginis mater, tua
Conjunx Clytemneſtra, tuum una filium
Ducens Oreſtem, quo voluptatem tibi
Conſpectus horum pariat, ut qui jam diu
Procul a tuis agas foris penatibus.
Sed quod viam longam peregerint, apud
Lymphas nitentes fontis Euryti manent.
Simul a viæ labore reſpirant gravi
Ipſæ jugales, quas quidem dimiſimus
In paſcuæ virentis herbidum ſinum,
Uti reficiant feſſa pablo corpora.
Ob hæc ego tui præmonendi gratia
Huc præcucurri; quippe Grajum exercitus
Reſcivit, alis fama pervolans citis
Jam diſſipavit filiæ adventum tuæ,
Totuſque curſu cœtus ad ſpectaculum
Effunditur, quo filiam adſpiciat tuam.
Ut inter omneis nempe mortales ſolent
Et incliti eſſe ſemper & ſpectabiles,
Quibus bonis fortuna flatibus favet.
Ajuntque num quæ nuptiæ? ſed quid rei
Paratur? an deſiderio gnatæ ſuæ
Tactus Agamemnon, advocavit virginem?
Alioſque rurſum hæc audiſſes dicere,
Artemidi nunc initiant puellulam
Regnum obtinenti littoralis Aulidis.
Verum quis illam ducet uxorem cedo?
Sed interim hæc omittimus; quod inſuper
Reſtat, coronam primus e calatho cape.
Vincito ſertis tempora; & tu Rex item
Menelae præbe te lubentem nuptiis.
Et in ædibus numeroſa reſonet tibia,
Solumque læto perſtrepat plauſu pedum.
Nam fauſtus iſte virgini illuxit dies.

Aga. Probe; ſed intro te recipito, cætera
Fato viam monſtrante, ſuccedent bene.
Eheu miſer quid dicam? (ut abs te exordiar)
Neceſſitatis heu quod incidimus jugum?
Fortuna proh prævertit, imponens mihi,
Suaque noſtrum vicit aſtum aſtutia.
At generis ipſa obſcuritas, ut quiddam habet
Et commodum profecto, & exoptabile.
Nam liberum illis lacrymas profundere,
Quærique miſera, ſtirpe at illuſtri ſatis
Sunt hæc negata, ſed arbitrum vitæ, levem
Populum obtinemus, atque multitudini
Servimus; etenim me vetat quidem pudor
Genas rigare lacrymis, rurſum pudet
Miſerum carere lacrymis, in maximas
Cladeis redactum. At hæc ſinamus; quid meæ
Reſpondeam de rebus hiſce conjugi?
Qua fronte contra hanc obtuebor? aut quibus
Modis recipiam? quippe quæ me perdidit,
Aſt iſta, quæ nunc me premunt miſerum mala,
Injuſſa veniens, attamen probabili
Cauſa huc profecta eſt, filiæ comes ſuæ,
Quo nuptias celebret, & quibus nihil
Antiquius jucundiuſque, eam collocet.
Qua nos quidem in re deprehendet impios.
Rurſum miſellæ virginis (quid virginis

Quæ

A Quæ mox, opinor, sponsa nubet inferis)
Ut est miserum, supplicabit hæc mihi
Ad hunc reor modum. O pater, me occidere
Paras? at istiusmodi connubia
Veniant tibique, & si quis est carus tibi.
Præsens Orestes hæc mihi opplorabit, haud
Scita, at scienter, quippe adhuc infantulus.
Ah, ut peremit me potius nuptiis
Helenes Lacenæ Troico Priamo satus,
Horum malorum qui mihi est auctor, Paris.
Cho. Me quoque misertum est, quatenus decet hospitam
Malis tyrannorum ingemiscere fœminam.
Me. Germane dextram da mihi, ut tangam tuam.
Aga. Do, te penes victoria est, ast ego miser.
B *Me.* Per Pelopa juro, qui mei pater patris,
Tuique dictus, perque genitorem Atreum,
Proloquar aperte mentis ex sententia.
Nihilque fucans, immo quicquid sententia.
Mihi te videnti oculos rigantem lacrymis
Fraterna pectus percusit miseratio.
Vicissim & ipsus ora tinxi lacrymis,
Veteremque prorsus exui sententiam,
Haud jam quidem infestus tibi adversarius.
Sed facio tecum stans tuis a partibus,
Hortorque te ne filiam perimas tuam,
Neu præferas meum tuo negotium.
Neque enim sit æquum, tristibus suspiriis
C Te macerari, me suaviter agere:
Tuos mori, superα meos aura frui.
Quid enim mihi volo? numquid eminentia
Rursum queam nancisciet connubia,
Connubiorum si trahar cupidine?
Fratrem ne perdens (me quod haud quaquam decet)
Helenam præoptem, id est, boni loco malum?
Incogitans, ac juvenis antehac fui,
Sed propius atque fixius considerans
Rem, video, quale erat perimere liberos.
Ad hæc, puellæ me subit miseratio,
Dum reputo nimirum esse cognatam mihi,
Quæ misera nostri gratia connubii
D Erat immolanda, at quid negotii, aut rei
Cum Tyndaræa virgini est Helena tuæ?
Dimissus abeat Aulide hinc exercitus,
Tu frater oculos parce tingere lacrymis,
Simulque nos in lacrymas impellere.
Jam te tua de filia si quid movent
Responsa, me nil moverint, tibi meas
Transscribo parteis, sed quod in contraria
Mutatus abeo, nunc acerbam deserens.
Orationem, jure facio, si patre
Prognatum eodem caritate prosequens,
Transgressus in diversam eo sententiam.
Quando illud est non improbi munus viri,
Ubique factu quod sit optimum, sequi.
E *Cho.* Generosa dixti, ac digna Tantalo, Jovis
Genere, & parenteis neutiquam indecorans tuos.
Aga. Collaudo te Menelae, quod præter meam
Opinionem, sic (uti te dignum erat)
Orationem verteris recte tuam.
Me. Nonnullus olim ex cupiditate, fratribus
Oritur tumultus, & e domorum opulentia.
Germanitatem at istiusmodi quidem
Fratrum inter ipsos, exsecror amarissimam.
Aga. Nihilo minus nos illigat necessitas,
Gnatam cruenta cæde ut immolem meam.
Me. Qui? te quis adiget, gnatam ut interimas tuam?
F *Aga.* Grajûm universim conglobatæ copiæ.
Me. Non, si remittas rursum ad Argos virginem.
Aga. Fefellero hic, illic sed haud fefellero.
Me. Quid hoc? timere non decet turbam nimis.
Aga. Calchas Achivis proferet vaticinia.
Me. Non, si ante pereat, idque fiet commode.
Aga. Genus omne vatum, gloriæ est avidum malum.
Me. At nihil habet, nec inutile, ut nec utile.
Aga. Non metuis illud, quod mihi in mentem venit?
Me. Qui suspicer, quod cogitas, ni dixeris?
Aga. Cuncta hæc scelestum Sisyphi novit genus.
Me. Nihil est, Ulysses quod tibi, aut mihi noceat.
Aga. Is varius usque ac multitudini obsequens.
Me. Ambitio mente hunc pestilens tenet malum.
Aga. Hunc proinde jam nunc inter Argivos puta
Adstare medios, atque ibi eloqui palam,
Quæcumque Calchas dixit afflatus Deo,
Et ut Artemidi me victimam receperim
Gnatam daturum, deinde promissum Deæ
Mendax negarim, ita concitatis copiis
Ubi meque, teque jam peremerint, dare
Tum virginem suadebit Argivos neci.
Quod si cita Argos me recepero fuga,
Aderunt, & ipsis me simul cum mœnibus
Cyclopiis everterint, nec non solum
Vastaverint; ad hunc modum infortunia
Se nostra habent; heu miser, & infelix, ut his
Nunc per Deos perplexus involvor malis.
Unum hoc mihi Menelae serva, copias
Adiens Achivûm, ne quid istius rei
Rescíscat uxor ante, quam gnatam meam
Mactatam ad Orcum & inferos demisero,
Quo lacrymis, quantum potest, paucissimis
Miser siem; at vos hospitæ mihi fœminæ
Silentio negotium celabitis.

Carmen Glyconium.

Chor. Felices quibus obtigit
Sors nec summa, nec infima,
Sed sane modica, & quibus
Castos annuit aurea
Nancisci thalamos venus,
Tranquillaque perenniter
Consuetudine perfrui,
Quorum pectora mutuis
Flagrant incita flammulis,
Postquam jam geminis trahens
Spicla torquet ab arcubus,
Tincta spicula gratiis
Coma splendidus aurea
Cupido Deus aliger.
Quorum hæc dulce & amabile
Ævum prospera conferunt,
Vitæ hæc perniciem ferunt,
Ac turbam, hunc equidem meis
Formosissima deprecor.
Aversorque thoris venus.
Sit modesta mihi precor
Formæ gratia, sint mihi
Amores liciti, ac pii.
Contingant mediocria
Blandæ munera Cypridis.
Porro ingentia deprecor.
Humanis variantia
Sunt discrimina mentibus
Sunt discrimina moribus.
At qui rectus & integer,
Is semper similis sui.
Quin probis rationibus
Educi teneros adhuc,
Momentum obtinet haud leve ad
Virtutem, siquidem inserit
Primum illud venerabilis
Pectori sapientia,
Fœdum uti fugiat nefas.
Dein' fert hanc quoque gratiam,
Mente ut cernere callida,
Quid facto sit opus, queat.
Quæ res conciliat suis
Ignarum senii decus,
Gloriamque, perenniter
Quæ nomen parit inclytum.
Res est maxima quæpiam,
Virtutis studium sequi.
Quæ præstanda domi probis
Privatim mulieribus
Sancta conjugii fide.
At palam decorans viros
Inter densa frequentium

Foro

Foro millia civium
Rei commoda publicæ
Usque in majus adauxerit.

Carmen Jambicum Dimetrum Catalecticum.

Illinc Pari es profectus,
Ubi alitus inter Idæ
Armenta læta pastor,
Ubi barbaras cicutis
Phrygiis canens solebas
Sonare cantilenas,
Olympicoque ritu
Calamos liquente cera
Adglutinare plureis,
Boumque grex obesus
Pascens virente passim
Obambulabat arvo,
Tua quum chorus Dearum
Arbitria flagitabat.
Ea causa te profectum
In Græciam vocavit.
Hæc hospitem recepit
Tectis superba eburnis,
Oculis ubi petulcis
Contra intuens decoram
Helenen, amoris œstro
Vehemente perculisti,
Perculsus interim ipse
Pari vicissim amore.
Hoc fonte nata lis est,
Quæ copias Pelasgûm
Cum classe tanta ad urbem
Impellit Iliensem.

Carmen Anapæsticum Dimetrum.

Chor. Io, io,
Magni magnis florent opibus,
Rege creatam genitore, meam
Cernite Iphigeniam Reginam,
Atque Clytemnestram Tyndarei,
Sanguine cretam,
Ut magnis e stirpibus ortæ,
Utque ad summum sunt evectæ
Decus, ac fortunæ splendorem.
Porro Divûm numina, partim
Opibus possunt plus humanis,
Partim quos sors urget iniqua,
Hos felicibus ornant rebus.
Consistamus grex Chalcidicæ
Indigena ac vernaculus urbis,
Quo Reginam procul a turba
Excipiamus, comiter illi
Porrectis manibus placidaque
Mente ac hilari vultu, uti certe
In plana soli pede descendat.
Ne quid pavitet generosa ducis
Gnata Agamemnonis, huc mihi primum
Nunc adveniens, ne quid turbæ,
Attonitive pavoris temere
Argivorum ex urbe profectis
Moveamus hospitæ hospitis.

Clyt. Auguria nos ista quidem consulimus boni,
Certe quod ad te pertinet, felicia,
Tuæque capimus fausta vocis omina.
Nonnulla porro spes habet animum meum,
Quod auspicatas pronuba huc ad nuptias
Advenerim, at vos quas ego horsum filiæ
Comites ab Argis duco dotaleis meæ,
E curribus feliciter descendite, &
Rite, ac decenter in atrium procedite.
Dein tu quadrigas gnata cautim jam mihi
Linquas equestreis, membra sensim ac molliter
Et tenera simul, & imbecilla promovens.
Vos hanc in ulnas excipite juvenculæ,
Procul ac citis discedite a vectabulis.
Mihi fulcientem porrigat aliquis manum,
Currus volucres quo relinquam commode.
At vos equinis stetis adversæ jugis:
Terrifica namque est res, oculus equi ferox.

A Atque hunc puellum Agamemnonis prolem, manu
Corripite Orestem, nempe adhuc infantulum.
Mi gnate dormis, vehiculi jactamine
Sopitus, expergiscere ad sororias
Avibus secundis atque lætis nuptias.
Siquidem ipse quum nobili sis natus loco,
Mox sortieris optimi, ac summi viri
Affinitatem, principem Nereide
Parente natum, par Deis ipsis genus.
Ex ordine huc age ad pedes propere meos
Juxta parentem gnata tete colloca.
Ac proxime Iphigenia consistens mihi,
Huic hospitarum fœminarum me choro
B Ostende, quam sim te beata filia.
Caro salutem mox face ut dicas patri.

Iph. Ita mater, occurrens in amplexus (tua
Quod pace dicam, ne mihi succenseas)
Pectus paterno pectori adprimam meum.

Clyt. Agamemnon ô Rex, ego cui vel maximam
Mortalium uni debeo reverentiam,
Adsum, tuis en obsequuta jussibus.

Iph. Sed & ipsa cupio longa jam post tempora
Admota genitor pectus amplecti tuum,
Etenim tuis sitio frui conspectibus,
Id pace, si modo mihi liceat, tua.

Aga. Age gnata fruere, quando jam pridem omnibus
C E liberis, quos uxor edidit mihi,
Te una parentis nulla est amantior.

Iph. Te mihi pater lætaque, lubensque conspicor,
Post longa secli spatia non visum mihi.

Aga. Itidem pater te gnata, quodque ais modo,
Ex æquo utrisque convenit nobis simul.

Iph. Salve; quod autem huc jusseris me accersier,
Amo te, & abs te est optime factum pater.

Aga. Atqui hoc quod es modo eloquuta filia,
Equidem haud reperio, qui vel ajam, vel negem.

Iph. Hei mihi quid hoc est? quod lubens cum videris,
Placido haud tamen nos intuere lumine?

Aga. Regnum gerentem, ac bellici agminis ducem,
D Permulta curis distinent negotia.

Iph. At nunc mihi des, & in me unam tuum
Animum a molestis avoces negotiis.

Aga. At nunc quidem in te, haud alicubi mea filia,
Sum totus omni dedicatus pectore.

Iph. Ergo supercilium remitte nubilum
Meaque frontem exporge gratia pater.

Aga. Jam lætor ecce, lætor usque filia,
Donec tuis datur frui conspectibus.

Iph. Quid igitur isthuc? quid sibi vult obsecro,
Quod tristibus genæ madescunt lacrymis?

Aga. Etenim hic dies præsens absentiam mihi,
Tibique pariet gnata quam longissimam.

E *Iph.* Istuc quidem quod dicis, haud intelligo, haud
Intelligo ô parens mihi carissime.

Aga. At tu quidem quanto loquere cordatius,
Tanto gravius exulceras animum mihi.

Iph. Insulsa potius, atque stulta dixero,
Si tibi futura hoc sim voluptati modo.

Aga. Papæ, silere non fero ipse nec queo,
Collaudo vero te, proboque filia.

Iph. Mane ô parens, tuis domi cum liberis.

Aga. Equidem volo, atqui quod volo, quia non licet,
Isthuc profecto pectus excruciat meum.

Iph. Infausta pereant tela, & arma Martia,
Et inauspicata, dira Menelai mala.

F *Aga.* Alios sed hujus ante perdiderint mala.
Quibus ipse dudum perditus teneor miser.

Iph. Ut abfuisti temporis multum pater
In intima diu moratus Aulide.

Aga. Quin nunc item me quiddam adhuc vetat rei,
Ratibus per æquor copias traducere.

Iph. Gentem obsecro istam, quam Phrygum vocant pater,
Ubinam locorum sedem habere prædicant?

Aga. Illic, ubi utinam proditum Priamo Parin
Nullo obtigisset sedem habere tempore.

Iph. Procul relicta me aveheris hinc parens?

Aga. Quin ipsa eodem gnata, quo pater, venis? *Iph.* Oh.
Utinam

Utinam mihi tibique commodum fiet,
Curſus ut & me duceres comitem tui.
Aga. Iſthuc quid optas? navigabis tu quoque,
Ut jam parentis gnata memineris tui.
Iph. Utrum ne dulci navigavero comes
Matri, an ne ego iſtam ſola conficio viam?
Aga. Sola profecto, ſola, ſemota procul,
Dulcique matre pariter, & caro patre.
Iph. Alias in ædeis me videlicet pater,
Domumque peregrinam locare deſtinas?
Aga. Mitte hæc, nefas enim iſta ſcire virgines.
Iph. Propera mihi redire ſoſpes ab Ilio
Rebus probe illic ordinatis, mi pater.
Aga. Verum hoc mihi prius neceſſitas loco eſt,
Nonnullam ad aras immolare victimam.
Iph. Iſthoc proin' ſpectare de negotio,
Quid fas piumque, cum ſacris decet pater.
Aga. Spectabis iſta, nam futurum eſt uti ſacris
Adſtes, & adſis tu lavacris proxima.
Iph. Ducemus aras num choros circum pater?
Aga. Feliciorem te atque memet autumo,
Nihil quod horum intelligas; ſed intro age
In tecta greſſum conferas, ac virginum,
Comitumque temet conferas conſpectibus.
At triſte porrige oſculum, ac dexteram mihi,
Longum a paternis abſutura vultibus,
O pectus, ô genæ, ô pares auro comæ,
Quantum heu dolorum Troja nobis attulit
Pondus Helenæque; ſed loqui jam deſino.
Nam me quidem æſtus corripit rapidus, genis
Repens obortus, ſimul ut ora baſio
Tua contigi; ſed hinc abi in penetralia.
At illud abs te poſtulo, Ledæ genus,
Uti ne quid hæc res pectus offendat tuum,
Si mi nimius exulcerat mentem dolor,
Mox gnatam Achilli collocaturo meam.
Nam ſplendidæ quidem, & expetendæ nuptiæ,
Tamen parenteis nonnihil mordet pios,
Ubi in familiam liberos dulcis pater
Tradit alienam, quos labore plurimo,
Curiſque ſummis educaverit diu.
Clyt. Equidem haud ita ſum ſtulta, mentiſque indiga,
Quin iſta & ultro me ſuaſuram puta,
Ita ut nihil monitore te fuerit opus,
Quum rite mihi ſit elocanda filia.
Sed mos, & ipſum tempus ita poſtulat,
Ac res utræque nos ſecus facere vetant.
Hujus itaque, cui deſtinaſti filiam,
Nomen quidem ipſa teneo. Cæterum genus
Quod, & unde ducat, id cupio jam diſcere.
Aga. Aſopus Æginam creavit filiam.
Clyt. Mortalium hæc, aut cui Deorum nupſerat?
Aga. Jovi; at Æacon ille generat Oenones patrem.
Clyt. Sed Æaci quæ ſuſcipit proles domum?
Aga. Peleus, at ille Nerei gnatam tulit.
Clyt. Deon volente? an nuptam & invitis Deis?
Aga. Deſpondet auctor Jupiter, locat pater.
Clyt. Ubi ducit illam, an in marinis fluctibus?
Aga. Ubi ſancta Chiron tecta Pelei colit.
Clyt. Centauriconn' ubi manſitare ajunt genus?
Aga. Ibi Diis peracta Pelei connubia.
Clyt. Sed utrum Achillem nutriit Thetis, an pater?
Aga. Chiron, uti ne rudibus annis improbos
Mores malorum diſceret mortalium.
Clyt. Hem.
Sapiens quidem educator, at ſapientior
Fuit ille, quiſquis educandum tradidit.
Aga. Atque is futurus filiæ vir eſt tuæ.
Clyt. Haud malus, at urbem Græciæ cedo quam colit?
Aga. Juxta Apidani fluenta Phthiæ in finibus.
Clyt. Illuc tuam, meamque ducet filiam?
Aga. Curæ marito hæc ſunt futura virginis.
Clyt. Bene ſit utrique; at quo precor ducet die?
Aga. Simul atque lunæ dexter orbis venerit.
Clyt. Sed quas oportet ante gnatæ nuptias
Ferire, divæ jam immolaſti victimas?
Aga. Mactabo, nam nunc agitur hoc negotii.

A
Clyt. Ac deinde celebraturus es connubia?
Aga. Ubi ſolvero Diis, quas neceſſe eſt, victimas.
Clyt. At nos ubi epulum fœminis parabimus?
Aga. Hic juxta Achivæ claſſis æratas rateis.
Clyt. Probe, & ita neceſſe eſt, attamen communica.
Aga. Scin' ergo quid ages uxor, ac pare mihi.
Clyt. Rei quid hoc? parêre nam ſoleo tibi.
Aga. Nam nos quidem illic, ſponſus ubi ſeſe tenet.
Clyt. Cur abſque matre? vices ne obibitis meas?
Aga. Gnatam elocabimus inter Argivos tuam.
Clyt. Nos interim manere quo jubes loco?
Aga. Argos profecta virginum curam gere.
Clyt. Gnatamne linquens? ergo quis tollet facem?
B
Aga. Ipſe exhibebo debitam ſponſo facem.
Clyt. Haud moris hoc, nec iſta tu cenſes probe.
Aga. Te in militum verſarier turba haud decet.
Clyt. Matrem decet meos locare liberos.
Aga. Decet & puellas, noſtra quas habet domus,
Haud ſinere ſolas.
Clyt. Hæ quidem tutiſſimis
Cuſtodiuntur adprobe conclavibus.
Aga. Pareto. *Cly.* Non per numen Argivæ Deæ.
Quin tu foris quæ ſunt agas negotia,
Curas ego tractavero domeſticas.
Et quid puellis competat nubentibus,
Id eſt mearum penſitare partium.
C
Aga. Hei mihi laboris ſumpſi ego hoc inaniter
Ac ſpe male fruſtratus excidi mea,
Dum conor ablegare quopiam miſer
Uxorem ab oculis; aſtu at ecce callido
Utor, & in hos, qui ſunt mihi cariſſimi,
Intento technas, nil inexpertum doli
Linquens, & undecumque vincor; attamen
Jam vate cum Calchante ſciſcitatum eo
Oraculum, placitum quidem Deo, at mihi
Inauſpicatum, calamitatem Græciæ.
Porro viri illud eſſe prudentis puto,
Frugi ut probamque conjugem in penatibus
Nutricet, aut ne prorſus ullam nutriat.

D
Carmen Sapphicum.

Chor. Ilicet ſacrum Simoentis amnem
Vitreo qui gurgite verticoſus,
Impetu fertur Phrygios per agros,
Jam petet collecta cohors Achivûm
Navibus cum veliferis, & armis,
Ilium infelix aditura Trojæ,
Conditum flavi lyra & arte Phœbi
Oppidum; Caſſandram ubi fama narrat
Aureos crineis agitare vatem,
Laureæ ſemper viridantis alma
Diffluentem fronde comam ambiente,
Numinis cum jam omniſcio incitata,
E
Non ſui compos agitatur œſtro.
Cæterum denſa Phrygii corona
Pergama cingent.
Tunc ubi Mavors ferus, atque ahenis
Horridus ſcutis, properante pinu
Fervidi emenſus vada cæca ponti,
Remige appellet Simoentis oras,
Caſtoris raptam ut repetat ſororem,
Atque Pollucis, geminorum in aſtris
Siderum, viqueaPriamo receptam
Fortibus telis, clypeiſque Grajûm
Rurſus in terram referat Pelaſgam.
F
Mœnium at quum pinniferas coronas
Cinxerit jam teligera phalange,
Cinxerit turreis validas, & urbem
Obſederit bello Phrygiam cruento.
Funditus victor populans, & inde
Enſe crudeli capita amputarit
Civium cervice reſecta dirus,
Tum nurus Trojæ, teneraſque ſponſas
Quin & annoſam Priami beati
Regis uxorem, lacrymis acerbis
Affatim implebit, miſeroque planctu.
Interim proles Helenæ tonantis
Flebilis ibit,

Deferens dulcis thalamos mariti.
Ne precor, ne vel mihi, vel meorum
Liberis umquam veniat nepotum
Ista spes, qualis reor obtinebit
Divites Lydas, miserasque Troum
Conjuges fusis simul assidenteis,
Ac suis pensis querulæ inter ipsas
Talia dicent.
Quis putas me mox miseram capillis
Pertrahens, certa tibi lege comptis,
Patriæ eversæ simul atque captam
Senserit flentem ferus hostis arcem
Polluet, victæque decus pudoris
Dulce decerpet violans, tuaque
Gratia nimirum Helene, cygno porrectili cervice superbienti
Nata, seu vera est ea fama, quondam
Alitis Ledam Venerem tulisse,
Ipso in hanc verso Jove: sive vatum
Fabulis fictis potius Camœnæ
Dissiparunt hæc hominum per ora.

Jambicum Trimetrum.

Ach. Ubi hic Achivi ductor est exercitus?
Quis nam e ministris ibit illi nuncius
Adesse Achillem Peleo satum patre
Pro foribus, ipsum convenire qui velit?
Etenim diu jam forte nequaquam pari
Frustra operimur fervida Euripi vada.
Aliique nostrum liberi connubiis
Relicta inani, ac solitaria domo,
Hoc otiosi desidemus littore.
Alii jugati uxoribus, sed liberis
Nondum creatis; usque adeo impotens amor
Ardorque novus haud absque Divûm numine
Habet hujus expeditionis Græciam.
Itaque quod ad me pertinet negotii,
Id memetipsum expostulare convenit.
Porro alius itidem, si quidem videbitur,
Pro se loquetur ipse, namque Pharsalo
Patria relicta, ad hoc parente Peleo,
Tenuia pigri flamina Euripi moror,
Myrmidonas hic vel otiosos detinens,
Qui me quidem urgent semper hisce vocibus,
Quid hic Achilles commoramur? aut quoad
Priameja adhuc ad Pergama trajectio
Sine fine lentis prorogabitur moris?
Face, si quid es facturus, aut retro domum,
Unde huc profectæ, copias reducito,
Haud longa Atridarum manens cunctamina.
Clyt. O gnate Thetidis, intus audito tuo
Sermone, celeri prodii foras gradu.
Ach. Sancte ô pudor, quæ nam ista tandem fœmina,
Quam conspicor forma decente præditam?
Clyt. Non est novum, nos ante non visas tibi, haud
Agnoscier; verum modestia tua
Delector, ac pudore reverenti mei.
Ach. Quæ tandem es? aut quid Achivum in agmen fœmina
Virosque adisti, armis amictos Martiis?
Clyt. Ego gnata Ledæ sum, Clytemnestra mihi
Nomen, Agamemnon dux maritus est meus.
Ach. Dixti probe, & compendio, quod oportuit,
Mihi at indecorum est colloqui cum fœminis.
Clyt. Hem, quo fugis? quin dexteræ dextram applica,
Lætum futuri initium connubii.
Ach. Quid ais? egon' tibi dextram? atqui Agamemnonem
Vereamur, horum si quid attigero manu,
Quæ neutiquam mihi fasve, jusve, tangere.
Clyt. Fas maxime, quando meam tu filiam
Duces, marinæ germen ô Nereidis.
Ach. Quas nuptias cedo prædicas? equidem mihi
Nihil est, quod his respondeam, nisi forsitan
Tu rem quod istam perperam intellexeris,
Nobis proinde fabulam adportas novam.
Clyt. Cunctis id insitum est, uti reverentia
Capiantur, ac pudore, si quando novis
Visis amicis audiant de nuptiis.
Ach. Ego profecto mulier haud umquam tuæ
Connubia procus expetivi filiæ,
Nec ullus umquam mihi super connubiis
Allatus est ex gente Atridûm nuncius.
Clyt. Quid esse tandem possit hoc negotii?
Orationem tu vicissim nunc meam
Mirare, dicta nempe miror ego tua.
Ach. Conjicito; conjectare quid sibi hæc velint
Commune nobis, non enim ambo forsitan
Mentimur, & si dicimus contraria.
Clyt. An non novum mihi contumeliæ genus
Fit, quæ quidem (ut videtur) nuptias
Concilio falsas, me profecto horum pudet.
Ach. Fors meque, teque quispiam lusit dolo.
Verum ista mittas, nec feras acerbius.
Clyt. Valeto, rectis non enim posthac queo
Te oculis tueri, quando sum mendax tibi
Reperta, meque indigna nimirum tuli.
Ach. Totidem tibi verbis ego respondeo.
Sed ut maritum, quem peto, quæram tuum,
In ista jam nunc recta conferam pedem.

Carmen Trochaicum.

Sen. Hospes Æaci nepos maneto, namque appello te
Editum Dea parente, teque Ledæ filiam.
Ach. Hem quis hic, qui nos aperto jam vocavit ostio?
Ore quam tumultuoso, vultu ut attonito vocat.
Sen. Servus hinc haud insolesco, fors enim haud sinit mea.
Ach. Cæterum illud adde, cujus? neutiquam certe meus.
Separatæ enim meæ res a bonis Agamemnonis.
Sen. Servus istarum, ante quas me stare cernis, ædium.
Namque in hanc domum hujus olim Tyndareus dedit (pater.
Ach. En resistimus, ergo fare, si quid eloqui velis,
Cur gradum bene institutum jusseris me sistere.
Sen. Num fores ad hasce soli vos duo consistitis?
Clyt. Imo solis quo loquare, regiis ab ædibus
Prodeas foras, & ad nos ipsis huc confer gradum.
Sen. O potens fortuna rerum, meaque providentia,
Obsecro, servate, salvos quos ego esse pervelim.
Ach. Differetur (sicuti videtur) hæc narratio,
Præque se profecto quiddam magnum & arduum gerit.
Clyt. De fide silentii tu ne quid hæsites senex.
Neve cuncteris loqui, mihi si quid eloqui velis.
Sen. Scis profecto quisquis essem quantulusque, in te tamen
Benevolum fuisse semper, ac tuos in liberos.
Clyt. Scio, videlicet meorum jam diu penatium
Esse te veterem ministrum, ac familiæ columen meæ.
Sen. Scis opinor & illud, olim ut dotis in partem tuæ
Me receperit Agamemnon dux Achivi exercitus.
Clyt. Argos es mecum profectus, additus sponsæ comes,
Ac meus semper fuisti, & partibus studens meis.
Sen. Sic habet res, cæterum tibi sum quidem volens bene
Hera, tuo verum marito non proinde sum favens.
Clyt. Ergo nunc aperito tandem, quæ parabas dicere.
Sen. Nempe filiam tuam, qui sevit ac genuit pater,
Ipse mactare cruentus manibus apparat suis.
Clyt. Qui potest? orationem abominor senex tuam.
Non enim mihi videris sapere sanum scilicet.
Sen. Apparat cruentus inquam desecare ferreo
Ense cervicem puellæ candidam miserrimæ.
Clyt. Hei mihi miseræ, an maritus obsecro insanit meus?
Sen. Sanus is quidem, nisi in te conjugem, nec non suam
Filiam, profecto parte hac ille nil sanum sapit.
Clyt. Gratia qua cedo? quis illum genius instigat malus?
Sen. Numinum responsa cogunt, sic enim Calchas ait
Augur, ut Danaum phalanges classe sulcent æquora.
Clyt. Quo profectura est Pelasgûm classis? infelix ego.
Illa at infelix magis, quam dirus occidet pater.
Sen. Dardani ad sedes, sacræque celsa Trojæ Pergama
Victor ut Menelaus Helenam marte recipiat suam.
Clyt. Scilicet sic destinarant fata iniqua numinum,
Ut rediret Helene nobis gnatæ in exitium meæ.
Sen. Rem tenes hera prorsus omnem; namque Dianæ pater
Mox tuam sacras ad aras immolabit filiam.
Clyt. Quid sibi vult ergo, quod prætexuere nuptias,
Quæ quidem me res meis huc evocavit ædibus?
Sen. Quo volens, lubensque gnatam adduceres horsum tuam.
Quippe eam datura Achilli nuptum Achivum principi.
Clyt. Proh dolor miseranda gnata quo perires huc domo
Atque

Atque in exitium es profecta, tuque egoque parens tua. A
Sen. Miseraque & lacrymanda fertis utræque cum sitis duæ,
Cæterum dira atque acerba ductor Agamemnon parat.
Clyt. Heu dolor, miseranda perii, nec mihi jam lumina
Perferunt diutius, neque temperant a lacrymis.
Sen. Siquidem grave esse possit, aut molestum fundere
Lacrymas, quæ sit suis orbanda liberis parens.
Clyt. Tu sed ista senior, unde scire temet prædicas?
Numquid audisti, tibi renunciante quopiam?
Sen. Missus abieram, tabellas adferens tibi alteras,
Præter illam, quam prius receperas epistolam.
Clyt. Utrum, ut interdiceres, an denuo nobis idem
Nunciares, immolandam uti filiam deducerem?
Sen. Imo uti denunciarem, virginem ne adduceres, B
Nam tuus fors tum maritus cœperat resipiscere.
Clyt. Deinde qui factum est, ut ad me quas ferendas ceperas,
Non eas pertuleris idem, manibus imponens meis?
Sen. Vetuit id Menelaus, has qui manibus eripuit meis
Unus horum qui malorum causa & auctor exstitit.
Clyt. Nate Peleo parente, germen ô Nereidis
Marte præpotens Achilles, hæccine audis obsecro?
Ach. Audio mulier, videlicet esse te miserrimam.
Cæterum læsum haud levi me contumelia puto.
Clyt. Filiam dare cruento destinant letho meam,
Ad dolum tuarum abusi nuptiarum nomine.
Ach. Quin & ipse tuo marito indignor, ac succenseo
Nec negotium mihi hoc vulgaribus dolet modis. C
Clyt. Me quidem haud quaquam pudebit genibus advolvi (tuis,
Quippe mortalem parente prodita in lucem Dea,
Cur enim nunc jactitem me, ac dignitatis sim memor.
Cujus ergo quæso matrem deceat eniti magis,
Atque pro gnatæ salute? proinde age ô Dea sate,
Opitulare tum meis precor malis, tum virgini,
Quæ fuit tua dicta conjunx, hoc inaniter quidem
Fateor, at tamen hanc ego sertis revinctam frondeis
Arbitrata tibi futuram conjugem adduxi domo.
Cæterum ad cædem, necemque virginem nunc adveho.
Hujus at facti probrum in te recidet, atque infamia,
Ferre opem qui sis gravatus, licet enim non duxeris,
Dulcis es miseræ tamen dictus maritus virginis. (deam, D
Perque mentum, perque dextram, perque genitricem
Quando me solum profecto nomen exstinxit tuum,
Hoc oportet te tuerier, alia non superest mihi
Ara, quo refugere possim, genua præterquam ad tua.
Quippe cui non adsit ullus hic amicus, unde mi
Adferendæ opis aut salutis ulla spes arrideat.
Id genus, cujusmodi audis, facta sunt Agamemnonis,
Plenaque crudelitatis, perditæque audaciæ.
Adde ad hæc, quod (uti vides) ad nauticas & efferas
Mulier adveni phalanges, turbam & effrenem virum
Ad patranda scelera prompta præditos audacia,
Nec nisi si quando ita ipsis collubuerit, utileis.
Proinde tu si non gravabere, dextram mi obtendere, E
Vique nos tua tueri, scilicet, salvæ sumus,
Sin secus, tum spes salutis nulla nobis reliqua sit.

Jambicum trimetrum.

Chor. Res efficax peperisse, vimque maximam
Amoris adfert omnibus communiter,
Uti pro suis summe adlaborent liberis.
Ach. Ingens mihi animus tollitur magis ac magis,
Condidicit autem tum malis ægrescere,
Tum prosperis gaudere modice casibus.
Chor. Hujusmodi quidem ratio mortalibus
Recte instituta est, ut bene ac feliciter
Rectrice vitam transigant sapientia.
Ach. Est interim autem dulce non sapere admodum, F
Rursum interim homini non sapere conducit magis.
At ego educatus pridem in integerrimi
Domo viri Chironis, ac justissimi,
Simplicibus uti consuevi moribus.
Proin Atridis, si probi fuerint duces,
Parebimus, sin improbi, haud parebimus.
Sed tum loco hoc, tum Trojæ ad urbis mœnia,
Ego liberum usque mentis ingenium meæ
Præ me ferens Martem; quod ad me pertinet,
Forti manu, ac virtute condecoravero.
At te quidem, quæ misera fers & atrocia.
Et ab iis, amici qui tibi sunt intimi,
Quantum quidem præstare possit viribus
Juvenis, & ævo adhuc sane tenero virens,
Hoc quicquid est doloris, in me transferens,
Meo his procellis eximam periculo,
Tutoque statuam, nec patri umquam filia
Tua perimetur, dicta quæ fuerit mea.
Nec enim viro permiserim segnis tuo,
Uti me dolis misceat, & involvat suis.
Nam nomen, & si spicla non vibret meum,
Ferrumve, tamen id filiam occidet tuam.
At sceleris auctor vir quidem fuerit tuus.
Verum nec ipse vacavero piaculo,
Si virgo per me perierit, nec non meas
Per nuptias, nova nec ferenda sustinens,
Violata miris simul & indignis modis.
Equidem Pelasgûm vir fuero deterrimus,
Nullius inquam sim rei, pretiive ego,
Menelaus autem habeatur in numero virûm,
Neque Peleo progenitus autumer patre,
Sed pessimo ignavissimoque dæmone,
Si conjugi umquam nomen ad cædem tuo
Inserviat meum; liquenti gurgite
Undarum alumnum dejero per Nerea
Thetidis parentem, quæ mihi fuit parens,
Haud filiam Rex tanget Agamemnon tuam.
Nec vel manu summa, nec uti vel vestibus
Digitum puellæ licet admolirier.
Aut hercle Sipylus culta sedes barbaris
Urbs ea futura est, unde duxerint genus
Clari, gerendoque incluti bello duces.
At Phthia rursus, unde stirpem duxi ego,
Obscura nullum nominis feret decus.
Et acerba Calchas auferet libamina
Augur; quis autem est augur? is videlicet
Qui vera pauca, falsa dicit plurima.
Si fors ita ceciderit, atqui si minus
Ita ceciderit, tum vel arte elabitur.
An proinde nostros virginum millia decem
Petant thoros, si commodum est parentibus
Qui collocant, his uti verbis loquar.
Ipsa attamen re ductor Agamemnon gravi
Nos afficit profecto contumelia.
Nam jus & æquum fuerat, ut nomen meum
Rogaret, à me postulans, ad virginem
Irretiendam; nam Clytemnestra mihi
Nuptum dedisset filiam potissimum,
Atque hanc Pelasgûm bellicosis copiis
Forsan dedissem; si quidem transmissio
Pendebat ex hac, diruendum ad Ilium.
Neque enim gravarer publicis exercitus
Consulere sane commodis, qui cum mea
Conjunxerim arma; cæterum me nunc duces
Nihili æstimant, reique momento levis
Vel adjuvare, vel nocere forsitan.
Ferrum hoc mucroque noverit, quem stringere
Dudum in Phrygas mihi destinatum barbaros,
Etiam prius quam ad Ilium pervenero,
Macularo cæde, & sanguine inquinavero,
Gnatam modo mihi si quis eripiat tuam.
Sed ociosa jubeo sis; siquidem tibi
Ego Deus exstiti, obtigique maximus,
Nondum quidem hunc tibi præstiti, fateor, Deum;
In posterum sum præstiturus attamen.
Cho. Et te locutus digna Pelei genus,
Et æquoris potente, veneranda Dea.
Clyt. Quibus obsecro te prædicavero modis,
Ut ne nimis quid dixerim, nec item minus,
Uti nec favorem, & gratiam amittam loquens?
Viri enim probi laudes ubi audiunt suas,
Quodam solent odisse laudantem modo.
Si fors quis ipsos laudet immoderatius.
Tum me profecto dispudet de propriis
Peculiaribusque calamitatibus,
Lacrymabilem sermone miserando queri,
Quum tu meis sis prorsus alienus malis.
Haud indecorum est attamen, si vir probus,

Fortisque quamquam sit alienus, adjuvet A
Hos, quos acerba sors, & aspera premit.
Age itaque nostri te misereat, si quidem
Miseranda patimur; primum ego generum mihi
Rata te futurum, spes inaneis ceperam,
Dein haud scio sat, an meæ mors filiæ
Tibi triste forsan omen aliquod adferat
In posterum, si quando duces conjugem,
Quod ominis vitare te consultius.
Verum probe elocutus adhuc initia,
Idem probe perfeceris negotium.
Mea namque gnata, si voles, servabitur.
Num genua vis hanc supplicem amplecti tua?
Sunt hæc quidem parum decora virgini, B
Si tu tamen ita censeas, videlicet
Mox huc pudoris liberalem venerit
Suffusa vultum virginali purpura.
An potius illa absente, id abs te quod peto
Achilles exoraro, & impetravero?

Ach. Maneat domi; pudicam enim decet pudor.

Clyt. Verum tamen pudere oportet eatenus,
Qua res ferat, præsensque postulet status.

Ach. Neque tu sub oculos filiam produxeris
Meos tuam mulier, neque per inscitiam,
Famæ probrum accersamus, ac vitæ notam.
Siquidem coacti turba densa exercitus
Domesticarum, ac propriarum negligens C
Rerum, malignis gaudet obtrectatibus,
Amans maledicas dissipare fabulas.
At nullo ego hercule posuerim in discrimine, ac
Tantumdem apud me prorsus hic effeceris,
Seu supplices, humilesque veneritis mihi,
Seu neutiquam mihi supplicaris; nam meo
Fixum stat animo viribus contendere,
Nixuque summo, vos ut eximam malis.
Adeo sit unum hoc me tibi satis semel
Dixisse, neque enim vanus, aut mendax ego,
Mihi crede, fuerim, si quid autem mentiar
Dederoque verba, seu dolis elusero,
Emoriar, imo haud moriar, hanc si virginem
Servaro. *Clyt.* Dii faveant precor ferenti opem D
Usque iis acerbis qui laborant casibus.

Ach. Audito nunc, uti res mihi hæc habeat bene.

Clyt. Cur hoc aisti? te quidem audiam volens.

Ach. Rursum patri persuadeamus virginis,
Consilia quo jam saniora sumpserit.

Clyt. Ignavus est, ac timidus ille quispiam,
Nimiaque pavitat copias formidine.

Ach. Ratione at expugnata, ratio vincitur.

Clyt. Spes ista sane frigida, ac levis, tamen
Eloquere tandem facere me quid oporteat.

Ach. Primum quidem illi supplicabis, liberos E
Ne perimat, idque si recuset, tum tibi
Fuerit necesse nos adire denuo.
Nam si, quod optas, sponte annuit sua,
Tum me quidem illum convenire nihil opus,
Quando ipsa per se res salutem conferet.
Ad hoc videbor erga amicum rectius
Egisse, neque me copiæ culpaverint,
Ratione si rem potius, ac prudentia,
Quam vi, manuque, viribusque gessero.
Tum porro amicis, rebus ex sententia
Ipsis volentibus, ut puta, ac lubentibus,
Probe peractis, vel operam citra meam,
Tibique fors hæc transigentur commode. F

Clyt. Ut es probe locutus, itaque sic, uti
Censes, agendum est; cæterum ista si parum
Successerint mihi mentis ex sententia,
Ubi nam licebit postea te visere?
Quonam loci venire me miseram jubes?
Ubi liceat istam reperisse dexteram,
Quæ sola nostris præstat auxilium malis?

Ach. Ipsi has tibi excubias agemus, teque ubi
Res cumque postulabit, observabimus,
Ne turbulentas per Pelasgûm copias
Te cursitantem conspicetur quispiam
Pavido ore, & attonitam, neque hoc tu dedecus,
Labemque eam domui paternæ adsperseris.
Indignus etenim Tyndareus pater tuus
Est, qui male audiat, utpote Græcanica
In gente magnus, atque cum primis potens.

Clyt. Ita res habet, tu dux eris negotii.
Me tibi vicissim gerere morem convenit.
Quod si Dei sunt, quando tu vir es pius,
Digna assequeris; cæterum si numina
Sunt nulla Divûm, quid necesse est nitier?

Carmen Dactylicum Hypercatalecticum.

Chor. Festus ut ille Hymenæus erat
Loto ubi cum Lybica pariter,
Cumque suaviloquente Cheli
Non sine multiforis calamis,
Grata choris streperet cithara,
Turba ubi candida Pegasidum
Mollibus irreligata comis
Vertice Peliaco
Conjugiale bonis epulum
Diis celebrantibus, ad numerum
Membra moveret, & aureolis
Pelleret arva jugi soleis,
Dum liquidis, & amabilibus
Dulcicanæ modulis,
Pelei ad inclyta connubia
Iret, & undivagam Thetidem
Voce cieret, & Æaciden
Per juga florida; rumor ubi est
Nubigenas habitare viros,
Æaciden per opaca canens
Peliaci nemoris.
At Phrygius puer interea
Deliciæ Jovis ætherei,
Pocula miscet, & aureolis
Nectareos latices
Temperat, ac tribuit cyathis.
Deinde per æquora candiduli
Læveque per spatium sabuli
Æquoreo sata turba sene,
Nexa sororibus e decies
Quinque, agitatque rotatque choros,
Orbibus innumeris
Molliculo pede replicitis,
Connubium levibus
Concelebrans choreis.
Venit & undique nubigenûm
Numine percita turba virûm,
Tela ferens abiegna manu,
Frondea vertice serta gerens,
Cum Superis simul ut Bromii
Munera sumeret, atque epulas.

Carmen Anapesticum Hypercatalecticum.

Ibi Thessala turba puellæ,
Sublata in sydera voce, ô
Nereia filia clamans,
Lux inclyta cœligenarum,
Certissimus augur Apollo, &
Cui mystica sacra sororum,
Bene cognita Castaliarum,
Chiron pius, armipotentis
Nomen reseravit Achillis,
Fore vaticinatus, ut ille
Cum Myrmidonum clypeatis
Priameia regna catervis,
Devotaque Pergama adortus,
Flammis populantibus urat,
Vulcania fulminis instar
Quatiens trepidabilis arma,
Thetidis pia dona parentis,
Siquidem hoc decus illa Pelasgis
Feliciter edidit alvo.
Nereidos ergo sororum
Primæ ac ditione potentis
Spatiosa, hilares agitabant
Connubia splendida divi,
Peleique mariti Hymenæum
Id temporis ore ciebant.

Porro tibi tempora flavis
Crispisque decora capillis
Mavortia turba Pelasgûm
Cingent viridante corona.
Deinde haud secus, atque juvencam
Teneramque rudemque, profectam
Modo rupibus e specuosis
Spectantis in æquora montis,
Diro jugulaverit ense:
Ac lactea colla cruore, hu-
mano (miserabile) tinget,
Feriens, nec arundine agresti,
Muscove virentibus antris
Pastorum alitam, sed amicæ
Curaque domoque parentis
Excultam, uti nupta Pelasgas
Peteres feliciter ædeis.
Ubi nunc probitasve pudorve
Faciesque ipsius honesti?
Valeat, simul atque nefastum
Scelus, impietasque tyrannida
Atram obtinet undique; porro
Neglecta jacet, premiturque
Post terga retrusa, scelestis
Mortalibus inclyta virtus.
Quumque undique legibus æquis
Mores dominantur iniqui.
Hominum generi ergo periclum
Communiter imminet omni,
Ne qua ingruat ira Deorum.

Clyt. Equidem e meis huc prodii penatibus
Foras, maritum sicubi adspiciam meum,
Qui jam diuque & lentus hinc abest, domo
Penitus relicta; gnata at interim mea
In lacrymis versatur infelix, leveis
Fundens in auras omne lamenti genus,
Simul ac necem rescivit illa, quam pater
Statuit, paratque; sed ecce cerno cominus
Sese citatis admoventem gressibus,
De quo modo loquebar, huc Agamemnonem.
Qui re quidem ipsa deprehensus illico
Coarguetur ferus, & immanis pater,
In proprios nefaria patrans liberos.

Aga. Ledæa proles, commodum egressam foras
Offendo te, quo virgine absente procul
Tibi dicta quædam proferam, quæ neutiquam
Fuerit decorum audire nupturas viro.

Clyt. Quid est negotii id, quo tibi ista temporis
Oblata commodavit opportunitas?

Aga. Accerse gnatam, quo patri veniat comes.
Adsunt enim parata rite piamina.
Adsunt profundendis item lustralibus
Pura manu ignibus, ac juvencæ, quas Deæ
Dianæ oportet cædere ante nuptias
Atri cruoris fervida exundamina.

Clyt. Verbotenus quidem locutus es probe,
Tua facta porro nominare si velim,
Equidem haud reperiam, quomodo eloquar probe.
Verum age foras procede gnata; nam pater
Quicquid parat, nosti ordine, ac fratrem sinu
Gestans Orestem pariter adporta tuum.
En illa adest, hucusque morigerans tibi.
At ipsa quæ restant, & hujus nomine
Simul & meopte, mox tibi respondero.

Aga. Quid gnata lacrymas? fronte cur hilari parum
Terram intueris, ora defigens solo?
Vultumque mœstum pallio obtento tegis?

Iph. Heu,
Quodnam mearum calamitatum exordium
Possim capere? cunctis enim mortalibus
Datum est, uti tum prima, tum novissima,
Tum media quovis differant negotio.

Aga. Rei quid hoc est? quidve sibi vult, quod mihi
Omnes eodem sitis affectæ modo,
Et mente consternata, & ore turbido?

Clyt. Quæ sciscitabor, aperte & ingenue mihi
Conjunx roganti quæso uti respondeas.

A *Aga.* Nihil necessum est, hoc ut a me postules,
Quin ipsus ultro cupio jam rogarier.

Clyt. Gnatam necare paras tuamque & item meam?

Aga. Hem.
Misera elocuta es: quæque neutiquam decet
Te suspicari, suspicaris improba.

Clyt. Verum illud interim mihi respondeas.

Aga. At tu profecto si quidem rogaveris
Quæ te decet rogare, quæ te decet audies.

Clyt. Equidem haud alia percontor; atqui tu mihi
Itidem cave sis alia ne respondeas.

Aga. O sors potens, ô fata, proh genius meus.

Clyt. Et meus & hujus insuper, quando trium
Idem est & unus genius infelicium.

B *Aga.* Qua tandem es in re læsa? *Clyt.* At istuc scilicet
Tu me rogas? verum astus hic astu vacat,
Atque ista calliditas profecto incallida est.

Aga. Perii, palam sunt facta quæ celaveram.

Clyt. Scio cuncta, didici cuncta sane, & audii
Quæ tu scelesté in me patrare destinas.
Quamquam sat ipso confiteri silentio,
Suspiriisque, plura ne tu dicere
Conere frustra. *Aga.* En obticesco, quando me
Mendacii convictum & impudentiam
Ipsi necessum est calamitati adjungere.

Clyt. Audito nunc jam, quippe aperte proloquar,
Neque flexuosa ænigmatum diutius
C Utemur ambage, neque dictis nubilis.
Primum (tibi istuc primo ut objiciam loco)
Me non volentem, vique raptam conjugem
Duxti, necato Tantalo, cui nupseram
Prius, ac puello sortis ex usu tuæ
Itidem perempto, quem quidem per vim meo
Immitis ad necem revulseras sinu.
At Jove creatus uterque germanus meus
Equis & armis inclyti, sævum tibi
Bellum movebant, cæterum senior parens
Tyndareus hoc te exemit e discrimine,
Jam supplicem, ac versum ad preces, ita denique
Meis per hunc potitus es connubiis.
D Dein' ubi reconciliata sum tibi, & addita
In te simul, cura simul domestica,
Ut fœminam inculpatam ego usque gesserim,
Isthuc & ipse conscius testabere,
Pariterque casta, domumque commodis tuam
Augens, ita ut sive introires, gaudio
Fruerere tecum, sive prodires foras,
Sortis beatæ dicerent omnes virum.
Atqui hic profecto captus est rarissimus,
Ut id genus quis sortiatur conjugem,
Contra, improbamque & frugis uxorem malæ,
Nihil est negotii ubilibet nanciscier.
Porro puellis editis nixu tribus,
E Hunc insuper peperi tibi puellulum,
Quo tu quidem me pignorum e numero, necans
Unam pater, miserabili orbabis modo.
At quispiam si te roget, qua gratia
Istam necabis? cedo quid huic respondeas?
An me tuo loqui necessum est nomine?
Helenen uti Menelaus afferat suam.
At nos honestum est, ac decorum scilicet,
Nece liberorum fœminæ pretium malæ
Dependere? iis quæ possidemus optima,
Longeque nobis omnium carissima,
Redimemus hæc, invisa quæ sunt maxime?
Age siquidem hinc profectus in bellum iveris,
F Ibique fueris absuturus longius,
Domi relicta me, quid animi tum mihi
Fore autumas, sedem omnem ubi conspexero
Vacantem, & hanc desiderantem filiam?
Tum vacua cuncta virginum conclavia?
Egoque sola sedero perennibus
Confecta lacrymis, hancque lugens virginem,
Ad huncce fors sine fine lamentans modum?
Heu gnata, qui te sevit, exstinxit pater
Ipsus necans, haud alius, haud alia manu
Ejusmodi linquens familiæ præmium,

Atque in suos exempla talia statuens.
Nam deinde causa quælibet sufficerit;
Occasione tantum opus fuerit levi,
Ut & ipsa, quique mihi supersunt liberi,
Te rursus accipiamus isthunc ad modum,
Quo te accipi par est, & æquum scilicet.
Sed per Deos caveto, neu me adegeris,
Uti talis in te fuero, qualem neutiquam
Decet esse, neve rursus id commiseris,
Ut ipse talem temet exhibeas mihi,
Qualem probum esse neutiquam decet virum.
Verum esto sane, sacrificabis filiam.
Sed interim illic vota quæ facturus es?
Quid tibi petes? numquid boni, quum filiam
Mactes pater? reditumne? nimirum malum,
Miserumque, quippe domo profectus turpiter.
Sed me tibi boni precari quippiam
Par fuerit, ac votis lacessere numina.
At non & ipsos judicarimus Deos
Stultos item esse, ut annuant ejusmodi,
Si parricidis nos voluerimus bene, &
Qui propria facinus patrarint dextera.
An vero ad Argos jam reversus, liberos
Supplex tuos placabis? haudquaquam tibi
Isthuc licebit, quis vel adspectu obsecro
Post e tuis dignabitur te liberis,
Quum tu sciens necaris horum quempiam?
Num denique hæc sunt dispensata, ac mutuis
Rationibus tractata? an hoc tantum sat est
Sceptris ferundis præeminere, ac bellicum
Ducem vocari? quum tuum fuerit magis
In Danaidûm frequente multitudine,
Hæc, æqua quæ sunt, atque justa, dicere
Vultis Pelasgi navigare ad Ilium?
Igitur vicissim sorte ducta, quærite,
Cujus necari gnatam oporteat: hoc enim
Ex æquo ad omneis pertinebat, cæterum
Haud par erat, te solum & unum ex omnibus
Tuam Pelasgis immolandam filiam
Præbere: sive fratris illud erat magis
Menelai, ut Hermionem neci daret suæ
Causa parentis; quippe ad illum proprie
Res attinebat; nunc ego autem, quæ tuis
Sancte fidem servaverim connubiis,
Gnata innocens orbabor: at contra soror
Quæ casta pacti jura deseruit thori,
Felix aget, reducemque Spartæ ad mœnia
Ducet puellam; si quid horum perperam
Dixi, refelle; sin probe ac recte mihi hæc
Sunt dicta, ne tuam profecto filiam,
Meamque pariter impius dederis neci,
Ita rectius consultiusque feceris.

Chor. Pareto, nam profecto liberos decet
Agamemnon incolumeis tueri quemlibet,
Nec ullus hæc mortalium refellerit.

Iphig. Orphea genitor, si mihi facundia
Foret, ut liceret saxa cantu flectere,
Comitesque post me voce petras ducere,
Possemque delinire dictis pectora,
Meamque trahere, quos velim, in sententiam.
Nimirum ego istis experirer utier.
Nunc (quæ mihi una ars ac facultas suppetit)
Præstabo lacrymas, quando solum id possumus,
Tuisque genibus corpus advolvo meum
Supplex, quod hæc tibi ventre progenuit suo.
Ne me puellam, ævique maturam parum
Exstinxeris; nam dulce cunctis cœlicam
Adspicere lucem, cæterum quæ Tartaro
Tellus tegit, ne me videre adegeris.
Ego prima te patrem vocavi, tuque item
Primam inter omneis me vocasti filiam.
Ego prima quondam genibus insidens tuis,
Atque ea meo blande premens corpusculo,
Gratas voluptates frequenter invicem &
Dedi & recepi, ac paria mentis gaudia.
Tuaque hæc, ut recordor, erat oratio.
An est futurum gnata, ut olim te viri
In ædibus nuptam beati, ac divitis,
Et sospitem videamus, & sic, uti tuo
Dignum est parente, commodis ac liberis
In melius usque pullulantem? Ad hæc ego
Hanc tum vicissim orationem retuli,
Hærens tuo pendensque de mento, quod hac
Mea prehensum rursus attingo manu.
Quid? an ego te videro senem pater?
An ego vicissim læta te excipiam meos
Intra penates; ac tibi invicem parens,
Laboriosa nutriendi munera
Aliquando referam, mutuum te nutriens?
Sermonum ego horum sum memor, verum tibi in
Oblivionem abiere, meque occidere
Paras. At ne feceris per Pelopa, per
Cineres parentis obsecratus Atrei,
Matrem per hanc, quæ me labore plurimo
Parturiit olim, ac denuo nunc parturit,
Paribusque rursum tenditur doloribus.
Rei quid est cum Paridis, atque Helenæ mihi
Connubiis? aut unde in exitium is meum
Venit parens? oculos age horsum in me tuos
Deflecte, & intuitum simulque & basium
Largire, ut isthuc pignus ac monumen tui
Mihi ferre saltem fas fiet, si foris meis
Flecti recuses obstinatus vocibus.
Germane tu quidem pusillus & impotens,
Tuis amicis es patronus, attamen
Apud parentem, supplicem lacrymis age,
Tua ne soror detur neci; nonnullus est
Sensus malorum infantulis quoque inditus.
En supplicat tibi hic silentio pater,
Age flectere, ac miseresce respectu mei,
Moveatque tete orbanda luce filia.
En flagitant per mentum id abs te supplices,
Duo tibi cari, atque amore proximi,
Puer alter, at subolescit annis altera.
Orationem in pauca conferam meam, ac
Summam rei verbo profabor unico.
Adspectus hujus lucis est mortalibus
Dulcissimus, verum profunda manium
Haud ullus est, qui concupiscat cernere,
Neque mente sana est, quisquis exoptat mori.
Male vivere autem satius, ac mori bene.

Cho. Infausta, per te, perque nuptias tuas
Helene, heu dolor, miseranda prorsus incidit
Clades Atridis, atque Atridûm liberis.

Aga. Equidem scius sum, quatenus miserescere
Convenit, & idem, quatenus non convenit,
Novi; meosque caritate liberos
Prosequor, amo, alias profecto insaniam.
Verum patrare hæc uxor arduum mihi,
Et non patrare durum & arduum est item,
Sed ad hoc agendum me trahit necessitas,
Quantus videtis adsit hic exercitus,
Quæ nauticorum armata turba militum,
Quot bellicosi Græciæ magni duces,
Quibus negata ad Pergama trajectio,
Ni te immolavero (augur uti Calchas ait)
Novi nec aliter Ilii videlicet
Populata dabitur Marte tecta excindere,
Porro tenet divinus ardor quispiam
Omneis Achivûm copias, ut quam potest
Ocyssime, solvant rudentes littore, &
Ad barbarorum classe navigent solum,
Vetentque, ne posthac quis ausit conjuges
Raptu procaci abducere Græcanicas.
Argis at hi meas necabunt filias,
Tum vos item & me, si quidem fraudavero
Oracla divæ, postulantis virginem,
Neque gnata frater subigit invitum meus
Ad hæc, nec hujus me trahit sententia.
Sed ipsa potius adigit horsum Græcia,
Per quam necesse est, seu velim, seu non velim,
Tete immolare; parte at isthac vincimur
Necessitate, nec licet resistere.
Imo illa quantum in teque, meque filia

Statuen-

Statuenda libera: neque ferendum illud viris
Græcis, uti per vim rapaces improbam
Legitima temerent barbari connubia.
Clyt. Hei mihi gnata, proh dolor hospitæ.
Hei me miseram, tui
Cædes exanimat, pater
Orco tradens te, fugit impius.
Iph. Hei mihi mater, mater, siquidem
Hæc lugubris cantio nobis
(Sic fortunæ visum) utrisque
Competit, haud Phœbeæ posthac
Munere lucis, neque vitali hac
Vescimur aura?
Proh proh tectæ nivibus rupes,
Atque Idæi Phrygiæ montes,
In quos olim Priamus tenerum
Pater infantem exposuit, matre
Procul amotum, uti morte periret,
Paridem quem quondam urbis Phrygiæ
Idæum plebes Idæum
Dixit, dixit.
Utinam numquam evenisset.
Inter Paridem montana boum
Enutritum armenta bubulcum
Pellucentes colere ad lymphas,
Ubi Nymphis gratissima sedes,
Liquidi fontes, prata ubi vernant
Passim, & picti floribus agri,
Murice tinctæ ubi lucente rosæ,
Purpureique micant hyacinthi,
Carpendi ungue trium divarum,
Quoque accessit pridem Pallas,
Gaudensque jocosa fraude Venus,
Neque non Juno, neque non volucer
Jovis interpres Majæ proles,
Alite Cypris amore superba,
Hasta Pallas, Juno marito
Jove, qui sceptris Divûm potitur,
Invisum ad certamen formæ,
Atque arbitrium triste profectæ,
Quid mihi acerbam peperit mortem,
Quamquam ea rursum Danais pariet
Æternam famamque decusque.
Dilecta ô mihi turba puellæ.
Cho. Delegit aris præferiri victimam
Diana te, bello auspicando ad Ilium.
Iphig. Heu mater mea, proh genitrix.
Qui me progenuit pater
Idem me male destitutam
Perdit, proh ego tristibus
Fatis nata, videns acerbam
Infaustamque Helenen, necor.
Diri conficior parentis
Dira cæde, utinam mihi
Portum classis in Aulidensem
Numquam puppibus ærea, il-
lidens rostra solo appulisset.
Ventis ô utinam secundis
Recta cursus ad Ilium
Vexisset celeres carinas.
Transversis neque flatibus
In terramque ferentibus
Euripi exagitasset undas
Juppiter, auras aliis alias
Placans, quo sua carbasa læti
Placitis videant distenta Notis.
His immittere tristia suetus,
Hos vi cohibens, aliis donans
Solvere, cursumque tenere suum,
Alios cogens proferre moras.
An non satis profecto
Calamitosum erat genus,
Calamitosum erat parum
Per se genus mortalium?
At quorsum erat necesse,
Sibi pestilens ut ipsi
Accerserent fatum viri?

A
Chor. Eheu Pelasgis mala viris ingentia,
Luctus item ingentes parit fata Tyndaro.
Certe misertum est me tui, cui talia
Mala obtigerunt, prorsus indignæ cui
Tantum malorum sors iniqua impingeret.
Iphig. Mater heu virûm catervam adesse video cominus.
Clyt. Nempe & ipsum conspicis parente progenitum Dea
Gnata, cujus huc ab Argis es profecta nomine.
Iphig. Mihi fores aperite famulæ, corpus ut celem meum.
Clyt. Cæterum quo gnata refugis?
Iphig. Nempe me prohibet pudor
Obtueri quisquis hic, quem Graji Achillem nominant.
Clyt. At quid hunc reverere tandem?
B
Iphig. Quod parum videlicet
Ista nobis auspicato cesserunt connubia.
Clyt. Noli in his, quæ nunc geruntur gnata te negotiis
Agere delicatam. At hic maneto nobis, res enim hæc
Non pudorem postulat, nec exigit reverentiam,
Si modo obtinere quovis quidem agitur liceat modo.
Chor. Mulier heu male fausta, Ledæ gnata.
Clyt. Vera prædicas.
Chor. Inter Argivos tumultus gravis & ingens perstrepit.
Clyt. Quis tumultus? indica mihi.
Chor. Filia super tua.
Clyt. Omen haud lætum elocuta.
Chor. Quod hanc necari oporteat.
C
Clyt. Nemo contradicit istis?
Ach. Ego ipse videlicet
In periculum veneram.
Clyt. Quod hospes in periculum?
Ach. Nempe ne lapidarer.
Clyt. An ob id quod meæ tu filiæ
Tenderes servare vitam?
Ach. Ob istud ipsum scilicet.
Clyt. Sed quis audeat tum corpus manu contingere?
Ach. Universa turba Grajûm.
Clyt. Cæterum numquid tibi
Fida Myrmidonum manus suo aderat auxilio duci?
Ach. Imo primi hi præbuere semet adversarios,
Atque primi restitere.
D
Clyt. Occidimus eheu filia.
Ach. Meque dicebant amore vincier connubii,
Proin' parum consulere Grajûm copiarum commodis,
Quippe privatis adactum servientem affectibus.
Clyt. Verum ad hæc quid retulisti?
Ach. Nempe quæ conjunx mihi
Fuerit antehac futura, non decere occidier
Clyt. Idque recte es elocutus.
Ach. Quamque jam fama mihi
Genitor ipse dedicasset.
Clyt. Quin & Argis insuper
Evocatam literis huc advenire jusserit.
E
Ach. Cæterum clamore victus abeo multitudinis.
Clyt. Nam malum isthuc impotens.
Ach. Tibi opitulabimur tamen.
Clyt. Cumque multis dimicabis unus?
Ach. Hosne conspicis
Adferenteis arma?
Clyt. Dii precor, tibi adsint prosperi.
Ach. Ii quidem sunt adfuturi.
Clyt. Proinde gnata jam haud cadet?
Ach. Non profecto, me volente.
Clyt. Sed adfuturus quispiam
Qui manum injiciat puellæ?
F
Ach. Jam aderit innumerabilis
Militum caterva, porro dux Ulysses agminis.
Clyt. Sisyphi num nam propago?
Ach. At ipsus ille scilicet.
Clyt. Num suapte auctoritate isthæc agit? an ad munus hoc
Militum jussu vocatus?
Ach. Ipse sumpsit sibi volens.
Clyt. Munus adsumpsit scelestum, cæde cupiens pollui.
Ach. Verum ego hunc prohibebo.
Clyt. Num nam ducet invitam manu
Vique raptam?
Ach. Scilicet flaventibus tractam comis.
Clyt. Mihi quid inter hæc agendum?

Tu

Achil. Tu renitens filiam
Viribus retinebis.
Clyt. Hanc quidem quod ad rem pertinet,
Gnata non mactabitur.
Achil. Res huc videlicet loci.
Iphig. At dictis meis jam mater aurem commoda. (tuum A
Quippe jamdudum absque causa, nec merentem te
Video succensam in maritum; at illa quæ fieri haud que-
Neutiquam proclive nobis sustinere, ac vincere. (ant
Igitur huic prompto, ac parato nos juvare, gratia
Est habenda & approbanda pectoris propensio.
Cæterum tuum illud est videre, ne quid copias
Tu quoque irrites, & hac ratione nihilo plus tamen
Explicemus, hic sibi ingens interim accersat malum. B
Quin magis quod cogitanti venit in mentem modo,
Mater accipe, nam mori mihi certa stat sententia,
Verum id ipsum fortiterque, cumque laude pervelim
Facere, porro animo relegans malevolentiam meo.
Nunc age hoc mecum parens communiter considera,
Nostra quam sit recta ratio, quam tibi jam proferam.
Græciæ primum illa tellus, quæ quidem est amplissima,
Respicit in me tota, & ex me mille cursus navium
Pendet, ex me gentis una excidia pendent Iliæ,
Et situm in me, si quid olim fors nocere Barbari
Apparabunt, vim ferentes fœminis nostratibus,
Ne sinantur nobiles, ditesque raptu abducere
Conjuges e Græcia, simul atque pœnas penderit C
Troja Grajis debitas Helenes abacto nomine,
Quam quidem Priamejus ille rapuit abductam Paris.
Hæc profecto cuncta redimam morte (si cadam) mea,
Tum decusque & celebre nomen hinc mihi parabitur,
Quippe quæ meopte capite liberarim Græciam.
Nec videlicet meæ me convenit dispendio
Admodum vitæ moveri, quando me communiter
Omnibus peperisti Achivis, non tibi uni proprie.
Deinde tot virorum in armis constituta millia,
Totque millia classe tanta horsum profecta, nomine
Patriæ læsæ, haud ferenda, præter æquum injuria,
Prompta sunt patrare sese dignum in hosteis quippiam.
Denique & pro vindicanda mortem obire Græcia,
Unius mea vita porro obsistet istis omnibus, D
Quo minus fiant; in hac re quæso utrum sit æquius?
Numquid est adversus ista quod queamus dicere?
Verum age hinc ad illa jam veniamus, huncce neuti-
Convenit, cunctis Achivis unius mulierculæ (quam
Gratia contendere armis, luceque privarier.
Præstat unicus vir, estque lucis hujus munere
Dignior, quam multa sane fœminarum millia.
Denique hoc Artemidi, si fors visum ita, ut meum caput
Postulet sibi vindicare, quæso te, numnam Deæ
Ipsa mortalis manum fefellero, aut suffugero?
Id quidem sperare stultum; dedo corpus hoc meum
Græciæ; proin' immolate, Marte Trojam excindite.
Hæc enim monumenta vivent tempus in longum mei, E
Hique gnati, nuptiæque; meique nominis decus.
Denique æquum est nos Achivos imperare Barbaris
Mater, haud contra Pelasgis imperare Barbaros.
Quippe nata est servituti Barbarorum natio,
Cæterum Grajûm genus natura statuit liberum.
Chor. Ad te quidem quod attinet juvencula,
Isthoc beata es tam virili pectore, at
Ex parte sortis, ac Deæ felix parum.
Achil. Agamemnonis generosa proles, cœlitum
Aliquis profecto me beatum fecerit,
Si te mihi liceat potiri conjuge.
Ac te simul felicem opinor Græciam.
Et te tua felicem opinor Græcia. F
Tua nam proba est, & gente digna oratio,
Ut quæ recusans cum Deis luctarier,
Id quod tuis scis esse majus viribus,
Perpenderis; facto quid usus, & simul
Præsens quid ista postulet necessitas.
At me tui, magis ac magis connubii
Rapit cupido, mentis indolem tuæ
Dum specto; nam generosa es, atque strenua.
At tute tecum quid velis, considera.
Siquidem ipse de te bene mereri pervelim,
Domumque ducere conjugem, ac pectus meum
Male angat, ipsa testis est mihi Thetis,
Nisi te neci subduxero, ac servavero,
Danais resistens vi, manumque conferens.
Hæc confer, ingens mors & atrox est malum.
Iphi. Loquor hæc profecto mentis ex sententia,
Nec ullius permota respectu viri,
Bella ciet auctor, atque cædes Tyndaris
Viris cruentas, corporis specie sui.
Verum hospes, obsecro neu mea tu gratia
Cæsus cadas; neve trucides quempiam,
Quin me sinas servare Græciam precor,
Modo id situm in me, & quolibet liceat modo.
Achil. O mira rari pectoris præsentia.
Nequeam profecto adversus ista dicere
Diutius, quando hæc tuo sententia
Animo sedet; si quidem mihi videtur &
Generosa, & excellente digna stemmate.
Quid enim verebor, vera quæ sunt proloqui?
At fors futurum est, mentem ut istam pœnitens
Mutes, proinde uti scias, quæ dixerim,
Præstare promptum, veniam & arma hæc cominus
Deponam ad aram, quo fiet si forte opus,
Non te sinam, imo vi vetem necarier.
Nostrisque fors utêre tum sermonibus,
Simul ac tuis conspexeris cervicibus
Ferrum imminere; proinde nequaquam sinam
Tua perire virgo te socordia.
Quin hisce potius templa & aras numinis
Armis adibo, tuamque ibi præsentiam
Operiar, adventum puella manens tuum.
Iphi. Quid obtices, ô mater? ac silentio
Manantibus genæ rigantur lacrymis?
Clyt. Hei misera, causa sat mihi est idonea,
Cur debeam dolere, & excruciarier.
Iph. Animum adde nobis potius, & frangi veta,
Ne pectoris minuito mi constantiam,
Atque his mihi in rebus parens morem gere.
Clyt. Dic quando nullo filia in negotio
Nos te precantem justa defraudabimus.
Iph. Ne tu capillis igitur evulsis comam
Laniaris, aut pullos amictus sumpseris.
Clyt. Isthuc quid ais, ô gnata quum pereas mihi?
Iph. Minime profecto, salva sum; per me tibi
Famæ perennis veniet inclytum decus.
Clyt. Cujusmodi hoc est, quod mones? an obsecro
Non convenit lugere mortem me tuam?
Iph. Minime, sepulcrum quando nec statuent mihi.
Clyt. Quid? an sepulcri non sat est occumbere?
Iph. Etenim ipsa, divæ maximo natæ Jove,
Mihi futura templa monumenti loco.
Clyt. Age gnata in istis nunc voluntati tuæ
Morem geram, quando ipsa dixisti probe.
Iph. Utpote beata, ac bene merens de Græcia.
Clyt. Sed quid tuis renuncio sororibus?
Iph. Ne quando pullis membra velent vestibus.
Clyt. Virginibus autem quod libenter audiant,
Quid me tuo jubes referre nomine?
Iph. Feliciter jubeas valere; & hunc mihi
Alas Orestem, ut exolescat in virum.
Clyt. Complectere, hoc visura postremum die.
Iph. Germane cordi unus meo carissime,
Utcumque tu pro viribus certe tuis,
Tuæ sorori es opitulatus sedulo.
Clyt. Est aliud, Argis quod velis curarier,
In quo queam tibi facere gratum filia?
Iph. Meum parentem, conjugem genitrix tuum
Ob ista quæso facta ne quid oderis.
Clyt. Isti tua multum laborum gratia
Exhauriendum, atrociaque certamina
Subeunda.
Iph. Verum invitus hic me perdidit,
Consulere quærens dignitati Græciæ.
Clyt. Atqui volens si faciat isthuc, aut dolo,
Et indecore faciat, & parum Atreo
Dignum parente.
Iph. Me quis hinc deduxerit

Mi-

Mihi prius quam tracta lanietur coma ?
Clyt. Ego te sequar.
Iph. Faxis cave, neque convenit.
Clyt. Tuis adhærens vestibus.
Iph. Mihi ô parens
Obtempera, mane, decorum enim id magis
Mihi tibique; cæterum me quispiam
Ex his ministris patris, in pratum Deæ
Artemidis hinc deducat, ubi mactabimur.
Clyt. Discedis eheu gnata.
Iph. Scilicet, neque
Reditura rursus abeo.
Clyt. Matre videlicet
Numnam relicta ?
Iph. Nempe sic, uti vides,
Indigne, & immerenter.
Clyt. Ah mane obsecro,
Ne gnata ne me deseras.
Iph. Haud te sinam
Stillantibus vexare lacrymis genas.
At vos puellæ Artemidi filiæ Jovis
Pæana canite, de nece, atque obitu mei
Bene ominantes; tum Pelasgis omnibus
Precationes, faustaque sonent omina.
Ac primus aliquis auspicetur tollere
E corbe frondeis; deinde puris ardeat
Sacer ignis in prochytis; pater porro meus
Rite fragranteis teneat aras dextera.
Etenim salutem pariter & victoriam
Paritura cunctæ venio genti Græciæ.

Jambicum dimetrum Acephalum, nonnulla etiam Catalectica.

Iph. Ducitote me Ilii
Diruendis mœnibus
Phrygibusque perdomandis
Destinatam victimam.
Serta texta porgite,
Comisque vinciendis
Ferte frondeis, ac piis
Irrigationibus,
Fontibusque sacris,
Devocate in ædem,
Devocate in aram,
Heram Artemim potentem,
Artemim beatam,
Uti meopte sanguine
Capitisque cæde nostri,
(Quando hoc ita est necesse)
Fata placem numinum.
Chor. O veneranda,
Veneranda parens,
Quomodo tibi debitas
Impertiemus lacrymas?
Nam nefas, neque convenit
Miscere sacra fletu.
Iph. O sodalium
Turba dulcis virginum,
Artemim communibus
Celebrate cantilenis,
Quæ croco rubentia
Carpenta ducit urbi
Adversa Chalcidensi,
Ubi bellicæ fervent trabes
Nominis causa mei.
Nempe hic reductis portuum
Aulidis secessibus,
Io parens tellus,
O Pelasgica,
Mycenæque nostri altrices.
Chor. Urbem vocasti Persei
Cyclopio labore,
Manibusque fabricatam.
Iph. Profecto lumen ingens
Edidistis Græciæ,
Haud quidem abnuo mori.
Chor. Tua namque te te gloria
Nullo relinquet tempore.

A *Iph.* Io Io,
Phœbea fax diurnæ
Vectrix amica lucis,
O dulce lumen ætheris
Alterum mox alterum
Exigemus ævum,
Orbem alterum incolemus,
O blanda lux jam mihi vale.
Chor. Heus heus.

Jambica dimetra, acatalectica, mixta catalecticis & acephalis.

Spectate euntem virginem,
Trojana per quam Pergama
B Devicta subruentur.
En comante vertice
Serta gestat frondea
Injecta militum manu.
Mox viraginis Deæ
Aræ dicatum cespitem
Sacra scatente lympha,
Manantibusque rivis,
Purpurante aspergine
Cruoris irrigabit,
Candido de corpore
Cervice quum resecta,
Procumbet ac feriet solum.
C Patria te manent sacra,
Te manent Pelasgûm
Universæ copiæ,
Classe quæ desiderant
Phrygios adire muros.
Quod quidem ut feliciter,
Fausteque cedat illis,
Agite prognatam Jove
Invocemus Artemin.
Semper colenda Diva,
Humana cui placent sacra,
Da militi Pelasgo
Appellere Phrygium in solum,
D Perfidæque Trojæ
Sedes adire sacras.
Da victorem Agamemnonem
Victrice cum caterva,
Pulcherrimum triumphum
In Græciam referre,
Læta vincientem
Inclytæ tibi tempora
Victoriæ corona,
Laude parta nominis
Quod usque vivat, & quod
Nullis senescat umquam,
Intercidatve seclis.
E *Nun.* Prodito tectis patre Tyndareo sata,
Quo dicta cognoscas Clytemnestra mea
Clyt. Audita meme vox excivit foras
Trepidamque misere, diro & attonitam metu.
Num tu mihi aliam calamitatem quampiam
Adfers ad hanc, quæ nunc adest? *Nun.* De filia
Tua stupenda nunciabo jam tibi, &
Portentuosa. *Clyt.* Proinde ne cunctere, sed
Expone rem, quantum potes celerrime.
Nun. Quin ô mihi Regina dilectissima,
Rem prorsus omnem luculenter audies.
Ex ordine autem cuncta narrabo, nisi
Si quid memoriæ lapsus, errantem mihi
F Inter loquendum linguam item turbaverit.
Ut igitur in lucum Deæ pervenimus
Artemidis, atque in florulenta prata, ubi
Aderant Achivûm conglobatæ copiæ,
Tuam catervis prosequentes filiam,
Glomerata coiit illico Argivûm phalanx.
Simul atque porro ductor Agamemnon videt
Mox immolandam in lucum euntem virginem,
Gemitum profundo ducit altum pectore,
Retroque flexo vultu, amaras lacrymas
Profudit oclis, ora velis obtegens.
At illa patri proxime assistens suo,

Hoc elocuta est: ô parens, adsum tibi,
Et hocce corpus pro salute patriæ,
Proque universa Græcia trado volens,
Ut immolandum hinc ad dicatas numinis
Ducatis aras, quando Divûm oracula
Ita canunt; prorsum quod ad me pertinet,
Et rem geratis bellicam feliciter,
Lætæque vobis præmium victoriæ
Cedat; proinde illud precor, ne clanculum
Mihi Pelasgûm quispiam admoveat manum.
Nihil reluctans colla porrigam, ac volens.
Atque hæc quidem est effata, cæterum stupor
Omneis capit, robur tuenteis virginis,
Et virginalis animi celsitudinem.
Talthybius autem, cujus hæ partes erant,
Media Pelasgorum inter adstans agmina,
Bene ut ominentur, copiis denunciat,
Linguisque faveant, deinde fatidicus celer
Calchas, in auro intermicantem sportulam
Nudans, & e loculis acutum proferens,
Imponit ensem, ac virginis flavum caput
Sertis revincit frondeis; tum Peleo
Editus Achilles, sportulam gestans sacram,
Sacrasque pelveis celere cursu, numinis
Obibat aras, simul & hæc precatus est.
Artemi ferarum magna domitrix, ac Jovis
Veneranda proles, quæ nitentem luminis
Blandi facem alto noctium silentio
Vectare solita es, placida sume victimam hanc,
Quam tibi damus, simul Pelasgûm exercitus,
Simul & Agamemnon imperator agminum,
Intaminatum sanguinem, qui virginis
Pulcherrimæ manabit e cervicibus,
Ac dextra classi prosperum cursum annue,
Liceatque nobis Marte capere Pergama.
Stant inter hæc fratres Atridæ, omnisque item
Exercitus, solo tenentes lumina.
Atque ibi sacerdos, ense correpto manu,
Rite est precatus, deinde dispicit locum,
Qua commode jugulum feriret virginis.
Mentem mihi haud exiguus occupat dolor,
Stabamque mœstus ora defigens solo,
Oculosque pronos; cæterum subito nova
Visuque mira res ibi accidit, sonum
Plagæ per auras nemo non sensit palam.
Porro puella, nescio quonam loci
Evanuit subducta; tum vocem stupens
Tollit sacerdos, turba Graji exercitus
Adclamat universa, dum quoddam videt
Mirabile ostentum a Deorum quopiam
Conspectibus spem præter objectum suis.
Quod credier nequiebat, ac ne tum quidem,
Oculis ubi coram pateret testibus.
Siquidem jacebat cerva palpitans humi,
Visenda vasti mole mira corporis,
Specie decenda insignis, ac spectabilis,
Cujus cruore imbuta numinis affatim
Undabat ara; proinde Calchas interim
Quantum putas gavisus, hæc effatus est?
Hujus Pelasgûm Principes exercitus
Communis, hanc coram videtis hostiam,
Altaribus quam Diva supposuit suis,
Cervam volucrem? en hancce virginis vice
Amplectitur libentius, ne quid suas
Commaculet aras nobilis virgunculæ
Cæde cruenta; & hocce consulit volens
Boni, accipitque, ac prosperos per æquora
Undosa cursus annuit nobis, uti
Priameja liceat classe adire Pergama.
Quapropter omnes classe vecti milites,
Animum bonum, fiduciamque sumite,
Ac petite naveis; hoc enim nobis die
Curvis relictis portuum secessibus
Aulidis, aranda Ægæa ratibus æquora.
Ut penitus autem victima est Vulcaniis
Exusta flammis, tum precatus prospera est
Sacrificus, ut reditus secundus ab Ilio
Victricibus domum daretur copiis.
At me tibi transmisit Agamemnon, uti
Hæc nunciarem, ac certiorem redderem,
Ipsi Deûm quid accidisset numine,
Et ut pararit sibi per omnem Græciam
Famæ decus, quod nulla prorsus secula
Oblitterabunt; ast ego videlicet,
Quod ipse præsens his & oculis viderim,
Id narro, proles ad Deûm consortia
Tua subvolavit; proinde quod reliquum est, age
Istam remittas mentis ægritudinem, ac
Tuo marito desinas irascier.
Inopina Divûm fata, quosque diligunt,
Servant; hic unus filiam mulier tuam
Et mortuam conspexit & vivam dies.

Cho. Ut ista volupe est, tibi ferentem nuncium
Audire, porro cœlitum in consortio
Transigere vitam pignus affirmat tuum.

Chy. Quis te Deorum gnata rapuit?
Qui te compellabo rite?
Quid dicam, aut quid suspicer? anne hoc
Mihi frustra blandirier his verbis,
Tristi ut luctu tui desistam?

Chor. Atqui huc Agamemnon venit ductor,
Unde hæc ipsa possis audire.

Aga. Uxor, beati filiæ causa sumus
Forsan futuri, quippe certum est, cœlitum
Illam in Deûm manere contubernio.
At tibi puello hoc pariter abducto, domus
Repetenda; siquidem ut navigare copiæ
Properent vides; valeto; colloquar diu
Troja reversus, & interim tibi sit bene.

Cho. Felix Atrida terram adi Phrygiam,
Felix redito,
Mihi pulcherrima abs Troja spolia huc reportans.

EURIPIDIS IPHIGENIÆ

FINIS.

P. OVI

P. OVIDII NASONIS

DE

NUCE

ELEGIA,

CUM

COMMENTARIO

DESIDERII ERASMI

ROTERODAMI.

DESIDERIUS ERASMUS ROTERODAMUS
OPTIMÆ SPEI ADOLESCENTI
JOANNI MORO
S. D.



E pro xeniolis vestris, ne pro tot amicis Epistolis nihil omnino videar reponere, suavissime Joannes, mitto Nucem, ne sperne munusculum, sane quam elegantem, nimirum Ovidianam. Quamquam alioqui munus nec omnino pusillum mittere videri possit, qui totam mittit arborem: nec vile, qui tam facundam. Ne vero mireris apud Ovidium loqui Nucem Latine, quum apud Lucianum tam diserte litigent vocales: apud Homerum loquatur Argos navis, idque carmine. Tantisper igitur dum hæc legis, esto Pythagoricus, ut credas & arboribus animum esse, linguam addidit Naso, vel reddidit potius. Nam & olim in Dodona quercus edebant oracula. Mihi tametsi jampridem ab hoc genere studiorum alienissimo, libuit carmen tam festivum & eruditum, addito commentariolo, commendare studiosis. Nec me fallebat fore, qui protinus succlamarent plane juxta Græcorum vetus proverbium, τὸν παλίμπαιδα γέροντα *rediisse ad nuces. Ego sane nec pueris inutile, nec seni cuiquam indecorum arbitror hujusmodi nucibus ludere, talique laxamento ingenii lassitudinem, ex seriis studiis contractam, reficere. Cæterum quid alii dicant, non magnopere laboro. Tibi, mi Joannes, persuasum esse velim, præclarum artificem ubique sui similem esse, seu colossum fingat, seu semipedalem statuam, sive Jovem pingat, sive Thersitem, sive æri, vulgarique saxo insculpat imaginem, sive gemmis aut auro, nisi quod in materia vili minutaque major est artis admiratio. Laudata est Nasonis Medea, sed videbis & in Nuce Nasonem esse. Illic materia suppeditabat eloquentiam, ac bona pars laudis erat decidenda Græcis, qui toties tractarant idem argumentum. Hic quicquid est laudis, ingenio Poetæ debetur. Equidem non sum is, qui soleam de eadem fidelia plures dealbare parietes, attamen & tu candidus videberis, & ego minus ingratus, si Nucem hanc, cujus fructum natura fecit in quatuor partes sectilem, si minus placet arborem findere, Margaritæ, Elizabetæ, Ceciliæ, dulcissimis sororibus tuis, & harum sodalitio felici Gygiæ voles esse communem, quæ me toties Epistolis suis lacessunt, tam sanis argutisque sensibus, tam castæ Latinitatis, ut his nostris ægre persuadeam ipsarum Marte confectas, quum id habeam compertissimum. Proinde quorsum attinet hortari te, mi Joannes, vel ad literarum studium, vel ad virtutem, quum tali præditus indole, domi patrem habeas, quum eruditionis omnibus numeris absolutum, tum omnis probitatis & integritatis perfectissimum exemplar, a quo degenerare turpissimum fuerit, præsertim quum ab illo nihil non affatim præstetur, quod conducere possit ad te omni ornamentorum genere perpoliendum. Latere non potes, prælucet tibi paternæ famæ splendor, quem aut summa cum laude referas oportet, aut summo cum dedecore fallas omnium de te exspectationem. Quamquam & sororum æmulatio tibi cessanti poterat acre calcar addere, quarum comitatem, modestiam, pudicitiam, simplicitatem, mutuam concordiam si quis contempletur, treis juret esse Charites: si varias Musicorum organorum species scite tractantes videat, si per omne genus auctorum utriusque linguæ, velut apiculas quasdam volitantes consideret, hic annotantes aliquid, quod imitentur, hinc decerpentes insigne dictum, quod in mores transferant: hinc lepidam aliquam historiolam ediscentes, quam inter sodales referant, dicas Camœnas in amœnissimis Aoniæ campis suaviter ludentes, flosculos & amaracum concinnandis sertis colligere. Certe sic omnibus animorum dotibus ornatæ sunt, ut formæ gratia, quamvis eximiæ, minimum adferat commendationis. Hæ velut ex composito sic properant in hoc laudis stadio, quasi fratrem velint a tergo relinquere. Quo magis oportet te nervos omnes ad cursum intendere, ut quoniam illas natura priores in hoc stadium induxit, utpote te grandiusculas, intentione studiorum antevertas. Tum illis cum Cornelia Gracchorum matre certamen erit, quæ sexum suum gemina laude decoravit, tum pudicitiæ, tum eloquentiæ: tibi cum Patre, quem æquasse satis opima laus fuerit, & tamen ille nihil malit, quam vinci. Verum hæc alias fortasse tempestivius. Nunc ad Nucem.*

DE TITULO.



Itulum huic Poemati præfixum reperi, *Elegia:* habet enim complorationem præteritarum injuriarum, & imminentium deprecationem. Quorum utrumque pertinet ad causæ genus quod Græci vocant δικανικὸν, nostri judiciale, sive forense. Proinde bona pars tractationis in affectibus sita est, præsertim misericordiæ, quæ movetur partim ex aggeratione malorum, quæ quis patitur: partim ex circumstantiis personarum. Miserabilius enim est, ubi qui nihil commeritus est, imo qui bene meritus, indigna patitur: & ubi facit injuriam, qui nulla lacessitus est injuria, sed pro officio refert maleficium. Quod si statum quoque nosse desideres, sine dubio qualitatis est, sive jurisdicialis. De facto convenit, an jure fiat quæritur. Cæterum dubitari possit, utra sit persona actoris, utra rei. Nam Nux ita causam suam agit, quasi rea populo. Rursus eadem sic populum injuriarum reum peragit, ut illum quidem non vocet ad pœnam, sed tantum ab se depellat injuriam. Jucunditatem addit argumento faceta ubique allusio ad affectus humanos, quod idem fit in apologis. Qui quo sunt atrociores, hoc in re levi ludicraque plus habent voluptatis, veluti in βατραχομυομαχίᾳ, quam inscribunt Homero. Primum distichon simul & propositionem complectitur, & narrationem. *

* Ii quibus vacabit conferentes hanc *Nucis* editionem cum Heinsiana, multum discrimen animadvertent. Otio abundabat *Erasmus* cum tam longam commentationem ederet in hoc Poematium.

P.

P. OVIDII NASONIS ELEGIA DE NUCE,

CUM COMMENTARIO DESIDERII ERASMI ROTERODAMI.

Nux ego juncta viæ, quum sim sine crimine vitæ,
A populo saxis prætereunte petor.



ICITUR autem apud Rhetores, propositio, qua paucis verbis summa causæ proponitur. Nam narratio fusius rem explicat, additis etiam affectibus, & argumentorum veluti seminibus inspersis. Quorum illi fusius explicantur in peroratione, hæc in probatione.

[Propositio Poetica.] Est autem solenne Poetis auspicari carmen a propositione, cui sæpe miscent invocationem. Sic enim Homerus auspicatur Iliada:

Μῆνιν ἄειδε θεὰ πηληϊάδεω ἀχιλῆος.

Sic Odysseam: ἄνδρα μοι ἔννεπε μοῦσα πολύτροπον, &c. Servatum est idem ab Hesiodo, tametsi non pari felicitate, quippe qui non solum loquacior est in eo, quod oportet esse brevissimum, verum etiam obscurior in eo, quod in hoc ipsum adhibetur, ut futuræ dictioni lucem adferat. Alterum opus sic auspicatur: μοῦσαι πιερίηθεν.

Nihilo felicius θεογονίαν:

Μουσάων ἑλικωνιάδων ἀρχώμεθ' ἀείδειν.

Superavit hic quem æmulabatur Virgilius, nimirum, in Georgicis, nec Homero cessit hac sane in parte in sua Æneide: qua simul & Iliados & Odysseas argumenta complexus est. Loquacius proponit & Statius in Achilleidam: *Magnanimum Æaciden*, &c. Grandius Lucanus, ni excusaret argumenti sublimitas, quamquam in argumento pariter grandi, Flacco displicet Poeta Cyclicus, qui Trojanum bellum sic exorsus sit: *Fortunam Priami cantabo, & nobile bellum.* *[Invocatio.]* Itaque Poetæ numinis invocationem potissimum adhibent modestiæ causa. Cæterum propositio facit ad perspicuitatem, quæ non hic tantum præcipua virtus est orationis. Etenim quum in procemiis tria potissimum agantur, ut comparetur benevolentia, docilitas & attentio: nec attentus esse potest, nec benevolus, qui non docetur. *[Perspicuitas Orationis.]* Ad docendum autem cum primis facit orationis perspicuitas, quæ potissimum est adhibenda in ipso limine dictionis, ut præluceat ingressuro totius causæ cognitionem. Siquidem obscuritas minus officit in oratione media, quod cognitis plerisque causæ partibus, ex aliis alia licet conjicere. Eadem fit venia in propositione, quæ juxta quorumdam Rhetorum opinionem protinus narrationi subjicitur. *[Propositio subjecta narrationi.]* Quamquam nec hic ullam obscuritatis gratiam facit Quintilianus: *Quid*, inquit, *turpius, quam esse obscurum ipsum, quod in eum solum adhibetur usum, ne sint cætera obscura?* At in ipso statim dictionis ingressu, multo minus idem licet. *[Ubi maxime adhibenda perspicuitas.]* Potissimum autem requiritur perspicuitas in propositione, narratione, & probatione, quod hæ partes proprie faciunt ad docendum. Nihil autem agit in cæteris, qui non docuit. Propositio docet causæ summam: narratio rem gestam exponit: probatio fidem facit argumentis. *[Propositio caput argumentationis.]* Jam ut prima propositio totius causæ summam complectitur, ita singulis partibus, aut etiam argumentationibus, sua præfertur propositio, quæ demonstrat quid suscipiatur probandum. *[Divisio.]* Itaque divisio, quæ limen est argumentationis, si causa plures habet parteis, totidem constat propositionibus: sin est simplex, unam pollicetur. *[Transitio.]* Jam transitiones, quæ & ipsæ plurimum faciunt ad docilitatem, fere gemina constant propositione, paucis & repetentes quod probatum est, & pollicentes quod restat probandum. *[Transitiones in Poetis.]* Quamquam transitionibus & in narratione locus est, verum hæc Rhetorum magis sunt, quam Poetarum, tametsi nec in Poetis hoc genus rarum est, præsertim ubi docent, quod genus est illud Ovidii:

Hos ignava jocos tribuit natura puellis,
Materia ludunt uberiore viri.

[A] Rursus illud Maronis:

Hactenus arvorum cultus & sidera cæli,
Nunc te Bacche canam.

Cæterum ut redeam ad propositionem Poetis peculiarem ac solennem in operis frontispicio, quemadmodum alii titulum operi præfigunt, qui lectorem admoneat, quid exspectare debeat: ita Prophetæ Hebræorum fere titulum voluerunt esse partem operis, atque hoc velut imitati Poetæ, tituli vice collocant propositionem. Alioqui titulus qui separatus est ab operis corpore, nonnumquam omittitur a scribis, frequenter etiam a sciolis immutatur. Id quod accidit Hieronymo nostro, cujus operi de Claris Scriptoribus, verterant [B] titulum, *Epitaphia.* Verum id nemo facit felicius, quam Ovidius, adeo ut plerisque etiam Epistolis & Elegiis suum præfigat titulum. Etenim pro eo quod titulus habuisset: *Liber de Arte amandi*, Ovidius ita proponit:

Si quis in hoc artem populo non novit amandi, *[Propositiones titulorum præfigenda.]*
Me legat, & lecto carmine doctus, amet.

Quæso quis titulus potuisset dilucidius complecti, materiam operis sequuturi? Epistolæ titulus erat præfigendus, puta: *Paris Helenæ S. D.* Quanto id Naso noster melius facit propositiuncula?

Hanc tibi Priamides mitto Ledæa salutem.
Quæ tribui sola te mihi dante potest.

Rursus Elegiæ præfigendus erat titulus, puta: *Psit-* [C] *taci epitaphium.* Sic proponit Ovidius:

Psittacus Eois nuper mihi missus ab Indis
Occidit, exsequias ferte frequenter aves.

Alteri titulus erat addendus. *In amicam quæ capillos perdiderat medicamentis.* Sic Ovidius, quasi rem agens:

Dicebam, desiste tuos medicare capillos
Tingere quam possis, jam tibi nulla coma est.

Rursus alii præponendus erat, *Militiæ & Amoris comparatio*, Naso sic proponit:

Militat omnis amans, & habet sua castra cupido,
Attice crede mihi, militat omnis amans.

In nonnullis Epistolis & Elegiis obscurior est propo- [D] sitio, sed tamen nusquam non subest. Verum non hic tantum affectavit perspicuitatem Ovidius, verum in omnibus felicissimam illam facilitatem quam in Cicerone mirantur omnes, vix quisquam in oratione soluta feliciter est æmulatus, Ovidius in carmine præstat. Ne tamen exspectes in omni Poemate propositionem. *[Triplex poematis, genus δραματικὸν, ἐξηγηματικὸν, μικτόν.]* Dramaticum enim genus non recipit propositionem, hoc est, in quo personæ tantum loquuntur. Exegematicum aut mixtum recipit, & ideo rara est propositio in Satyris, quoniam in veteris Comœdiæ locum successerunt. Nec in Eclogis temere reperies, quamquam est in Virgilianis:

Pastorum Musam Damonis & Alphesibæi.

[E] Similiter apud [1] Theocritum.

Αἰάζω τὸν ἄδωνιν, ἐπαιάζουσιν ἔρωτες;

quod Poematis genus mixtum sit. Nec enim idem licuisset in Tityro Maroni, aut in Thyrside Theocrito. Rursum apud Horatium in Satyris:

Hoc quoque Tiresia præter narrata petenti
Responde, &c.

[Tituli Platonici.] Eclogis ex more Comicorum personæ nomen tituli vice præponitur. Plato, & hunc imitatus Lucianus in dialogis gemino utuntur, altero a personis sumpto, altero ab argumento: Γοργίας, ἢ περὶ ῥητορικῆς. Τόξαρις, ἢ περὶ φιλίας. Verum jam tempus est, opinor, ut Nu- [F] cem ipsam audiamus suam causam agentem, si prius illud monuero, artis esse, sic propositione summam rei proponere, ut cohæreat cum his quæ sequuntur, ac pars argumentationis esse videatur.

Nux ego juncta viæ, quum sim sine crimine vitæ,
A populo saxis prætereunte petor.

1 Non est versus *Theocriti*, sed *Bionis*, in Epitaphio Adonidis.

Nullus titulus vel in oratione libera potuisset dilucidius explicare summam argumenti. Præterea habet hæc quamlibet brevis propositio, multas circumstantias admixtas, quæ partim faciunt ad probationem, partim ad affectus. Nux habet personæ significationem. Nam quum sint multa nucis genera, Juglandem loqui progressus indicat. *Juncta via,*) Circumstantia est unde populus sumebat argumentum sibi licere quod faciebat. Rursus quum sim sine crimine vitæ, circumstantia est, reddens injuriam atrociorem. Est alioquin jus agendi injuriarum etiam illi, qui lacessivit injuria. Veluti si qui convicio lacessitus est, constupraret uxorem ejus a quo lacessitus est. Tertia circumstantia, saxis petor, qua pœna, nulla crudelior. Quarta a populo. Atrox enim crimen esse oportet, quod non expectata judicum sententia, neque carnificis opera, publicis manibus vindicatur; προσονομασίαν in duabus vocibus viæ & vitæ non arbitror affectatam a Poeta, sed quemadmodum multa solent, casu excidisse. *Sine crimine.*) Aptius dixit, quam si dixisset, quum sim vitæ inculpatæ. Quum enim gravius sit *crimen* quam culpa, ἀνέγκλητος dicitur, qui nihil admisit ob quod in jus vocari possit: hoc enim Græcis sonat ἐγκαλεῖν, unde ἔγκλημα. Nam quod nos errorem vocamus, Græci vocant ἁμάρτημα, quod fere per imprudentiam committitur. Nec semper apud Latinos error in vitio est, nec apud Græcos ἁμάρτημα. Cui simillimum est σφάλμα, quem nos lapsum dicere possumus. Nam πλημμέλεια, per incuriam & incogitantiam admittitur, dicta a πάλιν μελεῖν, videlicet quod posteriore cura, quæ proverbio dicitur melior, sit sarcienda: veluti μετάνοια a μετανοεῖν. Porro nobis delictum dici videtur, ubi præteritum est officium. Videtur & ἀμπλάκημα levius, inde dictum, quod involvat hominem. Ἀδίκημα generale nomen est, quemadmodum & ἀνομία, nisi quod ἀδικεῖν dicatur, qui injurius est in alium. Αἰτία nobis aptissime reddit culpam, vox communis ad crimen, ob quod quis merito possit vocari in jus, & ad leviorem injuriam, cui sufficit expostulatio. Unde αἴτιος dicitur, qui fuit in culpa, ἀναίτιος, qui non est in culpa: & αἰτιῶν dicitur etiam is, qui privatim incusat. Crimen autem dictum videtur a Græca voce κρίνω, sive Latina cerno, unde & discrimino. Ne repetam hic, quod Laurentius Valla monet, non semper esse *in scelere*, qui est *in crimine*: quemadmodum non statim *nocens* est, quisquis *reus* est. Nam *crimina nostra* dici possunt, quæ scelera nostra dici non possunt, quod objecta sint, non admissa. Sic igitur argumentatur Juglans. Si quod facinus admisissem supplicio dignum, eram in jus vocanda, & de convicta juxta leges erat sumendum supplicium. Nunc quum sim innocens, atrocissimo supplicio sævitur in me, neque convictam neque damnatam. Idque a *populo prætereunte*, cui viam publicam non impedio, cum sim *juncta via. Junctam* vocat contiguam.

Obruere ista solet manifestos pœna nocenteis,
Publica quum lentam non capit ira moram.

Apud Hebræos, lapidabantur, qui convicium protulissent in Deum. Apud Romanos leges non porrigebant populo jus lapidandi, sed in manifestis & atrocibus admissis, connivebatur ad justum populi furorem. Seditionis enim est, non judicii, quod ait ille:

Jamque faces & saxa volant, furor arma ministrat.

Ita duplici nomine peccat populus, & quod præter leges sævit atroci supplicio, & quod in innoxiam. *Lapidari* dicitur liber aut sententia, quæ populi conviciis impetitur, quemadmodum exsibilatur aut exploditur. Porro *nocentes* substantive, positum est pro sontes, unde additur manifestos. Nam alias adjectivum est pro noxio. Ovidius:

Nocens ferrum, ferroque nocentius aurum.

Et *obruitur* proprie, qui vi, qui subito, qui multitudine opprimitur. *Lentum* autem dicitur, quod flexile est: & lentum, quod tardum & cessans. Nec ineleganter *capit*, dictum est pro fert. Quemadmodum autem hoc distichon exaggeratio est propositionis, ita quod sequitur exaggeratio est hujus:

Nil ego peccavi, nisi si peccare fatemur,
Annua cultori poma referre suo.

Crudele est sævire in innocentem, sed multo crudelius in benemerentem. Sumitur autem argumentum ex fine qui Græcis dicitur ὅρος, & tractatur per ἄτοπον, cui finitimum est ἀδύνατον. Assumitur enim id quod per se statim absurdum apparet, ut eo rejecto, probetur quod proponitur. In fine mutatur vocabulum, nonnumquam & utraque finitio explicatur: Si prodit Principem, qui ad ea impellit, quæ & ipsius dignitatem lædunt, & Reipublicæ salutem offendunt: & si fidelis est Principi, qui suadet ea, quæ dignitatem & existimationem boni Principis conservant apud optimos quosque, quæque pertinent ad incolumitatem Reipublicæ, proditor appellari non possum, nisi proditor est, qui fideli consilio prodest & Principi & Reipublicæ. Si bona fide quotannis referre cultori fructus, fidei est & beneficentiæ, non peccavi, nisi peccat, qui juvat. Id si dictu absurdum, mihi fit insignis injuria, quæ lapidor ob beneficium. Si color ob spem fructus, cur ob eamdem causam lapidor? Argumentum a repugnantibus. Ludit autem Poëta, nimirum, in argumento ficto ludicroque. Nam alioqui quod Nux injuriam vocat, prodest ad fertilitatem. Etenim si nuces perticis decutiantur, copiosius proveniunt in proximum annum, quam si decerperentur. Quemadmodum & crocum & linum & fœnum Græcum, & quædam alia felicius proveniunt ob illatam injuriam, ut tradidit Plinius. Quin & hodie mos est apud rusticos quosdam nucem hanc obvinctam glumeis vinculis, fustibus tundere; ita putant reddi fœcundiorem. De oliva diversa lex olim erat lata, *oleam ne stringito neve verberato*, propterea quod etiam si arundine levi ictu decutiantur olivæ, tamen arbor ob eam injuriam alternat fructus. Porro juglans numeratur a Plinio inter eas arbores, quæ inferne sunt fœcundiores, & ob hoc magis obnoxiæ injuriis. Similiter & arbutus, fici & mariscæ. Plinius libro decimo sexto, capite vigesimo octavo. Hic festiviter per occasionem tractat locum moralem, ostendens non esse mirum, si arboribus nunc damno est sua fertilitas, quum idem usu veniat in fœminis.

At piis arboribus, tunc quum meliora fuerunt
Tempora, certamen fertilitatis erat.

Facete humanum affectum affingit *arboribus*. Pertinet autem & ad hoc ἦθος, ut qui mores publicos incusant, de suo querantur seculo, & exempla probitatis repetant ex priscis. Qui certant, utique de laude certant. Quis autem certat, nisi proposito præmio? Præmium autem certantium præcipue, laus est. Tolle honorem, & frigebit certamen, multo magis si in locum honoris ac lucri succedit damnum & ignominia. Quemadmodum igitur maritis imputat uxorum sterilitatem, quod malint formosas, quam fœcundas: ita cultoribus imputat arborum sterilitatem, quod ad inanem voluptatem colant potius, quam ad usum.

Tunc domini memores sertis ornare solebant
Agricolæ fructu præveniente Deos.

Olim quæque arbor suo Deo sacra erat, in cujus tutela credebatur esse, vitis Baccho, olea Minervæ, pinus Cybelæ, æsculus Jovi, populus Herculi, laurus Apollini, myrtus Veneri, atque ita ferme de cæteris: neque est hic otium reddere rationem, quam ob rem antiquitas alias arbores aliis Diis consecrarit, etiamsi non dubito, quin aliquam rationem physicam in his sequuta sit. *Memores* autem absolute dixit, pro gratos. Alioqui dicimur & *injuriæ memores. Fructum prævenientem* dixit *præcocem*, quod ante legitimum tempus *proveniat*, nisi forte legendum est *proveniente*. Certe primi fructus, quos hinc Latini primitias appellant, Græci ἀπαρχὰς, Diis consecrabantur, quo videlicet in proximum annum augerent etiam arborum fœturam. Hebræi faciebant idem in fœtu masculo, quem primum edidisset uxor, sperantes pro hac pietate prolem copiosiorem futuram. Quamquam hoc distichon non simplicem habet amphibologiam. Potest enim hic accipi sensus. *Agricolæ*, id est, coloni, memores domini, a quo

a quo locatum habent agrum primitias fœtuum offerunt Diis: quasi coloni pietas prosit etiam domino. Potest & hic esse sensus, ut *domini agricolæ* legatur conjunctim, & intelligamus olim eosdem fuisse *dominos* & *agricolas*, donec viri nobiles sibi decorum existimabant agros colere. Denique potest & tertius accipi sensus, ut intelligam dominos fundi primitiis ex fructibus, qui provenissent opera agricolæ, solitos honorare Deos. Facit & illud ad amplificandam lapidantium injuriam quod fœcunditas Deorum sit munus, ut in injuria subsit impietas.

Sæpe tuas igitur Liber miratus es uvas,
Mirata est oleas sæpe Minerva suas.

In his versibus potest accipi duplex sensus: Alter erit, Deos miratos fructum præcocem: Alter erit, miratos copiosum proventum. Verum hic sensus mollior erit, si κατὰ συνεκδοχὴν, per *Liberum* intelligas vitem, per *Minervam* olivam. Est autem jucunda catachresis, τοῦ πάθους. Sic & Virgilius de arbore gerente ramos insitos:

Miraturque novas frondes, & non sua poma.

Quod subito personam secundam mutavit in tertiam, carminis ratio postulabat: quod verbum *es*, sit breve. Quamquam in secunda persona nonnihil jucunditatis habet Apostrophe.

Pomaque læsissent matrem, nisi subdita ramo
Longa laboranti furca tulisset opem.

Quod vitis alligatur, stirps invalida, flexilesque palmites sunt in causa, & haud scio an umquam hoc eveniat in oleis. Verum in malis ac piris videmus hoc frequenter usu venire, ut tota arbor degravata pondere fœtuum, laborare videatur, nonnumquam etiam scindantur rami. Sic Ovidius:

Adspice curvatos pomorum pondere ramos,
Ut sua quod peperit, vix ferat arbor onus.

Furcis autem suppositis fulciuntur rami impares oneri. Quin iisdem admotis nonnumquam corriguntur stirpes aut rami alio vergentes, quam oportet. Inde Flaccus:

Naturam expellas furcâ, tamen usque recurrit.

Eleganter dixit *Laboranti*. *Laborat* qui operatur. Non *laborat* qui non curat. *Laborat* qui ægrotat. *Laborat* qui periclitatur ob rei difficultatem. Veritas sæpe *laborat*, numquam opprimitur. Juvenalis:

Una laboranti poterit succurrere luna.

Ad πάθος facit & illud, quod ait: *poma læsissent matrem.* Miserabile est, puerperam in partu periclitari: & quoniam communi sensu favetur fœcunditati multos fœtus simul edentium: major est miseratio erga eas, quæ pereunt ob partum numerosum. Numerosissimus autem est fœminæ parienti quinque. Quamquam in annalibus atque etiam monumentis Hollandicis exstat, unam uno partu enixam trecentos sexaginta quinque vivos fœtus, & omnes fuisse baptizatos. Exstant annales, ex stat monumentum cum inscriptione nominis. Exstat pictura. Erat autem Comes Hollandiæ. Tantula ditione tunc erant contenti Principes. Ostenditur & collis monasterio, in quo sepulta est, vicinus, ubi palatium habebat. Et miramur per astutos quosdam absurda quædam esse persuasa rudi mundo, quum talibus fabulis sit habita fides, apud simplicem gentem, rudi seculo. Quamquam in his levior est pernicies. Sunt alia persuasa similibus technis, quæ Christum nobis propemodum exstinxerunt.

Quin etiam exemplo pariebat fœmina nostro,
Nullaque non illo tempore mater erat.

Exempla a brutis animantibus & rebus inanimis ducta, pondus habent. Asina per medios ignes accurrit ad fœtum. Proinde turpe est matrem negligere liberos. Cœlestia corpora servant cursum a Deo præscriptum. Turpe est homini non parere jussis Divinis. Arbores instinctu naturæ prorogant suum quæque genus, damnanda igitur adscita voluntariaque sterilitas. Semper enim exempla imparia vehementius movent, veluti quod a fœmina ad virum, a puero ad senem ducitur, aut contra. Nam imparitas sita est, non in persona tantum, sed etiam in re collata ad per-

A sonam. Si turpe est adolescenti scortis indulgere, quanto magis seni? Contra, si seni non est turpe discere quod nescit, quanto minus puero? Cæterum, in nonnullis arboribus & sexum & conjugium & coitum adnotarunt scriptores, adeo ut quæ fœminæ sunt, nisi adsit mascula arbor, steriles maneant. Porro qui diligentius rerum naturas perscrutati sunt, affirmant nihil e terra gigni, quod sexu careat. Qua de re copiose Plinius lib. XIII. cap. IV. Quemadmodum autem nonnumquam corporis vitium, semper autem ætas adfert sterilitatem fœminis, ita & arboribus frugiferis. Nam quicquid vitiorum est in corporibus hominum, idem ferme comperitur in arboribus, vocabulis etiam huc a malis hominum translatis: quod genus sunt, B fames, sitis, senium, vermiculatio, sideratio, membrorum dolor, cruditas, obesitas, oculorum exustio, abortus. Sunt his malis excogitata varia remedia. Vide apud Plinium libro XVII. cap. XXIV. & XXVI. Nec tamen singulis annis perpetuo pariunt fœminæ, quæ fœcundæ sunt, idem usu venit in frugiferis arboribus. Gratiam habet, numeri ἑτέρωσις, *fœmina*, pro *fœminæ*. Apud Hebræos, summi probri loco ducebatur sterilitas. Apud priscos etiam gloriosum erat numerosam edidisse prolem, & εὔπαιδος meruisse nomen felicitati tribuebatur. Contra, ἄπαιδα dici, inglorium erat. Hinc argumenta Poetarum de Danaidibus & Beli filiis, de Priamo & Hecuba, de Niobe, cæterisque. Quin & apud Historicos celebrantur copiosa pro- C le felices. Tum ex matrimonio quærebatur proles, nunc a plerisque uxor habetur libidini, & scrophæ vocantur, quæ numerose pariunt. Apud veteres etiam medicamentis provocabatur fœcunditas. Nunc proh scelus! notiora sunt pharmaca, quibus accersitur abortus.

At postquam platanis sterilem præbentibus umbram,
Uberior quavis arbore venit honor:
Nos quoque fructiferæ, si nux modo ponor in illis,
Cœpimus in patulas luxuriare comas.

Platanus, a latitudine nomen habet, quoniam velut ad umbram præbendam late ac dense sese spargunt rami. Nonnullis additur ars, ac vi diducuntur ad commoditatem um- D bræ præbendæ, ut in ipsis etiam arboribus, velut in conclavi, possis agere convivium. Visitur hujusmodi quercus Basileæ, in qua fertur aliquando cœnasse Maximilianus Cæsar. Additus est fons, qui perenni scatebra radices alat. Verum ea jam (ut ajunt) indies fit contractior. Id in platanis, tiliis, ac terebinthis minus rarum est. Cæterum platano, quamquam est infrugifera, tamen apud priscos tantum honoris est habitum, ut primum per mare Jonium in Diomedis insulam adveheretur, quo tumulum illius honoraret. Inde in Siciliam transgressa est, atque inter primas donata Italiæ, hinc ad Morinos usque transvecta. Nec defuerunt, qui radices hujus arboris vino infuso rigarent, quum tamen haud alius sit illius usus, nisi quod E æstate solem arcet densitate frondium, hieme admittit nudata foliis. Plura de platani honore reperies apud Plinium libro duodecimo, capite primo. Itaque queritur nux, quod moribus hominum corruptis luxu, majori in pretio fuerit sterilis platanus, quam arbores fructiferæ. Hac injuria velut offensæ frugiferæ, cœperunt esse minus fœcundæ, quoque magis placerent, succum, quem ante solebant impartire fructibus alendis, in foliorum pompam spargere. Sunt enim & frugiferæ quæ late porrigunt ramos, quarum de numero nux est: sed quod ipsa silet, umbram habet omnibus, quæ subjecta sunt noxiam, suoque quoque generi, quemadmodum tradit Plinius & Columella. Nec omnes arbores frugiferi generis quotannis edunt fructus, & si edunt, dispar est proventus: quædam non temere, nisi F alternis annis pariunt, inter quas olea, & pleræque grandiferi generis. Quamquam idem non raro accidit in malis ac piris. Hujus rei causam nux lepide rejicit in studium alendæ comæ, quasi in folia consumpto succo, malignior sit fructuum copia. *Si nux modo ponor in illis.*] Eleganter dixit *ponor*, pro numeror. Terentius in Phormione: *Pone his sane decem minas.* Sumptum ab his, qui calculis positis ac subductis, conficiunt rationem. Quamquam Donatus a digitis subductis, dici putat subductam rationem. *Si modo.*] Pro *Si tamen*. *Modo*, nonnumquam sonat Paulo ante, *modo hic erat*. Invenitur & pro Nunc, tametsi rarius:

rarius: interim pro dummodo, sive tantum. Ut, *velis modo.* Unde Terentius in Phormione dixit, *Modo non,* pro tantum non: quod Græcis μονονουχὶ, quod a nobis reddi posset Propemodum, sive penissime. Horatius, *postmodo* dixit, pro posthac. Porro, *si modo ponor in illis,* modestia vitat invidiam, quum juglans sit inter nuces præcipua. Siquidem ob excellentiam dictam putant olim *Diuglandem,* quasi Græce dicas Διὸς βάλανον, id est, *Jovis glandem:* deinde amota principe litera, dictam *Juglandem.* Rursum erant, qui mallent dictam a juvando. Eamdem ob causam arbitrantur dictam Basilicam, id est, regalem: ita ferme Macrobius libro Saturnaliorum tertio. Nec hic dissentit Plinius: verum ut obiter aliquid negotii facessam Grammaticis, non admodum arridet hæc etymologia. Primum enim, qui convenit nucem appellari glandem, præsertim Persicam? Præterea, quis umquam dixit arborem glandem, ac non potius glandiferam? Deinde, [1] durum est ex Græca Latinaque voce dictionem componere. Proinde mihi videtur vero propius *juglandem* dictam, quod *glandem jugulet,* propterea quod nativum quoddam dissidium sit inter juglandem & quercum, ut quercus emoriatur, si juglandi sit vicina: auctor Plinius lib. XIV. cap. I. Plinius indicat juglandes primum a Regibus illatas, quarum præcipuum genus dicatur Persicum atque Basilicum. Macrobius [2] citat Moretum Suevii cujusdam, qui putarit eamdem dici *Molluscam,* quæ primum sit dicta *Persica.* Carmen Suevii sic habet:

Partim Persica, quod nomen sic denique fertur,
Propterea quod qui, quondam cum Rege potenti,
Nomine Alexandro Magno, fera prælia bello
In Persas retulere, suo post indereventu,
Hoc genus arboris in prælatis finibus Grajis
Disseruere, novos fructus mortalibus dantes.
Mollusca hæc nux est, ne quis forte inscius erret.

Atque hic Perottus, aut quisquis fuit ejus voluminis consarcinator, homo non ineruditus, acriter magnoque supercilio taxat Macrobium, qui ob parum intellectos Suevii versus, existimarit *Persicum pomum, molluscam* dici. Imo carmen non sentit de Persico pomo, sed de genere juglandis, quod Persicum dicitur, & eamdem nucem ob mollitudinem putaminis, quod sponte rumpitur, docet appellatam molluscam: nec aliud sentit Macrobius. Macrobius videtur eamdem facere Tarentinam, quod lingua Sabina *tarentum* dicatur molle: ad quod alludens Horatius dixerit: *Et molle tarentum.* Certe magnitudine juglans vincit omnia nucis genera, excepta nuce pinea, quam ipsam tamen longe vincit nucleo. Videtur igitur olim juglans summo in pretio fuisse, vel quod a Regibus e longinquo sit allata, vel quod in nuptiis habuerit religionem, vel quod ipsa etiam natura peculiarem ei honorem videtur habuisse, ut quam gemino protexit operimento, primum pulvinati calicis, mox ligneo putamine: quin & nucleum quadrifariam distinxit interjectu membranarum. Postremo juglandis & basilicæ cognomen inditum, arguit arboris dignitatem. Itaque quod ait, *Si modo ponor in illis:* λιτότης est, modestiæ causa rem magnam verbis extenuans, præsertim quum de se loquatur.

Nunc neque continuos nascuntur poma per annos,
Unaque læsa domum, læsaque bacca venit.

Duplex commemorat incommodum, alterum quod rarius & ex intervallo pariant arbores, veluti meditantes sterilitatem: alterum, quod hoc ipsum quod nascitur, velut a Diis iratis, læditur grandine, pruina, nebula, pluvia, æstu. Sunt autem præter hæc incommoda, quæ videntur a Superis immitti, sua cuique arbori vitia morbique, quemadmodum hominibus. Sunt & his excogitata remedia. Plinius recenset aliquot arbores biferas ac triferas. Cæterum lib. XV. cap. XXII. prodigii loco refert, ex Consulari viro audisse se, quod haberet & juglandes biferas. Recensentur & quæ fœtus suos alternent, inter quas (ut diximus) est olea. Hoc igitur sentit nux, ob corruptos hominum mores arbores simul & fœminas non modo gignere rarius ac malignius, verum etiam fœtus edere deteriores. Ita Satyricus:

Terra malos homines nunc educat atque pusillos.

Et hodie quot videmus partus edi morbis obnoxios, aut monstrosos?

Nunc [3] uterus vitio est, quæ vult formosa videri,
Raraque in hoc ævo est, quæ velit esse parens.

In arboribus olim vitium maximum erat sterilitas, quæ etiam in his quæ fructiferi generis sunt, nonnumquam nascitur ex carie, aut alio quopiam vitio. Id accommodat ad fœminas. Nunc (inquit) si qua mulier est, quæ velit placere marito, vitio sibi vertit quod est fœcunda, nimirum intelligens se magis commendari viro forma, quam fœcunditate, quæ olim præcipue commendabat uxorem marito. Et ideo non dant uxores operam, ut maritos numerosa sobole locupletent: sed quoniam intelligunt crebro partu consenescere formæ gratiam, pharmacis etiam procurant sterilitatem, & (quod est sceleratius) ciunt abortus, ne tædio gestationis ac labore nixuque pariendi, senium contrahant, atque (ut Gellii verbis utar) *æquor illud ventris irrugetur,* ac de gravitate oneris & labore partus fatiscat. Jam ut in fœminis, ita & in arboribus fœcunditas senium accelerat, nonnumquam & mortem, si sit immodica. Sic Plinius lib. XVI. cap. XXVIII. Omnia autem celerius senescunt præfœcunda. Quin & protinus moriuntur aliquando, cœlo fœcunditatem omnem eblandito: quod maxime vitibus evenit. Annotanda est elegantia hujus vocis, *uterus:* non enim simpliciter sonat ventrem, qui ciborum est receptaculum, sed accipitur pro corpore fœminæ gravido. Unde & *uterum ferre* dicuntur, quæ fœtum gerant in matrice: Nulla tamen recte diceretur *ferre ventrem,* etiamsi *uterus* nonnumquam pro ventre ponitur.

Certe ego si numquam peperissem, tutior essem,
Ista Clytemnestra digna querela fuit.

Hoc (inquit) quod dico, si in aliis parum evidens est, saltem in me dilucidius est, quam ut negari possit, quæ non ob aliud lapidor, quam quia fœcunda sum, tuta futura, si sterilis essem. Est quidem (inquit) hæc querela mihi cum Clytemnestra communis, cui nocuit peperisse, propterea quod ab Oreste filio sit occisa: verum illi minus justa fuit hæc querela, quod ipsa prius occidisset maritum, scelus scelere provocans. Ego nihil commisi, nisi quod pario. Et tamen Clytemnestra videtur miserabilis, quod peperit. Quanto ego dignior misericordia?

Si sciat hoc vitis, nascentes supprimet uvas,
Orbaque, si sciat hoc, Palladis arbor erit.

Hæc pars est suasorii generis, quod non raro incidit in judiciali. Quemadmodum si quis contendat ignoscendum esse Catilinæ, quod tametsi ipse dignus sit supplicio, non tamen expediat gloriæ Romani nominis, ac Reipublicæ commodis. Si vos (inquit) non commovet rei indignitas, saltem incommodi vestri metu abstinete ab injuria. Etenim si hoc rescifcunt & cæteræ arbores, quarum fœtus vobis gratissimi sunt, obnoxias esse talibus injuriis, quæ pariunt, præoptabunt esse steriles. Est autem jucunda phantasia Poëtica, quasi rumor etiam inter arbores rem factam dissipet. *Supprimet.*] Est hoc viti peculiare, ut læsa incommodo cœli, nonnumquam & occultis de causis, supprimat uvas pubescentes. Sæpius quum maxime floret, sterilescit. *Palladis arbor.*] Hæc sæpe nihil omnino producit, veluti sterilitatem meditans. Vitis supprimit: semper enim germinat, ac plerumque floret. Orba fit olea: quoniam nihil omnino gignit, ne germinans quidem alternis fere annis. Venuste, quod est fœminæ transtulit ad arborem. Orba dicitur, quæ caret liberis. Et arbor Palladis meditatur esse, quidem est ipsa Dea, quæ sterilis est & virgo, ut nec pipriphrasis sit otiosa.

Hoc in notitiam veniat maloque piroque,
Destituent sylvas utraque poma suas.

Inter arborum fœtus, præcipue sunt esculenta mala & pira. *Sylvas.*] Etenim si sterilescent, nihil aliud erunt quam

1 Vere hic *Erasmus*, sed dicta est *Juglans*, quasi *Joviglans*, ut *Jupiter* pro *Jovipater*. Vide *Claud. Salmasium* ad Solinum, p. 423. Ed. Ultraject. & *Ger. Joan. Vossium* in Etymologico.
2 Saturnalium lib. II. c. IX.

3 Lege *uterum vitiat*, hoc est, abortum sibi creat.

A quam sylvæ. Nec enim temere sumit exempla ab his arboribus, quarum fructus sunt in primis grati ac necessarii mortalibus. Nam juglandes fortassis plerique possunt contemnere. Sylvas autem, materias vocant: inter quas sunt pirus & malus, quum vitis & aliæ quædam sint inutiles materiis.

Quæque sibi vario distinguit poma colore,
Audiat hæc cerasus, stipes inanis erit.

Cerasi fœtus primum virent, mox albescunt, ruborem perlucidum addit maturitas. Sunt quæ ab uno latere rubent, altero albent. Sunt quæ maculis quibusdam interspersis distinguuntur. Quædam etiam nigrent. Has cerasorum differentias & hodie videmus, quamquam mutatis vocabulis. B Plinius libro XV. capite XXVI. tradit *Aproniana maxime rubere, nigerrima esse Actia, Lusitanis esse colorem e nigro rubenti ac viridi mixtum. Quæque sibi vario.*] Hoc (opinor) notat, quod cerasus inseritur lauro, unde saporem & colorem mutat. Quin & in aliis arte mutatur color. In ceraso arbor ipsa tingit fœtum, quasi ludens varietate. Et præcipua cerasi gratia est in colore, veluti virgineo. Mox enim marcescit.

Non equidem invideo, numquid tamen illa feritur,
Quæ sterilis solâ est conspicienda comâ?

Mitigat quod dictum est, sic tamen, ut hinc tueatur, C quod cœperat colligere. Non hæc (inquit) dico, quod vel vobis illarum fœcunditatem invideam, vel illis incolumitatem, sed tamen mihi damno esse fœcunditatem: vel hoc arguit, quod steriles non læduntur. Quoniam autem fœminarum est peculiare vitium, invidentia, amolitur hujus suspicionem arbor ceu fœmina loquens. *Sola coma.*] Hac præcipue superbiunt fœminæ. Et arborum coma dicitur.

Cernite sinceros omnes ex ordine truncos,
Qui modo nil, quare percutiantur, habent.

Argumentum ducit ex vicinis arboribus, quæ, quoniam steriles erant, tutæ stabant ab injuria. *Ex ordine.*] Quoniam juxta viam in ordinem certis intervallis digeruntur D arbores. *Qui modo*] Dixit pro *Quicumque*: sicut *Si modo*, pro *Dummodo*.

At mihi sæva nocent mutilatis vulnera ramis,
Nudaque decerpto cortice ligna patent.

Venuste quæ sunt corporis animantis, transtulit ad arbores, *mutilare* & *vulnera*. Unde & arborum *cicatrices* dicuntur. Letale vulnus est, quod nudat ossa. Cortex arbori, pro cute est, cui subest veluti caro, lignum ossium est vice.

Non odium facit hoc, sed spes inducta rapinæ,
E *Sustineant aliæ poma, querentur idem.*

Non hoc commerui, ut odio justo mei facere videantur. Verum ob hoc ipsum lædor, quia prosum. Id colligit argumento conjecturali, ducto ab eventis. Si aliis idem evenerit quod mihi, certum erit, rapinæ spem mihi nocere, non culpam.

Sic reus ille fere est, de quo victoria lucro
Esse potest, inopis vindice facta carent:
Sic timet insidias, qui se scit ferre viator,
Quod timeat, tutum carpit inanis iter.

Confirmat argumentum duobus exemplis. Erat olim F sceleratissimum quæstus genus sycophantarum, sectorum & quadruplatorum, qui divitibus intendebant calumniam, ut ex lite quæstus aliquid abraderent. Huic malo non erant obnoxii, quibus nihil erat, quemadmodum ait Phormio Terentianus. Ob prædam impetitur a sycophantis dives innocens, ob prædam a latronibus incessitur viator innoxius. Notum est illud Juvenalis: *Paucula si portes*, &c. *Quod timeat.*] Aut legendum est, *Cui timeat*: aut *Quod*, positum est pro *Quare*: ut, *Non est quod metuas.*

Sic ego sola petor, soli quia causa petendi est;
Frondibus intactis cætera turba viret.

Causa petendi.] Petendi, dixit passive: causa cur petar. Potissimum in conjectura spectatur, cui bono fuerit. *Cætera turba.*] Contemptim dixit turbam infrugiferarum arborum. Sic Horatius: *Nos numerus sumus.*

Nam quod habent frutices aliquando proxima nobis
Fragmina, quod læso vimine multa jacent,
Non istis sua facta nocent. Vicinia damno est.
Excipiunt ictu saxa repulsa meo.

Diluit quod poterat objici, frutices qui obsepiunt agrum, sustinent & sterilium arborum fragmenta, verum harum dumtaxat, inquit, quæ mihi proxime stant. Non ob crimen aliquod id patiuntur, sed obest illis vicinia mei. Prius distichon non absolvit sententiam, quod aliquoties reperire est apud Ovidium: verum ita, ut ibi desinat aliquod membrum sententiæ, quemadmodum & superius. *At postquam Platanus*, &c. Alioqui reprehendendum in carmine Elegiaco. *Meo ictu.*] Hinc liquet non esse perpetuum, quod docet Laurentius de primitivorum & possessivorum pronominum usu. Alioqui dicendum erat, *ictu mei.* Nisi lapidem repulsum a ramo nucis imaginemur ab ipsa mitti, sicut ante dixit: *Cultori suo*, cum ipsa colatur, non colat.

Idque fide careat, si non quæ longius absunt,
Nativum retinent inviolata decus.

Homo *caret fide*, cui non creditur: res *caret fide*, quæ non creditur. Est autem elegans ingressus ad argumentum irrefutabile. Mentiar, si non hoc ipsa res loquitur. Sim vanus, videar mentitus omnia, nisi &c. Habet enim asseverationem, quæ sæpe pondus habet probationis.

Ergo si sapiant, & mentem verba sequantur,
Devoveant umbras proxima quæque meas.

Jucundum pathos est ex exaggeratione mali. Crudele erat, ob fœcunditatem sic lædi: sed intolerabilius malum, si calamitati addatur odium: præsertim vicinarum, a quibus expedit amari, quod in propinqua parte amicitiæ sit vicinia. *Devovere* est exsecrari & imprecari diras atque exitium. Hoc maleficii genus regnat apud rusticos. Unde leges de excantatis arboribus ac frugibus. Quin & urbes & exercitus olim conceptis verbis devovebantur. Vide Macrobium libro Saturnalium III. *Si sapiant.*] Quasi sylvestribus minus sit ingenii, si intelligant hoc mali sibi ex me accidere, concipient in me vehemens odium: quod si liceat eloqui, ut quæque est mihi proxima, ita maxime devoveret umbras meas. Nam *devoveant* posuit δυνητικῶς. Est autem tropus in verbo & apposito nomine, *quæque*. Rursus alludit ad umbram nucis omnibus noxiam, quum ait: *umbras meas.*

Quam miserum est odium damnis accedere nostris:
Meque ream nimiæ proximitatis agi.

Hanc sententiam velut epiphonematis loco subjecit probationi. Nam catholica fuisset, si dixisset: Gravius malum est, quoties calamitati jungitur odium. Levius ferunt, quorum malis ingemiscunt cæteri.

Sed puto magna mei est operoso cura colono:
Invenias, dederit quid mihi, præter humum?
Sponte mea facilis contempto nascor in agro,
Parsque loci qua sto, publica pene via est.

Confutat rursus, quod objici poterat. Merito invisa es, quod fatiges cultorem immodica tui cura. Nam hoc nomine Virgilius vituperat vitem, cui numquam exhausti satis est.

Redit agricolis labor actus in orbem.

Sponte mea.] id est: Tantum infossa nuce. Sed melius provenit, si prona sive transversa feratur, & commissura infixa terræ, ut docent Plinius & Palladius. *Contempto nascor in agro.*] Vel quia sine cultura, vel quia quod iidem docent, gaudeat locis humidis, frigidis, ac plerumque petricosis: ut ager aliis inutilis, nuci tamen ferendæ sit utilis.

Me sata ne lædam, quoniam sata lædere dicor,
Imus in extremo margine fundus habet.

In agro quamlibet vili, mihi datur locus contemptissimus:

In extrema parte fundi, atque *in extremo fundi margine.* Id propterea fit, *ne lædam segetes*, quando persuasum est meo stillicidio, meaque umbra lædi segetes. Proinde ne cui sim noxia, contenta sum hoc loco. *Lædere dicor.*] Callide nec inficiatur, quod manifestum est: nec agnoscit, quod erat obfuturum.

Non mihi falx nimias Saturni deputat umbras.
Duratam renovat non mihi fossor humum.

Id potissimum opus est in vitibus, quoties supra modum luxuriant pampini & flagella. Quamquam & aliarum arborum morbis succurri putatione docet Plinius. *Duratam renovat.*] Conducit id multis arboribus, sed in vite necessaria repastinatio. Ablaqueantur & cæteræ arbores, ne sterilescant. Nihil his opus nuci.

Sole licet siccaque siti peritura laborem,
Irriguæ dabitur non mihi sulcus aquæ.

Quibusdam arboribus primum satis oportet humorem adhibere, ut emergant & adolescant. Quomodo rivus inducatur in agrum, docet Virgilius in Georgicis. Porro quibus remediis subveniatur arbori, ne radix siccitate sterilescat, docet Plinius lib. XVII. cap. XIX. Rursus ejusdem libri capite XXVI. Ovidius attigit tria præcipua remedia, putationem, ablaqueationem, & irrigationem.

At eum maturas fisso nova cortice rimas
Nux agit, ad parteis pertica sæva venit.
Pertica dat plenis immitia vulnera ramis,
Ne possim lapidum verbera sola queri.

Cortex dehiscens in juglandibus, maturitatis indicium est. Est juglandis genus, quæ persica sive mollusca dicitur: quæ quod molliore putamine sit, fissa nucleum ostendat, ubi maturuit. Eleganter autem dixit, *agere rimas*, pro findi, quemadmodum agere radices. *Ad parteis.*] Ad cultum nemo meminerat officii, neque quisquam succurrebat æstuanti, aut onustæ foliis. Ad lædendum adest pertica, quam venuste sævam vocat, quum hominis sit sævitia, non perticæ. *Ad parteis*, a fabularum actione translatum est. Unde qui suo fungitur officio, suas partes agere dicitur. *Ne possim lapidum.*] Quasi parum esset, vulnerari saxis. Jam dixi nuces juglandes pertica dejici, quod sic arbor reddatur fertilior.

Poma cadunt mensis non interdicta secundis,
Et condit lectas parca colona nuces.

Poma.] Vides adversus annotationem Laurentii Vallæ, etiam nuces dici poma.

Mensis non interdicta.] Apud Athenæum movetur quæstio, utrum expediat juglandes in cœna apponere, an post cœnam. Nam in Asia similiter & in Græcia solita est apponi & in cœna, propterea quod si sumantur post cœnam, quoniam ob vim unguinosam fluitant in stomacho, ac bibendi libidinem secum adducunt, vitiant concoctionem. Quamquam habent hoc commune vitium nuces, quod gravedinem capitis inducant, unde & nomen apud Græcos inditum κάρυον & fortassis Latinis *nux* a *noxa*. Minime noxia sunt amygdala. Cur autem submoveantur juglandes a mensis secundis, quum Plinius libro XVI. capite sexto, referat ipsius etiamnum ætate Hispanos glandes mensis adhibere secundis. Et nos quum essemus Florentiæ, vidimus in ædibus opulentissimi viri, vice bellariorum apponi nuces castaneas. Sed tamen præcipua, ut dixi, gratia est amygdalis, proxima avellanis. Verecunde itaque dixit, *non interdicta*: satis enim est admitti inter bellaria. *Parca colona.*] Possunt enim servari in longum. Servandi ratio est, si infodias arenæ, detracto cortice, aut involvas suæ arboris foliis. Sed recentes ad esum minus noxiæ, quamquam & siccæ vetulæque tenerescunt, si nucleos exemptos putamini conjicias in aquam frigidam, sinasque noctem unam macerari. Macerantur eumdem ad modum amygdala vetustate sicca. *Colonam* dixit villicam, de qua Cato: *Uvas in vinaceis & urceis in terra obrutas, Et nuces recentes Prænestinas, in urceo in terra obrutas habeat.* Unde & parcam appellant, & hanc Cato non vult esse *luxuriosam.* Quoniam vero crebrior usus nucum est in lusibus, quam in cibis, parce locuta de mensis secundis, transit ad lusus. Erat autem peculiare pueris, ludere nucibus, quæ res dedit & proverbio locum: *Nuces relinquere.* Persius:

Et nucibus facimus quæcumque relictis.

Et Martialis:

Lude, inquis, nucibus, perdere nolo nuces.

Has puer aut certo lectas dilaniat ictu,
Aut pronas digito bisve semelve petit.

Nihil addubito, quin Ovidius ita scripserit hoc carmen: *Has puer aut certo rectas dilaminat ictu.*] Siquidem *dilaminare* dixit, pro in duas laminas diducere. Id fit, quoties solutis commissuris finditur nux in duas parteis. Unde paulo post *laminam* vocat putamen fissile. Illud interim erat artis, certo ictu tangere commissuram. Nam dilaniandi verbum, quod in Aldinis quoque codicibus legitur, etiam carminis ratio respuit. Porro quod ait *rectas*, opponitur illi, quod mox sequitur, *pronas*, hoc est, transversas. Suspicor autem hunc esse lusum, quo findimus etiam mala prædura. Imponitur index sinistræ mali pedunculo, & in hunc pugnus dexter subito impingitur. In impetu ac celeritate sita est victoria. Etenim si leviter impingas, & digitum offendis, nec findis malum.

Quatuor in nucibus non amplius alea tota est,
Cum sibi suppositis additur una tribus.

Facete vocat *aleam*, quasi periculum. Summum autem periculum, si vincaris, est in quatuor nucibus, ut ad summum incalescat certamen: si unam tribus impositam secueris, aufers quatuor. Mirum est Julium Pollucem quum multa tradat de lusibus, nullam facere mentionem nucum. Fortassis hoc genus lusus non erat dissimile ludo talorum quos in Satyris libro secundo Horatius jungit nucibus. *Te talos Aule nucesque*: significans talos etiam pueris fuisse familiares, quemadmodum nuces. Significat & Martialis ex nucibus ludum esse non dissimilem aleæ. Sic enim ait in Apophoretis:

Alea parva nuces, & non damnosa videtur,
Sæpe tamen pueris abstulit illa nates.

Rursus in Xeniis:

Hæc mihi charta nuces, hæc est mihi charta fritillus,
Alea nec damnum, nec facit ista lucrum.

Per tabulæ clivum labi jubet alter & optat,
Tangat ut e multis qualibet una suam.

Altera ludendi species est, ut dispositis in seriem nucibus, per tabulam declivem volvatur nux: quæ si tangat quam oportet, vincit qui misit.

Est etiam par sit numerus qui dicat, an impar,
Ut divinatas auferat augur opes.

Meminit hujus & Horatius:

Ludere par impar, equitare in arundine longa.

Nihil hoc pentametro venustius. *Auferat* tamquam victor, *opes*, ad sensum puerorum, qui magno æstimant, *divinatas* ob conjecturæ periculum. *Augurem* vocat conjectatorem.

Fit quoque de creta, qualem cæleste figuram
Sidus, & in Græcis litera quarta gerit.
Hæc ubi distincta est gradibus, qui constitit intus,
Quot tetigit virga, tot capit inde nuces.

Tertium lusus genus describit. Et creta pingitur ampla figura triangula, qualem habet apud Græcos Δέλτα majuscula forma scriptum. Eamdem figuram apud Ægyptios cursu suo facit Nilus, unde & loco nomen inditum: & huic similis ostenditur in cœlo super caput Arietis: hac notant tres stellæ, duabus lineis æqualibus, tertia breviore, sed quæ in angulo stellam clariorem habeat, Græci δέλτωτον appellant. In lineis itaque pictis, certis intervallis quos hic gradus vocat, disponuntur nuces. Puer qui stat in medio, jactu virgæ quot tetigerit, tot aufert.

Vas quoque sæpe cavum, spatio distante locatur.
In quod missa levi nux cadit una manu.

Meminit hujus lusus & Persius:

Ex

Ex angusta collo non fallier orca.

Singuli pueri deponunt nuces aliquot in *orcam*, id est, ollæ genus. Deinde ex intervallo singuli per vices petunt os ollæ, qui solus aut frequentius immiserit, aufert omnes nuces.

Felix secreto quæ nata est arbor in agro,
Et soli domino ferre tributa potest;
Non hominum strepitus audit, non illa rotarum,
Non a vicina pulverulenta via est;
Illa suo quæcumque tulit dare dona colono,
Et plenos fructus dinumerare potest.

Commiserationis locum tractat ex comparatione. Fit enim atrocius malum ex comparatione felicitatis alienæ. Unde & comparatio inter amplificationis species numeratur a Rhetoribus. Declarat autem, quantis incommodis afficiatur ex loco: quorum & illud est, quod non licet totum proventum annumerare domino suo. *Ferre tributa.* Fingit enim nucem frugi dominoque fidelem, quo judicatur atrocior injuria. Domino debetur tributum. Et grave est ei, qui bonæ fidei est, non posse quod debet reddere. Pro dona, legendum arbitror, poma. Quod domino fundi debetur, *tributum* appellat. Colono tantum annumerat suos fructus. *Strepitus audit.*] Jucunda imaginatio, audire arbores. *Non a vicina.*] Hoc unum est incommodum. Nam luto & pulvere nonnumquam sterilescunt rami humiliores.

At mihi maturos numquam licet edere fœtus,
Ante diemque meæ percutiuntur opes.

Hic est, ut dixi, pathos ex comparatione. Duplicat autem incommodum, quod nec maturos licet edere, nec plenos fœtus. Alludens ad abortus, quæ præcipua infelicitas est inter fœminas, quoties fœtus immaturus ejicitur. *Ante diem.*] Quod conjunctio durius posita est tertio loco, quasi *ante diem* sit unica dictio, ut *propediem*.

Lamina mollis adhuc, tenero est in lacte quod intra est.
Nec mala sunt ulli nostra futura bono.

Crudelior est injuria, quæ nec illi bono est, qui facit: & gravius est damnum, quod nulli prodest. *Lamina mollis.*]. Putamen durescit maturitate. Est quiddam in nuce, quod discriminet partes nuclei. Id quoque maturitate lignescit. Unde & ante dixit, dilaminat. Vide Plinium libro decimo quinto capite vigesimo secundo. *Tenero est in lacte.*] Succus est lacteus magis, quam nucleus, qualis est in carduis revulsis. *Ulli bono.*] Bonum pro commodo dixit substantive. Inde apud Rhetores: *Cui bono*, fuerit, ut *malo esse*, pro esse incommodo.

Et tamen invenio qui me jaculetur, & ictu
Præfestinato munus inane petat.

Præfestinato.] Id est, præpropero, ante tempus. Quum festino sit verbum neutrum, tamen Poeta festinatum dixit, pro accelerato: & præfestinatum, pro præpropero. *Qui me jaculetur.*] Jaculamur lapidem, aut aliud quod mittimus. Et jaculamur id quod ferimus. Juvenalis:

Quantas jaculetur Monychus ornos.

Plinius libro VIII. de Elephantis: *Pedes eorum jaculantur alioqui mollissimos.*

Si fiat rapti, fiat mensura relicti:
Majorem domini parte viator habes.

Ut undique malum exaggerat. Nunc ex modo rapinæ, non solum fraudatur dominus, sed plus aufert raptor.

Sæpe aliquis foliis ubi nuda cacumina vidit,
Esse putat Boreæ triste furentis opus.

Rursus exaggeratio est ex comparatione. Quatuor sunt mala, quæ calamitatem adferunt arboribus, vis ventorum, quæ nonnumquam totas arbores rumpit ac lacerat, nonnumquam & radicitus evellit. Æstus ingens, frigus immodicum, & grando. Et tamen tantum mali dat viator, ut his rebus imputent hospites. *Ubi nuda cacumina.*] Nam hæ partes maxime sunt obnoxiæ Boreæ. *Furentis.*] Nullus enim ventus violentior. Hic enim dicitur ciere terræ motus. Facete dixit *opus:* Sic enim loquuntur, hoc fecit Boreas, hoc tuum est opus: quum opus proprie dicatur domus, aut statua, aut simile quippiam, quod testetur industriam artemve cujuspiam.

Æstibus hic, hic me spoliatam frigore credit.
Est quoque qui crimen grandinis esse putet.

Ut variavit distributionem. Primum, *Sæpe aliquis:* mox, *hic hic*, pro alius & alius. Deinde est *qui*, pro nonnulli.

At mihi nec grando duris invisa colonis,
Nec ventus fraudi solve geluve fuit.

Duris invisa colonis.] *Duros* vocat, tolerantes malorum. Et hoc epitheton exaggerat injuriam, quod post tot labores, tot incommoda tolerata, grando tollit fructum. *Fraudi.*] Fraus aliquando dolum significat. Apud Jureconsultos aliquoties pro damno accipitur. *Se fraude esto*, dicunt duodecim Tabulæ. *Ne mihi fraudi sit*, id est, ne mihi noceat. Et *fraudare* non est tantum fallere, sed debito commodo privare. *Fraudamus enim debito*, frustramur exspectato.

Fructus obest, peperisse nocet, nocet esse feracem.
Quæque fuit multis, hæc mihi præda malo est.
Præda malo, Polydore, fuit tibi, præda nefandæ
Conjugis Aonium misit in arma virum.
Hesperii regis pomaria tuta fuissent,
Una sed immensas arbor habebat opes.

Repetit locum, quem ante tractare cœperat, eos maxime obnoxios esse injuriis, quibus est quod sit expetendum prædoni. Quoniam autem incalescit oratio, adhibet schemata, quæ faciant ad vehementiam, membra comparia ejusdem verbi iterationem & quod ἀσύνδετον appellant, ejusdem sententiæ repetitionem. Uno carmine ter idem dixit. *Fructus obest.* Id repetit, *peperisse nocet:* repetit tertio, *nocet esse feracem.* Repetit quarto proximo versu, *quæque fuit.* *Prædam* autem vocat, non quod raptum est: sed quod rapi posset. Locum communem tractat ab exemplis fabulosis. Servatur autem eadem compositio, quæ facit ad vehementiam in membris & repetitionibus vocum, & asyndeto. Primus enim versus tribus constat membris, nec intercedit conjunctio: *Fructus obest, peperisse nocet, nocet esse feracem. Præda, præda, præda. Præda malo est.* Sic Latini dicunt *malo esse*, quod nocet: quemadmodum dicunt *bono esse*, quod prodest. Facit & ἀποστροφὴ ad affectum. *Polydore.*] Nota est fabula de Polymnestore, qui Polydorum obtruncat, & auro vi potitur. *Nefandæ conjugis.*] Nota etiam est fabula de Helena per Menelaum bello repetita. *Hesperii regis.*] Tertia fabula est de malis aureis Hesperidum, quæ rapuit Hercules, præter alios, consopito dracone, qui pervigil ea servabat.

At rubus & sentes tantummodo lædere natæ,
Spinaque vindictâ cætera tuta suâ est.

Rursus ex comparatione rem exaggerat. Læditur fructifera & innoxia, & tutæ sunt & infrugiferæ & noxiæ. *Lædere natæ*, Græce dixit potius quam Latine, pro natæ ad lædendum, πεφυκυῖαι βλάπτειν, quamquam Græci πέφυκεν usurpant simili modo, pro *solet*. Simili figura Latini dicunt, *vulgus amat*, pro solet φιλεῖ, quod in Sallustio notat Fabius. Hæc sermonis forma, familiaris est Horatio: *Irasci celerem*, *Eluere efficax.* *Spinaque vindictâ* &c.] *Cætera* dixit, propter varias spinæ species, inter quas sunt & rubus & sentes. *Vindicta.*] Quia vulnerant tentantem attingere. Atqui, nisi mores essent corrupti, conveniebat esse tutiores, quæ nemini nocent, & prosunt quantum possunt.

Me, quia non noceo, nec aduncis vindicor hamis,
Missa petunt avida saxa proterva manu.

Aduncis hamis.] Sunt enim quæ folia habent armata spinis. Ut aquifolia, & ilicum genus. Juniperus spinas habet pro foliis. Pungunt & pinus folia, laricis ac cedri. Rubus cutem habet spinosam. Est & spinæ genus, quod Græci vocant Acanthion, foliis aculeatis per extremitatem.

tem. Sunt quæ ramos etiam ac stirpem habent aculeis obarmatam, ut siler.

Quid si non aptas solem vitantibus umbras,
Finditur Icario cum cane terra, darem?
Quid nisi suffugium nimbos vitantibus essem,
Non exspectatâ cum venit imber aquâ?

Hi versus non uno modo fuerant depravati, pro *vitantibus* scriptum erat *nutantibus*: pro *suffugium*, *suffragium*, reclamante etiam carminis lege. Non solum, inquit, fructifera & innoxia, verum etiam aliis modis commoda sum viatori: videlicet sub umbram meam confugit, quum non tolerat æstum solis, aut quum sub dio subito oborta pluvia occupavit. *Icario cane.*] Hic est Sirius sive προκύων, quod fit in capite stellæ, quæ canis dicitur. In eo signo quum sol est, æstus est vehementissimus. Produnt hunc fuisse comitem Icari, qui domini corpus exstincti prodiderit. Ob hoc officium, meruit locum inter sydera.

Omnia cum faciam, cum præstem sedula cunctis
Officium, saxis officiosa petor.

Sedula.] Id est, pro viribus. Et festiva προσονομασία est, in officium & officiosa.

Hæc mihi perpessæ, domini patienda querela est,
Causabor, quare sit lapidosus ager

Exaggerat miseriam, quod post tantas injurias adeo nihil sit solatii, ut etiam objurgetur a domino, quod ex conjectis saxis, ager sit factus lapidosus. Annota quod *patienda* dixit passive, quemadmodum *causabor*, pro incusabor, sive dicar esse in causa, imitatus Græcam vocem αἰτιῶμαι, nisi forte scriptum erat, causantis.

Dumque repurgat humum, collectaque saxa remittit:
Semper habent in me tela parata viæ.

Hinc aliud accrescit malum, dominus destomachans in nucem, saxa rejicit in viam. Atque ita fit, ut viatori numquam desint tela in nucem. Miserum est autem remedium quod malum alit, non tollit.

Ergo invisa aliis, uni mihi frigora prosunt,
Illo me tutam tempore præstat hiems.

Alludit facete ad id quod diximus, nuces amare solum frigidum. Id torquet ad aliud argumentum. Tanta est, inquit, mea calamitas, ut quod aliis incommodo est, mihi sit remedio majoris incommodi: quemadmodum podagra salutaris est his, qui metuunt paralysim, aut apoplexim, aut morbum comitialem.

Nuda quidem tunc sum, nudam tamen expedit esse,
Nec spolium de me, quod petat hostis habet.

Horrent arbores gelu, & spoliatæ frondibus deformes sunt. Tamen hæc incommoda mavult, quam peti saxis. Exaggeratio est ex collatione malorum.

At simul induimus nostris sua vellera ramis,
Saxa novos fructus grandine plura petunt.

Simul, non idem valet hic quod pariter, sed positum est pro *postquam*, sive *simul ac*. Frondes appellat *vellera*. Metaphora sumpta ab ovibus. Vellus enim a vellendo dictum videtur. *Grandine plura.*] Hyperbole est. Græci dicunt χαλαζηδόν.

Forsitan hic aliquis dicat, quæ publica tangunt
Carpere concessum est, hoc via juris habet.

Status est qualitatis, quo defenditur jus facti. In ea quæ publica sunt, jus est populo. Via publica est. Id refellit trifariam; primum, non statim publicum est, quod est publicæ viæ contiguum. Neque protinus cuivis jus est in rem in publico positam aut publicam. Segetes, oliveta, vineta sunt contigua publicæ viæ, nemo tamen impetit impune. Porta civitatis publica est, transire licet, violare non licet. Merces exponuntur in foro publico, nec ideo licet rapere. Hic incidit status finis: quid sit publicum. Mox juridicialis, sive qualitatis, quid liceat in publicum, quid non. Uti licet, abuti non licet. Atque hisce de rebus varia disputatio est apud Jureconsultos, de sacris, de religiosis, de sanctis, de publicis, de communibus, de his quæ debent servitutem, de occupando vacuo, ad quæ festiviter alludit Poeta:

Si licet hoc, oleas distringite, lædite messes,
Improbe vicinum carpe viator olus.

Refellit a simili. Oleis parcitur, quod maxime lædantur, si quis impetat. In cæteras arbores non æque damnosa injuria. Et ob id hoc exemplum potissimum adducit, quod omnium opinione reprobatum est.

Intret & urbanas eadem petulantia portas,
Sitque tuis muris Romule juris idem.

Nove dixit *tuis muris*, pro in tuos muros. Mœnia sunt inviolata. Nam Romulus ob violata mœnia, fratrem Remum occidit. Ad id allusit Poeta. Nec gratia caret apostrophe.

Quilibet argentum prima de fronte tabernæ
Tollat, & ad gemmas quilibet alter eat.
Auferat hic aurum, peregrinos ille lapillos,
Et quascumque potest tollere, tollat opes.

Facit ad persuasionem exemplorum copia. Tabernæ res ostendunt venales: eæ erant in foro publico. *Argentum* ad fœneratores & colybistas pertinet, atque aurifices. *Gemmæ* ad gemmarios. Ovidius distinguere videtur gemmas a lapillis: alioqui repetisset idem. Rixatur hic Laurentius Valla adversus Jureconsultos lib. VI. cap. CCCCLXXXIV. Nec satis explicat sese, mea sententia. Cui vacat, excutiat locum. Mihi satis est indicasse.

Sed neque tolluntur, nec dum reget omnia Cæsar,
Incolumis tanto præside raptor erit.

Mire per occasionem adulatur Cæsari. Est autem argumentum ab eventis: Non licet, quia Cæsar punit, hunc præsidem juris vocat. Olim Cæsares maximam orbis partem obtinebant: horum partes erant, arcere vim ac publicam tueri justitiam. Post cœperunt esse Cæsares, sub quibus summa esset rapiendi licentia. Nam Octavius, cui hic assentatur, opinor, Ovidius, talis fuit, ut possit inter bonos & æquos recenseri.

At non ille Deus pacem intra mœnia finit,
Auxilium toto spargit in orbe suum.

Occurrit objectioni tacitæ. In civitatibus Cæsar prohibet rapinam, in viis publicis non item. At fœda adulatione Deum vocat, sed hunc Deum sensit sibi male propitium. Verum id tolerabilius videbitur, si quis reputet & nunc esse, qui sic adulentur Principibus. Novi quemdam Astrologum Italum in Anglia, qui sic exorsus est suam ad Regem præfationem, *se duos habere Deos, unum cælestem, alterum terrestrem.* Emphaticôs autem dixit, *auxilium.* Nihil enim aliud esse deberet potestas Monarcharum, quam prodesse. Juxta illud, *Deus est juvare mortalem.*

Quid tamen hoc prodest, media si luce, palamque
Verberor, & tutæ non licet esse nuci?

A digressione redit ad institutam querelam. Est autem exaggeratio a tempore & loco & persona. Injuria est verberari, præsertim luci ac palam, tum in via publica, contempto Cæsare. Eleganter autem dictum: *Non licet esse tutæ*, pro eo quod erat, non licet esse tutam. Nam utrumque frequens est. Rarius est tertium: Non licet esse tuta.

Ergo nec nidos foliis hærere, nec ullam
Sedibus in nostris stare videtis avem.
At lapis in ramo sedit quicumque bifurco,
Hæret & ut capta victor in arce manet.

Ne quid omitteret argumentorum, hinc quoque colligit improbitatem viatorum, quod ob densitatem saxorum, nullæ aves nidulentur in ramis ipsius: quod tamen pro-

A probabilius est accidere, ob nativam amaritudinem foliorum & corticis, gravemque nidorem. Est autem hoc Poetis peculiare, ex his quæ naturalibus causis fiunt, ducere occasionem fabulæ. Veluti si quis dicat Deum offensum vitiis hominum sumpsisse fulmen, quum ex causis naturalibus id accidat. Atque interim tractat probationem conjecturalem a signis adjunctis. Nidus non est, lapis hæret. Cujus generis est & illud quod sequitur.

Cætera sæpe tamen potuere admissa negari,
Et crimen vox est inficiata suum.
Nostra notat fusco digitos injuria succo,
B *Cortice contactas inficiente manus.*

Cortex juglandis adhibetur etiam tingendis lanis & rufandis capillis, auctore Plinio, & ex contactu remittit colorem. Cruor autem hærens in veste, aut gladio aut manu, conjecturale est signum admissi homicidii. Huc alludens, subjicit:

Ille cruor meus est, illo maculata cruore,
Non profectura dextra lavatur aqua.

Cruor ablui potest. Color ex juglande contrectata, dictu mirum, quam hæreat. Vix enim sapone aut nitro diluitur.

C *O ego quum longæ venerunt tædia vitæ,*
Optavi quoties arida facta mori!

Quod superest, in affectibus consumitur, quamquam magna pars carminis habet affectus. Refertur & vivacitas arborum, & ætates observantur. Vide Plinium lib. XV. cap. ultim. Huc alludens Ovidius, ait: *Longa tædia vitæ.* Tragicum & extremæ calamitatis votum est, optare mortem. Exarescunt autem arbores nonnumquam senio: sæpius & morbo & vitio.

Optavi quoties aut cæco turbine verti,
Aut valido missi fulminis igne peti.

D Tragicæ sunt imprecationes. *Vel pater omnipotens adigat me fulmine ad umbras.* Turbo qui nascitur ex variis ventis inter se concurrentibus, totas arbores aut evertit radicitus, aut rumpit medias: aut sublatas in altum, tollit in alium locum. Ideo appellat *cæcum*, quod insano tumultu ruat, quemadmodum & *cæcum amorem* dicimus, & *cæcum furorem.* Neque raro videmus arbores fulmine tangi, nonnumquam & totas conflagrare sylvas.

Atque utinam subitæ raperent mea poma procellæ,
Vel possem fructus excutere ipsa meos!

E *Procella* tam ventorum est, quam fluctuum, a percellendo. Ventus enim vehementior frequenter excutit mala piraque, sed juglandes tenacius hærent affixæ ligno, nec temere nisi pertica decutiuntur. Ac cæteri fere fructus permaturi sponte decidunt, velut excutiente arbore. Optat & sibi idem licere.

Sic ubi detracta est a te tibi causa pericli,
Quod superest tutum, Pontice castor, habes.

F A multis auctoribus proditum est, fibrum sive castorem animal ἀμφίβιον, quod & in aquis degat & in terris, in periculo venatus sibi testes amputare dentibus, quod intelligat se potissimum hac de causa peti, quia testes habeant vim medicandi: unde & castoreum. Auctor Plinius libro VIII. capite XXX. [1] Sestus tamen apud Plinium libro XXXII. capite III. negat id esse verum, quod hoc animal testes habeat pusillos ac lumbis substrictos, nec posse avelli, nisi cum vita. Scripsit & hæc Naso libro de naturis & ingeniis piscium, cui titulum fecit ἁλιευτικά, quod opus utinam nobis exstaret loco Oppiani. Citatur a Plinio libro trigesimosecundo capite secundo. Arbores vivunt, juxta Pythagoram, & animam habent, sed stupentem: ideo motu carent quemadmodum & illa quæ vocantur adhæsa, & spongiæ. Deplorat igitur, quod quum videat ictum venturum, non liceat motu corporis declinare.

[1] Legendum *Sextius.*

Quid mihi tunc animi est, cum sumit tela viator,
Atque oculis plagæ destinat ante locum?
Nec vitare licet, moto, fera vulnera, trunco,
Quem sub humo radix, curvaque vincla tenent.

Nihil magis facit ad movendos affectus, quam quum res subjicitur oculis. Viator, qui facit iter. Viator, qui vocat ad magistratum, aut qui ab his aliquid nunciat. Tela vocat saxa, & plagas vulnera, ne recedat a metaphora. *Destinat*, designat: *destinamus* animo, *destinamus* oculis. Miserum est prævidere vulnus, nec posse vitare.

Corpora præbemus plagis, ut sæpe sagittis,
Cum populus manicas deposuisse vetat.

Ex comparatione rem facit atrociorem. Miserabile supplicii genus est, quum reus vinctus exponitur sagittis populi. Videt intendi sagittam in vitalia, velut in scopum, & tamen non licet flexu corporis vitare ictum. *Manicas.*] Vincula manuum sunt, quibus reus alligabatur palo. Virgilius:

Manicas atque arcta levari
Vincla jubet Priamus.

Hoc supplicii genus debetur odio populi: Mitius erat in solutum sagittas mittere. Ut autem reus alligatus manicis, non potest vitare sagittas, ita nux alligata radicibus quas vincula appellat, cogitur exspectare telum viatoris.

Utve gravem pavida est ubi tolli vacca securem,
Aut stringi cultros in sua colla videt.

Alligatur & bos mactandus, qui quum videat securim libratam in caput, non potest vitare: quum cultros parari in jugulum non potest se subducere. Levior est miseratio ejus, qui data facultate fugiendi, aut defendendi sui occiditur.

Sæpe meas frondes vento tremuisse putastis,
Sed metus in nobis causa tremoris erat.

Vehemens metus gignit pallorem ac tremorem. Pallorem huic arbori non potuit tribuere. Tribuit *tremorem*, ut quod nonnumquam fit ex ventis, affirmet fuisse timoris.

Si merui videorque nocens, excidite ferro,
Nostraque fumosis urite membra focis.
Si merui videorque nocens, imponite flammæ,
Et liceat miseræ dedecus esse semel.

Quorum deplorata malitia est, capitis supplicio velut amputantur a corpore civium, in arboribus deploratis duplex est pœna capitis. Aut enim *exciduntur*, ut admoveantur focis: si non est tanti, exuruntur injecta flamma, ut vestigium exustæ testetur fuisse noxiam. Crudelitas autem supplicii facit ad affectum. Facete vero ramos dixit *membra.* Et *fumosis focis*, epitheton non solum facit ad evidentiam, verum ad affectum. Tales fere sunt foci rusticorum. Et repetitio: *Si videor*, convenit affectui. *Imponite flammæ.*] Forte legendum, *imponite flammam*, ut intelligatur arborem succisam exuri. Id si non placet, intelligamus illam excisam, illic exuri ubi nata est. Vide num sic possit intelligi, urite *fumosis focis*, id est, suspendite in fumo. Solent enim illic durari materiæ sectæ. Maro in Georg. *Et suspensa focis exploret robora fumus. Dedecus.*] Ignominia est, affici supplicio. Sed miserius est, quotidie pati, quod est supplicio crudelius.

Si nec cur urar, nec cur excidar habetis,
Parcite, sic cœptum perficiatis iter.

Si nocens sum, nullum recuso supplicium: sin innocens, abstinete ab injuria.

Sic cœptum.] Addit religionem imprecationis. Viatori multa imminent pericula in itinere. Precatur autem ita felix iter, si abstineant ab injuria innocentis. Sic vobis innoxiis nemo noceat, quemadmodum mihi parcitis: subindicans esse periculum, ne si impetant innocentem, exoria-

exoriatur qui exemplum in ipſos retorqueat. Vetus eſt A proverbium, More cariſſime, ἅλις δρυός. Vereor autem, ne quis nobis jamdudum occinat, ἅλις καρύου. Proinde finem faciemus, ſi prius amoverimus unum ſcrupulum. In multis idem eſt nomen arboris & fructus, quemadmodum nux, oliva: niſi forte oleam mavis eſſe arborem, olivam fructum: in aliis diverſa ſunt vocabula, ſicut quercus & glans, vitis & uva. In plerìſque genus diſtinguit fructum ab arbore: ut, hæc ceraſus, hoc ceraſum: &, hæc malus, hoc malum. Jam quod fit in nuce, idem an accidit in cognomentis, videndum eſt. Corylus arbor eſt, cujus fructus dicitur avellana. Et Perſica nux dicitur fructus, an & arbor dicatur Perſica nux, nondum ſatis conſtat. Certe non videtur convenire, ut juglans dicatur arbor. Etenim ſi juxta nominis etymologiam, juglans dicitur quaſi Jovis glans, quum arbores glandiferæ dicantur non glandes, videtur juglandis vocabulum non competere niſi in fructum. Sed diverſum docet veterum auctoritas. Plinius libro viceſimo quarto capite primo: Quercus, inquit, & olea tam pertinaci odio diſſident, ut altera alterius ſcrobe depactæ moriantur, quercus vero & juxta nucem juglandem. Dubitari non poteſt, quin hic juglandem dicat arborem. Idem libro vigeſimo ſexto capite quadrageſimo primo. Cariem vetuſtatemque non ſentiunt, cupreſſus, cedrus, habenus, lotos, buxus, taxus, juniperus, oleaſter, & olea. Ex reliquis tardiſſime larix, robur, ſuber, caſtanea, juglans. Ejuſdem libri capite trigeſimo nono. Aquas odere cupreſſi, juglandes, caſtaneæ. Rurſum libro decimo quinto capite vigeſimo ſecundo, quem locum alibi citavimus.



D E-

DESIDERII ERASMI
ROTERODAMI
EPIGRAMMATA.

ILLUSTRISSIMO PUERO

DUCI HENRICO,

DESIDERIUS ERASMUS ROTERODAMUS

S. D.



MEMINISSE DEBES, *Henrice Dux Illustrissime, eos qui te gemmis, aurove honorant, dare primum aliena, quippe fortunæ munera, præterea caduca, deinde qualia quam plurimi mortales possint elargiri, postremo quæ tibi ipsi domi abundent, quæque donare aliis quam accipere, magno Principi longe sit pulcrius. At qui carmen suo ingenio, suis vigiliis elucubratum, nomini tuo dicat: is mihi non paulo præstantiora videtur offerre: utpote qui non aliena, sed propria largiatur, nec paucis annis intermoritura: sed quæ gloriam etiam tuam immortalem queant efficere, tum ea quæ perquam pauci possint donare, (neque enim pecuniosorum & bonorum Poetarum par copia) denique quæ non minus sit Regibus pulcrum accipere, quam remunerari. Et opibus quidem nemo non Regum abundavit, nominis immortalitatem non ita multi sunt assequuti, quam quidem illi pulcerrimis facinoribus emereri possunt, at soli vates eruditis carminibus præstare. Siquidem & ceras, & imagines, & stemmata, & aureas statuas, & incisos in æs titulos, & operosas pyramidas, longa annorum series demolitur. Sola Poetarum monumenta, ipsa ætate, quæ res omnes debilitat, invalescunt. Quod prudenter intelligens Alexander ille cognomento Magnus, a Cherylo Poeta, non admodum sane bono, singulos versiculos tolerabileis, singulis Philippicis ex pacto redimebat: prospiciebat nimirum & Apellis tabulas, & Lysippi statuas, paucis annis interituras, nec quicquam omnino fortium virorum memoriam æternam posse reddere: præter immortalitate dignas, eruditorum hominum literas: nec ullum esse gloriæ genus sincerius, ac præstantius, quam quod a posteris virtuti datur hominum, non fortunæ, non ab amore, non a metu, non ab assentatione, sed libero judicio profectum. Age jam qui malos versus tam care prodigus emit, nonne optet Homericos non singulis aureis, sed singulis urbibus emercari? Quem quidem Poetam, & in deliciis habuisse, & Achilli invidisse legitur, beatum illum pronuncians, non solum virtute, sed potissimum tali virtutum suarum præcone. Quamquam non me clam est, hac nostra memoria, Principes plerosque literis tam non delectari, quam eas non intelligunt: qui utrumque juxta ineptum existimant, imo pudendum, optimatem virum, vel scire literas, vel a literatis laudari: quasi vero sint ipsi, vel cum Alexandro, vel cum Cæsare, vel omnino cum ullo veterum, aut gravitate, aut benefactorum gloria conferendi. Ineptum putant a Poeta laudari, quia desierunt facere laudanda, nec tamen a gnatonibus suis laudari refugiunt, a quibus rideri se, aut sciunt, aut id si nesciunt, stultissimi sint oportet. Quos quidem ego vel ipso Mida stolidiores judico, qui asininis auriculis deturpatus est, non quod carmina contemneret, sed quod agrestia præferret eruditis. Midæ itaque non tam animus defuit, quam judicium; at his nostris utrumque. A quorum stultitia quum intelligerem generosam tuam indolem vehementer abhorrere, Dux Clarissime, eoque jam nunc a puero tuos conatus spectare, ut non tam tuorum temporum, quam veterum similis evadere cupias, non veritus sum hunc qualemcumque Panegyricum nomini tuo nuncupare. Qui si tuæ Celsitudini, longe impar (ut est) videbitur, memineris facito & Artaxersem Regem præstantissimum aquam a rusticano quodam operario, quam ille manu utraque haustam, obequitanti obtulerat, hilarem, subridentemque accepisse, & ejusdem nominis alium (ut opinor) pro malo, a pauperculo quopiam allato, perinde, ut pro magnificentissimo munere gratias egisse, ratum videlicet, non minus esse Regale parva prompte accipere, quam magna munifice elargiri. Quid? nonne etiam Superi ipsi, qui nullis mortalium opibus egent, ita muneribus hujusmodi delectantur, ut contempta interim divitum Hecatombe, rusticana mica, & thusculo paupere placentur, animo nimirum offerentis non rerum pretio, nostra donaria metientes. Et hæc quidem interea tamquam ludicra munuscula tuæ pueritiæ dicavimus, uberiora largituri, ubi tua virtus una cum ætate accrescens uberiorem carminum materiam suppeditabit. Ad quod equidem te adhortarer, nisi & ipse jamdudum sponte tua velis, remisque (ut ajunt) eo tenderes, & domi haberes Skeltonum, unum Britannicarum literarum lumen ac decus, qui tua studia possit, non solum accendere, sed etiam consummare. Bene vale, & bonas literas splendore tuo illustra, auctoritate tuere, liberalitate fove.*

DE.

DESIDERII ERASMI ROTERODAMI
EPIGRAMMATA.

Ode Erasmi Roterodami de Laudibus Britanniæ, Regisque Henrici Septimi, ac Regiorum Liberorum, carmine Hexametro, & Iambico Trimetro Acatalectico.

BRITANNIA LOQUITUR. [A]

SI jactare licet magnorum munera Divûm,
Sibique veris fas placere dotibus,
Cur mihi non videar fortunatissima tellus?
Digna est malis, bona quæ parum novit sua.
India, Ultima lanigeris animosa est India lucis,
Arabia Suis superbus est Arabs odoribus,
Panchaia Thuriferis gaudet Panchaia dives arenis,
Tagus. Ibera flumen terra jactat aureum.
Nilus. Ægypto faciunt animos septem ostia Nili,
Vina Rheni. Laudata Rheni vina tollunt accolas.
Africæ fertilitas. Læta nec uberibus sibi displicet Africa glebis,
Hæc portubus superbit, illa mercibus.
At mihi nec fontes, nec ditia flumina desunt. [B]
Angliæ dotes. Sulcive pingues, prata nec ridentia.
Fœta viris, fœcunda feris, fœcunda metallis.
Ne glorier, quod ambiens largas opes.
Temperies. Porrigit Oceanus, neu quod nec amicius ulla
Cœlum, nec aura dulcius spirat plaga.
Angliæ longi dies. Serus in occiduas mihi Phœbus conditur undas,
noctes lucidæ. Sororque nocteis blanda ducit lucidas.
Possem ego laudati contemnere vellera Betis,
Lana Angliæ. Ubi villus albis mollior bidentibus?
Miracula Angliæ. Et tua non nequeam miracula temnere, Memphi.
Verum illa major, justiorque gloria,
Quod Latiis, quod sum celebrata Britannia Grajis,
Alter mundus Anglia. Orbem vetustas quod vocavit alterum. [C]
Non tamen hæc jacto: nam sunt antiqua, sed inde
Attollo cristas, ac triumpho serio,
Regis Henrici laudes. Quod mihi Rex pulcri pars est pulcerrima regni.
Rex unicum hujus sæculi miraculum.
Artes belli & pacis. Instructus pariter Martisque, & Palladis armis,
Belli peritus, pacis est amantior.
Regis moderatio. Indulgens aliis, sibi nil permittit, habenas
Suis relaxans civibus, stringit sibi.
Hoc regnum ille putat, patriæ carissimus esse,
Regis clementia. Blandus bonis, solis timendus impiis.
Non Deciis sua Roma, suo non Attica Codro,
Pluris fuit, fatis redempta mutuis. [D]
Regis in patriam pietas. Numinis ac cœli tanta est reverentia, quanta
Nec erat Metello, nec marito Ægeriæ.
Regis religio. Non mellita magis Pylio facundia Regi.
Regis facundia. Nec Cæsari mens major, aut sublimior,
Nec Mæcenati, vel dextra benignior umquam
Vel sanguinis tam magna parsimonia.
Regis liberalissimi summa sanguinis parsimonia. Creditus Æneas Veneris de semine cretus.
Dictus parente Scipio satus Jove.
Quid si prisca meum vidissent sæcula Regem,
Hoc ore tam decente, tali pectore?
Nonne Jovem humanis ipsum succurrere rebus,
Nostro latentem credidissent corpore?
Atque hic semper erit magni mihi numinis instar [E]
Meus hic Apollo sæculi pater aurei.
Alludit ad assertum imperium. Hoc oriente meis gens ferrea cessit ab oris,
Fraudes reversa Astrea distulit malas.
Non secus, ac toto vanescunt sydera cœlo,
Alludit ad victum eum qui se Regis filium ementiebatur. Simul ore Titan emicavit igneo.
Claudere jam Janum fas est, jam ducere longas
Custode rerum tam potente ferias.
Me miseram, cur huic æternos Juppiter annos
Non addidisti, cuncta quum donaveris?
Nolunt nostra suis æquari numina regnis.
Pax Angliæ. At si qua magnos vota tangunt cœlites, [F]
Serus sydereas certe referatur in arces,
Optat Regi immortalitatem. Fatale sera stamen amputet Atropos.
Finiit Alcides speciosos morte labores,
Debetur altum Regibus cœlum bonis.
Hunc repetant Superi, sed tum, quum Nestoris ævum,
Ubi senectam vicerit Tithoniam.
Et vivet tamen usque mihi, dum Regia proles.
Laus quinque Regis liberorum. Referet parentis nomen, os, & indolem.
Quæ mihi purpureis jam quina adolescit in aulis
Regum futuri tres patres, matres duæ.
Comparatio de rosis Pestanis. Non aliter pictis Pesti vernantis in hortis,
Almo nitentes rore pubescunt rosæ,
Formosæ Veneri flos acceptissimus, & quo
Nec spirat alter, aut renidet blandius,
Rosæ laudes. Nec cui nexilibus sit gratia tanta coronis,
Ambire solis Regiam dignis comam.
Hic ubi cultoris lasciva industria docti,
Miscere gaudet punicanteis candidis.
Rubra rosa & alba. Plurimaque in spina rutilat rosa, & albicat, una
Ut lacteum, si murici jungas ebur.
Omnibus idem odor est: ros omneis educat idem:
Eadem juventa: forma par, idem frutex.
Atque eadem Tellus succo nutricat eodem.
Foventur auris iisdem, eodem sydere.
Rosa Edmundi. Sunt duo, quæ variant cognataque germina pulcros,
Ætas, colorque dividunt discrimine.
Hæc modo nata, latet prope cortice tota virenti,
Tenuique rima tenera lucet purpura.
Rosa Mariæ. Hæc nivei tantum fastigia protulit oris,
Sensim at dehiscens turgidos rumpit sinus.
Rosa Henrici. Exerit hæc totum discissa veste mucronem,
Clausas minata jam comas exsolvere.
Rosa Margaritæ. Illaque lacteolos nondum exinanivit amictus,
Vix credit auris tam rudes adhuc opes,
Candida sed tenui suffunditur ora rubore:
Seu fratris hic est, sive syderis color.
Maxima ter seno foliorum gaudet honore,
Rosa Arcturi. Tyrio micantes explicans ostro comas.
Non sic lana rubet bis concha imbuta marina,
Non sic Eois Phœbus emergens aquis.
Nec solum arridet pulcro venientibus ore,
Luteola sed jam pollicetur semina.
Arcturi laus. Hic meus Arcturus, qui nominis omine felix,
Virtute reddet, quem refert vocabulo.
Arcturi indoles. Adspice quod specimen generosæ frontis in illo est,
Ut lucet oculis vividus mentis vigor.
Arcturi præmatura prudentia. Præcoqua nec tardam exspectat sapientia pubem,
Prævertit annos indoles ardens suos.
Talis Iesides, illique simillima proles,
David puer. Hic quum timendas dissecat puer feras.
Salomon puer. Hæc quando ancipitem potuit dissolvere litem,
Malamque fraudem, fraude docta prodere.
Margarita laus. Proxima consequitur Nymphe quæ nomina ducit
Ab unione, Persici fœtu maris.
Omine delector, blando candore lapillus
Unionis natura. Placet: pudore Margarita lacteo.
Hic teres est, nec inæquali levore rotundus,
In Margaritæ moribus scabrum nihil.
Est nova cum liquido gemmæ cognatio cœlo,
Claret sereno sole, pallet nubilo.
At mea virgo piis est addictissima Divis,
Cœlumque mavult, quam vagum pelagus sequi.
Hanc qui cum sociis vidisset ludere Nymphis,
Habilique fratrem tela torquentem manu,
Aureus hic Phœbus, soror hæc argentea Phœbi est,
Per ipsa juret alma Phœbi lumina.
Henrici laus. Jam puer Henricus genitoris nomine lætus,
Monstrante fonteis vate Skeltonq sacros.
Palladias teneris meditatur ab unguibus arteis,
Quam multus illi lucet in vultu pater,
Talis in Ascanio renitebat imago parentis,
Sic pulcram Achilles ore reddebat Thetin.
Mariæ laus. Nescio quid Maria præclari spondet ab ipso
Numquam occidentis syderis cognomine.
Edmondi laus. Sed cunas Edmonde tuas, quo carmine dicam?
Adeste plectris huc Sorores aureis,
Et puero fidibus placidos accersite somnos,

Ac Fescenninis insonate versibus.
Muneribus blandis cunabula spargite Nymphæ,
Aggerite, quicquid est odori graminis.
Ambrosiam, casiam, calthamque, thymumque, crocumque,
Et Syra amôma, nec insuavem amaracum.
Tum florum mille species, ac mille colores,
Sed plurima omneis inter ardeat rosa.
Hanc turbam, hanc niveam pulcris miscete corollis,
Gaudet paternis parva proles floribus.
Vos precor ô, puero date vellera candida, Parcæ,
Eatque fausto molle stamen pollice.

DESIDERII ERASMI ROTERODAMI AD

GAGUINUM, NONDUM VISUM,

Carmen Hendecasyllabum.

ALLOQUITUR MUSAS SUAS.

QUid dum mittimini verenda ad ora
Gaguini, laceræ ac leves Camœnæ,
Restatis trepidæque, pallidæque,
Nec non Parmeno uti Terentianus
Causas nectitis, ecquis? ecquid? ecquo?
Vos solas adeo, fugit Roberti
Nomen, scripta diserta, cujus ingens
Novit, suspicit, ac adorat orbis?
Ergo nos humilesque barbaræque
Ad tanti patris irruemus, altas
Docti, nobilis, ac potentis ædes?
Magna est rusticitas, nihil pudere,
Summa est rusticitas, nimis pudere.
Ecquem fingitis obsecro Robertum?
Personam tragicam? cavete cultum
Tam raris studiis, & expolitum,
Vulgi moribus æstimare pectus.
Sunt fastidia tetra Barbarorum,
Sunt commercia Gratiis solutis,
Cum blando Aonidum choro sororum.
Vanum ponite pectoris timorem,
Et doctum celeres adite vatem.
Vos quamvis humilesque Barbarasque
Blando comiter ille, candidoque
Exceptabit (ut est benignus) ore.
Si dictaque salute, redditaque
Percontabitur illico, unde? cujæ?
Ne crassum pudeat solum fateri.
Obscurive vocabulum magistri,
Si quid veneritis rogabit, hoc oratum, carminis hujus ut Poetam
Commendatum habeat, suumque scribat.

In Annales Gaguini, & Eclogas Faustinas, ejusdem carmen ruri scriptum, & Autumno.

NUper quum viridis nemoroso in margine ripæ
Irrigua spatiarer in herba.
Errabam tacitæ per amica silentia sylvæ,
Dulci tactus corda furore.
Jam nemora & fontes, jam rustica vita placebat:
Turbam, & fumida tecta peroso.
Cumque Marone meo, gelidis in vallibus Hæmi
Sisti terque quaterque precabar.
Quum subito affulgens, Venerique simillima pulcræ,
Obvia fit tua, Fauste, Thalia.
Protinus illa oculis est eminus agnita nostris,
Comi arrisit molliter ore.
Ut coram stetit, ecquid agit meus, occupo, Faustus?
Quidve decus commune Gaguinus?
Vivit uterque, & uterque suo devinctus Erasmo,
Aut eadem, aut meliora precatur.
Gaudeo: verum age dic, quidnam molitur uterque?
Quod cantet schola Franca, legatve?
Quæ reor a tam ditibus atque feracibus arvis,
Jamdudum annua munera sperat,
Autumnumque suum? primum tuus ille Robertus
Exæquat sermone soluto
Stemmata Francorum, & decus, & fera prælia Regum.
Jam nihil est, quod Gallia docto
Invideat Latio, suus ipsi contigit alter
Livius, ac Sallustius alter.
Quid tuus ille parat vates? quonam monumento
Faustum nigris invidet umbris?
An silet, alterna cupiens recreare quiete
Longis hausta laboribus arva?
Ille quidem felix agit otia, qualia quondam
Scipiades agitare solebat,
Urbe procul, tacitis solus, neque solus, in agris
Otia pulcri plena negoti.
Quippe inter colles, vinetaque Gallica solus,
Parrhisiis vagus errat in agris.
Sunt comites pingui gaudentes rure Camœnæ,
Illic raptus Apolline toto,
Et sese, & Musis dignum, Phœboque poema
Agresti meditatur avena.
Quale nec æquari doleat sibi Tityrus ipse,
Qui patulæ sub tegmine fagi,
Sylvestrem tenui tentabat arundine musam.
Quale trahat, camposque, pecusque,
Quale queat rigidas deducere montibus ornos,
Sistere flumina, flectere saxa.
Reddere quale queat placidos tigresque luposque,
Quale feros evincere manes.
Denique (quod proprie tecum lætabere) castum,
Nulla hic Livia, nulla Columba.
Nusquam hic formosum Corydon ardebit Alexin.
Phyllis toto in carmine nulla.
Quod neque Sorbonæ nequeat censura probare:
Et multos habet illa Catones.
Quod neque Grammaticus teneræ dictare juventæ,
Plagoso vereatur in antro,
Nec tetrico Hippolytum pudeat recitare parenti.
Felicem ter & amplius illum,
Quisquis Faustina dicetur arundine Gallus,
Vel Varus, vel Pollio quisquis,
Vivet, & æternum pulcro cum carmine notus,
Quadrifido cantabitur orbe.

Ejusdem in morbo de fatis suis querela.

MIror, quæ mihi sydera
Nascenti implacido lumine fulserint,
O Gaguine meum decus.
Nam seu jure aliquo nostra negotia
Ignes ætherei regunt,
Me primum teneras lumen ad insolens
Edentem querimonias,
Nec mitis rutilo sydere Juppiter
Adspexit, neque prospera
Arrisit radiis mi Venus aureis.
Tantum Mercurius celer
Adfulgens nitidis eminus ignibus,
Adflarat sua munera.
Sed stella vetuit falcifer invida,
Vulcanique minax rubens
Rivalis, calidus cum gelido sene.
Seu tres terrigenûm Deæ
Fortunas triplici numine temperant,
Sum durissima stamina
Sortitus: volucrem seu potius Deam
Versare omnia credimus,
Hanc in perniciem certe ego dejerem
Conjurasse meam miser.
Felicis mihi nec fata Polycratis,
Nec Syllæ precor improbus.
Arpinas toties Consul, iniquius
Fortunam insimulat suam,
Quæ tot prospera, tot dulcia, paululo
Fermento vitiaverit.
Ingrate ille quidem rusticus, ac foro
Rerum nescius utier,
Alternas dominæ qui queritur vices,
Sat felicem ego judico,
Qui præsentia lenire potest mala,
Actis prosperius memor,

Ac

Ac sperare iterum jam fore, quod fuit.
At me matris ab ubere
Fati persequitur tristis & asperi
Idem ac perpetuus tenor.
In me crediderim proruit improbi
Pyxis tota Promethei,
Et quicquid stabulat triste vel asperum,
Nigri in limine Tartari.
Heu quod simplicibus vatibus invidum
Numen, quis genius malus,
Quæve infesta novem Juno sororibus,
Sic nostrum caput impetit?
O fatis genite prosperioribus
Bis Gaguine meum decus,
Hunc si tu minime temnis amiculum,
Non totus fuero miser,
Nec cedent gravibus pectora casibus.

Arx vulgo dicta Hammensis.

ME quia sim non magna, cave contempseris hostis,
Arx Tarpeja Remi non mage tuta fuit.
Quam bene defensat primum hic qui sustinet agger.
Tum quæ me cingit non inamœna palus.
Ista quidem omnigenos mihi commoda servit in usus,
At subito insusis quam volo stagnat aquis.
Jam vero ut cesset vigilum custodia pernox,
Stertat ut aerea Lynceus in specula,
Attamen excubias grus officiosa diurnas
Intus, nocte foris pervigil anser agit.
Grus neque docta, nec admonita, speculantis ad æra
Responsans, acri clangit in astra tuba.
Et procul insidias (nam præsentire videtur)
Fida, sono vigili prodit & arcet avis.
Anser item non doctus, obit sua munia, quum fas
Pabulat, & nota ad symbola rursus adest.
Ast ubi vicino se condidit æquore Titan,
Milite tum denso mœnia nostra subit.
Partiturque aliquis mira arte locosque, vicesque
Quive ætate prior, sorteve lectus erit.
Nec cedunt statione sua, dum rursus ab undis
Emicet, & clarum lux agat alma diem.
Adde quod hic miles tam fidus & impiger annos
Complures, nullo jam meret ære mihi.

In Filiam Beke, quod sonat rivum lingua nostrate.

SUm Gulielma, patre Arnoldo cognomine Beka, is
Juris fons gemini, non modo rivus erat.
Cui gener, Antoni, placuisti ex omnibus unus,
Isbrandum referens ore animoque patrem.
Nec minus est mea vita tibi, quam forma probata,
Templa, domus, proles, hæc mea cura fuit.
Quatuor enixam pueros, totidemque puellas,
Mors rapit, intra ævi septima lustra mei.
Lector age huic requiem, cinerique, animæque precatus,
Vive diu, imo diu est hic nihil, ergo bene.

Epitaphium Margaretæ Honoræ.

HIc sita Margareta est, merito cognomine Honora,
Fiscini tædis digna Guilelme tuis,
Quam bene congruerant, & forma, & pectus, & anni,
Et ne morte quidem dissoluendus amor.
Rapta sed est viridis primævo in flore juventæ,
Ut rosa lacteolis semadaperta comis.
Dimidius superest dulci sine conjuge conjunx
Mœrens, ut viduus compare turtur ave.

Episcopo Trajectensi David, notho Philippi Ducis Borgondionum.

HIc situs est Præsul, non tantum nomine David,
Digna patre, proles, magne Philippe, tua.
Iste gregem plus quam patria pietate fovebat,
Pacis amans, virtuti ingeniisque favens.

Eidem.

HIc David ille Duci proles jactanda Philippo,
Commissum patrio fovit amore gregem.

Jacobo Batto, Græco dimetro Jambico.

Ἰάκωβε Βάτ̓λε, θάρσεο,
Καλῶς θανὼν παλιμφύει.

Iidem Latini Versus.

JAcobe Batte, ne time,
Bene moriens renascitur.

In tergo codicis Battici.

SUm Batti, qui me manibus subduxerit uncis,
Huic ne quo Battus desuat opto loco.

Duo salina argentea Abbati cuidam dono missa, a Monialibus monasterii vulgo dicti Vallis Virginum.

VIrginea de Valle, duo sine labe salilla
Adsumus, hanc mensam non nisi pura decent.

In altero Salino.

VIrginitas nitor argenti, sapientia sal est:
Virgo dat argentum, tu, pater, adde salem.

In sex tintinabula restituta, quæ fulmine conflagrarant.

COncinimus sex æra, at ego cui maxima vox est,
Alpha & Ω Triadi rite dicata vocor.
Nos, ædemque sacram, Scasti pia cura Girardi
Præsulis, absumptam fulmine restituit.

In tintinabulum Mariæ sacrum.

ÆNea mi vox est, ac sic nulla ænea vox est,
Ut par Christiparæ laudibus esse queat.

In idem.

MAria nomen inditum est mihi mutuum,
Qua Trinitati nil se det vicinius.

Tertium Baptistæ sacrum.

VOx clamantis erat, cujus gero nomina, plebem
Ad Christi cultum nocte dieque voco.

Quartum Petro sacrum.

PEtro sacra fugo cacodæmonas, arceo fulmen,
Funeraque, & festos cantibus orno dies.

Quintum Magdalenæ sacrum, Scazon.

SUm Magdalenæ, juvit impium fulmen,
Meliora quando cuncta dat pius præsul.

Sextum omnibus Sanctis sacrum.

EXilis mihi vox, sed quæ ferit eminus aures,
Dat mihi cœlicolûm nomina tota cohors.

Aliter.

NOn mihi Dodones, non æra profana Corinthi
Certent: nam cunctis tinnio cœlitibus.

In Aulicum quemdam Clero infestum.

URsalus ecce Midas, sed Lydo stultior illo,
Se properat quovis nobilitare modo.
Et furit in Clerum, capit hinc exordia famæ,
Eque Mida subito vertitur in Phalarim.
Sic quondam exusto peperit sibi nomina templo
Credo auctor generis Græculus ille mali.
Tam stolidam mentem nullis aboleveris undis:
At rabiem solus tollere mucro queat.

In eumdem.

TAm stolidum credo nec te, Mida, pectus habebat,
Malce, nec in Clerum tam violentus eras,
Quam quidam, non est sententia dicere nomen,
Nam famam affectat qualibet ille via.
Huic utinam aut aliquis asininas addat Apollo
Aut ambas Petrus demetat auriculas:
Aut certe crepet ipse magis, faciatque paterni
Quod cognomenti syllaba prima monet.

In eumdem.

BAcchanti in Clerum tibi dixerat Ursale quidam
Et jus Cæsareum lædier atque sacrum
Hic tu ridebas hominem multumque diuque
Et merito, quid enim hoc stultius ac levius?
Qui præter tibi jura coqui notissima juris
Auditum nomen crederet esse aliud.

In picturam Fabulæ Giganteæ.

EN stolida sine patre fati tellure Gigantes
Montibus accumulant montes, ipsumque minantur
Cœlicolûm Regem supera detrudere ab arce: Sed

Sed male vesanæ cedent sine pectore vires.

In eosdem fulmine depulsos.

JUppiter exstructas disturbat fulmine moles
Ignibus involvens rapidis, monteisque virosque.
Sic sic vis sine consilio, sic impia facta
Præcipitata ruunt Superis ultoribus usque.

In tabulam Penthei trucidati.

PEnthea cernis Echioniden:
Hospitis Orgia qui Bromii
Spreverat: impius ecce Deo
Vindice jam malefacta luit.
Matris enim, Orgiadûmque manu,
Dum fera creditur esse, perit.
Quam sceleri bene pœna suo
Congruit, & mala digna malis.

In picturam Europæ stupratæ.

HIc qui a monte boves ad proxima littora vertit,
Aurea te, quis sit, virga monere potest.
Tum testes alæ, neque non talaria, testis
In flavo bicolor crine galerus erit.
Si rogitas quid agat, patrio subservit amori,
Inscius, obsequio furta dolosa tegens.
Raptor enim nivei latitat sub imagine tauri
Improbus, ac prædam per freta longa vehet:
Ut Cretam attigerit, mox taurus desinet esse
Juppiter, & virgo non erit ista diu.
Quid non cæcus amor mortalia pectora cogat,
Si taurum æthereum non piget esse Jovem?
At quæ formosis satis est cautela puellis,
Hic quoque stuprator si metuendus erat?

In fronte libelli dono missi Episcopo Atrebatensi, Scazon.

AVibus secundis vade charteum munus,
Exile quamquam te brevis dicat vates.
Liceat modo placere Præsuli docto,
Pretio lapillos viceris & Erythreos.

In fronte libelli de Imperatoria Majestate.

CHristianum orbem tuenti qui favetis Cæsari,
Huic favebitis libello, qui tuetur Cæsarem.

In fronte odarum Guilielmi.

HUc, siquidem pia, si pudica Musa
Delectat, nihil hic vel inquinatum,
Vel quod melle nocens tegat venenum:
Christum tota sonat chelis Guihelmi.

In fronte libelli Buslidio dono missi.

NOn ego Buslidiæ decus adfero Bibliothecæ,
Sed decus apponit Bibliotheca mihi.

In fronte alterius.

NOn equidem ornabis tu Antoni Bibliothecam,
Te magis ornabit Bibliotheca liber.

In cæcum Tragœdiarum Castigatorem.

CUr adeo lector crebris offendere mendis?
Qui castigavit, lumine captus erat.

Sub pictura vultus Christi.

HIc intuetur & intimos mentis sinus.
Fac tota niteant pectoris penetralia.

Agit carmine gratias pro misso munere.

ANtistes sacer elegantiorum, ac
Princeps Carmiliane literarum,
En versus tenuis tibi Poeta
Hos pro munere splendido rependit.
Hoc est scilicet, ære mutat aurum.
Ad quid tandem aliud Deis vel ipsis,
Gratus, sed tenuis referre vates
Possit, quam numeros modosque? verum
Largiri numeros tibi Petre, hoc est,
Sylvæ ligna, vago mari addere undas.

In fronte Enchiridii.

NIl moror aut laudes, levis aut convicia vulgi,
Pulcrum est vel doctis, vel placuisse piis.

A Spe quoque majus erit, mihi si contingat utrumque:
Cui Christus sapit, huic si placeo, bene habet.
Unicus ille mihi venæ largitor Apollo,
Sunt Helicon hujus mystica verba meus.

Libellus dono missus.

MIttere cur verear magno leve munus amico,
Quum capiant summos thuscula pauca Deos.

Joanni Okego Musico summo, Epitaphium.

ERgone conticuit
Vox illa quondam nobilis,
Aurea vox Okegi?
Sic musicæ exstinctum decus?
B Dic age, dic fidibus
Tristes Apollo nænias.
Tu quoque Calliope
Pullata cum sororibus
Funde pias lacrymas.
Lugete, quotquot musicæ
Dulce rapit studium,
Virumque ferte laudibus.
Artis Apollineæ
Sacer ille Phœnix occidit.
Quid facis invida mors?
Obmutuit vox aurea,
Aurea vox Okegi,
C Vel saxa flectere efficax,
Quæ toties liquidis
Et arte flexilibus modis
Per sacra tecta sonans,
Demulsit aures Cœlitum
Terrigenûmque simul
Penitusque movit pectora?
Quid facis invida mors?
Vel hoc iniqua maxime,
Æqua quod omnibus es.
Sat erat tibi promiscue
Tollere res hominum.
Divina res est Musica,
D Numina cur violas?

Henrici Episcopi Cameracensis Epitaphium.

HEnricus hic est, Bergicæ stirpis decus,
Qui laude morum avita vicit stemmata.
Gregis salute nil habuit antiquius,
In quem pius paterna gessit viscera.
Hic incitatus amore miro Cœlitum,
Jacobe sedem visit impiger tuam,
Arcemque Petri visit, & Solymas sacras.

De eodem.

BErganæ stirpis septem de fratribus unum
Condidit Henricum hoc invida Parca loco.
E Ille gregis Cameracini Præsulque Paterque,
Cui simul & patriæ, non sibi, natus erat.
Bisque Jacobæam visit pius advena sedem,
Dehinc Romam, & Solymas vectus adusque sacras,
Sic pietate vagus, virtute gravissimus, ævum
Exegit felix & sine labe suum.

In Magnatem quemdam, sed ficto nomine, qui laudes suas exiguo munusculo pensarat.

COrrexit errorem meum
Lepide Marullus: nam mihi
Laudatus æquo largius
F Nimium pusillo prodigum
Vatem redonat munere.
O pectus, ô memorabilem,
Hujus modestiam viri.
Non vult cani, quæ non facit,
Vult & sileri quæ facit.
Proin pudendis præmiis
Invitat ad palinodiam,
Invitat ad silentium.
Non suadet hoc frugalitas
Tenaxque parsimonia,
Quum sannionibus quoque
Fœdisque morionibus

Prolixa donet munera.
Quod ista donat vatibus,
Quæ dare minus quam nil dare est,
Pudore, non vitio, facit.

Epitaphium scurrulæ temulenti, Scazon.

PAx sit viator, tacitus hos legas versus,
Ut sacra verba mussitant sacerdotes,
Ne mihi suavem strepitus auferat somnum,
Repetatque vigiles illico sitis fauces.
Nam scurrula hocce sterto conditus saxo,
Quondam ille magni clarus Evii mystes,
Ut qui bis octo lustra perbibi tota,
Oculis profundus deinde somnus obrepsit,
Ut fit, benigno membra quum madent Baccho.
Atque ita peractis suaviter bonis annis,
Idem bibendi finis atque vivendi
Fuit; sed etiam me aliquis ebrium credat,
Aut somniare, qui ista dormiens dicam.
Vale viator, jam silenter abscede.

Encomium Slestadii carmine Elegiaco, per Desiderium Erasmum Roterodamum.

NObile Slestadium, tua quis pomœria primus
Signans, tam dextris condidit auspiciis?
Unde tibi genius tam felix, tamque benignus?
Sydera nascenti quæ micuere tibi?
Quum videaris enim, neque muro insigne capaci,
Plebe nec innumera, divitiisve scatens,
Urbibus in cunctis, tamen haud felicior ulla est
Quotquot Cæsarea sub ditione vigent.
Non ego jam memoro, quod fertilis undique campus
Adjacet, & segetem prosperat alma Ceres.
Quodque hinc vitiferos monteis, hinc ditia Rheni
Flumina prospectas, grata quod aura fovet.
Commoda bella, sed hæc tecum communia multis.
Dotibus hisce simul vinceris, & superas.
Illa tibi propria est, quod & una & parva, tot edis
Virtute insigneis ingenioque viros.
Tot pariter gemmas, tot lumina fundis in orbem,
Quot multis aliis vix genuisse datum est.
Doctrinæ proceres tot habes, quot proditor ille
Vix belli proceres occuluisset equus.
Quam non Vimphlingus, quam non Spiegellius urbem,
Quam non Kirherus nobilitare queat?
Unde tibi Sapidus, doctis quoque dignus Athenis?
Unde sacer Phrygio, Storkius unde tibi?
Unde tibi Arnoldus, Musis excultus? & unde
Matthias niveo pectore Schurerius?
Ut sileam reliquos, non te satis ille Beatus
Rhenanus, lingua doctus utraque, beat?
Quæ tibi cum liquido tacita est cognatio cœlo?
Num quod Palladia numen ab urbe favet?
Corpora gignit humus, mens æthere manat ab alto.
Membra aliæ pariunt, ut paris ingenia.
Quis non invideat tam splendida commoda, ni quod
Non tibi, sed mundo fertilis, ista paris.
Gloria te penes est unam, sed fructus ad omneis
Pervenit, humanum qua patet orbe genus.
Hæc memor hospitii, tibi carmina panxit Erasmus
Haud lepida, at grata qualiacumque cheli.

Ad Sebastianum Brant Archigrammateum urbis Argentinensis, Phalecium Desiderii Erasmi Roterodami.

ORnarunt alios suæ Camœnæ,
Ornas ipse tuas magis Camœnas.
Multos patria reddidit celebres.
Urbem tu celebrem, celebriorem
Multo constituis, Sebastiane:
Lingua, moribus, eruditione,
Libris, consilio, severitate.
Sic cum fœnore plurimo rependis
Acceptum decus, e tuo vicissim
Illustras, patriamque, literasque.

Desiderius Erasmus Roterodamus ad Joannem Sapidum suum, in discessu.

QUando distrahimus, absens absentis amici
Candide Joannes, hoc tibi pignus habe.
A Quoque magis spatium sejunget corpora nostra,
Mutuus hoc propius pectora jungat amor.

Ad Thomam Didymum Aucuparium Poetam Laureatum, Desiderii Erasmi Roterodami carmen.

QUas mihi transscribis, doctissime Didyme, laudes,
Ut sunt majores, quam quas agnoscere possim,
Ni prorsus frons nulla foret, sic rursus eædem
Sunt adeo doctæ, talique e pectore natæ,
Ut minime libeat, quas das rescribere. Veras
Esse perinde optans, quam sunt lepidæ, atque venustæ.
His ego non sane placeo mihi. Tu mihi vates
Lauro digne places; nam dum me reddere magnum
B Carmine magnifico docte conniteris, ipsum
Te ostendis vere magnum, vereque stupendum,
Ut qui viribus ingenii possis elephantum
Reddere de musca, nihilique attollere tricas.
Sed quo judicium minus approbo, maxime vates,
Hoc mage lætor amore tuo, candoreque mentis.

Desiderii Erasmi Roterodami carmen Jambicum, ad Andream Ammonium Lucensem, Invictissimi Regis Anglorum a libellis.

QUicumque dotes reputet, Ammoni, tuas,
Oculisque totum lustret admotis prope
Oris decus, proceritatem heroicam,
C Vultuque toto & universo corpore
Bene temperatam dignitate gratiam,
Nitentium blandum vigorem luminum,
Linguæque plectrum tam suave tinniens,
Mores dehinc horas ad omneis commodos,
Faciles, amicos, melle melleos magis,
Veneres, lepores, gratias, risus, jocos,
Mitem indolem, mentisque candorem novum,
Mireque mixtam simplicem prudentiam.
His pectus adde sordido aversum lucro,
Dextramque quam pro sorte largiusculam.
Jam quam benigni vena dives ingeni?
Quot animus unus expolitus literis?
Ac rursus his par addita est facundia.
D Demum universa hæc rara condit comitas,
Et improbi livoris arcet fascinum
Modestiæ jucunditas, cum dotibus
In tam superbis, nil superbum in moribus.
Hæc quisquis (inquam) pensitet, tot affatim
Congesta in unum, nonne merito dixerit?
Soli parentem fuisse naturam tibi,
Contra novercam cæteris mortalibus.
Horum licet tibi ipse debes pleraque,
Restant tuæ Fortuna jam partes, uti
Dotes ita amplas, opibus exæques tuis,
Nisi vis videri aut cæca plane, aut invida.

E *Ad Lucam Paliurum Rubeaquensem, Episcopi Basiliensis Cancellarium, Desiderii Erasmi Roterodami carmen ex tempore.*

EXhaustum immodico novale cultu
Mentitur queruli spei coloni.
Effœtum ingenium labore longo,
Nil dignum parit hoc amore nostro,
Quo te prosequor unice, inter omneis
Mellitissime Paliure, amicos:
Nec dignum meritis tuis, nec ipsi
Quod respondeat eruditioni.
Quod solum licet, hoc in omne tempus
Præstabo, ex animo medullitusque
Nostrum (sic meritum est) amabo Lucam.

F *In fugam Gallorum insequentibus Anglis apud Morinum, Anno M.D.XIII. Scazon Desiderii Erasmi Roterodami.*

ALLUDIT AD CARMEN MARTIALIS DE CATONE.

AUdivit olim censor ille Romanus,
Ludos jocosæ quando noveras Floræ,
Cur in theatrum Cato severe venisti?
An ideo tantum veneras ut exires?
At jure nunc imbellis audiat Gallus,
Ludum cruenti quando noveras Martis,

Animos ferocis quando noveras Angli,
Quid quæso in aciem timide Galle prodisti,
Ferro minaci splendidas agens turmas?
An ideo tantum veneras, uti fœde
Fugiens sequenti terga verteres hosti?
Ac si pedum certamen esset, haud dextræ.
Cato fœminas videre non potest, Gallus
Viros. Cato mutare potest non vultum,
Gallus nequit mutare pectus ignavum.

Quum multos menses perpetuo pluisset, & per unam modo dieculam se mundo sol ostendisset, rursusque non minus odiose quam antea plueret, Erasmus Basileam repetens, in itinere sic lusit in Jovem Anno M.D.XV.

MEnses quum prope Juppiter per octo
Vota surdus ad omnium pluisset,
Agros jam male perdidisset omneis,
Vexasset segetesque, vineasque,
Tandem desierat, pudore credo,
Et tandem licuit videre solem,
Quem migrasse polo, timebat orbis,
Æternam ratus imminere noctem.
Vixdum sesquidiem nitere passus
Obducit nebulisque nubibusque
Totum qua patet undequaque mundum.
Ac rursum similis sui esse pergit.
Isthoc si moderere pacto Olympum,
Nec quicquam es, nisi nubium coactor,
Quis non officium probet Gigantum?
Et cognomina consueta vertens,
Pessimum vocet, infimumque Divûm?

Epitaphium Philippi Cœnobitæ Cluniacensis.

Viator. ISti cur lubet assidere saxo,
Cum toto, Pietas, choro sororum?
Pietas. Hic noster jacet unicus catervæ
Vindex, ille Philippus, ille dudum
Cœtus gloria prima Cluniaci.
Viator. Luctum at pulla solet decere vestis,
Vos albis video nitere totas.
Pietas. Cujus tam nivei fuere mores,
Cui tam candida sit peracta vita,
A Hujus funera non puto decere
Aut pulla, aut lacrymis nigrandum.

Desiderius Erasmus Roterodamus Guilielmo Nesenо calamum dono dedit cum hoc Epigrammate.

CALAMUS LOQUITUR.

TAntillus calamus, tot, tanta volumina scripsi
Solus, at articulis ductus Erasmiacis.
Ediderat Nilus, dederat Reuchlinus Erasmo,
Nunc rude donatum, me Guilielmus habet:
Isque sacrum Musis servat, Phœboque dicatum,
Æternæ carum dignus amicitiæ,
Ne peream obscurus, per quem tot nomina noscet
B Posteritas, longo numquam abolenda die.

Desiderius Erasmus Roterodamus in Brunonem Amerbachium.

HIc jacet ante diem fatis ereptus iniquis,
Gentis Amerbachiæ gloria prima Bruno.
Non tulit uxori superesse maritus amatæ,
Turtur ut ereptæ commoriens sociæ.
Hunc blandæ lugent Charites, Musæque trilingues,
Canaque cum casta simplicitate fides.

Epitaphium Ulrichi Zasii, per Desiderium Erasmum Roterodamum.

SIccine mors crudelis & invida præripis orbi
C Ulrichum Zasium decus admirabile Juris
Cæsarei simul & sacri: parcissima dixi,
Imo doctrinæ totius & artis honestæ
Thesaurum ac mundum locupletem, cujus ab ore
Manabat sermo vel melle suavior omni.
Quid nunc collaudem summum pietatis amorem
Et mentem cœlo dignam, quo jam illa soluta
Corporis involucris fruitur sine fine beata.
Quod superest, te compello studiosa juventus,
Tandem pone modum lacrymis justoque dolori:
Vocis adempta tibi est Zasianæ copia, verum
Exstant ingenii monumenta perennia, quæ si
Assidue manibusque teras oculisque frequentes
Spirat in his loquiturque viri pars optima semper.

PRIMI TOMI OPERUM DESIDERII ERASMI ROTERODAMI,

FINIS.

